R. P.

ANTONII BERNALDI
DE QVIROS,

È SOCIETATE IESV.

Selectæ Diſputationes Theologicæ,

DE DEO.

8
G
14

SELECTÆ DISPVTATIONES THEOLOGICÆ DE DEO.

Quibus continentur quinque Tractatus.

I.	De Proœmialibus Theologiæ.	III. De Viſione.	Dei.
II	De Eſſentia, & Attributis.	IV. De Scientia.	
		V. De Voluntate.	

Continetur etiam in fine accurata explicatio omnium Quæſtionum, & Articulorum S. Thomæ ſuo ordine per indicem demonſtrato à Quæſtione primâ vſque ad vigeſimam primam incluſiuè; vbi ſiquæ ſupererunt difficultates, quæ in hiſce quinque Tractatibus, quia minus ipſæ celebres non ſunt explicatæ diligenti operâ iuxta ſeriem cuiuſcumque Quæſtionis, & Articuli ſigillatim illuſtrantur, & exponuntur; & quæ tractatæ erant locupleti iterum eruditione exornantur.

AVTHORE R. P.

ANTONIO BERNALDO DE QVIROS TORDELAGVNENSI,

è Societate IESV, in Ambroſiano Collegio Valliſoleti Generali ſtudiorum Præfecto & Theologiæ Profeſſore Primario; Regij ſupremi Senatus ſanctæ Inquiſitionis cenſore.



LVGDVNI;

Sumpt. PHIL. BORDE, LAVR. ARNAVD, & CL. RIGAVD, in via Mercatoria.

M. DC. LIV.

CVM PERMISSV SVPERIORVM.



PHILIPPO QVARTO,

REGI FAMA, ET VIRTVTE MAGNO, HISPANIARVM, INDIARVMQVE ad ſurgentem & Occidentem Solem Monarchæ inclyto.

OCEANI DOMINO

Aſiatico, Africano, Belgico, Italico, Siculo, Sardico, Victori, Catholico, Auguſto.

DA veniam (REGVM AVGVSTISSIME, ET MAXIME) ſi ambitiosè indulgeo audaci conſilio; & Theologia noſtra latura publicam lucem, à Majeſtate Tuâ velit conciliari ſibi pulcherrimam famam. Quis hanc Diuam ſcientiarum maximam faſtidire, quis ſpernere audebit; quam viderit à Magnitudine Tua,

quâ nihil illuſtrius Orbis, aut Natura tulit, propitio vultu & honore exceptam? Eximium ſane, clarumque habebitur poſteritati quod humanitate ſuâ honeſtauerit Philippus, & in Regiæ Benignitatis ſacrarium beneuolè admiſerit. Neque verò felicius potui ſecuturæ ætatis memoriam expectare, quam vbi clariſſimum tuum nomen calamo dedero, & laudes. Amat humanum genus, cuius princeps es, amabitque per omnem Poſterorum ſeriem, quæ in te vigent, ad immortalitatem famæ, dotes pulcherrimæ. Pari benevolentiâ fauebit quoque encomiaſtis; aut potius laudes tuæ attollent ſecum ſcriptores ſuos, in idemque, quo vocaris ipſe, ſudum æternitatis trahent.

Fiduciam præterea mihi facit, vt id muneris deſtinem Majeſtati tuæ, amor ille, & honos, quo litterarum cultores aſſueſti amare: vt felici redauſpicatu reddideris Hiſpaniæ litteras, quas tot bellici ab Gothicâ Gente Martis terrores, & minæ Iberiâ proſcripſerant. At nuper munificentia Tuâ, & beneficio accerſitæ in has terras, priſtinum, ac maiorem, quàm ab vlla Gente, ab Hiſpanis honorem recepêre, & cultum. Quippe omnium illæ ſeſe ætatibus, animiſque gratiſſime commendant exemplo hoc, licentiâque, quam facis; nec eſt qui ſpernat ſtudio erecto, ac vigili litatione adorare has Diuas, quas videmus in Maieſtatis Tuæ ſolio, faſcibus, & oſtro fulgêre. In primis omnem illam amœniorem litteraturam in Hiſpania pœnè emortuam, extructâ in Madritenſi Societatis IESV Collegio nobiliſſima Academia, pari bono, ac munificentia foues; vt auſpiciis tuis, & fauore in Imperij Tui vertice politiórum diſciplinarum reſp. inuidendum faſtigium non iam attigerit, ſed teneat. Mactæ eſtote ſuauiſſimæ litteræ hoc honore, & felicitate! Cauete, ne vnquam huic Regi munificentiſſimo, huic animo inueniamini ingratæ. Tam grandi beneficentiâ obſtrictæ famam perennaturam ab æternitate impetrate, repenſuræ lucem, quam pulcherrimam à Magno Philippo accepiſtis. Nec dubita, Rex Auguſte, de obſequio. Illæ curas Tuas, & victoriarum felicitatem toti Terrarum orbi commendabunt, vt quàm latè Hiſpanorum ſapientia in gentibus ſparſa viget, ibi Nomini tuo gloria ſuperſtes, ac immortalitas parata ſit. Nec hic ſiluero, quantum Tibi, vltra conceſſum Principum fortunæ, fauerint Muſarum Numina. Poëſis enim admiſſa eſt ſæpè inter arduas pacis, bellique curás, quæ genium Tuum feliciſſimè exercent: nec vllam voluptatem honeſtiorem putas, quàm quæ ab Heliconis riuis propinatur. Hanc crebrò hauris mente indulgentiſſima; hanc miſces victoriarum lætitiæ; vt vtraque & bellatrix Gradiui, & docta Appollinis laurus in te conſpiret, non laude impari, ſed corona diſſimili,

Claud. ad Stil. Pan. 3.

Gaudet enim virtus teſtes ſibi iungere Muſas;
Carmen amat, quiſquis carmine digna gerit.

Nil loquor de Iuriſprudentia; Hanc regnorum gubernatricem, & præ-

ſidem

ſidem adlegiſti : huic populos, huic faſces,huic magiſtratuum faſtigia, huic ſpes noſtras, & ſecuritatis fata pari prudentia, atque felicitate committis: vt iam illa Te vnum vindicem agnoſcat, purpura Tua ſe tegat, ſapientia alat, & quæ quondam ſceptra, ac nomen imperantibus dabat, à Te nunc accipiat. Quid de Theologia ? Hoc quoque ſtudium, quod Natura mortalium eximium habet, beneficentiæ Tuæ largo fonte perfunditur. Scimus magno Iberiæ bono quantus in aula Theologiæ ſit honos, locuſque: quam ſæpè accerſis in Conſilium, & expediendis reipublicæ difficultatibus non rarò ſuffragium petis. Quid ? Quod infulis etiam ornas, & claris commendatam dignitatibus ſacrum flectere Religionis gubernaculum effusâ opum inundatione iubes. Perge, Rex Magne, hanc ſapientiam fouêre; Perge: & hæc vna valido præſidio ſuccinget Tuam potentiam, quam penè orbi parem totam aſſerendæ Fidei ſtrenuè impendis. Quamobrem (vt accedat hæc quoque validior ratio deſtinandi Tuæ Maieſtati donarij) cum hoc opere Dei Numen, eſſentiam, proprietates, dotes, omnipotentiæ etiam facinora ab penitiori cælorum ſeceſſu ad Mortales deducam, vnde mihi felicius auſpicium faciam,& tutêlam, quàm à Claritudine Tuâ, cui Deus cultum, honoremque ſuum apud humanam gentem commiſit ? Evolue mentem,oculoſque per priſcam Auorum memoriam: cogita præclara Maiorum geſta, quibus immoriturum nomen emere; quia Deo regnorum opes, & arma locauiſſent: quique Hiſpanum imperium ab exiguis profectum initiis eo prouexerunt auſpice Pietate, vt ſparſo latè ad vtrumque ſolem terrore virtutis, nunc ad ampliſſimam gloriam perductum ſolùm ad ſydera ſpectet. Nam, vt taceam Gothicos Reges Reccaredos, Siſibutos,Chintilianos,Eruigios,Egicanos,Receſſyindos,à Conciliis Toletanis, Barcinonenſibus, Cæſar-Auguſtanis, & Leone II. ſpecioſo, ac immortali cognomento dictos Chriſtianiſſimos, Orthodoxos, Catholicoſque, quia id Fidei amore, geſtiſque ſibi æternùm peperiſſent; attollent ſeſe poſt Pelayum in Aragonia Petrus II. in legione, ac Caſtella Alphonſus I. Ordonius, ſanctius Craſſus, Alphonſus VI. Alphonſus VIII. & omnium gloriam complexus, Imperij auctor Abauus Tuus Ferdinandus;qui cum Mauricâ ſuperſtitione,& tyrannide Hiſpaniam expediiſſent, Catholicorum nomen pietatis ſuæ, ac victoriarum præmium fecere, inde ad Te longâ geſtorum ſerie tranſmiſſum. Dabunt ſe prӕterea reliqui Reges, ferro accerrimi, dextra ſtrenui, gloriâ eximij, plerumque fortunâ, ſemper animo, & pietate maximi: quibus nulla vnquam capeſſita arma, niſi quæ Deo pugnarent. Nec numen deſtituit vota piiſſima, animis maioribus, quàm copiis, in Africam ſuam exactâ barbarie. Aderant quippe cæleſtia ſubſidia, & Iacobus ætheriis legionibus ſuccinctus noſtra venit in caſtra, armorum ductor ac præſes. Viſum eſt magno Diuo par ſuæ magnitudini bellum; nec indignum, in quo ipſe præſens depugnaret. Vſurpabo illud Nazari: *In ore* In Panegyric. ad Conſt.

eſt

eſt omnium, exercitûs viſos, qui ſe diuinitus miſſos præſeferebant. Flagrabant neſcio quid vmbone coruſci, & cæleſtium armorum lux terribilis ardebat: hæc ipſorum ſermocinatio, hæc inter audientes ferebant, Hiſpaniam petimus, Hiſpaniæ imus auxilio. Habent profectò & diuina iactantiam, & cæleſtia quoque tangit ambitio. Illi cælo lapſi, illi diuinitus miſſi gloriabantur, quod Caſtellæ militabant.

Inde vero tranſi ad Auſtriacam pietatem, & illam gentem Orbis habenas hac dote meritam, fatalemque humano generi regendo. Hanc familiæ Tuæ ſiue virtutem, ſiue laudem propius pete in imitationem. Non deducam Maieſtatem Tuam per antiqua illa Leopoldi, Rodulphi, aliorumque magna exempla: recentioribus admonendus es, vt recenſeas quos ipſe hac commendatione excedis, ſequeriſque maiori veſtigio non obrutus gloria, quorum adhuc memoria viget. Occurrit ergo iam ſponte Carolus Imperator, qui in nouo veterique orbe ſuo, ſuorumque ductu quadraginta illuſtrium victoriarum ſpoliis onuſtus, & gloria, bella hoſtium, numero, & viribus magna, ſupra ſeptuaginta ad exitium feliciſſime deduxit, pleraque omnia religioni, Deoque, ea ſanè felicitate, vt nunquam caſtris exutus, nec acie victus caſtella ſupra centum millia, & decies octingentas vrbes, naueſque ſupra decies & octingentas in poteſtatem redegerit; domitis, victis, vinctiſque (quod nuſquam legeris) principibus, qui laceſſiere bello. Franciſco Galliæ, Nauarræ Henrico, Saxonum Duce Federico, Guillielmo Diuiæ, Erneſto Brunſuici, Philippo Haſſiæ, & in America octodecim Regibus ſubactis; ea quoque conſtantia, vt cum prope orbis vniuerſus arma, & procellas minaretur, ille tamen Regum minas, & gentium rebellantium terrores infra ſe putaret. Nunc de Vienna Imperij ſede, Auſtriaque periclitans ſigna infeſta ferebat Solimano non auſo Caroli virtutem in aciem vocare: nunc fracto Turcarum ſupercilio Thunetanis, Epirotis, Aphricis quoque militem victorem inuehebat, & clades; interdum in Germania graſſantem Hæreſim Principum viribus, & ferocia armatam vltima compeſcebat virtute. Quandoque etiam Maris tractus pene vniuerſos, Oceanum à Germania vſque ad Indicum, Mediterraneumque Barbarorum claſſibus infeſtum, reddita ſecuritate pacabat. Et hæc vt Dei cultum inueheret, profligata vbique ſuperſtitione. Quid non audes Pietas? Quò non erigis ſpes, votaque cœlo ipſi paria? Pietas Carolum impulit ad cæleſtiſſima facinora. Hæc vna hoſtes vicit, triumphos egit, imperium dedit, ſubacto orbe, nec indignante cadere ſub Hiſpanas leges. Quid Philippus? Inclyta Patris veſtigia premens, nullis gratius exercitus eſt curis, quam in quas ipſum Religio accerſebat: tot regnis intentus, ad hanc rem ſummas, primaſque cogitationes flexit. Hinc in Batauos non niſi indulta Religionis libertate imperium laturos, tot annos, tantaque hominum, opumque iactura bellum obſtinatiſſimè inceptum, tractumque.

Hinc

Hinc toties graſſante per Galliam hæreſeos lue,& armis rebellibus fatigan-te Regi Carolo ſubſidia miſſa;ac periclitanti Fidei ope magnificâ ſuccurrit. Vocat me Tuus Parens Philippus, qui ſibi cognatam virtutem ad Te fatalem transfudit. Ferdinandum II. Turcicis, Tartaricis, Tranſyluanicis, Hungaricis, Bohemicis, Germanicis, Batauicis copiis, & minis circumſeſſum exercitu, ac Duce iuuit, deditque vt vinceret, imminentem Orthodoxæ veritati proſcriptionem ingentibus victoriis expungeret. In Mauros etiam (quorum infando conſpectu Hiſpanias, prorſus leuauit, fatis ipſius Pietati iam olim deſtinantibus hoc decus) claſſem inſtructiſſimam parauit. ne per oras Ibericas, cum Religionis clade, infeſtas naues vltra circumferrent, & terrorem. Taceo reliqua Auorum documenta, & fortia facta, quibus oſtendit Numen Auſtriacam potentiam à ſe paratam velut arcem munitiſſimam, quò ſe Religio in terris oppugnata recipiat. Taceo, inquam, reliqua Pietatis exempla; inuitas me ipſe, qui potiora poſteritati, reliquiſti, & hanc cælo fers fortunæ Tuæ ſiue laudem, ſiue dotem, Maiorum magis Pietati, quàm Imperio ſucceſſiſſe. Neque enim tàm illorum auitum, clarumque nomen, quàm Dei numen in terris tueris. Potentiam natus es prope fatigantem ſeſe magnitudine; ſed quam hac Dei vindicandi cura firmas in æternitatem ituram. Vterque orbis, vterque ſol, ſurgenſque cadenſque Tuis Regiis pedibus aduolutus eſt, nutui intentus, & Numinis beneficio debens, quòd à Te regatur. Alexandri votum imperio ſuperaſti. Ad ſit nouus Anaxagoras, nouos vſquam commini ſcatur mundos; nos Te dabimus qui ſubiicias, ac regas. Nec hanc putas potentiæ Tuæ vltimam felicitatem; ſed quod à Te tot viribus ſuccincto præſidium exoret Religio. Tibi debet Europa, quod ſub Sueciorum non gemat tyrannide; Tibi Belgium, quod non prorſus Dei iugum excuſſerit, ac amorem: Tibi Germania, quod non hæreticis ac Turcicis ceſſerit minis: Tibi Gallia, quod Rupellenſem tumultantium hæreticorum ferociam tandem fregerit: Tibi denique reliqui mundi tractus, quod ipſis fax veritatis illuceat; & Americam, Aſiam, Aphricam quoque in Fide contines, eò crebro ſubmiſſis Religioſorum coloniis, quæ cum milite Tuo Orientis, & Occidentis arcana triumphis peragrante, Chriſto etiam victoriam pariant. O quot vndique minitantibus hoſtilibus procellis, animos crexiſti inuictior; viciſti, quia Pietas tanta beneficentia tibi obſtricta ſub Tuis ſignis gaudebat adeſſe; ipſa ſequi, & pugnare. Perge, Rex piiſſime, quà fata oſtendunt viam ad perennaturam victoriarum felicitatem. Iam Catalunia poſuit animorum ferociam; iam Belgium redditum eſt ditioni; iam pene pacatum eſt imperium, ſi arma in Luſitaniam expedias, horrentem Tuum nomen, & extimentem virtutem. Video admonitos de Imperij Philippici felicitate poſteros ſæcula iſta nobis inuiſuros; ſi addi-

derint hoc Superi fortunæ noſtræ, vt ea perpetua ſit, Te ſoſpite quàm diutiſſime. Faueat Numen votis; & ipſe, dextra beneuolâ, huic muneri indulge, quod ad aras famæ tuæ, ac virtutum manu reuerenti appendo. Poſt debitæ Venerationis cultum.

Majeſtati V. addictiſſimus ſeruus,

ANTONIVS BERNALDO DE QVIROS,
Societatis IESV.

ADMONITIO

ADMONITIO AD LECTOREM de Ratione ſcribendi.

IN *Theologiæ ſacraria admiſſi, eius myſteria reſerare aggredimur; ſed ſtatim ipſo in limine animus anceps hæret; ne de Theologiâ bene merentium ſolertes curas, & apprimè elaboratas lucubrationes; quæ prius litarunt huic Diuæ, offendere videamur; quippè iam diu obiectatur iis, qui nouis editionibus operam nauant, irritum eſſe laborem, ſi Sacræ ſcientiæ theſauros iam vndique ſummâ diligentiâ conquiſitos ſuis ſcriptis locupletari prætendant: ſatis irradiaſſe iam Theologiam lucibus antea ſcribentium nunquam emorituris: non poſſe recentibus curis iuuari, quæ Theoſophorum monumentis penè laborat: non denique tam ſcribi in ſummâ litterarum vbertate quam tranſcribi, & in ſæculo ingeniorum fertiliſſimo fruſtra nouos fructus in ſcholarum emporium aduehi. Verum trito atque vulgari non ſcribentium conatui obuiam facilè itur; teli huius in ſcriptores iactus facilè incruentus cadit, quippè nunquam ſatis vulgantur infinita Numinis arcana, quibus aperiendis inuigilat Sacra ſcientia, & licet diuini Oceani limpidiſſimas vndas hauſerint copiosè plures, nullus tamen vnquam exhauſit, forſanque aliquando ita ſeſe offert occaſio, vt placidius oblectet, opportuniuſque ſitim ſedet exilis riuulus vix è deſerto vertice ſcaturiens, quam ingentia verticoſaque flumina, quæ per apertos campos decurrunt, & prægrandibus nauigiis ſufficiunt. Quòd ſi hic parumpèr ad ripam ſubſiſtas, planè videbis, nulla adeo ampliſſimis alueis flumina præterlabi, quæ totius maris aquas ebiberint, plures guttulas riuis permittunt, quas ipſis vaſtiſſimum æquor non immiſit.* Creſcit in dies materies, *vt in ſimili ait Seneca Epiſt.* 79. Et inuenturis inuenta non obſtant. *Peruetuſta eſt iſthæc accuſatio, ſæpè antiquis Patribus, & Theologiæ myſtis obiecta; at ſemper paſſa eſt repulſam, nec vnquam in iudicio obtinuit. Heu quæ intertrimenta læſiſſent fertilem ſcientiarum meſſem, ſi plura eorum lumina refugerent, quia prius alij Soles in ampliſſimo ſapientiæ theatro plenâ fronte radiorum beneficentiâ fulſerunt! Soarios, Vaſquios, Valentias, Bellarminos, Scotos, imò & Aquinates deſyderaremus; orbuſque eſſet orbis fulgentiſſimis aſtris eo tantum crimine, quod alia ſydera in litterarum cælo præ-*

luxerunt. Quid (quod in plurimis verum eſt) Non omnia apud priores meliora, ſed noſtra quoque ætas, multa laudis, & artium imitanda poſteris tulit. *Vt ait Tacitus 3. Ann. Accedit Mortalium multiplex, variuſque genius, qui modo hoc, modo illo ſcriptionis genere demulcetur, & vbi minor ſpes affulgere videbatur, neſcio quo trahitur ad ſtudij ſalebras illicio. Quod ergo clariſſimos Theologiæ Duces non retardauit, neque ſuos milites quamuis imbelles terrere debet, vires vtrorumque longè inæquales ſunt, quis audeat negare niſi demens? Diſſimiles tori, atque lacerti, at militandi cauſa profectò æqualis: nec armatam ſapientiam tueri, & comitari ſolos imperatores decet, ſed & tribunos, primipilos, centuriones, vexillarios. Iam diu eſt, ex quo in caſtris Theologiæ merui, nec mirum ſi de ipsâ velim bene mereri. Decreui ipſam hiſce tractatibus velut quibuſdam Zonis præcinctam efformare, qua ſolet fronte, in ſcholis, ſcholaſticiſque palæſtris celeriter & acriter emicare in certamen. Idcirco omnia huius operis inſtrumenta in id conſpirant, vt palæſtræ inſeruiant, & militent Theologiæ diſputatrici, vbi acuta rationum iacula pro veritate pugnant, & expugnant tyrannidem falſitatis. Propterea noſtræ opellæ ſtylus pro facultate noſtra magis ad penetrandas res acuitur, quam ad blandiendum ornatur, nec gladij ſplendor prodeſt, niſi feriat, non comitum verborum lenociniis ſuauis, ſed rigori ſcholaſtico aſſuetus hoſtiles aduerſantium, aut fugientium dolos detegit, percellit contumaces; magis ad pugnam compoſitus, quam ad plauſum.* Milties enim, *ait Vegetius*, non auro, & gemmis ſpectantur, ſed armis. *Rebus inuigilamus, non verbis; ad expeditionem manum robuſtam colligimus, non floridulam amictu, & purpuream paludamentis. Veritatis vultus, & ingenua facies ſe ipſâ pulcherrimè ridet, nec eget peregrinis coloribus corrumpi, aut calamiſtris cincinnari: An difficilis veritatis inquiſitio lenitur, ſi floribus, & fucatis pigmentis, quæ diuertant animum, deliniatur? minimè ſanè.* Mihi quantum arbitror, *ait Clemens Alexand. 1. ſtrom.* Propoſitum eſt, intelligere quæ ſignificantur; contentum dunxaxat eſſe, vt quod intelligo declaretur; quonam vero iſtud nomine planum fiat, quod oſtendere volo, nihil mea refert. *Sanè de Zodiaci ſplendore agenti, ſyderumque domicilio viſum eſt vati non poſſe proprio & uerborum lumine bis florere, & ideo præfatur,* Ornari res ipſa vetat contenta doceri, *quanto magis amabo te, Verba ad oſtentationem collecta, dum explicare ſatagunt, quæſtiones quæ ſupra mortalium mentes euolant, cupientibus implicabunt. O quam nulla vtilitas, quam tenuis cenſus in illis erit? Igitur purum, facilem, non fucatum, ſtylum polliceor, & quoad fieri poteſt perſpicuum, namque vt luci nitorem debent, quæ in hoc vniuerſo aſpectabili infra, ſupraque videntur, ita ſtyli claritas rerum omnium quæ edocentur, præcipuum decus eſt atque ſplendor, ſordidè in tenebris iacerent, niſi hoc iubare perfuſa vigerent. Nihilominus non propterea probo alio-*

rum

rum aut incuriam, aut quod veriſimilius eſt rudem inſcitiam, qui putido, & antiquato, & ſæpè ruſtico charactere verborum non tam eloquuntur, quam balbutiunt, imò ſæpè obſcuri fiunt hiulci, atque barbari ſermonis commercio, quo Chriſtianæ Theologiæ inuidiam faciunt, & per exteras nationes Hiſpanam ſcientiam miſerrimè traducunt, nec Patrum arcana ſcire cenſendus eſt, qui prima elementa neſcit; ſic & rebus Theologicis, quas pertractat, haud dignus. Iam vt expeditior, liberiorque ſe ſiſteret Athletis noſtra Theologia, Patrum auctoritates aut tumultuariè congeſtas, aut per ordinem digeſtas aggerare prætermiſi, tum quia niſi concors Patrum conſenſus accedat, plurium auctoritas, reliquis licet paucioribus reclamantibus firma veritatis argumenta Theologo non præſtat, vt docet Canus de locis Theolog. lib. 7. cap. 3. & ob id in diſsidiis Scholaſticis non ſunt auctoritates, (niſi Sacræ Scripturæ, aut omnium Patrum) arma decretoria; plus igitur validiſsimâ robuſtâque ratione; tum quia hos tractatus excudo, provt è cathedrâ dictatos diſcipulorum calami exceperunt, vbi curſus anni celeriter præterfluens nullo modo patitur Profeſſores, ac magiſtros in Sanctorum monumentis diutius immorari. Non tamen omiſi enucleare plura S. Thomæ, & Auguſtini teſtimonia, cum frequentiſsimus eorum vſus ſit in Scholis; tum quia doleo non iure, ſed iniuria, in ſententias abſurdas, & quæ vel mediocriter eruditos dedecerent, violenter trahi; quod hi præſertim & aſsiduè factitant, qui corruptas & viles merces pretioſis, atque honeſtis nominibus donant; vt diuendant. Si quis autem volet amæniſsimis authoritatum viridariis mentem laboribus inaſſuetam recreare, luſtret noſtrum Didacum Ruiz cum ingenij acumine ad ſtuporem vſque eruditum, P. Dionyſium Petauium Theologiæ dogmaticæ anteſignanum. Porrò rationum pondera aliter, & aliter poſſunt ab ingeniis librari, ſententiarum, & opinionum firmitas magis ac magis denuò communiri; cæterum nunquam impetrare poteris, vt bene collectas auctoritates melius decerpant, aut bene intellectas melius capiant. Breuitatis Candidatus vbique laciniofos ambages fugio; illam ſequor, vtinam conſequar. Propterea plurum Auctorum aggerandæ copiæ non ſeruio, nuperos tamen laudo, in quibus cæteri reperientur. Aliorum ſententias, atque ſenſa, vbi plurima in contrarium animum vtilitas non cogit, nec refero, nec refello, ſententias Scholarum præcipuas probare, aut improbare contentus. Interdum tamen nonnihil præter morem diſputatio liberior excurrit, ne videlicet ſeiungam, quæ eiuſdem materiæ affinitas copulauit, vt cum ſermo incidit de diſtinctione formali, ex naturâ rei, & intrinſecâ virtuali. Propoſita quoque mihi ante oculos ſcribendi ratio, quâ ipſam Theologiam quaſi in procinctu ſcintillantem ad arma voco, in cauſa fuit ne Articulos S. Thomæ nouis ad litteram commentariis non tam ornarem, quam onerarem, eas enim moras curriculum annuum faſtidit, quid quod ipſius diſputationis noſtræ filum S. Doctoris mentem ſat deducit.

ducit. Præterquam quod alij tum ex Societate, tum exteri eiuſmodi labori cum laude indulſerunt. Angelici Præceptoris veſtigiis inſiſto, non iuratus, ſed ex affectu Thomiſta, & miles vltroneus, atque ſpontaneus; pluris autem fieri Dux & Princeps videtur, quem non neceſsitas, ſed electio facit. Non tamen propterea ante firmiter propugnare decerno D. Thomæ ſententias, quam ipſarum rationes, & ad examen vocem, & bene intelligam, ſed ipſas prius quam eligam, attentè & accuratè legi; quoniam præpoſterus eſſet ordo, & à S. Thoma alienus, ſi voluntas in veritate ſectanda, non vero intellectus patronos in ſubſidium accerſat. Eiuſdem S. Doctoris in articulis ordinem atque ſeriem ſæpè tranſilire cogor propter nouas quæſtiones, quas in Scholis ventilari conſuetudo inoleuit; & quas non interſerere culpæ, non autem pietati duceretur; Non tamen id genus obſequij, & communi Magiſtro & diſcentium commoditati negare potui: quare in fine huius tomi velut pro coronide, aut corona ſeriatim D. Thomæ articulos vſque ad quæſt. 22. 1. p. vna cum difficultatibus, quæ excitari ſolent, propono & expono. Et ne Magiſtri ſententiarum, eorumque, qui vtiliſſimè Magiſtrum commentariis illuſtrant, videar non ſine piaculo obliuiſci, librum & diſtinctionem in qualibet quæſtione adnotabo, ne quid ad doctrinæ deſit coronamentum. Igitur nunc accipe æquo animo quinque has materias totidem annis è cathedra dictatas, vt ſi fauor publicus vtilitatem comprobet, cæteras deinceps audeam è gymnaſio ſtatim prælo, typiſque, communi bono, & quod caput eſt, ad Dei gloriam, & Deiparæ ſine labe Originali conceptæ, libenter, atque alacriter dare.

APPROBATIO

APPROBATIO

ILLVST. ET SAPIENTISS. DOCTORIS DD. IOANNIS ZAFRILLA DE AZAGRA, Olim Collegæ, & Rectoris Collegij Maioris Diui Ildefonſi & Academiæ Complutenſis, & nunc in eâdem Academiâ Vſpertinæ Cathedræ D. Thomæ Moderatoris, atque Canonici in Magiſtrali Sanct. Martyrum Iuſti, & Paſtoris.

MEÆ felicitatis leni aurâ ſublatæ ad me Diſputationes ſelectæ in 1. p. D. Thom. in 5. Tractatus diuiſæ ſapientiſſimi Patris Antonij de Quiros è Societate IESV in ſuo Collegio Valliſoletano primarij Theologiæ Profeſſoris, auolarunt: quæ meum mirifice animum recrearunt, ſimulque in admirationem rapuerunt: atque adeo ita meum affectum erga ſeſe couciliarunt, vt me non ſuum rigidum cenſorem, ſed magnificum encomiorum ſuorum propagatorem eſſe compellant. In eis enim omnia, quæ ad Magiſtrorum doctrinam, diſcipulorumque profectum deſiderari poterant, inueniuntur, mira in eis Author eruditione, validarumque rationum pondere ſuam ſententiam confirmat; contrarias, licet modeſtè, acri tamen viuacitate refutat. Omnia ad exactam quæſtionum notitiam pertinentia tractat, omnia inquirit, omnia reſoluit, omnia denique nouâ doctrinæ luce paſſim illuſtrat. Quid enim in doctrina quæritur? Quid delectat? Pulchra-ne rerum, quæ exagitantur, varietas, perfectaque deciſio? In hoc amæniſſimo, feraciſſimoque Theologiæ campo ſollicitæ ſtudiorum apes per florida prata, atque virgulta diſputationum, quæſtionumque miro vndique ingenij & eruditionis acumine redolentia vagantes, ad ſuum dulce doctrinæ nectar conficiendum ex tot floribus veterum, nouarumque opinionum ſuccum, humoremque poſſunt ebibere. Claritas ne expetitur? Hîc ita illuminans explicationis lampas lucet, vt illa ducti diſcere cupientium oculi, nullum ignorantiæ calculum offendent. Validum ne, firmumque rationum munimen, telaque contra aduerſarios deſiderantur? Solidâ huius doctrinæ quiſquis loricâ induatur, non modò ab aduerſariorum telis ſe proteget, verumetiam eorum vires funditus refringet. Omnia denique quæ apud omnes maximam ſolent doctrinæ beneuolentiam conciliare, in his diſputationibus vnicè ita video collecta, vt ignorem, an magis aut delectet ſuauis in omnibus diſpoſitio, lucida explicatio, breuitatis cum claritate connexio; aut ſuſpendat miræ eruditionis, rerumque omnium ad materiam pertinentium comprehenſio? Quapropter ſicut ſuæ matris Doctiſſimæ, ſanctiſſimæque Societatis IESV Filij lauro hoc opus redimiri meretur, ita facultate, vt mandetur typis, coronetur ſic cenſeo, ſic opto.

Doct. D. Ioannes Zafrilla de Azagra, Acad. Comp. Veſp. Cath. & Canonicus SS. MM. Iuſti & Paſtoris.

IVDICIVM REVEREND. P. MAGISTRI F. FRANCISCI DE ROES ET MENDOZA, Scoti Cathedræ in Academiâ Salmantinâ publici Moderatoris. Philippi Quarti Hiſpaniarum Monarchæ à concionibus ſacris, & in Ciſtercienſium Salmanticenſi Collegio Regentis emeriti, Abbatiſque Digniſſimi.

CVm in hoc opere nihil non laude dignum ſedulitas cenſuræ inuenerit, ſupereſt, vt tibi, ô Lector, congratuler, ſuadeamque vt noua radiorum elegantia vibrantis Theologiæ ortum auidis votis excipias. Habes enim aureum volumen, fæcunda commentaria, quorum nullum, eſt folium, ſub quo non lateant vberes fructus. Si auſpicato pede voles Sacræ diſciplinæ penitiora arcana perſcrutari, facem hanc ſectare, quam tibi Antonius ardentiſſimi ſui ingenij flammis accenſam præfert. Hoc duce metuendum minime erit, nec mentem tibi confundat anceps multitudo tramitum, quibus ad ſapientiæ collem commeatur. Securè enim, & procul ab errorum diſpendiis, te ductabit. Non ſub erit fraus occulta decipulæ quæ properantis veſtigium deprehendat. Feliciſſime nimirum theorias omnes tricaſque quibus iter ſolet præpediri, exoluit, & ea facilitate difficultatum obſtacula exæquat, vt citra ſudorem, anhelantiſque ingenij moleſtias, ceu læui æquore poſſis percurrere. Videbatur porrò nullum poſſe huic argumento accedere incrementum, cum tot volumina, pluſquam milleſima paginâ ſurgentia, timeri poſſent, ne humani ingenij ſcaturiem exhauſiſſent. Atenim vero Authori noſtro recentiſſima copia ſapientiæ fons promanat. Admoue ergo, ô, quicumque doctrinam amas, puris

his

his liquoribus labra, vt inundata mens tanto litterarum flumine partus tibi edat ſantiſſimos. Nec nauſeam ſubuereris, quam plerumq; mortalium palato facit inoleſcentium rerum creber vſus. Fatebor enim huius operis materiem ſatis, ac fortaſſe plus æquo, tritam iam eſſe. Cæterum inde maior laudum ſeges authori huic exuberat, quod ſeneſcenti argumento gratâ nouitate iuuentutis formam adſciuerit. Ego plane felicitati non vulgari tribuo, quod viſus ſim non indignus, qui inter primos, huius operis delicias præmatura iucunditate libarem.

M. F. Franciſcus de Roes, & Mendoza, Abbas, Acad. Salamant. Cath. Regius Concionator.

REVEREND. ET SAPIENTISS. P. MAGISTER F. LVDOVICVS FERNANDEZ DE TAPIA, Primariæ Theologiæ Cathedræ publicus Anteceſſor, ac pro ſua Religione B. M. de Mercede Gallaciæ, & Aſturum Viſitator meritiſſimus, Authori.

ERat officij R.adm. P. & amoris noſtri, quo Theologiam colimus tuis, quas de Deo elucubraſti Diſputationibus fauſtum comprecari; gratulor modo tibi publicam lucem, quâ iam iam vllæ donantur. Sed operis vſque adeo ab ingenij præſtantia, atque erudito labore conſpicui vtri plus referam? tibi gratiarum, an Theologiæ cultori cuique gratulationis? Enimvero vti Author eſt Cyrillus initio comm. 1. in Ioannem, Lubrica res, & pleriſque detrimentoſa videtur diſputatio de ſupremâ omnium ſubſtantia, & myſteriis ad eam pertinentibus. Sed rem de argumento lubricam, ac de amplitudine immenſam adeo ipſe feliciter verſas vt inſignem operis difficultatem tibi obtigiſſe pro voto tibi crediderim, quo ſpectabilior eſſet tui triumphus ingenij: etenim vti ſublimia grauiter enucleas, ita ſubtilia, alta, ac noua dictu paſſim intexis: arduas res longè diuerſiſſimas rara ac inuſitata concordia iungis egregiam inueniendi vbertatem, ac limatum opinandi iudicium. Iam dicendi circumſcripta verbis diffuſa rebus compendia, iam methodus appoſitiſſimè diſcentium ingenio accommodat a ingentis laudis argumento erant; ſed ingenij dotes, ac ornamenta, quæ in hoc abſolutiſſimo opere cumulatiſſimè vigent, ac feliciter eminent ſimplici pene narratione tantum exequimur; at modeſtiam qua refellis aliorum ſententias etiam proſequimur admiratione, modeſtiam, inquam, tuam, cuius per honeſta vulnera ne diutius Epiſtolæ indulſerim iuuat compendio vſum finem illi facere: Per breuiſſimam vero, vti aiebat Petrus Damianus Epiſt. huius ſtyli membranulam prolixam mei pectoris intellige bibliothecam: ac interim vale, vt te totum ſcriptioni mancipes. Valliſoleti.

M. F. R. Ludouicus Fernandez de Tapia Viſitator, Acad. quæ Valliſol. Tholog. Primar.

FACVLTAS PATRIS PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV, in Prouincia Caſtellana.

EGo Petrus Pimentel, Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Caſtellana poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro Goſuino Michel, Præpoſito Generali, facultatem concedo, vt typis mandentur *Diſputationes Theologicæ in primam Partem D. Thomæ*, compoſitæ à Patre Antonio Bernaldo de Quiros, noſtræ Societatis & eiuſdem Societatis grauium, Doctorumque hominum iudicio approbatæ. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Vallis-Oleti die vigeſima ſeptima Septembris, Anno 1653.

PETRVS PIMENTEL.

LIbrum, cui titulus eſt *R. P. Anthonij Bernaldo de Quiros*, Societatis IESV Selectæ Diſputationes Theologicæ de Deo, in primam partem ſancti Thomæ, perluſtrauimus nos infra ſcripti Doctores Theologiæ quo nihil niſi ſelectiſſimum ac fidei Catholicæ incremento pervtile animaduertimus in lucem igitur prodeat Lugduni die 24. Octobris 1654.

F. Paulus Lombard, Doctor Pariſienſis, ac Prouincialis Carmelitarum, Prouinciæ Narbonenſ.

P. Cyrillus Morel. Facult. Pariſienſ. Doctor humiliſque Carmelit. Lugdun. Prior.

PERMISSION DE MESSIEVRS LES GENS DV ROY.

VEu les Approbations cy deſſus, ie n'empeſche que le Liure intitulé *De Quiros de Deo*, ſoit Imprimé & mis en lumiere. Fait à Lyon le 11. Octobre 1654.

VINCENT DE PANETTES.

SOit fait ſelon les Concluſions du Procureur du Roy. A Lyon le 11. Octobre 1654.

CHARRIER.

INDEX,

INDEX ET ORDO

Tractatuum, Diſputationum, & Sectionum huius Tomi Theologi.

TRACTATVS PRIMVS PROOEMIALIS THEOLOGIÆ.

DISPVTATIO I.

Quid ſignificet Theologiæ nomen? pag. 3.

Sectio I. *Statuitur ſignatus proprius Theologici habitus* pag. 3. n. 1.

Sectio II. *Aliquę obiectiones proponuntur, & ſoluuntur* p. 4. n. 8.

DISPVTATIO II.

De neceſsitate Theologiæ p. 4.

Sectio I. *Senſus quæſtionis*, p. 5. n. 1.

Sectio II. *Theologia ſecundum ſubſtantiam ſpectata, integréque & totaliter accepta, neceſſaria eſt ſimpliciter in eccleſia ad ſalutem*, p. 5. n. 6.

Sectio III. *Theologia ſaltem quoad aliquem actum eſt ſimpliciter neceſſaria immediate ſingulis hominibus ad ſalutem*, p. 6 n. 9.

Sectio IV. *Qualiter Theologia ſit neſſaria neceſsitate præcepti?* p. 7. n. 13.

Sectio V. *De Theologiæ Scholaſticæ vtilitate* p. 6. n. 15.

DISPVTATIO. III.

Vtrum concluſio ſupernaturalis Theologica poſsit deduci ex præmiſſa naturali probabili à qua per ſe vt formalis concluſio dependeat? pag. 7.

Sectio I. *Proponitur ſenſus quæſtionis, & ratio negandi, p. 7. n. 1.*

Sectio II. *Defenditur propria ſententia affirmatina, p. 8. n. 97.*

Sectio III. *Soluuntur fundamenta ſententiæ negantis, p. 9. n. 15.*

DISPVTATIO IV.

Vtrum cognitio ſupernaturalis ſaltem de potentia Dei poſsit eſſe falſa? pag. 10.

Sectio I. *Supponitur ex natura rei non poſſe eſſe falſam*, p. 11. n. 1.

Sectio II. *Nec de potentia abſolutâ poteſt eſſe falſa cognitio ſupernaturalis*, p. 12. n. 7.

Sectio III. *Opponitur locutio Dei amphibologica, & retorquetur in fauorem veræ ſententiæ; vbi quæ amphibologia licita ſit?* p. 12. num. 10.

Sectio IV. *Opponitur erroris infuſio à ſolo Deo & ſoluitur infuſio*, p. 13. n. 17.

Sectio V. *Proponitur cognitio ſupernaturali ſoluitur per plura inſtantia, & ſoluitur obiectio*, p. 14. n. 25.

DISPVTATIO V.

Vtrum concluſio Theologica poſsit eſſe naturalis quantumuis deducatur ex præmiſſa ſupernaturali fidei à qua per ſe vt formalis concluſio dependeat? p. 15.

Sectio I. *Senſus quæſtionis*, p. 15. n. 1.

Sectio II. *Defenditur propria ſententia affirmatina*, p. 16. n. 4.

Sectio III. *Sententiæ negantis fundamenta proponuntur & ſoluuntur*, p. 17. n. 11.

Sectio IV. *Defenditur poſſe effectum intrinſece naturalem per ſe pendere à prærequiſito ſupernaturali*, p. 18. n. 18.

DISPVTATIO VI.

Vtrùm de facto Theologia ſit ſupernaturalis? pag. 19

Sectio I. *Sententia affirmans & eius fundamenta proponuntur*, pag. 19. n. 1.

Sectio II. *Sententia negans præfertur*, p. 20. n. 6.

Sectio III. *Reſpondetur fundamentis ſententiæ affirmantis*, pag. 21. n. 13.

Sectio IV. *Infertur habitus Theologiæ naturalis, poſſeque inueniri in Hæretico*, pag. 22. num. 21.

DISPVTATIO VII.

De diſtinctione Theologiæ à fide quoad concluſionem ex duabus præmiſſis reuelatis, pag.22.

Sectio I. *Concluſio euidenter deducta ex duabus reuelatis non eſt cognoſcibilis per Theologiam purè, ſed per fidem; accepta ſpecificatiuè,* p.23.n.1.

Sectio II. *Ea concluſio vt formaliter deducta, creditaque propter præmiſſas reuelatas purè Theologica eſt,* pag. 23.num.6.

Sectio III. *Contraria ſententia, & eius fundamenta proponuntur & reijciuntur,* p.24.n.16.

DISPVTATIO VIII.

Vtrùm concluſio deducta ex vna præmiſſâ fidei, & aliâ naturali euidenti ſit Theologica purè? vel etiam credibilis per fidem, p.25.

Sectio I. *Senſus quæſtionis, & Authorum ſententiæ,* p.26.n.1.

Sectio II. *Aliqua prænotantur ad veram ſententiam,* ibid.n.6.

Sectio III. *Concluſio pendens à præmiſſâ naturali, quantumuis per ſe euidenti, ſi non explicet quidditatem formalem obiecti reuelati eſt purè Theologica intellectui humano; ſecùs Angelico, vel Beato,* p.276.n.11.

Sectio IV. *Reſpondetur argumentis pro ſecunda ſententia,* p.27.n.14.

Sectio V. *Infertur ex dictis propoſitionem pendentem à præmiſſa naturali moraliter tantum certâ poſſe credi per fidem v.g. hunc numero hominē eſſe verū Papam,* p.28.n.20.

DISPVTATIO IX.

Vtrùm Theologiæ habitus ſit conſtituendus ſpecialis ab habitu fidei & naturalis ſcientiæ diſtinctus? pag.29.

Sectio I. *Senſus quæſtionis & Authorum ſententiæ,* ibid. n.1.

Sectio II. *Eligitur, & ſpecialiter probatur diſtinctio habitus Theologiæ ab habitu fidei, & naturali,* p.30.n.7.

Sectio III. *Reſpondetur ſententiis oppoſitis in ſectione prima,* pag.30.n.13.

DISPVTATIO X.

Qualiter Deus ſit obiectum attributionis, ſeu ſubiectum Theologiæ? pag.31.

Sectio I. *Rationes & ſententiæ pro parte negatiua,* ibid. n.1.

Sectio II. *Vera ſententia aliquibus concluſionibus proponitur & declaratur,* p.32.n.6.

Sectio III. *Solutio rationum & ſententiarum in ſectione primâ,* p.33.n.11.

Sectio IV. *De obiecto adæquato, motiuo, ſeu formali Theologiæ, vtrum ſit ſola reuelatio? vel vlterius intret veritas naturali luce cognoſcibilis?* pag.33.n.15.

DISPVTATIO XI.

Quis ſit ſenſus ſacræ Scripturæ: Qualiterque illo vtatur Theologia? pag.35.

Sectio I. *Vtrum ſub vna litterâ ſacræ Scripturæ ſint plures ſenſus? Et quot?* p.35.n.1.

Sectio II. *De ſenſu litterali quis, & quotuplex ſit? Et an poſſit eſſe multiplex ſub eadem littera?* p.37.n.8.

Sectio III. *De ſenſu Myſtico Quis, & Quotuplex ſit?* p.39.n.16.

Sectio IV. *De vſu horum ſenſuum in Theolog. & Quis ſit efficax ad argumentum?* p.40.n.21

TRACTATVS II.

De eſſentia & attributis, ſeu perfectionibus diuinis? *pag.* 41.

DISPVTATIO XII.

Vtrùm Deum eſſe ſit per ſe notum? ibid.

Sectio I. *Quæ ſit propoſitio per ſe nota & vtrum rectè diuidatur in per ſe notam quoad ſe; & in per ſe notam quoad nos?* pag.43.n.1.

Sectio II. *Vtrum exiſtere Deum ſub hoc nomine & conceptu ſit per ſe notum? Aliorum ſententiæ,* pag.45.n.6.

Sectio III. *Deum exiſtere ſimpliciter loquendo non eſt per ſe notum,* p.48.n.18.

Sectio IV. *Vtrum ſit per ſe notum exiſtere aliquod ens neceſſarium?* pag.50.n.26.

Sectio V. *Vtrum ſub aliquo alio prædicato ſit per ſe notum: Deum exiſtere?* p.51.n.33.

DISPVTATIO XIII.

De exiſtentia Dei, An ſit demonſtrabilis? pag.53.

Sectio I. *Vtrum Deum eſſe ſit demonſtrabile?* p.52.n.1.

Sectio II. *Demonſtratur exiſtentia Dei,* pag 54. num.8.

Sectio III. *Impugnatur ſolutio Atheorum; & oſtenditur quæ prædicata diſtributiuè, & collectiuè conueniant infinito,* p.55.n.14.

Sectio IV.

Sectio IV. *Impugnatur iterum ſolutio; & oſtenditur nihil prodeſſe hic proceſſum in infinitum cauſarum*, p.56.n.20.
Sectio V. *Impugnatur alia ſolutio; & oſtenditur ens à ſe, ſeu primam cauſam ex ſuo conceptu eſſe Deum*, p.58.n.30.
Sectio VI. *Quomodo poſſit fide diuina credi exiſtentia Dei?* p.59.n.36.
Sectio VII. *An de exiſtentia Dei poſſit dari ignorantia inuincibilis?* p.63.n.49.

DISPVTATIO XIV.

Vtrum detur aliqua diſtinctio à parte rei, ſeu ex natura rei actu & formalis inter perfectiones diuinas? pag.65.

Sectio I. *Quid ſit identitas realis, ſeu in quo conſiſtat aliqua eſſe realiter idem?* p.65.n.1.
Sectio II. *Nulla datus in Deo diſtinctio realis, niſi inter pectiones relatiuas*, p.ʒ8 n.13.
Sectio III. *Dari aliquam diſtinctionem minorem reali, ſed tamen actualem, & formalem ex naturâ rei: Qui ſentiant, & quibus fundamentis?* pag.69.n.20.
Sectio IV. *Nulla datur diſtinctio formalis ex natura rei in perfectiones diuinas*, p.70.n.27
Sectio V. *Reſpondetur contrariis argumentis*, p.73.n.42.
Sectio VI. *Soluitur vltimum argumentum obſeruatâ bonâ doctrinâ pro neceſſitate diſtinctionis realis in tertio ad verificanda prædicata contradictoria inter formalitates realiter identificatas*, p.75.n.50.

DISPVTATIO XV.

An detur diſtinctio ex natura rei virtualis inter attributa, ſeu perfectiones diuinas, media inter realem & rationis? p.78.

Sectio I. *Quid ſit diſtinctio virtualis intrinſeca; & ſtatus huius controuerſiæ*, p.19. n.1.
Sectio II. *Authores & fundamenta pro diſtinctione virtuali intrinſecâ proponuntur inter perfectiones dei abſolutas*, p.81.n.9.
Sectio III. *Alia fundamenta pro diſtinctione virtuali intrinſeca inter perfectiones abſolutas & relatiuas, ſeu inter naturã Dei, & relationem immediatè ex myſterio Trinitatis*, pag.84.n.21.
Sectio IV. *Alia argumenta pro diſtinctione virtuali intrinſecâ ex contradictione* vniti *hypoſtaticè:* cogniti & principiantis. p.87. n.32.
Sectio V. *Prima concluſio pro verâ ſententiâ proponitur, & primum fundamentum repugnantiæ huius diſtinctionis virtualis inter perfectiones Dei abſolutas ex eo quod talis diſtinctio neceſſario imbibat diſtinctionem realem*, p.91.n.45.
Sectio VI. *Secundum fundamentum contra diſtinctionem virtualem intrinſecam ex eo quod imbibat formalem Scoti ex natura rei*, p.93. n.57.
Sectio VII. *Probatur tertio in diſtinctio hac virtualis ex maiori diſtinctione neceſſariò admittendâ inter prædicata negata, in ordine ad quæ datur contradictio quam ipſas formalitates virtualiter diſtinctas*, p.95.n.69.
Sectio VIII. *Quartum fundamentum contra diſtinctionem virtualem intrinſecam ex eo quod de nullâ perfectione diuinâ poſſit negari deitas ex parte obiecti in aliquo ſenſu Catholico*, p.97.n.75.
Sectio IX. *Quintum fundamentum contra diſtinctionem virtualem intrinſecam ex eo quod nulla foret in Deo perfectio ſimpliciter ſimplex*, p.98.n.83.
Sectio X. *Sextum fundamentum contra diſtinctionem virtualem à paritate aliarum imperfectionum, quæ repugnant in Deo virtualiter intrinſecè*, p.99.n.88.
Sectio XI. *Septimum fundamentum contra diſtinctionem virtualem intrinſecam ex ſequêla & repugnantiâ principij & proprietatis virtualis*, p.101.n.95.
Sectio XII. *Octauum fundamentum contra diſtinctionem virtualem intrinſecam ex ſequêla & repugnantia, vt detur inter qualibet prædicata, & perfectiones diuinas*, p.102. num.100.
Sectio XIII. *Nonum fundamentum contra diſtinctionem virtualiter intrinſecã ex ſequêla & repugnantia, vt vna formalitas cognoſcatur, alia identificata cum prima nan cognoſcatur, ex parte obiecti, ſeu ex natura rei*, p.103.n.105.
Sectio XIV. *Secunda concluſio pro verâ ſententia, implicat capacitas ad recipienda prædicata contradictoria ex parte rei, & independenter ab intellectu inter perfectiones diuinas realiter identificatas inter ſe ſine diſtinctione reali mediata & in tertio, & prima eius probatio ex diſtinctione reali neceſſariò intercedente inter prædicata contradictoria*, p.104.n.110.
Sectio XV. *Secunda probatio neceſſitatis diſtinctionis realis in tertio ad verificandam contradictionem ex parte obiecti ex diſtinctione in tertio requiſita ad aliquam contradictionem in perfectionibus diuinis*, pag. 106.n.119.
Sectio XVI. *Tertia probatio ex difficultate contradictionis verificatæ ex parte rei de duabus formalitatibus identificatis non vincendam niſi per fidem, maiorique difficultate ſine reali in tertio*, pag.107.n 124.

Sectio XVII. *Quarta probatio ex eo quod nulla fixa regula ſtatuendi, quando admittenda ſit contradictio vera (ſeu diſtinctio virtualis) inter perfectiones diuinas identificatas niſi per realem in tertio*, p.108. n.132.

Sectio XVIII. *Tertia concluſio pro vera ſententia, ſufficit diſtinctio realis mediata, & in tertio ad verificanda prædicata contradictoria ex parte rei, & independenter ab intellectu de perfectionibus diuinis immediatè inter ſe realiter & formaliter ex natura rei identificatis*, p.109. n.138.

Sectio XIX. *Quarta concluſio pro vera ſententia. Diſtinctio realis in tertio minoris difficultatis eſt, quam qualibet alia diſtinctio ſeu contradictio immediata*, pag. 114. num.153.

Sectio XX. *Reſpondetur ſeptem fundamentis poſitis pro diſtinctione virtuali intrinſeca in ſectione ſecunda*, pag.115.n.161.

Sectio XXI. *Reſpondetur argumentis in ſectione tertia deſumptis ex myſterio Trinitatis*, p.122.n.187.

Sectio XXII. *Reſpondetur argumentis in ſectione quarta deſumptis ex contradictione*, vniti *hypoſtaticè*, cogniti, & principiantis, *pag.*125.*n.*200.

Sectio XXIII. *Proponitur nouâ explicatione diſtinctio virtualis ex natura rei & reijcitur*, p.128.n.212.

DISPVTATIO XVI.

An detur diſtinctio rationis inter attributa, ſeu perfectionis? pag.130.

Sectio I. *Senſus quæſtionis, & diſtinctio rationis explicatur*, ibid. n.1.

Sectio II. *Sententia negans*, p.131.n.5.

Sectio III. *Sententia affirmans*, p.132.n.13.

Sectio IV. *Sententia media*, p.133.n.18.

Sectio V. *Datur diſtinctio rationis cum fundamento, ſeu rationis ratiocinatæ inter perfectiones diuinas etiam vt Dei proprias; non tamen inter omnes*, p.133.n.22.

Sectio VI. *Statuitur regula quando admittenda ſit rationis diſtinctio inter perfectiones diuinas*, p.134.n.28.

Sectio VII. *Reſpondetur argumentis pro prima ſententia negante diſtinctionem rationis in ſectione ſecunda* p.134.n.32.

Sectio VIII. *Iudicium de ſecunda & tertia ſententia in ſectione tertia & quarta*, pag. 135.n.39.

DISPVTATIO XVII.

De eſſentia Dei, in quo prædicato conſiſtat, ſeu quod ſit formale deitatis conſtitutiuum, p.135.

Sectio I. *Præmittitur notio* eſſentiæ: *& ſenſus quæſtionis aperitur*, p.136.n.1.

Sectio II. *Reſoluitur quæſtio ex parte obiecti*, pag.136.n.1.

Sectio III. *De eſſentia Dei per rationem, ſeu ex parte modi, vel etiam admiſſa diſtinctione obiectiua inter perfectiones diuinas. Prima ſententia eam conſtituens in* ente à ſe *proponitur & reiicitur*, p.137.n.11.

Sectio IV. *Eſſentia Dei conſtituta per gradum intellectiuum diſtinctum ab intellectione proponitur, & reiicitur*, p.138.n.19.

Sectio V. *Eſſentia Dei conſtituta per intellectionem ſolam proponitur & reiicitur*, p.139.n.29.

Sectio VI. *Explicatur vera ſententia & probatur authoritate*, p.140.n.35.

Sectio VII. *Vera ſententia ratione probatur*, ibid. n.40.

Sectio VIII. *Aliquæ obiectiones proponuntur & ſoluuntur*, p.142.n.48.

DISPVTATIO XVIII.

De attributis inter ſe comparatis, pag.143.

Sectio I. *Quid ſit attributum, & qualiter includat vel includatur formaliter in conceptu eſſentiæ*, ibid. n.1.

Sectio II. *An vnum attributum ſit de conceptu alterius?* pag.143.n.4.

Sectio III. *Vera ſententia, & contrariæ ſolutio*, pag.144.n.9.

Sectio IV. *Soluitur quinta obiectio contraria, & explicatur qualiter attributa vt diſtincta per rationem ſint æqualis perfectionis*, pag. 144.n.15.

Sectio V. *De ordine & numero attributorum*, pag.145.n.20.

TRACTATVS III.

De viſione Dei, *p.*146.

DISPVTATIO XIX.

In quo conſiſtat ſupernaturalitatis conceptus? pag.147.

Sectio I. *Aliquibus certis prænotatis punctum difficultatis*

difficultatis aperitur, ibid. n.1.
Sectio II. *Aliorum ſententiæ proponuntur & reiiciuntur*, p.148.n.7.
Sectio III. *Duæ aliæ ſententiæ nouiores examinantur*, p.150.n.16.
Sectio IV. *Proponitur propria ſententia* pag. 151.n.24.
Sectio V. *Obiectionibus ſatisfit*. p.153. n. 32.

DISPVTATIO XX.

Vtrum ſit poſſibilis ſubſtantia ſupernaturalis creata? p.155.

Sectio I. *Iudicia Theologorum & partis affirmantis fundamenta proponuntur*, p.155.n.1.
Sectio II. *Defenditur ſententia poſſibilem negans ſubſtantiam ſupernaturalem creatam, & primum eius fundamentum*, p.157.n.9.
Sectio III. *Vrgetur aliter poſitum fundamentum*, p. 164.n.42.
Sectio IV. *Confirmatur vltimo poſitum fundamentum, & explicatur variis obiectionibus poſitis & expoſitis*, pag.165.n.48.
Sectio V. *Alia fundamenta proponuntur, ſeu ex aliis capitibus arguitur pro vera ſententia*, p.169.n.69.
Sectio VI. *Soluuntur argumenta poſita in ſectione prima*, p.172.n.83.

DISPVTATIO XXI.

Vtrum poſſibilis ſit viſio Dei per potentiam Corpoream? p. 174.

Sectio I. *Implicat viſio corporea Dei à ſenſibus de facto exiſtentibus procedens*, p. 174.n.1.
Sectio II. *Statuitur ratio à priori repugnantia, ne potentia materialis de facto eleuetur ad videndum Deum*, p.176.n.10.
Sectio III. *Obiectis in ſectione prima contra veram coucluſionem fit ſatis*, p.174. n.21.
Sectio IV. *Vtrum poſſibilis ſit aliquis ſenſus, ſeu potentia materialis eleuabilis ad videndum Deum? Aliorum rationes repugnantiæ examinantur*, p.179.n.26.
Sectio V. *Quid dicendum ſtando rationi?* p.180.n.30.

DISPVTATIO XXII.

De cognoſcibilitate, ſeu appetibilitate viſionis Dei, p.183.

Sectio I. *Statuitur exiſtentia viſionis Dei*, p.183.n.1.
Sectio II. *De cognoſcibilitate poſitiua viſionis Dei, vtrum ratione naturali probari poſſit ſaltem probabiliter?* p.186.n.12.
Sectio III. *De cognoſcibilitate viſionis Dei per naturalem demonſtrationem*, pag. 187. n.20.
Sectio IV. *De appetibilitate viſionis Dei per appetitum innatum?* p.189.n.33.
Sectio V. *De appetibilitate viſionis Dei per appetitum elicitum*, p.191. n.41.

DISPVTATIO XXIII.

Vtrum poſſibilis ſit ſpecies expreſſa, ſeu Verbum ad videndum Deum? p.193.

Sectio I. *Status quæſtionis & Authorum ſententiæ proponuntur*, p.193.n.1.
Sectio II. *Datur de facto & prorſus neceſſaria eſt in viſione beata ſimilitudo expreſſa Dei*, p.194.n.7.
Sectio III. *Non datur in viſione beata ſimilitudo* in qua, *ſeu aliquod idolum, & imago diſtincta ab eſſentia diuina, quæ ſit terminus viſionis*. p.196.n.14.
Sectio IV. *Datur Verbum & ſpecies expreſſa de facto, & neceſſario in viſione Dei*, pag. 199 n.33.
Sectio V. *Occaſione nouæ obiectionis ſpecialiter explicatur natura verbi*, p.200.n.37.

DISPVTATIO XXIV.

Vtrum detur de facto ſpecies impreſſa Dei? p.206.

Sectio I. *Authorum ſententiæ*, p.206.n.1.
Sectio II. *Vera ſententia*, p.207.n.8.
Sectio III. *Obiectis ſatisfit*. p.208.n. 17.

DISPVTATIO XXV.

Vtrum ſaltim de potentia abſoluta poſſibilis ſit ſpecies impreſſa ad videndum Deum? p.211.

Sectio I. *Aliorum iudicia & fundamenta*, ibid. n.1.
Sectio II. *Repugnantia ſpeciei impreſſæ ſpeciali ratione defenditur*, p.214.n.13.
Sectio III. *Nouâ aliâ ratione confirmatur repugnantia eiuſdem ſpeciei impreſſæ*, pag. 215.n.21.
Sectio IV. *Obiiciuntur aliqua, & ſoluuntur contra rationes poſitas*, p.217.n.28.
Sectio V. *Aliæ communes obiectiones pro ſpecie ſoluuntur*, p.219.n.40.

DISPVTATIO XXVI.

An implicet ſpecies abſtractiua, & quidditatiua Dei? p. 220.

Sectio I. *Sententia negans poßibilem talem ſpeciem,* pag. 221. n. 1.

Sectio II. *Sententia affirmans poßibilem ſpeciem abſtractiuam, & quidditatiuam Dei,* pag. 223. n. 10.

Sectio III. *Propria ſententia,* p. 223. n. 14.

Sectio IV. *Species prædicta non eſſet ſtrictè quidditatiua,* p. 226. n. 23.

Sectio V. *Sententiis oppoſitis ſatisfit,* pag. 228. n. 30.

DISPVTATIO XXVII.

Vtrum poßibilis ſit aliqua viſio Dei omnino naturalis? p. 230.

Sectio I. *Punctum difficultatis, & dubitandi ratio proponitur,* p. 231. n. 1.

Sectio II. *Proponitur, & probatur vera ſententia de impoßibilitate viſionis naturalis Dei,* p. 231. n. 5.

Sectio III. *Confirmatur amplius ratio poſita, illuſtraturque poſitis, & ſolutis ſpecialibus obiectionibus, quæ contra ipſam opponi poſſunt,* pag. 233. n. 12.

Sectio IV. *Expediuntur oppoſitæ dubitandi rationes in ſectione prima,* pag. 235. n. 19.

DISPVTATIO XXVIII.

De lumine gloriæ? pag. 236.

Sectio I. *De exiſtentia luminis, & eius diſtinctione ab ſpecie impreſſa,* p. 236. n. 1.

Sectio II. *De muneribus luminis,* p. 237. n. 7.

Sectio III. *Vtrum lumen ſit tota ratio agendi?* p. 239. n. 16.

Sectio IV. *Vtrum ſine lumine poßit intellectus elicere viſionem per auxilium extrinſecum?* p. 244. n. 40.

Sectio V. *Confirmatur amplius poßibilitas auxilij extrinſeci ad viſionem: probaturque non implicare eandem viſionem factam per lumen, & auxilium intrinſecum fieri per extrinſecum; quantumuis talis viſio ſit modus in actione conſiſtens,* p. 246. n. 51.

DISPVTATIO XXIX.

Vnde proueniat inæqualitas viſionum? pag. 248.

Sectio I. *Status quæſtionis, & Authorum ſententiæ,* p. 248. n. 1.

Sectio II. *Ex inæqualitate potentiæ naturalis poteſt deſumi inæqualitas viſionum; non tamen deſumitur de facto,* p. 249. n. 8.

Sectio III. *Occurritur oppoſitis argumentis, & quanta ſit inæqualitas viſionum oſtenditur,* p. 251. n. 14.

DISPVTATIO XXX.

Vtrum Deus poßit comprehendi à Beatis? pag. 252.

Sectio I. *Statuitur incomprehenſibilitas Dei à creatura,* p. 252. n. 1.

Sectio II. *Obiectionibus occurritur,* pag. 253. num. 11.

Sectio III. *Vtrum ex cognitione omnium poſſibilium in Deo ſequatur comprehenſio?* pag. 255. n. 18.

DISPVTATIO XXXI.

Vtrum videri poſſit vnum attributum ſine alio? Vel vna Perſona ſine alia? pag. 257.

Sectio I. *Quid ſentiendum de facto?* pag. 257. num. 1.

Sectio II. *Quid alij ſentiunt de paßibili?* pag. 258. n. 8.

Sectio III. *Veræ ſententiæ proponitur prima concluſio de attributis,* pag. 260. n. 15.

Sectio IV. *Veræ ſententiæ proponitur ſecunda concluſio de perſonis,* pag. 261. n. 24.

Sectio V. *Proponuntur & ſoluuntur ſpeciales obiectiones contra concluſiones datas à me in ſectionibus tertia & quarta,* p. 264. n. 35.

Sectio VI. *Soluuntur fundamenta ſententiarum in ſectione ſecunda prout oppugnant concluſiones poſitas,* pag. 267. n. 47.

Sectio VII. *Vtrum videri poßit vnum decretum liberum Dei ſine alio?* p. 269. n. 58.

DISPVTATIO XXXII.

An & quomodo Beati videant creaturas in Deo? p. 269.

Sectio I. *An in Deo viſo vt in medio formaliter videri poßint creaturæ?* pag. 260. n. 1.

Sectio II. *Quæ creaturæ ex poßibilibus neceſſario videantur? Et vtrum poßint omnes?* pag. 271. n. 7.

Sectio III. *Quomodo videantur in Verbo creaturæ exiſtentes?* pag. 271. n. 12.

Sectio IV. *Vtrum cognitio creaturarum in Deo ſit quidditatiua?* pag. 272. n. 18.

DISPVTA

DISPVTATIO XXXIII.

An, & quomodo viſio beata poſſit videre æternam ſui durationem? pag.273.

Sectio I. *Senſus quæſtionis, & dubitandi ratio proponitur*, p.273.n.1.
Sectio II. *Solutio negans poſſe dari cognitionem ſupernaturalem, quæ ſupra ſuam durationem reflectat, proponitur, & reijcitur*, pag.274.n.6.
Sectio III. *Solutio defendens in deſtructibilitatem huius viſionis eſſe conſequentem, proponitur & reijcitur*, pag.275.n.15.
Sectio IV. *Solutio admittens aliquam creaturam poſſe eſſentialiter immortalem, refertur, & impugnatur*, pag.275.n.15.
Sectio V. *Proponitur prima ſolutio probabilis.*
Sectio VI. *Proponitur ſecunda ſolutio probabilis*, pag.277.n.22.
Sectio VII. *Tertia ſolutio probabilior eligitur*, pag.277.n.27.
Sectio VIII. *Quid dicendum abſolutè*, pag. 278.n.31.

TRACTATVS IV.

De ſcientia Dei, *pag.* 279.

DISPVTATIO XXXIV.

Quæ naturalis ratio probet ſcientiam Dei; vbi vtrum immaterialitas ſit radix cognoſcendi? pag.280.

Sectio I. *Rationes naturales probantes Dei ſcientiam*, pag.280.n.1.
Sectio II. *An, & quomodo immaterialitas ſit ratio cognoſcendi? Vbi aliorum ſententiæ: vbi de ſpiritu non intellectiuo*, p.218.n.5.
Sectio III. *Propria ſententia*, pag.282.n.11.
Sectio IV. *Reſpondetur ad argumenta aduerſariorum*, pag.283.n.17.

DISPVTATIO XXXV.

Vtrum in Deo detur actus primus intelligendi? pag.284.

Sectio I. *Senſus quæſtionis explicatur aliquibus præmiſſis*, pag.284.n.1.
Sectio II. *Authorum ſententiæ referuntur, & refelluntur*, pag.285.n.5.
Sectio III. *Defenditur in Deo actus primus intelligendi realis*, p.287.n.16.
Sectio IV. *De potentia proxima, habitu, & ſpecie impreſſâ ad intellectiones diuinas*, pag.288.n.23.

DISPVTATIO XXXVI.

Vtrum intellectio conſtituat eſſentiam Dei? pag.289.

Sectio I. *Status quæſtionis, & Authorum ſententiæ*, pag.289.n.1.
Sectio II. *Nulla diſtinctione ex parte obiecti intellectio differt ab eſſentia diuina*, pag. 290.n.5.
Sectio III. *Intellectio Dei nec ratione noſtra ratiocinata diſtinguitur ab eſſentia*, pag. 291.n.11.
Sectio IV. *Aliquæ illationes proponuntur, & quæ ſit diſtinctio inter eſſentiam, & attributa*, pag.292.n.18.
Sectio V. *Aliqua proponuntur, & ſoluuntur* pag.293.n.22.

DISPVTATIO XXXVII.

De obiecto formali ſcientiæ Dei motiuo circa ſe, pag.294.

Sectio I. *Status quæſtionis*, pag.294 n.1.
Sectio II. *Aliorum ſententiæ de motiuo ad cognoſcendum obiectum increatum*, pag. 295.num.12.
Sectio III. *Propria ſententia*, p.296.n.19.
Sectio IV. *Iudicium de aliorum ſententiis in ſectione ſecunda: & de relatione ſcientiæ Dei ad ſuum obiectum*, p.297.n.25.

DISPVTATIO XXXVIII.

Quomodo Deus ſe cognoſcat? pag.298.

Sectio I. *Deus ſe cognoſcit & comprehendit*, pag 298.num.1.
Sectio II. *Defenditur comprehenſio Dei, explicatur, quomodo ſe cognoſcat reflexè, ſine proceſſu infinito cathegorimatico*, p.299.n.5.
Sectio III. *Nonnulla de comprehenſione*, pag. 300.num.14.

DISPVTATIO XXXIX.

Vtrum Deus ſe cognoſcat in creaturis? pag.300.

Sectio I. *Status quæſtionis, & Authorum ſententiæ*, ibid. n.1.
Sectio II. *Si Deus cognoſcat creaturas in ſe ipſis, in illis ſic ſe cognoſcet; ſecus dum cognoſcit in ſe ipſo creaturas*, p.301.n.7.

DISPVTA-

DISPVTATIO XL.

Vtrum aliquid creatum poſsit eſſe obiectum formale motiuum diuinæ ſcientiæ? pag.302.

Sectio I. *Status quæſtionis, & Authorum ſententiæ,* pag.303.n.1.
Sectio II. *Eligitur ſententia affirmans,* ibid. num.7.

DISPVTATIO XLI.

Vtrum Deus cognoſcat creaturas poſsibiles in ſe ipſo? pag.304.

Sectio I. *Præmittitur connexio Dei cum creaturis poſsibilibus,* ibid. n.5.
Sectio II. *Reijcitur contraria ſententia,* pag. 305.num.9.
Sectio III. *De connexione cuiuſuis rei cum qualibet alia,* p.306.n.14.
Sectio IV. *Vtrum datâ connexione cognoſcantur creaturæ in Deo ſit connexio,* pag.307. num.24.

DISPVTATIO XLII.

In quo prædicato diuino cognoſcat Deus creaturas? pag.309.

Sectio I. *De omnipotentia,* pag.309.n.1.
Sectio II. *De ſcientia,* pag.310 n.9.
Sectio III. *De volitione & reliquis prædicatis, ſpeciatimque de prædicato* Speculi, *ibid.* num.14.

DISPVTATIO XLIII.

Vtrum Deus cognoſcat in ſe ipſo creaturas, quamuis ab illis abſolutus? pag.311.

Sectio I. *Aliorum ſententiæ & fundamenta,* ibid. num.1.
Sectio II. *Approbatur & probatur ſententia negans,* pag.312.n.5.
Sectio III. *Reſpondetur ad argumenta oppoſita,* ibid. num.9.

DISPVTATIO XLIV.

Vtrum Deus cognoſcat creaturas poſsibiles in ſe ipſis? p.314.

Sectio I. *Status quæſtionis, & Authorum ſententiæ,* p.314.n.1.
Sectio II. *Deus cognoſcit creaturas poſsibiles in ſe ipſis,* pag.315.num.11.
Sectio III. *Concluditur probatio propriæ ſententiæ, & veræ,* pag.316.n.19.
Sectio IV. *Reſpondetur argumentis pro ſententia negante,* p.318.n.20.

DISPVTATIO XLV.

Vtrum detur in Deo multiplex ſcientia: vbi de diuiſione in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, & Mediam, pag. 319.

Sectio I. *Ratio dubitandi proponitur, & aliorum ſententiæ,* p.319.n.1.
Sectio II. *Statuitur regula admittendi ſcientias, ſeu actus diuinas, alias quæ Dei perfectiones ratione diſtinctas,* p.310.n.5.
Sectio III. *Vera ſententia: explicatur multiplicatas ſententiæ Dei: ratioque dubitandi in ſectione prima diſſoluitur,* p.320.n.8.
Sectio IV. *Reijcitur prima ſententia: & explicatur, cur repugnent in Deo etiam per rationem duæ cognitiones, & actus ſolo numero diſtincti?* p.321.n.13.
Sectio V. *Reijcitur ſecunda ſententia, & explicatur ſcientia ſimplicis intelligentiæ, viſionis, & Mediæ,* p.322.n.20.
Sectio VI. *Vtrum obiecta ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, viſionis, & Mediæ differant?* pag.323.n.24.

DISPVTATIO XLVI.

Vtrum ſcientia Dei ſit futurorum contingentium? pag.324.

Sectio I. *Stabilitur veritas Catholica, & difficultas contrariæ proponuntur,* ibid. n.1.
Sectio II. *Vtrum hæc ſcientia poſſit ratione naturali demonſtrari?* p.324.n.4

DISPVTATIO XLVII.

Quomodò ſtet noſtra libertas cum diuinâ præſcientia futurorum? pag.325.

Sectio I. *Proponitur ratio dubitandi, & communis Theologorum opinio,* p.225 n.1.
Sectio II. *Difficultas in hac ſolutione propoſita, & aliorum explicatio per poteſtatem faciendi in tempore inſtantis operationes ne Deus præſciuerit ab æterno nos operaturos,* pag.316.n.6.
Sectio III. *Qualiter ſit ſub noſtra voluntate facere, ne Deus præſciuerit ab æterno,* pag. 317.num.15.

Sectio IV.

Sectio IV. *Concluditur concordia præſcientiæ futurorum cum noſtrâ libertate*, p.329.n.24.

DISPVTATIO XLVIII.

Vtrum creaturæ habeant realem, & entitatiuam præſentiam in æternitate in qua cognoſcantur à Deo? pag.330.

Sectio I. *Status quæſtionis*, p.331.n.1.
Sectio II. *Sententia negans, & eius fundamenta*, ibid.n.3.
Sectio III. *Sententia affirmans, & eius communes probationes*, p.332.n.8.
Sectio IV. *Futura ſunt præſentia, & coexiſtentia æternitati Dei præſentia,& coexiſtentia Dei, non præſentiâ & coexiſtentiâ propriâ*, p.339.n.19.
Sectio V. *Occurritur fundamentis in ſectione ſecunda. Et aliquæ obiectiones proponuntur & ſoluuntur*, p.335.n.29.

DISPVTATIO XLIX.

Vtrum ſit neceſſaria præſentia futurorum in æternitate vt cognoſcantur à Deo, pag.337.

Sectio I. *Status quæſtionis*, ibid.n.1.
Sectio II. *Authorum ſententia,& fundamenta*, pag.337. n.3.
Sectio III. *Propria ſententia*, p.338.n.7.
Sectio IV. *Reſpondetur contrariis fundamentis in ſectione ſecunda*, p.339.n.11.

DISPVTATIO L.

Vtrum detur aliquod determinatiuum à quo phyſicè primo determinetur ſcientia Dei futurorum contingentium? p.340.

Sectio I. *Senſus quæſtionis, & ratio dubitandi*, p.341.n.1.
Sectio II. *Authorum ſententiæ,& fundamenta*. pag.341.n.5.
Sectio III. *Proponitur propria ſententia, & eius probationi aliquæ præmittuntur*, pag. 342.n.10.
Sectio IV. *Conciliatur fides propoſitæ ſententiæ*, pag.343.n.16.
Sectio V. *Concluditur explicatio & probatio propriæ ſententiæ ferturque iudicium de ſententiis in ſectione ſecunda*,pag.343.n.21.
Sectio VI. *Infertur quid de noua ſententia in ſect. 3. & de tota hac difficultate ſentiendum ſit?* pag.344.n.28.

DISPVTATIO LI.

De ſcientia condionata futurorum contingentium? pag.345.

Sectio I. *Status quæſtionis*, ibid. n.1.
Sectio II. *Sententia negans, & eius fundamenta*, ibid. n.5.
Sectio III. *Vera ſententia, & eius fundamenta*, pag.346.n.14.
Sectio IV. *Reſpondetur fundamentis ſententiæ negantis*, pag.347.n.19.

DISPVTATIO LII.

Vtrum futura conditionata contingentia cognoſcat Deus antè decretum efficax ſuæ voluntatis abſolutum ex parte ſubiecti, & conditionatum ex parte obiecti? pag.348.

Sectio I. *Status quæſtionis*, ibid.n.1.
Sectio II. *Sententia Recentiorum Thomiſtarum,& eius fundamenta*, ibid.n.4.
Sectio III. *Sententia ſocietatis, & eius ab authoritate fundamenta*, p.349.n.10.
Sectio IV. *Ratione probatur ſententia ſocietatis*, pag.351.n.21.
Sectio V. *Vltima ratio pro eadem ſententiâ: vide cognitione quam habet Deus de ſuis decretis conditionate futuris*, pag. 352. num.16.
Sectio VI. *Proprium iudicium circa hanc rationem*, p.353.n.32.
Sectio VII. *Reliqua argumenta*, pag.353. num.37.
Sectio VIII. *Reſpondetur argumentis in ſectione ſecunda*, ibid. n.39.

DISPVTATIO LIII.

Vtrum futura conditionata cognoſci poßint à Deo immediatè in ſe ipſis? pag.354.

Sectio I. *Senſus quæſtionis, & Authorum ſententiæ*, ibid. n.1.
Sectio II. *Sententia affirmatiua probatur primo*, pag.355.n.3.
Sectio III. *Probatur ſecundo ſententia affirmatiua*, p.356.n.13.
Sectio IV. *Concluditur probatio veræ ſententiæ*, pag.357.n.18.
Sectio V. *Præcipua obiectio pro ſententia negante ex determinatiuo ſcientiæ mediæ*, pag. 357.num.23.

Sectio VI. *Aliorum ſolutio proponitur, & reijcitur*, pag.358.n.27.
Sectio VII. *Explicatur quomodo ſit intellectus diuinus determinatus ad cognitionem futurorum in ſe ipſis independenter ab omni connexo exiſtente ab æterno*, p.359.n.53.
Sectio VIII. *Secunda ſolutio, & explicatio*, pag.360.num.40.

DISPVTATIO LIV.

De cognitione mediata futuri contingentis conditionati: vtrum poſſibile ſit pro ſcientia conditionata aliquod medium diſtinctum ab ipſo futuro affirmato? pag.360.

Sectio I. *Aliquibus ſuppoſitis quæſtionis ſenſus aperitur*, pag.361.n.1.
Sectio II. *Ratio affirmandi*, p.361.n.7.
Sectio III. *Ratio negandi*, p.362.n.11.
Sectio IV. *Proprium iudicium*, p.363.n.16.
Sectio V. *Reſpondetur rationibus negandi in ſectione tertia*, p.363.n.19.

DISPVTATIO LV.

Vtrum ſciat Deus, & efficiat entia rationis?

Sectio I. *Quomodo ſciat carentias veras?* pag.365.num.1.
Sectio II. *Vtrum Deus efficiat, vel ſaltim cognoſcat entia rationis: Authorum ſententiæ proponuntur*, pag.366.n.7.
Sectio III. *Propria ſententia*, pag.366.n.12.
Sectio IV. *Reſponſio ad alias*, pag.367.n.17.

* * * * * * * * * * * * * * * * *

TRACTATVS V.

De voluntate Dei? *pag.*368.

DISPVTATIO LVI.

An in Deo ſit voluntas; impliceturque intellectiuum non volitiuum? ibid.

Sectio I. *Probatur exiſtentia voluntatis Dei*, pag.369.num.1.
Sectio II. *De connexione cognoſcitiui cum appetitiuo, ſeu vtrum ſit poſſibilis ſubſtantia cognoſcitiua, & non appetitiua? Authorum ſententiæ proponuntur*, pag. 370. num.7.
Sectio III. *Eligitur prima ſententia, & probatur implicantia intellectiui non volitiui*, pag.372.n.19.
Sectio IV. *Illuſtratur ratio poſita expeditis obiectionibus, quæ contra ipſam opponi poſſunt*, pag.374.n.27.
Sectio V. *Iudicium & ſolutio ſententiarum in ſect. 2. & de earundem fundamentis*, pag.376.num.35.

DISPVTATIO LVII.

An & quomodo voluntas Dei ab eſſentiâ diſtinguatur? pag.378.

Sectio I. *An & quomodo voluntas Dei ab eſſentiâ diſtinguatur? Authorum ſententiæ proponuntur; & ſoluuntur eorum fundamenta*, pag.378.num.1.
Sectio II. *Voluntas diuina ex parte obiecti non diſtinguitur ab eſſentiâ Dei*, pag. 382.num.14.
Sectio III. *Statuuntur duæ aliæ concluſiones pro indiſtinctione voluntatis diuinæ ab eſſentiâ Dei*, p.384.n.23.

DISPVTATIO LVIII.

An voluntas Dei ab intellectu diuino diſtinguatur, vel ſaltem volitio ipſa actualis ab intellectione; & qualis ſit hæc diſtinctio? pag.385.

Sectio I. *Status quæſtionis, & Authorum ſententiæ*, pag.385.n.1.
Sectio II. *Primum fundamentum pro diſtinctione ex parte obiecti ex eo quod cognitio dirigens debeat eſſe prior volitione directa per ipſam*, p.386.n.7.
Sectio III. *Secundum fundamentum pro diſtinctione ex parte obiecti cognitionis dirigentis à volitione ex eo quod cognitio dirigens trahat, & alliciat voluntatem ad amorem*, p.387.n.12.
Sectio IV. *Tertium fundamentum pro diſtinctione ex parte obiecti cognitionis dirigentis à volitione ex eo quod non ſufficiat cognitio concomitans ad amorem diſtinctum*, pag.389.n.19.
Sectio V. *Quartum fundamentum pro diſtinctione ex parte obiecti cognitionis dirigentis à volitione ex eo quod amor à ſuâ directione diſtinguatur*, p.390.n.26.
Sectio VI. *Eligitur ſecunda ſententia, approbaturque & probatur indiſtinctio omnis ex parte obiecti volitionis diuinæ ab intellectione*, p.392.n.31.

Sectio VII.

Sectio VII. *Probatur vltimò vera ſententia ex eo quod non ſit neceſſaria diſtinctio ex parte obiecti vt volitio dirigatur ab intellectione*, pag.393.n.37.
Sectio VIII. *Solutio fundamentorum, quæ poſita ſunt à ſect. 2. pro oppoſitâ ſententiâ*, pag.396.num.49.

DISPVTATIO LIX.

Vtrum voluntas Dei ſit libera, & per quid conſtituatur eius actus, & exercitium vt liberum? pag.400.

Sectio I. *Veritas Catholica ſtatuitur: connexioque volitiui cum libero examinatur*, pag.401.num.1.
Sectio II. *Circa explicandam libertatem diuinam punctum difficultatis, & varia Theologorum placita proponuntur*, pag.403. num. 8.
Sectio III. *Libertas diuina non eſt ſolùm in operando tranſeunter, & ad externos effectus*, pag.404.num. 14.
Sectio IV. *Libertas diuina non ſe exercet adæquatè intrinſecè in volendo: ſeu velle liberum Dei non eſt adæquatè intrinſecum ipſi Deo*, pag.406.num. 23.
Sectio V. *Libertas diuina ſe exercet per exercitium quod quà liberum eſt formaliter inadæquatè imbibit aliquid creatum; inaquatéque aliquid increatum, ſeu intrinſecum Deo includit*, pag.409.num.34.

DISPVTATIO LX.

Quæ ſint, & quomodo conſtituant exercitium diuinæ libertatis connotata extrinſeca? pag.410.

Sectio I. *Aliorum ſententiæ proponuntur & reijciuntur*, pag.411.num.1.
Sectio II. *Proponitur & explicatur propria ſententia de modo quo connotatum extrinſecum concurrat ad conſtitutionem libertatis; qualeque aſſignandum ſit*, pag.413.n.10.
Sectio III. *Conciliatur fides propoſitæ ſententiæ ex maiori eius conuenientiâ, & conformitate cum aliis veritatibus Theologicis*, pag.416.num.21.
Sectio IV. *Proponuntur & diluuntur ſpeciales obiectiones contra hunc modum defendendi libertatem Dei*, pag.418. num.29.
Sectio V. *Proponuntur communes obiectiones, & earum ſolutio breuiter indicatur; quatenus opponuntur contra noſtram ſcientiam*, pag.421.num.39.

DISPVTATIO LXI.

Qualiter voluntas Dei immutabilis, & æterna? pag.423.

Sectio I. *Statuitur veritas Catholica, & ratio dubitandi proponitur*, pag.423.num.1.
Sectio II. *Defenditur volitionis liberæ diuinæ immutabilitas, vt conſtitutæ per connotationem extrinſecum iuxta veram ſententiam*, pag.424.num.7.
Sectio III. *Reſpondetur rationi dubitandi in ſectione primâ, explicaturque quo modo ſtet voluntatem Dei ab æterno eſſe, quantumuis conſtituatur ex connotatione temporali*, pag 425.num.13.
Sectio IV. *Proponitur vera ratio repugnantiæ, ne diuina volitio libera in abſtracto ſumpta incipiat in tempore etiamſi libertas Dei ſit ipſi adæquatè intrinſeca*, pag. 427. num. 20.
Sectio V. *Proponitur neceſſitas vt aliqua volitio Dei in concreto ſumpta incipiat in tempore de nouo, conſtituarque ex connotatione extrinſeca in omnium ſententiâ*, pag.429. num.26.

DISPVTATIO LXII.

Qualiter voluntas Dei ſit cauſa rerum; dicanturque creaturæ produci, quia Deus liberè vult? pag.431.

Sectio I. *Senſus quæſtionis*, pag.431. num.1.
Sectio II. *An voluntas Dei formaliter immediatè per ſe ipſam ſit cauſa executiua rerum?* pag.432.num.4.
Sectio III. *Quomodo verè dicantur creaturæ produci, quia Deus liberè vult?* pag.435. num.16.

DISPVTATIO LXIII.

Vtrum poſſit Deus velle liberè ſine aliquâ mutatione in rebus creatis? pag.435.

Sectio I. *Senſus quæſtionis, ratio dubitandi, & Authorum ſententiæ*, pag.436. num. 1.
Sectio II. *Propria ſententia*, ibid.num.4.
Sectio III. *Arguitur contra noſtram ſententiam ex condonatione extrinſecâ, diſpenſatione, & præcepto*, pag.346.num.8.
Sectio IV. *Contra ſolutionem datam aliqua opponuntur*, pag.437.num.13.
Sectio V. *Arguitur ex libertate volitionis*

 inefficacis,

inefficacis, conditionatæ, & diſiunctiuæ, pag. 438.n.18.

DISPVTATIO LXIV.

De ordine cauſalitatis, ſeu intentionis, & executionis in voluntate diuina, qualiter contingat, vndeque ſumendus ſit? p.428.

Sectio I. *Senſus quæſtionis & ratio dubitandi aperitur*, pag.493.n.1.
Sectio II. *Aliarum iudicia proponuntur & reijciuntur*, pag.439.num.4.
Sectio III. *Vera ſententia, & explicatio*, pag.440.n.10.
Sectio V. *Explicatur quo pacto Deus poſſit ex diuerſis finibus ceſſare ab omni productione creatâ*, p.418 n.19.

DISPVTATIO LXV.

Vtrum Deus amet creaturas poſſibiles? pag.442.

Sectio I. *Statuitur, Deum verè & propriè amare creaturas*, pag.443.n.1.
Sectio II. *Deus amat creaturas poſſibiles, non omnes*, pag.443.n.6.
Sectio III. *Proponitur ex reijcitur contraria ſententia*, p.444.n.11.
Sectio IV. *An poſſit Deus amare peccatum vt poſſibile, ſeu malitiam formalem vt poſſibilem?* pag.445.n.16.
Sectio V. *Reſpondetur argumentis pro amabilitate peccati vt poſſibilis*, p.446.n.20.

DISPVTATIO LXVI.

Vtrum amor Dei circa poſſibilia liber; an neceſſarius? pag.447.

Sectio I. *Deus amat neceſſario creaturas poſſibiles*, ibid.n.1.
Sectio II. *Contraria ſententia propoſita reijcitur*, pag.449. n.11.

DISPVTATIO LXVII.

Vtrum ſit Deo poſſibilis pura omiſſio libera? vbi de libertate contra diſtinctionis in Deo? pag.450.

Sectio I. *Status quæſtionis, & eius reſolutio iuxta propria principia de conſtitutione actuum liberorum proponitur*, pag. 451.n.1.
Sectio II. *Statuitur impoſſibilis in Deo pura omiſſio libera in omni ſententia libertate Dei*, pag.451.n.6.
Sectio III. *Argumenta pro poſſibilitate puræ omiſſionis in Deo proponuntur, & reijciuntur*, pag.452.n.13.
Sectio IV. *Vltima obiectio proponitur. Vbi an detur in Deo libertas contradictionis?* pag.454.n.23.

DISPVTATIO LXVIII.

Qualiter ſit amor Dei erga ſe ipſum? pag.455.

Sectio I. *An ſit neceſſarius vel liber?* pag. 455.num.1.
Sectio II. *An iſte amor ſit ſtrictè talis, vel purum gaudium?* pag.456.num.9.
Sectio III. *Defenditur, quod amor Dei erga ſe non ſit gaudium putum, ſed etiam amor ſtrictus aduerſiſque fundamentis ſatisfit*, pag.457.num.17.
Sectio IV. *Octo quæſtiunculæ de qualitate amoris Dei*, pag.458.n.23.

DISPVTATIO LXIX.

Vtrum actus liber, ſi vt talis ponatur Deo adæquatè intrinſecus, dicat perfectionem? vbi ſpecialis ratio proponitur, qua defendi poſſit adæquatè intrinſecus? pag.459.

Sectio I. *Quid alij ſentiant de perfectione actus liberorum Dei?* pag.459.n.1.
Sectio II. *Prima concluſio pro verâ ſententia. Actus liber eſt perfectio*, pag. 460.n.6.
Sectio III. *Secunda concluſio, pro verâ ſententiâ. Actus liber Dei vt talis non eſt perfectio in lineâ intentionali ſcientiæ, vel amoris*, pag.460.n.13.
Sectio IV. *Tertia concluſio pro verâ ſententia explicatur perfectio libera compoſita cum indefectibilitate*, pag.461.n.16.

DISPVTATIO LXX.

Vtrum detur actus primus volendi, ſeu principium virtuale, & appetitus innatus in diuinâ voluntate? pag.462.

Sectio I. *Senſus quæſtionis, & Authorum ſententiæ pro actu primo, & principio virtuali*, pag.462.num.1.
Sectio II. *Nullum datur in diuina voluntate principium virtuale*, p.463.n.6.
Sectio III. *Statuitur in Deo actus primus volendi phyſicus, & appetitus innatus virtualis reſpectu volitionis liberæ*, p.464.n.16.

Sectio IV.

Sectio IV. *Proponitur probabilis ratio, vt admittatur in Deo principium virtuale volitionis, titulo principij mediati realis, ſeu in tertio, ſententiiſque in ſect. 1. reſpondetur*, pag. 466. num. 23.

DISPVTATIO LXXI.

Vtrum obiectum motiuum formale diuinæ voluntatis ſit ſola eſſentia Dei; an etiam relationes? pag. 466.

Sectio I. *Senſus quæſtionis proponitur, & relationes diuinas eſſe obiectum formale diuinæ voluntatis ſtatuitur*, pag. 466. num. 1.

Sectio II. *Sententia excludens relationes ab obiecto formali proponitur atque reijcitur*, pag. 467. num 6.

DISPVTATIO LXXII.

Vtrum aliquid creatum poßit eſſe obiectum formale diuinæ voluntatis? pag. 468.

Sectio I. *Authorum ſententiæ*, pag. 468. n. 1.

Sectio II. *Nequit bonum creatum eſſe obiectum formale diuinæ voluntatis* p. 469. n. 9

Sectio III. *Reſpondetur ſententiis contrariis, & explicatur, qualiter Deus velit vnum propter aliud*, pag. 471. num. 15.

DISPVTATIO LXXIII.

Vtrum dentur in Deo virtutes morales titulo obiecti, ſeu mouetur Deus ex obiecto formali virtutum moralium? pag. 472.

Sectio I. *Ratio dubitandi, & Authorum ſententiæ proponuntur, & reijciuntur*, pag. 472. num. 1.

Sectio II. *Propria ſententia*, ibid. n. 5.

Sectio III. *Aliqua obijciuntur & ſoluuntur*, pag. 473. num. 8.

DISPVTATIO LXXIV.

Vtrum Deus ſit neceßitatus ad actus æquales optimos; & quomodo cum hac neceßitate ſtet laudabilitas actuum diuinorum? pag. 473.

Sectio I. *Senſus quæſtionis, & Authorum ſententiæ*, ibid. n. 1.

Sectio II. *Propria ſententia proponitur, & reſpondetur aduerſis*, pag. 474. n. 5.

Sectio III. *Quomodo ſtet laudabilitas actuum diuinorum cum neceßitate adæqualia?* pag. 475. num. 9.

DISPVTATIO LXXV.

De volitione conditionata, & diſiunctiua? pag. 476.

Sectio I. *An dentur in Deo decreta conditionata? Authorum ſententiæ*, pag. 476. n. 1.

Sectio II. *Propria ſententia*, pag. 478. n. 2

Sectio III. *Argumentis propoſitis ſatisfit*, pag. 479. num. 17.

Sectio IV. *De decretis diſiunctiuis iudicia Theologorum*, pag. 481. num. 28.

Sectio V. *Proprium iudicium de decretis diſiunctiuis*, pag. 482. num. 33.

Sectio VI. *Satisfit oppoſitis argumentis pro decretis diſiunctiuis*, pag. 483. num. 37.

INDEX ET ORDO

Dubitationum in Quæſtiones 21. priores primæ Partis S. Thom. & earum Articulos.

QVÆSTIO I.

De ſacra doctrina qualis ſit, & ad quæ ſe extendat, pag. 485. n. 1.

ARTICVLVS I.

Vtrum ſit neceſſarium præter phyſicas diſciplinas, aliam doctrinam haberi, pag. 485. nu. 1

Dub. 1. *Quid ſignificetur nomine ſacræ doctrinæ.* num. 2.

Dub. 2. *An probetur neceßitas Theologiæ ex fidei neceßitate.* num. 3

Dub. 3. *An ſit vtilis Scholaſtica Theologia.* num. 4

Dub. 4. *An ſit neceſſaria Theolog. etiam ad veritates naturales certo adiſcendas.* n. 5

Dub. 5. *An finis vltimi conſequutio ſit ſupernaturalis*, num. 9.
Dub. 6. *An Beatitudo ſit à in viſione Dei ſit cognoſcibilis naturaliter*, num. 10.
Dub. 7. *An ſit ad viſionem appetitus innatus*, num. 11.

ARTICVLVS II.

Vtrum ſacra doctrina ſit ſcientia? *pag.* 487. *num.* 12.

Dub. 1. *An ſit ſcientia ſaltem ſubalterna?* n. 13.
Dub. 2. *An Theologia ſubalternetur ſcientiæ Dei & Beatorum?* num. 20.
Dub. 3. *An purè viatori poſſit communicari euidens cognitio articulorum fidei ſaltem diuinitus?* num. 30.
Dub. 4. *An eadem concluſio Theologica, quæ habetur in via perſeueret in patria?* num. 31.
Dub. 5. *An in Hereticis perſeueret Theologia?* num. 37.
Dub. 6. *An Theologia procedat ex præmiſſa fidei diuinæ?* num. 38.
Dub. 7. *An Theologia vti poſſit duplici præmiſſa reuelata?* num. 40.
Dub. 8. *An vti poſſit vna reuelata, & alia naturali euidenti?* num. 41.
Dub. 9. *An vti poſſit vna reuelata, & alia probabili?* num. 42.
Dub. 10. *An poſſit couclusio Theologica manere ſupernaturalis licet procedat ex præmiſſa probabili?* num. 44.
Dub. 11. *An poſſit deduci concluſio Theologica ex vna præmiſſa falſa?* num. 45.
Dub. 12. *An concluſio Theologica ſupernaturalis poſſit eſſe falſa de potentia abſoluta?* num. 46.
Dub. 13. *An poſſit eſſe ſupernaturalis concluſ. Theol. licet eſſentialiter dependeat à præmiſſa naturali?* num. 47.
Dub. 14. *An è contra poſſit eſſe naturalis licet eſſentialiter pendeat à præmiſſa ſupernaturali?* num. 48.
Dub. 15. *An Theol. de facto ſit ſupernaturalis?* num. 49.
Dub. 16. *An Theol. ſit omnino certa?* num. 50.
Dub. 17. *An Theol. diſtinguatur ab habitu fidei infuſæ ſiue Theologia procedat ex vna præmiſſa tantum reuelata ſiue etiam ex vtraque?* num. 51.

ARTICVLVS III.

Vtrum ſacra doctrina ſit vna ſcientia? *pag.* 493. *num.* 52.

Dub. 1. *Quæ ſit vnicas Theologiæ*, num. 53.
Dub. 2. *Qualiter abſtractio à materia concurrat ad diſtinctionem ſcientiarum*, num. 61.
Dub. 3. *An & qualiter rem eſſe à Deo reuelatam conſtituat rationem formalem obiecti Theologiæ*, num. 67.
Dub. 4. *An Theologiæ habitus ſit ſimplex qualitas*, num. 70.
Dub. 5. *An Theologiæ habitus diſtinguatur ab habitu fidei, & naturalis ſcientiæ*, num. 73.
Dub. 6. *An non ſolum Theologiæ, ſed etiam fidei ſit concluſio, quæ dependet ex vna præmiſſa moraliter certa?* num. 74.

ARTICVLVS IV.

Vtrum ſacra doctrina ſit ſcientia practica? *pag.* 498. *num.* 75.

Dub. 1. *Quid aliis ſentiant hic?* num. 76.
Dub. 2. *An Theologia ſit potius ſpeculatiua quam practica?* num. 83.
Dub. 3. *An Theologia poſſit eſſe formaliter ſpeculatiua, & practica an ſolum eminenter?* num. 89.
Dub. 4. *An actus intellectus poſſint eſſe praxis*, num. 92.
Dub. 5. *An praxis debeat eſſe opus operabile ab ipſo cognoſcente?* num. 93.

ARTICVLVS V.

Vtrum ſacra doctrina ſit dignior aliis ſcientiis? *pag.* 501. *num.* 96.

Dub. 1. *An Theologia ſit certior ſcientiis naturalibus?* num. 97.
Dub. 2. *An ſit certior ſcientiis ſupernaturalibus?* num. 103.
Dub. 3. *An ſimpliciter Theologia ſit dignior ſcientiis naturalibus eo quod ſit certior*, n. 108
Dub. 4. *Ex quibus aliis capitibus Theologia ſit dignior ſcientiis naturalibus?* num. 110.
Dub. 5. *An vt practica ſit dignior etiam ſcientiis ſpeculatiuis?* num. 111.

ARTICVLVS VI.

Vtrum hæc doctrina ſit ſapientia, *pag.* 504. *num.* 112.

Dub. 1. *Quid ſit ſapientia ſimpliciter talis?* num. 113.
Dub. 2. *An Theologia ſit ſapientia?* n. 114.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Deus ſit ſubiectum huius ſcientiæ? *pag.* 505. *num.* 117.

Dub. 1. *Quid alij ſentiant*, num. 118.
Dub. 2. *An in ſubiecto ſcientiæ debeant contineri omnes ſcientiæ veritates?* num. 121.
Dub. 3. *An in ſubiecto Theologiæ includantur & quomodo omnes Theologiæ veritates?* num. 126.
Dub. 4. *An ſola reuelatio ſit obiectum formale motiuum Theologiæ*, num. 129
Dub. 5. *Quæ ſit ratio formaliſsima ſubqua Theologiæ?* num. 130.

Dub. 6. *Quod ſit obiectum adæquatum Theologiæ*, num.134.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum hæc doctrina ſit argumentatiua, *pag.* 508. *num.* 135.

Dub. 1. *An Theologia ſit adhæſiua vel tantum declaratiua?* num.136.
Dub. 2. *An Theologia ſit habitus opinionis*, num.139.
Dub. 3. *Qui, & quot ſint loci Theologiæ?* n.142.
Dub. 4. *Quomodo vtatur Theologia his locis*, num.143.
Dub. 5. *An locus à ratione naturali ſit proprius Theologiæ*, num.147.
Dub. 6. *An Theologia vtatur his locis ad probandas veritates fidei*, num.150.
Dub. 7. *An Theologia ſoluat argumenta euidenter quæ contra fidem opponuntur*, n.152.
Dub. 8. *An Theologia in ſuis argumentationibus vtatur etiam ratione naturali vt motiuo in ſuis argumentationibus*, num.155.
Dub. 9. *An Theologia Dei, & Beatorum ſit argumentatiua?* num.156.

ARTICVLVS IX.

Vtrum ſacra ſcriptura debeat vti metaphoris, *pag.* 511. *num.* 157.

Dub. 1. *An Theologia vtatur metaphoris quia nobis neceſſarium an quia vtile præcisè?* num.158.
Dub. 2. *An ſub ſpecie rerum ſpiritualium poſſint explicari res materiales?* num.161.

ARTICVLVS X.

Vtrum ſacra ſcriptura ſub vna littera habeat plures ſenſus? *p.* 513. *n.* 164.

Dub. 1. *An ſit proprium Scripturæ ſacræ ſub vna littera continere plures ſenſus?* n.165.
Dub. 2. *An ſit id de fide*, num.166.
Dub. 3. *An littera ſacræ Scripturæ admittat reſtrictionem mentalem?* num.167.
Dub. 4. *Quotuplex ſit ſenſus ſacræ Scripturæ?* num.170.
Dub. 5. *An ſancti Patres vtantur Scriptura in ſenſu à commodatitio*, num.171.
Dub. 6. *An poſſint ſub vna littera dari plures ſenſus litterales?* num.172.
Dub. 7. *Qui & quot & ſint ſenſus ſpirituales?* num.173.
Dub. 8. *Quomodo Theologia vtatur ad arguendum his ſenſibus?* num.174.

QVÆSTIO II.

De Deo An Deus ſit? *p.* 514.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deum eſſe ſit per ſe notum? *pag.* 514. *num.* 1.

Dub. 1. *Quid ſit propoſitio per ſe nota & an rectè diuidatur in per ſe notam quoad ſe, & in per ſe notam quoad nos?* num.2.
Dub. 2. *An ſit per ſe notum Deum exiſtere*, num.3.
Dub. 3. *An ſit per ſe notum exiſtere aliquod ens neceſſarium?* num.8.
Dub. 4. *An ſub aliquo prædicato ſit per ſe notum Deum exiſtere*, num.9.
Dub. 5. *An Deum eſſe ſit propoſitio per ſe probabilis*, num.10.
Dub. 6. *An ſit per ſe nota exiſtentia Dei ſub aliquo conceptu, qui ſit proprius Dei quoad ſe, licet non quoad nos*, num.11.
Dub. 7. *An Deum eſſe ſit primum cognitum, quod ſemper & neceſſario cognoſcitiui*, n.12.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deum eſſe ſit demonſtrabile? *pag.* 517.

Dub. 1. *An ſit de fide poſſe Dei exiſtentiam ratione naturali demonſtrari.* num.14.
Dub. 2. *An exiſtentia Dei ſit demonſtrabilis à priori*, num.15.

ARTICVLVS III.

An Deus ſit? *pag.* 518.

Dub. 1. *An demonſtratur exiſtentia Dei via motus.* num.18.
Dub. 2. *An demonſtretur efficientiæ via.* num.23.
Dub. 3. *An ſit poſſibilis proceſſus in infinitum in cauſis ſaltem per accidens, & non per ſe ſubordinatis*, num.30.
Dub. 4. *An etiam admiſſo proceſſu cauſarum in infinitum demonſtretur exiſtentia Dei?* num.33.
Dub. 5. *An demonſtretur exiſtentia Dei ex via contingentiæ?* num.38.
Dub. 6. *An demonſtretur ex via eminentiæ?* num.40.
Dub. 7. *An demonſtretur ex gubernatione rerum?* num.42.
Dub. 8. *An demonſtretur ratione morali?* n.43.
Dub. 9. *An demonſtretur ex conſenſu totius humani generis?* num.44.
Dub. 10. *Quomodo poſſit fide diuina credi exiſtentia Dei?* num.47.
Dub. 11. *An poſſit dari ignorantia inuincibilis de exiſtentia Dei?* num.54.

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

De Dei ſimplicitate, *num.* 1.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus ſit corpus? *num.* 2.

Dub. 1. *Quibus probetur Deum non iſſe corpus?* num.3.

Dub. 2. *An viuens ſit nobilius non viuente?* num.6.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Deo ſit compoſitio formæ, & materiæ, *pag.* 528. *num.* 9.

Dub. 1. *Quibus rationibus probetur Deum non conſtare materia?* num.10.

Dub. 2. *An poſſibilis ſit materia ſpiritualis?* num.11.

Dub. 3. *An poſſibiles ſit corpus conſtans materia ſpirituali?* num.13.

Dub. 4. *An poſſibile ſit corpus complementum ſimplex expers materiæ omnis?* nu.14.

ARTICVLVS III.

Vtrum ſit idem Deus cum ſua eſſentia vel natura? *pag.* 529. *num.* 15.

Dub. 1. *An in Deo diſtinguatur ſuppoſitum à naturâ, hoc eſt, an ſuppoſitum addat aliquid diſtinctum in Deo ab eius eſſentia, vel naturâ?* num.16.

Dub. 2. *An natura diuina ſecundum abſolutum quod dicit condiſtinctum à tribus ſubſiſtentiis relatiuis imbibat propriam ſubſiſtentiam communem licet realiter identificata cum tali natura?* num.17.

Dub. 3. *An poſſibilis ſit ſubſtantia creata, in ſuppoſitum ſit idem cum naturâ, ſeu quæ non addat ſubſiſtentiam realites diſtinctam naturæ?* num.18.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in Deo ſit idem eſſentia & eſſe? *pag.* 530. *num.* 21.

Dub. 1. *Quibus rationibus probetur, eſſentiam Dei eſſe indiſtinctam ab exiſtentia?* nu. 22.

Dub. 2. *Quis habeat Deus ob quod ſpecialiter exiſtentia identificetur cum eſſentia in ipſo, dicaturque eſſentialiter* exiſtens, *quam creatura?* num.24.

Dub. 3. *An ſaltem ratione eſſentia Dei diſtinguatur ab exiſtentiâ, ſicque ſit in Deo compoſitio rationis ex* eſſe *& exiſtentia?* n.26.

ARTICVLVS V.

Vtrum Deus ſit in genere aliquo? *pag.* 532. num. 29.

Dub. 1. *An Deus ſit in prædicamento, ſeu in genere aliquo?* num.30.

Dub. 2. *An Deus ſaltem reductiuè ſit ſub prædicamento?* num.36.

Dub. 3. *An in Deo admittanda ſitio compoſitio ex genere & differentiâ?* num.38.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in Deo ſint aliqua accidentia? *pag.* 534. *num.* 39.

Dub. 1. *An attributa diuina, vel diuinæ perfectione ſint accidentia?* num.40.

Dub. 2. *An Deus licet non neceſſario, & ex indigentia, pro ſuo tamen placito poſſit recipere aliquod accidens creatum, illudque materialiter cauſare, vti poteſt cauſare efficienter?* num.44.

Dub. 3. *An ſaltem ratione noſtrâ poſſit admitti in Deo aliquod accidens?* num.47

Dub. 4. *An in tempore poſſit aduenire Deo aliquod prædicatum adæquatè intrinſecum, quod non præfuerit ab æterno?* n.50

ARTICVLVS VII.

Vtrum Deus ſit omnino ſimplex? *pag.* 536. *num.* 51.

Dub. 1. *An attributa, & perfectiones abſolutæ diuinæ diſtinguantur interſe, vel ab eſſentia diſtinctione reali, vel formali, vel ſaltem virtuali intrinſeca, & ex natura rei?* num. 52.

Dub. 2. *An in Deo admittenda ſit rationis compoſitio, ita vtlicet realiter ſit omnino ſimplex, compoſitionem tamen rationis admittat,* num. 53.

Dub. 3. *An dDeus ſit ita onmino ſimplex vt non amittat inſtinctionem rationis?* n 56

Dub. 4. *An ſimplicitas realis ſit ita Dei propria vt nulli creaturæ queat communicari?* num.57.

Dub. 5. *An ſimplicitas ſit perfectio ſimpliciter?* num.59.

Dub. 6. *An Deus conſtituatur ex partibus integrantibus?* num.62.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Deus in compoſitionem aliorum veniat? *pag.* 539. *num.* 64.

Dub. 1. *An Deus ex ſuo placito poſſit obire munus & partis componentis in compoſito ſubſtantiali, nempe per modum materiæ primæ, vel formæ?* num.65.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

De Dei perfectione? *pag.* 540.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus ſit perfectio? *pag.* 540. *num.* 1.

Dub. 1. *Qua potiſſimum ratione probetur hæc Dei perfectio?* num. 2.

Dub. 2. *An exiſtentia ſit perfectior quam eſſentia?* num. 3.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Deo ſint perfectiones omnium rerum? *pag.* 541. *num.* 6.

Dub. 1. *Quomodo contineantur perfectiones omnium rerum in Deo?* num. 7.

Dub. 2. *Quid ſit perfectio ſimpliciter ſimplex?* num. 10.

Dub. 3. *An plus perfectionis inſit in Deo ſimul cum creatura, quam in Deo ſolo?* num. 13.

Dub. 4. *An perfectiones diuinæ ſint formaliter plures aut etiam virtualiter ex naturâ rei?* num. 16.

Dub. 5. *An perfectiones attributales dentur in Deo ratione noſtrâ diſtinctæ ab eſſentia?* num. 17.

Dub. 6. *An vna perfectio diuina abſoluta ſit de conceptu formali alterius?* num. 18.

Dub. 7. *An perfectiones diuinæ vt ratione diſtinctæ ſint æquales etiam per rationem, ſiue conferatur vna cum alia ſeorſim, ſiue cum omnibus ſimul ſumptis?* num. 19.

Dub. 8. *Quot ſint perfectiones diuinæ ratione noſtrâ: An finitæ, vel infinit quoad numerum?* num. 20.

ARTICVLVS III.

Vtrum aliqua creatura poſſit eſſe ſimilis Deo? *pag.* 543. *num.* 21.

Dub. 1. *Quo pacto poſſit eſſe creatura Deo ſimilis?* num. 22.

Dub. 2. *An è contra Deus ſit ſimilis creaturæ?* num. 25.

QVÆSTIO V.

De Bono in communi? *pag.* 544.

ARTICVLVS I.

Vtrum Bonum differat ſecundum rem ab ente? *pag.* 544. *num.* 1.

Dub. 1. *In quo conſiſtat formaliter ratio boni?* num. 2.

Dub. 2. *Quo pacto differat bonum ſit explicatum ab ente?* num. 4.

ARTICVLVS II.

Vtrum Bonum ſecundum rationem ſit prius quam ens? *pag.* 545. *num.* 5.

Dub. 1. *Quo titulo ens ſit prius quam bonum vt aſſerit S. Thom.* num. 6.

Dub. 2. *An ens vt ens ſit obiectum intellectus?* num. 8.

ARTICVLVS III.

Vtrum omne ens ſit bonum? *pag.* 545. *num.* 9.

Dub. 1. *Qualiter omne ens ſit bonum?* num. 10.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Bonum habeat rationem cauſæ finalis? *pag.* 546. *num.* 13.

Dub. 1. *An bonum neceſſario & conuertibiliter habeat rationem cauſæ finalis?* nu. 14.

Dub. 2. *An bonum & cauſa finalis non ſolum realiter, ſed etiam ratione noſtrâ idem ſint?* num. 16.

ARTICVLVS V.

Vtrum ratio boni conſiſtat in modo, ſpecie, & ordine? *pag.* 546. *num.* 18.

Dub. 1. *An omne bonum conſiſtat in modo, ſpecie, & ordine?* num. 19.

ARTICVLVS VI.

Vtrum conuenienter diuidatur bonum per honeſtum, vtile, & delectabile? *pag.* 547. *num.* 20.

Dub. 1. *An hæc omnia bona non ſolum poſſint, ſed etiam debeant in eamdem rem bonam concurrere?* num. 21.

Dub. 2. *An hæc bona licet non diſtinguantur realiter, vt dictum eſt, ſaltem diſtinguantur formaliter?* num. 23.

QVÆSTIO VI.

De Bonitate Dei, *pag.* 547.

ARTICVLVS I.

Vtrum eſſe Bonum Deo conueniat? *pag.* 548. *num.* 1.

Dub. 1. *Quotupliciter Deus ſit bonus?* num. 2.

Dub. 2. *An Deus dicendus ſit* Bonum *adiectiue, vel potius* Bonum *ſubſtantiue?* num. 3.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus ſit ſummum Bonum? *pag.* 548. *num.* 4.

Dub. 1. *An Deus ſit ſummum bonum non ſolum* intenſiuè, *ſed etiam* extenſiuè? num. 5.

Dub. 2. *An Deus ita intenſiuè ſit ſummum bonum, vt Deus ſimul cum creaturâ non ſit maius bonum, quam Deus ſolus?* num. 7.

ARTICVLVS III.

Vtrum eſſe bonum per eſſentiam ſit proprium Dei? *pag.* 549. *n.* 9.

Dub. 1. *In quo ſenſu Dei ſit proprium eſſe bonum per eſſentiam?* nu. 10.

Dub. 2. *An creaturæ ſint bonæ præciſe ratione exiſtentiæ; an etiam ratione eſſentiæ etiam vt condiſtinctæ ab exiſtentia?* num. 11.

ARTICVLVS IV.

Vtrum omnia ſint bona bonitate diuina? *pag.* 550. *num.* 14.

Dub. 1. *An res aliqua dicatur bona etiam formaliter à bonitate diuinâ?* num. 15.

QVÆSTIO VII.

De Infinitate Dei? *pag.* 550.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus ſit infinitus, *p.* 550. *n.* 1.

Dub. 1. *Quid ſit eſſe infinitum ſecundum eſſentiam?* num. 2.

Dub. 2. *An Deus ſit infinitus ſecundum eſſentiam:* num. 4.

Dub. 3. *Quo pacto infinitus ſit de conceptu Dei?* num. 7.

ARTICVLVS II.

Vtrum aliquid aliud, quam Deus, poſſit eſſe infinitum per eſſentiam? *pag.* 551. *num.* 8.

Dub. 1. *An creatura poſſit eſſe infinita per eſſentiam ſaltem in aliquo genere determinato?* num. 9.

Dub. 2. *An ſaltem poſſibilis ſit creatura, quæ in eſſe creaturæ ſit infinita ſimpliciter, & ſic per eſſentiam, quatenus continet omnes perfectiones poſſibiles creatas?* num. 11.

ARTICVLVS III.

Vtrum poſſit aliquid eſſe infinitum actu ſecundum magnitudinem? *pag.* 553. *num.* 14.

Dub. 1. *An poſita poſſibilitate infiniti in actu, ſit ſpecialis difficultas de infinitate ſecundum magnitudinem; hoc eſt, ſecundum extenſionem continuam quantitatis?* num. 15.

Dub. 2. *An admitti poſſit infinitum actu ſecundum magnitudinem, non extenſionis quantitatiuæ abſolutæ, ſed comparatiuæ?* num. 17.

ARTICVLVS IV.

Vtrum poſſit eſſe infinitum in rebus ſecundum multitudinem? *pag.* 553. *num.* 19.

Dub. 1. *An hoc infinitum ſit poſſibile ſaltem de potentiâ abſolutâ?* num. 20.

Dub. 2. *An caſu quo non implicet infinitum in actu ſecundum multitudinem; admitti etiam poſſit quod non repugnet actu dari ex parte rei omnia poſſibilia?* num. 24.

Dub. 3. *An ſi poſſibile ſit infinitum in actu de potentia abſolutâ, ſit etiam ex natura rei, ſiue ſine vllo miraculo poſſibile?* num. 26.

QVÆSTIO VIII.

De Exiſtentia Dei in rebus. *pag.* 555.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus ſit in omnibus rebus? *pag.* 555. *num.* 1.

Dub. 1. *Quam certa ſit hæc veritas?* n. 2.

Dub. 2. *An ſatis probetur exiſtentia Dei in omnibus rebus ex operatione eiuſdem in omnes res?* num. 4.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus ſit vbique? *pag* 555. *num.* 7.

Dub. 1. *An Deus ſit in locis non ſolum realibus ſed etiam imaginariis?* num. 8.

Dub. 2. *An eſſe ſic vbique ſit perfectio ſimpliciter ſimplex:* num. 12.

Dub. 3. *An Deus ſit vbique ſecundum ſe totum* num. 13.

ARTICV

ARTICVLVS III.

Vtrum Deus ſit vbique per eſſentiam, præſentiam & potentiam, *pag.* 557. *num.* 16.

Dub. 1. *Quid ſit exiſtere Deum in rebus per eſſentiam præſentiam, & potentiam?* n. 17.
Dub. 2. *Quibus aliis modis Deus ſit in rebus?* num. 20.

ARTICVLVS IV.

Vtrum eſſe vbique ſit proprium Dei? *pag.* 558. *num.* 21.

Dub. 1. *An creatura aliqua ſaltem per potentiam obedientialem poſſit locari à Deo vbique?* num. 22.

QVÆSTIO IX.

De Dei immutabilitate, *p.* 559.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus ſit omnino immutabilis? *pag.* 559. *num.* 1.

Dub. 1. *An Deus ſit immutabilis in omni genere?* num. 2.
Dub. 2. *An ſine aliqua mutabilitate, etiam latè acceptâ, & non ſtrictâ poſſit aliqua ratione defendi quod actus liberi, etiam vt liberi, & contingentes, ſint cum Deo identificati?* num. 5.

ARTICVLVS II.

Vtrum eſſe immutabile ſit proprium Dei? *pag.* 560. *num.* 61.

Dub. 1. *An immutabilitas quoad* eſſe *ſit propria Dei?* num. 7.
Dub. 2. *An immutabilitas etiam per modum potentiæ paſſiuæ ſit propria ſolius Dei?* num. 9.

QVÆSTIO X.

De Dei Æternitate, *pag* 561.

ARTICVLVS I.

Vtrum conuenienter definiatur æternitas, quod eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio? *pag.* 561. *num.* 1.

Dub. 1. *An æternitas ita ſit ſimul vt ſolum per ſimplicem entitatem temporibus ſucceſſiuis coexiſtat paulatim. An vero ita vt ſimul & actu occupet futura, & ſucceſſiua tempora, quaſi vno ictu non minus occupans præterita tempora & futura, quam præſentia?* num. 2.
Dub. 2. *An in æternitate includatur ratio* menſuræ? num. 4.
Dub. 3. *An æternitas ſit ſpeciale attributum ab immutabilitate diſtinctum?* num. 6.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus ſit æternus? *p.* 562. *n.* 9.

Dub. 1. *An Deus ratione æternitatis ſimul occupet omnia tempora?* num. 10.
Dub. 2. *An veritas iſta euidens ſit ratione naturali?* num. 11.
Dub. 3. *An Deus ratione æternitatis conſtituatur aptus cognoſcere futura contingentia?* num. 22.

ARTICVLVS III.

Vtrum eſſe æternum ſit proprium Dei? *pag.* 563. num. 13.

Dub. 1. *An ſit poſsibilis aliqua creatura, quæ ſemel producta eſſentialiter ſit indeſtructibilis, vel etiam quæ nequeat produci niſi ab æterno?* num. 14.
Dub. 2. *An potuerit produci aliqua creatura ab æterno?* num. 15.
Dub. 3. *An dato quod aliqua creatura potuerit pro duci ab æterno, poſsibilis ſit creatum, quæ petat ſic ab æterno produci?* num. 20.
Dub. 4. *An & quo pacto eſſe æternum ſit proprium Dei?* num. 23.

ARTICVLVS IV.

Vtrum æternita & differat à tempore? *pag.* 564. *num.* 24.

Dub. 1. *An differentia æternitatis à tempore ſit quoad ſucceſsionem, & quomodo.* num. 25.
Dub. 2. *An æternitas duret in tempore, ſine coexiſtas tempori.* num. 26.
Dub. 3. *An tempus non ſolum extrinſecè, ſed etiam intrinſecam ſucceſsionem dicat in rebus creatis, ſeu aliquam intrinſecam ſucceſsionem addat entitatibus creatis?* num. 27.

ARTICVLVS V.

De differentia æui, & temporis? *pag.* 567. *num.* 37.

Dub. 1. *An æuum ſit ſucceſſiuum, hoc eſt, an duratio rei permanentis ſucceſſionem intrinſecam imbibat?* num. 38.
Dub. 2. *An æuum differat à tempore per potentiam habendi, ſeu coniungendi ſecum ſucceſſionem in operando?* num. 39.

ARTICVLVS VI.

Vtrum ſit vnum Æuum tantum? *pag.* 567. *num.* 31.

Dub. 1. *An præciſa multiplicitate æuiternorum poſſit æuum in ratione durationis æuiterni formaliter diſtingui.* num. 32.
Dub. 2. *An omnis duratio adæquate diuidatur in æternitatem, tempus, & æuum.* num. 34.
Dub. 3. *An poſſibile ſit aliquod æuum, quod duret totum ſimul.* num. 35.

QVÆSTIO XI.

De vnitate Dei. *pag.* 568.

ARTICVLVS I.

Vtrum vnum addat aliquid ſupra ens? *pag.* 568. *num.* 1.

Dub. 1. *An vnum addat ſupra ens aliquid poſitiuum, an ſolum negatiuum?* num. 2.
Dub. 2. *An vnitas ex parte formæ & in abſtracto ſumpta dicat negationem?* num. 6.

ARTICVLVS II.

Vtrum vnum & multa opponantur? *pag.* 569. *num.* 7.

Dub. 1. *An vnum & multa opponantur contradictorio?* num. 8.
Dub. 2. *An ſicut multitudo coaleſcit ex vnitatibus materialiter acceptis, ita vnum coaleſcat ex multis.* num. 9.

ARTICVLVS III.

Vtrum Deus ſit vnus. *pag.* 569. *num.* 10.

Dub. 1. *An Deum eſſe vnum ſit articulus fidei?* num. 11.
Dub. 2. *An ratione naturali demonſtretur Dei vnitas?* num. 12.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Deus ſit maximè vnus? *pag.* 571. *numero* 19.

Dub. 1. *An ſit poſſibilis res creata, quæ ſit vna ſeu vnica, quæ ſcilicet implicet multiplicari?* num. 20.
Dub. 2. *An & qualiter Deus ſit maxime vnus?* num. 24.

QVÆSTIO XII.

Quomodo Deus à nobis cognoſcatur? *pag.* 572.

ARTICVLVS I.

Vtrum aliquis intellectus creatus poſſit Deum videre per eſſentiam? *pag.* 572. *num.* 1.

Dub. 1. *An ſit de fide exiſtentia viſionis Dei?* num. 2.
Dub. 2. *An ratione naturali poſſit probari?* num. 3.
Dub. 3. *An ex appetitu, quem homines habent ad videndam cauſam viſo effectu, item & ad perfectam beatitudinem ſatis probari poſſit huius viſionis poſſibilitas.* num. 4.
Dub. 4. *An detur appetitus innatus in naturâ ad viſionem?* num. 7.
Dub. 5. *An detur in naturâ appetitus elicitus; an efficax, vel ſaltem inefficax?* num. 8.
Dub. 6. *Quid & qualis ſit hæc viſio?* num. 8.

ARTICVLVS II.

Vtrum Eſſentia Dei ab intellectu creato per aliquam ſimilitudinem videatur? *pag.* 573. *num.* 9.

Dub. 1. *An poſſibilis ſit ſimilitudo in* qua *eſſentiâ diuinâ videatur?* num. 10.
Dub. 2. *An in viſione beatâ detur verbum, ſeu ſpecies expreſſa, & ſimilitudo* qua? num. 11.
Dub. 3. *An neceſſum ſit in omni cognitione formari verbum, & quod ſit huius minus?* num. 12.
Dub. 4. *An detur de facto ſpecies impreſſa ad videndum Deum?* num. 13.
Dub. 5. *An ſaltem de potentiâ abſolutâ poſſibilis ſit ſpecies impreſſa?* num. 14.
Dub. 6. *An ſit poſſibilis ſpecies abſtractiua & quidditatiua Dei?* num. 15.

ARTICV

ARTICVLVS III.

Vtrum eſſentia Dei poſſit videri oculis Corporeis? *pag.573.n.16.*

Dub. 1. *An ſaltem de potentiâ abſolutâ poſſint eleuari ſenſus de facto exiſtentes ad videndum Deum vel aliquid ſpirituale?* num.17.

Dub. 2. *An ſaltem poſſit eleuari oculus corporeus vt attingat Deum per viſionem ſpiritualem?* num.18.

Dub. 3. *An poſſibilis ſit aliquis ſenſus, ſeu potentia materialis eleuabilis ad videndum Deum?* num.19.

ARTICVLVS IV.

Vtrum aliquis intellectus creatus per ſua naturalia diuinam eſſentiam videre poſſit? *pag. 574.num.23.*

Dub. 1. *An poſſibilis ſit viſio aliqua Dei purè naturalis, & quæ ſit ratio huius impoſſibilitatis?* num.24.

Dub. 2. *An ſit poſſibilis ſubſtantia ſupernaturalis creata, cui ex conſequenti connaturalis ſit viſio Dei?* num.25.

Dub.3. *In quo conſiſtat conceptus ſupernaturalitatis?* num.26.

ARTICVLVS V.

Vtrum intellectus creatus ad videndum Dei eſſentiam indigeat aliquo lumine creato? *pag. 574.num.27.*

Dub. 1. *An tale lumen exiſtat de facto, & quantâ certitudine conſtet eſſe ponendum?* num. 28.

Dub. 2. *An lumen gloriæ diſtinguatur ab ſpecie impreſſâ?* num.29.

Dub. 3. *An lumen concurrat ſolum vt diſpoſitio ad viſionem, an etiam vt virtus immediatè actiua?* num. 31.

Dub. 4. *An lumen gloriæ concurrat paſsiue recipiendo in ſe viſionem?* num.32.

Dub. 5. *An lumen gloriæ diſponat intellectum, vt eſſentia diuina vniatur illi per modum ſpeciei?* num. 33.

Dub. 6. *An lumen gloriæ ſit tota ratio agendi?* num 35.

Dub. 7. *An ſine lumine intrinſeco poſſit intellectus eleuari ad eliciendam viſionem per auxilium purè extrinſecum?* num.38.

Dub. 8. *An intellectus eleuari poſſit ad eliciendam viſionem eamdem per auxilium extrinſecum, quam elicuit per intrinſecum lumen?* num.41.

ARTICVLVS VI.

Vtrum videntium eſſentiam Dei vnus alio perfectus videat? *pag. 576. numero 42.*

Dub. 1. *An viſio ſit inæqualis præciſè ex inæqualitate luminis?* num. 43.

Dub. 2. *An ſi non inæqualitas, ſaltem diuerſitas ſpecifica viſionum poſsit venire ex diuerſitate naturæ?* num.46.

Dub. 3. *An inæqualitas viſionis quæ datur de facto ex inæquali lumine ſit ſpecifica, vel tantum numerica, ſeu intenſiua ſecundum magis & minus?* num.50.

ARTICVLVS VII.

Vtrum videntes Deum per eſſentiam ipſum comprehendant? *pag. 577. numero 51.*

Dub. 1. *Quanam ratione & quam certo probetur Deum eſſe incomprehenſibilem?* n.52.

Dub. 2. *An ex cognitione omnium poſsibilium in Deo ſequatur comprehenſio*, nu. 54.

Dub. 3. *An licet non totus Deus, ſaltem aliquod attributum Dei poſſit comprehendi à creaturâ*, num.55.

Dub. 4. *An proprium ſit Deitatis eſſe incomprehenſibilem?* num.56.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum videntes Deum per eſſentiam omnia in Deo videant? *pag. 578. numero 57.*

Dub. 1. *An de facto videatur vnum attributum, vel vna Perſona ſine aliâ?* num.58.

Dub. 2. *An loquendo de poſsibili poſsit dari præciſiua viſio ex parte obiecti, vel ſaltem ex parte modi?* num.59.

Dub. 3. *An poſsit vna Perſona videri ſine aliâ*, num.60

Dub. 4. *An decretum vnum liberum poſsit videri ſine alio?* num.61.

Dub. 5. *An in Deo viſo vt in medio videri poſsint creaturæ?* num.62.

Dub. 6. *An & quæ creaturæ neceſſario videantur in Deo?* num.63.

Dub. 7. *An Beati poſſint in Deo videre omnes creaturas poſſibiles?* num.65.

Dub. 8. *Vnde oriatur, quod hæ potius creaturæ, quam aliæ videantur in Deo?* n.66.

Dub. 9. *An cognitio creaturarum in Deo ſit quidditatiua?* num.73.

Dub. 10. *Quomodo videri poſſint in Deo creaturæ exiſtentes maximè in ſententia negante actus liberos adæquatè intrinſecos?* n.74.

Dub. 11. *An viſio videat ſuam æternam durationem?* num.741.

ARTICVLVS IX.

Vtrum ea, quæ videntur in Deo à videntibus diuinam eſſentiam, per aliquas ſimilitudines videantur? *pag.* 581. *num.* 75.

Dub. 1. *An eſſentia diuina obire poßit vt medium in cognitum munus ſpeciei impreſſæ ad videndas creaturas, & in quo differat quando comparatur vt medium cognitum ſeu in* quo, *& incognitum ſeu* quo? n. 76.
Dub. 2. *Qualiter Deus ſit, & dicatur ſpeculum vt in ipſo videantur creaturæ?* num. 77.
Dub. 3. *An ſpeculum, vt res quæ videtur in ſpeculo eadem ſpecie videantur?* num. 78.
Dub. 4. *An D. Paulus habuerit ſpeciem propriam diuinæ eſſentiæ poſt raptum, dum illius recordabatur?* num. 79.

ARTICVLVS X.

Vtrum videntes Deum per eſſentiam, ſimul videant omnia quæ in ipſo vident? *pag.* 581. *num.* 80.

Dub. 1. *An viſio ipſa beata ita inuariabilis ſit, vt non deficiat, nec ſucceßionem admittat, poßit re Beatus in dies videre in verbo plures creaturas?* num. 81.
Dub. 2. *An Beati ſine nouâ viſione poßint tamen repræſentare nouas creaturas exiſtentes?* num. 88.
Dub. 3. *An viſio eadem reflectere poßit ſupra ſuam æternam durationem, & quomodo ſaluâ eius deſtructibilitate pro ſupremo dominio, & libito Dei ſtet eſſentialis veritas?* num. 89.

ARTICVLVS XI.

Vtrum aliquis in hac vitâ poſſit videre Deum per eſſentiam? *p.* 583. *n.* 90.

Dub. 1. *Quæ & quanta ſit impoßibilitas videndi Deum, dum ſumus in hac vitâ?* n. 91.
Dub. 2. *An Beatæ Virgini fuerit conceſſa viſio beatifica, & quando?* num. 93.
Dub. 3. *Et aliis Sanctis*, num. 95.
Dub. 4. *An ſi viſionis priuilegium concedatur Moyſi, & Paulo, poßit ad alios extendi?* num. 96.

ARTICVLVS XII.

Vtrum per rationem naturalem Deum in hac vitâ cognoſcere poſſimus? *pag.* 585. *num.* 97.

Dub. 1. *An Deus cognoſcatur in viâ euidenter quoad an eſt?* num. 98.
Dub. 2. *An naturaliter cognoſci poſſit Deus quidditatiuè, licet non ſtrictè quidditatiuè?* num. 99.
Dub. 3. *An in effectibus creatis cognoſci poſſit, licet non quidditatiuè, tota tamen, & integra quidditas Dei*, num. 101.

ARTICVLVS XIII.

Vtrum per gratiam habeatur aliter cognitio Dei, quam ea quæ habetur per rationem naturalem? *p.* 585. *n.* 102.

Dub. 1. *An cognitio, quæ habetur per gratiam poſſit eſſe quidditatiua de Deo in viâ?* num. 103.
Dub. 2. *Quantus ſit exceſſus cognitionis gratiæ ſupra cognitione naturale de Deo?* n. 103.

QVÆSTIO XIII.

De nominibus Dei, *pag.* 585.

ARTICVLVS I.

Vtrum aliquod nomen Deo conueniat? *pag.* 586. *num.* 1.

Dub. 1. *An, & quomodo Deus ſit ineffabilis, ſeu innominabilis?* num. 2.
Dub. 2. *An aliquo nomine ſignificari poßit Deus ſicuti eſt, & quidditatiuè, tali ſcilicet nomine, quod natum ſit excitare cognitionem quidditatiuã & propriam de ipſo Deo, licet ob incapacitatem audientis eam non excitet?* num. 3.
Dub. 3. *An nomen* Deus *prout à nobis imponitur, cenſendum ſit ſignificare Deum in ſe ſicuti eſt quidditatiuè, vel etiam comprehenſiuè vt comparatur cum ipſo Deo vt audiente?* num. 4.

ARTICVLVS II.

Vtrum aliquod nomen dicatur de Deo ſubſtantialiter? *pag.* 586. *num.* 7.

Dub. 1. *An nomen aliquod dicatur de Deo abſolutè & affirmatiuè de notando veram perfectionem, quæ in ipſa eſt?* num. 22.
Dub. 2. *An de Deo aliquod nomen dicatur accidentaliter, hoc eſt, ſignificans aliquam perfectionem Deo intrinſecam per modum accidentis oppoſiti ſubſtantiæ ſaltem ratione noſtrâ?* num. 9.

ARTICVLVS III.

Vtrum aliquod nomen dicatur de Deo propriè? *pag.* 586. *num.* 10.

Dub. 1. *An quando ſumus in corpore ſemper dicamus aliquid de Deo impropriè, & quo ſenſu dicamur vti ſpeciebus improprijs.* num. 11.
Dub. 2. *An nomen aliquod ita ſit proprium Dei vt nequeat aliis conuenire?* num. 12.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Nomina dicta de Deo ſit nomina Synonyma? *pag.* 586. num. 13.

Dub. 1. *An diuerſa nomina in Deo ſignificant diuerſas formalitates diſtinctas ex natura rei, vel ſolum ex parte modi, & rationis ratiocinatæ?* num. 14.
Dub. 2. *An nomina etiam vt Dei propria ſignificent in Deo, vt non ſynonyma?* nu. 15.
Dub. 3. *An nomina, quæ dicuntur de Deo, ſynonyma ſint deſpectu Dei & beatorum?* num. 26.

ARTICVLVS V.

Vtrum Quæ dicuntur de Deo & Creaturis, vniuocè dicantur de ipſis? *pag.* 587. *num.* 71.

Dub. 1. *An ſaltem quoad nos detur aliquod nomen vniuocum Deo & Creaturis?* num. 18.
Dub. 2. *An omnia, quæ dantur in Deo, dicanturque de Creaturis æqualiter dicantur analogicè?* num. 19.

ARTICVLVS VI.

Vtrum nomina per prius dicantur de Creaturis, quam de Deo? *pag.* 577. *num.* 20.

Dub. 1. *An ſicut nomina metaphorica per prius dicuntur de Creaturis, quam de Deo, quia ſcilicet propriè ſolum inueniuntur in Creatis vt eſſe* Leonem, *&c. E contra etiam nomina, quæ ſoli Deo propriè, nobis autem metaphoricè applicantur, vt eſſe* Omnipotentem, *prius dicantur de Deo?* num. 21.
Dub. 2. *An nomina, quæ impropriè, ſeu extrinſecè dicuntur tam de Deo, quam de Creaturis, prius dicantur de Creaturis?* num. 22.
Dub. 3. *Quo titulo dicantur nomina prius de Deo, quam de Creaturis quoad rem ſignificatam?* num. 23.

ARTICVLVS VII.

Vtrum nomina, quæ important relationem ad Creaturas, dicantur de Deo ex tempore? *pag.* 587. *numero* 24.

Dub. 1. *An relationes, quæ adueniunt Deo in tempore ſint reales, vel ſolum rationis?* num. 25.
Dub. 2. *An poſſit Deo aduenire relatio intrinſeca in tempore?* num. 26.
Dub. 3. *An relatio* volentis *poſſit aliquâ ratione de Deo dici ex tempore?* num. 27.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum hoc nomen *Deus* ſit nomen naturæ? *pag.* 587. *num.* 28.

Dub. 1. *An nomen* Deus *eſſentiam ipſam Dei ſignificet?* num. 29.
Dub. 2. *An potius nomen* Deus *ſit nomen naturæ, quàm* omniſcius, Omnipotens, *&c.* num. 30.
Dub. 3. *An nomen Deus poſſit aliquo modo plurificari, ita vt dicantur tres Dij relatiui?* num. 31.

ARTICVLVS IX.

Vtrum hoc nomen *Deus* ſit communicabilis? *pag.* 587. *num.* 32.

Dub. 1. *Quid ſit dicendum circa hanc difficultatem?* num. 33.
Dub. 2. *An hoc nomen Deus in propriâ ſignificatione ſit aliquo pacto communicabile, ſeu vniuerſale prædicabile?* num. 34.

ARTICVLVS X.

Vtrum Hoc nomen Deus vniuoce dicatur de Deo per participationem, & ſecundum naturam, & ſecundum opinionem? *pag.* 587. *n.* 35.

Dub. 1. *Quid ſit dicendum circa hanc difficultatem?* num. 36.
Dub. 2. *An ſaltem* relatiue *hoc nomen* Deus *plurificitur, & communicetur?* num. 39.

ARTICVLVS XI.

Vtrum nomen *Qui eſt* ſit maxime Dei proprium? *pag.* 587. *num.* 40.

Dub. 1. *Quid dicendum ſit in hac difficultate?* num. 41.
Dub. 2. *An nomen* Qui eſt *ſit magis Dei proprium? quam* Deus? num. 41.
Dub. 3. *An* Qui eſt, *ſit magis abſolutum à creaturis quam ly* Deus? num. 42.

ARTICVLVS XII.

Vtrum Propoſitiones affirmatiuæ poſſint formari de Deo? *pag.* 388. *num.* 43.

Dub. 1. *Quid ſit dicendum circa hanc difficultatem?* num. 44.
Dub. 2. *An & cur conueniant Deo proprius propoſitiones negatiuæ, quam affirmatiuæ?* num. 45.
Dub. 3. *An Deus vel Beati affirmatiuas propoſitiones forment de ipſâ deitate?* num. 46.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIV.

De ſcientia Dei? *pag.* 589.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Deo ſit ſcientia? *pag.* 589. *numero* 1.

Dub. 1. *Quibus rationibus probetur ſcientia in Deo?* num. 2.

Dub. 2. *An poßit dari ſui diſtantia immaterialis non intellectiua?* num. 3.

Dub. 3. *An è contra poßibilis ſit ſubſtantia materialis, quæ intellectiua ſit?* num. 4.

Dub. 4. *An detur in Deo actus primus intelligendi?* num. 5.

Dub. 5. *An detur in aliquo ſenſu potentia proxima intelligendi; habitus, vel ſpecies impreſſa?* num. 6.

Dub. 6. *An detur in aliquo ſenſu proprio memoria?* num. 7.

Dub. 7. *An intellectio conſtituat eſſentiam Dei, ſeu ſit de primario conſtitutiuo naturæ diuinæ, vel ab illâ diſtinguatur?* num. 9.

Dub. 8. *An detur aliqua diſtinctio inter perfectiones diuinas præter realem, quæ intercedit inter relationes?* num. 10.

Dub. 9. *An ſcientia in ratione talis ſit multiplex?* num. 10.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus intelligat ſe? *pag.* 589. *num.* 11.

Dub. 1. *Quid dicendum ſit circa hanc difficultatem?* num. 12.

Dub. 2. *An dentur in Deo infinitæ reflexiones ex naturâ rei ſaltem virtualiter, vel etiam ratione noſtrâ, dum ſe comprehendit?* num. 13.

Dub. 3. *An Deus ſolus ſe comprehendat?* num. 14.

Dub. 4. *An ſola eſſentia, vel etiam relationes ſint obiectum formale motiuum ſcientiæ Dei ad ſe cognoſcendum?* num. 15.

Dub. 5. *An ſcientia Dei imbibat relationem ad ſuum obiectum?* num. 16.

Dub. 6. *An Deus ſe cognoſcat in creaturis?* num. 17.

Dub. 7. *An aliquid creatum poſſit eſſe motiuum diuinæ ſcientiæ?* num. 18.

ARTICVLVS III.

Vtrum Deus ſe ipſum comprehendat? *pag.* 590. *num.* 19.

Dub. 1. *Quid dicendum ſit circa hanc difficultatem?* num. 20.

Dub. 2. *An Deus comprehendat ſe adæquatè in creaturis?* num. 21.

Dub. 3. *An Deus per eamdem cognitionem indiuiſibilem etiam ratione noſtra reflexe cognoſcat ſe cognoſcere, ſine vllo proceſſu reflexionum. Et an proprium Dei ſit ſe comprehendere?* num. 22.

ARTICVLVS IV.

Vtrum ipſum intelligere Dei ſit eius ſubſtantia? *pag.* 590. *num.* 23.

Dub. 1. *An intellectio non ſolum ex natura rei, ſed etiam ratione noſtrâ ſit indiſtincta à ſubſtantia Dei?* num. 24.

Dub. 2. *An detur in Deo ſaltem ratione noſtra radicale intellectiuum, vel aliqua perfectio, quæ ſe habeat vt actus primus phyſicus intelligendi?* num. 25.

Dub. 3. *An eſſentia diuina reſpectu ſui habeat rationem ſpeciei?* num. 26.

ARTICVLVS V.

Vtrum Deus cognoſcat alia à ſe? *pag.* 590. *num.* 27.

Dub. 1. *An aliquid creatum poſſit eſſe obiectum formale ſcientiæ Dei?* num. 28.

Dub. 2. *An & quomodo cognoſcat Deus creaturas in ſe ipſo?* num. 29.

Dub. 3. *An vt eas in ſe ipſo videat, requiratur connexio Dei cum creaturis poſſibilibus?* num. 30.

Dub. 4. *An Deus ſic connectatur cum creaturarum poſſibilitate, & an etiam qualibet creatura particularis cum qualibet vt poſſibili immediatè connectatur?* num. 31.

Dub. 5. *An datâ connexione creaturæ cognoſcantur in Deo ſic connexo?* num. 32.

Dub. 6. *In quo prædicato diuino cognoſcat Deus creaturas?* num. 32.

Dub. 7. *An Deus cognoſcat creaturas poſſibiles in ſe ipſis immediatè?* num. 33.

Dub. 8. *An ſcientia creaturarum in Deo, & Dei in creaturis ratione diſtinguatur?* n. 34.

Dub. 9. *An ex diuerſis ſtatibus creaturarum diſtinguendæ ſint ſcientiæ in Deo?* num. 36.

Dub. 10. *Quod ſit fundamentum ex parte obiecti neceſſarium, vt poſſint diſtingui cognitiones diuinæ per rationem?* num. 36.

Dub. 11. *An in Deo reſpectu creaturarum multiplicari poſsit ſcientia in ratione ſcientiæ?* num. 37.

ARTICV

ARTICVLVS VI.

Vtrum Deus cognoſcat alia à ſe propriâ cognitione? *pag.591.num.38.*

Dub.1. *An Deus cognoſcat creaturas non ſolum eminenter, ſed etiam formaliter?* num. 39.

Dub. 2. *An Deus in ſe ipſo poßit diſtinguere vnam creaturam ab aliâ;* num.40.

Dub. 3. *An cognitio diuina poſsit eſſe propria, & quidditatiua creaturarum in eſſentia: & cur potius creaturæ quidditatiue cognoſcantur in Deo, quam è contra?* num.43.

Dub. 4. *An Deus habeat propriam cognitionem immediate terminatam ad creaturas in ſe ipſis:* num.44.

ARTICVLVS VII.

Vtrum ſcientia Dei ſit diſcurſiua? *pag. 592. num.45.*

Dub. 1. *An virtualiter intrinſecè & ex natura rei detur in Deo diſcurſus?* num. 46.

Dub. 2. *An in Deo aliquo pacto ratione noſtra, ſeu ex modo noſtro concipiendi admitti poßit diſcurſus?* num.19.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum ſcientia Dei ſit cauſa rerum? *pag. 593. num. 50.*

Dub. 1. *De ſcientia ſimplicis intelligentiæ an cauſa rerum?* num.51.

Dub. 2. *An ſcientia viſionis ſit cauſa rerum,* num.52.

Dub. 3. *An ſcientia Dei vt talis ſit immediatius principium rerum, quam voluntas,* num.65.

ARTICVLVS IX.

Vtrum Deus habeat ſcientiam non entium? *pag. 597. num. 72.*

Dub. 1. *An Deus cognoſcat,& quo modo creaturas poſſibiles?* num.73.

Dub. 2. *An & quatenus diſtinguantur ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & viſionis; & an admittenda ſit noua ſcientia media inter vtramque?* num.74.

Dub.3. *An admittenda ſit in Deo ſcientia conditionata rerum contingentium?* num.75.

Dub. 4. *An Deus habeat ſcientiam non entium?* num.75.

Dub. 5. *An Deus cognoſcat, vel etiam efficiat entia rationis ficta?* num.76.

ARTICVLVS X.

Vtrum Deus cognoſcat mala, *pag. 597. num.77.*

Dub. 1. *An Deus cognoſcat priuationes immediatè, & directè in ſe ipſis, vel ſolum indirectè?* num.78.

Dub. 2. *An & quomodo cognoſcat Deus mala culpæ?* num.79.

Dub. 3. *An idem virtualiter actus, qui eſt ſcientia de peccato, ſit amor?* num.81.

ARTICVLVS XI.

Vtrum Deus cognoſcat ſingularia? *pag. 598. num. 82.*

Dub. 1. *An cognoſcat ſingularia ſolo numen diſtincta in ſe ipſo?* num.83.

Dub. 2. *An cognoſcat vniuerſalia?* num.84.

Dub. 3. *An omnia cognoſcat Deus in ſingulari, & in eſſe determinato? vel ſit capax cognitionis diſiunctiua,* num.85.

ARTICVLVS XII.

Vtrum Deus poſſit cognoſcere infinita? *pag.599. num.89.*

Dub. 1. *An Deus cognoſcat infinita?* n.90.

Dub. 2. *An in ſcientia Dei ſint actu ſimul omnes creaturæ poſſibiles?* num.94.

ARTICVLVS XIII.

Vtrum ſcientia Dei ſit futurorum contingentium? *pag.601.num.99.*

Dub. 1. *An hæc veritas poßit ratione naturali demonſtrari?* num.100.

Dub.2. *An futura contingentia,vt cognoſcantur à Deo, debeant eſſe præſentia in æternitate?* num.101.

Dub.3. *An creaturæ habeant realem præſentiam & entitatiuam in æternitate?* num.102.

Dub. 4. *An & quomodo ſtet noſtra libertas cum diuina præſcientia futurorum?* num. 103.

Dub. 5. *An ſit ſub noſtra poteſtate facere, ne Deus præſciuerit ab æterno nos operaturos?* num.108.

Dub. 6. *An Deus futura contingentia abſoluta cognoſcat in aliquo decreto efficaci omnino antecedenti, prædeterminatione phyſicâ, vel aliqua alia re eſſentialiter connexa cum operatione libera?* num.105.

Dub. 7. *An poßit dari aliquod medium poſitiuum ab æterno exiſtens, in quo Deus certo cognoſcat futura contingentia abſoluta?* num. 106.

Dub. 8. *An Deus cognoſcere poßit certo futura contingentia in cauſis ſecundis indifferentibus?* num. 107.

Dub.9. *An Deus cognoſcere poßit futura contingentia abſolutas in ſeipſo?* num. 108.

Dub.10. *An futura contingentia cognoſci poſſint in aliquo complexo ex ſcientia diuina, & decreto?* num.109.

Dub. 11. *An Deus cognoſcat ſua decreta & volitiones liberas vt futuras?* num. 110.

Dub. 12. *An ſcientia viſionis ſit prior prioritate aquo decretis liberis, vt ratione huius prioritatis poßit ſaltem illa reſpicere vt futura?* num. 118.

Appendix dubitationum in art. 13. D. Thomæ de ſcientiâ futurorum contingentium conditionatorum. *pag.* 603 *n.* 121.

Dub. 13. *Quam certò ponenda ſit in Deo hæc ſcientia?* num. 123.

Dub. 14. *An ſcientia hæc vocanda ſit media?* num. 124.

Dub. 15. *Quibus rationibus probetur in Deo hæc ſcientia conditionata, & an admittenda ſit ſub conditione diſparata, impoßibili, neceſſaria, vel etiam contingenti, ſed quæ actu & abſolute exiſtat?* num. 127.

Dub. 16. *An Deus habeat hanc ſcientiam ante omne decretum liberum ſuæ voluntatis?* num. 130.

Dub. 17. *An Deus poßit cognoſcere futura hæc conditionata in ſe ipſis?* n. 139.

Dub. 18. *An Deus poßit cognoſcere futura conditionata in aliquo medio poſitiuo diſtinctio ab ipſis?* num. 142.

Dub. 19. *An Deus poßit habere ſcientiam infallibilem de vno futuro contingenti conditionato in alio futuro omnino ſimili ſed numero diſtincto?* num. 143.

Dub. 20. *An Deus cognoſcat hæc futura in cauſa?* num. 144.

Dub. 21. *An licet non in cauſa creata, in aliquo tamet, creato medio diſtinctio ab ipſis futuris, poßit Deus certo iſta cognoſcere?* num. 150.

Dub. 22. *An Deus cognoſcat hæc futura in ſe ipſo?* num. 157.

Dub. 23. *An Deus cognoſcat per ſcientiam mediam ſua decreta vt conditionate futura?* num. 156.

Dub. 24. *An ſcientia medio ſit in Deo formaliter libera?* num. 157.

Dub. 25. *An ſcientia medio præcedat omnem volitionem liberam?* num. 139.

Dub. 26. *An ſit neceſſario requiſita præcedentia & directio ſcientiæ mediæ ad volitionem collatiuam auxiliorum?* num. 163.

Dub. 27. *An Deus habeat ſcientiam quamdam reflexam qua præſciat, quid ipſe facturus ſit, habuerit ſcientiam mediam directam.* num. 164.

ARTICVLVS XIV.

Vtrum Deus cognoſcat enunciabilia? *pag.* 611. *num.* 165.

Dub. 1. *An Deus ſit incapax compoſitionis, & diuiſionis in intelligendo?* num. 166.

Dub. 2. *An in Deo detur apprehenſis implex?* num. 170.

ARTICVLVS XV.

Vtrum ſcientia Dei ſit variabilis? *pag.* 613. *num.* 173.

Dub. 1. *An ſcientia Dei varietur ſecundum denominationes præſentis, præteriti & futuri?* num. 174.

Dub. 2. *An ſcientia Dei ſaltem denominatiue poſsit in tempore variari, ſeu incipero quoad aliquem modum tendendi?* num. 175.

ARTICVLVS XVI.

Vtrum Deus habeat de rebus ſcientiam ſpeculatiuam? *pag.* 613. *num.* 176.

Dub. 1. *An ſcientia Dei poſsit dici practica prout reſpicit ipſam diuinam eſſentiam.* num. 177.

Dub. 2. *An ſcientia Dei ſit practica prous reflexe tendit in ſuos actus?* n. 178.

Dub. 3. *An ſcientia Dei ſit practica reſpectu productionis verbi, ſeu Spiritus ſancti?* num. 179.

Dub. 4. *An ſcientia viſionis ſit practica reſpectu ſui obiecti?* num. 180.

Dub. 5. *An ſcientia conditionata ſit practica & directiua reſpectu ſui obiecti?* num. 181.

Dub. 6. *An Deus circa impoſsibilia, & circa peccatum poſsit habere ſcientiam practicam.* num. 182.

QVÆSTIO XV.

De Idæis? *pag.* 615.

ARTICVLVS I.

Vtrum Idææ ſint? *num.* 1.

Dub. 1. *An ratio Ideæ conueniat obiecto cognito, an ipſi cognitione formali?* num. 2.

Dub. 2. *An ipſæmet creaturæ prout cognitæ à Deo habeant rationem Ideæ, an ipſa eſſentia diuina ſit creaturarum Idea?* num. 6.

ARTICVLVS II.

Vtrum ſint plures Idææ *pag.* 616. *num.* 10.

Dub. 1. *An ideæ diuinæ ſint plures ſumptæ obiectiuè, vel ſolum formaliter?* num. 11.

Dub. 2. *An Ideæ diuinæ vt ſunt intra Deum diſtinguantur interſe pluſquam ratione noſtra?* num. 14.

Dub. 3. *An in Deo admittendæ ſint plures ideæ circa idem obiectum realiter idem:* num. 15.

ARTICVLVS III.

Vtrum omnium, quæ cognoſcit Deus, ſint Idææ? *pag. 616. num. 16.*

Dub. 1. *An ſit in Deo Idæa peccati, & aliorum conceptuum ab ipſo diſtinctorum, quo tamen non facit?* num. 17.

Dub. 2. *An Deus habeat Idæam ſui ipſius?* num. 18.

Dub. 3. *An habeat Deus Idæas rerum vniuerſalium, an tantum ſingularium?* num. 19.

QVÆSTIO XVI.

De Veritate? *pag.* 617.

ARTICVLVS I.

Vtrum veritas ſit tantum in intellectu? *pag. 617. num.* 1.

Dub. 1. *An veritas cognitionis ſit huic eſſentialis, & adæquatè intrinſeca?* num. 2.

Dub. 2. *An eadem cognitio poſsit mutari de verâ in falſam?* num. 3.

Dub. 3. *An veritas ſit tantum ſubiectiuè in intellectu, vel tantum obiectiuè?* num. 6.

Dub. 4. *In quo conſiſtat veritas formalis?* num. 7.

Dub. 5. *An detur aliqua veritas in ipſis rebus?* num. 9.

ARTICVLVS II.

Vtrum veritas ſit in intellectu componente, & diuidente? *pag. 619. numero* 10.

Dub. 1. *An ſolum ſit veritas in actu iudicij?* num. 11.

Dub. 2. *An ſit ſpecialis ratio vt in apprehenſione admittatur veritas, quam falſitàs?* num. 14.

ARTICVLVS III.

Vtrum verum & ens conuertantur? *pag. 620. num.* 17.

Dub. 1. *Quæ veritas ſit conuertibilis eum ente vt entis paſſio?* num. 18.

ARTICVLVS IV.

Vtrum bonum ſecundum rationem ſit prius quam rerum? *pag. 620. numero* 21.

Dub. 1. *Quid ſentiendum ſit in hac difficultate?* num. 22.

ARTICVLVS V.

Vtrum Deus ſit veritas? *pag. 621. n.* 25.

Dub. 1. *Quibus modis conueniat Deo eſſe veritatem?* num. 26.

ARTICVLVS VI.

Vtrum ſit vna ſola veritas ſecundum quam omnia ſunt vera? *pag. 621. numero* 27.

Dub. 1. *An omnia dicantur vera veritate diuinâ?* num. 28.

Dub. 2. *An veritas intellectus ſit ſolum in Deo?* num. 29.

ARTICVLVS VII.

Vtrum veritas creata ſit æterna? *pag. 621. num.* 30.

Dub. 1. *An in aliquo ſenſu veritas creata poſſit dici æterna?* num. 31.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum veritas ſit immutabilis? *pag. 622. numero* 34.

Dub. 1. *An veritas cognitionis creatæ ſit ita immutabilis, vt cognitio ſemel vera nequeat tranſire in falſam?* num. 35.

Dub. 2. *An è contra veritas diuina poſſit aliqua ratione mutari?* num. 35.

QVÆSTIO XVII.

De Falſitate? *pag.* 622.

ARTICVLVS I.

Vtrum Falſitas ſit in rebus? *pag. 622. numero* 1.

Dub. 1. *An falſitas ſit in rebus obiectiuè acceptis, & à parte rei?* num. 2.

Dub. 2. *An independenter ab intellectu ſint dicendæ falſæ carentiæ, ſeu priuationes & negationes, maximè vero impoſsibilitate?* num. 5.

ARTICVLVS II.

Vtrum in ſenſu ſit falſita, *pag. 623. num.* 6.

Dub. 1. *An in ſenſu externo ſpeciali aliqua ratione detur repugnantia ad falcitatem præ apprehenſione intellectuali?* num. 7.

Dub. 2. *An in ſenſu interno detur falſitas?* num. 10.

ARTICVLVS III.

Vtrum falſitas ſit in intellectu, *pag.* 224. num. 11.

Dub. 1. *An ſpecialius repugnet ſimplici apprehenſioni falſitas, quam veritas?* num. 12.
Dub. 2. *An falſitas ſit in intellectu componente & diuidente?* num. 13.

ARTICVLVS IV.

Vtrum verum & falſum ſint contraria? *pag.* 624. *num.* 15.

Dub. 1. *An verum & falſum opponantur contrarie?* num. 16.
Dub. 2. *An eadem cognitio iudicatiua poſſit eſſe vera & falſa reſpectu diuerſorum ſimul & in eodem inſtanti?* num. 19.

QVÆSTIO XVIII.

De vita Dei. *pag.* 625.

ARTICVLVS I.

Vtrum omnium rerum ſit viuere? *pag.* 625. *num.* 1.

Dub. 1. *In quo diſtinguantur viuentia à non viuentibus?* num. 2.
Dub. 2. *An plantæ viuant?* num. 6.
Dub. 3. *An plantæ in ratione vitæ conueniant cognoſcentibus?* num. 9.

ARTICVLVS II.

Vtrum vita ſit quædam operatio? *pag.* 627. *num.* 12.

Dub. 1. *An vita intentionalis ſit operatio?* num. 13.
Dub. 2. *An vita actualis poſſit identificari in creatis cum ſubſtantiali?* num. 15.

ARTICVLVS III.

Vtrum Deo conueniat vita? *pag.* 628. *numero* 17.

Dub. 1. *An vita Dei ſit operatio phyſica ratione noſtra?* num. 18.
Dub. 2. *An Deus viuat actualiter per omnia prædicata, quæ habet?* num. 19.
Dub. 3. *An productiones filij diuini & Spiritus ſancti ſint vitales?* num. 20.

ARTICVLVS IV.

Vtrum omnia ſint vita in Deo? *pag.* 628. *numero* 17.

Dub. 1. *An omnia prædicata diuina ſint vita in Deo?* num. 24.
Dub. 2. *An omnes creaturæ in Deo vita ſint?* num. 25.

QVÆSTIO XIX.

De voluntate Dei? *pag.* 629.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Deo ſit voluntas? *pag.* 629. *numero* 1.

Dub. 1. *Quibus rationibus probetur exiſtentia voluntatis Dei?* num. 2.
Dub. 2. *An voluntas Dei poſſit fide Theologica primo credi?* num 3.
Dub. 3. *An poſſibilis ſit ſubſtantia intellectiua, non volitiua?* num. 4.
Dub. 4. *An poſſibilis ſit cognitio, quæ non repræſentet rationem boni?* num. 5.
Dub. 5. *An detur in Deo voluntas in actu primo, ſeu actus primus volendi?* num. 6.
Dub. 6. *An in Deo reperiatur habitus volitiuus?* num. 7.
Dub. 7. *An voluntas Dei ab intellectu eius, vel ſaltem volitio ipſa ab intellectione diſtinguatur, & qualis ſit hæc diſtinctio?* num. 9.
Dub. 8. *An & quomodo voluntas Dei ab eius eſſentia diſtinguatur?* num. 10.
Dub. 9. *An in Deo reperiatur appetitus innatus ſiue ad bona externa, ſiue ad interna?* num. 11.
Dub. 10. *An in Deo detur principium virtuale ſuarum volitionum?* num. 12.
Dub. 11. *Quod ſit motiuum volitionis de ſeipſo?* num. 12.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus velit alia à ſe? *pag.* 630. *numero* 13.

Dub. 1. *An Deus amet creaturas poſſibiles?* num. 14.
Dub. 2. *An Deus poſſit amare peccatum vt poſſibile?* num. 16.
Dub. 3. *An amor Dei circa creaturas poſſibiles ſit liber?* num. 17.

Dub. 4. *An poſſit Deus diſplicere in creaturis poſſibilibus bonis?* num. 18.
Dub. 5. *An Deus poſſit amare impoſſibilia, ſeu in illis complacere?* num. 21.
Dub. 6. *Quod ſit obiectum formale diuini amoris?* num. 22.
Dub. 7. *An aliquid creatum poſſit eſſe obiectum motiuum diuinæ voluntatis?* num. 23.
Dub. 8. *An, & qualiter amet Deus vnam creaturam propter aliam?* num. 25.
Dub. 9. *An Deus creaturas rationales amet amore amicitiæ, ſeu ex motiuo virtutis moralis amicitiæ?* num. 26.
Dub. 10. *An omnis actus diuinus circa creaturas ſit æqualis bonitatis moralis?* num. 27.

ARTICVLVS III.

Vtrum quidquid Deus vult, ex neceſſitate velit? *pag.* 632. *num.* 28.

Dub. 1. *An voluntas Dei ſit libera in ratione voluntatis, ſeu in volendo formaliter?* num. 29.
Dub. 2. *Quanta ſit connexio volitiui cum libero?* num. 30.
Dub. 3. *An poſsibilis ſit ſubſtantia libera in agendo, quæ volitiua ſit?* num. 31.
Dub. 4. *An Dei libertas ſit contradictionis, vel etiam contrarietatis?* num. 32.
Dub. 5. *An Deus poſsit exercere aliquem actum amoris liberi erga ſe:* num. 34.
Dub. 6. *An diligendo ſimul creaturas poſsit ſe Deus amare per amorem liberum?* num. 35.
Dub. 7. *An, & quomodo conſtituantur actus liberi diuini:* num. 37.
Dub. 8. *Vtrum libera volitio poſsit dari, Deuſque poſſit liberè velle, quamuis nullam realem diuerſitatem cauſet ad extra?* num. 38.
Dub. 9. *An actus liber, ſi vt talis ponatur Deo adæquate intrinſecus, dicat perfectionem?* num. 39.
Dub. 10. *An poſſit defendi actus liber Deo intrinſecus cum indefectibilitate?* num. 40.
Dub. 11. *An velle Dei liberum ex aliquo extrinſece conſtituatur?* num. 41.
Dub. 12. *An & quomodo volitio Dei libera ſit propriori ad cauſalitatem rerum?* num. 43.
Dub. 13. *An & quo pacto inter actus liberos diuinos detur ordo intentionis, & electionis?* num. 44.
Dub. 14. *An libertas Dei ſit per modum Principij maximè reſpectu volitionum liberarum quæ vndequaque identificantur cum Deo?* num. 45.

ARTICVLVS IV.

Vtrum voluntas Dei ſit cauſa rerum? *pag.* 635. *num.* 45.

Dub. 1. *An voluntas Dei diſtinguatur à potentiâ exequente?* num. 46.
Dub. 2. *An voluntas Dei ſit cauſa rerum propinquior, quam ipſius intellectus?*

ARTICVLVS V.

Vtrum voluntatis diuinæ ſit aſſignare aliquam cauſam? *pag.* 635. *num.* 48.

Dub. 1. *An reſpectu diuinæ volitionis admittenda ſit cauſa finalis proprietalis?* num. 49.
Dub. 2. *An obiectum formale diuinæ voluntatis ſit ſola eſſentia diuina?* num. 50.
Dub. 3. *An aliquid creatum poſſit eſſe obiectum formale diuinæ voluntatis?* num. 51.
Dub. 4. *An ſaltem poſſit eſſe ratio amandi vnam bonitatem creatam, bonitas creata alterius creaturæ?* num. 52.
Dub. 5. *An Deus ſeipſum amet propter creaturas?* num. 56.
Dub. 6. *An voluntatis ipſius diuinæ poſſit dari cauſa moralis ex parte noſtra?* num. 57.
Dub. 7. *An præviſio bonitatis ſe habeat per modum cauſæ virtualis reſpectu voluntatis diuinæ:* num. 5.
Dub. 8. *An, & quis ſit ordo in actibus diuinis, maximè quoad actus liberos, ſi hi vt tales conſtituantur per complementum extrinſecum:* num. 62.

ARTICVLVS VI.

Vtrum voluntas Dei ſemper impleatur? *pag.* 637. *num.* 61.

Dub. 1. *An voluntas Dei abſoluta & ſimpliciter ſemper impleatur?* num. 62.
Dub. 2. *An poſsit eſſe aliqua Dei voluntas, efficax abſoluta, quæ poſsit non impleri:* num. 64.
Dub. 3. *An aliqua voluntas efficax Dei poſſit eſſe in finem non omnino abſolutè, ſed obtinendum per hoc medium obterminatè, quæ non impleatur.* num. 65.

Dub. 4.

Dub. 4. *An poſſit dari aliqua voluntas Dei quæcumque tandem ſit inefficax, quæ non impleatur*, num. 65.

Dub. 5. *An ſit in Deo vera voluntas beneplaciti ſaluandi omnes & ſingulos homines?* num. 73.

Dub. 6. *An hæc voluntas ſaluandi omnes homines ſit conditionata?* num. 81.

Dub. 7. *An voluntas hæc ſit libera?* num. 85.

Dub. 8. *An in Deo admittenda ſit voluntas antecedens & conſequens, & quo vtraque differat?* num. 88.

Dub. 9. *An in Deo admittenda ſit voluntas purè conditionata?* num. 89.

ARTICVLVS VII.

Vtrum voluntas Dei ſit mutabilis. *pag.* 645. *num.* 89.

Dub. 1. *An voluntas Dei, ſi inciperet in tempore, argueret mutationem phyſicam in Deo? num.* 90.

Dub. 2. *An volitio libera diuina, ſi vt libera ſit Deo adæquate intrinſeca, poſſit incipere in tempore ſine detrimento æternitatis?* num. 91.

Dub. 3. *An volitio aliqua libera vt in concreto ſumpta poſſit incipere in tempore, vel deſinere?* num. 92.

Dub. 4. *An immutabilitas ſcientiæ Dei arguat voluntatem Dei non poſſe mutari?* num. 93.

Dub. 5. *An poſſit Deus ceſſare à volitione ex ſuppoſitione quod fuerit?* num. 94.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum voluntas Dei neceſſitatem rebus volitis imponat? *pag.* 645. *num.* 95.

Dub. 1. *An poſſit Deus habere voluntatem abſolutam, & efficacem de actibus noſtris liberis, ſalua horum libertate?* num. 96.

Dub. 2. *An quantalibet ſit efficacia diuinæ voluntatis, ſi tamen per poſſibile, vel impoſſibile cauſæ creatæ forent contingentes adhuc effectus, ſeu actus noſtri liberi manerent?* num. 67.

Dub. 3. *An ſi voluntas Dei eſſet neceſſaria, cauſæ ſecundæ poſſent contingenter operari?* num. 101.

ARTICVLVS IX.

Vtrum voluntas Dei ſit malorum? *pag.* 648. *num.* 104.

Dub. 1. *An Deus poſsit velle malum culpæ vt poſſibile?* num. 105.

Dub. 2. *An Deus poſsit velle peccatum ſecundum materiale?* num. 106.

Dub. 3. *Qualis ſit voluntas Dei præparans omni potentiam ad actum peccati?* num. 107.

Dub. 4. *An velit mala pœnæ?* num. 103.

Dub. 5. *An poſſit Deus titulo ſupremi dominij velle quodcumque malum pœnæ creaturæ rationali?* num. 109.

Dub. 6. *An Deus habeat ſimplicem complacentiam in malis negationum & carentiarum?* num. 110.

Dub. 7. *An poſſit Deus velle efficaciter finem, qui non poteſt conſequi ſine peccato?* num. 111.

ARTICVLVS X.

Vtrum Deus habeat liberum arbitrium? *pag.* 649. num. 112.

Dub. 1. *An in Deo ſit propriè liberum arbitrium?* num. 113.

Dub. 2. *An liberum arbitrium per modum actus primi phyſici competat Deo?* num. 114.

Dub. 3. *An Deus circa ſe ſolum poſſit exercere actum liberum, habeatque Deus erga ſe liberum arbitrium?* num 115.

ARTICVLVS XI.

Vtrum ſit diſtinguenda in Deo voluntas ſigni? *pag.* 649. *num.* 117.

Dub. 1. *An voluntas* ſigni *vel etiam beneplaciti ſit in Deo circa omnium in particulari etiam reproborum ſalutem?* num. 118.

Dub. 2. *An voluntas* ſigni *ſemper impleatur?* num. 119.

Dub. 3. *An voluntas* ſigni *ſemper afferat ſecum adiunctam voluntatem beneplaciti?* num. 121.

ARTICVLVS XII.

Vtrum Conuenienter circa diuinam voluntatem ponantur quinque ſigna? *pag.* 650. *num.* 123.

Dub. 1. *An operatio ſit voluntas purè ſigni, an etiam beneplaciti?* num. 124.

Dub. 2. *An poſsint poni plura, vel pauciora ſigna voluntatis diuinæ?* num. 125.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XX.

De Amore Dei, *pag.* 650.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Deo ſit amor ? *pag.* 650. *num.*1.

Dub. 1. *An in Deo ſit amor ſtrictus proprietatis, vel ſolum purum gaudium circa ſe ipſum?* num.2.
Dub. 2. *An ſolus Deus poßit ſe comprehenſiuè diligere?* num.3.
Dub. 3. *An amor Dei erga ſe conditionaliter procedat?* num.4.
Dub. 4. *An amor Dei erga ſe poßit eſſe liber?* num.5.
Dub. 5. *An amor inter diuinas Perſonas ſit amicitiæ, vel concupiſcentiæ?* num. 6.
Dub. 6. *An amor Dei circa creaturas rationales ſit vera amicitiæ erga ipſas?* num.8.
Dub. 2. *An amor Dei poßit eſſe conditionatus, diſiunctiuus & inefficax?* num.9.
Dub. 8. *An detur in Deo deſiderium & circa quæ?* num. 10.
Dub. 9. *An detur in Deo ſpes?* num.13.
Dub. 10. *An detur in Deo circa peccatores odium inimicitiæ?* num.15.
Dub. 11. *An ſit triſtitia in Deo?* n.18.
Dub. 12. *An ſit ira in Deo?* num.19.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus omnia amet? *pag.*654.*num.* 20.

Dub. 1. *An & quo modo amet peccatores?* num.21.
Dub. 2. *An amet peccatum ſub ratione entis?* num.22.
Dub. 3. *An amor Dei circa creaturas rationales ſit amicitiæ?* num.23.
Dub. 4. *An habeat odio omnia, quæ non ſunt?* num.24.
Dub. 5. *Quomodo amet Deus creaturas bonas exiſtentes;* num.25.

ARTICVLVS III.

Vtrum Deus æqualiter diligat omnia *pag.*654.*num.*25.

Dub. 1. *An Deus amet æqualiter omnia poßibilia?* num.26.
Dub. 2. *An Deus poßit magis vel minus amare idem omnino bonum, & obiectum immutatum?* num.27.
Dub. 3. *An poßit dari inæqualitas purè ex parte actus diuini liberi, vt tendat intenſius in obiectum?* num. 28.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Deus ſemper magis diligat meliora? *pag.* 655. *num.* 30.

Dub. 1. *An Deus poßit minus diligere quæ meliora?* num. 31.
Dub. 2. *An Deus neceßitatus ſit ad eligendum optimum?* num. 35.

QVÆSTIO XI.

De Iuſtitiâ & Miſericordia Dei? *pag.* 656.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Deo ſit iuſtitia? *pag.* 655.

Dub. 1. *An in Deo dentur ſtrictè aliquæ virtutes morales?* num. 2.
Dub. 2. *An ex virtutum moralium actibus Deus ſit laudabilis in genere entis?* num. 3.
Dub. 3. *An omnes virtutes morales poßint conuenire Deo ſine vlla imperfectione?* num. 4.
Dub. 4. *An Deo conueniat Prudentia?* num.7.
Dub. 5. *An ſit Iuſtitia in Deo?* num. 8.
Dub. 6. *An ſit in Deo Fortitudo & Temperantia?* num. 9.
Dub. 7. *An virtutes, quæ includunt ſummißionem, vel ſuperioritatem Deo conueniant?* num.10.
Dub. 8. *An ſaltem ſit gratitudo Dei ad creaturas?* num. 11.
Dub. 9. *An ſit in Deo liberalitas?* num 14,

ARTICVLVS II.

Vtrum Iuſtitia Dei ſit veritas? *pag.*659. num. 15.

Dub. 2. *An & quæ ſit veritas, qui exercet Deus titulo Iuſtitiæ?* num.18.

ARTICVLVS

ARTICVLVS III.

Vtrum Miſericordia competat Deo : *pag. 659. num. 19.*

Dub. 1. *An Miſericordia ſit proprie in Deo?* num. 20.

Dub. 2. *An in Deo ſit benignitas propriè?* num. 21.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in omnibus operibus Dei ſit Miſericordia & Iuſtitia? *pag. 659. num. 22.*

Dub. 1. *An vocatio Impij, & prima rerum, hominiſque prædeſtinati, vel etiam Aſſumptio Humanitatis ſit opus ſolius miſericordiæ?* n. 23

Dub. 2. *An Deus de potentia abſoluta potuerit puni re quantum merentur peccata, abſque vllo temperamento miſericordiæ?* n. 24.

FINIS.

R. P. ANTONII BERNARDI

DE QVIROS

È SOCIET. IESV,

Selectæ Diſputat. Theolog.

DE DEO,

IN PRIMAM PARTEM S. THOMÆ.

TRACTATVS PRIMVS.

Procemialis Theologiæ.

IN QVO DIFFICVLTATES CELEBRIORES agitari ſolitæ in Scholis accuratè, & dilucidè nouâ luce examinantur.

QVæ non diſſerit, atque digerit ſacra Theologia? quæ myſteria ſedulò non perquirit ſupra cœlos ipſos, & ſupra quidquid pluit, ac ningit euecta? quæ abdita ſacramenta luce affuſiſſima non tergit? Quare vel propter hanc eius excelſam amplitudinem, radioſam lucem, & præſtantiſſimum munus, oportet vt prius ipſa noſcatur, quàm radios ſuos explicet. Lucem ipſam Theologiæ in tot tantaque obiecta directam, maximè congruit reflexâ quâdam luce, ſiue Theologiâ aliâ reflexâ contemplari, ne quæ tot illuſtrat, atque recondita patefacit monimenta, non ſine dedecore tenebris contegatur, & in occulto deliteſcat. Eleganter Caſſiodorus de Anima initio; *Deſideramus comprehendere altitudinem ætheris, menſuram telluris, nubigeras pluuias, grandinis procellas, tremorem ſtabilium terrarum, naturam*

vagantium ventorum, profunditatem inconſtantis maris, poteſtates virentium herbarum, quatuor elementorum per omne corpus diſſociatas complexiones, & ferendum eſt ipſam ſe ignorare, cui ſuperni datum eſt tanta diſcutere? Nec ergo ferendum eſt, ipſam non conſpici Theologiam, quæ Deum ipſum, qua vnus, qua trinus eſt, & qua vniuerſi molitor, nobis conſpiciendum proponit. Itaque hinc edoctus ante ipſas controuerſias, quæ Theologiâ Iudice dirimuntur, ipſa ſibi præludat Theologia, ipſaque præmittatur ſibi; ipſam quippe lucem magni planetæ ſuſcipimus, quæ deinceps iubare ſuo cætera videnda demonſtrat. Quapropter auſpicium ſumo (vtinam bonis auibus) ab ipsâ Theologiâ, ne illotis vt aiunt pedibus, luctas in theologicâ palæſtrâ exercitas aggrediar. Non inutili perueſtigatione Theologiæ indolem, naturam, eſſentiam in limine exploro, vt & huc ingreſſos ſuo attrahat illicio, ſummam eius neceſſitatem cum ſummâ vtilitate coniunctam probo, & præſertim quatenus ſupernaturalis maximopere conducit ad ſacroſanctæ fidei veritates. Quæ omnia ſuis aptè locis compoſui præuiâ ad reliquas quæſtiones velitatione. Sanè huius noſtri inſtituti conatus irritos non eſſe ſatis mihi perſuadet tum præfatus diſcurſus, tum aliorum Authorum exemplum, qui diſſertationes quaſdam procemiales præmittunt, quibus ipſam ſcientiam, quam explicandam aggrediuntur, exactè in examen vocant, & reciprocato lumine illuſtrant; & vt alios taceam, quos referre ſuperuacat, ipſe Angelicus Præceptor nobis facem prætulit in præſenti, ſiquidem ipſo in limine primæ partis quæſtionem primam procemialem velut in fronte totius Operis theologici conſtruxit, in qua ipſius habitus theologici, & naturam & neceſſitatem exponit, nodos diſſoluit, & difficultates extricat. Ex omnibus quæ impræſentiarum noſtro tractatui inſeri commodè poſſent, eas duntaxat ſeligo, quæ magis in ſcholaſticorum gymnaſijs controuerſæ maius ſibi nomen fecere, & præ difficultate famam compararunt, proindeque calamo ſubtiliùs temperato examinari debent; cæteras vero operi noſtro philoſophico reſeruo, quas tamen ne quid ad complementum præſentis operis deſideretur, in fine huius tomi breuiter, accuratè, & ſingillatim per ſumma velut capita enucleabo, videlicet in indice, quem ex quæſtionibus, & articulis S. Thomæ ſeriatim diſpoſui, quem vbique & in hoc tractatu procemiali vt à limine Ducem acceſſo.

DISPV

DISPVTATIO I.

Quid ſignificet Theologiæ nomen?

SECTIO I. *Statuitur ſignificatus proprius Theologici habitus.*

SECTIO II. *Aliqua obiectiones proponuntur, & ſoluuntur.*

NISI quid nominis præmittatur nequit aliquid firmum de re vlla ſciri, ideo quamuis diſputatio eſt non magni ponderis eſſe videatur ſummæ tamen vtilitatis eſt ad alias omnes, quæ in tractatu hoc ſubiiciam, quapropter iure ab illa totius operis huius exordium deſumendum fuit.

SECTIO PRIMA.

Statuitur ſignatus proprius Theologici habitus.

1 *Varij Theologiæ ſignificatus.* HOc neceſſariò præmittendum eſt ne, in æquiuoco labor noſter ſit, & ſcopus certus huic operi præfigatur *Theologiæ* nomen ſæpius ſcientiis naturalibus præcipuè Metaphyſicæ, qua de Deo agit, adaptatur; ita Ariſtot. 6. Metaph. cap. 1. paulo ante finem concludit diuidens ſcientias ſpeculatiuas: *Quare tres vtique erunt ſpeculatiuæ Philoſophia, Mathematica, Phyſica, Theologia.* Poteſt item non incongrue habitus fidei *Theologia* appellari, cùm maxime circa Deum verſetur; vnde qui nobis res fide diuina credendas tradiderunt *Theologi* nominantur, vt Iſaias à D. Dionyſio cap. 13. de cœleſti hierarchia, & ab vniuerſa Eccleſia S. Ioannes Euangeliſta, ſed harum neutrâ acceptione in præſenti Theologiæ vocem vſurpamus, cùm neque extra notitiam de rebus fidei ſit, neque ſolis illis, earumque principiis vtatur; quot namque fideles ſunt noſtræ Theologiæ ignari?

2 *Qui propriiſſimus.* Significat ergo Theologia prout ad præſens attinet *concluſionem deductam mediatè vel immediatè ex vna præmiſſa naturali, & alia fidei, vel in huius explicationem deductam.* Præmiſsâ non *formali*, ſed *obiectiua*; neque enim neceſſarium eſt, vt quoties Theologicus exiſtit diſcurſus. vel diſputatio originem ducat ex aliquo aſſenſu fidei ſupernaturalis; ſed ideo ſolum niti dicitur fidei principio, quia præſupponit aſſenſum veritatis, quæ ſit per ſupernaturalem fidem credibilis, ſiue hæc actu exerceatur, ſiue per alios habitus fidei vel opinionis humanæ.

3 *Quo pacto vtatur aliquando ſolis principijs naturalibus* Dixi *mediatè* vel *immediatè*, quia ſæpe facultas Theologica ex puris naturalibus diſcurrit, vt quando locutionem angelicam debere eſſe per ſigna ad placitum demonſtrat ex eo quod ſecreta ſit; ſecretum autem locutionis, ex proprietate qua admittenda eſt inter Angelos locutio, inducit, probato mutuo Angelorum colloquio ex variis Scripturæ ſacræ teſtimoniis. Nomine autem concluſionis vt theologiam habitualem intelligas, ſubintelligi habitum in talem concluſionem inclinantem.

Addidi Theologicam concluſionem, nec ſemper ſic *mediatæ* fidei præmiſſæ inniti; quandoq; enim ſolum diſcurrit in maiorem illius explicationem, vel naturali diſcurſu, & rationibus, fidem confirmando: vt quando omne intellectiuum debere eſſe volitiuum oſtendit, vt arguat Dei voluntatem ex intellectu: vel etiam inquirendo quæ ſit naturalis ratio: vt aliqua fidei veritas firma ſit; ſeu quo ſenſu iſta accipiatur, vt quando inquirit: Vtrum oculus corporeus diuinitus aſſurgere valeat ad videndum Deum, vel alius ſenſus poſſibilis ſaltem, ab his de facto exiſtentibus diſtinctus, quas quæſtiones, aut dicendum eſt, non ſine iniuria grauium Theologorum, extra rem hìc diſcuti; aut, quod verius puto, plures concluſiones ad Theologiam pertinere, quæ nec immediatè, nec mediatè ex aliqua præmiſſa fidei deducuntur. 4

Confirmatur hoc ex Auguſtino 14. de Trinitate cap. 1. *Huic ſcientiæ* (nempe Theologiæ) *tribuitur id, quo fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur:* At pluribus diſcurſibus, qui ſolum nituntur naturali ratione fides roboratur, & ad eam accipiendam infidelis diſponitur; quis enim negabit res fidei reddi magis credibiles, quo naturali lumini conformiores demonſtrantur? Sic S. Thom. variis argumentis probat ipſa principia fidei verbi gratia, Dei exiſtentiam, quin ex altero principio fidei has veritates deducat, Ergo &c. 5

Dices ſic Theologiam non diſtinguendam à ſcientiis naturalibus; ſi enim Dei vnitatem eodem medio probat, eiſdemque præmiſſis, queis Metaphyſica, vt quid potius diſcurſus ille, & concluſio dicetur Theologica, quam Metaphyſica? ſi tandem ſaltem mediate ex præmiſſa fidei deducatur concluſio, promptum erit aſſignare diſcrimen Theologiæ à Metaphyſica; cùm enim immediata concluſio, quæ ex vno principio fidei illata fuit, manifeſtè extra Metaphyſicam ponatur, alia mediata concluſio, quæ ex prima ortum habuit, eo ipſo erit à ſcientia pure naturali, ſeu Metaphyſica aliena; cæterum ſi eiſdem omnino principiis nitatur v. g. probetur à Theologo Dei exiſtentia ne detur proceſſus in infinitum cauſarum, cui naturali repugnantiæ nitatur vltimo, eademque motus metaphyſicus idem demonſtret, quid diuerſitatis erit intrinſecè? 6 *Eius diſtinctio à ſcientiis naturalibus.*

Fateor intrinſecè diſcurſus hos non diſtinguendos; ſed non ideo abs re ſic argumentabitur Theologus vt ait Cai. 1. part. quæſt. 1. art. 10. §. *ad hoc breuiter dicitur,* vbi cenſet Theologum vti his demonſtrationibus, non vt extraneis, ſed vt propriis, & ratio eſt, quia hæc omnia ordinat in probationem principij fidei, nam ad Theologiam ſpectat ſuaipſius principia quoad poterit probare (cùm enim nulli ſcientiæ niſi Beatorum ſubalternetur, vt ait D. Thom. hìc art. 2. quoad poſſunt eius principia demonſtrari in via, ipſa ſibi ea demonſtrat, neque emendicat ab alia facultate eorum probationem, in quo ſubalternatio conſiſtit) id autem ſufficere vt aliqua ſcientia non abs re vtatur aliqua argumentatione, aliàs per ſe intrinſecè principiis alterius ſcientiæ innitente, non poterunt negare, qui ſcientias eo ſolum diſtinguunt quo ad diuerſa attributionis obiecta referuntur extrinſecè ex mero placito inuentorum ſcientiæ. 7

SECTIO II.

Aliquæ obiectiones proponuntur, & ſoluuntur.

8 OBiicies 1. Theologia non datur in hæretico, eſtque intrinſecè ſupernaturalis,vt aliqui putant. Ergo nititur præmiſſa formali fidei, & non tantùm obiectiuæ; ſi enim non vteretur præmiſſa formali fidei, ſed tantùm obiectiua, nec ſupernaturalis eſſet, nec propria viri catholici, quandoquidem etiam hæreticus veritates obiectiuas fidei attingit, & ex illis diſcurrit; 2. nequit pertinere ad eandem ſcientiam primum principium, & ſecundum; quod per primum demonſtratur, hoc enim ſpectat ad ſcientiam ſubalternatam, illud ad ſubalternantem, quæ diuerſa eſt. Ergo nequit ſcientia Theologiæ, iam immediatè inniti fidei principio; iam mediatè innitendo concluſioni ex fide deductæ.

9 Tertiò præter philoſophicas diſciplinas noua ſcientia ſtatuitur *Theologia*, & ſic datur neceſſaria à S. Thom. hìc art. 1. Ergo *Theologia* non includit ipſas philoſophicas ſcientias; ridiculè enim diceretur vltra illas neceſſaria, ſi ex ipſis componatur. At ſi vteretur omni diſcurſu ad confirmandas veritates fidei vtili, & per medium adæquatum naturale, diſciplinas etiam naturales includeret; cum iſtæ vt ſic maximè ſint vtiles confirmandæ fidei. Quartò Theologia à Diui Thom. vbi ſuprà dicitur *diuinitus inſpirata*, & ſecundùm diuinam reuelationem. Ergo Theologicæ facultatis non eſt naturali diſcurſu ſuas concluſiones demonſtrare.

10 *Multipliciter Theologiæ ſtatus conſideratur.* Sed hæc omnia obiecta facilè componentur, ſi conſideretur multiplex Theologiæ ſtatus, quo aliquando ſtrictiùs, aliquando latiùs vſurpatur: nos autem nomine *Theologiæ* eam præmittimus, quàm per varias diſputationes, & materias Authores ſcholaſtici docent, etſi autem ſine dubio totam latitudinem ſuprà poſitam admittit, vt ſi curtiores ſtatuantur eius limites, captura non ſit, nec cognitura tamquam proprias plures tractationes, quas communiter Theologi Doctores cùm D. Thom. ordiuntur.

11 *Qualiter ſit propria viri Catholici.* Hinc primum ſoluitur: ſi dicas Theologiam ſecundùm ſtatum perfectum, quem habere poteſt, non dati niſi in viro catholico: certum namque eſt concluſionem eſſe Theologicam, eamque perfectiorem, quæ ex præmiſſa formali fidei deducitur; vt ſic autem in hæretico non datur, nec ſine actu ſupernaturali. Ad ſecundum reſpondeo, varias ſcientias, & habitus conſtitui poſſe, & in eos partiri nos integram Theologiam: quod enim dubium erit poſſe nos vnam ſcientiam ex ſolo tractatu de Angelis compaginare, vt fit de homine? Nihilominus ſumpta Theologia ſecundùm totam ſuam vniuerſalitatem quam omnis diſcurſus, qui à Theologis formatur in ſcholis comprehendit: vel remotiſſimarum concluſionum deductionem continet; ſic Mathematica conſiderata iuxta omnem ſuam vniuerſalitatem, non ſolùm ex primis principiis concluſiones illatas attingit; ſed etiam, quas ex his locum per modum principij continentibus deducit, vt ſic ſcientiam ſubalternatam comprehendat, non ſolum ſcilicet arithmeticam, ſed etiam muſicam, quæ huic ſubalternatur.

12 Ad tertium dico, quando ponitur *Theologia* vt noua ſcientia præter philoſophicas, accipitur ſecundùm ſignificationem ſtrictam, ſeu ſecundùm quod illis addit; quaſi dicantur eſſe neceſſariæ Theologicæ diſputationes etiam illæ, quæ vltra diſciplinas naturales, & naturalem diſcurſum inſtituuntur: Ita benè quis dicet vltra materiam primam neceſſaria eſſe huic vniuerſo completa corpora, quia quamuis iſta materiam includant; at ſumuntur iuxta id quod ipſi addunt, & nouum totum conſtituunt. *Neceſſaria præter naturales diſciplinas.*

Ad quartum *Theologia* diuinitus inſpiratur, tum quia eius præcipua principia, & veritates, quibus nititur ex ſolâ Dei reuelatione habent ortum, ipſaque Theologia, dum vtitur naturali diſcurſu, eum totum dirigit ad gignendum aſſenſum harum veritatum: tum etiam quia, cùm *Theologus* quis non ſit, niſi notitiam habeat articulorum fidei; ſiquidem hæc indiget inſpiratione, & reuelatione diuinâ, congruè dicetur ſimpliciter, vt quis Theologiam penetret eâ reuelatione indigere: ſic vitam æternam, & merita ſupernaturalia à Deo habemus eius indigentes auxilij; licèt natura etiam ad ea merita concurrat. 13 *Diuinitus inſpirata.*

DISPVTATIO II.

De neceſſitate Theologiæ.

SECTIO I. *Senſus quæſtionis.*

SECTIO II. *Theologia ſecundùm ſubſtantiam ſpectata integréque, & totaliter accepta, neceſſaria eſt ſimpliciter in Eccleſia ad ſalutem.*

SECTIO III. *Theologia ſaltem quoad aliquem actum, eſt ſimpliciter neceſſaria immediatè ſingulis hominibus ad ſalutem.*

SECTIO IV. *Qualiter Theologia ſit neceſſaria neceſſitate præcepti?*

SECTIO V. *De Theologiæ ſcholaſticæ vtilitate.*

CVm iam conſtet quid Theologiæ uoce hìc ſignificetur, conſequenter etiam habebitur aliqualis notitia quid rei ſub tali voce contineatur, implicat namque vocum perfectam cognitionem obtinere, quin de rebus per ipſas ſignificatis aliqualis ſaltem conceptus formetur; ſiquidem voces ſi non directè, & immediatè, at mediatè & indirectè rerum ſigna ſunt. Hinc locus datur præſenti diſputationi (quam toti ſuæ Theologiæ ſummæ iure præmiſit S. Thomas hìc quæſt. 1. art. 1. cum eo plus, vel minus operæ impendat quis ſtudio alicuius rei, quo agnoſcit hanc ſibi neceſſariorem, vel vtiliorem eſſe) ad taxandam namq; Theologiæ vtilitatem, vel etiam neceſſitatem, opus non eſt eam vndequaque perſpectam habere, qualis Theologia ſit, aliàs priùs addiſcenda eſſet integra Theologia, quàm de eiuſdem laudibus verbum fieret, quo allicerentur homines vt Theologi fierent, ſiquidem vera laus alicuius medij ad finem in proportione, & neceſſitate illius ad hunc conſiſtit. Quis autem non rideat conantem allicere alios ad conſecutionem finis, quem ipſi iam poſſident? Igitur in hoc

hoc tractatu procemiali meritò cum Angelico præceptore præmittimus examen de neceſſitate & vtilitate Theologiæ poſtquam iam ſcimus quid ſub illius nomine veniat intelligi; vt ſic alacriores ad perfectam Theologicarum difficultatum intelligentiam procedamus. Concluſio D. Thomæ in hoc artic. 1. eſt, Neceſſarium fuiſſe præter phyſicas diſciplinas, quæ ratione inueſtigantur, ſacram doctrinam per reuelationem haberi, vt conſtabit iam.

SECTIO I.

Senſus quæſtionis.

1 *Theologia ſecundùm ſubſtantiam quid?* DE Theologia dupliciter loqui poſſumus, vel ſecundùm ordinem, & methodum, qua in ſcholis conſideratur ad varias quæſtiones, & articulos redacta, vt hic apud D.Thomam; vel de ipſa ſecundùm ſe, & ſecundùm veritates, quas aperit examinatque ſiue hâc methodo vtatur ſiue illa. Sic ſpectatur Theologia ſecundùm ſubſtantiam, quo pacto diſputatio hæc procedit: nam primo modo ipſa experientia teſte neceſſaria non eſt, nec ſingulis, nec toti Eccleſiæ. Quis enim credat Deum per mille & amplius annos ante ſententiarum Magiſtrum, à quo primum Theologia tradita eſt ſic ſcholaſtica methodo in neceſſariis ſimpliciter hominum ſaluti defuiſſe.

2 Nota 1. quæſtionem non eſſe ita de Theologiæ ſubſtantiâ vt ſolùm reduplicet ſupra præcipua eius principia quales ſunt veritates fidei (de qua proprius locus eſt in tractatu de fide ad quæſtionem ſecundam 2. 2. D. Thom.) hoc enim foret quærere neceſſitatem habitus fidei; Agimus ergo de Theologia prout includit notitiam, non tantùm illationum ex reuelatis, ſed etiam ex principiis naturalibus; prout diſcurſiua eſt, non ſolùm à fide, ſed etiam ab omnibus ſcientiis purè naturalibus diſtincta.

3 Theologia ſecundùm ſubſtantiam accipi poteſt vel ſecundùm ſe totam; quatenus omnes articulos fidei, ſiue confirmat, ſiue ex eiſdem diſcurrit, vel ſecundùm aliquem actum, qui propriè & intrinſecè Theologicus ſit, ita à pluribus dicitur *Logica* ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias, non quia hæ acquiri nequeant ſine tota, & integra logica; ſed quia ſine aliquo actu, & logicâ reflexione aliæ ſcientiæ ſtare non poſſunt: ſub vtraque acceptione quæſtio præſens procedit.

4 *Theologia neceſſaria in exiſtendo.* Nota *neceſſarium* etiam eſſe duplex vel ſecundùm ſe & in exiſtendo vel in ordine ad finem obtinendę ſalutis. Primo modo ex ſuppoſitione conſuetæ prouidentiæ Dei, non ex indigentia, ſeu exigentia ſalutis, ſed ex ingenita hominum conditione diſcurrentium ex quolibet principio, neceſſarium eſt dari in Eccleſia Theologiam; nam ſicut hæc propoſitio neceſſaria eſt in tanta hominum multitudine: *aliquis mouetur*; ita implicat nullum eſſe in vniuerſa catholica Eccleſia, qui ex reuelatis diſcurrat; procedit ergo quæſtio ſecundo modo.

5 Denique ſic expoſito quæſtionis ſenſu, vel loqui poſſumus de neceſſitate Theologiæ in tota Eccleſia vniuerſim accepta vel in ſingulis eius membris, vt nullum, iuxta hanc ordinariam prouidentiam, æternam ſaluationem obtinere contingat, niſi aliquem Theologiæ actum præhabuerit, vt dicam ſect. 3. Iam ergo ſit vera concluſio bipartita.

SECTIO II.

Theologia ſecundùm ſubſtantiam ſpectata, integréque, & totaliter accepta, neceſſaria eſt ſimpliciter in Eccleſia ad ſalutem.

HAnc concluſionem intellectam de Eccleſia vagè, quoad aliquod eius membrum, ita certam ſtatuit Valentia hic punct. 2. §. primam aſſertionem, vt putet à nemine catholico negatam, quàm ſic probo. Neceſſarium eſt ſimpliciter, vt adulti ſaluentur, eos diſponi per fidem, vt ſuppono ex materia de fide, item vt recipiant fidem omnino opus eſt proponi veritates fidei prudenter credibiles. Ergo neceſſarium eſt dari in Eccleſia Doctores, qui illas ſic proponant *quomodò enim audient* (iuxta Rom. 10.) *ſine prædicante? & quomodo prædicabunt, niſi mittantur,* inſtructi & docti de credibilitate fidei. Tunc ſic, ſed ad hanc doctrinam ſpectat ſcire concluſiones deductas ex articulis fidei non eſſe abſurdas, & conſequenter eſſe veras: maximè enim hoc conciliat credibilitatem, intellectuſque noſter, cùm natura ſua diſcurſiuus ſit, ſtatim pergit ad attendendas conſequentias deductas ex articulis fidei, ſeu ſequelas, quæ inferuntur. Ergo ſtrictiſſima & propriiſſima Theologia neceſſaria eſt omnino in Eccleſia, vt fides recipiatur, & conſequenter vt poſſit ſalus obtineri: ille namque ſtrictiſſimè Theologicus diſcurſus eſt, qui conſequentias ex reuelatis concludit. 6

Secundò ſic probo neceſſitatem integræ Theologiæ. Simpliciter neceſſarium eſt ad ſalutem, vt in Eccleſia ſit firmiſſima columna veritatis, certiſſimus controuerſiarum fidei cenſor, & iudex ad ſtabilienda omnia fidei dogmata, ad prauas ſectariorum opiniones damnandas, declarandaſque obſcuras veritates ſub reuelatis contentas. At iſta præſtari non poſſunt, niſi penſentur, & ſciantur concluſiones Theologiæ vt per ſe patet, & erudite oſtendit P.Valen. in Analiſi controuerſ. lib 8. per totum. Ergo, &c. 7 *Theologiæ neceſſitas cum neceſſitate exiſtentia veri Papæ comparatur.*

Dices cùm Arriaga hìc diſput. 1. num. 39. negante hanc neceſſitatem ſimpliciter; nulla Theologia fuit in lege naturæ; vix vlla in lege ſcripta. Ergo ſimiliter poſſet fides, & conſequenter ſalus in noua lege ſtare ſine Theologia. Confirmatur cur non ſufficeret ad ſalutem ſi quis purè legeret ſymbolum fidei, & ei aſſentiretur; vel illud edoceretur à Parocho ſine alia ſcientia ſolùm declarato ipſi ſymboli ſenſu ſimplici. Reſpondeo in primis negata conſequentia obiectionis; nam in lege noua excellentiora myſteria proponuntur ſupra humanum captum, ac proinde maiori intelligentiâ egent in proponente. Deinde nego antecedens quotieſcumque enim fides neceſſaria fuit etiam in Eccleſia ſiue naturali, ſiue veteri fuit neceſſaria ſcientia qua eius veritates credibiles proponerentur, & conſequentiæ ex ipſis non abſurdæ. Confirmatio poſtulat, vt explicemus quo pacto Theologia ſingulis hominibus ſit neceſſaria ad ſalutem; de quo ſit. 8 *Theologia vt neceſſaria in lege Naturæ.*

SECTIO III.

Theologia ſaltem quoad aliquem actum eſt ſimpliciter neceſſaria immediatè ſingulis hominibus ad ſalutem.

9 PAter Valentia hîc punct. 2. §. *ac oſtendit.* Tannerus quæſt. 1. dub. 1. num. 9. Theologiam, quam dicunt neceſſariam pro ipſa communitate Eccleſiæ, addũt etiam eſſe neceſſariam pro ſingulis, non *immediatè*, vt oporteat ſingulos eſſe Theologos, ſed *mediatè*, quia ſingulorum intereſt dari in Eccleſia Doctores, & Theologos. Mouetur 1. Valentia, quia nullus poteſt credere niſi ipſimet proponatur veritas fidei credibilis, quæ propoſitio ſine Theologia non fit. 2. Pater Tannerus, quia quilibet, vt prudenter credat debet ſibi perſuadere eſſe viros doctos in Eccleſia, qui omnibus contra fidem obiectis, poſſint ſatisfacere.

Imò nulla veritas ſcitur omnino certo ſine fide ſupernaturali. Vide in Indice qu. 1. art. 1. §. 7.

10 Hæc tamen non probant de integrâ Theologiâ etiam ſecundùm ſubſtantiam acceptâ, nam Theologia ſolùm eſt neceſſaria pro fide, quæ explicitè tenenda eſt: atqui in ſingulis non eſt neceſſaria explicita fides omnium veritatum reuelatarum. Ergo pro ipſis, nec in vniuersâ Eccleſiâ neceſſaria eſt Theologia integrè accepta, nec mediatè, nec immediatè; ſed ad ſummum Theologia, quæ credibiles reddat articulos, qui ſunt explicitè neceſſariò credendi. Quo pacto probatur poſita concluſio, nullus adultus poteſt apprehendere veritatem fidei prudenter credibilem, niſi aliquas notiſſimas cõſequentias apprehendat abſurdas non eſſe, hæc enim eſt natura intellectûs, quãtumuis ruſtici; vt audita aliqua veritate procedat diſcurrendo ſaltem ad notiſſimas conſequentias, quæ niſi appareant non abſurdæ, fides credibilis non apparebit, & conſequenter, nec fides obtinebitur, nec ſalus, tunc ſic, ſed cognoſcere, ſeu aſſentiri concluſioni ex reuelatis deductæ vt non abſurdæ, eſt formaliſſimè actus Theologicus. Ergo ipſe neceſſarius eſt ſimpliciter.

11 Ergo loquendo de Theologia non in ſtatu totali ſed in partiali, dicendum eſt pro ſingulis hominibus immediatè eſſe neceſſariam ſimpliciter ad ſalutem; ita vt ſine aliquo actu veræ Theologiæ ſalus adultis contingere non poſſit. Ex quo benè dicetur Theologia ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem: ſicut logica cenſetur ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias obtinendas eo ſolùm, quòd aliqua reflexio, ſeu actus verè logicus requiratur, licèt nec tota Logica, neque ipſa quoad modum, & diſpoſitionem ſcholaſticam & artificioſam requiratur.

Sine aliquo actu verè Theologico ſalus adultis contingere non poteſt.

12 Dices iuxta Auguſtinum 14. de Trinitate, c. 1. Theologiæ ſcientiâ non pollere fideles, quamuis fide polleant plurimum. Ergo non datur nec neceſſaria eſt ad ſalutem ſingulis adultis Theologia. Confirmatur quia aliàs quilibet fidelis, quantumuis ruſticus, & ignarus dicendus eſſet Theologus. Reſpondeo Theologum ſimpliciter ſtare pro habitu ad omnes, vel ſaltem ad præcipuas concluſiones Theologicas; non autem pro quolibet actu, & concluſione: ſicut Mathematicus non dicitur, qui vnam vel aliam veritatem Matheſeos ſcit. Ideo ſimpliciter fidelis ruſticus non eſt dicendus Theologus, ſed indigere ad ſalutem aliquo actu, & diſcurſu verè Theologico; quod ſolum intendo hîc. Auguſtini verba clariùs exponuntur, quæ non negant omnem Theologiam, ſed præſtantem; ſic autem non volo ego eſſe neceſſarium ad ſalutem, vt quis polleat Theologia.

Quo pacto fidelis ruſticus ſit Theologus?

SECTIO IV.

Qualiter Theologia ſit neceſſaria neceſſitate præcepti?

HÆc neceſſitas non eſt directa, ſed indirecta, quatenus præcepta naturalia adimpleri non poſſunt ſine aliquo diſcurſu Theologico; cùm enim talia præcepta, aliaque, quæ hîc, & nunc neceſſaria ſunt ad ſalutem, vt ſic formaliter in ſingulari non reuelentur; omnis enim reuelatio & præceptum per ſe in vniuerſali procedit, opus eſt vt per diſcurſum applicentur, qui diſcurſus manifeſtè eſt Theologicus, verbi gratiâ docet fides: *Quicunque baptizatus fuerit ſaluus erit:* addit ratio naturalis: *hac eſt actio baptizandi:* vnde concludit Theologia: *Ergo huic actioni ſubeſſe debeo, vt ſaluus fiam.* Quæ concluſio credi licèt poſſit per fidem, at dum primò habetur diſcurſiuè ediſcitur per Theologiam. 13

Eſt neceſſaria indirectè.

Quod argumentum à fortiori formatur in adimpletione aliorum præceptorum verbi gratia ſuccurrendum eſt huic proximo, quæ veritas deducitur ex hac vniuerſali fidei: *ſuccurrendum eſt proximo extremè indigenti*, & ex alia naturali: *hic proximus in extremis eſt.* Ergo *ſuccurrendum*, &c. quæ concluſio ſtrictiſſimè Theologia eſt, cum ex vna naturali, & alia reuelata deducatur: item à quolibet quantumuis ruſtico quotidie fit, vt patet. 14

SECTIO V.

De Theologiæ ſcholaſticæ vtilitate.

THeologia ſcholaſtica ea maximè eſt, quam præ manibus habemus, quare niſi velimus noſtrum laborem i·anem prædicare, placeatque non ſine magna multorum ſapientiſſimorum iniuria, qui à tempore Petri Lombardi ſententiarum Magiſtri, ipſum cùm S. Thoma ſequuti ſunt in eorumdem præclariſſima opera tanquam in infructuoſa inuehi, neceſſarium eſt eam vt tanquam vtiliſſimam accipiamus, & defenſemus. 15

Cæterùm licèt audiendi non ſint hæretici plurima aggregantes conuitia in ſcholarum Theologiam, eam criminando, *pernicioſam, inanem, ignorantem*, vt patet ex Luthero in lib. contra Latomum, & ſcholas ipſas *Antichriſti lupanaria caſtra Cainitica* in lib. de abrogan. Miſſa priuata. Similiter Melancton in Apolog. contra Pariſienſes, Caluinus lib. 3. Inſtit. cap. 2. ſect. 2. ait de ipſis Theologis ſcholaſticis, *velut obducto velo Chriſtum texiſſe, & plurima mala illis accepta ferri debere.* Licèt inquam ſectarij hi non ſint audiendi, qui vel ſuo ſolo odio, & criminatione Theologiam noſtram commendant. At non ideò admittendi viri catholici nimis Thomiſticæ doctrinæ, & methodi Aſſentatores, qui vt huic blandiantur ſcholaſticam Theologiam ſecundùm ordinem, & diſpoſitionem ſyllogiſticam, quæ apud ſcholas viget, & in ſcriptis Magiſtri ſententiarum, & S. Thomæ continetur ſimpliciter neceſſariam exiſtimant cùm Recentiore innominato, de quo 16

de quo P. Valentia hîc quæſt. 1. punct. 2. verſ. *Theologiam igitur.*

17 Reiiciendus igitur eſt vterque extremus ſentiendi modus opinatio Recentioris citati nuper, quia quis credat Deum per mille, & ampliùs annos ante ſententiarum Magiſtrum, à quo primum ſic ſcholaſticè tradita eſt Theologia, in neceſſariis ſimpliciter hominum ſaluti defuiſſe, cùm tot, ac tam inſignes ſanctitate & fide viri toto terrarum orbe præfuerint? Quid quod noſtra Theologia ſcholaſtica ab antiqua, ſola breuitate, Dialecticæ argumentationis formâ, aptiori methodo diſtinguitur. Ergo cùm ſubſtantia in antiqua Theologia eadem præceſſerit, hæc noua ſcholaſtica, & methodica ſimpliciter neceſſaria non erit.

18 Erit autem non ſolùm non nociua vt Hæretici volebant, ſed valdè vtilis exiſtimanda, & vt notaui num. præc. ipſis Hæreticorum calumniis nobilior, vt ex ipſorum damnatione glorioſior eſſe appareat. Sic loquitur Tertullianus in Apologetico aduerſ. Gentes, cap. 5. *Talibus dedicatoribus damnationis Theologiæ etiam gloriemur: qui enim ſcit illos intelligere, poteſt non niſi aliquod bonum grande ab Hæreticis damnatum. Probatio eſt enim veritatis noſtræ accuſatio ipſorum, atque calumnia. Tenebræ ipſorum veram Theologiæ lucem non comprehendunt, nec obſcurant; lucet ipſa per ſe, & poſſeſſores ſui clariſſimos reddit.*

19 Quæ autem ſint vtilitates? Quot Theologiæ ſcholaſticæ laudis, & commendationis capita? fusè videri poſſunt apud interpretes prolog. ſentent. & quæſt. 1. Sum. S. Thomæ; hæc enim potius panegyri Rethoribus, quàm diſputationi ſcholaſticis materiam ſuppeditant: Apologia autem, ſeu vendicatio ab Hæreticorum calumniis ſolidè, & eruditè præſtatur à P. Valentia hîc diſput. 1. quæſt. 1. punct. 2. à verſ. *Porrò ex his*, Chriſtophoro Gillio lib. 1. tractat. 1. cap. 3. à num. 3.

20 *Pulchra verba Auguſtini pro difficultate addiſcendi ſcholaſticam Theologiam.* Ego ſolùm vt faciliùs erratorum veniam obtineam, eorundemque maximè in ſequentibus excuſatio cuiuis obuia fiat, ſcholaſticæ Theologiæ difficultatem prætendam ab Auguſtino expoſitam epiſt. 2. ad Voluſianum circa principium his verbis. *Tanta eſt Chriſtianorum profunditas litterarum, vt in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia, vſque ad decrepitam ſenectutem maximò otio, ſummo ſtudio, meliori ingenio conarer addiſcere: non quòd ad ea, quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tanta in eis perueniatur difficultate;* Ecce non loquitur de fide, quæ ſaluti omnino neceſſaria eſt, *ſed cùm quiſque ibi fidem tenuerit, ſine qua piè rectèque non viuitur, tam multa, tamque multiplicibus myſteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus reſtant;* Ecce loquitur de Theologia quæ fidem explicat & exponit: *Tantaque non ſolùm in verbis, quibus iſta dicta ſunt, verùm etiam in rebus quæ intelligenda ſunt latet altitudo ſapientiæ; vt annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimis cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem ſcriptura Eccleſ. 18. habet: Cùm conſummauerit homo tunc incipiet.*

* * *

DISPVTATIO III.

Vtrùm concluſio ſupernaturalis, Theologica poſſit deduci ex præmiſſa naturali probabili à qua per ſe vt formalis concluſio dependeat.

SECTIO I. *Proponitur ſenſus quæſtionis, & ratio negandi.*

SECTIO II. *Defenditur propria ſententia affirmatiua.*

SECTIO III. *Soluuntur fundamenta ſententiæ negantis.*

De Theologia celebris controuerſia eſt, ſitne naturalis, vel potiùs ſupernaturalis; aliis affirmantibus, quia dependet concluſio Theologica ab vna ſaltem præmiſſa ſupernaturali, ſupernaturalitati autem ſufficit vel vnum requiſitum ſupra naturam; aliis id negantibus, quia cùm præmiſſa ſupernaturali poteſt alia naturalis purè probabilis coniungi, eo autem ipſo talis concluſio excellentiam ſupernaturalitatis amittit, quæ nequit probabili ſolùm fundamento inniti; vt hæc rationum fundamenta, & momenta perpendam, hanc & ſequentem diſputationem libet diſquirere, vt appareat quo iure circa ſupernaturalitatẽ Theologiæ diſcurrendum ſit, & quid tandem ſentiendum. Do in præſenti concluſionem Theologicam ſupernaturalem eſſe, & hoc ſuppoſito; diſquiro, an poſſit oriri ex præmiſſa naturali purè probabili, & quoad apparentiam incertâ. Do ſimiliter, & permitto Theologicam concluſionem eſſe naturalem, & hoc ſuppoſito vlteriùs diſquiram diſp. ſequenti poſſitne per ſe pendere ab vna præmiſſa, vel etiam ab vtraque ſupernaturali, quarum quæſtionum diuerſas opinandi partes authorum citationibus ornare non poſſum, qui eos in propriis terminis de iis tractantes non viderim, niſi fortè alicubi ſupponant potiùs, quàm examinent partem negatiuam, ſed quo iure, conſtabit iam.

SECTIO I.

Proponitur ſenſus quæſtionis, & ratio negandi.

Suppono actum ſupernaturalem non poſſe eſſe falſum, nec purè probabilem falſitati ſubiectum, ſed certiſſimum eſſe, de quo infrà; rurſus concluſionem Theologicam, de qua hîc, non ſolùm eſſe materialiter talem: ſed etiam formaliter per ſe pendentem ab vtraque præmiſſa, & vtriuſque veritati connexionique extremorum cum medio innitentem. 1 *Actus ſupernat. non poteſt eſſe purè probabilis.*

Hinc oritur ratio dubitandi. Concluſio ſequitur debiliorem partem, nec poteſt eſſe certior vllâ præmiſsâ, cùm enim propter præmiſſam ſit, hîc maximè vrget: *propter quòd vnumquodque tale & illud magis:* ergo concluſio ex vna pro- 2

babili ſolùm erit probabilis,& conſequenter non ſupernaturalis. Confirmatur concluſio ex duplici probabili probabilis eſt, & incerta, nequitque eſſe ſupernaturalis: atqui non minùs obeſt certitudini concluſionis, ſi vna præmiſſa ſit incerta & probabilis purè, quàm ſi vtraque, vt patet reſpectu falſitatis, æquè enim repugnat concluſionem ſupernaturalem oriri ex vna falsâ, ac ex vtrâque, ergo. Confirmatur 2. nequit actus ſupernaturalis niti fundamento purè probabili, atqui vbi vna præmiſſa eſt probabilis, fundamentum ſimpliciter eſt probabile, nam fundamentum obiectiuum eſt connexio vtriuſque extremi cum medio, connexio autem vt connexio vacillat, ſi ex vna parte incerta eſt, ergo nequit concluſio ſupernat. &c. Confirmatur 3. nequit ex præmiſſâ falsâ oriri concluſio ſupernaturalis, ergo neq; ex probabili, æquè enim probabilitas repugnat cognitioni ſupernaturali, ac falſitas?

3 Secunda & generalis ratio nè cognitio probabilis in concluſionē ſupernaturalem inclinet ea eſt: pręmiſſa probabilis naturalis eſt, vt ſuppoſui, ergò concluſio, quæ per ſe eſt formaliter talis, niciturquè tali præmiſſæ, nequit eſſe ſupernaturalis, hæc conſequentia probatur à paritate amoris ſupernaturalis, qui oriri nequit ex directione cognitionis naturalis, vel ſi ex naturali cognitione amare non repugnet, vt ſentit Ripalda diſputatione 49. de ente ſupernaturali num. 18. ſaltem ſupernaturalis amor per ſe poſtulat cognitionem ſupernaturalem ſibi proportionatam, ergo & concluſio ſupernaturalis præmiſſam ſupernaturalem per ſe loquendo exiget, & conſequenter non purè probabilem.

4 Tertia ratio adhuc & generalior ex repugnantia habitùs ſupernaturalis Theologiæ, ſed ſi eſſet poſſibilis talis concluſio ſupernaturalis, etiam concedendus eſſet talis habitus, ergò omnis concluſio Theologica ſupernaturalis repugnat, & à fortiori quæ ex probabili præmiſsâ deducatur. Conſequentia patet, minor probatur; quia omni operationi vitali correſpondet proportionatum auxilium intrinſecum permanens, vt connaturalius eliciatur, vt patet, tum in aliis actibus ſupernaturalium virtutum, tum ex proportione, quam ſeruat ordo ſupernaturalis cum naturali: in natura autem potentia operandi actum vitalem, cuius loco datur habitus ſupernaturalis, ſemper eſt intrinſeca & permanens in operante.

5 Iam verò non poſſe admitti habitum ſupernaturalem probatur: nam vel ille eſſet acquiſitus, vel per ſe infuſus. Primum, quod tuentur Molina, Faſolus, & Gillius in præſenti reiicitur, quia ſi ſemel non eſt dē conceptu habitus ſupernaturalis quod fiat ex ſola infuſione Diuina, ſed admittitur in actibus vis generandi illum, ſimiliter poſſemus dicere habitum fidei charitatis, & ſpei non eſſe per ſe infuſos, ſed per accidens vt pote, qui potuerunt per actus proportionatos produci, neque enim eſt, cur potius aſſenſui Theologico tribuatur hæc vis generandi habitum, & negetur aſſenſui fidei, qui non minùs ſui repetitione nos promptiores reddit ad credendum: præterea habitus ſupernaturalis ad ſimpliciter poſſe datur naturæ, quæ inſufficiens eſt ad actum ſupernaturalem ſine ſupernaturali auxilio, à quo ſupernaturalitas actus veniat, quicunque autem ſupernaturalis habitus ad hoc eſt ſufficiens, nempè vt ipſi correſpondeat ſupernaturalitas, & conſequenter dat ſufficientiam ſeu ſimpliciter poſſe naturæ. Tum ſic, ſed habitus, qui dat ſimpliciter poſſe, nequit eſſe acquiſitus, cùm per ſe ſupponatur per modum potentiæ ante actum. Ergo habitus Theologiæ, nequit eſſe acquiſitus, ſi ſit ſupernaturalis.

Sed nec poteſt per ſe infuſus, tum quia ſi eſſet 6
poſſibilis, daretur de facto ſimul cum gratia, ſicut alij habitus infuſi: etenim ad gratiam vt naturales proprietates ſequuntur omnes habitus ſupernaturales, vt latè dixi diſput. 1. ad tractatum de viſione, proprietas autem connaturalis neceſſariò ſequitur ad formam, vt calor ad ignem, charitas ad gratiam, &c. ac non datur de facto habitus Theologiæ cum gratia, aliàs ruſticus, quo ſanctior eſſet, plus polleret Theologia, ergo. Tum etiam probatur impoſſibilis habitus Theologiæ per ſe infuſus, quia non ſunt admittendi alij habitus per ſe infuſi etiam poſſibiles, niſi ſtabiliantur neceſſarij authoritate Doctorum, aliàs admittenda foret logica ſupernaturalis per ſe infuſa. Ergo non eſt poſſibilis habitus ſupernaturalis Theologiæ nec per ſe infuſus, nec acquiſitus.

SECTIO II.

Defenditur propria ſententia affirmatiua.

Concluſio poteſt eſſe ſupernaturalis, licèt deducatur ex vna præmiſſa naturali probabili, 7
ſeu vtrâque probabili purè, ſi tamen tali probabilitati in re veritas ſubſit, obiectumq; ex parte rei ſe habeat ſicut ab vtraq; affirmatur, quod euenire poteſt quantumuis motiuum, ex quo deducuntur præmiſſæ, obſcurum & incertum ſit, ſeu merè probabile, hæc enim eſt probabilitatis natura, vt cum veritate in re ſit compoſſibilis.

Suadetur poſita ſententia; ſtat aſſenſum eſſe 8
ſupernaturalem, quantumuis obiectum formale intrinſecum motiuum ſecundùm ſe obſcurè ſolùm appareat, ergo quantumuis appareat purè probabiliter; antecedens patet, quando proponitur exiſtentia reuelationis, quæ in ſe obſcurè apparet; conſequentia ſuadetur quando hæc propoſitio præſtatur à Parocho ſuis ouibus, licèt enim in ſe veriſſima ſit, modum tamen proponendi probabilem non excedit, nam eodem modo quandoque proponit ſuas ignorantias, verbi gratia in Euchariſtia dari Beatam Virginem: tum ſic, ſed non minùs, imo magis concurrit motiuum intrinſecum fidei, quàm motiuum præmiſſarum, ergo ſi illud ſufficit probabiliter propoſitum, etiam iſtud.

Ratio eſt huius à priori, quia ſupernaturalitas 9 *Vnde ſumenda firmitas fidei.*
actus non venit ex ſupernaturalitate motiui, quod idem poteſt attingi per actum naturalem & ſupernaturalem; vt dicam tractatu de fide, neque item huius firmitas ex modo quo appareat eius obiectum formale, ſed ex præciſa excellentia modi tendendi actus eſſentialem connexionem habentis cum exiſtentia reali ſui obiecti, ratione cuius habet per ſe illud ſupponere quin poſſit alias exerceri, etenim non firmiùs proponitur viro Catholico exiſtentia reuelationis de Trinitate, quàm hæretico Sacramentatio; iſte tamen credit fide naturali, quæ probabilis eſt purè, nam inter actus naturales, qui non eſt euidens, ad ſummum eſt probabilis: ille fide ſupernaturali certiſſima. Sic ruſticus eadem ratione audit à Parocho Deum eſſe Trinum, quam Beatam Virginem

nem dari in Euchariſtia, & tamen aſſenſus primæ veritatis naturalis eſt, non ſecunda.

10 Nunc ſic arguo. Sed excellentia, & certitudo modi tendendi actûs habere poteſt quantumuis obiectum purè probabiliter proponatur, vt patet tum in exemplis adductis, tum etiam quia talis actus dirigitur virtute ſuperiori, benè autem ſtat actum directum per ſuperiorem virtutem certiſſimè attingere, verbi gratia ſcopum, qui proximo elicienti obſcurus eſt, quemadmodum homo cæcus rectè dirigit ſagittam ductus ab alio ſcopum diſcernente, quem ipſe cæcus non videt, ergo quantumuis motiuum præmiſſarum proponatur ſolum per actus naturales probabiles, inferre poterit ſupernaturalem concluſionem, non quidem ex ſola vi propria, ſed tenente ſe ex parte principij aliquo auxilio ſuperiori, vel habitu ſupernaturali.

11 Confirmantur hæc omnia. Obiectum motiuum ſupernaturalis cognitionis poteſt proponi obſcurum aſſentienti, id experientia nobis compertiſſimum eſt in omnibus actibus fidei, quæ eſt argumentum non apparentium; ſed quod eſt ita obſcurum, non proponitur per ſe pluſquam probabiliter. Ergo cognitio ſupernaturalis duci poteſt ex motiuo, quod ſolum probabiliter præuiè proponatur. Minor probatur, tum quia motiuum, vt præuiè proponitur ad fidem ſupernaturalem, negari poteſt, habemus enim circa fidem libertatem contrarietatis, ergo apparet probabile oppoſitum, nemo namque negare poteſt obiectum, cuius oppoſitum non apparet probabile, cum diſſenſus non detur niſi ſub ratione falſi, ſi autem poteſt proponi motiuum fidei, quoad apparentiam probabiliter falſum, ergo quia ſolùm apparuit vt probabiliter verum, tum etiam plus lucis intrinſecè reſplendet in motiuo probabili, quàm in purè obſcuro, qualis eſt exiſtentia reuelationis in ſe inſpectæ ſecluſa propoſitione humanæ Eccleſiæ. Si ergo hoc ſufficit, etiam ſecundum.

12 Denique ſumo actum primum ſupernaturalem, qui ſit iudicium prudentiæ infuſæ, quod iudicat veritatem fidei eſſe euidenter credibilem, in primis tale iudicium quamuis certiſſimè proponat credibilitatem reflexè; ſed non directè ipſam exiſtentiam reuelationis; deinde vel mouetur ex ſignis veræ Eccleſiæ vt propoſitis modo humano, vel Diuino; ſi humano, non faciunt niſi euidentiam moralem, non metaphyſicam; vnde metaphyſicè ſunt probabilia; ſi Diuino, ſic obſcuriora ſunt ea ſigna, & neque hanc probabilitatem quoad apparentiam attingunt. Stet ergo per ſe loquendo ante aſſenſum ſupernaturalem non requiri, quòd eius motiuum præuiè proponatur, pluſquam per actum probabilem.

13 Ex his conſtat probabilitatem præmiſſarum non obſtare certitudini concluſionis; quòd autem nec obſtet huius ſupernaturalitati, vtramque præmiſſam naturalem eſſe, probatur; quia ſupernaturalitas ſolùm exigit per ſe eſſe ſupra vires efficientes naturæ, ex hoc enim iam natura erit ſimpliciter impotens, & inſufficiens ad talem effectum, ille autem exceſſus ſupra vires effectiuas bene ſtat, licèt actus ſupernaturalis quoad alia naturam non ſuperet, ſi non eſt ſupra vitalitatem formaliter, cùm vita purè inueniatur in natura, neque nouum ei adiiciatur auxilium viuens: non eſt ſupra vires obiectiuas in ſententia ſatis probabili, quòd naturalis ſpecies ſufficiat cognitioni ſupernaturali: non eſt ſupra vires applicatiuas, quis namque dubitabit purè naturalem eſſe applicationem aquæ in baptiſmo, ad quam effectus ſupernaturalis gratiæ conſequitur, ergo quantumuis vtraque præmiſſa applicans motiuum formale ad aſſenſum concluſionis ſit naturalis prædictus aſſenſus, non quidem vi & merito præmiſſarum naturalium; ſed auxilij eleuantis poterit euadere ſupernaturalis.

Aliter etiam probatur mea ſententia, poſſe ſcilicet concluſionem formalem ſupernaturalem deduci ex identitate extremorum cum medio cognita per aſſenſum ſupernaturalem fidei, vt ſuppono cum communi ſententia non negante ſupernaturalem diſcurſum. Ergo etiam deduci poterit eadem concluſio, ſeu perſeuerare quantumuis talis identitas ſolùm cognoſcatur per cognitionem naturalem, hæc conſequentia patet, nam concluſio etiam quæ eſt formaliter, & non ſolùm materialiter talis, licèt ſit eſſentialiter mediata, & pendens à præmiſſis obiectiuis, non tamen à formalibus hoc eſt ſolùm petit quòd præuiè cognoſcatur identitas extremorum cum medio, ſiue hoc fiat per hanc notitiam, ſiue per illam, vt logici dicunt. Tunc ſic ſed identitas obſcura, qualis eſt, quæ eſt obiectum fidei, non poteſt cognoſci cognitione naturali euidenti: Ergo ſolùm probabili; ergo cum præmiſſis purè probabilibus, ſtat concluſio ſupernaturalis. 14

SECTIO III.

Soluuntur fundamenta ſententiæ negantis.

HVius ſententiæ vt ſuprà dixi videntur eſſe omnes authores, & præcipuè qui negant poſſe concluſionem eſſe ſupernaturalem, vbi vel vna præmiſſa ſupernaturalis eſt, quantumuis ſit euidens, vt Granado 1. part. tract. 1. diſput. 5. 15

Ad 1. in §. 1. Reſpondeo, quando dicitur concluſionem ſequi debiliorem partem, id accipiendum eſt quoad certitudinem ſumptam præciſè vi obiecti, nam aliunde vi principij rectè creſcere poteſt concluſio ſupra præmiſſam; ſic iuxtà omnes excellentiori modo applicatur intellectus ad concluſionem licèt naturalem ex vna præmiſſa ſupernaturali, & alia naturali, quam applicetur ad hanc naturalem præmiſſam, cùm ad huiuſmodi præmiſſam, nihil ſupernaturale concurrat, nec per modum applicationis, ſecus ad prædictam concluſionem: vi autem obiecti motiui, & huius claritatis, ſemper concluſio, quæ per ſe talis eſt, ſequitur debiliorem præmiſſam, nam per ſe requirit veritatem obiectiuam vtriuſque præmiſſæ copulatiuæ, copulatiua autem veritas vacillat, vbi ex aliqua parte dubia eſt. 16

Ad primam & ſecundam confirmationem in eodem §. 2. Reſpondeo poſſe concluſionem eſſe ſupernaturalem, licèt ex duplici probabili deducatur, item quantumuis eius fundamentum immediatum, & intrinſecum ſit quoad apparentiam purè probabile, conſtat enim ex dictis ſectione præcedenti non obſtare ſupernaturalitati, & certitudini actûs, quod eius motiuum, ſiue extrinſecum, & mediatum, ſiue immediatum, & intrinſecum ſit purè probabile quoad apparentiam. Ad tertiam confirmationem & diſcrimen, nam vbi præmiſſa eſt falſa, nec obiectum præmiſſæ, nec concluſionis verum eſt; cùm obiectum vtriuſque ſit idem realiter, at concluſio ipſa formalis, ſeu 17

actus

actus concluſionis non ſequitur naturam præmiſſæ formalis, ſiquidem poteſt certus reddi virtute principij ſuperioris, quod efficit talem actum.

18 Ad 2. in num. 3. fateor concluſionem ſupernaturalem per ſe, & connaturaliter loquendo, exigere etiam ſupernaturalem præmiſſam, ſicut amor proportionatam cognitionem, vis enim directiua per ſe proportionata eſt cum actu, ad quem dirigit, ſic amori ſpirituali debetur ſpiritualis cognitio dirigens; diuino diuina, at hæc exigentia per ſe ſtat, quantumuis concluſio ſupernaturalis oriatur ex præmiſſa probabili per accidens, licèt enim non pendeat ab eadem præmiſſa formali, pendet tamen ab eadem obiectiua; nam præmiſſa, quæ purè probabilis eſt, non differt obiecto formali à præmiſſa omninò certa & ſupernaturali, vt dixi §. 9 iam verò concluſio formalis licèt per ſe & eſſentialiter pendeat ab obiecto præmiſſarum; non tamen determinat modum, ſeu actum formalem, quo proponatur tale obiectum præmiſſarum: hoc eſt: eſſentialiter pendet à præmiſſis obiectiuis; non à formalibus: exigit quidem cognoſci identitatem extremorum cum medio, at illius cognitionem eſſe naturalem, vel ſupernaturalem non curat concluſio: niſi tantùm, vt connaturaliter fiat, modo ſibi proportionato, hinc concluſio ſupernaturalis connaturaliter præexigit præmiſſam ſupernaturalem fidei verbi gratia, at deduci etiam poteſt ex naturali obſcura circa idem obiectum, quæ neceſſariò eſt purè probabilis, & incerta: obſcuritas enim cum certitudine ſolùm inuenitur in fide Diuina.

Obſcuritas, cum certitudine ſolùm inuenitur in fide diuina.

19 Ad 3. in num. 4. admitto poſſibilem habitum ſupernaturalem Theologicum, eſſeque per ſe infuſum, licèt enim aliqui concluſionem Theologicam putent ſufficienter fieri concurrente habitu fidei, & naturali; quia habitus præmiſſarum & concluſionis non diſtinguuntur, item poſſe habitum ſupernaturalem admitti acquiſitum iuxta authores in num. 5. Cæterùm non ideò negandum eſt eſſe poſſibilem habitum Theologicum, imò & logicum infuſum, talis enim fortè datur in Chriſto Domino, vt dicam in tractatu ſcientiæ Chriſti; adhuc tamen non eſt admittendus de facto in omnibus iuſtis ad infuſionem gratiæ, licèt neque id improbabiliter neget Ripalda, diſput. 55. num. 55. quia ſicut infantes habent habitum fidei, quamuis nihil credant actu ob ſpecierum defectum, ita dici poteſt de Theologia Ruſticorum.

Logica infuſa.

20 Ad obiectionem, qua in num. 6. contenditur de facto admittendum in quolibet iuſto habitum infuſum Theologiæ, ſi ſemel poſſibilis eſt. Reſpondeo plures eſſe habitus ſupernaturales poſſibiles, quàm eos, qui de facto dantur; ſic in quolibet iuſto non datur ſcientia infuſa, quantumuis poſſibilis; non datur lumen gloriæ, non omnia dona Spiritus ſancti. Ergo ad gratiam non ſequitur omne donum ſupernaturale determinatè vt proprietas, ſicut non ſequitur ad ignem omnis calor, non ſequitur Angelum omnis ſpecies impreſſa cuiuſuis ordinis, ſed huius vel illius obiecti, pro conditione ſtatûs, vel aliquâ aliâ, ita contingit hìc, habitus Theologiæ eſſet ſupernaturalis, non quia neceſſariò ſequatur ad gratiam, ſed quia iſti connaturaliter ineſſet, quin ſupra meritum, & dignitatem gratiæ foret prædicta infuſio; cùm tamen naturam ſecundùm ſe inſpectam omninò ſuperet.

21 Denique obiicies poſſe admitti actum ſupernaturalem purè probabilem, nam ſicut probabilitas præmiſſarum non obſtat ſupernaturalitati concluſionis, dum tamen in re præmiſſæ probabiles ſint veræ, ita neque obſtabit proportionata probabilitas ipſius concluſionis. Reſpondeo ipſum actum ſupernaturalem nullo modo poſſe intrinſecè eſſe, vel dici probabilem: nam probabilitas ſimpliciter dicta denotat incertitudinem, & ambiguitatem actus, qui indifferens ſit, & compoſſibilis cum falſitate, vnde conſequenter excludit, non ſolùm determinationem obiecti motiui, ſed etiam principij; indifferentia enim ſimpliciter omni determinationi vndecunque prouenienti repugnat. Iam actus ſupernaturalis omnino incompoſſibilis eſt, contradicenſque falſitati, vt dicam diſputatione ſequenti.

Actus supernatur. nequit eſſe, nec dici probabilis.

Priùs tamen nota ſimpliciter malè auditum iri, qui diceret fidem ſupernaturalem niti fundamento probabili, vel motiuo probabili duci, vel purè probabilem eſſe hanc veritatem: *verbum caro factum eſt*: potiùs enim dicendum eſt firmiſſimum eſſe eiuſque motiuum certiſſimum; nam iſtud accipitur prout ſupponit iam reuelationem Dei, ſic autem ſuperat omnem certitudinem, & firmitatem Hebr. 6. 18. *vt per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum firmiſſimum ſolatium habeamus*. Et rurſus ſi de exiſtentia ipſius reuelationis ſermo ſit, hæc accipitur quando dicitur eſſe motiuum firmiſſimum prout ſubeſt tali modo tendendi & firmitati principij influentis fidei: quare mea ſententia ſolùm intelligenda eſt, quòd actus ſupernaturalis haberi poſſit ex motiuo probabiliter ſolùm propoſito, probabiliter inquam quoad apparentiam. 22

Actum ſupernaturalem niti fundamento probabili negandum eſt.

DISPVTATIO IV.

Vtrùm cognitio ſupernaturalis ſaltem de potentia Dei poſſit eſſe falſa?

SECTIO I. *Supponitur ex natura rei non poſſe eſſe falſam.*

SECTIO II. *Nec de potentia abſoluta poteſt eſſe falſa cognitio ſupernaturalis.*

SECTIO III. *Opponitur locutio Dei amphibologica, & retorquetur in fauorem veræ ſententiæ; vbi quæ amphibologia licita ſit.*

SECTIO IV. *Opponitur erroris infuſio à ſolo Deo, & ſoluitur obiectio.*

SECTIO V. *Proponitur cognitio ſupernaturalis durans per plura inſtantia, & ſoluitur obiectio.*

DIFFICVLTAS præſens proprium locum, & examen latius habet in tractatu de fide ad 2. 2. S. Thomæ, cum quo nos eam pro dignitate explicabimus, nihilominus in præſenti omnino præteriri non potuit, cùm ſupernaturalitati Theologiæ communiter opponatur ſequela falſitatis, quam ſequelam licet diſputatione præcedenti negauerim, quantumuis Theologica concluſio ex vna præmiſſa probabili ſequatur; at ſi ſequatur ex præmiſſa falſa, manifeſtè etiam concluſio talis euadet falſa. Nunc ergo ſequelæ abſurditatem examinare

minare conuenit, quod nullo meliùs præſtari poteſt, quàm præuiſa repugnantia, quàm ſupernaturalis cognitio cum falſitate habet, & quidem nullam cognitionem ſupernaturalem de facto falſitatis conuinci certum eſt, imò neque ex natura rei falſificari poſſe ſupponam ſect. 1. vt falſa eſſe poſſit de potentia abſoluta celeberrimum, acutiſſimumque argumentum de ſumi ſolet ex viſione beatifica repræſentante ſe æternum duraturam, quæ cum titulo entis creati Dei dominio ſubſit, valentis ipſam, quantumuis exiſtentem, in nihilum redigere, conſequenter falſificationi ſubiecta videtur. Hoc tamen argumentum ad tractatum ſequentem de viſione expendendum remitto, tum quia hic propria illius ſedes eſt (in diſput. vlt.) tum etiam quia maximè ex conceptu viſionis beatificantis probatur negari non poſſe actum ſupernaturalem, qui ſupra æternam ſui durationem reflectat, cui reflexioni vis argumenti tota inſiſtit. Vnum tamen hic nota Authorem illius argumenti Patrem Ripaldam tom. 1. de Ente ſupernatur. diſp. 59. à num. 7. non minùs teneri ipſi reſpondere, quàm nos: ſiquidem idem Author diſpur. 58. ibidem docet, ſaltem ex natura rei, non poſſe reddi falſam cognitionem ſupernaturalem; cùm tamen cognitio ſupernaturalis ſæpè reflectat ſuprà carentiam obiecti, quod ex natura rei poſſibile eſt, imò debitum ipſi, vt quando viſio cognoſcit ſe eſſe ſine dotibus gloriæ, de quo tract. de viſione.

SECTIO I.

Supponitur ex natura rei non poſſe eſſe falſam.

1 VT videtur affirmare Maior 2. diſtinct. 23. quæſt. 10. imò innuit Scotus in 3. diſtinct. 23. quæſt. vnica §. *contra decipi & non decipi*, & à fortiori Holcot, qui in 2. quæſt. 2. artic. 8. dixit Deum poſſe aſſerere falſum ſcienter, ſed nemo audet apertè negare actum ſupernaturalem infallibilem ex natura rei, ratio eſt, quia actus ſupernaturalis eſt ſpecialiſſimè intentus à Spiritu-ſancto; eſt formalis, vel virtualis Dei locutio, & titulo ſuæ perfectionis ſupra vires naturæ, at perfectio maximè neceſſaria & fundamentalis cognitioni eſt veritas, quidquid enim ſit de claritate cognitionis, de extenſione ad plura obiecta; potiùs hæc ſine veritate deprimit, quàm extollit cognoſcentem; nam eò turpior eſt quis, quò viuidius, vel plura falſa comminiſcitur quid omnis actus ſupernaturalis eſt debitus ſoli Deo, egregia verò Deitatis laus eſt, ſi ſibi approprieт errorem. Confirmatur, nam inter actus ſupernaturales obſcurior eſt, & quoad apparentiam infirmior fides, tamen huius certitudo falſo ſubeſſe nequit, id definiente Tridentino, ſeſſione 6. cap. 9.

Veritas eſt perfectio maximè neceſſaria cognitioni.

2 Obiicies 1. cognitio ſupernaturalis poteſt concurrere ad aſſenſum falſum, ergo etiam ipſa cognitio ſupernaturalis poterit eſſe falſa; conſequentia ſuadetur quia æquale videtur abſurdum vtrobique, iam enim Deus eſt cauſa ſpecialis ſaltem mediata falſi, requiriturque ſpeciale auxilium gratiæ, & Spiritus-ſancti ad falſitatem, antecedens autem probatur, quando præmiſſa naturalis iungitur cum alia falſa, verbi gratia: *Chriſtus eſt homo*, ſed *omnis homo habet potentias indiſtinctas ab anima*, ergo *Chriſtus habet potentias indiſtinctas*, quæ conſequentia falſa exiſtit ex prima præmiſſa ſupernaturali non minùs, quàm ex ſecunda naturali erronea.

Pater Koninc diſput. 12. de actibus ſupernaturalibus dubio 4. Pater Hurtado diſput. 29. de fide ſect. 4. Pater Torres & Bannez, cum aliis Thomiſtis ibi negant antecedens, ego tamen illo conceſſo ob rationem adductam numero præcedenti, quam latè premit Ripalda tomo 2. diſpur. 56. 52. nego conſequentiam; nam tunc præmiſſa ſupernaturalis per ſe, & ex propria determinatione, ſed per accidens ex prauo conſortio præmiſſæ falſæ, ſic autem Deus ipſe influit in actum peccati, quid ergo mirum, ſi id concedatur cognitioni ſupernaturali, quæ ſimpliciter non eſt dicenda inclinare ad errorem, cùm tota deceptio reducatur in aliam naturalem falſam, quare Spiritus-ſanctus nullo modo eſt dicendus nec mediatè adiuuiſſe ſuo auxilio ad falſum, nam qui ponit cauſam indifferentem non cenſetur nec mediata cauſa mali vsùs illius, qui venit ex prauâ alterius determinatione, maximè quando talis cauſa indifferens plus inclinat in bonum vſum, auertitque à malo. 3

Obiicies 2. ipſa concluſio falſa ſic deducta, eſt ſupernaturalis, licèt enim præmiſſa fidei per accidens influat in illam concluſionem falſam, tamen ipſa concluſio. Ergo *Chriſtus habet potentias indiſtinctas*, per ſe exigit eam præmiſſam fidei, nam ducitur ex eo quòd Chriſtus ſit homo. Tum ſic ſed actus qui per ſe exigit ſupponitque ex parte ſui principij (licèt non mutua exigentia) aliquid ſupernaturale, ſupernaturalis eſt: Ergo, &c. De hac obiectione plura dicam diſput. 5. modò ex diſputatione præcedenti num. 14. conſtat actum concluſionis non pendere per ſe determinatè à præmiſſis formalibus, ſed ab obiectiuis, vnde loco præmiſſæ fidei: *Chriſtus eſt homo:* connaturalius præcederet alia naturalis, quando concluſio eſt falſa, & conſequenter talis concluſio non ſupponit per ſe aliquid ſupernaturale. 4

Obiicies 3. Cognitio iudicans ineſſe miſeriam pauperi illam ſimulanti, eſt falſa; tamen eſt ſupernaturalis, cùm per illam reguletur miſericordia ſupernaturalis: etenim miſericordia dirigitur per cognitionem proponentem eius obiectum, obiectum autem miſericordiæ eſt miſeria proximi, quam odit, & depellere nititur miſericordia. Reſpondeo effectus miſericordiæ dirigitur per cognitionem qua iudicatur proximus dignus commiſeratione, ſeu honeſtè odio haberi poſſe eius miſeriam, item probabile eſſe, quòd miſeriam habeat, quæ omnia vera ſunt, & ſufficientia vt voluntas abſolutè oderit miſeriam. 5

Qui actus dirigat miſericordiam erga pauperem fictum.

Obiicies 4. ſic propoſitio ſupernaturalis, quæ dicar indefinitè ſine vlla determinatione inſtantis: *Petrus currit* hæc cognitio eſt vera, dum in inſtanti *A* in quo currit: falſa in *B* in quo quieſcit: rurſus ſi determinet inſtans tendens de præſenti: *currit in A* ſemper erit falſa, ſi cognitio perſeueret in *B* & ſequentibus inſtantibus, nam innuitur hoc quod eſt currere in *A* actu dari in *B* quod falſiſſimum eſt. Hoc argumentum maximam vim habet vt probetur falſa cognitio ſupernaturalis de potentia abſoluta, vnde infra ampliùs vrgendum eſt; modo Reſpondeo ex natura rei non poſſe talem actum elici, nec durare vltrà durationem ſui obiecti directi, vel indirecti. Quare verbi gratia, Sanctus Ioſeph, qui ante horam natiuitatis Chriſti Domini crederet de futuro: *naſcetur Chriſtus*, neceſſariò mutaret actum fidei in inſtanti natiuitatis, etiam ſibi ignotæ, vel ſi adhuc diceret de futuro: 6

Cognitio ſupernaturalis affirmans actionem pro inſtanti determinato, nequit vltra illud durare.

futuro: *Naſcetur*: ille actus non eſſet fidei ſupernaturalis.

SECTIO II.

Nec de potentia abſoluta poteſt eſſe falſa cognitio ſupernaturalis.

7 HÆc ſententia ita certa eſt, vt iam à nullo Theologo contrarium affirmetur, imo à pluribus cenſeatur non poſſe ſine temeritate affirmari, vnus autem P. I. M. de Ripalda, qui multùm inclinat in partem affirmantem, fatetur ſe ei non planè ſubſcribere, tom. 1. de ente ſupern. diſp. 59. num. 33. licèt in antecedentibus ſuorum ipſe argumentorum acumini, penè cedat, quare præcipua huius veræ ſententiæ probatio erit eorum ſolutio, de qua in ſequentibus, nemo enim eſt, qui illam planè non amplecteretur, ſi ſperaret, poſſe ſe contrariis obſiſtere.

8 Probationem à priori ſuppeditant, quæ dixi num. 1. ea enim etiam militant contra potentiam abſolutam, vti nec per hanc fieri poteſt, quòd Deus falſum loquatur, quòd detur peccatum ſupernaturale, &c. expendantur obiecta, quæ ponam in ſequentibus, & apparebit pænè omnia facilè torqueri poſſe contra potentiam ex natura rei, maximè fortiſſimum illud argumentum de cognitione reflectente ſuprà æternam ſui durationem, de quo in tract. de viſione in fine. Deinde non poteſt Deus ex ſe velle cognitionem ſupernaturalem, & ſimul nolle eius obiectum, ſeu quando non vult eius obiectum, nullum titulum habet, imò impeditur velle exiſtentiam cognitionis ſupernaturalis, ergo talis cognitio nequit eſſe falſa, conſequentia patet, nam implicat falſificari, niſi eius obiectum deficiat: antecedens probatur, illa repugnantia non datur in Deo, eo quòd violet aliquod debitum phyſicum, ratione cuius cognitio abſtractiua nullum phyſicum nexum habet cum obiecto exteriori, nec immediatè, nec mediatè, ſiquidem per ſpecies omninò extraneas fit, ergo illa repugnantia naſcitur ex indecentia morali, quæ refunderetur in Deum: at indecentia moralis æquali titulo repugnat Deo, ſiue ex natura rei; ſiue de potentia abſoluta: Ergo vtroque modo repugnat cognitio ſupernaturalis falſa.

9 A poſteriori etiam idem probatur, nequit fides ſupernaturalis reddi falſa, nec de potentia abſoluta; non ſolùm loquendo de aſſenſu, qui procedit circa myſteria reuelata, ex ſuppoſitione reuelationis Diuinæ, ſed nec poteſt reddi falſus aſſenſus fidei de exiſtentia ipſius reuelationis, ergo nec poteſt reddi falſa etiam Diuinitus illa cognitio ſupernaturalis: conſequentia probatur, tum quia in actu fidei inſtantur argumenta contra cognitionem ſupernaturalem infallibilem eſſentialiter, tum etiam quia fides ſaltem duci poteſt ex eo, quòd cognoſcat aliquid à Deo eſſe ſupernaturaliter declaratum, quod fit per cognitionem ſupernaturalem; omnis enim cognitio ſupernaturalis eſt patratio miraculi inductiui, ſeu inducentis perſuaſionem obiecti cogniti, Deus autem virtualiter loquitur quando facit miraculum in confirmationem alicuius dicti. Vnde confirmatur, nequit Deus facere miraculum in confirmationem doctrinæ falſæ, vti non poteſt falſa docere, ſed producere cognitionem ſupernaturalem ſine obiecto, foret maximum miraculum, tum quia fit contra id, quod exigit ipſa cognitio ſupernaturalis ex natura rei, vt ipſi aduerſarij fatentur, tum etiam, quia omne ſupernaturale eſt miraculoſum, & conſequenter ipſa cognitio: Ergo nequit repræſentare falſum, ſicut nec fides.

Cognitio ſupernaturalis quomodo ſit locutio Dei.

Antecedens in numero præcedenti, nempe fidem non poſſe eſſe falſam, tanquam indubitabile 10
ponit Cardinalis de Lugo diſput. 4. de fide nu. 88. ex Sancto Bonauentura, & aliis aſſerentibus fidem eſſe tam infallibilem, quàm præſcientiam Dei, de quo latè in tractatu de fide, modò breuiter ſuadetur 1. quia omnis actus fidei cenſetur æqualis certitudinis, ergo ſicut implicat falſificari actus, qui eſt circa myſterium, ita qui eſt circa exiſtentiam reuelationis. 2. qui cognoſceret fidem, quam habet, eſſe ſupernaturalem, non poſſet de ipſius veritate formidare, ideo namque nunc certiſſimi ſumus, quia fidem ita certam in ſe putamus, ipſaque fides datur ne formidemus, at ſi, vel diuinitus poſſit eſſe falſa, quantumuis ſciremus nos credere fide diuina, poſſemus formidare, & dubitare, an ſcilicet Deus vtatur potentia abſoluta? 3. quia actus fidei eſt locutio Dei formalis aut virtualis, Deus enim per ipſam loquitur, vel ſaltem vult credi ipſi loquenti; locutionem autem Dei poſſe eſſe falſam blaſphemum eſt.

SECTIO III.

Proponitur locutio Dei amphibologica, & retorquetur in fauorem veræ ſententiæ; vbi quæ amphibologia ſit licita.

HInc ſumitur 1. obiectio, Deus poteſt ita loqui, 11
vt eius fides ambigua ſit, & incerta, iuréque poſſit credens de ipſius veritate formidare, ergo fides ſupernaturalis poteſt eſſe falſa, conſequentia patet ex numero præcedenti, tota enim ratio, ne poſſit fides eſſe falſa, nititur in eius firmitate, qua omnem formidinem, & ambiguitatem expellit à credente, antecedens probatur, nam poteſt Deus vti amphibologia, & æquiuocè loqui in diuerſo ſenſu, ab eo, in quo accipitur ab audiente, ergo iſte adhuc permanet dubius de certitudine ſuæ fidei; qui enim dubitat de ſenſu, in quo proferuntur verba, æquè incertus manet de mente loquentis, ac ſi loquens poſſet falſa dicere.

Confirmatur ſi amphibologia ſit per reſtrictio- 12
nem mentalem loquentis, vt fieri poſſe licitè, latè defendit Sanchez lib. 3. Summæ cap. 6. Leſſius cap. 11. dub. 10. & cap. 49. dub. 6. vbi eius acerrimus defenſor Theophilus Raynaudus in appendice contra Barneſium falsò Benedictinum: poteſt Deus, verbi gratia, rogatus, *an venerat Meſſias?* reſpondere: *non venit:* retinendo mente: *in carne impaſſibili:* at hoc ſi poſſibile ſit, non minùs inducit formidinem in credente per fidem, quàm ſi fides eſſet falſa, nam ſemper timeri poterit de locutione Dei, ſubſit-ne reſtrictioni mentali? ergo ſicut poſſibilis eſt amphibologia hæc, ita & falſitas fidei de potentia abſoluta. Confirmatur Ioan. 7. rogatus Chriſtus aſcenſurus-ne eſſet in diem feſtum. Reſpondit: *non aſcendo:* reſtringendo mentaliter *manifeſtè.* Nam poſteà occultè aſcendit, tunc fides data illis verbis, vt potè data Chriſto Domino, fuit ſupernaturalis, & tamen falſa; ergo.

Occaſione huius argumenti duplex amphibolo- 13
gia diſtinguenda eſt; prima dicitur mentalis, retenta in mente aliqua orationis parte, per quam

Duplex amphibologia: Mentalis, & externa ſenſibilis.

externa locutio integretur, & quæ ſi exteriùs appareret, locutionem exteriorem a falſitate liberaret, vt in exemplo adducto in numero præcedenti. 2. Amphibologia dicitur ſenſibilis, quia ipſa verba exteriora ſecundùm communem vſum de ſe admittunt multiplicem ſenſum, vt rogatus: *veneritne homo francus?* Reſpondeas: *non venit Gallus*, quæ propoſitio vera eſt, dum non venerit auis gallinacea: hæc ſecunda amphibologia licita eſt, ſi adſit iuſta cauſa, vnde & à Deo vſurpari poteſt; ratio eſt, quia verba ipſa in ſe, vera ſunt, licèt obſcura, quare non decipitur audiens, niſi per accidens, quia non ſcrutatur diligenter eorum ſignificationem, vt dum audit latinum ſermonem, qui non benè eum capit.

Senſibilis licita.

14 *Secus mentalis.* Prima amphibologia per reſtrictionem mentalem illicitam cenſeo cùm Coninx tract. de fide, diſput. 10. dubio 3. Cardinal. de Lugo ibi diſp. 4. num. 41. ratio eſt, quia virtus veracitatis ipſam locutionem, quæ audienti apparet, obligat conformari cum mente loquentis, tum quia hoc neceſſarium eſt ad rationale commercium, quod reſpicit veracitas; commercium enim rationale non iudicat de occultis; tum etiam, quia illud conformandum eſt per veracitatem cum mente, quod deformari poteſt; mentalis autem ſenſus, qui ſuperadditur verbis externis implicat deformari menti: Ergo cùm verba ipſa externa in ſe ſunt falſa, à mendacio non liberantur. Confirmatur 1. quia nil mali, aut incommodi apparere poteſt in mendacio, quod non inueniatur in hac amphibologia, æquè enim vtrobique fides loquentis vacillaret; quid enim audientis refert, habeat-ne loquens diuerſum ſe ſum internum, quem velit coire cum externis verbis, an contraìre? Confirmatur 2. nam ſi licet amphibologia mentalis, nunquam euenire poterit formale mendacium; implicat enim, quòd verba externa etiam mendaciſſimi hominis, ſi coniungantur cum mente, componantque vnum ſenſum cùm interno; implicat inquam quòd ſic non ſint veriſſima; nam pone apparere ad extra internum ſenſum dicentis mendaciter: *non eſt Deus*, & iudicantis internè ſe falſum dicere; procul dubio apparebit huiuſmodi ſenſus: *Deum non eſſe falſum eſt*: quod veriſſimè dicitur.

15 *Opponitur confeſſionis ſacramentale ſigillum.* Sed contra hoc, ſolùm apponam arctiſſimum confeſſionis ſigillum, quod nunquam licet reſerare, quare ſemper confeſſarius abſque mendacio negat peccata pœnitentis, alioqui non teneretur ea negare, cùm ad mendacium nemo teneri poſſit, ergo cùm ſæpè verba in ſe æquiuoca non ſuperſint, fiunt æquiuoca per reſtrictionem mentis. Reſpondeo ſignificationem verborum, vt ſuppono non eſſe ipſis intrinſecam, ſed extrinſecam ad libitum Principis imponentis talem ſignificationem iam in caſu poſito & ſimilibus; Deus, qui poteſt verbis ſignificationem imponere, vel natura rationalis, quando quis rogatur illegitimè, vult ea ſemper æquiuocè ſignificare, extra hos autem caſus, cùm ſignificatio verborum externorum non mutetur, mendacium eueniet nonobſtante reſtrictione mentis, ſed de hoc aliàs.

16 *Actus fidei connectitur eſſentialiter cum vero, & genuino ſenſu reuelationis, etiam ſecundùm reſtrictionem mentalem.* Admiſſa etiam mentali amphibologia hinc retorqueo argumentum; actus fidei ſupernaturalis ſaltem circa myſteria reuelata & credita ex ſuppoſitione reuelationis Dei, certiſſimus eſt, vt nullus poſſit de eius veritate formidare, quod fatentur ipſi aduerſarij, ergo quia actus fidei attingit, & eſſentialiter connectitur cum exiſtentia ſui obiecti vt ab ipſo affirmati, conſequentia patet, nam ex argumento obiecto manifeſtè fit nullam ſecuritatem gigni ex eo præcisè, quòd Deus aliquid reuelauerit, ne poſſit hoc aliter ſe habere, ſiquidem præter verba externa poteſt in mente Diuina aliquid latere, ergo ſemper neceſſarium eſt per actum fidei attingi tum verum ſenſum reuelationis, tum reuelationis ipſius exiſtentiam, & conſequenter implicat actum fidei falſificari etiam Diuinitus.

SECTIO IV.

Opponitur erroris infuſio à ſolo Deo, & ſoluitur obiectio.

SEcundò obiicitur errorem naturalem poſſe infundi, vel ſaltem conſeruari à ſolo Deo, vt authore ſpeciali vltra exigentiam cauſarum ſecundarum agente. Ergo ſimiliter poteſt dari cognitio ſupernaturalis falſa, conſequentia probatur 1. quia in caſu poſito actio productiua vel conſeruatiua talis erroris, cùm eſſet ſupra exigentiam naturæ, ſupernaturalis cenſenda foret, idem autem abſurdum eſſe videtur, ſi Deus det ſpecialem concurſum, & ſupernaturalem in errorem, quod foret dato errore ipſo ſupernaturali. 2. In ſententia probabili non diſtinguitur intellectio ab actione, ergo ſi actio eſt ſupernaturalis, etiam & cognitio erronea ab ea indiſtincta. 3. Siue dicatur error naturalis, ſiue non, Deus illum cauſat vt ſpecialis author, dum ſine vlla rerum exigentia ex ſolo ſuo libito, & motu proprio illum infundit, ſi ergo id non implicat nec indecens eſt Deo, neque dedecebit, ſi cognitio ſupernaturalis ſit falſa. 17

Iam antecedens nempe Deum poſſe ex ſe infundere errorem, probatur primò, quia iſte ſæpè eſt effectus prædeſtinationis, & ex gratia per Chriſtum, vt tenet Vaſquez 1. 2. diſput. 186. num. 7. verbi gratia, quando quis occiſurus Petrum inimicum præſentem abſtinet ab occiſione; quia putat eſſe Paulum, qui amicus eſt; effectus autem prædeſtinationis bene poteſt eſſe à Deo. Secundò error non eſt malus moraliter, ergo poteſt Deus eſſe cauſa per ſe illius, ſolùm enim Deus eſt alienus à cauſalitate peccati. Tertiò ille eſt cauſa ſpecialis falſi, qui eſt cauſa ſpecialis abſentiæ obiecti, quando datur cognitio affirmans; ſed Deus eſt cauſa ſpecialis abſentiæ obiecti, quando datur cognitio affirmans, verbi gratiâ affirmat cognitio Petri peccatum, Deus infundens gratiam ſpecialiſſima cauſa eſt, vt peccatum deficiat, ergo eſt cauſa ſpecialis falſitatis illius affirmationis. Quartò, quia poteſt Deus infundere ſpeciem impreſſam, & apprehenſionem inclinantem, & determinantem neceſſariò ad errorem iudicij, id patet in apparitionibus, quæ fiunt in Euchariſtia, quas non aliter euenire, quàm infundente Deo ſpecies formarum, quæ ibi non ſunt, ſed purè apparent, docent S. Thom. 3. part. quæſt. 76. art. 8. Scotus 4. diſtinct. 11. quæſt. 1. art. 2. & alij Theologi cum Molina 1. part. quæſt. 57. art. 1. diſput. 2. memb. 2. Ergo ſimiliter poterit Deus infundere iudicium falſum: probatur conſequentia, nam cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati, neceſſariò per talem cauſam. 18

Vnde confirmatur totum argumentum, poteſt Deus miraculoſo concurſu iuuare ad errorem, miraculoſo inquam, vel quoad modum vt in apparitionibus prædictis Euchariſtiæ, vel etiam quoad ſubſtantiam miraculoſo, cur enim non poterit infundere ſpeciem impreſſam ſupernaturalem, vel etiam 19

etiam apprehenſionem, non exiſtente obiecto, ſiquidem neque in ſpecie, neque in apprehenſione datur falſitas ergo ſimiliter poterit ſe ſolo infundere errorem, & ſupernaturalem cognitionem, conſequentia probatur, nam per talem ſpeciem ſupernaturalem iam facit miraculum inductiuum, imo neceſſitans ad errorem, apprehenſio enim proponens obiectum ſub omnimoda ratione exiſtentis neceſſitat ad aſſenſum de exiſtentia apparenti, quamuis hæc verè non detur, vt patet in viſione materiali lucis: tunc ſic facere miracula in confirmationem doctrinæ falſæ, ſeu inductiua falſi aſſenſûs, perinde eſt, ac reddere falſam cognitionem ſupernaturalem: vt dixi num. 9. Ergo ſicut Deus poteſt primum, ita & ſecundum.

Deus non poteſt per ſe, & ſe ſolo infundere errorem, ne iſte cenſeatur opus Dei proprium.

20 In primis antecedens negatur, Deus per ſe & ſe ſolo non poteſt infundere errorem, aliàs quid abſurdi erit dicere nos decipi à Deo poſſe? quid enim refert ſi Deus decipiat verbo, vel facto. Igitur ſicut ob Dei excellentiam negamus quod eius dicta poſſunt perſuadere falſum, ita & quod eius facta falſum perſuadeant, hinc quando in ſacris litteris dicitur, Deus hominem excæcare, vel decipere: explicant Eccleſiæ Patres, quòd id præſtet permiſſiuè, quare errorem poteſt quidem Deus, vel occaſionare, vt quando tollit obiectum cognitionis, vel intendere per ſe, vt faciendum per cauſas ſecundas; non tamen vt opus proprium Dei, ſic poteſt intendere ex ſe locutionem falſam alterius, qui non mentiatur formaliter, ſed materialiter: ipſe tamen nullam locutionem falſam poteſt proferre: Ratio eſt, quia plura indecenter fierent à Deo agente ſe ſolo, quæ quando fiunt in conſortio cauſarum ſecundarum ob munus cauſæ primæ, vel aliud ſimile cohoneſtantur: ſtrictiùs enim actio imputatur Deo motu & nomine proprio facta, vt quando operatur ſolus, quàm quando non ita operatur, ſed aſſociatus, ex quibus faciliter poteſt deduci contrariorum ſolutio, de quibus latiùs tractatu de fide, & peccatis.

Bene occaſionare per accidens.

21 Ad præſens nego conſequentiam obiectionis in §. 17. quia eo ipſo, quòd error ſit naturalis, iam talis eſt, qui poſſit venire per ſe ex exigentia naturæ, vnde etiam quando fit vel conſeruatur vltra naturæ exigentiam ipſi naturæ tribuitur eius à veritate deuiatio; nullumque habet error ille naturalis titulum in ſe, ratione cuius refundatur in Deum, vt in authorem falſitatis; ſecus ſe habet ſupernaturalis cognitio, quæ in ſe eſt inſtrumentum Dei, eius nomine notificans obiectum; ob quod ſi eſſet falſa, innueret ſaltem virtualiter Deum falſa loqui, & teſtificari.

22 Probationes poſitæ in §. 17. quæ contendebant eandem eſſe rationem de errore naturali infuſo à ſolo Deo, ac de cognitione ſupernaturali falsà facilè ſoluuntur. Ad primam reſpondeo actionem, qua produceretur error à ſolo Deo poſſe eſſe naturalem, quia eadem actione, qua Deus concurrit cum cauſa ſecunda ad effectus, poteſt etiam ſe ſolo illos conſeruare, nam per ſe adæquata, & diſtincta eſt ab actione cauſæ ſecundæ vt dixi in Philoſophia: deinde permitto ſupernaturalem eſſe; aſt non producit locutionem Dei propriam; ſed naturæ: ideò Deus liber eſt à falſitate. Ad ſecundam nego omnem actum vitalem neceſſariò indiſtinctum ab actione, quæ fit à creatura, licèt aliquis forte non diſtinguatur. Ad tertiam, Deus licèt cauſet per ſe, & ex intentione propria errorem; aſt non errorem, ſeu actionem concipiendi ſuam, ſed alienam in quo minus difformitatis apparet. Deus enim ſic vult quidem errorem, ſed non facit errare, propriè loquendo, quia non fallit errore, qui ſit actio Dei.

Ad confirmationem in num. 19. fateor multipliciter poſſe Deum ſupernaturali concurſu occaſionare errorem, vel faciendo illas apparitiones in Euchariſtia vltra exigentiam rerum, vel etiam infundendo ſpeciem, vel apprehenſionem ſupernaturalem, quæ ſub omnimoda ratione veri repræſentat exiſtentiam obiecti, ac proinde neceſſitet ad eius aſſenſum, quando obiectum non exiſtit; denique per actionem intrinſecam ſupernaturalem concurrendo directè ad errorem naturalem. 23

Cæterùm in nullo ex his caſibus facit miraculum, quod ſit in confirmationem falſi, ſed quod ſit occaſio falſi, in quo magnum eſt diſcrimen, primum enim imputaretur Deo. Secundum naturæ. Tunc miraculum fit in confirmationem falſi, quando patratio ipſa miraculi diuinam expreſſionem continet falſitatis; hoc eſt doctrinam Dei propriam, quæ falſa ſit, vel ſaltem ordinatur miraculum ad falſam doctrinam perſuadendam tanquam Diuinam; Aſt apparitio in Euchariſtia, ſpecies vel apprehenſio ſupernaturales, & miraculoſæ, licèt ſint Dei propriæ; nihil tamen falſi continent, ſiquidem non datur falſitas ſimpliciter in apprehenſione, aliunde non ordinantur ad doctrinam vt Dei propriam. Ob quam rationem, quando ipſa actio ſupernaturalis directè concurrit in errorem (cùm miraculum ipſum non exprimat falſum, neque item fiat à Deo ex intentione, vt acceptetur error tanquam Dei proprius) ſimpliciter in confirmationem falſi per ſe non fit. 24

SECTIO V.

Opponitur cognitio ſupernaturalis durans per plura inſtantia, & ſoluitur obiectio.

TErtiò obiicitur, cognitio ſupernaturalis quæ dicat verbi gratia *Chriſtus naſcetur* hæc cùm non ſit eſſentialiter alligata tempori, ſaltem diuinitus poteſt, quæ fuit in Abraham nunc conſeruari, nulla namque eſt entitas creata, quam Deus in quolibet inſtanti producere, vel conſeruare nequeat, vt dicam diſput. vlt. de viſione. Sed talis cognitio nunc eſſet falſa, vt dixi §. 6. & latè oſtendo in Philoſophia cognitionem mutari de vera in falſam variatione temporis. Ergo ſaltem diuinitus cognitio ſupernaturalis poteſt, &c. 25

Confirmatur 1. in cognitione exprimente in actu ſignato inſtans verbi gratia Lucæ 3. *Anno 15. imperij Tyberij Cæſaris factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannem*, quæ cognitio falſa eſſet, ſi daretur in anno 14. vti cognitio: *Petrus currit in A*, ſi ipſa duret in *B*, vt dixi ſupra §. 6. Confirmatur 2. omnis cognitio dum affirmat ſuum obiectum implicitè affirmat ſuam præſentiam in inſtanti in quo eſt ipſa, verbi gratia, dum dico in A, *Petrus currit* implicitè ſcio me actu pro tunc cognoſcere, & illud inſtans coëxiſtere meæ cognitioni, neque enim meam cognitionem quaſi futuram, ſed omnino præſentem ſentio, idque non per aliud niſi per ipſam cognitionem, quæ dicit: *nunc in inſtanti A, in quo Ego ſum*, de quo latè dixi in Philoſophia. Tunc ſic ſed cognitio ſupernaturalis durans in B falsò id affirmat: Ergo cùm negari nequeat, quin valeat durare in B falſa etiam reddi valebit. 26

Hæc obiectio mihi vrgentiſſima eſt, qui veriſſi- 27

mam

mam ſentio doctrinam, cui innititur. Alij facilè apprehendunt ſine diſpendio veritatis, ſola connotatione facta ad inſtans proportionatum, poſſe nunc cognitionem loqui de præterito, contra quos latè ago in philoſophia, & in tractatu de ſcientia Dei aliquid dicam in diſput. de coëxiſtentia futurorum cum æternitate.

28 Modò abſolutè reſpondeo obiectioni, eam cognitionem Abrahami poſſe quidem ſecundùm ſe, vel etiam in ſubiecto incapaci conſeruari diuinitùs, ſecus verò in capaci quod reddatur *cognoſcens*, ſic gratia iuſtificans ſecundùm ſe, vel etiam in ſubiecto incapaci poteſt coniungi cum peccato; aſſenſus item cum diſſenſu, ſecus in ſubiecto capaci, ne ſequantur duo contradictoria, qualia ſunt apud me eſſe ſupernaturalem cognitionem, & falſam; vide pro hac ſolutione diſputat. vltimam de viſione.

29 Hinc proportionatè idem reſpondeo ad 1. confirmationem in §. 26. illa cognitio, ſi ſit ſupernaturalis, nequit durare in B. in ſubiecto capaci. Ad 2. fateor cognitiones ſupernaturales ſæpè durare per plura inſtantia; fateor etiam quando exiſtunt in A, implicitè affirmare, quòd pro tunc ſunt actu exiſtentes; fateor denique cognitionem in B, falſam eſſe, ſi de ſe affirmet implicitè, quòd exiſtat ipſa in A. At cenſeo ſignificationem implicitam cognitionis non ſolùm ſupernaturalis, ſed etiam naturalis variari pro ſingulis inſtantibus; ita enim omnis cognitio conſignificat tempus ſui, vt quando eſt in A, repræſentet ſe pro tunc exiſtere, quando in B, iam ipſa appellet ſupra B, vnde in ratione conſignificantis, & appellantis determinatè ſupra inſtans A, compleatur ex illo: Cuius inſtantia appoſitiſſima eſt in varietate ſubiecti cognoſcentis: ſit cognitio in Petro per illam ſcit Petrus ſe cognoſcere, & non Paulum, è contra autem, ſi eadem cognitio ſit in Paulo, Paulus ſcit ſe cognoſcere, & ſe non eſſe Petrum, nil enim clarius cognoſcenti eſt, quàm ſe cognoſcere. Hinc ergo cognitio elicita in A, eſt vera dum durat in B, quia tunc non cognoſcit ſe eſſe in A, ſed ſe eſſe in B, quod verum eſt.

DISPVTATIO V.

Vtrùm concluſio Theologica poſſit eſſe naturalis, quantumuis deducatur ex præmiſſa ſupernaturali fidei, à qua per ſe, vt formalis concluſio, dependeat.

VBI,

An effectus poſſit eſſe naturalis, quantumuis per ſe requirat conditionem ſupernaturalem.

SECTIO I. *Senſus quæſtionis.*

SECTIO II. *Defenditur propria ſententia affirmatiua.*

SECTIO III. *Sententiæ negantis fundamenta proponuntur, & ſoluuntur.*

SECTIO IV. *Defenditur poſſe effectum intrinſecè naturalem pendere à prærequiſito ſupernaturali.*

Vt omninò expedita, planaque ſternatur via ad diſputationem ſequentem de ſupernaturalitate Theologiæ, etiam præſens diſputatio neceſſariò præmittenda eſt, etenim quemadmodum, vt conſtet quanti valoris & efficaciæ ſit ad deſtruendam ſupernaturalitatem concluſionis Theologicæ naturalitas præmiſſarum, ex quibus deducitur; præmiſſa fuit diſputatio tertia; ita vt examinetur, impediat-ne naturalitati Theologicæ concluſionis ſupernaturalitas fidei, ex qua deducitur, præſens diſputatio meritò inſtituitur. Siquidem concluſio ſtrictè, & primariò Theologica ex æquo pendet ex vno principio ſupernaturali fidei, & ex alio euidenti naturali: imo aliquando, vti ex ſolis principiis naturalibus, ſic ex vtrâque etiam ſupernaturali præmiſſa deduci poteſt immediatè, ſeu ex duplici reuelata, vt dicam diſput. 7. Pro hoc igitur euentu, vel qui ad præſens pro eodem eſt, quando ſaltem vna præmiſſa eſt fidei ſupernaturalis, in hac diſputatione diſcuſſio euadat-ne neceſſariò Theologica concluſio ſupernaturalis; an iſta poſſit adhuc naturalis permanere; ex quo quid ſentiendum ſit de facto, faciliùs definietur in diſputatione ſequenti. Obiter etiam hîc examinabo generalem doctrinam pro conceptu actûs, & effectûs ſupernaturalis; ſit-ne iſte neceſſariò ſupra naturæ vires, excellentiamque ſupernaturalitatis attingat, eo ipſo quòd per ſe dependeat ab aliqua conditione, vel requiſito, non concurrente effectiuè, ſupernaturali, ex qua doctrina plura pendent, quæ in propriis locis adnotabo.

SECTIO I.

Senſus quæſtionis.

Svppono primò actum eſſe ſupernaturalem, qui tantæ excellentiæ eſt, vt fieri nequeat viribus naturæ ſolius, niſi concurrente aliquo ſupernaturali principio; ſic enim ſtrictiſſimè erit ſupra vires naturæ; illud autem, quod titulo excellentiæ eſt ſupra vires naturæ, ſupernaturale eſt. Suppono ſecundò concluſionem naturalem deduci poſſe ex præmiſſa ſupernaturali, dum talis præmiſſa determinatè ſupernaturalis non requiratur: nam vbi auxilium ſupernaturale per ſe non requiritur ad aliquem effectum; licèt iſte procedat à tali auxilio, non arguitur ſupernaturalis, ſed poteſt naturalis permanere; ſic ſubſtantia ignis, licèt naturalis, produci poſſet per aliquod principium ſupernaturale, quod non eſt imbecillius naturali. 1

Suppono tertiò, quantumuis bene poſſit deduci concluſio ex præmiſſa formali fidei; quin ab hac eſſentialiter pendeat, vt dixi d. 3. ſect. 2. in fine; At ad præſens, dandum eſſe etiam, quòd talis concluſio pendeat eſſentialiter à prædicta præmiſſa formali; aliàs ſine controuerſia poſſet eſſe naturalis iſta concluſio, vt patet ex §. præced. Vnde conſtabit quanti conducat ad ſupernaturalitatem effectûs, iſtum pendere eſſentialiter ab aliqua conditione ſupernaturali. 2

Hinc ſenſus quæſtionis eſt, Vtrùm poſſit concluſio manere naturalis; quantumuis vna præmiſſa, 3

miſſa, vel etiam vtraque à qua dependeat eſſentialiter concluſio) ſit fidei ſupernaturalis. Ex quo à fortiori conſtabit, quid dicendum ſit de ſupernaturalitate concluſionis Theologicæ, cui opus non eſt, licèt contingere poſſit, deduci ſemper ex præmiſſa formali fidei ſupernaturalis, vt tanquam notiſſimam veritatem & primam in hac materia oſtendi diſp. 1. num. 2.

SECTIO II.

Defenditur propria ſententia affirmatiua.

4 EAm concluſionem adhuc poſſe eſſe naturalem ſic probo. Ex vna præmiſſa formali fidei ſupernaturalis, & alterâ præmiſsâ naturali falſa poteſt deduci concluſio, ſed ea concluſio eſt naturalis, ergo concluſio deducta ex præmiſſa formali fidei, poteſt naturalis eſſe; conſequentia eſt bona. Minor patet, quia talis concluſio eſt falſa, conſtat autem ex tota diſputatione præcedenti cognitionem falſam non poſſe eſſe ſupernaturalem.

Neque obſtat, ſi dicas cum Cardinali de Lugo, diſput. 4. de fide num. 103. inclinante in ſupernaturalitatem prædictæ concluſionis, iſtam, quà ſupernaturalem, eſſe veram, licèt aliàs ſit falſa, quà naturalis, ad eum modum, quo dixi diſputatione 30. logicæ actum, qui plura obiecta ſimul attingeret dicendo, verbi gratia, *homo eſt rationalis, leo eſt hinnibilis:* eſſe verum, & falſum ſimul: non inquam obſtat, ſi hoc reſpondeas, tum quia illa doctrina logicæ, ſolùm procedit, quando cognoſcuntur plura diſparatè, ſecus quando per modum vnius, nemo enim dicet hanc propoſitionem eſſe veram. *Omne animal eſt rationale,* eo quòd animal aliquod rationale ſit. At hìc concluſio procedit per modum vnius circa identitatem extremorum inter ſe: tum etiam quia actus idem nequit eſſe naturalis, & ſupernaturalis ſimul; ſtatim enim, ac ex aliquo capite actus excedit naturam, omnino ſupernaturalis eſt, ſicut homo perfectior eſt omnino leone, quia ex capite rationalitatis, licèt non qua eſt animal, leonem excedit.

5 Maiorem ſuprà poſitam, nempe præmiſſam fidei ſupernaturalis in conſortio naturalis falſæ concurrere ad concluſionem, negat Hurtado diſput. 19. de fide, cenſens præmiſſam ſupernaturalem impediri ex prauo conſortio; vnde vel omnino non deducetur concluſio, vel deducetur ex aſſenſu naturali, qui comitatur ſemper aſſenſum ſupernaturalem circa idem obiectum. Ego tamen eam maiorem probo, quia perinde eſt me loqui falſum, ac locutionem aliam aſſerentem idem obiectum, quod ego teſtificor, falſum dicere, ſi ergo alius aſſenſus naturalis circa idem obiectum, quod aſſerit ſupernaturalis præmiſſa, poteſt in falſam concluſionem inclinare, ſine abſurdo poterit etiam præmiſſa fidei. 2. per præmiſſam fidei: *Chriſtus eſt homo;* perſuadetur quis conditionaliter *Chriſtum eſſe incorporeum, ſi omnis homo eſt incorporeus.* Quid ergo mirum, quòd is, qui abſolutè putat omnem hominem eſſe incorporeum, id affirmet de Chriſto. 3. illa præmiſſa fidei poteſt ſuadere, conuincereque intellectum vt erret, ita vt impediat aſſenſum verum; ſaltemque virtualiter affirmet falſum, etenim qui putat hominem eſſe incorporeum, adhuc ſentire poterat vere Chriſtum eſſe corporeum; niſi affulſiſſet fides, quòd Chriſtus ſit homo; ob quam iam impeditur, tuncque virtualiter affirmat Chriſtum eſſe incorporeum, ſi ergo id præſtat præmiſſa fidei ob prauum cõſortium præmiſſæ falſæ cur non poterit cum illa influere in concluſionem falſam.

Secundò arguo, nam intellectus natura ſua diſ- 6
curſiuus eſt in omni materia, vt per accidens ſit, quòd materia ſit inferior vel ſuperior, dum ſub æquali forma proponatur, ſic dicet extrema eſſe idem inter ſe, ſi identificentur omnino cum tertio, quodcumq; hoc ſit: neque Arithmeticus difficiliùs aſſentitur quatuor Angelos eſſe duplo plure, quàm duos, difficiliùs inquam, quàm dum idem iudicat de quatuor hominibus. Ergo ſimiliter intellectus vi ſua dicet: *Si Chriſtus eſt homo, erit riſibilis.* Atqui hanc veritatem penetrat, eique vt ſic conditionatè aſſentitur, abſolutè poſitæ dat aſſenſum abſolutum, quin referat vnde venerit talis poſitio abſoluta, ſi enim facta hac ſolùm per impoſſibile, intellectus procedit ad conſequentiam viribus propriis, quidni ſi vero & ſolido fundamento fidei talis poſitio nitatur. Ergo intellectus vi ſua valebit ad aſſenſum concluſionis Theologicæ, licèt ad talem aſſenſum per ſe requiratur præmiſſa ſupernaturalis.

Tertiò ſupernaturalitas ſatis excluditur ab ali- 7
qua operatione, dum iſta adæquatè continetur ſub virtute efficienti naturæ, ad ipſamque ſolæ vires naturæ influunt. At hoc ſtat quantumuis talis operatio per ſe dependeat ab aliquo requiſito, vel conditione ſupernaturali; ergo ſimiliter ſtat naturalitas concluſionis, quantumuis per ſe requirat præmiſſam ſupernaturalem. Conſequentia probatur à paritate. Maior etiam patet, tum quia Pelagianus audiret, qui aſſereret per ſolas vires efficientes naturæ produci actum fidei, quantumuis ſine aliqua conditione ſupernaturali dari nequiret, hoc autem in actu fidei ſolo titulo ſupernaturalitatis contingit; tum etiam vbi ſtant vires actiuæ adæquatæ, ſimpliciter ſtat *ſufficientia* quantumuis deſit aliqua conditio; natura autem ſimpliciter non eſt ſufficiens per ſe in quacunque hypotheſi ad operationes ſupernaturales.

Effectus ſupernaturalis nequit adæquatè contineri ſub virtute efficienti naturæ.

Minor propoſitio nempe poſſe dari in natura 8
vires actiuas adæquatas ad operationem, quæ eſſentialiter pendeat à conditione ſupernaturali. Probatur 1. in actu peccati contra legem amandi donum ſupernaturale quidditatiuè cognitum, vel in actu gaudij vanitatis de tali cognitione quidditatiuâ: tale peccatum eſſentialiter pendet ab illa cognitione, cognitio autem quidditatiua doni ſupernaturalis, etiam ſupernaturalis eſt, & generaliter ſi libertas ſit actui eſſentialis, in quo caſu arguo hìc, opus eſt vt peccatum omittendi actum ſupernaturalem eſſentialiter pendeat à potentia ſupernaturali: talis autem actio, cùm ſit peccaminoſa, adæquatè ſit à natura. 2. actus qui oritur ab vna præmiſſa ſupernaturali, & alia naturali falſa, poſita aduerſariorum ſententia, quòd omnis concluſio eſſentialiter pendeat determinatè ab iis præmiſſis formalibus, à quibus ſemel oritur, talis inquam actus, cùm falſus ſit, etiam fiet adæquatè à natura ſimiliter. 3. cognitio, qua Angelus cognoſcit hominem mortuum reſurrexiſſe, naturalis eſt, (licèt à miraculo ſupernaturali pendeat) vidit hominem viuum, mori, & iterum viuere.

Poſſunt in natura dari vires adæquatè actiua effectus, eſſentialiter à pendentis, conditione ſupernaturali.

Et huius ratio à priori eſt, quia ſæpe conditio, 9
vel applicatio aliqua paſſi, ſeu obiecti, indebita eſt ſimpliciter agenti, licèt agens, poſita tali applicatione, propria virtute adæquatè agat. Sic per accidens,

cidens, & extra debitum applicatur lignum igni; qui tamen ex hac ſuppoſitione, propria virtute lignum comburit; ſic etiam virtus pœnitentiæ exerceri non poteſt, niſi poſito peccato, cuius poſitionem afferre nequit, qua tamen datâ propriâ virtute elicit contritionem. Ergo etiam natura valebit producere effectus ex aliqua conditione, quam natura ipſa efficere, nec exigere poteſt: at res, quam natura non poteſt nec efficere, nec exigere, eſt ſupernaturalis: ergo natura, ſimiliterque intellectus efficere poteſt propriis viribus effectum, ſeu concluſionem naturalem, licèt eſſentialiter pendentem à præmiſſa ſupernaturali.

SECTIO III.

Sententiæ negantis fundamenta proponuntur, & ſoluuntur.

11 POſſe eſſe naturalem concluſionem ex præmiſſa ſupernaturali negant, qui generaliter docent concluſionem Theologicam neceſſariò eſſe ſupernaturalem. Ita Molin. Faſol. Amic. Tann. Smiſing Zumel, & alij Thomiſtæ hìc. Probant 1. quia concluſio mouetur ex motiuo præmiſſarum, ſaltem virtualiter, reſoluiturque in doctrinam præmiſſarum: nam in obiecto materiali, quod infertur, nõn reſpicit veritatem ſufficientem ad mouendum, niſi ex præmiſſarum luce. Ergo concluſio mouetur ſaltem partialiter ex motiuo præmiſſarum ſupernaturalium; ſed actus ſpecificatus ab obiecto formali ſupernaturali, ſupernaturalis eſt; cur enim ex principio ſupernaturali extrinſeco ſupernaturalitatem ſortietur, & non ex motiuo formali intrinſeco. Ergo concluſio quando per ſe oritur ex præmiſſa ſupernaturali, ſupernaturalis eſt.

12 *Quando motiuum ſupernaturale arguat ſupernaturalitatem in cognitione.* Reſpondeo iuxta dicta diſp. 3. n. 9. vt præmiſſa ſit ſupernaturalis, non eſt opus eius motiuum eſſe ſupernaturale; ſed hoc dato: adhuc actus ſpecificatus ab obiecto ſupernaturali non eſt ſupernaturalis, niſi quando attingit obiectum ſupernaturale quidditatiuè, & immediatè. Etenim tunc ſolum concurrit obiectum, ſicut eſt in ſe, poteſtq; communicare ſuam perfectionem. At quando per ſpecies alterius attingitur, vt contingit obiecto formali fidei, non mirum, ſi in actu non reſplendeat excellentia obiecti; ſed potiùs ſapiat naturam alterius: quod cernere eſt in cognitione circa Deum, quæ eſt ſupernaturalis, quando Deum vt eſt in ſe, attingit; ſecus quando per ſpecies alienas, vt in viâ. Ergo concluſio deducta ex tali præmiſſa ſupernaturali ſic imperfectè, & per ſpecies alterius tendente, non erit ſupernaturalis.

13 *Bonum argumentum vt præmiſſæ influant efficienter in concluſionem, cognitio in amorem.* Probant 2. præmiſſæ influunt efficienter in concluſionem, ſed effectus per ſe exigens principium ſupernaturale influens, eſt ſupernaturalis: ergo concluſio per ſe deducta ex præmiſsâ ſupernaturali, eſt ſupernaturalis, conſequentia patet, & minor ex §. 1. huius diſputationis. Maior mihi placuit d. 32. logicæ ſect. 5. cum S. Thoma, & Ariſtot. 1. poſter. c. 1. Quam rurſus probo, quia cauſa vt producat effectum nequit pendere ab aliqua re, quæ ipſi nullas vires addit: ſi enim cauſa robuſtior non redditur, nec maioris virtutis actiuæ, ſiue exiſtat talis res, ſiue non, vt quid requiret conſortium illius? Item ſi nihil phyſicum præſtat in effectum talis res, vt quid effectus requiret alterius exiſtentiam? Ergo ponenda non eſt dependentia effectus ab aliquo requiſito, vel conditione non influente efficienter: (& conſequenter nec concluſionis à præmiſſis) aliàs liceret ponere dependentiam vnius ab alio ſine vllo munere phyſico, ſeu per meram ſympathiam v. g. vt potentia volitiua, licèt non ſit ipſa cognoſcens, pendeat, vt à conditione, ab eo, quod intellectus diſtinctus cognoſcat: effectus creatus pendeat à voluntate Dei; licèt Deus immediatè non influat in effectus cauſarum ſecundarum. Similiter habitus ſupernaturalis, licèt ſit tota ratio agendi, pendebit à potentia naturali, vt à conditione pura. Ergo ſi intellectus vt efficiat concluſionem, pendet à præmiſſis, ſignum eſt per has efficienter iuuari, ſeu eius vires efficientes augeri.

Facile poterat huic fundamento occurri reſpondendo concluſionem illam eſſe ſupernaturalem phyſicè; ſed non Theologicè; nam iuuamen illud ſupernaturale non exigitur titulo excellentiæ, & perfectionis, quam habeat concluſio; ſed peculiaris reſpectûs, & præſuppoſitionis ad præmiſſam ſupernaturalem, de qua diſtinctione latè egi diſput. de viſione, & ſic etiam diſtinguit Card. de Lugo, diſp. 5. de fide num. 115. duplex genus entium ſupernaturalium, alterum ſupernaturalium formaliter, & ratione ſui, qualis eſt *gratia ſanctificans, fides*, &c. alterum ſupernaturalium præſuppoſitiuè quales ſunt actus, qui licèt non poſſint dari niſi præſuppoſito aliquo miraculo, illo tamen ſuppoſito debentur naturæ, vt in inſtantiis adductis ſect. præced. & adducendis ſect. vlt. & ita debetur naturæ intellectûs, poſitis præmiſſis quibuſcunq; diſcurrere. 14

Verius tamen dicetur, non ſemper debere præmiſſas efficienter concurrere, ſed aliquando poſſe purè directiuè; Vnde poterit concluſio adhuc contineri in virtute actiuâ adæquatâ naturæ. Nec obſtat dependentiæ eſſentiali concluſionis à præmiſſis, quod iſtæ efficienter phyſicè nihil præſtent immediatè; nam mediatè requiri poterunt ad phyſicã efficientiam v. g. vt Deus præparet ſuum concurſum potentiæ, vel etiam vt paſſum ſit ſufficienter diſpoſitũ. Quare cùm virtus actiua potentiæ augeatur, & magis proportionetur ob conſortium diuini concursûs, vel ex eo quòd paſſim ſit diſpoſitum, iure requiret intellectus, vt efficienter producat concluſionem, conſortium præmiſſarũ, licèt iſtæ efficienter non concurrant. Et ita puto ſæpe plura requiri immediatè ad agendum, licèt immediatè non influant; ideoque reputentur vt pura conditio; hoc autem plus phyſicũ eſt, quàm mera ſympathia, quæ meritò reiicitur, quando nullus titulus inuenitur dependentiæ phyſicæ vt in inſtantiis adductis §. 13. 15 *Statuitur quo pacto præmiſſæ poſſint requiri ad concluſionem, in quam immediatè non influunt actiuè efficienter.*

Probant tertiò: concluſio pendet ſaltem directiuè à præmiſſis: Ergo connaturaliter debentur concluſioni præmiſſæ eiuſdem ordinis, quemadmodum cõnaturaliter amori debetur cognitio dirigens eiuſdem ordinis, vt amori ſpirituali ſpiritualis cognitio, ſupernaturali ſupernaturalis. Ergo concluſio, ſi naturalis ſit, nequit connaturaliter requirere præmiſſas ſupernaturales. Reſpondeo, vis directiua proportionata debet eſſe cum actu directo, quatenus actui directo ſuperioris Ordinis non ſufficit per ſe dirigẽs inferior, vt dixi diſp. 3. §. 18. At è contrà dirigens ſuperior bene ſufficiet inferiori directo, dum potentia directionis incapax non ſit. 16

Ratio eſt, quia in cauſa admittitur bene maior perfectio, quam in effectu, non tamen è contra; cauſa enim dare poteſt minùs, quàm habet; non tamen magis; ſic nemo dicet potentiam naturalem non ſatis inſtrui cognitione ſupernaturali ad naturalem amorem, licèt demus cognitionem naturalem amori ſupernaturali non ſufficere. Dixi *dum* 17

potentia talis directionis incapax non ſit. Ob quod potentia corporea nequit elicere appetitionem materialem ex cognitione ſpirituali; quia incapax eſt, vt per talem cognitionem dirigatur, ſeu cognoſcat.

SECTIO IV.

Defenditur poſſe effectum naturalem per ſe pendere à prærequiſito ſupernaturali.

18 EX contraria opinione difficilis reſultat quarta obiectio. Operatio, & effectus, qui per ſe, & eſſentialiter exigit requiſitum ſupernaturale, vt fiat, non poteſt contineri in naturali potentiâ actiuâ adæquatè; Ergo neque concluſio, ſi per ſe requirat ſupernaturalem præmiſſam. Conſequentia patet. Antecedens oſtenditur ex communi Theologorum, qui eo præcisè argumento oſtendunt ſupernaturalitatem in merito vitæ æternæ, verbi gratiâ in actu fidei, & charitatis, quia nequit fieri ſine auxilio, & vocatione ſupernaturali.

19 Ratio etiam idem probat. Vbi effectus nequit fieri ſine auxilio gratioſo, & ſupernaturali, iam natura non habet ius ad talem effectum, cùm non habeat ius ad media neceſſaria, vt ille ponatur: iam ſimpliciter talis effectus eſt indebitus; nulli namque eſt debitus finis, ad quem obtinendum requiruntur media indebita; At effectus indebitus, & gratioſus naturalis eſſe non poteſt; Ergo nec poteſt contineri ſub adæquata potentia naturæ effectus, qui vt fiat, exigit eſſentialiter requiſitum ſupernaturale. Explicatur; ſi effectus ſit naturalis, etiam erit potentia naturalis ad illum, quæ poſſit naturaliter reduci in actum: potentia enim non eſt, niſi quatenus in actum reduci poteſt. At non poteſt quis naturaliter ſe in actum reducere, vbi aliquo auxilio ſuperiori indiget, quod non eſt ſub eius poteſtate; Ergo, &c.

20 Secundò etiam arguitur non poſſe præmiſſam eſſe ſupernaturalem, ſi per ſe exigatur à concluſione naturali: Nam illud dicitur ſupernaturale, quod eſt ſupra naturam non ſolùm *efficientem*, ſed etiam *exigentem*; non ſolùm ſupra naturam, ſed etiam ſupra omnem: hoc eſt, quod nulli rei naturali debetur, à nulla re natûrali efficitur adæquatè, nec exigitur; vt enim dixi diſp. de Viſione, ſupernaturalitati non ſufficit eſſe ſupra vires actiuas, niſi ſit etiam ſupra exactiuas; ideo anima rationalis ſupernaturalis non eſt, quia licèt nequeat produci ab ente naturali, producitur tamen ad eius exigentiam; rurſus licèt ſit ſupra exigentiam plurium entium naturalium, tamen naturalis eſt, eo ſolùm, quòd non ſit ſupra omnia; producitur enim ad exigentiam materiæ diſpoſitæ. Tunc ſic, ſed illa præmiſſa non eſt ſupra exigentiam prædictæ concluſionis, ſed eſt ipſi maximè debita, cùm eſſentialiter requiratur ad productionem talis concluſionis. Ergo ſi iſta ſit naturalis, iam præmiſſa non erit ſupra exigentiam totius naturæ, & conſequenter nec ſupernaturalis.

21 Sed contra: nam, vt conſtat ex ſectione ſecunda, bene poteſt effectus in ſua naturalitate permanere, contineríque ſub actiuitate adæquata naturæ, quantumuis non daretur, niſi præſuppoſito aliquo ſupernaturali: Vt enim conſtat ex dictis, contingit ſæpe naturam ipſam, poſitâ aliquâ re miraculosâ, & ſupernaturali, iam propriâ & adæquatâ virtute producere effectum, quem aliàs non valebat, ipſique deberi concurſum ad operationem aliàs indebitam. Sic Angelo naturaliter debetur videre hominem reſuſcitatum, quem mortuum præuidit, nobiſque nullum eſſet obſtaculum naturaliter, quin videremus colorem, quantumuis in duplici loco collocatum; & tamen nullis viribus nec Angelus, nec nos poſſumus elicere eas viſiones, nec ius vllum ad eas habemus, niſi omnino gratis præſupponantur ea miracula.

Ad fundamentum in contrarium §. 18. Reſpondeo, ſupernaturalitatem actuum fidei, & charitatis non ſumi præcisè ex indigentia alicuius prærequiſiti ſupernaturalis vtcumque, ſed *prærequiſiti* per modum auxilij adiuuantis infirmitatem noſtram, ſupplentiſque inſufficientiam naturæ, quod non facit, niſi auxilium coëfficiens; id autem non contingit hic, & patet in alijs, quæ requiruntur per modum conditionis, quæ quantumuis gratioſe, & extra debitum accidant, non ideo inadæquatè tantùm concurrit cauſa ad effectum ex tali ſuppoſitione; ſic per accidens approximatur hìc & nunc lignum igni; ex ſuppoſitione tamen talis applicationis, ignis propriâ virtute adæquatè comburit lignum. Et quis dubitet me viſurum Petrum in duplici loco exiſtentem, ex ſuppoſitione quòd bilocetur ſupernaturaliter. 22

Ratio adducta §. 18. ſolùm probat impotentiam proximam, & completam ex omnibus requiſitis; non autem tollit potentiam adæquatè effectiuam ex ſuppoſitione, quia tamen potentia ſimpliciter non eſt, quæ proximè, & omnino expedita non eſt; ideo natura, quæ ſe ſolâ non eſt proximè expedita, & applicata, adeoque ad applicationem non habet ius, ſimpliciter caret etiam iure ad effectum abſolutè, ſecus ex ſuppoſitione; ſicut patet in virtute pœnitentiæ, quando abeſt peccatum, in igne quando exiſtit Valliſoleti, & lignum comburendum Romæ: Simpliciter & abſolutè ignis Valliſoletanus *impotens* eſt ad comburendum lignum Romanum, ex ſuppoſitione tamen *potens* adæquatè. Neque ſufficit ſupernaturalitati effectûs hunc eſſe ſimpliciter indebitum, ſi non ſit indebitus ob defectum virtutis actiuæ in natura, ſed ob defectum conditionis. Similiter neque obeſt naturalitati potentiæ hanc non poſſe abſolutè ſe reducere in actum, dum talis impotentia veniat præcisè ex defectu conditionis, quâ poſitâ naturalis potentia viribus proprijs ſe in actum reducat. Quod exemplo ignis manifeſtũ fit. 23 *Potentia ſimpliciter non eſt, quæ proximè, & omnino expedita non eſt.*

Ad ſecundam rationem, qua intenditur in §. 19. præmiſſam non fore ſupernaturalem, eo ipſo quòd exigatur à concluſione naturali. Reſpondeo ens ſupernaturale eatenus eſſe ſupra exigentiam naturæ totius, quatenus nulli naturæ eſt debita eius productio; ſed ita totus ordo ſupernaturalis gratioſus eſt, & indebitus, vt ad nullius exigentiam, & ius teneatur Deus illum producere; id autem non tollitur, quantumuis aliquis effectus naturalis nequeat exiſtere ſine prærequiſito ſupernaturali, vt cauſetur: nam effectus nullum ius habet ad cauſam, cùm nondum ſit ante cauſam; ius verò, & exigentia, quæ conceptum doni liberalis, & gratuiti (qualem requirit ſupernaturalitas) deſtruit, debet eſſe antecedens; ideo principium meriti non cadit ſub meritum, ſed ipſi accidit gratioſè, ideo cauſa non datur quia eſt effectus, ſed è cõtrà effectus quia eſt cauſa. Tunc ſic, at ſola illa exigentia naturæ deſtruit ſupernaturalitatem, quæ tollit ab ente ſupernaturali rationem doni & gratiæ. Ergo exigentia naturæ, tanquam effectûs producti ad requiſitum ſupernaturale, huius ſupernaturalitatem non deſtruit. 24 *Quatenus ens ſupernaturale ſit ſupra exigentiam naturæ.*

Quod

Quod validè confirmatur ex communi ſententia ſtatuente Deum eſſe ſubſtantiam ſupernaturalem, vt latè tuetur P. Didacus Alarcon 1. part. tract. 1. diſput. 2. cap. 7. Cùm Vaſquez, Granados, Arrubal, Faſol. Antonio Perez, Gonzalez, & aliis; & tamen ſubſtantia Dei ab omnibus effectibus naturalibus exigitur. Ergo ſupernaturalitati ſolùm obeſt exigentia præuia, & ius antecedens, cui debeatur res ſupernaturalis, non verò exigentia ſubſequens per modum effectûs ad cauſam.

25 *Relatio diſſimilitudinis rei naturalis ad supernat. Naturalis eſt.* Pro qua ſententia meritò adduci poteſt P. Alarcon vbi ſuprà cap. 4. defendens poſſe rem naturalem habere connexionem cum ſupernaturali; & quidem iuxta Thomiſtas omnes diſtinguentes relationem prædicamentalem à fundamento. & termino, relatio diſſimilitudinis, vel coëxiſtentiæ, quam habent res naturales ad ſupernaturales, entitatiuè naturalis eſt, alias plenæ eſſent omnes res naturales modulis ſupernaturalibus; & cùm certum ſit relationis modum reſultare ex fundamento, neutiquam putari poteſt quoad ſubſtantiam ſupernaturalis. Ergo cùm aliunde relatio prædicta per ſe requirat, eſſentialiterque exigat exiſtentem terminum ſupernaturalem; negandum non eſt effectum poſſe eſſe entitatiuè naturalem, ſub virtuteque adæquatè actiua Naturæ contentum, quantumuis per ſe requirat conditionem ſupernaturalem, relatio enim à termino, vt à conditione prærequiſita pendet.

26 *Angelus non cognoſcit omnes res naturales.* Ex qua inſtantia modi relationis ad terminum ſupernaturalem, conſtat abſurdum non eſſe negare comprehenſioni Angelicæ, & eius intellectui potentiam ad cognoſcendam aliquam rem naturalem, quando per ſe conectitur cum termino ſupernaturali, vel ſecundùm prædicatum, ratione cuius connexionem habet cum alio ente ſupernaturali, ita ſentit P. Alarcon ſuprà tract. 1. diſp. 1. cap. 2. num. 11. ſic naturaliter cognoſci nequit prædicatum potentiæ obedientialis; relatio tranſcendentalis creaturarum ad Trinitatem, vel ad omnipotentiam vt identificabilem cum Trinitate: Item ſecreta cordium creaturæ, licèt entitatiuè naturalia ſunt. Sic ergo cùm myſteria ſupernaturalia ſint quaſi ſecreta cordis diuini, debent per ſe latere intellectum omnem creatum, & conſequenter, latebit etiam quidquid cum illis connectitur.

DISPVTATIO VI.

Vtrùm de facto theologia ſit ſupernaturalis?

SECTIO I. *Sententia affirmans, & eius fundamenta proponuntur.*
SECTIO II. *Sententia negans præfertur.*
SECTIO III. *Reſpondetur fundamentis ſententiæ affirmantis.*
SECTIO IV. *Infertur habitus theologiæ naturalis, poſſeque inueniri in Hæretico.*

HVic diſputationi tres præcedentes deſeruiunt, ideo breuiter expedienda, licèt non contemnendam doctrinam contineat pro pluribus difficultatibus, quas in propriis locis de habitibus ſupernaturalibus expediam.

SECTIO I.

Sententia affirmans, eiuſque fundamenta proponuntur.

ITa Authores citati diſput. præced. ſect. 3. cum Ripalda to. 1. d. 55. ſect. 2. Mouentur 1. quia ad penetranda, & eruendas concluſiones Theologicas SS. 1
Patres docent nobis orandum Deum, quemadmodum docent orandum ad habend. in fidem; Ergo ſicut ex neceſſitate orationis colligitur fidei ſupernaturalitas, ita ſimiliter. Confirmatur; nam Theologia dicitur *diuinitus inſpirata ex Dei illuminatione, diuino lumine ſua obiecta cognoſcens*, &c. vt ſæpe hic loquitur S. Thom. hæc tamen attributa propria ſunt actus ſupernaturalis.

Secundò ad præmiſſam ſupernaturalem ſequitur per ſe aſſenſus concluſionis Theologicæ, ſed 2
aſſenſus, qui per ſe ſequitur præmiſſam ſupernaturalem connaturaliter loquendo, eſt ſupernaturalis. Ergo de facto concluſio Theologica eſt ſupernaturalis. Maior patet, nam præmiſſæ neceſſariò inferunt concluſionem. Minor probatur tum à paritate cognitionis ſupernaturalis, quæ inducit amorem ſupernaturalem; tum etiam quia connaturaliter loquendo Deus debet proportionare ſuum concurſum ad effectum conformem conditioni cauſæ exigentis illum, maximè quando cauſa agit neceſſariò, & quantum poteſt. Ergo cum præmiſſa ſupernaturalis poſſit inferre ſupernaturalem concluſionem, hæc illi ſaltem ex natura rei debebitur. Confirmatur quando vtraque præmiſſa ſupernaturalis eſt, nam iuxta connaturalem prouidentiam abſurdum eſt præmiſſas ſupernaturales orbari ſuâ proportionata concluſione, & Deus cùm poſſit eis præſtare ſupernaturalem concurſum, ſine cauſa negabit, & ſine fundamento Naturæ eleuatæ ad ordinem ſupernaturalem, concurſum magis conformem comprincipiis, quibus illum exigit. Cùm ergo Natura eleuata titulo ſupernaturalium præmiſſarum concluſionem exigat, concurſumque ad ipſam, concluſio, & concurſus erunt ſupernaturales.

Tertiò aſſenſus Theologicus dirigit, & excitat 3
amorem ſupernaturalem, nam amor ſupernaturalis, quem exercere quis poteſt circa plures perfectiones Dei, quæ in ſe reuelatæ non ſunt dirigi nequit per actum fidei, qui ſolùm tendit ad immediatè reuelata. Ergo reſtat vt dirigatur per alium actum cognitionis ſupernaturalis diſtinctum à fide; amor enim ſupernaturalis non dirigitur, niſi per cognitionem ſupernaturalem. At talis cognitio non eſt alia à Theologica; tum quia fruſtra recurretur ad aliud genus cognitionis ſupernaturalis; cum Theologia ſufficiat; faciliùs autem eſt ponere Theologiam ſupernaturalem, quàm nouum habitum ſupernaturalem fingere; Tum etiam quia plures veritates Theologicæ purè ſunt, etiam quæ ſupernaturaliter amantur, verbi gratia, iuſtitia ſtricta in Deo; Ergo tali amori correſpondebit cognitio Theologica.

Quartò quia proponi poteſt aliqua connexio 4
extremiatum inter ſe, ſeu aliqua concluſio ita abſtruſa & recondita in præmiſſis, vt ſine peculiari auxilio eleuante nequeat intellectus eam inferre, verbi gratia, non valet intellectus ex ſolo aſſenſu de omnipotentia Dei inferre poſſibilitatem ſubſtantiæ creatæ, identificantis ſecum intellectionem actualem; ſed opus eſt naturaliter, vt priùs

intellectus noſter addat aliam præmiſſam, & aſſenſum, quòd ſcilicet ſecundùm ſe non implicet in terminis talis ſubſtantia: illatio enim non fit ex vna tantùm præmiſſa. Ergo ſi diuinitus eleuetur intellectus vt ex ſola vna præmiſſa concluſionem prædictam inferat, talis concluſio erit ſupernaturalis cùm excedat naturales vires noſtri intellectûs.

5 Denique probatur ex certitudine concluſionis Theologicæ, quæ eſt ſupra omnem veritatem naturalem, vt ait D. Thom. hìc art. 5. vnde concluſio euidenter deducta ex vna præmiſſa fidei, & alia naturali euidenti, quæ ſtrictiſſimè Theologica eſt, non ſine periculo in fide negatur. Ergo cùm hæc certitudo non veniat ab euidentiâ motiui, veniet ex perfectione modi tendendi, & principij, à quo oritur talis concluſionis cognitio, quod proprium eſt cognitionis ſupernaturalis; certitudo enim cum obſcuritate non datur in cognitione naturali.

SECTIO II.

Sententia negans præfertur.

6 HAnc eligo loquendo de facto, Theologiam non eſſe cenſendã ſupernaturalem, quantumuis non implicet concluſionem Theologicam ſupernaturalem eſſe, vt conſtat ex diſputatione præced. ita apertè S. Thomas pluribus in locis, vt latè oſtendit P. Ioſephus Auguſtinus accuratiſſimus mentis Angelicæ ſcrutator, & interpres hic art. 3. diffic. 5. à num. 64. Vaſquez, Meratius, Granad. Arrubal, Arriaga, Martinon, Trigoſus, Bannez, & alij Thomiſtæ hìc Conink de ſupernaturalitate diſp. 4. dub. 6.

S. Thomas.
Ioſeph. Aug.
Vaſquez.
Meratius.
Granadus.
Arrubal.
Arriaga.
Martinon.
Trigoſus.
Bannez.
Conink.

7 Probatur primò; Theologia non eſt potiùs per ſe loquendo ſupernaturalis, quàm aliæ ſcientiæ, quas Philoſophi naturales habuerunt verbi gratia Metaphyſica, ſed hæc neque in nobis admittitur de facto ſupernaturalis; ergo nec Theologia: Conſequentia eſt legitima. Maior propoſitio, imo & totum argumentum probatur à fortiori, nam qui in Theologia ſupernaturalitatem ponunt, aliquid excellentius in eius obiecto, vrgentiuſque indigens lumine ſuperiori cogitarunt, quàm in aliis philoſophicis diſciplinis. Minor etiam eſt clara, ſic S. Doctor ſupponit diſciplinas philoſophicas niti lumine naturali, neque vllus eſt, qui finxerit nobis infundi in via Mathematicam, vel Metaphyſicam ſupernaturalem.

8 Rurſus maior, nempe Theologiam de facto non argui potiùs ſupernaturalem, quàm Metaphyſicam, ſuadetur, nam loquendo de poſſibili; ſicut circa Theologicas veritates, etiam circa metaphyſicas poteſt eſſe ſcientia ſupernaturalis, vt patuit in ſcientia infuſa Chriſti Domini; item vt ſæpe dixi circa obiectum formale naturale poteſt verſari ſupernaturalis actus: vlterius ſi loquamur de facto ſæpe circa veritates metaphyſicas excitatur voluntas ad virtutis actus, vt quando conſiderat naturalem Dei perfectionem, animę immortalitatem, &c. ſæpéque religioſus Doctor orat Deum, vt ipſi metaphyſicas veritates aperiat, adiuuetque ad eas penetrandas; hæc autem ſunt argumenta pro ſupernaturalitate Theologiæ. Ergo Theologia non arguitur potiùs ſupernaturalis, quàm Metaphyſica.

9 Secundò arguo, aſſenſus Theologicus deductus ex vna præmiſſa probabili, licèt poſſibilis, ſit ſupernaturalis, vt latè dixi diſput. 3. At de facto ſupernaturalis non eſt: Ergo neque deductus ex præmiſſa euidenti; Ergo nullus aſſenſus Theologicus, quantumuis ex duplici præmiſſa ſupernaturali deductus, erit ſupernaturalis. Hæc ſecunda conſequentia manifeſta eſt; nam aſſenſus, ſeu concluſio, vt ad Theologiam ſpectet, quantumuis inferatur ex duplici præmiſſa fidei ſupernaturalis, ſemper tamen in aliquod principium naturale vltra reuelationem reſoluitur, neque huic ſoli innititur (aliàs Theologia non ſecernetur à fide) vt oſtendam diſput. ſequent. Primum antecedens poſitum in confeſſo eſt apud omnes, qui hanc quæſtionem diſputantes aduertunt, ſe præcisè loqui, quando aſſenſus Theologicus deducitur ex præmiſſa euidenti.

10 Iam verò hunc aſſenſum theologicum deductum ex præmiſſâ euidendi non eſſe conſtituendum ſupernaturalem, ſi ex præmiſſa probabili non conſtituatur de facto ſupernaturalis (vt dixi in prima conſequentia §. præced.) Probatur; quia ſupernaturalitatis argumenta potiùs militant in concluſione ex probabilibus; nam imprimis infallibilitas, quam ſupernaturalis aſſenſus petit, rectè poteſt ſumi in tali concluſione ex rectitudine principij non operantis, nec deducentis concluſionem ex probabili præmiſſa, niſi quando præmiſſa probabilis vera eſt in re, vt dixi diſput. 3. Deinde cùm Theologi potiùs, ſeu frequentiùs diſcurrant ex probabilibus, nulla enim ferè eſt Theologica concluſio, quæ ſub controuerſia non ſit, hæc eſt, quæ frequentiùs petitur à Deo; frequentiùs dirigit pios affectus voluntatis in diuinas perfectiones; Ergo maximè pro concluſione ex vna præmiſſa probabili conſtituendus eſſet aſſenſus Theologicus ſupernaturalis; Si igitur licèt poſſibilis ſit ſupernaturalis non ponitur de facto ſupernaturalis aſſenſus iſte, ideo eſt, quia ad id non cogimur ex vi obiecti præcisè ſecundùm ſe inſpecti; quantumuis admiſceatur reuelatio mouens aliam præmiſſam fidei; ergo idem conſequenter ſentiendum eſt, quando præmiſſa naturalis eſt euidens: hæc enim non plus attingit ſupernaturalitatis in obiecto, nec minùs congrua eſt naturæ intellectus, potenſque intellectum mouere, vt concludat adæquatè viribus propriis, quàm præmiſſa probabilis.

11 Ex quibus quaſi à priori ſic arguo tertiò ne de facto admittatur aſſenſus Theologicus ſupernaturalis. Nullus actus ſupernaturalis admittendus eſt de facto, niſi vel euidens ratio vel authoritas Eccleſiæ ſupernaturalitatem conuincat; ſed hìc nihil tale cogit ad ponendam ſupernaturalitatem in aſſenſu Theologico; Ergo iſte non eſt admittendus ſupernaturalis. Conſequentia patet, & maior, tum ne fingantur miracula ſine neceſſitate; omne enim ſupernaturale miraculoſum eſt; tum etiam quia ſicut boni Philoſophi eſt recurrere ad cauſas ſecundas in effectibus, quos experitur quando ratio oppoſitum non conuincit; ita boni Theologi recurrere ad eaſdem, quando poteſt (non contradicente ratione) etiam ſine præiudicio authoritatis Eccleſiæ vel principiorum, quæ ab illa dictantur.

Nullus actus ſupernaturalis admittendus eſt de facto, niſi cogente fide, vel ratione.

12 In præſenti autem nihil tale cogere vt poſuit minor propoſitio §. præced. Probatur; nam omne rationis, & auctoritatis argumentum, vt aliqua operatio admittatur ſupernaturalis, reducitur vel ad excellentiam modi tendendi, vt in cognitione intuitiua Dei, vel ad conducentiam ad vitam æternam, quando tali operationi viſio beata debetur mediatè,

mediatè, vel immediatè, cùm enim formaliter non ſit definita ſupernaturalitas aſſenſus Theologici ſolùm ex his capitibus colligi poteſt. Tunc ſic, aſſenſus Theologicus non habet modum tendendi ſupra naturam; potiùs enim connaturaliſſimũ eſt intellectui ex ſuppoſitione cuiuſuis præmiſſæ diſcurrere, aliunde talis aſſenſus nec per ſe meretur vitam æternam, ſiquidem non eſt liber; nec eidem debitus eſt concurſus directiuus in meritum vitæ æternæ (quo pacto poteſt cognitio mediatè conducere in vitam æternam, vt patet in actu fidei, qui licèt formaliter non ſit liber, conducit ad dirigendum amorem liberum ſupernaturalem) nam ſi fortè ex cognitione Theologica dirigitur tale meritum non fit, quia tale meritum debeatur cognitioni Theologicæ, ſed quia Deus gratiosè, cùm ſolùm deberetur amor naturalis, eleuat vim directiuam cognitionis Theologicæ, vt ad ſupernaturalem dirigat; Ergo aſſenſus Theologicus nullo titulo conuincitur ſupernaturalis.

SECTIO III.

Reſpondetur fundamentis ſententiæ affirmantis.

13 AD primum: in primis oratio non ſemper petit auxilium ſupernaturale, vt patet, quando oramus pro pluuia. Deinde oramus non vt infundatur nobis immediatè concluſio Theologica, ſed vt viuidior lux fidei affulgeat, qua nobis clarè pateat bonitas conſequentiæ. Præterea argumentum manifeſtè inſtatur in concluſione Theologica probabili, ad quam frequentiùs petimus lucem à Deo; & tamen, non ideo tu ipſe voles talem concluſionem eſſe ſupernaturalem. Ad confirmationem, vt Theologia dicatur ſimpliciter *inſpirata diuinitus*, ſufficit ſupernaturalem eſſe quoad principia fidei, cùm enim hæc intrinſecè includantur in Theologia, iam ſine Dei illuminatione Theologia non dabitur; vel dici poteſt loqui D. Thomam de concluſione Theologicâ obiectiuâ iuxta dicenda in fine huius ſectionis.

14 Ad ſecundum argumentum fateor concluſionem Theologicam ſequi per ſe ad præmiſſam fidei; cæterùm non ideo oportet concluſionem eſſe ſupernaturalem, vt patet quando concluſio infertur ex alia præmiſſa probabili: & ratio eſt, quia cùm concluſio non ſequatur ad vim actiuam præmiſſæ, ſed ſatis actiuitatis poſſit poni adæquatè in potentia naturali, iuxta dicta diſp. præced. non debet connaturaliter loquendo potentia intellectiua ſpoliari ſua vi, & connaturali effectu, qualis non eſt ſupernaturalis concluſio, ſed naturalis. In voluntate autem vt eliciat ſupernaturalem amorem, quando dirigitur per cognitionem ſupernaturalem, diuerſa ratio eſt, quia cùm in caſu, quo voluntas præuenta per cognitionem fidei de Deo, Deum amat, natura faciat quantùm eſt ex ſe, vt mereatur, Deus ex lege eleuationis per ſuam gratiam deficere non poteſt, quin meritum eleuet in finem ſupernaturalem; quæ eleuatio non fit, niſi præparando concurſum ad meritum, ſeu amorem ſupernaturalem, neque Deus ſe gerit præternaturaliter, eo quòd non tribuat concurſum proportionatum præmiſſis (quæ non concurrunt efficienter vt cauſa principalis) quia per prius debet attendere, vt naturalis author, ad virtutem principalem cauſæ agentis, *vt quod*, quæ cùm ſolùm reſideat in intellectu, naturalis eſt.

Ad confirmationem huius ſecundi argumenti in §. 2. etiam cenſeo concluſionem eſſe naturalem quantumuis oriatur ex duplici præmiſſa fidei (ſi talis concluſio non ſit ipſa etiam fidei actus, iuxta dicenda diſput. ſeq.) nam quoad fieri poſſit, ſoli fidei in via tribuenda eſt ſupernaturalitas, alioqui non eſſet cur ita vniuerſaliter definiretur, quòd *ſit impoſſibile ſine fide placere Deo:* ſiquidem non minus proportionata eſt ad meritum vitæ æternæ quælibet ſupernaturalis cognitio, quam fides. Neque abſurdum eſt præmiſſam ſupernaturalem orbari proportionata concluſione; abſurdius enim eſſet connaturaliter loquendo potentiam naturalem ſuo effectu proprio priuari, cùm ad id non cogat vllus titulus vel lex eleuationis; Ergo Deus maximè connaturaliter negabit præmiſſis ſupernaturalibus ſupernaturalem concurſum ad concluſionem. 15

Soli fidei in via tribuenda eſt ſupernaturalitas inter actus intellectus.

Ratio huius conſequentiæ eſt, quia Deus neque abſolutè loquendo, neque ex ſuppoſitione eleuationis, tenetur præbere concurſum ſupernaturalem, ſed potiùs naturalem. Non quidem abſolutè loquendo, quia titulo ſupernaturalis præmiſſæ, non impeditur natura, quin propriis viribus efformet diſcurſus; cùm enim non minus inſtruatur intellectus de identitate extremorum cum medio, quando præmiſſa eſt ſupernaturalis, ſimiliter non minùs exercet ſuas vires circa concluſionem; vti ignis, non minùs efficax erit ad comburendum lignum, eo quòd ſupernaturaliter applicetur. Rurſus neque tenetur Deus præbere concurſum ſupernaturalem ex ſuppoſitione, & lege eleuationis; nam licèt lex eleuationis petat ne meritum elicitum ex cognitione ſupernaturali, naturale ſit, quia alias foret inutile ad vitam æternam, & Deus denegaret gratiam facienti, quod eſt in ſe, vt notaui §. 14. At id non militat, ne concluſio Theologica ſit naturalis, cùm non ideo mediatè vel immediatè officiat merito vitæ æternæ. Ergo Deus vt Author naturæ connaturaliterque procedens, de facto non tenetur præbere ſupernaturalem concluſionem, ſed naturalem. 16

Quã do Deus teneatur præbere concurſum ſupernaturalem.

Ad tertium in § 3. Reſpondeo: vel aſſenſus theologicus eſt in conſortio actus ſupernaturalis fidei, vel non? Si primum, talis Theologia apud nullum eſt ſupernaturalis; ſupernaturalitas enim Theologiæ colligitur ex eo quòd pendeat ab aliqua præmiſſa ſupernaturali, & partialiter ſaltem innitatur reuelationi Dei, quod fit quatenus actu adſtat præmiſſa ſupernaturalis fidei; iam verò, ſi hæc adſtet ob tale conſortium, poterit concluſio Theologica quantumuis naturalis cum habitu ſupernaturali mouere ad cognitionem ſupernaturalem, vt ex communi opinione docet Ripal. diſput. 14. num. 2. & hic ipſi Aduerſarij volunt præmiſſam naturalem cum alia ſupernaturali fidei ſufficere ad ſupernaturalem concluſionem; Ergo ſimiliter quantumuis aſſenſus theologicus naturalis ſit, ſufficiet cum præmiſſa fidei ad ſupernaturalem amorem. 17

Neque obſtat bonitatem, quæ amatur ſupernaturaliter, ſæpe putè Theologicam eſſe, hoc eſt, cognoſcibilem ſolùm per Theologiam, non per fidem; cùm non ſit immediatè reuelata, non inquam obſtat; nam licèt fides ſola non ſufficiat ad aperiendam, verbi gratia, ſtrictam iuſtitiam Dei, ſufficiet applicata per Theologiam naturalem, ſicut habitus fidei infuſus paruulo in baptiſmo, non ſufficit ad credendum, quouſque adueniant ſpecies naturales. 18

Fides in conſortio Theologiæ naturalis dirigit ad amorem ſupernaturalem, de bonitate Theologicè ſcibili.

Ad

Theologica concluſio ſtrictè talis debet inferri euidenter.

19 Ad quartum in §.4. Reſpondeo, nunquam concluſionem Theologicam ita procedere, vt deducatur ex identitate extremorum cum tertio, non ſatis penetrata, quòd ſi aliquando ita infertur, infer.ut purè probabiliter, & non ſtrictè theologicè; etenim ſicut omnes requirunt ad concluſionem ſtrictè theologicam, quam contendunt eſſe ſupernaturalem, quòd deducatur ex præmiſſa naturali euidenti, ita etiam à fortiori, quòd deducatur euidenter. Quare illa concluſio, quæ poſſibilitatem ſubſtantiæ creatæ per identitatem intelligentis deduceret immediatè ex aſſenſu fidei de omnipotentia, non foret Theologica, cùm ſolùm vteretur vna præmiſſa fidei.

Concluſio obiectiua Theologia ſæpe eſt de fide; formalis ſine temeritate negari nequit.

20 Ad tertium, quando dicunt Authores concluſionem theologicam eſſe *veriſſimam*, vel etiam *diuinitus inſpiratam*. Reſpondeo ſermonem eſſe de concluſione theologica obiectiua; illa enim in ſe *& certiſſima* eſt, & ſæpe etiam immediatè reuelata etiam formaliter, ſiquidem cum reuelata identificatur; cæterùm ſi loquamur de concluſione formali; quatenus nititur connexioni extremitatum cum medio, vt hinc aſſentiatur connexioni earundem inter ſe; vt ſic non eſt ita certa. Adhuc tamen non ſine periculo negatur, quia potiùs præſumitur negans nutare circa veritatem obſcuram fidei, cuius aſſenſus libertati ſubeſt, quàm circa euidentem naturalem, quæ rapit intellectum neceſſariò.

SECTIO IV.

Infertur habitus Theologiæ naturalis, poſſeque inueniri in Hæretico.

21 Habitum Theologiæ eſſe naturalem quantumuis actus cōcluſionis ſtrictè theologicæ ſupernaturalis foret, probatur; habitus præcipuè adſtruendus eſt ad actus qui communiùs, & frequentiùs eliciuntur à Theologo. At hi ſunt ex probabilibus & conſequenter naturales, vt dixi §.10. Ergo & habitus: patet conſequentia, nam habitus non debet eſſe ſuperioris Ordinis, quàm actus, ad quos inclinat. Neque obſtat concluſionem theologicam aliquando deduci ex vna præmiſſa euidenti, nam præterquam quod etiam tunc concluſio naturalis eſt, vt conſtat ex ſect. 2. etiamſi foret ſupernaturalis, non ideo deberet poni habitus ſupernaturalis; nam cum rariùs contingat Theologiam vti præmiſſa euidenti, ſufficiet pro tunc auxilium extrinſecum, quin nouos habitus ſupernaturales multiplicemus, ne cogamur dicere omnes fideles eſſe Theologos, vt dicendum foret admiſſo habitu Theologiæ ſupernaturali, & infuſo; tunc enim daretur ad infuſionem gratiæ, quam ſequitur omnis habitus, qui de facto datur ſupernaturalis.

22 Hinc Theologia eadem quoad concluſionem datur in hæretico, quæ in viro Catholico; probatur contra Authores citatos diſput. præced. ſect. 3. Probatur inquam clarè ex dictis; quia hæretico ſolùm deeſt præmiſſa formalis fidei ſupernaturalis, quin obiectiuè quoad apparentiam ex diuerſo motiuo ducatur; eodem namque modo putat hæreticus ſacramentarius ſe aſſentiri propter reuelationem Dei, quando iudicat *Chriſtus eſt homo*: ac Catholicus. Ergo eadem concluſio: *Chriſtus eſt riſibilis* manere poteſt in vtroque: etenim vt dixi diſput. 3. ſect. 2. in fine, concluſio non pendet determinatè ab hac præmiſſa formali, ex qua procedit, ſed ab obiectiua.

Nihilominus ſi loquamur de Theologia integrè accepta, non ſolùm quoad concluſionem, ſed etiam quoad præmiſſas: ſic non poteſt eadem manere in hæretico, ſiquidem longè diuerſam præmiſſam fidei habet Hæreticus ac Catholicus Theologus, ideo num. præced. locutus ſum de Theologia præcisè quoad concluſionem. 23

DISPVTATIO VII.

De diſtinctione Theologiæ à fide, quoad concluſionem ex duabus præmiſſis reuelatis.

SECTIO I. *Concluſio euidenter deducta ex duabus reuelatis non eſt cognoſcibilis per Theologiam purè, ſed per fidem; accepta ſpecificatiuè.*

SECTIO II. *Ea concluſio vt formaliter deducta, creditaque propter præmiſſas reuelatas, purè Theologica eſt.*

SECTIO III. *Contraria ſententia, & eius fundamenta proponuntur, & reÿciuntur.*

PLVRA hìc diſputant Authores pro examinanda diſtinctione Theologiæ ab habitu fidei, quæ conſultò omitto, vel quia continent doctrinam generalem, & purè philoſophicam de diſtinctione habituum inter ſe, de qua nos latè Deo dante in opere Philoſophico; vel quia continent materiam minùs aptam, vel minùs ſubiectam ſcholaſticæ diſputationi, cui præcipuè inſeruire ſatago in his ſelectis diſputationibus, in earum, huiuſque operis fine daturus ad indicem quæſtionum & articulorum S. Thomæ, quidquid eius diſcipuli pro ipſo explicando in controuerſiam adducunt. Vt an ſit diſtincta ab aliis habitibus per ſe, vel per accidens? an diſtinguatur à Theologia Beatorum? vnde ſumat ſuam diſtinctionem? &c. De quibus interim videatur P. Chriſtophorus Gilius latiſſimè agens de vnitate, & diſtinctione Theologiæ tomo Theologicarum commentationum in 1. part. lib. 1. tract. 6. per totum. Antequam de ipſo Theologiæ habitu ego determinem, diſtinguendus-ne ſit ab aliis, conſtituenduſque ſpecialis ab habitibus fidei, & naturalis ſcientiæ diuerſus, vt dicam diſput. 9. priùs in hac, & ſequenti diſputatione examinationem præmitto de diſtinctione ipſorum actuum, qui ſint aſſenſus fidei, qui autem purè Theologici; & quidem ſicut nullum dubium eſt aſſenſum immediatè elicitum propter reuelationem Dei, ſeu quia Deus dicit, ſpectare ad fidem, ita abſque controuerſia eſt, aſſenſum, qui formaliter nititur principio naturali, quantumuis diuinæ reuelationi etiam innitatur, Theologicum eſſe. Solùm ergo ſub lite eſſe poteſt, an aſſenſus concluſioni ex duplici reuelata deductæ, poſſit aliquando purè Theologicus eſſe; & è contrà, an etiam quando vltra motiuum reuelationis adhibetur principium naturale ad aliquē, aſſenſus iſte poſſit ſolius fidei eſſe. Primum diſcutiam in hac diſputatione. Secundum in ſequenti curſim ſolùm, & ſumma capita difficultatum tantùm attingens, de quibus latiùs in tractatu de fide ad 2.2. S. Thomæ.

SECTIO

SECTIO I.

Concluſio deducta euidenter ex duabus reuelatis non eſt cognoſcibilis per Theologiam purè, ſed per fidem ſpecificatiuè accepta.

1 HOc eſt materialiter accepta veritas concluſionis huius ſyllogiſmi, verbi gratia, *omnis homo peccauit in Adam* (excepta puriſſima Matre Dei) *Sed D. Petrus eſt homo*, ergo *D. Petrus peccauit in Adam*: quæ propoſitio licèt immediatè, & formaliter ſub iis terminis in particulari reuelata non ſit, tamen de fide eſt, poteſtque per aſſenſum fidei credi eius obiectum & non ſolùm per aſſenſum Theologiæ.

2 Ratio huius aſſerti eſt, quia vi præmiſſarum ſatis proponitur reuelata veritas illius concluſionis, ſatis conſtat intellectui à Deo reuelatam eſſe, vt poſſit intellectus aſſentiri eidem immediatè propter ſolam reuelationem. Sed aſſenſus propter ſolam reuelationem immediatè eſt aſſenſus fidei; ergo illius concluſionis veritas per fidem credi poteſt. Minor, & conſequentia patent. Maior probatur quia aſſenſus vtriuſque præmiſſæ non minùs applicat reuelationem obiecto concluſionis, quàm immediata apprehenſio illius, vt reuelatæ: intellectus enim neceſſariò iudicat cuncta prædicata, quæ conueniunt homini, conuenire D. Petro, ſi eſt homo; & conſequenter reuelationem de peccato originali omnium hominum eſſe etiam de peccato D. Petri hominis. Tunc ſic: ſed intellectus iudicans imo purè apprehendens eſſe reuelatum, quòd *D. Petrus peccauit in Adam*, ſatis concipit hanc veritatem, vt poſſit ipſi aſſentiri, quia reuelata eſt ſuper fidem diuinam: Ergo &c.

3 Obiicies, eo ipſo quòd immediatè in particulari non reueletur illa veritas, quantumuis virtualiter reueletur, ſitque idem cum obiecto reuelato, iam non poſſe ex vi præciſè reuelationis cognoſci, niſi interueniat diſcurſus. Sed veritas, cui non poteſt aſſentiri ſine diſcurſu, Theologica eſt, & non de fide, vt dicam ſectione ſequenti; Ergo propoſitio ex duplici reuelata eſt theologica. Reſpondeo: diſcurſus dupliciter poteſt diſponi, vel vt excitetur cognitio de veritate aliqua, & de eo, quod reuelata ſit, vel per modum principij motiui, cuius veritati nitatur aſſenſus concluſionis, non autem nitatur ſoli reuelationi. Hoc ſecundo modo, quando diſcurſus neceſſarius eſt concluſio non terminat aſſenſum fidei, ſed Theologiæ, vt dicam ſect. ſeq. At primo modo, cùm non tollat diſcurſus, quominus adæquatè, & immediatè feratur aſſenſus propter reuelationem, nec tollet talem aſſenſum eſſe veræ fidei.

Quo modo diſponendus ſit diſcurſus, vt concluſio ſpectet ad fidem.

4 Explicatur quando credis: *omnis homo peccauit in Adam*, quantumuis vtaris diſcurſu hoc, *quando hæ voces dicuntur denotant hominem peccaſſe, ſed Deus dicit has voces*: Ergo *denotat hominem peccaſſe*. Quantumuis inquam vtaris hoc diſcurſu, non impeditur, quominus concluſio illa ſit de fide, quia ſcilicet non impeditur, quin immediatè feratur aſſenſus propter ſolam reuelationem; ita vt præciſè ſe habeant præmiſſæ illæ ad excitandas ſpecies, vt intellectus ſibi perſuadeat immediatè eſſe veritatem illam reuelatam. At ſimiliter ſibi perſuadet intellectus, dum audit: *omnem hominem, quorum vnus eſt Petrus, peccaſſe*: reuelatum eſſe Petri peccatum; etenim in vſu communi perinde hoc eſt, ac ſi explices obiectum iam voce paſſiua, iam actiua, breui verborum clauſula, vel circumlocutione; Ergo hìc veritas prædictæ concluſionis, ſpecificatiuè loquendo, per fidem cognoſci poteſt.

5 Obiicies ſecundò, hæc propoſitio: *Chriſtus eſt riſibilis*: eſt purè Theologica, & non fidei, etiam materialiter loquendo, & non ſolùm vt deducta per diſcurſum, vt dicam diſput. ſeq. & tamen illa propoſitio apparere poteſt vt reuelata vi præmiſſarum; nam ſi reuelatum eſt Chriſtum eſſe hominem, hinc intellectus euidenter iudicat etiam reuelatum eſſe, quòd Chriſtus ſit omne id, quod eſt homo, & conſequenter eſſe riſibilem, cùm riſibilitas euidenter identificetur cum homine. Reſpondetur, hìc riſibilitas non conſtat ex reuelatione identificata cum homine. Vnde propoſitio concluſionis: *Chriſtus eſt riſibilis*: non eſt formaliter idem cum obiecto reuelato, vt contingit in noſtro caſu; ſed de hoc clariùs conſtabit diſp. ſeq. in fine.

SECTIO II.

Ea concluſio vt formaliter deducta, creditaque propter præmiſſas reuelatas, purè theologica eſt.

HÆc aſſertio non opponitur præcedenti; rectè enim ſtat aliquam veritatem in ſe eſſe de fide, & nihilominus prout ſubeſt alicui medio vel motiuo non terminare aſſenſum fidei. Sic exiſtentia Dei, licèt ſit primus actus fidei, vt tamen ſubeſt medio ſcientifico demonſtrationis philoſophicæ, ad fidem non pertinet; ita ſimiliter dico hanc veritatem: *D. Petrus peccauit in Adam*: eſſe quidem de fide; at vt ſubeſt præmiſſis prædictis, licèt reuelatis; & quatenus cognoſcitur propter ipſas non terminare aſſenſum fidei, ſed purè theologicum à fide diſtinctum. Ita Molina & Valentia: hìc Suar. Turria. Lorca, apud Lugum Cardin. diſp. 1. de fide §. 278. 6

Molina. Valentia. Suarez. Turria. Lorca. Card. Lugo.

7 Probatur; quia aſſenſus prædictæ concluſionis, vt formaliter procedit tanquam concluſio per ſe pendens à præmiſſis, opus eſt vt intrinſecè non attingat motiuum præmiſſarum; ſi enim per vnum actum quis dicat: *D. Petrus peccauit in Adam, quia iuxta diuinam reuelationem eſt homo, & omnis homo peccauit in Adam*; Si, inquam, hoc dicat vnus, & ſimplex actus, vt quid indiget præuiis præmiſſis, ſeu diſcurſu præuio, ſiquidem talis actus independenter ab omni alio habet ſuum adæquatum motiuum; nullo alio indigens? Quis dubitet talem aſſenſum ſtare poſſe omni alia præuia præmiſſa deficiente? Ergo ſi aſſenſus iſte procedat vt concluſio formaliter eſſentialiter ſupponens, & pendens à præmiſſis, præciſe dicet: *D. Petrus peccauit in Adam*, quin intrinſecè attingat aliud motiuum; ſic enim ſtare non poterit ſine præuia luce præmiſſarum; cùm eius proprium obiectum ſit obſcurum; ſic eſſentialiter erit propoſitio mediata indigens, & ſupponens propoſitionem immediatam præmiſſarum; & ſic denique concluſio vt talis fundabit tertiam operationem intellectûs, ſi in ſe intrinſecè motiuum ſufficienter ſuadibile non reſpiciat, nec vlla ratione attingibile ab intellectu, niſi innitendo ſemper vero motiuo præmiſſarum, per haſque directo intellectu, vt latè explico in opere philoſophico diſtinguens tertiam operationem intellectus à ſecunda, & concluſionem à iudicio

Concluſio vt formaliter talis debet per ſe dependere à præmiſſis formalibus; & quando id accidat.

iudicio immediato, ſeu præmiſſis. Tunc ſic ſed concluſio præciſè dicens: *D. Petrus peccauit in Adam*, non eſt in ſe intrinſecè actus fidei; cùm nec attingat Dei reuelationem, nec aliquid diuinum, vt requirit fides, quæ eſt virtus Theologalis. Ergo aſſenſus prædictus illatus ex duplici reuelata, purè Theologicus eſt.

8 Inſtabis in ipſo actu, qui immediatè fertur in obiectum reuelatum, verbi gratia, *Deus eſt trinus*, quando elicitur per diſcurſum ex iis præmiſſis: *Quidquid Deus reuelat, eſt, ſed reuelat ſe eſſe trinum*; ergo *eſt trinus*. Hæc concluſio elicitur à fide; ponendum enim modò eſt cum plurium ſententiâ, fidem diſcurſiuam eſſe; & tamen prædicta concluſio non attingit intrinſecè reuelationem, nec veracitatem Dei, ne reflectat intrinſecè ſupra præmiſſas iuxta dicta; Ergo ſimiliter concluſio deducta ex duplici reuelata elicietur ab habitu fidei, cùm tandem reſoluatur in reuelationem, & veracitatem Dei ſaltem extrinſecè. Ob hoc argumentum negari poterat fides diſcurſiua, & præcipuè, ne detur aliquis actus eius, qui nullo modo ducatur authoritate Dei. Etenim præmiſſa, quæ ſoli aſſentitur exiſtentiæ reuelationis: verbi gratia, *exiſtit reuelatio de Trinitate:* nihil diuinæ authoritatis attingit, nec vllo modo mouetur ex authoritate Dei. Nec enim ſpectat ad authoritatem loquentis, vt patet in humanis, quòd credatur locutus, vel non.

9 Sed adhuc admiſſo poſſe fidem diſcurſiuè procedere, eiuſque aſſenſum per diſcurſum deduci, quando ipſa veracitas Dei præciſè diſponitur cum reuelatione in præmiſſis, ad inferendam concluſionem reuelatam, vt in diſcurſu obiecto: *Deus eſt ſummè verax, & quidquid reuelat ita eſt, ſed reuelat ſe eſſe Trinum*; ergo *eſt Trinus:* admiſſo inquam diſcurſum hunc ſpectare ad fidem, ſecus dicendum, quando concluſio deducitur ex duplici reuelata.

10 Ratio diſcriminis, quia fidei vnicum principium, & motiuum eſt connexio reuelationis diuinæ cum obiecto. Vnde id quod primò affirmat, & veriſſimum iudicat, eſt dari hanc connexionem. Quare dum ex eo quòd ſit Deum reuelaſſe Trinitatem, Trinitati aſſentitur, adhuc operatur ex vi ſui motiui; ſeu hoc motiuo præciſè impellente, ita vt per aſſenſum de Trinitate præciſè dicat vel formaliter, vel virtualiter reuelationem diuinam connecti cum ſuo obiecto. At verò in noſtro caſu aliquid amplius addit, nempe: *quidquid dicitur de omni homine, dici etiam de Diuo Petro homine*, quod principium independens eſt à veracitate Dei, quæ formaliter non impellit in aſſenſum talis principij, nec enim ſiquis illud nondum calleat perfectè, ideo iniurius erit Dei authoritati, quæ ſolùm læditur, cùm quis videns rem dici à Deo, illam negat.

Qui diſcurſus poſſit permitti fidei.

11 Hinc ſecundò meam ſententiam probo. Fides in ſuo aſſenſu præciſè honorem defert authoritati Dei, vt ideo præciſè rei teſtificatæ aſſentiatur, quia *Deus dicit*, opponaturque maximè huic blaſphemiæ; *licèt Deus aliquid dicat, non eſt verum*. Sic iuxta 1. Ioan. 1. 10. mendacem facit Deum, qui fidem negat; at aſſenſus concluſionis deductæ ex duplici reuelata non defert ſoli Deo honorem. Ergo aſſenſus ſic deductus non eſt fidei, ſed purè Theologicus. Conſequentia patet, & maior eſt per ſe nota. Minor probatur: nam intellectus in illo aſſenſu, etiam mouetur ſaltem virtualiter ex connexione, & identitate præmiſſarum cum obiecto concluſionis; licèt enim quis certus ſit de connexione reuelationis diuinæ cum ſuo obiecto, ſi tamen neget vel nondum penetret connexionem obiecti præmiſſarum cum concluſione, adhuc huic diſſentietur: ex quo non facit Deum mendacem, qui negaret D. Petrum peccaſſe in Adam, eo quòd putet nondum fuiſſe hanc veritatem reuelatam; quantumuis *omnis homo peccauerit in Adam, & D. Petrus ſit homo*: ergo ſignum eſt aſſenſum ex duplici reuelata non inniti ſoli authoritati Dei.

Tertiò ſic arguo à paritate ſimplicis aſſenſus non diſcurſiui, iſte non pertinet ad fidem, verbi gratia, *D. Petrus peccauit in Adam, quia omnis homo peccauit in Adam iuxta Dei reuelationem, & D. Petrus eſt homo:* Ergo nec concluſio ex duplici illa reuelata pertinebit ad fidem: Ergo *D. Petrus peccauit in Adam, quia iuxta fidem omnis homo*, &c. Conſequentia patet quia motiuum, quod intrinſecè attactum non conſtituit actum in aliqua ſpecie, multò minùs conſtituit, quando ſolum extrinſecè diſponitur in præmiſſis, vt patet. Antecedens ſuadetur. Nam iſte actus non reſpicit ſolam reuelationem, neque enim dicit, *D. Petrus peccauit in Adam quia Deus dicit* expreſsè, & formaliter, ſed quia dicit virtualiter & æquiualenter; vnde nititur talis actus, additque, quòd vtrumque ſit æquiualens; vbi autem additur aliquid, vel minimum reuelationi obiectiuè mouenti, iam actus non æſtimat ſolam reuelationem, neque eſt eiuſdem ſpeciei cum actu innitente reuelationi ſoli. Ideo iuxta ſententiam communem diſput. ſeq. vbi additur nouum principium naturale, licèt hoc cùm euidens ſit, faciat concluſionem virtualiter reuelatam eſſe, adhuc actus non eſt fidei. Ergo prædictus aſſenſus concluſionis vt formaliter deductæ, creditæque propter præmiſſas reuelatas non eſt fidei; ſed purè theologicus. 12

SECTIO III.

Contraria ſententia, & eius fundamenta proponuntur, & reyciuntur.

ASſenſum concluſionis, etiam vt formaliter deductæ ex duplici reuelata tenent eſſe de fide Scotus, Aureol. Vega, Canus, Vaſquez, apud Hurt. diſp. 10. de fide §. 2. Mouentur primo; Quia talis concluſio eſt propter motiuum præmiſſarum; eadem enim eſt ratio formalis aſſentiendi præmiſſis, & concluſioni, ſed præmiſſæ reuelatæ ſunt præciſè propter reuelationem; ergo & concluſio vt deducta ex illis. Aſſenſus autem, qui præciſè innititur reuelationi, eſt fidei. 13

Scotus. Aureol. Vega. Vaſquez. Hurtado.

Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: aſſenſus concluſionis eſt propter motiuum præmiſſarum, conſideratum præciſè in ſtatu, quo obiicitur præmiſſis, nego maiorem (quia in præmiſſis ſolùm conſideratur connexio reuelationis cum obiecto, ſecus in concluſione) conſideratum ſimul cum alio motiuo ſaltem virtualiter, ſcilicet cum connexione, ſeu identitate quam habent præmiſſæ obiectiuæ cum obiecto concluſionis, concedo maiorem. At ideo concluſio pertinere nequibit ad ſpeciem præmiſſarum, nam vbi vel partialiter variatur ratio formalis obiecti, aſſenſus etiam varius ſpecie eſt. 14

Mouentur ſecundò. Ad eandem ſpeciem pertinet aſſenſus mediatus, & immediatus propter aliquod motiuum, ſed ille aſſenſus concluſionis, ſaltem 15

tem immediatè eſt propter reuelationem; ergo ſpectabit ad eandem ſpeciem fidei, ad quam pertinet actus, qui eſt propter reuelationem. Conſequentia patet, & minor, nam concluſio ex præmiſſis euidentibus eſt mediatè euidens in ſcientiis naturalibus, eo ſcilicet quòd ſit mediatè propter motiuum euidens præmiſſarum; Ergo hìc concluſio erit mediatè propter reuelationem, propter quam ſunt præmiſſæ immediatè. Maior probatur, primò in ipſa Theologia. Etenim non minùs ſpectat ad Theologiam concluſio deducta immediatè ex principio fidei, quàm aliæ concluſiones mediatè, ſeu remotè deductæ, vt quando deducitur ex prima concluſione alia ſecunda, ex ſecunda tertia concluſio, &c. alioqui pro his concluſionibus ſtatuenda eſſet noua ſcientia. Probatur ſecundò eadem maior: nam æquè pertinet ad charitatem Dei actus, qui amat Deum propter ſe, & qui amat creaturas propter Deum; Ergo quia ad eandem ſpeciem ſpectat actus, qui ita mediatè vel immediatè eſt propter aliquod motiuum.

16 *Quando actus mediatus & immediatus pertineant ad eandem ſpeciem verſantes circa idem motiuum.*

Reſpondeo maiorem ſolùm eſſe veram, quando actus mediatus præcisè ducitur ex eodem motiuo, quo immediatus, vti contingit, quando amantur creaturæ propter Deum, qui amor nihil admiſcet præter Deum, quòd ſit ratio formalis amandi creaturas ſic propter ipſum Deum. At in præſenti hoc non contingit, vt ſæpe dixi; nam licet moueatur propter reuelationem concluſio illa, ſed non propter reuelationem ſolam, admiſcetur enim vlterius connexio, ſeu identitas obiecti præmiſſarum cum obiecto concluſionis, quæ identitas non creditur propter reuelationem.

17 Ad primam probationem maioris, fateor concluſionem ſecundam Theologicam eſſe diuerſam à prima, item à ſecunda remotiori eſt diuerſa tertia. Cæterùm omnes pertinent ad eandem facultatem Theologiæ; nam omnis actus, qui fidei non eſt, & ex principiis fidei ſiue proximè, ſiue remotè procedit, Theologicus dicitur, iuxta diſp primam; neque inſolitum eſt ad eandem ſcientiam ſpectare actus diuerſos, diuerſaque obiecta formalia, vt ſæpe audiſtis in logica. Fides tamen, quia virtus theologalis eſt, nullam diuerſitatem obiectiuam permittit vltra reuelationem Dei; perfectio namque fidei conſiſtit, vt patet in humanis, in eo quòd præcisè dicenti aſſentiamur propter eius teſtificationem. Ex his patet ad ſecundum, etiam dato quòd præter bonitatem diuinam aliquid ametur: nam adhuc bonitas Dei attingitur vt per ſe ſufficiens. In præſenti autem in aſſenſu concluſionis ex duplici reuelata ſola reuelatio Dei non eſt motiuum ſufficiens. Vnde conceſſa adhuc reuelatione, vt vera negari poteſt concluſio, vt notaui §. 11.

18 Mouentur tertiò. Diſſenſus concluſioni deductæ ex duplici reuelata, eſt formaliter diſſenſus vni reuelatæ, conſtituitque formaliter hæreſim, vt ſi negetur concluſio in ſyllogiſmo: *Omnis homo peccauit in Adam, ſed S. Petrus eſt homo*, ergo *peccauit in Adam*. Diſſentiens huic concluſioni, iudicanſque S. Petrum eſſe hominem aliquem, nec peccaſſe in Adam, contradicit illi præmiſſæ vniuerſali *Omnis homo peccauit in Adam*, vbi autem diſſenſus formaliter eſt hæreticus, & contradicit fidei, aſſenſus eſt formaliter fides. Reſpondeo; in primis nego prædictum diſſenſum eſſe formaliter hæreſim, quid enim? Si quis neget concluſionem, quia putat non eſſe idem obiectum præmiſſarum, & concluſionis, firmiſſimè tenens omnia reuelata à Deo eſſe vera? Profectò apud Deum talis hæreticus non erit. Secundò, hæreticus habetur quia in homine non hebetis ingenij ſtatim reſultat iudicium, vel ſaltem euidens apprehenſio quòd talis concluſio ſit reuelata à Deo, vt dixi §. 1. ideo aſſerui poſſe credi per fidem. Negans autem aliquam veritatem innitentem motiuo euidenti, & obſcuro, potius cenſetur eam negare titulo motiui obſcuri, qualis eſt reuelatio, & conſequenter cenſetur fidem negare, vt hæreticus.

Mouentur quarto ex Nazianz. or. 37. *Rurſus vndenam tu arces illas tuas Ingenitum, Anarchum accepiſti; aut non etiam Immortalis vocem? hoc nominatim & expreſſe oſtende, ac ea vel reijciemus quia in ſcriptura non extant, vel expungemus, atque ita tuiſmet ipſe principiis oppreſſus interibis: euerſis nimirum tuis vocabulis illis, perfugiſque mænibus, in quibus confidebas; nonne perſpicuum eſt, hæc de his ſumpta eſſe, ex quibus colliguntur, tametſi minimè dicantur?* (& infrà) *quòd ſi te bis quinque, aut bis ſeptem dicentem, decem, aut quatuordecim ex verbis tuis colligerem, aut ex eo quòd Animal ratione præditum, & Mortale, diceres, hominem eſſe concluderem: an tibi nugari viderer? nequaquam profectò, cùm tua dicerem.* Reſpondeo hæc verba ſolùm probare, quòd obiectum prædictæ concluſionis ex duplici reuelata credi poſſit per fidem, non verò probant aſſenſum ipſum eſſe ab habitu fidei, quando formaliter deducitur ex præmiſſis reuelatis. 19

Conſultò abſtineo tam in hac, quàm in ſequenti diſputatione à longo cenſu opinionum, & Authorum præſentis controuerſiæ; eſt enim hæc propria tractatûs de fide, in quo apprime diſcutitur inter alios ab Eminentiſſimo Cardinali Ioanne de Lugo, in ſuo tomo integro de fide, diſp. 1. ſect. 13. §. 2. à num. 278. P. Petro Hurtado de Mendoza in tomo de fide diſput. 10. per totam. Suarez diſp. 6. ſect. 4. Lorca diſp. 6. 20

DISPVTATIO VIII.

Vtrum concluſio deducta ex vna præmiſſa fidei, & alia naturali euidenti, ſit Theologica purè? vel etiam credibilis per Fidem?

SECTIO I. *Senſus quæſtionis, & Authorum ſententiæ.*

SECTIO II. *Aliqua prænotantur ad veram ſententiam.*

SECTIO III. *Concluſio pendens à præmiſſâ naturali, quantumuis per ſe euidenti, ſi non explicet quidditatem formalem obiecti reuelati, eſt purè Theologica intellectui humano; ſecus Angelico, vel Beato.*

SECTIO IV. *Reſpondetur argumentis pro ſecunda ſententia.*

SECTIO V. *Infertur ex dictis propoſitionem pendentem à præmiſſa naturali moraliter tantum certâ, poſſe credi per fidem, v. g. hunc numero hominem eſſe verum Papam.*

CONCLVSIO Theologica propriiſſimè eſt illa, quæ ex vna præmiſſa de fide, & aliâ naturali deducitur; quæ non vni ſoli principio fidei, ſed etiam alteri naturalis rationis innititur.

nititur. Hæc licèt ita ſint, loquendo non tam de aſſenſu ipſo formali, modo tendendi concluſiones, & illationis habito, ſed de ipſa veritate obiectiua, quæ talem aſſenſum terminat. Hæc diſputatio inſtituitur, ſit-ne per fidem credibilis, vt conſtabit ſect. primâ, in qua quæſtionis ſenſum explano. Vnum autem hìc præmoneo, non ſolùm aſſenſum ipſum vt formaliter deductum modo tendendi illatiuo eſſe Theologicum abſque vlla controuerſia, vt conſtat ex diſput. præcedenti, ſed etiam vt habitum modo tendendi cauſali; de vtroque enim modo tendendi idem ſentiendum eſt, perinde enim eſt ad taxandum motiuum actûs non eſſe ſolam reuelationem Dei, ac conſequenter non dicendum aſſenſum fidei, quæ ſoli reuelationi innititur; perinde inquam eſt; ſi quis dicat: *Omnis homo peccauit in Adam; ſed D. Petrus eſt homo; ergo peccauit in Adam*, ac ſi per ſimplicem actum dicat: *Peccauit D. Petrus in Adam quia omnis homo peccauit*, & *D. Petrus eſt homo*: vt dixi diſp. præced. §. 12. ex quo conſtat, quid ſentiendum ſit hic.

SECTIO I.

Senſus quæſtionis, & Authorum ſententiæ.

1 ESſe Theologicam purè vt formaliter deductam conſtat à fortiori ex diſp. præc. ſed quæſtio eſt, vtrum etiam materialiter, & ſpecificatiuè accepta veritas concluſionis ſit de fide, vel ſolùm Theologica, quando admiſcetur præmiſſa naturalis euidens, vt contingit in hac veritate: *Chriſtus eſt riſibilis*, quæ non cognoſcitur præcisè ex hac de fide, *Chriſtus eſt homo*, niſi iungatur naturalis, *ſed omnis homo eſt riſibilis*. Prima ſententia affirmat eam concluſionem eſſe purè Theologicam, & non de fide. Ita Caiet. Suar. Mol. Val. & alij apud Hurt. d. 11. de fide §. 1. Ratio eſt; primò, quia propoſitio theologica, ſeu theologicè certa diſtinguitur à certitudine fidei, propoſitio autem theologica ſtrictiſſimè eſt, quę deducitur ex vna euidenti naturali, vt *Chriſtus eſt riſibilis*. Secundò quia veritas talis propoſitionis non nititur præcisè reuelationi diuinæ, ſiquidem indiget ratione naturali, fides autem ſoli Deo dicenti nititur; Ergo eſt purè Theologica. Tertiò, talis propoſitio non pertinet ad fidem potiùs, quàm ad ſcientiam naturalem; ſiquidem æquè nititur vtriuſque motiuo. Ergo eſt mixta, ſeu purè Theologica.

Caietanus. Suarez. Molina. Valentia. Hurtado.

2 Secunda ſententia negat eam propoſitionem eſſe purè theologicam, ſed cenſet fide credi poſſe; Ita Cano, & Vega, cum & apud Vaſquez hìc 1. part. quæſt. 1. diſput. 3. Tann. 1. part. diſp. 1. quæſt. 1. quæſt. 1. dub. 3. Mouentur primò, quia aliàs nulla propoſitio erit de fide; nam ſemper intercedit aliquod principium naturale; neque enim ſufficit, quòd reueletur *Chriſtus homo*, vt credatur rationalis, niſi addatur ita præmiſſa naturalis, *ſed omnis homo rationalis eſt* vnde, qui ignoret hoc principium naturale, nondum credet Chriſtum naturalem, licèt credat hominem eſſe. Mouentur ſecundò in propoſitione particulari: *Petrus peccauit in Adam*, quæ de fide eſt, licèt pendeat ab hac naturali *Petrus eſt homo*.

Cano. Vega. Vaſquez. Tannerus.

3 Mouentur tertiò, à priori, quia præmiſſa naturalis ſolùm ſe habet vt applicatio, & explicatio terminorum fidei, vt ſciatur quod ſit ſignificatum per reuelationem, verbi gratia, *Chriſtus eſt homo*, ſeu quid nomine *hominis* denotetur; explicat ſcilicet per vocem *hominis* re vera ſubiectum *riſibile* indicari, ſicut explicat indicari *rationale*. At notitia naturalis, quæ ſolùm requiritur, vt explicatio terminorum in propoſitione fidei, non facit eam propoſitionem eſſe purè theologicam, ſeu non tollit eſſe de fide; ipſe enim aſſenſus: *Chriſtus eſt homo*, indiget præuiâ notitiâ naturali de eſſentia hominis, quid ſcilicet ſit eſſe hominem, quo enim pacto credet quis dicenti Chriſtum eſſe hominem, ſi terminos teſtificationis non penetret? Ergo propoſitio, licèt pendeat ab vna præmiſſa naturali, poteſt eſſe de fide.

Denique hanc ſecundam ſententiam ſic probo. 4
Veritas obiecti, quæ indubitanter, & ſine vlla prudenti formidandi ratione concipitur vt reuelata, credi poteſt fide diuina, ſed talis eſt veritas propoſitionis pendens ex vna præmiſſa fidei, & alia naturali euidenti; ergo credi poteſt fide diuina. Conſequentia patet, & maior; nam talis veritas credi poteſt aſſenſu moto propter ſolam reuelationem, ſicut ob ſolum teſtimonium hominum credimus, quæ ab illis teſtificata apprehendimus, & hæc: *Chriſtus eſt homo*: ideo creditur propter fidem, quia ſine vlla dubitandi ratione apparet reuelata.

Minor nempe talem eſſe veritatem, de qua hìc, 5
probatur: nam per vnam præmiſſam fidei, & aliam naturalem euidentem euidenter proponitur (& conſequenter ſine vlla prudenti formidine) veritatem concluſionis eſſe obiectum reuelatum; euidens enim eſt concluſioni conuenire prædicata præmiſſarum: ſic ſi Chriſtus eſt homo, & homo riſibilis, euidens eſt Chriſtum eſſe riſibilem. Vnde ſi ratione præmiſſæ fidei, omnis homo eſt reuelatus mortalis, verbi gratia, ſi Petrus euidénter eſt homo, etiam erit euidenter reuelatus mortalis, & hoc creditur per fidem. Ergo ſimiliter ſi Chriſtus eſt reuelatus homo, & homo eſt euidenter riſibilis, etiam erit euidens reuelationem dari de riſibili, vnde & credetur per fidem.

SECTIO II.

Aliqua prænotantur ad veram ſententiam.

NOta primò, poſſe aliquam notitiam naturalem prærequiri ad aſſenſum alicuius obiecti 6
vt explicet ſignificationem reuelationis, aperiatque huius ſignificatum formale, quod implicitè, & confusè denotatur vi modi ſignificandi ipſius teſtificationis, ſeu reuelationis diuinæ, ſic vt Chriſtus credatur *homo*, requiritur notitia huius vocis *homo*, & quid formaliter per illam ſignificetur communiter. Quæ notitia naturalis non obſtat, ne propoſitio reuelata ad fidem ſpectet, credaturque propter reuelationem; totum enim, quod vi ſignificationis notificari poteſt audienti, intendit loquens manifeſtare, ſeu reuelare per vocem, vt patet in humanis.

Propoſitio aliqua poteſt eſſe de fide quantumuis innitatur principio naturali aliquando.

Nota ſecundò, naturalis notitia requiri poteſt, 7
non tam vt explicet vim ſignificandi reuelationis, quàm vt explicet obiectum reuelatum, quod tamen, vt tale, nequit cognoſci in vi ſignificationis communis præcisè, etiam perfectè penetrata reuelatione; niſi aliunde res ipſa aliis argumentis, & cognitionibus talis cognoſcatur, verbi gratia, vt credatur Chriſtus habens potentias diſtinctas, non ſatis apparet id in formali ſignificatione communi huius vocis *homo*, niſi aliunde conſtet hominem habere potentias diſtinctas, & talis veritas non creditur per fidem, aliàs reuelata exiſtentia rei, conſerentur reuelata, vt per fidem credantur omnia rei

Quando non poſſit.

rei prædicata, ſicque omnis reuelatio foret comprehenſiua.

8 Nota tertiò conſequenter, per notitiam naturalem aliquando non addi nouum terminum, nec reſpectum formalem ex parte modi, ſed ſolùm illud idem, quod reuelatio implicitè in eſſe ſignificantis continet; declaratur, vt ſi Christus dicatur *homo*: *animal rationale*: *bipes, rectum*: *conſtans corpore & anima*: quæ omnia idem formaliter ſunt, & nihil aliud ſignificant formaliſſimè, quàm hanc naturam humanam, quàm experimur ſentire, & diſcurrere: vnde qui loquitur de homine manifeſtè hoc obiectum intendit, & conſequenter ea omnia creduntur de Christo Domino propter reuelationem diuinam. Rurſus aliquando per notitiam naturalem additur nouus terminus, qui in vi ſignificationis teſtimonij reuelantis deduci nequit, ſeu in illa cognoſci, niſi aliunde deducatur, vt quando reuelata præcisè exiſtentia Dei creditur *Trinus* vel teſtificante aliquo de homine à longe veniente eſſe *animal*, crederetur etiam vt rationale, qui terminus penetrari nequit in vi vocis *animal*.

9 Nota quartò, vim ſignificandi reuelationis diuinæ variam eſſe iuxta diuerſitatem audientium, quibus fit. Sic hæc vox *omnis perſona diuina* aliter ſignificat in fideli, aliter Fideli, aliter etiam, & ſecundùm plura prædicata ſignificat Beato, qui audiens omnem perſonam diuinam, immediatè percipit Patrem, Filium & Spiritum-ſanctum. Et ratio eſt, quia niſi ſtet per imperitiam loquentis, ſeu reuelantis (quod ſtare nequit in Deo loquente) loquens formaliter ſignificat de obiecto eius quidditatem: ergo cùm audientes ſæpe penetrent magis, ſæpe minùs de quidditate obiecti reuelati à Deo, etiam reuelatio eis plus minúſue ſignificabit.

10 Nota quintò, propoſitionem pendentem à principio naturali per ſe noto, eſſe in nobis de fide, & immediatè reuelatam, quia vbi aliquid reuelatur, nihil immediatius dicitur, quàm id, quod ex ipſa terminorum ſignificatione apprehenditur eſſe ipſiſſimum obiectum, quod pertinet ad principium per ſe notum. Sic quia eſt de fide Christum mortuum fuiſſe, eſt de fide potuiſſe mori, quæ pendet ab hac per ſe nota *nihil moritur, niſi poſſit mori*: ſimiliter etiam eſt de fide falſitas huius: *Christus non eſt mortuus*, quia nequeunt duo contradictoria eſſe ſimul vera. Hinc eſt mea ſententia.

SECTIO III.

Concluſio pendens à præmiſſa naturali, quantumuis per ſe euidenti ſi non explicet quidditatem formalem obiecti reuelati, eſt purè Theologica intellectui humano, ſecus angelico, vel beato.

11 Hoc eſt ſi addat aliquem nouum terminum non cognoſcibilem à nobis, in vi ſignificationis communis, modo explicato notatione ſecunda. Ratio eſt; quia talis veritas obiectiua concluſionis non eſt credibilis propter ſolam reuelationem; indiget enim, vt motiuo, principio naturali, quod cùm formaliter non ſit de quidditate rei reuelatæ (aliàs eſſet per ſe nota identitas concluſionis cum obiecto reuelato, vt citò dicam) iam formaliter credi propter tale principium naturale, non erit credi propter ſolam reuelationem. Tunc ſic, ſed habitus fidei operari nequit, niſi propter reuelationem præcisè, & adæquatè, vt dixi di p. præced. Ergo talis concluſio erit purè theologica. Confirmatur; quod non eſt cognoſcibile ex vi ſignificationis, ſeu in ſignificatione communi reuelationis, non eſt obiectum fidei; ſed vbi nouus terminus obiectiuus formaliter additur per præmiſſam naturalem, iam ex vi ſignificationis reuelantis non cognoſcitur obiectum ſic. Ergo non cognoſcitur per fidem, ſed purè per theologiam. Conſequentia patet; Maior etiam ex notatione tertia: Minor probatur; quia reuelatio non ſignificat, niſi iuxta terminos formales. Hinc qui de homine à longe veniente audit eſſe *animal* non cognoſcit rationalitatem; quia iſta non exprimitur in modo formali ſignificandi vocis *animal*; Ergo in ſignificatione reuelationis non cognoſcitur nouus terminus, quantumuis euidenter appareat identificatus cum obiecto reuelato, ſi ſit extra huius quidditatem; aliàs, vt dixi notatione ſecunda, reuelatâ exiſtentiâ rei, reuelata cenſerentur omnia eius prædicata, vt Deus olim fide crederetur Trinus ab omnibus.

Quod non eſt cognoſcibile ex vi ſignificationis communis reuelationis non eſt obiectum fidei.

12 Si verò notitia, quantumuis naturalis ſit, ſolùm explicet formalem quidditatem obiecti, concluſio deducta erit de fide: ratio eſt; quia ex notatione quinta non tollit, quin propoſitio ſit de fide dependentia à principio naturali per ſe noto; ſed id eſt per ſe notum, quod eſt de formali quidditate rei, vt dicam tract. ſequenti; quæ enim identitas cum re notior eſſe poteſt, quàm illa, quæ nec per rationem diſtinguitur à quidditate talis rei, ſeu formaliter eſt de eius quidditate. Ergo concluſio quæ pendet à tali notitia & præmiſſa, quantumuis naturali, non erit purè theologica, ſed fidei.

13 Hinc conſtat Angelis & Beatis ſæpe eſſe propoſitionem de fide eam, quæ nobis purè Theologica eſt, verbi gratia, quòd *Christus ſit riſibilis*. Ratio eſt; quia æquè primò concipit Angelus per vocem *homo*, quòd ſit *riſibilis* ac nos, quòd ſit *rationalis*, cùm ſolùm in ordine ad nos rationalitas potiùs pertinet ad quidditatem formalem hominis, quàm riſibilitas (loquar de riſibilitate realiter identificata cum homine.) Ergo æquè eſt per ſe notum Angelo hominem eſſe riſibilem, ac nobis eſſe rationalem; Ergo cùm reuelatio diuina, ſeu Deus reuelans non limitet ſignificationem, ſed quantum eſt ex ſe extendat ad audientium captum, iuxta notationem quartam, Angelus credet talem propoſitionem per fidem, idemque eueniet ſæpe quantumuis præmiſſa naturalis ſit nobis purè probabilis, & extra quidditatem formalem obiecti reuelati, nam adhuc poteſt eſſe Angelo per ſe nota identitas talis propoſitionis cum veritate reuelata.

Angelis, & Beatis ſæpe eſt propoſitio de fide, quæ nobis purè Theologica eſt.

SECTIO IV.

Reſpondetur argumentis pro ſecunda ſententia.

14 Prima nobis non opponitur, nam loquitur de concluſione, quæ ita pendet à præmiſſa naturali, vt addat nouum terminum formaliter extra quidditatem obiecti reuelati; Aliàs obiectum, quod eſt de quidditate formali veritatis reuelatæ ſpectat ad fidem iuxta hanc primam ſententiam, vt ego dixi nuper, & notat Lugo Card. diſput. 1. de fide

num.29.quando vna veritas ab alia de fide ſolùm diſtinguitur penes implicitum, & explicitum.

15 Igitur ad primum fundamentum pro ſecunda ſententia; reſpondeo credi per fidem quòd *Chriſtus ſit rationalis*: nam reuelans Chriſtum eſſe hominem immediatè, & formaliter, reuelat etiam *eſſe rationale*, cùm ly *homo* rationalitatem ſignificet per ſe, ſolúmque ex ignorantia ſignificationis communis illius vocis id latere poſſit; quare per ſe non creditur Chriſtus rationalis, ex eo quòd *omnis homo ſit rationalis*, & *Chriſtus ſit homo*; ſed quia ipſa reuelatio: *Chriſtus eſt homo* immediatè, & formaliter teſtificatur rationalitatem, vi ſignificationis communis & vulgaris.

16 Ad ſecundum reſpondeo, propoſitionem particularem eſſe de fide, quando reuelatur vniuerſalis, de cuius quidditate cognoſcitur eſſe particularis; ſic eſt de fide *S. Petrum peccaſſe in Adam*; quia in ſignificatione huius reuelationis *omnis homo peccauit in Adam*: facta videnti Petrum formaliter, dicitur & apparet Petrus; licèt enim formalitèr, & explicitè ly *omnis homo* non ſupponat pro hoc determinato indiuiduo, quando confusè cognoſcitur, nec quidditatiuè apparet eius humanitas (ſed tunc ly *Petrus* ſit formaliter nouus terminus) At quando dicitur coram intuente, & quidditatiuè penetrante eſſe hominem formaliſſimè ly *omnis homo* ſignificat *Petrum* cum aliis, per apprehenſionemque, & conceptum de Petro ſolùm exprimitur ſignificatum formale ſub ly *omnis homo* vti per ly *animal rationale*, & conſequenter prædicatum reuelatum de omni homine per eundem habitum fidei creditur de Petro; idem enim habitus fidei credit implicitam, & explicitam ſignificationem, vt dixi de Chriſto rationali.

Quando propoſitio particularis ſit de fide, eo quòd reuelata ſit vniuerſalis.

17 Confirmatur hæc reſponſio; reuelatio, quæ fieret videnti hominem ſingularem, & de illo diceret verbi gratia. *Hic homo peccauit in Adam* immediatè moueret ad actum fidei, ſed non minùs reuelatio fit de hoc homine, quando vniuerſaliter dicitur: *omnis homo peccauit in Adam*: talis enim propoſitio formaliſſimè dicit: *iſte cum aliis ſimilibus*. Ergo reuelatio vniuerſalis faciet de fide obiectum ſingulare: quando eſt de eius quidditate: quod addo propter hanc particularem *Omnis homo eſt rationalis, ſed hoc riſibile eſt homo ergo hoc riſibile eſt rationale*: quæ concluſio non eſſet de fide, quantumuis maior propoſitio reuelaretur; quia ſcilicet additur nouus terminus in concluſione extra quidditatem veritatis reuelatæ. Ex qua confirmatione patet ſolutio ad tertium fundamentum oppoſitum.

18 Præmiſſa naturalis tunc eſt pura applicatio, quando infert concluſionem quidditatiuè contentam in propoſitione reuelata, quando verò addit nouum terminum extra quidditatem, iam non eſt pura applicatio, ſed addit nouam rationem formalem motiuam, non minùs, quam præmiſſa fidei; aliàs vt ſuprà dixi, reuelata aliqua re, cenſerentur reuelata omnia eius prædicata, vt crederentur per fidem: ſiquidem explicant reuelationem ex parte obiecti reuelati, licèt non ex parte modi ſignificandi reuelationis.

Præmiſſa naturalis quādo ſit pura applicatio ad aſſenſum fidei; & quando addit nouam rationem motiuam?

19 Ad quartum. Reſpondeo omnia prædicata intrinſeca, non inuoluentia modum cognoſcendi, & ſignificandi, quæ dicuntur de ratione vniuerſali, dici etiam de particulari, & de omni identificato cum illa, ſecus autem quoad alia prædicata. Sic quando cognoſco *animal* à longè veniens, non ideo dicor cognoſcere *rationale* identificatum cum illo, nec qui teſtatur illud eſſe animal, teſtatur eſſe rationale, vt id audiens credere teneatur. Hinc licèt ſciam hominem eſſe riſibilem, idque euidenter non ideo iudico reuelatam eſſe riſibilitatem, ſed tantùm quòd riſibile identificetur cum reuelato. Sic Deus reuelauit de Chriſto *hominem riſibilem*; non tamen reuelauit *eſſe riſibilem*, quare ea reuelatio non ſufficit, vt riſibilitas ſub hac expreſſione, & conceptu credatur propter reuelationem ſolam, niſi etiàm poſito motiuo ſuadente identitatem riſibilitatis cum homine, quod motiuum diſtinctum eſt à reuelatione.

Quidquid dicitur intrinſecè de vna formalitate obiecti dicitur de omni; ſecus quidquid dicitur extrinſecè.

SECTIO V.

Infertur ex dictis, propoſitionem pendentem à præmiſſa naturali, moraliter tantùm certa, poſſe credi per fidem, verbi gratia hunc numero hominem eſſe verum Papam.

Ratio eſt, quia pro aſſenſu fidei non minùs ſufficit, quòd applicetur propoſitio vniuerſalis reuelata per notitiam moraliter certam, quàm per 20
certam phyſicè, dum ſub eiſdem terminis formalibus applicatio contingat. At Dominum Innoc. X. eſſe ritè electum, eſt moraliter certum, quis enim de hoc poterit prudenter formidare: aliunde hæc veritas ſub eiſdem terminis in vniuerſali reuelata eſt; formaliſſimè enim docet fides de omni ritè electo eſſe verum Papam; ergo ſiquidem quando ſub eiſdem terminis formalibus, ſub quibus veritas in vniuerſali reuelata eſt per euidentiam phyſicam proponitur aliqua propoſitio contenta ſub illa, iam iſta etiam ad fidem ſpectat, vt dixi ſect. 3. idem cenſendum eſt hìc: vide ſectionem præcedentem à num. 18.

Dum particularis ſit ſub eiſdem terminis formalibus, ſiue proponatur cum certitudine phyſica ſiue morali, de fide eſt reuelata vniuerſali.

Iam maior propoſitio; quòd ſcilicet ſufficiat ad 21
fidem moralis certitudo, qua proponatur veritas aliqua, vt contenta ſub eiſdem terminis in vniuerſali reuelatis; probatur primò à priori; quia vt reuelatio diuina extorqueat aſſenſum fidei de ſe ipſa, ſufficit ita proponi credibilem. Ergo ſimiliter ſufficiet, ſi ita proponatur obiectum reuelatum eſſe. Secundò à poſteriori; nam nulla veritas fidei eſt, quæ non dependeat ab aliqua notitia naturali proponente, non plus certa quàm moraliter. Sit quòd hæc ſcriptura ſit canonica quòd mihi Eccleſia Catholica loquatur, qua maiori certitudine proponitur? Siquidem ego nec interfui Conciliis, nec Pontificem è Cathedra loquentem audio. Denique quis non putarit ad fidem pertinere D. Innocent. X. eſſe verum Papam, ſi reuelaretur à Deo ſucceſſorem Vrbani VIII. eſſe Papam verum, & tamen mihi ſucceſſio hæc ſola morali certitudine proponitur.

De fide eſt hunc numero hominem eſſe verum Papam.

Obiicies cum Turrecremata, Caiet. Bañez, Cano, Vega, Corduba, Caſtro, & aliis apud Suar. 22
diſp. 10. de fide ſect. 5. num. 2. Gaſpar Hurt. negantibus eſſe de fide, quòd iſte numero homo ſit verus Papa; quantumuis communiter ſit receptus vt talis. Obiicies inquam non eſſe nec moraliter certum Innoc. X. eſſe electum ritè: nam plus fundamenti habet vir religioſus, vt credat ſe eſſe verè contritum, quàm vt credat Innocentium fuiſſe baptizatum, ſed primum non eſt moraliter certum, aliàs iuxta §. 20. credere poſſet per fidem ſe eſſe in gratia, contra Trident. ſeſſ. 6 cap. 9. cùm reuelatum ſit omnem verè contritum eſſe in gratia; Ergo non

Id tamen negant Turrecremata. Caietanus. Bannes. Cano. Vega. Corduba. Caſtro.

non eſt moralis certitudo de baptiſmo Innocentij; Ergo, nec de papatu, qui ſine baptiſmo ſtare nequit.

23 Reſpondeo vti eſt certum moraliter D. Innocentium eſſe verum Papam, ita & habere omnes conditiones, vt baptiſmum, fidem, &c. cum quibus eſſentialiter connectitur papatus. Ad obiectionem conceſſa maiori, diſtinguo minorem: vt credat ſuam contritionem vir religioſus plus fundamenti habet *intrinſecè* concedo; *extrinſecè* nego; nam ad contritionem habet quaſi in ſeipſo teſtimonium; ad Papatum verò, ſolùm habito reſpectu ad rationes extrinſecas (ſed moraliter indubitabiles) quòd ſcilicet ſpectet ad prouidentiam Dei, non pati deceptionem totius Eccleſiæ venerantis, vt caput ſuum viſibile, quod in re tale non eſt. Sed de his plura ad tract. de fide.

DISPVTATIO IX.

Vtrum Theologiæ habitus ſit conſtituendus ſpecialis ab habitu fidei, & naturalis ſcientiæ diſtinctus?

SECTIO I. *Senſus quæſtionis, & Authorum ſententiæ.*

SECTIO II. *Eligitur, & ſpecialiter probatur diſtinctio habitus Theologiæ ab habitu fidei, & naturali.*

SECTIO III. *Reſpondetur ſententiis oppoſitis in ſectione prima.*

PLVRA neceſſariò hìc ſupponenda ſunt philoſophica principia, de diſtinctione, multiplicatione, extenſione, & exiſtentia habituum intellectualium, de quibus ibi ſatis latè agendum erit in noſtro opere philoſophico, modò ex ibi dictis, habitus intellectuales acquiſitos (qualem conſtat eſſe Theologicum, cùm purè naturalem eſſe poſſe ſatis probauerimus in diſp. 6. & hìc etiam oſtendemus) ab ſpeciebus impreſſis diſtinguo, generarique ex actibus cum omnibus conſtituo, vt in illos concurrant, non tanquam principium neceſſarium, ſed coadiuuans, & promptiorem reddens potentiam ad efficiendos tales actus, quod munus præſtat habitus, quatenus potentia per illum inſtructa minorem conatum adhibet, quam ſine ipſo; & cum ſe ſola ſine auxilio habitus tota occupanda foret in elicientia vnius actus, iam expeditior facta per habitum, valeat ad plures alios diuertere. Excitatur communiter difficultas hæc in art. 3. D. Thomæ ad 1. quæſt. primæ partis. Vbi Molina diſp. 2. Granado tract. 1. diſp. 5 ſect. 6. Valentia quæſt. 1. punct. 1. initio. Gillius lib. 1. tract. 6. num. 6. Faſol. hìc art. 2. dub. 12. Bannes art. 2. dub. 1. concluſione 2. Arrubal art. 2. diſp. 2. cap. 4. n. 17. in fine. Vaſquez art. 1. dub. 1. §. *At dicet aliquis.* Suarez tract. 1. de fide diſp. 6. ſect. 4. num. 10. Torres 2. 2. diſp. 44. dub. 2. §. *Tertio ſi habitus.* Ægid. Coninck lib. 1. de Actibus ſupernat. diſp 4. dub. 16. nu. 118. Qui Authores licèt præcipuè intendant diſtinctionem habitus Theologiæ ab habitu fidei, at ex conſequenti, ſit etiam diſtinguendam ab habitu ſcientiæ naturalis; de quo fortè non tam curant Doctores, quia manifeſtius eſt concluſionem Theologicam, vt pote obſcuram, non poſſe à ſcientia, quæ ſolùm eſt de euidentibus procedere. Nos vt diſtinctiùs procedamus, diſtinctionem ab vtroque habitu proſequemur.

Molina. Granado. Valentia. Gillius. Faſol. Bannez. Arrubal. Vaſquez. Suarez. Torres. Conink.

SECTIO I.

Senſus quæſtionis, & Authorum ſententiæ.

LIcet concluſio purè theologica, nec à ſolo habitu fidei, nec à ſolo habitu ſcientiæ naturalis 1 *Senſus quæſtionis.* elici queat, vt conſtat ex nuper dictis, ſitque ipſa nec propriè fidei, nec ſcientiæ, adhuc tamen diſputatur, requirat-ne nouum habitum ab vtroque diſtinctum, vel ſatis ſint pro hac concluſione elicienda ipſi habitus fidei; & ſcientiæ, qui præmiſſas elicuerunt. Ex quo Theologia habitualis non erit ſpecialis facultas ab aliis diſtincta, ſed erit quoddam complexum, & mixtum ex habitibus fidei, & ſcientiæ naturalis.

2 *Sententia negans ſpecialem habitum. Card. Lugo.* Prima ſententia negat pro concluſione Theologica, habitum ſpecialem, putans ipſum habitum fidei cum naturali coniunctum in talem concluſionem eliciendam immediatè concurrere. Ita Lugo Card. diſp. de fide à num. 335. Mouetur primò hac ſententia exemplo fidei humanæ, in qua idem habitus fidei, qui eſt ad authoritatem humanam, ſe extendit ad obiecta materialia credenda, quæ ſæpe ſunt concluſiones ex teſtimonio, & authoritate humana, vt ex præmiſſis deductæ.

Secundò à priori; quia non eſt ſtatuendus nouus habitus, vbi non eſt noua ratio formalis motiua ex parte obiecti, nec noua difficultas, ſed reſpectu concluſionis Theologicæ, poſitâ iam vtrâque præmiſsâ, non eſt noua difficultas; cùm neceſſariò prodeat intellectus in concluſionem, item eadem eſt ratio formalis motiua; tota enim ratiò mouendi, & aſſentiendi concluſioni, eſt propter præmiſſas; Ergo non eſt ſtatuendus hic nouus habitus. 3

Tertiò mouetur hæc ſententia; quia idem habitus datur ad veritatem vniuerſalem, & particularem; aliàs ſcientia vniuerſalis non ſatis inſtruet de particulari, quod falſum eſt; nam ex vi generalis notitiæ, qua ſcio naturam vt ſic *eſſe principium motus*, etiam dicere poſſum, *natura hominis, natura leonis*, &c. *eſt principium motus*, & opus erit aſſignare pro quolibet particulari nouum habitum, & ſic ſub eadem ſcientia erunt habitus infiniti, ſiquidem infinita ſunt inferiora ſub ratione vniuerſali. Tunc ſic: ſed vti comparatur vniuerſalis ad particularem; ita vtraque præmiſſa ſcientiæ & fidei ad concluſionem theologicam; etenim *Chriſtum conſtare principio motus*, vt particularis veritas continetur ſub hac vniuerſali: *Omne ens naturale conſtat principio motus*: adiuncta fide, quòd *Chriſtus ſit ens naturale*; Ergo ad prædictam concluſionem Theologicam non eſt admittendus ſpecialis habitus. 4

Iam ſecunda ſententia tuetur ſufficere quidem habitum fidei, & ſcientiæ naturalis. At poſſe etiam dari habitum proprium & diſtinctum ad talem concluſionem; primam partem probat, quia in tali concluſione inuenit fides incluſam ſuam ratio- 5 *Secunda ſententia concedens poſſibilem, & negans neceſſarium.*

nem motiuam, licèt mixtam cum alia. Ergo ipſe habitus fidei mixtus, ſeu coniunctus cum aliis poterit concurrere. Confirmatur; quia ad eandem volitionem poteſt concurrere duplex habitus, verbi gratia, miſericordiæ, & charitatis, ſiquis elargiatur elemoſynam propter eleuandam miſeriam proximi, & propter Deum; ergo ſimiliter duplex habitus intellectus ad actum; qui ſimul ſit fidei, & ſcientiæ. Hinc probatur ſecunda pars; quòd ſcilicet poſſit habitus eſſe diſtinctus, & ſpecialis, qui ſolus influat in concluſionem pendentem à motiuo fidei, & ſcientiæ. Vti poteſt dari ſpecialis habitus, qui ſolus influat in eum actum, qui ſimul eſt fidei, & ſcientiæ.

6 *3. Vera concedens neceſſarium. Petrus Hurtado.*

Tertia ſententia aſſerit habitum concurrentem in concluſionem theologicam eſſe ſpecialem, & diſtinctum ab habitibus fidei, & ſcientiæ naturalis, etiam ſimul ſumptis. Ita ſentiunt communiter Thomiſtæ, & alij apud Hurt. diſput. 12. de fide numero 4. quibus ego aſſentior.

SECTIO II.

Eligitur, & ſpecialiter probatur diſtinctio habitus Theologici ab habitu fidei, & naturali.

7 *Quando dandus in intellectu nouus habitus.*

Aliorum probationibus omiſſis, ego ſic rem totam explico hoc ſyllogiſmo. Quoties datur nouus modus tendendi in intellectu, ſpecialem difficultatem continens, quæ vinci nequeat ex præciſo aduentu ſpecierum, tunc neceſſariò acquiritur nouus habitus; ſed concluſio ſtrictè theologica habet nouum modum tendendi, diuerſum à modo tendendi præmiſſarum, cuius nouitas non correſpondet formaliter nouitati ſpecierum: ergo procedit à nouo habitu diſtincto ab habitibus præmiſſarum fidei, & naturalis ſcientiæ, à quibus deducitur; Conſequentia patet.

8 *Quando noua difficultas actuum potentiæ cognoſcitiuæ reducatur in ſpecies nouas.*

Maior vt probetur, præmitto primò ſæpe dari nouitatem, & diuerſitatem in actibus potentiæ cognoſcitiuæ, quin ideo multiplicentur habitus diuerſi. Ratio eſt; quia talis nouitas actuum licèt oriatur ex obiecto formali; materialiter tamen ſe habet ad diuerſificandos habitus, ſed ſatis & præcisè intelligitur venire ex nouis ſpeciebus. Sicut enim oculus æquè promptè videt albedinem cum ſpecie impreſſa albedinis, & nigredinem cum ſpecie impreſſa nigredinis; ita intellectus ex præciſo aduentu ſpeciei æquâ facilitate colligit ex motu animalitatem, & ex luce luminoſum: vnde nullum eſt vulgare argumentum logicorum, ne ſcientia ſit ſimplex qualitas; quia poteſt quis cognoſcere vnum obiectum formale, & non aliud; etenim hoc accidit præcisè, quia caret ſpeciebus ad aliud: ſi enim haberet logicus verbi gratia ſpecies circa diuiſionem, quas habet circa definitionem, vtramque æquè promptè eliceret; vti philoſophus æquè colligit animalitatem ex motu in homine, & in Leone.

9 *Quando in habitus.*

Præmitto ſecundò; aliquando etiam datur talis nouitas actuum, vt ſpecialem difficultatem contineat, quæ per ſolam repetitionem actuum vincibilis ſit, quin ſatis refundatur in ſpecies. Ita accidit, eo quòd diſcurſus ſint magis vel minùs à ſenſibus remoti, ſeu abſtracti à materia) ſic intelligendi ſunt Thomiſtæ, vt intelligi poſſint, dum habitus intellectuales diſtinguunt per abſtractionem à materia) qui enim aſſuetus eſt præciſionibus, & reflexionibus, promptior eſt ad diſcurrendum, ſic in qualibet materia, quàm Ruſticus, licèt habeat eaſdem ſpecies; quia non eſt aſſuetus vti ſpeciebus tam ſubtilibus. Hoc negare non poterit, qui experientiam conſulat. Quare ſi iuxta diuerſitatem huiuſmodi tendendi, diſtinguas habitus ſcientiæ, vt ego diſtinguendos puto, ſemper ſcientia erit ſimplex qualitas, quantumuis diuerſos ſpecificè actus eliciat.

Qui aſſuetus eſt præciſionibus, & reflexionibus in vna materia, facilis eſt ad alias. Scientia poteſt eſſe ſimplex qualitas, licèt ad plures actus ſpecie extendatur.

Nunc probo maiorem prædictam; in intellectu dantur habitus ſaltem pro modo tendendi explicato §. præced. & certè poſt exercitium diſcurrendi metaphyſicè; non minùs promptè minorique conatu factibilis erit nouus diſcurſus metaphyſicus, quàm poſt virtutis exercitium (quod apud omnes habitum parit) noua virtutis operatio. Tunc ſic; ergo nouus & diſtinctus erit habitus pro nouitate talis modi tendendi. Conſequentia patet: nam habitus debent eſſe ſimiles actibus à quibus gignuntur, ſaltem ſecundùm prædicata, per quæ actus concurrunt ad gignendos habitus, qualis maximè eſt modus tendendi explicatus. 10

Minor poſita in §. 7. probatur; quòd ſcilicet concluſio theologica habeat modum tendendi proprium, à fide, & ſcientia naturali diuerſum, qui ſpecialem difficultatem contineat, non vincibilem ex præciſo aduentu ſpeciei: probatur inquam; quia diſcurrere ex obſcuris longè diuerſum modum tendendi habet, quam diſcurrere ex euidentibus, includitque talis modus difficultatem non vincibilem ab ſpeciebus; ſi enim quòd diſcurſus ſint magis vel minùs abſtracti à materia, diuerſum habitum generant, cur non ſufficiat huic diuerſitati abſtractio etiam ab omni euidentia. 11

Noua, & ſpecialis difficultas in concluſione theologica, non vincibilis per ſpecies.

Tunc ſic: ſed concluſio, de qua hic mouetur ex ratione formali obiecti omnino ineuidenti, & obſcura: quid enim refert vnam partem obiecti eſſe euidentem, ſi non eſt aſſentiendum parti ſoli, ſed ſimultati, quæ omnino obſcura eſt, vt non magis illuſtretur concluſionis obſcuritas per præmiſſæ vnius euidentiam, quàm ſi vndequaque obſcurè proponeretur, vt patet exemplo propoſitionis copulatiuæ, ex veritate clara, & obſcura. Vnde non eſt minùs ignotum naturali lumini *Chriſtum D. eſſe riſibilem*, quàm *Chriſtum eſſe hominem*; Ergo in prædicta concluſione theologica nouus apparet tendendi modus, & conſequenter nouus, & ſpecialis conſtituendus eſt habitus. 12

SECTIO III.

Reſpondetur ſententiis oppoſitis in ſectione prima.

Tertia vera eſt: ſecunda reiicitur; quia licèt in concluſione theologica miſceantur motiua fidei, & ſcientiæ; At cum diuerſo modo tendendi, vt patet ex num. 11. Ad confirmationem admitto, poſſe fidem concurrere cum ſcientia naturali, quando in actu inuenitur, ratio formalis adæquata vtriuſque habitus; quia tunc æquiualenter datur idem modus tendendi vtriuſque, quemadmodum ſi poneretur idem actus, qui ſimul diceret *exiſtit albedo*; & *exiſtit nigredo* ad eum benè concurrerent ſpecies vtriuſque coloris; ſi tamen daretur color quidam medius, & quaſi mixtus, iſte propriam 13

Modus tendendi concluſionis Theologicæ diuerſus eſt, à fide, & ſcientia naturali.

propriam ſpeciem requireret vt cognoſceretur.

14 Ad argumenta pro prima ſententia. Reſpondeo: ad primum in §. 2. fides humana non procedit per modum diſcursûs (aliàs iuxta omnes pro ſecunda præmiſſa requireretur diſtinctus habitus) & ideo vnus, & ſimplex habitus concurrit ad omnes aſſenſus credentis: ſi autem procedat per diſcurſum, non erit fides humana idem habitus ſimplex. Fides diuina poteſt permitti ſimplex, licèt diſcurrat; quia cùm non ſit habitus acquiſitus ab actibus, non debet ita ipſis proportionari.

Fides humana non diſcurrit, diuina poteſt permitti diſcurſiua.

15 Secundum argumentum militat contra communem ſententiam diſtinguentem habitum ſcientiæ, qui formaliter verſatur circa concluſionem, ab habitu principiorum verſante circa præmiſſas. Deinde, quòd in concluſione non detur noua ratio motiua, nihil refert, ne varietur habitus: dum inueniatur varietas in modo tendendi; ſicut enim ob vnitatem modi tendendi habitus eſt idem, licèt obiecta formalia ſint diuerſa, ita è contrà circa idem obiectum formale poteſt habitus diuerſificari, quia diuerſimodè procedit, vt contingit hìc: nam fides ſine diſcurſu tendit obſcurè ob reuelationem: ſcientia naturalis diſcurrit, ſed ſine obſcuritate: concluſio verò theologica diſcurrit, & ex obſcuris.

16 Minùs obſtat, ne detur proprius habitus pro concluſione, quòd intellectus ſit neceſſitatus, poſitis præmiſſis, ad elicientiam concluſionis; adhuc enim ex repetitione actuum poterit acquirere habitum, ſeu facilitatem, ratione cuius iam cum minori conatu, & ſimul ſe ad alia diuertens valeat potentia, quantumuis neceſſaria, concluſionem elicere: ita memoria, licèt ſit potentia neceſſaria, taliter augetur excolendo, vt percurrens ſalutationem angelicam, verbi gratia poſſit ſimul alia longe diuerſa cogitare. Confirmatur, quòd potentia ſit neceſſaria, non obſtat, quin poſſit minuere conatum, ſic equus qui eſt agens neceſſarium, minorem conatum præſtat, dum trahit currum aſſociatus. Ergo etiam in intellectu poteſt minui conatus, quam diminutionem experimur accidere ex repetitione actuum; At diminutio conatus, orta ex repetitione actuum, eſt ſignum habitus; Ergo quantumuis intellectus neceſſariò operetur concluſionem poſitis præmiſſis, admitti poteſt habitus, & quidem nouus, ſi datur nouus modus tendendi.

Statuitur potentia neceſſariæ capax habituum.

17 Ad tertium iuxta dicta diſputatione præcedenti ſect. 4. num. 18. & ſequentibus, reſpondendum eſt habitum ad veritatem vniuerſalem, tunc ſufficere ad particularem, quando hæc quidditatiuè cognoſcitur contineri ſub vniuerſali, quin nouus terminus, nec formaliter afferatur, & ita habitus, qui inclinat in notitiam vniuerſalem *omnis natura eſt principium motus* dicit abſtractè & generaliter *natura hominis, Chriſti, Leonis &c. eſt principium motus.* Aſt vt ſciatur in te Chriſtum conſtare natura, iam nouus habitus requiretur ad concluſionem particularem: Ergo *Chriſtus conſtat principio motus*: quia hìc additur nouus terminus formaliter non contentus ex parte modi cognoſcendi ſub illa vniuerſali; imbibiturque nouus modus tendendi.

Habitus ad veritatem vniuerſalem quando ſufficiat ad particularem?

* * *

DISPVTATIO X.

Qualiter ſit obiectum attributionis, ſeu ſubiectum Theologiæ.

SECTIO I. *Rationes & ſententiæ pro parte negatiua.*

SECTIO II. *Vera ſententia aliquibus concluſionibus proponitur & declaratur.*

SECTIO III. *Solutio rationum, & ſententiarum in ſectione prima.*

SECTIO IV. *De obiecto adæquato motiuo ſeu formali Theologiæ, vtrum ſit ſola reuelatio; vel vlteriùs intret veritas naturali luce cognoſcibilis?*

PERTINET diſputatio hæc ad articulum ſeptimum S. Thomæ, in quo S. Doctor quærit, An Deus eſt ſubiectum Theologiæ; ideo ego declaraturus, quod ſit ſubiectum, ſeu obiectum attributionis Theologiæ, non inſcribo diſputationi titulum indeterminatè inquirens, quodnam ſit attributionis obiectum ſed determinatè, an ſit Deus? De ſubiecto Theologiæ egerat ipſe S. Thomas 1. ſent. quæſt. 1. Prolog. art. 4. vbi ponit pro ſubiecto: *Ens diuinum cognoſcibile per inſpirationem*, Methodo namque & diſpoſitioni librorum ſententiarum, hoc ſubiectum magis congruit, variatio autem methodi etiam ſubiectum variat vt noto §.8. patebitque ex tota ſect. 2. multum referre ad deſignandum iam hoc, iam illud obiectum attributionis; illam ſub hac diſpoſitione, vel ſub illa conſtitui. Ideo immeritò cenſeo dici ab aliquibus Thomiſticis parum obſequentibus communi Magiſtro S. Thomam hìc mutaſſe ſententiam; vel in libro citato ſententiarum non fuiſſe locutum ex propria ſententia, vt putat Caietan. 1. part. qu. 1. art.7. non aduertens eiuſdem facultatis iuxta diuerſam methodum deberi aſſignari diuerſa attritionis obiecta.

SECTIO I.

Rationes, & ſententiæ pro parte negatiua.

PRima ratio. Theologia agit de Angelo non minùs enucleatè indagando Angeli naturam, proprietates, effectus, &c, quàm Philoſophus de homine; ſed ſolus *homo* eſt ſubiectum attributionis per ſe vnius ſcientiæ in philoſophia; ergo & *Angelus* in Theologia. Neque obſtat ſi dicas cognitionem de Angelo deſeruire, vt perfectiùs cognoſcatur Deus, vt omnium *principium*: nam ſimiliter deſeruit cognitio de homine, nec tamen ſcientia de homine in Deum refertur; aliàs Deus foret ſubiectum attributionis omnium ſcientiarum naturalium. 1

Secunda. Theologia vt ſic non ſolùm eſt ſcholaſtica, ſed etiam poſitiua, & moralis; omnis enim concluſio ſiue ad mores, ſiue ad intelligentiam ſcripturæ ſpectet, dum ex vna præmiſſa fidei, & alia naturali deducatur, Theologia eſt; At ſacro- 2

rum voluminum ſubiectum non eſt Deus ſolus, ſed vel mundi creatio, legis promulgatio, vel Chriſti Domini geſta, *&c.* Item Theologiæ moralis ſubiectum eſt opus factibile, cùm hæc Theologia ſit practica; Ergo totius Theologiæ ſubiectum non eſt Deus.

3 Tertia. Theologia per ſe loquendo eſt de qualibet veritate reuelabili; hoc eſt per ſe extenditur ad diſcurrendum ex qualibet præmiſſa reuelatâ, & alia naturali; At ſcientia, quæ eſt de veritate reuelabili, non habet per ſe pro obiecto attributionis Deum; etenim per ſe poſſunt reuelari plura, quin nec verbum dicatur de Deo; nequit autem eſſe ſubiectum alicuius ſcientiæ id, quod per nullum eius actum attingitur; Ergo Theologia per ſe non habet pro obiecto attributionis Deum. Confirmatur; ſi ſolùm reuelatetur eſſentia, & combinatio numeri, tunc diſcurſus ex reuelatis ſolùm haberent pro ſubiecto *numerum*, quo enim differret in ſubiecto ab arithmetica? At per ſe non eſt potiùs alligata reuelatio (& conſequenter, nec Theologica) vt tendat in Deum, quàm in tales combinationes. ergo, *&c.*

4 Quarta. Theologia non ſtrictiſſimè, ſed ſumpta in tota ſua latitudine propria iuxta definitionem explicatam diſput. 1. omnes diſcurſus naturales, & conſequenter ſcientias omnes includit, quæ enim eſt naturalis veritas, de qua non agat S. Thom. in ſua ſumma? Et quidem incautè dices: *extra rem.* At Deus nequit eſſe ſubiectum attributionis omnium ſcientiarum; ergo nec Theologiæ.

5 Ob has rationes, ſunt plures ſententiæ excludentes Deum ab obiecto attributionis Theologiæ. Prima ponens *actum meritorium* cum Durando quæſt. 3. prol. ſentent. num. 21. Secunda *Chriſtum Dominum*, cum S. Bonauent. ibid. Tertia *ens diuinum cognoſcibile per inſpirationem* cum P. Franciſco Amico hîc diſput. 1. ſect. 9. num. 186. Quarta nullum determinatè, ſed plura pro tractatuum diuerſitate cum Scoto quæſt. 3. prol. ad 1. quæſt. lateralem.

Durandus
S. Bonauent.
P. Franciſcus Amicus
Scotus.

SECTIO II.

Vera ſententia aliquibus concluſionibus declaratur.

6 PRima ſit: Totius Theologiæ de facto, ſeu omnis diſcurſus deducti, vel adducti in confirmationem veritatum reuelatarum, de facto poteſt Deus eſſe obiectum attributionis. Probatur; nulla eſt veritas reuelata de facto, nec theologicus diſcurſus, qui ſaltem vt coniunctus cum aliis non poſſit ita diſponi, & ordinari, vt oſtentet naturam Dei, vel aliquod eius attributum, *Prouidentiam*, *Miſericordiam*, *Iuſtitiam*, &c. Sed obiectum attributionis alicuius ſcientiæ eſt illud, cui tota ſcientia incumbit; Ergo ſubiectum totius Theologiæ poteſt eſſe Deus. Conſequentia patet, & minor, quis enim videns hiſtoriam aliquam totam eſſe in narrandis vita, moribus, geſtis Cæſaris, non dicet eius ſubiectum eſſe *Cæſarem.* Maior ſuadetur; nam quantumuis aliqui diſcurſus Theologici ſecundùm ſe nullam mentionem faciant de Deo; ſi tamen coniungantur cum aliis, ab his participare poſſunt determinationem, vt ordinentur ad Deum cognoſcendum; quemadmodum licèt in ſcientia ſimplici, qualem voco vnum diſcurſum, hæc præmiſſa; *omnis homo eſt rationalis*, nihil dicat de Leone; at coniuncta cum hac, *ſed leo non eſt homo* ordinatur ad iſtam, *ergo leo non eſt rationalis*: ita etiam, licèt narratio verbi gratia ſolius victoriæ Cæſaris contra Pompeium, nondum determinet, ſit-ne Cæſar ſubiectum totius hiſtoriæ determinat tamen vt coniuncta cum aliis geſtis Cæſaris: ergo ſimiliter hîc.

Deus poteſt eſſe obiectum attributionis Theologia vt de facto diſpoſita.

Scientia ſimplex qua ?

7 Neque obſtat ſæpe in Theologia diſcuti plures veritates ſecundùm ſe abſolutè, quin vllus ad Deum reſpectus habeatur; non inquam obſtat: nam vbi ſemel ſcientia conſiderat rationem reſpectiuam ſui obiecti particularis ad obiectum attributionis, huic relationi, & ordinationi objecti attributi ad attributionis obiectum non officit, quòd ſimul deſcendat ad indagandam naturam abſolutam talis obiecti particularis, ſeu attributi. Sic ſcientia de Anima, dum agit de intellectione, titulo effectus vitalis, non abs re intellectionis naturam abſolutam conſiderat; quia talis conſideratio, ſaltem vt coniuncta cum aliis, tota incumbit animæ, vt dixi num. præced.

Quo titulo deſcendat Theologia ad agendum de aliquibus veritatibus purè philoſophicis.

8 Secunda ſit, Theologia de facto vt probè ordinetur, ita diſponenda eſt, vt Deum habeat pro ſubiecto: nam ſi hæc diſpoſitio fieri poteſt, (licèt fatear poſſe & aliam) quis dubitet dignitati Theologiæ, proportioni viæ cum Theologia Beatorum eiuſque vtilitati in finem noſtrum maximè conuenire? Et quidem Diuus Thomas euidentiſſimè in ſua ſumma, ſic Theologiam diſpoſuit in 1. part. cognoſcitur Deus in ſe, & in ratione principij, in ſecunda parte in ratione finis conſequibilis, demonſtrando media huic conſecutioni in communi; in 1. 2. in particulari in 2. 2. Denique in 3. part. cognoſcitur Deus vt Redemptor. Quare optimo iure Diuus Thomas, iuxta mirabilem ſuæ ſummæ diſpoſitionem, poſuit Deum vt ſubiectum Theologiæ.

De facto ita debet diſponi Theologia vt deum habeat pro ſubiecto.

Summa Theologica S. Thoma Deus eſt ſubiectum.

9 Tertia ſit: Theologiæ per ſe loquendo non de reuelatis de facto, ſed iuxta ea, quæ per ſe reuelari poſſunt, non eſt Deus ſubiectum attributionis: hoc euidenter probat tertia ratio in ſectione præced. quæ vlterius confirmatur primò exemplo luminis naturalis, quod non habet pro obiecto attributionis determinatam veritatem; quia ſcilicet naturale lumen per ſe determinatum non eſt his præciſè demonſtrationibus, ſed quibuſlibet: At Theologia ſimiliter indifferens eſt cuilibet veritati reuelatæ; ergo. Confirmatur ſecundò, licet quis duceretur authoritate Ariſtotelis in cognoſcenda verbi gratia natura *entis mobilis*, adhuc non Ariſtotelem, ſed *mobile ens* haberet pro obiecto attributionis. Ergo ſimiliter caſu, quo Deus reuelaret præciſè ens mobile.

Deus non eſt ſubiectum Theologia ſecundùm ſe conſiderata.

10 Quarta ſit. Theologiæ ſic per ſe ſumptæ obiectum attributionis eſt, (cui ſcilicet tota incumbit) *veritas à Deo reuelata.* Probatur; quia Theologiæ ipſi, & ſoli competit diſcurrere ex quibuslibet reuelatis, & in eorum confirmationem: aliundè nulla veritas determinata, eſt potiùs reuelata per ſe loquendo, quàm alia; Ergo veritas vt ſic reuelata, erit ſubiectum attributionis Theologiæ per ſe ſumptæ. Dixi *veritas reuelata* non dixi *reuelabilis*: nam ſufficit vt aliqua veritas ſpectet ad Theologiam, quòd reuelari poſſit, niſi actu reueletur, aliàs omnis diſcurſus naturalis eſſet Theologicus.

Veritas à Deo reuelata eſt ſubiectum attribut. Theologia ſecundùm ſe.

* * *

SECTIO

SECTIO III.

Solutio rationum & ſententiarum in ſectione prima.

11 *Cur Angeli conſideratio referatur à Theologo in Deum, & non conſideratio hominis à Philoſopho.*

AD primam rationem reſpondeo, Angelum eſſe ſubiectum tractatus de Angelis ſecundùm ſe, ſed non vt coniuncti cum aliis, vt dixi concluſione 1. Iam cognitiones de Angelo aptiùs diſponi poſſunt à Theologo in vnam ſcientiam, & diſpoſitæ ſunt de facto in Deum, quàm cognitiones de homine, & aliæ naturales; Tum quia omnes cognitiones Theologicæ innituntur per ſe eidem modo tendendi ex reuelatis, ſecus naturales ſcientiæ; tum etiam, quia naturales ſcientiæ, cùm per experientiam acquirantur paulatim, & ſeorſim conſiderantur à Philoſophis, quin iſti curent ſcientias omnes in vnam facultatem diſponere (quod ſi contingeret, fateor Dei cognitioni poſſe deſeruire.) At Theologus ſuo fini diſcurrendi ex reuelatis omnes diſcurſus in vnum coniungit; ſic autem congruentiùs in Deum diſponuntur, vt dixi concluſione ſecunda.

12 *Deus vt ſit ſubiectum ſacrorum Bibliorum.*

Ad ſecundam reſpondeo; licèt ſcripta Canonica, vt ſunt in ſacris Bibliis, non habeant pro ſubiecto Deum, vt patet in Regum hiſtoria, cuius ſubiectum Regum geſta ſunt. At ipſa canonica ſcripta methodicè, vt in ſtylum ſcientiæ, diſpoſita, Dei cognitioni deſeruiunt, verbi gratia, Regum geſta, vt ſigna, & effectus diuinæ prouidentiæ, *&c.* ſimiliter dico de Theologia morali, præcipuè ſi eius cognitiones, & regulæ cum aliis omnibus coniungantur vt ſæpe dixi.

13 *Theologia omnes ſcientias naturales includere poteſt.*

Tertia ratio veriſſima eſt, vt conſtat ex concluſione tertia. Ad quartam. Theologia in tota ſua latitudine ſumpta, adhuc habet pro ſubiecto *Deum:* nam licèt Theologia ſic ſcientias omnes naturales includat, & iſtæ ſecundùm ſe inconnexæ Philoſophis ſint, quin in vnum obiectum attributionis diſponantur, ſed potiùs conſiderentur omnino diſparatæ, id procedit in naturalibus, eo quòd ſolùm attendant Philoſophi, ad vniformitatem modi tendendi, qui ſæpe non includit, niſi limitatam collectionem cognitionum. At Theologus omnia colligit, & comprehendit, dum in obſequium fidei cedant, quantumuis procedant diuerſis modis; cùm autem omnia naturalia diſcurſibus ex reuelatis deſeruiant, ideo reſpectu Theologiæ omnia coagmentantur, coagmentata autem in ſolum Deum, vt ſubiectum melius cognoſcendum, diſponuntur iuxta dicta.

14 *Meritum, licèt ſit finis Theologi, vt boni moraliter, non tamen vt boni ſpeculatiui.*

Hinc reiicitur prima ſententia licèt enim Theologia practicè ordinanda ſit ad excitanda merita, ſed non ad ſpeculanda. Secunda; quia Deus non ſolùm vt *redemptor*, ſed vniuerſalius quaſi ſecundùm ſe totus inſpicitur hìc. Tertia; ſi loquatur de Theologia de facto reiicitur; quia Pater Æternus eſt *ens diuinum*, nec tamen ſub hac ratione ſola, ſed quaſi *Dei vt ſic* procedit Theologia: ſi verò ſermo ſit de Theologia *per ſe* iuxta concluſionem tertiam. Contra, veritas reuelata & inſpirata poteſt eſſe purè creata, imo carentia, & non ens (ideo ego poſui in quarta cõcluſione pro ſubiecto Theologiæ, vt ſic veritatem reuelatam quæcumque ſit.) Quarta ſententia falſa eſt de facto, vt dixi; imo de poſſibili etiam determinandum eſt ſubiectum Theologiæ debere eſſe *veritatem reuelatam*, nam non quilibet tractatus ad Theologiam pertinet, niſi qui reuelatis inſiſtit; fateor tamen per ſe non determinari à Theologia, quòd potiùs ſit de hoc ſubiecto reuelato; quàm de alio, ob quod dixi; quòd obiectum attributionis Theologiæ, vt ſic, ſit *veritas reuelata*, non quidem in actu ſignato accepta, ſed in actu exercito, *veritas quæ reuelationi de facto ſubſit*; quæcumque tandem ſit veritas iſta.

SECTIO IV.

De obiecto adæquato motiuo ſeu formali Theologiæ, vtrum ſit ſola reuelatio; vel vlteriùs intret veritas naturali luce cognoſcibilis?

NOn eſt idem ſubiectum, ſeu obiectum attributionis, quod obiectum formale, ſeu motiuum ſcientiæ, illud namque eſt de quo omnia prædicantur in ſcientia immediatè, aut mediatè; iſtud verò eſt, quod immediatè, & formaliter propter ſe attactum eſt, ratio aſſentiendi prædicatis, quæ dicuntur de ſubiecto attributionis; determinato ergo hoc in præcedentibus, vt plena habeatur notitia de obiecto & ſphæra, ad quam ſe extendit Theologia, meritò aſſignari expedit, quod ſit eius motiuum, cui innititur formaliter & ratione ſui, & ratione cuius cogniti ad alia cognoſcenda progreditur. Non curo in præſenti ſingillatim exponere quænam ſint obiecta materialia Theologiæ? hæc enim erunt manifeſta ſemel aſſignato obiecto formali, ſiquidem omnia ea, ad quæ ex proprio motiuo, & formali obiecto extenditur facultas aliqua numerantur inter obiecta materialia talis ſcientiæ. Et quidem extra controuerſiam eſt, obiectum formale, cui innititur Theologia, reuelationem diuinam eſſe, per hanc enim vnicè diſtinguitur à ſcientiis naturalibus; ſolùm ergo controuerſiæ ſubeſt, ſit-ne ſola reuelatio obiectum formale, in quod vnicè reſoluitur omnis Theologicus aſſenſus; an verò vltra reuelationem ſit aliquod aliud principium, & motiuum; quod vtique erit naturalis veritas; nam vltra reuelationem nil aliud eſt, quod ſuperaddi poſſit ad mouendum aſſenſum Theologicum. 15

In qua controuerſia ſentio reuelationem per ſe ſolam inſufficientem, eſſe ad mouendum aſſenſum Theologicum, & conſequenter non eſſe illius adæquatum motiuum, ſeu obiectum formale. Huius ſententiæ autumo eſſe in re omnes authores, quidquid ex voce ſit, contra quam ſolùm ire poſſunt authores citandi §. 18. Etenim ſyllogiſmus ſtrictè Theologicus, vt nemo negat, conſtituitur vna præmiſſa naturali, præter aliam reuelatam: ergo mouetur partialiter aſſenſus concluſionis Theologicæ ex tali motiuo naturali; etenim aſſenſus concluſionis æquè habet pro motiuo veritatem vtriuſque præmiſſæ, ſicut æquè innititur vtrique; vnde ſi concluſio reflectat ſupra præmiſſas, ita vt intrinſecè moueatur ex earum obiecto; non minùs vnius quàm alterius veritatem obiectiuam habebit pro motiuo; vel vt meliùs dicam, vnum habebit motiuum, quaſi mixtum ex obiecti vtriuſque præmiſſæ, quæ eſt vnica & fundamentalis ratio euidentiſſima communis & noſtræ ſententiæ. 16

Confirmatur primò: Omnis aſſenſus verè Theologicus differt obiecto motiuo & ratione formali, propter quam aſſentitur, ab aſſenſu fidei, ſed aſſenſus fidei habet pro adæquato obiecto formali 17

reuela

reuelationem, ſeu primam veritatem vt reuelantem; ergo aſſenſus ſtrictè theologicus, vt differat obiecto, aliquid aliud ſuperaddere debet reuelationi. Confirmatur ſecundò. Huic concluſioni: *Chriſti corpus in triduo habuit formam cadauericam*, nequit quis aſſentire ex motiuo purè phyſico, quantumuis tali concluſioni præmittatur hoc motiuum phyſicum: *corpus mortuum habet formam cadauericam*, quod applicatur per hanc minorem propoſitionem, *corpus Chriſti in triduo fuit mortuum*; ergo quia præmiſſa fidei neceſſariò affert nouum motiuum ad aſſenſum concluſionis; ergo è contrà, cùm præmiſſæ fidei admiſcetur alia præmiſſa naturalis, hæc importabit nouam rationem motiuam aſſenſus concluſionis Theologicæ.

18 Contra hanc ſententiam videntur ſentire Authores, qui dicunt relationem diuinam eſſe primum motiuum, in quod Theologia vltimò reſoluitur. Ita P. Gillius hìc lib. 1. tract. 3. cap. 11. num. 4. pro ſe adducens S. Thomam, Ægidium, Conrad. Iauellum, Caiet. Silueſtrum, Capreolum, Hiſpalenſem, Soncinatem, & Baconum. Sed hi omnes, ſi attentè inſpiciantur, ſolùm intendunt ſolam reuelationem eſſe primum & principale motiuum, non tamen negant adiungi ipſi motiuum, ſeu rationem naturalem; ſed quidquid ſit ex mente horum authorum pro excludendo motiuo naturali, ſtatuendaque reuelatione diuina, vt motiuo vnico omnis aſſenſus Theologicæ concluſionis, ſic argui poteſt, vt præmiſſa naturalis non afferat nouum motiuum.

19 Præmiſſa naturalis ſolùm ſe habet vt applicatio, &c. quaſi explicatio reuelationis: ſed quod ita ſe habet, non tollit reuelationem eſſe adæquatum motiuum: ergo Theologia, licèt vtatur præmiſſâ naturali, adæquatè mouebitur propter ſolam reuelationem. Hoc argumentum maximè opponitur vnicæ probationi pro vera ſententia §. 16. Conſequentia legitima eſt: minor propoſitio videtur conſpicua, tum à paritate cauſæ phyſicæ, quæ retinet virtutem adæquatam cauſandi; licèt eam non exerceat ſine applicatione: tum præcipuè ad præſens, aſſenſus, quo credo Chriſtum eſſe hominem, abſque dubio mouetur propter ſolam reuelationem, licèt indigeat præuia notitia naturali de eſſentia hominis, ſeu quid ſit eſſe hominem: quo enim pacto credet quis dicenti Chriſtum eſſe hominem, ſi terminos teſtificationis non penetret? Iam maior, in qua ſola poteſt eſſe difficultas, ſuadetur, nam præmiſſa naturalis ſolùm proponit ſeu notificat, quod ſit ſignificatum per reuelationem: ergo dum proponit hominem eſſe *riſibilem* verbi gratia, explicat quid nomine *hominis* denotetur, ſeu explicat per vocem *hominis* reuera indicari ſubiectum *riſibile*; item quaſi applicat *riſibile* ſubiecto, ſeu ponit ſub ſubiecto reuelationis dicentis *Chriſtus eſt homo*; ad eum modum quo propoſitio particularis: *Petrus eſt homo*: reſpectu huius *omnis homo eſt mortalis*, ſolùm præſtat & explicat Petrum eſſe contentum ſub hac vniuerſali reuelata, Petrumque eſſe eiuſdem ſubiectum: vnde ad *Petrus eſt mortalis* ex ſola reuelatione mouetur intellectus. Hinc confirmatur: qui ſciens ſub *homine* contineri *riſibile* negat Chriſtum eſſe riſibilem, non minùs cenſetur ſoli reuelationi diſſentire, quàm qui ſciens Petrum eſſe hominem, negat eſſe mortalem, cenſetur diſſentire reuelationi vniuerſali ſuprà poſitæ; ergo è contrà aſſenſus vtriuſque concluſionis æquè eſt propter reuelationem.

20 Argumentum hoc magnam vim habet contra eos, qui cenſent aſſenſum fidei de myſterio reuelato ſolùm niti veracitati diuinæ, reuelationemque eſſe puram conditionem, non motiuum partiale. Cæterùm quia ego aliter ſentio de aſſenſu fidei, vt dicam in proprio tractatu; aliter etiam hìc circa aſſenſum Theologicum diſcurrendum cenſeo. Et in primis argumentum hoc æquè probat (vt euidentiſſimè conſtabit inſpicienti) ſolam rationem naturalem eſſe motiuum adæquatum, & reuelationem per modum puræ conditionis, & applicationis cum aſſenſu concluſionis Theologicæ comparari, quàm è conuerſo. Etenim dicam, quòd illa præmiſſa fidei: *Chriſtus eſt homo*: ſolùm præſtat, vt ſciatur Chriſtum eſſe contentum ſub illa naturali vniuerſali, *omnis homo eſt riſibilis*. Etenim qui ſciens Chriſtum eſſe hominem, negat adhuc eſſe riſibilem, manifeſtè conuincitur diſſentire illi naturali principio, *omnis homo eſt riſibilis*: ergo vel ex hoc ſolo fundamento dicendum eſt, quòd Theologia æquè debeat inniti, vt obiecto motiuo, rationi naturali, ac reuelationi diuinæ.

21 *Dupliciter applicantur termini reuelationis.* *Primo modo.*

Nunc vt reſpondeam; noto, terminos reuelationis dupliciter applicari: primò, quin addatur nouus terminus nec reſpectus formalis ex parte modi, ſed ſolùm illud idem, quod reuelatio implicitè in eſſe ſignificantis continet, declaretur, verbi gratia, Chriſtus reuelatur *homo*, qui terminus nihil aliud formaliter ſignificat, quàm hanc naturam humanam, quam experimur ſentire & diſcurrere, quod ſolùm dicere intendimus per *animal rationale*; talis applicatio non variat, nec addit aliquid ad motiuum reuelationis; ſi enim ſemel conſtat de ſignificato, & de re ipſa reuelata, nihil refert hoc nomine vel illo ſignificari: ſic reuelatio: *Chriſtus eſt homo*: dicit: *Chriſtus conſtat corpore & anima*: *eſt animal rectum*: *habet manus & pedes*, &c. Etenim hæc omnia per ſe patent experienti, ſeu videnti hominem: & qui de homine loquitur, manifeſte reſpicit hoc obiectum, quomodocumque tandem appelletur, quod ab his, qui communi acceptione cenſentur homines, non diſcriminatur.

22 *Secundo modo.*

Nota 2. applicari terminos reuelationis non tantùm explicando, quod implicitè continet reuelatio formaliter, ſed addendo nouum terminum formalem, & aliquam veritatem, quæ in vi ſignificationis teſtimonij reuelantis deduci nequit, ſeu in tali ſignificatione cognoſci: verbi gratia, reuelatio *Deus exiſtit*, ſolam denotat formaliter exiſtentiam de Deo, ita vt in vi ſignificationis non cognoſcatur veritas alia de Deo, nec qui aliunde ignoret naturam Dei, poſſit, quantumuis penetret ſignificationem talis reuelationis aliud cognoſcere, niſi talem exiſtentiam: tamen talis exiſtentia cum detur in tribus ſuppoſitis, re verà explicatur, dicendo Deum exiſtere in tribus ſuppoſitis: Nihilominus hìc non explicatur *exiſtentia* quæ reuelata eſt, ſed additur nouus terminus, & veritas non cognoſcibilis ex vi ſignificationis, *Deus exiſtit*; ſiquidem, vt dixi, nemo, qui aliunde notitiam non habeat de obiecto, poterit in reuelatione de exiſtentia Dei penetrare eius Trinitatem.

23 Hinc ad argumentum in §. 19. Reſpondeo præmiſſam naturalem non eſſe puram applicationem, quia addit nouum terminum formalem non cognoſcibilem vi ſignificationis præmiſſæ reuelatæ; haud aliter quàm ipſa præmiſſa reuelata, ob id non comparatur vt mera applicatio reſpectu præmiſſæ naturalis. Ad inſtantiam de notitia explicante quidditatem *hominis* conſtat ſatis diſcrimen eſſe iuxta §. 21.

§.21. vt cenſeatur mera applicatio. Quid verò dicendum ſit de particulari contenta in vniuerſali reuelata, ſi ſit ſub eiſdem terminis notis euidenter, vel phyſicè, vel moraliter, conſtat etiam ex diſp. 8. ſect. 2.

24 *Concluſio Theologica qualiter ſit virtualiter reuelata.* Iterum arguunt ſecundò Aduerſarij, vt ſola reuelatio ſit motiuum ſeu obiectum formale aſſenſus Theologicæ cōcluſionis. Iſta eſt virtualiter reuelata; Ergo ad eius aſſenſum mouetur intellectus ob reuelationem virtualem: vti enim ad propoſitionem formaliter reuelatam mouet formalis reuelati, ita ad virtualem virtualis: ſed virtualis reuelatio mouet in vi reuelationis formalis. Etenim virtualis reuelatio perinde ſe habet ad mouendum ac ſi eſſet formalis, ſic ex fide aſſentio hunc hominem eſſe mortalem, quia hoc virtualiter reuelatur in iſta vniuerſali. *Omnis homo eſt mortalis*; ergo tandem Theologicus aſſenſus adæquatè reſoluitur in reuelationem.

25 Conſequenter ad dicta pro ſolutione argumenti præcedentis, noto dupliciter aliquid eſſe virtualiter reuelatum, vel *ex parte rei*, vel *ex parte modi*; hoc contingit, quando reuelatio ipſa, vi ſignificationis, aliquid declarat, obſcurè tamen, quales ſunt reuelationes allegoricæ, vt in Apocalypſi & in aliis metaphoricis loquutionibus ſacræ ſcripturæ, quæ reuelationes ſine dubio per fidem creduntur; totum enim, quod vi ſignificationis notificari poteſt audienti, intendit loquens manifeſtare ſeu reuelare. *Ex parte rei* dicitur aliquid virtualiter reuelatum, quando res ipſa, & obiectum talem veritatem continet; cæterùm cognoſci nequit vi ſignificationis præciſæ teſtimonij reuelantis; niſi aliunde ipſum obiectum cognitum ſit: & talis veritas ſic virtualiter ſignificata per ſe non attingitur propter reuelationem; aliàs reuelatā ſolā exiſtentiā Dei, cenſerentur ſufficienter reuelata omnia eius attributa. Hinc ad argumentum reſpondeo, concluſionem Theologicam eſſe reuelatam *virtualiter* hoc ſecundo modo ex parte rei, & non ſolùm ex parte modi, ideoque talis concluſionis theologicum aſſenſum non reſolui in reuelationem fidei, tanquam in obiectum adæquatum motiuum.

DISPVTATIO XI.

Quis ſit ſenſus ſacræ ſcripturæ: Qualiterque illo vtatur Theologia.

SECTIO I. *Vtrum ſub vna littera ſacræ ſcripturæ ſint plures ſenſus? & quot?*

SECTIO II. *De ſenſu litterali quis, & Quotuplex ſit? Et An poſſit eſſe multiplex ſub eadem littera.*

SECTIO III. *De ſenſu Myſtico quis, & Quotuplex ſit?*

SECTIO IV. *De Vſu horum ſenſuum in Theologia & Quis ſit efficax ad arguendum?*

Exponitur articulus Nonus, & decimus S. Thomæ. INTER ea, quæ reuelatio diuina proponit credenda, primum locum obtinent dicta in ſcriptura ſacra, quare iure ſpecialiter de eius intelligentia præmittendum hìc aliquid breuiter eſt, quatenus Scholaſtico theologo conueniat, fuſiori tractatione Sacrorum Bibliorum expoſitoribus, & interpretibus relicta; duo autem ſunt maximè ſcienda ſcilicet litteram in ſcriptura non ſemper accipi in propria ſignificatione, ſed ſæpe ſecundùm impropriam, & tranſlatitiam, ſeu metaphoricam; alterum præter ſenſum litteralem, alium occultiorem myſticum ſeu ſpiritualem contineri. Primum docet S. Thom. hìc artic. 9. dum varias congruentias adducit, ob quas conueniens fuerit ſacram Scripturam vti metaphoris, tum quia homines præcipuè rudiores faciliùs capimus ſpiritualia ſub ſimilitudine Corporalium, tum quia cùm ſic non ſit ſcriptura intellectu facilis magis occupantur homines, & detinentur eius ſtudio; minúſque patet irriſioni infidelium iuxta Matth. 7. *Nolite ſanctum dare canibus*, tum denique, quia ſic explicatur Deus modo aptiori, quo ipſum in hac vita cognoſcimus, in qua magis nobis manifeſtatur de ipſo quid non ſit, quàm quid ſit? Secundum etiam docet S. Thom. hìc *art.* 10. aſſignans præter litteralem, alios tres ſenſus ſpirituales, videlicet *allegoricum, moralem, & Anagogicum*, quia cùm Author ſcripturæ ſit Deus, qui omnia ſuo intellectu comprehendit, rectè poteſt hos omnes ſenſus ſimul intendere, de quibus dicam ſect. 3. modò alia priùs, quæ diſputari ſolent in his articulis præmittamus. *Matth.*

SECTIO I.

Vtrùm ſub vna littera Sacræ Scripturæ ſint plures ſenſus? & Quot?

CErtum eſt inter Catholicos, imo de fide, vt P. Gillius exiſtimat hìc lib. 1. tract. 7. cap. 2. nu. 4. Vnam litteram, ſeu locum S. Scripturæ plures ſenſus habere; ſic in Euangelio paſſim plura teſtimonia veteris teſtamenti, quæ in alio, & proprio ſenſu ibi accipiuntur, ad Chriſtum dominum applicantur: Sic Matth. 2. dicitur in reuerſione Chriſti ex Egypto adimpletum eſſe; quod dictum eſt. Oſeæ 11. *ex Ægypto vocaui filium meum.* Quod certum eſt dici de reditu populi Iſraëlitici ex Egypto, & tamen Matthæus teſtatur fuiſſe etiam dicta de reditu Chriſti Domini ex Ægypto; & alibi paſſim, quibus immorandum non eſt; huius rei rationem adhibet. D. Thom. art. 10. ſenſus ſcripturæ eſt, quem intendit Deus ſcripturæ ſacræ Author excitare in nobis de re conformem conceptui interno ipſius Dei; ſic voces dicuntur ſigna conceptuum loquentis. Deus autem, cùm omnia comprehendat non ſolum verbis, ſed rebus ſignificatis, per ipſa nos inſtruere intendit, aſſumitque verba ad ſignificandas res, & rurſus res ipſas ſignificatas, vt ſint ſignum alterius. Ergo ſub vna littera ſcripturæ, plures latent ſenſus. 1 *De fide eſt ſub vna littera eſſe plures ſenſus.* P. Gilius. Probatur ex Matth. Ratione.

Addit autem S. Thom. ibi art. 10. Corp. initio, Ita accommodare res ſignificatas, iterumque ipſas aſſumere ad ſignificandum alias eſſe Dei proprium, quod homo facere non poteſt; ideoque hanc excellentiam continendi plures ſenſus ſpecialiter conuenire Sacris litteris, quæ Deum habent authorem. Sed cùm homo poſſit ita loqui, vt ſimul intendat per res ſignificatas aliud etiam indicare, non apparet cur hic ſenſus multiplex proprius dicatur locutionis diuinæ. Caietanus hìc artic. 10. verſ. *Circa hanc partem* diſtinguit, vel res aſſumuntur in ſigna, quando fiunt, vel quando iam ſunt factæ, ſecundum permittit homini; primum aſſerit 2 *Qualit. id Dei propriũ* Explicatio Caietani.

aſſerit Dei proprium; imo hoc ſi ſumatur vniuerſaliter, vt non ſolùm vna actio, ſed tota hiſtoria, & omnia vniuerſim narrata deſeruiant ſignificandis aliis, ſoli Deo poſſe conuenire cenſet. Hæc tamen explicatio non placet, quia vel aſſumuntur res vt ſignificent naturaliter, vel ſolùm ad placitum; primum licèt fortè ſoli Deo conueniat, quia bene comprehendit naturas rerum; at ſecundum, quod in ſcriptura contingit, etiam hominibus commune eſt, vt enim loquuntur per hieroglyphicas notas, cur non poſſent ex libito rebus ſignificatis rurſus imponere ſignificationem, vt alias res diſtinctas ſignificent.

Non placet.

3 Igitur ſpecialitatem ſacræ Scripturæ vt ſub vna littera habeat plures ſenſus, ideo puto meritò reduci in comprehenſionem Authoris Dei, qui omnia comprehendit. Primò, quia non ſolùm plures, ſed infiniti ſunt ſenſus, qui ſub vna littera continentur, omnes ſcilicet qui bene congruunt doctrinæ fidei, & morum, etenim Spiritus-ſanctus omnia hæc bona intendit per ſua dicta ſuadere; nulli autem creaturæ conceditur ita multa intendere, cùm non poſſit tam latam habere comprehenſionem; Secundò, res aſſumuntur non ſolùm ad ſignificanda præſentia, ſed etiam futura, tam quæ accident in hac vita, quàm quæ in patria contingent; futurorum autem prædictio propria Dei eſt. Tertiò, etiam eſt Dei proprium, quòd tam multæ res, quæ referuntur contigiſſe in teſtamento veteri, omnia in figura contigerint iuxta 1. Cor. 10. verſ. 11. Neque enim alius, quàm Author naturæ poterat ſeriem naturalem ita diſponere, vt tota vmbra fuerit futurorum.

Vera explicatio tres aſſignat titulos.

1. Cor. 10.

4 Omnis ſenſus Scripturæ vel litteralis eſt, vel myſticus ſeu ſpiritualis; per litteralem immediatè verba ſignificant res, per ſpiritualem mediatè, quatenus res ipſæ aſſumuntur vt ſint ſigna aliarum veritatum. In hæc duo membra adæquatè diuidi omnem Scripturæ ſenſum communiter ſtatuitur ab omnibus, iuxta Dionyſium de cœleſt. hier. c. 2. & epiſt. 9. ad Titum. Auguſtinum lib. 1. de Geneſ. ad litt. cap. 2. conſtabitque latiùs ex ſequendis; modò breuiter eſt ratio, quia omnis ſenſus Scripturæ ſignificari debet aliquo modo per verba ſcripturæ, vel ergo ſignificatur immediatè, ſiue propriè, ſiue impropriè; de quo ſect. ſeq. vel ſignificatur mediatè; vnum è duobus neceſſarium eſt, cùm ſint hæc extrema contradictoriè oppoſita; ſi primum, eum ſenſum vocamus litteralem; ſi ſecundum ſpiritualem, verbi gratia, quando in Exodo refertur liberatio populi Iſraelitici à captiuitate Ægyptiaca immediatè, & litteraliter ſignificatur ipſum factum Redemptionis corporum: At hæc redemptio altiorem libertatem animi à ſeruitute peccati deſignat ſpirituali, & myſtica ſignificatione. Ergo ſenſus Scripturæ adæquatè diuiditur in litteralem, & ſpiritualem.

Senſus Scripturæ adæquatè diuiditur in litteralem, & ſpiritualem.
S. Dionyſ.
S. Auguſt.
Ratio.

5 Obiicies præter hos duos modos, & ſenſus; alium tertium, ſcilicet per accommodationem, qui ſenſus accommodatitius tunc contingit; quando verba, quæ nec mediatè, nec immediatè rem aliquam ſignificant, ſed diuerſam; accommodantur tamen, & applicantur tali rei, vt ſi aliquis volens denotare miram alicuius Patris in filios ſollicitudinem, diceret illud Virgilij: *Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis*, quæ verba ſecundùm ſe nec mediatè, nec immediatè loquuntur de tali patre. Sic ſæpe Concionatores; & Eccleſia canit de quouis Confeſſore Pontifice: *Inuentus eſt iuſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio.* Quod tamen de ſolo Noë dixit Eccleſiaſt. c. 44. nec litteraliter, aut ſpiritualiter de confeſſore Pontifice locutus: Ergo in Scriptura inuenitur alius tertius ſenſus à litterali, & ſpirituali. Si dicatur hanc accommodationem non eſſe dicendam pertinere ad ſenſum cùm Scripturæ Author minimè intẽderit illam ſignificare. Contrà vrgebis, quia ſæpe vnus Scriptor ſacer dicit impleta eſſe teſtimonia antiquiora per factum ſubſequens, cui talia teſtimonia accommodat Ioan. 19. *facta ſunt enim hæc, vt Scriptura impleretur. Os non comminuetis ex eo.* Matth. 2. *vt adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: ex Ægypto vocaui filium meum.* Tunc ſic, ſed ineptè diceretur impleta Scriptura per factum aliquod, niſi de hoc illa loqueretur, ſeu ſenſus Scripturæ non eſſet de tali facto. Ergo ſenſus accommodatitius ad Scripturam pertinet.

Senſus accommodatitius an diſtinguatur à reliquis.

Ratio affirmandi.

Ioan. 19.
Matth. 2.

6 Reſpondeo ſenſum purè accommodatitium non eſſe numerandum inter verum ſenſum Scripturæ, quare nec debet conſtituere nouum membrum huius diuiſionis ita P. Valentia quæſt. 1. punct. 5. §. 3. verſ. *ſunt autem hic.* Tannerus quæſt. 5. dub. 2. n. 4. Ratio eſt, quia ſtrictè tunc accommodatio mera verborum datur, quando applicantur alteri præter mentem & intentionem loquentis, non ſolùm primariam, ſed nec ſecundariam quo differt à metaphora, nam hæc continetur in ſecundaria ſignificatione verborum, imo ex mente loquentis in primaria, vt cùm dicuntur *oculi Domini ſuper iuſtos*, directè intendit Scriptura per *oculos* ſignificare Sapientiam & Prouidentiam Dei; ſecus contingit quando purè accommodantur verba, vt patet in dicto illo Virgilij in §. 5. ſic etiam homines praui ad prophana quæque connectunt, ſeu accommodant verba Scripturæ iuxta Trident. ſeſſ. 4. decreto de editione & vſu ſacrorum librorum, quæ accommodatio non ſolùm eſt ex ſenſu Scripturæ, ſed contra illum, cùm tamen quidquid ſit de malitia accommodandi, verè tamen tunc ſtat conceptus accommodationis; ideo enim peccatur; quia verba Scripturæ indignè applicantur, & accommodantur. Quare ſolutio adhibita huic obiectioni in eo §. 5. vera eſt; & colligitur ex S. Thoma art. 10. vbi cum numeret ſenſus Scripturæ; huius accommodatitij ſenſus mentionem non facit; patetque manifeſtè; nam non poteſt eſſe ſenſus loquentis, qui præter eius mentem eſt, & ridiculè quis diceret ſub illis verbis Virgilij comprehendi amorem cuiuſuis parentis: Ad replicam reſpondeo illa verba ſacri Scriptoris obiecta non ex mera accommodatione, ſed ex ſenſu litterali, vel etiam myſtico procedere; aliàs enim friuolè adducerentur teſtimonia veteris Teſtamẽti, vt vaticinia facti euangelici; quis enim cordatus dicat de Petro ideo ſollicitum eſſe de filio vt adimpleretur, quod dixit Virgilius. Adde de verbis, quæ purè accommodantur iuxta communem phraſim dici; *bene quadrant, hic, bene conueniunt*, &c. non verò eſſe prophetias quæ adimpleantur per tale factum. Ergo cùm ſacris Scriptoribus ille duplex loquendi modus ſit, vt aliquando verba antiqua referant dicendo Matthæi 15. bene prophetauit de vobis Iſaias: *Populus hic labijs me honorat*: aliquando autem dicendo per tale factum noui Teſtamenti adimpletam eſſe, & verificatam antiquam prophetiam, hìc erit ſenſus litteralis, vel myſticus; ibi pura accommodatio.

Vt accommodatitius non eſt ſenſus Scripturæ ita.
Valentia.
Tannerus.
Probatur.

Matth. 15.
Poteſt admitti in Scriptura ſacra accommodatio pura, quæ ſub ſenſu Scripturæ non ſit.

Imo vniuerſim exiſtimo omnia verba & teſtimonia Scripturæ ſacræ, quæ adducuntur in confirmationem

7

Probabilius eſt omnem accommodationem includere aliquem verum ſenſum vel ſpiritualem, vel litteralem, neque eſſe accommodationem puram. Probatur.

firmationem alterius facti, quantumuis videatur omnino diuerſum ab eo, quod ſacer Scriptor intendit ſignificare talibus verbis, ſimpliciter non eſſe *purè accomodatitium*, dum tamen verè, & bene de nouo applicetur, ſiue ab vniuerſa Eccleſia, ſiue à quolibet alio particulari. Quale eſt illud teſtimonium: *Inuentus eſt iuſtus*, &c. Ratio eſt, quia vt ſenſus non ſit purè accommodatitius, ſed directè ſignificatus per verba ſcripturæ, ſiue litteraliter, ſiue myſticè non requiritur, quòd intendatur ab ipſo Scriptore canonico; contingere enim poteſt teſte D. Thoma quod lib. 7. quæſt. 6. artic. 14. & quæſt. 4. de pot. artic. 1. aliquem verum ſenſum ſcripturæ ab ipſo ſcriptore canonico ignoratum fuiſſe; ſufficit ergo huic, ſi intendatur ab ipſo Deo; quia ſenſus ſcripturæ abſolutè, non ex calami ſcribentis, vt ita dicam, ſed dictantis Spiritus ſancti mente, & ſententia metiendus eſt: Tunc ſic ſed Spiritus ſanctus præuidit, & intendit, quando inſpirabat ſcripturam ſacram illa omnia obiecta, quæ piè ſub ipſius verbis cadere poſſunt, quod enim in hoc abſurdi eſt; ſicut ſpiritualiter intendit omnem ſenſum, qui ad bonos mores, vel doctrinam deſeruire queat; cur non idem dicemus ſub illis verbis *Inuentus eſt iuſtus*, &c. Non ſolùm Noë, ſed omnem virum iuſtum proportionate comprehenſum, vt canit Eccleſia. Profectò id ſpectat, ad profunditatem, & dignitatem ſacræ ſcripturæ; maximéque decens eſt exiſtimari in accommodatione, quæ fit ab ſcriptore Canonico, vt ait Tannerus ſuprà; & ego addo quando ab vniuerſa Eccleſia fit. Quod nulli mirum videri debet, ſi aduertat ſententiam Auguſtini lib. 12. Confeſſ. cap. 31. vbi omnia, & ſingula vera, quæ quiſque poteſt ſub vna littera intelligere, ad ſenſum litteralem vult pertinere.

SECTIO II.

De ſenſu litterali quis, & quotuplex ſit? Et An poſſit eſſe multiplex ſub eadem littera.

8 *Quis ſenſus litteralis?*

CVm adæquatè diuiſerimus ſenſum ſcripturæ in litteralem & ſpiritualem, in hac ſectione litteralis eſt definiendus, in ſoquenti autem ſpiritualis. Eſt autem litteralis generatim loquendo, quem Author ſcripuræ per verba ſub propria, & vſitata ſignificatione, ſiue etiam tranſlatitia, & impropria, primò ſignificare voluit, quo pacto etiam eſt ſenſus litteralis ille, ad quem referuntur verba in impropria ſignificatione, & metaphorica, vt cum ſcriptura nominat *brachium Dei* litteraliter ſignificatur virtus operatiua Dei, vt expreſsè notat. S. Thom. hìc art 10. ad 8. & communiter omnes Authores contra Nicolaum de lyra in 3. Prolog. poſtillæ Bibliorum. Fateor tamen aliquando apud Patres ſenſum litteralem accipi ſtrictiùs pro Grammaticali, ſecundùm propriam ſignificationem verborum; quo pacto quando ſumi non poteſt argumentum Theologicum ex ſenſu litterali ſcripturæ; & huic applicatur illud: 2. Corinth. 3. *Littera occidit, Spiritus viuificat.* Ab Origene lib. 6. contra Celſum circa finem. Auguſtino lib. 3. de doctr. Chriſti cap. 5. & lib. 6. Confeſſ. cap. 4. & lib. de vtilitate credendi capite 3. vbi dicit verba figurata ſcripturæ non eſſe accipienda ſecundùm litteram, ſed ſecundùm ſenſum altiorem ſpiritualem: Sed ſtandum eſt communi lo-

Etiam metaphoricus eſt talis.

Explicatur dictum 2. Cor. 3. Littera occidit. Origen. Auguſt.

quendi modo, vt etiam ſignificatio Metaphorica pertineat ad ſenſum litteralem.

Vnde litteralis ſenſus ſubdiuidi poteſt in Proprium, & Metaphoricum ſub quo includo etiam Parabolicum, ſicut enim in communi metaphorica verba transferuntur ad impropriam ſignificationem, vt in illa Propoſitione: *Oculi domini ſuper iuſtos*: vox *oculi* non corporale organum viſus, ſed intellectum ſignificet. Ita in Parabola, non ſolùm verba ſigillatim, ſed integra narratio, & propoſitio aliud ſonat, alud innuit etiam litteraliter, licèt non ex directa, ſed ex indirecta ſignificatione, qua non ex communi impoſitione, ſed ex priuata intentione, & reductio e loquentis inſpectis circunſtantiis tale quid intelligi, & capi ab auditoribus immediatè intendit per integrum diſcurſum. Ita P. Salmeron tom. 7. in Euang. tract. 1. num. 13. Satiſque colligitur ex Parabola ſeminantis Lucæ 8. Nam hæc verba: *Exiit, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* Licèt grammaticaliter, & in ſignificatione propria ſeminantem ſignificet, at abſolutè litteralis ſenſus non accipitur ſecundùm hanc ſignificationem, etenim ſi hinc menſurandus eſſet ſenſus Parabolæ, ſæpe eſſet falſus, quòd nefas eſt aſſerere de hiſtoria canonica: Accipitur ergo litteralis ſenſus in impropria, & metaphorica ſignificatione, vt ipſe Dominus Chriſtus explicat: *Semen eſt verbum Dei*, &c. Quaſi diceret: Exiit Prædicator ad enunciandum verbum Dei: Vnde veritas Parabolarum non ex euentu rei, quam propriè ſignificant; ſed ex verificatione illius ad quod ſignificandum aſſumuntur, menſuranda eſt.

9 Litteralis diuiditur in Proprium Metaphoricum, & Parabolicum.

Parabola quid?

P. Salmeron. Lucæ 8.

Vnde ſumenda veritas Parabolæ?

Sed tam de Parabolis, quàm de verbis metaphoricis obſeruandum eſt cum Molina. hoc art. 10. diſp. 2. ſi abſolutè non vſurpentur, ſed per modum ſimilitudinis; tunc talia verba, & Parabolas non metaphoricè & in ſignificatione impropria, ſed in propria accipienda eſſe verbi gratia Ioan. 15. dicuntur diſci puli Palmites abſolutè: *Ego ſum vitis vos palmites* ibi vox *Palmites* non accipitur in propria ſignificatione ſed in impropria & metaphorica; quoad aliquam analogiam quam ibi num. 4. explicuerât; *Sicut Palmes non poteſt ferre fructum, niſi manſerit in vite: ſic nec vos niſi in me manſeritis* vbi *Palmes* propriam ſignificationem retinet. Idem contingit in Parabolis: Lucæ 8. *exiit qui ſeminat, ſeminatio* ſumitur metaphoricè. At Matth. 13. 24. *Simile factum eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit.* Seminatio ſtat pro ſua propria ſignificatione; nam cum propria ſeminatione comparatur regnum cælorum, non cum impropria. Ex quibus colligo dum eruatur effectus, vel proprietas, in qua ſimilis eſt res ſignificata metaphoricè, rei veræ, & propriæ, tunc quamlibet ſignificationem metaphoricam poſſe reduci in propriam, vt patet in voce *Palmitis* explicata Ioan. 15. 4.

10 Quando in Parabolis, & Metaphoris ſeruanda ſit propria ſignificatio.

P. Molina Ioan. 15.

Lucæ. 8. Matth. 13.

Hac ratione explicato ſenſu litterali nullum verbum, aut locus ſcripturæ eſt, qui careat ſenſu litterali; nullus enim eſt, qui nihil prorſus ſignificet; aliàs eſſent inutiles, & muti ſoni, qui nulli rea deſeruirent. Ergo vel ſignificat propriè, vel impropriè, quo vtrouis modo litteralem ſenſum continet; licèt fortè nos lateat aliquando, vt contingit in locis obſcurioribus. Confirmatur vt fatetur lyra ſentiens contra communem ſententiam aliquos locos eſſe in ſcriptura, qui careant ſenſu litterali Prolog. 3. Poſtill. Bibl. vt inquam ipſe fatetur omnes ſaltem habent ſenſum ſpiritualem At Spiritualis nititur in litterali, vt ait S. Thom. hìc art. 10. ad 1. & 3. cùm enim denotentur per rem ſigni

11 Nullum verbum eſt in ſcriptura ſine ſenſu litterali. Probatur.

Confirmatur

ſignificatam immediatè per litteram, opus eſt vt littera aliquid immediatè ſignificet.

Sub vna littera dari plures ſenſus litterales putant de fide. Abulenſis. Bannes. Zumel.

12 Sed dubium eſt vtrum è contra accidere poſſit vt ſub vna littera, vel loco ſint plures ſenſus litterales, hoc eſt directè, & immediatè ſignificari intenti ab Spiritu ſancto. Abulenſis quęſt. 57. in cap. 2. Matth. partem affirmatiuam putat eſſe de fide. Bannes, & Zumel hìc oppoſitam eſſe temerariam. S.Thom. hoc art. 10. corp. in fine, vt ex mente S. Auguſt. 12. confeſſ. ait *non eſſe inconueniens*, ſi etiam ſecundùm literalem ſenſum in vna littera *Scripturæ plures ſint ſenſus.* Vnde hanc partem noſtri Authores communiter defendunt in præſenti. Fundatur hæc ſententia 1. quia eidem loco Scripturæ tribuunt ſancti diuerſos ſenſus vt litterales, vt illi Oſeæ *ex Ægypto vocaui filium meum.* Quòd loquatur de populo Iſraëlitico, & de Chriſto. Iſa 53. *Generationem eius quis enarrabit*? De generatione æterna, & temporali. Secundò vnus locus, qui manifeſtè loquitur litteraliter, & hiſtoricè de vna re, dicitur adimpletus per euentum alterius, vt patet in eo teſtimonio Oſeæ. At non poteſt dici adimpletus per aliquem euentum, niſi illum ſignificet litteraliter, nam tunc adimpletur quando verificatur: veritas autem teſtimonij deſumitur ex obiecto, quod ſignificat litteraliter, ſiquidem ex ſolo ſenſu litterali ſumitur certum argumentum veritatis rei. Tertiò ex eadem littera ſumitur argumentum ad probandas diuerſas veritates, ſtabiliendaque diuerſa dogmata fidei, vt ait, Pater Gillius lib. 1. tract. 7. cap. 4. num 7. ſolus autem ſenſus litteralis ad hoc inſeruit. Quartò addit Molina in præſenti diſput. 3. §. *atque prater.* Dictum Caïphæ: *expedit vt vnus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat.* Duo ſignificabat litteraliter; ex mente Caïphæ; ne gens periret morte corporis: ex mente Spiritus-ſancti: ne periret morte animæ. Ergo ſimiliter ex mente Spiritus ſancti poſſet alius locus Scripturæ habere duos ſenſus litterales.

Oſeas. Iſaias. P. Gillius. P. Molina.

Tenenda eſt pars affirmatiua, ſed non vt de fide.

13 Ita ego cenſeo, non vt omnino certum, ſed vt probabile. Prima pars patet, vel quia pluralitas ſenſuum litteralium, qui obiiciuntur, intelligi poteſt diuiſiuè, non collectiuè; vel etiam quia ſecundus ſenſus accipi poteſt myſticè; nam etiam ſenſus myſticus confirmat veritatem fidei, pertinetque ad impletionem teſtimonij adducti, quando conſtat eum intentum eſſe ab Spiritu-ſancto, vt in loco Oſeæ, & in dicto Caïphæ. Secunda pars mihi probatur; quia non repugnat immediatè & formaliter per vnam vocem ab Spiritu-ſancto intendi ſignificationem duarum rerum, quantumuis diuerſarum; ſi enim homines hanc pluralitatem ſignificationum poſſunt ſuis vocibus imponere, & intẽdere, vt patet quando dicunt *qui currit mouetur*, quod non de vno, ſed de omnibus currentibus ſignificatur ad litteram, vel ſi expreſsè, quis intenderet omne ſignificatum per nomen *Galli* comprehendere dum dicit *Gallus currit* nemo in hoc caſu negaret tam de Gallo aue, quam de homine Franco litteraliter hanc propoſitionem enunciati. Cur igitur idem non concedemus Spiritui-ſancto? Et certè quis dubitet ſi Spiritus-ſanctus reuelaret per teſtimonium Oſeæ: *ex Ægypto vocaui filium meum* ſe loqui de egreſſione populi Iſraëlitici, & Chriſti Domini ex Ægypto, vtrumque eſſe de fide, vt non potiùs vna veritas, quàm alia ad ſenſum litteralem ſpectaret. Tunc ſic: ſed non eſt cur non dicamus factum id eſſe, vt à fortiori conſtat ex §. 7. ſi ſemel non repugnat, quid enim intereſt, ſi immediatè plura intendat ſignificatè Spiritus-ſanctus, quàm ſi intendat mediatè; ſi æquè vtrumque valet. Ergo, &c.

14 *Æquiuocus ſenſus in Scriptura non datur.*

Dices littera Scripturæ erit æquiuoca, cum plura, vt plura ſignificet; nam D.Thomas ad tollendam hanc æquiuocationem in hoc art. 10. ad 1. recurrit ad vnum ſenſum litteralem. Reſpondeo: non eſt æquiuocatio ſimpliciter, neque obeſt argumentationi ſi illa plura conſtet determinatè intendi à loquente, æquiuocatio enim tunc eſt, quãdo plura vt plura ſine vlla cõnexione, aut determinatione ſignificantur: ſic ſi conſtet nomen *Gallus* ſumi pro omni eius ſignato, bene quis ex eo quòd audiat à ſic comprehendente omne eius ſignatum: *Gallus eſt animal*, colliget tam auem, quàm francum eſſe ſenſitiuum: Et ita S. Thomas intelligendus de vnitate ſensûs litteralis prout opponitur pluralitati uagæ indeterminationis; hæc enim vnitas eſt, quæ tollit æquiuocationem ſimpliciter; aliàs ſenſus ſaltem myſticus æquiuocus maneret, nam quantumuis litteralis ſit vnus, eo ipſo, quòd ei poſſit ſuperaddi myſticus, imo plures myſtici, dubiũ ſuboriri poteſt, an detur vel non, talis myſticus; ſolùm ergo recurrendum eſt ad vnitatem determinationis. Fateor tamen aliquando vnum tantum apparere ſenſum litteralem, imo aliquando dubium eſt quis ſit verus ſenſus litteralis, hinc tanta & tam multiplex interpretum expoſitio; vt patet in pluribus locis Apocalypſis; cæterùm id ſummæ Scripturæ dignitati, & profunditati tribuendum eſt, non vitio.

Quando detur æquiuocatio ſimpliciter, quæ obſtat argumentationi. *Sæpe dubius in Scriptura ſenſus litteralis.*

15 *Innumeri ſenſus litterales probantur ſub vno verbo Scripturæ.* Auguſt.

Addo mihi valde probabile videri, quod retuli ex Auguſtino ſuprà num. 7. in fine, non ſolùm vnum, aut duo, ſed omnia, quæ verè & congruenter ad circunſtantias, & contextum litteræ poſſunt ſub vno loco Scripturæ cadere; pertinere ad eius ſenſum litteralem; omnes enim iure volent cum Auguſt. lib. 12. Conf. cap. 31. & dicent: *Ego certè, quod intrepidus de corde meo pronuncio, ſi ad culmen authoritatis aliquid ſcriberem; ſic mallem ſcribere, vt quod veri quiſque de his rebus capere poſſet, mea verba reſonarent, quam vt vnam veram ſententiam ad hoc apertiùs ponerem, vt excluderem cæteras, quarum falſitas me non poſſet offendere.* Neque obſtat quòd obiicit Vaſquez Scriptorem ſacrum non fuiſſe quaſi purum Amanuenſe, & irrationale inſtrumentum ſcribendi, ſed debere vt minimum capere ſenſum litteralem, non autem potuit tam multa capere. Ita Vaſquez diſput. 17. num. 8. & 9. Sed non obſtat, nam Scriptori ſacro ſufficit vnum ſenſum litteralem percepiſſe, ſicut iuxta Patrem Vaſquez non eſt inconueniens, quòd myſticos ignorauerit: adde etiam aliquando ignoraſſe ſenſum litteralem, Dan. 12. 8. *Et ego audiui, & non intellexi.* Sic bene comparatur vt *calamus ſcribæ* Pſalm. 44. Imo pluries ſenſus myſticus, & ſpiritualis poteſt facilè cum litterali confundi in ſignificatione impropria, & tranſlatitia; ſic Iſai. 53. *Languores noſtros ipſe tulit*, &c. ſignificare poteſt litteraliter in propria ſignificatione corporis morbos iuxta Matth. 8. 17. qui dicit impletum eſſe hoc dictum Iſaiæ, cùm Chriſtus ſanabat infirmitates corporis: & rurſus in ſignificatione impropria, & metaphorica, immediatè & litteraliter deſignat languores peccatorum, vt patet ex lectione 70. Interpretum: *Iſte peccata noſtra portat*: Et 1. Pet. cap. 2. 24. *Qui peccata noſtra ipſe pertulit*: Ratio autem cur hic ſenſus metaphoricus, litteralis etiam dicendus ſit: ſumitur ex communi regula, quam trademus ſectione ſeq. quòd ſenſus ſpiritualis fundari debeat in litterali,

Scriptor ſacer ſæpe ignorauit ſenſum litteralem. Pſal. 44. *Senſus ſpiritualis, & litteralis confunduntur.* Iſa. 53. Matth. 8. Lectio 70. Interpretum 1. Petr. 2.

litterali, & poſtea ex re ſignificata litteraliter fundamentum ad nouam ſignificationem ſpiritualem accipiatur: hoc autem non contingit in loco adducto; ſed independenter à ſignificato proprio *languor* denotat labem, & peccatum ſeu morbum animæ ergo iſte ſenſus vt litteralis accipi poteſt: Idemque dicendum vt ſignificet infirmitatem corporis.

SECTIO III.

De ſenſu Myſtico, quis, & quotuplex ſit?

16 *Quis ſit ſenſus Myſticus ſeu ſpiritualis?*

SEnſus Myſticus ſeu Spiritualis eſt ille, qui ſolum mediatè ſignificatur per voces, mediis ſcilicet rebus, quas voces immediatè ſignificant, vnde nec propriè, nec metaphoricè ſenſus Myſticus immediatè denotatur per litteram, ſed ſub rebus ſignificatis per voces, quaſi ſub vmbra, & figura concluſus eſt, vt egregia comparatione explicuit Origenes lib. 10. in leuiti. *Sicut in nouiſſimis diebus Verbum ex Beata virgine proceſſit carne Veſtitum in hunc modum, & aliud erat in eo, quod videbatur, & aliud, quod intelligebatur: ita cùm verbum diuinum, per Prophetas, aut legiſlatores proceſſit in homines; non proceſſit ſine decentibus indumentis, & ſicut illic diuinitas tegebatur in carne: ita hic ſpiritus velamine litteræ.* Diuiditur ſpiritualis ſenſus in *Allegoricum*, quo res geſta vno tempore adumbrat rem faciendam in ſequenti: in *Tropologicum*, ſeu *moralem*, cum geſta in veteri, ſeu in nouo teſtamento indicant ea, quæ nos facere debemus: in *Anagogicum*, quo res facta in hac vita, ſignificat res futuras in æterna vita: vnde ſpiritualis ſenſus triplex eſt, qui communiter explicatur & continetur in hac voce *Hieruſalem*, quæ ad litteram eſt ciuitas terrena, allegoricè eſt Eccleſia Chriſti, tropologicè Anima, anagogicè cæleſtis Patria. Continentur etiam hi quatuor ſenſus iis duobus verſiculis quo apud Abulenſem q. 28. in caput 23. Matthæi multo poſt principium.

Pulchra ſimilitudo.

Triplex eſt.

Littera geſta docet: quid credas Allegoria.
Moralis quid agas; quò tendas Anagogia.

17 *Hæc triplex acceptio poteſt adaptari ſenſui litterali.*

Vnum tamen ego hic obſeruo diuiſionem hanc triplicem ſenſus *ſpiritualis* ſæpe *litterali* conuenire, non ſolùm, quando littera mores inſtruit, ſed etiam, quia ſæpius contingit eandem litteram quæ in propriâ ſignificatione hiſtoricè factum aliquod immediatè ſignificat, metaphoricè ſeu tranſlatitiè immediatè etiam ſignificare (ſignificatio autem immediata non ad ſenſum Spiritualem, vt patet ex definitione huius data numero præcedenti, ſed ad litteralem ſpectat) immediatè, inquam, ſignificare etiam allegoricè, vel tropologicè, vt conſtabit intuenti exemplum à me allatum num. 15. in eo enim, dum Iſaias 53. dicitur: *languores noſtros ipſe tulit* in ſignificatione propriâ *languor* ſignificat ægritudinem corporis tranſlatitiè autem denotat peccatum immediatè, quæ denotatio tropologica eſt, & deſeruit ad morum inſtructionem, quod quotidie contingit concionatoribus, qui iam vno verbo vtuntur in ſignificatione propria, iam illud idem retorquent ad mores, non attendendo ad conditionem rei ſignificatæ propriè, vt hæc rurſus aſſumatur vt mores inſtruat, ſed imponendo immediatè tali verbo tranſlatitiam ſignificationem, qua quid agere debeamus oſtendat. Vt tamen cum communi loquamur, ſpiritualis vocari poteſt omnis ſenſus, qui præter litteralem in ſignificatione propria eſt, ſic Metaphoricus pertinet ad litteralem, quando vox ſumi nequit propriè, verbi gratia cum Chriſtus dicitur Agnus, quando autem ſtat ſignificatio propria vt in voce *languores*. Senſus improprius non erit metaphoricus, ſed myſticus.

Ad ſtringitur ſoli Myſtico.

De hoc ſenſu myſtico, ſiue propriè talis ſit, ſiue cum litterali confundatur; communiter ſupponitur, quod ſupra ſtrictè litteralem fundari debeat, vt ſalua debeat manere veritas hiſtoriæ. Ita D. Thomas hic & Quodlib. 7. quæſt. 6. artic. 14. ad primum P. Salmeron Prolog. 19. cum pluribus, quos ipſe citat. Vnde S. Gregorius homil. 20. in Euangelia. *In verbis ſancti eloquij*, inquit, *priùs ſeruanda eſt veritas hiſtoriæ, poſtmodum inquirenda ſpiritualis allegoriæ intelligentia: tunc namque allegoriæ fructus ſuauiter carpitur, cùm priùs per hiſtoriam in veritatis radice ſolidatur*; Sed non obeſt huic doctrinæ, quod ſæpe præter ſenſum litteralem, & quaſi impertinenter ad ipſum, ad aliquam inſtructionem, vel ſenſum moralem verba ſcripturæ ſumantur; ſic ſæpe concionatores varia ſenſa moralia colligunt, & deducunt ex eo quòd ſpiritus ſanctus vſus ſit tali verbo, quod aliàs veritatem longè diuerſam deſignat, vel etiam vſus ſit tali verbo ipſum anteponendo, vel poſtponendo aliis, quæ tamen ad ſenſum litteralem impertinentia ſunt, laudabiliter tamen, & piè dicuntur; ſolum enim fundamentum in littera petitur negatiuè, hoc eſt quòd indemnis ſeruetur veritas hiſtoriæ, vt dixit Gregorius, quòd non offendatur Author ſcripturæ, vt dixit Auguſt. lib. 12. Confeſſ. cap. 31. *Vnde omnis veritas, quæ ſalua litteræ circunſtantia poteſt diuinæ ſcripturæ adaptari, eſt eius ſenſus*, vt ait D. Thomas quæſtione 4. de pot. artic. 2. poſt Princip. Corp. 18

Myſticus fundatur in litterali.
D. Thomas
P. Salmeron.
S. Gregorius.

Quomodo debeat fundari?
Gregor.
Auguſt.
Thomas.

Pro maiori explicatione ſenſus myſtici, ſeu Spiritualis ſtatuenda ſunt aliqua ex dictis, & ex doctoribus hic communiter certa. Primum, de fide eſſe, quòd ſub ſenſu litterali, myſticus continuatur 1. Cor. 10. *Omnia in figura contingebant illis.* Sic Matth. 12. Euentus Ionæ, & exiſtentia illius in ventre ceti figurauit ſepulturam Chriſti. Secundum, non neceſſariò in omni littera inueniri ſenſum Myſticum, vt patet in præceptis decalogi. Tertium, omnes ſenſus myſticos intentos eſſe ab ſpiritu ſancto; cùm enim ipſi congruentes ſint ſcripturæ, vt ſuppono ex §. præced. & piè deducantur, ex inſpiratione, & peculiari gratiâ Dei colliguntur. Quidni ergo intendantur ab ſpiritu ſancto, qui Author ſpecialis eſt omnis boni? & certè ſenſus ſcripturæ non eſt, qui præter intentionem ſaltem eius Authoris Principalis eſt. An autem ſit neceſſarium, vt etiam immediatus ſcriptor Canonicus hos omnes ſenſus præuiderit, & intenderit? negatiuè cum communi reſpondeo ex §. 15. quia etiam in humanis contingit, vt nuntius ignoret ſenſum Ænigmatis, quod refert. De facto tamen ſenſus omnes præuiſos videtur putaſſe Auguſt. dum cap. 31. lib. 12. Confeſſ. ita concludit de Moſe *ſenſit ille omnino in his Verbis atque cogitauit, cùm ea ſcriberet quidquid hic veri potuimus inuenire, & quidquid non potuimus aut nondū poſſumus; & tamē en in eis inueniri poteſt.* Mihi Spiritum ſanctū profundiùs cogitaſſe, & plura præuidiſſe, quàm ſcriptorem ſacrum certum videtur, id quod ſpectat ad dignitatem ſacrarum litterarum; Ergo cum dictum ſit omnia quæ piè deduci poſſūt & cadere ſub ſcripturam, à Deo eſſe intenta, & verum ſcripturæ ſenſum ſaltem myſticum, conſequenter tenendum eſt non omnes ſenſus ab ſcriptore ipſo canonico ſignificari 19

Sub litterali de fide eſt ſæpe contineri ſpiritualem.

Non tamen ſemper.

Omnis bonus ſenſus intentus eſt ab ſpiritu ſancto.

Sed non ab ſcriptore Canonico.

Auguſtinus videtur affirmare.

Probatur pars negatiua.

intentos, ſaltem in particulari, & explicitè.

20 Quartò ſtatuendum eſt ſenſum allegoricum non ſolùm dici, quando res ſignificata in veteri Teſtamento figura eſt alterius futuræ in nouo, ſed quomodocumque (ſiue etiam contingat in nouo,) quando res ſignificata per litteram refertur ad aliam futuram; ſic Matth.21. ficulnea areſcens figura fuit excidij Synagogæ vt ait Molina art.10. diſp.4. verſ. *Contraria nihilominus.* ideo num. 16. ſolùm pro ſenſu allegorico poſui, quòd ſit res vna ſignum alterius futuræ. Quintò ſenſus anagogicus non ſolùm figurat rem faciendam in patria, ſeu in ſtatu beatitudinis, ſed quomodocumq; rem faciendam in alia vita, ſiue in limbo, ſiue in inferno, vt bene notat P. Tannerus diſput. 1. quæſt. 5. dub. 2. num. 3. Quamuis, vſitatius ſtet pro ſignificatione rerum in patria futurarũ. Sextò vt obſeruationem poſitam in §. 17. componam cum communi ſententia, vti S. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 9. & lib. de vera Religione, cap. 50. aliam allegoriam diſtinguit facti, aliam ſermonis; ita poſſumus bipartiri alios ſenſus myſticos tropologicum, & anagogicum, vt alius ſit, quando ipſa littera, vel ſermo immediatè ſignificat allegoricè, tropologicè, &c. alius quando res ſignata per vocem, ad aliud ſignandum allegoricè ſumitur, quæ dicitur ab Auguſtino vbi ſuprà allegoria facti. iam communis ſententia vocat ſimpliciter ſenſum myſticum, & ſpiritualem qui rei ſignificatæ per litteram innititur, quando eſt allegoria, & ſenſus myſticus facti.

Senſus allegoricus datur quandocumque vna res ſignificata, eſt figura alterius futuræ.

Matth. 21. Molina.

Senſus anagogicus figurat rem faciendam in quolibet ſtatu alterius vitæ.

Allegoria facti. Allegoria ſermonis. Ita diuiditur quilibet ſenſus ſpiritualis.

SECTIO IV.

De vſu horum ſenſuum in Theologia, & quis ſit efficax ad arguendum?

21 Generale, & certum principium in præſenti eſt ex omni ſenſu, quem clarè conſtet ſub Scriptura contineri, intentumq; eſſe ab Spiritu-ſancto, deſumi poſſe à Theologo efficax argumẽtum vnde quolibet ſenſu vti poterit ad concludendum; quia Spiritus-ſanctus æquè infallibiliter loquitur ſiue nos inſtruat verbis, ſiue factis nullo modo vult, aut poteſt nos decipere. Ex quo principio conſequens eſt, vt ſenſus litteralis aptior ſit ad arguendum, quia ille clarius proponit mentem Spiritus-ſancti, myſticus autem ſeu ſpiritualis non item. Imo communiter Theologi omnes cum S. Dionyſio epiſt. ad Titum, D. Hieronym. in cap. 13. Mathæi, D. Auguſt. epiſt. 48. ad Vincentium cum D. Thoma hoc art. 10. ad 1. docent *ex ſolo ſenſu litterali poſſe trahi argumentum, non autem ex ijs, quæ ſecundùm allegoriam dicuntur.* Quod intellige de argumento firmo, & efficaci, nam probabili argumentationi etiam ſeruire poſſunt alij ſenſus, cùm probabiliter eruuntur de mente Spiritus-ſancti.

Omnis ſenſus clarè intentus ab Spiritu-ſancto vtilis eſt ad arguendum efficaciter.

Maximè litteralis.

22 Sed in contrarium ſunt hæ rationes dubitandi contra litteralem. Primò, quia ſæpe eſt obſcurus, vt elici certò nequeat ab interpretibus verus ſenſus. Secundò, quando ſub vna littera ſunt plures ſenſus litterales, neuter dat firmum argumentum, nam vno ſenſu litterali ſemel dato alicui loco Scripturæ, non tenemur ex fide alium quærere, iam enim ſimpliciter ſtat veritas textûs, iam verò quocumque ſenſu litterali obiecto poteſt quis ad alium confugere, & impunè obiectum negare. Tertiò, in ſacra hiſtoria ſæpe in littera loquuntur homines humana authoritate, ſæpe mendaci; vt quando Iudæi Ioan. 8. verſ. 48. dicunt de Chriſto: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* Ergo non eſt litterali ſenſui, vt infallibili nitendum.

Ratio triplex dubitandi in oppoſitum.

Ioan. 8.

23 E contrà ſenſus myſticus non minùs efficax videtur ad arguendum. Primò nam ideo litteralis efficax cenſetur ad arguendum, quia certò conſtat litteralem eſſe, & vt talem intentum ab Spiritu-ſancto. At idem conſtat de myſtico; dictum enim eſt ſuprà §. 18. omnem veritatem, quæ congruè poteſt Scripturæ adaptari eſſe eius ſenſum. Manifeſtum autem eſt plura moralizari ſine detrimento litteræ; ergo. Secundò, quia ſæpe Authores ſacri vtuntur ſenſu myſtico, vt infallibili vaticinio, & reuelatione Dei; nam dicunt per euentum rei myſticè ſignificatæ adimpleri; vt illud Exod. 12. *Os non comminuetis ex eo* dicitur Ioan. 19. de Chriſto *facta ſunt hæc, vt Scriptura impleretur,* &c. ita illud Matth. 2. ex Oſea 11. *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Tertiò aliquando omnes SS. Patres. & vniuerſa Eccleſia conſpirant ad probandam aliquam veritatem ex ſenſu myſtico; ſic ex conſonantia tot figurarum veteris Teſtamenti probant contra Iudæos res Teſtamenti noui; At vniuerſa Eccleſia non poteſt procedere niſi firmiſſimo argumento veritatis; ergo.

Quo pacto ex ſenſu myſtico poſſit ſumi efficax argumentum?

Exod. 12. Ioan. 19. Matth. 2.

24 Denique aliquando ſenſus Scripturæ, nec probabile argumentum dare videtur; nam ſi admittatur ſenſus purè accommodatitius, nihil prorſus ſuadet, licèt fortè ad ornatum, vel ad conſonantiam afferri poſſit; ſi enim vt putat Cornelius Ianſenius in Concord. c. 11. illud: *Ex Ægypto vocaui filium meum:* ſolùm dicat quis appoſitè quadrare Chriſto Domino: Quid inde conſequitur authoritatem Oſeæ probare? An Virgilius confirmat, vel ſuadet amorem Petri erga ſuum filium, quia velit quis illi accommodare: *Omnis in Aſcanium chari ſtat cura parentis?*

Ratio dubitandi ne ſumi poſſit vllum argumentum, nec probabile ex aliquo Scriptura ſenſu.

25 His non obſtantibus ſtatuenda eſt hæc concluſio: *Senſus litteralis per ſe, & ratione ſui præſtat efficax argumentum in Theologia. Myſticus tamen vt talis illud præſtare non poteſt.* Prima pars probatur quia ſæpe litteralis ratione ſui ita clarus eſt, vt dubitationi locum non det quid per illum intendat ſignificare Spiritus-ſanctus, vt patet in præceptis moralibus, & in hiſtoriis communiter. Quando autem euidenter, & indubiè ſignificatur mens Spiritus-ſancti fidem infallibilem facit ex §. 21. Secunda pars probatur, quia myſticus obſcurus manet, dum per litteralem alterius Scripturæ loci, vel Eccleſiæ definitionis, vel acceptionis, ſeu traditionis non innoteſcit. Ergo vt myſticus nihil firmat efficaciter. Patet hæc conſequentia à contrario argumento. Confirmatur; ille ſenſus facit efficax argumentum, qui neceſſariò intentus ab Spiritu-ſancto apparet, quem ſcilicet verba neceſſariò ſignificant: At verba Scripturæ neceſſariò non determinant vllum ſenſum myſticum; nam ſecundùm ſe: quod os Agni Paſchalis non confringeretur, nihil cogit cogitare de Chriſto; ſecus verò contingit in ſenſu litterali. Etenim ſi loquamur ſecluſo teſtimonio Euangeliſtæ, ad veracitatem Dei non pertinet, quòd verba Exod. 12. verificentur de Chriſto; pertinet autem maximè, quòd verificentur de Agno paſchali.

Litteralis per ſe eſt efficax, myſticus vt talis non eſt efficax

Probatio de litterali.

De myſtico.

Exod. 12.

26 Contra hanc concluſionem ſic explicatam non militant rationes dubitandi ſuprà poſitæ. Ad §. 22. aduersùs ſenſum litteralem. Reſpondeo primò, non loquor quando eſt obſcurus. Secundò nec quando eſt in-

In vna littera ſolitariè accepta nunquam eſt du-

plex ſenſus litteralis de fide.

eſt incertum, quis ſit determinatus ſenſus. Communiter autem ſolus vnus eſt certus, alius ſolus probabilis, tunc autem fidem infallibilem faciet primus, niſi explicetur per ſcripturam, quod ſecundus ſenſus etiam contineatur; tunc enim vterque ex vi vnius teſtimonij ſcripturæ credendus eſt vt in illo Oſeæ cap. 11. *ex Ægypto vocaui filium meum.* De fide eſt contineri egreſſionem Populi Iſraëlitici ex Ægypto, item & reditum Domini Ieſu, hæc tamen fides non conſtat intuenti præciſè illum locum Oſeæ, ſed attendenti ſimul ita explicatum Matth. 2. Quare nunquam vnus locus ſcripturæ ſecundùm ſe, & ſolitariè acceptus cogit ad admittendum pluſquam vnum ſenſum litteralem, aliquando quidem determinatè, aliquando indeterminatè, ſi obſcurus ſit. Ad tertiam rationem obſeruanda eſt regula; vt quidquid directè, vel indirectè approbat Sacer ſcriptor, licèt dictum narret ab alio, infallibili fide credatur; ſi verò non approbet, ſenſus litteralis erit, quòd dictum ſit, non autem quòd tale dictum ſit verum, niſi perſona introducta, vt talis introducatur, quam dedecet mentiri, vt bene notat P. Molina hoc art. 10. diſput. 2. in fine; tunc enim indirectè, & virtualiter approbat dictum.

Quando ſit de fide dictū alterius, quod narrat Scriptura vt ab alio dictum. P. Molina.

27 Ad obiecta pro ſenſu myſtico in §. 23. imprimis reſpondeo non eſſe certum, ſed probabile omnes veritates congruentes hiſtoriæ textûs eſſe intentas ab Spiritu ſancto; vnde iam hinc deficit firmitas, & efficacia argumenti, dum dubium eſt, vtrum iſta determinata veritas intendatur hìc, deinde quamuis intentus ſit iſte determinatus ſenſus ab ſpiritu ſancto, non tamen eſt intentus vt ab ipſo loquente, ſed vt ab amante omnem bonam cogitationem, & intendente directè rem ſignificatam, quaſi ſubmittere, & ſubordinare pro placito arbitrij creati eius intelligentiæ piæ, & ſtudio. Ex quo nunquam niſi aliunde conſtet verificatio ſenſus ſpiritualis pertinet ad articulum fidei; etenim determinatè requiritur verificatio articuli, quando ad fidem pertinet, quin relinquatur humano arbitrio. Ad ſecundum illum ſenſum non eſſe de fide nobis vt purè myſticum, ſed vt veſtitur litterali Ioannis, & Matthæi: Euangeliſtis verò ipſis fuit de fide, quia reuelata fuit ipſis indubitanter à Deo hæc intelligentia: Similiter reſponderi poteſt ad tertium; Eccleſiæ enim explicatio, & conſenſus quaſi litteralis ſenſus eſt Myſticum explicans, & reuelans; ſed non ideo Myſticus ſenſus, ſi ſolus legeretur, ratione ſui fidem infallibilem faceret de myſterio reuelato.

Quomodo intendat ſpiritus ſanctus omnes ſenſus Myſticos.

Faciliùs fiet ſatis vltimæ rationi dubitandi in §. 24. contra ſenſum accommodatitium; nam licèt argumentationi nec probabili ſeruiat, ſi purè accommodatitius ſit; at iſte ita purus in ſcriptura non datur, vt dixi §. 7. deinde indirectè bene ſeruire poteſt, quaſi à paritate, & exemplo, vt poſſet etiam quis exemplo Æneæ nimium curantis de filio Aſcanio hortari alium parentem, vt curam habeat de proprio filio: ſimiliter ergo poterit colligere opus aliquod eſſe nunc laudabile, vel vituperabile, ex eo quòd illi bene accommodentur verba laudantia vel reprehendentia ſcripturæ in caſu ſimili, quare verba per puram accommodationem nunquam in probationem euentus alicuius adduci debent, ſed vel vt ſimile præmium ſperetur, aut timeatur, vel etiam in exhortationem, vt dixi. Et Hæc ſufficiant diſputationibus in Proœm. Theologiæ: de aliis minus Theologicis; vt An ſit ſcientia. An vna; An Practica. An ſapientia. An argumentatiua ea latè dicam in Indice ad quæſt. 1. ſancti Thomæ, qui eſt ad finem huius operis.

Senſus per accommodationem qualiter ſeruiat argumentationi Theologicæ?

Verba per puram accommodationem nihil probant directè.

TRACTATVS II.

DE ESSENTIA, ET ATTRIBVTIS ſeu perfectionibus diuinis.

ILLA placuit inſcriptione notare tractatum, qui eſt veluti frons, ſiue longè veriore dictione, fons reliquæ Theologiæ; nomenclatione quidem neque vana, neque temerè adinuenta: illa enim apertè ducitur ex Principe, quod voluit; argumento, ex primario, quod texit, inſtituto. Hoc verò eò demum ſpectat, vt aut diuinam eſſentiam, quam altiſſimè latet, ſeria exploratione diſcutiat, aut diuinas itidem perfectiones apertæ diſputationi committat. *Diuinæ eſſentiæ* nomen adſcribo Apici illi diuinarum dotum, ſelectiſſimæ illi numinis teſſeræ, quæ inter cæteras Dei dotes veluti Dea quædam longè eminet, atque illis ſeu prærogatiua quadam, ſeu ordine præſtat. *Diuinas verò perfectiones* appello dotes illas, quæ à Dei eſſentia vtcumque ſubortæ inſtar eius fructus illi arctiſſimè inſunt, atque ei nobilitandæ ſuapte quæque præſtantia inſeruit: *Attributorum* nomine placuit eas à ſcholæ doctoribus inſignitas eſſe; vel quia Deo iam primas ſuæ Maieſtatis tenenti attribuuntur; vel certè quia ſoli ſupremo Numini conuenire inueniuntur.

Præludia Theologiæ hactenus diſputando exegimus, ne que verò inutiliter præter ritum, aut præter morem intempeſtiuè: illorum ſanè exemplo inſtitimus, quæ medi-

tantur ingenti operi manus admoliri, atque illius antecepta diutiùs contemplatione ſeſe promptos operi ſtrenuè obeundo ſedulò præſtant. Ingens mentis opus Theologia eſt, ſiue illius inter cæteras ſcientias decus ſpectes, ſiue ſupra cæteras amplitudinem. Proluſiones Theologiæ, quas præcerpſimus, antecepta ſunt illius contemplatio: ecquid enim *Theologia proœmialis*, niſi alta ſui exquiſitio, ac Theologiæ ſolers perſcrutatio? Reliquum eſt, vt manus operi admoliamur, ac Theologiam qua longè, latéque funditur, litterariâ commentatione exequamur. Nempè pictori poſt eruditè præceptas adumbrationes promptum continuò eſt facili penicillo lineas ducere; Rhetori poſt exordia ſuadêre Morali, Philoſopho poſt iucundam ac ſeriam contemplationem ſectari honeſtatem, ac Theologo demùm poſt præludia, atque præloquia, quæ ſunt veluti aurora, & caput, diem reliquum, & corpus Theologiæ, ſiue auſpicatò edere, ſiuè oportunè adnectere.

Sunt tamen quæ præfari hìc leuiter oporteat, & quæ præmonitos eſſe lectores noſtro enixè velim. Atque eorum quidem pauca in totius Theologiæ veluti antiludium innuiſſe me ex ante memini: hìc verò illa raptim memorandi præcipua planè tempeſtiuitas, atque occaſio longè opportunior differenti ſe dedit. Et verò primaria duo ad totius operis ſtructuram, conditionemque attinent; duo altera ad proximè ſequuturi tractatûs rationem, ac ſeriem referentur.

Equidèm quòd ad illa duo ſpectat; primum eſt, vt nemo in lucubrationibus noſtris deſideret præſcriptam à D. Thomâ in Theologia tradenda methodum, Qualem ipſe in ſua Theologiæ ſummâ exquiſitè inſtituit, ac continenti ordine complexus eſt: Nemo etiam in eis litteræ accuratas, atque ex compoſito adhibitas expoſitiones vana expectatione præcipiat, atque de mente Doctoris Angelici altiſſimè inſtitutas, ac diductas effuſè iuſtas diſputationes exquirat: Etenim ſemel, atque iterum palam profeſſus ſum; Commentatoris munus implere non ſtatuo, ſed neque ambio ſuſtinere nomen, quod nobiliſſimè planè gerunt quàm plures de Theologiâ, atque ſcholâ optimè meriti, quibus ad gloriam fuit D. Thomæ mentem, tùm enucleatè aſſequi, ac diſertè exponere, tum cum laude exhauſiſſe in eo argumento, quidquid aut fructu eximium eſt aut ſcholarum Commendatione præcipuum.

Eſt itaque animi, ac propoſiti noſtri Theologiam pugnacem illam, & litterariè contentioſam, qualem vtique ſcholæ in pretio, atque vſu habent exactè tradere, atque ea methodo proſequi, quæ docendi, atque diſcendi oportunitate commendatior eſt, atque vbique viget; illa verò in annuum penſi argumentum ſeponit aliquam Theologiæ tractationem; quà rerum affinitate à cæteris ſecretam, quà momento quæſtionum, quibus contexi ſolet, iuſto etiam volumine planè dignam. Qua ratione vniuerſa Theologia ſcholaſtica, quæ ab ſcholis, in quibus nata eſt, adoleuit, ac teritur, nomen inuenit, ſe ad ſcholæ ritum apprimè conformabit: atque illi cum primis inſeruire nobis erit ſollertiæ, & Cordi.

Proximum ſuperiori, & illud eſt. Quamquam ad operis conficiendi normam quam D. Thomas in Theologiâ perſequitur, conſultò non exigam Theologiæ, quam ipſe meditor, ſtructuram, neque illi tamen muneri penitus deſum: ad deſinentis namque operis finem, indicem quæſtionum polliceor attexere, quæ ordinatim ad ſingulos Diui Thomæ articulos, ſiue ſolent, ſiue poſſunt inſtitui. In eo autem digitum intendam ad diſputationes noſtras, in quibus quæſtiones illæ, ſiuè ex profeſſo ac deditâ operâ, ſiue obiter, & ex nata occaſione diſſeruntur, aut aliqua luce donantur. Quo videar magna ex parte vtrumque aſſequutus, atque ſcholæ methodum in ipſa Theologia contexenda magni duxiſſe, & conſuluiſſe iis, qui in D. Thoma euoluendo aſſidui ad ſeriem illam quæſtionum, quæ in eo continenter nectitur, aliorum ſcripta exigunt.

Quòd attinet ad altera duo de proximè ſequentis tractatus ratione, primum, quod notatum velim, ſit. Auſpicari nobis placuiſſe Theologiam ab eo tractatu qui inſcribitur: *De eſſentia & attributis ſeu perfectionibus diuinis*, à quo planè ſuæ Theologiæ fecit auſpicium Doctor Angelicus: eius enim quamuis inſtituti noſtri non eſt ex toto ac de integro formulam ſequi; vbi ille ab ſcholæ ritu non abluſerit libentiſſimis vlnis excepta differenti ſe impensè probabit. Multum ſanè intereſt non amplexeris; an etiam quidquam repudies.

Alterum demum, quod adnotari placet, & iſtud eſt. In eo, quem memoro atque adorno, tractatu *De perfectionibus attributiſque diuinis*; Generatim & in communi vt aiunt de illis ediſſeram, neque exquiſitiore planè perſcrutatione ad ſingulas ſeorſim perfectiones aut nominatim ad aliquas calamum deflectere patiar; commendabili vt puto compendio, ac non pœnitendâ operâ. Perfectionum namque diuinarum duas

veluti claſſes altè ſecernere licet. Alteras quidem, quarum accurata perſcrutatio ſpecialem ſibi tractationem impendi omnino deſiderat, atque eas in progreſſu Theologiæ vberiores ex profeſſo inſtitutæ diſſertationes manent, in quibus eminent ſcientia, voluntas diuina, aliæque id genus palmares perfectiones. Alteræ verò, quarum exquiſita diſcuſſio nihil ad ſcholæ congreſſus, nihil ad eruditas contentiones momenti adfert, in quibus infinitas, immenſitas, beneuolentiaque diuinæ numerantur. Atque eas neque in reliqua Theologia, neque in præſentia attinet explicatè ac ſeorſim euoluere. Præſtat vtriſque vnam quaſi lucem affundere & communi diſſertatione nihil de illis ſpeciatim ac in ſingulari agente complecti.

Eius enim ſententiæ iam pridem ipſe ſum, vt arbitrer diſſertationes illas, in quibus nihil pugnaci diſquiſitione dignum eminet, mihi perinde eſſe, atque argumentum hiſtoriæ cuiuſdam ratæ atque probatæ fidei, quod qui primus pro dignitate conſcripſit, atque ex profeſſo contexuit, planè hauſit atque omnino abſumpſit: vt cæteri ad quos ſubinde eiuſdem argumenti tractandi cura deuoluitur, nihil aliud ſperent aut certè præſtent, quàm noua illud dictione conueſtire, & colores alios inducere, non corpus ſtruere: atque ita planè haberet ſeria & diffuſa exploratio perfectionum, quas memini, quarumque expoſitio eſt veluti dogmatica atque hiſtorica, & paſſim teritur, atque eius vt ita loquar accidentia per pauca interuerti licet, ſubſtantia mutari planè non poteſt. Præſtat igitur, vt dixi, vtrumque diuinarum perfectionum genus, quas paulò ante ſecreui, eadem luce donare, quod exequitur mox ſequutura diſputationum ſeries.

DISPVTATIO XII.

Vtrum Deum eſſe ſit per ſe notum.

SECTIO I. *Quæ ſit propoſitio per ſe nota, & vtrum rectè diuiditur in per ſe notam quoad ſe; & in per ſe notam quoad nos.*

SECTIO II. *Vtrum exiſtere Deum ſub hoc nomine, & conceptu ſit per ſe notum? Aliorum ſententiæ.*

SECTIO III. *Deum exiſtere ſimpliciter loquendo, non eſt per ſe notum.*

SECTIO IV. *Vtrum ſit per ſe notum, exiſtere aliquod ens neceſſarium?*

SECTIO V. *Vtrum ſub aliquo alio prædicato ſit per ſe notum, Deum exiſtere?*

Methodus defenditur.

DVPLICITER peccari videtur contra rectam, & ſcientificam methodum, dum quæritur exiſtentia Dei: primò, quia nulla ſcientia demonſtrat exiſtentiam ſui ſubiecti, ſed illam ſupponit iuxta Ariſt. 1. Poſterior. text. 2. & 73. Deus autem eſt ſubiectum Theologiæ. Ergo non debuit eius exiſtentia probari. Secundò vt probanda ſit, prius tamen prænoſcenda eſſentia rei, quàm exiſtentia. Ego huius peccati reus non ſum, dum Sanctum Thomam ducem ſequor; ſed neque ipſe Sanctus Doctor, quia ad Theologum ſpectat confirmare, & quibus poſſit rationibus probare omnes veritates reuelatas, inter quas prima, & cæterarum fundamentum eſt Dei exiſtentia: Ariſtoteles autem ſolùm loquitur de ſcientia, ſeu demonſtratione potiſſima, vt tali, quæ cùm vt talis ſolùm demonſtret primam paſſionem de ſubiecto præcisè neceſſum eſt quod nec eſſentiam, nec exiſtentiam probet; neutra enim cenſetur ſubiecti paſſio: vnde excuſatur primum peccatum: Item ſecundum, quia nil faciliùs de Deo cognoſci poteſt, quàm exiſtentia, eſt autem iuxta bonam methodum à facilioribus incipiendum. Ideo incipit Diuus Thomas in hac quæſt. 2. inquirendo, an Deus exiſtat, & in primo articulo quærit, quod nos in præſenti diſputatione, ſcilicet vtrum ſit per ſe notum Deum eſſe, cui quæſito ſub diſtinctione reſpondet, vt ſit per ſe notum ſecundum ſe, non vero quoad nos. Concluſionem probat, quia tunc propoſitio, ſeu veritas aliqua eſt per ſe nota, quando prædicatum eſt de ratione ſubiecti. Hinc patet primum; nam exiſtentia, ſeu *eſſe* eſt de ratione, & conceptu deitatis in ſe: Patet etiam ſecundum, quia nobis per ſe non apparet exiſtentiam ſic imbibi in deitate, niſi id nobis per principia notiora probetur. Hæc eſt mens, & breuis reſolutio Præceptoris Angelici in hac quæſt. 2. art. 1. circa quam difficultates propoſitæ poſſunt excitari.

Exponitur breuiter litera S. Thomæ, quæſt. 2. art. 1.

SECTIO I.

Quæ ſit propoſitio per ſe nota, & vtrum rectè diuidatur in per ſe notam, quoad ſe; & per ſe notam quoad nos?

1

Non excludit medium.

Vide infrà qu. 2. art. 1. per. 7. dubit.

PRopoſitio per ſe nota, licèt ratione ſui cognoſcibilis eſſe debeat quin intellectus medio aliquo obiectiuo diſtincto indigeat, vt ipſi aſſentiatur, non ideo tamen medium excludit, nam *totum eſſe maius ſua parte* bene poteſt à poſteriori, & ab experientia probari; nec quia medij incapax ſit veritas, ſeu propoſitio aliqua ſtatim eſt per ſe nota; nam prima principia probabilia ſeipſis immediatè noſcuntur, quin ideo per ſe nota ſint. Requirit ergo propoſitio, vt ſit per ſe nota, quod ſe ſola nulla indigens diſcurſione, aut diſtincto medio in quo cognoſcatur, euidens appareat, aſſenſumque ferat intellectus, quin iſte poſſit illius veritatem in dubium reuocare. Sed cuius conditionis debeat eſſe propoſitio vt ſic per ſe nota cenſeatur, id in dubium reuocatur.

2

Scotus 1. diſt. 2. quæſt. 2. definit propoſitionem per ſe

Scoti definitio reiicitur

per ſe notam, *Quæ ex terminis propriis, qui ſunt aliquid eius, vt ſunt eius, habet veritatem euidentem* coincidit explicatio Aureoli ibidem quæſt. 1. artic. 5. *Quam neceſſe eſt habere quemlibet docendum per ſeipſum, quin indigeat inſtructore.* Vnde Recentiores communiter id aſſerunt per ſe notum, cuius terminorum perfecta apprehenſio vi propria determinat aſſenſum ſui, ſeu quando explicato ſignificato vocis poſitæ ex parte ſubiecti, & vocis poſitæ ex parte prædicati, cuilibet intellectui apparet ſtatim ea duo eſſe idem: ita P. Arriaga diſp. 2. ſect. 1. §. 4. Sic dicimus per ſe nota prima principia, quia noſcibilia ſunt ex ſola apprehenſione terminorum. Neque propoſitio per ſe nota abſolutè exigit, quod ſtatim ferat aſſenſum, niſi priùs penetrata terminorum ſignificatione; Nam hoc per ſe notiſſimum principium: *Quodlibet eſt, vel non eſt*, Negabit ruſticus dum terminos non percipit. Sed hinc ego reiicio hanc explicationem; nam vel penetranda eſt ſignificatio terminorum ſolùm ſecundùm mentem loquentis, vel imponentis ſignificationem; vel etiam ſecundùm omne id, quod ſub ipſis latet. Si primum nulla propoſitio erit natura ſua per ſe nota, niſi ex placito, & relatione facta ad ſigna ad placitum; Item ſi loquens nimis penetret rem ſignificatam, velitque ſuis ſignis comprehenſiuam ſignificationem imponere verbi gratiâ voci *homo* vt ſignificet rationale, riſiuum, capax videndi Deum, *&c.* Id omne erit per ſe notum; ſiquidem perfectè penetrata tali ſignificatione iuxta menſuram, qua alius penetrat, (pone Angelum eſſe loquentem, qui immediatam euidentiam habeat de illis omnibus prædicatis) omnia erunt per ſe nota. Vnde reiicitur ſecundum; nam ſi penetrari debeat euidenter & clarè: vt eſt in ſe, quidquid ſub terminis latet, ſemper comprehenſio rei erit per ſe nota.

Et P. Arriaga.

3 D. Thomas hac quæſt. 2. artic. 1. corp. ex hoc, ait, *aliqua propoſitio eſt per ſe nota, quod prædicatum includitur in ratione ſubiecti ſcilicet prædicatum idem eſt cum ſubiecto*; Ideo eſt per ſe notum, quod homo ſit animal; item, & quòd Deus exiſtat, quia in deitate includitur *eſſe*, & in homine *animalitas*. Vnde diſtinguit propoſitionem Per ſe notam *quoad ſe*, quando ex parte obiecti, prædicati terminus eſt de ratione ſignificati per terminum ſubiecti: & *Quoad nos* quando non ſolùm id ita ſe habet ex parte rei, ſed etiam in noſtro intellectu, & vt à nobis cognoſcitur. Hæc explicatio communiter impugnatur. Primò, quia Trinitatis exiſtentia non eſt per ſe nota, & tamen, hæc eſt de ratione illius non minùs quàm ſit de ratione Dei, cuius exiſtentia per ſe nota quoad ſe dicitur à S. Thoma. Secundò omnes veritates eſſentiales erunt per ſe notæ etiam quoad nos; nam etiam quoad nos tunc prædicatum idem eſt cum ſubiecto: vt in hac: *homo eſt capax videndi Deum.* Tertiò, è contrà, hæc eſt per ſe nota: *Petrus currit, vel non currit*: & tamen curſus, & carentia curſus ſunt extra eſſentiam Petri. Idem patet in propoſitionibus negatiuis, quantumuis per ſe notis: vt *homo non eſt leo.* Quartò, vel per ſe nota *quoad nos* includit omnem intellectum copulatiuè humanum, Angelicum, & diuinum, vt omnibus debeat per ſe patere, & ſic ſtrictiſſimè accipietur propoſitio per ſe nota, ſiquidem pro menſura aſſumetur ingenium, & intellectus hominis rudiſſimi: Si verò è contrà disiunctiuè includatur intellectus, vt diuinus ſufficiat, nulla erit propoſitio quæ omnino per ſe nota non ſit, cùm omnis Deo perſpectiſſima, & euidentiſſima ſit.

Definitio ex S. Thoma.

Quas patiatur difficultates.

4 His non obſtantibus definitio S. Thomæ amplexanda eſt. nam iuxta illam Propoſitio per ſe nota explicatur independenter à terminis vocalibus, & à ſignis ad placitum, ad quæ neceſſariò recurrendum eſt, ſi Scoti, & aliorum definitionem ſequi velimus. Igitur Propoſitio per ſe nota illa dicenda eſt, in *qua prædicatum eſt idem non ſolùm realiter, ſed etiam formaliter, & per intellectum noſtrum cum ſubiecto*, vt ab hoc ad ſummum diſtinguatur penes implicitum, & explicitum. Hoc voluit Angelicus Præceptor, dum dixit propoſitionem ex eo eſſe per ſe notam, quòd prædicatum includatur, non in ſubiecto quomodocumque vel in realitate illius, ſed in *ratione ſubiecti* & exemplum poſuit in animali reſpectu hominis, cum quo non ſolùm realiter, ſed formaliter etiam identificatur. Deinde abſolutè hæc explicatio probatur, tum à priori, nam propoſitio per ſe nota ita ratione ſui conſpicua apparet intellectui, vt ſtatim ac apprehenditur ſubiectum & prædicatum, euidenter proponatur vtriuſque connexio, neceſſarióque intellectus aſſentiatur, vel ſaltem diſſentire non poſſit conuenientiæ huius cum illo: hoc enim eſt, quod communiter dicitur de veritate per ſe nota; eſſe affirmabilem ex terminis, non quidem ex terminis vocalibus, vel extrinſecè partis, vt quid namque neceſſum eſt ad extrinſecam inſtructionem attendere? Sed ex prima apprehenſione de obiecto. Atqui illud, & ſolum prædicatum neceſſariò iudicatur conuenire ſubiecto quod nec per rationem formalem diſtinguitur ab illo. Ergo tum etiam idem probatur à poſteriori. Nam maximè cenſetur per ſe nota Propoſitio identica, vt ſupponit D. Thomas 1. contr. Gent. cap. 10. in 3. argumento. Quid enim clarius, quàm *Petrus eſt Petrus.* At illi æquiualet propoſitio, in qua prædicatum nec ratione noſtra diſtinguitur à ſubiecto. Ergo iſta eſt maximè per ſe nota: rurſus è conuerſo, vbi non apparet nec inuenitur hæc formalis indiſtinctio, cùm prædicatum apprehendatur vt nouum quid à ſubiecto, niſi titulo alicuius connexionis tandem formaliter indiſtinctæ ei alligetur, rectè poterit de ipſo negari. Ergo nunquam datur Propoſitio per ſe nota, niſi quando prædicatum realiter, & formaliter eſt idem cum ſubiecto.

In propoſitione per ſe nota prædicatū eſt idem realiter, & formaliter. cum ſubiecto

Ita S. Thomas.

Probatur.

5 Ex data explicatione infero primò, ſolutionem obiectorum contra S. Thomam in §. 3. Ad 1. *exiſtere* licet ſit de eſſentia Trinitatis realiter, & ex parte obiecti, non tamen ratione noſtra iuxta cuius apparentiam potius Trinitati repugnat. Item Trinitas etiam ex parte obiecti diſtinguitur ab exiſtentia, ideo nec quoad ſe eſt per ſe nota iuxta §. 24. Ad 2. Non omnis veritas eſſentialis iungit cum ſubiecto prædicatum etiam ratione noſtra indiſtinctum, vt patet in prædicato capaci videndi Deum, quod omnino eſt ratione noſtra diuerſum à natura hominis. Ad tertium, licèt tam curſus, quàm carentia curſus non ſolùm ratione noſtra, ſed etiam realiter ſit extra eſſentiam Petri, at non eſt extra hanc connexio cum illa disiunctione, quæ nec ratione diſtinguitur ab entitate Petri; cùm autem hic dicitur, quod currat, vel non currat, perinde eſt etiam per noſtram rationem, ac dicere, quòd ſit talis connexio. Iam de propoſitionibus negatiuis proportionatè dicendum eſt, vt ſint per ſe notæ, requiri quòd prædicatum ſit extra ſubiectum, hoc eſt vt repugnantia identitatis indiſtincta,

A difficultatibus expeditur.

Deum eſſe trinum, non eſt propoſitio per ſe nota quoad ſe.

ſta etiam per rationem noſtram ſit à ſubiecto. Ad 4. reſpondeo propoſitionem dici per ſe notam relatione facta ad intellectum, per quem cognoſcenda eſt, vnde omnis erit per ſe nota Deo, plures Angelo, pauciores homini iuxta diuerſitatem vel identitatem, cum qua proponitur prædicatum comparatione ſubiecti: vtrum autem cum hoc ſtet eſſe per ſe notam quoad ſe tantùm conſtabit §. 8.

6 *Propoſitio per ſe nota eſt abſtractiua.* Infero ſecundò propoſitionem per ſe notam non dici ex ordine ad intellectum intuitiuè cognoſcentem; ſed maximè reſpectu cognitionis abſtractiuæ. Probatur; nam ex dictis in propoſitione per ſe nota nequit quis apprehendere ſubiectum, & prædicatum, quin appareat identitas vtriuſque taliter, vt ſaltem negari nequeat vnum de alio, ſic enim vnum eſt etiam ratione noſtrâ indiſtinctum ab alio; atqui quod ſolum in ordine ad intuitionem eſt per ſe notum, adhuc apprehendi poteſt non includere formaliter prædicatum, imo nec realiter ſic *eſſe album*, quod intuenti eſt per ſe notum, realiter diſtinguitur à pariete, vnde poteſt quis vtrumque extremum apprehendere, & ſimul negare vnum de alio. Ergo propoſitio non dicitur per ſe nota ex eo, quòd immediatè, & per ſe determinet ad aſſenſum intuitiuum. Probatur idem vlterius; tum quia aliàs omnis propoſitio eſſet, quoad ſe, per ſe nota, cùm ſaltem Deo intuenti immediatè pateſiat; tum etiam quia propoſitiones, quæ communiter dicuntur per ſe notæ, tales ſunt, vt ipſa apprehenſio abſtractiua terminorum neceſſitet ad aſſenſum vt patet in hac: *quodlibet eſt, vel non eſt*, *Totum eſt maius ſua parte*, &c.

7 *Non eſt accidentalis.* Infero tertiò nullam propoſitionem per ſe notam eſſe accidentalem. Probatur in propoſitione per ſe nota, ipſi termini apprehenſi vi ſua, & ſecundùm ſe conſiderati determinant ad aſſenſum, ſed termini accidentaliter, & non neceſſariò connexi, non ſunt ita noti, ſi enim contingentes ſunt non dicunt potiùs eſſe, quàm non eſſe, coniungi, quàm non coniungi. Ergo non ſufficiet apprehendi, vt admittantur. Confirmatur, nam quantumuis dæmon, verbi gratia, apprehendat, & comprehendat naturam voluntatis creatæ, & actûs liberi peccati, nequit ſcire exiſtat-ne talis actus, & voluntas creata peccet; non alia ratione, niſi quia illi termini ſecundùm ſe indifferentes ſunt, vt coniungantur. Ergo cùm idem eueniat ſemper in propoſitione accidentali, nulla erit per ſe nota. Si obijcias hanc propoſitionem: *Ego viuo* eſſe per ſe notam, cùm ex apprehenſione terminorum admittatur; & tamen eſſe contingentem. Reſpondeo eſſe per ſe notam mihi experienti intuitiuè eius veritatem, non tamen abſolutè & ſecundùm ſe, ſic tibi, & aliis non eſt immediatè nota, imò S. Thom. qu. 10. de veritate art. 12. ad 7. ſentit, quòd poſſit quis de ſe cogitare non eſſe, & à fortiori non viuere. Vrgebis: *aliquid exiſtit*: omnibus eſt per ſe nota, nullus enim apprehenſis terminis poteſt diſſentire, & tamen quoad nos, nec Deus connectitur cum ſua exiſtentia immediatè euidenter, vt dicam ſect. 3. & multò minùs creatura. Reſpondeo nec iſtam veritatem eſſe abſolutè per ſe notam, quia intellectus illi aſſentitur, non ratione termini vagi, ſed ratione ſingularis, & determinati termini, quem intuitiuè, ſeu experimentaliter tangit: vnde quod attinet ad terminos immediatos poſſet quis concipere: *niſi ratione mei exiſtentis; falſum eſt, aliquid exiſtit*: Et hinc deficit illa veritas à per ſe nota, quia veritas, ſeu propoſitio per ſe nota debet eſſe talis, vt ratione illius termini, ratione cuius cogit ad aſſenſum, omnibus ſit immediatè manifeſta, quin poſſit diſſenſum terminare.

Ego viuo: Aliquid exiſtit: non eſt per ſe notum.

Infero quartò contra Scotiſtas cum Scoto 1. diſt. 2. quæſt. 2. Nominales cum Ocham, d. 3. q. 3. Recentiores cum Arriaga tom. 1. in 1. part. diſput. 2. ſect. 1. admittendam eſſe diſtinctionem propoſitionis *per ſe nota quoad ſe, & per ſe nota etiam quoad nos*, ita D. Thomas in præſenti, cui diſtinctioni fauere videtur Ariſt. 1. Metaph. 2. dum dicit quædam eſſe priùs nota natura, quædam quoad nos. Igitur ex dictis illa eſt propoſitio per ſe nota ſecundùm ſe, & non quoad nos, cuius termini ita apprehendi valent, vt etiam non viſi intuitiuè (excepta propoſitione de exiſtentia Dei ob peculiarem rationem dicendam §. 24.) vi ſua immediatè alicui intellectui euidenter appareant connexi, vt ipſis diſſentiri non poſſit, non tamen ita nobis clarè in ſe proponantur. Etenim negari nequit aliquas veritates, & terminos ita eſſe inter ſe connexos, vt etiamſi in ſe non videantur dum perfecto intellectui proponuntur, ſtatim indiſtincti appareant; licèt non ita appareant intellectui imperfectiori; ſic homo ſapiens ſtatim ac apprehendit Angelum, ſeu ſubſtantiam ſpiritualem ſine alio medio, vel diſcurſu, item quin indigeat viſione illius, iudicat non eſſe in loco circumſcriptiuè; quæ veritas non ita ſtatim ruſtico placet; Ergo ſimiliter poterit eſſe aliqua veritas, quæ ex ſe non repugnet ex ſola apprehenſione terminorum determinare aſſenſum intellectus alicuius, licèt noſtrum non determinet, vti alia principia communiſſima: *quodlibet eſt, vel non eſt*, &c. Ergo illa prima veritas erit per ſe nota præcisè quoad ſe; iſta verò etiam quoad nos. Hac explicatione attenta, non omnis propoſitio vera, eſt per ſe nota etiam præcisè quoad ſe: Nam accidentalis, licèt vera, ex vi terminorum in ſe non fert aſſenſum ſui, neque in ea prædicatum eſt de ratione ſubiecti. Imo nec propoſitio eſſentialis vera, eſt ſecundùm ſe per ſe nota naturaliter; quia licèt ex parte obiecti identificetur prædicatum cum ſubiecto, eaque identitas appareat intellectui immediatè per cognitionem intuitiuam; at non vi terminorum præcisè ſi ſecluſa intuitione conſiderentur. Neque enim hi termini *vnio hypoſtatica eſt poſſibilis* poſſunt ab aliquo intellectu naturali ſic apprehendi, vt ratione ſui præcisè etiam non viſi cogant aſſenſum ſui: vti in hoc principio per ſe noto contingit: *quodlibet eſt, vel non eſt*. Id clarius conſtabit ſect. 2. & 3. pro quo acriter pugnat P. Adamus Tannerus cum communi ſententia, vt ipſe ait, diſp. 2. qu. 2. dub. 2. num. 8. 8

Scotus, OKam. Arriaga.

Defenditur propoſitio per ſe nota, quoad ſe: & quoad nos.

Non omnis propoſitio vera, eſt quoad ſe per ſe nota etiamſi ſit in materia neceſſaria, vt quando à nullo intellectu naturaliter cognoſci poteſt: vt Vnio hypoſtatica eſt poſſibilis.

P. Tannerus.

SECTIO II.

Vtrum exiſtere Deum ſub hoc nomine, & conceptu, ſit per ſe notum? Aliorum ſententia.

Deus communi conceptione, & apprehenſione hominum eſt *ens incauſatum, fons, & origo cæterorum*, iſte enim eſt conceptus, qui ſtatim formatur de Deo, ſub quo nobis notiſſimus eſt, & quem nullus Atheiſta concedit, ſi autem concedat quis, licèt omnes alios conceptus, & perfectiones neget; dicetur minùs bene, vel etiam malè de Deo ſentire, non verò Deum omnino inficiari. Vnde *ens omnino neceſſarium*, *Infinitum, ſummè bonum, Sapiens*, arguitiuè, & per diſcurſum elicitur, ex eo quòd *incauſatum ſit, & fons* cæterorum; 9

Quis ſit notiſſimus conceptus Dei?

Nam

Nam *neceſſarium* debet eſſe, cùm à nulla cauſa dependeat, vel conditionem vllam requirat, vt exiſtat; Item *infinitum* ens, vt enim ſit fons, à quo omnium perfectiones deriuentur, opus eſt vt omnes præcontineat, & conſequenter ſit, *Summè bonum Sapiens*,&c. Quòd ſi *Deus* in ſe, maximè diſtinguentibus eius prædicata ex natura rei, alium conceptum priorem immediatiorem, & magis quidditatiuum habeat; is tamen non attenditur ad veritatem per ſe notam, quæ debet ex ipſis terminis abſtractiuè acceptis clarere, quin intuitione indigeat, vt notaui §.6. cùm agamus de notitia in via. Quare non placet Smiſing. diſp.2.quæſt.1. num.6. Dum ideo ait exiſtentiam Dei, qua conceptibilis ſub ratione Deitatis, ſeu *huius eſſentiæ* eſſe per ſe notam, quia per lumen gloriæ immediatè apparet incluſa, & de primo conceptu eſſentiæ Dei. Etenim hìc maximè quærimus euidentiam, quam extra Patriam habemus.

Smiſing.

10 Vnde neque placet, quòd communiter Alij exiſtimare ſolent per nomen Dei ſignificari: *Id quô melius, & perfectius eſſe, vel cogitari non valet*: Etenim conceptus iſte, licèt verus ſit; (Si de cogitatione vera, & rationabili loquamur, aliàs apprehendere poſset aliquis vt perfectius id, quod omnino implicatorium, & Chymæricum eſt) At neque ſufficiens eſt ad deitatem, ipſi enim Athei neceſſariò fateri debent; dum hanc rerum vniuerſitatem à ſe ipſa, vel caſu ſine Deo exiſtere autumant, continere in ipſa rem aliquam optimam, qua melior nulla eſt in re, neque in cogitatione rationabili, ſiquidem omnem aliam perfectiorem, quæ ſit omnium principium implicatoriam reputant, & impoſſibilem: Rurſus neque conceptus prædictus primus eſt nobis, & maximè notus, vt dixi num. præcedenti de ratione *Infiniti*, perinde namque eſt infinitum, & optimum, ſeu id quo melius eſſe, aut cogitari non valet. Quid quod D. Thomas 1. contra Gentes cap. 11. in reſponſione ad primam rationem oppoſitam hæc habet: *Non omnibus notum eſt, etiam concedentibus Deum eſſe, quod Deus ſit id, quô maius cogitari non poſſit: cum multi antiquorum mundum iſtum dixerint Deum eſſe*. Igitur ſub ratione à me dicta entis incauſati, & Primi omnium Principij, quæ maximè cognoſcibilis eſt; examinandum reſtat, ſit-ne per ſe nota Dei exiſtentia.

Notiſſimus, & primus conceptus, quem de Deo formamus non eſt, quod ſit optimus.

11 In qua re tres præcipuè numerantur ſententiæ. Prima ſentit abſolutè Dei exiſtentiam eſſe per ſe notam non ſolùm ſecundùm ſe, & obiectiuè acceptam reſpectu alicuius intellectus, ſed etiam quoad nos, & reſpectu intellectus noſtri. Ita Aureolus 1.diſp.1.quæſt.2.art.6. Alenſis 1. part.qu.3. membr.2. & 3. S. Bonauent. 1. diſp.8. art.1. qu. 2. Abulenſis in cap.5. exod. quæſt. 2. & lyra ibidem, citatur etiam à Patre Cæſare Recupito Schola Auguſtinianorum cum Ægidio Argentinate, Gerardo ſenenſi, cui ſententiæ maximè fauet Anſelmus in monolog. cap. 13. ex quo Primo arguitur: Id quo maius cogitari nequit, ita apparet manifeſtè, quòd exiſtat, vt talis exiſtentia negari nequeat, imo nec cogitari, quod non ſit. Sed Hoc optimum, quo maius cogitari nequit, eſt Deus; ergo. Maior patet ex Anſelmo. *Si enim*, inquit *id quo maius cogitari nequit, poteſt cogitari non eſſe, id ipſum quo maius cogitari nequit, non eſt id quo maius cogitari nequit*, Quia ſcilicet maius eſt, quod non poteſt cogitari non eſſe, quod non ſolùm habet eſſe in intellectu, ſed etiam in re. Secundò, Per ſe notum eſt, quòd exiſtat veritas aliqua, qui enim negat veritatem neceſſariò putat ſaltem verum eſſe, quod non exiſtat veritas, Atqui veritas *neceſſariò exiſtens* eſt Deus; ergo. Tertiò exiſtere ſummum bonum eſt per ſe notum, cum ſtatim ab omnibus hoc bonum deſideretur, deſiderati autem non poteſt, niſi noſcatur. At ſummum bonum eſt Deus. Quartò, *Deus eſt colendus* eſt primum principium notiſſimum, ideo Ariſt. 1. Topic. dixit: *Pœna, non ratione indigere qui dubitant. Vtrum deos honorare oporteat*; Ergo & hæc *Deus eſt* ſine qua non ſtat illa. Quintò, maximè eſt per ſe nota propoſitio identica, vt *homo eſt homo*, ſeu eſt id, quod eſt de ratione hominis; Ergo ſimiliter eſt per ſe notum, quòd exiſtat id, de cuius eſſentia eſt exiſtere, implicat namque in terminis poſſe non exiſtere id, de cuius conceptu eſt actu exiſtere: Sed Deus eſt talis; ergo.

Exiſtentia Dei per ſe nota quoad nos defenditur ab

Alens.
Aureol.
S.Bonauent.
Abulens.
Lyra.
S. Auguſt.
Ægid.
Berard.
Anſelm.

12 Hæc argumenta, quæ pro hac ſententia communiter circunferuntur, vel æquiuoca ſunt, vel ſupponunt, quod probare intendunt. Primum ſatis ſoluitur ex dictis §. 10. nam ſi de optimo rationabiliter cogitabili loquamur, falſa eſt maior iuxta Atheiſtas; ſi de alio optimo falſa eſt minor ipſis etiam concedentibus Deum eſſe vt notat S.Thomas 1. contr. Gent. cap. 11. Ad ſecundum dico, pro ſtatuendo Deo non ſufficere, quòd admittatur veritas *neceſſaria* vtcumque: nam hæc fingi poteſt ſolum *negatiua, diſiunctiua*, vel etiamſi poſitiua, & determinata, vt ſi fingatur mundus neceſſarius, non tamen vt ſit aliorum Principium. Tertium probat bonum ſummum non vndequaque & infinitè, ſed ſine admixtione mali appetitui creato, ad quam bonitatem nec requiritur neceſſitas abſoluta eſſendi, ſed ſolùm ex ſuppoſitione, quòd ſit talis appetitus, nec quòd ſit origo cæterorum, vt requirit ſummum bonum diuinum. Ad quartum fateor: *Deus eſt colendus* eſſe primum principium, & per ſe notum, quod tamen per ſe non affert abſolutè exiſtentiam Dei, ſed conditionatè: ſi detur, & exiſtat Deus: Sic hoc eſt primum Principium, & per ſe notum: *Patres ſunt amandi* neque ideo eſt nota exiſtentia Patris, & in ſpeculatiuis: homo leo *eſt animal rationale rugibile*: conditionatè tamen ſi detur. Quod ſi *Deus eſt Colendus*, ſumatur abſolutè pro dictamine omnino inclinante vt colatur Deus: Sic ſolùm per diſcurſum noſcitur, non per ſe, & immediatè. Hinc ſoluitur quintum argumentum. Aſſumptum namque ſolum eſt notum conditionatè: quod exiſtat id, de cuius conceptu eſt exiſtere, ſi talis res poſſibilis admittatur; quare qui dicat talem rem eſſe omnino impoſſibilem, non tenebitur eius exiſtentiam admittere; & tales ſunt Athei, qui licèt fateantur, quod ſi admittatur Deus, eum admittendum vt neceſſariò exiſtentem, ſeu vt talem, de cuius eſſentia & conceptu ſit actu exiſtere; at negant talem conceptum poſſibilem eſſe; vti licèt fateamur omnes de conceptu hominis, Leonis exiſtentis eſſe, quòd exiſtat animal rationale, rugibile; ſimpliciter tamen negamus talē conceptum poſſibilem.

Reiicitur.

13 Secunda ſententia è contra abſolutè negat eſſe per ſe notam Dei exiſtentiam, maximè quoad nos. Ita communiſſima ſententia, & omnes ferè ſcholæ. Scotiſtæ cum Scoto 1. diſt. 2. quæſt. 2. §. *Ex his ad quæſtionem*. Nominales cum OKam diſtinct. 3. quæſt. 4. litt. f. Et ex parte Thomiſtæ cum S. Thom. 1. part. quæſt. 2. art. 2. Probatur primò ex Atheiſmo, in quem plures manifeſtè olim lapſi ſunt, & hodie plurimi vel fere omnes hæretici, & ſaltem de Inſipiente, qui iuxta, Pſal. 13. *dixit in corde*

Exiſtentia Dei non eſſe per ſe notam abſolutè defendunt.

Scotiſtæ.
Scotus.
Nominales.
OKam
Thomiſtæ aliqui.

corde ſuo : non eſt Deus. At contra propoſitionem per ſe notam nemo poteſt internè ſentire, vel dicere 4. Metaſ h.tr.9. Ergo nec valet ſolutio ab Atheis non perceptos terminos in *Deus eſt*, nam ipſi peccant infidelitate, igitur quia bene perceptis terminis diſſentiunt. Secundò arguit Scotus nihil eſt per ſe notum de conceptu non ſimplici niſi ſit per ſe notum partes talis conceptus vniri inter ſe, ſic non eſt per ſe notum : *homo irrationalis eſt animal*, quia in conceptu non ſimplici *homo irrationalis* hæ partes non apparent vnitæ inter ſe. Atqui nunquam de Deo formamus conceptus ſimplices, ſed compoſitos. Prima cauſa. Summum bonum. Ens à ſe. Rurſus vnio partium non eſt per ſe nota, cùm non appareat in ſe, & per ſe ; Ergo.

P. Vaſquez.

Tertiò arguit P. Vaſquez diſput. 19. num 10. quia Deus à nobis non concipitur, vt abſolutus à creaturis, ſed relatè ad ipſas, & ex eo quòd ipſæ neceſſariò indicent vnum Creatorem, Gubernatorem, &c. Ergo non immediatè per ſe noſcitur, ſed per aliud. Quartò nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu, hoc eſt, ad inſenſibilia per ſenſionem ſenſibilium procedit intellectus, & ex illorum ratiocinatione colligit. At Dei exiſtentia non eſt ſenſibilis. Ergo non immediatè & in ſe, ſed mediatè ex viſione creaturarum colligitur.

14 *Reijcitur.*

Neque fundamenta hæc niſi amplius firmentur valida ſunt ; nam primò occurret quis opinans Atheiſmum non dari in ſapiente, ſed in inſipiente, & obcæcato, qui tamen infidelitate peccat, quia illorum terminorum habet ignorantiam vincibilem : Præterquam quòd ex hoc primo argumento non adſtruitur ratio, cur non ſit propoſitio per ſe nota : *Deus eſt* : ſed ſolùm quaſi ex aliorum teſtimonio, & authoritate ſupponitur. Ad ſecundum : Vnio conceptus complexi, quem de Deo formamus rectè poteſt eſſe per ſe nota, quin in ſe per proprium conceptum, & quidditatiuum vt eſt in ſe videatur, vt ſtatuit P. Vaſquez vbi ſuprà, & dixi §.6. Item tertium argumentum non vrget ; nam vel intendit ex reſpectu ad creaturas Dei exiſtentiam cognoſci, & colligi, & ſic petitur principium, nam hoc inquirimus cur id ſit neceſſarium ; vel ſolùm intendit conceptum Dei eſſe relatiuum ad creaturas ; & hoc non tollit, quòd ſit immediatè notum, vt patet, cùm Beati Deum cum hoc reſpectu intuentur. Ad quartum argumentum reſponderi poteſt, quidquid eſt in intellectu priùs fuiſſe in ſenſu per apprehenſionem, & excitationem terminorum, at non per aſſenſum, ex quo colligatur mediatè alius, quod ſolum tollit propoſitionem eſſe per ſe notam ; excitatio enim, & prævia apprehenſio non impedit, ſic prius apprehenditur *totum & pars*, vt iudicetur immediatè : Totum eſſe maius ſua parte.

15 *Exiſtentiam Dei eſſe per ſe notam quoad ſe, licèt non quoad nos : defendunt* Thomiſtæ S. Thomas.

Tertia ſententia pro qua ſunt Thomiſtæ, Dominicani, & noſtri communiter cum S. Thoma hìc & 1. contr. Gent. cap. 11. & de verit. qu. 10. art. 12. & 1. d. 13. qu. 1. art. 2. ſtatuit cum ſecunda ſententia : *Deus eſt* non eſſe per ſe notum quoad nos ; addit tamen cum prima ſententia eſſe per ſe notum quoad ſe. Primum probat, quia non habemus viatores proprium, & quidditatiuum conceptum Dei ; Ergo neceſſe eſt vt ipſum concipiamus per ſpecies alterius, & conſequenter non erit nobis notus immediatè, & per ſe. Secundum etiam probatur, quia de eſſentia Dei eſt ipſum actualiter exiſtere, ipſe actus exiſtendi ; ergo in ſe apta eſt cognoſci eſſentia Dei vt ſic exiſtens, imo cognoſci nequit vt eſt in ſe, & quidditatiuè per ſpeciem propriam, vt videtur à Beatis, quin vt exiſtens repræſentetur. Confirmatur, quòd totum ſit maius ſua parte eſt per ſe notum ſecundùm ſe ; quia de quidditate totius eſt maioritas, & exceſſus reſpectu partis : Nihilominus comparatione hominis ruſtici ignorantis quidditatem *totius* non eſt per ſe nota illa propoſitio ; Ergo ſimiliter nobis carentibus conceptu proprio, & quidditatiuo Dei, qui in ſe inuoluit actum exiſtendi, non erit per ſe notum, quòd Deus exiſtat, erit tamen ſecundùm ſe, quia cognoſcentibus quidditatem Dei, vt eſt in ſe, veritas hæc immediatè noſcitur.

Sententia iſta licèt in bonum ſenſum reduci poſſit, vt conſtabit ſect. ſeq. has tamen patitur difficultates. Primò, quia facit Trinitatem per ſe notam ſecundùm ſe, ſiquidem de eius quidditate eſt exiſtentia, & ſine dubio apta eſt cognoſci vt exiſtens dum videtur in ſe à Deo, & à Beatis ; quod ſi ideo dicas ſolam naturam diuinam eſſe relationibus rationem exiſtendi, & immediatè nunquam in ſe cognoſci, ſed in eſſentia ſeu natura diuina, contrà eſt ; nam ſaltem ipſa eſſentia vt fœcunda relationum in ſe videtur, quæ tamen vt ſic non eſt per ſe nota, aliàs quid abſurdi foret concedere Trinitatem per ſe notam ſecundùm ſe ? Secundò, propoſitio per ſe nota non petit conceptum quidditatiuum, tum quia *quodlibet eſt vel non eſt* eſt per ſe notum, & tamen huius veritatis vniuerſalis non habemus conceptum quidditatiuum ; tum etiam propoſitio identica eſt maximè per ſe nota ; Ergo hæc *Deus eſt Deus* ſine conceptu quidditatiuo Dei poteſt eſſe per ſe nota : Idemque apparet in hac per ſe notiſſima : *Si Deus exiſtat, colendus eſt* : iſta enim hypothetica immediatè euidens eſt ex apprehenſione terminorum vt primum principium in moralibus iuxta §.12. Denique ſi exiſtentia Dei eſt per ſe nota quoad ſe, quia eſt de quidditate ipſius Dei, à fortiori erit per ſe notum, Quid Deus ſit ? cum ipſa quidditas maximè imbibatur in eſſentia Dei, ſed iis fiet ſatis ex ſect. 3. 16 *Quas difficultates contineat ?*

Poſitæ opiniones celebriores ſunt, aliæ namque vel obſoletæ ſunt, vel in dictas coincidunt. Henricus in Sum. art. 21. qu. 2. & 24. qu. 7. Bacon 1. diſt. 3. qu. 1. art. 3. & 4. dicunt Deum eſſe *primum cognitum*, ſeu obiectum primò occurrens intellectui ; quia ſicut res ſe habet ad eſſe, ita & ad cognoſci. Deus autem eſt primum ens. Sed contra, quia huic ſufficit quòd primò cognoſcatur ab intellectu commenſurato, & infinito. P. Vaſquez d. 19. n. 10. ait : *Deus eſt* : non ſolùm non eſſe per ſe notum abſolutè, ſeu euidenter, ſed nec probabiliter, ſicut primum principium per ſe, probabile, quia ſemper aſſenſus de exiſtentia Dei debet inferri ex alio, cum immediatè in ſe ſenſibus non ſubiiciatur. Sed contra, quamuis euidens aſſenſus non ſit, quo quis fertur in primam cauſam, ceterum ſicut aſſiduitas videndi amorem matrum ergà filios excitat immediatum aſſenſum : *Omnis mater diligit filium ſuum* : Cur non experientia, qua apparet ſemper omnem rem ab alia cauſari, ſimiliter excitabit totam orbis vniuerſitatem ab vno principio manaſſe ? ita ſentit P. Leſſius lib. de Prouid. numin. cap. 2. n. 13. Theodorus Smiſing. tract. 1. diſp. 1. qu. 1. & 2. cum Scoto ſentit Deum ſub conceptu *Dei* eſſe per ſe notum, ſecus ſub conceptu *primæ cauſæ*, & aliis, qui formantur à Viatoribus ; quia hi omnes ſunt ſecundarij, neque ipſis competit exiſtentia primò, ſed mediante eſſentia, ſeu deitate, quæ ſolùm à Beatis eſt conceptibilis. Sed contrà, hoc eſt extra rem, vt dixi §.9. Alicui etiam placebit dicere Dei exiſtentiam ita eſſe notam intelle 17

Deum eſſe non eſt primum cognitum, vt volunt Henricus. Bacon.

Deum eſſe eſt per ſe probabile. Contra P. Vaſquez.

Smiſing impugnatur.

Deum eſſe: Quo pacto ſit veritas neceſſaria? intellectui, vt ſemper & neceſſariò ſit actu ab ipſo cognita,& non tantùm cognoſcibilis: ideo verificatur quod ſit per ſe nota, & non ſolùm dicitur nobilis. Hoc præcipuè vrgetur reſpectu intellectus Angeli, qui vti ſemper eſt in ſui cognitione à fortiori in cognitione Dei, qui eſt verum magis neceſſarium. Hinc homo, ſaltem dum alia cognoſcit, ſimul Deum percipiet, nam & ſe ipſum tunc obiter repræſentat. Sed contra eſt, quia Deus, licèt ſit verum magis neceſſarium in eſſe, ſed non in cognoſci; ergo non eſt opus vt ſemper intellectui occurrat.

SECTIO III.

Deum exiſtere ſimpliciter non eſt per ſe notum.

18 *Rem exiſtere ſolùm per propoſitionem de ſecundo adiacente ſcitur immediatè.* Ratio mihi eſt: Exiſtentia exercita, ita vt faciat propoſitionem de ſecundo adiacente vt quando ipſum eſſe prædicatur: verbi gratia *res eſt* ſeu exiſtit de re prædicatur *ipſum eſſe* ſeu exiſtere, non poteſt cognoſci immediatè ſeu prædicari de Deo, niſi per notitiam intuitiuam. Ergo non poteſt immediatè cognoſci Deum exiſtere, niſi per intuitionem, & conſequenter non eſt per ſe notum ſine medio. Conſequentia hæc patet; quia ſcire ſimpliciter, & abſolutè quòd res exiſtat, conſiſtit in eo, quòd exiſtentia exercitè accipiatur, & non ſolùm ſignatè faciendo propoſitionem de tertio adiacente; quamuis enim de re prædicem exiſtentiam ſignatè nondum ſcio ſimpliciter ipſam exiſtere, niſi *eſt* ſit ſecundũ adiacens: Sic de exiſtẽtia Angeli prædico vt quid per ſe notum *eſſe exiſtentiam*: & tamen ſimpliciter non eſt per ſe notum exiſtentiam Angeli *exiſtere*; quia ſcilicet non prædicatur *eſt*, vel *exiſtit* de ſecundo adiacente, ſeu exercitè: *Differentia cognitionis intuitiuæ ab abſtractiua.* Si ergo ſolùm per intuitionem immediatè noſci poteſt exiſtentia exercitè ſeu de ſecundo adiacente de Deo; ſolùm per intuitionem veritas hæc: *Deus exiſtit*: erit per ſe nota. Hoc autem antecedens probatur ex conceptu notitiæ intuitiuæ, quæ ab abſtractiua quidditatiua eo præcisè differt, quòd exiſtentiam non ſolùm ſignatè ſed exercitè tangit, etenim Deus circa creaturam merè poſſibilem quidditatiuum conceptum habet de ipſius exiſtentia, neque adhuc habet ſcientiam viſionis, quia exercitè non poteſt prædicare *eſt* de ſecundo adiacente, quid enim rogo aliud additur per ſcientiam viſionis? Idem patet in viſione colorum in iride merè apparentium, nec exiſtentium; hæc notitia purè intuitiua eſt, nam oculus abſtractiuè tendere non poteſt; talis autem viſio ab abſtractione non differt ex præſentia obiecti; cum ibi non ſit; ergo quia tendit modo apto affirmationi exiſtentiæ exercitæ; vnde hoc titulo intuitiua præ abſtractiua dicitur tendere in rem præſentem, vt præſentem, & hæc abſtractiua dicitur; quia ab exiſtentia ſic præſcindit. Tunc ſic: ſed veritas, quæ ſolùm immediatè eſt euidens per intuitionem nobis non eſt ſimpliciter per ſe nota, vt dixi §. 6. Ergo Deum exiſtere ſimpliciter non eſt per ſe notum. Hoc argumentum ſatis probat; *Deus eſt* ſaltem quoad nos non eſſe per ſe notum vllo modo, cùm per ſe ex natura rei Deus videri non poſſit.

19 Dices: propoſitio de *eſt* ſecundo adiacente ſi quidditatiua ſit, conuertitur cum intuitiua; ſecus ſi non ſit quidditatiua, nam modò ſæpius formamus hanc propoſitionem de ſecundo adiacente: *Deus eſt* quin noſtræ intuitioni ſubiaceat. Iam verò propoſitio per ſe nota non requirit quidditatiua. tum quia incorporea non eſſe circunſcriptiuè in loco: item hæc vniuerſalis: *Quodlibet eſt vel non eſt* eſt per ſe nota; cùm tamen in corpore nullius rei nec vniuerſalis, neque incorporeæ, quæ ſenſibus non ſubiacent, habeamus conceptum quidditatiuum; tum etiam quia non magis requiritur conceptus quidditatiuus rei, vt affirmetur, quàm vt negetur, neque enim minùs concipienda eſt *lux* vt negetur, quàm vt affirmetur, neque quis poteſt habere conceptum, quo dicat: *non exiſtit lux*: Si ipſam lucem, non concipiat. Atqui per ſe nota eſt hæc veritas: *Deus non eſt per ſe notus*: ille namque cui non eſt per ſe nota exiſtentia Dei, hoc ipſum eſt per ſe notum; quòd ſcilicet ex terminis non aſſentiatur exiſtentiæ Dei: Et tamen non habet conceptum quidditatiuum Dei. Ergo ſimiliter vt ipſe *Deus* ſit per ſe notus, non eſt neceſſarius conceptus quidditatiuus Dei. Confirmatur hoc: quilibet intellectus creatus tanquam per ſe notum ſcit ſe non eſſe Deum; Ergo per ſe notum eſt illi quid ſit *non eſſe. Deum*. Ergo quid ſit *eſſe Deum*, nec tamen de eſſentia Dei habet conceptum quidditatiuum.

Obiectioni propoſitæ fateor ſolùm propoſitioni de *eſt* Secundo adiacente, quando quidditatiua eſt conuenire quòd ſit intuitiua: At in dubium mihi eſt nunquam eſſe per ſe notam niſi ſimul ſit quidditatiua formaliter, vel virtualiter; nam *Per ſe nota* debet eſſe immediata, & euidens, euidentia autem immediatè parta ex ipſis terminis non poteſt non eſſe quidditatiua. Ad inſtantias obiectas facilè reſpondebis ſi tria notes: Primum ſpiritualia dupliciter concipi: poſitiuè: & negatiuè: hoc dum præcisè innuitur negatio corporis, illud dum directè quæ, & qualis ſit entitas huic negationi ſubiecta aperitur. Secundum tunc haberi quidditatiuum conceptum negationis, quando forma negata quidditatiuè concipitur; quidquid enim ſit poſſit-ne Priuatio directè, & in ſe concipi, de quo in quæſt. 14. At ipſa ſatis quidditatiuè concipitur, dum diſſenſus fertur in formam quidditatiuè conceptam. Tertium ſufficere cognitioni quidditatiuæ vniuerſali quòd conſtet terminis in aliquo particulari immediatè, & formaliter inuentis, propriè conuenientibus alicui inferiori ſub tali ratione communi. Sic nemo negabit quidditatiuè à nobis concipi albedinis colorem, quamuis hoc indiuiduum albedinis in particulari non determinetur, nos enim diſcernere nequimus indiuiduationes, & hæccitates rerum; ergo ſignum eſt ſatis eſſe cognitioni quidditatiuæ, quod per terminos proprios, hoc eſt, non alienos, concipiatur licèt non in vniuerſali, ſed in aliquo particulari inueniantur. 20 *Quid requirat cognitio quidditatiua.*

Hinc ad inſtantias in §. 19. Reſpondeo eam propoſitionem per ſe notam: *Incorporalia non ſunt circunſcriptiuè in loco*: Eſſe quidditatiuam, quia licèt res ipſæ ſpirituales directè, & poſitiuè cognoſci nequeant per ſpecies proprias, & quidditatiuas in via, bene tamen negatiuè, vti contingit in propoſitione poſita, quæ huic æquiualet: *Quæ non ſunt corporea, & extenſa non locantur commenſuratè ad res corporeas*: Quæ propoſitio præcisè eſt negatiua conceptuum, qui quidditatiuè in via penetrantur, quale eſt *Corpus, & extenſio*, ſeu commenſuratio. Ergo ex primo, & ſecundo notato quidditatiuæ cognitioni ſubeſt. Sic hæc propoſitio formaliter 21

formaliter accepta eſt per ſe nota: *Non lucidum non percipitur viſu*? Quamuis ſubiectum materiale, cui competit eſſe non Lucidum (talis enim eſt Deus) quidditatiuè non concipiatur. Rurſus: *Quodlibet eſt, vel non eſt*: quidditatiuè concipitur, quia termini illi, in aliquo particulari, cui propriè & non extraneè competunt, ſunt obiectum quidditatiuæ notitiæ, ſcilicet in qualitatibus ſenſibilibus, quæ cùm in via per proprias ſpecies percipiantur, licèt non comprehenſiuæ quidditatiuæ tamen cognitioni ſubſunt; Ergo & illa propoſitio vniuerſalis, vt conſtat ex tertio notato. Vlteriùs: *Deus non eſt per ſe notus*, non requirit claram notitiam Dei in ſe, ſed in aliqua negatione, vt ſic enim ſatis concipitur *Deus*, vt ſubſit illi prædicationi negatiuæ, quæ quia quidditatiuè concipitur (quidditatiuè namque ego ſcio me clare non ſcire) abſolutè quidditatiuam propoſitionem facit. Hinc ſimiliter patet ad confirmationem; quamuis non ſciam quid ſit *Deus* poſitiuè, ſcio tamen negatiuè, vnde hæc propoſitio: *Ego non ſum Deus*: huic æquiualet: *Ego non ſum id, à quo omnia pendent, & producuntur*; quæ veritas, vt ſit per ſe nota, non requirit quidditatiuum conceptum *Principij* primi, & vniuerſalis, ſed tantùm quòd quidditatiuè concipiatur, vel vnum principium, ſeu principiatio, quæ negetur, nam vna negatio particularis vniuerſalem affirmatiuam euidentiſſimè falſificat.

22 Confirmatur ratio poſita in § 18. Quòd exiſtentiæ prædicatum ſit de ratione ſubiecti, ab ipſoque non ſolùm realiter, ſed etiam per rationem noſtram indiſtinctum ſolùm deſeruit affirmationi identitatis exiſtentiæ cum tali ſubiecto; prædicationi exiſtentiæ in abſtracto, non autem in concreto: At nulla identitas cum exiſtentia, neque huius prædicatio in abſtracto ſufficit prædicationi, & propoſitioni de *eſt* ſecundo adiacente, in qua ſcilicet ſimpliciter affirmetur rem eſſe, ſeu exiſtere. Ergo nil ſufficit, vt cenſeatur eſſe per ſe notum, quod Deus exiſtat. Hæc conſequentia patet, nam ſolo titulo identitatis exiſtentiæ cum eſſentia Dei, & quod illa ſit de ratione huius cenſetur propoſitio: *Deus eſt*: per ſe nota: Maior probatur nam identitas eſt proprium obiectum affirmationis in abſtracto, vt quo creſcit identitas, pari gradu affirmatio verificetur, ideo hæc propoſitio: *Rationalitas eſt animalitas*: eſt ſolùm vera in ſenſu reali, quia ſola identitas realis intercedit inter prædicatum, & ſubiectum, hìc autem vbi eſt formalis, *rationalitas eſt principium diſcurſus*: in ſenſu formali veritas admittitur. Hinc minor propoſitio etiam patet; nam ex dictis identitas cum exiſtentia præſtabit veritatem huic propoſitioni, verbi gratia, *Deus eſt exiſtentia*: hoc autem non ſufficit vt notum ſit Deum exiſtere: vt apparet in hac veriſſima: *exiſtentia ſupernaturalis creata eſt exiſtentia ſupernaturalis*: ex qua tamen non claret, imo nec licet inferre: ergo *exiſtentia ſupernaturalis creata eſt, ſeu exiſtit*.

23 Obiicies D. Thomam, qui in præſenti articulo, & vbicumque huius quæſtionis meminit, ait eſſe per ſe notam quoad ſe exiſtentiam Dei; ergo eſt per ſe nota ſimpliciter; illud enim conuenit rei ſimpliciter, quod conuenit quoad ſe, & in ſe intrinſecè, & aliæ denominationes, quæ ſolùm ſumuntur quoad nos, ſecundum quid tantum admittuntur, ideo Deus ſimpliciter diſtinctione caret, & ſolùm ſecundùm quid eam admittit, quia ſcilicet in ſeipſo, & quoad ſe ſimpliciſſimus eſt, quamuis per rationem noſtram in varias formalitates diſtinguatur. Reſpondeo notandum eſſe conditionem prædicati, ſeu denominationis; aliquando enim concernit ipſa actus noſtros, & modum eſſendi ratione noſtra, modumque noſtrum concipiendi, & tunc denominatio ſimpliciter non venit ab eo quod habet res in ſe, ſed potiùs quod habet per ordinem ad conceptus noſtros: ſic ipſa diſtinctio rationis Deo in ſeipſo conuenit fundamentaliter, & ſecundùm quid ſed per noſtrum concipiendi modum formaliter, & ſimpliciter: In rebus ipſis intrinſecè non datur ſimpliciter vniuerſalitas, datur tamen per rationem noſtram. Hinc ad præſens denominatio notæ per ſe in propoſitione, licet non cadat ſupra propoſitionem mentalem ſolùm, ſed ſupra obiectiuam, at ſumitur per ordinem ad conceptus, quibus communiter cognoſcitur; ergo ex his ſumetur menſura *ſimpliciter*, non verò ex eo quòd obiectum habet ſecundùm ſe intrinſecè. Imo neque ex eo quòd habet obiectum in ordine ad aliquem intellectum perfectum, dicendum eſt per ſe notum, ſed per ordinem ad communem noſtram perceptionem, nam de rebus loquimur ſimpliciter vt à nobis concipiuntur, ideo propoſitio per ſe nota dicitur à Boëtio in lib. de hebdom. reg. 1. Communis animi conceptio; definiturque *ennunciatio, quam quiſque probat auditam*. Ideo quamuis propoſitio: *Deus eſt*: quoad ſe, ſeu in ſe, aptitudinem habeat, vt per ſe immediatè noſcatur euidenter, dicenda tàmen non eſt per ſe nota ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid reſpectu intellectus ita perfecti.

Differentia prædicati ſecundùm quid tale & tale ſimpliciter.

Quæ propoſitio ſit per ſe nota, ſimpliciter loquendo.

Sed ex dictis videtur prædictam propoſitionem: *Deus eſt*: reſpectu nullius intellectus eſſe per ſe notam, & conſequenter, nec quoad ſe dicendam talem. Nam talis intellectus vel eſſet intuitiuus, vel abſtractiuus: Primum non ſufficit, vt conſtat ex §. 6. & patet in exiſtentia Trinitatis, quam nemo dicet per ſe notam, cùm tamen intuenti immediatè nota ſit: ſecundum autem non requiritur, aliàs exiſtentia Dei non eſſet per ſe nota quoad ſe, ſiquidem vt ſuprà oſtendi, nunquam poteſt immediatè, & quidditatiuè affirmari exiſtentia exercita, ſeu prædicari *eſt* de ſecundo adiacente, niſi in propoſitione intuitiua. Exiſtimo, vt cum D. Thoma loquar, eam propoſitionem: *Deus eſt* eſſe per ſe notam, quia tale eſt eius ſubiectum, vt in ſe acceptum, ſeu prout eſt in ſe, nulla ratione attingi poſſit quidditatiuo conceptu, quin neceſſitet ad aſſenſum de exiſtentia illius; & nullo modo diſtinguatur ab eodem exiſtentia exercita: quod reperitur ſpecialius in Deo, quàm in creatura, hæc enim ſæpe prout eſt in ſe concipitur, quin vt exiſtens exercitè cognoſcatur, vt patet quando obiicitur ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ & in ſtatu poſſibilitatis apparet. Rurſus non ita eſt per ſe nota Trinitas perſonarum, nam Paternitas verbi gratia etiam prout eſt in ſe concepta virtualiter (ſeu in tertio vt explicaueris) diſtinguitur ab exiſtentia, neque enim admittendæ ſunt tres exiſtentiæ relatiuæ, ſed vna communis ab ipſa eſſentia diuina indiſtincta. Si autem obiicias naturam vt fœcundam ex §. 16. dicam naturam vt talem à Trinitate non diſtingui vllo modo, vt fœcunda namque reduplicat ſupra identitatem cum relationibus, vt conſtabit ex dicendis in diſp. de diſtinctione virtuali, & formali ex natura rei. 24

25 Vnde ex tota hac ſectione inferri licet primò, exiſtentiam exercitam ſeu *eſt* de ſecundo adiacente non efficere propoſitionem per ſe notam circa Deum ſimpliciter, neque etiamſi comparetur cum intelle-

intellectu ſapientum, Angelorum, vel etiam cuiuſque virtutis intellectiuæ ſupernaturalis extra lumen gloriæ, nam extra illud nulli naturalis eſt viſio intuitiua Dei, extra viſionem autem prædicari nequit immediatâ euidentiâ *eſt* de ſecundo adiacente. Infero ſecundò omnem propoſitionem neceſſariam, & eſſentialem de *eſt* tertio adiacente eſſe per ſe notam quoad ſe ſaltem ſupernaturaliter quamuis non omnis ſit per ſe nota quoad nos: primum patet, quia eo ipſo quòd materia ſit neceſſaria, & eſſentialis poſſunt termini ita perfecti immediatè penetrari, vt cogant ad aſſenſum euidentem vt nec per rationem, & modum tendendi talis intellectus ſupernaturalis diſtinguatur prædicatum à ſubiecto, quę indiſtinctio facit propoſitionem per ſe notam de *eſt* tertiò adiacente, vnde conſequenter ea propoſitio dicetur per ſe nota *quoad ſe*. Si ly *quoad ſe* extendatur reſpectu intellectus etiam ſupernaturalis. At ſi *quoad ſe* ſuſumatur quoad vim naturalem, ſeu ex natura rei, ſic plures veritates neceſſariæ non ſunt per ſe notæ *quoad ſe*, vt vnio hypoſtatica eſt poſſibilis iuxta dicta §. 8. Imo ſi ly *quoad nos* determinet intellectum humanum, ſic vti plura nobis ignota, ſunt nota Angelis, ita, & per ſe nota, vt *homo eſt riſibilis*, nam *riſibile* nec ratione diſtinguitur ab homine apud Angelos, ſed ſe habet ſicut *homo eſt homo*, ſecus apud nos, ex §.4. Secundum etiam patet, nam adhuc nobis non ita termini neceſſarij ratione noſtra ſunt indiſtincti, vti quando vna formalitas de ſeipſa prædicatur. Infero 3. propoſitionem de ſecundo adiacente nunquam eſſe per ſe notam, nec quoad ſe de creatura, ſed ſolùm de Deo. Ratio eſt, quia ſolus Deus non poteſt attingi vt eſt in ſe, niſi vt exiſtens, ſecus creaturæ. Vnde potiùs Beati, & quilibet intellectus intuitiuè poſſunt formare propoſitionem per ſe notam, de Deo per viſionem, quam de creatura iuxta §. 6. Infero 4. contra Scotum in 2. diſt. 3. quæſt. 9. implicare cognitionem immediatam, & quidditatiuam de exiſtentia Dei naturalem in Angelis. Ratio eſt ex dictis, quia talis cognitio in nullo diſtat ab intuitiua viſione; hæc autem, vt fatetur ipſe nulli creaturæ eſt connaturalis; ſed de hoc plura ad tract. de Angelis, & in tract. de viſione.

Propoſitio poteſt dici per ſe nota quoad ſe, & non quoad nos. 1. quia eſt per ſe nota ſupernaturaliter, & non naturaliter, 2. Angelis & non hominibus, 3. hominibus ſapientibus, & non vulgo.

SECTIO IV.

Vtrum ſit per ſe notum, exiſtere aliquod ens neceſſarium?

26 SVb nomine, & conceptu *entis neceſſarij* volunt aliqui eſſe per ſe notam, etiam quoad nos exiſtentiam exercitam Dei, vnde maxime impetitur concluſio, & ratio poſita in ſect. præcedenti. Nam de tali ente *neceſſario* nulla cognitio intuitiua datur, & tamen formari poteſt propoſitio de *eſt* ſecundo adiacente immediata euidens, vt ſola terminorum apprehenſio ſine alio diſcurſu ad aſſenſum neceſſitet.

27 Aſſumptum autem, nempe quòd ſit per ſe nota exiſtentia entis neceſſarij probatur. Hæc propoſitio eſt per ſe nota: *Neceſſarium non eſt non exiſtens*: Ergo & hæc *neceſſarium eſt exiſtens* neque enim poteſt res aliter non eſſe non exiſtens, niſi quia ſit exiſtens, cum non detur medium à parte rei; hinc qui *non eſt non lapis*, opus eſt, quòd ſit lapis, & ſolus homo *non eſt non homo*. Ergo ſimiliter ſolus qui eſt, non poteſt non eſſe; ergo ſi *neceſſarium* non eſt non exiſtens, conſequenter non poterit non exiſtere ac proinde neceſſariò exiſtet. Confirmatur primò hæc eſt per ſe nota; *ſi neceſſarium non eſt, impoſſibile exiſtit*. Sed non poteſt cadere in intellectu ſuſpicio aliqua, an videlicet de neceſſario purificetur conditio illa: *ſi non eſt impoſſibile*: Quia licèt poſſimus ſuſpicari de *neceſſario* applicato ad aliam materiam, verbi gratia de homine neceſſario; ideo eſt quia ratione hominis adiuncti *neceſſario* ſuſpicio meritò generatur, cùm homo ex ſuo conceptu afferat imperfectionem, & titulum extra neceſſitatem. At in ipſo ente neceſſario, vt ſic non eſt vnde talis ſuſpicio generetur. Confirmatur ſecundò: Non minùs opponitur *impoſſibile* exiſtentiæ, quàm *neceſſarium* non exiſtentiæ à parte rei. Igitur ſicut eſt per ſe notum impoſſibile non exiſtere à parte rei; ita è contra neceſſarium exiſtere: Imo non aliter poteſt impoſſibile repugnare exiſtentiæ, niſi quia eius oppoſitum eſt neceſſarium, & neceſſariò exiſtens.

Argumentationes pro exiſtentia per ſe nota entis neceſſarij.

Secundò aliter idem aſſumptum oſtenditur. Id quod in vtrouis contradictionis euentu intellectus non poteſt non admittere, eſt illi per ſe notum; nam eo ipſo non poterit non tali veritati aſſentiri; eo ipſo intellectus iudicat eam veritatem eſſe indefectibilem, nam indefectibile, & per ſe notum eſt: *Quodlibet eſt, vel non eſt*. Ac conſequenter per ſe notum erit non poſſe deficere, quod à tali veritate pendet: Tunc ſic ſed tale eſt: *Neceſſarium exiſtit*: nam ſi affirmet intellectus, iam ipſum admittit; ſi neget: admittit etiam, nam implicat in terminis quod *neceſſarium* deficiat contingenter ab exiſtentia; ergo neceſſaria eſt eius non exiſtentia; ergo iam aliquod neceſſarium, ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum eſt per ſe notum exiſtere. Confirmatur impoſſibilitas rei impoſſibilis eſt per ſe nota, nam per ſe notum eſt plura implicare, vt *aliquid ſimul eſſe, & non eſſe: Totum eſſe minus ſua parte*; & alia omnia enunciata, quæ opponuntur veritatibus per ſe notis. At impoſſibilitas rei impoſſibilis eſt neceſſaria; ergo. Confirmatur ſecundò: Nequit lux ſimul eſſe, & non eſſe. Ergo quia datur potentia requiſita, vt talis ſimultas repugnet, ſed non eſt talis potentia contingens, aliàs poſſet ſimultatis repugnantia deficere: Ergo neceſſaria. 28

Breuius efficacius à S. Thoma perſtricta.

29 Simili argumentandi modo vrgetur eſſe nobis per ſe notum exiſtere à parte rei *ens eſſentialiter exiſtens*. Nam ſi non exiſtit eo ipſo dabitur abſolutè impoſſibilitas talis entis, quæ impoſſibilitas eſt aliquid eſſentialiter exiſtens: eſt autem vt nuper dixi per ſe notum illud, quod exiſtit in vtrouis contradictionis euentu, id quod ſemper admittitur ſiue negetur, ſiue affirmetur ab intellectu.

30 Has omnes ratiocinationes, & alias ſimiles, quæ formari poſſunt, breuiter perſtrinxit S. Thomas in præſenti art. 1. nullæ enim inuenientur magis implexæ ad arguendum; quàm prædicatum: *Excedentis omne cogitabile*: de quo in arg. Item nil vehementius coget aſſenſum intellectus, ſiue affirmantis, ſiue negantis, quàm exiſtentia *veritatis* à poſitiuo, & negatiuo præſcindentis; de qua in arg. 3. Vnde ex dictis colligenda eſt reſponſio ad præſentem quæſtionem. Exiſtere ens neceſſarium ſimpliciter loquendo non eſt per ſe notum; nam omnia argumenta ſolum diſiunctiuè conuincunt de *neceſſario*, ſiue poſitiuo, ſiue negatiuo, vnde determinatè nil conuincunt de ente reali: Quod ſi determinatè ſupponant de ente poſitiuo neceſſario

ſatiò, nil probant in propoſitione prædicante exiſtentiam exercitam, ſeu de ſecundo adiacente, quod ad præſens requirebatur, vt notaui, & oſtendi ſect. præced.

31 *Examinatur veritas hæc: Neceſſarium exiſtit.* Hinc ad primam probationem in §. 27. fateor, quòd Neceſſarium exiſtit, *neceſſarium* inquam abſtractè acceptum quaſi ſuppoſitione ſimplici; nam ipſe conceptus *Neceſſarij* eſt conceptus actu exiſtentis, ac ſi dicas: *exiſtens eſt exiſtens*: Secus verò in ſuppoſitione perſonali, vt ſit aliquid ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum, cui competat eſſe *Neceſſarium*, & ex conſequenti ſit exiſtens in ſecundo adiacente, ſeu exiſtat: hoc enim neutiquam eſt per ſe notum, quod requirebatur vt aliquod prædicatum Dei eſſet per ſe notum. Ad primam confirmationem, vti dum dicitur *homo neceſſarius* iam deficit à per ſe noto, ita dicam dum neceſſario adiungis *ens*, & non ſolum neceſſarium accipitur in abſtracto, ſed in concreto. Ad ſecundam confirmationem ex vi formæ non magis concludit ly Impoſſibile, quàm neceſſarium; quare vtrumque deficit à per ſe noto, vt ſuſpicio poſſit oriri ſit-ne aliquid impoſſibile determinatè, indeterminatè enim & diſiunctè nihil refert ad præſens; nam ſic quodlibet prædicatum eſt per ſe notum, eſſe, vel non eſſe. Vnde ſecunda probatio inutilis eſt, cùm neceſſitatem diſiuncti nemo neget, & conſequenter eſſe per ſe notum aliquod prædicatum, ſub quo etiam Deus comprehenditur, at tale prædicatum in ſecundo adiacente poſſe prædicari de Deo; vel vt ſimpliciter ſoli Deo in re ipſa competens habere exiſtentiam, ſeu dari in rerum natura prædicatum *neceſſarij* poſitiui, & determinati, id negamus hìc & in ſect. præcedenti. Patet etiam ex dictis ad §.29. quæ ſit danda ſolutio.

32 Argumentum tamen vrgere videtur contra rationem, qua ſupra negaui poſſe ly *eſt* de ſecundo adiacente prædicari, niſi per notitiam intuitiuam. Nam ſaltem eſt per ſe nota hæc propoſitio in abſtracto, & ſuppoſitione ſimplici: *Neceſſarium exiſtit*: Sicut in communi dixit D. Thom. hìc art. 1. ad 3. *Veritas eſt*: eſſe per ſe notum, & adhuc nec Neceſſarium, nec veritas intuitioni ſubeſt; ergo bene poteſt eſſe per ſe nota propoſitio de *eſt* ſecundo adiacente extra intuitionem. Reſpondeo illas propoſitiones obiectas, licèt quoad ſonum videantur de ſecundo adiacente, re vera eſſe de tertio vt bene notát P. Iulius Cæſar Recupitus lib. 1. de eſſent. Dei quæſt. 4. num. 14. *exiſtentia eſt exiſtentia*: *quodlibet eſt, vel non eſt*; quæ propoſitiones abſtrahunt ab exiſtentia exercita, ſiquidem veræ perſiſtunt, ſiue detur aliquis conceptus à parte rei, ſiue non detur, vnde non mirum, quòd intuitioni non ſubſint.

SECTIO V.

Vtrum ſub aliquo alio prædicato ſit per ſe notum Deum exiſtere?

33 *Duplex differentia prædicatorum Dei.* PRædicata Dei ſunt in duplici differentia, quædam explicitè indicantia Deitatem, vel proprietatem, quam ſoli Deo communiter tribuimus, vt eſſe *ens neceſſarium*, quod prædicatum, licèt abſolute non exprimat Deum ſub ratione Dei explicitè, vt patet ex notatis §. 9. at illud tale eſt, vt ſoli Deo attribuamus. Alia ſunt prædicata Dei propria magis obſcura, & implicita, quæ quidem per diſcurſum demonſtrari poſſunt cum Deo eſſe conuertibilia, neque alij poſſe, quam ſupremo Numini conuenire; quæ ſi per ſe nota ſint iam: Deum exiſtere erit per ſe notum ſaltem ſub aliquo prædicato.

Prima in præſenti quæſtione ſententia poteſt poni eorum, qui volunt. Primò eſſe per ſe notum 34 exiſtere à parte rei prædicatum: *Improducti, & Independentis à cauſa prima*, & conſequenter Deum ſub prædicatis primi generis. Quia hæc diſiunctiua eſt per ſe nota: vel exiſtit cauſa prima, vel non exiſtit; At vtraque pars diſiunctionis per ſe manifeſtat dari aliquid independens à cauſa prima: Si hæc non datur; quia non poteſt res pendere ab eo quod non eſt: ſi datur ipſa cauſa prima erit independens, & improducta à cauſa prima, cùm nil à ſe ipſo pendeat; ergo. Secundò, Prædicatum: *Non facti* quia vel *nihil eſt factum*? & ſic tenetur intentum: vel *aliquid eſt factum* & ſic etiam datur aliquid non factum, ſcilicet factor illius. Similiter poſſunt cogitari alia prædicata: At non ſatis concludunt. Nam ad primum non eſt per ſe notum Prædicatum *Independentis à cauſa prima* conuenire enti poſitiuo, quo pacto ſolùm eſt proprium Dei, imo nec ſufficit eſſe *ens independens*, niſi ab illo cætera cauſentur, vt dixi §. 9. per quod patet ad ſecundum. Præterquam quòd iam intercedit diſcurſus, vt hæc argumenta conuincant, nimirum omne dependens, & factum non poſſe à ſe ſed ab alio fieri, de quo diſcurſu plura in diſp. 13.

Secunda ſententia idem defendit quoad prædicata ſecundi generis. Primò vt ſit per ſe notum exi- 35 ſtere *vltimum finem hominis*. At eſſe vltimum finem hominis eſt prædicatum Dei proprium, & conuertibile cum ipſo; ergo. Minor demonſtratur facilè, nam cùm natura hominis in nullo ſatietur niſi in bono infinito. (Vt ex eius capacitate vniuerſali ad omne bonum patet) eius finis in quo conquieſcit, & conſequenter ſatiatur vt infinitum bonum, ac proinde diuinum erit. Maior ex apprehenſione terminorum clareſcit, cùm nil niſi, vltimus finis ſit quod in finem alium vltimum ordinetur. Secundò per ſe notum eſt dari *ens omnibus aliis præeminens*, & cuius bonum præponendum ſit omnibus aliis, vt ob nullum aliud bonum ab ipſo diſtinctum eligi poſſit malum ipſi contrarium. At eſſe bonum ita præeminens eſt Dei proprium; ergo Deus per ſe notus eſt ſub aliquo prædicato conuertibili cum ipſo. Conſequentia patet, & minor: Nam tale bonum opus eſt vt ſit optimum; ens autem omnium optimum Dei proprium eſt. Maior ſuadetur. Per ſe notum eſt peccatum eſſe fugiendum, præ omnibus aliis malis: ergo quia priuat bono, quod præ omnibus eſt colendum, ſeu præferendum omnibus, hæc conſequentia patet, nam quantitas mali, & neceſſitas fugiendi illud fundatur in neceſſitate tenendi, & conſequenter præferendi bonum oppoſitum.

Tertia tamen ſententia ſit, cui vt veræ adhæ- 36 reo iuxta dicta ſect. 3. Nullum omnino prædicatum Dei ſiue explicitè, ſiue implicitè conuertibile cum ipſo, eſſe per ſe notum quòd exiſtat, prout eſt Dei proprium. Probatur, nullum prædicatum eſt Dei proprium ſi concipiatur vt abſtrahens à poſitiuo, & negatiuo, & non potiùs vt determinatè poſitiuum, ſed nullius prædicati poſitiui exiſtentia conuertibilis cum Deo, eſt per ſe nota. Ergo nullum prædicatum conuertibile cum Deo, eſt per ſe notum, quòd exiſtat, conſequentia legitimè infertur. Maior probatur, quia eo ipſo quòd tale prædicatum apprehendatur vt abſtrahens

hens à poſitiuo & negatiuo, iam potiùs facit chymeram, quàm Deum, & ſicut ex parte obiecti prædicatum quod in re non eſſet potiùs poſitiuum quàm negatiuum, non foret ex parte obiecti diuinum, ſimiliter ſi quoad apparentiam, & apprehenſionem primam terminorum abſtrahit, vt tale non erit proprium Dei: Ideo S. Thom. hìc ad tertium, licèt concedat eſſe per ſe notum exiſtere aliquam veritatem in communi abſtrahentem ab *eſſe*, & *non eſſe* adhuc negat Deum eſſe per ſe notum, quia vt ſic veritas non eſt diuina. Minor etiam probatur, quia de nullo poſitiuo poteſt prædicari exiſtentia exercitè, ſed de ſecundo adiacente: *eſt*: niſi per notitiam intuitiuam, vt latè oſtendi ſect. 3. nullum autem prædicatum conuertibile cum Deo nobis eſt cognoſcibile per notitiam intuitiuam. Confirmatur; id quod eſt abſtrahens à poſitiuo, & negatiuo ineptum eſt propoſitioni de ſecundo adiacente, ſeu vt prædicetur de ipſo ly *eſt* de ſecundo adiacente, tunc enim propoſitio, licèt quoad ſonum appareat de ſecundo adiacente, re vera eſt de tertio, cùm ab exiſtentia exercita abſtrahat; Ergo ſi omnia prædicta de Deo, quæ proponuntur, per ſe nota apparent, vt ſic abſtrahentia non poterunt ſubeſſe propoſitioni de *eſt* ſecundo adiacente, ſeu non erit per ſe notum de illis exercitè, quòd exiſtant.

37 Ad primum fundamentum pro ſecunda ſententia: non eſt per ſe notum exiſtere vltimum finem hominis ab ipſo diſtinctum, & multò minùs iſtum eſſe bonitatis infinitæ; licèt enim hoc per conſequentias inferatur; de quo diſp. ſeq. at immediatè non ita clarum eſt; quod totum vrgetur in his, qui exiſtimabant hunc mundum corporeum eſſe à ſe, neque in aliud melius ordinari. Ad ſecundum: *Ens omnibus alijs præeminens* non eſt per ſe notum, quòd exiſtat, tum quia quamuis ſit per ſe notum, peccatum eſſe fugiendum, at non eſt per ſe notum eſſe poſſibile peccatum; poterit enim quis apprehendere nomen actus, qui præ omnibus eſt fugiendus, quin ſtatim apprehendat poſſibilem talem actum. Finge ex hoc ipſo quia putat nullum eſſe bonum tantæ neceſſitatis, quod ſit omnibus præferendum! Item peccatum poteſt apprehendi fugiendum titulo ſui, quia priuat bono conſonantiæ cum ratione operantis, quin referatur, vel opponatur alteri enti ita præeminenti, vt plures putant, ſentientes poſſe peccari ſaltem philoſophicè cum ignorantia omnimoda Dei; & quis negabit pluribus diſcurſibus opus eſſe vt euincatur dari ſemper in peccante aliqualem notitiam etiam implicitam Dei? Ergo illa non faciet tale prædicatum implicitum per ſe notum. Addo quantumuis in peccato præ omnibus malis fugiendo ſtatim appareat dari ens ita præeminens, atque exiſtentia talis peccati ſit per ſe nota, adhuc non debere cenſeri per ſe nota exiſtentia talis entis præeminentis, ſiquidem non in ſe immediatè, ſed in alio, nempe in peccato cognoſcitur; ſic licèt Angelus ſtatim cognoſcat creatorem in creatura, & iſta ſit per ſe nota, adhuc non cenſetur habere cognitionem per ſe notam de Creatore.

***

DISPVTATIO XIII.

De exiſtentia Dei, An ſit demonſtrabilis?

SECTIO I. *Vtrum Deum eſſe ſit demonſtrabile?*

SECTIO II. *Demonſtratur exiſtentia Dei.*

SECTIO III. *Impugnatur ſolutio Atheorum; & oſtenditur, quæ prædicata diſtributiuè, & collectiuè conueniant infinito.*

SECTIO IV. *Impugnatur iterum ſolutio; & oſtenditur nihil prodeſſe hìc proceſſum in infinitum cauſarum.*

SECTIO V. *Impugnatur alia ſolutio; & oſtenditur ens à ſe, ſeu primam cauſam ex ſuo conceptu eſſe Deum.*

SECTIO VI. *Quomodo poſſit fide diuina credi exiſtentia Dei?*

SECTIO VII. *An de exiſtentia Dei poſſit dari ignorantia inuincibilis?*

De exiſtentia Dei in præſenti inquirimus quatenus per rationes, & diſcurſus noſtros oſtendatur, probarique aduerſùs Atheiſtas poſſit, in ea acceptione, qua diſputatione præcedenti vidimus non eſſe per ſe notam. Non agimus authoritate ſacra, vel prophana, vtraque enim tam nota eſt pro exiſtentia Dei, vt ſine fructu in diſputationem eſſet adducenda; quare conſequenter omittimus ſupernaturalem ſcientiam, vel etiam Angelicam, cùm neutra vtilis ſit contra Atheos, & citra omne dubium exiſtentem Deum ignorare nequeat. Igitur quantum de exiſtentia Dei rimetur naturalis ratio, ſolùm diſputationis præſentis ſcopus eſt. In qua articuli ſecundi, & tertij D. Thomæ doctrina continebitur: In quibus ipſe primò docet Deum quamuis non à priori, à poſteriori tamen demonſtrari poſſe. Secundò quinque conficit demonſtrationes. 1. Eo quòd ſit neceſſarium inueniri in natura vnum primum ens immobile. 2. Primum efficiens. 3. Neceſſarium non ex alio. 4. Maximè bonum, & optimum per ordinem ad quod aliorum bonitatem maiorem, vel minorem menſuremus. 5. Neceſſum eſt dari primum gubernatorem ordinantem res omnes in ſuos fines, qui & ipſe ſit rerum omnium finis vltimus. Hæc de mente S. Thomæ circa quam difficultates propoſitæ diſquirendæ ſunt. *Mens S. Thomæ.*

SECTIO I.

Vtrum Deum eſſe ſit demonſtrabile?

1 Hic non agimus, vt nuper dixi, poſſit-ne dari naturalis demonſtratio ſeu euidentia de exiſtentia Dei quoad ſe, quis enim dubitet ab Angelo per vires naturæ comprehendente quidditates rerum naturalium, in ipſis clariſſimè, & per ſummam euidentiam penetrare Creatorem exiſtere, à quo pendeant; indagamus ergo demonſtrari-ne poſſit *Senſus quæſtionis. Vide infrà qu. 2. art. 2. per. 2. dubit.*

poſſit à nobis in via exiſtentia Dei, hoc eſt ita proponi vt ambigere nequeamus, imo non poſſimus non aſſentiri eidem. Quia tamen duplex eſt veritatis alicuius euidentia, ſeu demonſtratio, vt rectè notant PP. Granado, controu. 1. de ſubſtant. Dei, diſput. 2. Cæſar Recupitus hic, qu. 9. cap. 4. vna earum rerum, quæ ſtatim extorquent aſſenſum, & conuincunt omnem intellectum, quantumuis proteruum, cuius generis ſunt demonſtrationes Mathematicæ; Alia illarum, quæ neceſſitant intellectum bonum, & ingenuum, non verò proteruum, & obſtinatum, quales ſunt demonſtrationes phyſicæ, verbi gratia, dari materiam primam, dari formas ſubſtantiales, quæ ab omnibus accipiuntur vt demonſtrationes. Pro re præſenti ſufficit hæc ſecundi generis demonſtratio, licèt aliquid etiam conſtabit fortè de prima in ſeqq. verè namque dixit Ariſt. 2. Metaph. 16. *Certitudinem ſermonis Mathematici non oportere in cunctis quærere.* Denique hic non quærimus demonſtrationem potiſſimam ſeu à priori, & per præmiſſas vniuerſales, & neceſſarias, ſed quomodocumque formetur ratio naturalis, inquirimus, poſſit-ne euidenter proponere Dei exiſtentiam.

Duplex demonſtrationis genus.

2 Adhuc ſic ſenſerunt aliqui, de quibus ſuppreſſo nomine S. Thomas mentionem facit, 1. contra Gent. cap. 124. & qu. 10. de ver. art. 12. abſolutè Dei exiſtentiam demonſtrari non poſſe, ita etiam Petrus de Alliaco. Gabriel. Baſſol. Maior. Carthuſ. Adam in 1. diſt. 2. ſententiar. Fundamentum eſt primò, quia ſi aliqualiter poteſt Deus demonſtrari exiſtens, maximè ex effectibus, ſed ex his non, tum quia hi ſunt contingentes, ex effectu autem contingente non infertur cauſa neceſſaria, tum etiam quia creaturæ vel proponuntur immediatè, & formaliter vt effectus Dei, vel tantùm materialiter: primum eſt falſum, aliàs immediatè noſceretur cauſa, cùm relatiua ſint ſimul cognitione, dictum autem eſt in diſput. præced. exiſtentiam Dei non eſſe immediatè notam: Secundum non ſufficit; multi enim per ſenſum viſus cognitionem habent coloris, quin ideo ſciant eius cauſam. Denique ab effectu iam producto non licet inferre actu exiſtere cauſam, vt qui videt filium, non ideo ſcit eius Patrem viuere, nos autem videmus effectus iam productos. Ergo non poſſumus concludere euidenter exiſtentiam cauſæ primæ, ſeu Dei. Secundò fundantur in eo quòd huc vſque non adducantur probationes pro exiſtentia Dei, quæ vtcumque ſolui non poſſint. Tertiò, quia non ſolùm homines barbari, ſed aliàs ſapientes in atheiſmum prolapſi ſunt Deum negantes, non autem contingit veritatem euidenter propoſitam negari.

Negant P. Alliaco. Gabriel. Baſſol. Maior. Carthuſ. Adam.

3 Secunda ſententia contraria omnino, præcedentem erroris, imo apertè hæreſeos damnat P. Ioan. Martinon, tom. 1. in 1. part. diſput. 2. ſect. 1. nu. 4. & 5. Item aliqui innominati apud Gillium lib. 1. tract. 8. cap. 5. nu. 5. S. Tho. 1. contra Gent. cap. 12. appellat errorem. Quem ſequuntur Bellarm. lib. 4. de grat. cap. 2. Suar. tom. 2. Metaph. diſput. 29. ſ. 2. n. 6. & tandem eſſe parum tutam in fide, vel ſaltem temerariam tenet communis Theologorum in præſenti. Mouentur quia verba ſcripturæ in ſuo rigore, & proprietate ſermonis accepta ſonant notitiam euidentem obtineri poſſe ex creaturis. Sic Rom. 1. *Quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtauit, inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas: ita vt ſint inexcuſabiles.* Sap. 13. v. 5. *A magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterat creator omnium videri.* In quibus teſtimoniis ponderanda ſunt verba. *Manifeſtum: conſpiciuntur. Cognoſcibiliter videri* quæ clariſſimam notitiam, & abſque vlla formidine cognitionem in ſua ſtricta ſignificatione indicant. Vnde meritò D. Hieronym. ad illud Pauli *tam euidenter*, inquit, *intellecta ſunt, vt conſpecta dicantur.* Tunc ſic, ſed verba Scripturæ ſacræ propriè accipienda ſunt, ſi abſurditas manifeſta non cogat ad ſenſum improprium, vt docent Interpretes ſacri cum Auguſt. lib. 3. de doctr. Chriſt. cap. 10. aliàs nil firmum ex verbis Scripturæ colligi poſſet. Ergo cùm ſine abſurdo, imo iuxta communem Theologorum Dei exiſtentia demonſtretur, verba prædicta notitiam demonſtratiuam de hac veritate definiunt, & conſequenter de fide tenenda eſt. Confirmatur; D. Paulus ſuprà ob hanc cognitionem aſſerit Gentes fuiſſe inexcuſabiles Deum negantes. Si autem cognitio de Deo ſolùm eſſet obſcura, & probabilis, excuſabiles eſſent, ſiquidem poſſent oppoſitum reputare probabile, iuſtam autem excuſationem prætendere poteſt, qui ſequitur opinionem probabilem.

Sed vt minimùm temerariò.

Tertia ſententia abſolutè affirmat exiſtentiam 4
Dei eſſe demonſtrabilem à poſteriori ex creaturis: cæterùm nondum conſtare ex fide diuina poſſibilem eſſe talem demonſtrationem. Primam partem huius ſententiæ defendit communis Theologorum cum S. Tho. art. 2. Scoto 1. d. 2. qu. 3. Oxam diſt. 2. quæſt. 10. litt. O. Aureol. 2. diſt. 2. qu. 2. art. 6. Secundam partem aſſerunt Vaſquez diſp. 20. nu. 8. Gillius lib. 1. tract. 8. cap. 5. num. 6. Franciſcus de Lugo lib. 1. in 1. part. diſp. 14. cap. 2. nu. 10.

Quam ſententiam veram exiſtimo quoad vtramque partem ſi probè intelligatur. Prima quidem 5
eſt vera de ſecundo genere demonſtrationis, quod dixi §. 1. vt maximè patebit ex ſequentibus, vbi vias demonſtrandi perſcrutabimur, quibus omnibus niſi intellectus obcæcatus reſiſtere non poteſt: & quidquid ſit de efficacia argumentorum probantium hanc veritatem ſi in ſingulari ſumantur, vt ſic enim de nullo determinatè definitur eſſe demonſtratiuum, at in genere, vbi conſtat dari effectum, iam datur fundamentum inferendi cauſam, ſaltem ſub ratione cauſæ, ſeu quoad an eſt, licèt non conſtet qualis ſit eius quidditas; Nihil enim notius, & connaturalius noſtro intellectui, quàm inferre cauſas ex effectibus; Ergo licèt hic, vel ille diſcurſus obſcurus ſit, at nulla repugnantia aſſignari poteſt, ne valeat bonus, & euidens formari pro exiſtentia cauſæ primæ. Iam ſecunda pars præcedentis ſententiæ probatur, quia proprietati verborum, quæ ex ſcriptura afferuntur §. 3. ſufficit moralis euidentia, quæ nulli dubio prudenti locum det; talia namque in communi ſermone vocamus: *manifeſta: conſpicua*, &c. nullamque permittunt excuſationem volenti ea negare, imo vt huic locus non detur in hac materia, nec moralis demonſtratio requiritur; etenim certum eſt non omnes homines habere demonſtrationem de exiſtentia Dei, vt patet in ruſticis, cùm tamen omnes ſint inexcuſabiles. Et ratio eſt, quia id habet ſpeciale veritas religionis, vt licèt in aliis rebus, quando vna pars non apparet euidens, communiter maneat oppoſita probabilis: cæterùm in re tanti momenti ſemper tenemur ad id, quod apparet probabilius, & prudentius amplectendum, ob quod quamuis fidei myſteria non ſint euidentia, non ſunt adhuc probabiles contrariæ falſitates: eſt enim

Deum eſſe demonſtrabile eſt.

In materia, & veritate Religionis, quamuis vna pars non ſit euidens, non continuò relinquitur alia probabilis.

enim per ſe notum Authori naturæ non placituras contrarias Religiones.

Ex his facilis occurret ſolutio ſententiis contrariis. Imprimis facilè componi poſſunt omnes, ſi genus demonſtrationis, & euidentiæ temperatè ſumatur modo nuper explicato; ſi adhuc ſtrictiorem demonſtrationem intendat ſecunda ſententia, nec de illa expreſsè loquuntur Theologi communiter, cum eorum demonſtrationibus tot ſolutionibus occurrant ipſi, quod alienum eſt ab euidentia Mathematica, deinde ſtrictiùs non cenſent veritatem hanc demonſtrabilem, quàm alias naturales in ſcientiis phyſicis, quæ maiori euidentiæ non ſubſunt. Quare multò minùs admittendum eſt ſtrictam demonſtrationem eſſe de fide; imo neque hanc latam, quæ moralem certitudinem excedit. Nam proprietas verborum ſcripturæ ſacræ illam non expoſcit; aliunde licèt communis Theologorum phyſicam demonſtrationem admittat, non tamen eam admittit tanquam fide definitam quando autem verborum proprietas ſecundùm ſe non cogit vt accipiantur in aliqua ſignificatione, opus eſt quod poſitiuè Doctores Catholici illa ad eam ſignificationem extendant. Quare ex ſecunda ſententia ſolùm admittendum eſt ex creaturis cognoſcibilem eſſe ita clare Creatorem, vt de fide ſit gigni de ipſius exiſtentia moralem certitudinem, vt in hoc ſenſu negare demonſtrabilem eſſe hæreticum ſit, vt ait Hurtado Salmanticus diſp. 2. Metaphyſ. §. 63. vel parum in fide tutum. Rurſus negare phyſicam demonſtrationem temerarium eſt, vt pote contra omnes Theologos in re tam graui, qui dum, vt probent exiſtentiam Dei eſſe demonſtrabilem, vtuntur ſemper mediis phyſicis, ſine dubio phyſicam demonſtrationem adſtruere conantur.

Moralis certitudo de exiſtentia Dei eſt de fide.

Phyſica etiã ſine temeritate negari nequit.

7 Ad primam ſententiam in §. 2. dicendum eſt demonſtrationem primæ cauſæ poſſibilem fundari in euidentia exiſtentiæ effectuum, hi enim quamuis, eo quòd contingentes ſint non indicent cauſam proximam neceſſariam, indicant tamen vagè, & in confuſo dari aliquam primam, quæ ſit omnium fundamentum, & radix, ac proinde quæ cauſata non ſit, in quo naturalis ratio aperit neceſſitatem eſſendi, cùm res incauſata contingens eſſe realiter non poſſit. Rurſus creaturæ licèt per ſenſum non pateant formaliter vt effectus Dei, apparent tamen per rationem, quæ ex eo quòd per ſenſus experiamur omnem rem ſemper produci ab alia diſtinctâ, colligit primum ens incauſatum, quare in hoc immediatè non fertur. Denique licèt exiſtentia effectus non arguat neceſſariò coexiſtentem cauſam proximam, id tamen arguit in cauſa prima, & incauſata, quæ ſicut neceſſariò, & ab æterno eſt, ita etiam opus eſt, quòd neceſſariò, & in æternum conſeruetur. Ex quibus manet ſolutum primum fundamentum huius ſententiæ. Ad ſecundum nego omnes vias demonſtrandi ſatis præcludi ab homine ingenuo, ſi ſuam ipſe mentem conſulat, & non puram vocem; præterquam quòd communis ſententia non determinat inuenta-ne ſit adhuc demonſtratio, ſed ſatis fundamenti dari, vt inueniatur ob connaturalem modum diſcurrendi, & colligendi cauſas ex effectibus. Ad tertium dico atheiſmum non ſapientibus, ſed nimis proteruis, & obcæcatis contingere. Ita cenſet Petrus de Aliaco præcipuus Aſſertor contrariæ ſententiæ 1. diſtinct. 2. quæſt. 3. art. 3. ad ſecund. argum contra 2. concl. vbi ſæpe repetit folio mihi 80. colum. 2. quid proteruus dicere poſſit contra communem demonſtrationem. Vnde Sapient. 13. verſ. 1. dicitur: *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt. Neque operibus attendentes agnouerunt: quis eſſet artifex.* Ergo non ſapientes, ſed vani & inſipientes in hanc ſtultitiam deuenerunt.

SECTIO II.

Demonſtratur exiſtentia Dei.

8 Via cauſalitatis eſt, quæ maximè in huius veritatis demonſtrationem ducit, ad quam reliquæ omnes reducuntur; vt enim vidimus ſect. præced. per effectus Dei exiſtentia demonſtratur. Sic igitur arguo. Euidens eſt dari ens incauſatum, quod ſit prima cauſa, ſeu fons, & origo cæterorum, ac proinde vt ſupremum numen colendum ſit, ac venerandum; ergo euidens eſt, ſeu demonſtratur exiſtentia Dei. Conſequentia patet ex diſp. præced. §. 9. nam is eſt primus conceptus, quem omnes formant de Deo, & qui negatur ab Atheis; neque vllus qui eum conceptum fateatur dicetur negaſſe Deum, licèt qualis ſit ignoret, vt enim Deus probetur, vt bene aduertit P. Suarez diſp. 29. Metaphyſ. ſect. 2. num. 4. non opus eſt vt ſtatim appareant eius attributa, aliàs hæc omnia demonſtranda forent, vt Dei exiſtentia oſtenderetur; ſic, vt probetur exiſtentia hominis, ſufficit probare id, quod communiter omnes apprehendimus ſub voce *homo* neque huius quidditas vel attributa ſingillatim penetranda ſunt. Adde ex hoc primo conceptu Dei omnes alios facilè demonſtrari, vt dixi vbi ſupra §. 9. & hic etiam conſtabit. Nunc ergo ſolum reſtat probandum dari in rerum natura Primam cauſam à qua cætera fluant, & priùs.

Vide infrà quæſt. 2. ar. 3. per 11. dubitationes.

9 Suppono primò nihil poſſe ſeipſum cauſare, ſeu dare ſibi primum eſſe (vt modo præſcindam ab ea quæſtione, poſſit-ne aliquid in ſeipſum conuertere ſuam actionem, vt ſe reproducat, vel conſeruet, hoc enim quamtumuis affirmetur cum P. Suarez tom. 3. in 3. part. diſp. 60. ſect. 4. in fine nobis non obeſt nam iam ſupponitur primum eſſe talis cauſæ, & hæc aliunde non à ſe ſed ab alio cauſata) ſeu omne quod cauſatur neceſſariò debet ab alio diſtincto cauſari, & produci, quin poſſit ſeipſum extrahere de pura potentia obiectiua, ſeu de nihilo in actum exiſtentiæ. Id videtur per ſe notum, vt oppoſitum nec mente poſſit apprehendi, cùm nil cauſet, niſi vt exiſtens, ergo opus eſt vt iam præſupponatur extractum à ſua nihilitate, quomodo namque quod nil eſt, habebit vires vt alteri det eſſe? Ergo neque vt ſibi ipſi; in quo eſt ſpecialis difficultas, quæ identificat correlatiuè oppoſita, qualia ſunt Producens & Productum. Denique ſi idem poteſt ſibiipſi dare primum eſſe, ſeipſum producere, vt quid filius indiget genitore diſtincto? Cur non exiſtit ignis verbi gratia ſeipſum producens, ſicque cætera omnia poſſibilia ſine cauſa diſtincta erumpunt? Etenim ſi adeſſet cauſa neceſſaria productiua alterius ſolis, ſtatim iſte poneretur exiſtens, res autem ſi ſemel poſſit ſe producere, quoad ſui productionem, non eſſet agens liberum, ſed neceſſarium, neque vlla alia applicatione indigeret, præter ſuam nihilitatem. Ergo neceſſariò ſe cauſarent infiniti ſoles, ſicque aliæ res poſſibiles. Igitur cùm in hoc nemo non apprehendat abſurditatem, admittendum eſt vt primum principium notiſſimum nil

Probatur nil poſſe producere ſe ipſum quoad primũ eſſe.

Si aliquid ſe produceret exiſteret neceſſario ſemper, & ab æterno.

nil poſſe ſeipſum cauſare; ſed omne quod cauſatur ab alio diſtincto cauſari.

10 *Implicat mutua cauſalitas efficiens quoad primum eſſe.*

Suppono ſecundò implicare mutuam cauſalitatem inter cauſas efficientes, vt mutuò ſe primò producāt quaſi per circulum ita vt ignis A. v. g. efficiat ignem B. a quo rurſus mediatè, vel immediatè ſic efficiatur, & dependeat vt aliunde primus ignis nullum eſſe habeat, niſi quod accipit à ſecundo. Hæc veritas non eſt minùs nota, quàm præcedens. Nam ſi cauſa vt operetur debet intelligi exiſtens, debent etiam intelligi ea, à quibus venit exiſtentia, implicat enim apprehendi exiſtentia vt producta, & accepta, quin concipiatur, qui illam dat, & producit. Ergo vt ſit ignis A. exiſtens ad cauſandum, debet intelligi exiſtens B. qui conſeruat, & communicat exiſtentiam illius; Ergo cùm ſit B. ante A. non poterit ab hoc primo procedere. Confirmatur, quia ſi non eſſet per ſe implicatoria hæc mutua cauſalitas, non eſſet vnde retardarentur duo ignes quo minus erumperent, ſeipſos producentes; & ſic de aliis omnibus rebus poſſibilibus iuxta dicta §. præced. in fine.

11 *Etiam ab alia cauſa vagè accepta.*

Suppono tertiò non poſſe cauſam produci à ſuo effectu, non ſolùm determinatè, & in ſingulari acceptо vt nuper poſui §. præced. Sed neque vagè, & indeterminatè, verbi gratia, vt ignis A. ſuum primum eſſe habeat ab aliquo igne actu ab ipſo A. pendente quamuis indeterminabilis ſit quis in ſingulari ignis actionem productiuam in ſuum productorem A. retorqueat. Ratio eſt, quia præterquam quod implicatorium eſt ignem, A. cauſari ab aliquo igne, & non cauſari ab aliquo determinato, & ſingulari B. C. &c. ſicut enim nihil exiſtit, nec cauſatur niſi in ſingulari, ita nec niſi à ſingulari, adhuc hìc tota vrget ſuppoſitio in §. præced. Nam ſaltem in confuſo aliquis ignis ſupponitur ad A. vt det ipſi eſſe, & virtutem cauſandi, ſiquidem iſta in igne A. cauſata eſt. Ergo conſequenter dicendum eſt proportionatè, nempe in ſenſu confuſo, aliquem ignem non cauſari, ſed præſupponi exiſtens independenter ab A. aliàs ignis A. ſibiipſi *daret eſſe* ſaltem mediatè *eſſet à ſeipſo dependens prior ſe*, &c.

12 *Ens quod ſibi ſufficit eſt incauſatum.*

Suppono quartò ens, quod ſibi ſufficit ad exiſtendum, quolibet alio ſecluſo, vt ſic eſſe *incauſatum*, & improductum, id eſt per ſe notum: Nam quod ſibi ſufficit, non indiget alio, ſeu poteſt exiſtere independenter ab alio dante illi ſuum eſſe, ſi enim dependeret ab alio manifeſtè indigeret illo, quæ maior indigentia, quàm mendicato viuere? Ergo tale ens non producitur (quod eſt formaliter accipere eſſe) ab alio. Confirmatur; id quod ſibi ſufficit vt ſit & exiſtat eo ipſo habet eſſe à ſe, quid enim eſt ſibi ſufficere in aliquo munere, niſi à ſe illud habere? tunc ſic tale eſſe non habet à ſe per productionem, ſiquidem ex ſupra poſitis nil poteſt ſeipſum producere nec immediatè, nec mediatè; ergo habet eſſe improductum.

13 *Formatur demonſtratio de exiſtentia Dei.*

Nunc ſic arguitur vt demonſtretur ens incauſatum; euidens eſt ſenſu ipſo aliqua eſſe in rerum natura, vel ergo producta, vel improducta? ſeu incauſata? ſi hoc habetur intentum: ſi primum? hoc productum non eſt productum à ſe ex ſupp. prima; ergo ab alio: Rurſus hoc aliud cum ſit ens reale, vt pote vera cauſa entis realis, vt non ſit à ſe erit cauſatum ab alio; non ab alio identificato cum primo, cuius ſit cauſa, ne detur mutua cauſalitas iuxta ſupp. ſecundam, non item ab alio diſtincto, de hoc enim redibit argumentum in infinitum: ergo erit ens à ſe, ſeu incauſatum. Confirmatur: Non omne quod eſt, ab alio cauſatur: ergo aliquid ſaltem eſt à ſe, & incauſatum. Conſequentia patet nam ex negatione vnius contradictorij, bene infertur affirmatio alterius. Antecedens probatur. Nam *omne* non cauſatur ab alio extra *omne*, quodlibet ens non cauſatur ab alio extra quodlibet in ſingulari; nam extra quodlibet ens in ſingulari nihil eſt, à nihilo autem nihil fit. Sed neque cauſatur *omne* ſeu quodlibet in ſingulari ab aliquo intra omne, ſeu ex omnibus, cùm neque in confuſo admittenda ſit mutua cauſalitas ex ſuppoſit. tertia: ergo reſtat vt non omne quod eſt ab alio cauſetur, & conſequenter incauſatum aliquid ſit. Quod argumentum vim habet quantumuis admittatur proceſſus in infinitum cauſarum, & effectuum, vt iſte ſit ab alio, qui rurſus ſit ab alio, & ab alio ſine fine. Nam de hoc toto proceſſu vrgeri poteſt an ſit ab alio vel à ſe? ideo dixi in collectione omnium entium dandum eſſe aliquod incauſatum.

SECTIO III.

Impugnatur ſolutio Atheorum; & oſtenditur, quæ prædicata diſtributiuè, & collectiuè conueniant infinito.

Sed adhuc Atheus conabitur obſcurare exiſtentiam huius demonſtrationis per proceſſum in infinitum in cauſis, qui licet aliàs à termino diſtributiuo ad collectiuum valeat argumentum, hic facit non valere; vnde admiſſo quemlibet effectum diſtributiuè, & ſingulariter eſſe productum ab alio, adhuc non eſt opus vt collectio infinitorum ab alio producatur; ſic poſitis infinitis cœlorum circulationibus in futurum poſt quamcumque foret alia; non poſt omnem, & poſitis infinitis generationibus ab æterno ante quamcumque foret alia non ante omnem; Vnde ſicut non obſtante quod hæc ſit vera: *omne quod eſt poſterius, eſt poſterius altero:* Non minus, imo magis clarè quam iſta, *quod producitur, ab alio producitur.* Rurſus in ſententia communi negante eſſe poſſibilem creaturam omnium perfectiſſimam, quia datur proceſſus in infinitum, quamuis quælibet duratio æternitatis à parte ante ſit poſterior altera diſtinctâ deturque aliquid diſtinctum prius quâlibet; non tamen prius omni collectiuè; nil enim poteſt eſſe prius duratione quàm tota æternitas, aliàs poſſet dari aliquid prius, & antiquius duratione, quàm Deus æternus. Rurſus quælibet creatura diſtributiuè exceditur in perfectione ab aliâ, non tamen omnis collectiuè; ergo ſimiliter; Et ratio huius aſſignari poteſt; quia ſunt aliquæ denominationes, quæ conueniunt parti, vt tali, ſeu vt ſingulari, tales autem toti, vel collectioni adaptari non poſſunt, ſicut neque è contrà, quia ex natura ſua ſunt collectiuè; ſic licet de quolibet Apoſtolo verificetur diſtributiuè diſtingui abæquatè ab alio, non tamen de omnibus ſimul ſumptis: & è contra, licèt omnes ſint duodecim, non tamen quilibet. Aliæ denominationes bene verificantur tam diſtributiuè, quàm collectiuè, vt cùm dicitur, omnes Apoſtolos eſſe Sanctos: ex quo valet conſequentia ad quemlibet. 14

Sub huius ſolutionis tenebris latere ſe putant Athei. Sibi tamen ne plaudant de latibulo educendi; duplex prædicatorum genus conuenire poteſt inferioribus, seu partibus alicuius totius, aliud 15

aptum diſtribui ſingulis, quamtumuis inferiora ſint infinita. Aliud ineptum (ipſis Atheis non inficiantibus, vt patet exemplo illo de Apoſtolis) Iam rogo cuius conditionis vel qualitatis debeant eſſe prædicata vt diſtributiuè etiam verificentur? quæcumque enim conditio exigatur, inuenietur in hoc prædicato. *Inſufficiens exiſtere a ſe*, quid namque diſcriminis aſſignabitur inter hoc prædicatum & alia: viuentis; corporei: ſufficientis exiſtere à ſe *&c.* At implicat ſingulos homines verbi gratia eſſe viuentes, corporeos; ſufficientes vt à ſe exiſtant; quin collectio ſimiliter ſit viuens, corporea ſufficiens vt à ſe exiſtat: ergo ſimiliter ſi ſinguli homines eſſent inſufficientes, & omnes ſimul, ſeu tota collectio eſſet inſufficiens ab intrinſeco, peteretque auxilium alterius. Confirmatur implicat ſingula entia eſſe inſufficientia vt exiſtant ſine ſubiecto, & hoc non verificari, de tota collectione, aliàs poſſet dari aliqua collectio ſubſtantialis, ſeu exiſtens per ſe, quantumuis coaleſceret ex ſolis accidentibus. Ergo ſimiliter implicat quod ſingula ſint inſufficientia vt exiſtant ſine principio efficienti, & hoc non verificari de tota collectione ſeu quod collectio ſit ſufficiens, & independens.

16 Hinc vt detur certa regula diſcernendi hoc duplex genus prædicatorum, notandum eſt, alia conuenire parti vt parti ſeu ratione quantitatis, magnitudinis, vel multitudinis in qua maxime differt pars à toto, & conſequenter huiuſmodi prædicata nequeunt æquè de parte ac de toto verificari. Sic eſſe magnum vel paruum, ſingulare, vel plurale, diuiſibile vel indiuiſibile, *&c.* Nequeunt ita conuenire parti, ac toti, nam quoad iſtam conditionem manifeſtè diuerſitas datur inter totum & partem. Alia prædicata ſunt quæ à quantitate omni præſcindunt, & ſolùm conueniunt parti, vt entitas eſt, abſtrahendo à ratione partis, ſeu ab omni quantitatis ſpecie, id eſt à maioritate & minoritate, finitate, & infinitate, paucitate, & multitudine, duratione, ſucceſſione, loco, ſitu, & ſimilibus quantitatem aliquam importantibus. Sic ſe habet eſſe *ens, ſubſtantiale, viuens* neque enim ad has denominationes vel prædicata neceſſarium eſt attendere ad aliquam compoſitionem vel reſpectum partis, niſi præciſè ad entitatem rei ſecundùm ſe, in his autem, vt patet in inſtantiis allatis nullus titulus eſt, ob quem potiùs ſtet veritas diſtributiua, quàm collectiua, vel è contrà.

17 Ex quibus patet ſolutio ad inſtantias Atheorum *Priùs & poſteriùs* dicunt quantitatem ſucceſſiuam ſiue in circulationibus cælorum, ſiue in generationibus hominum *Excedens*, & *exceſſum* imbibunt quantitatem etiam, vt patet, vel molis, virtutis, aut perfectionis, & ſic dicendum de omni differentia penes magis & minus: ſecus ſe habet prædicatum *imbecillis*, *inſufficientis* vt ſit à ſe, vt nuper dixi §. præced. ſic collectio ex puris & ſingularibus accidentibus *accidentalis* etiam eſſet. Et ſicut collectio infinitorum ſubſiſtentium per ſe eſſet *per ſe ſubſiſtens*, ita collectio infinitorum ſubſiſtentium in alio eſſet accidentalis, & *ſubſiſtens in alio*, Atqui collectio infinitorum ſufficientium à ſe, foret ipſa ſufficiens à ſe: ergo collectio inſufficientium erit inſufficiens.

18 Præterea iuxta hanc ſolutionem Atheorum, ſiquidem collectio eſt *improducta* iam dabitur aliquod ens ſiue determinatum, ſiue vagum, ſimplex, vel collectiuum quod *Incauſatum* ſit vnde cum hic præſcindamus ab vnitate vel pluralitate Deorum, ſolumque intendatur demonſtratio alicuius incauſati, iam hoc videtur concedi: ergo tale ens collectiuum ſeu collectio erit infinitæ & illimitatæ perfectionis, nam quod ex nullo principio eſt, nullum caput habet vnde limitetur, etenim licèt demus naturam hominis huius limitationis eſſe vt tantùm contineat *animalrationale*, cur ſicut hæc perfectio ex ſe erupit, non id concedetur ſpeciei perfectiori in infinitum? ac conſequenter dabitur modo exiſtens omnis perfectio non implicans contradictionem. Quod ſi ens vbi collectiuum eſt quamtumuis improductum, & à nullo extrinſeco determinatum poteſt ex ſe limitari quoad perfectionem, cur non etiam quoad durationem? vt ex nunc incipiat aliquod ens tale pullulare & erumpere à ſeipſo; vnde in dies poſſimus ſperare nouas ſpecies à ſe improductas.

Denique vlterius impugnatur hæc ſolutio Atheorum ex termino collectiuo in ſuo proceſſu infinito. Nam ſi tota collectio eſt *improducta* vt tota erit omnino neceſſaria, ſi namque fuiſſet contingens, oporteret aſſignari aliquid præexiſtens, à quo determinaretur, & conſequenter traduceretur à nihilo ad exiſtentiam, ſiquidem à ſe ipſa non magis poteſt determinari illa contingentia, quàm produci; Atqui *neceſſaria* eſſe non poteſt, ſeu neceſſariò exiſtens, cùm euidenter pateat nullam rem neque in ſingulari neque in tota ſua ſpecie indefectibilem eſſe, cur namque non poſſent homines conſpirare vt omnia animalia domeſtica priuſquam ſui ſemen procrearent, occiderent: nulla autem eſt potior ratio, vt detur res neceſſariò ab æterno, quàm in æternum: ergo tota collectio neque vt tota poteſt dici improducta. 19

SECTIO IV.

Impugnatur iterum ſolutio & oſtenditur nihil prodeſſe hìc proceſſum in infinitum Cauſarum.

VRget iterum Atheïſta Collectionem infinitorum ſeu omnem proceſſum infinitum cauſarum, neque eſſe productum neque improductum, quia ly omne in infinito, & quilibet alius terminus collectiuus, eſt de ſubiecto non ſupponente, nam vt ait Ariſtoteles 3. phyſicorum capite 7. textu 63. & 64. Infinitum non poteſt connecti cum *omni* nec cum *toto*; & ratio eſt, quia *totum* dicitur, cuius nihil eſt extra, hoc autem pugnat cum infinito. 20

Sed contra hoc verum eſt abſolutè quatenus in rebus iuxta Ariſtotelem infinitum Categorematicè non datur, ac proinde nunquam à parte rei datur *totum* infinitum, cæterum ſemel admiſſo in actu infinitum, manifeſtam implicantiam imbibit, ſi negetur *totum* & *omne* nam tu ipſe, cùm dicis *infinitum*, collectiuè ſumis infinitum & totaliter, quid enim manifeſtius quàm infinitum includere omnes partes requiſitas ad infinitum? hìc ergo inſto. Verùm *infinitum* ſit creatum vel increatum? Non enim dices propoſitionem eſſe de ſubiecto non ſupponente, cum à te ipſo ſupponatur. Deinde id quod eſt, non eſt præciſè pars ſui, eſt enim manifeſtiſſimum, quòd res includat pluſquam vnam partem ſui. Ergo eſt totum quod eſt, & conſequenter infinitum, ſi datur, eſt non ſolùm vna pars ſui, ſed omnes ſimul, ſeu *totum* infinitum. Quis non putet repugnare id omne, per quod res eſt talis, non concurrere ad conſtituendam 21

tuendam rem in eſſe talis; ſeu rem non habere omne id, per quod eſt talis res.

22 *Euidentiſſima demonſtratio.*

Admittamus tamen hanc adeo implexam & implicantem ſolutionem, & quemcunque proceſſum in infinitum in cauſis ſiue ſubordinatis per ſe, ſiue per accidens, quem fingunt Atheiſtæ; fortius eſt poſitum fundamentum adhuc, quàm vt euelli poſſit quibuſuis machinis aduerſis permiſſis. Primò, admiſſo infinito proceſſu, licèt omnem collectiuè accipere non poſſimus, verè datur in rerum naturâ *ſufficientia* ad exiſtendum; hæc propoſitio vera eſt: *datur in rebus ſufficientia ad exiſtendum independenter à quolibet alio*, ſeu *quolibet alio excluſo ad talem proceſſum non pertinente*: nam cùm in re ita contingat, argumentum fit ab actu ad potentiam, in quo euidentiſſima eſt conſequentia affirmatiua. Ergo ibi datur aliquid *improductum*, ſeu incauſatum. Patet conſequentia ex ſuppoſit. Quarta §.12. omne enim quod ſibi ſufficit ad exiſtendum, quolibet alio ſecluſo eâ ratione, quâ ſibi ſufficit, eſt à ſe, ſeu improductum; Ergo ſiue determinatè, ſiue vagè, ſiue collectiuè, ſiue diſtributiuè proportionato modo erit improductum. Patet conſequentia in aliis prædicatis, quæ vti in abſtracto, & in ſuo conceptu ſunt, ſimiliter communicant ſuos effectus formales, quando in concreto conſiderantur.

23 *Implicat effectum exiſtere, ſi non habeat tot requiſita ad exiſtendum, quot indiget.*

Secundò: quantumuis in infinitum multiplicetur proceſſus cauſarum, dum non venitur ad aliquam incauſatam non datur ſufficientia, vt exiſtat effectus creatus, verbi gratia, calor. Ergo iſtius exiſtentia neceſſariò arguit primam cauſam incauſatam: conſequentia patet, nam nil valet exiſtere, dum non dantur omnia ſufficientia, vt exiſtat ipſum. Antecedens probatur; quæcumque cauſa cauſata eſt inſufficiens, nam relinquit adhuc indigentiam vnius cauſæ, ſicut erat prius, non venit autem ſufficientia per id, quod tantum, quantum affert auxilij, affert etiam tantumdem indigentiæ. Quis enim apprehendet, vt id explicem exemplo materiali, ſatis prouiſam eſſe rem frumentariam obſeſſis fame pereuntibus, ſi ſingulos panes inediæ neceſſarios ſinguli viri eâdem fame preſſi in caſtellum impugnatum introducant? Ergo ſi quæcumque cauſa adueniat (dum ipſa productione indigeat) tantundem affert exigentiæ nouæ cauſæ, quantùm medetur exigentiæ prioris effectûs, ſemper inexhauſtam relinquat indigentiam vnius cauſæ, & conſequenter non veniet ſufficientia, vt effectus, quantus eſt, exiſtat.

24 Formatur aliter argumentum: non datur ſufficientia vt aliqui effectus exiſtant in rerum natura, ſi in ipſis plus eſt indigentiæ, quàm ſufficientiæ. Atqui ſi nulla cauſa ſit incauſata, implicat apprehendere æqualem ſufficientiam cum indigentia, ſed neceſſariò plus erit indigentiæ. Ergo implicabit dari effectus in rerum naturâ; conſequentia patet, & maior ex ipſis terminis nota eſt, quia dum maior & inexhauſta manet indigentia, ipſi non fit ſatis, & conſequenter eſt impotens exiſtere. Iam minor propoſitio non eſt minùs euidens. Pone dari quatuor homines in rerum naturâ; quorum vnus pendeat ab alio, vt filius, pater, auus, proauus. In hoc caſu inæqualis eſt, & maior indigentia cauſæ, quàm ſufficientia, nam illa eſt vt 4. ſufficientia verò vt 3. Tunc ſic: ergo implicat, quòd indigentia non maneat inæqualis, ſi quantùm additur ſufficientiæ, tantundem addatur indigentiæ: eſt enim mathematicum principium: *ſi inæqualibus æqualia addas, quæ remanent, ſunt inæqualia.* Et quantumuis proceſſus ſit infinitus, ſi cauſæ additæ ſint cauſatæ æquo gradu augetur ſufficientia, ac indigentia, cùm quælibet cauſa, vti eſt ſufficiens præcedenti, ita indiget ſequenti. Ergo nunquam dabitur plena ſufficientia hìc.

Confirmatur in inſufficientia, quam habet calor, vt exiſtat ſine ſubiecto, cui inſufficientiæ non ſatis prouidetur per aduentum quantitatis, in qua recipiatur calor, quia ſcilicet ipſa quantitas æqualem ponit inſufficientiam. Vnde maximè explicatur & vrgetur argumentum. Non minus indiget accidens primâ causâ, ſeu causâ incauſatâ efficienti, quàm paſſiuâ, ſeu primo ſubiecto. Sed huic exigentiæ non ſatisfit per proceſſum in infinitum, quo vnum accidens ſubiectetur in alio, & hoc in alio ſine fine, niſi tandem veniatur ad vnum primum ſubiectum, ſeu ens per ſe; aliàs accidentia, dum procederent in infinitum, poſſent perſiſtere ſine ſubſtantia. Quis autem non rideat, ſi nec vnum accidens poteſt eſſe ſine ſubſtantia, iam poſſe dum infinita ſunt. Quaſi diceres eò minùs indigêre baſi ſuſtentante pondus aliquod, quò maius & grauius eſt. Ergo ſimiliter nec infinitus proceſſus cauſarum ſufficiet, vt effectus exiſtat ſine primâ causâ. Similiter hoc explicari poteſt in corpore medio, quod non habet lucem à ſe, ſed ab alio, quantumuis multiplicetur in infinitum non ſufficiet illuminare niſi veniamus ad vnam primam radicem, & quaſi fontem, qui à ſe habeat lucem; ſic in vanum multiplicantur aquæductus, ſi non detur primus, & viuus fons, vnde dimanent aquæ, quæ traducantur. Ergo cùm omne *eſſe* creaturarum, ſeu cauſæ cauſatæ ſit traductitium, ſiſtendum eſt, & neceſſariò deueniendum ad ens à ſe, quod ſit primus fons totius eſſe. 25 *Accidens, licèt multiplicetur in infinitum, non poteſt eſſe ſine ſubiecto.*

Tertiò contra datam ſolutionem Atheorum, ſumo effectus de facto exiſtentes, verbi gratia homines, hi enim etiam in opinione Atheorum numero finiti ſunt, & collectiuè accipi poſſunt. Nunc arguo: omnes deſinere, & interire poſſunt, vt amplius non ſint, nam experientiâ teſte, quilibet eſt mortalis, quod autem de quolibet in collectione finitâ verificatur, verificatur etiam de omnibus collectiuè: Ergo ſimiliter potuerunt homines non fuiſſe ab æterno, neque enim eſt maior ratio ad aſtruendam neceſſitatem in rebus, vt fuerint à parte ante, quàm vt ſint in futurum. Ergo debet præfuiſſe aliquid, vt potiùs fuerint homines ab æterno, quodque determinauerit ipſos ad exiſtendum potiùs, quàm ad non exiſtendum, quia in ipſis contingentibus non poteſt reperiri tale determinatiuum; ſicut nemo finget nunc contingenter pullulare in exiſtentiam aliquam collectionem entium, quantumuis infinitam: Tale autem ens determinatiuum, & extrahens homines de nihilo ad exiſtendum erit improductum, & incauſatum, nam in ipſo vrget argumentum. 26

Confirmatur loquendo de effectibus de facto exiſtentibus, euidens eſt aliquod ens modò exiſtere, vi ſuâ, & ex ſufficientiâ ſui eſſe adæquatè, quin vllo modo ab alio conſeruetur, id non negant Atheiſtæ. Sed ens, quod vi ſuâ præcisè, & ex ſufficientia ſui eſſe poteſt, ſe conſeruare non indiget, vt ab alio primo producatur; tum quia id, quod indiget produci ab alio, ex ſe nihil eſt, quod autem ex ſe nihil eſt in conſeruari, nequit plus conducere in ſui conſeruationem, quàm in ſui productionem; tum etiam quia idem ponitur per conſeruationem, ac per productionem, ſolúmque eſt differentia penes ſtatum inſtantis antecedentis, 27 *Demonſtratur cauſa incauſata in conſeruari.*

non

non penes ipſum inſtans, in quo res conſeruatur de præſenti. Si ergo in hoc, in quo nihil antecedit de re conſeruata, valet res ſeipſam conſeruare, etiam poterit ſeipſum primò ſiſtere in eſſe ſuadetur conſequentia, nam ad exiſtentiam de præſenti nihil iuuat, quod fuit in inſtanti antecedenti; præteritum namque vt tale, comparatur ad præſens, quaſi non fuerit.

28 Quartò. Proceſſus in infinitum, quantumcumque fingatur, non poſſe collectiuè ſumi, *&c.* Non prodeſt quominus in conſeruari opus non ſit aſſignari ens, quod à ſe conſeruetur; ſtatim namque apparet abſurdum dicere hunc effectum conſeruari ab alio, & hunc ab alio ſine fine, quin aſſignetur aliquid independens à quo omnia dependentia conſeruentur vt fatentur Atheiſtæ: ergo. Idem dicendum eſt quoad productionem. Cur enim infinitus proceſſus productioni potius fauebit, quàm conſeruationi. Item cùm iuxta Ariſtotelis ſententiam dentur in quantitate palmari infinitæ partes, non implicaret contradictionem, qui diceret vnam produci ab alia, & hanc ab alia ſine fine, quin veniatur ad vnam improductam, nec opus ſit recurrere ad agens extrinſecum à quo totus Palmus producatur. Rurſus neque implicaret, qui diceret nullam cognitionem dari, quæ non procedat ex aliquo amore, licèt amor omnis ſemper oriatur ex aliqua cognitione. Cur enim potiùs huic abſurdo inſufficiens erit, vt obuiet Proceſſus in infinitum, quàm illi quod Atheiſtæ fingunt. Similiter poſſent nunc in tempore incipere eſſe, & oriri de nouo infinita entia cum hoc proceſſu ita vt oriatur vnum ab alio ſine fine ſine aliquo priori ente virtute cuius accipiant eſſe, quod non habent ex ſe. Si enim infinita entia, eo quòd infinita ſunt, per viciſſitudinem productionum poſſunt ex ſe ipſis ſine aliquo priori producente oriri, vt in ſeipſis habeant principium ſufficiens exiſtendi: Cur ſimilis infinitudo non poſſet conferre, vt modò in tempore de nouo incipiant eſſe talia entia? Quis autem non reputet abſurdam hanc nouam pullulationem rerum quantumuis infinitarum ex ſeipſis? Vnde facilè poſſent ſperari vt orirentur ex ſeipſis omnia prædicata rerum & ſpecies, in quibus nulla contradictoria ſequuntur.

Proceſſus in infinitum ex multiplici abſurdo probatur inſufficiens vt aliquis effectus detur ſine cauſa prima.

29 Denique quomodocumque fingatur Proceſſus in infinitum cognitionum reflectentium ſuper alias diſtinctas, tandem veniendum eſt ad vnam cognoſcentem incognitam. Similiterque implicat manifeſtam contradictionem, quòd detur vna actio producens aliam actionem, & iſta aliam, & hæc aliam ſine fine, quin tandem detur abſolutus terminus ſupra quem cadant omnes actiones, & adquem ordinentur; ergo ſimiliter quantumuis fingatur proceſſus cauſantium, quaſi à parte ante, vt hæc cauſa producatur ab alia; & hæc ab alia ſine fine, opus tamen erit quòd omnia nitantur in cauſa incauſata. Hæc conſequentia ſuadetur; quia non magis eſt de conceptu cauſantis niti quaſi à parte poſt in termino cauſato incauſante, quàm de conceptu cauſati niti à parte ante in cauſante incauſato; ergo quemadmodum, quomodocumque ponatur infinitas Proceſſus cauſantium, dandum eſt vltimum cauſatum, ſeu Cauſatum incauſans, ſimiliter in præſenti erit Prima cauſa; ſeu cauſa incauſata. Ex quibus ſexcenta alia diſcurri poſſunt, in quibus infinitus proceſſus non ſufficit extinguere naturalem exigentiam, & connexionem vnius cum alio.

SECTIO V.

Impugnatur alia ſolutio, & oſtenditur ens à ſe ſeu primam cauſam ex ſuo conceptu eſſe Deum.

Tertiò reſpondere audent Athei, quantumuis ex dictis conuincantur dari aliquam cauſam incauſatam, & in hoc ſenſu *Primam*: darique ens à ſe, aſt non ideo conuinci Tale *ens à ſe* Deum eſſe, quia non ideo erit cæterorum Author, & Creator, non ideo tantæ excellentiæ, vt ſit ab omnibus colendum, Religionemque & cultum percipiat. Cuius ratio eſt; quia diuerſi conceptus, & reſpectus ſunt non produci ab alio, & eſſe alius cauſam, ſic homo non eſt ab equo, neque ideo eſt huius Author, vel productor. Ergo ſimiliter poterit ens à nullo alio eſſe, quin ideo ſit productiuum omnium aliorum. Igitur quamuis admittatur ſiſtendum eſſe in Cælo verbi gratia vel ſole non facto, ſed ente à ſe, non ideo ſol erit cæterorum Author. Rurſus quamuis ſit cæterorum Productor, non ideo erit excellentiſſimus, & ſupra reliqua omnia æſtimatione, & adoratione digniſſimus, non-ne ex ſemine producitur homo ex vili, & fœdo principio pulcherrimus? Ergo quantumuis ex effectibus creatis conuincantur Athei admittere in rerum natura dari ens à ſe: non tamen dari Deum, vt patet ex dictis §. 8. 30

Hanc ſolutionem nullius momenti eſſe ad infringendam vim demonſtrationis poſitæ ſic demonſtro. Eo ipſo, quòd detur ens à ſe, illud debet continere omnem perfectionem poſſibilem, ſeu eſſe illimitatum, & infinitum. Ergo ſummè colendum eſt & Deus eſt. Conſequentia patet Antecedens probatur; nam imprimis debet eſſe perfectius omni ente producto exiſtente, hoc enim ſit ab ente improducto ſeu ab ente à ſe, euidens autem eſt quod cauſa debeat eſſe perfectior, vel ſaltèm æquè perfecta, quàm effectus, cùm nemo det, quod non habet. Rurſus perfectius etiam eſt, vel æquè perfectum, quàm reliqua omnia entia, & perfectiones poſſibiles, nam cùm nil non exiſtens poſſit ſe extrahere è nihilo ad exiſtentiam, conſequens eſt vt ſit producibile ab ente à ſe; ergo tandem in hoc radicatur, vt in primo fonte, & principio *omne eſſe*, & conſequenter omnis perfectio poſſibilis. Tunc ſic ſed perfectio poſſibilis eſt illimitata, & infinita in omni genere: Quo namque fundamento ſtatuet quis poſſibilem eſſe ſubſtantiam, quæ occupet tantum ſpatij, & implicare aliam, quæ pluſculum maius vel habeat hanc virtutem, & non maiorem, poſſit tot obiecta cognoſcere, & repugnare intelligentiam ad plura, & ſic de qualibet alia perfectione, quæ excogitari valet. Ergo ens à ſe, ſiue ſit ſimplex ſiue compoſitum, ſiue vnicum ſiue plura, de quo hic abſtrahimus neceſſariò imbibit ſummam excellentiam, titulo cuius totius cultus digniſſimum eſt. 31

Ens à ſe in ſuo conceptu arguitur eſſe infinitæ perfectionis.

Ex quibus ad rationem oppoſitam fateor *non eſſe* ab alio ſingulari, & determinato non ſtatim arguere tale ens *non ab alio* debere eſſe principium illius, à quo non eſt; nam hoc a quo non eſt tale ens, poteſt eſſe à ſe vel eſſe ab alio ente diſparato, vt contingit in exemplo adducto hominis. At ens quod omnino eſt à ſe, ita vt à nullo ſit, eo ipſo eſt fundamentum, & radix cæterorum, quæ ab alio ſunt; nam 32

Ens quod à nullo eſt, eſt cauſa omnium cæterorum, licèt ens, quod ab vno determinato non eſt non ideo ſit huius cauſa.

nam ob hanc rationem, vt ſcilicet non ſint entia *ab alio* quaſi à ſe, & per ſe ſubſiſtentia, ſed radicentur in primo ente improducto huius exiſtentia demonſtratur. Quare ſi cælum foret ens vnicum à ſe, neceſſario foret cæterorum cauſa, non quatenus cælum non haberet, à quo fieret, ſed quatenus cætera producta non haberent à quo cauſarentur; ſiquidem ex dictis non poteſt ſiſti in ente producto: dixi ſi foret *ens vnicum à ſe*; Nam ſi forent alia à ſe, verbi gratia, ſol vel intelligentia aliqua, tunc non eſſet opus formaliter loquendo, quòd cælum eſſet cæterorum productiuum, imo nullius, ſed poſſent omnia producta cauſari ab intelligentia. Cæterum iam demonſtratur aliquod ens, à quo cætera fluant, ex hoc ipſo argumenti diſcurſu, tale autem ens non eſt quomodocumque cauſa, vt inſtrumentum, & ſemen alterius ſuperioris, quo pacto non requirit æqualem perfectionem, & æſtimationem cum effectu. Sed eſt cauſa principalis virtute propria, & quaſi ex propria perfectione educens perfectiones effectuum, in huiuſmodi autem cauſa nemo inficiatur reperiri ad minùs æqualem perfectionem cum effectu. Ergo bene probatur quòd ens à ſe eſt excellentiſſimum, & ſummè colendum.

33 Hoc idem rurſus ſic demonſtro. Ens à ſe, ſeu improductum, eſt Author huius vniuerſi: ſed Author huius vniuerſi eſt Deus; Ergo demonſtrato dari ens à ſe, demonſtratur dari Deum. Conſequentia patet. Maior propoſitio probatur. Hoc vniuerſum nequit eſſe à ſe, ſed opus eſt, vt producatur ab alio, nam manifeſtè oſtenditur ex ſe nullam neceſſitatem habuiſſe, vt determinatè ſit huius ſitus, formæ, figuræ, diſpoſitionis, vt producatur iſta numero lux, & flamma ex hac candela potiùs, quàm alia; & ſic de aliis indiuiduationibus: Rurſus quamuis quis fingat in hoc vniuerſo ex naturali neceſſitate hæc omnia ſic determinata euenire; At cur ſimiliter non erit poſſibilis alius vniuerſorum ſitus in alio ſpatio imaginario? amplioris magnitudinis diuerſæ figuræ, cum aliis effectibus? Ergo opus eſt fateri primum Authorem, à quo producatur ſic, & determinetur vnum potiùs quàm aliud. Confirmatur; vniuerſum hoc non eſt ens neceſſarium aliàs cur ſimiliter non daretur neceſſarium aliud vniuerſum pauliſper perfectius? abſurdum enim figmentum eſt dicere ens imperfectius eſſe ex neceſſitate, perfectius verò nō. Cælum minus eſſe neceſſarium, non autem cælum maius: niſi dicas rem abſurdiorem contra quam à fortiori militat: Quare ſit poſſibile imperfectius, & non perfectius? ſcilicet eſſe impoſſibile omne aliud ens ab hoc vniuerſo diſtinctum, alium ſitum, effectum, &c. Ergo hoc vniuerſum exiſtit contingenter. Ergo non à ſe, qua enim ratione concipi poteſt, quòd ex ſe cùm non ſit, ſed purum nihil, ſe determinet potiùs ad exiſtendum, quàm ad non exiſtendum? finge, ſiquidem apprehendis vniuerſum licèt contingens eſſe à ſe, verè non fuiſſe, nec extitiſſe ab æterno, nam ex poſſibili poſito in actu nullum ſequitur impoſſibile. Quo pacto ex nunc ſine vlla cauſa poſſet pullulare, & ſe in exiſtentiam erigere. Adde adhuc vrgere inſtantiam poſitam; quòd ſi hoc vniuerſum quantumuis contingens, eſſet à ſe, ſimiliter poſſent alij orbes, perfectiores, & effectus à ſe ſperari, & contingere; Ergo hoc vniuerſum ab alio Authore productum eſt, qui cùm nequeat eſſe ab alio ſine fine, vt dictum eſt ſuprà, erit ens à ſe.

Mundus non potuit eſſe à ſe.

34 Iam quòd ens à ſe Author huius vniuerſi ſit Deus, vel ipſi Athei non negant, qui non aliter Deum inficiantur, niſi quatenus, vt ait Sapiens, cap. 13. num. 1. *Operibus attendentes non agnouerunt quis eſſet artifex*, & ibi num. 9. *æſtimarunt ſæculum, ſed huius Dominum non inuenerunt*. Ratione etiam id euidens eſt, quam attingit Sapiens ſupra, num. 3. *Quorum* (nempe Solis, Lunæ, & aliarum rerum vniuerſi) *ſi ſpecie delectati Deos putauerunt: ſciant quantò his dominator eorum ſpecioſior eſt. Speciei enim Generator hæc omnia conſtituit; Aut ſi virtutem, & opera eorum mirati ſunt: intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior eſt illis.* Ergo manifeſtum eſt Authorem vniuerſi eleuatioris, & ſuperioris perfectionis, & excellentiæ eſſe ſupra totum vniuerſum. Item neceſſe eſt eſſe *æternum*, cùm iuxta errorem Ariſtotelis ab æterno produxerit vniuerſum, vel iuxta fidem ante quodlibet tempus producere potuerit. *Immenſum*, cùm nec leuiſſima repugnantiæ ratio appareat, ne in alio, vel in maiori loco ex ſpatiis imaginariis potuerit illud creare. *Omnipotentem*, cùm caput non ſit, vnde eius virtus limitetur; *Summè Prouidum, & Sapientem*; ſiquidem tam mirabilis mundi fabrica, tam apta ad ſuos fines coordinatio ſine ſapientia artificis non magis conſtrui, imo longè minùs poſſit, quàm quælibet artis, vel ingenij humani, quæ miramur opera & nemo niſi inſanire geſtiat ſine intellectu diſponi aſſerere audebit. Quàm appoſitè ad præſens Clemens Roman. lib. 8. recogn. *Quis eſt exigui ſaltem ſenſus, qui cùm cernat domum, omnia quæ ad vſus neceſſaria ſunt habentem, cuius cameram in ſphæræ gyrum videat collectam, eamque vario ſplendore, & diuerſis imaginibus depictam, luminaribus præcipuis, & maximis adornatam: Quis, inquam eſt, qui huiuſmodi fabricam videns, non ſtatim pronunciet, à ſapientiſſimo, & potentiſſimo artifice eſſe conſtructam? Et ita quis inuenietur inſipiens, cùm cæli opus inſpiciat, ſplendorem Solis cernat, ac Lunæ, Aſtrorum curſus, & ſpecies, & vias, certis rationibus, & temporibus videat definitas, non tam à ſapiente hæc artifice, & rationabili, quàm ab ipsâ Sapientiâ, & ratione clamet effecta.* Sed de hoc argumento pulchra, & plura Leſſius lib. de Prouidentia numinis per totum. Theophylus Raynaud. diſtinct. 5. Philoſophiæ, ſeu Theologiæ naturalis, quæſt. 1. artic. 6. & ex PP. Athanaſius in orat. contra Idola. Nazianz. orat. 34. Clem. lib. 8. recogn. Chryſoſt. homil. 6. & 10. ad populum.

Probatur infinitudo attributorum Dei, eo quòd ſit Author huius vniuerſi.

Denique ex omnibus huc vſque dictis ſic concluditur demonſtratio exiſtentiæ Dei. Datur aliquod ens à ſe, ſeu improductum; ſicut enim non poteſt dari actio ſine agente, neque quantumuis in infinitum actio actionis procedat, poteſt vllo modo apprehendi, quin in tali congerie actionum detur agens, & terminus, qui nec ſint viæ ab alio, neque in alium. Ita implicat apprehendere inſtrumentum, ſeu cauſam mediâ quâ alia agit, quin imbibatur in tali proceſſu cauſa principalis agens ratione ſui, & nomine proprio, ſeu a ſe. Tunc ſic ſed ſi ſemel datur ens à ſe, ſeu improductum, eſt eo ipſo perfectius omni producto; tum quia huius perfectio ab illo fluit, tum etiam quia linea eſſendi à ſe non eſt cur limitatior ſit, quam linea eſſendi ab alio. Vnde quantumuis fingeremus aliquod ens à ſe, quod foret imperfectius ente ab alio. At ſaltem gradus eſſendi à ſe non eſt cur impediatur ne in maximam perfectionem aſſurgat. Ergo eo ipſo erit Deus. Omitto alias de- 35

mon

monſtrandi hanc veritatem vias, hæc enim planior eſt, & ſufficiens vt naturalis ratio non omnino proterua conuincatur: Imo cenſeo in hoc aliis demonſtrandi modis demonſtrationem poſitam præcellere, quòd aliæ ſanam mentem expoſcant, ne ipſis reſiſtat, hæc verò quantumuis inſanam aſſentire compellat. At contra ipſos Atheos, & Politicos ad hominem ſatis congruus eſt iſte diſcurſus. Non poteſt eſſe falſa ea perſuaſio, quæ conuenientiſſima eſt bonæ gubernationi Reipublicæ, morum honeſtati, & exequendis iis quæ prima rationis ſynderesis facienda dictat omnino neceſſaria. Sed talis eſt perſuaſio de exiſtentia Dei. Ergo non poteſt eſſe falſa conſequentia patet: Maior eſt etiam per ſe nota: Quid enim abſurdius, quàm bonum rationis falſo inniti, indigereque mendacio, & turpiſſimo errore ad illud, ad quod recta ratio inclinat; ac denique ſine ſumma falſitate, & dementia non poſſe rationalem rempublicam conſeruari: è contrà autem ſummam ſapientiam & veram de Deo perſuaſionem, qua Atheiſtæ putant Deum non eſſe, ad omne flagitium viam aperire, eamque virtuti obſtruere. Minor ipſis Politicis eſt decantatiſſima, & experientia in eiſdem ſatis docet, quod enim eſſet frænum mortalibus, ne irent effrænes in occulta crimina, ſi poſſent dicere: *nemo nos videt.* Sed de his ſufficiat pro naturali lumine, veniamus ad firmiorem propheticum & fidei ſermonem.

SECTIO VI.

Quomodo poſſit fide diuina credi exiſtentia Dei?

35 *Vide infrà quæſt. 2. ar. 3. dubit. 10.* SÆpiſſimè Deum reuelaſſe ſuam exiſtentiam eamque per fidem credi nemo qui vel mediocriter Chriſtianus ſit negare poterit, ſi quidquam noſtræ Religionis audiuit, cuius prima vox eſt: *Credo in Deum.* Nihilominus difficilè explicatur, quo pacto motiuum fidei diuinæ concurrere poſſit ad credendam Dei exiſtentiam; nam motiuum fidei neceſſariò ſupponit iam ipſius Dei exiſtentiam; ideo enim mouetur fides ad ſuum aſſenſum, quia Deus dicit talem veritatem; vnde formaliter, vel virtualiter ſic diſcurrit: *Deus eſt prima veritas in dicendo*, ſeu quidquid dicit ita eſt: Sed *dicit ſuam exiſtentiam.* Ex quibus præmiſſis ſic inferens: *Ergo exiſtit*: videtur circulum committere, & idem per idem concludere; ſeu ſupponere in præmiſſis, quod concludere intendit in concluſione tum quia dum in maiori ponitur primam veritatem eſſe, iam ponitur exiſtentia Dei formaliſſimè, quæ infertur in concluſione; quare quaſi dicitur, *exiſtit Deus* ſeu *prima veritas, quia exiſtit prima veritas*: Rurſus *Ratio dubitandi.* dum ſubſumitur in minori propoſitione. *Sed Deus dicit* exiſtentia Dei à fortiori imbibitur; nam dicere, & loqui non eſt niſi perſonæ exiſtentis. Ergo nihil concludit fides, niſi idem per idem, vt à fortiori lateat motiuum credendi, quando latet concluſio: *Deus eſt*: à fortiori enim negabit Deum loqui, qui ignorauerit Deum eſſe; Cogita Atheiſtam negantem quòd: *Deus ſit*: non ne ridebit ſi ipſi Dei exiſtentiam ſuadeas, ex eo quòd Deus illam reuelet; prius eſt eſſe, quam operari ſeu reuelare, & loqui. Ergo ſuades ignotum per ignotius. Ergo quandoquidem motiuum debet eſſe clarius, quam veritas obiecti materialis, ſeu concluſionis, nullo modo intellectus poteſt ex motiuo fidei aſſentiri exiſtentiæ Dei.

Aliquibus planum videtur cum P. Ioanne Martinon in præſenti diſput. 2. ſect. 2. credi exiſtentiam Dei ex ipſius dicto; ſeu quia ipſe dixit & reuelauit nam licèt in eſſe rei prius ſit Deum eſſe, quàm Deum reuelare, tamen poteſt per hoc poſterius, prius illud cognoſci, vt cognoſcitur cauſa per effectum; ſic inter homines poteſt, qui latet ſe voce prodere, & ſignificare ſe eſſe, & Chriſtus Dominus teſtimonium de ſe perhibuit mulieri Samaritanæ vt crederet ipſum eſſe Meſſiam Ioan. 4. & diſcipulis, ne timerent ipſum eſſe Phantaſma, dixit: *Ego ſum.* Marci 6. Rurſus Raphaël Tobiæ 12. ſignificauit, & perſuaſit ſe Angelum eſſe. Et in humanis: *Ego Rex id affirmo* verba vulgaria ſunt quæ nobis perſuadent Regem eſſe, qui ſic præcipit, vel loquitur. Similiter ergo ait Martinon cum P. Suarez lib. 1. de eſſentia Dei cap. 1. num. 5. non repugnabit aſſentiri, & credere Deum eſſe ex teſtimonio ipſius Dei dicentis: Exod. 3. *Ego ſum, qui ſum: & qui eſt miſit me ad vos.* Ad rationem autem dubitandi reſpondent bene probari idem explicitè per idem implicitè; ſic definitio ex definito infertur: vt *eſt homo ergo Animal rationale:* Maximè quando in antecedenti plus eſt quàm in conſequenti, neque idem prorſus infertur: Sic ex eo quòd Petrus, & Ioannes cucurrerunt ad ſepulchrum, bene infertur, ergo cucurrit Petrus. In præſenti autem, & plus dicitur in antecedenti, quàm in conſequenti; nam in hoc creditur Deus eſſe; in illo autem ſimul loqui; Rurſus in motiuo fidei Deus explicitè non proponitur vt exiſtens, ſed vt reuelans, in quo ſolum implicitè imbibitur exiſtentia, quæ ob hoc motiuum creditur. 37 *Quid reſpondeant P. Suarez, & P. Martinon?*

In dubium mihi eſt poſſe per fidem credi exiſtentiam Dei alias cogniti per aliam notitiam partam aliunde: Etenim qui aliàs ſciat Deum exiſtere, ſeu loqui ſummè veraciter, qui in fallere, aut falli queat, neceſſariò ipſi aſſerenti ſuam exiſtentiam aſſentietur: Nam tunc formaliter, aut virtualiter has præmiſſas admittit intellectus. *Quidquid Deus dicit ita eſt*: Itèm. *dicit ſe exiſtere*, ex quibus neceſſitatus eſt intellectus vt concluſionem inferat: *ergo Deus exiſtit.* At dubium eſt, quo pacto poſſit primò cognoſcere per actum fidei quis Deum exiſtere, ita vt præcisè moueatur ad credendam Dei exiſtentiam ex dicto, & reuelatione ipſius Dei. 38 *Extra præſentem controuerſiam eſt, quòd exiſtentia Dei aliàs cogniti per fidem credi poſſit.*

Cui dubio non ſatisfaciunt, quæ poſita ſunt num. 37. neque inſtantiæ ibidem adductæ, nam in his colligitur ſemper veritas concluſionis ex aliis terminis, vel veritate notiori, vt quando colligitur exiſtentia cauſæ, quæ non videtur, ex effectu, qui videtur; vt quando exiſtentia Animæ, & vitæ ſubſtantialis colligitur ex pulſu vitali arteriæ, exiſtentia Dei ex creaturis, quas ſentimus adiuncta hæc conditionali per ſe nota: ſi datur creatura datur Creator. Sic qui latet, ſe voce prodit, non quidem præbente voce rationem motiuam, vt primò credatur per fidem exiſtentia loquentis occultè; ſed titulo connexionis naturalis, quam habet vox cum Prolatore: quod ſi vox ſic articulatè proferatur vt adſonet ſimilis voci quam audiuimus aliàs ab hoc determinato homine; hinc iam non ſolùm agnoſcimus adeſſe Prolatorem, ſed hunc hominem determinatum, & ſic Chriſtus Dominus ſe manifeſtauit diſcipulis Marc. 6. Mulieris verò ſamaritanæ per occultorum apertionem, & notitiam, fidem captauit vt haberetur tanquam Propheta; ipſe autem vt ſic cognitus magnæ authoritatis vir motiuo fuit, vt ob ipſius dictum crederetur etiam, vt Meſſias. Similiterque Tobiæ 12. Raphaël ex operibus miraculoſis 39 *Quo pacto ex voce credimus dari prolatorem determinatum?*

miraculoſis cognitus, vt ſuperior omni humana authoritate mouit fidem, vt crederetur Angelus Dei: quare nunquam id, quod formaliter creditur, fuit ratio credendi. Idemque euenit proportionatè in humanis, cùm Rex dicit: *Ego Rex id affirmo*; Nam priuſquam credamus eius dicto, aliunde ipſe præcognoſcitur authoritatis fide dignæ.

40 *Quomodo bene probetur definitum ex definitione.*

Neque reſponſio ad rationem dubitandi placere poteſt: Nam quando ex definito colligitur definitio; ſupponitur aliunde cognitum definitum, ſi enim æquè obſcurum foret de aliquo, quod ſit *homo*, & quod ſit *animal rationale*, vt quando dubito de animali à longe veniente, ſit-ne homo vel equus, non bene præciſè adſtrueres fidem, vt crederem eſſe rationale, dicendo eſſe hominem præciſè, niſi hoc ipſum aliunde conuinceres. Ergo niſi aliunde priùs cognitum ſupponatur Deum loqui, ſeu dari Deum loquentem, & reuelantem, de quo formaliter dubitat, qui ignorat exiſtentiam Dei, non poteſt ex huius dicto probari, quòd Deus exiſtat: & conſequenter non poteſt primò cognoſci exiſtentia Dei ex motiuo fidei præciſè, ſeu quia Deus dicit. Neque plus iuuat; quod plus proponatur in antecedenti quàm in conſequenti; tum quia ſi hoc plus non ſit magis notum, neque veritas conſequentis, eo quòd in antecedenti cum aliis circunſtantiis veſtiatur, patentior fiat: (vt non fit, cui namque obſcurum eſt Deum eſſe, quo pacto patere poteſt Deum loqui: cum ſit principium per ſe notum, non loqui, niſi eum, qui exiſtit, non entiſque nullas eſſe proprietates?) ſi inquam illud plus in antecedenti non eſt notius, quàm in conſequenti, nequit hoc per illud probari: Quis enim non rideret probantem quòd Petrus currat, præciſè proponendo Petrum, & Ioannem currere? etenim negans primum, faciliùs negabit ſecundum: Adde etiam totam difficultatem fidei, nempe vt credantur omnes fidei veritates vrgere, ſi loquamur de hoc fidei articulo: *Deus loquitur*: De hoc namque inquiro credatur-ne ex motiuo fidei, vel non, ſed aliunde? ſi primum dicas. Ergo creditur Deum loqui, quia Deus loquitur, ſub eiſdem omnino terminis, & expreſſione; ſi ſecundùm eligas: Cur idem non dicetur de præſenti veritate: *Deus exiſtit*.

41 *Quid ſentiant Card. Lugo, & P. Hurtado.*

Ideo alij dicunt hanc veritatem & ſimiles, quæ formaliter includuntur in ipſo motiuo fidei, quo moueor ad credendum: *quia Deus infinitæ authoritatis reuelauit*. In quo motiuo imbibitur formaliter exiſtentia Dei; eius ſumma veracitas, ſeu ſapientia quæ falli non poteſt; & voluntas bona, quæ nequit fallere: Reuelationis ipſius exiſtentia, &c. has inquam omnes veritates aſſerunt Cardinalis Eminentiſſimus de Lugo, diſput. 1. de fide à §. 81. & Petrus Hurtado diſpur. 7 de fide à §. 90. cognoſci per aſſenſum elicitum ab habitu fidei infuſæ, non quidem propter reuelationem, ſeu vt obiecta reuelata, ſed vt rationem ipſam credendi; ſunt enim prima principia fidei, quæ non debent credi propter aliud, ſed propter ſeipſa, vt in aliis primis motiuis aſſentiendi contingit. Confirmatur: dum fides credit: *Deus eſt ſummè verax quia Deus id reuelauit*, vel ly *quia reuelauit*: creditur propter aliam reuelationem reflexam; quia ſcilicet: *Deus reuelauit ſe reuelaſſe*, vel creditur ly *reuelauit*: propter ſe; ſi primum procedemus in infinitum, vt credatur propter aliam tertiam reflexionem, quòd Deus reuelauerit ſe reuelaſſe. Si ſecundum? Ergo iam fides credit hoc obiectum: *Deus reuelauit*: quin illud credat quia propoſitum, & dictum à Deo eſt, & conſequenter iam fides aſſentiri poteſt alicui veritati, tanquam primo principio propter ſe: quidni & huic: *Deus eſt ſummè verax?*

Quæſtio hæc tangit difficultatem de reſolutione fidei, ſeu quod ſit primum motiuum, & ratio in quam reſoluatur aſſenſus fidei? de qua latè in tractat. de fide ad quæſt. 1. ſecundæ ſecundæ S. Thomæ, Modò breuiter dico exiſtentiam Dei poſſe primò ita proponi, vt primus aſſenſus de illa ſit vt in veritatem reuelatam, ſeu quia ipſe Deus dicit, & reuelat; imò non aliter purus aſſenſus de exiſtentia, vel etiam de authoritate, & reuelatione ipſa Dei erit aſſenſus fidei. Vtrumque dedit Pater Suarez diſput. 3. de fide, ſect. 6. à §. 4. 42 *Suſtinetur dictum P. Suarez. Actus fid. quo primò creditur, & cognoſcitur exiſtentia Dei, mouetur quia Deus dicit.*

Prima pars probatur; nam fidelis ruſticus non aliunde habet notitiam de Deo, niſi quia audit à Parocho Deum id dicere, cui veritati non credit, quia Parochus id proponit, aliàs non haberet fidem diuinam, ſed humanam, nec quia ipſe ruſticus, vel infans per diſcurſum naturalem notitiam acquiſierit, hæc enim notitia peritorum eſt & ſapientium. Ergo reſtat vt credat exiſtentiam Dei ob motiuum, quod ipſi à Parocho proponitur, quia ſcilicet Deus qui nec fallere, nec falli poteſt id dicit. Secunda pars, nempe non fore aſſenſum fidei eum, qui purè, & ſeorſim tendit ad exiſtentiam Dei, & non propter Dei teſtimonium, vel etiam tendit ad exiſtentiam reuelationis, & non mouetur, quia Deus dicit ſe reuelaſſe, probatur ex fide humana, ad quam licet pertineat credere res dictas, non tamen eſt actus fidei, qui aſſentitur ipſius dicto, & exiſtentiæ: ſpecialiter autem ſuadetur in diuina, & Theologica fide, nam aſſenſus, qui ſolum fertur in reuelationem, ſeu teſtificationem Dei ad extra, cum hæc pure creata ſit, nil diuinum attingit. Præterea certitudo fidei talis eſt, vt ſi aſſenſus fidei falſus foret, Deus argueretur mendax, vnde qui tali aſſenſui contradicit, mendacem facit Deum. At ſi aſſenſus fidei purè feratur, vel in exiſtentiam Dei, aut reuelationis, eius contradictio vel falſitas non arguit fallaciam, vel mendacium in Deo, ex eo namque quòd Deus per impoſſibile non exiſteret, vel nihil reuelaſſet, neutiquam mendax foret vt per ſe patet. Ergo.

Non eſt actus fidei qui purè aſſentitur: Exiſtit reuelatio, & non mouetur reflexè: quia Deus dicit ſe reuelaſſe.

Sed contra primam partem huius aſſertionis militant dicta in §. 39. Quo pacto poſſit quis primò duci ad aſſentiendum dicto vel exiſtentiæ Dei, quia Deus dicit? Hoc ſic explicari poteſt. Contingit etiam in humanis, quòd aliquando tanta grauitate, maieſtate, & pondere proferantur aliqua verba, vt ſe ſolis concilient fidem, & appareant creditu digna, etiam aliàs latente & inuiſo Prolatore: vnde ſi talia verba teſtentur, quòd eorum latens Prolator ſit verbi gratia Rex, quantumuis nunquam viſus, nec auditus credi poteſt eſſe Rex. In quo caſu verba non extorquent talem aſſenſum vi connexionis naturalis cum Rege, ſed titulo puræ teſtificationis veracis, & conſequenter per verum actum creditionis, ſeu fidei creditur ille prolator, quòd ſit Rex. Nunc ſic. Propoſitio Parochi oſtendens, quòd Deus loquitur ſe loqui, & eſſe Deum, illa inquam propoſitio veſtita miraculis, Martyrum victoriis, Confeſſorum ſanctitate, Doctorum ſapientia, antiquitate, & aliis ſignis credibilitatis noſtræ Religionis tantæ maieſtatis apparet, tantæ authoritatis ſonat pio auditui credentis, vt appareat, & ſtatim affulgeat diuina infallibilis veracitatis, cui nefas ſit diſcredere ex 43 *Explicatur, qualiter fore metur iſte aſſenſus fidei.*

F quo

quo talem Propoſitionem, & verba primò audiens licèt aliunde nullum aſſenſum de Deo habuerit poterit vno, & indiuiſo aſſenſu credere quòd, veniant à Deo, quia verba teſtantur ſe à Deo proferri.

44 Quod ſi vrgeas permitti poſſe, quòd primus aſſenſus de Deo non habeatur aliunde, niſi ſimul credendo: *quia Deus id dicit*: At ſi reſoluatur talis aſſenſus in ſua principia, neceſſariò reſoluendum in aliquam veritatem per ſe, & immediatè notam ne detur circulus. Nam iſte homo taliter credens, ſi interrogetur: cur credat Deum eſſe & loqui? bene: quòd reſpondeat, quia hæc verba diuinæ authoritatis id teſtantur; ad diuinam autem authoritatem, & reuelationem recurrere non poterit, ſi rurſum vrgeatur: cur credat ipſa verba eſſe diuina? Si inquam ſic replices, imprimis iam apparet, quo pacto primus aſſenſus de Deo poſſit elici, & moueri, ex eo quòd detur teſtificatio, dicens Deum loqui, & eſſe: quaſi homo ſic apud ſe diſcurrat: teſtificatio ſeu reuelatio, quòd Deus ſit, repugnat tot ſignis, & potentiæ proponi, quin ſit ipſa diuina; ex quo & credit eſſe diuinam, ſeu a Deo, quia dicit talis teſtificatio ſe eſſe à Deo, & per hunc eundem aſſenſum primò admittit talem teſtificationem dari. Deinde ſi compares hunc aſſenſum cum motiuo, quod habet, quatenus præciſè ſcit teſtificationem cum tot ſignis propoſitam non poſſe non eſſe à Deo. Reſpondeo extrinſecè quidem moueri, & niti naturali lumini, vel etiam humanæ authoritati; at intrinſecè & immediatè mouetur quia dictum eſt à Deo hanc teſtificationem eſſe diuinam.

45 Sic procedit fides theologica, & infuſa, vt credat Deum loqui, ſeu reuelationem eſſe diuinam præcedit rationis naturalis lumen: Quod mihi proponitur cum tot ſignis credibilitatis verum eſt: mihi autem ſic proponitur, quòd detur reuelatio diuina. Hinc ſatis determinatus eſt intellectus noſter vt aſſentiatur: *exiſtit diuina reuelatio*. Qui aſſenſus ſi reflectat ſupra motiuum humanum fidei Theologicæ, non erit. Si autem ſolùm intrinſecè ſiſtat præciſè aſſentiendo reuelationem illam eſſe diuinam, quin intrinſecè aliud attingat, quàm dictum diuinum, iam aſſenſus erit Theologicus. Nec refert, quòd in illis terminis obiectiuis *exiſtit reuelatio diuina*: intrinſecè nil veritatis, & ſuadibilitatis appareat, (quoad apparentiam namque æquè obſcuri ſunt vti hi: *ſtellæ ſunt pares*) non inquam obſtat; nam licèt termini obſcuri nequeant ſe ſolis terminare, & extorquere aſſenſum ab intellectu, ſi alij clariores inclinantes ad ipſos non præcedant; ſecus quando præcedunt; quantumuis hi termini præeuntes intrinſecè talem aſſenſum non terminent; nam intellectus non requirit veritatem ſuadibilem ad quemlibet ſuum aſſenſum, ſed ſolùm ad illum, qui valeat per ſe ſolus ſubſiſtere; vt patet in aſſenſu circa concluſionem, quæ per ſe talis ſit, & propoſitio verè mediata, qui aſſenſus ſiquidem non attingit præmiſſas non attingit intrinſecè motiuum ſuadibile. Hoc rurſus apparet in iudicio, ſi non ſit ſimplex qualitas, cuius vna pars verbi gratia quando iudico: *Stellæ ſunt pares quia Angelus dicit*, ly *ſtellæ ſunt pares*: Si ſeorſim accipiatur veritatem ſuadibilem nòn continet, niſi ex luce, & conſortio alterius compartis: *Angelus dicit*: Ergo ſicut hic intellectus poteſt elicere aliquam partem actus in veritatem obſcuram, dum illuminetur per aliam compartem, ita in noſtro caſu, dum illuminetur, & per ſe pendeat purè extrinſecè à præuia propoſitione Eccleſiæ, vt à conditione per ſe: de quo plura ad tractatum de fide. Ergo cùm aſſenſus fidei Theologicæ per ſe pendeat à propoſitione naturali, & humana, quin poſſit ſolus perſiſtere, bene poterit intrinſecè attingere præciſè hos terminos: *Exiſtit diuina reuelatio*: quantumuis ipſi obſcuri ſint.

Proceſſus aſſenſus ei vt reſoluatur in reuelationem.

46 Ex quo ſimiliter, cùm Eccleſia & naturalis ratio proponat hìc, & nunc diuinam reuelationem, non vtcumque ſed vt aſſerentem ſe exiſtere; (hoc enim eſt diſcrimen inter exiſtentiam reuelationis, & aliorum myſteriorum, quod illa reflexè de ſe ipſa loquatur; vnde ita proponitur exiſtens, vt proponatur reflexè teſtificans ſuam exiſtentiam) vti motiua extrinſeca credibilitatis ſuadent, & determinant intellectum, vt fide diuina credat: quod *Deus dicit*: Ita etiam vt credat: *Deus dicit ſe dicere*: & ideo verum eſſe quod Deus dicit: *quia ipſe Deus dicit ſe dicere*. Vnde tandem fit vt fides Theologica aſſentiatur Deum exiſtere, & loqui non ſolùm vt motiuum, & rationem credendi, ſed vt rem reuelatam, & credendam. Neque enim eſt, cur minoris efficaciæ ſint motiua extrinſeca, vt attingantur termini obſcuri propter ſe: dicendo: *exiſtit reuelatio diuina*: Quàm vt attingantur ſimul, vt ratio intrinſeca motiua ſic: *exiſtit reuelatio diuina, quia ipſa teſtificatur ſe exiſtere*. Quod aliter contingit in aliis myſteriis à teſtificatione diſtinctis: vel etiam in ipſa reuelatione, ſi poneremus, quòd Deus nihil reuelaſſet de ſua reuelatione reflexè, vel loquamur de aſſenſu fidei, qui directè fertur in myſterium verbi gratia in Incarnationem *quia Deus eam reuelauit*, qui aſſenſus ita tangit reuelationem vt puram rationem credendi, vt non attingat vt rem creditam; quaſi dicat: *Deus incarnauit quia ipſe dixit; & reuelauit etiam ſe id dicere*. Id enim neceſſarium non eſt vt ſtatim dicam.

Diſcrimen vt credatur exiſtentia myſterij, & exiſtentia reuelationis.

47 Contra ſecundam partem aſſertionis poſitæ in §.42. obiicitur: verè ſtaret hàbitus, & actus fidei Theologicæ quantumuis Deus nihil reuelaret de ſe ipſo, vel reflexe aliquid teſtificaretur de ſua reuelatione dicens ſe loqui: Sed in hoc caſu aſſenſus fidei de reuelationis exiſtentia, non tenderet in ipſam, vt in rem creditam, ſed vt in puram rationem credendi, tangens ipſam propter ſe, quin ideo aſſentiretur exiſtentiæ reuelationis, quia eam Deus reuelauit reflexe; Ergo opus non eſt vt tendat fides in ſua obiecta, quia Deus reuelauit, ſed poteſt immediatè in ipſa propter ipſa intendere, ſeu ferri. Confirmatur de facto, aſſenſus fidei, quo credo Carnis reſurrectionem verbi gratia ita hunc articulum, & veritatem reſpicit, vt per accidens ipſi ſit, quòd Deus aliàs reuelauerit; ergo & quod reuelauerit ſuiipſius & ſuæ reuelationis exiſtentiam; ergo ita tendit in hunc articulum, vt reuelationem exiſtentem attingat, vt puram rationem credendi. Conſequentia hæc patet ex modò dictis; ergo ſtat vera & Theologica fides circa exiſtentiam reuelationis. quamuis hæc immediatè, & propter ſe attingatur, & non quia reflexè reuelata eſt.

48 Hæc obiectio euidenter probat ſæpe attingi exiſtentiam reuelationis per actum fidei, ſimiliterque exiſtentiam Dei, diuinæ Authoritatis, Sapientiæ, &c. Quin reflexè ipſi detur aſſenſus fidei, quia reuelata eſt: Cæterùm dixi §. 42. iterumque certiſſimum iudico non fore actum fidei, qui purè in exiſtentiam Dei, vel reuelationis ſic immediatè ferretur: bene quòd ſit motiuum fidei exiſtentia reuelationis, verbi gratia, immediatè ſic attacta, at aſſenſus fidei nequit in illum purè tendere, ſed vlteriùs progredi ad myſterium reuelatum.

latum. Vt inſtatur euidenter in fide humana, huius enim aſſenſus vltimò reſoluitur in authoritatem dicentis, & exiſtentiam eius teſtificationis, quam propter ſe fides humana attingit; cæterum ſi in illa ſiſtat, nec vlteriùs credat rem dictam propter tale teſtimonium, talis aſſenſus ab humana fide non elicietur; aliàs quilibet aſſenſus de exiſtentia, vel locutione teſtificantis à fide humana eliceretur. Adde non eſſe cur potiùs pertineat ad fidem aſſenſus de exiſtentia loquentis attacta immediatè in ſe, verbi gratia, per viſionem, quàm cognita propter aliud motiuum extraneum: æquè enim per fidem humanam credo dictis S. Thomæ, quæ accepi ab hiſtoriographis dicta fuiſſe, quàm ſi ea dicta immediatè per auditionem perciperem. At aſſenſus exiſtentiæ dictorum propter aliud motiuum ab ipſis diſtinctum, non pertinet ad fidem, dum purè circa dicta verſatur: neque enim do fidem D. Thomæ, eo quòd credam hæc, vel illa dixiſſe. Ergo ſimiliter de fide diuina ſentiendum eſt per ſe loquendo. Dixi per ſe loquendo, quia perfectio fidei diuinæ expoſcit, quòd eius aſſenſus vltimò reſoluatur in authoritatem Dei, non reſolueretur autem ſic vltimò ſi authoritate non propter ſe, ſed propter aliud, cui vlteriùs inniterer, aſſenſum præberem. Ex quo plana eſt ſolutio ad rationem dubitandi in §. 36. licèt motiuum ſit æquè obſcurum, ac obiectum creditum: At præeunte luce extrinſeca propoſitionis Eccleſiæ bene poteſt determinare intellectum vt iudicet, Deum eſſe & loqui, quia ipſe Deus reflexè dicit ſe eſſe, & loqui, cui aſſenſui ſuadibilitatem præſtat Eccleſiæ propoſitio, licèt per huiuſmodi aſſenſum fidei infuſæ non attingatur intrinſecè Eccleſia; vti Sol etiam non viſus illuminat colorem & reddit viſibilem (proportione ſeruata) Neque opus eſt, quòd motiuum aſſentiendi ſit magis clarum, ſeu ſuadibilius ſemper, niſi quando independet ab extrinſeca luce.

SECTIO VII.

An de exiſtentia Dei poſsit dari ignorantia inuincibilis?

49 *Affirmant* Molina. Victoria. Zumel. Trigoſius. Arriaga. *Vide infrà qu. 2. art. 3. dub. 11.*

AFfirmant abſolutè P. Molina in præſenti qu. 2. art. 1. §. *ex dictis*. Victoria in relect. *ad quid teneatur*, &c. part. 2. propoſ. 2. (licèt ab aliquibus immeritò negantibus annumeretur) Medina 1. 2. quæſt. 89. art. 6. Zumel 1. part. quæſt. 2. artic. 1. concl. 3. Trigoſius ibid. dub 1. ad 4. Arriaga ibid. diſput. 2. ſect. 3. num. 17. fundamentum huius ſententiæ eſt quia exiſtentia Dei non eſt per ſe nota, imo longa & difficili indiget diſcuſſione. Ergo facilè poteſt, iſta hominem maximè rudem, & in ſyluis enutritum fugere, quem conſequenter latebit exiſtentia Dei. Confirmatur ex pueris, qui magis fidunt dictis parentum, & Magiſtrorum, quàm omni alteri veritati, dum ſenſibus non ſubeſt: atqui exiſtentia Dei longè à ſenſibus remota eſt; aliunde vt ex Atheiſtis conſtat pueri educati poſſunt ab Infideli, ſeu Politico Atheo, à quo ſolùm audiant nullum eſſe Deum.

50 *Negant* Gonzalez. Granado. Alenſis. Aureol.

Sententia negans dicitur communis inter Theologos à Gonzalez in præſenti quæſt. 2. art. 2. diſput. 11. concluſ. 4. defenditur etiam à P. Granad. contr. 1. diſput. 1. ſect. 3. Alenſi 1. part. quæſt. 3. membr. 2. Aureol. 1. diſtinct. 2. art. 6. denique videtur conſequens ad principia Thomiſtarum 1. 2. quæſt. 89. art. 6. nempe hominem teneri ſtatim ac peruenit ad vſum rationis conuerti in Deum; talis enim obligatio ſtare nequit cum ignorantia inuincibili de exiſtentia Dei. Fundamentum præcipuum eſt ab authoritate, cui ferè ſolùm hæc ſententia innititur, vt ait P. Granados, vbi ſupra num. 17. Iob cap. 36. *Omnes homines vident eum*; ſcilicet Deum; quod explicans S. Gregor. lib. 27. Moral. cap. 3. *Omnis homo* (inquit) *eo ipſo quòd rationalis eſt conditus, debet* (& conſequenter aliquam notitiam habet, ſine qua nequit eſſe obligatio) *ex ratione colligere eum, qui ſe condidit Deum eſſe*. Hinc Damaſcenus lib. 1. de fide, cap. 1. ait: *Nemo eſt mortalium, cui non naturaliter inſitum ſit, vt Deum eſſe perſpectum habeat*. Confirmatur ex Sap. 13. vbi reprehenduntur *omnes homines*, vt vani, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei; diciturque non eſſe illis ignoſcendum: *Si enim tantùm potuerunt ſcire* (ait Sapiens) *vt poſſent æſtimare ſæculum: Quomodo huius Dominum non facilius inuenerunt?* Reprehenſioni autem iuſtæ non datur locus, ſed potiùs veniæ quando adeſt ignorantia inuincibilis.

Ratio autem videtur ſuffragari huic ſententiæ. 51 Primò, quia Dei exiſtentia non eſt remotior à ſenſibus, quàm ratio honeſtatis, & malitiæ, quæ nullatenus neque ex effectibus colligitur. At circa hanc rationem honeſti, & turpis non datur in homine rationis compote ignorantia inuincibilis, ergo nec circa Deum. Secundò, ſtatim ac homo eſt capax vſus rationis ſatis ſcit malum morale, ſeu peccatum eſſe præ omnibus fugiendum; ſi enim amplecti deberet in aliqua contingentia rerum, & vt aliquod bonum obtineretur, tunc non foret peccatum; ſiquidem peccatum non eſt, quod fugiendum non eſt, ſeu ad quod faciendum homo tenetur. Tunc ſic ſed malum, quod præ omnibus eſt fugiendum, & vt tale cognoſcitur; cognoſcitur etiam eſſe oppoſitum ſummo bono. Ergo tale bonum, & conſequenter Deus cognoſcitur. Tertiò ex dictis ſuprà §. 25. ita venitur in cognitionem exiſtentiæ Dei viſis creaturis, ſicut venitur in cognitionem primi fontis, & viuæ aquæ à ſe fluentis viſo aquæductu. At nemo viſo aquæductu ignorare poteſt eſſe primum fontem; à quo fluenta deriuentur, & emanent. Ergo neque ignorare poteſt exiſtentiam Dei, qui ſeipſum non ignoret, nedum reliquas creaturas conſideret.

52 *Ignorantia inuincibilis per puram incogitantiam datur, etiam in ſapiente.*

Vt certa ab incertis ſeparemus, Supponendum eſt primò. Ignorantiam inuincibilem per puram incogitantiam & inaduertentiam ſæpe dari, non ſolum in aliquibus, ſed ferè in omnibus circa exiſtentiam Dei, quoties enim ad alia diuertimus, & de Deo nihil cogitamus? Supp. ſecundò non eſſe quæſtionem de tur-ne cogitatio de Deo, in homine peccante præcipuè grauiter; de hoc enim latè agemus in tractatu de peccatis vbi diſquiritur an omne peccatum ſit formaliter offenſa Dei; quidquid enim ſit de parte negatiua; & quantumuis permittatur poſſe dari peccatum in non attendente ad Deum; adhuc præſenti quæſtioni locus datur, nempe vtrum iſte in ſe habeat ſufficiens principium, & motiuum, ad quod ſi vellet aduertere, inuenire poſſet veritatem exiſtentiæ Dei. Supp. tertiò quæſtionem non eſſe de Deo ſub aliquo prædicato, quod in re ſit illius proprium; lateat tamen agnoſcentem ea ratione, qua aliqui dixerunt diſp. præced. ſect. 5. num. 33. Dei exiſtentiam eſſe per ſe notam. Etenim nemo ignorare poterit dari in rerum natura *ſufficientiam* ſimpliciter, & omnimo-

Non datur ignorantia prædicati conuertibilis cum Deo.

dam ad exiſtendum; nam cùm in re exiſtentiam videat ab actu ad potentiam euidentiſſima eſt conſequentia: *Sufficientia* autem ad exiſtendum ita eſt prædicatum Dei proprium, vt facilè per diſcurſum demonſtrari poſſet cum ſolo ipſo conuerti, vt ſatis conſtat à ſect. 2.

53 *Quæſtio præſens eſt de ignorantia poſitiua, vel negatiua diuturna.*

Igitur quæſtio dubitationi expoſita ſolùm reſtat de Ignorantia poſitiua, hoc eſt, per diſſenſum ſeu errorem poſitiuum de exiſtentia Dei. Item de ignorantia negatiua per diuturnum vitæ curſum, non per quemcumque breuem; etenim ſi veritates notiſſimæ, & Mathematicæ ſæpe non cogitantur (verbi gratia quòd ſeptem ſexies ductum ſint quadraginta duo) cur id non accidet in exiſtentia Dei, à ſenſibus remotiori ſi peculiarem Numinis Prouidentiam, & miraculum ſecludamus? De hoc vtroque modo ignorandi exiſtentiam Dei non ſolùm ſub conceptu implicito, ſed explicito deitatis, & Authoris huius vniuerſi ſeu primæ cauſæ.

54 *Implicat ignorantia poſitiua ab intrinſeco.*

Dico primò non poteſt dari ex principiis intrinſecis, & operante per naturalem diſcurſum rationis lumine, error, ſeu ignorantia poſitiua de exiſtentia Dei inuincibilis hoc eſt ſine rationabili dubio de veritate oppoſiti. Ratio huius eſt quia nullus homo, quantumuis ruſticus, errare, ſeu diſſentire poteſt poſitiuè ſine aliquo motiuo, quo ſuadibilis reddatur non exiſtentia Dei, intellectus namque operari nequit niſi ſub ratione veri: At intellectui ſibi relicto, & ex intrinſecis nequit ocurrere argumentum vllum, aut motiuum; quod ſuadeat ſic non exiſtentiam Dei. Ergo non poteſt inuincibiliter errare. Conſequentia patet, maiorque. Minor ſuadetur, nam vbi ratio quantumuis ruſtica applicatur ad inueſtigandam exiſtentiam Dei, potiora & ſuadibiliora argumenta ſtatim inuenit, vt aſſentiatur, quàm vt diſſentiatur, ſi quidem conformius eſt experientiæ, quod detur vna prima radix, & fons, vnde reliqua dimanent, quàm vt procedatur in infinitum, præterquam quòd neque per proceſſum hunc ſatisfit exigentiæ, & indigentiæ rerum quin ab aliquo incauſato ſint vt ſuprà dixi; Si ergo ruſticus percipit motiua, & argumenta, difficultateſque in exiſtentia Dei, à fortiori ſuadibilior apparebit exiſtentia. At per ſe notum eſt, & quaſi primum principium teneri hominem in re tanti momenti ſequi partem probabiliorem, & ſecuriorem. Euidens enim eſt non eſſe practicè probabile vtrumque extremum contradictionis, quod ſit Deus, & quod non ſit, & conſequenter licèt ſpeculatiuè vtrumque apparenter ſit verum, vnum tamen eſſe determinandum. Iam ſi vnum ſolum eſt eligendum, quis non iudicet ad aſſentiendum probabiliori, ſi aliquid reputandum improbabile, vtique pars minùs probabilis; ergo ſi fortè erret Ruſticus, error euidenter erit culpabilis, & ex prauo voluntatis affectu operantis contra obligationem, quam videt. Quod argumentum etiam vrget, vt in hoc caſu intellectus non debeat manère anceps, & ſuſpenſus, quia in re tanti momenti etiam ſuſpenſionem damnat primum rationis Principium.

55 *Secus ab extrinſeco ſeu authoritate extrinſeca.*

Locutus ſum in hac concluſione de errore circa exiſtentiam Dei habito, quaſi ab intrinſeco rationis diſcurſu, nam occaſionatus ex praua extrinſeci Doctoris inſtructione facilè concipi poteſt iſte error inuincibilis ab homine ſimplici, vt inuincibiliter modo credit Parocho dicenti Deum eſſe vnum in eſſentia, & quatrinum in Perſonis, cui propoſitioni ſecundum ſe magis, reſiſtit naturale lumen, quam carentiæ exiſtentiæ Dei. Hinc facilè admitto abſolutè ignorantiam poſitiuam inuincibilem in ruſticis Atheiſtis, nam in his non ita viuidè fulget rationis lumen, vt ſuo diſcurſui magis fidere debeant, quàm ſuorum ſapientum inſtructioni.

56 *Ignorantia negatiua diuturna, ſecluſo prauo doctore etiam eſt moraliter impoſſibile, quòd inuincibilis ſit.*

De ſecunda ignorantia priuatiua, ſi loquuntur pro longo vitæ decurſu, ſecluſo prauo doctore extrinſeco, moraliter impoſſibile apparet eam eſſe poſſe in aliquo rationis compote omnino inuincibilem. Quî enim fieri poteſt vt viſa tanta creaturarum pulchritudine, & varietate non excitetur ſpecies quis ſit omnium Artifex? inter tot occurrentes calamitates non eleuetur animus aliquando in communem medicum? Dictante naturali rationis lumine etiam occulta bona proſequenda eſſe, & mala fugienda, quo pacto poteſt non oberrare menti aliquam eſſe occultam mentem noſtris ſenſibus inuiſibilem, quæ etiam occultorum Inſpectrix ſit? Vt omittam ſpectare debere ad Dei Prouidentiam infundere ſaltem ſuſpicionem de fine, in quem quemlibet hominem creauit, ſiquidem cuilibet mediorum virtutis notitiam indidit quantumuis ruſtico. Suſpicione autem vel ſpecie ſemel excitata; Ingenita hominis conditio, & magnitudo ſumma rei non permittit ſuſpenſum manere intellectum rationis compotem, quin iudicium ferat. At ex dictis concluſione præced. nullus poteſt ex ſe præſtare inuincibiliter iudicium negatiuum; ergo tenetur dare affirmatiuum exiſtentiæ Dei. Confirmatur ex amore vitæ, & attentione cuiuis ingenita in indagandis mediis vt ipſa protrahatur, vt ab incommodis, & inclementiis vindicetur. Moraliter videtur impoſſibile vt non occurrat cuilibet, ſitne aliquis euentuum etiam naturalium Dominus, qui valeat ipſum à malis liberare naturalibus à morte imminenti ingruentis Cæli, Maris, vel Terræ tempeſtatis eripere. Hæc autem cogitatio impedit quòd ignorantia Dei ſit omnino inuinſibilis.

Nihilominus phyſicè loquendo nullum apparet conuincens ſignum, ex quo euidenter deducatur non poſſe homini ruſtico, in Syluis, ſolitariè enutrito huius rei ignorantiam omnino inculpatam contingere, per omnimodam incogitantiam. Nam ſine dubio poteſt contingere per breue tempus, & conſequenter ſi ſtatim iſte homo moriatur, iam ignorabit inuincibiliter finem, qui in illum creatus eſt, & mediorum, ſeu præceptorum naturalium notitiam habuit. Iam verò cur prædictus ſyluicola non poterit continuò manere ſub hac incogitantia? libertas autem, & deliberata cogitatio ad merendum, vel demerendum ſatis intelligitur, dum in confuſo ſub ratione aliqua implicita Deus concipiatur, de quo in tract. de peccatis, modò enim de clariori, & explicita ratione agimus, qua Deus vt talis, ſeu vt Author huius vniuerſi, & cauſa incauſata concipitur. 57

Huic ſententiæ ſic explicatæ nihil nocent contrariæ opiniones initio huius ſect. poſitæ. Ad primam affirmantem abſolutè ignorantiam inuincibilem, reſpondeo exiſtentiam Dei vt certò & euidenter demonſtrabilem longâ indigere diſcuſſione, cæterùm, vt iudicetur obligatorium eſſe eidem quantumuis non euidenter apparenti aſſentiri maximè obuium eſſe; ſic contingit in pluribus præceptis naturalibus, & operationibus naturaliter prohibitis, & intrinſecè malis, quarum malitia difficilè per rationem directè conuincitur, vt patet in mendacio, fornicatione, vſura, *&c.* At reflexè obligatorium eſſe eaſdem vt malas reputare, facilè nunc cuiuis patefit, cùm malitiæ ratio vel ſapienti lateat. Ad confirmationem mea ſententia non procedit interueniente praua Magiſtri inſtructione, vt conſtat ex dictis. 58

59 Ad ſecundam opinionem abſolutè negantem, prout opponitur meæ ſecundæ concluſioni, reſpondeo ad fundamentum ex authoritate, primò ſatis ipſi occurri, dum dicamus in iis teſtimoniis ſermonem eſſe de communiter contingentibus, vel de integra Communitate, & Regno, vel ſi mauis de ignorantia poſitiua; etenim iuxta has acceptiones nunquam per ſe loquendo excuſationi de tali ignorantia datur locus. Secundò etiam dico verum eſſe, quod cuilibet homini inſit debitum inquirendi Deum; At tale debitum, & obligatio ſolùm vrget pro tempore, quo applicata eſt; & excitantur ſpecies; aliàs probarent hæc teſtimonia ſemper eſſe cognoſcendam exiſtentiam Dei, quod nulli homini accidit. Cùm ergo contingere poſſit homini in ſyluis enutrito, vel breuiter è vita diſcedenti, nullas excitari ſpecies ſuſpicandi, aut dubitandi rationem vllam circa exiſtentiam Dei, vt vidimus, talis homo obligatione illa non vrgebitur.

60 Rationes, quæ pro hac ſententia adducuntur, infringuntur facilè. Ad primam reſpondeo, plures etiam rationes honeſtatis, & malitiæ nos latere; quòd ſi patent aliæ, verbi gratia, quæ innituntur illi principio: *quod tibi non vis, alteri ne feceris*. Iſtæ rationes non ſunt tam abſtractæ à ſenſibus, quàm Dei exiſtentia, fundantur enim in naturali experientia ſenſibili, quòd Læſio in corpore ſit nociua patienti, & rurſus in amore naturali proximi, vt debito amandi ipſum, ex quo facilè rationis lumen colligit malam eſſe lęſionem, quod totum non adeo remotum eſt à ſenſibus. Vel etiam dici poteſt potiùs harum actionum malitiam notam eſſe hominibus, quia ad Phyſicam conſeruationem eorundem potiùs pertinet, quàm cognitio de exiſtentia Dei. Ad ſecundam reſpondeo imprimis, nos hic non diſcutere appareat-ne Deus ſub aliqua ratione implicita omni peccanti. Deinde facilè dici poteſt nullam actionem apparere, quòd ſit ita mala, vt præ omnibus malis ſit fugienda, & in omni occaſione; adhuc tamen apparere peccaminoſam hic & nunc, quia hic & nunc fugienda eſt. Quemadmodum vſurpare rem alienam, inuito poſſidente iuſtè, peccatum eſt; licèt non ſit fugiendum præ extrema neceſſitate, ſiquidem in extrema neceſſitate licitum eſt talem rem vſurpare. Ergo nunquam actio peccaminoſa apparet ita mala, vt præ omnibus ſit fugienda. Vt peccaminoſa eſt formaliter dicitur præ omnibus fugienda; quia nomine *peccati* ſolùm venit actio pro tempore, pro quo fugienda eſt; quare reduplicatiuè vt ſic omnino fugienda non eſt ſignum quòd abſolutè ſit malum omnibus aliis maius. Ad tertiam reſpondeo, non ita ſemper excitari ſpecies de deriuatione actionis eſſendi, ſicut de aquæductu, cùm non appareat ſenſibus continuato filo proceſſio eſſendi, ſicut proceſſio aquarum; ſi tamen excitentur ſpecies, iam ignorantia vincibilis erit, vt dixi concl. 1.

Quo pacto ſit verum malum peccati fugiendum eſſe præ omnibus aliis.

61 Circa præſentem difficultatem plura alia dicenda reſtant; placet tamen ea remittere ad alios particulares tractatus, in quibus ſub ſpecialibus prædicatis oſtenditur nulli poſſe accidere inuincibilem ignorantiã de exiſtentiam Dei, vt in tractatu de vltimo fine, de peccatis, & de Incarnatione. Modò hæc ſufficiant, vt appareat quàm inſita hominibus ſit notitia de exiſtentia Dei, & quàm facilè demonſtrationi ſubiaceat. Vt verò *quid ſit* (quantùm datur in via cognoſci) *Deus*, ſeu quæ ſit quidditas Dei? conſtabit ex præmiſſis priùs tribus diſputationibus ſeqq.

R. P. Ant. Bern. de Quiros, de Deo.

DISPVTATIO XIV.

Vtrum detur aliqua diſtinctio à parte rei, ſeu ex natura rei actu, & formalis inter perfectiones diuinas?

SECTIO I. *Quid ſit identitas realis, ſeu in quo conſiſtat aliqua eſſe realiter idem.*

SECTIO II. *Nulla datur in Deo diſtinctio realis, niſi inter perfectiones relatiuas.*

SECTIO III. *Dari aliquam diſtinctionem minorem reali, ſed tamen actualem & formalem ex natura rei; Qui ſentiant, & quibus fundamentis.*

SECTIO IV. *Nulla datur diſtinctio formalis ex natura rei inter perfectiones diuinas.*

SECTIO V. *Reſpondetur contrariis argumentis.*

SECTIO VI. *Soluitur vltimum argumentum obſeruata bona doctrina pro neceſſitate diſtinctionis realis in tertio, ad verificanda prædicata contraria inter formalitates realiter identificatas.*

POSTQVAM egit S. Thomas qu. 2. de exiſtentia Dei, hinc incipit quærere à quæſt. 3. eius prædicata, & naturam, ſeu perfectiones, quas communiter nomine attributorum vocamus, licèt autem formaliter non examinet, in qua perfectione formaliter conſiſtat eſſentia, & quidditas Dei, ſed videatur in præſenti ſolùm agere de attributis, & quaſi proprietatibus Dei; at in hoc ipſo explicatur eſſentia Dei; vnde D. Thom. in Proæmio huius quæſtionis tertiæ præmittit ſe agere de Deo, quomodo ſit, vt ſciatur de eo quid ſit: quod mihi veriſſimum eſt, qui ſentio infrà eſſentiam Dei formaliſſimè conſiſtere in cumulo, ſeu collectione omnium perfectionum. Incipit autem in hac quæſt. 3. inquirere, quomodo conueniat Deo ſimplicitatis perfectio: Sed quia ſimplicitatis notitia maximè habetur iuxta modum, quo diſtinctio adſtruitur inter partes; ideo prænoſcendum eſt, quatenus iſta admitti poſſit in Deo: diſtinctio autem ex oppoſita identitate dignoſcitur maximè reali, quæ eſt ſimpliciter talis.

Vide infrà qu. 3. art. 7. dub. 1 & q. 4. art. 2. dub. 4.

SECTIO I.

Quid ſit identitas realis, ſeu in quo conſiſtat aliqua eſſe realiter idem?

PRima ſententia ſic explicat realem identitatem, vt ea ſint realiter idem, quæ ſunt inſeparabilia, vnde quæ cùm ſint inſeparabilia adhuc recipiunt prædicata contradictoria, diſtinguentur ſolùm formaliter, vel ratione noſtra, non tamen realiter. Ita Scotus 2. diſtinct. 2. quæſt. 2. 1

Prima ſententia per inſeparabilitatem, identitatem exponit.

F 3 Smiſing

Scotus. Smiſing. Auerſa. Smiſing tract. 2. de Deo, diſp. 1. quæſt. 2. num. 50. Auerſa 1. Metaph. quæſt. 5. ſect. 8. Ratio eſt, quia ſeparabilitas eſt ſignum diſtinctionis; ergo è contrà inſeparabilitas erit ſignum indiſtinctionis, ſeu identitatis. Confirmatur ex ſententia Scoti; nam attributa diuina realem identitatem habent, inter quæ tamen ſola inuenitur hæc inſeparabilitas.

2 *Refellitur.* Suar. Hæc opinio ſuſtinenda nullo modo eſt: quamuis enim euidens ſignum diſtinctionis realis ſit ſeparabilitas mutua, vel non mutua, vt probat Suarez diſput. 7. Metaph. ſect. 2. §. 2. quia nequit idem ſimul exiſtere, & non exiſtere; at hoc non eſt vnicum ſignum diſtinctionis, vt eo deficiente neceſſariò admittenda ſit identitas, vt patet primò in correlatiuis, quæ ſunt ſimul, ac per conſequens inſeparabilia naturâ, & cognitione: ſic perſonæ diuinæ ſunt inſeparabiles, & tamen ſunt realiter diſtinctæ: & idem continget in duabus rebus, quæ ſint eſſentialiter æternæ, ex quo neceſſariò erunt inſeparabiles, ſimulque coexiſtentes. Similiter ſi duo extrema identificentur in tertio, & non inter ſe, ex hoc erunt inſeparabilia, & non identificata inter ſe: denique totum eſt inſeparabile à partibus vnitis, à quibus diſtinguitur realiter iuxta Scotum, Scotus. Hugo. vt fatetur Hugo bonus Scotiſta in Scholio ad eam quæſt. 2. Scoti. Secundò è conuerſo in ſententia Scoti natura non diſtinguitur realiter, ſed ſolùm formaliter à ſingularitate, à qua tamen eſt ſeparabilis, etenim natura humana, verbi gratia eſt in Paulo ſine Petreitate. Tertiò vel ad diſtinctionem realem petitur ſeparabilitas è rerum natura, vel ſolùm è ſuppoſito? Si primum? anne quia duæ res forent inſeparabiles, vna exiſtens in cælo, alia in terra, ideo forent identificatæ? Si ſecundum? eadem ratio, & titulus inſeparabilitatis, quæ fingi poteſt ſine identitate, dum ſunt res diſtantes, poteſt dari, quando ſunt in eodem ſuppoſito: deinde natura diuina eſt in diuerſo ſuppoſito, in quo non eſt Paternitas, ſcilicet in Filio, & tamen eſt idem natura Filij cum Paternitate.

3 Vnde patet nullius roboris eſſe rationem adductam pro hac prima ſententia; Confirmatio autem pluris non eſt; nam aliam rationem infrà exhibebo identitatis realis attributorum Dei. Dices inſeparabilitatem ſecundùm ſe non eſſe ſignum identitatis, ſi proueniat vel ex dependentia vnius rei ab alia, vel ex propria natura æterna vtriuſque aut alio munere correlationis, veritatis, &c. tunc enim potiùs eſt affixio, quàm identitas, vt amor neceſſariò dicit carentiam odij, cum qua tamen non identificatur licèt ipſi affigatur neceſſariò titulo eſſentialis incompoſſibilitatis cum odio. Cæterùm quando inſeparabilitas præciſo omni munere connexionis, dependentiæ, &c. immediatè, & directè rebus realibus competit nulla peculiari conditione attenta, ſed præcisè quia vna exiſtit, exiſtit altera neceſſariò; tunc, inquiunt, talis inſeparabilitas cum identitate conuertitur. Sed contra; ſi hi Authores excludunt omne munus, & fundamentum inſeparabilitatis, nego poſſe tantam eſſe inſeparabilitatem inter duo extrema, vt ſaltem de potentia abſoluta non valeant ſeparari; niſi ponantur *identificata*; ſi autem ponatur identitas, nil hîc explicatur; nam id quæritur, quid ſit identitas iſta, à qua venit tanta inſeparabilitas.

4 *Secunda ſententia* Fonſeca. Secundò identitas realis explicatur, qua duo non diſtinguuntur, vt res à re: ita Fonſeca 5. Metaph. cap. 6. qu. 6. ſect. 1. §. *Quare potius*: appellans *duas res*. Primò duo ſuppoſita, vel accidentia duobus ſuppoſitis communia, ſecundò cauſam, & effectum. Tertiò pro lucens, & productum. Probatur, nam quæ manifeſtè non identificantur realiter, ſemper diſtinguuntur ſic vt res à re: in his autem, quæ identificantur, omnia alia ſigna, quæ poſſunt eſſe pro diſtinctione reali, inueniuntur præter aſſignata, etenim *recipiunt contradictoria*, vt filiatio, & natura diuina; *actu independenter ab intellectu vnum non eſt aliud*, vt intellectio diuina, & principium Spiritus-ſancti: Item *ſeparantur*, vt Deus à denominatione *volentis* liberè producere mundum, cum quâ tamen realiter identificatur.

Sed contra; quia identitatem vel diſtinctionem eſſe realem, non ſumitur ex qualitate, vel conditione extremorum; ſed hac ſecluſa conſideranda eſt communicatio, vel incommunicatio rerum, id patet, primò in diſtinctione rationis, vbi vtrumque extremum eſt res ſimpliciter, & ſi vis, vtrumque erit ſuppoſitum, vt ſi idem ſuppoſitum per rationem diſtinguas in duo: Secundò duo ſuppoſita realia vltra hoc quod ſint *ſuppoſita*, habent non eſſe idem, ſeu eſſe duo realiter. Rogo nunc, ex quo conceptu habeant eſſe duo, vel diſtincta? Tertiò Gilbertus Porretanus non dixit ſapientiam diſtingui vt rem ſic ſtrictè à Deitate; tamen damnatus eſt tamquam tollens identitatem realem ſapientiæ. Ad rationem oppoſitam reſpondeo illam ſumi à poſteriori, hîc autem inquirimus rationem à priori, & conceptum identitatis; vt appareat, quod ſit totum ſignum diſtinctionis realis. 5 *Reijcitur identitatis explicatio per indiſtinctionem vnius ab alio, vt rei à re.* Gilbertus Porretanus.

Tertiò identitas explicatur à recentioribus: *Summa vnitas, vel communicatio duorum conceptuum ſe perficientium*, id eſt, tanta, quanta relucet in repetitione eiuſdem conceptus, v.g. rationalitas identificatur realiter in homine cum animalitate, quia perinde eſt quoad æſtimationem, & realitatem dicere: *rationalitas, & animalitas*, quàm *rationalitas & rationalitas*. Quare quando datur vna formalitas, quæ ex parte obiecti tantam petit coniunctionem cum alia, vt præcisè titulo *exigentiæ* ad tam arctam communicationem ſit tantæ perfectionis, quantæ eſt vtraque formalitas ſimul, quatenus exigentia communicationis adeo perfectæ æquiualet poſſeſſioni illius, hîc datur identitas realis. Fundamentum huius explicationis eſt; quia nulliuſconiunctionis, quantumuis arctiſſimæ exigentia valet euehere vnum extremum ad perfectionem alterius ſimul, vt tanti ſit, quanti vtrumque; niſi ſit exigentia identitatis; nam vnio hypoſtatica arctiſſimè petit coniungi cum verbo, neque ideo in ſe eſt tantæ perfectionis, quantæ verbum. Confirmatur, quia per ſe notum eſt, quòd repetitio eiuſdem conceptus non cauſet multiplicationem, ſeu diſtinctionem, nil etenim notius, quàm idem prorſus dici per propoſitionem identicam: *homo eſt homo*: *rationalitas eſt rationalitas*. Ergo quoties realiter, & ex parte obiecti loquendo tanti vna formalitas eſt, quanti vtraque ſimul, perindeque eſt repetere eundem conceptum, ac nouum prædicare, ſignum clarum eſt has formalitates, & conceptus ex parte rei identificari, verbi gratia, rationalitas cum animalitate, quia idem eſt ex parte obiecti dicere *rationalitas eſt animalitas, ac rationalitas eſt rationalitas*. Vide diſp. 15. à §. 63. 6

Sed contra, vel dicis quod tantæ ſit entitatis vna formalitas, quanti vtraque, vel quòd tantæ ſit perfectionis? Si primum? Paternitas non eſt filiatio, ſicut natura, non enim habet paternitas eſſe, ſeu entitatem filiationis, quam habet natura, cùm natura ſit filiatio adhuc tamen paternitas eſt idem cum 7 *Identitas non bene explicatur, quod ſit Summa communicatio duo-*

rum mutuò ſe perficien-tium.

cum natura, ſeu identificatur cum natura. Si di-cas ſecundum? Paternitas non dicit tantam perfe-ctionem, ſaltem extenſiuè, quia non eſt filiatio, ſi-cut natura, identitas autem, vt ſit ſumma com-municatio, perindeque ſit ex parte obiecti *Pater-nitas eſt natura* ac *Paternitas eſt Paternitas*, opus eſt, vt neque extenſiuè maiorem dicat perfectio-nem natura aliàs, licèt ab eſſentia diuina realiter ſe-pararetur omnipotentia; diceretur, identificata adhuc cum eſſentia: nam omnipotentia ſolùm ad-dit extenſiuè perfectionem, non autem intenſiuè eſſentiæ diuinæ; quia hæc, & omnes formalitates diuinæ infinitæ ſunt, & conſequenter non creſcunt intenſiuè, nam vnum infinitum non eſt formaliter maius alio. Item Paternitas cum filiatione iden-tificabitur: nam filiatio ſolùm addit perfectionem extenſiuam. Dices, ſed filiatio non perficit Pa-trem. Contra, vna formalitas ex eo quòd perficiat aliam non identificatur cum illa; ſi ſemel diſtincta eſt, vt patet in gratia perficiente hominem. Ergo filiatio, licèt per impoſſibile perficeret Patrem, ad-huc ſeruare poſſet ſuam diſtinctionem ab illo.

8 Ad rationem oppoſitam reſpondeo: quando vna formalitas tantæ perfectionis, & entitatis eſt; quan-tæ altera ſimul, fateor identitatem dari. Cæterùm id neceſſarium non eſt vt nuper vidimus; & vel eſt dicere notum per ignotius, priúſque eſt ponen-da identitas, quàm colligatur tantitas perfectionis vel eſt dicere: quando vnum eſt entitas alterius ſi-mul tunc identificari, quod nil explicat, niſi iuxta definitionem, quam iam expono.

9 *Nouum ſuper identitate conceptum aperio.*

Vnum idem realiter cum alio definio; *quod eſt aptum eſſe illud à parte rei, & independenter ab in-tellectu.* Probatur diffinitio primò; ens reale bene diffinitur, quod eſt aptum ad exiſtendum à parte rei. Ergo tunc rectè diffinitur vnum *realiter eſſe aliud*, quando à parte rei, eſt aptum eſſe, ſeu exi-ſtere illud. Antecedens patet iuxta omnes; conſe-quentia etiam, quia quo explicatur res eſſe in ſe, explicabitur rem quaſi tranſire, vt ſit alia; ſi enim reſpectu alterius habet, quòd reſpectu ſui habebit eandem identitatem. Confirmatur; ex eo proba-tur, quòd res habeat aliquod prædicatum realiter, quia independenter ab intellectu eſt apta, vt ſit tale prædicatum verbi gratia Angelus eſt aptus, vt ſit ſubſtantia. Ergo vniuerſim vna formalitas iden-tificatur cum alia, quando eſt apta eſſe illa ex par-te obiecti.

10 D. Thomas.

Secundò à contrario diſtinctio realis eſt inter il-la, quorum vnum repugnat eſſe aliud ex parte rei: *Et hoc non eſſe illud* eſt formaliter diſtingui ab illo, vt ait Diuus Thomas in 1. diſtinctio. 5. quæſtione 1. articulo 1. ad primum, & diſtinctione 34. quæſt. 1. art. 1. ad 2. 1. contra Gentes cap. 36. & 1. part. quæ-ſtione 13. artic. 12. quod latè probat P. Faſolus 1. part. quæſt. 4. art. 2. dub. 12. Patetque, quia ſicut ſimpliciter res *non eſt*: quando ex parte rei non exiſtit, ita non eſt aliud, quando ex parte rei non exiſtit (ſeu *non eſt*) aliud; Ergo è contrà identifi-cari eſt vnum eſſe aliud. Confirmatur; quia non alia ratione ſcimus. Deitatem identificari cum filiatio-ne, ſecus Paternitatem, niſi quia ex parte rei *Dei-tas eſt filiatio*, *Paternitas non eſt filiatio.*

Faſolus.

11 *Diſtinctio in genere.*

Tertiò arguo inductione ab aliis identitatibus. Idem cum aliquo ratione noſtra eſt, quod ratione noſtra eſt illud idem formaliter; quod formaliter eſt illud. Ergo idem realiter, quod à parte rei, & realiter eſt tale. Vnde confirmatur: omne, quod identificatur cum alio, eo modo, quo identificatur, ſit idem cum illo; *eſt illud*: Sic animalitas, quam-tùmuis ſit idem realiter cum rationalitate, quia per rationem non eſt rationalitas, non identifica-tur per rationem cum rationalitate; Ergo identi-ficari formaliſſimè conſiſtit in eo, quòd res ſit illud eo modo quo dicitur identificari. Ergo identitas realis formaliſſimè eſt aptitudo, vt vna res ſit alia obiectiuè; & verè ex parte rei.

Obiicies primò: iuxta Scotum, independenter ab intellectu gradus ſuperior non eſt inferior, à quo tamen non diſtinguitur realiter. Reſpondeo hinc præcipuè impugnabo Scotum. Deinde Sco-tum, non dicit ſimpliciter, & abſolutè identifica-ta *non eſſe*; nunquam enim abſolutè dixit: *Pater-nitas non eſt natura*, ſed cum addito: *non eſt for-maliter.* 12

Vindicatur ab obiectionibus. Scotus.

Obiicies Secundò. Diſtinguentes virtualiter dicunt *Volitio non eſt principium verbi*; cùm tamen volitio identificetur realiter cum principio verbi; nulla enim eſt formalitas abſoluta in diuinis, quæ diſtinguatur realiter ab alia. Reſpondeo, illà pro-poſitio eſt falſa. Si verò inſtes in hac, quæ ve-riſſima eſt realiter, & abſolutè: *natura non gene-ratur*, quin tamen *generari* diſtinguatur realiter à natura. Reſpondeo *generari naturam* non identi-ficatur cum natura; quia nuſquam datur *generari naturam*, identificatur autem *generari filiationem*: At ex parte obiecti: & realiter loquendo natura apta eſt *eſſe generari filiationem.* Cur autem ge-neretur filiatio, & non natura, cùm ſint idem prorſus, dicam ſectione vltima. 13

Obiicies tertiò: Petrus niger eſt aptus, vt ſit albus; & tamen non identificatur cum albo; ſi dicas non poteſt eſſe albus; ſeu non eſt aptus vt ſit albus ſecundùm totum, quod dicit *album*; (nam non eſt albedo) ſed ſecundùm rectum; ſeu habens albedinem. Contra; Petrus niger neque eſt rectum ſeu habens albedinem non identificatur cum hoc, quod ſit *habens albedinem*; Siquidem habere albe-dinem poteſt ſeparari ab ipſo; quando namque ni-ger eſt, falsò dicetur eſſe, *Rectum habens albedi-nem.* Ergo per aptitudinem vt vnum ſit aliud, non explicatur identitas. Confirmatur; ly *eſt*, quod affirmatur, quando Petrus eſt albus, negatur, ſeu ſeparatur, quando eſt niger, ſeu *non eſt albus.* At non eſt ſeparabilis identitas. Ergo identitas non benè à nobis diffinitur. Reſpondeo: *habens albe-dinem*: duo dicit, & ſubiectum, cui poteſt ineſſe albedo, & actualem inhæſionem albedinis, Petrus non poteſt eſſe *habens albedinem* ſecundùm to-tum, quod includitur in hac denominatione; ſed ſecundùm priorem partem, quæ ſemper identifica-tur cum Petro; at quia deficit ſecunda pars, deno-minatio *albi* etiam deficit, quæ implicitè non ſolùm de Petro, ſed de inhæſione albedinis affirmat *exi-ſtere*, quare non mirum ſi albedine deficiente defi-ciat denominatio *albi.* Ad Confirmationem ly *eſt*, quod negatur per *non eſt albus*, ſolùm cadit, & de-ſtruit inhæſionem, ſeu vnionem albedinis: Huius autem identitatem, ſeu exiſtentiam benè deſtruit. 14

Obiicies quartò identitatem ſic explicari à po-ſteriori; nam veritas affirmationis excluditur, vel colligitur vt ex menſura priori ex indiſtinctione, vel identitate; quare quia natura identificatur cum Paternitate, ideo *natura eſt Paternitas*, & è contrà; ideo *Paternitas non eſt filiatio* quia diſtinguitur, ſeu non identificatur cum filiatione. Ergo priùs eſt ex-plicandum quid ſit *eſſe idem* ſeu identitas; nam ex menſura, menſurabile cognoſcimus, Vt ex vlnâ quantitatem panni menſurati; non è contra. Reſ-pondeo hanc obiectionem torqueri poſſe contra 15

 omnes

omnes aduerſarios: nam *inſeparabilitas, Vnitas*, vel *communicatio* ſumma, vt vna formalitas tauri ſit, quanti vtraque, conſtare non poteſt, nec intelligi niſi ex identitate, & ex eo quòd vnum ſit aliud.

Affirmabilitas quo pacto ſumatur hic.

Deinde hìc non ſumo affirmabilitatem in ordine ad intellectum, ſed obiectiuè in eſſe rei explico quid ſit vnum identificari cum alio, & ſic à priori diffinitur *eſſe aptum, vt ſit aliud*; ſicut non à poſteriori, ſed à priori diffinitur ens reale: quod *eſt aptum eſſe*, & ex hac conditione obiectiua colligitur veritas formalis affirmationis, v. g. *homo eſt aptus eſſe, ſeu eſt ens reale*. Ergo ſimiliter dicendum de hac conditione obiectiua *eſt aptus eſſe rationalis*, vt per id bene explicetur realis identitas cum rationali; & hinc à priori colligatur veritas formalis ſimilis affirmationis, vt à veritate obiectiua per ſe nota.

Hircocerus vt identificetur cum chymæra.

Vrgebis: non ſolum ratione noſtra, & per conceptus confuſos, ſeu fictitios: *Hircocerus eſt chymæra*, ſeu eſt aptus, vt ſit chymæra; ſed verè, & ſine vlla fictione ſimpliciter, & abſolutè vera eſt iſta propoſitio: *Hircocerus eſt chymæra*, & tamen nulla hìc interuenit realis identitas, ſiquidem in ente rationis, & ficto nihil poteſt eſſe veræ entitatis, & conſequenter nec realis identitatis; ergo iſta non bene vniuerſaliter definitur, qua res eſt apta, vt ſit alia: Reſpondeo nos hìc loqui de identitate inter formalitates, & entitates reales: ſic quidquid fuerit entitatis realis, & aliunde habuerit aptitudinem vt ſit aliud, hinc neceſſariò habebit identitatem realem cum illo. Ex hac tamen definitione colligi poterit identitas proportionata inter entia negatiua: vt identificentur ſuo modo prout apta fuerint, vt de illis alia affirmentur, vel negentur; ſic carentia lucis dicitur identificari cum tenebris, non autem cum ſilentio, ita ergo Hircocerus identificatur cum chymæra, non identitate reali, quia iſta ſimpliciter denotat extrema realia; neque identitate rationis; quia iſta denotat ſolùm per conceptus noſtros, vel ſolum fictitiè euenire, ſed identitate verà licèt negatiua; ad modum quo de mendacio dicitur, quod *verè eſt mendacium*, quæ explicatio ſimiliter adhibenda eſt in omni ſententia ſuprà. Denique obiici poteſt è conuerſo, inter cognitionem, & repræſentationem obiecti dari identitatem realem; verè enim idem realiter eſt cognitio cum repræſentatione, ſeu in ipſa cognitione formalitas repræſentationis cum formalitate vitalitatis, & tamen repræſentatio non eſt apta vt ſit vitalis independenter ab intellectu, cùm totum ſuum habeat cognitio, & repræſentatio dependenter ab intellectu. Huius obiectionis clara eſt ſolutio ex his quæ communiter dicuntur, ne denominationes *cogniti, definiti*, &c. ſint entia rationis; quia ſcilicet non pendent ab intellectu ſolùm obiectiuè, ſed effectiuè, alias nulla cognitio foret ens reale: vti ergo datur entitas, ita & identitas realis.

SECTIO II.

Nulla datur in Deo diſtinctio realis, niſi inter perfectiones relatiuas.

16 Dari diſtinctionem realem inter perfectiones relatiuas, æquè manifeſtè docet Catholica fides, ac eam negat tam relationum, ſeu perfectionum relatiuarum ab eſſentia, ſeu perfectionibus abſolutis, quàm harum abſolutarum inter ſe, vt ſic detur vnitas in Trinitate, Trinitatemque in vnitate veneremur. Ratio naturalis de Trinitate eloqui non valet, nobis tamen ſola fides ſufficit; huic etiam illa auxiliatur circa indiſtinctionem abſolutarum perfectionum, vt vnitas, & ſimplicitas perfecta detur, nihilque potentiale, & incompletum detur in diuina natura; quare huius rei argumenta dabimus, cùm ſpeciatim de ſimplicitate, & vnitate Dei ſermo redibit in Indice quæſtionum D. Thomæ: modò conſtet à fortiori ex his, quæ dicemus in ſequentibus nullam repugnantiam inueniri in eo, quòd omnes Dei perfectiones abſolutæ in vnam ſimpliciſſimam conueniant; ſi enim tot Angelus vnus continet in ſua ſimplici ſubſtantia? ſi vnus intellectus ad tot obiecta cognoſcenda ſe extendit, cur in infinitæ perfectionis ſubſtantià non inuenientur ſine diſtinctione coniunctæ omnes aliæ virtutes, & perfectiones, quæ in inferioribus reperiuntur diſperſæ? Iam verò per ſe notum eſt ſpectare ad excellentiam Dei, ſi in ſimpliciſſima & vnica entitate contineat omnes has perfectiones, nam cæteris paribus eo excellentior eſt perfectio, & virtus, quò indiuiſim plura continet, & poteſt, ideo intellectus noſter adeò præſtat brutorum ſenſibus. Ergo Dei perfectio vt infinita omnino ſit, omnes perfectiones debet per ſimpliciſſimam, & indiuiſam identitatem continere.

Probatur identitas perfectionum abſolutarum Dei.

Gualterus. Auguſt. Niphus.

Gilbertus Porretanus. Bernardus. Concilium Rhemenſe.

Ioachimus.

Contra hanc fidei Catholicæ, & rationis veritatem errarunt plures. Aliqui adſtruentes ſimpliciter, & abſolutè realem diſtinctionem inter ipſas perfectiones abſolutas; ita Gualterus, & alij quidam tacito nomine relati ab Auguſt. Nipho in dilucidario lib. 12. Metaph. diſput. 13. cap. 3. Item ſaltem diſtinxit realiter perfectiones relatiuas ab eſſentia Gilbertus Porretanus Pictauienſis Epiſcopus, vt patet ex D. Bernardo ſerm. 80. in Cantic. & ex Concil. Rhemenſ. ſub Eugen. III. Idem tenuit Ioachimus damnatus in Concil. Lateran. Circa perfectiones abſolutas errauit Gualterus, quia putauit non poſſe in identitatem conuenire perfectiones, quæ ad diuerſa prædicamenta ſpectant. Errarunt Gilbertus, & Ioachimus ob difficultatem identificandi cum tertio, quæ diſtinguuntur inter ſe. Sed hæc difficultas lumine fidei vincitur, victo, & captiuato intellectu in eius obſequium; putatio verò Gualteri facilè ipſo naturali lumine apparet falſa, cùm in creatis actio, & paſſio, pluraque alia identificata ſint, quantumuis ſub diuerſis prædicamentis ponantur.

Durandus.

Mairon. Ioannes de Viterbo. Argentin.

Durandus lib. 1. diſt. 33. quæſt. 1. num. 23. Catholicè adſtruit ſimpliciter identitatem realem, nihilominus addit neceſſarium eſſe dicere, quòd eſſentia & relatio differant aliquo modo realiter, ſaltem ſecundùm quid, & cum determinatione; determinationem autem hanc ſæpe in tota quæſtione, maximè verò num. 15. & 27. explicat, vt relatio differat ab eſſentia, ſicut differt modus à re; ſicut res, & modus ſe habendi talis rei. Cuius ſententiæ videntur eſſe Maironius. 1. diſp. 8. quæſt. 1. art. 3. & 4. Ioan. de Viterbo, cuius meminit Argent. 1. diſp. 8. quæſt. 1. art. 4. Qui Authores rurſus nituntur difficultati identificandi in tertio, quæ diſtinguuntur inter ſe; putant verò molliri diſtinctionem realem, ſi ſolùm adſtruatur tamquam modi à re ſed falluntur; nam iſta non eſt minùs vera, & ſtricta diſtinctio realis, quàm ſi intercederet inter rem, & rem; ſolo diſcrimine attento in debilitate, & imperfectione extremorum, quæ nil minuit de veritate diſtinctionis, ſic non minùs diſtinguitur lux à tenebris, quàm ab alia luce, licèt in tenebris ſit minùs entitatis, imo nihil. Quare hæc ſententia præcedenti

denti nouam abſurditatem addit, quaſi Pater verbi gratia entitate imperfecta conſtituatur diſtinctus à Filio.

19 Omiſſis igitur his ſententiis, ſeu potiùs erroribus, ſi impugnent realem identitatem, hac omnino cum Catholica fide firmiter ſtatura, de qua ſolùm in controuerſiis contra Hæreticos, vel infideles agitur in Scholis Catholicis, largam dedit diſputandi occaſionem Scotus ſuâ diſtinctione media inter realem & rationis, quam formalem vocauit, de qua latiùs agemus, vt præſenti muneri aptiore, imo non ſolùm vtiliore, ſed omnino neceſſaria, è qua, vt notat S. Thom. 1. diſt. 2. quæſt. 1. art. 3. in Corp. *Pendet totus intellectus eorum, quæ in primo libro ſententiarum* (id eſt de Deo, de quo totus eſt ille liber) *dicuntur*; quod omnino certum eſſe manifeſtè experietur, qui in toto hoc opere notauerit nil firmum ſtatui poſſe, niſi vel ſtatuta, vel deſtructa hac diſtinctione ex natura rei; ſiue formali, vt eam intendunt antiqui Scotiſtæ cum ſuo Magiſtro Scoto, ſiue virtuali, vt eam iam conſtituunt noui Scotiſtæ, ſecuti Doctores Recentes ſocietatis, maximè in hac Prouincia Caſtellana, de qua diſtinctione latiſſimè agam diſp. ſequenti.

Scotus. S. Thomas. *A recta intelligentia diſtinctionis formalis pendet totus intellectus eorum quæ de Deo in ſe dicuntur.*

SECTIO III.

Dari aliquam diſtinctionem non realem inter perfectiones diuinas, ſed tamen actualem, & formalem ex natura rei, Qui ſentiant? & quibus fundamentis?

20 Scotus in 1. diſt. 8. quæſt. 4. quem omnes Scotiſtæ Recentiores ſequuntur cum Theodoro Smiſing. tom. 1. de Deo diſput. 1. tract. 2. quæſt. 2. numero 40. Item plures ex antiquis, catholicè negans diſtinctionem realem inter perfectiones diuinas, affirmat tamen diſtingui ex ſe, & ex natura rei, ſeu ex parte obiecti independenter ab intellectu, eamque diſtinctionem eſſe actu, & formaliter, & non ſolùm fundamentaliter, ſeu virtualiter. Hæc diſtinctio decantatiſſima eſt iam olim apud Doctores Franciſcanos, vt ea vna Aquilas primò erexerit, & diuiſerit à Thomiſtica ſubtilis Scotiſtarum Schola. Authores pro illa vide apud Radam ſua 1. part. contr. 4. concluſ. 3. & 5. Ouandum 1. diſt. 8. prop. 3. & 4. & Smiſing. vbi ſupra, num. 42. qui omnes licèt hanc diſtinctionem variis nominibus appellent, conueniunt tamen in eo, quòd ſit maior, quàm puræ rationis darique actu & formaliter in re ipſa, ſeu ex natura rei præciſa omni operatione intellectus: item fatentur omnes eſſe minorem diſtinctione reali, quare iure eam appellant *mediam* inter realem, & rationis, conuenientem cum reali, quia datur independenter, & antecedenter ad intellectum; cum rationis diſtinctione, quia non eſt ſimpliciter diſtinctio, ſed cum addito, *formalis*.

Diſtinctio Scotica ex natura rei proponitur. Scotus. Theodor. Smiſing. Rada. Ouandus. Smiſing.

21 Primum fundamentum pro hac diſtinctione ſumitur ex authoritate Patrum, & Theologorum. 1. dum dicunt in Deo dari plures perfectiones, vnum attributum præſtare, & addere aliquid alteri nouum; eſſe quaſi proprietates, & accidentia eſſentiæ: tunc ſic; iſta non intelliguntur ſolâ ratione noſtra, quid enim Patres tantopere curarent iſta exponere contra hæreticos, ſi ſolum vera forent per noſtram cogitationem; ſed non arguunt realem diſtinctionem quam prohibet fides. Ergo mediam ex natura rei. Secundò Auguſt. lib. 3. contra Maxim. cap. 10. in fine ait pluralitatem perſonarum non obſtare ſimplicitati Dei, ſicut non obſtat attributorum pluralitas. Igitur ſentit horum pluralitatem non eſſe ſolius rationis, ſed ex natura rei, alioqui nulla eſſet paritas. 3. Theologi probant vnum attributum per aliud à priori verbi gratia æternitatem per immutabilitatem; Ergo quia ex parte obiecti non ſunt omnino idem, aliàs probaretur idem per idem; & non eſſet: *negotiari circa Deum* (ait Mayron. in Prolog. quæſt. 1.) *ſed circa proprios conceptus*: & *ad quid* (verba ſunt Scoti ſuprà) *Doctores, qui tenent oppoſitam opinionem, implent tot quinternos, oſtendendo vnum attributum ex alio, ſi non eſt inter ea, niſi differentia relationum rationis tantummodo.*

Fundamenta pro Scotica diſtinctione referuntur. Auguſt. Mayron. Scotus.

Secundò rationibus arguunt, quas ita euidentes, & efficaces credit Mayronius 1. diſt. 8. quæſtione 3. & 5. vt dicat ſolum proteruum poſſe eis reſiſtere. Sic igitur arguunt. Sapientia in re ipſa, & obiectiuè loquendo non eſt formaliter bonitas, ſeu volitio. Ergo neque Sapientia infinita erit in re formaliter infinita bonitas. Conſequentiam probat Scotus; quia ſi ſapientia in ſe non eſt bonitas, quamtumuis infiniretur manebit diſtincta à bonitate, quemadmodum quia *Producens* eſt diſtinctum à *producto*, adhuc ſeruatur diſtinctio, quamtumuis accedat infinitas; item ex Ariſt. 1. Top. cap. 7. quæ definitione differunt, neceſſariò diſtinguuntur; quia autem ſapientia, vt ſic, differt à bonitate definitione, ita & diuerſæ definiuntur, quantumuis vtraque ſit infinita. Iam antecedens probatur, tum ex diuerſa definitione, quam dicit ſapientia; tum etiamſi ſapientia includeret formaliter bonitatem, ſeu eſſet formaliter bonitas, vbiuis ſapientia includeret bonitatem, ſemper enim fert ſuum conceptum formalem. At eo ipſo quòd in re ipſa de ſapientia nequeat verè dici: *non eſt formaliter Bonitas*, iam includet formaliter bonitatem, *ſeu erit formaliter bonitas*, nam obiectiuè, & in re ipſa medium non datur inter eſſe, & non eſſe. Ergo *ſapientia* (in re ipſa, & obiectiuè loquendo) *non eſt formaliter bonitas.* 22

Mayron. Scotus. Ariſt.

Tertiò in cognitione diuina, apparet res ſicut eſt in ſe obiectiuè, & ex natura rei. At in cognitione Dei apparent attributa diuina vt *multa* & diſtincta; ergo in ſe actu, & ex natura rei diſtincta ſunt. Conſequentia patet, & maior propoſitio, nam Deus maximè cognoſcit res, vt ſunt in ſe. Minor ſuadetur: Deus de ſe cognoſcit non habere tantùm vnicam perfectionem, ſed multas, eſſe *pelagus* infinitæ perfectionis, non eſſe intellectiuum ſolum ſeu præciſè ſapientem; Ergo eſſe plus aliquid, quatenus bonus eſt (ſi enim eſſe bonum non eſt pluſquam eſſe ſapientem, præciſè erit eſſe ſapientem) Pluralitas autem diſtinctionem neceſſariò importat. Confirmatur: Deus de ſe cognoſcit conuenire quidem, ſed non in tota eſſentia cum ſapientia creata, aliàs nõ minùs Deus careret bonitate, ſeu volitione, quàm ſapientia creata. Ergo cognoſcit in ſe aliquid conueniens, & aliquid non conueniens, & conſequenter aliquid, & aliquid, ſeu aliud; & aliud, quod multitudinem præſefert; Ergo cum Deus non aliter cognoſcat obiectum, quàm ipſum eſt in ſe, dicendum eſt in ipſo Deo dari multitudinem, ſeu diſtinctionem perfectionum ex natura rei. 23

Quartò diſtinctio attributorum in Deo fundat diſtinctionem realem proceſſionum, ſeu emanationum diuinarum Perſonarum, ideo enim proceſſio 24

Fili

Filij diſtinguitur realiter à proceſſione Spiritus-ſancti, quia illa eſt per intellectum, iſta per voluntatem. Ergo iſta attributa ex parte obiecti, ſeu ex natura rei actu, & formaliter diſtinguuntur, & non ſolùm per noſtram conſiderationem. Conſequentia probatur; nam ſi attributa verè, & actu non diſtinguuntur; conſequens eſt, vt non minùs proceſſio Spiritus-ſancti ſit per intellectum, quàm proceſſio Filij: Ergo ſolùm ratione noſtra, non autem verè, & ex natura rei hinc poſſunt haurire diuerſitatem. Confirmatur: ex natura rei actu & formaliter, & non ſolùm per noſtram cogitationem hæ propoſitiones ſunt veræ, imo & de fide, vt ait noſter Zuniga diſput. 3. de Trinit. dub. 6. num. 5. *Verbum ſeu filius procedit per intellectum: Spiritus-ſanctus non procedit per intellectum*, ſed per voluntatem: ita conſequenter voluntas ſpirat, intellectus non ſpirat. Ergo non ſolùm virtualiter, ſed actu & formaliter ex natura rei intellectus aliud eſt, ſeu diſtinctus à voluntate. Vnde vrgentiſſimè & vnicè.

25 Quintò arguit Smiſing vbi ſuprà tract. 2. de Deo, diſp. 1. q. 2. n. 43. vti per viam ſeparationis realis cognoſcitur diſtinctio realis, ita & diſtinctio ſaltem ex natura rei formalis, per ſeparationem formalē, qua vna formalitas actu ex natura rei negatur de alia ab intellectu perfecto inſpicienti res, ſicut ſunt in ſe, ſi enim verè ex parte obiecti: *vna ratio non eſt alia*, ſeu (quod idem eſt) de vna verè affirmatur, quod verè negatur de alia ex parte rei, neceſſariò in ipſa natura rei datur vnum, & aliud; vna non eſt alia, vt conſtat ex dictis ſect. 1. *ex eo enim, quòd res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa.* Tunc ſic; ſed de diuinis attributis actu ex natura rei verificantur contradictoria, verbi gratia, Intellectus *eſt principium Verbi*: Voluntas *non eſt principium eiuſdem Verbi*: & conſequenter ly *principium Verbi*: (quod etiam eſt prædicatum abſolutum Dei; identificatum que realiter cum voluntate, ſiquidem indiſtinctum omnino eſt ab intellectu abſoluto) negatur de voluntate; Ergo iam vna perfectio diuina diſtinguitur actu ex natura rei ab alia, cum qua identificatur realiter. Vnde etiam ſequens argumentum ſumi poteſt; ſi fortè negentur dari contradictoria inter attributa.

Smiſing.

26 Sextò igitur ſic arguitur; non magis vnum attributum identificatur realiter cum alio, quàm vna relatio cum eſſentia, vel natura. Sed non obſtante hac identitate Paternitas, verbi gratia, ex natura rei actu, & formaliter diſtinguitur ab eſſentia. Ergo ſimiliter. Maior, & conſequentia manifeſtæ ſunt. Minor propoſitio probatur; Nam de eadem re ex parte obiecti nequeunt verificari duo prædicata contradictoria, ſeu affirmatio, & negatio eiuſdem prædicati actu, & formaliter, niſi detur ſimilis diſtinctio actu, & formalis, vti non verificantur contradictoria rationis, niſi inter diſtincta per rationem noſtram, de quo latiùs agam diſput. ſeq. ſed de paternitate, & natura verificantur actu, & formaliter ex ipſa rei natura independenter ab intellectu plura contradictoria, Paternitas *enim diſtinguit*; Natura *non diſtinguit*. Paternitas *generat*: Natura *non generat*. Natura *eſt Filiatio*: Paternitas *non eſt Filiatio*. Ergo Paternitas ex natura rei actu, & formaliter eſt aliquo modo alia, ſeu diſtincta ab eſſentia Dei: Ergo & vnum attributum, ſeu perfectio Dei poterit diſtingui formaliter ex natura rei, quamuis realiter non diſtinguatur ab alia. Hoc argumento, & paritate deſumpta ex myſterio Trinitatis maximè inſultant Scotiſtæ.

SECTIO IV.

Nulla datur diſtinctio formalis ex natura rei inter perfectiones diuinas.

Hæc ſententia communiſſima eſt omnibus Scholis (extra Scoticam) cum Magiſtro in 1. diſtin. 8. 33. 34. & 45. S. Thom. 1. part. qu. 13. art. 4. Corpore, vbi omnes Thomiſtæ, & ex profeſſo in 1. diſt. 2. qu. vnic. art. 3. Item ex Franciſcanis Nominales cum Okamo 1. diſt. 2. qu. 1. S. Bonauent. 1. diſt. 34. quæſt. 2. ad 5. Aureol. 1. diſtinct. 8. part. 3. art. 6. Alenſi 1. part. quæſt. 23. memb. 4. art. 1. Item Durandiſtæ cum ſuo Magiſtro Durando, qui licèt loco ſuprà citato inter relationem, & eſſentiam admittat diſtinctionem modalem realem, & inter attributa neget omnem diſtinctionem ex natura rei in 1. diſtinct. 2. qu. 2. Imo ipſe Scotus huius ſententiæ communis fuiſſe exiſtimatur à multis, modo cum Suarez 1. part. lib. 1. cap. 10. Faſol. 1. part. qu. 4. art. 2. dub. 12. num. 92. & iam olim apud Arimin. 1. diſt. 8. qu. 1. art. 2. quaſi ſolùm voluerit per ſuam diſtinctionem formalem ponere diſtinctionem rationis cum fundamento, Sed hæc æſtimatio mihi dubia eſt, & parum de mente Scoti qui 1. diſtinct. 2. quæſt. 7. §. *Sed hic reſtat vlterior difficultas*, cum præmiſerit duo genera diſtinctionis ſeu duas differentias manifeſtas *rerum*, ſcilicet, *& in intellectu*, addit: *Ex his concluditur differentia hic intenta, quæ eſt immanifeſta, & nimirum, quæ minima eſt diſtinctio in ſuo ordine, id eſt, inter omnes, quæ præcedunt intellectionem*: Si igitur quando mentionem facit de diſtinctione per intellectum, hanc aliam, quaſi nouam aperit, vocatque *immanifeſtam*, & incognitam, procul dubio non cenſet ipſam eſſe ſolam diſtinctionem rationis, quæ notiſſima eſt. Præterea vbi ſuprà paulò poſt initium §. citati volens ſtatuere hanc ſuam diſtinctionem inter relationem, & eſſentiam hæc habet: *Dico ſine aſſertione, & præiudicio ſententiæ melioris, quòd ratio, qua formaliter ſuppoſitum eſt incommunicabile, & ratio eſſentiæ vt eſſentia habent aliquam diſtinctionem præcedentem omnem actum intellectus creati, & increati.* Iam verò ſi ſolùm intendit Scotus ſtatuere ſententiam communem, vt quid loquitur *ſine aſſertione*? vt quid timet ſe recedere à ſententia meliori eamque diſtinctionem ponit etiam reſpectu intellectus *Increati*: reſpectu cuius nil diſtinguitur, niſi quod in re diſtinctum eſt; diſtinctio enim rationis noſtri intellectus eſt, non Dei. Quare cenſeo ab Scoto aliquam diſtinctionem maiorem, quàm rationis intentam eſſe, quam trepidanter ipſe amplectitur, intepidéque iam tutantur omnes eius diſcipuli. 27

Partem negantem vt veriorem contra Scotum, eiuſque aſſeclas amplector.
Magiſter. S. Thomas. Nominales. Okam. Bonauent. Aureol. Alenſis. Durandus. Suarez. Faſolus.
Scoti mens.

Eam ego, cuiuſque ſit vehementer auerſor, non quia probem notas aliquorum Doctorum, quibus hanc ſententiam iniurunt. Suarez diſput. 2. met. ſect. 2. eſſe *valde falſam*. Zumel 1. part. quæſt. 4. artic. 2. quæſt. 3. *non ſatis conſonare fidei*. Torres 1. part. quæſt. 28. art. 1. diſp. 1. *malè ſonare in fide* Caietan. 1. part. quæſt. 39. artic. 1. *erraſſe* Scotum P. Didacus Ruiz diſp. 11. de Trinit. ſect. 7. num. 5. cum Molina, & Vaſquez etiam hoc tempore *Temerariam eſſe, & parum tutam*. Quas cenſuras mirari nequeunt Scotiſtæ vt à nouiori, & feruentiori animo ad pauca reſpicienti exortas, cùm iam olim has notauerit, & rigidiores circa Scoti tempora

Suar. Zumel. Torres. Caietanus. Didacus Ruiz. Molina. Vaſquez.

Mayro

Mairon. Mayronius 1. diſt. 8. quæſt. 3. vbi de hoc loquens *Dico*, inquit, *temerarium eſſe dicere aliquam opinionem illarum eſſe hæreticam.* At vt dixi nullatenus notas prædictas in Scotum probo, mihi enim ſufficit vt hæc diſtinctio formalis ex natura rei indemnis omnino ſeruetur, quod eam defendendam totis viribus nunc nunc florentiſſima Scotiſtarum ſchola ſuſcipiat, ob quorum Authoritatem præciſè probabilem eſſe permittam, non quia ratione ſatis probetur, vti latè defendit Ægidius de Præſentat. libro 5. de Beatitudine quæſtione 5. artic. 4. Quare ob ſequentia argumenta diſtinctionem ex natura rei formalem inter perfectiones diuinas reiicio: Quia verò maximè inſtant Scotiſtæ in diſtinctione relationum ab eſſentia, hinc libet eiuſmodi diſtinctionem reiicere, ex quo à fortiori conſtabit nullatenus inter perfectiones abſolutas, ſeu attributa ſuſtinendam.

29 *Rationibus agitur. Omnis distinctio actu ex natura rei eſt realis.* Primò igitur ſic arguo. Hæc diſtinctio formalis ſi ſit ex natura rei antecedenter, & independenter ab intellectu, eſt ſimpliciter & abſolutè conſenda *realis*: non minùs quàm ea, quæ datur inter vnam Relationem diuinam, & aliam. Sed ſic non diſtinguitur relatio ab eſſentia iuxta fidem; ergo. Maior probatur. Omne ens, quod exiſtit ex parte obiecti independenter ab intellectu, eſt reale, & oppoſitum veræ carentiæ: Sic enim definitur *ens reale*: quod eſt aptum exiſtere independenter ab intellectu; vnde adæquatè diuiditur ens tanquam in reale, & rationis, in id, quod exiſtit à parte rei, & id quod dependēter ab intellectu; ergo ſignū eſt. quòd omne ens, quod exiſtit independenter ab intellectu, eſt reale. Ergo ſimiliter diſtinctio, quæ datur independenter ab intellectu actu, & formaliter ex parte obiecti, erit realis oppoſita carentiæ diſtinctionis, ſeu veræ identitati. Conſequentia ſuadetur; quia ſicut ſe habet res, vt ſit ſimpliciter, ita ſe habet proportionatè, vt non ſit: Sicut enim affirmatio eſt cauſa affirmationis, ita negatio eſt cauſa negationis. Ergo ſi dari aliquid actu independenter ab intellectu facit *ens reale*; non dari actu tollet ens reale. Ergo non dari quoad aliquod prædicatum, ſeu *eſſe*, tollet quoad illud *eſſe reale*, & conſequenter tollet realem identitatem cum natura. Confirmatur; quia ſi liceret ponere diſtinctionem, quæ cum actu ſit independenter ab intellectu, non ſit *realis*, ſed media ex natura rei, ſimiliter poſſumus fingere entia, quæ cùm dentur actu ex parte obiecti antecedenter ad intellectum, non ſint entia realia, ſed *media* ex natura rei.

30 *Oſtenditur ſpecialiter inter intellectionem, & volitionem.* Secundò generaliter ſic probatur nullam perfectionem diuinam poſſe actu abſolutè ex parte obiecti negari de alia independenter ab intellectu, quin diſtinguatur realiter ab ipſa. Implicat, quòd res realiter ſit, de qua verificatur actu independenter ab intellectu: *non eſt*: ergo implicat, quòd ſit aliquid aliud res illa, de qua verificatur non eſſe illud verbi gratia intellectio implicat, quòd ſit ſeu exiſtat; quando verificatur ex parte obiecti, & ex natura rei independenter ab intellectu: *non eſt*; ergo implicat, quod intellectio exiſtat, ſeu ſit volitio, ſi hæc ex natura rei eſt vera: *intellectio non eſt volitio*; Conſequentia patet à ſuperiori ad inferius negatiuè. Confirmatur primò; neceſſariò habet identitatem cum volitione (excludo exempli gratia diſtinctionem Scoticam inter intellectionem & volitionem diuinas, quæ ſunt attributa maximè diſtincta apud Scotum, qui ſemper vt diſtinguat, comparat ſapientiam cum Bonitate) habet inquam identitatem cum volitione id, de quo verificatur: *eſt volitio*: ergo è contrà non habet identitatem cum volitione id, de quo verificatur: *non eſt volitio.* Confirmatur ſecundò; Finge ſeparari volitionem ab intellectione, deſtruique vtriuſque identitatem, quo alio modo id accidet, quàm per *non eſt volitio.* Si ex eo quòd dicamus: *non eſt idem*: diſtinguitur ab identitate. Ergo per ly *non eſt volitio* diſtinguetur à volitione. Confirmatur tertiò: eſſe idem cum volitione, & eſſe ipſam volitionem ſynonima ſunt quid enim eſt volitio, niſi identitas ſui, niſi idem ſecum; ergo ſi intellectio non eſt volitio, neque erit idem cum volitione. Denique ſi ſtat realiter, & in eodem ſenſu eſſe volitionem, & non eſſe volitionem. Ergo ſtabit etiam, quòd ly *idem cum volitione* ſit affirmabile, & negabile ex parte obiecti; ſeu hæc ſtabit. *Intellectio eſt idem cum volitione*: Licèt rurſus iſta ſit vera ex parte obiecti: *intellectio non eſt idem cum volitione*: quo nihil abſurdius.

Tertiò ex eo ſolùm colligimus Filiationem diſtingui realiter à Paternitate, quia ex natura rei independenter ab intellectu *non eſt Paternitas*; ergo omnis perfectio diſtinguitur realiter ab ea de qua ex natura rei negatur independenter ab intellectu. Confirmatur primò: *produci* à parte rei independenter ab intellectu facit Filium *realiter productum*, & hinc realiter diſtinctum. Ergo *non eſſe* à parte rei faciet *realiter negatum*, & hinc realiter diſtinctum. Etenim ex ſe non requiritur potiùs diſtinctio ad principiandum aliud, quàm ad non eſſendum aliud. Confirmatur ſecundò. Negatio eſt diſtinctio prædicati negati; ergo negatio actu, eſt diſtinctio actu, ſed diſtinctio actu independenter ab intellectu eſt diſtinctio realis, ſicut *homo* exiſtens independenter ab intellectu, eſt *homo realis*, *miſericordia* eſt *miſericordia realis*, ens quod actu exiſtit independenter ab intellectu, eſt *ens reale*; quin detur medium inter ens reale, & rationis; ergo neque inter diſtinctionem realem, & rationis; ergo neque inter negationem realem & rationis. 31 *Filiatio quia ex natura rei non eſt Paternitas, colligitur diſtincta realiter.*

Quartò: Vnum non diſtinguitur ab ente; ergo ſicut eſt realiter ens, quod independenter ab intellectu exiſtit, ita erit realiter vnum, quod independenter ab intellectu vnum, ſeu indiuiſum eſt; ergo è contrà quod independenter ab intellectu eſt diuiſum, ſeu negatum erit realiter plura. Cur quod euenit independenter ab intellectu, dicitur realiter euenire? *Vt exiſtere*: *currere*, *loqui*, & cætera, & eodem modo non dicimus de *diſtingui*, ſeu *non eſſe*. Confirmatur implicat dari effectum formalem ſine cauſa formali. Sed *diſtinctio* eſt cauſa formalis *non eſſendi aliud*; Sicut enim carentia eſt cauſa formalis *non eſſendi* ſimpliciter, ita diſtinctio eſt cauſa formalis non eſſendi aliud, & quidem non ſolùm *diſtinctio* qualiſcumque, ſed vera, & realis, tum quia carentia vera, & realis requiritur ad *non eſſe* in rerum natura, ex quo ſimiliter requiritur vera, & realis diſtinctio ad non eſſendum aliud; tum etiam quia *diſtinctio* proportionatur modo non eſſendi aliud. Ergo implicat *non eſſe* aliud verè, & independenter ab intellectu ſine diſtinctione vera ab hoc alio: vel è contrà arguo implicat cauſa formalis in abſtracto ſine effectu formali in abſtracto, nam idem prorſus ſunt. Sed *non eſſe* eſt cauſa formalis diſtinguendi, & diſtinctio eſt effectus quaſi in abſtracto. Ergo vbi primum inuenitur, etiam ſecundum. Minor probatur; quia formalis, & adæquata ratio deſtruendi aliquid, eſt *non eſſe illud*; per quid enim immediatius, & formalius deſtruitur *eſſe*, quàm per *non eſſe*? ergo formalis, & adæquata ratio deſtruendi aliquid in alio, vel ab alio (quod eſt diſtinguere) verbi gratia volitionem 32 *Vnum non diſtinguitur ab ente.*

volitionem ab intellectione erit, ſi in intellectione detur, *non eſſe volitionem*, vt pateret in prædicato accidentali, formaliſſimè enim deſtruitur *album* in pariete, quando in hoc non eſt albedo.

33 *Relatio non eſt realiter Natura eſt propoſitio hæretica.* Quintò: de relatione hæreticum eſt dicere, quòd *non eſt realiter Natura*; ſed ſi actu ex parte rei independenter ab intellectu diſtinguitur relatio à Natura, ſeu actu ex parte obiecti non eſt Natura, nec realiter relatio erit Natura; ergo relatio actu ex parte obiecti, ſeu ex natura rei non diſtinguitur à Natura. Conſequentia patet: maior eſt de fide. Minor probatur; tum quia vt ſæpe dixi, *res, quæ eſt, realiter eſt*, & quæ non eſt, *realiter non eſt*; Ergo quæ non eſt aliud, *realiter non eſt aliud*: tum etiam quia non aſſignabitur, quid amplius denotetur per ly *non eſt realiter* ſupra *non eſſe actu*, & ex parte rei, ſeu obiecti? Nam eſſe diſtinctionem realem non ſumitur ex qualitate & conditione extremorum iuxta dicta ſect. 1. n. 5. ſecluſa autem, & non attenta qualitate extremorũ, quòd ſc. ſint huius, vel illius conditionis nihil aſſignari poteſt per ly *non eſt realiter*, niſi quòd non ſit actu, & ex parte rei, in quo conceptu non minùs rigorosè comparatur relatio; vt non ſit natura, quàm vt non ſit alia relatio. Et rogo, quid in re aſſereret diuerſum, qui diceret relationem diſtingui realiter ab eſſentia, licèt neque vt nouum ſuppoſitum, neque vt nouum productum, quid, inquam, diceret diuerſum ab eo, quod dicit Scotus (*Scotus.*) ponens actu ex natura rei diſtingui relationem à Natura?

34 *Aliquorum ſolutio.* Dices; relatio Paternitatis ita communicatur Naturæ, vt vi huius communicationis, & coniunctionis, præcisè tanti ſit æquiualenter omnino, quanti Natura, & Paternitas ſimul, idque verè, & à parte rei, & hinc erit idem realiter cum Natura: nam nulla eſt tam arcta coniunctio præter identitatem, quæ det hanc æquiualentiam iuxta dicta ſect. 1. num. 6. etenim reſpectu Filiationis, à qua realiter diſtinguitur, non æquiualet ſaltem extenſiuè ſola Paternitas coniuncto ex Paternitate, & Filiatione. Rurſus adhuc diſtinguitur ex natura rei, & actu ex parte obiecti Paternitas à natura; alioquin non ſolùm æquiualenter, ſed formaliter contineret, & eſſet natura. Ergo ex parte obiecti dabitur hìc diſtinctio ex natura rei cum identitate reali. Vrgebis; vt hoc amplius explicetur, conſtetq; aliud debere eſſe etiam ex parte obiecti identitatis exigentiam; aliud autem identitatem ipſam, cùm ex ipſis terminis ſemper aliud ſit *exigentia*; aliud *terminus exactus*, ſeu terminus talis exigentiæ; exigentia enim eſt ad aliud. Nunc igitur ſic vrgebis. Paternitatem ita communicari naturæ, vt æquiualenter tanti ſit omnino, quanti natura, & Paternitas ſimul, quamuis ex parte obiecti non ſit formaliter ipſa natura. Etenim Paternitas *vt exigens* identitatem cum natura æquiualet perfectioni naturæ, tantæque æſtimationis eſt hæc exigentia, quantæ identitas ipſa. At Paternitas vt ſic formaliter nondum etiam ex parte obiecti eſt natura; ſiquidem exigentia non eſt formaliter poſſeſſio termini, quem exigit; ergo licèt Paternitas non ſit actu natura in aliquo vero ſenſu ex parte obiecti, ſeu ex natura rei, non ideo carebit ſumma communicatione identitatis realis.

35 *Præcluditur.* Hæc ſolutio ſatis impugnata eſt ſect. 1. quam vt vlterius reiiciam; dico, Paternitatem, ſi actu non ſit natura, non poſſe ob vllam coniunctionem tanti æquiualere; etenim qua alia ratione non æquiualet ſic Filiationi, niſi quia actu non eſt Filiatio. Dices coniunctio identitatis realis tanti æquiualet, licèt Paternitas actu non ſit natura. Contra; eam identitatem dico repugnare; vnde oſtendi poteſt, ſi actu Paternitas *non eſt natura* ex parte rei? Quare licèt poſſeſſio, & exigentia in rebus diſtinctis diuerſa ſint, ſecus in identificatis: nempe enim voles aliud eſſe exigentiam identitatis realis, aliud ipſam identitatem; alioquin poſſet ex parte obiecti vna formalitas exigere realem identitatem cum alia; licèt actu non identificaretur realiter; quare hìc perinde eſt omnimoda æquiualentia; & poſſeſſio, quo patet ad iſtam ſolutionem. *Exigentia ad identitatem eſt ipſa identitas.*

36 *Diſtinctio Scotica Gilberti Porretani mentem ſapit.* Arguo ſextò. Hæc diſtinctio ex natura rei incidit in ſententiam Gilberti Porretani, quæ vt dixi ſuprà ſect. 2. damnata eſt in Concil. Rhemenſi. Ergo non eſt admittenda. Antecedens probatur; quia nihil dixit Gilbertus de diſtinctione reali, neque vnquam cogitauit vnam relationem diſtingui, vt rem à re, a natura, neque ſicut diſtinguitur ab alia relatione, ſcilicet vt à producente, ſeu vt à ſuppoſito; ſed tantùm dixit *relatio non eſt ſapientia* in nominandi caſu. Sed in auferendi eſt *Sapiens ſapientiâ*, ſeu per ſapientiam vtique conceſſit: Si autem relatio ex parte obiecti actu *non eſt natura*, ſeu ſapientia in ſe verè non eſt ſapientia in nominatiuo. Confirmatur: *in nullo ſenſu catholico negari poteſt* (verba ſunt Concilij Rhemenſis contra Porretanum apud Vaſquez diſput. 120. cap. 2. *quin diuinitas ſit relatio, & relatio diuinitas.* (*Concilium Rhemenſe. Vaſquez.*) At ſi relatio ex parte obiecti actu non eſt diuinitas, hæc in aliquo ſenſu negari poteſt de illa; ad verificationem enim veræ negationis ſatis eſt, ſi ex parte obiecti vnum actu non ſit aliud. Ergo inciditur in ſententiam Porretani.

37 *Ad negationem veram ſufficit, quòd independenter ab intellectu vnum non ſit aliud.* Dices: relatio eſt natura realiter, licèt non ſit à parte rei, ſeu ex natura rei. Contra; ad negationem veram ſufficit, quòd ex parte obiecti, & actu vnum non ſit aliud; hìc autem relatio *non eſt natura*, idque non per figmenta noſtra, nec ſolùm virtualiter, ſed actualiter ex parte rei; Ergo verè natura poteſt negari de relatione. Confirmatur; ad affirmationem, requiritur, & ſufficit talis identitas, quâ verè vnum ſit aliud actu ex parte rei: Ergo ad negationem veram ſufficit, quòd actu ex parte rei non ſit illud. Explicatur: qui diceret *relatio verè in ſe non eſt Deitas*, licèt adiiceret Deitatem, non diſſidere à relatione vt rem à re, neque vt ſeparabilem, neque vt ſuppoſitum, adhuc malè audiret in fide. At iuxta Scotum & ſolùm de relatione non negatur natura, quia non habet has conditiones. Ergo adhuc verè contra fidem Concilij Rhemenſis natura ſimpliciter negari poteſt de relatione ex contraria ſententia. Denique vrgeo: contra Porretanum; volunt catholici, vt non magis verificetur ex parte rei de relatione concretum, quàm abſtractum. Hoc autem contradicit Scoto, qui in aliquo vero ſenſu independenter à noſtris fictionibus, & modo concipiendi imperfecto: dicit *relatio eſt ſapiens formaliter, non tamen eſt ſapientia.*

38 Septimò: Relatio cum natura faciet compoſitionem deſtruentem, & oppoſitam ſimplicitati Dei actu ex parte obiecti. Nam qualis fuerit diſtinctio, & pluralitas, talis erit compoſitio. Si ergo ex natura rei relatio, & eſſentia ſunt plura, dabitur compoſitio ex natura rei. Dices cum Scoto 7. Metaph. quæſt. 19. non eſt compoſitio, quia hæc plura (*Scotus.*) non ſe habent vt actus, & potentia. Contra; quia ſimplicitati, & indiuiſibilitati, quælibet pluralitas officit;

officit; ideo in diuinis non datur vna tantùm ſimplex, & indiuiſibilis, ſed multiplex perſona. Confirmatur: Magis obeſt Deó numerus (niſi in relatiuis) quàm compoſitio. At qualis eſt diſtinctio, talis eſt numerus; ergo repugnat diuinæ ſimplicitati relationem diſtingui ex parte obiecti actu à natura. Ad hoc argumentum reduci poſſunt aliæ obiectiones communes: prima; quod in ſententia Scoti ponatur quaternitas. Contra *caput damnamus de Trinitate ſumma*; ſiquidem natura iuxta Scotum non eſt quælibet trium relationum. Secunda: relatio in ſe ex natura rei non erit æqualis naturæ, ne ſint plures Dij; vt ait S. Bernardus contra Porretanum. Tertia: relatio non eſſet ratione ſui adoranda adoratione latriæ, cùm eſſet Deus, vt arguit Aureolus ſuprà qu. 1. art. 2.

Numerus niſi in relationibus magis dedecet Deum quàm compoſitio.

Bernardus.

Aureol.

39 Octauò: natura Patris nequit ex parte rei independenter ab intellectu noſtro actu diſtingui à natura Filij, ita vt dicatur ex natura rei, & independenter ab intellectu: *natura Patris non eſt natura Filij*: Ergo nec relatio actu diſtinguetur, à natura, vt poſſit dici *relatio non eſt natura*. Antecedens à nemine negatur; conſequentia probatur; tum quia non alia ratione hæc diſtinctio naturarum repugnat (ex parte obiecti loquendo, & independenter ab intellectu; nam ratione, & per conceptus noſtros nil refert) niſi quòd ex fide conſtet eſſe realiter eandem rem, indiuiſibilem naturam vtriuſque; at non minùs de fide eſt dari in Patre vnam indiuiſibilem entitatem, ſeu eſſe eandem rem in Patre relationem, & naturam. Ergo: tum etiam quia difficultas myſterij Trinitatis, & quod de eadem re nequeant verificari contradictoria, æquè inclinat in diſtinctionem naturarum, quàm in diſtinctionem naturæ à relatione, nam identificari cum diſtinctis eſt virtualis contradictio. Ergo ſi adhuc natura Patris non diſtinguitur ex parte obiecti à natura Filij; nec Paternitas à natura diſtinguetur.

Natura Patris diſtinguetur formaliter à Natura Filij iuxta principia Scoti.

40 Plura alia argumenta quæ contra diſtinctionem actualem ex parte obiecti; & ex natura rei relationis ab eſſentia afferri ſolent, tam ex conciliis, quam ex ratione, omitto; quia videri poſſunt apud Auctores; illud non omittam admiſſa hac diſtinctione nullam relinqui difficultatem ſupra lumen rationis naturalis in myſterio Trinitatis, quod notauit S. Bernardus lib. 5. de conſideratione ad Eugenium paulò poſt medium, dicens, cap. 7. *Subſtantia vna eſt, Perſonæ tres: quid mirum, quidue obſcurum in hoc; ſi Perſonæ ſeorſim à ſubſtantia cogitentur?* Nunc ſi natura verè in ſe non eſt Paternitas, quid mirum rationi naturali inueniri in Filio naturam, in quo non eſt Paternitas. Rurſus; ſi relationes ex parte rei non ſunt natura, quid mirum diſtingui inter ſe, licèt in natura eadem inueniantur, non-ne vbicatio, & ſubſiſtentia ſunt in eadem natura, nec tamen ſunt idem inter ſe, ſed omnino diſtinctæ? Vnde iuxta Scotum nulla erit in Trinitate difficultas ſupra rationem naturalem ex hoc principio *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*.

Bernardus.

In ſententia Scoti nil difficultatis erit in fide Trinitatis.

41 Denique non eſt omittendum iuxta fidem in capite *damnamus de ſumma Trinitate* Relationes eſſe *idem omnino, & omni modo* cum natura ſic diffinitur *In Deo ſolummodo eſt Trinitas, non quaternitas*, ſcilicet aliquo modo, *Pater, & Filius, & Spiritus-ſanctus ſunt idem omnino*, ſcilicet omnino idem in natura, Pater *eſt omnino ſimplex*, & conſequenter omnino idem: Item *relatio eſt eadem re cum natura, ſolùm verò ſecundùm modum intellectionis noſtræ differt*, iuxta Florent. ſeſſ. 15. & ſeſſ. 18. poſt medium §. *diuina ſubſtantia*. Ioannes latinorum nomine ait, *diuina ſubſtantia, & perſona re quidem ſunt idem, ſecundùm autem modum intellectionis noſtræ differre videntur*; & ſeſſ. 19. *ne tamen differre hæc putetis, niſi apprehenſione tantùm, & intelligentiâ*; & ſeſſ. 24. *non re, ſed ſola ratione Paterna hypoſtaſis à ſubſtantia ſeiungitur*: Bernardus lib. 5. de conſideratione, cap. 7. *Nil in ſe, niſi ſe habet; nil aliud in eo præter id, quod eſt, vniſſimus eſt.* At vbi ex parte rei relatio actu non eſt natura independenter ab intellectu, aliquo modo differunt, & non ſolùm ſecundùm modum noſtrum intelligendi, vt affirmant ipſiſſima verba ſententiæ Scotiſtarum.

Expenduntur verba Concil. contra Scotum.

Florentinum.

Ioannes.

Bernardus.

SECTIO V.

Reſpondetur argumentis oppoſitis pro diſtinctione ex natura rei inter perfectiones diuinas.

41 PRimum, quod mihi mirum eſt, deſumptum ex authoritate Patrum mirum inquam mihi eſt, cùm acriùs telum in ſententiam Scoti, Conciliorum, & Patrum teſtimonia ſuppeditent ea omitto, quia paſſim apud noſtræ ſententiæ Authores inueniuntur, conſulantur præcipuè noſter Ægidius, & Recupirus: hìc ſolùm audi Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 1. de ſumma Trinitate diffiniens tanquam fide diuina certum: *Deum æternum, immenſum, omnipotentem, incommutabilem, incomprehenſibilem, & ineffabilem, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum eſſe vnam eſſentiam, ſubſtantiam, ſeu naturam ſimplicem omnino.*) Hoc igitur nobis oppoſitum ex authoritate fundamentum, facilem ſolutionem habet. Primò fateor in Deo dari plures perfectiones, & vnam ex natura rei addere aliquid nouum alteri: at id non dicitur, quia vera pluralitas, & vera nouitas alicuius perfectionis diſtinctæ detur actu ex natura rei, ſed quia verè, & ex natura rei; & non ſolùm pro noſtro libito, & figmento in Deo ita eſt iuſtitia, verbi gratia, vt hæc eadem omnino, & indiuiſibiliter non ſit tantùm iuſtitia, ſed etiam miſericordia: Quod pulchrè denotauit Virg. Epiſc. Trident. li. . de Chriſto, & fide ſanctiſſimæ Trinitatis, *nunquid*, inquit, *diuerſitate virtutum compoſitus erit? nequaquam. Sed vnius virtutis multæ ſignificationum ſpecies: quia non aliud in eo ſapientia, aliud omnipotentia, aliud prouidentia*; cui conſonat Aug. 15 de Trin. cap. 5. *nullatenus*, inquiens, *aliud eſt in Deo eſſe, aliud viuere, vel intelligere, aliud poſſe.* Imo videtur iſte modus loquendi Scotiſtarum, dum dicunt conceptum *indiuidui* vagè ſumpti non diſtingui ex natura rei à tali indiuiduo, verbi gratia, *Petrus* vel *Paulus*: nam de Petro verum eſt dicere non ſolùm eſſe indiuiduum, ſed etiam tale indiuiduum, vnde plus eſt quàm præciſè *indiuiduum*; neque ideo *plus eſt diſtinctum ex natura rei*; idem igitur, & eodem modo dicendum eſt de pluralitate perfectionum Dei, per quam pluralitatem præciſè intendunt Patres non ſolùm dari in Deo iuſtitiam, ſed etiam miſericordiam, licèt indiſtinctas: Deo non minùs conuenire, & ſimilem eſſe ſuppoſito iuſto, quàm miſericordi, neque ſatis exprimi a nobis excellentiam Dei; cùm ipſum concipimus iuſtum niſi etiam miſericordem concipiamus, quæ doctrina, & inſtructio Patrum contra hæc

Scotiſtarum argumenta pro diſtinctione ex natura rei enervantur.

Ægidius.

Recupirus.

Concilium Lateranenſe

Virg.

Auguſt.

Dum dicitur in hac propoſitione Deus non ſolùm iuſtitia, ſed etiam miſericordia indiſtincta à iuſtitia.

Hæreticos magni momenti eſt; ac proinde digna tanto labore, & ſtudio Sanctorum.

43 Auguſt. Hinc ſecundò alia, quæ ponderantur ex Patribus, expediuntur. Auguſt. eo lib. 3. contra Maxim. arguit ad hominem: nam hæreticus admittebat in Patre plures perfectiones, & adhuc dicebat illas non ſe habere per modum partium componentium perſonam Patris, eo quòd iſta erat ſimplex; ex quo arguit Auguſtinus; ergo nec vna perſona erit pars diuinitatis, nam eadem eſt, & indiuidua deitas omnium perſonarum. Quod argumentum non tendit ad excludendam pluralitatem, & numerum in perſonis, ſed vt iſtæ non comparentur vt partes diuinitatis, quoad id autem bene arguitur à paritate attributorum, vt quemadmodum hæc non ſunt partes vnius entitatis ſimplicis, in qua adunantur, ità nec perſona vt pars diuinitatis cenſeatur, quæ iuxta Auguſtinum non minùs vnum quid ſimplex, & indiſtinctum facit, quàm faciant attributa cum eſſentia: hanc eſſe mentem Auguſtini demonſtrant eius verba; ſic enim ait lib. 3. contr. maxim. cap. 10 propè finem in tom. 6. *Si dixeris partes ſunt* (loquitur cum Maximino admittente plures perfectiones in Patre) *Vnum ergo Deum ex partibus compoſitum eſſe dicis. Non dico; inquis? Non ſunt ergo partes, & tamen quatuor ſunt* (nempe Bonitas, & ſapientia, & clementia, & potentia, quas præmiſerat) *& vna virtus eſt, eademque ſimplex eſt. Si ergo in vna Patris perſona, & plura inuenis ſed partes non inuenis: quantò magis Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus & propter indiuiduam deitatem vnus Deus eſt, & propter vniuſcuiuſque proprietatem tres perſonæ ſunt.* Ex quibus manifeſtè conſtat non attendi ad diſtinctionem, quam habeant inter ſe illæ perfectiones, ſeu attributa (de quibus etiam ipſe Scotus debet fateri non ita diſtingui, ſicut diſtinguuntur perſonæ, neque enim datur inter illa diſtinctio ſimpliciter realis, qualis inter perſonas, in quo videt euidentem inſtantiam, ſed (ad hominem) ad rationem, qua hæreticus ducebatur, vt non cenſerentur partes vnius Perſonæ, eo quòd iſta non erat compoſita, ſed ſimplex; Si ergo, non obſtante Trinitate perſonarum, eadem eſt omnium indiuidua deitas, immeritò dicetur hanc conſtitui ex illis, vt ex partibus.

Auguſt.

Scotus.

Quomodo comparetur ab Auguſtino pluralitas perſonarum pluralitati attributorũ.

44 Scotus. Tertiò: authoritas theologorum minùs adhuc nobis obſtare poteſt; nam Scotus ipſe, vt patet ex ſect. præced. initio, vt nouum quid, & præter omnium opinionem hanc diſtinctionem mediam ex natura rei non ſine timore adſtruxit iam olim, & modo ab omnibus aliis Scholis exploditur, manifeſtè; ergo pro nobis ſunt Theologi; neque ipſi inconſequenter procedunt oſtendendo vnum attributum ex alio neque quantumuis ex parte obiecti cenſeant eſſe omnino idem, & indiſtincta, probant idem per idem omnino; nam vt probatio non ſit ſimpliciter eiuſdem per idem, & inutilis, ſufficit eſſe diſtincta ex modo noſtro concipiendi, ſic enim iam fit, vt oſtendatur ex notioribus, ſeu ignotum per notum, quod bene contingit, licèt in re nulla detur diſtinctio, ſic nobis notius eſt, dum ſortes cernitur veniens à longe, venire *Indiuiduum* aliquod vagè, quàm determinatè, illud eſſe *ſortem*, quem nondum diſcernimus, quin tamen iuxta Scotiſtas vlla diſtinctio ex natura rei detur inter ſortem, & *indiuiduum* vagè acceptum. Sic dum inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur; notior nobis eſt virtus creatiua in Deo, quàm æternitas, licèt idem omnino ſint; ergo non inutiliter probatur iſta ex illa; probatur item Æternitas ex Immutabilitate tanquam ex ratione priori, non quia in ipſo obiecto ſimpliciſſimo Deo prioritas detur, ſed quia connotatiuè ad res creatas prior eſt rem eſſe immutabilem, quàm æternam; nam illud ad perfectionem eſſentiæ, iſtud ad proprietatem durandi ex perfectione eſſentiæ dimanantem reducitur.

Bene probatur vna perfectio per aliam indiſtinctam, ſi iſta nobis eſt notior.

Ad ſecundum argumentum à ratione ſolutionem præſtat Scotus ipſe diſputat, ſeu collat. 23. paulò ante finem, vbi ponit hoc argumentum, & ſoluit his verbis: *Dico, quod in creatis ſunt formalitates, & etiam diſtincta. Infinitas autem in Deo non tollit ipſas formalitates, ſed tollit earum diſtinctionem, In Deo autem eſt formaliter ſapientia, & formaliter Bonitas: diſtinctio autem eorum eſt ablata.* Dixi hanc ſolutionem præſtari ab Scoto, non dico pro ea eſſe, quia forſan ibi loquitur ſolùm diſputatiuè, & non ex mente propria. Ego abſolutè cenſeo ſapientiam abſtractè ſumptam, prout abſtrahit à creata, & increata, neque eſſe formaliter Bonitatem, neque illam poſitiuè excludere, ſed vt ſic, vti abſtractè ſumitur, ita & abſtrahere à diſtinctione, vel indiſtinctione; ſicut iuxta omnes abſtrahit à diſtinctione vel indiſtinctione reali, neque mirum eſt, ſi ſapientia ſic permittat mediũ inter eſſe, & non eſſe, nam ſapientia ſic non concipitur ſecundum ſtatũ, quem habet obiectiuè, ſed in noſtra cogitatione. Neque obſtant diuerſæ diffinitiones ſapientiæ, & Bonitatis, nam diffinitiones variantur, prout res diuerſimodè à nobis concipiuntur, vel prout alicubi formalitates definitæ dicunt diſtinctionem realem, licet ſic non diſtinguantur vbiuis. Denique neque obſtat; *Producens* ita diſtingui ex natura rei ex ſuo conceptu formali à *Producto*, vt eam diſtinctionem ſeruet etiam in Deo, ſeu quantumuis infinitetur; non inquam id obſtat, tum quia diſtinctio producentis à producto imperfectionis nullius eſt, imo maximæ perfectionis, dum in eſſentia vnitas ſumma ſeruetur, non ſic autem perfecta eſt diſtinctio in abſolutis; tum etiam id euidentiſſimè inſtatur in diſtinctione reali, quæ non ita permittitur ab Scoto inter perfectiones abſolutas, ſicut inter relatiuas.

45 *Scotus.*

Sapientia, & Bonitas ſecundùm ſe ex natura rei, quomodo includantur?

Ad tertium argumentum fateor à Deo cognoſci res, ſicut ſunt ex natura rei, & in ſe; fateor item ab ipſo cognoſci ſe non habere tantum vnicam perfectionem in ſenſu quo id explicui §. 42 in huius ſectionis initio; quatenus non ſolùm cum vna perfectione creata verbi gratia ſapientiâ, conuenit, ſed etiam alias in ſe formaliter, licèt indiſtinctè continet, vt volitionem, potentiam, &c. Quare Deus de ſe ſimpliciter dicit non habere multas perfectiones diſtinctas, ſed vnam ſimpliciſſimam; at in hac vnica plures creatas contineri formaliter, & propriè, proprietate formalitatis, & veritatis, quia ita verè inuenitur in Deo ſapientia, ac in creatis, at non proprietate diſtinctionis, vt dixit Scotus §. præced. Et hoc pacto Deus eſt in ſe, & cognoſcitur ab ipſo, quòd ſit Pelagus infinitæ perfectionis, Pelagus inquam ſine multitudine, & perfectione.

46 *In Deo eſt vnica tantum perfectio abſoluta ly tantum excludente diſtinctionẽ non verò excludẽre conuenientiam.*

Scotus.

Ad confirmationem, quæ fit in fauorem huius tertij argumenti, ſolutio aptanda eſt, quæ communiter præſtatur contradictioni ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, quam habet eadem res ſecundùm gradum ſuperiorem, & inferiorem, vti enim hìc eadem res ſimpliciſſima, quantumcumque ab omni alia formaliter diſtincta, eſt ſimilis, & diſſimilis alteri ſine vlla pluralitate formalitatum in ſe verbi gratia ſapientia diuina etiam vt diſtincta à volitione

47 *Similitudo in vna formalitate, & non in alia non arguit diſtinctionẽ ex natura rei in fundamento ſimilitudinis,*

ſed in termino.

volitione eſt ſimilis ſapientiæ creatæ, eo quòd vtraque ſit ſapientia; & rurſus diſſimilis eo quòd, diuina petat identitatem realem cum volitione, ad quam diſſimilitudinem non eſt multiplicanda noua formalitas, ne eamus in infinitum formalitatum proceſſum, ſiquidem hæc ipſa ſecunda formalitas eſt ſimilis, eo quòd formalitas ſit, & diſſimilis, quâ talis. Vti, inquam, hìc eadem res ſimpliciſſima eſt ſimilis, & diſſimilis alteri, ſeu non conueniens ſecundum ſe totam, ita eſſentia Dei non conuenit ſecundùm ſe totam cum ſapientia creata, non quidem eo quòd eſſentia Dei habeat partem, in qua conueniat, & partem in qua differat. Sed quia, cum eſſentia Dei ſimpliciſſimè ſit ſapientia, & volitio, verbi gratia, in ſapientia creata deeſt aliqua pars, ſcilicet eſſe volitionem, quam requirit ſimilitudo omnimoda, & adæquata, ſimilitudo namq; petit duo extrema ex æquo, quorum quolibet immutato perit, & conſequenter vno partialiter immutato, partialiter immutatur & ſimilitudo. Quare cùm Deus de ſe dicit: *Ego non conuenio in tota mea eſſentia cum ſapientia creata.* Hæc propoſitio non ſignificat dari in eſſentia Dei partem diſſimilem, & partem ſimilem; ſed ſimilitudinem ipſam eſſe partialem, & defectuoſam ex parte, non quidem ex parte diuina diſtincta ab ea, quæ ſimilis eſt; ſed ex parte creata deficiente creatæ ſapientiæ, ſeu diſtincta realiter à ſapientia creata vnde prædicta propoſitio facit hunc ſenſum: *In complexo ex mea eſſentia, & ſapientia creata dantur duæ ſapientiæ, ſed non duæ volitiones.* In quo neſcio quid contradictionis, vel diſtinctionis finxit ex parte Dei Smiſing tractat. 2. de Deo, diſput. 1. quæſt. 2. num. 50. vt magni faciat pro diſtinctione Scotica hoc argumentum quaſi quis dicat, & diuidat Petrum in duos, quia cùm alio homine facit numerum binarium hominum, ſecus cum equo: Item cum ternario hominum facit quaternarium, quem non facit cum binario.

Smiſing.

48 Ad quartum argumentum diſtinctio realis proceſſionum non fundatur in Deo, in diſtinctione attributorum, à quibus emanant; bene enim ab vno indiuiſibili principio, & omnino ſimplici termini, & proceſſiones realiter diſtinctæ poſſunt emanare, ſic ab eodem lumine procedit calefactio, & illuminatio realiter diſtinctæ; ſi autem ideo dicas in lumine diſtingui ex natura rei virtutem illuminatiuam, & calefactiuam. Contra imprimis eſt, nam ex eadem virtute illuminatiuâ plures diſtinctæ illuminationes oriuntur, ſaltem; etenim diſtinctio indiuidualis ab eodem ſimpliciſſimo procedit; quòd autem in proceſſionibus finitis facit limitatio, vt diſtinguantur; in infinitis, & diuinis præſtat oppoſitio relatiua. Deinde in proceſſionibus diuinarum Perſonarum datur realis, & non ſolum formalis diſtinctio, quam tamen neque inter attributa diuina, neque inter virtutem illuminatiuam, & calefactiuam admittit Scotus: Non ergo ex diſtinctione attributorum ex natura rei, & in ipſa fundatur diſtinctio diuinarum proceſſionum. Nihilominus admitto proceſſionem Filij ideo eſſe generationem, diuerſæque conditionis à proceſſione Spiritus-ſancti, quia ſimpliciter eſt per intellectum; proceſſio verò Spiritus-ſancti per voluntatem, non quidem quia ex parte principij non procedit Filius etiam per voluntatem, ſed quatenus eadem formalitas principij, quæ ex natura rei eſt indiuiſibiliter intellectus, & voluntas, explicat ſuam fæcunditatem intellectiuam in Filio, vt in verbo, volitiuam verò in Spiritu-ſancto; quemadmodum ſol ſe explicat quà illuminatiuus in luce, quà calefactiuus in calore, quin hæ virtutes ſolis vllo modo diſtinguantur ex natura rei intrinſecè, ſed ſolùm effectus, qui ſeorſim non adæquant fæcunditatem principij. (quam inſtantiam affero iuxta communem ſententiam, licèt ſciam à Scotiſtis, vt ſuprà dixi, diſtingui ex natura rei virtutem calefactiuam ab illuminatiua in ſole; at ipſi Scotiſtæ ſtrictiùs volunt negari de voluntate, quòd ſit principium Filij ex natura rei, quàm quòd virtus illuminatiua in ſole ſit principium à parte rei caloris) Hinc confirmatio non indiget alia ſolutione: nam modo explicato fateor, quòd Verbum, ſeu Filius ex natura rei ſolùm procedat per intellectum: hoc eſt vt connotatum proprium virtutis intelligendi, & in quo reſplendet, quòd eius principium ſit intellectiuum; qualiter Spiritus-ſanctus nec ex natura rei eſt ſplendor Patris.

Optima inſtantia pro aſſignanda in diuinis proceſſionibus reali diſtinctione abſque vlla in rebus ex parte principij.

Ad quintum, veriſſimum mihi eſt nunquam verificari prædicata contradictoria ex parte obiecti; & independenter ab intellectu ſine diſtinctione ex natura rei, imo reali ſimpliciter ſaltem mediata, & in tertio, vt latè explicabo diſput. ſeq. ſi enim intellectus eſt principium Verbi, & contradictorium dicitur de voluntate, nempe non eſſe principium Verbi; quamuis vtcumque permitti poſſit, quòd voluntas ſit idem realiter cum intellectu; quia hæc eſt vera *voluntas eſt intellectus:* at è conuerſo, cùm voluntas non ſit principium Verbi; opus erit, vt non ſit idem cum principio Verbi. Ideo igitur omnino vt certiſſimum puto nullam contradictionem ex parte obiecti, & rei independenter ab intellectu noſtro inueniri inter attributa diuina, & perfectiones abſolutas, ſed omnia, & quæcumque ac quomodocumque prædicata dicuntur, & affirmantur, de vna, omnino ſimiliter ex natura rei affirmari de alia. Vnde principium Verbi, quod affirmatur de intellectione, affirmatur etiam de volitione, vt explicui §. præced. & fuſiùs dicam tract. de Trinitate, & diſp. ſeq. 49

Contradictio arguit diſtinctionem non ſolùm formalem, ſed etiam realem.

SECTIO VI.

Soluitur vltimum argumentum obſeruatâ bonâ doctrinâ pro neceſſitate diſtinctionis realis in tertio, ad verificanda prædicata contradictoria inter formalitates realiter identificatas.

VLtimum argumentum requirit doctrinam latè explicandam diſp. ſeq. & applicandam, vt neceſſariam omnino pro exponendo ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio in proprio tractatu ad qu. 27. S. Thomæ. Nihilominus in huius argumenti ſolutionem breuiter inſinuanda per ſequentes propoſitiones, ex quibus manifeſtè conſtabit inter perfectiones diuinas (relatiuis inter ſe exceptis) nullam dari diſtinctionem formalem ex natura rei, neque vllibi hanc admittendam mediam inter realem, & rationis, ſed quotieſcumque euenit independenter ab intellectu eſſe realem ſimpliciter: ſit igitur. 50

Neceſſitas huius doctrinæ.

Prima propoſitio: *Prædicata contradictoria, ſeu contradictio prædicati in abſtracto imbibit diſtinctionem realem immediatam formalitatis, ſeu prædicati ſic in abſtracto negati.* Probatur euidenter ex dictis ſect. 1. hic. Talis contradictio neceſſariò, & formaliſſimè imbibit negari immediatè in ab- 51

Negatio prædicati in abſtracto imbibit diſtinctionem realem immediatam.

ſtracto vnum de alio, ſeu verificari de re independenter ab intellectu, quòd *non eſt alia.* Etenim contradictio non ſolùm dicit affirmationem vnius de alio, ſed etiam negationem eiuſdem de eodem ſecundùm idem vt ſcilicet ſicut dictum, & verificarum eſt à parte rei verbi gratia. *Hæc qualitas eſt albedo.* Ita independenter ab intellectu verificetur: *non eſt albedo.* Tunc ſic; ſed negari vnum de alio independenter ab intellectu, & ex natura rei eſt diſtingui realiter, vt manifeſtè conſtat ex ſect. 2. & 4. & hinc etiam; nam ſicut affirmatio imbibita in contradictione identitatem dicit, ita negatio dicet diſtinctionem; negatio namque contradictoriè oppoſita formaliſſimè deſtruit coniunctionem, quam affirmatio adſtruxit; Ergò contradictio prædicati in abſtracto imbibit diſtinctionem immediatam prædicati ſeu formalitatis ſic abſtractè negatæ immediatè.

52 *Sed non prædicati in concreto.*

Secunda propoſitio: *Contradictio etiam immediata prædicati in concreto ſumpti non requirit diſtinctionem immediatam formæ à ſubiecto.* Probatur obſeruatâ differentiâ inter prædicationem abſtracti, & concreti. In illo præcipuè attenditur, & per verbum *eſt* ſignificatur identitas: in concreto autem ſolùm ſignificatur munus præſcindendo ab identitate: Sic Paries falsò dicitur: *eſt albedo*, verè: *eſt albus*, licèt nulla identitas detur cum albedine. Vnde ſicut ſine identitate verificatur, concretum *albus*; licèt non in abſtracto *albedo*; ita è conuerſo poterit contingere, vt cum identitate non verificetur concretum, licèt verificetur prædicatio abſtracti, quæ ſolùm requirit identitatem; Sic ipſa Albedo, quæ maximè eſt idem ſecum, non tamen ob hanc identitatem dicitur in concreto *Alba*; & ſimiliter de Gratia, licèt verificetur per identitatem abſtractum *Amici*; eſt enim ipſa Amicitia non tamen eſt in concreto *Amica*, ſeu *grata.* Ratio huius eſt, quia ad verificationem denominationis in concreto, non tam attenditur communicatio, & coniunctio, qua communicatur forma ſubiecto, quàm peculiaris conditio, & capacitas ſubiecti ad recipiendam talem denominationem; Etenim intellectio verbi gratia quamtumuis æquè communicetur per vnionem lapidi, ac intellectui, adhuc non denominabit lapidem *intelligentem*, denominat verò intellectum, Sic etiam ſanctitas verbi diuerſam denominationem præſtat Animæ Chriſti, ac eius corpori, licèt æquè vniatur vtrique denique quamuis forma ſanctificandi creata, non minùs identificetur cum gratia habituali, quàm identificatur cum verbo ſanctitas diuina; (etenim vti verbum diuinum eſt ipſa ſanctitas per ſe ipſum infinita, ita & gratia habitualis per ſe ipſam eſt ſanctitas finita) Nihilominus gratia habitualis non denominatur *ſancta* nec finitè à ſanctitate creatâ; ſicut verbum in concreto redditur *ſanctum* infinitè à ſanctitate infinita; quia ſcilicet in verbo, quamuis non datur maior identitas cum ſanctitate, at datur peculiaris conditio, & natura ratione cuius eſt ſubiectum capax denominationis *ſancti* in concreto præ gratia habituali; Ergo contradictio etiam immediata prædicati in concreto ſumpti non requirit ſemper diſtinctionem immediatam formæ à ſubiecto.

53 *Niſi mediatam, & in tertio.*

Tertia propoſitio ſit: *Vt de vna formalitate realiter identificata cum alia detur contradictio, ſeu negetur aliquod prædicatum, etiam in concreto; quod affirmatur de ſecunda; neceſſum eſt, vt talis formalitas prima licet non immediatè, & in ſe, ſaltem mediatè, & in tertio diuerſa ſit realiter à ſecunda.* Ratio eſt; quia ſi prima formalitas, & ſecunda omnibus modis idem ſint, ex nullo capite datur fundamentum, vt de vna negetur prædicatum realiter, quòd eodem modo realiter conuenit vtrique ſi verò prima formalitas ſaltem in tertio diſtinguatur à ſecunda, quantumuis realiter immediatè ſit indiſtincta ab ipſa verbi gratia quantumuis natura ſit omnino indiſtincta immediatè à Paternitate, at diſtinguatur realiter mediate, quatenus natura ſimul habet eſſe Filiationem, quæ à Paternitate realiter diſtinguitur: Ex diſtinctione hac iam natura habet veram, & realem diuerſitatem, ratione cuius poteſt reddi incapax recipiendi effectum formalem in concreto alicuius prædicari, cuius capax eſt Paternitas licèt æquè immediatè identificetur forma abſtracta vtrique ſic æquè naturæ identificatur relatio; ac Paternitati: Nihilominus iſta eſt *Relata* natura *non eſt Relata*, quia eſſe *relatum* in concreto dicit diſtinctionem realem à correlatiuo, & non ſolùm identitatem vtcumque cum relatione, quâ diſtinctione, cùm realiter careat natura, eo quòd ſimul ſit Filiatio; gaudeat verò Paternitas, quæ à ſe Filiationem excludit, ideo Paternitas eſt *relata*, ſecus natura. Sic Corpus, quod eſt Romæ, & ſimul valliſoleti, habet quidem diſtantiam à Roma, nam vbicatio valliſoletana eſt formaliter talis diſtantia. Adhuc tamen hoc Corpus non dicitur *diſtans*, quia hoc prædicatum in concreto petit, quòd Corpus, de quo dicitur non habeat præſentiam Romæ vti petit prædicatum *relati* non habere identitatem cum correlatiuo.

Quid proſit diſtinctio mediata & in tertio ad contradictionem.

54 *Nulla perfectio in abſtracto negatur de natura.*

Quarta propoſitio: *Nullum prædicatum quod in abſtracto affirmatur de relatione, negatur in abſtracto de natura, ſed ſolùm negatur in concreto.* Probatur: de natura ſolùm negatur *generari*, *Produci*; *eſſe relatam*, *ſeu ad aliud*, *eſſe Patrem*, & cætera. Non autem negatur, quòd ſit. *Generatio, relatio, Paternitas, proceſſio* & cætera. Etenim de fide eſt quòd *Generatio*, ſeu *Paternitas eſt natura*: ergo è contra natura eſt Paternitas; quòd ſi *terminus generationis* negatur de natura, diciturque ex natura rei, *Natura non eſt terminus generationis* ly *terminus* ſumitur in concreto; quaſi dicatur, *Natura producta, & terminans*; non autem ſumitur in abſtracto *terminatio, ſeu proceſſio*: nam ſic ex fide identificatur realiter *terminus*, ſeu Proceſſio cum natura; & etiam iuxta Scotum non poteſt ſimpliciter negari *terminus*. Sic de natura; cùm enim *Filiatio*, & *terminus* generationis ſint omnino idem realiter, non poteſt affirmari vnum, quin affirmetur aliud; & quis pacatè audiat: *terminus* generationis diuinæ *realiter non eſt Deus*, ſeu *plus diſtinguitur à Deitate, quam Filiatio?*

Terminus generationis formalis quo ſenſu negetur de natura.

Scotus.

55 *Diſcrimen identitatis attributorũ, & relationis cum eſſentia.*

Ex his manifeſtiſſima eſt ſolutio ad vltimum argumentum pro Scoto. Fateor non magis identificari immediatè vnum attributum cum alio, quàm immediatè identificetur natura cum Paternitate: at verò, mediata diſtinctio, ſeu in tertio non ita datur in vno attributo collato cum alio, ſicut in natura cum Paternitate comparatur; habet ſcilicet *natura* realiter aliquod prædicatum, quod nec realiter habet Paternitas verbi gratia *eſſe realiter Filiationem*; non ita Attributum; nihil enim realiter eſt verbi gratia in ſapientia, quod non ſit in Bonitate ſeu volitione, vt per ſe patet, & hinc ex hoc diſcrimine iuxta propoſitiones ſuperiùs propoſitas, potiùs natura recipiet contradictionem, ſeu negationem prædicati in concreto affirmati de Paternitate, quàm ſapientia reſpectu prædicati affirmari de volitione. Si verò intendat obiectio contradictionẽ

in

in abſtracto, hanc omnino nego euenire poſſe, niſi inter realiter diſtincta, ſicut è contra neceſſarium eſt, vt identificentur realiter illa, quæ de ſe inimicem prædicantur in abſtracto, vt notat Durand. 1. diſt. 33. qu. 1. n. 5. & 34. Quòd ſi non ſolum dicitur hæc contradictio in concreto: *Filiatio producitur: Natura non producitur*; ſed etiam illa alia contradictio in abſtracto *Natura eſt Paternitas, Filiatio non eſt Paternitas*, ideo eſt, quia Paternitas diſtinguitur realiter à Filiatione. Quod huiuſmodi nequaquam accidet inter attributa, vt prædicatum negatum de ſapientia diſtinguatur realiter à ſapientia: quod mihi, & omnibus euidens ſignum debet eſſe non negari ex natura rei, ſeu ex parte obiecti; ſed ſolùm ex modo noſtro concipiendi; Ergo quantumuis admittatur ex natura rei contradictio inter eſſentiam, & relationem, non tamen inter attributa diuina ab eſſentia.

Durandus.

56 Vrgebit tamen ex hoc ipſo, vt Natura ex parte rei habeat aliquid diuerſitatis, & diſtinctionis à Filiatione, quæ diſtinctio cùm nequeat eſſe realis, erit ſaltem formalis ex natura rei. Hæc propoſitio ex natura rei, & ex parte obiecti independenter ab intellectu, verbi gratia, *Natura eſt Paternitas* cadit ſupra naturam, quin cadat ſupra *Filiationem*. Ergo quia aliquo modo ex parte obiecti actu *Natura non eſt Filiatio*: Si enim Natura Filij nihil aliud eſt ex parte obiecti, quàm Filiatio; cadere ſupra Naturam erit cadere ſupra Filiationem ex parte obiecti, vnde vti vere dicitur ex Natura rei: *Natura eſt Paternitas*, perinde verè diceretur: *Filiatio eſt Paternitas* quod hæreſis eſt Sabellianorum confundentium diſtinctionem Perſonarum ſi dicas: Natura aliud eſt in tertio, ſeu aliquid realiter eſt, quod non eſt Filiatio; habet enim prædicatum Paternitatis; ratione cuius realiter inadæquatè diſtinguitur à Filiatione: Iam verò Paternitas non affirmatur de Natura, niſi ſecundùm hoc inadæquatum; ac proinde licèt Natura in Filio nullo modo diſtinguatur, habet tamen, quo verificet illam propoſitionem, quin cadat ſupra Filiationem. Si inquam hoc dicas, adhuc vrgebit Scotiſta; quia de hoc inadæquato eſt difficultas, quo pacto poſſit Natura habere hoc inadæquatū; hoc nouum prædicatum, quin illud habeat Filiatio: Si idem omnino ſit in Filio Natura, & Filiatio; dici de *Natura* hoc prædicatum Paternitatis, erit dici de *Filiatione*.

Replica pro diſtinctione ex natura rei formali eſſentia à relatione.

57 Hac replica, & inſtantia huius obiectionis exprimi difficultatem myſterij Trinitatis ſupra humanum captum eſſe, quam excellentiam, & eminentiam ſupra omne id, quod naturale noſtræ rationis lumen percipere poteſt, commendat Catholica fides, vt late oſtendam tract. de Trinitate contra demonſtrationes Raymundi, ſupponuntque omnes Theologi ſola reuelatione diuina cognoſci poſſe Trinitatis myſterium iuxta illud Matth. 11. *Nemo nouit Filium, niſi Pater, & Patrem quis nouit niſi Filius, & cui voluit Filius reuelare?* quod teſtimonium ad hanc fidem probandam adducit Conc. Nicenum, lib. 2. §. *Ne quæras* in tom. 1. Conciliorum pagina mihi 524 in Editione Veneta 1585. Tota autem difficultas in hoc myſterio ſita eſt in componenda vnitate cum Trinitate, vt, cum Deitas vna, & ſimpliciſſima ſit, & adhuc vt identificata cum Filiatione vnum quid *vniſſimum*, vt dixit Bernardus citatus ſect. 4. fine, & ſimpliciſſimum conſtituat, & permaneat, adhuc cum Paternitate diſtincta à Filio identificetur. Quod bene ponderauit Auguſt. tract. 39. in Ioann. ibi: *Eſt aliquid ineffabile, quod verbis explicari non poteſt; vt & numerus ſit, & numerus non ſit*: Et Dyon. cap. 13. de diuin. nomin. ſic ait: *Nulla autem monas, aut trias; neque numerus, neque vnitas, aut fœcunditas, neque quidquam aliud eorum, quæ aut ſunt, aut cognita ſunt; arcanum illud, omniaque ſuperantis diuinitatis, quod rationem omnem, mentemque vincit, enunciant.* Ex quibus difficultas nobis exprobata, & oppoſita potiùs debet retorqueri in aduerſarios, vt noſtram opinionem magis ſecuram, illorum verò falſitatis plus ſuſpectam reddat; nam ſi ex alietate, ſeu diſtinctione, quæ eſt inter Filiationem & eſſentiam, veniret, quòd eadem eſſentia daretur, ſeu quaſi tranſiret ad Patrem, manente Filiatione in ſolo Filio; nil prorſus hic eſſet myſterij: vbi enim duo actu diſtinguuntur, quid mirum, ſi vnum communicetur, non communicato alio? etenim hoc non eſt ſingulare in Trinitate; nam etiam in creatis communicatur pluribus materia prima, quin communicetur forma. Vide verba Bernardi citati ſupra ſectione 4. §. 40.

Soluitur perpenſa difficultate myſterij Trinitatis.

Matth.

Concilium Nicen.

Bernard.

Auguſt.

Dionyſ.

Bernard.

58 Igitur, vt directè reſpondeam obiectioni, in hoc reſplendet tota Trinitatis difficultas; quòd nempe eadem prorſus res, & ſine diſtinctione vlla actuali in ſe adhuc quaſi diuidatur ex parte in plures, vt amittat vnum prædicatum in vno ſuppoſito, quod in alio ſuppoſito habebat. Sic Deitas, quæ in Filio eſt Filiatio, eadem prorſus quoad veritatem *eſſentiæ*, & quoad omnia prædicata ſpectantia ad excellentiam Deitatis, in Patre realiter diſtincto à Filio inuenitur. Vnde quaſi exidentificat, non omnino, ſed relatè ad Patrem, prædicatum *Filiationis*, quod habet actu in Filio. Et ita explicatur Catholica differentia contra Sabellianos, qui perſonas confundebant ponentes perſonalitatem Patris æquè eſſe eandem ex natura rei, & ex parte obiecti cum Filiatione, ſicut eſt eadem Deitas Patris cum Deitate Filij. In cuius explicationem finge eandem formalitatem identificatam cum Petro, & manentem in ſua identitate formali cum Petreitate tranſire in identitatem cum Pauleitate, conſeruata adhuc diſtinctione Petreitatis à Pauleitate; in hoc caſu non-ne verè diceretur de formalitate Petri, quòd eſſet Pauleitas, quin id diceretur de Petreitate? id fingit hypotheſis formaliſſimè. At quòd hic hypotheſis fingit in Petro, docet veritas Trinitatis omnem naturæ captum ſuperantis; Ergo ſine vlla diſtinctione obiectiua Naturæ à Filiatione, illa erit *Paternitas*; Filiatio *non erit Paternitas*; non quidem quia datur diuerſitas formalitatum ex natura rei in ipſo Filio; ſed quia aſſumitur Natura, & eſſentia diuina Filij (ſeu aliquod prædicatum Filij, in quo reſplendet veritas *Deitatis*) aſſumitur inquam in identitatem cum Patre; & relinquitur ſine hac identitate aliud prædicatum, in quo ſtat veritas Filiationis, & per quod prædicatum ſatis ſimilis eſt Deitas veræ Filiationi. Sicut ſi homo, in quo verè non eſt, nunc pura animalitas, ſed etiam rationalitas, amitteret rationalitatem, relicta ſola animalitate, conueniret adhuc cum Leone, ita igitur eſſentia Dei quaſi exidentificatur à Filiatione in Patre, verè, & actu identificata perſiſtens cum Filiatione in Filio.

In quo ſita ſit Trinitatis difficultas.

DISPVTATIO XV.

An detur diſtinctio ex natura rei virtualis inter attributa, ſeu perfectiones diuinas.

Media inter realem, & rationis?

SECTIO I. *Quid ſit diſtinctio virtualis intrinſeca, & ſtatus huius controuerſiæ.*

SECTIO II. *Authores & fundamenta pro diſtinctione virtuali intrinſeca proponuntur inter perfectiones Dei abſolutas.*

SECTIO III. *Alia fundamenta pro diſtinctione virtuali intrinſeca inter perfectiones abſolutas & relatiuas ſeu inter naturam Dei, & relationem immediatè ex myſterio Trinitatis.*

SECTIO IV. *Alia argumenta pro diſtinctione virtuali intrinſeca ex contradictione* vniti *hypoſtaticè* : cogniti *&* principiantis.

SECTIO V. *Prima concluſio pro vera ſententia proponitur & primum fundamentum repugnantiæ huius diſtinctionis virtualis inter perfectiones Dei abſolutas ex eo, quòd talis diſtinctio neceſſariò imbibat diſtinctionem realem.*

SECTIO VI. *Secundum fundamentum contra diſtinctionem virtualem intrinſecam ex eo, quòd imbibat formalem Scoti ex natura Dei.*

SECTIO VII. *Probatur tertiò indiſtinctio hæc virtualis ex maiori diſtinctione neceſſariò admittenda inter prædicata negata in ordine ad quæ datur contradictio, quàm inter ipſas formalitates virtualiter diſtinctas.*

SECTIO VIII. *Quartum fundamentum contra diſtinctionem virtualem intrinſecam ex eo, quòd de nulla perfectione diuina poſſit negari Deitas ex parte obiecti in aliquo ſenſu Catholico.*

SECTIO IX. *Quintum fundamentum contra diſtinctionem virtualem intrinſecam ex eo, quòd nulla foret in Deo perfectio ſimpliciter ſimplex.*

SECTIO X. *Sextum fundamentum contra diſtinctionem virtualem à paritate aliarum imperfectionum quæ repugnant in Deo virtualiter intrinſecè*

SECTIO XI. *Septimum fundamentum contra diſtinctionem virtualem intrinſecam ex ſequela & repugnantia principij & prioritatis virtualis.*

SECTIO XII. *Octauum fundamentum contra diſtinctionem virtualem intrinſecam ex ſequela & repugnantia, vt detur inter quælibet prædicata & perfectiones diuinas.*

SECTIO XIII. *Nonum fundamentum contra diſtinctionem virtualem intrinſecam ex ſequela & repugnantia, vt vna formalitas cognoſcatur alia identificata cum prima non cognoſcatur ex parte obiecti ſeu ex natura rei.*

SECTIO XIV. *Secunda concluſio pro vera ſententia, implicat capacitas ad recipienda prædicata contradictoria ex parte rei, & independenter ab intellectu inter perfectiones diuinas realiter inter ſe identificatas ſine diſtinctione reali mediata, & in tertio, & prima eius probatio ex diſtinctione reali neceſſariò intercedente inter prædicata contradictoria.*

SECTIO XV. *Secunda probatio neceſſitatis diſtinctionis realis in tertio, ad verificandam contradictionem ex parte obiecti ex diſtinctione in tertio requiſita ad aliquam contradictionem in perfectionibus diuinis.*

SECTIO XVI. *Tertia probatio ex difficultate contradictionis verificatæ ex parte rei de duabus formalitatibus identificatis non vincenda, niſi per fidem, maiorique difficultate ſine reali in tertio.*

SECTIO XVII. *Quarta probatio ex eo, quòd nulla ſit fixa regula ſtatuendi quando admittenda ſit contradictio vera (ſeu diſtinctio virtualis) inter perfectiones diuinas identificatas, niſi per realem in tertio.*

SECTIO XVIII. *Tertia concluſio pro vera ſententia, ſufficit diſtinctio realis mediata & in tertio ad verificanda prædicata contradictoria ex parte rei, & independenter ab intellectu de perfectionibus diuinis, immediatè inter ſe realiter & formaliter ex natura rei identificatis.*

SECTIO XIX. *Quarta concluſio pro vera ſententia. Diſtinctio realis in tertio minoris difficultatis eſt, quàm qualibet alia diſtinctio, ſeu contradictio immediata*

SECTIO XX. *Reſpondetur ſeptem fundamentis poſitis pro diſtinctione virtuali intrinſeca in ſectione ſecunda.*

SECTIO XXI. *Reſpondetur argumentis in ſectione tertia deſumptis ex myſterio Trinitatis.*

SECTIO XXII. *Reſpondetur argumentis in ſectione quarta deſumptis ex contradictione* vniti *hypoſtaticè*, cogniti *&* principiantis

SECTIO XXIII. *Proponitur nouâ explicatione diſtinctio virtualis ex natura rei, & reijcitur.*

NONA excogitata eſt ab Authoribus recentioribus diſtinctio *media* inter realem, & rationis, datur quidem huiuſmodi diſtinctio à parte rei, ſeu ex Natura rei antecedenter, & independenter ab omni operatione *Hic maximè illuſtrari intenditur diſtinctio realis in tertio, vt vnicè ne-*

ceſſaria, & ſufficiens ab verificanda ex natura rei omnia prædicata quæ de Trinitate dicũtur, & ideo vt ſola hæc diſtinctio in tertio adſtruatur, omnes aliæ formales, & virtuales iſtæ reiiciuntur.

operatione noſtri intellectus, Cæterùm nec *realis* eſt quam damnat fides, ſine rerum, vt volebat Abbas Ioachim, & Gilbertus Porretanus, ſiue rei, & modi. vt Durandus & aliqui Nominalium voluere. Neque item *formalis* Scoti, hoc eſt diſtinctio ex natura rei realium formalitatum; At neque *purè rationis*, ab intellectu noſtro fabricata, licèt enim vocetur *virtualis* intrinſecè, ſeu ex natura rei: non ideo talis dicitur, quia à parte rei ſolùm in virtute datur, & non actu & *formaliter*, ſed quia cùm formalitates à parte rei inter ſe identificatæ ſint realiter, & formaliter quoad ſuum *eſſe*; at quoad munia aliqua ita ſe habent à parte rei, ac ſi diſtinctæ realiter forent, nec minùs ſtrictè de vna verificatur prædicatum, quod negatur de alia, quam, ſi vna cum alia realiter idem non eſſet.

Ego iuxta hæc vltima verba veriſſimè exiſtimo negari non poſſe iuxta principia fidei verificari actu affirmationem, & negationem eiuſdem prædicati de eadem realitate ſimplici ſecundùm varias formalitates, verificari inquam actu formaliter, & realiter non minus ſtrictè, quàm ſi tales formalitates realiter, & a parte rei eſſent omnino diſtinctæ, vt proceſſu diſputationis conſtabit. At totum hoc puto non beneficio alicuius diſtinctionis immediatæ intercedentis inter prædictas formalitates identificatas euenire, ſed diſtinctionis realis in tertio. Scio ad diſtinctionem hanc iam pridem recurriſſe OKamum, & Gabrielem pro verificandis prædicatis oppoſitis, quæ inter naturam, & Relationem inueniuntur; At neſcio vſuſne fuerit aliquis hac diſtinctione ſatis aperiens ipſius vtilitatem & ſufficientiam, imo neceſſitatem ad verificand prædicta prædicata: hoc præſtare intendam in præſenti diſputatione, & ni fallor, noua, & clariori explicationis luce diſtinctionem hanc realem in tertio vnice, & neceſſariò dari inter diuinas perfectiones demonſtrabo; ita vt ſine illa, nulla contradictio detur ex parte rei, neque vlla protſus diſtinctio, niſi ſolius rationis concedi poſſit inter Attributa, neque inter Naturam, & Relationem, ſed iſta de Natura *vniſſime* (S. Bernard. 5. de Conſider. cap. 7.) *& omnino vniter* dicatur ex S. Athanaſio lib. 1. de vnit. diuini poſt medium.

Diſtinctio realis in tertio ſingulariter adſtruitur, & noua luce illuſtratur vt vnica & neceſſaria in Deo.

Occaſio ponenda huius diſtinctionis.

Igitur authores maximè recentiores hac tempeſtate, qui mordicus impugnant diſtinctionem omnem formalem, & actualem ex natura rei Scoticam; cùm videant negari non poſſe de perfectionibus diuinis identificatis verificari independenter ab intellectu prædicata omnino oppoſita, affirmationemque & negationem eiuſdem; vti independenter ab intellectu & de ipſis rebus ſecundùm ſe verum eſt, quòd *Natura eſt Filiatio*: *Paternitas* (licèt identificata cum natura) *non eſt Filiatio*: Item illa eſt *communis*; iſta *non eſt Communis*. Loquendoque de ipſis perfectionibus abſolutis. *Intellectio eſt Principium verbi. Volitio non eſt Principium verbi.* Authores, inquam, hi Recentiores cùm agnoſcant inter perfectiones diuinas realiter identificatas hæc prædicata contradictoria reperiri, & aliundè oderint vſque ad damnationem diſtinctionem formalem Scoti, commenti ſunt diſtinctionem quandam *mediam* inter diſtinctionem rationis, & realem etiam formalem hanc Scoticam, quam *virtualem intrinſecam* appellant, quia à parte rei inuenitur independenter ab operatione noſtri intellectus, ratione cuius ſine vlla diſtinctione actuali ex natura rei putant poſſe verificari independenter ab intellectu contradictoria prædicata. Hæc Recentiorum ſententia nunc in præſenti diſputatione proponenda eſt, & examinanda paulò fuſiùs; ex eius enim proba intelligentia ferè, ſi non omnino omnia pendent, quæ de Deo diſputant theologi vt dixit S. Thomas citatus diſputatione præceden. §. 19. quare hìc ſemel datâ plenâ huius rei doctrinâ plura omittemus neceſſariò dicenda, maximè in tractatibus de ſcient. voluntat. & Trinit. Deinde non pauca in præſenti diſputatione vel noua, vel nouiter explicanda ſunt, quæ deſeruiant grauiſſimarum difficultatum in poſterum expeditioni, benignè ergo accipienda, ſi non deſideranda, prò lixitas hæc.

S. Thomas.

Neceſſitas examinandi fuſius hanc diſtinctionem.

SECTIO I.

Quid ſit diſtinctio virtualis intrinſeca, & ſtatus huius controuerſiæ.

1 *Diſtinctio virtualis extrinſeca hac non pertinet.*

VOx iſta: *diſtinctionis virtualis*: valde æquiuoca eſt, variiſque acceptionibus vſurpata pro omni, quæ actuali, & formali diſtinctioni opponitur, vnde ſæpe applicatur rei ſimplici pluribus rebus diſtinctis æquiualenti; ſicut enim ea res eſt virtualiter alia, quæ cùm non ſit illa, ipſam eminenter continet, ſeu ipſi æquiualet; ita duæ formalitates diſtinguuntur virtualiter, quæ cùm actu, & formaliter à parte rei ſint vnum, æquiualent pluribus realiter diſtinctis, quoad præſtanda aliqua munera; ſic animalitas licèt non formaliter: dicitur tamen diſtingui virtualiter à rationalitate in homine, quia per animalitatem ſentit homo, ac ſi eſſet leo; per rationalitatem intelligit, ac ſi eſſet Angelus. Ita P. Molina 1 part. quæſt. 28. artic. 2. diſput. 2. §. *Tertia concluſio.* Item ſæpe dicitur diſtinctio *virtualis* in vna re ſimplici reperiri quamuis diuerſa munera, & effectus non præſtet, eo quòd pluribus rebus realiter diſtinctis ſit ſimilis, vt quando idem actus in plura obiecta tendit, in plures formalitates virtualiter diſtinguitur, quia dum idem actus tendit in obiectum miſericordiæ, & pietatis, ſimilis eſt duobus, quorum vnus ſit ſolius miſericordiæ, alius pietatis ſolius. Denique quotieſcumque in ſubiecto; vel re aliqua realiter ſimplici datur fundamentum, vt per noſtrum intellectum variè concipiatur, vt ratione noſtra ratiocinata diſtinguatur in plures conceptus, & prædicata, iam hæc cenſentur communiter virtualiter diſtingui, vndecumque veniat fundamentum iſtud. At de hac diſtinctione virtuali in præſenti ſermo non eſt, quæ cum rationis fundamentali confunditur, & nihil ponit in re, niſi dependenter, & in ordine ad noſtrum cogitandi modum; quare iure vocatur *virtualis extrinſeca*, cùm tota ſit in ordine ad extrinſecam noſtram cogitationem.

P. Molina.

2 *Quæ ſit diſtinctio virtualis intrinſeca huius diſputationis ſubiectum?*

Sermo igitur in præſenti eſt de virtuali *intrinſecè* tali, quia non ſolùm in ipſa datur fundamentum, vt per intellectum noſtrum diſtinctio actualis fiat; ſed etiam re ipſa præſtat, quòd vni formalitati conueniat munus, & prædicatum, alteri formalitati identificatæ cum primâ non conueniens verè, & ex parte rei, ſicut conueniebat primæ, ſed ad ſummum identicè conueniat ſecundæ, quaſi denominatiuè à primâ. Vnde duæ formalitates virtualiter *intrinſecè* diſtinctæ ita ſe habent in ordine ad recipienda ex parte obiecti, ſeu ex natura rei prædicata contradictoria, ac ſi eſſent realiter diſtinctæ; & vt loquitur Ægid. Luſitanus tom. 1. de Beatit. lib. 5. quæſt. 6. art. 7. num. 10. diſtinctio iſta virtualis non modò conuenit, ſecluſo omni

opere noſtri intellectus, ſed etiam priùs conuenit in re; quam fundamentalis, & radicalis ordo ad diſtinctionem rationis faciendam per intellectum, vt ſi per impoſſibile nullus daretur talis ordo, adhuc daretur in diuinis illa virtualis diſtinctio, quæ re ipſa eſt in aliquo ſigno priori, in quo nondum intelligitur ordo aliquis, vel habitudo ad diſtinctionem rationis, quæ per intellectum poſſit fieri: etenim iſtæ propoſitiones (proſequitur Ægidius ſuprà) *Filius non producitur voluntate: Spiritusſanctus non producitur intellectu*, non poſſunt tutò non concedi à parte rei, ſecluſo quocunque ordine ad rationem noſtram.

Ægidius.

3 Hæc virtualis intrinſeca diſtinctio propriiſſima dicitur Dei, ipſique conueniens titulo infinitatis: Vnde communiter ponitur aliena à creaturarum limitatione. Imò iam à recentioribus communiter non admittitur inter quaſcumque Dei perfectiones; ſed ſolùm inter relatiuas, & abſolutas, ac in his abſolutis inter neceſſarias, & liberas; ac denique in perfectionibus Dei abſolutis, & neceſſariis, ſolùm hanc diſtinctionem agnoſcunt inter intellectum, & voluntatem, ſeu inter intellectionem, & volitionem; vt de intellectione affirmetur, & verificetur independenter ab intellectu, & ex natura rei aliquo pacto *eſſe principium Verbi*, quo neque ex natura rei verificatur de volitione. Hinc definitur diſtinctio virtualis prædicta; *intrinſeca capacitas ad verificanda ex natura rei prædicata contradictoria.* Maxime autem, & vnicè inuenta eſt pro explicando Trinitatis myſterio, & prædicatis, quæ ad fæcunditatem diuinarum Perſonarum ordinantur; per eam enim, vt ait P. Valentinus de Herice tract. 2. in 1. part. diſput. 12. de voluntate, num. 6. quoad fieri poteſt in hac vita lucem accipit hoc tam nobis obſcurum, & latens myſterium. *Porrò ex ea efficitur* (loquitur Herice) *diſtinctionem illam virtualem diuinam eſſe cum ordine ad fæcunditatem internam diuinarum Perſonarum, atque in ordine ad earum realem diſtinctionem; nam vt in hac nulla eſt imperfectio, ita nec in virtuali, quæ ad realem formalem ordinatur.*

Eſt Dei propria.

Inter aliquas perfectiones diuinas tantùm.

Definitur.

P. Valentin. de Herice.

4 Ex quibus, vt probè prædicta intelligantur, clarè colligitur diſtinctionem hanc non eſſe præciſè illam, quæ communiter auditur apud antiquos, præcipuè Thomiſtas, *virtualis*, iſti enim ſæpe confundunt virtualem intrinſecam cum extrinſeca; ſæpe illam vocant diſtinctionem rationis; ſæpe ratione eiuſdem non putant plus diſtinctionis inueniri inter diuinas perfectiones, quàm inter creatas vel certè nullam contradictionem ſtrictiùs verificari ex parte obiecti de formalitatibus identificatis in Deo, quàm in creatura. Quæ omnia manifeſtè conſtant non ſatis congruenter dici ad præſentem ſcopum, cùm ſuſpicienda ſit præſens diſtinctio virtualis, vt ſoli Deo conueniens, & mirabili eius, ac infinitæ perfectioni debita: vt intendunt Authores recentes, ideo ſæpe dixi nobis in præſenti contentionem non eſſe cum antiquis Doctoribus; ſed cum noua, & exquiſita cogitatione modernorum intendentium per ſuam diſtinctionem virtualem plus aliquid, quàm rationis.

Diſcriminatur ab extrinſeca antiquorum Thomiſtarum.

5 Quibus Authoribus extra omnem controuerſiam concedo inueniri inter diuinas perfectiones, quantumuis realiter indiſtinctas, eam capacitatem intrinſecam, vt vna realiter præſter aliquod munus, quod alia realiter non præſtat: vt de vna realiter affirmetur vnum prædicatum, quòd de alia realiter negatur; nam cùm Filiatio diuina, & natura ſint idem prorſus realiter; *Filiatio realiter producitur* independenter à noſtris conceptibus, natura, & *eſſentia diuina realiter non producitur*. Rurſus *natura eſt Paternitas; Filiatio, nec realiter eſt Paternitas*; ita verè, & ex natura rei, ac ſi ipſa Filiatio diſtingueretur realiter à natura. Item extra omnem controuerſiam conſequenter concedendum eſt omnino independenter ab intellectu noſtro realiter loquendo; ſeu ex natura rei, & ex parte obiecti vnam perfectionem diuinam non eſſe à parte rei omne id, quod identificatur cum alia identificata ſecum, verbi gratia, Paternitas, licèt identificetur cum natura diuina, non tamen eſt (nec realiter, & identicè) omne id, quod identificatur cum natura; non enim eſt *Filiatio*. Quare, ſi nomine diſtinctionis virtualis intrinſecæ hoc ſolùm in præſenti ſignificetur, de fide erit, nam non ſolùm virtualiter, ſed actu, & formaliter Paternitas, ex parte obiecti loquendo, & independenter ab intellectu: *non eſt natura* à parte rei ſecundùm omnia, quæ dicit natura, ſeu non eſt realiter omne id, quod identificatur cum natura; vnde ſic etiam poſſent recentiores vocare hanc diſtinctionem formalem, quòd ſi eo quòd verè, & abſolute Paternitas *eſt natura*, itaque identificatur cum ipſa; vt ſolùm habeat, quòd non ſit natura, quoad aliquod prædicatum identificatum cum natura, nempe quoad *Filiationem*; ſi inquam ob id velint recentiores Paternitatem non dicendam actu, & formaliter diſtinctam à natura, ſed *virtualiter* ſolùm; veriùs, & meliùs loquentur: id tamen ſolius vocis diſſidium eſt, & in re nullus catholicus poteſt diſſidere.

In diuinis dantur contradictoria.

Quo ſenſu diſtinctio virtualis intrinſeca ſit de fide, & extra controuerſiam de re.

De re vt dixi, diſſidium nullum inter Catholicos eſſe poteſt, circa modum autem loquendi quæſtio erit vtrum vocanda ſit diſtinctio virtualis capacitas hæc; ita vt nihil aliud ſit diſtingui virtualiter, quàm rem realiter ſimplicem eſſe ſic capacem, vel potiùs ideo dicatur quaſi ex cauſali à priori Paternitas recipere contradictionem, ſeu negationem à Filiatione identificata cum natura, quia prædicta Paternitas diſtinguitur virtualiter à natura. Quæ cauſalis Patri Roderico de Arriaga infrà citando, & mihi videtur inepta; nam eſt dicere idem per idem, cùm enim tota diſtinctio conſiſtat formaliſſimè in receptione prædicatorum contradictoriorum, reſpondere, quòd ideo ea recipiunt Paternitas, & Natura, quia diſtinguuntur virtualiter intrinſecè, manifeſtè principium petit, quaſi diceretur, ideo ea recipiunt, quia contradictoria recipiunt, ſiquidem contradictoria recipere eſt formaliſſimè virtualiter diſtingui, & nil aliud per iſtam virtualem diſtinctionem ſignificatur. Si tamen quis velit antecedenter, & pro priori ad capacitatem recipiendi prædicata contradictoria dari inter Paternitatem, & Naturam diuinam aliquam diſtinctionem intrinſecam aliquam alietatem ratione cuius, & ex qua deriuetur capacitas ad hæc contradictoria. Talis diſtinctio in nullo differt ab Scotica, vt infrà latiùs conſtabit. 6

Quid de voce.

Arriaga.

Vt ergo, quod proprium eſt huius diſtinctionis virtualis proponatur ſecluſoque omni vocum diſſidio procedamus: diſtinctio virtualis examinanda eſt inter perfectiones diuinas, quæ nullam imbibunt diſtinctionem realem; vel identificationem cum tertio realiter diſtincto, qualiter Paternitas cum Natura diuina comparatur, verbi gratia examinanda eſt vtrum inter perfectiones diuinas omnino abſolutas detur diſtinctio aliqua independenter ab intellectu, talis, vt ratione illius duæ formalitates omnino eædem realiter, adhuc ex 7

Explicatur quæ ſit in præſenti controuerſia de re.

parte

parte obiecti, ſeu ex naturâ rei ſint capaces recipiendi prædicata contradictoria, ita vt vnum prædicatum affirmetur ex natura rei de vna; & idem negetur antecedenter, & independenter ab intellectu noſtro de alia; Vt *iuſtitia puniat, miſericordia non puniat.* Item *intellectio ſit principium verbi: volitio non ſit principium verbi.* Hic quidem inter perfectiones omnino abſolutas, & ex omni parte identificatas realiter maximè cernitur quæſtio de re, & quidditas huius diſtinctionis virtualis intrinſecæ vt diſtinctæ à diſtinctione ſimpliciter reali; & ab ea quæ eſt pure per intellectum; cùm enim in prædictis perfectionibus abſolutis præciſa omni operatione intellectus, negatio verificetur ex parte obiecti; opus eſt, vt detur proportionata diſtinctio, quæ non ſit ſolius rationis: aliunde cùm non liceat ad vllam realem diſtinctionem recurrere, ſed ex omni parte ſupponatur realis identitas adæquata, & conuertibilis vnius perfectionis abſolutæ cum alia; etiam omnino opus eſt dicere diſtinctionem hanc; ratione cuius iſtiuſmodi negatio obiectiua verificatur, realem abſolutè non eſſe, ac proinde mediare inter realem & rationis; ſi non vt diſtinctionem formalem ob dicta diſp. præcedenti: ſaltem, vt virtualem ex natura rei. In his igitur perfectionibus abſolutis claritatis gratiâ examinabitur hæc diſtinctio virtualis: Licèt etiamſi loquamur verbi gratia de Paternitate comparata cum natura, vt nondum includente Filiationem; ſed ab hac præciſa: eodem modo diſcurrendum ſit ac de perfectionibus abſolutis.

8 Ex quibus omnibus tandem quid ſit diſtinctio hæc virtualis intrinſeca, & in quo ſita ſit tota hæc noua, & difficilis controuerſia manifeſte colligitur. Diſtinctio virtualis intrinſeca eſt *capacitas ad ſaluanda prædicata contradictoria ex natura rei independenter ab intellectu.* Controuerſia præſens eſt, ſit-ne talis capacitas, vel diſtinctio poſſibilis inter ea, quæ nullo modo realiter, nec mediatè, & in tertio diſtinguuntur, vt inter perfectiones diuinas abſolutas, & neceſſarias, vel etiam inter relationem, & naturam, vt præſcindentem ab alio correlatiuo, ſeu tertio realiter diſtincto?

Totus ſtatus quæſtionis.

SECTIO II.

Auctores, & fundamenta pro diſtinctione virtuali intrinſecâ proponuntur, inter perfectiones Dei abſolutas.

9 Nomen *diſtinctionis virtualis* ferè omnibus theologis placuit cum S. Thoma quid enim communius, quam attributa Dei non eſſe diſtincta ex naturâ rei *formaliter*, ſed ſolùm *virtualiter.* Cæterùm in re iuxta explicationem datam ſectione præcedenti nullus ei fauet præter Scotiſtas; & Recentiores noſtros maximè autem, qui ſunt è caſtellana Prouincia. Primus, vt autumo, ex his, qui ſua opera prælo mandarunt, fuit P. Petrus Hurtado de mendoza Magiſter meus in Metaphyſica diſput. 6. ſect. 3. §. 61. & latiſſimè ſect. 4. à §. 134. ad 156. P. Valentinus de Herice in ſuo tomo in 1. part. diſput. 12. de voluntate à num. 5. P. Rodericus de Arriaga ſæpe in ſuo curſu philoſophico, & fuſiùs 1. part. diſput. 42. de Trinitat. per totam. In manuſcriptis communiter amplectuntur hanc diſtinctionem Authores Philoſophi, & Theologi noſtri illius meminit P. Didacus Alarcon ſæpe offenſus in

Autores antiqui nulli præter ſcotiſtas.

Et Moderni. P. Hurt. P. Herice. P. Arriaga.

Alarcon.

Patrem Herice quaſi illius Inuentorem, acriterque & bene eam impugnans maximè diſput. 4. de viſione cap. 2. à §. 13. & diſput. 2. de Trinitate cap. 7. & 10. Alij autem Authores neque huius diſtinctionis virtualis meminere conſtanter, ſed vel æquiuocâ, vel variâ vſurpatione; quam in antiquis doctoribus notaui §. 4. Qui propius ad legitimam illius intelligentiam, & explicationem acceſſit, fuit Ægidius de Præſentatione luſitanus ordinis S. Auguſtini tom. 1. de Beatitud. lib. 5. quæſtione 6. art. 7. §. 2. num. 9. vbi citat P. Valentiam 1. part. diſp. 1. quæſt. 13. punct. 3. pag. 279. qui cùm in infinitatem diuinam reducat, quòd in Deo cum ſummâ identitate reali habeat virtualem diſtinctionem, maximè diſtinctioni virtuali intrinſecæ cenſendus eſt fauere.

Ægid Luſit. P. Valentia: fauent.

10 Huius ſententiæ plurimi aliqui fundamenta proponunt; quæ æquè ipſam ſtatuunt inter perfectiones creatas identificatas realiter, quàm in diuinis, ſed pro nunc poſitâ ex Philoſophia repugnantiâ huius diſtinctionis virtualis intrinſecæ in creatis, ſpecialiter, vt ea ponatur inter diuinas perfectiones realiter identificatas arguitur primò. Hæc diſtinctio virtualis ſtat cum ſumma identitate reali ergo in Deo eſt admittenda. Conſequentia probatur; quia ſi ſemel hæc diſtinctio virtualis non obſtat reali ſimplicitati Dei, pulchriorem, & mirabiliorem reddit Dei excellentiam, quæ componit ſine vlla imperfectione diſtinctionis realis negationes, & contradictiones ex natura rei, quæ ſupra ſimplicitatem finitam ſunt, quæque ſtrictiori ſenſu ponit quòd Deus ſub vna ſimpliciſſima perfectione æquiualeat pluribus realiter diſtinctis, etiam quoad negationem vnius de aliâ. Antecedens iam ſuadetur. Nam negatio ſolùm arguit diſtinctionem iuxta menſuram, quâ eſt negatio: Si realis, realem, ſi rationis, rationis diſtinctionem; neque enim quia in creatis de animalitate hominis negetur ratione noſtrâ *Principium diſcurſus*, ideo hoc diſtinguitur realiter ab illa; Ergo cùm ſolùm negetur in diſtinctione virtuali de vna perfectione diuina alia, verbi gratia de voluntate *eſſe principium verbi*, negetur inquam non abſolutè, & ſimpliciter *realiter* (neque enim vnquam admittitur, vt nec Scotus admittit ſimpliciter, & *realiter* vnam perfectionem non eſſe aliam) ſed ſolùm *virtualiter*; non dabitur vlla diſtinctio realis ſed ſolùm *virtualis.* Nulla autem diſtinctio repugnat ſimplicitati Dei dum ſtet cum identitate reali.

Primum argumentum diſtinctioni virtuali intrinſecæ fauens quod indemnem ſummam ſimplicitati relinquat.

Soluitur §. 162.

Scotus.

11 Neque obſtat, ſi quis opponat verificari de voluntate actu à parte rei, quòd *non eſt virtualiter Principium verbi.* Non inquam obſtat; nam hinc non infertur diſtinctionem hanc eſſe realem; vel diſtingui, à voluntate realiter aliquod *eſſe* Principij verbi: Sicut Animalitas hominis ratione noſtra non eſt rationalitas; ac proinde antecedenter ad noſtrum modum concipiendi, & ex natura rei animalitas habet: *non eſſe rationalitatem fundamentaliter ratione noſtra*: Neque ideo rectè inferes: ergo fundamentale *eſſe*; ſeu *eſſe* fundamentaliter ſic ratione noſtra imbibit aliquid diuerſitatis realis, ſeu addit in obiecto aliquod *eſſe* rationis præter *eſſe* reale. Sed ſolùm inferendum eſt, addit per rationem, non tamen addit *eſſe* rationis. Ita igitur ſimiliter in præſenti ex parte obiecti, ſeu ex natura rei ly *eſſe Principium verbi*, addet quidem voluntati aliquid *virtualiter.* Sed non addet *eſſe* virtuale, nullùmque etit *eſſe*, quod abſolutè realiter negetur de voluntate.

12 Arguunt ſecundò. Quamuis ſimpliciter non negetur

Secundum deſumptum ex eo quòd poſſit ſecundùm quid intellectus de voluntate negari. negetur de voluntate *intellectus*, cum hoc ſtare poterit etiam ex natura rei; ſecundùm quid, & cum addito, quod negetur; ſcilicet, *virtualiter*: quemadmodum licèt ſimpliciter non affirmetur de Deo *creatura*, affirmatur tamen ſecundùm quid, ſcilicet, *eminenter*, neque enim ſolùm fundamentaliter, ſed actu, & formaliter conuenit Deo eſſe *eminenter creaturam*. *Soluitur §. 163.* Ergo ſimiliter voluntas actu, & formaliter *non eſt intellectus virtualiter*, idque ex natura rei, præciſà omni operatione intellectus; quãtumuis realiter intellectus ſit. Confirmatur ad perfectionem Dei ſpectat eſſe virtualiter, & æquiualenter corpus, verbi gratia, eſſe ignem materialem eminenter, licèt ſimul conſeruet ſummam immaterialitatem formalem: Ergo ſimiliter ſpectabit ad infinitam perfectionem eſſe virtualiter plura, licèt formaliter conſeruet ſummam ſimplicitatem, ſeu componere diſtinctionem virtualem ex natura rei cum indiſtinctione, ſeu identitate formali.

13 Arguunt tertiò: Verbum independenter à noſtro cogitandi modo, & ex parte obiecti aliquo pacto non eſt à voluntate, quo procedit ab intellectu, ſeu aliquo modo eſt magis ab intellectu, quàm Spiritus-ſanctus: ſed hoc contingere non poteſt, niſi ipſe intellectus Dei ſit principium Verbi, & voluntas ex natura rei, & in ſe non ſit ita principium Verbi; Ergo niſi admittantur contradictoria ex natura rei, & conſequenter diſtinctio virtualis intrinſeca. *Tertium ex diuerſo modo, quo verbum procedit per intellectum, quàm Spiritus-ſanctus. Soluitur à §. 164.* Maior probanda eſt in tractatu de Trinitate; interim eam vide latè probatam à Patre Didaco Ruiz tom. de Trinitate, diſput. 63. ſect. 1. & 94. ſect. 1. & 2. (Ruiz. Concilium Toletanum.) Audiatur Concilium Toletanum XI. in confeſſione fidei: *Non eſt credendum, quòd Pater voluntate Filium genuerit, nec quòd voluntas ſapientia produxerit.* (Smyrnenſe.) Concilium Smirnenſe, can. 21. *Si quis conſilio Dei factum Filium Dei aſſerit, anathema ſit.* (Hilarius.) Vbi Hilar. lib. de Synod. anath. 14. pro Concilio reponit *voluntatem*. (Auguſt.) Item S. Auguſtin. lib. 65. q. q. ad Oroſium quæſt. 7. *Pater voluntate non genuit Filium, quia praire voluntas ſapientiam non poteſt.* Ex quibus (Magiſter.) concludit Magiſter 1. d. 6. lit. C. quòd Deus *nec voluntate antecedenti, vel præcedenti genuit Filium*.

14 Iam minor propoſitio in §. præcedenti, nempe quòd vt Verbum ſpecialiùs ſit per intellectum, quàm per voluntatem, requirat intellectum eſſe principium Verbi, & voluntatem etiam ex natura rei non eſſe ſic principium. Probatur; quia ſi ideo negas Verbum procedere per voluntatem, eo quòd non per liberum decretum, conſultationem, vel per modum actus imperati ab imperante, vt ait (Ruiz.) Ruiz ſuprà diſp. 93. ſect. 1. ſic nec Spiritus-ſanctus per voluntatem eſt; ſi autem explices, eo quòd non oritur Verbum à voluntate formaliter; quia ſcilicet per connotationem ad Verbum, & relatè ad illud concipitur à nobis Natura diuina vt *intellectus*, non vt *voluntas*, ad eum modum, quo in ſententia identificante potentias cum anima, intellectio dicitur formaliter loquendo non eſſe à voluntate, ſed ab intellectu. Si, inquam, hoc dicas (quæ eſt communior ſolutio) contra eſt. Hoc quidem bene intelligitur in creatis; quia intellectio creata formaliter, & in ſe vt condiſtincta ab anima & in linea intellectiua; ſiquidem adæquatè in ſe imbibit conceptum intellectionis, & conſequenter habet in ſe; vnde anima, vt ad ipſam comparata, dicatur intellectus. At Verbum diuinum vt condiſtinctum à Natura diuina ſecundùm *eſſe* relatiuum, non eſt intellectio formaliter, vt tenet communis opinio non admittens in Deo aliam intellectionem ab eſſentiali, ſeu nihil habet relatio Verbi vt ſic, ratione cuius potiùs (loquendo etiam formaliter) dicatur terminus intellectûs, quàm voluntatis. Si dicas tertiò cum Patre Recupito in præſenti lib. 3. quæſt. 14. cap. vlt. num. 95. etiam in ſenſu reali Verbum oriri per voluntatem *eſſentialem*, at non oriri per voluntatem *notionalem*, quia iſta includit, & conſtituitur in ratione talis per ſpirationem actiuam, per quam certum eſt Verbum non procedere, neque in ſenſu reali. Contra eſt etiam ex dictis, ſi in ipſa voluntate eſſentiali non datur ex natura rei aliqua diuerſitas, ſpiratio actiua vt condiſtincta à tali voluntate, vt dixi proportionatè de relatione Verbi, nil habet, ratione cuius ſit in linea volitiua, nec ratione cuius eſſentia Dei per connotationem ad talem ſpirationem, & per ordinem ad ipſam potiùs vocetur, & formaliter concipiatur vt *voluntas*, quàm vt intellectus. Recupitus.

Explicatur & confirmatur argumentum. Verbum diuinum ſaltem ratione noſtra, & ex modo noſtro concipiendi cum fundamento in re, potiùs concipitur procedere per intellectum, quàm per voluntatem. Hæc propoſitio negari ſine fidei periculo abſolutè non poteſt, vt ait Zuniga diſput. 3. de Trinitate dub. 6. num. 5. ideo namque ſecunda perſona dicitur *Verbum, ſapientia, locutio*, &c. quæ lineam intellectualem denotant: tunc ſic; ſed ſi intellectus & voluntas omnino idem ſint, & vt ſimpliciſſima formalitas comparantur ad principiandum Verbum; nil fundamenti datur, vt illud cenſeatur potiùs procedere per intellectum, quàm per voluntatem, ſeu vt potiùs ſit *Verbum*, & ſecunda perſona per intellectum, quàm tertia; Ergo dicendum eſt, quòd ex parte obiecti, ſeu ex natura rei intellectus eſt aliquo modo principium Verbi, quo non eſt voluntas. Minor probatur (conſequentia namque & maior iam patent.) Proceſſio verbi, ſeu ſecundæ perſonæ ſecundùm eſſe relatiuum nil habet *intellectionis* in ſe; ergo ſi aliunde æquè primò, & immediatè ex natura rei loquendo procedit per voluntatem, ac per intellectum, non eſt, cur potiùs ad hunc, quàm ad illam pertineat; vel rogo, quid apprehendis formaliter in proceſſione Verbi, cur potius ex illa colligas intellectum, quàm voluntatem? Rurſus: proceſſio Spiritus-ſancti realiter, & formaliter ex natura rei loquendo eſt partus intellectus, ſeu oritur per intellectum, & iſte eſt illius principium, non minùs, quàm Verbi, aliùnde tertia perſona, vt ſumpta ex parte termini non minùs præſtat ad effectum formalem *intelligentis*, quàm ſecunda perſona; Ergo non eſt, Cur potiùs hæc dicatur procedere per intellectum, quàm illa. 15 Zuniga.

16 Arguunt quartò. Spiritus-ſanctus formaliter procedit per voluntatem, ſed non procedit per Naturam neque ex natura rei; ergo inter voluntatem, & naturam (inter quas certum eſt non dari vllam diſtinctionem realem) verificatur ex natura rei aliqua contradictio, ac proinde & diſtinctio ex natura rei, ſi non formalis, ſaltem virtualis. Conſequentia hæc manifeſta eſt; nam vt conſtat ex ſect. 1. in fine de re hìc ſolùm controuertitur, an ex natura rei ſtet contradictio ſine vlla diſtinctione reali. Maior propoſitio in confeſſo eſt apud omnes. Minor, quæ ſola probatione eget, ſic ſuadetur; etiam ex parte obiecti, & ex natura rei loquendo, Spiritus-ſanctus non procedit in ſimilitudinem *Quartum ex diuerſitate, qua Spiritus-ſanctus per voluntatem potiùs quàm per naturam procedit. Soluitur à §. 168.*

dinem naturæ, ſicut Filius; alioqui æquè ipſe Filius eſſet; & ipſius Proceſſio : *Generatio* : quod damnat fides; etenim eo præciſè, quòd Proceſſio Filij ſit in ſimilitudinem naturæ, eſt Generatiò præ Proceſſione Spiritus ſancti. Iam ſic arguo; ſimilitudo in natura diuina non ſumitur ſecundùm conceptum, ſeu in aliquo conceptu relatiuo Patris; nempe non eſt in natura vt claudente, vel connotante relationem, quæ ſit in Patre; ſed in natura ſecundùm conceptum abſolutum *Naturæ*. At hæc ſimilitudo ſic non inuenitur in Filio, niſi quia ipſa natura ex parte obiecti immediatius communicatur, vel principiat Filium, quàm ſpiritum; Ergo vt ex natura rei, & ex parte obiecti loquendo ſpiritus ſanctus aliquo pacto non procedat per *Naturam*; opus eſt, vt natura non ſit principium ipſius.

17 Maior huius ſyllogiſmi ſubſumpti, nempe ſimilitudinem debere eſſe in aliquo abſoluto ſuadetur; quia ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, adhuc Spiritus ſanctus vt talis, non procederet per generationem; ſupponunt enim Thomiſtæ, & Scotiſtæ, ſicut ſupponebant olim Patres Græci, in hac hypotheſi, quòd Spiritus Sanctus non procederet à Filio, ſtare adhuc conceptum verum *generationis* & *Spirationis*, & ſolùm controuertitur, diſtinguerentur-ne tunc realiter hi conceptus. Tunc ſic; in prædicta hypotheſi nihil diuerſitatis daretur, cur proceſſio Spiritus ſancti non eſſet in ſimilitudinem naturæ, niſi diuerſitas aſſignetur in natura ſecundùm conceptum abſolutum; ergo in hoc, & non in relatiuo per ſe conſtituenda eſt ſimilitudo in natura, prout requiritur ad generationem; Vt ego ipſe admittam, & defendam in Tract. de Trinitat. Minor eiuſdem ſyllogiſmi ſubſumpti, nempe ſimilitudine requiſita ad generationem non cariturum Spiritum ſanctum (ſi ſimilitudo hæc menſuretur ſecundùm prædicatum abſolutum naturæ, & aliunde Spiritus ſanctus ex parte obiecti procedat per naturam diuinam vt vult contraria ſententia.) Minor inquam hæc probatur, nam nihil abſolutum quoad identitatem ſeu in facto eſſe, eſt potius in Filio, quàm in Spiritu ſancto; Vterque enim eſt formaliter Deus. Ergo Spiritus ſanctus, vt careat ſimilitudine requiſita in natura abſolutá ad generationem, opus eſt, vt non procedat ex parte obiecti per naturam diuinam, ſeu quòd natura diuina non ſit principium illius.

18 *Quintum ex directione cognitionis.* Arguunt quintò: ex parte obiecti, & ex natura rei loquendo cognitio diuina eſt principium directiuum volitionis abſolutæ; item volitio non eſt principium ſic, etiam ex parte obiecti, & conſequenter cognitio, & volitio in diuinis recipiunt contradictoria ſic ex natura rei. Sed nulla intercedit omnino diſtinctio ex natura rei nec realis, nec formalis inter cognitionem diuinam abſolutam, & volitionem vt patet; Ergo dabitur ſaltem virtualis ex natura rei. Sola maior, quæ probationem deſiderat probatur. Cognitio ex genere ſuo dirigit ad volitionem, directio autem non ſtat niſi intelligatur volitio pro priori? Sic dicitur *nihil volitum, quin præcognitum*; Ergo cognitio ſaltem directiuè eſt principium volitionis ex natura rei, ſeu ex parte obiecti, quo pacto volitio non eſt principium ſui vt manifeſtum eſt. Confirmatur; res aliqua vt eſt principium alterius, ita diſtinguitur ab illa, nihil enim notius, quàm principium diſtingui a principiato. Sed cognitio diuina eſt principium volitionis aliquo pacto ex natura rei ex parte obiecti; ergo diſtinguitur ab illa ex natura rei, ſi non formaliter, ſaltem virtualiter intrinſecè. Conſequentia, & maior per ſe patent. Minor ſuadetur: quia ex parte obiecti volitio aliquo modo eſt à cognitione, & non è contrà; Sic dixit Anſelm. in Monol. cap. 48. *Palam certè eſt rationem habenti Deum non idcirco ſe intelligere, quia ſe amat, ſed ideo ſe amare, quia ſe intelligit?* item cognitio *trahit*, *mouet*, Boni-aſque obiecti ſe habet mediá cognitione, vt *Suadens, Petens, Determinans ad volitionem.* Quæ omnia prioritatem, ſeu principiationem in cognitione denotant reſpectu volitionis. *Anſelmus.*

19 *Sextum, ex eo quòd cognitio in peccatum intentionaliter tendat, ſecùs amor.* Arguunt ſextò independenter à ratione directionis, & Principij: cognitio diuina de peccato eſt tendentia in peccatum, ipſumque denominans intentionaliter; ſed amor diuinus quamtumuis identificatus realiter cum tali cognitione non eſt neque ex natura rei tendentia in peccatum; ergo de formalitatibus omnino realiter indiſtinctis verificari poteſt ex natura rei contradictio ſeu diſtinctio virtualis. Conſequentia eſt legitima iuxta ſæpe dicta de diſtinctione virtuali intrinſeca. Maior patet; quando Deus cognoſcit peccatum. Pro minori ſumo actum amoris, quo Deus ſuam bonitatem amat, qui actus procul dubio realiter identificatur cum ſcientia de peccato; & tamen talis amor non eſt tendentia in peccatum, aliàs peccatum denominaret *amatum*; tum quia ſicut cognitio obiectum, in quod tendit, denominat *cognitum*, ita amor obiectum, in quod tendit, denominat *amatum*; tum etiam quia denominatio *Amati* formaliſſimè conſiſtit, & indiſtincta eſt ab amore tendente vt à forma, & ab eius termino vt à ſubiecto talis denominationis; implicatque aliunde non dari denominationem, ſeu effectum formalem poſitâ formâ, & ſubiecto capaci; ergo cùm peccatum ſecundùm ſe ſit ſubiectum capax denominationis *amati* ſi aliunde forma huius denominationis, ſcilicet amor tendens in peccatum, admittatur in Deo, peccatum denominabitur *amatum* à Deo, quo nihil abſurdius. Confirmatur; vel peccatum attingitur ab amore diuino, vel non? Si attingitur; Ergo denominabitur *attactum* per amorem diuinum, ſeu *amatum* à Deo? Si non attingitur; ergo amor diuinus non eſt neque ex natura rei tendentia in peccatum; tendentiaque iſta negabitur ex natura rei de amore, cùm affirmetur de cognitione diuina, in quo relucet contradictio, ſeu diſtinctio virtualis intrinſeca. *Soluitur à §. 177.*

20 *Septimum ex prædicatis contradictoriis neceſſariis, & liberæ tu conuenientibus.* Arguunt ſeptimò; & vt autumo, omnium difficillimè; volitio libera, (idem proportionatè de ſcientia) omnino identificatur realiter cum volitione neceſſaria, ſupponenda enim eſt modò communis ſententia conſtituens actus liberos Dei ipſi adæquatè intrinſecos, ac proinde ex omni parte realiter indiſtinctos, identificatur, inquam, volitio libera cum neceſſaria, & nihilominus de volitione neceſſaria affirmatur eſſe omnino *indefectibilem*, *eſſe compoſſibilem cum nolitione libera*, eſſe *inconnexam cum creatura volita*, quæ omnia etiam ex natura rei præciſa omni operatione noſtri intellectus, negantur de volitione libera; Ergo iſta diſtinguitur ex natura rei, ſi non formaliter, virtualiter intrinſecè à volitione neceſſaria. Confirmatur: omnis negatio ex natura rei arguit aliquam diſtinctionem ex natura rei. Sed ex natura rei, vt nuper dixi, negatur de volitione libera eſſe indefectibilem omnino realiter, & virtualiter, quoad entitatem, & quoad denominationem, quo pacto indefectibilis eſt volitio neceſſaria. Ergo *eſſe ſic indefectibilem* diſtinguitur ex natura rei à volitione libera; *Solutio à §. 180.*

libera; ſed non realiter, neque formaliter ex vllo capite; nulla enim diſtinctio realis nec formalis ex natura rei datur in Deo, niſi inter relatiua; Ergo *virtualiter* intrinſecè, & conſequenter ſine vlla diſtinctione reali virtualis ſola ſufficiens eſt ad verificandam contradictionem ex natura rei inter perfectiones diuinas.

SECTIO III.

Alia fundamenta pro diſtinctione virtuali intrinſeca inter perfectiones abſolutas & relatiuas ſeu inter naturam Dei, & relationem immediatè ex myſterio Trinitatis.

21 PRæcipua fundamenta pro hac ſententia deſumuntur ex myſterio Trinitatis; quare mirandum non eſt, ſi hæc fuſiùs proſequamur, & antequam Trinitatis fides declaretur in proprio tract. ad quæſt. 27. huius 1. part. S. Thom. huius tota difficultas attingatur, & perpendatur; quam fateor non ſatis capi poſſe ab his, qui prædictum tractatum de Trinitate non perlegerint: Iſti tamen vel omittere in præſenti poſſunt argumenta, quæ in hac ſectione proponam, quouſque ſatis perſpectam habeant de Trinit. Theologicam doctrinam, vel ſtatim illam perlegere; neque enim laborioſum erit aliquibus ſequentis voluminis foliis euolutis eam è proprio tractatu ſtatim addiſcere.

22 *Octauum deſumitur argumentum ex contradictorijs, quæ inter ſe abſoluta, & relatiua prædicata ſortiuntur. Solutio à ſ. 187.*

Sic igitur octauò pro diſtinctione virtuali intrinſeca, ſeu pro contradictione immediatè verificata ex natura rei abſque vlla diſtinctione reali arguitur. Independenter, & ſecluſa omni diſtinctione reali non ſolùm immediata, ſed etiam mediata, & in tertio duæ formalitates ſic identificatæ realiter recipiunt prædicata oppoſita ex natura rei; Ergo habent diſtinctionem intrinſecam, ſeu ex natura rei, ſi non formalem, ſaltem virtualem. Conſequentia notiſſima eſt ex dictis antecedens probatur: Ipſi Paternitati in ſe conuenit *diſtingui* a Filiatione, ſeu in ſeipſa, non eſt Filiatio; item naturæ identificatæ cum Paternitate (non reduplicatiuè vt eſt in Filio, ſed ſecundùm intrinſeca, quæ dicit *natura, & eſſentia*) conuenit *non diſtingui;* quæ repugnantia diſtinctionis non venit ipſi Naturæ à Filiatione, ſeu vt conſideratæ iam in Filio, ſed ex propriis: verbi gratiâ, in priori originis, in quo intelligitur Pater; etenim in ipſo Patre eſt verum dicere dari aliquid, quod identificatur cum Filio: Et rogo quando dicimus dari in Patre aliquid *commune*, & aliquid *non commune*, nonne ſupra naturam in ſeipſa cadit *communitas*, quin in ratione *communis* conſtituatur per Filiationem, quæ potiùs incommunicabilis eſt ſicut Paternitas maximè, ſi loquantur pro illo priori originis, in quo Pater eſt prior Filio. Item Filius vt condiſtinctus à Paternitate conſtat Natura *improducta*; Ergo in ipſo identificato inuenitur: *Produci, & non produci*, & vno verbo: Natura *eſt Filiatio*: Paternitas, quæ identificatur cum Natura *non eſt Filiatio*; Ergo iam, quin imbibatur vlla diſtinctio realis, nec tertium realiter diſtinctum, datur contradictio ex natura rei, præciſa omni operatione intellectus. Confirmatur in ipſa identificatione cũ hoc tertio realiter diſtincto. Nam Natura identificatur cum hoc tertio, nempe cum Filiatione & Paternitas, quæ cum Natura facit vnam rem realiter ſimplicẽ, non identificatur cum tertio hoc.

23 *P. Ant. Perez.* Dices primò; cum recentiore doctiſſimo Magiſtro meo, omnem hanc contradictionem inter Naturam, & Paternitatem eſſe ratione *tertij*, & ſupra *tertium* cadere: quare nunquam contradictio ex natura rei contingit ſine reali diſtinctione; nam ſi dicitur de Natura diuina: *Non generat*, cùm generet Paternitas; ideo eſt quia Natura eſt Filiatio, quæ non generat: *Natura non producitur:* quia imbibit Paternitatem improductam. Si denique dicitur: *Identificatur, ſeu non diſtinguitur à Filiatione*, eſt, quia eſt Filiatio ipſa. Hanc tamen huius ſolutionis doctrinam nunquam ſatis intelligere potui, videtur enim mihi confundere Naturam, ſeu eſſentiam diuinam cum perſonis, quaſi eſſentia ſolùm ſit tres Perſonæ per modum complexi, vti dicitur in creatis, verbi gratia, *vna natura humana*, quæ nihil aliud eſt, quàm Petrus, Paulus, Franciſcus, &c. vnde ſtat in Petro, ſedet in Paulo, currit in Franciſco ſine contradictione, tota varietate, & oppoſitione cadente ſecundùm conditionem indiuiduorum: At Chriſtiana fides non ita de Natura diuina ſentit; alias quod eſſet in Trinitate myſterium? Veneramur ergo fideles vnitatem Naturæ in Trinitate Perſonarum; vnitatem inquam haud aliter, quàm ſi ſimpliciſſima albedo formaliſſime eadem in tribus ſubiectis eſſet, ita vt non modò per vnionem, ſed per ſtrictiſſimam identitatem eiſdem communicaretur. Vnde eſſentia, & natura diuina non ſolùm in Patre eſt *improducta* ſed in ipſo Filio: verè enim Filius diuinus conſtat aliquo *producto*, & aliquo *improducto*: aliquo *communi*, & aliquo *non communi*, cùm tamen Filius non conſtet Paternitate; Item ipſe, & Pater vnum ſunt, & tamen diſtinguuntur realiter. Filius identificatur cum aliquo identificato cum Patre; Ergo *non diſtingui à Filiatione* nõ ſolùm de Natura, prout eſt in Filio, dicitur, ſed etiam de aliquo exiſtente, & identificato cum Patre. Item *non produci* non ſolùm dicitur de Natura, quia eſt Paternitas improducta, aliàs etiam poſſet dici Natura *producta*: cùm ſit Filiatio, quæ producta eſt.

24 *P. Martinus Sparza.* Ita fatetur alius doctus Theologus Commagiſter meus, & huius diſtinctionis virtualis intrinſecæ inſectator acerrimus; fatetur, inquam, hæc prædicata contradictoria conuenire formalitatibus identificatis, quin intrinſecè imbibatur tertium realiter diſtinctum, & quin præciſè cadant ſupra ipſum ſic diſtinctum. Sed addit prædicata ſic oppoſita conuenire *relatè ad tertium*, & per ordinem ad tertium: ſicut effectus creatus productus eſt ratione ſui intrinſecè; ſed hoc prædicatum conuenit ipſi cum relatione, & dependentia à Deo creante. Neque hæc ſolutio ſatisfacere poteſt: cùm dicis contradictionem conuenire *relatè ad tertium*, non dicis contradictionem cadere ſupra tertium, vt nuper vidimus, eo ſenſu, quo Natura, & Paternitas diſtinguuntur per ordinem ad tertium, quia ſcilicet nil inuenitur in Natura diſtinctum à Paternitate, niſi ſolùm tertium: Etenim cùm verum ſit: *Natura non eſt producta*: non ita verum eſt: *Natura non eſt Filiatio*; vel non eſt identificata cum Filiatione, vel nihil eſt improductum, niſi ſola Paternitas: Iam ergo ſolùm reſtat dicendum, quòd ly: *relatè ad tertium* præcisè denotet hanc contradictionem connotatiuam eſſe, & reſpectiuam alius *tertij*, quod nullum lenimen eſt, tum quia iam non datur diſtinctio pro menſura, & ſecundùm qualitatem contradictionis, cùm contradictio ſolùm extrinſecè connotet tertium, aliunde nullam arguat diſtinctionem in for-

malitate,

mali ate ſupra quam cadat; hoc eſt non cadit diſtinctio ſupra extrema, ſupra quæ cadit contradictio, nam in ſe intrinſecè, vt catholicè fateris; natura *non eſt producta*: Filiatio *eſt producta*; cùm tamen natura falsò dicatur *non eſt Paternitas*, ſeu diſtinguitur à Paternitate, ſicut dicitur de Filiatione: tum etiam non minor contradictio eſt in prædicatis reſpectiuis, quàm in abſolutis; quid enim refert ad contradictionem, ſi de aliquo indiuiſibili dicas *eſt Pater*, *non eſt Pater*: quàm *eſt albus*, *non eſt albus*. Ergo impertinens eſt ad ſoluendum argumentum poſitum hæc connotatio tertij.

25 Arguitur nonò hinc. Independenter à tertio, ſeu præciſe in ſe inſpectæ eſſentia, & Paternitas habent aliquam diſtinctionem immediatam ex natura rei: ſed non formalem, ergo virtualem. Maior probatur: Paternitas non poteſt identificari cum tertio realiter diſtincto à Paternitate; poteſt tamen natura. Cùm *producit* Paternitas, non poteſt Paternitas ſimul non producere, poteſt tamen natura, idque ex natura rei contingit. Ergo aliquo modo collata Paternitas immediatè cum natura eſt aliud ab ipſa, non eſt ipſa ex natura rei; non ſolùm quatenus non eſt aliquid identificatum cum natura, ſed etiam quatenus in ſe Paternitas non eſt, quod identificatur cum illo alio. Ergo diſtinguitur à natura ex parte rei ſaltem virtualiter. Confirmatur. Hæc veritas *natura eſt Paternitas* æquiualet huic *Filiatio eſt Paternitas*? vel non æquiualet? Si Primum; deſtruitur fides Trinitatis: ſi ſecundum? tum ſic: non datur differentia ex parte prædicati cum vtrobique prædicetur Paternitas; Ergo ea differentia eſt ex parte ſubiecti; Ergo quia ly *filiatio*, quæ exprimitur in ſecunda propoſitione in ſe, & immediatè, alia eſt à natura. Confirmatur ſecundò: ex Paternitatis, & Filiationis complexo reſultat dualitas ex natura rei, non ex Filiatione, & eſſentia; alias Filius, qui conſtituitur ex Filiatione, & eſſentia, non eſſet ſimplex realiter; ergo aliquid addit Paternitas eſſentiæ ex natura rei, ſeu aliquo modo non eſt eſſentia immediatè ex natura rei. Si enim *Paternitas* nil aliud eſt, quàm *eſſentia*, iſta faceret dualitatem cum filiatione ſicut illa; vel è contrà non eſt cur Paternitas potiùs faciat numerum cum Filiatione, cùm illum non faciat eſſentia; ſi Paternitas, nil nouum addit eſſentiæ. Ergo diſtinguitur virtualiter intrinſecè immediatè, ſeu magis quam præciſè in tertio: hoc eſt, non ſolùm habet non eſſe realiter tertium, ſed etiam non eſſe ipſam eſſentiam immediatè. Confirmatur tertiò: Formalitas, quæ addita vni facit dualitatem ex natura rei, opus eſt, vt aliquid noui realiter afferat. Sed eſſentia cum filiatione; hoc totum ſic acceptum eſt *vnum*, & per additionem Paternitatis conſurgit in dualitatem. Ergo Paternitas aliquid noui affert quod non erat antea. Sed in illo toto, & coniuncto erat eſſentia, & Filiatio. Ergo Paternitas illi addita aliquid diſtinctū, & nouum ex natura rei ſaltē virtualiter affert, ſeu dicit, quod nō dicebat ly *eſſentia*.

Nono argumento luculentiori luce donatur præcedens.

Soluitur à §.183.

26 Explicatur argumentum, vt immediatè inter ipſam Paternitatem, & eſſentiam aliqua admittatur diſtinctio ex natura rei. Inter vnitatem, & dualitatem realem neceſſariò eſt aliquid diſtinctum ex natura rei. Seu dualitas plus dicit à parte rei, quam vnitas, & hæc propoſitio à parte rei vera eſt: *Vnitas non eſt dualitas*, Sed eſſentia cum Filiatione eſt *vnitas*; & per additionem Paternitatis fit *dualitas*. Ergo Paternitas aliquid ex natura rei addit, quod non erat in illa prima vnitate; Ergo Paternitas addita non ſolùm non eſt filiatio, ſed neque eſt eſſentia ex natura rei loquendo; aliàs cur ſaltem realiter non faciunt dualitatem filiatio, & eſſentia, ſi ly *eſſentia* in re eſt idem, quod ly *Paternitas*. Quo pacto apprehendi poteſt, quòd potiùs *Paternitas*, quàm *eſſentia* faciat dualitatem cum Filiatione, ſi *Paternitas* nil aliud eſt, quàm *eſſentia*: Confirmatur: Filius vt Filius ſecundùm totū quod dicit, non eſt ex natura rei Paternitas, ſed in Filio eſt eſſentia; ergo eſſētia aliquo modo ex natura rei nō eſt Paternitas. Si dicas filiū ſolùm indæquatè non eſſe Paternitatem, quia quatenus dicit eſſentiam hinc Paternitatem inuoluit, ſi hoc dicas, etiam vrgeris; quia Paternitas adæquatè diſtinguitur; ergo neceſſariò aliquid inuoluit ex natura rei diſtinctū à toto Filio; ſed de hoc iterum numero ſequenti. Confirmatur ſecundò. Dualitas ex Paternitate, & filiatione diuerſa eſt; & negabilis ex natura rei de dualitate ex Filiatione, & eſſentia; imò iſta ſecunda non eſt dualitas, nam potiùs de hoc ſecundo coniuncto dualitas ſimpliciter ex natura rei negatur. Ergo quia ex parte rei aliquo pacto diſtinguitur hæc duplex dualitas, ſeu non habent identitatem dualitates hæ: Vt enim dixi diſput. præced. ſect. 1. Diſtinctio realis conſiſtit in eo, quòd vnum non ſit ſeu negetur verè ex parte obiecti de alio. Tum ſic. ſed non diſtinguitur prima dualitas à ſecunda, qua parte ſecunda includit Filiationem, cùm Filiatio in vtraque repetitur; Ergo qua parte ſecunda dualitas non imbibit Paternitatem, ſicut prima, licèt imbibat eſſentiam diuinam; ergo eſſentia aliquo modo non eſt ex natura rei Paternitas.

27 Dices: Paternitas; diſtinguitur realiter inadæquatè à natura, & ex hac parte, & diſtinctione poteſt recipere contradictionem ex natura rei ſine vlla alietate immediata; diſtinctio autem iſta inadæquata datur, quia natura, ſeu eſſentia diuina eſt realiter Paternitas, & Filiatio ſimul; quod complexum, & totum imbibit aliquid realiter diſtinctum a Paternitate; Non ergo totum hoc adæquatè identificat ſe cum Paternitate Sicut poteſt dici, quòd Paternitas non diſtinguatur adæquatè realiter à Filiatione, quia Filiatio realiter eſt eſſentia, quam ſecum identificat Paternitas; ita reſpondet huic argumento P. Arrubal part. 1. diſp. 141 cap. 2. & 3. Sed reſponſio hæc nullatenus ſatisfacit: nam contradictio prædicta non ſolùm cadit ſupra illud, quod diſtinguitur realiter à Filiatione, vt cùm de complexo ex corpore, & anima dico: eſſe *Spiritum*, *non eſſe Spiritum*, quæ negatio ſolùm cadit ſupra aliquid, quod realiter diſtinguitur ab anima rationali; non, inquam, contradictio in Patre ſolùm cadit ſupra illud, quod realiter diſtinguitur à Filiatione; etenim *non produci* verè & ex parte obiecti prædicatur, & cadit non ſolùm ſupra Paternitatem, ſed etiam ſupra conceptum eſſentiæ vt indiſtinctæ à Filiatione. Rurſus ſimiliter non ſolùm quod diſtinguitur realiter à Paternitate, eſt Filiatio; ergo identificatur cum Filiatione id quod realiter idem eſt cum Paternitate. Vnde nihil proficit inadæquata diſtinctio; ſiquidem eſſentia non ſolùm ſecundùm quod imbibit realiter diſtinctum a Paternitate, ſed etiam ſecundùm quod non eſt, ſeu imbibit tale diſtinctum, ſeu prout eſt in ipſo Patre ex natura rei; *Identificatur cum Filiatione*: *eſt communicabilis*: *non eſt generans*: & cætera. Eadem enim ſimpliciſſima entitas naturæ eſt identificata in Patre, & etiam in Filio. Ergo recipit contradictionem, & alietatem præter realem. Adde, quòd reſpectu trium Perſonarum ſimul, ideſt

Arrubal.

Trinitatis, eſſentia habet identitatem adæquatam, & nihilominus recipit contradictionem, ſcilicet *non eſſe trinam eſſentiam*: Item in Patre datur aliquid, quòd ſecundùm illud, quo identificatur cum Patre immediatè; identificatur etiam cum Filiatione, quod quidem ſic identificatum non eſt ſola Filiatio, nam ipſa Filiatio immediatè non identificatur vllo modo cum Paternitate: numquam ergo fugitur alietas, vel diſtinctio ex natura rei, ſaltem virtualis, quæ immediata ſit, & independens ab omni reali ſiue immediata, ſiue mediata in tertio.

Arguitur decimo apud Gabrielem 1. d. 2. qu. 1.
28 art. 3. vt detur contradictio ex natura rei non ſolùm antecedenter & independenter ab omni diſtinctione reali etiam in tertio iuxta dicta num. 22. ſed vt detur hæc contradictio inter formalitates, quæ ita identificantur realiter, & omnem realem diſtinctionem excludant, ſeu quatenus diſtinctionem realem etiam in tertio excludunt; Ergo admittenda eſt diſtinctio ex natura rei ſaltem *virtualis* inter has formalitates. Conſequentia patet ex ſæpe dictis. Antecedens, & aſſumptum huius argumenti multipliciter oſtenditur. Primò *Deus generat*: *Eſſentia non generat*: & tamen eſſentia neque in ſe, neque in tertio diſtinguitur realiter à Deo; cum nullo enim identificatur eſſentia, quod diſtinguatur realiter à Deo. Secundo nullo modo, neque in tertio diſtinguuntur *Pater*, & *Paternitas*; ſiquidem in nullo eſt *Pater*, cum quo non identificetur *Paternitas*; & tamen hæc contradictio ex natura rei eſt vera: *Paternitas conſtituit Patrem*: *Pater non conſtituit Patrem*, nihil enim ſeipſum conſtituit: ſimiliter *Paternitas* non eſt tota quidditas, ſeu conceptus Patris, nec ſe, neq; aliquid ſui communicat per identitatem Filio. Pater eſt tota quidditas aliquid ſui communicat Filio. Pater eſt *conſtitutum*: Paternitas non eſt *conſtitutũ*, ſed *conſtituens*. Tertiò illud antecedens aſſumptum oſtenditur in his contradictionibus: *Eſſentia eſt ſingularis*: *Conceptus Perſona non eſt ſingularis*. Item *Perſona eſt triplex*: *Eſſentia non eſt triplex*. Tunc ſic. Sed eſſentia non diſtinguitur in ſe, neque in aliquo tertio à Perſona; in omni namque ſuppoſito, in quo inuenitur, identificatur cum Perſona, & conuertibiliter nunquam perſona inuenitur niſi identificans eſſentiam: Ergo. Confirmatur: poteſt verificari ex natura rei negatio ſine vlla diſtinctione reali; ergo & contradictio: patet conſequentia, quia contradictio maximè, & vnicè ob negationem, quam includit, exigit diſtinctionem. Antecedens probatur; ex Natura rei hæc propoſitio negatiua vera eſt: *Eſſentia non eſt relata*; & tamen nihil relatum, vel ad hanc denominationem conducens diſtinguitur realiter ab eſſentia Dei, nihil enim, quod eſt in diuinis, qualis eſt denominatio *relati*, quæ conuenit *Patri* diuino, diſtinguitur ab eſſentia. Similiter: *Eſſentia non eſt diſtincta* à Filiatione: non eſt *diſtinctio*, ſeu *ratio diſtinguendi*. Quis enim dicat rationem diſtinguendi Patrem à Filio eſſe diuinam eſſentiam? etiamſi nil poſſit identificari cum Paternitate, quod ab eſſentia diuina diſtinguatur; Ergo etiam vbi nulla eſt diſtinctio realis, verificari poteſt ex natura rei negatio.

29 Arguitur vndecimò. Diſtinctio realis in tertio, ſeu mediata per accidens, & omnino impertinens eſt ad contradictionem immediatam; Ergo contradictio, quæ ex parte obiecti loquendo, & ex natura rei inuenitur inter eſſentiam, & relationem realiter immediatè identificatas, non in aliquam diſtinctionem mediatam, ſeu in tertio reducenda eſt, ſed in aliquam immediatam minorem (licèt ex natura rei) nempe virtualem intrinſecam. Antecedens ſuadetur quaſi à contrario ſenſu iis argumentis, quæ ſuprà poſui: Nam poteſt dari diſtinctio realis in tertio ſine contradictione vlla ex natura rei, ſeu quin detur capacitas ad negationem prædicati, quod ſic realiter in tertio diſtinguitur. Sic *Deus*, & *eſſentia* diſtinguitur realiter in tertio à Paternitate, nempe inuenitur in Filio, neque ideo hæc eſt vera: *Paternitas non eſt Deus*, vel *non eſt eſſentia diuina*. Ergo è contra vti poteſt dari diſtinctio realis, dum eſt in tertio, ſine contradictione, & negatione ex natura rei, poterit dari negatio ex natura rei ſine tali diſtinctione. Confirmatur: eſſentiæ diuinæ non conuenit eſſe *rationem diſtinguendi*, & tamen conuenit eſſe Paternitatem, cùm tamen æquè ab vtroque prædicato diſtinguatur in tertio (ſic Paternitati non conuenit eſſe rationem communicandi, cùm conueniat eſſe eſſentiam, cùm tamen æquè reſpectu vtriuſque prædicati habeat immediatam identitatem, ſicut æquè mediatam diſtinctionem realem in tertio) Non ergo venit à reali diſtinctione in tertio contradictio, aliàs ab æquali cauſa formali æqualis eſſet effectus. Confirmatur 2. poteſt creſcere contradictio, quin creſcat diſtinctio in tertio. Nam Filiatio cùm æquè ſemper diſtinguatur in tertio ab eſſentia; nihilominus magis negatur de eſſentia diuina: *eſſe productam*: *eſſe diſtinctam à Paternitate*, quam prædicatum *vnita* cum natura (quæ omnia ſunt prædicata Filiationis) etenim licèt immediatè, & formaliter vnio fuerit facta in ſuppoſito; hæc tamen propoſitio ex parte obiecti loquendo in aliquo ſenſu reali eſt vera: *Natura realiter, & identicè, licèt non formaliter eſt vnita humanitati*: quo ſenſu non eſt vera, neque admittenda hæc alia propoſitio: *Natura, ſeu eſſentia diuina realiter, licèt non formaliter eſt diſtincta à Paternitate*: *ſeu Filiatio realiter, & identicè eſt Paternitas*. Ergo diſtinctio realis in tertio impertinens eſt ad admittendam contradictionem, & conſequenter iſta admitti poterit independenter ab illa diſtinctione: & ratio à priori eſt; quia, ſi aliquam diſtinctionem requirit contradictio, ſeu negatio, maximè iuxta proportionem, & menſuram negationis. Ergo ſi ad immediatam negationem non requiritur immediata diſtinctio realis, nec requiretur mediata, ſeu in tertio.

Dices: diſtinctio realis in tertio fundat ſemper contradictionem, quia licèt hæc non ſit vera abſolutè: *Paternitas non eſt eſſentia*: eſt tamen verum: *Paternitas non eſt eſſentia vt in tertio*: Et rurſus quamuis è contra non ſufficiat ad negandam Paternitatem de eſſentia abſolutè, & immediatè, non inquam ſufficiat, quòd eſſentia inueniatur in tertio realiter diſtincto à Paternitate: ſufficit tamen vt dicatur relatè: *Eſſentia in Filio, ſeu vt in tertio non eſt Paternitas*. Sed contrà, de hoc nullus dubitauit; etenim ſicut fuerit diſtinctio erit negatio: At non præſtat myſterium Trinitatis, vt è contrà detur negatio immediata, & in ſe illius, quod immediatè, & in ſe non diſtinguitur: verbi gratia, *eſſe producentem* negatur de ipſa eſſentia in ſe, etiam prout eſt in Patre pro priori originis ad Filium. Quòd ſi, vt hoc prædicatum negetur de *eſſentia*, recurris ad diſtinctionem in tertio, ſeu ad identitatem cum aliquo *non producente* diſtincto à Patre, cum quo identificatur eſſentia, nempe Filio: ſi recurris, inquam, & dicis ſufficere, quod in tertio careat res aliquo prædicato, vt ſimpliciter,

Gabriel.

Decimum ex contradictione reperta inter formalitates nulla etiam in tertio, diſtinctione reali pollentes.

Solutio à §. 194.

Vndecimum; Impertinenter omnino ad diſtinctionem realem mediatam recurritur, pro aſſignanda immediata contradictione.

Solutio à §. 196.

30

ſimpliciter, & abſolutè poſſit negari (neque enim dices, quod diſtingui in tertio ſufficiat ad negationem in tertio; hoc namque eſſet dicere idem per idem, & non ſatisfacit negationi *Producentis*; quæ dicitur de eſſentia non ſolùm in tertio, ſed in ſeipſo pro illo priori Originis, quo Pater eſt antecedenter origine Filio.) Contra hoc tuum dictum ſic vrget argumentum poſitum. Eſſentia diuina inuenitur in tertio non Patre, neque ideo hæc eſt vera : *Eſſentia non eſt Paternitas*; Ergo diſtinctio realis in tertio per accidens, & omnino impertinens eſt ad contradictionem. Ergo è contrà poterit dari contradictio ex natura rei, vbi nulla eſt diſtinctio realis neque in tertio.

31 *Duodecimum; quoniam æquè arduum apparet identitas vnius cum pluribus, ac cum alia formalitate abſque diſtinctione reali in tertio.*

Arguitur duodecimò. Quia ſtando lumini naturali non minorem difficultatem habet identitas vnius cum pluribus, quàm cum alia formalitate ſine vlla diſtinctione reali mediata, & immediata recipiente contradictionem; ergo cùm primùm vincendum ſit, & captiuandum intellectum in obſequium Trinitatis, vt fateamur in terminis nullam repugnantiam inuoluere, quando coniungitur cum infinitate; idem dicendum erit in hoc noſtro & ſecundo caſu, quo intenditur omnimoda identitas realis cum capacitate ad prædicata contradictoria ex natura rei. Antecedens ſuadetur Primò quia eo ipſo, quòd eſſentia identificetur, licèt ſingularis, & vnica cum pluribus perſonalitatibus; Iam aliqua Perſonalitas verbi gratia Paternitas recipit contradictionem eſſentiæ, nam recipit, ſeu verificat non eſſe Filiationem, cùm eandem Filiationem identificet ſecum eſſentia. Cur ergo hinc non poterit ſimiliter identificari verbi gratia cum volitione intellectio diuina, quantumuis volitio verificet contradictionem, nempe : *non eſſendi ex natura rei Principium verbi.* Secundò non minùs *vnum* dicit carentiam plurium, ſeu fundat, *non eſt plura*, quàm identitas omnimoda excludit : *hoc non eſt illud* : Ergo ſi cum *vno* ſtat pluralitas; ita & cum identitate contradictionis negatio; ſeu : *hoc non eſt illud.* Tertiò, non minùs implicat eſſentiam eſſe vnam, & plures in eſſe *Eſſentiæ*, quàm intellectionem eſſe Principium verbi, & ſimul non eſſe Principium verbi in eſſe *intellectionis*; Ergo ſi primum emollitur, dum ſit vnum in eſſentia, & Trinum in perſonis quantumuis identificatis, & in re idem cum eſſentia; ita in præſenti emollietur implicatio, dum intellectio eſt principium verbi, & non eſt principium in volitione, quantumuis omnino idem realiter cum intellectione. Si dicas: licèt præſumptioni, & puræ apprehenſioni naturalis luminis noſtri intellectus ſuis viribus relicti æqualem difficultatem inuoluat Trinitas cum vnitate; at corrigi per lumen fidei Chriſtianæ; ſecus difficultatem contradictionis de qua nil dicit fides, Si hoc, inquam, dicas, contra eſt; tum quia plura difficilia à paritate eorum, quæ docet fides, admittimus, vt myſterium actuum liberorum Dei; quia cum videamus ſemel hæc myſteria abſorberi à Dei infinitate, iam non timemus ſimilia ei concedere : tum etiam, quia fides Chriſtiana non damnat diſtinctionem Scoticam formalem ex natura rei cum qua non tantam, imo ferè nullam difficultatem habet myſterium Trinitatis, vt notaui ſuperiori diſput. num. 57. nihilominus vt decentiùs, & perfectiùs hoc ſtet, maiorique cum proprietate Propoſitiones fidei Catholicæ intelligantur, negamus hanc diſtinctionem formalem ex natura rei, Ergo ſimiliter, vt ex vna parte ſtet identitas realis omnimoda inter volitionem, & Intellectionem Dei; & ex alia propriè, & ſtrictè verificetur; Quod verbum, *non Procedit per voluntatem*, admittenda eſt contradictio ex natura rei ſine diſtinctione reali per ſolam diſtinctionem virtualem.

Solutio à §. 168.

SECTIO IV.

Alia argumenta pro diſtinctione virtuali intrinſeca ex contradictione vniti *hypoſtaticè*: cogniti *&* principiantis.

32 *Decimum tertium argumentum efformatur: Filiatio terminat immediatè vnionem hypoſtaticam ſecus verò natura.*

EX his tribus capitibus valida argumenta pro diſtinctione hac ſumi poſſunt, vt contradictio ex natura rei, ſeu negatio verificetur antecedenter, & independenter ab omni diſtinctione reali. Arguitur decimò tertiò. Filiatio eſt *terminus* vnionis hypoſtaticæ ſaltem aliquo modo immediatè, quo natura diuina non eſt neque ex natura rei; & ex parte obiecti loquendo *terminus* vnionis. Quod ſi velit naturam diuinam eodem modo realiter loquendo eſſe terminum vnionis, & *vnitam*, imprimis id abſurdè dicitur contra Concilium Toletanum ſextum, & vndecimum in profeſſione fidei, in qua hæc habentur. *Solus Filius aſſumpſit humanitatem*, in eo, quod *proprium eſt filij, non quod eſt commune Trinitati.* Præterea argumentum vrget in natura diuina comparata cum Paternitate, à qua non minùs eſt indiſtincta, quàm filiatio indiſtinguitur ab ipſa natura. Hic, inquam, vrgetur argumentum: natura per te eſt terminus vnionis hypoſtaticæ, & tamen Paternitas non eſt terminus talis vnionis, neque identicè; Ergo datur contradictio inter formalitate identificatas. Si autem rurſus reſpondeas, ideo de natura negari, quòd terminat vnionem, ſeu eſt *vnita*, quia ipſa natura eſt Paternitas, quæ non vnitur. Contra eſt, tum quia non ſolùm natura in Patre non eſt immediatè *vnita*, ſed neque in ipſo Filio: verè Filius conſtat aliquo terminante immediatè eam vnionem, ſeu *vnito*, & aliquo *non vnito* immediatè, ſeu non terminante ſic vnionem hypoſtaticam : tum etiam quia ſi natura negatur vnita, quia non eſt *vnita* in Patre, meliùs diceretur affirmatiuè *vnita*, quod vniatur in Filio, imo ſimpliciter malè negabitur abſolutè *vnita*, quia negatio totum deſtruit ideo de Papa exiſtente Romæ in aliquo loco, licèt abſente pluribus eius locis, hæc eſt falſa : *Papa non eſt Romæ*, quia illa negatio omnem vbicationem, etiam tantillam excludit. Ergo licèt negatio *vnita* cum limitatione, nempe *in Patre* : ſit vera; non tamen vera erit abſolutè, ſi ſit *vnita* in filio. Ergo ſi abſolutè verè negatur de natura eſſe *vnitam*, ſignum eſt, quòd immediatè, & formaliter neque in Filio vnitur.

Concilium Toletanum.

Solutio à §. 200.

33 Dices : ex doctrina data diſput. præced. ſect. vltima, & danda infrà : ſupra naturam in ipſo Filio cadit negatio *vnitæ* in concreto, licèt nullo modo diſtinguatur ex parte obiecti natura à termino vnito *immediatè*, quia eo ſolùm, quòd diſtinguatur mediatè, & in tertio, ſufficiens fundamentum datur ex parte rei, vt vera ſit illa negatio in concreto, vti negatur de natura etiam in Filio eſſe *Relatam, eſſe productam*, &c. Sed contra in his concretis *Producti* : & *Relati* ideo prodeſt ad verificationem negationis immediatæ ſola diſtinctio mediata, & in tertio, quia ex illo tertio redditur *natura* diuina incapax, vt etiam in ipſo Filio non poſſit recipere effectum formalem *Producti*, vel relata,

relatæ, quemadmodum dicetur infrà. Nam eo quòd identificetur cum Patre, talis etiam eſt in Filio, vt quantumuis Filiatio diſtinguatur à Paternitate, indiſtincta tamen maneat à Paternitate Natura, quod autem indiſtinctum eſt à *producente* incapax eſt, vt denominetur, *productum*. At ex identitate cum *inunito*, ſeu cum Paternitate *non vnita* nulla incapacitas refunditur in Naturam diuinam; ſtat enim bene Naturam *vnitam* eſſe, & tamen identificari cum *inunito*, quod manifeſtè patet; tum quia Filiatio ipſa denominatur immediatè vnita, & tamen identificatur cum Natura ſic immediatè *inunita*, tum etiam ipſa Natura ſaltem mediatè, & realiter *vnitur*, & tamen Paternitas identificata cum Natura nec realiter vnitur; tum denique quia non video, cur repugnet, quòd Natura immediatè vniatur, quin vniatur Paternitas, vel è contrà, ſicut *Filius* (vt dixit Concil. Toletanum citatum num. præced.) *aſſumpſit humanitatem in eo, quod proprium eſt Filij, non quod eſt commune*, cur non poſſet idem præſtare Pater, idem etiam Spiritus-ſanctus: in quo caſu Natura, vt modò, negaretur *immediatè vnita*, & tamen cum nullo inunito identificaretur: vt iam expendo.

34
Decimum-quartum robur accipit ex tribus Perſonis triplici, ſeu potiùs vnica vnione cum natura humana coniunctis.

Solutio §. 203.

Ex nuper dictis vrgetur argumentum decimò quartò, ſint tres Perſonæ *vnitæ* naturæ humanæ, quin vniatur eſſentia, tunc de hac ex natura rei verificatur contradictio, ſeu negatio *vniti* ſine vlla diſtinctione reali nec immediata, nec mediata, vt patet; ſiquidem nullibi, & in nullo *non vnito* inuenitur. Dices, licèt in hoc caſu ita contingat, at vnio Paternitatis per ſe ſumpta (& idem proportionatè de aliis duabus vnionibus Filiationis, & Spirationis) poteſt dari etiamſi eſſentia relinquatur in ſuppoſito *inunito*, quare per ſe ab illa non dicitur eſſentia *vnita*, ſicut modò non eſt immediatè *vnita* per vnionem Verbi, quia iſta ſtat cum eo, quòd eſſentia identificatur cum ſuppoſito *inunito*: Si autem ab vna vnione non dicitur eſſentia *vnita*, ita ſimiliter nec ab aliis duabus, quæ ſunt eiuſdem conditionis, & per ſe *inunitam* relinquunt eſſentiam, licèt per accidens in nullo ſuppoſito inunito relinquant eſſentiam. Si quælibet vnio, vti accidit in vnione hypoſtatica Verbi, ſeu Filij, non ſufficit denominare eſſentiam *vnitam*, ſed quia per ſe eam relinquunt identificabilem cum ſuppoſito inunito, ideoque nec in ſuppoſito, quod vnitum eſt, vt contingit in Filio, eam *vnitam* denominant, ita dicendum eſt, quantumuis omnes perſonæ vniantur, vt ſicut quælibet vnio non tangit naturam, ſeu eſſentiam diuinam, ita neque omnes tres. Sed contra hanc ſolutionem eſt, ſi ponas indiuiſibili & ſimpliciſſima vnione omnes tres perſonalitates humanitati coniungi; iam eſſentia diuina ex conditione, & natura prædictæ vnionis implicat inueniri, illa ſtante, in aliquo ſuppoſito *inunito*, & tamen non eſt, cur implicet, quòd adhuc ipſa permaneat *inunita* formaliter, vti modo in Filio: Ergo ſtat contradictio ſine vlla diſtinctione reali.

35
Vrgenter decimoquinto arguitur ex caſu impoſſibili.

Alarcon.

Solutio à §. 204.

Fortiùs ex eadem contradictione *vniti* argui poteſt decimò quintò ex caſu, quem admittit P. Didacus Alarcon, etiamſi neget diuiſas perfectiones (relatiuis inter ſe exceptis) omne diſtinctionem ex natura rei, ſiue formalem, ſiue virtualem, quam maximè irridet diſput. 2. de Trinit. cap. 10. num. 3. admittit, inquam, Alarcon ibi n. 9. quòd ſi eſſet tantùm vna perſona in Deo, adhuc perſonalitas terminaret vnionem, & non Natura; tunc ſic; in hoc caſu daretur contradictio ex natura rei ſine vlla diſtinctione reali nec immediata, nec mediata, vt patet. Ergo contradictio ex natura rei, & ex parte obiecti verificata, contenta eſt diſtinctione minori, quàm reali etiam in tertio. Minor & conſequentia patent. Maior ſuadetur, primò à paritate in Patre; qui ſimpliciſſimus eſt, vnamque perſonalitatem includit; poteſt eſſentia vniri per identitatem cum Filio, quin vniatur Paternitas; ergo ſimiliter poſſet vniri per vnionem phyſicam, quæ latior eſt, quin Paternitas vniretur, difficilius enim vinculum eſt identitas, quàm phyſica coniunctio. Rurſus ſecundò: poteſt vniri eſſentia, quin aliqua Perſonalitas vniatur modo è tribus; Ergo ſi eſſentia haberet vnam ſolam perſonalitatem, etiam hac *inunita* (& conſequenter è conuerſo ſine eſſentia Perſonalitas) poſſet eſſentia vniri: Conſequentia ſuadetur: Nam tunc non magis identificatur eſſentia cum vna perſonalitate determinata, quam modo cum tribus: & ſicut implicaret tunc inueniri eſſentiam in ſuppoſito ſine hac determinata perſonalitate, ita & modò ſine aliqua. Ergo ſi vniri poteſt modo nulla vnita perſonalitate è tribus, ita tunc in caſu impoſſibili, quo ſolum haberet vnam perſonalitatem, poſſet vniri, hac ſtante inunita, vel è contra, eſſentia in vnita, vniri poſſet perſonalitas illa vnica. Iam antecedens illud, poſſibilitas ſcilicet vnionis, quæ fiat in eſſentia, ſeu natura, & non in perſonis à pluribus defenditur in tract. de Incarnat. Modò autem ſuadetur: Nam ex dictis num. præced. aliud eſt vniri Naturam, & vniri Perſonalitates etiam collectiuè; ſiquidem hoc inueniri poteſt ſine illo. Pone ergo, vt etiam Natura vltra tres Perſonalitates (quas dedi vnitas num. præced. nondum *vnita* Natura) denominetur *vnita*, ſuperaddi nouam vnionem, ex vi cuius ſuperadditæ vnionis Natura iam redderetur *vnita*: tunc ſic; hæc noua vnio ſtare poteſt, quantumuis deficiant illæ tres, quibus vniebantur Perſonalitates: Ergo manebit *vnita* Natura, & non vlla perſonalitas è tribus.

S. Thomas 3. part. qu. 3. art. 3.

36
Decimum-ſextum: intellectus noſter valet vnam prædicatum diuinum ab aliis obiectiuè præſcindere.

Solutio à §. 205.

Decimò ſextò arguitur ex ſecundo capite, & contradictione intrinſeca, & ex natura rei, & obiecti inuenta in eſſe *cogniti*, verbi gratia. quando cognoſcitur Paternitas per hanc propoſitionem: *Paternitas non eſt Filiatio*: tunc obiectiuè loquendo, & ex natura rei Paternitas cognoſcitur, eſſentia verò non cognoſcitur; aliàs propoſitio prædicta erit falſa, quia redderet hunc ſenſum: *Eſſentia non eſt Filiatio*; vel (vt idem argumentum fiat) ſi ſub ly *Filiatio*, quæ eſt ex parte prædicati, tangitur etiam, & cognoſcitur: *Eſſentia*, ex hac parte etiam illa propoſitio falſa eſſet, nam ſic exponenda foret: *Paternitas non eſt eſſentia*. Ergo ſignum eſt, quòd obiectiuè loquendo, & ex natura rei eſſentia non cognoſcitur, ſeu *non eſt cognita*, licèt Paternitas & Filiatio *cognitæ ſint*. Confirmatur: obiectiuè, & ex parte ipſius rei non eſt idem dicere: *Eſſentia diſtinguitur à Filiatione: Paternitas diſtinguitur à Filiatione*; ſiquidem in re loquendo eſſentia non diſtinguitur, ab eo autem, quod res eſt, vel non eſt in ſe propoſitio dicitur vera, vel falſa: Ergo qui dicit hanc ſecundam propoſitionem, ne falſa dicat; non dicit in re primam. Ergo *eſſentia* non eſt *dicta* ſeu *cognita*, quamuis ſit cognita Paternitas. Confirmatur ſecundò hæc propoſitio ſic expreſsè dicta: *eſſentia producitur*, vel *eſſentia non eſt Paternitas*, tolerari non poteſt, ſed omnino falſa reputanda eſt, ſiue *eſſentia* ſumatur iuxta noſtrum intelligendi modum, ſiue ſumatur, vt eſt in ſe ex

ſe ex parte obiecti, & in eſſe rei intrinſecè. Ergo ſignum eſt, quòd propoſitio *Filiatio producitur*, vel *Filiatio non eſt Paternitas*, nec obiectiuè attingit eſſentiam. Conſequentia iſta probatur à contrario, nam quia in creatis (id ſuppono ad hominem ex ſententia Recentiorum) non datur diſtinctio, & contradictio ex natura rei, vera eſt hæc propoſitio ex parte rei, ſeu ex parte obiecti: *Animalitas diſcurrit in re ipſa*; Ergo ſi illa expreſſa *eſſentia producitur*: nec obiectiuè eſt vera, ſignum eſt, quòd eſſentia nec ex parte obiecti attingitur.

37

Decimum ſeptimum nulla intellectus operatione fingente diuina eſſentia munus radicis, atque principij reſpectu relationum ſortitur. Solutio à §. 108.

Decimò ſeptimò ex tertio capite *principiantis* non minùs acriter arguitur. Ex natura rei, & ex parte obiecti loquendo: eſſentia eſt principium, & radix Paternitatis; ita vt præciſa omni operatione intellectus verè in ſe intrinſecè. Paternitas *principietur, dimanet, fluat* ab eſſentia diuina. At hoc contingere nequit ſine diſtinctione obiectiua, & ex natura rei. Ergo talis diſtinctio admittenda eſt: Sed non realis immediata, vt fides docet, nec mediata, & in tertio, quia tota ratio *principiantis* contingit independenter, & antecedenter ad tertium, vt magis infrà conſtabit. Neque item iſta diſtinctio ex natura rei eſt formalis, quam adſtruit Scotus, vt conſtat ex diſput. præced. Ergo reſtat, vt ſit virtualis intrinſeca. Hæc omnia clariſſima ſunt, ſi oſtendamus veritatem maioris, & minoris præmiſſæ.

38

Suadetur eſſentiam diuinam eſſe principium relationum. Concilium Florentin. Fulgentius. Athanaſius.

Imprimis maior, quòd ſcilicet eſſentia ſit principium Paternitatis. Probatur 1. ex eo quòd Generaliter dicuntur relationes diuinæ: *Proprietates eſſentiæ* in Conc. florent. cap.6. in oratione pro vnione. Fulgent. ad orationem primam Arianorum; Athanaſius tract. de definit. colum. 3. §. *dicendum* circa med. dicit: *Natura eſt domina, & genitrix hypoſtaſeon.* Et huius veritatis ratio eſt. Ipſe conceptus *eſſentiæ*, qui non ſolùm per conceptus noſtros, ſed realiter competit naturæ diuinæ, non autem conuenit Paternitati, aliàs Pater non communicaret filio totam eſſentiam ſuam; item in Deo non vna tantùm, ſed tres eſſentiæ forent: tunc ſic; ſed nil dari poteſt, neque inueniri in Patre. Vt potiùs natura diuina, quàm Paternitas obtineat rationem, & conceptum *eſſentiæ*, niſi quòd à parte rei, ſeu ex parte obiecti loquendo natura diuina ſit radix Paternitatis, ſeu proprietatis paternæ; Vt enim dicam diſput. 17. Ratio *eſſentiæ* in quolibet ſuppoſito conſiſtit, & ſita eſt in eo, quòd ſit radix proprietatum illius, vnde quod realiter fuerit *eſſentia*, erit realiter radix, ſicut quod ſolùm ratione noſtra eſt *eſſentia*, ratione noſtra habet eſſe Radicem: ergo vt non ſolùm ratione, ſed etiam realiter in Patre natura diuina ſit *eſſentia*, debet eſſe Radix Paternitatis, & aliarum Relationum.

39

Rurſus oſtēditur.

Eadem maior ſupra poſita Probatur ſecundò: Natura diuina (ex parte obiecti, & ex natura rei ſemper hìc eſt ſermo) eſt principium Filiationis. Ergo & Paternitatis; Conſequentia negati nequit, cùm natura diuina æquè identificetur realiter cum omnibus relationibus, æqualiterque cum omnibus comparetur; ſi autem aliquid reſpectu Paternitatis impediret, quominùs principiaretur à Natura maximè identitas realis; ſi ergo iſta non impediat in Filiatione, neque in Paternitate. Antecedens igitur de Filiatione eſt communiſſimum in tract. de Trinitate, vbi omnes Theologi, præter S. Bonauent. & Durandum, ſtatuunt eſſentiam diuinam pertinere ad rationem formalem potentiæ, ſeu Principij *quo* filiationis. Conc. florent. ſeſſ. 18. Ion-

Bonauent. Durandus. Concilium. Florentinū.

gè poſt medium §. *dixi equidem* Ioan. Theolog. concludit ex mente Concilij: *Pater ergo generatiuum principium eſt, & ſuppoſitum quoddam ſignificat: diuina verò ſubſtantia, quæ cum Patre realiter idem eſt, non quidem generat, ſed eſt principium, quo generatio fit.* Quod ſæpe repetit ſeſſ. 19. propiùs ad med. quàm ad princip. §. *vt exemplum,* aſſerens de natura diuina, *quod eſt generandi poteſtas, principium quo vel per quod.* Item in fine admonens; *hanc doctrinam* (ita ad med. ſeſſion. §. *In genere autem* in fine) *nobis doctores omnes tradidiſſe, orationes has exponentes Filius eſt ex ſubſtantia Patris, & Spiritus ſanctus ex Patris, filijque ſubſtantia.* Et quidem cùm hæ orationes, ſeu propoſitiones vt veriſſimæ ſupponantur apud Catholicos. *Filius diuinus eſt, ex ſubſtantia; ſeu de ſubſtantia Patris*, aliter accipi nequeunt, niſi aliqualiter denotent filium generari, & produci habente ſe natura diuina vt Principio. Confirmatur plurimis teſtimoniis Patrum, eſſentiam, ſiue naturam diuinam *generare, ſeu producere* filium aſſerentibus; adeo vt contrarium loquendi modum, vt periculoſum, & contrarium ſententiis antiquorum Patrum damnet Richardus victorin. lib. 5. de Trinit. cap.22. inter principium, & med. ibi: *Pertinaciter negant* (nempe Theologi, dum inficiantur, quòd eſſentia generet) *quod omnes ſancti affirmant ad id, quod ipſi dicunt, authoritatem afferre non poſſunt. Afferant ſi poſſunt authoritatem, non dicam plures, ſed ſaltem vnam, quæ neget ſubſtantiam gignere ſubſtantiam.* Vnde concil. Tolet. vndecimum in confeſſ. Fidei ſub init. Verbum vocat *Filium ſubſtantiæ Patris.* Tunc ſic; ſed eſſentia non *principiat, nec generat* Filiationem realiter, vt definit Innocentius 3. in Conc. Lateran. cap. damnamus de ſumm. Trinit. Ergo reſtat, vt eſſentia ſit Principium, & generet virtualiter.

Richardus. Victorinus.

Concilium. Toletanum. Innocent. Concilium. Lateranens.

40

Iterum fidē facie maiori. Anſelmus.

Maior prædicta probatur tertiò ex ſpiratione paſſiua, cuius principium eſt eſſentia diuina. Anſelmus in Monolog. cap. 52. *Non ex eo procedit, in quo plures ſunt Pater, & filius, ſed ex eo, in quo vnum ſunt; Nam non ex relationibus ſuis, quæ plures ſunt* (*alia eſt enim relatio Patris; alia Filij*) ſed *ex ipſa ſua eſſentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater, & filius tantum pariter bonum.* Sic in epiſt. de proceſſ. Spirit. Sancti idem Anſelm. cap. 10. (alias 9) inter princip. & medium adſtruit Spiritum Sanctum ſine ſtultitia magna negari non poſſe, quin procedat de deitate Patris; ſic enim dicit: *Niſi fortè quis dicat Spiritum Sanctum non procedere de deitate Patris, ſed de Paternitate; nec per deitatem filij, ſed per filiationem, quæ opinio ſua ſe patenti fatuitate ſuffocat.* Sic etiam S. Dioniſius de diui. nominib. cap. 2. paulò poſt med. docet *Spiritum ſanctum fœcunda diuinitatis, ſi fas eſt ita loqui, gemmam, ſeu germen.* Confirmatur ratione, quia Spiritus ſanctus procedit *per voluntatem* eſſentialem Patris, ſicut enim filius procedit per intellectum, ita dicitur de Spiritu ſancto, quòd procedat per voluntatem. Sed hoc ſtare non poteſt, niſi voluntas, & conſequenter eſſentia, (à qua nullam diſtinctionem ex parte obiecti dicit voluntas) ſit principium Spiritus ſancti; ergo eſſentia, ex parte obiecti loquendo, eſt principium Spiritus ſancti, ſeu ſpirationis paſſiuæ. Minor ſuadetur; quia ly *per* neceſſariò imbibit aliquam rationem principij, neque enim præcisè dicit identitatem cum principiato, vel quod detur etiam in principio producente; nam Filius non dicitur procedere per relationem Spiratoris, licèt hæc communice-

Dionyſ.

tur ipſi à Patre per identitatem, inueniaturque in ipſo Patre principiante Filium. Ergo vt Spiritus-ſanctus ſit, & procedat per voluntatem, opus eſt, vt iſta ſit principium ſaltem virtuale Spirationis paſſiuæ. Ergo & eſſentia ſimiliter erit principium Paternitatis. Huius propoſitionis maioris alias probationes omitto, & remitto in tract. de voluntate, in quo maximè vrgetur neceſſitas principij ex natura rei ſaltem virtualis reſpectu actuum liberorum. Modò dicta pro oſtenſione maioris huius ſufficiant.

41 Minor propoſitio poſita in §. 37. quod ſcilicet nequeat dari, & verificari ex natura rei, & ex parte obiecti loquendo, Paternitatem principiari ab eſſentia, quin ex natura rei proportionatè diſtinguatur ab illa immediatè ita mihi certa eſt, vt etiam realem diſtinctionem ex vera principiatione independenter ab intellectu contingente colligi exiſtimem, vt ſeq. conſtabit; quare ſaltem virtualem intrinſecam à nemine negari poſſe, admiſſa principiatione ſic euidenter ſuadetur; quia in diuinis totum argumentū diſtinctionis realis inter perſonas eſt ratio principij & principiati; ſic eſt commune axioma: *omnia in diuinis ſunt vnum, vbi non obſtat oppoſitio producentis & producti.* Ergo quia formaliſſimè ipſe conceptus *principiationis* obiectiuè, & ex parte rei, ſimilem diſtinctionem dicit. Conſequētia hæc eſt manifeſta ſi enim intelligitur vera principiatio, & proceſſio ex natura rei vnius ab alio, vt Paternitatis ab eſſentia ſine diſtinctione vera, vt quid titulo oppoſitionis producentis, & producti probant Catholici diſtinctionem veram in Trinitate, non-ne ſi ſemel poteſt intelligi fæcunditas, & vera proceſſio ex parte obiecti ſine diſtinctione perfectior eſt? Confirmatur: Patres, & Theologi ex eo quòd nihil poſſet eſſe verum principium ſui, nec fluere à ſeipſo colligunt Deum non
Auguſt. poſſe produci à ſeipſo. Auguſt. lib. 1. Trinit. cap. 1. productum diſtingui realiter à producente, Filium
Cyrill. à Patre diſtingui: *Quia* (inquit Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 2.) *quod vt ſplendor emanat ab alio, non à ſeipſo neceſſariò emanabit, nulla enim ratio patitur, vt quod ab alio effluxerit, ab eo, à quo effluxit, non diſtinguatur.* Tunc ſic; ſed hoc argumentum nullum eſſet, ſi poſſet ſtare vera emanatio, principiatio & proceſſio ex parte obiecti ſine diſtinctione. Ergo.

42 Dices primò: Inter Paternitatem & eſſentiam non datur proceſſio realis; ſola autem proceſſio realis in Filio arguit diſtinctionem realem. Contra tamen primò; Ergo proceſſio virtualis arguet diſtinctionem virtualem. Contra ſecundò; quia ſic ineptè ex oppoſitione producentis, & procedentis probaretur diſtinctio realis Filij à Patre; nam vel ex productione (vera & obiectiua independenter ab intellectu) ſecundùm ſe, & præcisè? & hoc negas, ſiquidem eam admittis inter eſſentiam, & Paternitatem indiſtinctas, vel probant Patres diſtinctionem realem Filij ex productione *vt reali*, & ita perinde erit, ac dicere; Productio realiter diſtinctorum requirit realem diſtinctionem; quam conſequentiam & propoſitionem quis non rideat. Explicatur: Sancti Patres contra Sabellianos, ex eo quòd nihil poſſit eſſe principium ſui, probant Patrem, qui eſt principium Filij, ab eo realiter diſtingui. Nunc rogo à te, vel inferunt diſtinctionem realem, quia Pater eſt principium præcisè, & ſic habeo intentum. Vel quia Pater *eſt principium reale*, id eſt, eſt principium cum reali diſtinctione, & ſic Patres ineptiſſimè arguent, inferentque formaliſſimè idem per idem. Rurſus; Ergo non præcisè ex eo quòd Pater eſt verum principium Filij ex parte obiecti, ideo habet eſſe *principium reale*, ſeu iuxta tuum modum ſentiendi *realiter diſtinctum.* Iterum ergo rogo vnde probas Patrem diſtingui realiter à Filio? Reſpondebis fortè; quia Pater eſt principium cum relatione; axioma autem Theologicum eſt, quod in Deo diſtinguat relationis oppoſitio. Contra: tota relatio in Deo fundatur in titulo *producentis*; Ergo hic titulus debet arguere realem diſtinctionem. Contra ſecundò; ſi ſemel admittis productionem veram, & obiectiuam ſine vera diſtinctione, cur non admittes relationem; neque enim potiùs eſt de conceptu relationis diſtingui à relato, quàm productionis diſtingui à producto. Ergo admittenda eſt hic ſaltem diſtinctio virtualis, quandoquidem fides prohibet realem.

Dices ſecundò ob id omnino negandum, quòd 43
eſſentia ſit verum principium Paternitatis, veréque præcontinens ipſam, communicanſque eidem per veram productionem ſuum eſſe, vti illud communicat Pater Filio; ſolùm enim eſt admittendum iuxta probationes poſitas à §. 38. eſſentiam eſſe priorem Paternitate, ſicque eſſe radicem, ſeu primum conſtitutiuum, titulo cuius in Patre potiùs natura obit munus *eſſentiæ*, quàm Paternitas; item Filiatio procedit ex eſſentia Patris, ſimiliterque ſpiratio paſſiua de Deitate vtriuſque, ex quo iam datur, cur potiùs arguatur diſtinctio ex natura rei Patris à Filio, quàm eſſentiæ à Paternitate, nam Pater ita eſt prior Filio, vt ſimul *ſit principium*; eſſentia verò ſolam habet *prioritatem* ſine vlla *principiatione* reſpectu Paternitatis. Sed contra eſt primò: quia prioritas non minùs dicit, ſi vera ſit, diſtinctionem, quàm principiatio, cùm vtraque formaliter relationem imbibat. Ergo ſi prima admittitur ex natura rei inter eſſentiam & Paternitatem, iam erit admittenda aliqua diſtinctio ex natura rei ſaltem virtualis. Contra ſecundò; nam probationes adductæ à §. 38. vel principiationem probant, vel nihil. Contra tertiò; ſaltem voluntas diuina vt collata cum ſuis actibus liberis intrinſecis, ſi aliquam prioritatem habet, maximè actiuam, cùm voluntas libera ex conceptu ſuo petat non ſe habere merè paſſiuè, vt patet in creatis, vbi non ſufficit prioritas ſine actiuo influxu. Tum ſic, ſed voluntas diuina non diſtinguitur realiter à ſuis actibus liberis. Ergo cum reali identitate ſtat vera productio, & conſequenter diſtinctio ex natura rei ſaltem virtualis intrinſeca huc vſque intenta ab his recentioribus Theologis; ſtat inquam hæc diſtinctio virtualis independenter à diſtinctione reali etiam mediata, & in tertio, quod ſic ex dictis manifeſtè colligitur.

Eſſentia etiam, prout eſt in Patre, & antece- 44
denter ad Filiationem eſt principium immediatum *Concluditur virtualis diſtinctio, ſecluſa reali etiam mediata.*
Paternitatis; ergo immediatè, & pro priori ad Filiationem intercedere debet aliqua diſtinctio ex natura rei inter Paternitatem, & eſſentiam; conſequentia manifeſta eſt ex dictis; ſiquidem ea ratione, qua datur principiatio, & influxus, datur etiam iuxta eandem menſuram diſtinctio. Tunc ſic; ſed diſtinctio, quam habet Paternitas immediatè collata cum eſſentia ſecluſo omni reſpectu ad Filiationem, antecedenterque, & independenter ad illam, non poteſt eſſe mediata, & realis: Ergo diſtinctio hæc non eſt realis in tertio. Confirmatur in principiatione, & influxu actiuo, quem præſtat voluntas diuina in ſuos actus liberos, iſte enim influxus adæquatè verſatur inter voluntatem diui-

nam,

nam, & actus liberos exiſtentes, ſecluſo omni ordine ad poſſibiles. Ergo voluntas diuina diſtinguitur ex natura rei ab his eiſdem actibus, cum quibus realiter conſtituitur, ſecluſa omni diſtinctione reali in tertio; & conſequenter admittenda eſt ex natura rei noua diſtinctio ſaltem virtualis, quæ non ſit *realis* abſolutè, nec ſit *ſolius rationis*, ſed mediata inter vtramque, licèt *formalis* non ſit.

SECTIO V.

Prima concluſio pro vera ſententia proponitur & primum fundamentum repugnantiæ huius diſtinctionis virtualis inter perfectiones Dei abſolutas ex eo, quòd talis diſtinctio neceſſariò imbibat diſtinctionem realem.

45 NOn datur illa diſtinctio virtualis intrinſeca inter formalitates adæquatè identificatas, Authores pro hac concluſione nullos referam, non quia *nulli* ſunt, ſed quia *omnes*, qui negant diſtinctionem Scoticam formalem ex natura rei: vt enim ſæpiùs dixi diſtinguentes virtualiter vocem oderunt, non rem ab Scoto ſignificatam per diſtinctionem ex natura rei. Quod ſi aliqua diuerſitas, & diſcrimen eſt inter hos nouos Theologos diſtinguentes virtualiter, & antiquos Scotiſtas, qui perfectiones diuinas formaliter ex natura rei diſtinguunt; ſolùm verſatur in eo quòd iſti generaliter admittunt ſuam diſtinctionem inter quælibet prædicata, & formalitates Dei; Theologi verò recentes ſolùm inter aliqua, non enim dicunt hi, vt Scotiſtæ, *intellectio*, verbi gratia, *non eſt volitio*; dicunt tamen *intellectio non eſt principium Spiritus-ſancti*; quare quoad formalitatem intellectionis, & principij, non minùs formalem negationem, ſeu diſtinctionem ex natura rei ponunt, quàm Scotiſtæ immediatè inter ipſam intellectionem, & volitionem, vt latiùs vrgebo ſect. ſeq. Modò diſtinctionem realem vrgeo, quæ omnibus Catholicis inuiſa eſſe debet inter perfectiones abſolutas Dei.

Diſcrimen verſans inter diſtinctionem Scoticam, ſeu formalem ex natura rei, & virtualem intrinſecam aſſignatur.

46 Sic igitur in hunc ſcopum arguo repugnare hanc diſtinctionem virtualem intrinſecam ex ipſa inferens realem. Omnis perfectio diſtinguitur realiter ab ea, de qua abſolutè negatur, ſed admiſſa hac diſtinctione virtuali, aliqua perfectio diuina poſſet actu abſolutè ex parte obiecti, ſeu independenter ab intellectu, & ex natura rei negari de alia. Ergo diſtingueretur realiter ab ipſa. Iſte ſyllogiſmus totam rem continet. Conſequentia legitima eſt, optiméque concludit in *darij*. Præmiſſæ mihi euidentes ſunt, ſed contra negantes ſingillatim probandæ; & quidem maior eis fundamentis, quæ contra Scotum firmiſſima eſt.

Impugnatur diſtinctio virtualis inter perfectiones abſolutas Dei validiſſimo diſcurſu.

47 Maior præmiſſa probatur primò; implicat, quòd res realiter ſit, de qua verificatur actu abſolutè independenter ab intellectu, *non eſt*: Ergo implicat, quòd res ſit aliquid aliud, de qua verificatur non eſſe illud, verbi gratia, intellectio implicat, quòd exiſtat, vel ſit, quando verificatur ex parte obiecti, *non eſt*: Ergo implicat, quod intellectio ſit volitio, ſi iſta propoſitio ex parte obiecti eſt vera: *intellectio non eſt volitio*, ſeu implicat, quòd intellectio realiter, & ex parte obiecti ſit principium Spiritus-ſancti, ſi verum eſt ex parte obiecti, *intellectio non eſt principium Spiritus-ſancti*: Conſequentia patet à ſuperiori ad inferius negatiuè. Confirmatur primò: neceſſariò habet identitatem cum volitione id, de quo verificatur, *eſt volitio*: Ergo è contra non habet identitatem cum volitione id, de quo verificatur; *non eſt volitio*: Confirmatur ſecundò: finge ſeparari volitionem ab intellectione, deſtruique vtriuſque identitatem, quo alio modo id accideret? quàm per ly *non eſt volitio*: ſi ex eo quòd dicamus: *non eſt idem*: diſtinguitur ab identitate: Ergo per ly *non eſt volitio* diſtinguitur à volitione. Confirmatur tertiò: eſſe idem cum volitione, & eſſe ipſam volitionem ſynonima ſunt: quid enim eſt volitio, niſi identitas ſui, niſi idem ſecum? Ergo ſi intellectio non eſt volitio, nec erit idem cum volitione. Denique ſi ſtat realiter, & in eodem ſenſu eſſe volitionem, & non eſſe volitionem; ergo ſtabit etiam, quòd ly *idem* cum volitione ſit affirmabile, & negabile ex parte obiecti, ſeu hæc ſtabit: *intellectio eſt idem cum volitione*, licèt rurſus iſta ſit vera ex parte obiecti: *intellectio non eſt idem cum volitione*: quo nihil abſurdius, vt dixi diſput. 14. num. 30.

Negatio abſoluta eſt diſtinctio realis.

48 Secundò eadem maior probatur, quia ex eo ſolùm colligitur Filiationem diſtingui realiter à Paternitate, quia ex parte obiecti independenter ab intellectu: *non eſt Paternitas*: Ergo omnis perfectio diſtinguitur realiter ab ea, de qua abſolutè ex parte obiecti negatur. Confirmatur primò: *produci* à patre rei independenter ab intellectu facit Filium realiter *productum*, & hinc realiter diſtinctum: Ergo *non eſſe* à patre rei faciet realiter *negatum*, & hinc realiter diſtinctum; etenim ex ſe non requiritur potiùs diſtinctio ad principiãdum aliud, quàm ad non eſſendum aliud. Confirmatur ſecundò; negatio eſt diſtinctio prædicati negati; Ergo negatio actu eſt diſtinctio actu, ſed diſtinctio actu independenter ab intellectu eſt diſtinctio realis; ſicut *homo exiſtens* independenter ab intellectu eſt *homo realis*, miſericordia eſt *miſericordia realis*, ens, quod actu exiſtit independenter ab intellectu, eſt *ens reale*, quin detur medium inter ens reale, & rationis: Ergo neque inter diſtinctionem realem, & rationis: Ergo neque inter negationem realem, & rationis.

49 Eadem maior probatur tertiò; *vnum* non diſtinguitur ab ente; ergo ſicut eſt realiter *ens*, quod independenter ab intellectu exiſtit, ita erit realiter *vnum*, quod indepenter ab intellectu vnum, ſeu indiuiſum eſt; Ergo è contra quod independenter eſt diuiſum, ſeu negatum, erit realiter multiplex; cur quod euenit independenter ab intellectu, dicitur realiter euenire? *Vt exiſtere, currere, loqui*, &c. & eodem modo non dicemus de *diſtingui*, ſeu *non eſſe*. Omitto ſexcenta alia, quæ pullulant cuilibet in probationem maioris præmiſſæ, præcipuè ad homines contra recentiores non admittentes diſtinctionem Scoticam mediam inter realem, & rationis; Ergo nec debent admittere negationem mediam inter realem, & rationis.

Minor; ſcilicet in perfectionibus, virtualiter diſtinctis neceſſariò dari aliquam, quæ poſſit actu negari de alia independenter ab intellectu, verbi gratia, ſi intellectio diuina diſtinguatur virtualiter à volitione, quia in hac datur capacitas, vt de ipſo negetur eſſe principium Verbi, quod affirmatur de intellectione; hinc neceſſariò dari, quòd ratio, ſeu perfectio *principij* actu ex parte obiecti negetur de volitione; probatur primò ex definitione diſtinctionis virtualis intrinſecæ, *qua duæ formalitates realiter indiſtinctæ perinde ſe habeant in ordine ad recipienda aliqua contradictoria, ac ſi realiter diſtinguerentur.* Atqui in rebus 50

Diſtinctio virtualis imbibit negationem abſolutam.

rebus realiter diſtinctis negatio contingit actu, & formaliter; ergo, *&c.* Explicatur; formalitates virtualiter ſolùm diſtinctæ ea diſtinctione carent inter ſe ob infinitatem, quam verificatio contradictionis, ſeu negationis exigebat; ſi enim negatio ſolùm eſt *ſecundùm quid*; Quid mirum ſi ſeruetur identitas? ſi ſolùm ſecundùm quid negatur de volitione *principiare*; quid mirum? Si adhuc identificetur cum volitione; vti animalitas identificatur cum rationalitate, quia ſolùm ſecundùm quid negatur de animalitate *eſſe principium diſcurſus.* Item cur aſſignatur prædicatum *Principij verbi*, quaſi in hoc ſpeciatim detur contradictio, ſeu negatio; etenim *ſecundùm quid*, & virtualiter etiam de volitione negatur ipſa intellectio Ergo dum negatur de volitione *ratio principij* verbi, hæc negatio eſt actu, & formaliter, iſtiuſmodi enim negatio ſola eſt, quæ maior eſt quàm virtualis, & ſecundùm quid.

51 *Sicut imbibit abſolutā affirmationē.* Secundò eadem minor præmiſſa probatur: quia ex parte obiecti nequit negari verbi gratia *ratio principij* de volitione, niſi negetur actu, & formaliter; tum quia nihil eſt à parte rei niſi ſit actu, & formaliter; ergo nil habet *non eſſe* niſi actu; tum etiam contradictio debet eſſe æqualis, quoad affirmationem, & negationem, ſiquidem ex æquo proponuntur; *intellectio eſt principium verbi: volitio non eſt principium.* Sed affirmatio non eſt ſolùm virtualis. Ergo nec negatio; Tum denique, ſi de volitione non negatur formaliter, ſeu non poteſt dici *non eſt formaliter*; Ergo quia eſt formaliter; nam à parte rei quodlibet eſt vel non eſt. Ergo volitio formaliter, & actu eſt principium verbi quid ergo deficit ei, ne ſit etiam virtualiter principium?

52 Vnde tertiò probatur eadem minor, quia nullum fundamentum in re dari poteſt, ne volitio ſit principium verbi, ſi hoc actu non negatur de volitione. Nam rogo, negari virtualiter quid eſt? an negari in virtute, ſeu in potentia? Contra; huic potentiæ qui actus correſpondet, ne procedamus in infinitum, nam ſi ex parte obiecti erit negatio realis; ſi per intellectum? Iam erit ſola diſtinctio rationis. An eſt negari æquiualenter? vt lux æquiualenter ex parte obiecti *eſt calor*, licèt actu, & formaliter non ſit calor? Contra: hæc æquiualentia eſt *efficiens*, quia poteſt lux producere calorem volitio autem non poteſt dici ſic æquiualenter *non principium*, vt patet. Si ideo dicas volitionem æquiualenter, & virtualiter non eſſe principium; quia licèt vere, & actu principium ſit (ita loquuntur Recentiores) falſoque dicatur *volitio non eſt principium*, adhuc tamen ita non eſt, ac ſi actu non eſſet principium. Sed quis non videat hic manifeſtam implicantiam in terminis? Quaſi diceres id quod verè eſt lux, ita eſſe tenebroſum ac ipſa non lux, ipſæ tenebræ?

53 *Euaſio.* Dices primò, veram eſſe maiorem præmiſſam in §. 46. Si accipiatur de contradictione ſimpliciter tali, ſeu de negatione abſoluta, qua vnum negatur ſimpliciter, & abſolutè de aliqua re, ſecus quando ſolùm negatur *formaliter*; nam omnis negatio ſolùm debet arguere diſtinctionem eo pacto, quo negatio eſt, ſi ſit realis, realem, ſi ſolùm negatio ſit ratione noſtra, ſolùm erit diſtinctio ratione noſtra; neque enim, quia de animalitate ratione noſtra negetur *principium diſcurſus*, quod affirmatur de rationalitate, ideo diſtinguetur hæc realiter; ita ergo hìc ſolùm negatur de intellectione volitio non abſolutè, & ſimpliciter, ſed *virtualiter*, ſeu formaliter, licèt ex parte obiecti, & intrinſecè; quare ſolùm erit colligenda diſtinctio virtualis, ſeu formalis, non tamen realis. Ex quo fit, vt verè ex parte obiecti, & realiter detur contradictio, quatenus intellectio *eſt formaliter principium verbi* volitio *non eſt formaliter principium verbi*, & hoc quidem realiter, & ex parte rei. Ex quo volitio à principio verbi, diſtinguetur realiter formaliter, ſeu ex parte obiecti, & actu, non tamen ſimpliciter realiter, ſeu vt vna res diſtincta ſummè, & omnino ab alia.

Sed contra eo ipſo quòd ex parte rei, & actu non conueniat volitioni, eſſe *principium verbi formaliter*, quod ſic *formaliter* conuenit intellectioni, debet habere realiter, & verè ſimpliciter, & abſolutè volitio aliquid diuerſitatis ab intellectione. 54 *Præcluditur.* Probatur id primò; quia, ſi nil diuerſitatis habet volitio realiter. Ergo realiter verificabitur de volitione quidquid de intellectione; ſed de intellectione dicitur eſſe realiter *formaliter* (ſeu virtualiter) *principium verbi.* Ergo & de volitione dicetur realiter, quòd ſit *formaliter* (ſeu virtualiter) *principium verbi.* Confirmatur: non minorem vim habet ad verificanda prædicata eadem identitas, quàm ſimilitudo. Sed implicat, quòd duæ res ſint realiter omnino ſimiles, quin eadem prædicata, quæ dicuntur de vna ſiue realiter, ſiue formaliter, ſimiliter etiam dicantur de alia, neceſſumque eſt diſſimilitudinem formalem fundari in diſſimilitudine reali, ſi enim ponas duos Angelos, quorum vnus ſit formaliter diſcurſiuus, alius non, opus eſt, vt habeant realitates ipſas diſſimiles; ergo implicat, quòd volitio ſit idem realiter cum intellectione, & diſcrepet in aliquo prædicato formali. Et ratio eſt; quia ipſum *eſſe formaliter* aliquid ſpecialitatis præſefert actu, & ex parte rei. Ergo id, de quo negatur *eſſe formaliter*, quod affirmatur de alio, ideo eſt, quia actu, & ex parte rei habet aliquid diuerſitatis realiter, aliàs fictitia tantùm, & non vera eſſet iſta ſpecialitas, & quòd vni præ alio conueniret ly *eſſe formaliter* fictitium ſolùm foret.

Rurſus idem intentum, & impugnatio multipliciter vrgetur. Actu, & à parte rei ly *eſſe formaliter* non diſtinguitur, neque imbibit niſi *eſſe realiter*, nec dantur duo genera eſſendi, *realiter*, & *formaliter*. Ergo res, quæ caret vno *eſſe*, etiam, & alio. Patet conſequentia, quia ex duobus conceptibus indiſtinctis non poteſt quis vno carere, & non alio. Antecedens ſuadetur: tum quia aliàs poſſemus à parte rei ponere duo genera eſſendi: 55
Vnum reale ſimpliciter: aliud diminutum, ſeu *formale*: & ſicut poteſt vna res eſſe alia *realiter*, & non *formaliter*: poſſet etiam eſſe ſimpliciter ens *reale*, & non *formale*, ſeu habere exiſtentiam realem, & non formalem; Ergo ſicut omnino implicat, quòd vna res ſit, ſeu exiſtat realiter, & non formaliter; etiam implicabit, quòd ſit taliter; id eſt habeat tale eſſe realiter, & non habeat illud formaliter. Idem antecedens, quòd ſcilicet non dentur duo genera eſſendi *realiter*, & *formaliter*, Suadetur ſecundò; nam rogo, illud quod additur ſupra eſſe *reale*, per quod redditur *formale*, eſt ne verum, & à parte rei exiſtens, vel ſolùm per rationem, ſi hoc? eſt chymæra: ſi illud? quid aliud eſt eſſe reale? Tertiò quia realiter, & ex parte obiecti ens tranſcendit differentias; ergo eſſe formaliter ſecundum ſuum conceptum, vt eſt à parte rei, nihil aliud eſt, quàm eſſe realiter. Quartò, ſi liceret ex parte obiecti ponere medium per ly *eſſe*

eſſe formaliter vel diſtingui formaliter, ita poſſet quis innumeras diſtinctiones fingere intermedias vt *modaliter, quidditatiuè, eminentialiter*, &c.

56 Dices ſecundò; non dantur duo *eſſe* ſed vnum; neque *eſſe formale* eſt aliud, quàm *ens reale*: cæterum ens, quod reale eſt, dupliciter comparari poteſt cum alio prædicato; duplicem identitatem fundat, realem, & formalem. Sicut animalitas, quæ ens reale eſt, diſtinguitur ratione à rationalitate: Vnde ratione noſtra non eſt rationalitas, neque ideo inferes. Ergo *eſſe ratione noſtra* imbibit aliquid diuerſitatis realis, ſeu addit in obiecto aliquod *eſſe* rationis ſupra *eſſe* reale, ſed dicam; *addit per rationem*, ſed non addit *eſſe* rationis: ita hìc addit *formaliter*, ſed non addit *eſſe formale*. Sed contra; nam in diſtinctione rationis hæc benè concipiuntur, quia verè, & in ſe res nil habet diſtinctionis, ſed à nobis ponitur, vel denominatiuè à noſtris conceptibus deriuatur: vnde quin in re aliquod *eſſe* addatur, additur per rationem: at hic, quando additur *formaliter*, additur ex parte obiecti; addirur exiſtenter. Ergo neceſſarium eſt, quod in hac additione aliquid ſaltem formale de nouo per rationem debet dari aliquid diuerſitatis in ratione; ita hic in formalitate. Ergo in realitate; nam ex parte obiecti nil eſt, quod reale non eſt.

SECTIO VI.

Secundum fundamentum contra diſtinctionem virtualem intrinſecam ex eo, quòd imbibat formalem Scoti ex natura Dei.

57 VT ſuprà monui ſect. præced. Theologi moderni diſtinguentes virtualiter in nullo differunt ab Scotiſtis antiquis, niſi quòd iſti ponant ſuam diſtinctionem formalem ex natura rei inter quaslibet Dei formalitates immediatè; illi verò Theologi ſolùm inter aliquas, & mediatè: at hinc neceſſariò admittendam ab iiſdem theologis diſtinctionem formalem ex natura rei immediatè inter aliquas formalitates, ſeu perfectiones, & prædicata Dei abſoluta (quæ diſtinctio non minoris abſurdi eſt, ſiquidem diſtinctio, quæ obſtat ſimplicitati Dei, dum ponitur inter quaslibet Dei perfectiones abſolutas, non minùs obſtat, ſi ponatur inter aliquas) admittendam inquam eſſe diſtinctionem aliquàm formalem ab his theologis diſtinguentibus virtualiter intrinſecè perfectiones abſolutas Dei; ſic probatur, & ſit ſecundum huius primæ meæ concluſionis fundamentum.

58 Diſtinctio hæc virtualis intrinſeca requirit, quòd vna formalitas, ſeu perfectio diuina ex parte obiecti, & ex natura rei (actu, & non ſolùm fundamentaliter) non ſit alia *formaliter*; licèt ſit alia realiter. At id formaliſſimè, & præciſè dicit Scotus cum antiquis Scotiſtis, dum ponit diſtinctionem formalem ex natura rei; Ergo diſtinctio virtualis intrinſeca imbibit neceſſariò *formalem* ex natura rei. Conſequentia iſta manifeſta eſt præmiſſæ item mihi non minus claræ ſunt, ſed vt omnibus clariores fiant, ſic ſeorſim oſtenduntur.

Adſtruentes diſtinctionẽ virtualem intrinſecam nequeunt nõ tueri Scotiſticam ex natura rei ſaltem quoad aliquas Dei perfectiones.

59 Maior neſcio, an negari poſſit ab aliquo vel mediocriter conſcio *vocis diſtinctionis virtualis intrinſecæ*. Nam quidquid ſit de identitate intellectionis cum volitione, & quòd intellectio ex parte obiecti, ſeu ex natura rei ſit volitio: ait ſaltem *intellectio non eſt volitio* quoad omnia prædicata volitionis; *non eſt* (ex natura rei, & ex parte obiecti loquendo) *Principium Spiritus ſancti*, vnde ly *Principium*, quamuis non negetur realiter; at realiter habet negari *actu*, & *formaliter*; aliàs ſi negaretur ſolùm *virtualiter*, non negaretur plus de intellectione, quàm negatur ipſa volitio, & conſequenter falsò dicerent theologi diſtinguentes virtualiter, quòd intellectio ſit quidem volitio in ſe, ſeu quoad entitatem volitionis, non tamen quoad omnia prædicata volitionis; falsò dicerent *intellectio eſt volitio*; non tamen eſt principium Spiritus ſancti; ſiquidem *formaliter* loquendo intellectio habet eſſe vtrumque; *virtualiter* autem neutrum, & vno verbo; niſi *à principio Spiritus ſancti* diſtinguatur ex natura rei *formaliter* intellectio & niſi hæc ſit vera actu; & formaliter præciſa omni operatione intellectus: *intellectio non eſt principium Spiritus ſancti*, non eſſet cur potiùs negaretur ab intellectione *principium*, quàm volitio; non eſſet, cur diceretur toties ab his Authoribus quòd intellectio *eſt volitio, ſed non omnia prædicata volitionis*, ſeu eſt quidem volitio, non tamen aliquod prædicatum volitionis.

In diſtinctione virtuali includitur negatio formalis ex natura rei alicui perfectionũ diuinã.

Minor præmiſſa, quòd ſcilicet hæc diſtinctio, quæ admittitur ab his theologis inter formalitatem *intellectionis*, & *Principij*, ſit ipſiſſima *formalis* ex natura rei, quæ ponitur ab Scoto probatur. Nam Scotus ſemper dicit hanc propoſitionem *intellectio eſt volitio* eſſe veram realiter, etiam ſolùm in abſtracto, quin opus ſit recurrere ad verificationem in concreto, vt voluit Gilbertus Porretanus (vt bene quoad hoc eum defendit Ægidius de præſentatione 1. de beatitudine lib. 5. quæſt. 5. articul. 4. §. 9. à num. 150.) ſolùm namque propoſitionem prædictam negat Scotus eſſe veram *formaliter*. Secundò Scotus ſolùm intendit aliquo vero ſenſu independenter ab intellectu vnam formalitatem non eſſe aliam, quidquid ſit de identitate reali, vt patet ex eius verbis 1. diſtinct. 2. quæſtione 7. §. *Sed hìc reſtat dico quòd in eſſentia diuina ante actum intellectus eſt entitas A. & entitas B. & hæc non eſt formaliter illa, ita quòd intellectus paternus conſiderans R, & conſiderans B, habet ex natura rei, vnde iſta compoſitio ſit vera, A non eſt formaliter B: non tamen præciſè ex aliquo actu circa A, & B*: Tum ſic; ſed theologi moderni cum quibus diſputamus, dicunt, & verificant independenter ab actu intellectus: *intellectio non eſt formaliter principium Spiritus ſancti*. Ergo formaliſſimè ſentiunt cum Scoto. Tertiò ſicut Scotus impugnatur vt incidens in ſententiam Porretani, quatenus aliter verificat ex parte rei propoſitiones in concreto, quàm in abſtracto; aliter enim iuxta Scotum hæc eſt falſa independenter ab intellectu *Deitas eſt ſapientia*, quàm iſta in concreto, *Deitas eſt ſapiens*. Ita ſimiliter contingit his theologis: ſiquidem ex parte obiecti; & independenter ab intellectu verbi gratia. *Intellectio eſt volens* in concreto; ſed *non eſt volitio* in abſtracto: vnde ſicut contra Porretanum Catholici; contra Scotum Thomiſtæ opponunrur, vbi volunt non magis verificari in eſſentia diuina concretum, quàm abſtractum: ita opponuntur contra hos Theologos. Denique Concil. Rhemenſe (relatum à Patre Vaſquez 1. part. diſput. 120. cap. 2.) definiens: *in nullo ſenſu catholico poteſt negari, quin diuinitas ſit Deus, & Deus diuinitas*, pungit Scotum, quia in aliquo ſenſu vero, & ex parte obiecti hanc propoſitionem negat; 60

Gilbertus Porretanus. Ægidius Scotus.

Concilium Rhemenſe. Vaſquez.

gat; licèt non neget in ſenſu realis diſtinctionis: at hi etiam Theologi moderni in aliquo vero ſenſu ex parte rei negant, quòd Deus ſit aliqua perfectio: vt negant hanc propoſitionem *Intellectio eſt principium Spiritus-ſancti.* Ergo.

61 Dices primò, licèt formaliter loquendo ex parte obiecti independenter, & præciſa omni operatione intellectus; verum ſit v.g.; *intellectio formaliter non eſt volitio,* ſeu *non eſt principium Spiritus-ſancti,* non ideo tamen habere diſtinctionem formalem, ex natura rei, quam ponit Scotus; quia ſcilicet intellectio, licèt ſic negata de volitione habet ſummam communicationem cum volitione, id eſt tantam, vt ex vi, & titulo communicationis, & coniunctionis præcisè intellectio in ſeipſa, & in proprio conceptu *intellectionis* imbibat intenſiuè, & æquiualenter totam perfectionem volitionis; ita vt intenſiuè non ſit quid perfectius vtraque formalitas, quàm intellectio ſola in ſeipſa inſpecta: intellectio autem habet hanc æquiualentiam in perfectione; etiam quando ſola conſideratur, tanti æſtimabilis eſt, quanti coniunctum ex intellectione, & volitione ſimul, eo quòd intellectio, licèt non ſit formaliter volitio, exigit tamen identitatem cum volitione, & verò per ſe notum eſt exigentiam identitatis cum aliqua re dare extremo exigenti æqualem æſtimationem; ac ſi actu poſſideret talem rem; quiuis enim æquè æſtimabit exigere identitatem cum Angelo, verbi gratia, ac habere perfectionem Angeli actu, & formaliter. Hinc ergo quia intellectio ſola eſt æquiualenter volitio ſimul, conſeruat identitatem realem, imo formalem ex natura rei; licèt quia non eſt virtualiter ipſa volitio, verum maneat independenter ab intellectu, & ex parte obiecti loquendo: *Intellectio formaliter non eſt volitio*: iam verò Scotus hanc tam ſtrictam communicationem intellectionis cum volitione, vt ſola intellectio æquiualeat vtrique, vt perinde quoad æſtimationem ſit dicere præcisè: *intellectio*: ac *intellectio*, & *volitio*; hanc inquam communicationem tam ſtrictam non admittet. Nam cùm intellectio in ſe non ſit volitio, verè, & ex parte rei tota communicatio, quæ excogitari poteſt, non excedit communicationem vnionis, vel inſeparationis intercedentis inter extrema realiter diſtincta, quæ communicatio inſufficiens eſt ad dandam tantam æſtimationem vni extremo ſoli, quantam vtrique.

62 Sed contra hinc ex proximè dictis arguo ego, & impugno hanc ſolutionem. Fateor, quòd vbi præciſa exigentia communicationis dat æquiualenter tantam perfectionem vni formalitati, quantam habet aliam ſimul, hoc ſit ſignum identitatis realis: at iſtud ideo euenit, quia nulla communicatio ſic æquiualet, niſi identitas. Iam verò quomodo probabis inter duas formalitates, quarum vna non eſt alia ex parte obiecti, ita intenſiuè communicari, & perfici? Dices; hoc cernitur inter formalitates ratione diſtinctas, quarum licèt vna non ſit alia formaliter ratione noſtra; communicatur tamen ſummè modo explicato. Contra; hoc ideo eſt in rebus diſtinctis ratione noſtra, quia vna ex natura rei eſt alia, vnde ex natura rei habent, quomodo ſint idem, & ſummè communicentur. At verò vbi ex parte obiecti vna formalitas non eſt alia verè, & actu, vnde veniet tanta communicatio?

63 Replicabis ſecundò: ponamus ex parte obiecti (vel quia ſunt idem actu, vel ex alio titulo) ita duo communicari, vt in vno extremo *exigentia*, vt ipſi communicetur alterum, det tantam perfectionem æquiualenter primo, quanta eſt ſimul in ſecundo formaliter. In hoc caſu, primum extremum in ſeipſo (ex parte obiecti, & independenter ab intellectu loquendo) non eſt idem formaliter cum alio ſecundo; aliàs communicatio non ſolùm æquiualenter daret tantam perfectionem, ſed formaliter contra ſuppoſitionem, imo, & contra ipſam veritatem, ſicut enim exigentia communicationis per vnionem dat æquiualenter aliquam perfectionem extremi vniti, licèt non formaliter, quare non poterit ita creſcere perfectio communicationis (quomodocumque ſit) vt omnino adæquet æquiualenter totam perfectionem alterius extremi, licèt non formaliter? ecce ex parte obiecti non eſt idem *formaliter*, & tamen habet ſummam communicationem. Confirmatur: aliud debet eſſe *exigentia* identitatis, aliud ipſa identitas formaliter accepta; iam in illa *exigentia* apparet ſumma perfectio communicata, & nondum *formaliter* etiam ex parte obiecti eſt ipſa poſſeſſio, ſeu ipſa formalitas, cum qua petit identitatem; Ergo licèt hoc non ſit illud in aliquo vero ſenſu independenter ab intellectu, non ideo carebit ſumma communicatione.

Reſpondeo: non poteſt præciſa communicationis exigentia dare alicui extremo perfectionem alterius æquiualenter, quin ex parte obiecti det formaliter, vti iuxta aduerſarios non poteſt realiter, & identicè loquendo (non ſolùm formaliter, ſeu virtualiter) præciſa communicationis exigentia conſtituere extremum æquiualenter alteri, quin conſtituat actu formaliter aliud, quatenus realiter in ſenſu identitatis realis non ſolùm eſt verum dicere, *intellectio æquiualet volitioni realiter*, ſed *etiam realiter eſt ipſa volitio*; & hinc magis inſto argumentum; licèt exigentia communicationis inter realiter diſtincta per vnionem det æquiualenter aliquam perfectionem extremi vniti: at non poteſt ita creſcere, vt adæquet æquiualenter totam perfectionem, niſi tranſeat ad verificationem, qua vnum extremum ſit ipſum aliud realiter in ſuo eſſe formali, & rurſus licèt poſſeſſio, & exigentia in rebus diſtinctis diuerſa ſint; at in identificatis formaliter non dices ex parte obiecti aliud eſſe in aliquo ſenſu exigentiam communicationis formalis, aliud ipſam communicationem; Ergo nullum caput eſt, vnde probetur debere dari ex parte obiecti, vel potentiæ extremum titulo exigentiæ communicationis alteri *purè æquiualens*, *vel purè exigens* communicationem talem; ſeu identitatem, quin ſit ipſa communicatio, & identitas. 64 *Exigentia ad identitatem eſt formaliſſimè ex parte obiecti ipſa identitas.*

Et ratio huius doctrinæ eſt; quia tota perfectio, quæ venit extremo ab hac exigentia, eſt iuxta qualitatem alterius extremi, quod communicatur; Ergo vt exigentia det tantam perfectionem æquiualenter, quantam alterum extremum ſibi, neceſſarium eſt, vt exigentia æquiualeat ipſi communicationi, ſeu faciat æquiualenter in linea communicationis non minùs communicari, ſeu reputari communicatam, verbi gratia volitionem intellectioni, quàm communicetur ipſa volitio ſibi. At hoc eſt impoſſibile, vel omnino voluntariè ſine probatione ſupponitur, quòd, cùm volitio ex parte obiecti actu non ſit intellectio, æquiualenter in ordine ad eſſendum volitionem (eſſe enim, & communicari perinde eſt) non minùs ſit intellectio, quàm volitio. Nam rogo; ſi actu intellectio non eſt volitio, & actu ipſi in ſe non communicatur 65 *Ratio huius.*

tur volitionis conceptus, ſicut communicatur ipſi volitioni, vnde inferes æquiualenter tantùm communicari? Cur exigentia communicationis per vnionem hypoſtaticam non eſt æquiualenter tanta communicatio, quantam habet extremum ad ſe-ipſum. Si dicas, quia non eſt ſumma, hoc rogo; cur in intellectione diuina ſit ſumma niſi quia identificantur; vnde committitur circulus, vt explicetur identitas per ſummam communicationem, & rurſus ſumma communicatio per identitatem, ac denique vtrumque manet incognitum; quid habeat intellectio, vt identificetur cum volitione, vel vt tam arctè exigat communicari, ſi actu ex parte obiecti independenter ab intellectu non eſt volitio.

66 Dices, & replicabis tertiò eſſe principium per ſe notum, quòd vna formalitas tantùm habet de communicatione alterius, quantùm hæc intrinſecè illam perficit; ergo ſi perficit ſummè, ita vt non magis ſimpliciter volitio, verbi gratia, perficiat ipſam volitionem, quàm intellectionem, ſeu ita vt addita ſupra intellectionem volitio non addat ſimpliciter maiorem perfectionem, ſed ſolùm ſecundùm quid; etiam communicatio erit ſimpliciter ſumma, ſeu tanta, quanta eſt volitionis ad volitionem, quæ ex apprehenſione terminorum eſt ſumma: Tunc ſic; ſed intellectioni diuinæ, vt pote infinitæ perfectioni, ſimpliciter non additur maior perfectio niſi ſolùm ſecundùm quid, & extenſiua per volitionem: Ergo, &c. Sed contra; quia hoc non eſt ex vi communicationis formaliter, quod hic requirebatur, vt poſitum eſt ſuprà, ſed titulo infinitatis, qui titulus per ſe loquendo ſtare poſſet etiam cum reali diſtinctione, vt patet iuxta dicta diſput. 14. ſect. 1. num. 6. 7. & 8. in quibus expendi totam hanc doctrinam, & ſolutionem. Deinde hæc eadem tota ſolutio, & doctrina eâdem omnino ratione militat, vſurparique poteſt ab Scoto iuxta ſuam diſtinctionem formalem ex natura rei, vt perpendenti conſtabit.

67 *Examinatur qualiter in diuinis intellectio non ſit volitio.*

Ideo præcipuè vt ſuam ſententiam, & diſtinctionem virtualem diuerſam faciant hi Theologi recentiores à diſtinctione formali Scoti reſpondent quartò intellectionem, & volitionem (ſeu principium Spiritus-ſancti) non diſtingui ex parte obiecti actu, & formaliter, ſed ſolùm virtualiter, quæ diſtinctio ſimpliciter non eſt, ſed impropriè, & ſecundùm quid: Scotus autem conſtituit in ipſo obiecto diſtinctionem actu & formaliter propriam. Sed contra; vel hæc propoſitio *Intellectio non eſt volitio*, actu ex parte obiecti independenter ab intellectu eſt vera in aliquo ſenſu, vel non? Si primum; ergo in aliquo vero ſenſu, & actu diſtinguitur independenter ab intellectu; nam per non eſſe intelligimus diſtingui iuxta ſuprà dicta; Vnde ſi diſtingueretur ſolùm virtualiter, & non actu, & formaliter, eodem modo dicendum erat non abſolutè: *intellectio non eſt principium*, ſed cum addito: *intellectio non eſt virtualiter principium*. Contra ſecundò: Scotus non alias, neque in alio ſenſu ponit ſuam diſtinctionem formalem, niſi quatenus verè, & actu iſta ſit vera: A. non eſt B, ſeu Deitas non eſt ſapientia; vt patet ex §.60. hoc enim ſolùm eſt de re, quòd verò dicas *diſtingui*, vel *non* pertinet ad voces. Contra tertiò; non poteſt hæc propoſitio actu, & à parte rei verificari *intellectio eſt volitio*, quin intellectio identificetur cum volitione, non ſolùm æquiualenter, & virtualiter, ſed etiam verè, & actu; ergo è contrà, ſi verè, & actu *Intellectio non eſt volitio*, verè, & actu dicet eius carentiam in ſe, ſeu diſtinctionem. Vnde confirmatur: non poteſt aliquid à parte rei verè eſſe per entitatem, & eſſentiam, quæ verè, & realiter non ſit ens, ſed ſolùm virtualiter. Ergo non poteſt verè & actu non eſſe, niſi per carentiam actualem, & non ſolùm virtualem, aliàs liceret fingere inter ens reale, & rationis aliud medium, ſcilicet *virtuale*; Ergo non poteſt verè, & actu non eſſe aliud, quin verè, & actu diſtinguatur; ſicut enim putum *non eſſe* conſtituitur tanquam per formam, per carentiam, ita *non eſſe aliud*, per diſtinctionem.

Si ob hæc replices quintò, negando hanc propoſitionem eſſe actu veram independenter ab intellectu: *Intellectio non eſt volitio* niſi ſolùm virtualiter, quatenus licèt ſint intellectio, & volitio omnino idem, ex parte obiecti, & actu; at ex parte obiecti datur capacitas, vt verè, & actu verificetur de intellectione, quod negatur de volitione, & hoc ſignificatur per *non eſſe virtualiter*; Vnde ſolùm admittendum eſt, *intellectio realiter, & actu non eſt volitio virtualiter*: nam realiter (id eſt, independenter ab intellectu) & formaliter actu (id eſt, non ſolùm in potentia) dicitur aliquid, quod actu verificatur de volitione & non de intellectione, vt eſſe principium Spiritus-ſancti, ſed contra; ergo licèt non à volitione, at ab illo prædicato *principium Spiritus* diſtinguetur non ſolùm actu virtualiter, ſed formaliter, & actualiter intellectio, & conſequenter diſtinguetur diſtinctione formali Scoti ex natura rei; cuius ratio eſt, nam vel ab illo prædicato principij Spiritus habet intellectio maiorem diſtinctionem, quàm à volitione? vel non? ſed eandem prorſus formalem identitatem? Si primum? ergo diſtinctio erit formalis ex natura rei, nam virtualem etiam tu concedis in intellectione reſpectu volitionis. Si ſecundum? cur ergo volitio non poteſt negari de intellectione, & poteſt negari *principium Spiritus-ſancti*? Quid habet *principium* præ volitione, ne poſſit affirmari de intellectione, cùm totum fundamentum affirmationis ſit identitas, & eandem identitatem formalem æquè primò in ſe, & immediatè habeat formalitas principij, & formalitas volitionis. Confirmatur: ſi omne prædicatum in volitione negaretur realiter, & formaliter de intellectione, ſicut negatur prædicatum *principij*, tota volitio diſtingueretur realiter, & formaliter; Ergo ſi quoad hoc prædicatum negatur, quoad hoc prædicatum diſtinguetur; conſequentia patet; quia ſicut ſe habet totum ad totum ita pars ad partem; tum etiam quia tota formalitas *principij*, quà talis negatur; Ergo tota quà talis debet diſtingui realiter, & formaliter; cur enim potius negatio arguet diſtinctionem in vna formalitate, quàm in alia? Sed de hoc plura in ſect. ſeq. 68

SECTIO VII.

Probatur tertiò indiſtinctio hæc virtualis ex maiori diſtinctione neceſſariò admittenda inter prædicata negata in ordine ad quæ datur contradictio, quàm inter ipſas formalitates virtualiter diſtinctas.

INtellectio, & volitio, verbi gratia, dicuntur diſtingui virtualiter, quia cum ordine ad principiandum Verbum ſunt capaces contradictionis, 69

Cur intellectio, & voli-

vt ita

tio dicantur, virtualiter diſtingui?

vt ita affirmetur de intellectione eſſe principium verbi, & hoc idem de volitione negetur, ac ſi diſtinguerentur realiter ſeu è conuerſo ita affirmatur de volitione *eſſe principium Spiritus ſancti*, Et hoc idem negatur de intellectione, ac ſi diſtinguerentur realiter. Nunc ex his ſic arguo. tertiò.

70 Prædicatum *principij verbi* magis diſtinguitur, ſeu negatur de volitione, quàm negatur intellectio de ipſa volitione, ſed intellectio negatur virtualiter de volitione, ergo prædicatum, ſeu ratio principij verbi negatur, ſeu diſtinguitur realiter, ſeu actu, & formaliter ex natura rei. Conſequentia patet; quia diſtinctio, ſeu negatio obiectiua, quæ non eſt ſolùm virtualis, reſtat, vt ſit actualis, ſeu ex natura rei. Minor eſt ipſiſſima ſententia Aduerſariorum, dum volunt dari diſtinctionem virtualem intrinſecam inter volitionem, & intellectionem. Maior ita putatur certa à pluribus ex Aduerſariis, vt P. Granado controu. 1. in 1. part. tract. 2. diſput. 5. ſect. 3. num. 11. inferat vt abſurdum eodem modo negari de volitione intellectionem, ac negatur principium verbi. Sed quidquid ſit de hoc Authore, Sic.

71 Maior ſuadetur primò: quia capacitas contradictionis inter formalitates virtualiter diſtinctas non eſt quoad omnia prædicata, ſed tantùm quoad aliqua; non enim ponitur verbi gratia quoad *intelligere, & non intelligere*, ſed ſpecialiter quoad *principiare, & non principiare*, aliàs cur in his verificandis tanta vis inſtruitur auctoritatis, & rationis, ne dicatur ex parte obiecti. *Volitio eſt principium verbi*, vt eam propoſitionem tanquam hæreticam damnet (licèt immeritò P. Zuniga diſput. 3. de Trinitate dub. 6. num. 5.) Ergo ſignum eſt, quòd magis negatur ex parte obiecti *ratio principij* de volitione, quam *intellectio* de volitione; aliàs inutiliter ſignarentur illa prædicata vt contradictoria ſpecialiter. Secundò eadem maior probatur; quia Aduerſarij parificant has propoſitiones: *intellectio principiat verbũ; volitio non principiat* his aliis: *Pater generat, eſſentia non generat*: Si enim liceret accipere primas propoſitiones latiori modo, ſine ſenſu, ita poteſt reduci tota contradictio ad purũ modum noſtrum concipiendi, ſed *ratio generandi* plus negatur de eſſentia, quàm ipſa eſſentia negatur de Paternitate, & plus quàm intellectio negatur de volitione vt patet: ergo etiam plus negabitur *ratio principij*. Confirmatur, eſſentia, & Paternitas, inter quæ manifeſta datur diſtinctio contradictionis, ſeu virtualis, vt volunt Recentiores, non æque ſunt capaces contradictionis quoad omnia prædicata, vti quoad *generare*, & *non generare*. Tertiò eadem maior probatur; quia in hoc ſyllogiſmo expoſitorio: *Iſte intellectus eſt Principium verbi*. Sed *iſte intellectus eſt hac voluntas*; Ergo *hac voluntas eſt principium verbi*, in hoc, inquam Syllogiſmo, ſpecialiùs negat conſequentia, quam præmiſſæ; vti in hoc alio Syllogiſmo. *Filiatio eſt eſſentia*: ſed *Filiatio producitur*; Ergo *eſſentia producitur*. Quæ conſequentia falſa eſt, licèt præmiſſæ abſolute ſint veræ; Ergo ſimiliter in noſtro caſu.

Zuniga.

Plus negatur iuxta aduerſarios de volitione eſſe principium verbi quàm eſſe intellectionem.

72 Secundò ex eodem fundamento ſic arguo, vt volitio diſtinguatur virtualiter intrinſecè ab intellectione, opus eſt, vt potiùs negetur de volitione ly *principium verbi*, quàm ly *intellectio*. At hoc eſt impoſſibile; ergo non diſtinguuntur virtualiter. Conſequentia patet quaſi ex negatione definitionis ad negationem definiti. Maior probatur 1. quia ratione diſtinctionis huius virtualis aduerſarij verificant de volitione affirmatione , & negationem eiuſdem prædicati, ſeu quod idem eſt, duo prædicata contradictoria; Ergo opus eſt, vt cum intellectio affirmetur de volitione, *ratio principij verbi*, quæ non diſtinguitur ab intellectione, negetur de volitione, & conſequenter potiùs negetur ly *principium*, quàm ly *intellectio*: aliàs quæ erit contradictio, ſi æqualiter negatur vtrumque. 2. Intellectio non negatur quoad omnia prædicata, ſed quoad aliqua, non negatur in eſſendo, ſeu in entitate volitionis, ſed in munere Principiandi verbum; Ergo opus eſt, vt quoad id plus negetur; aliàs cur ex æquo non dicis negari quoad omnia? Cur has limitationes, & exceptiones facis; vt intellectio non negetur quoad vnum, ſed quoad aliud? 3. hæc ſine addito eſt vera, *volitio eſt intellectio*, ni incidas in Scotiſmum; vel fortè in errorem Gilberti Porretani: iſta autem ſine addito: *volitio eſt principium verbi* non eſt admittenda, ob hanc enim tota diſtinctio virtualis intrinſeca ab his theologis ponitur; Ergo vt volitio diſtinguatur intrinſecè ab intellectione, opus eſt, vt potiùs negetur de volitione ly *principium verbi*, quàm ly *intellectio*.

Minor propoſitio in §. præced. quod ſcilicet ratio, ſeu formalitas principij verbi non poſſit plus negari de volitione, quàm ipſa intellectio. Probatur 1. formalitas *Principij verbi* non diſtinguitur nec realiter, nec virtualiter ab intellectione; vt eſt per ſe notum aduerſariis; ergo de omni eo, de quo eſt affirmabilis intellectio, etiam eſt affirmabilis formalitas *principij*: eadem enim formalitas indiuidua etiam virtualiter nequit contradictionem aliquam, & diuerſitatem admittere: Ergo nequit plus negari de volitione, quàm intellectio. Secundò formalitas *principij* verbi eſt realiter (& formaliter ex natura rei) volitio non minùs, quàm intellectio, & volitio, alioqui aliqua formalitas diſtingueretur ex natura rei formaliter ab alia cum Scoto & de vna, eademque formalitate virtualiter indiuidua, qualis eſt formalitas *Principij & intellectionis*, verificarentur duo contradictoria, ſiquidem *intellectio eſt volitio* ly *principium non eſt volitio*: Ergo è contra volitio ſicut eſt intellectio, ita eſt formalitas principij. Conſequentia hæc patet, quia ea ratione, qua vnum eſt aliud, hoc aliud eſt illud vnum: ſemper enim ex parte obiecti identitas terminorum omnino ſingularium eſt mutua. Tertiò; ſi formalitas *principij* plus negatur de volitione; negabitur realiter, vt ſuprà dixi, ſiquidem virtualiter etiam negatur de volitione intellectio. Finge formalitatem *Principij* eſſe realiter diſtinctam à volitione, licèt identificatam cum intellectione: ſicut Paternitas diſtinguitur à Filiatione, licèt identificentur in eadem natura. Nunc rogo; quid maioris diuerſitatis exigeretur in hac hypotheſi ficta, quàm quæ requiritur pro veritate huius propoſitionis: *formalitas principij non eſt volitio*. 4. Si diceretur *Deus non eſt volitio*, ſeu *volitio non eſt Deus*. Argueretur diſtinctio erronea Gilberti Porretani: ergo ſimiliter, ſi dicatur: *volitio non eſt aliquod prædicatum abſolutum inuentum in intellectione*, quale eſt ly *Principium verbi*. Conſequentia ſuadetur: nam deitas ita imbibit omne prædicatum abſolutum, vt id quod caret aliquo prædicato abſoluto, Deus non ſit. Si dicas non quia *non ſit*, ideo caret, ac proinde volitio adhuc permanet idem cum deitate licet non ſit aliquod prædicatum deitatis. Sed contra: ergo ſimiliter

73 *Sed iuxta veritatem non poteſt plus negari.*

ſimiliter poteſt ipſa deitas negari de volitione; quin ideo volitio careat deitate; Ergo è contrà de deitate negari poterit volitio; vt dicatur *deitas non eſt volitio*, vel ſapientia, quæ propoſitio erronea eſt, & impoſſibilis; Ergo impoſſibile eſt, quòd ly *principium Verbi* potiùs negetur de volitione, quàm ly *intellectio.*

74 Explicatur 1. hoc argumentum factum, ne negetur ſolùm virtualiter de volitione ratio *principij Verbi*; nam vel *ratio principij* Verbi diſtinguitur ab intellectione virtualiter, vel non? Si diſtinguitur ab intellectione: Ergo ratio principij æquè negabitur de intellectione ac negatur de volitione. Si non diſtinguitur? ergo de omni eo, de quo negabilis eſt ratio principij, etiam negabitur intellectio ipſa, eadem enim formalitas virtualiter indiſtincta nequit contradictionem, & diuerſitatem obiectiuam admittere; Ergo vel dicendum eſt non negari potiùs principium Verbi de volitione, quàm de intellectione, vel negari de volitione etiam realiter, vti de eſſentia negatur realiter ratio generandi, ex quo dabitur diſtinctio realis. Explicatur ſecundò; vel à prædicato *principij Verbi* habet volitio maiorem diſtinctionem, quàm ab intellectione? vel non? Si primum? ergo diſtinguetur realiter virtualiter, namque iuxta aduerſarios etiam ab intellectione diſtinguitur. Si ſecundum? cur ergo potiùs intellectio non poteſt negari de volitione ſimpliciter quàm ratio principij iuxta ſæpe dicta? quid habet ex parte obiecti *principium* præ intellectione, ne affirmetur de volitione, cum qua æquè dentificatur ac formalitas intellectionis, maximè cùm hæ duæ formalitates *principij*, & *intellectionis* ſint indiſtinctæ etiam virtualiter; duabus autem formalitatibus virtualiter indiſtinctis eadem prorſus prædicata conueniant opus eſt; Ergo ſicut intellectio eſt volitio, ita principium eſt volitio ex parte obiecti; Ergo è contrà volitio eſt principium vel identitas non eſt ſemper mutua

Formalitas virtualiter indiuidua nequit vllam contradictionem admittere ex parte obiecti.

SECTIO VIII.

Quartum fundamentum contra diſtinctionem virtualem intrinſecam ex eo, quòd de nulla perfectione diuina poſſit negari Deitas ex parte obiecti in aliquo ſenſu Catholico.

75 POnamus, verbi gratia, ad hanc probationem eſſentiam Dei conſiſtere in intellectione, vt tenent communiter aduerſarij, quod idem proportionatè dici poteſt de alio quocumque prædicato, in quo conſtituatur eſſentia Dei, ſeu deitas. Hinc ſic arguo: in nullo ſenſu Catholico independenter ab intellectu poteſt de aliqua perfectione diuina dici, quòd non eſt deitas; ſed ſi intellectio diſtingueretur virtualiter à volitione, quia ſcilicet intellectio ex parte obiecti non eſt principium Spiritus-ſancti, hoc accideret; Ergo, &c. Maior abſolutè definita eſt in Concil. Rhemenſ. apud Vaſquez 1. part. diſput. 120. cap. 2. ibi: *In nullo ſenſu Catholico negari poteſt, quin diuinitas ſit relatio, & relatio diuinitas.* Ex quo à fortiori patebit de nulla perfectione diuina poſſe negari deitatem. Minor probatur; nam ſi intellectio, ſeu deitas non eſt principium Spiritus-ſancti; Ergo *principium Spiritus-ſancti non eſt deitas*, nam inter duos terminos omnino ſingulares euidens eſt hæc conſequentia *A non eſt B, ergo B non eſt A.*

Concilium Rhemenſe. Vaſquez.

76 Communis ſolutio, quæ ab aduerſariis adhiberi ſolet his, & ſimilibus argumentis, conſequens eſt ad ſolutiones poſitas ſect. 5. nempe non negari deitatem realiter ſimpliciter de ratione *principij* Spiritus ſancti: ſed ſolùm negari ſecundùm quid, & formaliter, in quo nullum abſurdum eſt; ſic deitas, vtpote diſtincta ratione noſtra ab attributis, de his negatur ſine abſurdo ſecundùm quid. Hæc reſponſio quia ſolemnis eſt in hac materia, ad quam vt ad tutum azylum confugiunt, qui noui Theologi imitantur antiquos Scotiſtas, multipliciter impugnanda eſt, & deſtruenda multoties.

Communis aduerſariorum effugium.

77 Contra igitur hanc reſponſionem 1. eſt. Ergo iam non datur ſimpliciter, & abſolutè diſtinctio virtualis inter intellectionem, & volitionem; ſed ſolùm ſecundùm quid, & conſequenter minor eſt quæ à te ponitur inter intellectionem, & volitionem, quàm inter eſſentiam, & relationem; ſiquidem eſt in ordine ad contradictionem, ſeu negationem minorem, eo autem minor eſt diſtinctio, quò minor eſt negatio; Ergo ſicut abſolutè ponis diſtinctionem mediam inter realem & rationis; nempe *virtualem*, ita ponere debes aliam inter mediam, quæ minor ſit virtuali afferente realem negationem (vt inter eſſentiam, & relationem) ſiquidem intellectio, & volitio ſolùm afferunt negationem ſecundùm quid, & virtualiter: aliunde maior ſit hæc diſtinctio, quàm rationis; ſiquidem ex parte obiecti verificat hanc negationem ſecundùm quid: Si enim negatio rationis, vel realis variat diſtinctionem in realem, vel rationis: Ergo ſimiliter hic negatio ſimpliciter, & ſecundùm quid.

Præcluditur. Primò.

Quia tenetur fingere nouam, & mediam diſtinctionem virtualem.

78 Contra hanc reſponſionem 2. eſt: quamtumuis dicatur ſolùm ſecundùm quid negari deitatem de principio Spiritus-ſancti verè tamen in ſe actu verificatur illa negatio independenter ab intellectu; Ergo in illo ſenſu non erit Deus formalitas principij: hoc autem imprimis contradicit Conc. Rhemenſi ſuprà citato. Deinde non eſt id minùs abſurdi, quàm ſi dicas dari à parte rei aliquid, quod verificet independenter ab intellectu in aliquo vero ſenſu: *non eſt ens reale*; neque enim minùs quidquid exiſtit in Deo, eſt Deus, quàm quidquid in rerum natura, eſt ens reale. Deinde ergo hæc tua propoſitio: *Spiritus ſanctus non procedit per intellectum* non facit ſenſum *ſimpliciter* negatiuum; ſed ita intelligenda, & accipienda eſt, vt *Spiritus-ſanctus ſimpliciter procedat per intellectum*, & ſolùm ſecundùm quid non procedat. Vnde ſimpliciter Spiritus ſanctus deberet dici *Verbum, Filius, Genitus*, &c. & alia, quæ nobis aduerſarij obiiciunt, vt aliter Spiritus-ſanctus procedat per voluntatem, quàm per intellectum, vt potiùs Filius procedat per intellectum, quàm Spiritus-ſanctus. Denique ergo in ſenſu aliquo ex natura rei, & vero independenter ab intellectu formalitas *principij* (vt arguunt Catholici contra Gilbertum cum S. Bernardo, ſerm. 80. in Cant. & Thomiſtæ contra Scotum) *erit creatura, inæqualis Deo*, &c.

Secundò.

Concilium Rhemenſe.

S. Bernardus.

79 Contrà tertiò: Deitas actu, & ex parte rei non habet identitatem virtualem cum principio Spiritus-ſancti: Ergò quia realiter caret aliquo requiſito, vt ſit idem virtualiter. Antecedens patet; ſiquidem Deitas ex ſe non eſt idem virtualiter, & hac identitate non caret per intellectum, ſed à parte rei, nec rurſus illa identitate virtuali caret ſolùm virtualiter, ſed actu & formaliter; aliàs procederemus in infinitum. Conſequentia non minùs patet, nam ab æquali omnino cauſa

Tertiò.

formali non poteſt dari diuerſus effectus; item prorſus eſt implicatorium vnum non eſſe ſicut aliud ſi habet omnia requiſita ad eſſendum, ſicut illud: & quidem incidimus in myſterium actuum liberorum Dei, imo in maius, quod ſcilicet idem prorſus idem quoad entitatem, & quoad denominationem habeat varietatem in prædicatis. Tum ſic; ergo ſiquidem tale requiſitum eſt formaliſſimè ratio principij Spiritus ſancti deitas actu non eſt principium, & conſequenter principium actu non eſt deitas.

80 *Quartò.* Contra quartò implicat, quòd aliqua res ſit actu ex parte obiecti illud idem, quod non eſt ſecundùm menſuram, & ſenſum, in quo non eſt verbi gratia *virtualiter*. Sed principium Spiritus ſancti virtualiter non eſt deitas ex parte obiecti, & independenter ab intellectu; Ergo ex parte obiecti loquendo actu habet non eſſe ſic virtualiter deitatem. Conſequentia bona eſt. Minor datur ab aduerſariis. Maior patet ex notiſſimo principio; non poſſe aliquid ſimul eſſe, & non eſſe; Ergo conſequenter non poterit ſimul eſſe taliter, quando formaliſſimè non eſt taliter. Tum ſic; ergo de principio ſpiritus ſancti negatur eſſe ſic virtualiter deitatem non ſolum ſecundùm quid, ſed ſimpliciter, ſeu actu à parte rei: at eſſe virtualiter deitatem formaliſſimè ex parte obiecti conſiſtit in ipſa deitate, eſtque prædicatum omnino indiſtinctum etiam virtualiter à deitate; ergo iſta actu, & ſimpliciter negabitur de principio Spiritus ſancti.

81 *Quintò.* Contra quintò: Prædicatum *eſſendi virtualiter deitatem* realiter, & actu loquendo eſt idem cum principio Spiritus ſancti, vel non? Si ſecundum; ergo cùm hoc prædicatum non ſit idem realiter, diſtinguetur realiter, ſicut ſi non eſſet idem realiter principium cum deitate, realiter diſtingueretur ab illa. Si ob hæc dicas primum nempe ly *Principium* realiter loquendo eſſe idem *cum eſſe virtualiter deitatem*, & ſolùm à tali prædicato diſtingui virtualiter. Contra primò; ergo iam realiter principium ſpiritus ſancti eſt virtualiter deitas, & ſimul non eſt virtualiter deitas; nàm eſſe idē cum eſſe virtualiter deitatem quid aliud eſt, quàm eſſe virtualiter deitatem; ſi autem rurſus dicas imbibi, quòd non ſolùm realiter ſit idem, ſed ſit idem virtualiter cum *eſſe virtualiter deitatem*, redit argumentum, & procedimus ſine fine in ly *virtualiter*. Contrà ſecundò; *eſſe virtualiter* non poteſt identificari realiter cum *non eſſe virtualiter*: ſi hoc non eſſe *virtualiter* contingat; nam nil poteſt ſe realiter deſtruere, & ſimul realiter permanere; nil poteſt realiter non eſſe id, quod realiter eſt, eâ ratione quâ realiter eſt, vt ſuprà dixi, Ergo eſſe virtualiter deitatem non poteſt identificari realiter cum principio Verbi, ſi hoc non eſt virtualiter Deitas.

82 *Sextò.* Contra ſextò; negatio, quæ tòlli nequit niſi per affirmationem realem, ſeu per realem immutationem, ſimpliciter, & actu eſt negatio; ſed negatio, qua ex parte obiecti deitas, ſeu intellectio non eſt principium Spiritus ſancti, tolli nequit, niſi per immutationem realem; ergo ea negatio eſt realiter talis. Conſequentia, & minor patent: quis namque dubitaret intellectionem debere eſſe diuerſam à parte rei, ſi à parte rei haberet eſſe virtualiter principium Spiritus ſancti quod modò non habet. Iam maior probatur; tum à paritate affirmationis, quæ realis eſt, ſi non poteſt tolli niſi per negationem realem; tum etiam quia non plus requiritur de vna forma contradictoria, vt alia tollatur, quàm iuxta proportionem, qua datur hæc verbi gratia, negatio rationis tollitur per affirmationem rationis; intentionalis per intentionalem, &c. Tum denique, quia res, vt habeat aliquam denominationem ſolùm requirit id, quo caret: ergo ſi requirit immutationem realem, ſeu nouam entitatem, ſignum eſt quòd illa caret. Confirmatur: hæc propoſitio *intellectio eſt virtualiter principium Spiritus ſancti*, nec in ſenſu reali eſt vera: hæc alia *volitio eſt virtualiter principium Spiritus-ſancti* eſt vera; Ergo hæc ſecunda propoſitio realiter aliquid diuerſum dicit: aliàs vtraque eſſet vera, qui enim realiter idem dicit, implicat falſum dicere.

SECTIO IX.

Quintum fundamentum contra diſtinctionem virtualem intrinſecam ex eo, quòd nulla foret in Deo perfectio ſimpliciter ſimplex.

PRobatur: perfectio ſimpliciter ſimplex definitur, *quæ melior eſt ipſa quam non ipſa*; ergo habet vim depellendi à ſe omnem imperfectionem, quod enim poteſt componi cum aliqua imperfectione, non eſt melius ipſum, quàm non ipſum; ergo depellit omnem carentiam perfectionis ſimpliciter ſimplicis: carentia enim perfectionis cuiuſuis ſimpliciter ſimplicis eſt imperfectio, cùm melior ſit non ipſa, quam ipſa carentia; Ergo eſt omnis perfectio ſimpliciter ſimplex, etenim non aliter tollitur carentia perfectionis, niſi per ipſam perfectionem, vti carentia lucis per lucem; Ergo ſi aliqua perfectio Dei diſtingueretur obiectiuè ab alia, ſeu *non eſſet alia* ex parte obiecti, nulla foret in Deo perfectio ſimpliciter ſimplex. 83

Explicatur: perfectio ſimpliciter ſimplex requirit eſſe omnem perfectionem, vt ita excludat imperfectionem omnem; Ergo vna perfectio repugnat diſtinctioni virtuali ab alia. Suadetur conſequentia; nam eo ipſo de alia ſecunda perfectione, ſeu formalitate affirmatur aliquod prædicatum, quod negatur de prima, verbi gratia, affirmatur de intellectione eſſe principium Verbi quod negatur de volitione: ſed *eſſe principium Verbi* eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: quidquid enim abſolutum eſt in Deo etiam eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; Ergo volitio non erit talis perfectio principij; Ergo volitio non erit perfectio ſimpliciter ſimplex, etenim iam eo ipſo non erit melius ipſa volitio, quàm non ipſa; nam melius eſt principium Verbi quàm non principium Verbi; ſiquidem ratio *principij* eſt perfectio ſimpliciter ſimplex vel è contra, principium non erit perfectio ſimpliciter ſimplex cùm non ſit melius ipſum, quàm non ipſum, nempe quam volitio, quæ non eſt principium. Confirmatur: Implicat quòd perfectio ſimpliciter ſimplex perficiatur per aliquid non ipſam ſeu diſtinctum ab ipſa; ſic enim melius erit *non ipſa*, quàm ipſa; ſiquidem melius eſt totum in quo includitur illud diſtinctum, ſeu id, quod eſt *non ipſa*. Tum ſic; ſed ſi vna perfectio ſimpliciter ſimplex diſtinguatur virtualiter ab alia, ſeu non ſit alia, verbi gratia, ſi *principium Verbi* non eſt volitio, perficietur, & meliorabitur per non ipſum, (manifeſtum enim eſt, quòd melius ſit eſſe volitionem, quàm non eſſe volitionem; aliunde 84

ratione

ratione diſtinctionis virtualis intrinſecæ tu ipſe dicis, quòd principium Verbi non eſt volitio. Ergo ſi detur diſtinctio virtualis nulla manebit perfectio ſimpliciter ſimplex in Deo.

85 Explicatur rurſus ſumpto hoc fundamento ex parte prædicati, quod negatur de volitione, verbi gratia, *principium Verbi*, quod non eſt volitio abſolutè, & ſine addito loquendo; ſiquidem abſolutè profertur vt vera ab aduerſariis hæc conuertibilis: *Volitio non eſt principium Verbi*: Ex quo ſic arguo, vt formalitas *principij* Verbi ſit imperfecta (quod ſine blaſphemia dici non poteſt de aliqua perfectione diuina. Quidquid ſimpliciter, & abſolutè non eſt aliqua perfectio ſimpliciter ſimplex, eſt imperfectum, ſeu non ſummè perfectum, ſed formalitas principij abſolutè loquendo non eſt volitio, quæ abs dubio perfectio ſimpliciter ſimplex eſt; ergo formalitas principij eſt imperfecta. Confirmatur, nihil, quod non eſt perfectio aliqua ſimpliciter ſimplex, eſt tam bonum, quàm illa ipſa perfectio ſimpliciter ſimplex; ſiquidem iſta perfectio, cùm ſit melior, quàm non ipſa, conſequenter melior eſt quolibet alio, quod non eſt ipſa: Sed principium Verbi non eſt volitio; ergo non eſt tam bona; ergo eſt imperfecta, imperfectio enim eſt carentia perfectionis maioris. Confirmatur ſecundò, de formalitate principij magis negatur perfectio ſimpliciter ſimplex, quàm negetur, verbi gratia, de paternitate; ſed paternitas ideo imperfecta non eſt, quia licèt de ipſa negetur aliqua perfectio, ſcilicet Filiatio; at non negatur perfectio vlla ſimpliciter ſimplex; ergo formalitas principij eſt imperfecta. Conſequentia patet, & minor propoſitio; qui enim dicunt Filiationem eſſe perfectionem ideo adhuc fatentur Paternitatem (de qua negatur Filiatio) eſſe ſummè perfectam, quia abſolutè de Paternitate non negatur perfectio ſimpliciter ſimplex. Maior propoſitio ſuadetur; nam de volitione ita negatur principiare Verbum, ſeu quod ſit principium Verbi (& conſequenter de principio negatur conuertibiliter volitio,) ſicut de eſſentia negatur *generare*: at magis negatur de eſſentia *generare*, quàm negetur de Paternitate eſſentia, ſeu perfectio vlla ſimpliciter ſimplex; iſta enim abſolutè prolata *Paternitas non eſt eſſentia*, eſt contra fidem: iſta alia de fide *eſſentia non generat*; ergo magis negatur de formalitate *principij* perfectio aliqua ſimpliciter ſimplex, qualis eſt volitio, quàm de Paternitate.

86 Dices primò principium Verbi compenſatur in volitione per principium Spiritus-ſancti. Contrà; de ratione perfectionis ſimpliciter ſimplicis eſt, quòd ſit incompenſabilis per aliquid non ipſum, cùm ex ſuo conceptu non ipſa non ſit tam bona, quàm ipſa, ideo Paternitas non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quia eſt compenſabilis in Filio. Confirmatur, ipſa formalitas principij Verbi non eſt volitio, negatio enim, vt ſuprà dixi, eſt mutuò conuertibilis, & conſequenter ſi volitio non eſt principium Verbi, neque è contrà. At eſſe volitionem eſt omnino incompenſabile, ſemper enim in quolibet melius eſt eſſe volitiuum, quàm non eſſe volitiuum: Ergo, &c.

87 Dices ſecundò de volitione ſolùm virtualiter, non autem realiter, dicitur, quòd non eſt principium Verbi, & hinc nulla caret perfectione ſimpliciter ſimplici. Sed contra primò; quia perfectio ſimpliciter ſimplex ſolùm dicit, quòd melius ſit ipſa, quàm non ipſa verè, neque addit realiter; Ergo ſiue independenter ab intellectu volitio non eſt principium Verbi, eo ipſo non erit perfectio ſimpliciter ſimplex. Contra ſecundò; vt intellectio aliquo modo ex parte obiecti potiùs ſit principium Verbi, quàm volitio, opus eſt vt aliquam realem diuerſitatem habeat, vt dixi ſect. præced. Contra tertiò, ſaltem virtualiter volitio non erit perfectio ſimpliciter ſimplex, quòd cùm accidat independenter ab intellectu, imperfectio eſt: ſicut eſſet imperfectio independenter ab intellectu ponere, quòd principium ea ratione & proprietate, qua diſtinguitur à volitione, eſſet qualitas, accidens, materialis, *&c.* Vnde ſit.

SECTIO X.

Sextum fundamentum contra diſtinctionem virtualem à paritate aliarum imperfectionum quæ repugnant in Deo virtualiter intrinſecè.

Verbi gratia ſumma ſpiritualitas Dei repugnat corpori etiam ſecundùm quid, & virtualiter tali, ſi tamen verè & ex parte obiecti affirmetur de Deo eſſe corpus; quis enim ponet in Deo in aliquo vero ſenſu ex parte obiecti *corpus*, *accidens*, *peccatum*, &c. Atqui non minùs repugnat diſtinctioni ſumma ſimplicitas, quàm repugnet corpori ſumma ſpiritualitas, peccato ſumma ſanctitas; nec enim minùs dicitur de Deo eſſe ſummè ſimplicem, quàm ſummè ſpiritualem, ſanctum, *&c.* Ergo Deo titulo ſimplicitatis repugnabit diſtinctio etiam virtualis intrinſeca. Confirmatur imperfectio, quam dicit *peccatum* non ſatis vitatur, vt poſſit admitti in Deo, quantumuis addas dari peccatum in Deo *virtuale*, maximè cùm virtualitas hæc non obſtet, quin ſimpliciter & abſolutè ſine addito eſſet vera hæc propoſitio: *Deus eſt peccans*: quemadmodum ſine addito dicis: *Volitio non eſt principium Verbi*, licèt principium ſolùm virtualiter diſtinguas à volitione; Ergo vti repugnat in Deo imperfectio peccati, ita imperfectio diſtinctionis. Confirmatur ſecundò, non ſolùm repugnat quòd Deus realiter peccet, ſed etiam repugnat dici de Deo, quòd ita verè, & intrinſecè ſe habeat in ordine ad peccandum, ac ſi realiter peccaret, licèt non peccet; Ergo ſimiliter non ſolùm repugnat in perfectionibus abſolutis diſtinctio realis, ſeu realis negatio: ſed etiam quòd vna perfectio ita verè, & intrinſecè ſe habeat in ordine ad negationem de alia, ac ſi realiter de illa negaretur ſeu diſtingueretur ab ipſa, in quo conſiſtit diſtinctio virtualis. 88

Ex hoc eodem fundamento rurſus ſic inſurgo: ſi hæc propoſitio verificatur ex parte obiecti independenter ab intellectu ſine vllo addito: *volitio non eſt principium* Verbi, eodem modo, ſenſu, & acceptione poterit verificari: *volitio non eſt ſpiritualis* ſeu volitio eſt corpus, peccatum, *&c.* At hæ propoſitiones non poſſunt eſſe ita veræ ſicut prima; ergo prima propoſitio non eſt vera independenter ab intellectu. Conſequentia patet. Maior probatur: nam Deo non magis repugnat eſſe corpus, quàm non eſſe aliquam perfectionem abſolutam, quale eſt principium Verbi. Minor etiam probatur; nam iuxta Aduerſarios cùm dicitur *volitio non eſt principium verbi*, hæc propoſitio non 89

ſolùm æquiualenter, vel per rationem noſtram, ſed ſine addito admittitur ex parte obiecti, ſiquidem ita negatur, vt opus foret diſtinctione reali, niſi hanc ſuppleret hic infinitas. Quis autem admittat ſine addito ex parte obiecti ly *Deus eſt corpus*, ea proprietate verificari, qua verificatur corpus de materia prima, vt opus foret identitate reali cum materiâ, niſi obſtaret infinitas. Denique. Ad homines contra recentiores theologos ſic arguo, ſi admitteretur in Deo diſtinctio hæc virtualis intrinſeca, eadem ratione, & proprietate admitti poſſet in Deo intrinſeca deficientia, & mutatio virtualis. At iſta in Deo nulla ratione independenter ab intellectu admitti poteſt; ergo nec diſtinctio illa. Conſequentia patet. Maior communiter admittitur ab aduerſariis explicantibus libertatem Dei per deficientiam virtualem; & quidem ſi abſque vlla imperfectione hæc eſt vera, *volitio non eſt principium verbi*, cur non etiam, & iſta *Deus non eſt volitio creandi alium mundum*; & ſimiliter de iſta poſſet contingere *Deus non eſt volitio creandi hunc mundum.* Iam minor, quòd ſcilicet hæc deficientia repugnet, probatur; quia talis deficientia ſimpliciter realis eſſet, cùm præſtet in Deo realem libertatem, ſeu indifferentiam; libertas autem, vti libertas eſt, & indifferentia; ita contingentiam, ſeu deficientiam includit; ergo libertas realis deficientiam realem.

90 Dices ſaltem ratione noſtra admittitur iuxta omnes diſtinctio in Deo; nec tamen Deus dicitur, vel per rationem, corpus, peccatum, defectibilis, *&c.* Ergo diuerſo modo ſimplicitas Dei excludit diſtinctionem, ſeu negationem, ac ſpiritualitas excludit corpus, ſanctitas, peccatum, *&c.* Reſpondeo. Concedo diuerſitatem quoad prædicata extrinſeca per ſolum modum noſtrum concipiendi, ſecus quoad intrinſeca quæ independenter ab intellectu noſtro contingunt. Ratio diuerſitatis eſt; quia denominationes, quæ veniunt ex modo noſtro concipiendi ſolùm applicantur obiecto iuxta communem vſum & placitum hominum, qui per diſtinctionem rationis præciſè ſignificant poſſe aliquam perfectionem, volitionem verbi gratia cognoſci in Deo quin exprimatur ſecundùm menſuram, & claritatem, qua ſimul à nobis penetretur eſſe intellectionem. Denominatio verò *corporis* non ſumitur penes id, quod conuenit Deo in *eſſe* apprehenſionis, ſed in *eſſe* rei (neque enim, quia cognoſcatur Deus per modum corporis, vel per cognitionem accidentalem ideo corpus vel accidens dicitur) cùm autem euidens ſit primum euenire poſſe in Deo: non ſecundum, ideo Deus facilè admittit ratione noſtra diſtinctionem id eſt cognoſci à nobis confusè, ſeu inadæquatè, non verò admittet corporeitatem: corpus enim non eſt terminus ſecundæ intentionis, ſumens denominationem à noſtro modo concipiendi, ſeu à cognitione noſtra, quòd ſit per modum corporis accidens, *&c.* Sed eſt terminus primæ intentionis conueniens obiecto in eſſe rei: Iam negatio, quæ datur in diſtinctione virtuali etiam eſt in eſſe rei ſeu intrinſeca. Cur ergo ſi hæc conuenit Deo ex parte obiecti, non etiam conueniet corpus.

91 Dices ſecundò fortè nullum inconueniens eſſe quòd admittatur in Deo corpus, accidens, & aliæ imperfectiones virtualiter licèt magna indecentia foret ſi admitterentur realiter; ſic admittit P. Arriaga tom. 1. in 1. part. diſput. 2. §. 73. dari in Deo ratione noſtra compoſitionem, & accidens metaphyſicum; imo dari in Deo verum accidens reale

P. Arriaga.

virtuale admittunt aliqui recentiores, quos ſuppreſſo nomine meminit P. Didacus Alarcon tract. 3. de volunt. diſput. 4. cap. 7. num. 20. & quidem ad eorum doctrinam non eſt inconſequenter dictum, ſiquidem Deus per ſuam ſubſtantiam tealem præſtat quod in creatis euenire non poteſt, niſi per verum accidens, vt amare liberè, ſcire, *&c.* Confirmarique id poteſt; nam licèt repugnet Deo eſſe realiter, & verè creaturam verbi gratia Angelum, nihilominus eſt Angelus eminenter, ſicut etiam eminenter eſt omnes creaturæ. Ergo eminenter eſt corpus, accidens, *&c.* Ergo ſimiliter non repugnabit, quòd ſit virtualiter corpus. Reſpondeo ly *virtualiter* variis ſignificationibus eſſe obnoxium vt dixi initio huius diſputationis: vt tamen hic vſurpatur in ſenſu proprio intrinſeco, & independenter ab intellectu abſurdiſſimum eſt admittere in Deo verum corpus, accidens, peccatum *&c* nec dici hoc poteſt, niſi per audaciam iuuenilem vt loquitur P. Alarcon ſuprà: ratio eſt quia hic ly *virtualiter* præſtat vt poſſit dici abſolutè independenter ab intellectu: *Deus eſt accidens*, ſicut dicitur: *volitio non eſt principium Verbi.* Hoc autem quis pacatè ferat de Deo dici vt notaui §. 89. Addo ſi aliquid probat aduerſariorum ratio, non ſolùm virtualiter, ſed formaliter ex natura rei, & realiter admittendum in Deo verum accidens: ſi enim deficientia virtualis præſtat, quòd in Deo non ſolùm virtualiter, ſed formaliter ſit libertas: ergo ſimiliter præſtabit, quòd liber diuinus ſit accidens, cur enim virtualitas præſtabit potiùs hunc effectum, quàm alium?

P. Alarcon.

Fundamentum, quo ad hanc doctrinam adeo abſurdam mouentur recentiores iſti, nullum eſt: fateor conſequens eſſe ad ipſorum opinionem de diſtinctione virtuali, ceterùm ideo, vt patuit ex hac ſectione, diſtinctio hæc diſplicet. *Compoſitio*, & *accidens* etiam ratione noſtra reiicietur à nobis infrà vt minus decens conceptum, quem formare de Deo debemus. Deinde iam patuit in §. 90. nullam eſſe paritatem à denominatione, ſeu prædicato per rationem noſtram ad denominationem, & prædicatum virtuale intrinſecè. Vnde iure iraſcitur P. Alarcon ſuprà contra Authores recentes, qui admittunt in Deo accidens virtuale, nec refert, quòd præſtet Deus, quod in creaturis fiet per verum accidens; nam ex hoc ſolùm virtualiter extrinſecè, non autem intrinſecè erit Deus *accidens*: ſicut anima rationalis ſolùm æquiualenter, & extrinſecè eſt materialis, quia ſentit ac ſi eſſet anima materialis: Deus æquiualenter eſt ignis, quia poteſt ignem producere non minùs, quàm ſi ipſe Deus ignis foret; ſic eſt eminenter Angelus; cæterùm quis dicet hanc eſſe veram intrinſecè, & propriè: *Deus eſt Angelus.* Igitur ſolùm Deus eſt eminenter Angelus, & quia poteſt producere Angelum; & quia poteſt præſtare, & habere omnem effectum, quem habet Angelus ſine imperfectione. Ob quod quamuis dici poſſit in Deo eſſe eminenter entitatem materialem peccati; ceterùm abſolutè in Deo *peccatum eminenter* non eſt; quia *peccatum* abſolutè, & ſimpliciter loquendo ſtat pro formali, nullamque perfectionem dicit, ſed potiùs ſummum à perfectione receſſum: ſic ſimpliciter negat catholica fides Deum eſſe cauſam *peccati*: quia non eſt in *peccato* perfectio vlla, quæ abſtrahi ab imperfectione poſſit. 92

Peccatum non eſt eminenter in Deo, quia vt tale nullam dicit perfectionem quā Deus præcontineat, ſic Deus non eſt eminenter nihil ſeu carentia.

SECTIO

SECTIO XI.

Septimum fundamentum contra diſtinctionem virtualem intrinſecam ex ſequela & repugnantia principij & prioritatis virtualis.

93 Sequela admittitur ab aduerſariis communiter vt ſatis conſtat ex ſect. 4. ſed præterea hic probatur primò à paritate ipſius diſtinctionis virtualis, nam ſi ſemel datur, quòd vna perfectio diuina verè, & ex parte obiecti, independenterque ab intellectus noſtri modo concipiendi; non ſit alia; quin ideo habeat diſtinctionem realem ab alia; cur non poterit verè, & ex parte obiecti eſſe ab alia ſine reali productione, ſed ſolùm virtuali? Vbi autem productio non eſt *realis*, non erit abſurdum, ſi admittatur inter perfectiones abſolutas; vti admittitur diſtinctio dum *realis* non ſit. Secundò eadem ſequela principij virtualis probatur, quia eſſentia Dei vtpotè infinitè perfecta debet continere omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem; ſed non continet continentia formali, ſi admittatur virtualis diſtinctio; ſiquidem iam eſſentia ex parte obiecti non eſt aliqua perfectio; ergo continet continentia eminétiali, ſeu vt principium virtuale. Tertiò idem patet à poſteriori, verbi gratia, in volitione libera, ſi intrinſecè virtualiter diſtinguatur à cognitione, nullus erit, qui eam volitionem non dicat à cognitione procedere; vel ſaltem cognitionem eſſe priorem volitione (ſi renuas admittere vocem *principij*) perinde autem repugnat *prioritas* virtualis intrinſeca inter formalitates realiter identificatas, ac productio virtualis, ſeu virtuale principium, vt infrà in hac ſectione conſtabit.

94 Quartò eadem ſequela principij virtualis ex diſtinctione virtuali probatur principaliter iuxta commune axioma Theologorum: *in Deo omnia ſunt vnum; vbi non obuiat relationis oppoſitio; producentis* ſcilicet, & *producti*; Ergo ſi datur diſtinctio intrinſeca virtualis ſimilis, admittenda eſt relatio *producentis*. Conſequentia iſta probatur; nam ſi defectum vnitatis, ſeu indiſtinctionis ſolùm compenſat relatio producentis, cùm per diſtinctionem virtualem aliqua vera ratione deficiat vnitas, cur non veniet aliqualis proportionata productio? vel rogo, quæ ratio ſit, vt realis diſtinctio dedeceat, niſi intercedente reali productione; ceſſetque omnis imperfectio, quam ſecundùm ſe importat realis diſtinctio, vbi adueniat realis productio; ſi ſtat virtualis diſtinctio, qua independenter ab intellectu noſtro vnum *non eſt aliud* ſine vlla productione? Dices axioma Theologorum intelligitur ſolùm de diſtinctione reali, nam ratione noſtra attributa inter ſe diſtinguuntur, quin habeant vllam oppoſitionem relationis *producentis* etiam ratione noſtra: Ergo ſimiliter dicendum in virtualiter diſtinctis; Sed contra eſt diſcrimen, quia diſtinctio rationis nihil diſtinctionis ponit verè, & intrinſecè in re; verè, & intrinſecè non habet vna formalitas non eſſe aliam; virtualis autem diſtinctio verè, & intrinſecè eſt in Deo, verè & ex parte rei eſt vera hæc propoſitio: *Volitio non eſt principium Verbi.*

95 Confirmatur, & vrgetur amplius hæc quarta probatio; nam non eſt, cur plus valeat ad diſtinguendum oppoſitio relatiua quàm contradictoria, quæ eſt omnium maxima. Si enim implicat aliquid producere ſeipſum, eſſe idem *producens* & *productum*; quantò magis implicabit eſſe idem *productum*, & *improductum*? cùm tandem tota prima repugnantia ad hanc ſecundam reducatur, vt eius vires appareant; quòd ſi hæc ſecunda contenta eſt diſtinctione virtuali, cur non & illa prima. Dices: oppoſitio relatiua eſt oppoſitio in eſſendo, productio enim tendit ad dandum *eſſe* nouum, ac proinde requiritur, vt ponat *eſſe*, quod nondum eſt in producente poſitum, & conſequenter *eſſe* diſtinctum. Oppoſitio verò contradictoria non imbibit, nec connotat *eſſe*, vnde nec diſtinctionem ita neceſſariò arguet, vbi ob infinitatem munera contradictoria abſorbentur; Sed contra, ſicut oppoſitio producentis eſt ad *eſſe* nouum, ita contradictoria ad *non eſſe*; cur autem magis implicabit, quòd *eſſe* nouum identificetur cum antiquo, quàm quòd cum *eſſe* identificetur *non eſſe*? Dices rurſus *non eſſe* in omnibus non poteſt identificari, bene tamen *non eſſe* quoad aliquod, ſeu in aliquo munere; tunc enim locum relinquit, vt quoad alia in vnitatem veniat. Si enim quoad omnia verificaretur negatio, non eſſet vnde connecteretur identitatis vinculum; ſolùm enim negatio de eſſendo arguit diſtinctionem, non verò in munere. Hæc ſolutio coincidit, & bene explicari poteſt ex dicendis ſect. vlt. in qua latiùs agam de doctrina, quæ in hac reſponſione indicatur: modò reſponſionem prædictam impugno; nam illud prædicatum, & munus ſecundùm id, quod imbibit realitatis (etenim etiam in munere imbibitur *eſſe* reale cum fictitium non ſit) negatur de volitione, verbi gratia, formalitas *principij* Verbi vel non? Si primum; ergo licèt volitio non diſtinguatur à formalitate intellectionis, diſtinguetur tamen à formalitate principij, cùm ab ea differat ſecundùm ſe totam, vt dixi in ſect. 6. §. 58. Si ſecundum; ergo nihil negatur de volitione. Confirmatur; nam quod in omnibus non negetur, ſolùm debet arguere identitatem in eo, in quo non admittitur negatio; at verò cum diſtinctione in eo, quod negatur: ſic quia non omnia, quæ dantur in Filio, negantur de Patre, ſcilicet *eſſentia*, ſed tantùm aliqua, ſcilicet *relatio*: non datur diſtinctio Patris à Filio in eſſentia, at datur in relatione.

Oppoſitio producentis, quàm oppoſitio contradictoria.

Solutioni occurritur.

96 Iam probata ſequela principij virtualis, ſeu ex diſtinctione virtuali ſequi veram, & intrinſecam principiationem, ratione cuius vna perfectio abſoluta in Deo procedat ab alia, præciſa omni operatione intellectus noſtri; probatâ inquam hac ſequela; eiuſdem repugnantia oſtenditur primò. Repugnat perfectionem ſimpliciter ſimplicem, qualis eſt omnis perfectio abſoluta Dei contineri eminenter in alia, ſeu contineri in alia diuerſi generis; ergo repugnat oriri ſeu procedere ab illa. Conſequentia patet; nihil enim ab alio oritur, quod in eo non præcontineatur. Antecedens probatur; nam quia volitiuum, verbi gratia, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex ex eo omnes Doctores colligunt Deum, à quo oritur voluntas creata, eſſe formaliter volitiuum, & non ſolùm eminenter, cuius rei ratio eſt; quia quod non eſt aliqua perfectio ſimpliciter ſimplex, non eſt tam bonum, quàm ipſa perfectio; cùm de ratione perfectionis ſimpliciter ſimplicis ſit non eſſe tam bonū id, quod non eſt ipſa, quàm ipſa. At nihil poteſt oriri a principio minus bono; cauſa enim debet eſſe non minoris perfectionis quàm effectus, imò maioris, quando cauſa æquiuoca eſt; ergo nulla perfectio ſimpliciter ſimplex poteſt eminenter contineri in alia, ſeu non

Repugnantia Principij virtualis.

Nulla perfectio ſim-

Non valet plus ad diſtinctionem

pliciter ſimplex, poteſt eminentèr contineri in alia.

non poteſt contineri continentia eminentiali vt in cauſa diuerſi generis, ſed continentia formali; Ergo repugnat, quòd vna perfectio abſoluta diuina verè procedat, & principietur independenter à noſtro modo concipiendi, & ex parte rei intrinſecè ab alia.

97 Secundò maximè probatur repugnantia huius principiationis ex dictis pro contraria ſententia à §. 41. licèt enim, ſi fide vel ratione euidenti cogeremur admittere hanc principiationem inter perfectiones diuinas, captiuandus foret intellectus noſter, vt nullatenus diſtinctionem realem inferret prædicta principiatio; at cùm abſolutè principiatio iſta non ſatis probetur, vt conſtabit ſect. 22. iure illam vt repugnantem reiiciemus ob diſtinctionem realem, quam euidentiſſimè infert inter perfectionem principiantem, & principiatam, vti omnia argumenta, & probationes aduerſariorum in §. 41. citato ſuadent; quamque firmiſſimè damnat catholica fides. Videantur ibi dicta (ne fruſtra iterum repetantur) & apparebit manifeſtè ex principiatione hac deduci realem diſtinctionem. Quam ſic confirmo; ex parte rei, & verè vna perfectio procedit ab alia; Ergo datur *proceſſio* vera, & *productio* ex parte rei; Ergo *realis* ſicut homo, qui datur ex parte rei eſt *realis*. Productio autem realis iuxta fidem non eſt ſine diſtinctione reali: Si dicas; ideo productio non eſt *realis*, quia non datur realis diſtinctio. Contra ſic committet circulum catholicus, dum ex productione reali probat diſtinctionem realem; ſiquidem non ex productione vtcumque ex parte rei contingente, ſed ex productione termini diſtincti realiter probat contra hereticos ſabellianos diſtinctionem realem Genitoris à Genito. Deinde arguo; quia eò ſolùm vocas hanc productionem *virtualem*, quia caret diſtinctione reali; at in aliis conditionibus, & proprietatibus cum productione verè reali conuenit, nempe in continentia, quòd perfectio principiata contineatur in principiante, quòd *eſſe* illius communicetur ab hac; quòd verè vna ſit prior alia (alioqui quid rogo ponis ex parte obiecti diuerſitatis, ob quam volitio dicatur procedere potiùs virtualiter ab intellectione, quàm è contrà.) tum ſic; ſed hæ conditiones adæquato fundamento ſunt catholicis, vt ex productione in diuinis probent diſtinctionem realem; Ergo ſimiliter in præſenti. Vide §. 42.

98 Tertiò probatur repugnantia virtualis huius principiationis, ſeu prioritatis (quæ ad præſentem ſcopum æquè vrget, vt notaui §. 43.) inter perfectiones identificatas; quia nihil habet ex parte obiecti vna formalitas verbi gratia intellectio, ob quod dicatur *prior virtualiter* volitione non quidem quòd æquiualeat reali prioritati; nam diſcurſus virtualis habet hanc æquiualentiam & tamen in eo non datur principium virtuale, & intentio, quæ ſimul ſit electio, non diuiditur ideo in duas formalitates, quarum vna fluat ab alia; non item quòd intellectio tantùm intenſiuè, & ſimpliciter valeat quantùm ſimultas intellectionis, & volitionis, nam hoc conuenit cuiuis formalitati infinitæ, vt dixi. Non denique ponenda eſt hæc prioritas virtualis in vna formalitate, vel perfectione reſpectu alterius identificatæ realiter, eo quòd non detur mutua ſubſiſtendi conſequentia; nam inter perfectiones neceſſarias, & abſolutas ſemper valet mutua conſequentia; ergo ſine diſtinctione reali nihil datur ex parte rei, ob quod vna perfectio diuina ſit *prior alia*. Ergo prorſus repugnat prioritas ex parte rei & principiatio vti & realis diſtinctio inter perfectiones abſolutas Dei.

Denique Confirmatur, & explicatur repugnantia Prioritatis, & productionis omnis verè contingentis independenter à noſtro modo concipiendi 99
inter formalitates identificatas realiter, verè ex parte rei datur iſta prioritas, quam vocas *virtualem*; Ergo ſicut tua diſtinctio virtualis fundat, & verificat hanc propoſitionem ex parte rei. *Volitio non eſt principium verbi*, Ita fundabit hanc independenter à noſtro modo concipiendi: *volitio fluit, & procedit ab intellectione priori.* Ex quo rurſus Si ſatis intelligi poteſt, & verè, *fluxus*, & *proceſſio* vnius ab alio ſine diſtinctione reali, vt quid titulo oppoſitionis relatiuæ ponitur diſtinctio realis: vbi enim poteſt intelligi fœcunditas, & vera proceſſio ſine diſtinctione, perfectior eſt; nam cæteris paribus melior eſt ſimplicitas, quàm diſtinctio.

SECTIO XII.

Octauum fundamentum contra diſtinctionem virtualem intrinſecam ex ſequela, & repugnantia, vt detur inter qualibet prædicata, & perfectiones diuinas.

Sequela, in qua eſt præcipua difficultas, (repugnantia enim illius maximè, & tenaciter defenditur ab his theologis modernis, cùm ea ſola differant ab Scoto, vt notaui num. 57. & infrà in hac eadem ſect. oſtendetur;) ſequela, inquam, probatur primò: quia omnis perfectio diuina æqualiter identificatur, & includitur in alia abſoluta, loquendo ex parte rei, & independenter à noſtro intellectu; ſed ex diſtinctione hac virtuali intrinſeca manifeſtè ſequitur, quòd aliqua perfectio diuina abſoluta non includitur ex parte rei in alia; *non eſt alia* ex parte rei, & independenter ab intellectu: ergo idem ſequitur de qualibet alia perfectione. Conſequentia patet: & minor in hac propoſitione: *volitio non eſt principium verbi.* Maior ſuadetur; quia quælibet perfectio Dei eſt ſimpliciter ſimplex; Deus ex omni parte ſimpliciſſimus eſt; nullam compoſitionem aut pluralitatem, niſi in relatiuis admittit: *non eſt compoſitus Deus* (verba ſunt S. Bernad. 5. de conſideratione ante medium) *merum ſimplex eſt, & vt liquidò noueris quid ſit ſimplex, dicam idem quod vnum: tam ſimplex Deus, quàm vnus eſt: eſt autem vnus; ſi dici poſſit vniſsimus eſt.* Iam verò ſi cum his componitur diſtinctio quoad aliquam perfectionem abſolutam, cur non quoad omnes? ſi proprietas vnius perfectionis hoc eſt, ſi vt propriè, & ſtrictè appareat vna perfectio in ſua ſpecie, ſi vt rigoroſè accipiatur, quòd *volitio non eſt principium verbi*: volitio diſtinguitur à principio, cur non miſericordia à iuſtitia, vt propriè magis dicatur de miſericordia, quòd *non punit*? Si denique vt cum ſumma vnitate detur varietatis pulchritudo, vna perfectio diuina diſtinguitur ab alia: cur non quælibet ab alia qualibet: quid abſurdi erit, quamlibet Dei perfectionem intra propriam lineam concludere: ſi cum hoc ſtat de excellentia alterius gaudere? 100

Probatur ſecundò eadem ſequela: ſi volitio 101
verbi gratia diſtinguatur virtualiter ab intellectione, ex eo ſequitur, quòd virtualiter diſtinguatur ab attributis omnipotentiæ, Æternitatis, Immenſitatis &c. Ergo ſimiliter poterit quodlibet attributum,

butum, prædicatum, ſeu perfectio Dei diſtingui virtualiter ab alia. Conſequentia probatur nulla enim poteſt aſſignari peculiaris abſurditas, vt *iuſtitia* verbi gratia diſtinguatur à *Miſericordia* : vel omnipotentia ab immenſitate, quàm quòd diſtinguantur iſta attributa à volitione Antecedens ſuadetur. Omnipotentia verbi gratia non diſtinguitur virtualiter intellectione, tum quia theologi aduerſarij non diſtinguunt omnipotentiam, nec alia attributa ab eſſentia; eſſentiam autem in intellectione conſtituunt; tum etiam quia eadem omnino ratio eſt, vt omnipotentia diſtinguatur à quolibet alio attributo ſi ab intellectione virtualiter intrinſecè diſtingueretur tunc ſic; ſed ſi volitio diſtinguitur virtualiter ab intellectione, neceſſe eſt, vt etiam diſtinguatur ab omni eo, quod virtualiter eſt idem cum intellectione, vt ſatis conſtat ex ſect. 7. & ex doctrina aduerſariorum de diſtinctione virtuali quæ vbi non intercedit inter duas formalitates, non dat capacitatem, vt vna poſſit prædicari, & non alia: Ergo ſi intellectio prædicatur diſtincta de volitione, prædicabitur etiam diſtincta omnipotentia, quæ idem virtualiter eſt cum intellectione. Ergo ſi volitio diſtinguitur virtualiter ab intellectione, diſtinguetur etiam virtualiter ab omnipotentia, immenſitate, &c.

102 Hinc iam probatur tertiò iſta ſequela omnipotentia vel immenſitas verbi gratia admiſſa diſtinctione virtuali non eſt idem virtualiter cum volitione, vt conſtat ex §. præced. nec cum intellectione, nec enim eſt, cur potiùs immenſitas cùm ſecundùm ſe ſit diuerſi conceptus, & lineæ, identificetur potiùs virtualiter cum linea intelligendi, quàm volendi; neque enim minùs volitio ſeipſa eſt neceſſitata ad occupandum omnem locum, ſeu vt ſit vbique quàm intellectio diuina; Ergo cùm aliunde nec identificetur ſimul virtualiter cum vtraque formalitate; alioqui ponendæ forent in Deo duæ immenſitates nam vna formalitas immenſitatis indiuiſa virtualiter nequit cum duabus formalitatibus diſtinctis identificari, vt per ſe patet, dicendum eſt, quòd immenſitas diuina in ſe ipſa ſit ex parte rei tertia formalitas; & ſic diſcurrendo de omnipotentia, & aliis perfectionibus diuinis; manifeſtè ſequitur admiſſa diſtinctione virtuali admittendam fore vniuerſaliter inter quamlibet diuinam perfectionem.

103 Nunc repugnantia huius diſtinctionis virtualis inter quaſlibet Dei perfectiones probatur primò ex ipſa doctrina horum theologorum ponentium diſtinctionem virtualem; ita diſtinctio datur inter duas formalitates, quæ negantur de ſe mutuò non quoad omnia, ſed quoad aliqua tantum prædicata ideoque dicuntur admittere contradictionem, quia partim affirmantur, partim negantur vide ſect. 7. Ergo opus eſt quoad aliqua prædicata non negari, ſicut quoad alia; ergo quoad illa prima prædicata non dabitur diſtinctio ex parte rei, vti datur quoad iſta ſecunda, implicat enim, quòd diſtinctio ſit maior, quam negatio. Secundò probatur iſta repugnantia; quia vt expendi ſect. 6. in nullo alio differunt hi theologi moderni ab antiquis Scotiſtis niſi quòd iſti ponant ſuam diſtinctionem inter quaſlibet Dei formalitates, vt quælibet negetur ex parte rei de alia; illi verò theologi non ita ſentiant de quibuſlibet formalitatibus Dei, vide §. 57. Tertiò, vt conſtabit legenti hos Authores theologos recentiores, ſolùm admittenda eſt diſtinctio virtualis inter eas formalitates, in quibus cogit fides admittere capacitatem ad recipienda prædicata contradictoria; fides autem non cogit in omnibus, ſed ſolùm in his quæ deſeruiunt ad explicandam fæcunditatem Trinitatis, vt ait Herice bonus explicator, & defenſor huius diſtinctionis virtualis tract. 2. de voluntate diſput. 12. num. 5. & 6. vnde ipſe ſolùm admittit hanc diſtinctionem inter eſſentiam, & relationem, inter intellectionem, & volitionem; non autem inter alias formalitates, vt inter iuſtitiam & miſericordiam, intellectionem, & eſſentiam, &c.

Vltimò repugnantia huius diſtinctionis virtualis cuiuſlibet perfectionis diuinæ à qualibet probatur. 104 Volitio diuina non diſtinguitur virtualiter ab immenſitate, æternitate (& ſic de aliis attributis) ſeu in nullo vero ſenſu ex parte obiecti poteſt negari immenſitas æternitas de volitione diuina, ſicut iuxta aduerſarios negatur de volitione, quòd ſit principium verbi; ergo non eſt admittenda vniuerſaliter diſtinctio virtualis inter quaſlibet Dei perfectiones: patet conſequentia. Antecedens etiam facilè probatur; nam volitio diuina ſeipſa formaliſſimè repugnat limitari ad locum: ergo eſt immenſa, limitari ad tempus, ſeu poſſe aliquando deficere: ergo eſt æterna ſe ipſa ſine noua formalitate virtualiter diſtincta.

SECTIO XIII.

Nonum fundamentum contra diſtinctionem virtualem intrinſecam ex ſequela & repugnantia, vt vna formalitas cognoſcatur, alia identificata cum prima non cognoſcatur ex parte obiecti ſeu ex natura rei.

SEquela manifeſtiſſima eſt, & ab aduerſariis à fortiori conceditur, qui faciliùs admittunt 105 contradictionem intentionalem, & quoad prædicata extrinſeca, quàm contradictionem phyſicam, & quoad prædicata intrinſeca, vnde plures admittentes in creatis præciſiones obiectiuas, vt vna formalitas cognoſcatur quin alia identificata ſimiliter cognoſcatur ex parte obiecti vehementer auerſantur diſtinctionem virtualem intrinſecam: illamque vt quid ſpecialiſſimum ſolùm Deo attribuunt: reſtat ergo difficultas de ſola repugnantia huius præciſionis obiectiuæ, ſeu ex parte rei.

Repugnantia igitur vt vna formalitas cognoſcatur 106 alia identificata cum prima non cognoſcatur ex parte obiecti, ſeu ex natura rei probatur primò. Eſſe realiter cognitum *formaliter*, ſeu *virtualiter*, & non eſſe realiter cognitum ſic formaliter, (ex parte obiecti loquendo, ſeu ex natura rei) non poſſunt identificari in vnam perfectionem indiuiſibilem realiter; Ergo repugnat quòd vna formalitas cognoſcatur, &c. Conſequentia patet; nam aduerſarij realiter loquendo dicunt vnam formalitatem *eſſe cognitam formaliter*, & aliam non eſſe cognitam ſic. Antecedens 1. probatur quia ly *non eſſe* cùm ſupra ly *realiter* cadat, aliquam realitatem deſtruet, aliquam realem immutationem connotabit: idem enim manens idem non poteſt non facere idem, maximè in genere cauſæ formalis. 2. de *cognito formaliter* dicitur realiter: *non eſt cognitum formaliter*; Ergo aliqua realitas negatur, ſeu aliqua diſtinctio realis imbibitur: diſtinctio enim realis ſequitur negationem realem. Tum ſic

ſed non eſt diſtinctio ex parte formæ cognoſcentis; loquor enim, quando datur eadem ſimpliciſſima cognitio; Ergo datur diſtinctio realis ex parte rei cognitæ. Explicatur; ex cognitione & prima perfectione, ſeu formalitate obiecti reſultat concretum *cogniti formaliter*: ex ſecunda perfectione, & eadem cognitione *non cogniti ſic*; ergo vnum concretum eſt negabile abſolutè, ſeu realiter de alio, & conſequenter diſtinctum; at non eſt diſtinctum, ſeu negabile ex parte cognitionis, quæ eadem eſt, vt poſui; ergo eſt diſtinctum realiter, & abſolutè ex parte formalitatum obiecti.

107 Dices inter gradus ſuperiores, & inferiores creatos dari hanc contradictionem in *cognoſci*, ſeu præciſionem obiectiuam, verbi gratia, vt animalitas in homine cognoſcatur clarè, & formaliter, & non rationalitas, vt patet quando quis videt hominem à longe venientem, de quo ſolùm diſcernit eſſe animal, poteſtque rationem reddere, quòd progreſſiuus ſit, cùm videat deambulantem; non verò quòd ſit rationalis. Et tamen hinc nulla arguitur diſtinctio realis inter animalitatem, & rationalitatem; ergo nulla eſt repugnantia in eo, quòd vna formalitas cognoſcatur, & alia realiter identificata cum prima non cognoſcatur ex parte obiecti.

108 Sed hinc maximè ſecundò probo hanc repugnantiam à me intentam; non poteſt animalitas eſſe omnino idem realiter cum rationalitate, ſi iſta eodem modo ex parte obiecti non ſit cognita; ergo idem dicendum de perfectionibus diuinis. Conſequentia probatur; nam immediata negatio, quæ in creatis dicit diſtinctionem realem, etiam debet dicere eandem diſtinctionem in diuinis; non enim eſt, cur plus valeat ad diſtinctionem oppoſitio relatiua producentis, & producti, quàm contradictoria, quæ eſt oppoſitio omnium maxima (ſi implicat aliquid producere ſeipſum, quantò magis implicabit aliquid non eſſe id ipſum, quod eſt) ergo ſicut immediata productio non minùs in diuinis, quàm in creatis, arguit diſtinctionem realem, ſimiliter dicendum de immediata negatione.

109 *Impugnantur præciſiones obiectiuæ inter gradus ſuperiores, & inferiores.* Antecedens aſſumptum, & intentum in §. præced. nempe cognitionem *animal* non minùs denominare, & cadere ſupra rationalitatem hominis, quàm ſupra animalitatem. Probatur primò à paritate cognitionis, quæ dicat *lapis* ſiue, quæ cognoſcat hominem ſub ratione *lapidis*, ſi iſta cognitio compararetur cum animalitate obiectiua hominis, non minùs cadit ſupra rationalitatem: quid enim poteſt habere diuerſitatis potiùs reſpectu vnius formalitatis obiectiuæ, quàm reſpectu alterius. Ergo ſimiliter ſentiendum eſt de cognitione *animal* ſi enim comparetur cum obiecto exteriori in eſſe rei quid habet ſpeciale hæc imago intentionalis *animal* vt potiùs cadat ſupra vnam, quàm ſupra aliam, quàm ly *lapis*; habet quidem diuerſitatem in modo tendendi intentionali: at vt comparata cum obiecto exteriori ſupra vnam formalitatem potiùs quàm ſupra aliam nil habet præ lapide, ſeu præ cognitione exprimente ly *lapis*. Secundò probatur idem antecedens, nulla denominatio ex parte obiecti, & realiter variari poteſt, niſi varientur partes, ex quibus conſtituitur. Tum ſic: *eſſe cognitam animalitatem formaliter* præciſè conſtituitur ex hac cognitione, & hac animalitate, nihilque aliud eſt formaliſſimè, quam dari hanc cognitionem, & hanc animalitatem, ſeu dari hoc ſubiectum cognitum, & formam cognitionis; ſed ſubiectum ex parte ſui æquè immediatè eſt rationale, ac animal, rurſus cognitio omnino ſimplex & inuariata manet; ergo nec variabitur denominatio vt aliter ſit obiectiuè ad animal, quàm ad rationale.

SECTIO XIV.

Secunda concluſio pro vera ſententia, implicat capacitas ad recipienda prædicata contradictoria ex parte rei, & independenter ab intellectu inter perfectiones diuinas realiter inter ſe identificatas ſine diſtinctione reali mediata, & in tertio.

ET

Prima eius probatio ex diſtinctione reali neceſſariò intercedente inter prædicata contradictoria.

HÆc ſecunda concluſio maximè à me intenta eſt per totam hanc diſputationem, ipſiuſq; probationibus præcipuè innitor, vt diſtinctionem virtualem intrinſecam reiiciam omnemque aliam immediatam, quæ ponatur ex parte obiecti inter perfectiones diuinas (relatiuis inter ſe exceptis) quæque maior ſit, quàm ſolius noſtri modi concipiendi. Pro hac cóncluſione non multos referam Authores; illi enim ex antiquis ſolùm fauet Oxamus 1. diſtinct. 2. quæſt. 1. litt. D, quem tunc ſequutus eſt Gabriel, eius explicans mentem 1. diſt. 2. quæſt. 1. art. 1. notat quattò littera E, & ſequ. nunc autem ſequitur P. Hieronymus Faſol. tom. 3. in 1. part. quæſt. 28. art. 2. à num. 52. eam eruens ex S. Thom. 1. diſt. 34. quæſt. 1. art. 1. ad 2. retractanſque, vt ipſe fatetur, ſententiam oppoſitam, quam docuerat tom. 1. Item graues recentiores licèt pauci, qui generaliter hanc regulam ſtatuunt pro admittenda capacitate ad prædicata contradictoria in formalitatibus, vt ſi hæ non diſtinguantur realiter inter ſe, ſaltem vna illarum identificetur cum aliquo tertio, à quo altera realiter diſtinguatur. 110

Authores qui eam defen: OKam. Gabriel. Hieron. Faſol.

Ex qua regula, quam ego magni facio, vt non friuolis & ſolutione indignis (vt loquitur Ægidius de præſentatione tom. 1. de beatitudine lib. 5. quæſt. 5. art. 4. §. 1. num. 7.) probationibus munitam manifeſte ſequitur nullam poſſe admitti diſtinctionem virtualem intrinſecam inter perfectiones Dei abſolutas, maximè neceſſarias (quæ diſtinctio in re nihil eſt aliud, quàm capacitas ad contradictoria ex parte rei, vt dixi ſect. 1.) ſiquidem manifeſtum eſt nullam perfectionem Dei abſolutam identificari cum aliqua tertia perfectione, à qua alia perfectio abſoluta diſtinguatur realiter; ergo perfectiones abſolutæ non ſunt capaces recipiendi prædicata contradictoria, & conſequenter, nec habebunt diſtinctionem vllam ex parte obiecti maiorem, quàm ſolius rationis, ſeu virtualem intrinſecam. 111

Iam verò regula, & concluſio poſita maximè & principaliter ſuadenda eſt ex diſtinctione reali, quæ neceſſariò intercedit inter prædicata contradictoria. Ex quo ſic arguo primò. Prædicata contradictoria diſtinguuntur realiter; ſed prædicata contradictoria non diſtinguuntur ab his formalitatibus; ergo hæ formalitates, ſeu perfectiones imbibent diſtinctionem realem, non immediatè, & in ſe, vt fides docet in abſolutis, & non eſſe neceſſarium ego oſtendam infrà ſect. 18. Ergo ſaltem intercedet hic diſtinctio realis in tertio ſeu mediata. 112

diata. Hæc ſecunda conſequentia patet; patet etiam prima conſequentia; nam ſi prædicata contradictoria, ſunt omnino idem cum his formalitatibus, quidquid conuenit illis, conueniet & his. Minor propoſitio eſt clara verbi gratia hic loquendo de Perſona Filij: *Filiatio producitur, natura non producitur*; quod ita verum eſt, vt Filiatio nullo modo diſtinguatur à termino productionis; ipſa enim Filiatio in ſe vt formaliter talis producitur, alias non Filiatio; ſed alia tertia formalitas diceretur producta, & ſic procedi poſſit in infinitum. Similiter natura ipſa in ſe eſt improducta. Iam maior propoſitio, diſtinctio ſcilicet realis inter prædicata contradictoria probatur: nam implicat, quòd aliquid non ſit illud idem, quod eſt; alioqui Falſum foret notiſſimum principium *impoſſibile eſt ſimul eſſe, & non eſſe*: At prædicata contradictoria imbibunt formaliter non eſſe illiuſmet, quod res eſt, alioqui nulla eſt contradictio, niſi ſit affirmatio, & negatio circa idemmet; Ergo, &c.

113 Arguo ſecundo ex probatione poſita, vt detur capacitas ad contradictoria ex parte rei, opus eſt vt verificetur identitas, & diſtinctio realis. Sed hoc neceſſariò requirit, quòd vna perfectio identificetur cum aliqua tertia, à qua alia realiter diſtinguatur; ergo capacitas ad contradictoria requirit diſtinctionem realem in tertio inter perfectiones diuinas identificatas realiter inter ſe. Conſequentia patet. Et Minor: nam identitas, & diſtinctio non poteſt dari eiuſdem cum eodem; ſed eo ipſo quòd detur diſtinctio realis vnius rei ab alia, iam in hac alia datur aliquid à quo prima realiter diſtinguitur; ergo cùm aliunde prima res habeat identitatem cum ſecunda, iam hæc ſecunda identificabitur cum tertio realiter diſtincto verbi gratia ſi in Perſona Filij, & de ipſa verificatur identitas, & diſtinctio realis cum Paternitate, vt natura identificetur cum Paternitate, & à Paternitate diſtinguatur realis Filiatio; iam in perſona Filij datur aliquid, ſcilicet Filiatio à qua Paternitas realiter diſtinguitur, & cùm aliunde natura eiuſdem Filij habeat identitatem realem cum eadem Paternitate, conſequenter fit, vt natura identificetur cum tertio realiter diſtincto à Filiatione, quæ realiter eſt idem cum natura. Maior propoſitio, quòd ſcilicet verificetur identitas, & diſtinctio realis, vbi datur capacitas ad contradictoria, probatur; nam datur independenter ab intellectu, & ex parte rei affirmatio, & negatio; vti autem affirmatio dicit identitatem, ita & negatio diſtinctionem, vt conſtat ex ſæpe ſupradictis: cur enim potiùs dicere: *hoc eſt illud* denotabit identitatem, & *hoc non eſt illud* non denotabit diſtinctionem realem? Nonne quia verum eſt ex parte obiecti: *natura eſt Paternitas* æquè colligis identitatem realem, quàm cum dicis: *Filiatio non eſt Paternitas* realem diſtinctionem? Ergo.

Capacitas ad contradictionem imbibit identitatem cum diſtinctione.

114 Ex quo tertiò ſic arguo ex Ochamo loco citato litt. D. §. *Confirmatur iſta ratio*; nam ſi cum omnimoda identitate reali ſtare poſſet capacitas, vt de eadem re duo contradictoria verificarentur independẽter ab intellectu noſtro omnino periret omnis via & argumentum ad probandum aliqua eſſe realiter diſtincta: etenim ratio & argumentum probandi realem diſtinctionem inter aliqua duo ſumitur ex eo, quòd de illis verificentur contradictoria; ergo vel hæc imbibunt diſtinctionem realem vel nullum ſuppetit argumentum probandi hanc diſtinctionem. Confirmatur ex dictis diſput. præced. ſect. 1. negatio contingens à parte rei, & independenter ab intellectu eſt ſignum realis diſtinctionis. Sed in contradictione neceſſariò intercedit negatio; ergo, & diſtinctio realis. Tunc ſic; ſed aliunde contradictio imbibit affirmationem ſeu identitatem; Ergo vt duæ formalitates identificatæ ſint capaces recipiendi prædicata contradictoria opus eſt; vt vna identificetur cum tertio, à quo alia realiter diſtinguitur. Confirmatur ſecundò: via, & ſignum identitatis eſt affirmatio; ergo ſignum diſtinctionis realis eſt negatio; cùm enim diſtinctio ſit contradictorium identitatis, optimè explicabitur per huius negationem: ſi formaliter identitas conſiſtit in *hoc eſt hoc*; ergo deſtruetur identitas; ſeu dabitur diſtinctio per *hoc non eſt hoc*, vel peribit omnis via probandi identitatem vel diſtinctionem duorum conceptuum; ergo in contradictione datur realis identitas, & diſtinctio, ſeu vna formalitas ſeruando identitatem immediatam cum alia; identificatur cum tertio, à quo hæc alia realiter diſtinguitur.

Si contradictio ſtet cum omnimoda identitate nullum reſtaret argumentum ad probandam diſtinctionẽ realem inter aliquas.

Quartò iterum ſic arguo. Prædicatum, quod realiter negatur de ſubiecto, realiter diſtinguitur ab illo; ſed contradictio neceſſariò inuoluit, quòd aliquid negetur realiter & abſolutè, ſeu ſimpliciter de vna formalitate, (quod affirmatur, ſeu identificatur cum alia) ergo imbibit diſtinctionem realem; quòd ſi iſta diſtinctio ſit cum identitate quoad aliam formalitatem, opus eſt, vt non ſit omnimoda, ſed ſolùm in tertio. Conſequentia patet. Maior ſuadetur (ſi fortè ab vllo reiicitur, fortè namque nemini diſplicebit ideo aduerſarij recurrant, vt in diſtinctione virtuali non ſit opus, quòd intellectio verbi gratia negetur de volitione *realiter* ſimpliciter, ſed ſolùm *ſecundum quid*, & *virtualiter*) ſuadetur, inquam, quia implicat effectus formalis ſine cauſa formali. Sed diſtinctio eſt cauſa formalis non eſſendi aliud: ſicut carentia eſt cauſa formalis non eſſendi aliud, & quidem non ſolùm *diſtinctio virtualis*, ſed actualis, & abſolutè, & ſimpliciter talis; tum quia carentia formalis ſimpliciter requiritur *ad non eſſe*; tum etiam quia diſtinctio proportionatur modo non eſſendi aliud. Tunc ſic; ergo implicat non eſſe aliud ſine diſtinctione ab hoc alio vel è contrà ſic argumentum inſtituo; implicat cauſa formalis in abſtracto ſine effectu formali in abſtracto; nam idem prorſus ſunt, ſed *non eſſe* eſt cauſa formalis diſtinguendi, & diſtinctio eſt quaſi effectus formalis in abſtracto; ergo vbi primum inuenitur, etiam ſecundum: Minor probatur; quia formalis, & adæquata ratio deſtruendi aliquid eſt *non eſſe illud*, per quid enim immediatius & formalius deſtruitur *eſſe*, quàm per *non eſſe*; Ergo formalis, & adæquata ratio deſtruendi aliquid in alio vel ab alio (quod eſt diſtinguere) verbi gratia volitionem ab intellectione, erit ſi in intellectione detur *non eſſe volitionem*, vt pateret in prædicato accidentali; formaliſſimè enim deſtruitur album in pariete, quando in hoc non eſt albedo. Et quidem quo aliter tolletur volitio ab intellectione, niſi per *intellectio non eſt volitio*? Si enim per *non eſt* non deſtruitur *eſſe*, & identitas, quo alio modo tolletur, & deficiet? 115

Dices quidquid ſit negatione, vna formalitas realiter identificatur cum alia, dum ibi ſummè communicatur modo explicato à num. 61. in diuinis autem, licèt detur, quòd vna perfectio negetur ſimpliciter de alia, adhuc ipſi communicatur, cùm vtraque infinita ſit. Contra numquàm probabis inter duas formalitates hanc ſummam communica- 116

tionem

tionem, niſi quando *hæc eſt illa*; hinc tu ipſe cùm identitatem realem explicas per hanc ſummam communicationem, rogatus, quando tanta communicatio detur. Reſpondes, quando poteſt dici, *hæc eſt illa*; nam Paternitas, & Filiatio infinitæ ſunt, nec tamen ita ſummè communicantur; ergo quando ex parte rei, & obiecti *hæc non eſt illa*: non dabitur ſumma communicatio; tunc enim formaliſſimè deſtruitur, *hæc eſt illa*, ſine qua iuxta omnes ſumma communicatio, & identitas non datur. Confirmatur ſi vna formalitas ex parte obiecti non communicaretur ſummè alteri, ſeu de illa formalitate negaretur *ſumma communicatio*: implicaret quòd vera perſiſteret hæc propoſitio: intellectio realiter communicatur ſummè; ergo ſi realiter *non eſt volitio*, implicat verum permanere: *intellectio eſt volitio*.

117 Nunc verò probanda eſt minor propoſitio in §. 115. quòd ſcilicet contradictio obiectiua fundet abſolutè, & ſimpliciter negationem. Primò; quia affirmatio eſt abſolutè vera; ergo,& negatio; alias non eſſet vera contradictio. Secundò quia ratione diſtinctionis virtualis ita ponunt contradictionem hanc aduerſarij, ac ſi perfectiones diuinæ realiter diſtinguerentur; hìc autem negatio eſſet abſoluta, & ſimpliciter. Tertiò eo præcisè, quòd vna perfectio, verbi gratia, volitio, verè, & ex parte obiecti non eſſet principium Verbi, ſaltem formaliter; iam realiter, & abſolutè negabitur de volitione identitas formalis. Quartò rogo, eſt-ne idem dicere: *intellectio eſt principium Verbi formaliter*: ac dicere *volitio eſt principium Verbi formaliter* vel non? Si idem; ergo nulla eſt contradictio; ſi autem ſecunda propoſitio eſt falſa; ergo per eam non dicitur idem, & conſequenter negatio abſolutè talis erit vera.

118 Dices, vtraque propoſitio perinde ſe habet, & idem *realiter* eſt, ſed non *formaliter*. Contra; quia loquitur de ipſo *eſſe formali*, & rogo, an ſit idem realiter? ſi autem ly *eſſe formale* eſt æquè idem realiter, hæc propoſitio erit realiter vera: *volitio eſt principium Verbi formaliter* quod ſolum intendimus negantes omnem diſtinctionem virtualem, & contradictionem obiectiuam inter perfectiones diuinas, quæ non imbibunt diſtinctionem realem in tertio. Contra ſecundò; ergo iam vera contradictio, & ſimpliciter talis qua vnum prædicatum affirmatum de vna formalitate negatur ſimpliciter, & abſolutè de alia identificata cum prima dari nequit ſine diſtinctione reali in tertio, ex quo deſtruitur diſtinctio virtualis intrinſeca aduerſariorum, adſtruiturque veritas huius meæ ſecundæ concluſionis, vt amplius conſtabit ex ſect. ſeq.

SECTIO XV.

Secunda probatio neceſſitatis diſtinctionis realis in tertio, ad verificandam contradictionem ex parte obiecti, ex diſtinctione in tertio requiſita ad aliquam contradictionem in perfectionibus diuinis.

119 Hinc ſecundò arguo omnis contradictio ex parte obiecti æqualem arguit diſtinctionem, ſed aliqua contradictio non poteſt verificari, etiam in diuinis, ſine diſtinctione reali in tertio; ergo nulla poteſt. Minor probatur; nam quòd de vna formalitate prædicetur aliquid realiter, & quòd de alia realiter omnino negetur, vt de natura prædicatur *eſſe Filium*, & Paternitate negatur *eſſe Filium*, ſtare non poteſt ſine diſtinctione reali, ita vt hoc non veniat ex qualitate prædicati, ſed ex natura talis contradictionis; quidquid enim ſit de prædicatorum natura; vbi ita realiter verificaretur vnum, & aliud negaretur, æqualis diſtinctio eſſet admittenda. Maior propoſitio etiam probatur; omnis aſſenſus, & diſſenſus æqualiter repugnant: forma, & priuatio, quæ ſunt extrema contradictionis æquè ſe excludunt; ergo & omnis contradictio, quæ actu datur ex parte obiecti, æqualem arguit diſtinctionem. Conſequentia probatur; quia omnis contradictio dicit formam, & priuationem ſeu carentiam formæ; ſicut enim omne, *quod eſt*, eſt ens reale; ita omne, *quod non eſt*, eſt carentia realis. Confirmatur; omnis contradictio tandem reducitur ad negationem realem alicuius prædicati de aliquo, ſi enim vnum affirmatur, & aliud non ita affirmatur ex parte obiecti, ſed potiùs negatur à parte rei; ergo realiter à parte rei non habet fundamentum talis affirmationis ea ratione, & ſub eo prædicato ita accepto; ergo ab illo vt ſic realiter debet diſtingui, hoc patebit perpenſâ doctrinâ, quam poſui num. præcedenti.

Omnis contradictio, quæ talis eſt ex parte rei, æqualem arguit diſtinctionem.

Arguo ſecundò ſi admittatur contradictio, quæ non fundet negationem abſolutè, & ſimpliciter talem, non erit vera contradictio ex parte rei, ſed ſolùm ſecundùm quid, & rationis.: Ergo vera contradictio fundat negationem ſimpliciter, ſed contradictio, quæ fundat negationem ſimpliciter talem neceſſariò imbibit diſtinctionem realem in tertio; ideo enim hæc diſtinctio datur in contradictione poſita §. præced. quia fundat negationem ſimpliciter. Ergo omnis vera contradictio, quæ non ſit ſolius rationis, imbibit diſtinctionem realem. Conſequentia patet, & minor ex ſæpe dictis. Maior probatur; quia talis contradictio minor eſt, quàm ea, quæ verſatur inter naturam, & Paternitatem, verbi gratia, ſiquidem de natura, & Paternitate ſimpliciter dicitur: *Natura eſt Filiatio*, & *Paternitas non eſt Filiatio*; ergo: ſiquidem contradictio, quæ verſatur inter Naturam, & Paternitatem, ſeu relationem eſt omnium minima, quæ componi poſſit cum identitate reali, reſtat, quòd contradictio non fundans negationem ſimpliciter talem, ſit ſolius rationis. Confirmatur; inter naturam, & relationem ſolùm intercedit iuxta aduerſarios titulo contradictionis diſtinctio virtualis intrinſeca; ergo vbi minor eſt contradictio, ſcilicet nondum fundans negationem ſimpliciter, diſtinctio etiam erit minor, & conſequenter ſolius rationis. 120

Dices; materialiter ſe habet ad diſtinctionem virtualem intrinſecam, ſeu ad veritatem contradictionis, quòd contradictio ſit cum negatione ſimpliciter reali, vel ſolùm formali; nam conceptus huius diſtinctionis virtualis intrinſecæ exiſtentis independenter ab intellectu ſtat, dum eadem res recipiat contradictionem ex parte obiecti independenter ab intellectu. Contra, capacitas ad prædicata contradictoria rationis vel realia variat diſtinctionem in realem, & rationis; ergo ſimiliter variabitur diſtinctio, nouaque conſtituenda erit pro contradictione ſimpliciter, ſeu cum negatione ſimpliciter, & ſecundùm quid; vnde vel nouum genus diſtinctionis virtualis intrinſecæ confingendum eſt, vel nulla alia contradictionis diſtinctio ponenda, quæ non dicat realem in tertio. Contra ſecundò, 121

ſecundò quia iam diſtinctio virtualis non æquiualet in ordine ad verificanda contradictoria diſtinctioni reali: realis enim diſtinctio, vbicumque ſit, fundat negationem ſimpliciter.

122 Tertiò hinc arguo ad homines contra hos theologos, qui ita communiter definiunt ſuam diſtinctionem virtualem intrinſecam: *Diſtinctio virtualis eſt, qua duæ formalitates realiter indiſtinctæ perinde ſe habent in ordine ad recipienda contradictoria, ac ſi realiter diſtinguerentur.* Ex quo ſic arguo vel illa prædicata verificantur ſimpliciter, & abſolutè verbi gratia prædicatum negatiuum? vel non? Si primum? Ergo ſequitur diſtinctio realis ex §. 119. Si ſecundum? Ergo non datur æquiualentia rebus realiter diſtinctis; nam in his negatio verificatur realiter, & abſolutè vt patet: explico; formæ virtualiter diſtinctæ ea diſtinctione carent inter ſe, quam verificatio contradictionis, ſeu negationis exigebat; ſed ſi negatio non verificetur abſolutè, & ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid, non petit maiorem diſtinctionem, quàm detur inter eas formalitates; nam ſecundùm quid, & non abſolutè volitio, & intellectio diſtinguuntur & negantur vt conſtat ex dictis; Ergo negatio ſimpliciter, & abſolutè verificatur, & conſequenter cum diſtinctione reali. Maior probatur; quia ſi tantam diſtinctionem habet volitio ab intellectione quantam arguit negatio; ergo non eſt virtualis ſolùm ſed actualis, & formalis; quid enim datur hic æquiualentiæ, ſi commenſurantur, ſicut non dices diſtingui virtualiter ratione animalitatem à rationalitate in homine; quia de animalitate negatur diſcurrere, ſi negatio ſit ſolùm ratione; neque ſi tantùm diſtingueretur eſſentia à relatione, quantùm exigit verificatio contradictionis, ſcilicet quòd communicata natura non communicetur relatio, talis diſtinctio dicetur virtualis, ergo, *&c.*

123 Quartò arguo iuxta hanc ſecundam probationem, ſi vera contradictio ex parte obiecti non requireret realem diſtinctionem in tertio eodem ſenſu, & in eodem rigore quo *natura*, & *relatio* recipiunt contradictoria verbi gratia vt *Filiatio ſit producta*, *natura non ſit producta* eodem, inquam, rigore ex parte obiecti ſtare poſſet contradictio, licèt relatio non diſtingueretur in tertio; nulloque habito reſpectu ad tertium diſtinctum, ſed inſpectis ſolùm *natura*, & *Filiatione* ſecundùm ſe. Tunc ſic, ſed hoc omnino implicat; nam iſta enim contradictio fundat negationem ſimpliciter, & abſolutè, neque enim ſolùm virtualiter, aut formaliter, ſed etiam realiter hæc verificatur: *natura non eſt producta*; non minùs ſtrictè quàm iſta, *natura non eſt incommunicabilis: non eſt diſtincta à Paternitate.* Vera autem & abſoluta negatio ſine reali diſtinctione non datur, vt ſæpe vidimus, & conſequenter contradictio in caſu poſito, in quo natura eſſet ſine diſtinctione reali in tertio. Ergo etiam implicabit omnis vera contradictio. Iam verò ſi contradictio vera non requirat realem diſtinctionem in tertio, poſſe eodem modo contradictionem dari inter naturam, & Filiationem, licèt non diſtinguerentur realiter in tertio dicunt ipſi aduerſarij, dum putant omnino impertinenter ſe habere nunc de facto diſtinctionem realem in tertio, vt verificetur, *natura non eſt producta.* Vnde addunt aduerſarij antecedenter, & independenter ab ea diſtinctione in tertio verificari negationem productionis de natura: adeo vt quamuis natura ſolùm eſſet in vna perſona, quamuis Deus non eſſet trinus, eadem proprietate, & rigore, quomodò de facto

Si non diſtingueretur natura à relatione in tertio non eſſet capax contradictionis.

poſſet dici: *Perſonalitas eſt vnita immediatè; natura non eſt vnita*, vt ſupponit P. Alarcon tract. 5. de Trin. cap. 10. num. 9.

SECTIO XVI.

Tertia probatio ex difficultate contradictionis verificatæ ex parte rei de duabus formalitatibus identificatis non vincenda, niſi per fidem, maiorique difficultate ſine reali diſtinctione in tertio.

Hinc tertiò arguò non ſunt admittenda prædicata contradictoria conuenientia formalitatibus realiter identificatis niſi cogente fide: ſed per fidem ſolùm clarè conſtant inter relationem, & eſſentiam, quæ diſtinguuntur realiter in tertio, negationemque veram, & realem, & conſequenter diſtinctionem verificant; Ergo ſolùm hic ſunt admittenda. Conſequentia patet, & minor ex tota hac diſput. Maior probatur, quia ſicut nulli veniret in mentem myſterium Trinitatis niſi luceret fides, ut conſtabit cum communi Theologorum in tract. de Trinitate; ita neque verificatio contradictionis ſine fide appareret probabilis; etenim ex difficultate contradictionis tota difficultas illius myſterij naſcitur. Quid enim difficultatis eſt, ſi eadem Perſona ſimplex Patris ſit idem ſecundùm eſſentiam cum filio, ſeu ſit Filius ſecundùm eſſentiam, & non ſit Filius ſecundùm Paternitatem; ſi eadem res poteſt eſſe aliud, & non eſſe aliud, vti opus eſt ad veram contradictionem ex parte rei 124

Iam verò maiorem longè difficultatem reperiri in contradictione verificanda ſine reali diſtinctione in tertio ſuadetur. Primò ex oppoſitione producentis veri, & ex parte obiecti neceſſariò ſtatuitur in Trin. diſtinctio realis, vt conſtat ex ſect. 11. At euidentior eſt oppoſitio affirmationis, & negationis, cùm formaliter affirmatio, vti dicit identitatem; ita & negatio dicit diſtinctionem, ſi hæc contingant ex parte rei præciſa omni operatione intellectus; ergo vrgentiùs arguetur diſtinctio realis inter prædicatum affirmatum, & negatum, & conſequenter difficiliùs admittetur vnam formalitatem identificari cum alia, ſi iſta verè à parte rei negatur de illa, vti opus eſt ad contradictionem, negata diſtinctione in tertio: confirmatur; difficilius eſt, quòd eadem res identificet ſecum illud, quod non eſt, quàm quod identificet illud cuius principium eſt; Ergo cùm hoc non admittat fides; iam admittent aduerſarij difficultatem ſupra fidem; imo contra fidem; nam vt bene expendit Gabri l. 1. diſt. 2. quæſt. 1. litt. N. cùm dicitur: *nihil producit ſeipſum, ſed diſtinctum*, poſſet reſponderi iuxta aduerſarios: *nihil produci, niſi diſtinctum virtualiter, licèt realiter ſit idem ſecum.* 125

Difficilius admiſſu eſt capacitas ad contradictionem in eadē re, ſine diſtinctione in tertio.

Secundò hanc maiorem difficultatem verificandi contradictoria de omnino indiſtinctis realiter, etiam in tertio ſuadeo; nam in Trinitate cùm videam iuxta fidem poni naturam in Patre, ibique non eſſe productam, iam conſtat de conceptu *naturæ* non eſſe *produci* rurſus ratione diſtinctionis in tertio ponitur aliqua diuerſitas realis in vna formalitate, quæ non eſt in alia, ob quam diuerſitatem non mirum eſſe incapacem effectus formalis, qui cadit ſupra aliam formalitatem, vt expendi diſput. 14. ſect. 6. Quibus omnibus locus non datur ſine diſtinctione in tertio; Ergo non eſt argumentum 126

mentum ab vna diſtinctione, quam fides docet, ad aliam. Confirmatur iuxta contradictionem virtualem, quam fides docet, prædicatum negatum magis diſtinguitur ab vna formalitate, quàm ipſæ formalitates inter ſe; At niſi detur diſtinctio realis in tertio, æquè diſtinguitur volitio ab intellectione, quàm à prædicato principij *Verbi*, quod negatur, cùm ab vtroque ſolùm virtualiter diſtinguatur; ergo difficilior hic fingitur diſtinctio virtualis.

127 Tertiò hanc maiorem difficultatem ſuadeo; quia admiſſa contradictione hac ſpecialiter fallit forma ſyllogiſtica, quam etiam in myſterio Trinitatis Theologi ſeruare conantur; nam ſi hic ſyllogiſmus fallit *Paternitas eſt hæc Natura: hæc Natura eſt Filiatio; ergo Paternitas eſt Filiatio*; ideo fallit, quia terminus *Natura* non diſtribuitur perfectè; Paternitas enim non identificatur cum omni eo, quod eſt natura, ſeu quod idem eſt, quia medium ſcilicet ly *Natura* non eſt terminus *incommunicabilis*; ergo vbi terminus eſt omnino incommunicabilis, vt *volitio* tenere debet conſequentia hæc: *Intellectio eſt volitio hæc: volitio hæc eſt principium Spiritus-ſancti*; ergo *intellectio eſt principium Spiritus-ſancti*, vel dicendum eſt, quòd ſpecialiter fallit forma ſyllogiſtica in hac contradictione.

128 Dices, ideo in iſta contradictione datur fallacia, quia variatur ſuppoſitio, nam in maiori propoſitione, & minori ſenſus eſt realis; in conſequentia autem fit ſenſus formalis, ac proinde non mirum quòd deficiat conſequentia; quin falſificentur regulæ ſyllogiſticæ. Contra ego in vtraque præmiſſa abſolutè loquor & abſolutè vtraque propoſitio eſt vera; ergo niſi ſpecialiter falleret forma ſyllogiſtica deberet conſequentia abſolutè dicta tenere. Addo, quòd ſi vera datur contradictio ex parte rei, & independenter à noſtro cogitandi modo, etiam in ſenſu reali falſam fore conſequentiam, vt in hoc ſyllogiſmo: Paternitas eſt hæc natura, ſed hæc natura eſt communicabilis; ergo Paternitas eſt communicabilis.

129 Dices ſecundò: Maiorem propoſitionem (in contradictione à me poſita) eſſe falſam, ſicut & conſequentiam nam ex parte obiecti, & ex natura rei loquendo adhuc, *intellectio non eſt volitio* formaliter, licèt ſit realiter volitio, quo ſenſu intellectio etiam *eſt principium Spiritus-ſancti*: negatur tamen ſine addito hæc: *intellectio eſt principium Spiritus-ſancti*, licèt iſta abſolutè non ſit neganda: *intellectio eſt volitio*, quia prima facit ſenſum formalem, vt *intellectus amat*; ob quod iſta negatur, licèt non negetur hæc in ſententia identificante potentias cum anima: *intellectus eſt voluntas*. Sed contra; nam ex ſpeciali capite infinitatis facit contradictio, ne teneat in diuinis conſequentia illa; *ergo Paternitas eſt Filiatio* eodem prorſus modo quo tenet in creatis ſimilis conſequentia; vnde in diuinis recurrendum eſt ad aliquod principium ſupra humanum captum, vt docet latiſſimè P. Didacus Ruiz diſput. 15. de Trinit. ſect. 2. Ergo quia in diuinis in eodem ſenſu tenet veritas maioris præmiſſæ in ſyllogiſmo expoſitorio quo fallit conſequentia; alioqui quid mirum eſſet, nam vel in creatis iſta eſt falſa. *Hic intellectus eſt hæc voluntas, ſed hæc voluntas amat; ergo hic intellectus amat.*

130 Dices tertiò contra hæc omnia admittendam eſſe totam hanc difficultatem, licet maximam, quia quamuis non cogat fides; cogit tamen euidens ratio, qua eſt per ſe notum *volitionem eſſe à cognitione, non è contrà*. Reſpondeo: nulla veritas clarior apparet, quàm repugnantia contradictionis: ergo potiùs illi principio *nil volitum, quin præcognitum* eſt reſiſtendum, quàm huic: & ſicut ſimplicitas Dei, etiam vt naturaliter cognita, vincit diſtinctionem realem, quam iuxta te excitat proceſſus volitionis à cognitione, cur non acrius vincet repugnantia contradictionis de eodem. Præterea vide ſect.

131 Dices vltimò licèt immediatè non cogat fides, nec ſola ratio naturalis, cogit tamen euidenter principium fidei iuxta hanc negationem, quæ verificatur ex parte rei: *Verbum non procedit per voluntatem*. Reſpondeo hoc fides non docet vt dicam ſect. & vt tu interpretaris eam propoſitionem, quòd negatio non ſit realis ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid, & in ſenſu virtuali; Ita ego interpretor ex parte modi concipiendi; non in ſenſu obiectiuo. Adde Theologos, ſicut dicunt Verbum non procedit *per voluntatem*; ita dicere *non procedit per omnipotentiam, nec per alia attributa*. Neque ideo cenſebis omnipotentiam diſtingui virtualiter ab intellectione. Deinde quòd in hac contradictione, quam ponis, negetur de volitione *eſſe principium* Verbi formaliter, & non de intellectione, non debet cauſare diſtinctionem formalem, ſeu virtualem intrinſecam intellectionis à volitione: ſicut quod realiter negetur de Paternitate Filiatio affirmata de Natura, non cauſat diſtinctionem realem Paternitatis à Natura immediatè, ſed ſolùm mediatè & in tertio; ergo intellectio, & volitio ſolùm iuxta te debent diſtingui in tertio virtuali, hoc autem, & inauditum eſt, & impoſſibile; nam iuxta aduerſarios intellectio eſt formaliter, & virtualiter principium Verbi; ergo implicat, quòd intellectio identificetur virtualiter cum volitione, quin ſimiliter cum volitione identificetur ratio principij Verbi, vt dixi §. 74.

SECTIO XVII.

Quarta probatio ex eo, quòd nulla ſit fixa regula ſtatuendi quando admittenda ſit contradictio vera (ſeu diſtinctio virtualis) inter perfectiones diuinas identificatas, niſi per realem in tertio.

132 NAm ſi aſſignas cum Suarez, & antiquis. Primò *meram æquiualentiam* duabus rebus realiter diſtinctis. Ecce animalitas, & rationalitas ſi æquiualent in homine, graduſque vegetatiuus, ſenſitiuus, & rationalis in anima rationali, & tamen in rebus creatis omnino renuunt hi moderni Theologi admittere ſuam diſtinctionem virtualem intrinſecam, attribuentes illam, & omnem contradictionem inter formalitates identificatas, ſpecialiſſimè ſoli Deo vt patet ex P. Herice citato §. 3. vbi hoc ex recent. Theol. ſuppono.

133 Si addas ſecundò tunc formalitates identificatas diſtingui virtualiter intrinſecè, ſeu recipere contradictoria, quando *æquiualent rebus, quæ implicant in creatis identificari*, & ſolo titulo infinitatis identificantur in Deo; vt ſunt volitio libera, & neceſſaria intellectio, & volitio, vt diſcurrit P. Ripalda in manuſcript. de voluntate Dei. Contra eſt primò; intellectio, & volitio poſſunt identificari in creatis iuxta hunc Authorem tom. 1. de ente ſupernat. diſput. 47. num. 9. & tamen iuxta ipſum, & communem

munem aduerſariorum diſtinguuntur virtualiter intrinſecè in Deo: Item cognitio in creatis non poteſt identificari cum ſubſtantia, vt dicam in tract. de Angelis, & tamen nullo modo diſtinguitur ex parte rei in Deo ab eius natura, & ſubſtantia.

134 Si addas tertiò (quæ eſt iam communis explicatio inter aduerſarios) pro regula *æquiualentiam quoad recipienda contradictoria* independenter ab intellectu. Contra primò; vbi non datur diſtinctio realis in tertio, contradictoria, & negatio realiter non verificantur, ſed ſtat hæc contradictio cum perfectiſſima identitate iuxta te; ergo ſine abſurdo poteſt poni hæc diſtinctio, & contradictio inter quælibet attributa diuina; Cur enim ſine imperfectione hanc ex parte obiecti vis eſſe veram: *intellectio non eſt volitio*, & hanc non: *Iuſtitia non eſt miſericordia*. Contra ſecundò hinc: Nam Concilia, & Patres perinde loquuntur de iis proportionibus. *Deus voluntate amat, non intellectu: Verbum per intellectum procedit, non per voluntatem:* Ac de iis, *Per iuſtitiam punit, non per miſericordiam. Per immenſitatem eſt præſens loco, non per æternitatem*, &c. Ergo ſi per veram contradictionem nihil deſtruitur de ſimplicitate, & indiſtinctione reali; nulla reſtat regula, ob quam potius admittatur vera contradictio in propoſitionibus primis, & non in ſecundis. Contra tertiò; ergo contra aduerſarios etiam in creatis poteſt inueniri hæc contradictio ex parte rei; ſi enim ſemel non deſtruit identitatem ſummam, quòd intellectio diuina non ſit volitio; ergo nec deſtruit identitatem finitam animalitas in homine, etiamſi verificetur de ipſa ex parte obiecti, quòd non ſit rationalitas.

135 *Regula præſcripta reiicitur.* Dices primò, contradictio obiectiua, & independenter a noſtro cogitandi modo contingens, ita difficilis eſt, vt non debeat admitti inter formalitates identificatas niſi cogente fide, vel ratione omnino euidente, & hæc ſufficiens erit regula eam limitandi vt detur ſolùm inter intellectionem, & volitionem, verbi gratia, & non inter alia attributa. Contra primò nam ex ſect. præc. pro volitione, & intellectione nec eſt fides, nec ratio. Contra ſecundò; vbi ex fide, vel ratione docemur aliquam proprietatem, vel attributum non nocere perfectioni diuinæ à paritate eam proprietatem vbique adſtruimus, maximè ſi commendet talem perfectionem, nihilque ſpecialis difficultatis afferat. At commendat perfectionem diuinam, ſi ſemel compoſſibilis ſit contradictio cum identitate, quod etiam detur inter iuſtitiam, & miſericordiam; rurſus non eſt ſpecialis difficultas pro his attributis, quam pro intellectione, & volitione; ergo vbique ſine vlla limitationis regula poſſet poni in Deo. Contra tertiò; vel iſta contradictio eſt realis ſimpliciter, vel ſolùm virtualis? Si realis implicat dari ſine diſtinctione reali ſaltem in tertio, vt conſtat ex §. 123. ſi ſolùm virtualis? quod myſterium difficile erit, ſi verificetur de diſtinctis virtualiter: Fateor ſi conueniant duo contradictoria ſine diſtinctione proportionata de eadem re omnino indiſtinctâ, eſſe difficultatem ſupra humanum captum, at conuenire non *realiter*, ſed *virtualiter*, & de diſtinctis, licèt non realiter, ſaltem formaliter; quod myſterium eſt?

136 Dices ſecundò; hoc eſt maximum myſterium (non extendendum, niſi cogente fide) quòd ſcilicet non impediat identitatem realem virtualis diſtinctio, ſeu contradictio ex parte obiecti; ſed contrà, fateor eſſe magnum myſterium, & difficillimum; at ita puto difficile, vt prorſus in terminis implicet, nec poſſit explicari, aut aſſignari, in quo conſiſtat in ea perfectione identitas, ſi verà adhuc datur contradictio, & negatio. Deinde vt ſupra arguebam, quomodocumque explicetur hæc identitas, & contradictio, ſeu diſtinctio virtualis intrinſeca; non eſt, cur ſiquidem quo maior eſt identitas minorem det locum diſtinctioni; ſumma & infinita realis identitas in Deo permittat hanc diſtinctionem, ſeu contradictionem, & non potiùs identitas finita creaturæ?

Dices tertiò hanc diſtinctionem eſſe Dei propriiſſimam; ſolùm ipſi conuenientem titulo infinitæ perfectionis, vti ſoli ipſi conuenit vnitas in eſſentia cum Trinitate Perſonarum; ſeu diſtinctio realis in tertio cum ſumma identitate immediata: Quare ſicut iuxta me deſtruit identitatem creatam identificari cum tertio diſtincto; non tamen deſtruit diuinam, ita ſimiliter. Reſpondeo, ſaltem negatio obiectiua in diuinis deſtruit identitatem realem, nec eſt alius modus non eſſendi ex parte rei, niſi per diſtinctionem realem; hinc quia verè dicitur ex parte obiecti: *Paternitas non eſt Filiatio*, ſcimus hanc negationem eſſe realem, & per illam deſtrui realem identitatem. Vnde arguo non eſſe titulum ob quem in identitate reali finita non inueniatur iſte modus negationis, qui realis non ſit, licèt obiectiuus, & independenter ab intellectu, ſi inuenitur iuxta te in diuinis, vbi identitas maior eſt. Quòd ſi aliquid ſpeciale datur in Deo; eſt purum Trinitatis myſterium, hoc enim, & non aliud eſt tota diſtinctio in tertio, myſterium autem iſtud, ideo non inuenitur in creatis, quia creata perfectio finita eſt, non patiens cum identitate veram diſtinctionem; ſi autem tua diſtinctio virtualis vera non eſt, neque eſſet vnde identitati creaturæ repugnaret. 137

Negatio ex natura rei eueniens æquè in Deo, ac in creatura deſtruit identitatem.

Secus diſtinctio realis in tertio.

Diſtinctio realis in tertio formaliſſimè componitur à fide cum identitate, ſecus negatio ex parte obiecti.

SECTIO XVIII.

Tertia concluſio pro verà ſententia, ſufficit diſtinctio realis mediata, & in tertio ad verificanda prædicata contradictoria ex parte rei, & independenter ab intellectu de perfectionibus diuinis, immediatè inter ſe realiter & formaliter ex natura rei identificatis.

SVpponit hæc concluſio, quòd præcipuum eſt, ſi non vnicum contrariæ ſententiæ fundamentum verificari ex parte rei, & obiecti loquendo præciſa omni operatione noſtri intellectus prædicata contradictoria de formalitatibus diuinis realiter identificatis, quam veritatem puto in te à nullo viro Catholico negandam; Quis enim negabit eſſentiam, & Paternitatem eſſe eandem rem? vt definit Concil. Lateran. in cap. damnamus de ſumma Trinit. & tamen *Eſſentia eſt Filiatio: Paternitas non eſt Filiatio.* Item, *Paternitas generat: Natura, ſeu eſſentia non generat.* Iam verò quid aliud eſt contradictio, quàm affirmatio, & negatio eiuſdem prædicati de eadem re? Confirmatur implicatorium prorſus eſt contradictionemque implicans, quòd ex natura rei, & ex parte obiecti loquendo in homine animalitas producat ſenſationem, & eam non producat rationalitas, nec identicè. At *eſſentia non generat*, ſeu 138

Paternitas non eſt filiatio nec identicè; cùm tamen eſſentia ſit filiatio,& Paternitas generet; Ergo hic ex parte obiecti dantur prædicata contradictoria: dixi *contradictoria* ſecundùm ſe loquendo, & ſecundùm regulas oppoſitionis contradictoriæ, quæ eſt affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem; non quia putem etiam in diuinis eſſe iſta prædicata propoſita contradictoria, ſeu repugnantia & incompoſſibilia, ſi quidem bene componuntur, & verificantur in Deo, vt vidimus.

139 Dices, licèt propoſitiones, & prædicata dicta conueniant Deo à parte rei,& realiter, neutiquam tamen dicendum, quòd contradictoria conueniant Deo, nam vt detur contradictio, requiritur, quòd affirmatio, & negatio non ſolùm ſint de eadem re realiter, ſed etiam *ſecundùm idem* ratione noſtra; ita enim definitur contradictionis oppoſitio: *Affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem ſecundùm idem* vnde vbi affirmatio, & negatio non eſt, nec cadit ſupra eundem terminum, contradictio non eſt. Iam verò terminus non ſolùm diuerſus eſt ob diuerſitatem realem;ſed etiam rationis: At non ſunt termini ſynonimi, ſed diuerſi eſſentia, & Paternitas (non ſolùm ex parte vocis, & conceptus formalis; ſic enim, & ſynonimi ſunt realiter diuerſi, ſed loquendo de terminis obiectiuis ex parte rei.) Ergo non erit contradictio ſi prædicatum affirmatum de eſſentia negetur de Paternitate, licèt à parte rei ſint idem. Confirmatur, de diſtinctis, vt diſtinctis, non eſt abſurdum nec contradictio enunciari affirmationem & negationem: At dum dicimus *eſſentia eſt Filiatio: Paternitas non eſt Filiatio* has formalitates vt diſtinctas concipimus, imo formaliter ratione diſtinguimus, ergo. Neque obſtat, quòd contradictio ſit ſecundùm rem, & ex parte rei, nam licèt ſit à parte rei ſecundùm rem ſignificatam, quia nempe à parte rei verè datur res, quæ eſt Filiatio & non eſt Filiatio at non eſt à parte rei ſecundùm modum ſignificandi, quo apprehendimus: *Eſſentia* præciſè;nam eſſentia præciſè non datur à parte rei; vnde neceſſariò quando de illa loquimur vt ſic inuoluimus aliquid rationis, & noſtri modi concipiendi, quare non eſt opus, vt ex parte rei detur diſtinctio, vt contradictio vitetur; ſed ſufficit diſtinctio rationis, & ex modo noſtro concipiendi. Si autem loqui velimus de re, ſeu ex parte rei ſecundùm obiectum ſignificatum,& modum ſignificandi, ſic concipiendum eſt: *hæc res*; *hæc entitas*, quo pacto bene affirmatur: *Generat. eſt Filiatio*;ſed non bene negatur quia negatio totum deſtruit; & cum verè illa res Patris ſit Filiatio, falſò dices ſignando hanc rem:*non eſt Filiatio* ita diſcurrunt Thomiſtæ communiter, & ex noſtris Vaſquez 1. part.diſput.120. cap.6. Alarcon tract. 5. de Trinit.diſp.2.cap.10.n.11. Ruiz de Trinit.diſp.18. ſect.8. Faſol.tom.1. in 1. part. quæſt. 4art.2.n.103.

Explicatio. & excuſatio aliquorum. ne dentur in Deo prædicata contradictoria.

Vaſquez. Alarcon. Ruiz. Faſolus.

140 Hæc tamen ſolutio, & excuſatio contradictionis per puram diſtinctionem rationis toleranda nullo modo eſt. Quo enim pacto poteſt tutò negari ſignando Patrem: *Hæc res ſecundum ſe totam non communicatur*: ſeu hæc *res diſtinguitur*:& rurſus *hæc res identificatur*. Si diſplicet vti negatione; has autem propoſitiones quilibet iudicabit contradictorias, licèt videantur affirmare, vti iſtas *exiſtit lux exiſtunt tenebræ*. Deinde ſic arguo 1. *eſſe Filiationem*, & *non eſſe Filiationẽ* exercentur à parte rei in entitate Patris; Pater enim *non eſt Filius*: nunc rogo exercentur, ſeu verificantur hæc prædicata dicunturque de eſſentia, & Paternitate, vt de formalitatibus inter ſe realiter diſtinctis? nequaquam; Ergo eadem admittit hanc contradictionem; Ergo ſimul eſt, & non eſt. Explicatur *Pater* in reipſa (independenter à noſtris conceptibus) *non eſt Filius*: rurſus aliquid quod eſt idem realiter cum Patre, eſt Filius, vt fides docet de eſſentia. Ergo de iis, quæ ſunt idem ex parte rei, contradictoria dicuntur. 2. Sic arguo de Patre, & Filio abſolutè loquendo dicuntur contradictoria independenter à noſtris conceptibus; Nam omnes duæ res abſolutè poſſunt recipere prædicata contradictoriè oppoſita à parte rei; imo per hoc conſtituuntur diſtinctæ per prædicationis contradictionem: vnde vti in creatis veriſſimè dicitur de Petro, & Paulo; ita in diuinis. *Pater generat*: *Filius non generat Pater eſt Pater*: *Filius non eſt Pater* idque non dicitur de Patre vt ſubeſt noſtris conceptibus, ſed de illo in ſe vti dici poteſt de Petro, quòd generet, non generante Paulo. Nunc rogo; vel hæc negatio, & affirmatio verificatur de eſſentia? vel non? Si primum? Ecce contradictoria. Si ſecundum, ideo eſt, quia falſificatur: *non eſt Pater*; ergo cum hoc verificetur de aliquo indiſtinctio ab eſſentia, ſcilicet Filio: hinc rurſus vera eſt contradictio de eodem independenter à noſtris conceptibus. Sic in hac: *Filius eſt homo*: *Pater non eſt homo*, independenter à noſtris conceptibus, ſi deitas eſt homo contradicit Paternitati, ſi non eſt homo contradictio adhuc datur de eadem re in filio. Tertiò in eundem ſcopum iterum arguo, loquendo in ſenſu reali, & identico independenter à noſtris conceptibus. *Quæ ſunt realiter in vno tertio, non ſunt ita realiter inter ſe*; Ergo ſimiliter à parte rei identitas cum extremo *A* quæ prædicatur de tertio *B* non prædicatur de extremo *C* licèt hoc idem omnino ſit ac tertium *B*. Ergo ſimiliter non eſt, cur potiùs independenter à noſtris conceptibus implicet verificari contradictoria in diuinis de eodem in re. Conſequentia iſta patet, tum quia tam clarum eſt hoc principium: *Quæ ſunt eadem in vno tertio*,&c. ac iſtud aliud: *de eodem non contingit contradictoria prædicari*, ſeu non poteſt idem ſimul eſſe, & non eſſe; tum etiam quia ex primo ſequitur ſecundum. Denique vrgentiſſimè arguo; quia in creatis datur hic diſtinctio rationis,& nihilominus ſemper ſunt repugnantes, & contradictoriæ illæ propoſitiones,vt prorſus implicet quòd detur aliquid ſimile Trinitatis myſterio, vt vnum identificetur cum pluribus, vt eadem res ſimplex realiter identificetur ſecundùm vnam formalitatem,& diſtinguatur ſecundùm aliã;ergo,*&c.*

Impugnantur.

Ideo dicunt ſecundò Scotiſtæ affirmationem, & negationem nunquam verificari in Deo eiuſdem ſecundùm idem ex natura rei, eſt enim (inquit) Mayronius 1.diſt.8.quæſt.3. litt.P. contra primum & notiſſimum Principium complexum; quòd *non poteſt aliquid ſimul eſſe, & non eſſe*; quod vniuerſaliter procedit de omni ente tam creato, quàm increato; generaliter enim dicitur: *Quodlibet eſt vel non eſt*, vbi ſub ly *Quodlibet* omne ens includitur; ergo non licet excipere increatum. Secundò ſi de Deo ſtare poſſent ſimul contradictoria vera, nil firmè de ipſo determinatè demonſtraretur, ſiquidem licèt eſſet immenſus verbi gratia poſſet ſimul non eſſe immenſus. Denique non minùs repugnant ex terminis contradictoria dici ſimul de eadem re, quàm producere ſeipſam, ſeu eſſe ſimul producentem, & productam reſpectu ſuiipſius. Sed hi termini implicant dici ſimul de eodem ex natura rei;ergo & contradictoria. Vnde maximè mouentur Scotiſtæ,vt notaui diſp. præc.ſect. 111. in fine, vt eſſentia,& Paternitas diſtinguantur ex natura rei. 141

Nihilominus

142 Nihilominus mihi firmiſſimum eſt, vt ſatis conſtat ex dictis diſp. præced. ſect. 4. Paternitatem, & eſſentiam eſſe omnino eandem rem, vt miter contrarium poſſe ab aliquo negari, cùm toties dicant Concilia dari vnitatem in eſſentia, & Trinitatem ſolùm in perſonis, & conſequenter ſublata multitudine Perſonarum, conſideratoque ſolo Patre, in illo nullum numerum à parte rei reperiri; aliàs daretur *quaternitas* quam ſpecialiter damnat Conc. Lateranenſe relatum in cap. damnamus de ſumma Trinit. ibi: *Nos autem ſacro approbante Concilio credimus, & confitemur cum Petro Lombardo, quòd vna quadam ſumma res eſt, incomprehenſibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius & Spiritus ſanctus; tres ſimul perſonæ, ac ſigillatim qualibet earundem, & ideo in Deo ſolummodo Trinitas eſt, non quaternitas: quia qualibet trium perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſeu natura diuina.* Ex quibus patet in ſolo Patre non dari duas formalitates realiter diſtinctas, nam quidquid ſit, quòd non diſtinguantur vt producens, & Productum, verè ponerent in numero, & facerent dualitatem; ſicut iuxta Scotiſtas, licèt Spititus ſanctus non produceretur à Filio, adhuc multiplicaret numerum cum illo; & materia prima, & forma verè faciunt dualitatem, quamuis nec vt duo ſuppoſita, vel vt producentia diſtinguantur; *numerus* namque non ſumitur, nec attenditur, ſi loquamur de numero vt ſic, abſtrahendo à materia, quòd ſit Producentium, vel ſuppoſitorum, ſed quòd ſit *diſtinctorum*; vnde ſicut diſtincta Producentia vel ſuppoſita faciunt numerum *Producentium*, & *ſuppoſitorum* ita diſtinctio vt ſic ſi contingat ex natura rei efficiet *numerum* vt ſic. Iam verò Concilium Lateran. non ſolùm damnat quaternitatem ſuppoſitorum, ſeu producentium, clarum namque erat; *eſſentiam* per ſe non eſſe nouum ſuppoſitum nec Producens, ſed quomodocumque fingatur, quòd eſſentia auget numerum ternarium, contra fidem Concilij fingitur. Deinde mihi maximè hanc veritatem commendat ipſa difficultas myſterij Trinitatis. Si eſſentia ex natura rei non eſt Paternitas, quid mirum ſi illa ſit in Filio, Paternitas verò non ſit in Filio? Neque eſſentia generet, licèt Paternitas generet? Ecce ſine myſterio in homine *Anima diſcurrit*, materia prima *non diſcurrit*, hæc eſt in Cadauere, Anima non inuenitur in cadauere. Ergo cùm fatendum ſit Trinitatis myſterium eſſe omnino ſupra omnem naturalem rationem, & experientiam, adſtuenda eſt omnimoda identitas ex natura rei inter eſſentiam & Paternitatem; aliàs
141 eſſentia erit quaſi quid per meram coniunctionem ad plura ſuppoſita, commune vti materia prima. Denique in rebus creatis datur iuxta Scotiſtas hæc diſtinctio ex natura rei: ex qua ſic arguo; vel ob illam datur contradictio in creatis, quæ in Trinitate, vel non? Si datur? quod myſterium ſpeciale erit in Trinitate? Si non datur? Ergo quia nondum vincitur contradictio ob diſtinctionem ex natura rei. Si ergo infinitas nil iuuat ad petmittendam contradictionem, eadem ratione neganda erit in Deo, quod eſt contra propoſitiones ex fide poſitas.

Numerus vnde ſumatur.

143 *Non poteſt dari affirmatio, & negatio eiuſdem etiam indiuiſibilis in tertio, bene tamen ſi in tertio diuiſionem habeat.*

Ad rationes oppoſitas §. 141. dico affirmationem, & negationem nunquam poſſe verificari *eiuſdem* etiam indiuiſibilis in tertio; bene tamen de *eadem re*, dum in tertio habeat diſtinctionem: primum implicat quidem in terminis, & eſt contra ipſum lumen rationis, vt verè ex parte rei aliquid realiter non ſit id, quod eſt, vti eueniret ſi perfectio A, de qua verificatur affirmatio, & negatio perfectionis B, nil haberet diſtinctum à perfectione B, Sic enim negaretur B. de A. Quin aliquid diuerſitatis poneretur in A. eo quòd affirmetur B. potiùs, quàm negetur, imo nil eſſet fundamenti, nec veritatis obiectiuæ, titulo cuius perfectio B. negaretur; ſi enim omnino B. eſt A. & è conuerſo quid quæſo hìc ſignificas quando negas B. de A. Iam verò quando datur diſtinctio in tertio, licèt hæc ipſa diſtinctio ſit ſupra naturale lumen; in creatiſque non reperiatur: At in terminis non implicat, ſed aliquid obiectiuè ſignificatur per affirmationem, & negationem cadentem ſupra eandem rem denotatur enim, quòd eadem res natura ſit Filiatio, & ſit Paternitas, quæ non eſt Filiatio: Aliquid diuerſitatis pono in re potiùs, quando nego, quàm quando affirmo, neque idem ipſum, quod per affirmationem adſtruxi, per negationem deſtruo; ſed affirmatio veram identitatem ſignificat, negatio veram diſtinctionem, vt verè in Filio detur natura identificata, & rurſus verè Paternitas diſtinctionem habeat à Filiatione de qua negatur, licèt id mirabile ſit quod adhuc cum eadem natura Filij identitatem ſeruet vt explicui diſput. 14. §. 58. & iterum dicam pro ſolutione noni argumenti in §. 25. hìc.

144 *Contradictio quæ verificatur in Deo non eſt contra illud principium: Quodlibet eſt vel non eſt.*

Ex qua doctrina ſingillatim ſolutio patet ad rationes Maironij in §. 141. ad primam reſpondeo contradictonem, quæ verificatur in Deo, non eſſe contra illud principium: *quodlibet eſt, vel non eſt* ſeu *impoſſibile eſt aliquid ſimul eſſe, & non eſſe*; nam vt conſtat ex §. præced. iam ſtat diſtinctio, & conſequenter non identitas, nec affirmatio illius, quod negatur, cùm Paternitas, de qua negatur Filiatio, ita ab hac diſtinguatur, vt nequeat Filiatio negata de Paternitate affirmari; & in hoc ſenſu ly *Quodlibet* ſupponit vniuerſaliter tam in creaturis, quàm in Deo, licèt in Deo aliquod, quod eſt idem cum hoc *Quodlibet* habeat eſſe idem cum formalitate, quæ eſt ſubiectum negationis. Ad 2. per huius generis contradictionem poſſibilem non obſtruitur via demonſtrationis determinatæ; ſiquidem adhuc ſtat fixum debere dari ex parte rei aliquid, dum verificatur negatio, quod non ſit idem cum termino negato; vti quia negatur de Paternitate Filiatio, iam ponitur ex parte rei aliquid, ſcilicet ipſa Paternitas, quæ non eſt idem cum Filiatione; & ſimiliter quia affirmatur de natura Filiatio, ponitur ex parte rei terminus aliquis, de quo nequeat Filiatio negari; Vnde eo ipſo quòd Deus probetur *immenſus*, iam dandus eſt aliquis terminus, de quo nequeat negari immenſum eſſe, ſed determinatè, & vnicè immenſus ſit: & ſic ſtat vt nuper dixi: *quodlibet eſt vel non eſt.* Ad 3. Imprimis vt ſæpe dixi hæc contradictio non tollit realem diſtinctionem ſubiecti à termino negato, deinde contra ipſos Scotiſtas. *Productio* non ſolùm dicit diſtinctionem formalem, ſed etiam realem à termino *producto*; vnde niſi de diſtinctis realiter nequit dici *Producens*, & *productum*; & tamen contradictoria dicuntur de eadem re *realiter*. Denique fateor hoc eſſe ſpeciale inter *producens*, & *productum* quòd horum terminorum verificationi non ſufficiat diſtinctio realis in tertio, ſicut ſufficit contradictioni; neque natura dicitur *Producens*, quantumuis diſtinguatur in tertio à Filio; ſicut dicitur *improducta* diſcrimen eſt, vt de eadem re dicatur *eſt producta*: *non eſt producta*; Secus *eſt producta*: *eſt producens*: Quia ly *producens* ſeu *producit* exercitè immediatè refertur, vt ad ſuum correlatiuum, ad terminum

Cur de eadem re poſſint dici contradictoria prædicata nō verò Producens: & Productum.

productum, & conſequenter *diſtinctum* immediatè, nam productio eſt diſtinctio, ſicut negatio, vnde ſicut hæc diſtinguit terminum negatum à ſubiecto, de quo negatur, ita & à ſubiecto à quo producitur; ergo eo ipſo quòd natura non distinguatur à termino producto, iam non poteſt dici exercitè: *eſt producens*: Poteſt tamen dici: *non eſt producta*, quia ly *non* non facit correlationem, & conſequenter nec diſtinctionem à termino producto vtcumque, Natura enim eſt Filiatio producta, ſed ſolùm negat de Natura carere identitate cum producente, ſolùm facit correlationem ad negandam excluſionem Paternitatis producentis à Natura, quæ excluſio à Natura diſtinguitur: Nam Natura non eſt excluſa, ſeu diſtincta à Paternitate: Vnde potiùs ſicut terminus negatus diſtinguitur à ſubiecto, de quo negatur, ita terminus productus diſtingui debet à ſubiecto à quo producitur: & hinc Natura identificata cum termino *producto* nequit dici *producens* illius; dicitur tamen *non producta*, quia ſicut identificatio cum *producto* tollit ab ipſa eſſe *producentem*; ita identificatio cum *producente* tollet eſſe *productam*: & conſequenter dicitur: *non producta*, id eſt, *non diſtincta à producente*: ſicut etiam dicitur, *non producens*, id eſt, *non diſtincta à producto*.

145 *Diſtinctio in tertio ſufficit verificandis contradictoriis.* Suppoſita iam veritate, de qua in §§. antecedentibus, quòd neceſſariò admittenda ſint in Deo de eadem re indiuiſibili prædicata oppoſita, probanda eſt hæc tertia concluſio promiſſa in hac ſectione, nempe ad verificationem horum prædicatorum ſufficere diſtinctionem realem in tertio, quantumuis formalitates ſic diſtinctæ mediatè, & in tertio inter ſe realiter, & formaliter, omnique modo ex natura rei ſint immediatè identificatæ. Probatur, inquam, primò, vt de aliquibus formalitatibus verificentur contradictoria ſufficit, quòd in vna detur aliqua realis diuerſitas, quæ non datur in alia; ſed hoc contingit per hanc diſtinctionem in tertio; Ergo hæc præcisè ſufficit ad verificanda contradictoria. Conſequentia patet, & minor; nam ſi formalitas A identificatur cum tertio, cum quo non identificatur B, iam in A. datur realiter hoc tertium ſpecialiter, & conſequenter datur realis diuerſitas. Maior etiam videtur per ſe nota; nam eo ipſo talis diuerſitas erit affirmabilis de A, & non de B. iam quoad identificationem cum hoc tertio verificantur contradictoria, ſeu affirmatio, & negatio realis illius. Probatio iſta tam manifeſta eſt, ſi in genere loquamur de aliqua contradictione, vt ſic, vt poſitio ipſa diſtinctionis realis in tertio ſit ipſiſſima verificatio contradictionis. Quare nullus erit qui dubitet ſemel poſitam diſtinctionem realem in tertio ſufficere ad verificandam aliquam contradictionem.

146 Cæterùm duplici titulo videtur inſufficiens pura diſtinctio realis in tertio ad verificanda prædicata oppoſita; Primò quia non datur vnquam diſtinctio iſta realis in tertio iſta pura, quin ſimul ſit immediata inter ipſas formalitates A, & B, niſi enim aliud ſit A, non poteſt concipi, ne dum euenire ex natura rei; vt potiùs identificetur ipſa cum tertio C. & non identificetur cum hoc formalitas B. Secundò quidquid de hoc ſit, & de hac contradictione, deſcendendo tamen ad ſpecialia alia, quæ admittimus in diuinis, verbi gratia, *eſſe productam*; *non eſſe productam* eandem rem in Filio: & ſimiliter in Patre *eſſe producentem* Paternitatem, & *non eſſe producentem* Naturam, ſimiliterque de aliis *eſſe communicabilem*, *non eſſe communicabilem*, &c. non apparet ad has propoſitiones, quo modo conducat, & ſufficiat iſta diſtinctio realis in tertio.

Sed imprimis, quòd poſſit inueniri diſtinctio in tertiò realiter loquendo ea proprietate, & rigore, quo non inuenitur immediata eſt ni fallor maniſeſtiſſimum iuxta principia fidei; Nam Paternitas, & Natura neutiquam realiter diſtinguuntur inter ſe, cùm tamen realiter diſtinguantur in tertio, eſt nempe Natura realiter identificata cum Filio, à quo realiter Paternitas diſtinguitur, & quidem quid aliud intendimus, quando negamus tenere in Trinitate hoc principium: *Quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe*: Ergo loquendo in ſenſu reali admittenda eſt diſtinctio pure in tertio, & mediata, quæ ſimilem diſtinctionem immediatam neget. Hinc ergo à paritate volo negandam omnem veram diſtinctionem immediatam, ſi enim ſemel negatur *realis*, quam diſtinctio in tertio exigebat, omnis alia inutilis erit; & certè requiſitam non eſſe patebit ex ſeqq. vbi per ſolam diſtinctionem in tertio ſaluabimus omnem contradictionem; Aliunde non opus eſſe ad ſaluandam diſtinctionem in tertio, quod admittatur diſtinctio vlla immediata ex natura rei patebit ex ſolutione ad 9. argumentum poſitum in §. 25. ſed iam veniamus ad ſpeciales contradictiones vt appareat ad omnes ſufficere diſtinctionem in tertio. 147 *Diſtinctio in tertio iuxta principia fidei datur inter formalitates identificatas immediatè.*

Secundò, ergo ſic probo concluſionem poſitam in hac ſect. 18. Ad verificandas has propoſitiones: *Paternitas generat: Natura non generat*; ſeu Paternitas eſt producens: Natura non eſt producens: ſufficit diſtinctio realis in tertio; ergo omnino eſt ſufficiens ad prædicata oppoſita, quæ in diuinis dicuntur, hæc ſola diſtinctio in tertio. Conſequentia patet; tum quia doctrina ponenda pro probatione antecedentis proportionatè applicari poteſt aliis contradictoriis prædicatis; tum etiam patet à paritate; non enim eſt ſpecialis ratio potiùs in aliis prædicatis, quàm in his. Antecedens igitur vt probetur, ſuppono primò eſſentiam non generare, nec generari, vti expreſsè docet Innoc. III. in cap. *damnamus* contra Abbatem Ioachimum; vnde hanc propoſitionem *eſſentia non generat* eſſe de fide defendunt Canarienſis 1. part. quæſt. 39. art. 5. colum. 2. Vaſquez initio Commentarij, & Suarez lib. 6. de Trinitate, cap. 7. num. 10. quod adeo verum eſt, vt eſſentia neque per accidens dicenda ſit *generans* etiam prout in Patre, patet ex D. Thoma 1. part. quæſt. 39. art. 5. ad 2. & latè tuetur P. Didacus Ruiz ibi diſput. 80. ſect. 5. num. 9. ſuppono rurſus ſecundò hanc veritatem, quòd eſſentia *non generet* ideo definitam, quia *eſſentia* non diſtinguitur à termino genito, & proportionatè ideo *non generari* quia non diſtinguitur à generante, id patet quia hac ratione vtitur Innocentius III. in cap. *damnamus*, omnes Theologi antiqui cum Magiſtro 1. diſt. 5. per totam (præter vnum Holchot in ſuis determinat. quæſt. 10. ad dub. 4. qui ideo vt ſcandaloſus, & temerarius damnatur à P. Molina 1. part. quæſt. 39. art. 5. & alij innumeri apud Didacum Ruiz diſput. 80. de Trinit. ſect. 3. num. 5. quibus ſuppoſitis. 148 *Sufficit verificationi producentis, & non producentis.* *Eſſentia nec generat, nec generatur etiam per accidens.*

Sic euidenter oſtenditur diſtinctionem realem in tertio ſufficere illi contradictioni, vt eſſentia non generet, quamuis generet Paternitas. Nam identitas cum Filio, ſeu *genito* eſt formaliſſimè diſtingui in tertio à Paternitate, ſeu identificari cum tertio diſtincto, ſed hæc identitas facit, ne eſſentia generet, vt vidimus §. præced. Ergo diſtingui in

qui in tertio ſufficit contradictioni. Confirmatur; *Generans* non ſubſtantiuè, ſed adiectiuè, & exercitè acceptum ſignificat ſubiectum, de quo dicitur, eſſe realiter diſtinctum à termino generato, & producto; nihil enim manifeſtius, quam nil poſſe ſeipſum, ſeu aliquid aliud identificatum ſecum producere: Sed diſtinctio in tertio facit Paternitatem eſſe realiter diſtinctam à termino generato, à quo non diſtinguitur eſſentia, licèt cum Patre identificata: Ergo diſtinctio in tertio dat Capacitatem vt Paternitas generet, licèt eſſentia non generet. Confirmatur ſecundò ſtante eadem communicatione formæ, ſeu quantumuis ſtet eadem forma æquè communicata, & identificata duobus in abſtracto, & ſubſtantiuè, poteſt adhuc non communicari æqualiter adiectiuè, & concretè, ſeu non communicare æqualiter ſuum effectum formalem ob diuerſitatem ſubiectorum, ſic ſanctitas verbi æque communicatur corpori, & Animæ Chriſti, & tamen hanc ſolùm denominat *amicam*, non tamen corpus; Intellectio æquè vnita lapidi, ac modo vnitur intellectui, adhuc lapidem non denominaret *intelligentem* ſicut denominat intellectiuam potentiam. Rurſus ſicut ſanctitas, vel Amor increatus identificatur cum Deo; ita & amor creatus identificatur cum qualitate amatoria; & tamen hæc non redditur *Amans* ab amore ſecum identificato ſicut Deus *Amans* redditur, quæ diuerſitas in his, & in ſexcentis alijs ſolùm euenit ex diuerſitate ſubiecti, vt dixi diſput. 14. §. 52. Tunc ſic; ſed identitas cum tertio diſtincto (in qua formaliſſimè conſiſtit diſtinctio, quam in tertio vocamus) dat diuerſitatem realem eſſentiæ, qua redditur ſubiectum diuerſæ & incapacis conditionis, vt ſit adiectiuè *Generans*, quantumuis ipſi non minùs communicetur generatio actiua, quàm Paternitati; etenim eſſentia ſit indiſtincta à *Genito*, ſeu eſt realiter idem cum termino genito, eſt genitum ipſum, quod prædicatum impedit munus generandi, vt conſtat ex §. præcedenti; Ergo diſtinctio in tertio in cauſa ſufficienti eſt verificandi hanc contradictionem.

150 Dices tamen identitatem cum tertio diſtincto, ſeu diſtinctionem in tertio inſufficientem eſſe huic contradictioni, niſi detur diſtinctio ex natura rei immediata. Primò; quia *Deus generat*, & tamen Deus identificatur cum *genito*. Secundò, ſi eſſentia ſolùm habet identificare cum genito diſtincto à generante, vereque ipſa immediatè ſine vlla diſtinctione mat[e]ri omnino indiſtincta à Generante; Ergò *eſſentia eſt generans*, ideo enim *eſſentia eſt Pater*, quia non diſtinguitur à Patre; ergo ſi non diſtinguitur à generante immediatè, non obſtante identitate cum *genito*, non obſtante hac identitate erit *Generans*. Tertiò quicumque Pater eſt, generat: Sed eſſentia non obſtante diſtinctione in tertio, eſt Pater immediatè; ergo immediatè generat. Confirmatur Pater eſt Pater Filij ſed diſtinctio in tertio non ſufficit, ne hæc ſit vera, *eſſentia eſt Pater*; ergo eſſentia eſt Pater filij; ergo Filius eſt Filius eſſentiæ, ac proinde generat filium eſſentia.

151 Hæ tamen replicæ potiùs militant contra veritatem fidei, quam contra doctrinam à me datam; omnes enim Catholici tenemur affirmare, ſaltem realiter, quòd eſſentia eſt Pater, identificatur cum generante, &c. Et tamen iubemur ab ipſa fide Catholica negare, quòd eſſentia ſit generans adiectiuè, ſeu generet, vt dixi §. 148. Quare etiam aduerſarij reſpondere tenentur. Ad 1.

Deus generat, cur ſit vera.

hæc propoſitio *Deus generat* vera eſt, quia non ſupponit pro eſſentia diuina, ſed pro ſuppoſito, ſeu perſona habente talem eſſentiam; hæc autem perſona non identificatur cum termino genito ita S. Thomas 1. part. quæſtione 39. artic. 5. Corp. Ad ſecundam dico: *eſſentia eſt generans* ſubſtantiuè, ſed non adiectiuè, & exercitè, ita vt ipſa *generet*; quia *autem generans* ſumitur adiectiuè, ideo potiùs negatur de eſſentia, quàm quòd ſit Pater; eſt autem hoc valde celebre diſcrimen inter ſubſtantiua, & adiectiua nomina; quòd ſubſtantiua non efficiant appellationem formalem, ſed purè ſignificent identitatem, ſecus adiectiua; Cuius cauſa eſt, quoniam ſubſtantiua ſecum afferunt ſuppoſitum, cui eorum formale ſignificatum conueniat, ideoque hoc non applicant ad ſignificatum alterius nominis ſubſtantiui; Adiectiua tamen nomina, & verba, quoniam non afferunt ſecum ſuppoſitum ſuapte natura applicant ſuum formale ſignificatum ad ſignificatum nominis ſubſtantiui, cum quo coniunguntur. Hæc doctrina eſt expreſſa. S. Thom. 1. part quæſtione 39. articul. 5. ad 5. Scoti 1. diſtinct. 5. quæſt. 1. colum. penult. ideo dixi diſput. 14. §. 52. In concretis, ſeu adiectiuis non attendi ad communicationem ſeu identitatem, ſed ad munus. Ad tertiam ly *Pater* cùm ſit nomen ſubſtantiuum dupliciter ſignificare poteſt, vel quoad munus, vel quoad identitatem materialem; quoad hanc ſolam verificatur de eſſentia; non tamen quoad munus, quia eſſentia non eſt Pater modo apto, vt cadat ſupra ipſam exercitium, ſeu munus Patris; vnde licèt quicumque eſt Pater generet, hoc eſt *quæcumque perſona*, ſiquidem identificat Paternitatem modo proportionato nempe cum diſtinctione à Filio genito; at non quæcumque res eſt Pater, ſtatim *generat*, quia poteſt aliunde habere impedimentum ad hoc munus ſicut non omnis res, quæ habet intellectionem, intelligit, vt patet in lapide, in quo poneretur intellectio. Ad confirmationem ſimiliter dico variari ſuppoſitionem à materiali in formalem; eo quòd *Pater* adiuncto genitiuo *Filij* iam non ſolùm denotat materialem identitatem, ſed formale exercitium, & munus actualiter reſpiciendi filium; vnde quoad hoc æquiualet prædicationi verbi adiectiui, & eſſentia non eſt Pater Filij.

Diſcrimen inter prædicatum ſubſtantiuum, & adiectiuum.

Eſſentia eſt Pater, *cur ſit vera.*

Quæcumque perſona eſt Pater, generat, ſed non quæcumque res, eſt Pater.

Eſſentia non eſt Pater filij.

Tertiò denique vt appareat ſufficientia diſtinctionis realis in tertio ad verificanda prædicata contradictoria omnia, quæ docet fides verificari ex parte rei. Sic arguo hæc prædicata verificantur realiter, ſimpliciter, & abſolutè. *eſſentia realiter eſt Filius*: *Paternitas* non ſolùm ex natura rei formaliter, aut virtualiter; ſed *realiter non eſt Filius*. Similiter nec realiter natura *generatur*: *eſt incommunicabilis*: *relata*, &c. Ergo pura diſtinctio formalis, vel virtualis ex natura rei ſi realis non ſit, eſt inſufficiens verificandæ iſti contradictioni. Conſequentia hæc probatur; nam diſtinctio rationis non ſufficit ad contradictionem ex natura rei formalis, aut virtualis; ergo ſimiliter nec diſtinctio ſolùm formalis, vel virtualis contradictioni reali: præterea, vt ſæpe dixi, qualis fuerit negatio, debet eſſe diſtinctio, vbi autem contradictio eſt realis, realis etiam eſt negatio: & quis dubitat talem contradictionem in creatis non poſſe inueniri, niſi intercedat realis diſtinctio, aliàs in creatis daretur inueniri myſterium, & oppoſitio Trinitatis. Tunc ſic ſed Catholicè 152

Sola diſtinctio realis poteſt ſufficere contradictioni inventa in Deo.

non debet requiri ad hæc prædicata contradictoria diſtinctio realis immediata inter eſſentiam, & Paternitatem; ergo quaſi à partium enumeratione totali ponenda eſt tanquam ſufficiens diſtinctio realis mediata, ſeu in tertio.

SECTIO XIX.

Quarta concluſio pro vera ſententia: Diſtinctio realis in tertio minoris difficultatis eſt, quàm qualibet alia diſtinctio, ſeu contradictio immediata.

153 HÆc concluſio valde commendat totam diſtinctionem, & contradictionem inuentam inter perfectiones diuinas identificatas reducendam eſſe ad prædictam diſtinctionem realem in tertio. Si enim omnis alia diſtinctio cum ſumma identitate, & ſimplicitate Dei non componitur, vt vidimus à ſect. 5. in prima concluſione: aliunde in omni vera contradictione neceſſariò imbibenda eſt diſtinctio realis in tertio ex concluſione 2. à ſect. 14. Item iſta ſola diſtinctio in tertio ſufficit ex concluſione 3. in ſect. præcedenti; ſi inquam hæ omnes conuenientiæ dantur pro admittenda hac diſtinctione in tertio, quis dubitet admittendam dum vltra hæc omnia faciliùs intellectu percipiatur, minoriſque difficultatis ſit. Et quidem quòd prædicata contradictoria longè difficiliùs intelligi poſſint, ſi non intercedat hæc realis diſtinctio in tertio, oſtendi ſect. 16. Nunc verò abſolutè faciliorem intellectu eſſe hanc diſtinctionem, quàm aliam quamlibet ex natura rei, ſiue formalem, ſiue virtualem.

154 *Diſtinctio in tertio non addit nouam difficultatem ad myſteria fidei.* Probatur primò; quia non addit nouam difficultatem, ad eam, quam fides docet; formaliſſimè namque dari vnitatem in Trinitate, ſeu candem rem, & naturam eſſe tres Perſonas, hæc, inquam, fides Trinitatis formaliſſimè eſt diſtinctio realis in tertio; ſeu Paternitatem, verbi gratia, identificatam, & omnino idem cum Natura realiter diſtingui à Filiatione, quæ etiam omnino idem eſt cum eadem numero Natura hoc euidentiſſimum eſt non differre à diſtinctione reali in tertio; ſiquidem tota diſtinctio in tertio nil aliud eſt, quàm *non eſſe eadem inter ſe, quæ ſunt eadem in vno tertio*, quod eſt decantatiſſimum axioma in myſterio Trinitatis inueniri, dum Pater, & Filius non ſunt idem inter ſe, licèt ſint idem in vna natura. Tunc ſic; ſed minorem difficultatem continet doctrina, quæ nullam addit ad eam, quam omnes admittere tenentur ex fide; ergo cùm omnis alia diſtinctio dicat aliquid non definitum à fide Catholica, hæc noſtra doctrina, & diſtinctio in tertio præferenda eſt vt minùs difficilis.

155 Dices: hæc diſtinctio in tertio nullam nouam difficultatem addit ſupra fidem; at neque explicat ipſam difficultatem fidei & hinc difficilior eſt, quia obſcuritatem fidei nulla luce donat. Id enim inquirimus. Quî fieri poſſit vt id quod eſt omnino idem quaſi diuidatur? vt perfectio quæ eſt omnino ſimplex, verbi gratia, Pater tranſeat, ſeu transferatur per identitatem ad Filium ſecundùm aliquid; & ſecundùm aliud in Patre maneat omnino diſtincta? Ergo neceſſum eſt vt in illo ſimplici detur intrinſeca capacitas ad hanc quaſi diuiſionem, & hanc vocamus *diſtinctionem intrinſecam virtualem*; neceſſum eſt vt actu ex natura rei inueniatur *aliud* quod tranſit ad Filium, & *aliud*, quod manet in Patre, inueniri autem aliud, & aliud eſt *formalem diſtinctionem* reperiri; dum autem dicitur ideo Naturam dari in Filio quantùmuis maneat adhuc identificata cum Patre à quo talis Filius diſtinguitur, quia diſtinguitur realiter in tertio, eſt dicere idem per idem; vel nil omnino dicere, niſi pure repetere ipſiſſimam difficultatem myſterij, quin aliquid explicetur.

Ego fateor per diſtinctionem in tertio non minui difficultatem myſterij Trinitatis, ſed neque hoc geſtio qui ideo ſuſpectam autumo diſtinctionem ex natura rei inter naturam, & relationem, quod iuxta illam nil myſterij, & obſcuritatis ſit in fide Trinitatis, vt notaui cum S. Bernardo citato diſput. 14. num. 40. vbi plura de hoc argumento. Igitur ſolùm curandum eſt relicta in ſua altitudine Trinitate nil ſuperaddere nouæ difficultatis, qua aliæ veritates fidei rationali lumini etiam notæ, qualis eſt Dei ſimplicitas, obſcurentur: imo curandum etiam nil docere, quo poſito Trinitatis myſterium iam ſupra humanum captum non ſit; cùm Catholica fides vti proponit illud veriſſimum eſſe, ita pariter æquè captu difficile docet, vt loco cit. diſput. 14. num. 40. noto. Iam in præſenti diſtinctio in tertio proponit cum fide totam huius difficultatem, vnitatem in Trinitate venerandam; non probat hanc dari, *quia Natura diſtinguitur in tertio*; hæc enim non eſt probatio, ſed concluſio, quam ex reuelatione Filij docemur, ideoque nullis aliis argumentis intrinſecis, niſi per puram eius propoſitionem Dei authoritate munitam veritas hæc eſt oſtendenda. Quam non oſtendit diſtinctio virtualis intrinſeca; ſi iſta ſolùm dicat dari in Patre capacitatem ad identitatem cum Filio diſtincto, ſeu ad faciendam hanc quaſi diuiſionem in Natura; de hac namque capacitate nemo dubitat, cùm ab actu ad potentiam nota ſit conſequentia; ſi verò vlteriùs hi Authores recentes velint Naturam in ipſo Patre habere aliquam alietatem à Paternitate, vt aliquo modo ex parte rei *Natura non ſit Paternitas*, hæc eſt ipſiſſima diſtinctio formalis Scoti pugnans cum ſimplicitate Dei, & cum difficultate myſterij Trinitatis. Quomodo autem ſine vlla alietate formalitatum in Patre ex natura rei tranſeat ad Filium Natura, & non Paternitas, dixi diſput. 14. §. 58. & iterum dicam in ſolut. 9. argumenti.

156 *Doctrina illa in materia de Trinitate difficilis, quæ reddit facile intellectu myſterium.*

Quid euitandum in tradenda myſterij Trinitatis fide.

Vnde ſecundò probo diſtinctionem in tertio iuxta principia fidei faciliorem intellectu eſſe, quàm omnem aliam ex Natura rei: Nam iuxta fidem Trinitatis, tota huius profunditas, & altitudo ſupra humanum intellectum conſiſtit in eo, quòd vna res cùm ſimpliciſſima ſit, cum pluribus realiter diſtinctis identificetur. Sed in hoc nulla difficultas daretur, ſi illa res ita ſit vna, vt ex pluribus diſtinctis coaleſcat ex natura rei, diſtinctis, inquam, immediatè, & mutuò negabilibus ex parte obiecti independenter ab intellectu: ergo congruenter ad principia fidei docentis altitudinem Trinitatis ſupra humanum captum faciliùs intelligitur diſtinctio in tertio. Conſequentia patet, ſiquidem hìc intelligitur altitudo Trinitatis, vt commendatur à fide, in aliis diſtinctionibus nullo modo intelligitur. Minor propoſitio etiam patet; nam ſi Natura ſeu ſubſtantia diſtinguitur ex parte obiecti à relatione, ita vt independenter ab intellectu hæc ſit vera: *Subſtantia non eſt relatio*: Quid mirum, quòd illa 157

In quo conſiſtat difficultas fidei de Trinitate.

Si daretur diſtinctio immediata

ex natura rei inter naturam. & relationem nulla eſſet difficultas.

illa ſit in aliquo, in quo non eſt relatio Patris? Quid mirum, quòd ſubſtantia ſit vna, & Perſonæ ſint tres? vt Sanctus Bernardus libro 5. de conſiderat. ad Eugen. cap. 7. prope finem pulcherrimè dialogizat ſic: *Quid ſibi vult iſte* (loquitur de Trinitate perſonarum in vna eſſentia) *abſque*

S. Bernardus.

numero numerus? Si trias, quomodo non numerus? ſi vnum vbi numerus? Sed habeo, inquis, quid numerem, & quid non numerem. Subſtantia vna eſt; Perſonæ tres ſunt. Quid mirum, quid vel obſcurum in hoc? Nihil: ſi perſonæ ſeorſim à ſubſtantia cogitentur. Nunc verò cùm tres illæ perſonæ illa ſubſtantia ſint, & illa vna ſubſtantia tres illæ perſonæ, quis numerum neget; Nam verè tres ſunt. Quis numeret tamen? Nam verè vnum ſunt. Ex quibus verbis maior etiam probatur, nempe quòd tota difficultas & altitudo Trinitatis conſiſtat in cōponenda vnitate cum diſtinctione; vnum cum numero quod etiam

Auguſt.

dixit Auguſt. tract. 39. in Ioan. 6. *Eſt aliquid ineffabile, quod verbis explicari non poteſt vt & numerus ſit, & numerus non ſit.* Conſpirant in reducenda tota difficultate huius myſterij ad caput hoc theologi, dum docent nutare hìc formam ſyllogiſticam, & axioma illud: *quæ ſunt eadem vni tertiò ſunt eadem inter* ſe; & ob hoc putant ſupra omne lumen rationis eſſe; Cùm ergo ſolùm in diſtinctione hac in tertio maximè, ſi non vnicè reſplendeat ſumma cum Trinitate ſimplicitas, conuenientior eſt & intellectu promptior ad ea principia, quæ fi-

158 des de Trinitate dictat.

Denique hanc diſtinctionem in tertio licèt difficilem, neque enim nego eſſe ſuper lumen rationis, adhuc minoris difficultatis eſſe, quàm diſtinctionem, ſeu contradictionem immediatam; probatur ex eo, quia iuxta illam non impeditur manifeſtiſſimum luminis naturalis principium; quòd ſcilicet negatio à parte rei aliquam veram diſtinctionem à parte rei ponat, & ſtet vera non identitas illius, quod dicitur non eſſe independenter ab intellectu quod principium ita eſt per ſe notum vt aliàs nil firmum ſit in naturali ratione, nilque clarius contra rationis lumen ſit, quàm prædictum principium falſificari; aliàs nil firmum, nullus modus probandi aliquam veritatem efficax, nullus erit ſecurus diſcurſus. Quid refert probare Patrem non eſſe filium, ſi cum hoc ſtat eſſe filium? Quid refert probare, & conuincere. *Non eſt alius Deus*, ſi cum hoc ſtat poſſe dari Deum alium? Quo fundamento conuincetur quis firmè ad negandam exiſtentiam alicuius ſi poteſt eadem res, quæ non eſt ſimul eſſe illud idem? Quo differt negatio ab affirmatione obiectiua, ſi per negationem

Diſtinctio immediata ex natura rei inter formalitates realiter identificas obſtruit viam omni demonſtrationi.

159 non ponitur vera diſtinctio?

Secus euenit ex diſtinctione reali in tertio.

Nunc ſic arguo, ſi in Deo nullā aliam diſtinctionem (relatiuis inter ſe ſemper exceptis) agnoſcamus niſi realem in tertio. Iam conſtat veritas negationis; nam ſi de Paternitate nego Filiationem, Filiatio ſtat quin in ſe ſit Paternitas, & è contrà: & quia nunquam Paternitas diſtincta exiſtit à natura, natura non negatur de Paternitate: Negatur quidem aliquid quod identificatur cum natura; at negatio iſta aliquid in re immutat, aliquod officium præſtat, præſtat namque Filiationem identificatam cum natura realiter diſtingui à Patre. Et conſequenter hìc euidenter patefit proprium munus affirmationis, & negationis firmus modus, & via probandi conuenientiam, vel diſconuenientiam alicuius prædicati de re, impoſſibilitas vt aliqua res exiſtat in rerum natura, & ſimul non exiſtat, & ſolidum fundamentum, quo quis conuincatur: quando exiſtit res? & quando non exiſtit? vt dixi §. 144. in ſect. præced. & oſtendi materiali exemplo diſput. 14. §. 58.

Aliæ verò viæ non ita facilè hoc explicant: nam 160
Item idem vrgetur.
ſi datur immediata contradictio, & negatio relationis à natura, vel hæc negatio deſtruit identitatem realem: vel non? Si deſtruit, deſtruit catholicam fidem, & ſimplicitatem Dei. Si non deſtruit? non ſtat ex natura rei loquendo quid ſignificet, & verificet talis negatio; quid tollat à natura, quando quis dicit: *Natura non eſt Relatio*; ſiquidem actu manet cum relatione ſecum identificata, actu eſt relatio natura. Si non poteſt non eſſe, id de quo verificatur *eſt* quomodocumque dicas verificari ex parte obiecti ſiue *formaliter*: ſiue *virtualiter*. Quo pacto *non eſt relatio* id; de quo ex natura rei verificatur *eſt relatio*? Quis firmè perſuadeat ſibi Patrem non identificari realiter cum Filio; quantumuis verè ex natura rei, & independenter ab intellectu dicatur: *Pater non eſt Filius*; Siquidem de natura dicit immediatè, & ex natura rei: *non eſt relatio*, & tamen cum fide catholica confiteris realiter identificari cum Filiatione? Sed de hoc argumento plura ſupra tota concluſione prima à ſect. 5. ideo non plura hìc.

SECTIO XX.

Reſpondetur ſeptem fundamentis poſitis pro diſtinctione virtuali intrinſeca in ſectione ſecunda.

IN ſolutione argumentorum pro ſententia contraria opus non erit hìc latè diuagari, cùm ex doctrina data in confirmationem meæ ſententiæ facili negotio poſſit quis plura colligere, quibus ſufficienter ipſis occurrat, nihilominus eodem ordine, quo poſita ſunt, per tres ſectiones reſpondebo, ne videamur plus confirmationi poſitiuæ veritatis, quàm eius à falſitate defenſioni (quæ genus quoddam confirmationis eſt) incumbere. 161

Probatur vera ſententia à ſolutione argumentorum.

Ad primum §. 10. & 11. reſpondeo ſi ly *Negatio*, ſeu *non eſſe Principium Verbi*, quod dicitur de volitione, contingit ex parte rei, ita vt nullo modo nec actu, nec virtualiter ſit per ordinem ad modum noſtrum concipiendi; non poteſt non imbibere aliquam diſtinctionem, & diuerſitatem realem ſiquidem aliter ſe res haberent à parte rei, ſi volitio foret ſic, ſicut intellectio, principium Verbi. Item non eſt in quo conſiſtat ly *non eſſe virtualiter* Nam ſicut omne ens eſt *reale*, vel *dependens* ab intellectu; ita ſolùm habet modum eſſendi *realiter* vel *dependenter* ab intellectu. Si autem vna res haberet duplex genus identitatis cum aliā independenter ab intellectu; dareturque genus identificationis medium inter reale, & rationis. Cur non poſſent dari entia *Media* inter reale, & rationis; nempe *virtualia*; Ergo cùm hæc omnino repugnent vti contra Scotum dicitur non dari diſtinctionem *Mediam* inter realem, & rationis ita neque erit negatio media: ſeu hoc tuum *non eſſe* virtuale. Ad inſtantiam, quæ adducitur ex diſtinctione rationis, dico bene à parte rei verificari: *Animalitas in homine non eſt rationalitas fundamentaliter ratione noſtra*: at non ideo dabitur vlla diſtinctio obiectiua, & ex natura rei, quia totum hoc refunditur in extrinſecum noſtrum modum concipiendi 162

Oſtenditur diſtinctio virtualis non ſeruare indemnem ſimplicitatem Dei.

nilque aliud eſt quàm dicere: *Rationalitas poteſt concipi modo tendendi, ſeu per imaginem intentionalem* (ſeu verbum expreſſum) *animalis*: quod vt patet nullam diſtinctionem, aut variationem ponit ex parte rei obiectiuæ. Quemadmodum licèt variet obiectum, ſi hoc intrinſecè, & in ſe ſit vel non ſit *corpus* independenter ab intellectu: at nil variationis refundit in obiectum, eo quòd ſit cognitum per modum, ſeu per ſpeciem corporis.

163
Si verè virtualiter ex natura rei vnum negatur de alio: Datur neceſſariò diſtinctio realis.

Ad 2. in §. 12. Reſpondeo æquiuocè ſumi ly *virtualiter*, ſi enim foret: *æquiualenter*, quoad præſtandum aliquem effectum extrinſecum, ſic facilè permitti poteſt; nam in anima rationali hoc modo diſtinguitur gradus ſenſitiuus à rationali; quia ita anima ſentit, & diſcurrit ac ſi eſſet *ſenſitiua* tantùm, & *rationalis* tantùm. Cæterùm hic aliquid plus intenditur: ſiquidem hæc diſtinctio virtualis dicitur ab aduerſariis Dei propria, verificanque ex natura rei, ſeu ex parte obiecti intrinſecam contradictionem: ita vt aliquo modo ex parte obiecti intellectio potiùs, quàm volitio ſit principium Verbi; & ita vt *principium Verbi*, quod affirmatur de intellectione, neque de volitione non *in æquiualenti* ſolùm, quaſi ita ſe habeat, ac ſi negaretur, nec *fundamentaliter*, quaſi præcisè habeat præbere fundamentum, vt intellectus noſter neget: Sed verè, formaliter, & intrinſecè ex natura rei, ſeu ex parte obiecti *volitio non eſt principium Verbi*: alioqui nullum myſterium foret, quod hæc diſtinctio poneretur etiam in creatis, vel vniuerſaliter, inter quaſlibet perfectiones diuinas, quod omnino inficiantur aduerſarij, vt patet ex ſect. 12. Hæc autem negatio ex parte rei ſine diſtinctione reali a termino negato dari nequit, vt ſæpius dixi. Neque Deus quoad verificandam hanc negationem propriè & formaliter poteſt æquiualere rebus diſtinctis, ſicut æquiualet quoad præſtandos alios effectus in genere cauſæ efficientis. Vti etiam patet in rebus creatis, poteſt quidem eadem ſimplex res æquiualere pluribus diſtinctis quoad aliquos effectus in genere cauſæ efficientis, vt anima rationalis æquiualet ſenſitiuæ, & vegetatiuæ, quoad effectus ſenſationis, & nutritionis; at in genere cauſæ formalis, vt ipſa ſit *purè ſenſitiua*, & *purè vegetatiua*, vt ipſa in ſe diſtinctionem ſenſitiui à vegetatiuo habeat, nullatenus æquiualere poteſt. Sol æquiualet quoad calefaciendum calori, at quoad eſſendum calorem ipſum formaliter implicat æquiualere. Ita ergo implicat in terminis Deum æquiualere in non eſſendo illud idem, quod eſt; & quoad veritatem excludendi à ſe, & diſtinguendi aliquod prædicatum æquiualere veræ diſtinctioni; etenim non eſſe, ſeu diſtingui, eſt effectus, qui ſolùm præſtatur in genere cauſæ formalis; ſicut *eſſe* & *identificare*; ergo licèt Deus ſit eminenter materialis, eminenterque plura quoad proprietatem præſtandi aliquos effectus extrinſecos, & in genere cauſæ efficientis, non verò quoad proprietatem eſſendi abſolute *materialem*, vel *plura*, ſeu quod idem eſt quoad proprietatem negationis, & diſtinctionis; hi enim effectus ſunt intrinſeci, & ſolum præſtabiles in genere cauſæ formalis, quare implicant præſtari niſi formaliter. Per quod patet ad confirmationem, & totum argumentum § 14.

Res ſimplex poteſt æquiualere in genere cauſæ efficientis pluribus diſtinctis ſecus in genere cauſæ formalis.

Varia vſurpatio termini virtualiter & quæ propriſſima hic.

164
Verbum diuinum procedit per voluntatem iuxta dicta.

Ad 3. in §. 13. Imprimis ne durum tibi videatur dicere quod ex natura rei, & independenter à noſtro cogitandi modo, loquendo Verbum diuinum ſit etiam per voluntatem, audi S. Iacobum Apoſtolum apud Clementem Roman. lib. 8. cap. 12. & 16. *Generaſti voluntate* (in Patre æterne) *virtute, & bonitate immediatè Filium*. Concil. Toletan. XV. in confeſſione fidei: *Secundum eſſentiam voluntas genuit voluntatem: Filius eſt voluntas ex voluntate.* Cyrill. Alexand. lib. 1. Theſauri, cap. 8. *Solus Filius ſapientia Patris eſt: ipſe quoque voluntas eius* (& addit rationem peropportunam ad noſtram ſententiam de omnimoda identitate intellectus, & voluntatis) *in Sapientiâ enim Dei, velle ipſius eſt.* Concil. Sardicenſe in confeſſione fidei in fine: *Quod neque conſilio, neque voluntate Pater genuerit Filium, anathematizat Sancta, & Catholica Eccleſia.* Sed quid immoror in adducendis teſtimoniis pro hoc dicendi modo; pro quo adeo manifeſta ſunt verba Athanaſij, Euſebij, Ephremi, Hilarij, Auguſtini, Cyrilli, Dionyſij, Synodi Toletan. Syrmienſ. Sardi. vt qui negauerit Verbum diuinum ſupponere voluntatem pro priori ad ſuam generationem, huiuſque voluntatem eſſe principium difficillimè poſſit eorumdem teſtimoniis ſatisfacere, vt notat erudititiſſimus locorum Patrum explorator P. Didacus Ruiz de Montoya, tom. de Trinitate, diſp. 93. ſect. 2. n. 14. & latiùs ſect. 4 & 5.

S. Iacobum. Clement. Cyrill. Athanaſ. Euſeb. Ephrem. Hilarius. Auguſt. Dionyſ. Concilium Toletanum. Syrmi. Sardi.

165
Diuerſitati, qua diuerſo modo verbum pertinet ad lineam intelligendi non ſatisfacit diſtinctio virtualis licèt Verbum ſolum oriretur per intellectum, & non per voluntatem.

Deinde quidquid de hoc ſit, de quo tom. ſeq. in tract. de Trinit. cenſeo non ſatis occurri huic argumento, quantumuis concedamus intellectum diuinum præ voluntate eſſe principium Verbi ex parte rei, & obiecti loquendo; etenim aliquid plus concludendum eſt, vt ſecunda perſona cenſeatur oriri vt *Verbum*, vt *pertinens ad lineam intelligendi*, vt *intellectio notionalis, dictio, locutio, imago*, &c. Neque ad id quòd de ſecunda perſona affirmentur hæc prædicata, ſufficit præcisè oriri purè per intellectum; quamuis hoc concedamus; ſtat namque per intellectum oriri, & adhuc non participare iſta prædicata; Ecce ab intellectu noſtro oritur propria duratio vbicatio, habitus, ſpecies impreſſa, inhærentia ad ſubiectum, in quo eſt, & plures alij effectus purè phyſici, qui nil habent de linea intellectiua, ſicut habet intellectio ipſa. Dices: hi effectus non oriuntur ab intellectu, vt intellectus eſt: Sed contra; ergo iam præcisè procedere per intellectum, & non per voluntatem, non facit quod Verbum diuinum ſit tale, ſpecterque præ tertia perſona ad lineam intelligendi. Quid igitur ſpeciale habet vt dicatur procedere ab intellectu, vt intellectus eſt; ſiquidem non ſufficit procedere vtcumque etiam immediatè per intellectum: Quidquid autem tu aſſignaueris (cùm non poſſit eſſe ex parte principij) aſſignabo ego, vt ſecunda perſona quantumuis procedat etiam per voluntatem ex parte rei, ſicut tertia, quantumuis in ſe non ſit formalis intellectio, dicatur tamen Verbum, Imago, Sapientia Patris, &c.

166
Vera explicatio, vt verbum pertineat ad lineam intelligendi, quantumuis ſit immediatè ex natura rei per voluntatem.

Ego igitur vt reſpondeam abſolutè argumento in §. 13. ſic explico phyſicam diuerſitatem proceſſionis Verbi, non minorem, quàm ſi eius principium immediatum foret ſolus intellectus diſtinctus à voluntate ex natura rei. Etenim etiamſi ſecunda perſona æque immediatè procedat ab eodem principio, (ac tertia) quod indiuiſibiliter eſt ſimul intellectus, & voluntas, illi tamen non correſpondet ſecundùm adæquatam, & totalem virtutem, quia adhuc in tali principio manet virtus ad aliam proceſſionem diuerſam; eſt ergo proceſſio Verbi partus ſolùm inadæquatus ſoli fœcunditati intellectiuæ correſpondens: Sicut enim ex parte obiecti, quamuis eadem formalitas ex natura rei indiuiſibiliter ſit intellectus & voluntas, adhuc verè

verè dicitur realiter loquendo, *in Deo non datur tantùm intellectus*: ita verificari poterit: *hæc proceſſio commenſuratur cum virtute huius formalitatis principiantis tantummodo, quatenus talis formalitas eſt intellectus*: Seu hæc proceſſio ita comparatur cum ſuo principio, vt in ipſa tota principij fæcunditas non reſplendeat. Etenim non minùs principium idem poteſt in duas actiones inadæquatas prorumpere, quàm ſi principium ex duplici virtute realiter diſtincta coaleſceret. Sic à ſole oritur actio in calorem, & in lucem non minoris virtutis, & differentiæ, quàm ſi à puro calefactiuo, & illuminatiuo puro procederent.

167 Hinc in proceſſione, quæ correſpondet fæcunditati intellectus, quaſi ſigillatur natura diuina, qua intellectiua, & vt non ſolùm ob connexionem, ſed ex ſuo modo tendendi proprio, talis proceſſio ſit oſtenſiua, & ſuaſiua, arguatque virtutem intellectiuam in ſuo Principio; ad quem modum tendendi tu ipſe recurrere debes; ſiquidem iuxta dicta in §. 165. non ſufficit procedere per intellectum, vt ſtatim pertineat ad lineam intelligendi, Neque opus eſt vt prædictus modus tendendi ſit formalis intellectio, (ad modum, quo in creatis cognitio licèt ex natura rei, & realiter oriatur per voluntatem, quæ cum intellectu identificatur in ſententia non diſtinguente potentias ab Anima, dicitur tamen produci per intellectum, quia cognitio vt talis eſt formalis intellectio) non inquam opus eſt hoc dicere; ſiquidem tu ipſe ponis cum communi ſententia in §. 14. quod relatio verbi non ſit intellectio formalis. Igitur independenter ab hoc omnes fateri debemus in proceſſione Verbi talem eſſendi modum, & procedendi, vt in eo ſpecialiùs reſplendeat naturam diuinam eſſe intellectiuam: Quemadmodum in actione illuminatiua ſolis; licèt æquè immediatè procedat, & conſequenter cum virtute calefaciendi ac cum virtute illuminandi, quum virtutes hæ in ſole nullo modo diſtinguantur ex natura rei: Sol tamen cognoſcibilis non eſt, nec reſplendet, qua *calefactiuus*, ſed qua *illuminatiuus*, ſecus euenit in actione calefactiuâ. Ita proportionatè dicendum eſt, quòd in ſpiratione paſſiua reſplendet, & arguitur natura *volitiua* eſſe, non qua *intellectiua* eſt: in Filiatione verò è conuerſo. Ob quæ quantumuis ex natura rei loquendo conſideratumque principium verbi diuini in ſe non ſolùm ſit intellectus, ſed etiam voluntas; Nihilominus ſimpliciter, & in ſenſu formali loquendo verbum dicendum eſt procedere per intellectum, non per voluntatem; vti in nobis intellectio quantumuis potentiæ indiſtinctæ ſint, elici dicitur ab intellectu, non à voluntate, quia oritur vt connotatum, ſeu partus proprius fæcunditatis intellectiuæ modo explicato, & amplius explicando in reſponſione ad 4. argumentum, modò ſufficiant hæc pro tertiò §. 14. & 15.

Verbum ſimpliciter dicendum eſſe ſolum per intellectum, quia facit ſenſum formalem.

168 Ad 4. ergo in §. 16. priuſquam reſpondeam, noto illud pluribus fulcris ſuſtentandum eſſe, vt ſolidum, & firmum permaneat 1. quòd natura Dei ſolùm conſiſtat in intellectione, ſeu intellectu, & non in voluntate, contra quam ſententiam plures cenſent, vt conſtabit diſput. 17. vbi ſtatuam eſſentiam Dei non minùs ex perfectione volendi, quàm cognoſcendi coaleſcere, ſi autem ita eſt, cùm Spiritus ſanctus per voluntatem procedat, non minùs eius proceſſio erit per naturam, quam proceſſio Filij. 2. Communius theologi ſimpliciter docet verbi proceſſionem non eſſe per *naturam* immediatè, vt ſic differant à Durando 1. diſtinct. 6. quæſt. 2. docente proceſſionem perſonarum proximè eſſe ex natura ipſa diuina per modum naturæ: vide Vaſquez 1. part. diſput. 111. cap. 1. & reliquos Theologos 1. part. quæſt. 27. artic. 5. Ergo tuenda eſt ratio Generationis in Filio præ Spiritu ſancto independenter ab eo, quòd natura conſtituatur per intellectionem, & ſic Spiritus, quia non procedit per hanc, deficiat à ratione Filij. 3. In humanis non obſtat veræ generationi, quòd Filius procedat à natura ſolùm mediatè, mediante ſcilicet potentia generatiua à ſubſtantia diſtincta; Ergo ſimiliter quantumuis Spiritus ſanctus non procedat immediatè per naturam, ſed media voluntate, ob hunc titulum non deficeret à ratione Filij 4. Denique quantumuis Spiritus ſanctus æquè ac Filius procedat per intellectionem, at verbum procedit vt partus proprius, correſpondens fæcunditati intellectiuæ modo explicato §. 5. præced. & hinc ſi conceptus intellectiuæ virtutis ſit ſpecialiter natura ſecundùm ſe habebit Filius explicare in ſe naturam, & ſic oriri in natura ſimilem.

Argumentũ negans ſpiritum ſanctum procedere per intellectum, ne ſit Filius variè impugnatur.

Nunc abſolutè iuxta doctrinam, quam latè dabo in materia de Trinitate, licèt Spiritus ſanctus, ex parte rei loquendo, non minùs procedat per naturam, quàm Filius, ideo (cenſeo) proceſſio Filij præ illius proceſſione generatio eſt, quia Filius vt realiter diſtinctus à ſuo principio producente eſt ſimilitudo producta illius ſpeciali ratione, qua Spiritus ſanctus non eſt vt productus ſimilitudo. Ad generationis rationem requiritur, quòd ipſe terminus productus ſecundùm id, quod eſt formaliter productum, ſimilis ſit ſuo principio, vt patet in humanis, vbi id quod eſt ratio aſſimilandi genitum eſt, ſeu terminus ipſe formalis generationis eſt ſimilis, licèt enim homo non generet animam rationalem, vnio, quam generat ſimilis eſt generanti, & ratio eſt quia productio generatiua vt productio eſt, aſſimilatiua eſt; vnde dicitur, quòd ad generationem requiritur ſimilitudo *ex vi productionis*; Ergo formaliter terminus productus, quà productus, debet eſſe ſimilis. Rurſus vt conſtat ex §. 167. Filius procedit vt partus proprius fæcunditatis intellectiuæ, ſeu intellectionis præexiſtentis in ſuo principio, ità vt ſecundùm proprium, quo diſtinguitur, & producitur à Patre reſplendeat quòd principium talis proceſſionis ſit formaliter intelligens, & cognoſcens, ſeu comprehendens naturam Patris; vnde quaſi ſigillatur exprimiturque in tali termino vis talis cognitionis principiantis, habentiſque pro obiecto Patrem, & totam eius eſſentiam, & naturam; ex quo conſequenter talis terminus referens, & exprimens vt partus proprius eam cognitionem, refert etiam eius obiectum; cùm obiectum in cognitione, quaſi ſculptum, & delineatum ſit, quidquid autem refert, vel exprimit imaginem aliquam, refert etiam id, quod in illa ſculptum, & delineatum continetur; Ergo ſic Filius procedit in ſimilitudinem naturæ: quo pacto Spiritus non eſt ſimilitudo; nam ſolùm procedit hic per modum termini, in quo reſplendet fæcunditas amoris, amor autem cùm non contineat ſuum obiectum, quantumuis ipſe exprimatur in ſuo termino, hunc non ſigillauit ſuo obiecto.

169 *Cur proceſſio filij ſit Generatio.*

In Generatione ipſe terminus formalis productionis requiritur ſimilis.

Imago referens cognitionem, refert etiam eius obiectum; ſecus imago amoris.

170 Quare vt breuiter notem circa quidditatem generationis verbi, dum latius venit tractanda in materia de Trinitate. Ad Generationem duo requiruntur, & quòd Filius phyſicè habeat eandem naturam ſui Principij, in quo conuenit verbum cum Spiritu ſancto. Secundò quòd Filius accipiat eam

Gener. dicit identitatem naturæ cum ſimilitudine.

eam naturam cum aliquo prædicato verè productó, & vt tali ſimili, referenteque, ſeu exprimente Naturam, ſeu eſſentiam integram, & completam ſui principij, quæ eſt ſpecialiſſima differentia proceſſionis vt generatiuæ, & ob quam ſecunda perſona præ tertia procedit vt genitus, & Filius. Cùm enim Spiritus-ſanctus procedat tantùm per amorem, ſolùm ſplendebit, & aperietur in illo, vt in partu proprio, vis, & fæcunditas amoris, non autem vis intellectionis, quæ non minùs pertinet ad naturam, & eſſentiam principij: ſicut quando ſol operatur vt illuminatiuus ſolùm exprimitur vis illuminandi, non calefaciendi. Licèt autem proceſſio Verbi quaſi titulo producti, & procedentis in principio ſolùm exprimat intellectionem, per quam procedit, & quæ ſola non eſt tota eſſentia Patris, at rurſus quaſi titulo obiecti in ea proceſſione tota eſſentia exprimitur; dum enim exprimitur intellectio, & cognitio, conſequenter exprimitur quidquid continetur in tali cognitione; in cognitione autem continetur, & delineatur obiectum cognitum à tali cognitione, & conſequenter tota eſſentia Patris, quæ cognoſcitur per cognitionem comprehenſiuam, per quam procedit Verbum. Hinc ſecunda perſona exprimit præ tertia totam eſſentiam ſui principij, quia licèt titulo quaſi efficientis non concurrat tota eſſentia principij reſpectu Verbi, at concurrit titulo obiecti, quod continetur in cognitione, non verò in amore, cùm iſte non ſit ſimilitudo ſui obiecti, ſicut illa.

Quo pacto Filius præ Sancto Spiritu exprimat totam eſſentiam ſui principij.

Hæc clariùs intelligerentur ſi ſupponeremus relationem Verbi, quà talem, eſſe formalem cognitionem, & repræſentationem, Spiritum-ſanctum verò formalem amorem; ſic enim euidenter apparet Verbum eſſe ſimilitudinem eſſentiæ, quàm cognoſcit præ Spiritu-ſancto. Cæterùm quia hanc ſententiam, quæ multiplicat ſapientias, & cognitiones in eſſentialem & notionalem pluribus reijciam in tract. de Trinit. cum Ruiz, tom. de Trinit. diſput. 59. ſect. 1. à num. 8. vt valde affinem illi propoſitioni adeo exoſam Theologis: *Pater eſt ſapiens ſapientia genita.* Ideo hanc ſimilitudinem ſolùm explico per modum *ſigilli*, ſeu *ſplendoris*, quatenus vt in termino, & partu proprio ſplendet, & ſigillatur in Filio eſſentia Patris contenta per modum obiecti in cognitione, per quam Filius procedit; ſic enim Filius erit *Verbum, Imago, Splendor, Figura, Character & Sigillum* hypoſtaſeos, ſeu Perſonalitatis paternæ vt loquuntur Theologi 1. part. quæſt. 34. & 35. art. 2. vbi vide Ruiz diſput. 64. & Scripturæ Interpretes in Coloſſenſ. 1. 15. *Qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ,* Hebr. 1. 3. *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.* Ioan. 6. 27. *Hunc* (ſcilicet Filium) *Pater ſignauit Deus.*

Relatio Verbi vt talis non eſt cognitio formalis. Eſt tamen ſigillum, & ſplendor Patris.

172 Sed vt alia omittam, quæ contra hanc explicationem opponi poſſunt, vnum prætérire non debeo, quod ſtatim cuilibet occurrit, & communiter opponitur contra hunc modum ſimilitudinis in Natura qui reducitur ad modum procedendi per intellectum; etenim tandem tota hæc ſimilitudo ſpecialis in ſecunda perſona præ tertia, eſt purè intentionalis; ſimilitudo autem intentionalis non congruit Filiationi, ratione cuius Filius debet eſſe ſimilis phyſicè Patri, ipſique conſubſtantialis, præterquam quòd cùm Spiritus-ſanctus ſit cognoſcens, communiceturque ipſi intellectio formalis, ſic etiam eſt expreſſa ſimilitudo comprehenſiua totius eſſentiæ diuinæ. Reſpondeo ſimilitudo *purè intentionalis* non ſufficit vt ſatis patet in Verbo, & in ſimilitudine expreſsâ creatâ, quæ conceptum Filiationis non habet; requiritur ergo, quòd Filius habeat phyſicè naturam, & eſſentiam ſui principij, non tamen vtcumque, ſed cum aliquo prædicato, quà producto habente rationem aſſimilandi, ſeu referendi relatione ſimilitudinis; vnde cùm Filiatio duo requirat, & quòd in Filio detur natura Patris, & quòd talis natura identificet ſecum rationem aſſimilandi productam. Primum habet ſecunda perſona, quatenus ipſi communicatur Deitas, in quo conuenit cum tertia Perſona, & nondum conſtituitur in ratione Filij: Secundum habet quatenus communicatur Deitas identificans ſecum terminum formalem productionis aſſimilatiuæ, & per hoc prædicatum differt à modo procedendi Spiritus-ſancti, conſtituiturque in ratione Filij, & geniti formaliſſimè.

Similitudo Filij ad Patrem non eſt intentionalis.

Ex quibus omnibus ad 4. argumentum in §. 16. 173
concedo Spiritum-ſanctum, nec realiter procedere in ſimilitudinem Naturæ, ideoque non eſſe genitum, concedo item ſimilitudinem in Natura, quam habet Verbum fundari in aliquo abſoluto, imo in ipſa Natura abſoluta, at natura hæc debet coniungi & identificari cum prædicato vi productionis, ſeu vt producto aſſimilatiuo ad eſſentiam producentis; modo iam ſatis explicato, quòd quantumuis Spiritus-ſanctus non procederet à ſecunda Perſona, ſpecialiùs conueniret proceſſioni Verbi, quo nec realiter conueniret proceſſioni Spiritus-ſancti. Vnde iſte etiam tunc careret realiter aliquo prædicato requiſito vt eſſet Filius, & genitus, diceretúrque productus in ſimilitudinem in Natura; non enim conſtaret Naturâ habente prædicatum productum, & vt ſic ſimile eſſentiæ adæquatæ ſui principij, vt ſuprà dixi, & hæc ſufficiant pro ſoluendo 4. arg. §. 16. & 17.

Quantumuis Spiritus-ſanctus non procederet à Filio, eius proceſſio non eſſet generatio.

Ad quintum in §. 18. latè reſpondeo in hoc tomo in tractatu de voluntate, vbi amplius expendo 174
vim directionis in volitionem, vt appareat quanta ſit neceſſitas diſtinctionis volitionis directæ à cognitione ſic dirigente, ibi duo ſatis fusè explicabo. Primum variis exemplis, & inſtantiis, poſſe vnum obiectum attingi, *quia attingitur aliud*, ſeu poſſe potentiam dirigi, & moueri ad tangendum vnum, quia tangit aliud, quin actus ſic dirigens, & mouens diſtinguatur ex natura rei virtualiter à directo vel moto: ſic in creatis, vbi non datur diſtinctio virtualis, idem actus indiuiſibilis eſt ſimul intentio, & electio, attingitque obiectum materiale, & formale, verbi gratia, idem actus amat ſciſſionem venæ, & ſanitatem, ita vt ratione illius dicatur voluntas, quòd *ideo amat ſciſſionem, quia amat ſanitatem*, non è contrà. Intellectus item in actu indiuiſibili diſcurſûs virtualis, vel fidei, ideo aſſentitur myſterio Trinitatis, *quia aſſentitur reuelationi*, quin ideo aſſenſus huius diſtinguatur ab aſſenſu myſterij; imo quotieſcumque ſiue intellectus, ſiue voluntas tendunt in obiectum materiale propter formale, licèt idem actus indiuiſibilis attingat vtrumque: Nihilominus illud dicitur attingi, quia attingitur formale.

Poſſunt dari cauſalitates attingentiæ, vt voluntas v. g. amet vnum obiectum quia amat aliud, quin actus amoris diſtinguantur.

Rurſus ſecundò explicabo in tract. de Trinitate 175
quid ſignificetur ex parte rei per has cauſalitates motiuas, ſeu directiuas; ſiquidem nec requirunt diſtinctiones ex natura rei inter actus, vt vidimus in §. præced. nec aliunde concipiuntur ſolùm per rationem noſtram, ſed verè in re ita contingit; quòd ideo voluntas amet ſciſſionem venæ, quia amat ſanitatem, & non è contrà; ſignificatur ergo vt loco citato explico fuſiùs, in vno obiecto non

Quid ſignificet ex parte rei ly quia.

inueniri

inueniri ſufficientem rationem trahendi, & determinandi potentiam ad operandum, ſed communicari ab alio obiecto, verbi gratia, in ſciſſione venæ non inuenitur bonitas, neque aliqua ratio ſufficiens vt operaretur voluntas circa illam, niſi veſtiretur bonitate ſanitatis, ſecus euenit in ipſa ſanitate; quæ ita comparatur cum voluntate, vt independenter à ſciſſione venæ amabilis eſſet; in ipſo myſterio Trinitatis intrinſecè, & ratione ſui nil apparet ſuadibile, & ſufficiens terminare aſſenſum, niſi reuelatione afficeretur, ſecus è conuerſo; Id ergo ſignificat hic modus motionis, directionis, & cauſalitatis, qui contingit ex parte rei independenter à noſtro cogitandi modo, nil tamen ponit intrinſecæ diſtinctionis, vel cauſalitatis per modum principij influentis in actum ſic motum, & directum.

176 Quibus duobus præmiſſis attentè conſideratis, & latè perpenſis loco citato de voluntate, facilis eſt ſolutio ad hoc 5. argum. in §. 18. Dico; & concedo cognitionem eſſe ſpecialiori ratione principium directiuum volitionis, quàm è contra; non quidem ſumpta ſpecialitate, & principiatione *ſubiectiuè* inter ipſos actus cognitionis, & amoris, ſed *obiectiuè*; hoc eſt non exercetur cauſalitas, & principiatio influxiuè inter ipſos actus cognitionis, & amoris, qui idem ſimpliciſſimum ſunt ſed in obiectis, quatenus vnum eſt primarium, & independens ab alio, vt attingatur; aliud verò ſecundarium. Veritas attingibilis eſt quantumuis non ſit bona: at bonitas, niſi vera ſit ſeu cognoſcibilis amari non poteſt: ſic dicitur ex parte rei loquendo, quòd amor ſanitatis mouet ad amorem ſciſſionis; amor verò ſciſſionis non mouet ad amorem ſanitatis, per quam cauſalitatem, motionem ſeu directionem non ſignificamus aliquam principiationem inter ipſos actus, quaſi verè, & realiter loquendo ipſe amor ſciſſionis non ſit in ſe intrinſecè ratio trahendi amorem circa ſanitatem: ſiquidem eſt ipſe amor ſanitatis; ſicut è contrà; ſed quatenus non mouetur voluntas ad amandum primariò ſciſſionem, ſed ſanitatem. Ergo ſimiliter quando dicimus cognitionem diuinam non eſſe ab amore, ſed è contrà, ſolùm denotamus illum actum diuinum, qui indiuiſibiliter eſt cognitio, & amor non habere talem modum tendendi, vt bonitatem reſpiciat tanquam rationem independentem à cognoſcibilitate ſicut iſta independens eſt ab illa; & quantumuis *ſubiectiuè* loquendo ipſe actus amoris non ſit ab actu cognitionis, ſed vterque, vel vt meliùs dicam, idem ſimpliciſſimus æquè ſe trahat; amor tamen non trahit ad tangendum primariò & independenter bonitatem; ſicut amor medij ſubiectiuè loquendo trahit amorem finis, ſed non vt amet finem propter medium. Ita *palam eſt rationem habenti*, vt dixit Anſelm. c.48. Monol. *Deum non idcirco ſe intelligere, quia ſe amat*, ſicut non ideo quis intendit ſanitatem, quia amat ſciſſionem venæ. At neque in hoc caſu, neque in illo neceſſaria eſt inter ipſos actus diſtinctio vlla virtualis ex natura rei. Idemque dicendum quantumuis obiectum media cognitione conſtituatur *ſuadens*, *petens*, &c. nam etiam ſanitas medio amore, & intentione ſui *ſuadet*, *petit*, *mouet*, &c. ad ſciſſionem venæ, & hæc pro 5. argum. §. 18.

Cognitio quo pacto ſit principium volitionis.

177 Ad 6. argum. in §.19. quod ſæpiùs pro ſua diſtinctione ex natura rei nobis opponit Franciſcus de Mayronis 1. diſt.8. quæſt.3. aliquantò poſt principium. In primis contra admittentes ſolam diſtinctionem virtualem, & negantes mordicus *formalem* ex natura rei reſpondeo ex illo nil concludi diſtinctionem hanc formalem, vt illo argumento vtentes intendunt Scotiſtæ, & ſuadet ipſa ratio contradictionis, quæ non ſolùm virtualis eſt; ſed etiam formalis, imò realis; nam ſcientia Dei, ſeu cognitio nec realiter amat peccatum; ergo cùm certiſſimum, & de fide ſit nil probare pro diſtinctione reali, ita nec pro diſtinctione vlla ex natura rei etiam virtuali. Confirmatur; cognitio illa realiter loquendo, eſt amor, & tamen realiter non amat peccatum; ergo *amare* in concreto, & denominatiuè non eſt præcisè eſſe amorem, & tendere in obiectum peccati, ſed tendere tali modo ſpeciali, vt dicam infrà. Ex quo ſimiliter peccatum ſimpliciter non eſt dicendum *attactum* per amorem diuinum, ſed per actum, qui eſt amor diuinus. Quia iuxta communem phraſim prima propoſitio ſonat, quòd peccatum non ſolùm terminet amorem, ſed terminet amorem proportionatum, & cum proportionato modo tendendi, qui non datur in cognitione diuina peccatum attingente, quantumuis ipſa ſit in ſe amor; eſt ergo cognitio diuina quæ tendit in peccatum. *Amor, & in peccatum*, ſed non eſt *Amor in peccatum*, quia hîc variatur ſuppoſitio, & committitur fallacia variæ, & diuerſæ vſurpationis illius voculæ *in*, quoad minorem, & quoad conſequentiam huius ſyllogiſmi, *Cognitio diuina eſt amor, ſed cognitio diuina eſt* in *peccatum*; ergo *cognitio eſt amor in peccatum*; haud ſecus ac rideri ſolent Tyrones ſummuliſtæ; dum audiunt hunc ſyllogiſmum: *Capra eſt mater: ſed capra eſt tua:* Ergo *capra eſt mater tua.* Vbi ly *tua.* Quod in minori refertur ad actionem dominij; in conſequentia æquiuoco vſu refertur ad generandi actionem; vnde cùm minor ſic intelligatur *capra eſt tua*; id eſt, ſub tuo dominio, ſic concludendum erat: *Capra eſt mater ſub tuo dominio.* Ita in præſenti cùm cognitio diuina ſit *in* peccatum modo tendendi repræſentatiuo ſic, *exiſtit peccatum*, ſolùm concludendum erat; ergo cognitio eſt amor *in*, id eſt, repræſentans *exiſtit peccatum* non verò modo tendendi ſic: *Volo peccatum* quod ſonat hæc propoſitio ſimpliciter dicta: *Amor eſt in peccatum:* ſicut illa *capra eſt mater tua.*

Sextum argumentum probat diſtinctionem realem.

Eius fallacia.

Simile argumentum.

Sed vt hæc, & ſimiles propoſitiones æquiuocationi non ſubſint ante omnia diſcernenda ſunt, & diſtinguenda earum ſignificata, vt appareat quid in re denotetur per talem modum dicendi; ſic circa nomina æquiuoca commune, & certum axioma eſt, quòd *ſunt prius diuidenda, quàm definienda.* Nunc ad præſens diſcernendum eſt, & determinandum; Quid ſit *amari aliquam rem*, verbi gratia, peccatum. Et quidem peccatum licèt ſecundùm ſe ſit capax, vt denominetur *amatum* ab amore, non tamen à quolibet amore etiam tendente in ipſum, niſi amor ſit ſpecialis, ſpeciali ratione tendens, & tali modo intrinſeco; qui in ſe dicat, *volo peccatum:* hoc in re denotamus, & intendimus ſignificare, quando dicimus: *Peccatum amatur*; ſi namque præcisè quis dicat *dari peccatum*, & *dari amorem Dei* in rerum natura, ſeu peccatum terminare amorem in ſe intrinſecè ita dicentem: *Volo virtutem*; *& nolo peccatum* quid abſurdi eſt peccatum attingi per amorem nolentem peccatum, & amantem ſic virtutem? Sic *cognoſci obiectum*, verbi gratia, Deum non eſt vtcumque dari cognitionem tendentem ad Deum, ſed dari talem cognitionem, quæ in ſe habeat de- 178

Quid ſit amari aliquam rem.

lineatum

lineatum Deum, quæ in ſuo modo tendendi intrinſeco? dicat: *Deus*, quare licèt omnis cognitio creata ſit relatio, & tendentia ad Deum, deuſque ſit aliunde capax denominari *cognitus* à cognitione tendente in ipſum non tamen denominabitur à cognitione præciſè dicente verbi gratia *Sol exiſtit*; Nam ſicut albedo eſt quidem capax reddi *ſimilis* à coexiſtente colore, non tamen ab omni, ſed qui etiam ſit Albedo; ita *Deus* fit ſimilis intentionaliter non à quacumque imagine intentionali, ſed ab imagine *Deus*; ergo pari ratione peccatum non amatur quocumque amore tendente in ipſum ſed imbibente modum tendendi, quo intrinſecè ipſe amor in ſe ita dicat: *volo peccatum.* Quantumuis autem Amor in Peccatum tendat quantumuis cum illo coniungatur, vel comparetur, vt cum ſuo obiecto, omnia iſta erunt per accidens, & diſparatè ſe habentia ad denominationem *peccati Amati*; Nam per hanc intendimus quòd actus amandi in ſe dicat: *volo peccatum* vti quantumuis cognitio ſit tendentia in aliquam rem verbi gratia in Animam, cùm enim eſſentialiter connectatur cum Anima, vt cum ſua cauſa, conſequenter eſt relatio, & reſpectus ad ipſam; Quantumuis coniungatur cum Anima; ſiquidem immanet ipſi; quantumuis comparetur cum Anima, vt cum ſuo obiecto cognitio, quæ dicit. *Anima non exiſtit*: adhuc non denominat animam *affirmatam* quia hæc denominatio non includit cognitionem quamcumque vel quodcumque affirmantem, ſed quæ in ſe habeat ſic tendere. *Anima exiſtit.*

179 *Amor diuinus quo pacto terminatur in peccatum.*

Hinc ſpeciatim ad argumentum in §. 19. dico Amorem diuinum eſſe tendentiam in peccatum, non ſimpliciter dictam, quia hæc ſtat pro tendentia amoris in ſuo modo intrinſeco affectiuo imbibente *peccatum*; ſed eſt tendentia per modum amoris de bonitate diuina, eſt tendentia dicens *volo meam eſſentiam* & ſimul repræſentans exiſtentiam peccati: non verò eſt tendentia dicens *volo peccatum*; dum autem hoc non dicat Amor diuinus, ſiue dicatur tendere, ſiue non *in peccatum* ſub alia conſideratione nil refert, vt dixi §. anteced. inſufficiensque erit vt peccatum denominetur *amatum*; ſicut enim ad denominandum peccatum *amatum* non ſufficit quælibet tendentia in ipſum, niſi ſit intentionalis, vt patet, ſi amor reſpiceret peccatum per modum effectus, ita non quælibet *intentionalis*, niſi ſit *amatiua*, nec quælibet *amatiua*; niſi exprimatur intrinſecè ſic: *Volo peccatum.* Et idem dico de cognitione, quæ non ſemper denominat cognitum terminum, in quem tendit & ratio eſt; quia licèt ſecundùm ſe ſit peccatum capax, vt denominetur *Amatum*, ſed non à quolibet amore; ſicut è contrà contingit quòd forma ſit capax communicandi ſuum effectum formalem ſed non cuilibet ſubiecto. Amoris forma non denominat quodcumque ſubiectum *Amans* vt patet ſi poneretur in lapide, vel etiam ſi ponatur in ſubiecto aliàs abſolutè capaci, vt denominaretur *Amans*, ſed non per hunc amorem, vt humanitas Chriſti, quæ per amorem increatum non redditur *Amans*; ergo ſimiliter licèt obiectum ſit aliàs ſecundùm ſe capax, vt denominetur *Amatum* ab amore tendente in ipſum, non tamen ab Amore hoc. Peccatum non erit capax, vt denominetur *Amatum* per amorem dicentem *Nolo peccatum*, vel *volo Deum*, quantumuis hi affectus tendant in peccatum. Quarè licèt cognitio diuina non diſtinguatur ab amore in peccatum tendente repræſentatiuè, differt realiter ab amore tendente affectiuè: ideſt non differt ab amore qui tendat in peccatum ſic: *Exiſtit peccatum*: valde tamen differt ab amore dicente in ſuo modo tendendi: *Volo peccatum*: Quemadmodum cognitio creata non differt à reſpectu phyſico in Deum, per modum effectus? differt tamen à reſpectu intentionali, id eſt à cognitione dicente: *Deus exiſtit* pone enim quòd cognitio illa creata nil dicat de Deo, ſed tendat ſic: *Petrus currit*: & hæc ſufficiant pro ſolutione argumenti ſophiſtici, innitentiſque æquiuocationi vocum.

Ad ſeptimum arg. in §. 20. non poteſt plenè, imo nec veroſimiliter reſponderi, niſi ſtatuatur priùs, quid ſentiendum ſit circa conſtitutionem actuum liberorum Dei, de qua ego latè agam in tractatu de voluntate Dei, vbi explicabo, quo pacto volitio libera vt in concreto denominet Deum *liberè volentem*, connotet, quà talis, aliquid extrinſecum & realiter contingens, qua ſententia poſita, vt ipſi aduerſarij fatentur, nil difficultatis remanet in hoc ſeptimo argumento, ſed ego fateor æquè contraria opinione de conſtitutione vndequaque intrinſeca tam in abſtracto, quàm in concreto, ſemel conceſſa difficillimè patere ſolutionem aliquam probabilem, vt potiùs de volitione libera, quàm de neceſſaria cum qua omnino identificatur, poſſit negari aliquod prædicatum; poſſit nempe de libera dici, quòd ſit *defectibilis*, cùm hoc nequeat dici de volitione neceſſaria, & quidem ſi admittamus veram hanc ſententiam, non ſolùm de volitione libera poterit prædicari, quòd ſit *defectibilis*, ſed etiam quòd ex natura rei *deficiat*, quòd ex natura rei *non ſit*, ex quo verificari poterit à parte rei, independenterque ab operatione intellectus noſtri negatio aliqua, quin vllam diſtinctionem actu arguat; Etenim nunc negatur de Deo verbi gratia *nolitio creandi mundum* vel ſaltem iſte effectus formalis? *nolentis*; realiter enim, & verè ita Deus non eſt *nolens* creare hunc mundum, vti nunc non eſt *volens* creare mundum alium. At nil datur ex parte ſubiecti, aut ex parte formæ in eſſentia diuina diſtinctum realiter nunc ab eo, quod haberet, ſi foret *nolens.* Iam ergo negatio ex parte rei verificari poteſt ſine vlla diſtinctione, quo funditus omnia argumenta contra diſtinctionem ex natura rei mediam inter realem, & rationis, quibus ſupra vſus ſum, deſtruuntur: Imo deſtruitur primum omnium & notiſſimum principium, quod *implicet non eſſe illud quod eſt*, vt ſatis patet ex ſuprà dictis.

180 *Hoc argumentum nullum eſt, ſi negetur actus liberos Dei eſſe ipſi adæquatè intrinſecos.*

Si affirmetur pugnat contra euidentiſſimum rationis naturalis principium.

Igitur argumentum hoc magis exprimit difficultatem ſummam explicandi actus liberos Dei adæquatè intrinſecos, quam meam opinionem impugnat; omnibus enim concedendum eſt hanc propoſitionem etiam in ſenſu reali & non ſolùm virtuali. Ex natura rei verificari: *Deus non eſt diſplicens in B. Virgine*; Quis enim neget hanc ita propriè veram eſſe, ſicut *Deus non eſt iniuſtus*; & quoad actualitatem ſeu negandum exercitium volendi actu æquè eſſe verum. *Deus non vult alium mundum*: ſicut *Deus non vult chimaram.* Tum ſic; ſed omnes indubitanter admittunt negationem actualem in ſenſu reali & à parte rei ſignum eſſe diſtinctionis realis; ergo omnes tenentur reſpondere ad præſentem difficultatem; vnde quemadmodum ab illa coacti recurrunt vel ad conſtituendam libertatem ex connotato extrinſeco cum Aureolo & Scotiſtis, item Thomiſtis ferè omnibus, & ex noſtris Vaſq. Arrub. Gran. Herice, Alarc. Amic. Hemelmã, & aliis quos citabo, & ſequar in materia de

181 *Inſtatur in omnium ſententia.*

de voluntate, vel coufugiunt ad infinitatem Dei fatentes ingenuè ſe nec apparenter ſcire abſtruſiſſimum myſterium libertatis Dei, vt ſcribit P. Arriaga 1. part. diſput. 28. ſect. 6. ita non mitum, ſi nos ſic reſpondeamus, & inficiemur omnino vt chymericos actus liberos Dei adæquatè & omnino cum ipſo identificatos.

182 *Ex hoc myſterio actuum liberorum impugnatur diſtinctio ex natura rei.*

Deinde libet, antequam reſpondeam, vti hoc eodem myſterio libertatis Dei contra ipſos arguentes, qui negare nequeunt cum communi omnium apprehenſione non ſine ſumma difficultate expediri poſſe (ſi verè poteſt) nodum libertatis intrinſecæ Dei, & ſummam repugnantiam, quæ ex ipſis terminis apparet inter contingentiam operationis liberæ cum neceſſitate eſſendi componi. At admiſſa hac diſtinctione virtuali intrinſeca, totum hoc myſterium nullum eſt, nulliuſque difficultatis eius explicatio, igitur virtualis diſtinctio tanti myſterij deſtructiua, vt ſuſpecta haberi debet, & falſa, vt in ſimili argumentatus ſum ex myſterio Trinitatis §. 156. Minor propoſitio cuilibet perpendenti doctrinam de hac diſtinctione virtuali manifeſta eſſe debet, ſi enim vna formalitas eſt idem realiter cum alia, quantumuis diſtinguatur virtualiter intrinſecè ab illa, quantumuis ex natura rei intrinſecè verificet hanc propoſitionem, verbi gratia, *A* non eſt *B*; ſi ſine vera diſtinctione ita ſe habet *A*, ac ſi verè realiter diſtingueretur à *B*, diciturque vi diſtinctionis virtualis diſtinguenda, ſi eſſet diſtinguibilis? Cur ſimiliter ſine vera deficientia non ita ſe habebit volitio libera, ac ſi verè & realiter deficeret; vnde & ſtabit libertas; nam ſi realiter deficeret non plus requireretur titulo libertatis: & ſtabit rurſus immutabilitas Dei, cum realiter volitio libera perſeueret, neque vllum defectum realem habeat. Cui autem non ſit ſuſpecta hæc tam faciiis concordia libertatis, omnino Deo intrinſecæ cum eius immutabilitate? Et quid clarius pugnans cum prima apprehenſione terminorum, quàm ponere contingentiam ex parte obiecti in formalitate omnino neceſſaria; ac dicere quòd volitio libera perinde ſe habeat, quàm ſi deficeret realiter, eo quòd ſi poſſibile foret, deficeret, hoc enim non minùs riſum mouet, quàm ponere virtualem *mortem & peccatum* in Deo, eo quòd ſi poſſibile eſſet, poſſet Deus *mori & peccare*, cùm rationabiliùs inferatur mors & peccatum repugnare, quia impoſſibilia ſunt.

183 *Explicatur myſterium actuum liberorum Dei.*

Nunc ergo vt proximè accedam ſolutioni huius ſeptimi argumenti in §. 20. appareatque quo pacto ſine vlla diſtinctione reali immediata verificetur contradictio inter volitionem neceſſariam, ſeu Naturam, & volitionem liberam Dei. Admitto hanc propoſitionem eſſe veram ex parte rei independenter ab intellectu. *Natura diuina actu non eſt nolitio mundi* (verbi gratia) ſecundùm formalitatem talis. Cæterùm non ideo ſimpliciter natura dicenda eſt *diſtingui* à tali nolitione: Ratio eſt; quia natura comparatur cum illa nolitione, vt cum non habitura aliud *eſſe*, quando exiſtat, diſtinctum à natura, ſed omnino identificatum, taliter enim exiſteret prædicta nolitio ſi daretur, vti exiſtit modò volitio de mundo, quæ in hac ſententia identificatur omnino cum Deo; ergo etiam nunc ſimpliciter, & abſolutè loquendo non eſt dicenda natura non eſſe idem, ſeu diſtingui à tali nolitione, vel formalitate *nolentis* etiam in concreto. Conſequentia hæc probatur tum a paritate *eſſentiæ* quæ in meliori ſententia non dicitur diſtingui ab exiſtentia, quia eſſentia conditionatè exiſtentia erit, ita vt quando ſimpliciter exiſtentia *ſit*, nullum ſit habitura *eſſe* ab eſſentia diſtinctum; tum etiam probatur conſequentia, quia ſimpliciter loquendo eſt de ſubiecto non ſupponente dicere *rem diſtingui*, quando non exiſtit; diſtinctio enim, vel identitas menſuranda eſt ſecundùm id, quod habet res in ſtatu *exiſtentiæ*: Quare, ſi in hoc vna eſt indiſtincta ab alia, ſimpliciter identificata cenſenda eſt cum illa, etiam quando non exiſtit capax identitatis ſimpliciter, vt ſuadet inſtantia de exiſtentia, quæ nunquam diſtinguitur ab eſſentia: etiam pro ſtatu, pro quo incapax eſt identitatis ſimpliciter, nempè quando non exiſtit ipſa exiſtentia.

Quantumuis hæc ſit vera, Natura non eſt nolitio mundi, *adhuc non diſtinguitur à nolitione ex natura rei.*

184 *Volitio libera vt non identificetur cum nolitione non exiſtente?*

Neque ideò volitio diuina de mundo, erit identificata cum nolitione non exiſtente, vt diximus, naturam identificatam eſſe, ſeu indiſtinctam. Nam nolitio de mundo nunquam eſt apta, vt *ſit volitio*; nec ſicut caſu, quo exiſteret nolitio verificaretur ex natura rei, *nolitio eſt natura*, ita verificaretur, *nolitio eſt volitio, ſeu volens creare mundum*; in hac enim hypotheſi, in qua Deus nollet creare mundum, quaſi exidentificaret à ſe, exueretque prædicatum *volentis*, & indueret *nolentis* per identitatem. Quare de volitione, ſiue in abſtracto, ſiue in concreto *volentis*, diceretur tunc actu ex natura rei *volitio non eſt*, ſicut nunc id dicitur de nolitione, quod fieret ſine mutatione, aut varietate intrinſecâ naturæ diuinæ: etenim ad modum quo ſine mutatione admittit de nouo prędicatum *Filiationis*, quin ad Filium traducat prædicatum *Paternitatis*, quam in Patre habet: ſic eadem Deitas exidentificat prædicatum *volentis*, & identificat ſimpliciter *nolitionem*; cum hoc tamen diſcrimine, quod quando eſt in Filio, ſimul retinet in Patre Paternitatem; at hic nullibi retineret volitionem, quia volitio non eſſet.

185 *Explicatur quæ ſit diſtinctio in tertio, ratione cuius verificetur contradictio in §. 20. nempe negatiua, ſeu in negatione.*

Hinc ad argumentum in §. 20. ob hanc diuerſitatem realem (& quaſi diſtinctionem hypotheticam in 3. ratione cuius in aliqua hypotheſi natura eſt aliquid, quod non eſt volitio) realem, inquam, ortam, & fundatam in aliquo actu non abſolutè poſito, ſed conditionatè; licèt volitio ſit omnino idem cum natura, de illa negatur *compoſſibilem* eſſe cum nolitione, eſſe *indefectibilem*, &c. ſecus de natura etiam ex parte obiecti, quia etiam ex parte obiecti datur iſte euentus conditionatus, & poſſibilis; vt prædicatum *nolitionis* ſit affirmabile de natura; & non de volitione, id eſt, in aliqua hypotheſi obiectiua hæc eſt vera, *natura eſt nolitio* in qua nondum eſt vera, *volitio eſt nolitio*, quod ſufficit, vt actu cauſet diuerſitatem negationis obiectiuæ in concreto, detque naturæ diuerſam capacitatem; quàm volitioni in concreto, licèt volitio actu de præſenti non negetur de natura. Explicatur quemadmodum Natura, & Paternitas, licèt actu non diſtinguantur inter ſe, quia quaſi diſtinguentur in Filio (ita loquor meræ explicationis gratiâ) illa eſt capax prædicati obiectiui realiter loquendo, cuius non eſt capax Paternitas: Et ſi poneres cras diſtinguendam rationalitatem ab animalitate, per connotationem ad hunc euentum, hodie quando nullo modo diſtinguuntur, daretur fundamentum reale ad negandum realiter vnum prædicatum de rationali, & non de animali; Ita ergo de volitione potiùs, quàm de Natura dicitur: *Non eſt volitio*, eo quòd *Natura*, in aliqua hypotheſi, *eſt nolitio*: in nulla autem *volitio eſt nolitio*, ſeu *Deus volens liberè, eſt nolens liberè*.

De Natura poteſt ſimpliciter affirmari, nolitio, *ſecus de volitione.*

185 Si autem roges, quid diuerſitatis detur in re-

Volitio libera etiam quando non eſt non dicenda annihilari, nec dari eius vera carentia.

rum Natura in hypheſi illa, in qua diceretur *Natura non eſt volitio*, ſed eſt nolitio. Dico dandam eſſe veram carentiam affirmationis, ſeu dari non *eſſe* volitionis, ratione cuius etiam ex parte rei verè diceretur: *non exiſtit volitio*: ſeu *Natura non eſt volens.* Veritas namque huius negationis ab omnibus ſimpliciter eſt admittenda, vt dixi §. 181. ſiue voce *concreti*, *denominationis*, *terminationis*, *connotationis*, &c. confundatur. Neque Deo alienum eſt, vt poſſit è prædicatis identificatis cum ipſo vnum deeſſe, non aliud: vti Natura Patris quaſi exidentificatur, vt tranſeat ipſa, & non Paternitas in identitatem cum Filiatione, in qua datur *non eſſe* Patris. Rurſus neque ideo ſimpliciter annihilatur prædicatum diuinum volitionis; manet enim, quaſi (per formalem identitatem) conuerſum in Naturam diuinam; nam licèt ex parte rei dicatur verè: *Natura non eſt volitio*, ideo detur volitionis carentia: at talis carentia non eſt alicuius extituri condiſtinctè à Deitate. Quare dum Deitas exiſtit, ſimpliciter non eſt dicendum deficere, ſeu annihilari volitionem, quia *annihilatio* ſimplicter ſtat pro defectu rei condiſtinctè extituræ ab exiſtente, de qua plura in tract. de volunt.

SECTIO XXI.

Reſpondetur argumentis in ſectione 3. deſumptis ex myſterio Trinitatis.

187 PRo ſolutione horum argumentorum maximè deſeruiunt ea, quæ in meæ ſententiæ confirmationem dixi à ſect. 15. ideo non erit opus ſectionem hanc ita diffundere, ſicut præcedentem. Nunc igitur vt reſpondeam 8. argumento à §. 22. noto, quod ſæpius dixi, per diſtinctionem realem in tertio, quam ſolùm adſtruo inter naturam, & relationem, verbi gratia, Paternitatis, me non intendere nullam reliquam fore Trinitatis difficultatem, vel de cætero non futuram hanc ſupra omnem humanum, & Angelicum captum; libentiſſimè namque confiteor, quòd nullus nouit Patrem, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare, imo ſtatim mihi falſitatis ſuſpecta eſt doctrina, quæ huius myſterij arduitatem euacuat, ideoque §. 156. & ſæpe alibi damnaui omnem diſtinctionem ex natura rei. Igitur diſtinctio realis in tertio, ideo ſolùm pro explicando myſterio Trinitatis à me intenditur neceſſaria, vt omnem contradictionem, quæ ex natura rei, & independenter à noſtro cogitandi modo contingat, non ſine reali diſtinctione euenire appareat; quod omnino dicendum eſſe conſtat à ſect. 5. omnino autem id ratione diſtinctionis realis in tertio verificari oſtendi ſect. 15. & patebit dum ſingillatim ad contradictiones, quas adducit argumentum poſitum in §. 22. iam reſpondeo.

Diſtinctio realis in tertio ad quid neceſſaria pro explicatione Trinitatis.

188 Igitur concedo Paternitati in ſe inſpectæ conuenire, quòd diſtinguatur; rurſus concedò *naturam* non diſtingui: at hoc prædicatum formaliſſimè Filiationem imbibit, nam licèt dicatur de natura quæ eſt in Patre *non diſtingui*, ſeu identificari, cum Filio, at ipſum *identificari*, ſeu *non diſtingui* à Filio; in Patre non habet, ſed ſolùm in Filio; eſt quidem in Patre aliquid, quod identificatur cum Filio, aliquid *commune* Filio; veréque alicui identificato cum Patre conuenit communitas, at in ipſo Patre non exercetur iſta *non diſtinctio*, *identitas*, ſeu *communitas*, ſed opus eſt recurrere, & imbibere Filiationem realiter diſtinctam; ſeu naturam in Filio, & tertio realiter diſtincto; ita vt negatio, quæ contingit ex natura rei, aliquid deſtruat in obiecto, affirmatioque aliquid ponat diſtinctum realiter. Si de Patre nego eſſe *communem*, quod affirmo de natura, ideo hoc euenit quia in natura pono reale prædicatum Filiationis, quod realiter deficit Patri, ſi Filius vt condiſtinctus à Patre conſtat aliquo *producto*, & aliquo non *producto*, etiam hoc euenit, quatenus iſta affirmatio, & negatio non ſolùm formalem, ſed etiam realem ponit diuerſitatem; nam *eſſe productum à Patre*, eſt idem ac taliter identificari cum productione paſſiua, vt realiter diſtinguatur à Patre; è contrà verò: *non eſſe productum* eſt idem, ac non diſtingui à Patre, ſeu eſſe realiter Patrem, quantumuis identificetur cum productione paſſiua; ob quod de natura negatur *eſſe productam*, ſeu generari, vt dixi ſect. 18. à §. 148. licèt de Filiatione affirmetur *produci*, & *generari*. Fateor quòd in ipſo Filio indiuiſibili, ſupra eandem naturam exiſtentem in Filio cadat ly *non produci*: ita vt natura non ſolùm in Patre ſit *improducta*, ſed etiam in ipſo Filio; at talis natura, vt ſit *improducta*, in Filio, requirit identitatem cum Patre, in rationeque *improducta*, in Filio conſtituitur ex Paternitate; & ideo de ipſa ſic in Filio negatur *produci*, quia ratione Paternitatis, quam identificat, non ſolùm redditur incapax effectus formalis *producta* in Patre, ſed etiam in Filio, quia vt conſtat ex §. 149. terminus *productus* negat omnem identitatem cum *producente* immediatam, ſiue in hoc, ſiue in illo ſuppoſito. Quare licèt *non produci*, ſeu *improductum* dicatur, & cadat in recto ſupra naturam vt exiſtentem in Filio, at hæc ex obliquo conſtituitur in ratione *improducta* per exiſtentiam, quam habet in Patre. Per quod patet etiam ſolutio ad confirmationem; Quòd ſcilicet de natura prædicetur identitas, ſed non exercitè niſi imbibendo tertium, vt dixi de communitate.

Quomodo omnis negatio dicat diſtinctionem, & diuerſitatem realem.

Sed hinc iam vrget 9. argumentum in §. 25. vt Paternitas, & eſſentia immediatè habeant aliquam alietatem ex Natura rei. At hanc alietatem non ſatis probant propoſitiones, quæ ibi adducuntur. Reſpondeo igitur de ipſa Paternitate non poſſe dici duo contradictoria; poſſe tamen de coniuncto ex Paternitate, & eſſentia: & licèt ex parte rei in Patre. *Paternitas & Paternitas*, perinde ſit ac *Paternitas & eſſentia*: adhuc dum *eſſentia eſt Filiatio*, non poteſt ſimul verificari, quòd *eſſentia non eſt Filiatio*, quæ negatio verificatur de Paternitate. Ratio autem, ob quam cum identitate ſtet hæc diuerſitas ex parte rei, & ob quam potiùs de eſſentia poſſit negari, quod affirmatur de Paternitate, quàm poſſit negari de ipſa Paternitate; ratio inquam eſt; quia vt affirmatio ſtet vera, neceſſum eſt, vt talis affirmatio fundet aliquem verum conceptum, in quo perſiſtat: quare implicat illum eundem conceptum, qui affirmatur, negari; ſic enim non perſiſtet, neque erit ex parte rei aliquid, titulo cuius ſit vera affirmatio. Hinc igitur ſi *eſſentia eſt Filiatio*, nequit dici: *eſſentia non eſt Filiatio*; nam per nomen, & conceptum *eſſentia*: non ſtaret aliquid, quod ſignificaretur per ly *eſſentia eſt Filiatio*; at licèt omnino idem cum eſſentia ſit Paternitas, ſtat verè concipere quid ſit *eſſe Paternitatem*, & quoad hanc diſtingui à Filiatione, ſeruato, quòd *eſſentia eſt Filiatio*. 189

Cur dicantur contradictoria de Paternitate, & eſſentia, non verò de Paternitate ſola?

Vt autem hoc clariùs pateat; hanc diuerſitatem licèt conſiderare inter Paternitatem, & eſſentiam; 190

Qua diuer-

ſitas ſit inter Paternitatem & eſſentiam immediatè.

tiam, quòd ſcilicet ſubiectum, de quo diceretur tantum *eſſentia*, ſeu ſola eſſentia eſſet affirmabilis, & non eſſet affirmabilis *Paternitas*, valde diſtinctæ, & diuerſæ conditionis foret ab eo, de quo vtrumque prædicatum ſit affirmabile; ſtat enim bene cum ſumma ſimplicitate, & indiſtinctione Paternitatis ab eſſentia diuerſitas iſta. Sic quamuis in homine ſit idem *animal*, & *rationale*, adhuc homo non eſt *tantum animal*, ſed etiam rationalis (ſi dicas ex hoc eodem fundamento argui eandem diſtinctionem hic, quæ inter Paternitatem, & eſſentiam, gratulabor, quòd non maiori difficultate Trinitatem, quàm humana percipias.) Vnde diuerſus eſt homo à ſubiecto, de quo tantùm affirmabile eſſet *animal*. Et iuxta ipſos Scotiſtas non diſtinguentes communem rationem *indiuidui* à tali indiuiduo minùs dicit de Petro, verbi gratia, qui dicit eſſe *indiuiduum*, quàm qui addit eſſe *Petrum*, vnde diuerſæ conditionis foret ſubiectum, de quo ſolum affirmaretur, quòd ſit indiuiduum; non verò diceretur Petreitas. Præterea quidquid ſit de hac opinione Scotiſtarum diſtinguentium omnes formalitates & prædicata, negandum non eſt ſpecialiſſimã rationem dari, vt inter eſſentiam, & relationem detur ex natura rei diſtinctio, quantumuis non detur inter formalitates creatas, alias nil ſpecialis myſterij eſſet in Trinitate; ergo rectè poteſt vna, & eadem res ſimpliciſſima abſque vlla diſtinctione ex parte rei habere plura prædicata, quàm alia, quin ideo talia prædicata diſtinguantur inter ſe, vt verbi gratia, homo non tantùm ſit animal, ſed etiam rationalis, quin ideo *rationale* addat aliquid diſtinctum ſupra *animal*. In quo non arguitur in ipſo homine intrinſeca diuerſitas rationalis ab animali eiuſdem hominis, ſed diuerſitas rationalis ab animali eiuſdem hominis, ſed diuerſitas comparatiua à ſubiecto, quod foret animal tantùm, neque differt rationalitas ab animalitate hominis, ſed ab animalitate leonis, verbi gratia, qui eſt animal tantùm.

Poteſt vna res, etiam ſimpliciſſima, in creatis habere plura prædicata, quàm alia.

191 Ex hac doctrina, in qua nulla ſpecialis difficultas eſt: conſequitur aliud ſpecialiſſimum in Trinitate, ſed quod in terminis non implicat, nec repugnat naturali lumini, licet ſupra illud ſit; nempe docet fides, relicto in ſolo Patre vero conceptu *Paternitatis*, aſſumi in identitatem cum Filio verum conceptum *eſſentiæ* eiuſdem exiſtentis, adhuc identificatæ cum Paternitate diſtincta. Quod, fateor, eſſe ſupra humanum captum, quî fieri poſſit vt è duabus formalitatibus identificatis vna tranſeat ad tertium, & non alia? at non eſt repugnantia in terminis; datur enim iam intelligi aliquid manere in Patre, quod non tranſeat ad Filium; dum non de ipſa Paternitate dicitur tranſire ad Filium; ſi enim *Paternitas non eſt Filiatio*, & rurſus *Paternitas eſſet Filiatio* nil foret ex parte rei, in quo perſiſteret veritas harum propoſitionum; quemadmodum non daretur in homine, in quo conſtaret ſimilitudo cum leone; ſi foret purè *rationalis*, & de illo ſic diſſimili diceretur eſſe ſimilis Leoni. Ergo ſtat, quòd Paternitas nullam habeat immediatam alietatem ab eſſentia, & adhuc quòd potiùs ſtare poſſit hæc affirmatio, & negatio: *Paternitas non eſt Filiatio: Eſſentia eſt Filiatio:* Quàm *Paternitas eſt Filiatio: Paternitas non eſt Filiatio.*

Quid ſpecialiſſimum in Trinitate.

192 Ad confirmationes, quæ ponuntur in eo §. 25. ad 1. Reſpondeo: *Natura eſt Paternitas*, non æquiualere huic *Filiatio eſt Paternitas*, non quidem, quia datur diuerſitas ex parte ſubiecti in Filio, ſed quia aſſumitur in identitatem cum Patre aliquod prædicatum Filij (quaſi exidentificetur) in quo reſplendet veritas *naturæ*, & relinquitur ſine hac identitate aliud, in quo ſtat veritas *Filiationis*. Per quod prædicatum ſatis ſimilis eſt veræ Filiationi; ſicut ſi homo in quo verè non eſt nunc pura animalitas, ſed etiam rationalitas, amitteret rationalitatem, relicta ſola animalitate, conueniret adhuc cum leone. Ad ſecundam confirmationem reſpondeo, vt ex Paternitate & Filiatione potiùs reſultet dualitas, quàm ex Filiatione & eſſentia, non eſſe opus quod Paternitas ſit diſtincta ab eſſentia, ſed ſufficere, quòd ſit diſtincta à Filiatione: eſt quidem neceſſarium quod eſſentia non ſit *eſſentia tantùm*, ſed ſit etiam Paternitas, licèt indiſtincta modo explicato in §. præcedenti, ex hoc enim iam concipi poteſt, & perſiſtere aliquo pacto diſtinctio Paternitatis à Filiatione, quæ diſtinctio nullo pacto intelligi poſſet, ſi eſſentiam identificari cum Paternitate nihil aliud foret, quàm eſſe *purè eſſentiam*. Igitur Paternitas nihil aliud diſtinctum eſt ab eſſentia, nihilominus in hac ponit nouum prædicatum, licèt indiſtinctum, ratione cuius *eſſentia*, quæ eſt Paternitas differt à ſubiecto, quod eſſet *eſſentia tantùm*. Et ex hoc datur capacitas, vt intercedere poſſit exidẽtificatio vt itadicam, quam ponit fides, docens eſſentiam eamdem identificatam manentem cum Paternitate aſſumi in identitatem à Filio relicta Paternitate; vnde Patas cum Filiatione conſtituet dualitatem, quam terni conſtituere nequit eſſentia ſola, quemadmodum eo quòd homo non ſit tantùm animal ſed etiam rationalis, licèt indiſtinctè, datur capacitas, vt rationalitas collata cum leone faciat diuerſitatem, quam non efficeret animalitas tantùm. Ad tertiam confirmationem reſpondeo, vt formalitas aliqua addita vnitati dualitatem faciat, non eſſe opus quod addat aliquid realiter diſtinctum ab omni prædicato inuento in tali vnitate, ſed ab aliquo. Hinc Paternitas addita Filio ſimpliciſſimè vni facit dualitatem; licèt Paternitas non addat aliquid diſtinctum Naturæ inuentæ in Filio, quia addit formalitatem realiter diſtinctam à Filiatione, cum qua & cum Paternitate Natura eadem identificatur; nihilominus fateor Paternitatem eſſe aliquid pluſquam eſſentiam puram, alioqui (vt bene vrget confirmatio hæc tertia) non eſſet cur potiùs Paternitas faceret dualitatem, quàm eſſentia; eſt inquam aliquid plus, & nouum, quatenus *eſſentia Paternitas*, non eſt idem, quod *eſſentia tantùm*, non verò quatenus Paternitas ſit aliquid diſtinctum ab eſſentia.

Cur hæ propoſitiones non ſint æquiualentes.

Natura eſt Paternitas, Filiatio eſt Paternitas.

Quo pacto relatio Paternitatis ſit aliquid pluſquam eſſentia.

Ad explicationem, qua vrgetur hoc argumentum in §. 26. ex dictis nuper in §. præced. ſatis conſtat, quo pacto Paternitas ſit aliquid pluſquam eſſentia, ſed non aliquid plus realiter diſtinctum, ob quod datur ſufficiens fundamentum, vt poſſit diſtingui à tertio aliquo, ſcilicet à Filiatione, à qua non diſtinguitur *eſſentia*, & conſequenter quantumuis dualitas dicat diſtinctionem realem, ſeu aliquid realiter diſtinctum ſupra vnitatem, non tamen opus eſt, vt hoc diſtinctum ſeruet realem diſtinctionem reſpectu omnis prædicati, ex quo conſtituitur vnitas. Ad primam confirmationem, quæ ponitur in eodem §. 26. fateor Filium nullo modo conſtitui ex Paternitate, at conſtituitur ex aliquo, quod licèt non in ipſo Filio; in Patre tamen eſt Paternitas; eſt inquam Paternitas non per additionem alicuius *diſtincti* ab eſſentia licèt ratione huius additionis diſtinguatur 193

etiam realiter à formalitate, quæ foret *eſſentia tantùm.* Ad ſecundam confirmationem in prædicto §.26. Reſpondeo: dualitas ex Paternitate & Filiatione realiter diſtinguitur à coniuncto ex Paternitate & natura, ſicut enim Trinitas eſt vnitas abſolutè, ita dualitas eſt vnitas, ſic veneramur vnitatem in dualitate vt in Trinitate: natura tamen in Paternitate præciſè, excluſa Filiatione, non eſt dualitas; quia tunc non ponitur natura ſecundùm totum, quod habet in re. Sed non ideo Filiatio dicit aliquid *actu nouum* à natura, niſi dicas *nouum* à natura, vt in Patre, ſeu ab aliquo prædicato, quod identificat jn Patre, ſicut animalitas hominis non eſt ſola animalitas; non quia rationalitas dicat quid nouum, ſed quia dicit quid verè exiſtens à parte rei, quod animali puro diſſimilitatur; ita natura non eſt ſola *Deitas Paternitatis*, ſed *Deitas Filiatio*, licèt Filiatio nihil dicat ſupra deitatem, licèt dicat ſupra Paternitatem in quo eſt myſterium Trinitatis & hæc ſufficiant pro ſolutione noni argumenti à §.25.

Dualitas in Deo non diſtinguitur ab vnitate.

194 Ad decimum in §.28. omnino nego poſſe inueniri contradictionem ſine diſtinctione in tertio. Ad primam propoſitionem ibidem obiectam reſpondeo, licèt abſolutè loquendo eſſentia diuina nec in ſe, nec in tertio, diſtinguatur à Deo, at in tertio diſtinguitur à *Deo generante*; identificatur enim cũ Filio, qui realiter diſtinguitur à *Deo generante*. Cur autem potiùs admittenda ſit hæc propoſitio, *Deus generat*, quàm *eſſentia generat*, ſatis conſtat ex dictis ſuprà §. 151. quia ſcilicet nomen *Deus* ſupponitur, pro perſona, non pro natura, ſiue Deo communi tribus perſonis, *Deus* enim eſt nomen concretum ſecundùm ſe indifferens, vt ſupponat pro perſona, vel etiam pro natura, vel eſſentia ſecundùm qualitatem prædicati? non ita autem ſe habet eſſentia ipſa. Iam ad ſecundam propoſitionem, ſi Paternitas dicitur *conſtitutiuum*, ſeu *conſtituens*, Patrem, quod non dicitur de Patre, etiam ex parte obiecti & ex natura rei loquendo independenter ab intellectu noſtro, ſenſus eſt, non quòd Paternitas non ſit à parte rei totus & integer conceptus *Patris*, ſed quòd aliquid, quod in tertio realiter Paternitas non eſt, inueniatur in Patre; ob quam cauſam Paternitas numeratur inter partes conſtituentes; *Pater* verò nullo modo eſt pars *conſtituens* ſeu *conſtitutiua* ſui, quia effectus formalis *Conſtituentis*, incapax eſt formalitas illa, quæ nec in ſe nec in tertio diſtinguitur à *conſtituto*. Qua ratione Pater non diſtinguitur à Patre, diſtinguitur autem aliqua ratione in tertio Paternitas à Patre inadæquatè; non quidem quia poſſit Paternitas inueniri ſine Patre, vel è contrà abſolutè loquendo, ſed quia poteſt aliquid exiſtens in Patre inueniri in aliquo ſine Paternitate. Denique ad tertiam propoſitionem ſeu contradictionem nobis obiectam in §. 28. Similiter dico non verificari, niſi ratione tertij realiter diſtincti; nam ſi de perſona negatur, quod ſit ſingularis, quod prædicatum dicitur de eſſentia, ideo eſt; quia licèt vna perſona immediatè non differat ab eſſentia, at differt realiter ab aliquo cum quo identificatur eſſentia. Ob quam rationem etiam negatur de ipſa eſſentia eſſe *triplicem*, quod affirmatur de perſona; quia à qualibet perſona determinata licèt non immediatè, mediatè tamen ſeu in tertio diſtinguitur *eſſentia*, hoc eſt identificatur cum alia perſona realiter diſtincta à prima.

Non poteſt inueniri contradictio ex natura rei ſine diſtinctione in tertio.

Relatio cur dicatur cõſtituens, & non conſtitutum, ſicut perſona.

Cur potius negetur ſingularis ratio perſonæ quàm ratio eſſentiæ.

195 Ad confirmationem quæ obiicitur in eodem §. 28. ſimiliter reſpondeo nullam poſſe verificari negationem ex parte obiecti ſine aliqua diſtinctione reali in tertio. Quod ſi de eſſentia negatur ex parte obiecti eſſe *relatam*, ideo eſt; quia naturæ realiter deeſt aliqua conditio requiſita ad denominationem *relatæ*, licèt enim à nullo prædicato *poſitiuo*, quod inuenitur in Trinitate diſtinguatur eſſentia ex natura rei, diſtinguitur tamen à prædicato *negatiuo*, quod conuenit verbi gratia Paternitati, iſta enim eſt, *non Filiatio*, quæ negatio dici nequit de eſſentia, & ob cuius defectum eſſentia præ Paternitate eſt incapax effectus formalis *Relatæ*; iſte enim effectus ex ſuo conceptu imbibit non identificari cum correlatiuo. Similiter diſcurrendum eſt de hac alia propoſitione negatiua, *eſſentia non eſt diſtincta à Filiatione*, hic enim clariùs patet Paternitatem præ eſſentia, ideo eſſe capacem huius effectus formalis *diſtinctæ*; quia non identificatur cum Filiatione, quæ identitas impedit, ne eſſentia recipiat denominationem ſeu prædictum effectum formalem *diſtinctæ* in concreto, quòd ſi de eſſentia etiam negatur, quòd ſit *ratio diſtinguendi*, quæ vox per modum abſtracti ſignificatur; ideo eſt, vel quia terminus ille *ratio diſtinguendi*, licèt videatur ſonare abſtractum ſimpliciter, concretè ſumitur: vel quia non ſolùm ſumitur *poſitiuè*, ſed etiam *negatiuè* pro carentia identitatis cum Filio verbi gratia ob quod ſola Paternitas dicitur ratio diſtinguendi Patrem à Filio, non verò eſſentia, quia ſola Paternitas eſt, *non Filiatio*. Etenim ſi poſitiuè & in abſtracto loquamur, cùm eſſentia identificetur realiter, ſeu ſit realiter omne id, quod eſt Paternitas, & omne prædicatum poſitiuum, quod Paternitas includit, vti Paternitas fuerit ratio diſtinguendi, hæc etiam in abſtracto dicetur de eſſentia; maximè cùm ly *ratio diſtinguendi* ſic accepta nullo modò, nec formaliter, nec virtualiter diſtinguatur à Paternitate: vbi autem vna formalitas identificatur cum alia, identificatur etiam cum omni indiſtincta formaliter & virtualiter ab hac alia, vt ſæpius notaui ſect. 7. Sed quid immoror in explicandis his propoſitionibus, quas omnes catholici explicare tenentur loquendo in ſenſu reali, ſiquidem de eſſentia realiter negatur eſſe *relatam*, eſſe *diſtinctam*, eſſe *rationem diſtinguendi*, cùm tamen certum ſit negationem non poſſe verificari in ſenſu reali, quin imbibat proportionatam diſtinctionem realem. Et hæc ſufficiant pro ſolutione decimi argumenti.

Nulla negatio poteſt verificari ſine diſtinctione reali, ſaltem in tertio.

Ratio diſtinguendi in quo ſenſu negetur de eſſentia.

196 Ad vndecimum in §. 29. reſpondeo diſtinctionem realem in tertio eſſe quidem ſufficientem, & neceſſariam ad verificandam contradictionem, non tamen opus eſſe vt admittatur contradictio in ordine ad omne prædicatum, in quo datur huiuſmodi diſtinctio; Etenim vel in reali diſtinctione adæquata & immediata contingit non dari contradictionem ſæpe in ordine ad aliqua prædicata verbi gratia Petro & Paulo currentibus non datur contradictio, vt de vno affirmetur curſus & negetur de alio; igitur diſtinctio realis ſiue mediata ſiue immediata ſolùm ſufficit ad eam contradictionem, ad quam aliquid conducat talis diſtinctio; ſeu quando diſtinctio in tertio ponit vel adimit aliquid realiter requiſitum ad denominationem talis contradictionis. Ideo de Petro & Paulo, quantumuis diſtinctis, non poteſt verificari contradictio in ratione *hominis*, vt vnus *affirmetur homo*, alius *negetur*: verificatur tamen contradictio in ratione *Petri*: quia ob diſtinctionem realem vnus habet conſtitutiuum *Petri*, quo caret alius. Iam ad præſens Paternitas nequit negari, quòd ſit eſſentia,

Diſtinctio in tertio non infert quamcumque contradictionẽ.

quamtumuis

quantumuis ab hac diſtinguatur realiter in tertio, quia ob hanc diſtinctionem nullo conſtitutiuo requiſito ad denominationem eſſentiæ caret, negatur verò Paternitas, quòd ſit *communis*, ſicut *eſſentia*; nam diſtinctio realis in tertio excludit à Paternitate aliquod requiſitum, ſcilicet identitatem cum Filiatione, titulo cuius eſſentia dicitur *communis*.

197 *Poteſt creſcere contradictio, licèt non creſcat diſtinctio in tertio.*

Hinc ad confirmationes, quæ adducuntur in eodem §.29. Reſpondeo ad primam; eſſentia diuina negatur eſſe *ratio diſtinguendi* modo explicato §. 195. quia realiter caret aliquo requiſito (ob diſtinctionem in tertio) ad hanc denominationem; non verò caret, ne denominetur, ſeu affirmetur de illa, quòd ſit Paternitas, ſiquidem quantumuis diſtinguatur in tertio, adæquatè tamen identificatur cum integro conſtitutiuo Paternitatis. Ex hac eadem doctrina reſponderi poteſt ad ſecundam confirmationem. Etenim quemadmodum diſtinctio realis in tertio poteſt eſſe ſufficiens, ſeu conducere ad vnam contradictionem, & non ad aliam, ita poterit conducere ad vnā contradictionem in ſtrictiori ſenſu, quàm ad aliam: Et ſic ſe habet diſtinctio in tertio ſeu identitas eſſentiæ cum tertio, verbi gratia, cum Paternitate producente realiter diſtincta à Filiatione producta, hæc enim diſtinctio omnino tollit, etiam identicè, quòd ſit eſſentia *producta*, & quòd ſit *realiter diſtincta* à Paternitate. At verò huiuſmodi diſtinctio, ſeu identitas cum tertio diſtincto non tollit, quominus natura ſit identitè *vnita*; quia huic denominationi nihil habet oppoſitum & repugnans eſſentia diuinâ, eo quòd identificetur cum tertio diſtincto, vt magis explicabitur ſect. ſeq. Ad rationem à priori quæ adducitur in fine huius §. 29. fateor diſtinctionem proportionari cum negatione; negatione, inquam, prædicati in abſtracto, ſecus prædicati in concreto, cuius poteſt dari negatio immediata; quin detur immediata diſtinctio à forma incluſa in tali concreto, vt ſæpius dixi in his diſputationibus maximè diſput. 14. ſect 6.

198 *Minor difficultas eſt in myſterio Trinitatis quàm in contradictione, ſine diſtinctione in tertio.*

Ad duodecimum argumentum in §. 31. ſatis patet ſolutio ex tota ſect. 19. ea namque integrè inſtituta eſt, vt appareat quantò minoris difficultatis ſit myſterium Trinitatis, vt à fide docetur, quam immediata contradictio, & negatio, ſine vlla prorſus diſtinctione reali, ſaltem in tertio, & quidem etiam aduerſarij fateri tenentur eſſe omnimodam repugnantiam & implicantiam in terminis contra rationis lumen verificari à parte rei, & in ſenſu ſimpliciter, & abſolutè reali negationem vnius de alio, à quo non habeat ſimilem diſtinctionem: cùm tamen nemo Catholicè dicere audeat myſterium Trinitatis, ſeu identitatem vnius cum pluribus, eſſe contra rationis lumen, implicareve omnino in terminis eſſentiam non diſtingui realiter à Paternitate, dum identificatur cum aliquo habente diſtinctionem ſimpliciter realem à Paternitate. Igitur hoc duodecimum argumentum ab omnibus ſolui oportet, dum omnibus fatendum eſt maiorem apparere difficultatem in eo, quòd componatur ſimplicitas cum negatione immediata, quàm cum negatione ſolùm in tertio, ſeu identitate cum pluribus diſtinctis: quod ego iterum explicare non teneor, cùm ſatis id explicarim ſect. 19. citata.

199 Sed vt ſigillatim ad probationes; quæ adducuntur in eodem §. 31. vt probetur æqualis vtriuſq; rei difficultas (difficultas ſcil. ſimplicitatis cum Trinitate, ac eiuſdem ſimplicitatis cum negatione immediata) reſpondeam. Ad primam dico, quòd Paternitas non ſit eſſentia quoad aliquod prædicatum (hoc eſt) non ſit aliquod prædicatum identificatum cum eſſentia, hoc bene intelligitur, quia Paternitas habet realem diſtinctionem à tali prædicato. Si autem volitio ex parte rei *non eſt principium Verbi*, cùm aliunde identificetur cum omni conſtitutiuo talis *principij*, non apparet quid denotet, vel deſtruat talis negatio. Ad ſecundam: *vnum* minùs excludit plura, quàm excludat *non eſſe illud idem, quod eſt*; in hoc enim eſt implicatio in terminis vt ſuprà dixi, & Catholicè fateri tenentur aduerſarij, vnum, ſcil. eſſentiam, poſſe identificari cum pluribus realiter diſtinctis, cùm tamen non poſſit realiter identificari cum eo, quod realiter non eſt ipſa. Ad tertiam, dum eſſentia eſt vna in eſſe eſſentiæ, ſeu Deus eſt vnus in eſſentia, & trinus in Perſonis, iam apparet à parte rei quid ſignificetur per Trinitatem ſeu diſtinctionem in perſonis. At verò ſi intellectio *in eſſe volitionis*, non ſit principium Verbi, nulla intercedente diſtinctione reali volitionis ab intellectione, non poteſt concipi quid in re ſignificetur per ly *in* eſſe *volitionis*, in quo ſaluetur ex parte rei, quod non principiet Verbum. Neque proprietas harum locutionum *intellectio eſt principium Verbi, volitio non eſt principium Verbi*, cogere debet ad admittendam negationem hanc ex parte obiecti, adeo rationis lumini repugnantem, præcipuè cùm ſatis explicuerim has propoſitiones ſect. præced. §. 166.

SECTIO XXII.

Reſpondetur argumentis in ſectione 4. deſumptis ex contradictione vniti *hypoſtaticè,* cognoti *&* principiantis.

QVinque argumenta ſoluenda reſtant, quæ in ſect. 4. proponuntur, & in præſenti ſoluentur. 200
Ad 13. in §. 12. quod ſumitur ex negatione *vnita*, vt reſpondeam; noto ſubiectum poſſe eſſe incapax alicuius effectus formalis vel *abſolutè*, vel *reſpectiuè* per hanc formam determinatam. Sic humanitas Chriſti capax eſt vt reddatur *cognoſcens* abſolutè, non tamen vt fiat *cognoſcens* per cognitionem increatam; quia ſc. hæc cognitio ſolùm proportionatè cõparatur cum increata natura; & è contrà humanitas ſolùm proportionatè comparatur, vt reddatur *cognoſcens* à forma creata cognoſcendi. Noto ſecundò, vbi in ſubiectis detur aliqua realis diuerſitas non implicare, quòd aliqua forma comparetur, vt ita alligata, & quaſi modificans vnum ſubiectū, vt non poſſit modificare aliud: ſic quantumuis Petrus, & Paulus ſint adeo ſimiles; nihilominus vnio, vbicatio, & duratio, quæ ſeruiunt Petro, non poſſunt ſeruire Paulo; quia ſcilicet ſunt alligati tanquam modi, ita ſpecialiter Petro vt improportionatè comparentur cum Paulo; Quare licèt diuinitus (ponamus vbicationem, verbi gratia, eſſe qualitatem abſolutam, ſicut eſt cognitio) communicarentur Paulo, adhuc ipſi non communicarent ſuos effectus formales. Noto tertiò ad hanc ſpecialem alligationem, & quaſi modificationem ſufficere quamcunque diuerſitatem realem ex parte ſubiecti; etenim dum forma ſpecificetur vel indiuiduetur determinatè per ordinem ad ſubiectum talis conditionis, iam improportionata erit ſubiecto, quod eiuſdem cognitionis non fuerit: ſubiectum autem diuerſæ conditionis euadit, eo ſolùm quòd ex aliqua parte, vel alicubi

Quotupliciter poſſit ſubiectum eſſe incapax alicuius effectus formalis.

Vt vna forma alligetur vni ſubiecto, & comparetur vt improportionata ad aliud; ſufficit quæcunque diuerſitas realis in hoc.

diuerſum prædicatum realiter habeat; Ergo & forma poteſt eſſe improportionata vni, & non alteri.

201

Cur poſſit de natura negari quod ſit immediatè vnita?

Hinc ad argumentum decimum tertium fateor, naturam negari *vnitam* immediatè cum humanitate; quia licèt vnio hypoſtatica ex parte termini æquè immediatè reſpiciat perſonalitatem verbi, quam naturam, nam quidquid eſt in Filio condiſtinctè ab vnione, æquè immediatè eſt natura, ac Filiatio. At vnio illa ex propria conditione, & quaſi ex parte modi eſſendi intra lineam vnionis determinata eſt, & ſpecificatur, ſeu modificat (vt ita dicam) quaſi ſubiectum, id quod realiter non ſit Pater, ſeu quod careat realiter prædicato Paternitatis: tale autem quaſi ſubiectum non conuenit niſi ſoli Filiationi, & ideo ſolùm reſpectu huius comparatur vt forma proportionata ad communicandum ipſi effectum formalem *vnita*, non verò reſpectu *naturæ*, quæ licèt aliàs capax, vt fiat *vnita*, non tamen per hanc vnionem; vti Petrus non poteſt reddi *vnitus* per vnionem Pauli, quia iſta vnio eſt determinata, vt ſolùm ſit vnio Pauli; vnde non eſt forma proportionata reſpectu ſubiecti quod habuerit aliud eſſe præter Pauleitatem; igitur ſimiliter vnio hypoſtatica non erit forma proportionata reſpectu ſubiecti, quod habuerit aliud *eſſe* præter Filiationem, qualis eſt natura, quæ vltra Filiationem, Paternitatem etiam identificat. Ideo è contrà, natura, ſi comparetur cum Paternitate, potiùs dicitur mediatè *vnita*, quàm Paternitas, quia illa vnio vti vt immediatè, & formaliter vniat, hoc eſt ita vniat, vt vbicumque ſit terminus eum reddat *vnitum*, ſpecificatur à termino vnito, qui nullibi ſit Paternitas, ideoque ſolùm immediatè & formaliter dicitur vnire Filiationem non verò naturam, ita vt *mediatè* denominet *vnitum*, ſpecificatur à termino, qui alicubi ſit Filiatio vnita; & ob hanc cauſam cum Paternitate non comparatur vt forma proportionata ad communicandum ipſi effectum formalem *vnita* nec mediatè, cùm nullibi identificetur tum termino vnito, ſicut identificatur natura.

Quid ſit in natura eſſe mediatè vnitam, & cur non ſit vnita immediatè.

Cur ſit vnita mediatè præ Paternitate.

202

Ad denominationem vniri mediatè, & realiter ſufficit identificari cum vnito, ad produci tamen non ſufficit identificari cum producto.

Vnde natura non ideo præcisè dicitur *innunita*, quia identificatur cum *innunito* hoc enim rectè impugnatur in §.33. & vt iterum dicam ad 15. argumentum, poſſet natura vniri immediatè, quin vlla perſonalitas vniretur immediatè. Mediatè autem ſeu identicè, & realiter in eo caſu Perſonalitas diceretur *vnita*; vniri enim realiter, ſeu identicè, nil aliud eſt, quàm identificari cum termino vnito quòd ſi ad *produci* non ſufficit identificari cum termino producto; ſiquidem natura identificatur cum Filiatione producta, nec tamen producitur vllo modo realiter. Ideo eſt, quia *Productum realiter* debet eſſe realiter diſtinctum à producente, cùm autem natura quantumuis identificata cum producto, adhuc non diſtinguatur realiter à producente, ideo nec realiter dicitur *produci*. Realiter tamen ſeu identicè dicitur *vnita*, quia huic denominationi nil impedit eſſe identificatam cum *innunito*; natura igitur ſi dicitur immediatè *innunita*, ideo eſt; quia hæc vnio hypoſtatica limitata eſt, & alligata ſeu ſpecificata, & modificans extremum, quod realiter non ſit Pater; vti vnio Petri ſolùm eſt proportionata vt vniat extremum, quod non ſit Paulus, vt dixi §. præcedent. Vnde quantumuis vnirentur omnes tres Perſonæ poſſet adhuc natura manere *Innunita*; quia ſcilicet adhuc illæ vniones ſpecificarentur, & limitatæ eſſent da vniendum extremum, quod indiuiſim non ſit, nec habeat identificatas tres perſonalitates, qualis non eſt perſona quælibet.

Hinc nulla noua ſolutione indiget argumentum decimum quartum in §. 34. Admitto libenter vti per triplicem vnionem poſſunt vniri tres perſonalitates, quin vniatur eſſentia, ita etiam poſſe omnes tres vniri per vnionem ſimplicem innunitâ adhuc remanente eſſentia, quæ tunc compararetur cum prædictâ vnione, vt cum formâ improportionatâ reſpectu ſui; eſt enim illa vnio ex ſuo modo tendendi vnio extremorum relatiuorum, ſeu vnio extremorum non identificantium ſecum plures relationes diſtinctas realiter; vnde valde differret modus tendendi vnionis illius ab vnione aliâ poſſibili, quæ ex propriâ conditione, & modo tendendi haberet quaſi modificare extremum abſolutum, ſeu eſſe vnionem extremi identificantis relationes oppoſitas. Hæc autem diuerſitas ex parte formæ, licèt non detur ex parte ſubiecti, ſeu licèt ſubiectum cum nullâ formalitate realiter innunita identificetur, ſufficit, vt tale ſubiectum ſit incapax recipiendi effectum formalem *vniri* per talem formam iuxta doctrinam datam in §§. præcedentibus. Opus tamen eſt, vt vnio aliqua ſit potiùs forma proportionata reſpectu Perſonalitatis, quàm reſpectu eſſentiæ, quòd iſta eſſentia habeat aliquam realem diuerſitatem ratione identitatis cum tertio realiter diſtincto. 203

Solutio ad argumentū decimum quartum.

Poſſent vniri omnes tres perſonalitates immediatè quin immediatè vniretur natura.

Ad decimum quintum argumentum in §. 35. ex modò dictis conſtat in caſu illo impoſſibili, quòd in Deo daretur ſola vna perſona, nequaquam fieri poſſe, quòd vnio fieret in perſona, & non in natura: ſiquidem nullo titulo poſſet concipi vnio potiùs proportionata cum perſonalitate, quàm cum natura. Ad primam probationem, quæ adducitur à paritate ſimplicis perſonæ Patris, quæ per vnionem identitatis ſecundùm naturam vnitur Filio, & non ſecundùm perſonalitatem, reſpondeo hoc ideo euenire, quia ipſa vnio identitatis cum Filio formaliſſimè facit, quòd ipſa natura Patris ſit aliquo modo realiter diuerſa à Paternitate, hoc eſt, realiter habens aliquod prædicatum, nempe Filiationem, qua caret Paternitas; ſi autem Deus eſſet ſolùm vnius Perſonalitatis, nulla diuerſitas daretur ex parte naturæ. Ad ſecundam probationē, quæ adducitur à paritate eſſentiæ, quæ modò vniatur ſine perſonis, conſtat ſatis diſcrimen ex §. 202. 204

Si in Deo eſſet tantùm vnica perſona, non poſſet vnio fieri in Perſonalitate, & non in natura.

Ad argumentum decimum ſextum in §. 36. quod magnifacit P. Ioan. Martinon 1. part. diſput. 3. de Attributis ſect. 6. num. 37. & P. Arriaga diſput. 5. logicæ ſect. 4. & 1. part. diſput. 9. ſect. 4. & 5. ſunt qui reſpondeant cum P. Hurtado diſput. 6. met. §. 148. eo quòd detur diſtinctio immediata virtualis inter eſſentiam, & relationem, titulo huius diſtinctionis potiùs negandam eſſe hanc contradictionem *in cognoſci*. Vnde patet quàm parum conſtantia ſint hominum ingenia, dum idem argumentum vni ſuadet eandem concluſionem, quam diſſuadet alteri. Id tamen dicam præter vnum Arriagam neminem ſcriptorum, quem viderim, auſum fuiſſe concedere Deo cognitionem præciſiuam, vnde ſperni non debet inſtantia, quæ adducitur contra hoc argumentum è cognitione diuina, qua Deus de ſe dicit. *Paternitas non eſt Filiatio*, quin illa cognitio intactam relinquat eſſentiam, ſed æquè immediatè eſſentiam cognoſcat à Filiatione indiſtinctam; ergo ſicut hoc ſtat in cognitione diuina, quin ideo falſitatis arguatur, idem dicendum eſt de cognitione creata, huic enim ſolùm præſtat diuina in adæquatione ex parte modi, & claritatis tendendi; nam ex parte obiecti nulla diuerſitas eſt. 205

Soluitur argumentum ex contradictione cogniti.

Præterea

Prima ſolutio.

Præterea vt in præcedentibus argumentis dixi, Eſſentiam quantumuis ſit immediatè terminus vnionis, adhuc non denominari *vnitam* per vnionem hypoſtaticam, quia talis vnio eſt limitatæ conditionis, & modi tendendi, ratione cuius non eſt forma proportionata vt denominet terminum, qui ſit realiter Paternitas; ita illa propoſitio *Paternitas non eſt Filiatio*, licèt immediatè tangat eſſentiam, hanc tamen non denominat *cognitam*, nec *affirmatam*, quia ſolùm eſt proportionata reſpectu obiecti, quod non ſit Filiatio, quale ſubiectum non eſt *eſſentia*.

206 *Abſoluta ſolutio negans contradictionem in cognoſci.*

Sed his omiſſis Reſpondeo abſolutè per ly *Paternitas non eſt Filiatio* attingi immediatè, & formaliter *eſſentiam* ex parte rei non minùs immediatè, quam ipſam Paternitatem, licèt non ex parte modi, ſeu modo adæquato, ſeu exprimente adæquatè intentionaliter totum, quod eſt eſſentia, quemadmodum, vti cum de homine prædico *animal*, attingo *rationale* ex parte obiecti, licèt non ex parte modi; quia ſcilicet in imagine intentionali *animal* non delineatur intentionaliter, & expreſsè ſub hac voce *rationalitas*. Probatur reſponſio 1 *eſſentia* eo ſolùm poteſt dici *non cognita* per illam propoſitionem; quia non cognoſcitur modo adæquato, & exprimente intentionaliter totum, quod eſt obiectum in *eſſe* rei. At id non tollit quominus dicatur eſſentia immediatè cognita ex parte obiecti; Ergo. Conſequentia patet, & minor in cognitione, quæ dicit hominem eſſe *animal*, quæ immediatè attingit ex parte obiecti *rationale*. Maior probatur; Nam, vt eſſentia realiter non ſit cognita, opus eſt, vt ei aliquid reale deficiat, quod conuenit Paternitati (etenim omnis negatio realis fundatur in aliquo defectu reali) ob quod Paternitas denominetur *cognita*; Nihil autem deficit ex parte obiecti: Dices deficit *diſtingui*, *ſeu non eſſe Filiationem*, quod ſoli conuenit Paternitati. Sed contra: ſtat dici de eſſentia licèt falsò (vt dicitur ab hæreticis) *non eſſe Filiationem*; Ergo potiùs deberes concedere, quòd illa propoſitio ſit falſa, quia negat Filiationem de ſubiecto, quod in re eſt Filiatio, quàm negare, quòd realiter cognoſcatur eſſentia; ſiquidem huic nil deficit, ne dicatur *cognita* per illam propoſitionem vt falſam. Addo illam propoſitionem non eſſe falſam, quantumuis cadat ſupra eſſentiam; nam cadit ſupra eſſentiam, non exprimendo in modo tendendi ly *eſſentia*, ſed ly *Paternitas*, de eſſentia autem ſub expreſſione intentionali *Paternitatis* bene negatur Filiatio; veriſſimè enim dicitur: *Eſſentia eſt Paternitas, non Filiatio*: veriſſiméque cadit ſupra eſſentiam: *Paternitas non eſt Filiatio*. Compara, quæſo, hanc cognitionem cum eſſentia, quid illi deficit præter modum tendendi per expreſſionem intentionalem, & quaſi vocem *eſſentia* ne cadat æquè ſupra eſſentiam, ac ſupra Paternitatem; ſiquidem nullum munus, nullam phyſicam reſpicientiam exercet potiùs in Paternitatem, quàm in eſſentiam, reſpicere autem intentionaliter aliud non eſt, niſi in ſuo modo habere delineationem intentionalem, quæ ſit per modum *Paternitatis*, & non *eſſentiæ*, quod nullam affinitatem parit cum obiecto in *eſſe* rei; ergo cum hoc ſit æquè immediatè eſſentia, ac Paternitas, vtrumque ex parte obiecti erit cognitum.

Hæc propoſitio: Paternitas non eſt Filiatio non eſt falſa licèt tangat ex parte obiecti eſſentiam.

207 *Cur in hac propoſitione homo diſcurrit: Diſcurſus non ſolùm prædicetur, & verificetur de rationalitate, ſed etiam de animalitate?*

Dices quia in homine ex parte obiecti, dum dico: *eſt diſcurſiuus*: attingitur *animalitas*, iſta ex parte obiecti diſcurrit. Ergo ſimiliter ſi per ly *Paternitas generat, vel non eſt Filiatio* ex parte obiecti attingitur eſſentia, hæc ex parte obiecti generabit, & non erit Filiatio. Reſpondeo; nego ly *quia*, nam illa propoſitio de homine vera eſſet, licèt animalitas non diſcurreret ex parte obiecti, ſi vti in Trinitate non obſtante identitate, poſſet animalitas non diſcurrere, diſcurrente rationalitate. Neque veritas requirit niſi conformitatem cum obiecto in *eſſe* rei, iuxta modum tendendi ipſius cognitionis, ſi verè ex parte obiecti ita contingit, vt eſſentia non diſtinguatur à Filiatione, Paternitas verò, quæ eſt eadem eſſentia, diſtinguatur; quid mendacij erit, ſi ſupra eſſentiam *cadat non eſt Filiatio*, ſupra eſſentiam, inquam, ſub expreſſione *Paternitatis*? Cùm habeat eſſentia diſtingui, & non diſtingui ſub diuerſis expreſſionibus, qui ſub vna affirmat de *eſſentia* diſtingui, non mentitur, ſed præſcindit; licet enim affirmatio cadat ſupra eſſentiam ex parte obiecti, non tamen affirmo *eſſentiam eſſe diſtinctam ex parte obiecti*: ſed verè ex parte obiecti eſſentia terminat affirmationē exprimentem modum tendendi Paternitatis, dum dico: *Paternitas diſtinguitur à Filiatione*, quod veriſſimum eſt; nam tantum petit veritas fidei, ne modus tendendi per modum, & imaginem, ſeu delineationem intentionalem *eſſentia* ſubiaceat diſtinctioni. Et quidem totum argumentum manifeſtè inſtatur in ſenſu reali, & identico; nam ſaltem realiter ſub voce *Paternitatis* cadit *eſſentia*; nec tamen vllo modo verum eſt ex parte obiecti: *Eſſentia realiter diſtinguitur à Filiatione*; ſed de hoc 16. argumento hæc ſufficiant, nunc plura dicturus dum in tract. de viſione quæram, poſſit-ne videri vna perſona ſine alia, diſput. 31. ſect. 4.

Inſtatur argumentum in ſenſu reali.

208 *Solutio argumenti 17. in §. 37.*

Denique in §. 37. Ad 17. argumentum reſpondeo, prorſus implicare, quòd inter duas formalitates identificatas immediatè verſetur ex parte rei vera relatio *producentis*, & *producti*; ita vt verè independenter ab intellectu noſtro collata immediatè vna formalitate, de illa poſſit dici *fluere*, *manare* & *produci*, ſeu *principiari* ab alia, de quo plura à §. 96. eſt enim per ſe notiſſimum principiatum debere diſtingui à principiante in eo ſenſu, in quo verè principiatur; aliunde autem non minùs manifeſtum eſt principiationem, quæ in re contingit independenter ab intellectu noſtro, realem eſſe, ſicut eſt homo, & ens reale, quidquid eſt aptum exiſtere independenter ab intellectu. Præterquam quòd totum argumentum Catholicis pro diſtinctione reali Filij diuini à Patre, ſumitur ex vera principiatione, quæ datur à parte rei independenter ab intellectu noſtro, vt bene expenditur in hoc argum. à §. 41. & rurſus in §. 96. Ergo inter formalitates immediatè identificatas realiter, nequit dari, quòd vna ſit principium alterius.

Implicat principium virtuale immediatum.

209 *Cur natura dicatur radix perſonalitatum, & his comparentur vt proprietates.*

Ad primam probationem pro hac principiatione in §. 38. reſpondeo eſſentiam non eſſe principium Paternitatis; dicuntur tamen omnes relationes, ipſaque Paternitas *proprietates* naturæ, & rurſus ipſa Natura *domina*, *genitrix*, & *primus conceptus*, ſeu *radix relationum*, quia conceptus *eſſentia*, etiam loquendo ex parte obiecti independenter ab intellectu noſtro ſoli *natura* conuenit, non verò vlli relationi, verbi gratia, Paternitati; quia ſcilicet Natura licèt immediatè non ſit prior Paternitate; at præ Paternitate habet ex parte obiecti loquendo eſſe radicem perfectionis in ſuppoſito, in quo eſt, eſt nempe radix Filiationis modo explicando in §. ſeq. & diſp. 17. cum qua facit vnum ſuppoſitum in Filio, quod nullo modo conuenit ipſi Paternitati; ideo etiam ex parte rei loquendo,

quendo, ſoli naturæ, non verò Paternitati conuenit conceptus *eſſentiæ*, ſeu eſſe de eſſentia Dei, & ob hunc titulum, qui euenit ex parte obiecti independenter ab intellectu, natura dicitur radix, & quaſi principium Paternitatis; hoc verò nihil conducit ad adſtruendam immediatam & veram principiationem, ſeu relationem eſſentiæ, vt *producentis* ad Paternitatem vt *productam*.

210 *Filius quomodo ſit ex & de ſubſtantia Patris.*

Ad ſecundam probationem in §. 39. admitto has propoſitiones. *Filius eſt ex ſubſtantia Patris, de natura Patris. Natura eſt pro priori ad generationem Filij*, & ſimiles; at hæ omnes propoſitiones ſolùm verificantur ratione diſtinctionis realis in tertio, quatenùs natura intelligitur in Patre producente pro priori originis, pro quo Pater intelligitur principium Filiationis; etenim Pater pro prædicto priori concipitur vt Deus, & conſequenter vt habens naturam diuinam. Quare natura diuina, ſi immediatè & præcisè comparetur cum Filiatione, non eſt Principium verum illius: eſt tamen quaſi principium illius in tertio, hoc eſt, conſtituit tertium, ſcilicet Patrem etiam pro priori, pro quo eſt verum & reale principium Filij. An verò ob iſtum modum ſe habendi, poſſit dici de natura diuinâ, *quòd generet, vel producat Filium*, res eſt maioris difficultatis, de qua in tractatu de Trinitate communiter omnes Theologi reiiciunt has propoſitiones, vt minimè congruas Concilio lateranenſi ſub Innocentio III. in capite *Damnamus de ſummâ Trinitate*, definiente, quòd natura diuina *non eſt generans, neque genita, nec procedens, ſed eſt Pater, qui generat, & Filius, qui gignitur, & Spiritus ſanctus qui procedit*; Quare opinio Richardi Victorini quoad hoc, nullatenus eſt admittenda, de qua plura dixi à §. 148.

211 *Quid de Spiritu ſancto?*

Ad tertiam probationem in §. 40. idem quod dixi de natura Patris, vt ſit prior in tertio reſpectu Filiationis, dicendum etiam eſt de natura Patris & Filij addita relatione Spiratoris, vt ſit prior reſpectu ſpirationis paſſiuæ. Quare nunquam ex toto hoc argumento 17. probatur vera principiatio ex parte obiecti, niſi ſolùm in tertio modo explicato? Vnde potiùs confirmatur, quàm impugnetur inter formalitates diuinas identificatas maior diſtinctio ex natura rei, quàm realis in tertio. Denique ad principiationem immediatam, quæ maximè opponitur reſpectu actuum liberorum Dei adæquatè cum voluntate principiante identificatorum facillimè reſpondeo negatâ identificatione, de quo plura in tractatu de voluntate.

SECTIO XXIII.

Proponitur nouâ explicatione diſtinctio virtualis ex natura rei, & reÿcitur.

212 *Explicatur virtualis diſtinctio compoſita cum reali identitate.*

CVm hinc maximè impugnata huc vſque ſit diſtinctio virtualis intrinſeca, (ſeu intrinſecè inuenta in naturis rerum independenter ab intellectu) quod diſtinctionem realem immediatam inter formalitates ſic diſtinctas, vel ſaltem mediatam arguat à prædicato negato, ſine ab aliqua conditione requiſita ad ſuſcipiendam denominationem, & effectum formalem talis prædicati, vt ſatis latè in præcedentibus vidimus ſæpè; ideò aliter, vt clariùs appareat doctrina huc vſque data, & repugnantia omnis diſtinctionis ex naturâ rei, ſic libet explicare diſtinctionem iſtam virtualem intrinſecam, quæ purè virtualis ſit, quin officiat identitati reali, quamuis actu verificet propoſitiones contradictorias.

Illa diſtinguuntur ſic virtualiter purè, quæ neque in abſtracto, neque in concreto recipiunt contradictionem eſſendi, ſeu per verbum ſubſtantiuum *eſt*; ſed ſolùm per verbum adiectiuum, v.g. de intellectione diuinâ affirmatur *eſſe principium verbi*, & quoad hoc nulla datur negatio de volitione; etenim quantumuis volitio abſolutè *non principiet*, nec realiter neutiquam dicendum eſt actu ſiue realiter, ſiue virtualiter: *volitio non eſt intellectio, non eſt intelligens, non eſt principium Verbi, non eſt principiãs ſeu principiare*, &c. Nam potiùs debet dici, quòd ſit omnia: *eſt intellectio, eſt principium, eſt ipſum principiare*. Ita vt nihil verificetur de intellectione quod per ly *eſt* non applicetur volitioni; nihilominus non applicatur quoad munus; volitio enim *non intelligit*, non *principiat*, &c. Sicut in myſterio actuum liberorum ſi ponantur Deo adæquatè intrinſeci: *Deus eſt nolitio, eſt ipſum nolle mundum*; at adiectiuè non dicitur de Deo, quòd *nolit*. 213

Per verbum ſubſtantiuũ, & adiectiuum.

Iuxta quam explicationem hoc argumentum fit pro diſtinctione virtuali, ne negatio & contradictio arguat realem diſtinctionem quoties vna formalitas ita comparatur cum aliquo prædicato, vt ſemper verificet ly *eſt* & in nullo ſenſu ex parte obiecti ly *non eſt*: implicat realis diſtinctio. Sed hæc verificatio præcisè requiritur ad diſtinctionem virtualem intrinſecam; ergo in iſta non arguitur realis diſtinctio. Conſequentia patet, & maior ex ſect. 5. Vbi latè probaui, quòd ly *eſt* denotet identitatem, neque vlla diſtinctio realis ſit ſine ly *non eſt*. Minor formaliſſimè & præcisè intenditur per diſtinctionem virtualem, ſic enim volitio & intellectio ſe habent quaſi diſtinguerentur realiter, item hoc ſolùm denotatur, quando dicitur. *Volitio virtualiter non eſt intellectio, non eſt principium Verbi*, id eſt actu, realiter, & formaliter eſt quidem principium, eſt ipſum principiare: at nec realiter *principiat*, ita ſe habet ad non principiandum verè & realiter, ac ſi non eſſet principium, quemadmodum dici ſolet de actibus liberis, vt ita verbi gratia nolitio mundi verè & ex parte obiecti exiſtens, non denominet tamen *Deum nolentem*, ac ſi realiter deeſſet, ac ſi Deus non eſſet nolitio. 214

Quare nec datur hic diſtinctio vti inter vnam relationem & aliam, quia negari nequit forma in abſtracto, vt ibi *Paternitas non eſt Filiatio*, neque datur diſtinctio, quæ inter relationem & eſſentiam, quia in his negatur ly *eſt* in concreto: eſſentia enim licèt ſit ipſa generatio, non tamen eſt generans, neque in Patre ſicut neque in Filio eſt producta, & ideò requirit aliquam realem diuerſitatem & diſtinctionem in tertio, at verò iuxta hanc explicationem diſtinctionis virtualis volitio *eſt principiatio Verbi, eſt principium*, ſeu *principians etiam in concreto eſt*, cætera omnia quæ applicentur per ly eſt, & præcisè habet, quòd non principiet adiectiuè. 215

Diſcrimen inter diſtinctionem hãc purè virtualem, & realem in tertio.

Quòd autem in Deo hæc contradictio admitti poſſit ſine vlla diſtinctione obiectiua *in eſſendo*, ratio eſt: quia affirmatio & negatio ſic adiectiuè ſolùm ſibi contradicunt in eſſe limitato, ratione enim limitatæ perfectionis limitantur, ſeu opponuntur, & diſtinguuntur creaturæ pro oppoſitione prædicatorum, & conſequenter cùm *eſſe* diuinum ſit illimitatum, 216

limitatum, nihil non in ipſum cadet, ad omnia ſe extendet prædicata, quantumuis oppoſita, vbi hæc extenſio non dicit imperfectionem, *principiare* autem verbum per intellectum, & non per voluntatem; non dicit vllam imperfectionem, vti dicit indiſtinctio in prædicatis relatiuis, in quibus maior perfectio eſt diſtingui; Etenim eſſe *producentem*, & *productum* in ipſa linea perfectionis dicit oppoſitionem, pertinetque ad perfectionem, quòd oppoſitio relatiua diſtinguat realiter.

217 Iam verò quòd in infinitate perfectionis diuinæ ſeu in *eſſe* illimitato non opponantur prædicata, quæ in ente finito omnino contradictoria forent, patet primò. In rebus finitis, *maius eſt totum ſua parte, additione fit maius: qui poteſt quamlibet partem, poteſt omnem, implicat quòd quis non poſſit ponere in actu omne, quod poteſt*, &c. quæ omnia ſine contradictione ſunt in infinitis: infinitum enim additione non creſcit, eius pars media eſt etiam infinita &c. Secundò vna perſona diuina eſt æqualis tribus ob infinitatem, quod repugnat in rebus finitis. Tertiò Paternitas eſt eiuſdem numero eſſentiæ cum Filiatione, nec tamen eſt Filiatio. Quartò de ipſa numero eſſentia prædicatur identitas cum diſtinctis, quæ identitas in re finita contradictoria eſt, infinitas ergo habet abſorbere ſine contradictione prædicata oppoſita, quæ aliàs ſibi contradicerent.

218 Quintò huius ratio à priori eſt; quia *eſſe* quò perfectius eſt, comprehendit perfectiones magis diſtantes & oppoſitas in natura inferiori. Sic in intellectu datur virtus cognoſcitiua coloris & ſoni, quæ in ſenſibus diſtinguitur, ergo *eſſe* infinitè perfectum comprehendet prædicata etiam infinitè diſtantia, ſeu contradictoria: quemadmodum linea quæ infinitæ longitudinis eſt, attingit puncta etiam infinitè diſtantia. Eſt enim de conceptu perfectionis infinitæ non carere aliqua perfectione ſimpliciter ſimplici, quantumuis magna ſit oppoſitio, dum hæc oppoſitio non includat quòd ſit maior perfectio *diſtingui* ſeu carere iam verbi gratia *principiare* verbum per intellectum, & non per voluntatem in *eſſe* perfectionis nullam oppoſitionem dicunt: tota enim oppoſitio naſcitur ex contradictione prædicatorum; Ergo perfectio infinita Dei comprehendet hæc prædicata oppoſita, & diſtantia, vti longitudo infinita lineæ puncta infinitè diſtantia quæ non attingit linea finita.

219 *Impugnatur explicatio 3.a.* Hæc explicatio diſtinctionis virtualis clariſſimè explicat eiuſdem difficultatem & repugnantiam; qui enim fieri poteſt vt detur, vel negetur nouus effectus formalis realis, ſine vlla nouitate, vel diuerſitate ex parte obiecti? Confugere autem ad myſterium actuum liberorum eſt velle omnia occultare altiſſimo myſterio. Præterea neque in his capi poteſt ſine aliqua nouitate *terminationis*, *connotationis* vel *carentiæ* in re dari ex parte obiecti nouum effectum formalem; Ergo vt realiter verum ſit de volitione. *Non principiat*: opus eſt vt ei aliquid realiter deſit, quod in hoc, quod eſt *principiat* imbibitur. Neque capi valet oppoſitum.

220 *Non poteſt dari nouus effectus formalis ſine aliqua nouitate reali.* Ratio huius eſt, quia verba adiectiua ſemper fundantur vel ex parte ſubiecti vel formæ in aliquo ſubſtantiuo, ad modum, quo accidens ſemper adhæret, & adiacet ſubſtantiæ; ſi enim aliqua res *mouetur*, *cauſat*, *albeſcit*, *intelligit*, ne hæ denominationes chymericæ ſint, opus omnino eſt, vt detur nouum *eſſe* reale ex parte obiecti, vt detur aliqua nouitas eſſendi, addito motu reali, cauſatione, albedine, &c. Quòd ſi aliquando cum eâdem formâ non datur eadem denominatio, vti lapis non intelligit, licèt habeat intellectionem eandem, quam intellectus ideo eſt; quia non datur in ſubiecto eadem realis capacitas, & virtus intellectiua.

Confirmatur primò non poteſt non eſſe entitas realis, quæ realiter *mouet cauſas*, &c. Ergo ipſum formale munus mouendi & cauſandi realitatem ſeu *eſſe* ſubſtantiuum imbibit; in eo namque diſtinguuntur hæ denominationes, quando ſunt veræ, ac quando ſunt fictitiæ; Ergo vbi munus hoc adiectiuum realiter deficit, deficit etiam aliquod eſſe reale. Confirmatur ſecundò idem manens idem, natum eſt ſemper facere idem; Ergo & eſſe idem; ergo implicat, niſi varietur *eſſe* ſubſtantiuum, variari munus adiectiuum, ſeu denominatio ex verbo adiectiuo; Ergò volitio, verbi gratia ſi non principiat realiter, aliquid realiter ei deficit ad principiandum verbum: quis dicat duas res eſſe omnino ſimiles realiter, ſi vna realiter principiet, & alia non principiet: ergo à fortiori nequibunt eſſe omnino idem realiter. 221

Neque huic contradictioni mederi poteſt infinitas: primò quia ſi nulla attenta diſtinctione in obiecto infinitas verificat contradictoria; ergo de natura diuina in ſe præcisè inſpecta, cùm infinita ſit, dici poterunt verbi gratia *vniri & non vniri*, & à fortiori contra recentiores inter quælibet attributa dari poterit diſtinctio virtualis; ſiquidem contradictio, ſi non deſtruat identitatem, potiùs infinitatem commendet. Secundò ſic non eſſet opus ratione inueſtigare, repugnent-ne aliqua in Deo? ſiquidem euidentiſſima repugnantia deuoratur, vt idem *faciat* & *non faciat*. Tertiò nihil concludi poſſet in Deo; licèt enim fides dicat *eſſe* trinum, poſſet ſimul ſtare *non eſſe trinum*, Filiùs licèt *non generet*, poſſet idem manens *generare adiectiuè*. Quarta ſi infinitas emollit contradictionem in verbo adiectiuo, ſeruatque omnimodam identitatem realem cum illius negatione, ſimiliter negatio realis in eſſendo poſſet dici, quòd ob infinitatem non tollat identitatem realem. 222 *Infinitas nõ ſufficit poſſibilem reddere contradictionem.*

Ad inſtantias quæ opponuntur in §. 217. fateor plura inueniri in *eſſe* infinito, quæ ſine contradictione non euenirent infinito, quando ſcilicet ſunt imbibita in ipſa ratione *infiniti*, & hoc probat prima inſtantia. At *eſſe* & *non eſſe* contradictoria ſunt abſtrahendo ab infinitate, ſic generaliter dicitur ex ipſis terminis, *repugnat aliquid ſimul eſſe & non eſſe*. Ad ſecundam inſtantiam reſpondeo, vna perſona diuina eſt æqualis tribus, quia æquiualenter identificatur cum tribus ratione eſſentiæ. Ad tertiam fateor illud eſſe myſterium maximum, ſed quod nec infinitate mollitur rationi naturali, licèt conſequatur Deum eſſe infinitum, non tamen agnoſcit myſterium Trinitatis. Deinde myſterium hoc non eſt vbiuis multiplicandum. Præterea, quod maxime me vrget, neque in myſterio Trinitatis ratio ipſa naturalis, ita expreſſam repugnantiam ex terminis apprehendit, quam in contradictione formali, & in eo, quod *res ſit & non ſit*; nam prædicatum *non eſſendi* ſiue in abſtracto ſiue in concreto, ſiue ſubſtantiuè ſiue adiectiuè, adeo exprimit diſtinctionem, vt neque apprehendi poſſit ſine illa. Hinc patet ad quartum, identitas cum diſtinctis in creatis arguit diſtinctionem, ſed non exprimit formaliter diſtinctionem, non aperit ſimul idem cum diſtinctis non eſſe idem cum diſtinctis, quæ manifeſtiſſima implicatio eſt. 223 *Prædicata oppoſita in ente finito, quando non opponantur in infinito?*

Ad rationem à priori in §. 218. reſpondeo. Infinitas 224

nitas

nitas bene poteſt comprehendere perfectiones diſtinctas & oppoſitas poſitiuè in ente finito inferiori: at contradictoriè ſeu priuatiuè oppoſitas non poteſt; hic enim non ſolùm eſt infinita oppoſitio, ſed oppoſitionem arguit etiam in infinita perfectione; ſiquidem vniuerſaliſſimè ſine limitatione dicitur, *quodlibet eſt vel non eſt*, Inſtantia de linea infinitæ longitudinis diſparata eſt, vt cuiuis facilè patebit. Neque perfectio vlla eſt in hac contradictione prædicatorum, aliàs cùm quodlibet Dei attributum ſit infinitum, inter quælibet darentur plures contradictiones, vt iuſtitia puniret, & non miſericordia, quod eſt contra recentiores renuentes admittere hanc ſuam diſtinctionem virtualem inter quaſuis Dei perfectiones.

DISPVTATIO XVI.

An detur diſtinctio rationis inter attributa ſeu perfectiones diuinas.

SECTIO I. *Senſus quæſtionis, & diſtinctio rationis explicatur.*
SECTIO II. *Sententia negans.*
SECTIO III. *Sententia affirmans.*
SECTIO IV. *Sententia media.*
SECTIO V. *Datur diſtinctio rationis cum fundamento ſeu rationis ratiocinatæ inter perfectiones diuinas, etiam vt Dei proprias, non tamen inter omnes.*
SECTIO VI. *Statuitur regula quando admittenda ſit rationis diſtinctio inter perfectiones diuinas.*
SECTIO VII. *Reſpondetur argumentis pro prima ſententia negante diſtinctionem rationis in ſectione ſecunda.*
SECTIO VIII. *Iudicium de ſecunda & tertia ſententia in ſectione tertia, & quarta.*

Vide infrà qu 3. art. 7. dub. 3. & qu.4. art. 2. dub. 5.

NEGATA iam in diſputationibus præcedentibus diſtinctione omni immediata inter perfectiones diuinas, loquendo ex natura rei, ſeu ex parte obiecti, & independenter ab operatione noſtri intellectus iure indagandum venit, poſſit-ne per intellectum noſtrum fabricari diſtinctio aliqua? non tamen omnino inanis, & vacua ſoli imbecillitati, ſeu imperfectioni noſtræ cogitationis innitens, ſed ſolido, & firmo fundamento diuinæ, & ſummæ Dei perfectionis præcedente? non, inquam, quæ ſit merum mentis noſtræ figmentum ſine re, ſed quæ indicio ſit perfectiones plures inter diſtinctas creaturas diſperſas in vnam, & ſimpliciſſimam Dei Naturam coadunari, & per varios conceptus noſtros rè non vacuos ſignificari, vt dicam ſect. ſequenti.

Et de compoſitione rationis vide qu 3. art. 7. dub. 3.

Authoritatis pondus pro diſtinctione rationis inter diuinas perfectiones.

Nunc, quod mihi moris eſt, ne diſputationes variis Authorum citationibus confundam, placet præmittere quantum ſit authoritatis pondus in fauorem diſtinctionis rationis, quam inter diuina attributa, ſeu perfectiones conſtituam. In primis primum & præcipuum eſt, quod ex ſacra Scripturâ ſumitur ſæpius pronunciante per modum plurium perfectiones diuinas, Pſal. 110. *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius.* Romanorum 1. *Inuiſibilia ipſius* (Dei) *à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Ioan. 16. *Omnia, quæcumque habet Pater, mea ſunt.* In quibus verbis expendendæ ſunt illæ voces, *Omnes voluntates*: ly *ſempiterna quoque*: ly *omnia*, & *quæcumque*, quæ ſine pluralitate non dantur; ergo cùm vt ſatis conſtat ex diſputationibus præcedentibus, non ſit pluralitas ex natura rei, ſicut nec diſtinctio, erit ſaltem ratione noſtrâ. *Ex Scriptura.*

Secundò: diſtinctioni rationis fauent Concilia, Synodus VI. generalis actione 8. longè ante finem definit, ſolum Filium aſſumpſiſſe humanitatem *in eo, quod eſt proprium Filij, non quod eſt commune Trinitati*, quod etiam repetit Concilium Toletanum VI. & XI. in ipſa fidei profeſſione; igitur diſtinguit in Filio perfectionem propriam à communi. Item ipſa VI. Synodus actione 11. in epiſtola Sophronij, quæ approbatur actione 13. apertè docet *per noſtram intelligentiam ſeparari perfectiones diuinas, quæ in re ſeparabiles non ſunt*, & clariùs Concilium Florentinum ſeſſ. 18. §. *Diuina ſubſtantia: Diuina ſubſtantia & perſona re quidem ſunt idem: ſecundùm autem modum intellectionis noſtræ differre videntur.* *Concilia.*

Tertiò eidem diſtinctioni fauent Sancti Patres, Baſilius, lib. 5. contra Eunomium initio: *quæcumque Patri, vt Deo, non vt Patri inſunt, & quæcumque Filio vt Deo, non vt Filio inſunt: ea etiam Spiritui inſunt*, vbi ly *quæcumque*, & illæ reduplicationes, ſine diſtinctione concipi nequeunt: Athanaſius Dialog. 1. de Trinitate contra Anomæum inter medium & finem: *Hypoſtaſis eſt incorruptibilitas, iuſtitia, ſanctificatio, hæc omnia vt in Patris, ita & in Filij hypoſtaſi conſiderantur.* Hilar. lib. 9. de Trinitate poſt medium expendens ly *Omnia quæcumque habet Pater mea ſunt*, Ioan. 6. ſic ait; *Deus in his oſtendit intelligendum eſſe quæ ſua ſunt in virtute, in æternitate, in prouidentia, in poteſtate, Non quòd hæc Deus ita habeat tanquam aliquid extra ſe, credendum ſit.* Gregorius Nyſſenus lib. 2. de Trinit. ad Euſtathium generatim ait de nominibus attributorum Dei: *Cùm aliquis vniuſcuiuſque horum nominum, & ipſius Naturæ, circa quam ea nomina intelliguntur, rationem reddit, ac definitionem, non eandem reddit vtrorumque rationem.* Cyrillus Alexandrinus lib. 11. Theſauri, cap. vnico, in fine: *Hæc omnia non ſubſtantiam, ſed aliquid eorum, quæ in ſuſtantia inſpiciuntur ſignificant.* *Patribus.*

Quartò denique fauent diſtinctioni rationis omnes ſcholæ præter nominalium; vnde ſuperfluum reputo Authores referre. Adeat qui voluerit Patrem Gilium pluſquam triginta referentem, & alios paſſim hîc. *Scholaſtici Theologi.*

SECTIO I.

Senſus quæſtionis, & diſtinctio rationis explicatur.

PRimò ſub aliis terminis proponi ſolet hæc quæſtio (ſicut & præcedens proportionatè) an ſcilicet, ſi non à parte rei, nec formaliter, nec virtualiter, ex parte obiecti ſaltem detur diſtinctio rationis inter eſſentiam, & attributa, itemque inter 1

Quibus aliis terminis proponi ſoleat quæſtio præſens.

inter attributa ipſa; ſed quia, vt dicam in ſequentibus, eſſentia Diuina omnes perfectiones Diuinas, & quæ dicuntur attributa claudit, etiam ratione noſtrâ, ſolùm in præſenti in genere inquiro, poſſit-ne admitti rationis diſtinctio inter Diuinas perfectiones, ſiue ad eſſentiam formaliter, ſiue ad attributa pertineant.

2 *Explicatur diſtinctio rationis.* Secundò, ſupponendum eſt diſtinctionem rationis, de qua in præſenti agimus, non conſiſtere ſolùm in eo, quòd perfectiones Diuinæ poſſint per plures conceptus formales, ſeu cognitiones vtcumque plures apprehendi; nam ſic idem formaliſſimè plures cognitiones terminat, vt quando repetita cognitione dico, *Deus, Deus*, vel etiam per propoſitionem identicam iam apprehendo idem vt ſubiectum, iam vt prædicatum; verbi gratia, *Deus eſt Deus.* Rurſus neque præſenti diſtinctioni ſufficit diuerſitas conceptuum penes implicitum, & explicitum; ſic enim eadem formaliſſimè perfectio poteſt expreſſiùs cognoſci, *vt homo*, dum concipitur *vt animal rationale.*

3 *Qua rationis diſtinctio inter perfectiones Diuinas inquiratur.* Igitur eam diſtinctionem rationis inquirimus inter perfectiones Diuinas, ratione cuius aliquid rei verè inuentum in Deo ſignetur per conceptum vnius perfectionis quod ſi ſtaret in aliquo ſubiecto ſine perfectione concepta per aliam cognitionem, tale ſubiectum diſſimile foret alteri, de quo vtraque perfectio affirmaretur, & hinc plus cognoſcitur per vtrumque conceptum, quàm per vnum, verbi gratia, *animal, & rationale* diſtinguuntur ratione ratiocinatâ, de quâ loquimur, cum fundamento in re: ſecus *animal*, & *ſenſitiuum*; quia dum animali addo *rationale*, licèt hoc ex parte obiecti non diſtinguatur, aliquid rei tamen concipio *nouum*, ex quo hominem facio diuerſum, & diſſimilem ſubiecto, de quo non poſſet dici *rationale.* Secus contingit, dum addo *ſenſitiuum*: quaré dum dico *homo eſt animal tantùm*, falſum dico; non quia homo nó ſit *ſenſitiuus*, ſed quia ſimul eſt *rationalis.*

4 *Hac rationis diſtinctio ſolùm hic quæritur inter perfectiones abſolutas, non inter prædicata relatiua.* Similiter ergo in præſenti inquirimus, an plus concipiat de Deo, qui cum cognoſcit miſericordem, & iuſtum, verbi gratia, quàm qui ſolam miſericordiam concipit, ſicque per denominationem ſumptam ab hac noſtra cogitatione miſericordia diſtinguatur ratione à iuſtitia. Diſtinctionem rationis à proprietatibus perſonalibus ſtatuo in tractatu de Trinit. Quare ſolùm hic agendum de hac diſtinctione rationis inter perfectiones abſolutas.

SECTIO II.

Sententia negans.

5 Nominales. Okam. Gabriel. Arim. Maior. Aureol. ITa Nominales cum Okam 1. diſtinct. 2. quæſt. 2. Gabriel diſput. 2. quæſt. 1. Ariminenſis diſput. 8. quæſt. 2. Maior quæſt. 1. Aureolus diſtinct. 8 part. 3. art. 6. propoſitione 2. tuentes attributa & perfectiones Diuinas nec per intellectum quidem diſtingui, ſed eſſe ſolùm diuerſa nomina eandem rem, & ſub eadem ratione intrinſeca ſignantia.

6 *Sententiæ negantis fundamentum primum.* Mouentur primò generaliter: ens rationis non poteſt eſſe diſtinctum realiter, vt per ſe patet, nam diſtinctio ſequitur ad *eſſe*. Ergo è contrà ens reale non poterit diſtingui ratione. Confirmatur; quod eſt realiter diſtinctum, non poteſt eſſe idem per rationem, neque enim identitas rationis ſtare poteſt cum reali diſtinctione, quis namque id, quod formaliſſimè etiam per rationem noſtram eſt idem cum aliqua re, dicet diſtingui realiter ab illa. Ergo neque è contra identitas realis ſtabit cum diſtinctione rationis.

Secundò etiam generaliter; quod eſt idem realiter, nullo modo plurificatur ex eo, quòd terminet diuerſas actiones, vel diuerſa accidentia inadæquata; ergo neque ex eo, quòd terminet plures, & inadæquatas cognitiones. Confirmatur; non datur diſtinctio rationis purè numerica inter prædicata realiter identificata vt dico diſput. 11. de ſcientia ſect. 4. non dari in Deo duas ſcientias omnino ſimiles, & numero tantùm diſtinctas, quod à fortiori verum eſt de aliis perfectionibus; ergo idem dicendum de diſtinctione quaſi ſpecifica rationis, quæ maior diſtinctio eſt. Conſequentia patet, tum, quia in linea, in qua datur diſtinctio ſpecifica, dari etiam poteſt purè numerica, vt patet in diſtinctione reali, tum etiam, quia ſi per ordinem ad diſtinctas ſpecie cognitiones noſtras datur diſtinctio rationis, cur ſimiliter non dabitur per ordinem ad diſtinctas ſolo numero, quæ diſtinctio purè numerica erit. 7 *Secundum eiuſdem fundamentum.*

Tertiò ſpecialiter; ſi datur in Deo diſtinctio rationis inter attributa, eo quòd eadem ſimpliciſſima entitas Dei, vtpote infinita æquiualet multis realiter diſtinctis, & nondum cognoſcitur adæquatè per vnam noſtram cognitionem, ſimiliter eadem formalitas (ſeu idem attributum formaliſſimè) multiplicari poterit in plures alias, imò & in infinitas, cùm, & æquiualeat infinitis, & aliunde ſit ſemper magis, ac magis cognoſcibilis à nobis ſine fine. 8 *Fundamentum 3.*

Quartò; quia maior perfectio eſt in Deo, ſi non ſolùm ſit ſimpliciſſimus realiter, ſed etiam per rationem; ſic omnipotentia eſt infinita, in linea potentiæ, quia eadem formaliſſimè poteſt infinita, ſcientia infinita, quia nihil ignorat; Ergo & perfectio vt infinita ſit, nullâ debet carere perfectione etiam formaliſſimè, & per rationem noſtram (melius enim eſt ſic habere perfectionem, quàm non habere) & conſequenter à nulla perfectione debet diſtingui etiam per rationem. Confirmatur; infinita Sanctitas nullum peccatum nec ratione noſtra permittit; ergo neque infinita Dei ſimplicitas vllam diſtinctionem etiam per rationem patietur. Conſequentia patet; nam ſi diſtinctio, eò quòd ſit ſecundùm quid, & per rationem noſtram, iam non eſt imperfecta, cur idem non dicemus de peccato ratione noſtra. Confirmatur 2. Deus quantumuis cognoſcatur ad modum, ſeu per ſpecies *corporis*, adhuc non denominatur hinc, nec ratione noſtra *corpus*, neque quia cognitio noſtra ſit accidens, ideò Deus eſt *accidens*; Ergo nec *diſtinctus*. 9 *4. Fundamentum.*

Quintò; non ſufficit ad diſtinctionem rationis in Deo, quòd ita inadæquatè cognoſcatur à nobis Dei perfectio, vt meliùs penetretur per duas cognitiones, quàm per vnam; Ergo nulla datur in Deo rationis diſtinctio. Conſequentia patet ex ſectione prima, antecedens probatur; quia alioqui daretur in Deo ratione noſtra ſcientia *confuſa*, & præciſiua, potentia *manca*, & imperfecta; voluntas *indifferens in indiuiduo*, & ſine decenti fine, &c. Nam, verbi gratia, nos apprehendere poſſumus per vnam cognitionem in Deo eſſe ſcientiam de animali, & rurſus per aliam eam ſcientiam etiam eſſe de rationali; ecce per hanc ſecundam plus dico, quàm per primam, iuxta quam ſcientia Diuina de animali eſt præciſiua ratione noſtra. Plus etiam dum dico *Deum poſſe producere hominem cum oculis*, quàm dum præciſè dico *producere poſſe hominem* 10 *Quinta pro eadem ſententia ratio.*

hominem vtcunque, quæ potentia vt ſic concepta in completa eſt. Denique rectè poſſumus cócipere volitionem Dei vt tendentem in obiectum indifferens quin concipiam vt vlterius referentem tale obiectum in finem honeſtum; poſſumus inquam, ſiquidem ſecundùm primam rationem æquiualet volitio diuina noſtris indifferentibus, per ſecundam etiam honeſtis, quod plus eſt.

11 *Sexta ratio.* Sexto; quando diſtinguimus ratione miſericordiam à iuſtitia, vel cócipimus *miſericordiam ſecundùm ſe* abſtractè, vel etiam determinatè *miſericordiam diuinam*? Si primum? ergo miſericordia, quæ eſt in Deo, non diſtinguitur à iuſtitia, ſed alia miſericordia abſtracta, quæ etiam realiter diſtinguitur. Si ſecundum? miſericordia diuina etiam eſt iuſtitia, & aliæ perfectiones, alioqui diuina non eſſet. Confirmatur; ſi miſericordia, quæ in Deo eſt, diſtinguitur ratione noſtra; ergo dabitur compoſitio in Deo ratione noſtra, quid enim aliud eſt *compoſitio*, quàm ſimultanea diſtinctorum poſitio? Item talis miſericordia ratione noſtra non erit Deus, nec creatura, non erit æqualis aliis perfectionibus Dei, & cætera alia quæ contra Scotum ex parte obiecti obiiciuntur, militabunt etiam hic ratione noſtra, quæ ratiò noſtra, vel eſt falſa, vel ſi vera, quia ita contingit in re idem abſurdum habet.

12 *Vltima ſententiæ negantis ratio.* Denique ſi miſericordia diuina diſtinguitur ratione à iuſtitia; ergo de eadem re verificantur contradictoria; nam ipſa iuſtitia non diſtinguitur ratione à ſe ipſa, quæ eadem res eſt in Deo cum miſericordia. Confirmatur primò *diſtinctum* non poteſt verè identificari cum *non diſtincto* ſecundùm eam rationé, ſecundùm quam eſt *non diſtinctum*. Atqui iuſtitia eſt diſtincta ratione noſtra à miſericordia, & miſericordia ratione noſtra non eſt diſtincta à miſericordia, iuſtitia, in quam ipſa Diuina, quæ eſt ex parte obiecti, diſtincta eſt; etenim diſtinctio rationis inter ipſas perfectiones diuinas verſatur, non inter noſtros modos concipiendi, qui non ſolùm ratione, ſed etiam realiter diſtinguuntur; ergò hæ duæ perfectiones diuinæ non poſſunt identificari. Confirmatur ſecundò non minorem vim habet ad impediendà prædicata contradictoria identitas, quàm ſimilitudo; ſed implicat, quòd duæ res ſint realiter omninò ſimiles, quin eadem prædicata, quæ dicuntur de vna, ſiue obiectiuè, ſiue ratione noſtra dicantur de aliâ; ergò implicat, quòd miſericordia identificetur cum iuſtitia, ſi iſta ſit ratione noſtra iuſtitia; miſericordia verò ratione noſtra non ſit iuſtitia.

SECTIO III.

Sententia affirmans.

13 *Sententia affirmans communis eſt.* HÆc eſt omnino communis apud Thomiſtas, & Scotiſtas à fortiori: vt oppoſita cenſeatur *improbabilis* à Patre Martinon in præſenti diſp. 3. ſect. 5. num. 29. *Et pluſquam falſa* à Patre Suarez de Trinitat. cap. 1. num. 1. nam ſcriptura Concilia, & Patres loquuntur de perfectionibus diuinis vt de multis paſſim, & præcipuè iuxta illud Ioannis 6. 15. *omnia, quæ Pater habet, mea ſunt*, ad quæ alludens Florent. ſeſſ. vltima ait. *Omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater vnigenito Filio ſuo gignendo dedit præter eſſe Patrem*, quomodo loquitur ſanctus Nazianzenus Oratione 44. in Pentecoſt. paulò poſt medium num. 14. *Omnia, quæcumque habet Pater, ſunt Filij*, &c. & ſimiliter alij ſancti Patres) ly autem *omnia, & quæcumque* pluralitatem denotant. Ergò cùm non ſit pluralitas in re, erit ſecundùm noſtram intelligentiam, & rationem vt loquitur Ioan. Theologus in Concilio Florent. ſuprà.

Ratio pro diſtinctione rationis eſt, primò quia aliquid plus cognoſcit, qui ſcit de Deo eſſe *iuſtum, & miſericordem*, quàm ſi præciſè ſciret eſſe *iuſtum*; vnde Deus, qui ex parte obiecti ſolùm eſſet iuſtus differret ab eo Deo, qui eſt ſimul miſericors. Sed diſtinctio rationis iuſtitiæ à miſericordia in eo formaliſſimè conſiſtit, quòd ſcilicet per conceptum miſericordiæ aliquid plus cognoſcat quis, quàm quod antea cognoſcebat; ergo, *&c.* Confirmatur qui dicit Deum eſſe iuſtum, negans eſſe miſericordem, non in ſola voce, ſed in re differt à Catholico vtramque perfectionem de Deo prædicante. Item primus conceptus ſtat formaliter, & per ſe loquendo verè dari ex parte obiecti, quin detur ſecundus, neque ideò dabitur implicatio terminorum, qualis eſſet ſi quis affirmans, quòd in Deo detur conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuendi, negaret iuſtitiam: at hoc ſufficit ad diſtinctionem rationis: ſiquidem ſufficit, vt non detur eadem rationis diſtinctio, quæ inter definitionem, & definitum; ergò. 14 *Prima pro diſtinctione rationis ratio.*

Secundò: diſtinctio rationis contingit, quando poſſumus concipere obiectum inadæquatè, quin exprimamus ex parte modi totam eius eſſentiam, vt eſt ex parte rei, ita vt quamuis verè ex parte obiecti res habeat prædicatum, quod ei tribuimus tamen non ſolùm illud habeat, ſed etiam verè ſit aliud prædicatum (licèt indiſtinctum realiter) quod nondum exprimimus; at ſic concipimus perfectiones diuinas; Ergò hæ diſtinguuntur ratione. Maior patet; quia hoc, & nihil aliud ſignificamus per diſtinctionem rationis; nam cùm de rebus loquamur, vt ipſas concipimus, ſi nondum exprimimus aliud prædicatum, in ordine ad illam cognitionem, ità ſe habet, ac ſi non eſſet. Minor etiam probatur; nam ſicut Deus, quia infinitus eſt, nequit adæquatè participari in eſſe rei à creatura finita, ita neque in cognoſci à finita cognitione. 15 *Secunda probatio in qua explicatur, quando rationis diſtinctio contingat.*

Tertiò; hæ propoſitiones de Deo non ſunt ſynonimæ: *Deus eſt iuſtus*: *Deus eſt miſericors*; nec differunt ſola voce, vt iſtæ: *Deus eſt iuſtus hiſpanè Dios es iuſto*; ergo & aliquid in *re nouum*, licèt non diſtinctum realiter concipit, qui de Deo etiam prædicat miſericordiam. Confirmatur maximè in his propoſitionibus: *Deus eſt eſſentia, Deus eſt Paternitas*; etenim iſta ſecunda propoſitio nequit eſſe ſynonima cum prima, ſiquidem verè datur *eſſentia* in Filio in quo non datur Paternitas, & conſequenter nouum aliquid plus eſt eſſe Paternitatem, quàm eſſe eſſentiam; Ergò ſimiliter dici poteſt de perfectionibus abſolutis, ſi enim ſemel cum ſimpliciſſima identitate Paternitatis, & eſſentiæ ſtat per vtrumque conceptum plus à nobis cognoſci, quàm per primum, ſeu dari diſtinctionem rationis, neque ſimplicitati reali abſolutæ repugnabit rationis diſtinctio. 16 *Tertia ratio Aliquid plus de Deo enunciat dicens: Deus eſt iuſtus, & miſericors, quàm ſolam miſericordiam de illo prædicans.*

Quartò denique idem probari poteſt ex communi modo loquendi Patrum, & Scholaſticorum, diſtinguentium in Deo perfectionis attributales ab eſſentia: Sic Baſilius primò contrà Eunomium inter principium, & medium. *Quonam pacto non deridendus, ſi creandi virtutem ſubſtantiam eſſe dicat, ſi Prouidentiam, ſi præſcientiam, & omnem itidem operationem ſubſtantiam putet.* Sic etiam Auguſtinus 15. de Trinit. cap. 5. *Si dicam æternus immortalis* 17 *Quarta probatio à communi loquendi modo Patrum & Scholaſticorum.*

mortalis, iuſtus, bonus, beatus, ſpiritus; horum omnium vltimum, quos poſui, videtur ſignare ſubſtantiam; Cætera ſubſtantiæ qualitates; vide alia apud Ruiz diſput. 8. de ſcientia, ſect. 7.

SECTIO IV.

Sententia media.

18 *Quam adſtruat Recupitus diſtinctionem rationis Diuinas inter perfectiones?*

PAter Iulius Cæſar Recupitus hæc duo dicit lib. 3. de attributis, quæſt. 11. & 12. num. 2. Primum, cum 2. ſententia non dari inter perfectiones Diuinas, vt Dei proprias, & differentiales niſi diſtinctionem rationis penes implicitum & explicitum, ſeu non dari diſtinctionem rationis ratiocinatæ, & cum fundamento (de diſtinctione rationis ratiocinantis penes *implicitum & explicitum*, quatenus poteſt Deus magis, vel minùs clarè cognoſci, vti definitum diſtinguitur à definitione, homo, verbi gratia, ab *animali rationali*, nulla eſt quæſtio, ſicut & nullum fundamentum in re, ſed in ſola noſtra confuſa cogitatione) Secundum tamen cum ſecunda ſententia adhuc ſtatuit, verè dari cum fundamento diſtinctionem rationis in Deo inter perfectiones communes, & differentiales, vti in creatis inter gradus inferiores & ſuperiores in homine, verbi gratia, inter animalitatem, & rationalitatem.

19 *Probatur ſententia iſta media exemplo hominis quoad ſecundam partem.*

Ex quo exemplo clarè probatur hæc ſecunda pars nam ex eo, quòd in homine verè inueniatur ratio *animalis*, & iſta poſſit concipi ſine rationali, ita vt plus dicat de homine, qui dicat eſſe animal rationale quàm qui dicit præciſè animal, eo ipſo hìc interuenit rationis ratiocinatæ diſtinctio, ſed idem contingit in Deo verbi gratia, in prædicato *ſubſtantiæ, viuentis, intellectiui* &c hæ namque perfectiones concipi à nobis poſſunt ſine volitione, per quam plus in re ſignificatur in Deo; Ergo eodem titulo admittenda eſt in Deo diſtinctio rationis ratiocinatæ inter perfectiones, ſeu gradus ſuperiores & inferiores. Confirmatur: quidquid ſit, conſtituatur-ne Deus in genere aliquo, verè tamen conſtat pluribus rationibus communibus etiam creaturis, vt ſubſtantia, vita, &c. Ergo quemadmodum quando has rationes communes concipimus in creaturis, eas cum fundamento præſcindimus, ſicque ratione præſcindimus à differentiis creaturarum, ita & à differentiis Dei. Conſequentia patet, nam dum quis concipit *vitam* vt ſic non minùs in hoc conceptu abſtrahit à vita creata quam increata, alioqui de creatura nequiret prædicare *vitam* vt ſic.

20 *Einſdem ſententiæ pars prior probatur.*

Prima pars etiam probatur; nam ea formalitas, vel perfectio nō diſtinguitur ſimpliciter ratione ratiocinata cum fundamento, ſed ſolùm penes implicitum, & explicitum conceptum, ſeu implicitè continetur, etiam per rationem noſtram in alia, quæ talis eſt, vt de ipſa, etiam prout ſubeſt rationi noſtræ poſſit alia prædicari, etiam prout ſubeſt rationi noſtræ, ſi clarè explicetur, aliam perfectionem manifeſtet in ſuo conceptu formali, ſic in homine implicitè continetur *animal*, quia ſiquis reflectat ſupra ſuum conceptum de homine, & inquirat, vtrùm id, quod conſiderabat, etiam vt ſibi obiectum, includat rationem animalis, non poterit negare hanc incluſam fuiſſe, & homo, ſi vt præciſè obiicitur illi conceptui poneretur à parte rei, poneretur cum animalitate, non autem poneretur rationalitas, quando præciſè *animal* cognoſcitur.

In quo conſiſtat diſtinctio rationis ratiocinantis.

21 Tum ſic: ſed quælibet perfectio Diuina vt Dei propria conſiderata *implicitè* etiam per rationem includit omnes alias, vt tuentur plurimi authores, de quibus diſput. 18. tuentes in quolibet attributo Dei eſſentiam, & reliqua omnia includi formaliter, ſicut enim in *eſſe* rei perfectio, vt ſit Diuina realiter, debet realiter omnes alias includere, ita debet includere formaliter, vt ſit diuina formaliter, & ratione noſtra; Ergo nulla perfectio vt Diuina, & Dei propria ratione ratiocinata cum fundamento diſtinguitur ab alia.

Concluditur probatio.

SECTIO V.

Datur diſtinctio rationis cum fundamento ſeu rationis ratiocinatæ inter perfectiones diuinas, etiam vt Dei proprias, non tamen inter omnes.

21 *Supponitur dari in Deo diſtinctionem aliquam rationis ratiocinatæ.*

SVppono dari vtcunque diſtinctionem rationis ratiocinatæ, quod ſatis probatum eſt, ſect. 3. & 4. maximè inter perfectiones, ſeu gradus ſuperiores Dei ab inferioribus, & particularibus, ſeu differentialibus ipſius Dei. Iam verò dari etiam inter ipſas differentiales proprias, & attributales Dei (obſeruata limitatione ponenda in fine huius ſectionis) mihi probatur contra ſect. præcedentem.

23 *Probatur ex creatis dari hanc diſtinctionem inter perfectiones differentiales Dei vt tales.*

Primò ex creatis; nam in homine, verbi gratia, non ſolùm diſtinguuntur perfectiones communes, ſed etiam particulares, & propriæ hominis, ſic diſtinguitur *admiratiuum*, quod ſoli homini competit à *riſiuo*. Item ſæpè in homine concipimus ipſum *eſſe diſcurſiuum* circa res ſenſibiles, quin concipiamus, ſit-ne diſcurſiuus etiam circa res abſtractas à ſenſibus, in quo formaliſſimè conſiſtit diſtinctio rationis ratiocinatæ, vnius virtutis diſcurſiuæ ab alia (quæ eo ipſo, quòd concipiatur *diſcurſiua*, apprehenditur vt hominis propria) ergo ſimiliter poterimus concipere, vnam perfectionem Diuinam, vt Dei propriam, quin eam adæquatè concipiamus cum omni perfectione, quam in re habet. Conſequentia patet; quia, quò maior eſt perfectio aliqua, eò minùs adæquari poteſt per noſtros conceptus; Si ergo non obſtante identitate in creatis, poteſt concipi perfectio humana vt talis, quin appareat adæquatè, à fortiori id eueniet, quando cogitamus de Deo.

24 Secunda ratio eſt à priori, quia concipi poteſt ſapientia Dei manens intra lineam ſapientiæ (quin ad alias lineas, verbi gratia, volitionis tranſeat) ita perfecta vt ſuperet omnem ſapientiam creatam; Ergo concipi poteſt, vt infinita, & Dei propria quantumuis diſtinguatur à volitione. Conſequentia patet; quia ea perfectio, quæ titulo excellentiæ repugnat communicari creaturæ, eo ipſo apprehenditur, vt diuina, & Dei propria: Antecedens eſt clarum, ſi concipiatur ſapientia vt comprehenſiua Dei, vt præuidens futura iuxta Iſaiæ 41. *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & dicemus, quòd Dij eſtis vos*; tanta enim ſapientia excedit perfectionem creatam. Confirmatur; Deus non vna tantum perfectione, ſed pluribus differt à creatura, quà immutabilis, quà æternus, &c. Ergo ſufficit præciſè ſic concipi iſta attributa, vt apprehendantur Dei propria, conſequēterque inter perfectiones, etiā vt Dei proprias dari valet rationis diſtinctio.

25 *Tertia probatio, ex eo quòd diuerſa*

Tertiò; vt detur diſtinctio rationis ratiocinatæ, ſufficiunt diuerſa connotata, nempe diuerſi effectus, ad quos comparetur eadem perfectio Dei, diuerſæ

ſa ſufficiant connotata ad rationis diſtinctionem.

diuerſæ perfectiones inferiores creatæ, quibus æquiualeat, &c. Tum ſic; Deus non ſolùm habet vnum effectum proprium, ſed plures, ad quorum nullum valet pertingere creatura, verbi gratia, eſſe æternum, ſapientem, authorem gratiæ, Creatorem mundi adæquato concurſu, & ſine alterius adiutorio. Rurſus etiam vt correſpondet, ſeu ſimilis eſt analogicè, vni perfectioni creatæ, habenti ſe diſparatè ad aliam, verbi gratia, ſapientiæ creatæ, non inuoluenti potentiam, adhuc ſapientia Diuina excellentiam habet creaturæ omni ſuperemi-nentem, & conſequenter Dei propriam; Ergo habet diſtinctionem rationis ab alia perfectione Dei propriâ.

26 *Quarta probatio, ex eo quòd ſapientia Dei, vt propria Dei, ratione diſtinguatur à ſubſtantia, vita, &c.*

Quartò, ſapientia Diuina etiam vt propria Dei, ſeu differentialitas ipſa ſapientiæ Diuinæ diſtinguitur ratione ratiocinata à perfectione ſubſtantiæ, vitæ, &c. ita vt nec implicitè ratione noſtra ſit formaliter ens, ſubſtantia, vita; ergo neque implicitè eſt formaliter volitio. Conſequentia patet, quia plus eſt extra lineam ſapientiæ *volitio*, quàm *ſubſtantia*, & *vita*; Antecedens probatur; nam differentia, vt differentia eſt, non imbibit formaliter rationem communem, vt eſt certa logicorum opinio, rationem communem non tranſcendente, neque eſſe de conceptu formali differentiæ. Confirmatur; differentia Deitatis diſtinguitur à vita, ſicut rationalitas ab animalitate; ſiquidem illa non eſt minùs differentia vitæ, quàm rationalitas ſit animalitatis; ſed non magis intellectio, etiam vt Dei propria implicitè imbibit volitionem, quàm Deitas imbibat vitam; ergo etiam diſtinguetur intellectio à volitione.

27 Quomodo autem cum hoc ſtet vnâ perfectionem diuinam eſſe de conceptu formali alterius, ſeu attributa Diuina mutuò ſe formaliter includere conſtabit diſp. 18. Item quomodo, & quatenus inter Diuinas perfectiones admittenda ſit hæc rationis ratiocinatæ diſtinctio conſtabit ex regula ſequenti.

SECTIO VI.

Statuitur regula quando admittenda ſit rationis diſtinctio inter perfectiones diuinas.

28 *Quæ ſint obſeruanda, vt perfectio aliqua Dei admittatur per rationem diſtincta ab alia?*

VT aliqua Dei perfectio admittatur diſtincta per rationem cum fundamento ab alia, hæc obſeruanda ſunt. Primò quòd ita à nobis concipiatur ſine alia, vt inueniatur in Deo propriè. Hinc nec ratione noſtra Deus eſt *corpus:* Secundò in Deo ſolo, aliàs ſolùm diſtinguetur, vt ratio communis, non vt perfectio Dei propria. Tertiò ſit Dei propria vt in ſua linea, & non ſolùm per lineam, vel differentiam extraneam. Hinc ly *cognitio à ſe de animali*, & *rationali* non diſtinguitur in duas cognitiones ratione diſtinctas, quarum vna ſit de animali, & alia de rationali, quia ſcilicet quamuis per ly *à ſe* approprietur cognitio Deo, ſitque infinita; at ly *à ſe* formaliter eſt extra lineam cognoſcendi.

29 Quartò, vt concepta ſic ſine alia, imperfecta non ſit, hinc licèt ſit Dei propria in linea potentiæ *potentia omnino adæquata* nullius concurſu, ſeu adiutorio indigens, verbi gratia, ad producendum ignem, vel ſuſtinendum pondus vnius libræ; (nulla enim potentia creata eſt ita potens ſe ſola ſine concurſu Dei, ſed omnino imbecillis) adhuc non eſt dicendum, quòd in Deo ratione noſtra potentia ad ſuſtinendam vnam libram ſit diſtincta à potentia ad duas; nam talis potentia manca, & imperfecta apparet; quare licèt dentur duæ formalitates potentiæ Diuinæ, non tamen dicendum, nec ratione noſtra duas dari potentias in Deo.

His obſeruatis firma, & clara eſt regula à me data diſput. de ſcientia ſect. 2. vt ea perfectio Diuinâ diſtincta per rationem admittatur quæ in ſua linea imperfectionem non claudente omnem perfectionem poſſibilem includit. Quæ autem perfectio dicat, vel non imperfectionem, vt diſtincta & concepta ſine alia, pertinet examinare ad ſpeciales tractatus; ſiquidem conſtat ex numero præcedenti bene poſſe admitti aliquam formalitatem, ſeu perfectionem potentiæ Dei propriam & ut talem diſtinctam ab alia; quin tamen diſtinguatur in linea *potentiæ*, nec ratione noſtra. 30

Ex obſeruatis deducitur diſtinguendi ratione ratiocinata perfectiones diuinas regula.

Ex quo generaliter loquendo certum eſt ſæpè diſtinctionem rationis in Deo bene admitti in aliqua linea, quæ in alia imperfectionem diceret vt patet in exemplo poſito *potentiæ*, iuxta quod in linea *formalitatis* bene admittitur diſtinctio, vt *formalitates* ſint plures ratione noſtra, non tamen ſint plures *potentiæ*; huius diſcriminis ratio eſt; quia nomine *formalitatis* & perfectionis vt ſic ratione noſtra ſolùm denotatur per rationem noſtram cognoſci poſſe vnam ſine alia vtcunque, in quo ſine indecentia apparet pluralitas rationis, dum non exprimitur peculiaris linea ſcientiæ, vel potentiæ, &c. in qua imperfectio foret, ſi conciperetur pluralitas, cum eo ipſo daretur aliqua potentia non poſitiuè includens virtutem ad omnia, vt requirit excellentia potentiæ infinitæ. 31

In vna linea admittitur bene in Deo rationis cum fundamento diſtinctio, quæ in alia diceret imperfectionem.

SECTIO VII.

Reſpondetur argumentis pro prima ſententia negante diſtinctionem rationis in ſectione ſecunda.

AD primum diſtinctio *realis* eſt intrinſeca rei, diſtinctio verò rationis ſolùm denominatiua, & extrinſeca, ideo iſta præ illa conuenire poteſt per noſtros conceptus, etiam quando in obiecto non datur. Ad confirmationem; dum fit vniuerſale, plura realiter cognoſcuntur *vt vnum*, dicunturque fieri vnum ratione noſtra; quare non mirum, ſi è contra vnam realiter admittat diſtinctionem rationis. Aliquando *idem eſſe* ratione noſtra denotat non poſſe, nec per rationem diſtingui, hocque ſignificamus, quando dicimus eſſe vnum de conceptu formali alterius, & tunc fatemur non poſſe diſtingui realiter, quæ ſic per rationem ſunt vnum, cùm enim ratio valeat diſtinguere etiam quæ ſunt realiter vnum, à fortiori diſtinguere poſſet, quæ in ſe ſunt plura. 32

Quare diſtinctio rationis præ reali diſtinctione conuenire poſſit rei per noſtros conceptus? Inter entia rationis non poteſt dari nec ratione noſtra diſtinctio realis. Poſſunt diſtingui realiter quæ ſunt vnum ratione, ſed non quando vnum eſt de ratione alterius.

Ad 2. ſicut diuerſitas actionum non plurificat terminum, ita nec pluralitas cognitionum vtcunque, vt ſi idem pluries, vel à pluribus cognoſcatur, niſi quando vna cognitio plus, vel minus penetrat de obiecto; tunc enim cùm de rebus loquamur, vti eas concipimus, ſcilicet ſecundùm *eſſe*, quod habent in cognitione: cùm in hoc caſu, quoad eſſe obiectiuum, ita ſub diuerſa ratione appareat obiectum, ac ſi multiplex foret, iure per rationem multiplex, ſeu diſtinctum dicetur. Ad confirmationem; fateor non dari in Deo ratione noſtra duas perfectiones ſolo numero diſtinctas, bene tamen ſpecie, cuius rationem dedi alibi. 33

Pluralitas cognitionum rem cognitam non plurificat.

Ad 3.

34 Ad tertium licèt idem attributum Diuinum æquiualeat infinitis perfectionibus non tamen infinitis Dei propriis, quòd ſi aliquando æquiualet verbi gratia potentia, vel ſapientia, quamuis hæc diſtingui poſſit per rationem noſtram in infinitas formalitates etiam Dei proprias, non tamen in infinitas ſapientias Dei; nam ſapientia nondum eſt digna Deo in linea ſapientiæ, ſi intra ipſam non concipitur cum ſumma perfectione, ſeu penetrans omnia, & omnibus modis non inuoluentibus imperfectionem iuxta ſectionem præcedentem.

35 *Diſtinctio rationis inter Dei prædicata ex ipſius perfectione oritur.*

Ad quartum reſpondeo; diſtinctio rationis prouenit potiùs ex magnitudine perfectionis, quæ vno conceptu noſtro nequit exhauriri, & quæ non vni perfectioni creatæ ſolùm ſupereminet, ſed multis, & pluribus titulis etiam ſingillatim acceptis verbi gratia ſapientia Dei manens intra lineam ſapientiæ, quin aliquid de volitione includat, infinitè, ſuperat ſapientiam creatam; potentia creatam potentiam, *&c.* Ad primam confirmationem, diſtinctio rationis nihil ponit in re diſtinctionis, nec eſt opus nos concipere poſitiuè aliquid, quod non eſt in Deo, ſed ſolùm nondum concipere, quod eſt; id enim, quod in noſtra cognitione nondum eſt, perindè ſe habet in ordine ad nos, ac ſi omnino non eſſet; ſecus contingit in denominatione *peccati* vel *corporis*, nam vt hoc ratione noſtra daretur in Deo, opus foret, quòd Deus appareret poſitiuè, & eſſet *corpus*; hinc etiam patet ad ſecundam confirmationem.

36 *Diſtinctio rationis nihil in re diſtinctionis ponit.*

Ad quintum reſpondetur ex ſectione præcedenti non ſufficere, vt perfectio Diuina diſtinguatur ab alia concipi vtcunque à nobis ſine alia, niſi concurrant conditiones ibidem expoſitæ; Tunc autem nec ratione noſtra dabitur in Deo ſcientia confuſa potentia manca, &c. vt perpendenti conſtabit.

37 *Miſericordia Dei non imbibit ratione noſtra iuſtitiam.*

Ad ſextum miſericordia etiam vt Dei propria, licèt realiter imbibat iuſtitiam, non tamen formaliter; nam quin concipiatur vt ſic idem, ſed adhuc vt abſtracta à iuſtitia, habet in ſua linea ſupereminentiam propriam, qua nequit vlli creaturæ conuenire. Ad confirmationem in primis non renuunt compoſitionem rationis in Deo Suarez, Vaſquez, Faſol. in præſenti, & ſanctus Thomas diſputatione 14. quæſtione prima, articulo ſecundo ad quartum. Deinde compoſitio dicit poſitiuam diſtinctionem, quæ nec ratione noſtra datur in Deo. Sicut nec corpus; de quo, & de toto argumento hoc plura diſputatione decima octaua.

38 *Quonam pacto iuſtitia Dei ratione diſtinguatur à ſe ipſa?*

Ad vltimum ipſa iuſtitia Dei diſtinguitur ratione à ſeipſa, hoc eſt diuerſo modo attingitur, quando per nomen iuſtitiæ, quàm quando per nomen miſericordiæ cognoſcitur. Hinc patet ad primam confirmationem, nullam in re dari contradictionem intrinſecam, ſed purè denominatiuam quæ denominatio, licèt veniat à formis, ſcilicet à noſtris cognitionibus realiter inter ſe diſtinctis, vt tamen cadit ſupra perfectiones diuinas, ſolam facit diſtinctionem rationis. Ad ſecundam confirmationem conſtat ex dictis, iuſtitiam non minùs, quàm miſericordiam obiectiuè loquendo diſtingui ratione noſtra à Iuſtitia; ſiquidem diſtinctio nihil aliud eſt formaliſſimè, quàm diuerſum eſſe noſtrum modum concipiendi, quando dicit *Iuſtitia* ac quando dicit *miſericordia.*

SECTIO VIII.

Iudicium de ſecunda & tertia ſententia relatis in ſectione tertia, & quarta.

Secunda ſententia affirmans diſtinctionem in ſectione tertia, vera eſt, dum non vniuerſaliter accipiatur ſed cum limitatione poſita in ſectione 6. nempè, vt licèt ſemper, ac concipitur vnum prædicatum diuinum ſine alio, detur noua formalitas, non tamen nouum attributum, nec ratione noſtra. 39

Qua limitatio adhibenda ſit ſecundæ ſententiæ?

Tertia ſententia media Recupiti vera eſt, quoad diſtinctionem gradus, ſeu perfectionis Communis à particularibus. Cæterùm non ſola hæc diſtinctio rationis admittenda eſt in Deo, ſed etiam inter perfectiones diuinas, vt diuinas, & Dei proprias, vt latiùs conſtat ex ſectione 5. adhuc enim vt ſic in vna non includitur formaliter alia vt latiùs dicam diſputatione 18. 40

Non ſola adſtructa à Recupito rationis diſtinctio ſed alia etiã inter Dei perfectiones vt tales admittenda eſt.

DISPVTATIO XVII.

De eſſentia Dei, in quo prædicato conſiſtat ſeu quod ſit formale deitatis Conſtitutiuum?

Sectio I. *Præmittitur notio* eſſentiæ *: & ſenſus quæſtionis aperitur.*

Sectio II. *Reſoluitur quæſtio ex parte obiecti.*

Sectio III. *De eſſentia Dei per rationem, ſeu ex parte modi, vel etiam admiſſa diſtinctione obiectiua inter perfectiones diuinas. Prima ſententia eam conſtituens in* Ente à ſe *proponitur, & reiicitur.*

Sectio IV. *Eſſentia Dei conſtituta per gradum intellectiuum, diſtinctum ab intellectione proponitur, & reiicitur.*

Sectio V. *Eſſentia Dei conſtituta per intellectionem ſolam proponitur, & reiicitur.*

Sectio VI. *Explicatur vera ſententia, & probatur authoritate.*

Sectio VII. *Vera ſententia ratione probatur.*

Sectio VIII. *Aliquæ obiectiones proponuntur, & ſoluuntur.*

PRÆCEDENTES diſputationes ideo præmiſi vt tandem huic celeberrimæ expediendæ, rectéque intelligendæ meum, & legentium animos diſponerem; ex varietate namque & diſtinctione perfectionum diuinarum omnino dependet determinare, in qua potiſſimùm eſſentia conſiſtat, ſeu quæ ſit eius formale conſtitutiuum; ſi enim omnia in Deo formaliſſimè ſint vnum, quis erit præſenti diſ- 1

Vide infrà quæſt. 4. art. 1. dubit. 5.

M 2 putationi

putationi locus. Nunc autem cùm multa ſint Dei prædicata, realiter quidem, ſi loquamur de relatiuis, & ſaltem per rationem multa, licèt loquamur de perfectionibus abſolutis. Iure hìc inquirimus, in quo formaliter conſiſtat eſſentia,& quidditas Dei, etiam per rationem noſtram, vel ſi vis ex natura rei formaliter, aut virtualiter; caſu, quo huiuſmodi diſtinctionibus daretur locus? quem negaui diſput. 14. & d. 15.

SECTIO I.

Præmittitur notio eſſentiæ, & ſenſus quæſtionis aperitur.

1 Eſſentia nomen maximè lubricum eſt, & expoſitum variis acceptionibus; modo propriiſſima eius vſurpatio, vt ad quæſtionem præſentem, & ſimiles,in quibus quæritur, in quo conſiſtat eſſentia rei, præmittenda eſt; in qua aſſignanda eſt difficultas; nam ſi dicas primò eſſentiam rei eſſe *quod identificatur cum re*, & illam conſtituit, ſiue realiter, ſi ſit eſſentia realis, ſiue formaliter, ſi ſit formalis. Contra eſt, Paternitas realiter identificatur cum eſſentia Dei, nec tamen Paternitas eſt realiter de eſſentia Dei.

In aſſignando eſſentiæ conceptu difficultas.

2 Si addas ſecundò, *ſine eſſentia non inueniri rem*; inueniri autem ſine Paternitate Deitatem in Filio, & ideo non eſſe de eſſentia. Contra ſaltem in Deo dabuntur tres eſſentiæ relatiuæ; nam ita, verbi gratia, cum Paternitate identificatur prima relatio, vt hæc in nullo reperiatur ſine illa. Si addas tertiò eſſentiam debere eſſe *primum conſtitutiuum, & radicem poſitiuam cæterorum.* Contra eſt; quia eſſentia Dei non eſt ex parte obiecti prior Paternitate, nec illius radix, & principium, nec virtualiter, vt dixi in tractatu de voluntate. Secundò ſaltem in creatis, vbi non datur diſtinctio virtualis, non implicat aliqua eſſentia rei, quæ nullius paſſionis radix obiectiua ſit. Tertiò pone materiam cæleſtem, verbi gratia, ſolis determinatam ad hanc formam, ecce ſola materia eſt primò cōſtitutiua ſolis, & radix;ad cuius exigentiam forma ſolis datur, nec tamen in ſola materia conſiſtit eſſentia ſolis. Quartò denique, loquendo de ratione noſtra in homine, verbi gratia, rationalitas eſt eſſentia præ riſibilitate, non tamen eſt illius radix, nec per rationem, quia vt dixi diſput. 36. ſect. 3. nullum fundamentum datur, vt ratio noſtra det prioritatem rei,quæ ex parte obiecti non eſt prior; nam ad hoc opus erat poſitiuè apprehendere rem *vt priorem*, quæ apprehenſio erronea foret.

Eſſentia Dei non eſt prior ex parte obiecti Paternitate, nec illius principium virtuale.

3 Vt his occurram, duo ad eſſentiam requiro. Primum quòd ea poſita, (ſiue realiter, ſiue ratione noſtra) ponatur res, & ea ablata, auferatur. Secundum, quod ita ſit prima, vt nihil præ ea ſit radix perfectionum ſuppoſiti. Vnde ſi ſumpta primitate definiri poteſt eſſentia; *primum, ſeu primarium conſtitutiuum adæquatum rei.* Vnde Paternitas non eſt de eſſentia Dei, quia ſine ipſa eſt Deitas in Filio. Item Paternitas ſimpliciter non eſt de eſſentia, nec relatiua, quia non eſt omnino prima, & radix omnium perfectionum ſuppoſiti quod conſtituit, ſicut Deitas.

Duo ad eſſentiam requiruntur.

Eſſentia prima negatiuè.

4 Quod ità explico: Deitas licèt immediatè non ſit prior obiectiuè, nec radix Paternitatis, ſicut nec diſtincta, eſt tamen radix Filiationis, tanquam eius principium, quod in Patre, vel ſaltem quatenus conſtituit in Patre principium Filiationis. Hinc patet, cur Deitas potiùs, quàm Filiatio in ipſo Filio ſit prior & radix Filiationis, iſtaque non dicatur *eſſentia*, (ſeu de eſſentia) & conſequenter nec Paternitas de eſſentia ſit: *quod enim de Patre credimus, hoc de Filio, hoc de Spiritu-ſancto ſine differentia diſcretionis ſentimus*, vt canit Eccleſia; deinde licèt Deitas non ſit radix poſitiua Paternitatis, nec eo modo, quo Filiationis. At præ Paternitate habet Deitas eſſe radicem, modo explicato, alicuius perfectionis ſuppoſiti, in quo eſt; ſiquidem eſt principium Filiationis, non tamen ideò eſt radix perfectionum ſui ſuppoſiti; Filiatio enim ſuppoſito diſtinguitur.

Explicantur præcedentia.

Ex quo patet ad primam replicam in §. 2. ad 2. 5
Reſpondeo: illa res creata adhuc eſſentia conſtarét realiter, quia ſaltem negatiuè eſſet prior aliis, quatenus nihil eſſet realiter in eo ſuppoſito prius illa, nihil eſſet, quod præ illa foret radix perfectionum talis ſuppoſiti. Ad 3. materia illa non eſt radix, in qua contineatur forma ſolis, ſeu titulo cuius excellentiæ forma ſolis debeatur, hìc autem loquimur de tali radice. Ad 4. licèt rationalitas non ſit prior per modum *radicis*, & *principij* reſpectu riſibilitatis, eſt tamen ratione noſtra prior logicè, quatenus titulo illius tantam perfectionem concipimus, vt nulla attentione habita ad riſibilitatem, iam homo in eſſe hominis conſtitutus intelligatur, taliſque perfectionis, cui debeatur riſibilitas, qui modus concipiendi ſufficit, vt aliquo pacto rationalitas præ riſibilitate ſit ratione noſtra de eſſentia hominis, vt latiùs dicam ſect. 6.

Hinc quæſtionis ſenſus eſt, in quo prædicato ex diſtinctis realiter conſiſtat eſſentia realis Dei. 6
Item inter ea, quæ ſolùm ratione noſtra diſtinguuntur, quod ſit in quo etiam ratione noſtra Dei eſſentia conſiſtat? ſeu quod ſit, ſiue ex parte obiecti, ſiue ex parte modi noſtri concipiendi. Primus & quidditatiuus Dei, vt Dei eſt conceptus, quo poſito Deitas ſaluatur omni alio ſeparato, ſicut è conuerſo eo ablato nondum Deitas plenè concipitur?

Aperitur quæſtionis ſenſus.

SECTIO II.

Reſoluitur quæſtio ex parte obiecti.

Dico primò eſſentia Dei in nullo prædicato relatiuo conſiſtit etiam obiectiuè, & realiter 7
loquendo (de qua concluſione in tractat. de Trinitate plura dicam) quia licèt eſſentia nullo modo ex parte obiecti immediatè diſtinguatur à relationibus, verbi gratia, à Paternitate. At integra eſſentia Dei realiter inuenitur in Filio, quin realiter inueniatur Paternitas: ſtat quòd Filius habeat integram quidditatem, & eſſentiam Dei, plenèque ſit Deus, quin habeat Paternitatem. Tunc ſic: Sed illud dicitur de eſſentia alterius, ſeu in illo conſiſtit realiter eſſentia, ſine quo eſſentia reperiri realiter non poteſt; ergo in Paternitate nec realiter conſiſtit eſſentia Dei, eſt quidem Paternitas realiter eſſentia Dei, *non tamen eſt nec realiter eius eſſentia.* Conſequentia patet, ſiquidem Paternitas, nec realiter eſt idem cum omni, in quo datur Deitas. Minor etiam patet ex ſect. præcedenti. Maior definita eſt in Concilio Niſſeno, vt refert Nazianzenus orat. 50. *Filius eſt Deus de Deo, perfectus de perfecto, totus à toto, plenus à pleno.* Concilio Toletano II. dicitur vnaquæque perſona *plenus Deus.* Sic in Chriſto Domino habitat *pleni-*

Eſſentia Dei in nullo prædicato relatiuo conſiſtit, etiam obiectiuè & realiter.

tude

tudo omnis Diuinitatis, Damaſcenus 3. de fide c. 6. inter principium & medium; *Confitemur Deitatis naturam omnem in vnaquaque ſuarum hypoſtaſeon perfectè eſſe.* Auguſt. Pſal. 68. concione 1. colum. 3. *quidquid eſt Pater, quod eſt Deus, hoc eſt Filius.* Vide plura alia teſtimonia apud Ruiz, diſp. 14. de Trinit. à ſect. 2.

8 Confirmatur primò, eſſentia Dei intelligi non poteſt pro priori ad id, in quo conſiſtit ſeu pro priori ad ſua conſtitutiua, ſed in Patre pro priori ad Filiationem reperitur integra eſſentia Deitatis; ſiquidem Pater, etiam pro priori originis, & vt principium Filij *eſt Deus*, ideò Filius eſt *Deus de Deo*: ergo in Filiatione non conſiſtit eſſentia Deitatis. Confirmatur ſecundò; vt aliquis ſit Deus realiter, opus eſt, vt identificetur cum omni, quod eſt de eſſentia Dei, aliàs ſolùm erit *ſemi Deus*, ſed Filius, verbi gratia, non identificatur cum Paternitate; ergo iſta non eſt de eſſentia Dei. De hac concluſione in reipſa non poteſt eſſe quæſtio apud Catholicos, licèt quoad vocem diuersè loquantur apud Ruiz, diſput. 14. de Trinit. ſect. 1.

9

Eſſentia Dei ex parte obiecti non conſiſtit in prædicatis abſolutis liberis.

Dico ſecundò, eſſentia Dei ex parte obiecti non conſiſtit in prædicatis abſolutis liberis. Concluſio hæc per ſe patet, ſi perfectio libera, vt talis conſtituatur ex aliquo extrinſeco connotato, ſed etſi ſit adæquatè intrinſeca Deo libertas, probatur; Quia perfectio libera vt talis aliquo modo poteſt de *eſſe*, ſaltem in aliqua hypotheſi poteſt dici de Deo: *non vult creare mundum*: ſicut modo dicitur, *non vult deſtruere humanitatem Chriſti*; etenim quod non poteſt vllo modo non eſſe, omnino neceſſarium eſt. Tunc ſic; ſed nullo modo poteſt Deus carere ſua eſſentia: ergo volitio libera vt talis non eſt de eſſentia Dei. Id enim eſt de eſſentia alicuius rei, vt dixi ſect. præced. ſine quo in nullo, & nunquam concipitur rei eſſentia.

10

Eſſentia Dei realiter & virtualiter conſiſtit in omnibus perfectionibus abſolutis & neceſſarijs.

Dico tertiò, eſſentia Dei ex parte obiecti loquendo non ſolùm realiter, ſed etiam formaliter & virtualiter intrinſecè conſiſtit in omnibus prædicatis, & perfectionibus abſolutis neceſſariis, ita vt nulla obiectiuè perfectio ſit abſoluta, neceſſaria, quæ non pertineat ad formale conſtitutiuum Deitatis. Concluſio hæc manifeſtè infertur ex diſput. 14. & 15. cùm enim in abſolutis, nulla detur obiectiua diſtinctio, nec contradictio; quidquid vni perfectioni competit, competet alteri, ſiquidem ex omnibus coaleſcit vna ſimpliciſſima formalitas obiectiua. Quid autem admiſſa diſtinctione ex natura rei Scoti, vel etiam virtuali intrinſeca recentiorum dicendum ſit, conſtabit ex ſequentibus.

SECTIO III.

De eſſentia Dei per rationem, ſeu ex parte modi, vel etiam admiſſa diſtinctione obiectiua inter perfectiones Diuinas. Prima ſententia eam conſtituens in ente à ſe proponitur, & reijcitur.

11

In quo prædicato conſiſtat ex parte modi eſſentia Dei, diſquiritur.

RĔſtat mihi quæſtio ex parte modi concipiendi de conſtitutiuo formali Diuinæ eſſentiæ, in qua perfectione neceſſaria, & abſoluta ponendum ſit? An in aliqua particulari, vt diſtincta per rationem noſtram ab alia? & in qua determinata? an etiam in omnibus ſimul? quæ difficultas etiam hypotheticè examinari poteſt admiſſa diſtinctione formali Scoti, vel virtuali intrinſeca recentiorum; in hac enim hypotheſi inquiro, in qua perfectione conſiſtat eſſentia Dei: quæ controuerſia celeberrima eſt in Theologia ſiquæ alia, vt latè eam verſans ait Recupitus in præſenti lib. 2. quæſt. 14. cap. 2.

12

Proponitur prima ſententia.

Ens à ſe.

ita Gilius: Recupitus: Amicus: Smiſing: Auerſa.

Prima ſententia pro conſtitutiuo formali Diuinæ eſſentiæ ens à ſe; ita plurimi cum Patre Gillio in præſenti lib. 2. tract. 1. cap. 3. & 14. Recupitus lib. 2. quæſt. 14 cap. 4. Amicus diſput. 3. num. 74. Smiſing tract. 1. diſput. 2. num. 12. Auerſ. quæſt. 2. ſect. 2. Probatur primò; quia hoc prædicatum eſt, quod primò concipimus in Deo, & in quod omnes alias perfectiones reducimus; nam quoniam Deus nullam cauſam habet, à qua limitetur, infinitæ perfectionis euadit, vt expendi diſput. 11. quæſt. 2. Id autem eſſentia eſt, in quod, vt in primam rationem, & radicem cætera reducuntur.

13

Secundum argumentum.

Secundò, eſſentia Dei conſiſtit formaliter in ipſo actuali *eſſe*, ſeu in actuali exercitio exiſtendi, quod explicatur per ly *eſt* de ſecundo adiacente. Atqui *eſſe* ſic eſt formaliſſimè *eſſe à ſe*; ergo in hoc conceptu conſiſtit formaliter eſſentia Dei, conſequentia patet, & minor probatur, quia illa res eſt formaliter, & quidditatiuè *exiſtens* in actu exercito, quæ in nullo ſtatu concipi poteſt, niſi vt *actu exiſtens*: huiuſmodi autem exiſtentia formaliſſimè excludit cauſam, & conſequenter *eſt à ſe*, alioqui pro priori ſigno, in quo intelligitur cauſa illius, nondum intelligeretur exiſtens talis res; nondum eſſet in actu, ſed in potentia. Iam maior propoſitio clarè patet ex Exodo 3. vbi volens Deus ſignare nomen maximè proprium ſui, vt notat S. Thomas 1. part. quæſt. 13. art. 1. in corpore dixit, *Ego ſum qui ſum*.

14

Tertium argumentum ab Amico formatum.

Hinc tertiò arguit P. Amicus: Ipſum eſſe; ſeu, *qui eſt*; formaliſſimè imbibit omnem perfectionem poſſibilem, ſeu eſt talis conceptus, cui debeatur omnis perfectio tanquam modus adiacens ipſi; Ergo eſſentia Dei in hoc conceptu conſiſtit. Conſequentia probatur; quia eſſentia Dei conſiſtit in eo conceptu, cui cæteri adiacent; ſiquidem eo ipſo iſti erunt ſecundarij. Antecedens probatur; nam *ſi bonum* (inquit Bernardus 5. de conſideratione, cap. 6.) *ſi magnum, ſi ſapientem, vel quid tale de Deo dixeris, in hoc verbo inſtauratur, Quod eſt, eſt. Nempè hoc eſt ei eſſe, quod hæc omnia eſſe. Si centum talia addas, non receſſiſti ab eſſe, ſi ea dixeris, nihil addidiſti, ſi non dixeris, nihil minuiſti.* Et ratio eſt, nam *ſapiens, bonus*, &c. neceſſario in *eſſe* fundatur, ſuntque quaſi determinationes eſſendi: Ergo *eſſe* vniuerſaliſſimè, & illimitatè acceptum de ſecundo adiacente, in quo imbibitur à nulla cauſa dependere vt dixi §. præcedenti eſt conſtitutiuum eſſentiæ Dei.

S. Bernardus.

15

Quartum Recupiti argumentum.

Quartò arguit Recupitus: per illud prædicatum Deus primò diſtinguitur à creatura, & conſequenter conſtituitur in *eſſe* Dei, per quod formaliter opponitur prædicato, in quo creatura primò diſtinguitur à Deo, at hoc prædicatum in creatura eſt *creari*, ſeu *eſſe ab alio*, per iſtud enim creatura formaliſſimè conſtituitur in ratione creaturæ; Ergo & Deus conſtituitur formaliter per *eſſe à ſe*.

16

Reijcitur hæc ſententia, quia ſit per genus remotum.

Sed contra; reijcitur hæc ſententia; quia procedit per genus vniuerſaliſſimum, quale eſt *ens*; immediatius autem ponitur *virtus intellectiua*, minúſque perfectè concipitur perfectio Deitatis, ſi in ipſa formaliter, nec gradus intellectiuus, nec vita appareat formaliter, licèt arguatur. Vnde primò reijcitur hæc ſententia: eſſentia Dei magis

conuenit cum Angelo, quàm cum lapide; Ergo vti in creatis contingit, de definitione formali, & eſſentia Dei erit hoc genus immediatius. Confirmatur: de eſſentia cuiuſuis rei eſt gradus perfectiſſimus, qui inueniatur in tali re præter differentialem: ſic in animali exprimitur *vita*, in homine *animalitas*, in Angelo *intelligentia*: At in Deo ſecluſa differentia propria Deitatis, ſcil. *à ſe*, ratio entis minimè perfecta eſt: Ergo &c. Secundò reijcitur; *eſſe à ſe* commune eſt omnibus attributis; Ergo nondum aperitur, quæ perfectio eſſentialiter ſit eſſentia Dei. Nondum exprimitur ſpeciatim, quod ſit hoc *ens à ſe*, in quo conſiſtit eſſentia, an intellectio, volitio, &c. Tertiò, ſic explicatur, eſſentia Dei negatiuè, hìc autem quærendus eſt conceptus poſitiuus primarius Dei.

Conueniens attributis.

Et negatiuè.

17 Ad argumenta oppoſita reſpondeo; ad primum non ſufficere ad conceptum eſſentialem, quod arguat reliqua omnia attributa, niſi illa arguat vt ratio prior, non ſolum in cognoſci, ſic enim ſæpè ſunt nobis notiora, quæ poſteriora in re, ſed quaſi in eſſendo, & poſitiuè; ita eſſentia Angeli non definitur ens independens à materia, licèt in cognoſci hęc independentia ſit prima ratio, in quam alias perfectiones Angeli reducimus.

Oppoſitis argumentis fit ſatis.

18 Ad ſecundum fateor, quòd ly *eſt* de ſecundo adiacente ſpecialiſſimè conueniat ſoli Deo, ſitque conceptus nobis notiſſimus, ex quo reliqua omnia arguantur; vnde congruentiſſimè per illum conceptum deſignatur Deus: ſed non poſitiuè immediatè & ſpeciatim, vt ſuprà dixi. Tertium æquiuocè procedit; nam Deus non eſt *eſſe* vt ſic, & vniuerſaliter acceptum, ſed ſpeciale *eſſe*, alioqui ſimiliter liceret dicere, quod creatura omnis conſiſtat in *eſſe*, vt ſic ab alio, cui accidat vt attributum eſſe particulare, verbi gratia, *ſenſitiuum, rationale*, &c. Ad quartum, Deus per ly *ens à ſe*, conſtituitur formaliter in ratione *increati*, & arguitiuè in ratione *Dei*, at Dei[illegible]is ratio poſitiuè explicanda eſt vt ſæpè dixi.

SECTIO IV.

Eſſentia Dei conſtituta per gradum intellectiuum, diſtinctum ab intellectione, proponitur, & reijcitur.

19 ITa ſecunda ſententia cum Scoto quodlibeto 1. quæſt. 1. §. *de altero*, Albertino corol. cap. 4. ex prædicamento ad aliquid diff. 2. dub. 2. Ruiz diſput. 8. de Trinit. ſect. 5. Arriaga 1. part. diſp. 16. ſect. 4. fauet Auguſt. 15. de Trinitate, cap. 5. vbi ait eſſentiam Dei conſiſtere in vita, non vt in plantis, vel pecoribus, ſed qua intelligit.

Eam tuentur Scotus. Albertinus. Ruiz. Arriaga.

20 Probatur primò; Quia in omni natura intellectiua, ratio intelligendi per modum *naturæ*, & *radicis* pertinet ad primum eius conceptum, & eſſentiam ex parte modi formaliter: ſic homo definitur *animal rationale*, Angelus *intelligentia ſimplex*: ergo & ita de Deo concipiemus, qui maximè intellectiuus eſt; cùm enim agamus de conſtitutiuo naturæ Diuinæ per rationem noſtram, eo modo conſtituere eam debemus, quo conſtitutas videmus naturas creatas; addita tamen differentia ſummæ intellectualitatis, verbi gratia, *eſſe intelligentiam omnicomprehenſiuam*. Vnde.

Prima ſecundæ ſententiæ probatio.

21 Probatur ſecundò; Iſte conceptus etiam vt condiſtinctus ab intellectione actuali in primis eſt proprius Dei, quo à creaturis differt; nulla enim eſt *omnicomprehenſiua*, cùm ſaltem ipſe Deus à nullo intellectu creato valeat comprehendi: aliunde eſt primus omnium, non ſolùm negatiuè modo explicato in ſectione prima, ſed etiam poſitiuè ratione noſtra; tum quia poſſunt in ipſum reliqua omnia refundi; ideò enim Deus eſt *volens*, quia comprehenſiuus, ideò *beatus*, ideò *carens omni imperfectione*: tum etiam, quia prius eſt eſſe rem in ſe, quàm operari; ergo eſſentia Dei ſaltem ratione noſtra priùs concipitur, quàm operatio intellectionis.

Secunda probatio.

Tertiò formalitas *intellectiui*, ſeu intelligentia comprehenſiua poteſt concipi vt condiſtincta ab aliis formalitatibus intellectionis actualis, volitis, &c. vt patet ex regula pro diſtinctione rationis data diſput. præcedenti, item vt ſic diſtincta apprehenditur ſimilis prædicatis creatis, quæ dicuntur *eſſentia formalis*; nihil enim inuenietur in rationalitate hominis collata cum riſibilitate, cur potiùs illa ſit eſſentia ratione noſtra reſpectu huius, & non ly *intelligentia* in Deo reſpectu æternitatis, verbi gratia, ſiquidem ſi loquamur reipſa, rationalitas in homine vt ſit eſſentia, ex parte obiecti debet eſſe riſibilis, nec vllo modo eſt prior, vel diſtinguitur obiectiuè à riſibilitate, ſicut intelligentia in Deo ab æternitate; ergo ſi adhuc ex parte modi rationalitas eſt eſſentia hominis præ riſibilitate, ita ly *intelligentia* in Deo. 22

Tertia probatio.

Sed contra hanc ſententiam, quatenus excludit ab eſſentia Dei intellectionem actualem ago diſput. 3. de ſcientia Dei ſect. 3. non præciſè eo, quòd in Deo non detur actus primus intelligendi, ſed quia licèt detur ratione noſtra, diſtinguaturque ab intellectione actuali, adhuc tamen eſſentia non in ſolo actu primo, ſed ſimul in ſecundo debet conſiſtere. E contra Pater Franciſcus de Lugo in præſenti diſput. 16. cap. 4. & 7. licèt neget in Deo actum primum, adhuc dicit actum ſecundum intellectionis non eſſe ratione noſtra de eſſentia Dei, quia eſſentia vt talis condiſtincta à natura non debet concipi in ordine ad operari, ſed ad eſſe, ideoque res operatur, & intelligit, quia eſt, non è contra. 23

Reijcitur præcedens ſententia.

Reijcitur tamen hæc ſententia. Primò, quia eſſentia Dei imperfectè apprehenditur, dum in linea, in qua ponitur non eſt actus completus, ſed pura potentia: Ergo ſiquidem neceſſariò ponenda eſt eſſentia Dei in linea intellectiua, vt ſupra conſtat, non ſolùm *vt potens* concipiendus eſt Deus, ſed vt actu intelligens. Secundò non eſt contra conceptum eſſentiæ conſtitui ita in radice, vel quaſi radice proprietatum, vt ſimul in ſe formaliter ſit actus, & ipſa actuatio: ita in meliori ſententia, eſſentia Dei eſt *ipſe actus exiſtendi*; anima formaliter eſt *actus corporis*. Eſſentia actionis, vel intellectionis, licèt ſint radix ſuarum proprietatum, verbi gratia, durationis, & vbicationis; at formaliſſimè in actuatione ipſa conſiſtunt; ergo eſſentia Dei conſtitui poteſt in ipſo actu intelligendi; ergo debet in illo conſtitui. Tum quia non eſt minùs purus actus formaliter, quàm intellectio creata; tum etiam quia eſſentia Dei formaliter eſt beata, beatitudo autem actualem viſionem ſummi boni includit. 24

Primò reijcitur.

Reijcitur ſecundò.

Ad fundamenta oppoſita reſpondeo. Auguſt. bene ait eſſentiam Dei cõſiſtere in vita intellectiua ſubſtantiali, at quæ ſimul ſit actus intelligendi ſeu ſapientia, vt ibidem addit. Ad primum igitur reſpondeo: eſſentia Dei eo, quòd concipienda ſit vt eſſentia 25

Oppoſita fundamenta eleuantur.

eſſentia actus puri, ſpecialiter petit actualitatem, vt excludat incompletionem potentiæ.

26 Ad ſecundùm, licèt in ly *intelligentia omnicomprehenſiua* ſatis diſtinguatur Deus à creaturis, quantumuis ab intellectione actuali præſcindat, poſſentque ratione noſtra omnes perfectiones diuinæ reduci ad hunc conceptum, adhuc iſte non erit integra eſſentia Dei, quia nondum exprimit in ſuo conceptu formaliſſimum ſignatum Dei, nempe *actum purum* in linea, in qua ponitur, ſic eſſentia riſibilitatis vt talis non conſiſtit in ſolo rationali, licèt iſte conceptus ſoli riſibili conueniat, & licèt totum, quod eſt in homine, vt riſibili, ad rationalitatem vt primam radicem refundatur, quia ſcilicet nomen ipſum *riſibilis* non ſignat radicem vtcunque, ſed actuatam per actum riſibilitatis. Iam verò idem ſignat *intelligentia Diuina*. quod *intelligentia actus puri*; eadem inſtantia eſt in conceptu *agentis*, vt ſic enim non eſt ſolùm de eius eſſentia formali ſubſtantia agens, quantumuis demus ipſam ſubſtantiam eſſentialiter connecti cum actione, ſed vlterius requiri, quòd ipſa actio formaliter intret in conceptum agentis.

27 *Cur actus ſecundus potiùs in Deo, quàm in homine pertineat ad eſſentiam.*

Ad Tertium in rationalitate hominis etiam vt præciſa à riſibili (quod ex parte obiecti eſt idem cum rationalitate) conſiſtit, per rationem noſtram eſſentia hominis adæquatè, quia nihil inuoluit *homo* formaliter exprimens riſibilitatem; nihil eſt momenti, & conſideratione dignum in homine, quod ſatis non exprimatur per rationalitatem: cui ſecundariò riſibilitas accidit, quia parum iſta pertinet ad conſiderationem de homine, Colligiturque ſatis ex rationalitate, iſtaque eſt adæquatè eſſentia, quod non accidit in ly *intelligentia omincomprehenſiua*, in quem conceptum licèt ſufficienter omnia diuina refundantur, nondum tamen formaliter exprimitur in eo actualitas, quam eſſentia *actus puri* primariò etiam ratione noſtra importat, vt latiùs dicam in explicatione propriæ ſententiæ.

28 Nec denique vrget fundamentum Patris Lugo volentis eſſentiam diſtinguere à natura, vt iſta concernat operationem; ſecus illa; non inquam vrget, nam licèt eſſentia rei imperfectæ, & præſcindentis ab actu puro, præſcindat etiam ab *operari*, ſecus eſſentia actus puriſſimi, vt patet in eſſentia *ipſius actionis vt ſic*, & *intellectionis*: vnde nihil probat in Deo, in quo ſi vera eſt hæc cauſalis: *Ideo intelligit, quia eſt*. non è contrà: hoc accidit ſine fundamento in re, ſed ſolùm in imperfecto noſtro modo concipiendi, quemadmodum concipimus Deum ad modum *corporis*, quin ideo tamen Deus ſit *corpus* ratione noſtra.

SECTIO V.

Videin tract. de ſcient. diſput. 36. & de vol. diſput. 57.

Eſſentia Dei conſtituta per intellectionem ſolam proponitur, & reiicitur.

29 *Tertia ſententia conſtituens Dei eſſentiam in ſola actuali intellectione.* Suarez. Herice Faſolus. Ioannes. de S. Thom.

CONſtitui per intellectionem actualem ſatis conſtat ex ſectione præcedenti: at ita per hanc conſtitui, vt in ea adæquatè eſſentia Dei conſiſtat, ſiue vt ab eſſentiæ Diuinæ conſtitutione formali volitio, & aliæ ſimiles perfectiones Diuinæ excludantur ſentit tertia ſententia cum Suarez libro 11. de Trinitat. Faſol. 1. part. quæſtione 4. artic. 1. Hetice tract. de ſcientia Dei diſput. 3. cap. 3. & in præſenti Ioannes de ſancto Thoma.

30 *Prima ratio excludens volitionem à conſtitutiuo diuinæ eſſentiæ.*

Mouetur primò vt volitio non ſit de eſſentia Dei (idemque de aliis perfectionibus) ſed ſola intellectio; nam verbum diuinum eo, quòd procedat per intellectionem ſpecialiter oritur per *naturam*, præ ſpiritu ſancto, qui procedit per amorem, communicaturque verbo natura diuina ex vi proceſſionis; ergo quia natura diuina in ſola intellectione conſiſtit. Secundò: intellectio eſt prior volitione, illiuſque radix, & principium ratione noſtra, quatenus, apud nos ſaltem ideo *Deus amat, quia cognoſcit*, aliunde per intellectionem ſatis diſtinguitur Deus ab aliis rebus, concipiturque vt *actus purus* in gradu, & linea intellectiua, in qua conſtituitur; Ergo pro priori ad volitionem per ſolam intellectionem concipitur eſſentia Dei adæquatè conſtituta. *Secunda ratio.*

31 *Tertia ratio.*

Tertiò volitio in omni ſubſtantia creata pertinet ad ſecundarium conceptum, & vt quid conſecutum ad eſſentiam etiam realiter & identicè, ergò in Deo etiam formaliter & ratione noſtra erit extra eſſentiam vt attributum. Confirmatur: illud eſt attributum, ratione noſtra, quod ad modum accidentis, & adiacentis ſubſtantiæ apprehenditur etenim eo ipſo non concipitur primariò in re. Sed id, quod ſemper ex conceptu ſuo in rebus creatis eſt accidens, concipitur à nobis ad modum accidentis, cùm Deum concipiamus per ſpecies creaturarum; Ergo volitio, quæ ſemper in rebus creatis eſt realiter extra eſſentiam, in Deo erit extra illam ex modo noſtro concipiendi.

32 *Pro volitione pugnant recentiores Zuniga & aliis præeuntibus.*

Sed contra hanc ſententiam pro volitione ſpecialiter militant recentiores cum Zuniga diſput. 2. de Trinit. dub. 20. num. 3. Albiz 1. part. in tract. de voluntate, Ruiz diſput. 8. de ſcientia, ſectione 8. & diſput. 8. de Trinitat. ſect. 5. Quatenus eodem modo ſentit de intellectione ac de volitione. Vnde arguitur primò ad hominem, nam ſancti Patres æquè dicunt volitionem, ac intellectionem eſſe de quidditate, & ſubſtantia Dei; ergò ſi intellectio eſt de eſſentia Dei, non ſolùm realiter, ſed formaliter, & ratione noſtra, ſimiliter, & volitio, *Primum ad hominem argumentum.* Secundò quia non concipitur Deus vt Deus, dum non concipitur adorandus, ſeu cultum accipiens noſtrum, & in illo placens, item plenè, & completè beatus, & gaudens, ſupremus Dominus, &c. quæ omnia volitionem imbibunt. *Secundum argumentũ.* Tertiò quia vt dicam ſectione ſequenti, eſſentia Dei cùm ſit actus purus in omni linea, debet includere vltimam perfectionem. *Tertium argumentum.*

33 *Reſpondetur oppoſitis argumentis.*

Ad argumenta oppoſita, reſpondeo; ad primum: verbum præ ſpiritu ſancto non habet ſpecialiter oriri per naturam, ſed præcedere *vt ſimile in natura*, quod bene datur, licèt volitio etiam naturam conſtituat, vt dixi diſput. 15. num. 169. Ad Secundum reſpondeo: licèt intellectio actualis concipiatur, vtcumque tanquam prior volitione, vt ſicque ſatis diſtinguat Dei eſſentiam ab omni alio, nondum tamen ſola intellectio concipitur vt adæquata eſſentia formalis Dei; ſiquidem nondum concipitur ratio *habentis in actu* omnes perfectiones, quarum eſt capax. *Ad ſecundũ.*

34 *Ad tertium.*

Ad Tertium in primis ſi intellectio poſſit realiter identificari cum ſubſtantia creata, poſſet etiam volitio. Deinde licèt id, quod concipitur per modum accidentis ſit de conceptu ſecundario illius, cui ſic accidit, adhuc poteſt conuenire primario alicui toti, vt patet in albedine, quæ accidit parieti, eſt tamen de conceptu primario *albi* vt *albi*; ergo licèt volitio non ſit de conceptu intellectionis diuinæ, cui quaſi accidit, erit tamen de conceptu *Accidens quando ſit de eſſentia rei.*

adæquato Dei, qui vt talis eſt formaliſſimè actus volendi, vt infra latiùs conſtabit, vnde patet ſolutio ad confirmationem, nam attributa non ſufficit concipi per modum accidentis alteri vtcunque, niſi extra totam, & adæquatam conſtitutionem illius, quod pertinet ad primariam conſiderationem talis rei. neque refert, quòd concipiatur per ſpecies *accidentis*, neque enim ideo erit *accidens* ratione noſtra, ſicut neque eſt ratione noſtra *corpus*.

SECTIO VI.

Explicatur vera ſententia, & probatur authoritate.

35 *Deciditur quæſtio.* *Eſſentia Dei formaliſſimè includit omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem. Ita* Amicus. Martinon. Recupitus. Suarez. Molina. Valentia.

Eſſentia Dei formaliter etiam ratione noſtra imbibit omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, hoc eſt nulla eſt perfectio Dei abſoluta, quæ non ſit de conſtitutiuo formali Diuinæ eſſentia, ita vt Deitas coaleſcat formaliſſimè ex omnibus prædicatis abſolutis, & neceſſariis Dei, ſiue iſta diſtinguantur inter ſe ex natura rei formaliter, aut virtualiter, ſiue etiam ſolùm per conſiderationem noſtram. Ita reipſa ſentit Amicus, vt patet ex diſput. 3. §. 81. Item quotquot dicunt attributa eſſe de conceptu formali eſſentiæ, qui innumeri ſunt, cùm & apud Martinon in præſenti diſput. 3. ſect. 8. Recupitus lib. 3. quæſt. 10. cap. 2. Suarez lib. 1. de eſſentia Dei, cap. 11. Molina quæſt. 28. art. 2. diſput. 4. Valentia quæſt. 12. punct. 6. quæſt. 2.

36 Hæc ſententia (admiſſa diſtinctione præcisè rationis, negataque omni diſtinctione obiectiua, ſi loquamur de ſtricto conceptu *eſſentiæ* requirentis iuxta communem phraſim, quòd ſit *prior*, & *radix* proprietatum) euidenter conſtat ex dictis diſput. 3. de ſcientia Dei ſect. 3. vbi latè oſtendi nullam perfectionem Diuinam eſſe, quæ cum fundamento ſtatui poſſit prior, & radix alterius perfectionis abſolutæ, etiam per rationem noſtram: ergo nulla eſt eſſentia præ altera, omniſque perfectio ſimpliciter ſimplex erit de conceptu formali eſſentiæ Dei.

37 Sed hac acceptione ita ſtricta *eſſentiæ* prætermiſſa, abſolutè, & ſimpliciter loquendo nullam eſſe perfectionem extra conſtitutiuum formale eſſentiæ Dei, Deitatemque formaliter, etiam ratione noſtra, in omnibus æquè conſiſtere, vt infinitum perfectionum *pelagus*, ex omnibus quantumuis diſtinctis coaleſcens, vt coaleſcit eſſentia hominis ex corpore & anima, licèt diſtinctis, probatur maximè ex authoritate Patrum, quæ præcipuè conſulenda eſt hìc, cùm ſimus in quæſtione de modo concipiendi. Probatur igitur attentis his Sanctorum dictis.

38 *Patrum dicta expenduntur pro vera ſententia.*

Primò: Dicunt hoc nomen, *qui eſt* explicare eſſentiam, quia imbibit totam perfectionem eſſendi, Damaſcenus lib. 1. de fide, cap. 12. cum Nazianzen. orat. 38. de Natiuitate Domini: *Videtur principalius omnium de Deo dictorum nominum eſſe Qui eſt; totum enim in ſeipſo comprehendens habet ipſum eſſe veluti quoddam pelagus ſubſtantiæ infinitum & interminatum*: quæ verba refert, & approbat S. Thomas 1. part. quæſt. 13. art. 11. corpore, quibus accinunt verba S. Bernardi citata ſect. 3. Rurſus ſecundò dicunt *attributa Dei non minus dici eſſentialiter de Deo, quam corpus, & rationale de homine*, ita Anſelmus cap. 16. Monologij. At rationale etiam ratione noſtra dicitur eſſentialiter de homine; ergo. Tertiò, *Non aliter*, dicunt, *intellectionem eſſe de eſſentia Dei, quàm alia attributa*, vt latè oſtendit Ruiz, diſput. 8. de Trinitate, ſect. 6. ergo cùm intellectio ſit de eſſentia formali iuxta communem, etiam & alia.

Quartò; Dicunt Patres generaliter *de eſſentia, & definitione Dei non magis eſſe vnam perfectionem, quàm aliam*, omneſque pertinere vno modo: ita loquitur Anſelmus, & Bernardus ſupra, Nazianzenus in lib. ad Ablauium iuxta medium: ergo cùm aliqua perfectio ſit eſſentia formaliter, ita & omnes, ſine quibus non datur eſſentia in aliquo ſuppoſito, & quæ habent ſufficientem prioritatem obiectiuam iuxta dicta ſect. 1. (quo excluduntur perfectiones relatiuæ) Quintò, Dicunt etiam per noſtram conſiderationem *eſſe Deum quidquid eſt, eſſentialiter*: ita loquitur, Anſelmus cap. 16. Monol. propè medium; ergo quia ex parte modi noſtri conſiderandi omnia ſunt de eſſentia Dei. Sextò; Dicunt per *omnes perfectiones Diuinas æquè reſponderi quæſtioni, quid eſt Deus*? S Anſelmus in Monol. cap. 15. *Si quæratur, quid ſit ipſa ſumma Natura, quid verius reſpondetur, quàm iuſtitia, &c. quidquid igitur eorum de illa dicatur, non qualis vel quanta, ſed magis quid ſit demonſtratur.* Tunc ſic, ſed nihil quod eſt extra conſtitutiuum formale eſſentiæ poteſt prædicari *in quid*, vt patet ex Ariſtotele, & Porphirio, ideò eſſentia dicitur quidditas. Rurſus è contra, quod eſt extra eſſentiam formaliter licèt identificetur realiter, prædicatur *in quale*, vt patet de proprio quarto prædicabile, verbi gratia, riſibilitatis; ergo, &c. 39 *De eſſentia Dei non magis vna eſt perfectio quàm alia iuxta Patres.*

SECTIO VII.

Vera ſententia ratione probatur.

Perfectio volitionis, verbi gratia, (idem dictum accipe de aliis) poteſt eſſe etiam ratione noſtra de conſtitutiuo formali eſſentiæ. At eſſentia Dei concludit etiam ratione noſtra pro conſtitutiuo formali omnem perfectionem repugnantem intrare in lineam eſſentiæ, ſeu eſſe de conſtitutiuo formali illius; ergo perfectio volitionis eſt etiam ratione noſtra de eſſentia Dei, ſeu Deitas etiam ratione noſtra volitionem imbibit. Conſequentia eſt legitima: Minor per ſe nota, alioqui eſſentia Dei non eſſet formaliter infinita, ſicut realiter infinita non foret, ſi realiter non diceret omnem perfectionem, & ſcientia infinita non foret formaliter, ſi formaliter non imbiberet ſcientiam omnium. Et quis dubitet, meliorem cogitari eſſentiam, ſi cogitari poteſt cum pluribus perfectionibus. 40 *Probatur ratione vera ſententia.*

Maior in qua ſola eſt difficultas, probatur primò, quia non eſt contra conceptum eſſentiæ, quod comprehendat plures perfectiones, quantumuis proprias rei & diſtinctiuas: ſic eſſentia hominis coaleſcit ex virtute diſcurſiua in rebus abſtractiſſimis, & ex diſcurſiua in minùs abſtractis quarum eſt diſtinctiua hominis. Item bene poteſt vna perfectio pertinere ad eſſentiam rei, licèt ſupponat aliam priorem, & differentialem rei; ita vt eſſentia formaliter coaleſcat ex conceptu priori, & poſteriori. Sic eſſentia hominis eſt etiam ratione noſtra rationalitas, ſeu potentia ad diſcurſum, in qua includitur vna potentia ad apprehenſiones præuias, alia ad præmiſſas, & alia ratione diſtinctas 41 *Probatur primò maior.*

ad actum

Potentia ad aſſenſum præmiſſarum ratione noſtra eſt prior potentiâ ad concluſ.

ad actum concluſionis, quæ potentia ratione noſtra poſterior eſt; ſi enim, quia cognitio eſt prior amore, potentia intellectiua ratione noſtra eſt prior, quàm volitiua, ſimiliter potentia ad præmiſſas erit prior, quàm potentia ad concluſionem; ſiquidem præmiſſa prior eſt concluſione; ergo ſi adhuc potentia ad concluſionem eſt de eſſentia hominis, etiam erit potentia ad volitionem, & in Deo ipſe actus volendi erit de eius eſſentia.

42 *Probatur ſecundò. A paritate eſſentiæ vt realiter conſtitutæ.*

Secundò probatur eadem maior: conſtitutionem realem eſſentiæ, non ſolùm intrat pars prior, ſed etiam poſterior, ita vt eſſentia realis componatur completa eſſentialiter ex parte etiam poſteriori; ſic cœlum ex materia propria; & forma, eſſentia *adæquati viuentis* ex corde, hepate, & ſanguine; arbor ex radice, ramis, & foliis; viuens iuxta Scotum ex forma corporeitatis, & forma animæ, & quidem quid repugnantiæ erit, ſi forma aliqua ſubſtantialis, non ſit realiter ſimplex, pluresque partes ſubſtantiales includat. Nonne eſſentia huius vniuerſi, ex pluribus rebus prioribus, & poſterioribus coaleſcit formaliter: ipſaque volitio Dei, ſi realiter diſtingueretur ab intellectione, vtpote ſubſtantialis adhuc, & per ſe ſubſiſtens, realiter eſſet de eſſentia Dei, quæ realiter coaleſceret ex intellectione, & volitione, vt ex differentiis inadæquatis; ergo ſicut realiter poteſt eſſe in linea eſſentiæ, quod realiter eſt poſterius, ita formaliter, & ratione noſtra conſtituet eſſentiam perfectio ratione noſtra poſterior, ita vt nondum concipiatur prior perfectio integra, & completa in ratione *eſſentiæ*; quouſque coniungatur cum poſteriori.

43 *Probatur tertiò eo quòd ad eſſentiam ſpectat, quidquid eſt de principali conſideratione rei.*

Tertiò probatur eadem maior; Quia id omne intrat formaliter eſſentiam rei, quod eſt de principali conſideratione illius; ſi enim abeſt aliquid, quod eſt de præcipua conſideratione, ſeu æſtimatione rei ſecundùm noſtram conſiderationem, nondum eſſentia tota rei concipietur; aliàs immeritò vocatur illud principale ſecundùm noſtram conſiderationem. Tum ſic; ſed benè poteſt aliquid poſterius, quamuis non ſit de principali conſideratione perfectionis prioris, eſſe tamen de principali conſideratione eſſentiæ *totius* coaleſcentis ex vtraque perfectione, vt patet in vniuerſo, quod principaliter includit, non tantùm ſolem priorem, ſed hominem poſteriorem, tum etiam in diſcurſu, qui dicit concluſionem poſteriorem, tum denique, quia ſæpè conceptus poſterior *perfectior* eſt priori, ſic actus iudicij perfectior eſt prætia apprehenſione, *magis intentus* à natura, quæ ideo dedit priorem, vel ſaltem *notabiliter augens* æſtimationem rei, licèt non tantundem, ac prior; cur enim poſterior conceptus, quamuis non tantæ perfectionis, quantæ prior, non poterit adhuc magni æſtimari? ergo bene poterit conceptus poſterior intrare conſtitutiuum formale alicuius eſſentiæ, & conſequenter non repugnat volitionem eſſe de eſſentia formali Dei.

44 *Arguitur ſecundò. Circa præcipuum intentum.*

Arguo ſecundò principaliter: eſſentia Dei non ſolùm eſt *optimum*, quod poteſt eſſe in re, ſed etiam in cogitatione, ſeu eſt *id, quod melius nequit mente cogitari*, hæc enim excellentia eſt maximè de quidditate Dei; ergo id, in quo ponitur eſſentia Dei, etiam ratione, & per conſiderationem noſtram debet eſſe tale, cui competat eſſe *ſic optimum*; at nondum talis eſt eſſentia Dei, ſi non ſit formaliter volens; tum quia nulla Dei perfectio diſtincta à ſupremo dominio (quod formaliter in volitione conſiſtit) tantum valet & æſtimabilis eſt, quantum ipſum formale dominium, & volitio; alioqui hæc formaliter accepta non eſſet perfectio ſimpliciter ſimplex, iſta enim in quolibet melior eſt ipſa, quàm non ipſa; tum etiam realiter eſſentia, vt ſit optima, debet includere volitionem; ergo vt ſit optima ratione noſtra, debet eam ratione noſtra includere, & quidem incluſione formali; ſiquidem melius eſt continere volitionem, quàm non continere formaliter, aliàs per volitionem, omnipotentiam, &c. Non foret Deus magis perfectus, & conſequenter neque iſtæ forent perfectiones ſimpliciter ſimplices; cùm non eſſent meliores ipſæ, quàm non ipſæ.

Tertiò inſtantiſſimè vrgetur, & explicatur vis argumenti præcedentis. Quidditas & conceptus *ſapientiæ Diuinæ*, verbi gratia, quia eſt optima, debet includere, non ſolùm eminenter, ſed formaliter omnem ſcientiam, nec ſufficit concipere, quòd ſit ſcientia omnium poſſibilium in verbo licèt id ſatis ſit, vt ſcientia appareat Diuina, iſteque ſit primus conceptus, in quem aliæ perfectiones ſcientiæ reducuntur. Similiter in omnipotentia, *ratio adæquata creandi* eſt primus conceptus eminenter continens reliquos; quia enim Deus creare poteſt, ideò attingit *ens* in quantum *ens*, vt Thomiſtæ loquuntur, & conſequenter poteſt omnia producere, adhuc tamen Omnipotentia, vt talis includit formaliter, non ſolùm virtutem ad creandum, ſed vlterius virtutem formalem ad omnia; ergò ſimiliter eſſentia Dei, vt ſit ſimpliciter infinita, ſeu eſſentia *infiniti ſimpliciter*, debet includere formaliter omnem perfectionem. 45

Præcedentis argumenti vires oſtenduntur.

Quartò vt clariùs appareat, etiam admiſſa diſtinctione obiectiua, & prioritate, qua intellectio Dei, verbi gratia, ſit obiectiuè prior aliis perfectionibus, adhuc iſtas eſſe de eſſentia Dei; ſic arguo; ſignificatum formaliſſimum Dei exprimit pluralitatem perfectionum, ſed vbi conceptus rei ſignat pluralitatem, nondum intelligitur eſſentia eius, completa eſſentialiter, quantumuis primaria perfectio apprehendatur, ſi non omnes; ergo non ſolùm in primaria perfectione, ſed in omnibus conſiſtit eſſentia Dei. Conſequentia patet, & minor, ideò eſſentia *vniuerſi* non eſt contenta, ſi conſtituatur perfectione primaria; *homo* vt riſibilis non ſatis concipitur per rationalitatem: eſſentia *diſcurſus* non ſunt ſolæ præmiſſæ priores, quia ſcilicet ipſum ſignificatum horum nominum pluralitatem imbibit. Maior probatur; quia ipſe notiſſimus, & primus conceptus Dei eſt *actus purus*; ergo exprimit actuationem in omni linea. *Infinitus* ſimpliciter; ergo exprimit omnem perfectionem ſine imperfectione; quis putet eſſentiam infiniti ſeu includentis omnem perfectionem, non includere omnem perfectionem: *Optimus, qui excogitari* abſolutè poſſit; ergo includit omnem rem qua concipitur vt melior. 46

Confirmatur; licèt eſſentia Dei in ipſo conceptu *infinitatis*, ſeu in ratione negatiua *infiniti*; conſiſtit tamen in ſubſtracto huius vocis, nempè in eo, cui vt ſic concepto competit eſſe infinitum ſimpliciter; ſicut è contra eſſentia hominis conſiſtit in eo, cui etiam ratione noſtræ competit eſſe finitum, etenim *animal rationale* formaliter finitum eſt; etiam prout ſubeſt noſtræ cognitioni. At nulli conceptui competit eſſe *ſic* ſimpliciter infinitum, niſi pelago omnium perfectionum, ſicut nulli competit eſſe infinitum ſecundùm numerum, niſi intelligantur formaliter infinita indiuidua, nec ſufficit ſi eminenter: ſic eſſentia hominis perfectionem formaliter limitam continet; Ergo, &c. 47

SECTIO

SECTIO VIII.

Aliquæ obiectiones proponuntur, & ſoluuntur.

48 *Prima obiectio.*

OBiicit primò Herice diſput. 12. de voluntate cap. 2. & 3. perfectioni Dei ſufficere, quòd eius eſſentia ſit infinita ſimpliciter in linea *eſſentiæ* ſicut infinitati ſcientiæ ſufficit eſſe infinitam in linea *ſcientiæ*: aliàs, ſi deberet includere formaliter omnem perfectionem, quam realiter dicit, includeret etiam perſonalitatem. Confirmatur; licèt non ſit melius eſſe hanc determinatam perſonam Patris, quàm Filij, at melius eſt eſſe perſonam vt ſic, & in communi, quàm non eſſe perſonam; Ergo eſſentiam Dei deberet conſtituere Paternitas, qua perſona eſt, licèt non qua talis determinata. Hoc autem eſt falſiſſimum; nam tota eſſentia Patris eſt in Filio per identitatem; nihil verò perſonalitatis paternæ.

49 *Satisfit obiectioni.*

Reſpondeo: eſſentia Dei, ſeu Deitas non ſolùm determinando lineam *eſſentiæ*, ſed ſine addito debet concipi infinita, aliàs Deitas non foret infinita ſimpliciter, ſed ſolùm limitatè, & ſecundùm quid, cùm tamen eſſentia Dei hoc habeat præ ſapientia, vt ſit infinita ſimpliciter. Ad confirmationem nihil in communi poteſt eſſe *de eſſentia* rei, quod non eſt in particulari ſi ergo quælibet perſona in particulari eſt extra eſſentiam abſolutè, perſona non erit de eſſentia. Neque obſtat, quòd melius ſit eſſe perſonam, quàm non eſſe perſonam in communi; eſſentia enim diuina ſolùm petit eſſe quod melius eſt in particulari; nam eo ipſo, quòd in particulari non ſit melius, iam poteſt abeſſe in aliquo ſine corruptione *eſſentiæ*; quod autem tale eſt, non poteſt eſſe de eſſentia rei, vt dixi ſectione 1.

50 *Secunda obiectio.*

Obiicies Secundò: nomine *eſſentiæ* intelligimus id, quod primò concipitur de re, de re autem intellectio verbi gratia eſt quæ primò concipitur. Reſpondeo *eſſentia* adæquatè talis, ſæpè etiam dicit non ſolùm id, quod primò concipitur, ſed etiam quod poſteriùs, vt ſatis conſtat ex ſectione præcedenti, maximè quando poſterius eſt per ſe ſubſiſtens, conſideraturque vt præcipuè ſignificatum ſub nomine talis rei. Ideo ergo licèt primò concipiatur intellectio, nondum tamen concipitur adæquata Dei eſſentia ſine volitione.

51 *Tertia obiectio.*

Obiicies tertiò: volitio diuina non concipitur à nobis per ſpecies ſubſtantiæ, ſed accidentis conſecuti ad ſubſtantiam, nam concipimus diuina per ſpecies creaturarum, ergo licèt volitio realiter ſit *eſſentia*, non tamen concipietur à nobis *vt eſſentia*, & conſequenter ex parte modi noſtri concipiendi extrà eſſentiam erit. Reſpondeo; non eſt curandum de aliquo imperfectiſſimo modo concipiendi per rationem *ratiocinantem*, ſed per *ratiocinatam* cum fundamento in re; in volitione autem diuina non eſt fundamentum, vt cognoſcatur per ſpecies volitionis accidentalis, & non potiùs ſubſtantialis, vt pateret, ſi per impoſſibile diſtingueretur realiter volitio diuina ab intellectione, in quo caſu non minùs foret ſubſtantialis, quàm intellectio; item ſi poſſibilis ſit volitio creata ſubſtantialis, potiùs per huius ſpecies concipienda eſt diuina; Quare ſi concipimus ſolam intellectionem Dei per ſpecies *eſſentiæ*, malè concipimus, ſicut quando concipimus Deum per ſpecies *corporis*, ac proinde vti Deus non eſt corpus ratione noſtra, ita nec ſola intellectio erit ratione noſtra *eſſentia*.

52 *Quarta obiectio.*

Obiicies quartò: *Corpus* eſt terminus primæ intentionis requirens, quòd obiectiuè detur in re ad id, quòd iſta ſit *corpus* ratione noſtra. At terminus *eſſentia* eſt quaſi ſecundæ intentionis, nihil immutans obiectiuè, ſed denominatiuè à noſtra cognitione: *eſſe eſſentiam* ratione noſtrâ, præcisè eſt cognoſci à nobis ad inſtar *eſſentiæ*. Eſſe *attributum* non eſt eſſe accidens nec ratione noſtra, ſed eſſe perfectionem ad inſtar perfectionis acceptam. Reſpondeo; tranſeat hoc, at non ſufficit, vt aliquid ſit attributum, & extra eſſentiam abſolutè ratione noſtra, & non ſolùm comparatiuè vtcumque, concipi ad inſtar accidentium, ſed cum aliquo fundamento in re, aliàs ſi præcipuè velis per attributum intelligi id, quo vtcumque conuenit Deus cum accidente creato, quæſtio præſens erit de nomine, quaſi ſolùm inquiratur, quod prædicatum in nobis ſit ſubſtantia, vt hoc in Deo ſit eſſentia ratione noſtra. Item ſic intellectio etiam erit attributum, item intellectus, & alia, quæ in nobis ſunt accidentia. Iam verò hìc nego fundamentum dari in re vt volitio concipiatur extra eſſentiam, vel ad inſtar & accidentis eſſentiæ, vti prauè concipitur ad inſtar accidentis, ſeu venientis conceptui actus vndecumque puri, & coaleſcentis ex omni perfectione.

Non ſufficit, vt aliquid ſit Attributum, & extra eſſentiã, concipi ad inſtar accidentis.

53 *Quinta obiectio.* *Gradus volitiuus eſt de eſſentia Hominis.* Ruiz. Martinon.

Obiicies quintò eſſentia hominis ratione noſtra non conſiſtit in gradu volitiuo, licèt realiter ſit ſubſtantialis, identificeturque cum diſcurſiuo, ſeu rationali, qui eſt eſſentia hominis; ergo ſimiliter in Deo. Reſpondeo negando antecedens cum Ruiz diſputatione 8. de Trinitate ſect. 5. num. 25. Martinon t. part. diſput. 3. num. 60. nam ſub ly *rationali* imbibitur etiam gradus volitiuus.

54 *Sexta obiectio.*

Sextò obiicies ſaltem gradum *riſiuum*, quem pono identificari cum rationali, nec tamen de eſſentia hominis eſt. Reſpondeo; hoc conceſſo, diſcrimen eſt, quòd Deus concipi debeat, *vt actus omninò purus*, vt *infinitus* ſimpliciter: hi autem conceptus formaliter exprimunt, & ſignant omnem perfectionem, quare licèt non ſit primaria, quæcunque tamen fuerit intra hunc conceptum erit, vti conceptus *dualitatis* dicit etiam ſecundam perfectionem, licèt poſteriorem, iam verò ly *homo* non eſt opus quod ita concipiatur, ſed præcisè penes gradum perfectiorem, ad quem alij ordinantur, ex quo ſatis diſtinguitur ab aliis, iſte autem non eſt riſiuus, & idem ſi vis dic *de volitiuo*.

55 *Quo ſenſu dentur in Deo prædicata eſſentialia, & attributalia.*

Obiicies vltimò communem modum loquendi Patrum, & Doctorum apud Faſolum in præſenti quæſtione quarta, articulo ſecundo dubio 1. numero 10. diſtinguentium *eſſentiam* ab attributis, ſeu diſcernentium prædicata eſſentialia & attributalia. Confirmatur; quidquid conuenit enti vt ſic, conuenit etiam cuilibet enti in particulari, ſed reſpectu entis vt ſic eſt extrà eſſentiam, & vt paſſio ſeu attributum eſſe *vnum*, *verum*, *bonum*; Ergo etiam reſpectu entis Diuini. Reſpondeo modus ille loquendi eſt *comparatiuus* præcisè per comparationem ad res creatas communiter à nobis cognitas, non verò *abſolutus*, & cum fundamento in re, vti hìc loquimur. Ad confirmationem reſpondeo cum ſancto Thoma, Caietano, Fonſeca, quos ſequitur Suarez diſp. 3. Methaphyſ. ſect. 1. num. 4. *ens* in quantùm *ens* nullas habet paſſiones, licèt ad modum paſſionis, ſeu attributi prædicentur, eo quòd connotent aliquam negationem, vel habitudinem extrinſecam. Sic in Deo eſſe *inuiſibilem*, ſeu

Ens, in quantùm ens, nullas habet paſſiones. S. Thomas. Caietanus. Fonſeca. Suar.

ſeu *incomprehenſibilem*, *eſſe amabilem* & ſimilia; quæ prædicata cum fundamento in re non diſtinguuntur ratione noſtra ab eſſentia, nam de ipſa perfectione eſſentiæ, etiam vt ſubeſt noſtro conceptui formaliſſime, prædicabile eſt *eſſe incomprehenſibilem, amabilem*, &c. Quod ſignum eſſe indiſtinctionis rationis ratiocinatæ, & cum fundamento; ſolúmque arguere diſtinctionem rationis ratiocinantis, & penes conceptum *implicitum & explicitum* dixi diſput. 16. ſect. 4. & patet in *rationali*, quod ideò etiam per rationem implicitè clauditur in homine.

DISPVTATIO XVIII.

De attributis inter ſe comparatis.

Sectio I. *Quid ſit attributum, & qualiter includat vel includatur formaliter in conceptu eſſentiæ?*

Sectio II. *An vnum attributum ſit de conceptu alterius?*

Sectio III. *Vera ſententia & contrariæ ſolutio.*

Sectio IV. *Soluitur quinta obiectio contraria, & explicatur qualiter attributa vt diſtincta per relationem ſint æqualis perfectionis.*

Sectio V. *De ordine & numero attributorum.*

Vide infrà qu. 3. art. 7. dub. 1. & qu. 4. dub. 6. 7. & 8.

VOco attributa perfectiones illas Dei, quæ ab aliis attributa vocantur, licèt apud me, vt conſtat ex diſput. præcedenti, *eſſentia* ſint. Sed loquendum communi voce. Sic autem de attributis in generali hæc quæruntur.

SECTIO I.

Quid ſit attributum, & qualiter includat, vel includatur formaliter in conceptu eſſentiæ?

1 *Varia attributi acceptiones.*

ATtributum diuerſè accipiunt Authores. Primò Nominales pro *omni perfectione* ſimpliciter ſimplici. Secundò Vaſquez pro *naturaliter cognoſcibili*. Tertiò Gillius pro *ſupponente eſſentiam conſtitutam*. Quartò Suarez pro *omni abſoluta* à notionali diſtincta. Sed contra, hi omnes non dant locum celebri quæſtioni, an *eſſentia includat attributa?* vel è contrà, etenim extra controuerſiam eſt includi iuxta Nominales, Vaſquez, & Suarez: excludi autem iuxta Gillium. Quare ſic attributum definio: *Eſt ſpecialis Dei perfectio abſoluta, & neceſſaria*; relationes enim, & actus liberi attributa non ſunt, cùm non ſequantur neceſſariò ad eſſentiam, quæ communiter conuenit cum creatis accidentibus, ſeu paſſionibus, & ad harum inſtar concipitur. Quo pacto propoſitæ quæſtioni locus datur.

Attributi definitio.

2 Sic igitur attributo definito includi mutuo in conceptu formali eſſentiæ, affirmant Molina, Suarez, Granados, Zumel hic cum Amico diſput. 3. ſect. 7. à num. 123. Recupitus lib. 3. quæſt. 10. Mouentur vt ſic eſſentia, & quodlibet attributum infinitum ſit. Secunda ſententia negat: ita Scotus, plures Dominicani, & noſtri cum Faſol. Gillio hic, & Vaſquez 1. part. diſput. 119. Mouentur quia infinitas tam *eſſentiæ*, quàm attributorum non debet petere perfectiones extra propriam lineam; vti ſapientia infinita eſt manens intra lineam ſapientiæ.

Affirmant includi Molina. Suarez. Granado: Zumel. Amico: Negant Scotus: Dominicani: Faſol: Gillius: Vaſquez

Ego iuxta dicta diſputatione præcedenti ſentiò attributa eſſe de conceptu formali eſſentiæ; quæ formaliter includit omnem perfectionē ſimpliciter ſimplicem, quantumuis hæc perfectio à nobis concipiatur ad inſtar accidentis. Cæterum è conuerſo eſſentia non eſt de conceptu formali cuiuſuis attributi, niſi partialiter vt totum in parte, & animalitas in homine ſimul cum rationalitate clauditur, quamuis non è conuerſo; neque enim totus *homo* in ſola animalitate, vel rationalitate ſola formaliter includitur, ita Martinon diſput. 3. ſect. 9. num. 65. & euidentiſſimè infertur ex mea ſententia, ex diſputatione præcedenti. 3

Attributa ſunt de conceptu formali eſſentiæ; eſſentia verò inadæquatè tantùm eſt de cuiuſlibet attributi conceptu

SECTIO II.

An vnum attributum ſit de conceptu alterius?

HÆc eſt ſecunda quæſtio, in qua affirmant Authores, qui id tenent de eſſentia num. 2. vnde ſapientia, verbi gratia, includit formaliter volitionem, omnipotentiam, &c. & ſic mutuò quodlibet eſt de conceptu formali cuiuſlibet. Probatur primò ex Auguſtino tomo 3. propè finem quæſt. de Trinitate ante medium, in præſenti *Deus eo, quo eſt, viuit, & eo, quo viuit, intelligit, & eo, quo intelligit, poteſt*; at ly *eo, quo* formalem ſenſum innuit Anſelmus, cap. 16. Monol. *idem eſt quodlibet illorum, quod omnia ſimul vel ſingula*, ita ſimiliter alii Patres. 4

Sententia affirmans. Probatur primò.

Probatur ſecundò, intellectio vt ſit *Diuina*, debet concipi quàm perfectiſſimè poſſit, ſeu cum omni perfectione non repugnanti intellectioni: eſſe autem volitionem non repugnat inueniri in intellectione; ſiquidem de facto in Deo ita contingit. Confirmatur, intellectio vt ſit *Diuina*, debet ſupereminere creatæ formaliter, ſed non repugnat creata intellectio, quæ ſimul ſit volitio, non repugnat iuſtitia, quæ ſimul ſit miſericordia, &c. Ergo Dei intellectio omnia debet formaliter imbibere. Tertiò, intellectio Diuina vt ſic formaliter eſt à ſe, ſicut è contrà quælibet intellectio creata formaliter eſt ab alio; Ergo eſt infinita, & illimitata; ergo ſi formaliter eſt à ſe, formaliter erit illimitata. Confirmatur, quidquid eſt in ente reali, etiam formaliter eſt ens: Ergo quidquid eſt in Deo, eſt *Deus*, ſeu Diuinum; Ergo includit Deitatem, ſeu Diuinitatem. Hæc autem formaliter imbibit omnem perfectionem, vt dixi diſputatione præcedenti. 5

Secunda probatio. Tertia probatio.

Quartò attributa diuina non ſolùm in re, ſed in cognitione debent concipi quamperfectiſſimè, vt ſuprà dixi de eſſentia, at perfectior eſt ſapientia, quæ omnem perfectionem imbibit; Ergo, &c. Confirmatur: quodlibet attributum eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ melior eſt ipſa, quàm non ipſa; Ergo nulla caret perfectione ſimpliciter ſimplici 6

Quarta probatio.

plicis non eſt melior, ſed peior quàm non ipſa carentia, ſeu quàm perfectio oppoſita, ideò huiuſmodi perfectio eſt melior,quàm non ipſa.

7 Quintò ſi vnum attributum non includatur in alio formaliter erit *inæquale*, ſeu minoris æſtimationis, quàm aliud,verbi gratia volitio, quàm ſapientia, & à fortiori non erit tanti, quanti omnia ſimul; at ſequela eſt abſurda;ergo. Maior probatur; nam negata incluſione attributorum, ita ſe habent hæc ratione noſtra,vt ſe haberent, ſi diſtinguerentur realiter, & vt ſe habent ſimiles perfectiones creatæ. At hic minor eſt volitio,quàm ſapientia, nedum quàm omnes aliæ perfectiones; ergo volitio diuina erit minor,quàm ſapientia.Iam ſequelæ abſurditas probatur; tum quia volitio Dei non eſſet ſummè æſtimabilis,ſicut ſapientia contra Daniel 3. Tum etiam ſimiliter vna perſona foret minùs perfecta, quàm omnes ſimul, imò Spiritus ſanctus ex vi proceſſionis inæqualis Filio, qui proportionatur meliori principio.

8 *Sententia negans.* Hæc quidem pro affirmante; Sed pro ſententia negante vnum attributum eſſe de conceptu formali alterius, ſunt à fortiori id negantes de eſſentia num.2. ſpecialiter autem Martinon diſput.3.ſect.9. ratio eſt; quia vnum attributum diſtinguitur ab alio, ſaltem ratione noſtra ex diſp.16 res autem,vti diſtinguitur ab alia, ita eſt formaliter extra illam, vt patet in realiter diſtinctis.

SECTIO III.

Vera ſententia, & contrariæ ſolutio.

9 *Plura Attributa non ſunt de conceptu formali alterius.* PRimò mihi ex dictis diſp. 16. ſect.5. dicendum eſt, plura dari attributa, quaſi diſparata, quæ non ſunt de conceptu formali alterius formaliter; ſiquidem ſcientia Dei, quin inuoluat aliquid de volitione, manens intra propriam lineam, poteſt concipi ita excellens, vt repugnet creaturis verbi gratia *omnicomprehenſio*; ergo infinita, & diuina.

10 *Plura ſunt.* Addo tamen aliqua eſſe attributa, quæ vt perfecta concipiantur, & Deo digna in ſuâ lineâ, etiam ratione noſtra imbibunt alia, imò & cætera omnia verbi gratia *ſanctitas*, ſeu *honeſtas moralis*, Iuſtitiam & alias virtutes, *veracitas*, ſcientiam infallibilem, & voluntatem rectam. *Dominium ſupremum*, ſcientiam quæ dirigat, voluntatem, quæ imperet pro libito, omnipotentiam, quæ exequatur. Denique *perfectio* ſumpta generaliter, & ſimpliciter, nondum concipitur digna Deo, niſi imbibat formaliter in ſe omnes perfectiones particulares, ſicut ſcientia, vt infinita ſit, debet imbibere notitiam omnium, ita perfectio infinita omnem perfectionem; erit quidem perfectio determinata ſcientiæ, vel volitionis,quin alias includat; at *perfectio* in linea perfectionis diuinæ formaliſſimè ex omnibus coaleſcit iuxta regulam datam diſp.16.ſect.6.

41 Ad argumenta oppoſita reſpondeo ad 1. PP. loqui in ſenſu reali, non autem in formali, & ratione noſtra, ſic Auguſt. dicit: *eo quo*: idest,*ea entitate quà*. Vbi non ſit ſenſus formalis, qui ſit quando dicimus *eo quod* Anſelmus ibi vult tollere à Deo compoſitionem, quæ eſt in homine, dùm conſtat corpore, & anima, vt videnti apparebit; ergo ſolùm adſtruit incluſionem realem.

12 Ad ſecundum, *intellectio* vt ſic concepta non imbibit omnia, quæ poteſt obiectiuè, ſed quæ ſunt intra lineam cognoſcendi, vt ſic autem neque in Deo, neque in nobis eſt volitio. Ad confirmationem: ſatis ſupereminet ſcientia diuina creatæ intra propriam lineam verbi gratia quia infinita comprehendit

Ad tertium: *intellectio* vt ſic formaliter eſt à ſe, at non ideo eſt infinita, niſi in linea ſcientiæ, quia *ly à ſe*, licèt imbibat infinitam perfectionem,quando ponitur ſine addito, ſecùs quando conſideratur vt in linea determinata quæ conſideratio limitata non euenit à parte rei, ideo *ly à ſe* ex parte rei, & obiecti ſemper dicit omnem perfectionem. Ad confirmationem, ſcientia eſt quidem *diuina*, non quia adæquatè ſit *Deus*, ſed inadæquatè concipitur vt aliquid Dei; vti rationalitas non eſt tota eſſentia hominis, ſed partialis, ex quo ſatis concipitur vt humana. 13

Ad quartum, reſpondeo ſapientia non cogitatur quàm perfectiſſimè poteſt *abſolutè*, vti eſſentia, quæ nihil determinat, ſed cum limitatione in tali linea *ſcientiæ*, quin illam egrediatur, in illa autem ſumma perfectio ſcientiæ non petit alias; imò implicatio eſt dicere, quòd ſic perfecta conciperetur, ſi imbiberet volitionem; nam tunc non conciperetur vt *ſcientia* præciſè. Ad confirmationem, quodlibet attributum vt ſic formaliter eſt quidem perfectio ſimpliciter ſimplex: *præciſiuè*: non *poſitiuè*, hoc eſt intra limitatam lineam, non abſolutè, & ſine addito; ſic autem ſuffeit, ſi vnum attributum non imbibat aliquid repugnans perfectioni alterius lineæ. 14

SECTIO IV.

Soluitur quinta obiectio contraria, & explicatur, qualiter attributa vt diſtincta per rationem ſint æqualis perfectionis.

PLures etiam affirmantes incluſionem formalem attributorum, adhuc negant eſſe æqualia cum Amico, Recup. libro 3. quæſtione 14. Quam ſententiam eſſe omnium Theologorum ait Herice diſput.15. de volunt.num.12.Franc.Arriaga eſſe euidentem diſp.27.§.64. ſicut è contrà plures RR.negantes incluſionem affirmant æqualitatem. 15

Ego ſic cenſeo, attributa ſecundùm rationem explicitam inæqualia ſunt; implicitè autem etiam per rationem æqualia,tam ſecum, quàm cum omnibus ſimul. 1. pars probatur; quia ſapientia diuina vt ſatis à nobis concipiatur eſſe *ſapientia diuina*, & infinita nihil habere debet, nec formaliter neç virtualiter de volitione expreſsè vt patet ex diſputatione 16. ſect. 5. at in hoc ſtatu ſapientia eſt perfectionis maioris quàm volitio, vel immenſitas; omnes enim, vt concipiamus Deum magis perfectum, apprehendimus eſſe *intellectiuum*, putamuſque nondum formaſſe dignum de Deo conceptum, ſi à Deo *vitam* ſecludamus, &c. Confirmatur, Deus ſapientior eſt etiam ratione noſtra, quo plura cognoſcit; ergo perfectior, quo plures perfectiones in vnum continet. 16 *Attributa æqualia implicitè etiam ratione noſtra, inæqualia explicitè.*

Secunda pars probatur volitio Dei licèt formaliter non exprimat ſapientiam, talis tamen eſt, etiam per conſiderationem noſtram, vt de ipſa ſic concepta prædicabilis formaliter ſit *exigentia identitatis realis*, Quod ſignum eſt, talem exigentiam eſſe de implicito conceptu volitionis vt dixi diſp.16 ſect.4. ideo *rationale*, licèt explicitè diſtinguatur 17

ab

ab homine, *implicitè* in illo includitur; tum ſic, ſed *exigentia* identitatis realis facit etiam ratione noſtra volitionem æqualem ſapientiæ, & aliis attributis; Ergo volitio *implicitè* etiam ratione noſtra æqualis eſt. Conſequentia patet, & maior; tum quia res diſtincta realiter, etiam vt ſic diſtincta exigit vnionem compoſitionis cum alia; ergo ſimiliter formalitas quantumuis ratione diſtinctu poterit apprehendi, *vt exigens* vnionem identitatis realis; etenim non minùs diſtat compoſitio ab identitate reali, quàm identitas realis ab indiſtinctione rationis. Tum etiam id patet, ne ſi iſta exigentia diſtinguatur ratione ab ipſa volitione, rurſus *exigentia* ad hanc exigentiam diſtinguatur ſine fine. Tum denique *exigentia* identitatis cum ſapientia diſtinguitur ratione à ſapientia; aliàs non foret exigentia ſolùm, ſed ipſa *habitio* ſapientiæ, ſi autem diſtinguitur à ſapientia benè poterit includi in volitione.

18 *Exigentia identatis eſt aquè æſtimabilis, ac ipſa identitas.*

Iam minor probatur, nempè quòd exigentia identitatis etiam ratione noſtra faciat volitionem æqualem ſapientiæ, & aliis omnibus attributis ſimul, nam iſta exigentia licèt ratione noſtra, non ſit formalis *habitio*, eſt tamen æquiualens; quiuis enim æquè æſtimabit exigere identitatem cum aliqua perfectione, ac habere talem perfectionem; etenim virtualiter iam illam habet in medio efficaciſſimo ad eius conſequutionem, haberque ſtrictiùs, quàm habens ſub ſe actionem, dicitur habere terminum; tum ſic, ſed ad æqualitatem ſufficit, *æquiualentia*, vt ex voce patet; ſic æqualiter eſt diues, qui habet mille argenteos, ac qui habet centum aureos: Filius diuinus eſt æqualis Patri, licèt non ſit formaliter Pater; ergo, *&c.*

19 *Non eſt abſurdum ſi per rationem noſtram explicitam apprehendatur vna perſona perfectior alia.*

Hinc ad quintum argumentum reſpondeo; *implicitè* inæqualitas non datur, nec ſe habent attributa Dei ratione noſtra, ac ſi diſtinguerentur realiter; tunc enim non imbiberent exigentiam identitatis; *explicitè* autem non eſt abſurda inæqualitas rationis. Sic vnam perſonam perfectiorem eſſe alia per rationem admittit Recup. lib. 3. quæſt. 14. num. 3. Faſol. tom. 3. in 1. part. quæſt. 42. art. 1. in quo nihil poteſt eſſe abſurdi, cùm iſta inæqualitas non fundetur in re, ſed in imperfectione noſtri intellectus. Vrget Arriaga, ſuprà volens dari ratione ratiocinata cum fundamento inæqualitatem hanc, ſicut datur diſtinctio. Intellectio vt ſic perfectior eſt volitione; Ergo dum vtraque exigit contrahi ad *eſſe* diuinum, manebit adhuc perfectior. Conſequentiam probat vt ipſi videtur euidenter; dum inæqualibus æqualia adduntur, licèt infinita, quæ remanent erunt inæqualia. Sed cuilibet attributo additur *exigentia* cum aliis diuinis ad identitatem; Ergo etiam implicitè ratione noſtra manebunt inæqualia. Reſpondeo nego conſequentiam; quia per hanc exigentiam plus additur volitioni quàm intellectioni verbi gratia; nam additur exigentia ad plus; volitio exigit intellectionem, intellectio volitionem, quæ quid minus eſt volitio exigit, vt ſit tota collectio attributorum, collectio verò ſolùm exigit volitionem; quare hic non adduntur inæqualibus æqualia, ſed inæqualia. Quare cùm plus volitioni addatur, hinc æqualis cum quolibet attributo, & cum omnibus ſimul euadet. Nonne ſi vni addantur nouem, idem numerus decimus euadet, ac ſi è contrà vnum addatur ad nouem?

Bona doctrina notanda.

***

SECTIO V.

De ordine, & numero attributorum diuinorum.

Ordo nullus eſt ex parte obiecti; ex modo noſtro concipiendi apprehenditur verbi gratià intellectio ad inſtar *prioris* volitione. *Numero* eſſe *infinita* attributa volunt Nominales, quia infinita ſunt prædicata Dei, eſſe tantùm duo volunt iam communiter recentiores noſtri, loquendo independenter ab intellectu; quia ſola intellectio, & volitio diſtinguuntur virtualiter. Sed dico Ego *ſunt plura ratione noſtra, ſed finita*, quia finitæ ſunt perfectiones, quas cognoſcimus de facto dignas Deo, & ad has aliæ cogitabiles reduci poſſunt. 20
Imprimis quòd ſint plura Attributa diuina, non quidem loquendo ex natura rei ſiue formaliter, ſiue virtualiter; etenim vti omnem diſtinctionem antecedenter, & independenter ab intellectûs noſtri conceptione ſatis excluſi diſput. 14 & diſp. 15. ita excludenda eſt omnis ſimilis pluralitas, ſolúmque admittenda purè per rationem noſtram; quòd inquam ſic Attributa Dei ſint plura, nec Authores recentiores citati, nec vllus negare poterit, qui inter perfectiones diuinas ſtatuat diſtinctionem rationis, de qua plura diſput. 16. hic enim de re ſolùm quærimus pluralitatem per rationem; nam rigoroſè loquendo nullam perfectionem Dei abſolutam eſſe concipiendam vt attributum ſecundariò pertinens ad conſtitutionem Dei ſatis oſtendi diſp. præced. ex qua conſtat omnes perfectiones Dei ex æquo ad eius eſſentiam, & conſtitutionem primariam pertinere.

21 *Attributa non ſunt infinita actu, & categorematicè.*

Ne autem Attributa diuina dicantur *infinita* actu, & categorematicè loquendo, duo obſeruanda ſunt. Primum nomine *Attributi* non venire perfectionem ſeu prædicatum generale, & commune per modū gradus ſuperioris, vt eſſe *ens ſubſtantiale, ſpirituale*, &c. Iſta enim neque in creatis rationem paſſionis, ſeu attributi determinant, ſed cōmunia ſunt tam ad conceptum eſſentię, quàm attrib. Igitur attributum, vt tales ponendum eſt ſub ratione aliqua perfectionis ſpecialis, & determinatæ qualis eſt ſapientia, voluntas, Immenſitas, *&c.* Secundum obſeruandum eſt neque attributi nomen conuenire omni perfectioni ſpeciali, & propriæ Dei, ſi vt talis non diſtinguatur ab aliis, alioqui quo modo poterunt dici eſſe *plura* attributa Dei? ſi nec ratione noſtra ſint plures Dei perfectiones. Hinc colligo non dari *infinita* actu attributa; etenim licèt ſub ratione *entis prædicati*, *Perfectionis*, *formalitatis*, &c. Poſſint dici infinita de Deo; ſintque verbi gratia infinitæ *formalitates*. At nomen *formalitatis* generale, & genericum eſt; quare ineptum rationi *Attributi*. Rurſus licèt ſpecificè etiam ſub ratione *cognitionis* infinita prædicata poſſint dici de Deo, verbi gratia quòd ſit cognitio de Petro, & cognitio de Paulo, *&c.* At cognitio diuina, vt eſt circa Petrum, non diſtinguitur in ratione cognitionis à cognitione diuina circa Paulum; ſiquidem in linea cognitionis nondum eſt digna Deo cognitio, quæ ſolum concipitur verſari circa Petrum iuxta regulam datam diſp. 16. ſect. 6. Ex quibus patet nullum eſſe fundamentum nominalium, vt attributa Dei dicantur infinita actu.

22 *Sunt infinita ſyncategorematicè.* Dixi infinita *actu* & Categorematicè; quia ſyncategorematicè, & quaſi in potentia non abnuo quin dicantur infinita; nam licèt perfectiones, quas Deo vt ratione diſtinctas attribuimus, numero finito comprehendamus, ſic P. Granados hîc 1. parte tract. 2. diſput. 9. num. 2. & 4. viginti omnino numerat, & ſine dubio cum attributa Dei ex his, quæ in creaturis experimur, venemur, iſtaque numero finita ſint (in noſtra cognitione; neque enim infinitas creaturas cõdiſtinctè cognoſcimus) neceſſarium eſt vt etiam finito numero comprehendantur. Nihilominus cùm Deus tantæ perfectionis ſit, negandum non eſt, quin comparari poſſit cum infinitis creaturis ſpecie diuerſis, & habentibus perfectiones, quæ vt formaliter tales in Deo reperiantur, dicantque in ipſo intra ſuam lineam, excellentiam infinitam; tales autem perfectiones, & infinitæ numero erunt, & aliunde *attributi* ſtrictè accepti rationem induent; ſiquidem complerè & ſpecificè acceptæ, vt condiſtinctæ à qualibet alia, excellentiam afferunt Deo dignam. Confirmatur; immenſitas, verbi gratia, ponit in numero, multiplicatque rationem attributi, ſed eadem ratione aſſignari poſſunt in infinitum in Deo nouæ perfectiones; ergo & attributa in infinitum multiplicari. Maior, & conſequentia patent. Minor probatur; ſi enim eo quòd videamus in creatura præſentiam localem, eam poſſumus de Deo prædicare ſine imperfectione, eamque ſtatuere ſic Dei propriam; cur non idem dicemus de aliis nouis perfectionibus, quas in infinitum poſſumus in creaturis cognoſcere, & conſequenter erunt infinita numero attributa.

Dices; ergo non tantùm in potentia, ſed in actu erunt dicenda attributa numero *infinita*; etenim attributa non numerantur *plura*, quia in ſe diſtinguantur actu, ſed quia poſſunt diſtingui; ſiquidem intrinſecè, & ex natura rei nullam admittimus diſtinctionem, ſed ſolùm fundamentaliter in ordine ad conceptus noſtros; ergo ſi hi poſſunt eſſe infiniti, iam erunt attributa infinita numero. Reſpondeo, nego conſequentiam; nam licèt multiplicatio attributorum non ſumatur penes diſtinctionem actu, at ſumitur penes fundamentum ad diuerſos conceptus, quos intellectus noſter de facto formare poteſt, vel format communiter; hi autem infiniti non ſunt, cùm infinitas perfectiones creatas actu diſtinctas per quarum comparationem Deum concipiat, non cognoſcat. Et hæc de eſſentia, & attributis in communi; in particulari autem dicam in Indice Sancti Thomæ per decem quæſtiones. 23

TRACTATVS III.

DE VISIONE DEI.

ITA communiter Epigraphe inſcribitur huic tractatui, in quo triplex Dei attributum exponitur cum S. Thom. quæſt. 12. & 13. nempe inuiſibilitas incomprehenſibilitas (ad quæſt. 12.) & innominabilitas, ſeu ineffabilitas (ad quæſt. 13. quæ eſt de diuinis nominibus) quæ attributa licèt negatiua magnam perfectionem Dei aperiunt, vt ſcilicet tanta ſit, vt ſicut ob exceſſum ſplendoris ſupremum materiale lumen corporeis oculis inſpici nequit, ita perfectionis Diuinæ excellentia cuiuſuis naturæ creatæ intellectum, vt eſt in ſe, præteruolet, ſolúmque in imagine, & ænigmate quaſi per cancellos proſpiciatur, queis temperetur obtutui noſtro, vti contingit in ſolares radios pacatius viſum noſtrum intendi, ſi ipſos non in ſe, ſed oppoſitis quibuſdam velis, ſiue incerniculis contempletur. Ingens manifeſtuſque Solis ſplendor ſe rectà conſpici non ſinit, ſuo lumine lumina noſtra perſtringit; dumtaxat ſolaris circuli imago mediis inſtrumentis, quaſi in ænigmate, non conniuentibus oculis patitur ſe videri. Non aliter candentiſſimum Diuinitatis lumen, atque Deitatis radius triſulcus effugit aciem oculorum; atque inuiſibilis probat ingentem perfectionis lucem inacceſſibilem, quam inhabitat. Sed qualiter nobis ad eam intuendam acceſſus per gratiam pateat, modò inueſtigemus: præmiſſa priùs aliquali notitia de quidditate, & conceptu ſupernaturalitatis, de quo latiùs 1. 2. ad tract. de Gratia.

DISPVTATIO

DISPVTATIO XIX.

In quo conſiſtat ſupernaturalitatis conceptus?

SECTIO I. *Aliquibus certis prænotatis, punctum difficultatis aperitur.*
SECTIO II. *Aliorum ſententiæ proponuntur, & reiiciuntur.*
SECTIO III. *Duæ aliæ ſententiæ nouiores examinantur.*
SECTIO IV. *Proponitur propria ſententia.*
SECTIO V. *Obiectionibus ſatis ſit.*

PRÆMITTENDVM neceſſariò duxi hanc, & ſequentem diſputationem, in quibus ſupernaturalitatis conceptus, tam ſubſtantialis, quàm accidentalis explicetur; cùm enim ſæpius opus ſit in hoc tractatu plures de ſupernaturalitate diſputationes, quas tam antiqui, quàm nouiores Theologi variis illius locis intexunt, definire; aptior methodus expoſcere videtur, vt ſemel plenam demus ab omnibus exactam de tota ſupernaturalitate notitiam: præcipuè cum huius operis ſubiectum *viſio*, maximè inter ſupernaturalia emineat: De peculiaribus tamen entis ſupernaturalis ſpeciebus, proprietatibus, & conditionibus agendum non eſt; quia de iis ex profeſſo in aliis tractatibus agitur, nec ſine aliis principiis, omnino ab hac materia alienis, aliquid firmum definiri poteſt verbi gratia qualiter ſuperet meritum naturæ? De quo in materia de merito. Sit neceſſarium auxilium ſupernaturale ad opera ſalutaria? De quo in materia de gratia: in qua materia præcipuæ quæſtiones, quæ hic deſiderari poſſunt, Deo dante exponentur, hìc enim ſolùm generalem ſupernaturalis conceptum exponemus.

Richardus. Salas. Conink. Albertinus. Ant. Perez. Cabrera. Ioan. Vinc.

Authores qui de hac difficultate tractant, præſertim ſunt Recentiores, & inter hos latiſſimè P. Ioannes Martinez de Ripalda per totos integros tres tomos, ſed ſpeciatim ad rem noſtram tom. 1. de ente ſupernatu. per primas 23. diſputationes P. Ioan. de Salas tom. 1. in 1.2. tract. 11. diſput. 6. ſectione 10. Ægid. Coninch tom. de natura actuum ſupernatur. diſput. 4. dub. 1. præſertim. Albertinus tom. 1. ſuorum corollar. Principio primo Philoſophico quæſt. 2. & princ. 2. Philoſoph. quæſt. 5. Antonius Perez certam. 4. Scholaſtico cap. 3. Cabrera 3. part. quæſt. 2. artic. 12. dub. 2. Ioan. Vincent. Relect. de gratia Chriſti quæſt. 1. & hi quidem Authores ex propria methodo de ſupernaturalitate agunt, nam ſequentes ordinem D. Thomæ reliqui omnes Theologi de ſupernaturalit. agunt ad quæſt. 116. de gratia in 1.2. Quare ſupetuacaneum iudico eos referre. Ad præſentem etiam quæſt. 12. primæ partis, ſat multi hanc difficultatem verſant. Videatur præcipuè P. Hieronym. Faſol. ad artic. 4. perſex dubitat. P. Herice diſput. 48. de viſione cap. 3. P. Alarcon diſp. 2. per totam P. Franciſcus Amicus tom. 1. in 1. part. diſput. 9. P. Ioſeph. Auguſtin. 1. part. quæſt. 12. art. 4. P. Arriaga 1. part. diſput. 3. per totam Franciſcus de Lugo 1. part. lib. 1. diſp. 7. & ſequenti. Gonzalez ibi. diſp. 26. Ioan. de S. Thom. diſput. 14. art. 4. §. nec poſſumus. Iulius Cæſar Recupitus lib. 6. de Deo quæſt. 2. Raphael Auerſa 1. part. quæſt. 12. ſect. 6. Theodorus Smiſing qui licèt profeſſione Scotiſta, Scotique opinionum apprimè defenſor fateatur, ſequiturque vt clariorem D. Thomæ methodum tom. 1. de Deo tract. 2. diſp. 6. a §. 36.

Ioan. de S. Thoma. Recupitus. Auerſa. Smiſing. Faſolus. Herice. Alarcon. Amicus. Ioſeph Aug. Arriaga Franciſcus De Lugo Gonzalez.

SECTIO I.

Aliquibus certis prænotatis, punctum difficultatis aperitur.

1 *Quid ſignificet ſupra naturalitatis vox?*

VT meliùs, quid veri, vel falſi ſit in opinionibus, & explicationibus proponendis, appareat, priùs aliqua communiter apud omnes recepta, de excellentia, & conditione ſupernaturalitatis ſupponenda ſunt, & nè in æquiuoco labor noſter ſit. Pono primò Supernaturalitatis voce cum Scholaſticis Theologis intelligi, vt minimùm, *collectionem ſeu ordinem rerum ſuprà omne id, quod ſecluſa luce fidei, ſolo naturali ductu exiſtens cognoſcimus.* Id communiter in Scholis ſignificari entis ſupernaturalis nomine, indubium mihi eſt, etenim ipſa nouitas huius vocis, nullaque ipſius apud Ethnicos ſcriptores mentio in ſenſu, quo à fidelibus accipitur, euidens argumentum eſt vſurpari iam pro aliquo extrà omne id, quod exiſtens demonſtrat naturalis ratio; hoc enim antiquos Philoſophos non latuit. Dixi extrà *exiſtens*; nam vtrùm poſſibilitas entis Supernaturalis naturalem, & nobis inſitum diſcurſum etiam prætervolet, longa diſputatio eſt.

2 *Quid natura, ſupra quam eſt ens ſupernaturale?*

Vnde pono ſecundò quòd *natura*, ſupra quam dicitur eſſe ens ſupernaturale, vt minimùm ſit collectio rerum omnium creatarum, quas actu exiſtere intellectus noſter ſibi ſoli relictus, nec vllo ſuperiori lumine illuſtratus agnoſcit; dixi rerum *omnium*; nam quòd vna res aliam excedat, non ſufficit ſupernaturalitati; alioquin cùm nulla ſit, quæ aliam non ſuperet, omnis diceretur *ſupernaturalis*, vel ſaltem talis foret Angelus, qui reliquis omnibus præſtaret; imò etiam ſub nomine *natura*, hic aliæ creaturæ his de facto exiſtentibus affines ſignificari veniunt, vt cenſeo contrà Conink ſuprà? neque enim quia alius Angelus paulisper his omnibus perfectior crearetur, continuò foret ſupernaturalis, etenim nemo eſt, qui non difficile aſſentiatur ſubſtantiæ ſupernaturali, cùm tamen incunctanter omnes admittant alium Angelum, & infinitas creaturas poſſe à Deo fieri ſuprà omnem virtutem, & perfectionem creatam de facto. Confirmatur, plures rerum ſpecies de facto productæ potuerunt naturaliter improductæ manere; neque enim naturalis ordo has omnes creaturas quoad ſpeciem taxauit, ſicut neque quoad numerum; ergò ſicut Michael non productus adhuc pertineret ad ordinem naturæ, idem dicendum de alio poſſibili.

3 *Supernaturale eſt ſupra vires adæquatè actiuas naturæ.*

Pono tertiò ſupernaturale eſſe vt minimum ſuprà vires adæquate actiuas *naturæ* modò explicatæ; probatur, quia ordo gratiæ maximè nobis commendatur vt ſupernaturalis quòd non ſimus ad illum ſufficientes, iuxtà illud Pauli 2. Corinth. 3. 5. *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* 2. Cor. 3. Rurſus 1. Corinth. 12. 3. *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto*, Et illud: *Quid habes, quod non accepiſti?* 1. Cor. 12. Quæ omnia ſaltem conuincunt

uincunt non dari in *natura* vires actiuas adæquatè ad effectus ſupernaturales: qui enim habet vires ita actiuas, ſimpliciter *ſufficientiam habet, potens eſt*; quid enim eſt potentia, niſi virtus actiua? Confirmatur: ſi eſſent vires actiuæ adæquatè in natura, ſolùm effectus poſſet dici indebitus, & ſuprà naturam, quia forent indebitæ vires paſſiuæ, vel alia conditio, ſeu applicatio requiſita; etenim nil aliud reſtat, poſita virtute adæquata in natura, quominùs ipſa ex ſe naturali curſu prorumpat in effectum, & conſequenter hic maneat omninò naturalis; tum ſic, ſed præcisè ex eo quòd ſit ſupra vires paſſiuas, vel ſupra talem conditionem, effectus non euadit ſupernaturalis, tum quia Pelagianus audiretur, qui aſſereret per ſolas naturæ vires actiuas produci actum fidei, licèt ad patiendum concurrat aliquid ſupernaturale, hoc autem de actu fidei ſolo titulo ſupernaturalitatis contingit; tum etiam, quia defectus ſubiecti, vel conditionis ad agendum non arguit improportionem, aut imbecillitatem in cauſa reſpectu effectus, qualis neceſſariò datur in natura reſpectu ſupernaturalium, ſic quia nullus ſit dignus beneficiis diuinis, non ideò Deus minùs proportionatus eſt ad benefaciendum, & in humanis, quòd non ſint pauperes, qui accipiant, non minuit potentiam ſimpliciter in diuite ad elargiendum. Tum denique effectus non paſſo, nec conditioni, ſed vnicè efficienti tribuitur, ideóque ſecundo Phyſicorum definitur cauſa efficiens. *Vnde primum principium eſt motus.* At effectus ſupernaturalis non poteſt attribui naturæ ex Paulò ſuprà. *Quid habes, quod non accepiſti?*

4 *Non ſufficit ad ſupernaturalitatem omnes naturæ vires actiuas fugere. Scotiſta cum Fabro.*

Pono quartò è contrà ad ſupernaturalitatem non ſufficere, quòd ſit ſuprà omnes vires actiuas naturæ: Contrarium ſentiunt Scotiſtę cum Fabro diſputatione 3. Prologi, & diſput. 8. cap. 2. Sed probatur; nam concurſus generalis cauſæ primæ, rurſus actio, qua Deus ſe ſolo conſeruat, vel producit ignem, vel alios effectus in abſentia cauſæ ſecundæ, implicant naſci à cauſis ſecundis naturalibus, neque ideò ſupernaturales ſunt. *Obiectio.* Si dicas actio naturalis eſt, quia effectus ſimpliciter continetur intra vires naturæ. *Solutio.* Contra; quia bene ſtat effectum eſſe naturalem, & eius productionem ſupernaturalem, vt patet in creatione accidentium in Euchariſtia; ergo ſi ſupernaturalitati ſufficit excedere vires effectiuas naturæ, illa actio Dei erit ſupernaturalis; Contra etiam, quia nec materia prima, neque eius productio poſſunt fieri à natura, nec tamen ſupernaturales ſunt; ex quo etiam fit non ſufficere ſupernaturalitati, quòd præcisè ſit ſupra vires actiuas, & etiam paſſiuas; nam materia prima omnes ſuperat, vt patet. Confirmatur; quia ſi quis diceret dona ſupernaturalia fieri quidem à ſolo Deo, at ex debito, & exigentia naturæ, omnino deſtrueret ſupernaturalitatem, quidquid eſſet, quod nec actiuè, nec paſſiuè cauſaretur à natura, vt ſentiunt Thomiſtæ *de gratia*, imò ipſe Faber in 4. d. 2 c. 4. à ſolo Deo per creationem fieri; ergo quia ſupernaturalitati præcisè, non ſufficit eſſe ſupra vires actiuas & paſſiuas naturæ. *Thomiſtæ: Faber.*

5 *Supernaturalis ordo ex ſuo genere naturalem perfectione excellit. Apud Ripaldam.*

Pono quintò, Ordinem ſupernaturalem ex ſuo genere eſſe perfectiorem naturali, non dico quodlibet ens ſupernaturale eſſe perfectius naturali (licèt & hoc voluerint aliqui apud Ripaldam d. 21. num. 3.) Sed ſolùm ex ſuo genere, & ex prædicato *ſupernaturalitatis* cæteris paribus, vt dici ſolet *incorruptibile* ex genere eſſe perfectius corruptibili, licèt *corruptibile* poſſit aliunde ita hanc imperfectionem compenſare vt ſuperet *incorruptibile*, quemadmodum viuens ſenſibile ſuperat cœlum. In hoc ſenſu à nemine negatur hæc ſuppoſitio, ſuadeturque primò ipſa voce *ſupernaturalitatis*, per quam exceſſus ad naturam indicatur; item ex conceptione communi, omnes enim apprehendunt, ſi detur lux ſupernaturalis, perfectiorem fore naturali, cognitionem item, & amorem perfectiores eſſe in ordine ſupernaturali. *Suadetur primò.* Secundò id patet ex proportione, quam habet ad maius præmium actus ſupernaturales, item ex fine altiori, ad quem ordinantur, ac etiam ex præſtantia, quam ſortitur Natura ob dona ſupernaturalia, quibus dicitur eleuari. *Secundò.* Tertiò, denique id ſuadent tot præconia, & excellentiæ, quæ communiter dicuntur de ordine ſupernaturali, vt de quolibet ſupernaturali ente accipiatur illud 1. Petr. c. 1. *Magna, & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt diuinæ efficiamur conſortes naturæ.* *Tertiò.* 1. Petr. 1.

Ex his præſto eſt ratio dubitandi, punctumque totum difficultatis præſentis, primò ex conditione *Naturæ*, quam excedat ſupernaturale, cum nec ſufficiat eſſe ſupra naturam exiſtentem; ſiquidem plura alia poſſibilia ſunt naturalia ex §. 2. nec requiratur, quòd excedat omnem poſſibilem, ne ſtatim ſubſtantiæ ſupernaturali poſſibili ſola voce aditus præcludatur. Secundò, ex conditione *exceſſus*, quo præcedere debet Naturam; nam eſſe ſupra vires naturæ, quod maximè innuere videtur ſupernaturalitas, non ſufficit, vt patet ex §. 4. Exceſſus autem perfectionis certè non requiritur; quis enim ferat vbicationem definitiuam Euchariſtiæ, aut etiam characterem perfectiorem eſſe Angeli ſubſtantiâ, cum aliunde ſtet benè vinci in perfectione ab aliquo inferioris generis id, quod eſt in ſuperiori, vt dixi in §. 5. Tertiò, denique ex *perfectione abſoluta*, qua præſtare debet ordo ſupernaturalis naturali; nam non apparet, vnde venire poſſit vbicationi ſupernaturali corporis Chriſti Domini in Euchariſtia ea perfectionis excellentia, qua præſtet alteri naturali, & connaturaliori ipſius corporis circumſcriptiuè locati. 6 *In quo nitatur difficultas.*

SECTIO II.

Aliorum ſententiæ proponuntur, & reÿciuntur.

PRima communiſſima, pro qua ſunt Caiet. Suarez, Vaſquez, Arrubal, Tannerus, Faſolus, Meratius hìc Salas, Granado, Koninx citati §. 1. cenſet ens ſupernaturale eſſe, quod ita eſt ſupra vniuerſam naturam, vt nulli ſubſtantiæ creatę, vel creabili debeatur, neque intra eius vires actiuas vel paſſiuas contentum ſit. Vnde duas rationes dubitandi in §. 6. diſſoluit, vt natura, quam excedit ens *ſupernaturale*, ſit omnis ſubſtantia creata, & creabilis, *exceſſus* autem, quòd vltra omnem exigentiam, & ius talis ſubſtantiæ ſit. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia *natura dicitur quælibet ſubſtantia*. Verba ſunt D. Thomæ 1. 2. quæſt. 10. art. 1. corpore, & ſecundùm hoc, illud dicitur eſſe naturale, quod conuenit rei ſecundùm ſuam ſubſtantiam; ergo quod abſolutè & omnino eſt *ſupernaturale*, erit ſupra omnem ſubſtantiam. Confirmatur ſupernaturale non eſt, quod præcisè ſuperat vnam, aut aliam ſubſtantiam ex exiſtentibus, niſi ſuperet omnem; etenim intellectus Angelicus ſupra omnem naturam ſublunarem eſt, neque ideò ſupernaturalis dicitur; Ergo ſimiliter in eſſe 7

Plurium ſententiæ, & referuntur, & refelluntur. Prima. Caietani. Suarez. Vaſquez. Arrub. Tanner. Faſol. Merat. Salas. Granado. Coninx. Quod ſit ſupra omnem ſubſtantiam creatam, & creabilem. B. Thomas.

eſſe poſſibili non ſufficiet ſuperare aliquam ſubſtantiam, niſi omnem excedat; Conſequentia probatur; tum quia ſupernaturalitas dicit exceſſum ſupra naturam abſolutè, quin determinet comparationem ad exiſtentem, vel poſſibilem, ſi igitur deſtrueretur ſupernaturalitas *gratiæ*, ſi alicui exiſtenti, verbi gratia Angelo eſſet connaturalis, & debita, quamuis omnes homines, & ſublunaria excederet, ita ſimiliter ſi debita eſſet alicui poſſibili, tum etiam quia *ſupernaturali* non ſufficit ſuperare omnia exiſtentia, niſi etiam pura poſſibilia, etiam perfectiora vincat; vt dixi ſect. 2. ergo debet omnia ſuperare, eadem enim eſt vtrorumque ratio.

8 Acriter audiunt RR. hanc explicationem quia ridiculam facit grauiſſimam quæſtionem de ſubſtantia ſupernaturali, Quis enim cordatè quærat, inquiunt, ſit-ne poſſibilis ſubſtantia creata ſupra omnem ſubſtantiam poſſibilem. Sed minùs conſequenter hoc cauſantur, cùm fateantur ipſi ſecluſa voce in ea quæſtione id ſolùm inquiri poſſibilis-nè ſit ſubſtantia creata, cui connaturale ſit videre Deum ſiue vocanda ſit naturalis, ſiue ſupernaturalis illa ſubſtantia.

9 *Improbatur primò.* Reiicio tamen ego hanc ſententiam primò. Quia nomen *naturæ* vanum eſt, iam enim ſignificat latè eſſentiam rei, iam nimis ſtrictè principium motus corporei, ergo ex hac voce nihil poteſt concludi hìc. *Secundò.* Secundò. Quia ſi ſupernaturale abſolutè, & entitatiuè tale debet eſſe ſupra omnem ſubſtantiam, lumen gloriæ abſolutè non erit ſupernaturale; ſiquidem ſaltem non eſt ſuprà ſubſtantiam Diuinam, ſicut abſolutè improducibile non eſt, quod ſaltem à Deo produci poteſt. Si dicas eſſe ſupernaturale reſpectu creaturarum. Contrà ſicut tu limitas rationem *indebiti* ad creaturas, quin ideo deſtruatur ſupernaturalitas entitatiua, ita alius limitat ad creaturas exiſtentes. *Tertiò.* Tertiò quia ſi demus lumen gloriæ eſſe omni ſubſtantiæ exiſtenti indebitum, & ſuprà omnem eius exigentiam, innatamque inclinationem omninò gratioſum, per hoc fiet ſatis omnibus teſtimoniis ſcripturæ, & PP. quæ prædicant ordinem gratiæ, & liberalitatis Diuinæ in donis, quæ nobis per Chriſtum conferuntur: & ſic ſufficienter opponimur Pelagio, & ſemipelagianis, qui præter gratiam *Supernaturalitas ſumpta Theologicè.* creationi debitam, nihil ſuperius agnoſcebant. At pro ſupernaturalitate Theologicè accepta, non amplius requiritur, cùm non aliunde Theologi in Scholas *ſupernaturalitatis* vocem inuexerint niſi à Scriptura, & PP. Ergo quidquid ſit de ſupernaturalitate Philoſophica, Theologicè tamen loquendo natura ſupra quam eleuatur, non debet ſignificare formaliter omnem ſubſtantiam poſſibilem.

10 *Ratio indebiti non arguit ſupernaturalem excellentiam.* Rurſus qualitas *exceſſus* per rationem *indebiti* non ſatis explicatur, tum quia Deus in ordine naturæ condonare poſſet peccatum, ad idque tribuere qualitatem aliquam naturalem ſic remiſſiuam, vt tuentur plures cum *Suar.* Suarez tom. 1. de gratia lib. 7. ſect. 22. a num. 80. *Merat.* Meratius de gratia diſp. 10. duriſſimum enim eſt in ordine naturæ Deum implacabilem fingere; cùm nullus fuerit, qui ſolo naturæ ductu non concipiat illum exorabilem, vt peccata remittat; tum ſic, ſed talis qualitas à nulla natura exigeretur; ergo ratio indebiti, non ſatis explicat exceſſum ſupernaturalitatis. Hac inſtantia ſolùm vtor ad hominem contrà Patrem Suarez, & alios, nam naturalitas talis qualitatis mihi certa non eſt. Aliunde ergo ego ſic arguo

abſolutè: *exceſſus* Ordinis ſupernaturalis, licèt non ſit quoad perfectionem in ſpecie, eſt tamen in genere, quatenus ex genere ſuo, & cæteris paribus maiorem perfectionem arguit, vt dixi §. 5. at eſſe vltra omnem exigentiam, & inclinationem innatam, nullum dicit perfectionis potiùs titulum, quàm imperfectionis, plura namque indebita ſunt alicui, non ſolùm quia ipſo ſuperiora, ſed quia inferiora ſunt; & hinc quis ipſa non exigit, aut ipſis dignus eſt, vt in moralibus non ſolùm eſt circa debitum, ſi homini plebeio detur corona regia, ſed etiam ſi ipſi immeritò tribuatur corona, ſeu infame inſigne Iudaiſmi; ergo titulus ſupernaturalitatis aliunde explicandus eſt, quàm ex ſolo hoc exceſſu.

Secunda ſententia omiſſo ordine ad naturam definit ſupernaturalitatem per reſpectum ad Deum hic tamen reſpectus variè ab Authoribus accipitur; alij illum explicant ex termino, quatenus ſupernaturalia reſpiciunt Deum vt Trinum; ità Zumel ſuprà; nam Deus non vt vnus, ſed vt Trinus, eſt ſuprà omne lumen naturale. Hinc ex naturis creatis nequit colligi notitia Trinitatis, bene tamen colligitur vnitas. Sed ſupernaturalitas eſt ſupra id, quod naturali lumine cognoſcitur iuxta §. 1. ergo ſupernaturalitas reſpicit Deum vt Trinum. Albertinus ſuprà vult reſpicere Deum, vt actum purum, quia Deus ſolùm vt actus purus eſt imparticipabilis à creatura, & ſupra omnem Creaturam ergo reſpectus ad ipſam vt ſic, ſuperiorem, & ſupernaturalem ordinem conſtituit. 11 *Variis modis ſententia ſecunda explicat ſupernaturalitatem per reſpectũ ad Deum.* *Vt Trinum. Zumel. Vt Actum purum.*

Vtrerquè tamen impugnatur; nam reſpectus hic, vel eſt ad Deum vt obiectum, vel vt principium, vel vt exemplar; non primum; quia actus naturalis reſpicit Trinitatem (contra Zumel, idemque dici poteſt de actu puro contra Albertinum) vt quando hæreticus, vel infidelis mihi credit eam atteſtanti; item actus ſupernaturalis tangit vnitatem, vt fides credens in vnum Deum, vel viſio Beata, ſi videret eſſentiam ſine perſonis. Non ſecundum; quia Deus per vnitatem, & omnipotentiam eſt principium rerum, non per Trinitatem formaliter, licèt enim præſcindamus Trinitatem, adhuc poteſt concipi gratia vnionis, vel habitualis, virtus patratiua miraculorum, & alia ſupernaturalia, quæ titulo omnipotentiæ, quæ Deo competit, vt vni tribuuntur; ſimiliter non minùs vt actus purus producit Deus effectus naturales, quàm ſupernaturales, imò formaliter loquendo actus purus nullibi eſt ratio operandi, niſi ſola omnipotentia. Tertium de exemplari etiam reiicitur, quia Trinitatis nullum proprium exemplatum inuenitur in rebus creatis; Improprium autem, & analogicum æquè in ſubſtantia naturali cum ſuis potentiis reſplendet, quàm in virtutibus infuſis, vel fide ſupernaturali. Idemque dicendum de imitatione Dei, vt actus puri, quo patet ad fundamentum Albertini, Ad Zumel R. licèt ex naturis creatis cognoſcatur Deus vt vnus ſecundùm conceptum inadæquatum vnitatis, non tamen adæquatè ſecundùm omnem perfectionem, & virtutem, quæ in tali vnitate reperitur, ob quod bene in vnitate Dei inueniri poterit virtus ad ſupernaturalia: ſicut ſi per poſſibile, vel impoſſibile daretur ſubſtantia, cui connaturalis foret virtus intuendi Deum, illa trina non eſſet, cùm tamen ex ea ſupernaturalitas oriretur. 12 *Non placet.*

Ex hoc fundamento reiiciuntur Ioannes, vincentius, Albelda ſupra, & Thomiſtæ communiter explicantes hunc reſpectum per participationem 13 *Per participationem*

N 3 Deitatis,

Deitatis, opinio 3. Ioan. Vincent. Albel. Thomiſtæ. Reijcitur.

Deitatis, vt ſupernaturale ſit, quod Deum, vel eius attributa, vt ſunt in ſe participat. Sic gratia habitualis eſt participatio naturæ Diuinæ, lumen gloriæ, Diuinæ ſapientiæ, charitas, Diuinæ voluntatis. Reijciuntur, quia licèt verum ſit, quòd ſi foret hæc imitatio ſpecifica quatenus ea ratione, qua Deus eſt in ſe, haberet etiam creatura aliquam perfectionem, iure cenſeretur ſupernaturalis, at hæc participatio, & ſimilitudo ſolùm eſt impropria, & quæ potiori titulo poteſt inueniri in re naturali; plures enim rationes conuenientiæ in Deo dantur in Angelo, ſcilicet eſſe *ſubſtantiam viuentem, intellectiuam,* &c. quàm in gratia, quæ accidens eſt. Quo autem ſenſu gratia adhuc dicatur participare naturam Diuinam potiùs quam Angelus, conſtabit clarè ex noſtra ſententia.

14 *Quarta ſententia cum Herice.* *Explicat ſupern. per attingentiam Dei vt eſt in ſe.*

Denique P. Herice hunc reſpectum explicat per attingentiam circa Deum, vt eſt in ſe, vel intentionalem, vt per viſionem, & amorem, vel phyſicam, vt per vnionem: qui addit hunc reſpectum ſufficere mediatum, quatenus quid fuerit cauſa, vel effectus talis reſpicientiæ immediatæ, ex hinc ſupernaturalitatem participat. Sic verbi gratia, viſio eſt ſupernaturalis, quia immediatè tangit Deum, vt eſt in ſe lumen gloriæ, quia eſt illius reſpectûs cauſa, dotes item beatorum, quia ſunt effectus. Mouetur, quia maximè ex vita æterna, ſeu fine ſupernaturali viſionis, totus ordo ſupernaturalitatis, & gratiæ, improportioque naturæ ad actus ſalutares nobis innotuit.

15 *Reijcitur Herice primò.*

Reijcitur primò, quia vel hæc connexio requiritur phyſica, vel ſufficit meritoria & moralis; ſi primum actus fidei non erit ſupernaturalis, cùm phyſicè potiùs repugnet viſioni. Si ſecundum, virtutes aquiſitæ (vt plures exiſtimant) in homine iuſto merentur viſionem, & tamen naturales ſunt. *Secundò.* Reijcitur ſecundò, connexio creaturarum cum Deo vt principio non eſt minùs immediata, quàm viſionis cum ipſo vt obiecto, cur ergo hæc præ illa eſt argumentum ſupernaturalitatis. Vnde vt mihi videtur, hæc ſententia potiùs ſupponit, quàm exponit ſupernaturalitatem. *Tertiò.* Tertiò, charitas naturalis non minùs tangit Deum in ſe, quàm ſupernaturalis, neque magis hæc oritur à cognitione Dei, vt eſt in ſe, quàm illa, vt patet in via; quid ergo habet maioris connexionis cum Deo in ſe etiam vt obiecto? Idem patet in naturali ſcientia; hæc enim immediatè poteſt moueri, vt ex obiecto formali ex ipſo Deo in ſe; aliàs intellectus non poſſet eleuari ad habendum tale obiectum formale, cùm potentia vitalis vt infrà dicam, nec Diuinitus poſſit ſe extendere extra ſuum obiectum formale adæquatum. *Vltimò.* Denique virtus patratiua miraculorum circa corporalia, productiua frigiditatis in igne, creatiua accidentium etiam independenter à myſterio Euchariſtiæ (ne dicas mediatè connecti cum viſione, quando deſeruit huic myſterio fidei) nullam connexionem habent cum exiſtentia viſionis, & tamen ſupernaturales ſunt.

SECTIO III.

Duæ aliæ ſententiæ nouiores examinantur.

16 *Sententia Ripaldæ.*

P. Ioan. Martinez de Ripalda, tom. 1. de ente ſupernaturali, diſp. 4. ſect. 3. cenſet propriũ ſupernaturalitatis conceptum conſiſtere in connexione quidditatiua phyſica, vel intentionali cum gratia ſanctificante, quatenus ad hanc omnia entia ſupernaturalia tranſcendentaliter referuntur, vel eorum quidditatiua cognitio ſoli gratiæ debetur: mouetur, quia ſcriptura & PP. excellentiam ſupernaturalium nobis declarant per connexionem cum gratia ſanctificante, tum quia probant contra Pelagium naturam non ſufficere ad actus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis, eo quòd iſti ad ſanctificationem, & pietatem conducant; tum etiam, quia iuſtificatio *gratia* appellatur, imo non aliàs auditur apud PP. ſupernaturalitas, niſi ſub nomine *gratiæ, iuſtificationis, adoptionis,* &c. vt conſtat ex Concilio Mileuitano can. 3. & 5. Auguſt. ep. 95. & 105. ergo ex connexione cum gratia ſanctificante tota ſupernaturalitas explicanda eſt. *Concilium Mileuita. Auguſt.* Confirmat ex 2. Petri 1. vbi maxima, & *pretioſa promiſſa*, id eſt, *ſupernaturalia*, ex eo oſtenduntur nobis donata, quòd per hæc efficimur Diuinæ conſortes naturæ; *2. Petr. 1.* At hoc conſortium fit per gratiam ſanctificantem; ergo in ordine ſeu connexione cum hac gratia, ſupernaturalitas conſiſtit.

17 *Deſeritur. Primò.*

Huic tamen opinioni non acquieſco primò; quia ſi per Ordinem ad rem creatam explicanda foret ſupernaturalitas, aptiùs per connexionem cum viſione Beata exponeretur cum Hurtado Salamantino in manuſcriptis de viſione diſp. 7. tum quia hæc eſt vltimus finis formalis, ad quem ipſa gratia ſanctificans, & omnia ſupernaturalia ordinantur, & ob cuius eleuationem neceſſitas *gratiæ* inſufficientiaque Naturæ prædicatur in ſcriptura; tum etiam quia maximè ob viſionem dicitur *gratia Dei vita æterna, & quòd cum apparuerit, ſimiles ei erimus.* In quo magnum reſplendet conſortium Deitatis. Item adhuc aptius poneretur pro termino connexionis entium ſupernaturalium *vnio* hypoſtatica cum Faſolo in præſenti art. 4. num. 22. *Faſol.* ſiquidem manifeſtiùs donum hoc, & gratiam iuſtificantem ſuperat, & ſtrictiùs Diuinitatem communicat.

18 *Secundò.*

Secundò, abſolutè impugnatur ſupernaturalitatem nec per connexionem cum gratia ſanctificante, nec cum viſione explicari idoneè. Nam vel hæ formę conſiderantur ſecundùm excellentiam abſolutam, quam dicunt in ſe, vel ſecundùm reſpectiuam coniunctionis, & tendentiæ in Deum? Si primum? aliæ res naturales ſunt perfectiores, vt de ſubſtantia Angeli ipſe Ripalda fatetur cum pluribus diſput. 21. num. 25. *Ripald.* Cur ergo cognatio, ſeu connexio cum hac excellentia inducet potiùs ſupernaturalitatem, quàm cum alia maiori. Si ſecundum; rurſus vrget, ſubſtantia Angeli, quæ ſimilior eſt, pluribuſque prædicatis conuenit cum natura Diuina, quàm gratia, vt dixi §. 12. *Confirmatur.* Confirmatur impugnatio, quia hæc ſententia in ipſa gratia, & viſione inquirenti ſupernaturalitatem? potiùs eam ſupponit, quàm probat; neque enim explicat, quid excellentiæ ſit in gratia ſanctificante, verbi gratia, cur nouum ordinem ſupra naturalem conſtituat? cur ad illam cauſandam, vel exigendam inſufficientes ſint naturę vires? Huius enim ratio danda erat, nec omnino ſupponendum; aliàs ſimiliter dicere poteras per connexionem cum actu fidei conſtitui ſupernaturalitatem; nam æquè certum eſt fidem eſſe ſupernaturalem, & æquè eius connexio, ſicut & gratiæ ſanctificantis, ſupernaturalitatem arguit.

19 *Impugnatur. Idem Ripalda. Tertiò. Naturalis res poteſt*

Tertiò, connexio, quæ ponitur ſecundùm ordinem tranſcendentalem, inſufficiens eſt ſupernaturalitati; nam inuenitur etiam re naturali; etenim Angelus per ſe, & eſſentialiter connectitur cum potentia infinita, & conſequenter cum potentia valente ipſum annihilare, cum infinita non eſſet indepen

connecti cum ſupern. poſſibili. independens, ſed indiga, ſi ſemel productum Angelum neceſſariò conſeruaret; annihilatio autem Angeli ſupernaturalis eſt, vel ſaltem potentia ipſa annihilandi, quæ comparatur ad exercitium, omnes vires, & exigentiam naturæ exuperans: quo pacto voluntas condonatiua eſt etiam ſupernaturalis; & tamen cum illa vt poſſibili connectitur natura; nihil enim euidentius rationi naturali, quàm poſſe Deum condonare iniurias. Item quælibet creatura eſſentialiter eſt ſubiecta, vt de illa faciat Deus aliquid ſupra eius exigentiam, quæ ſubiectio, & conſequenter connexio non eſt conditionata, ſub conditione quòd non repugnet talis effectus: nam ſicut Angelus ſe ipſo, titulo quòd finitus ſit, ſubiicitur abſolutè annihilationi; licèt naturaliter impoſſibili, & ſuprà omnem naturæ exigentiam, cur idem non dicetur de creatura qualibet in ordine ad aliquem vſum Diuinæ omnipotentiæ? Quid? quod apud me omnipotentia fundat poſſibilitatem omnium creaturarum, vt latè dicam in opere philoſophico.

20 *Vltimò. Impugnatur. Res ſupern. poteſt non connecti cum alia ſupern.* Denique neque è contrà, ſupernaturalia ſunt per hanc connexionem debita gratiæ ſanctificanti; nam ipſa gratia eleuari poteſt per potentiam obedientialem ad producendos effectus ſupernaturales ſuperiores ipſa, & qui nullo modo ſub viribus ipſi debitis continentur, vt ſi eleuaretur ad creationem Angeli, talis enim creatio, cùm ita ſit ſupra vires gratiæ, vti productio ipſius gratiæ eſt ſuprà vires naturæ, ob eandem rationem, qua natura eſt extra ordinem, & connexionem phyſicam, ac intentionalem gratiæ, etiam ipſa creatio erit ſuprà ordinem ipſius gratiæ. Si dicas gratiam exigi ab illa creatione, vtpote illius principium; vnde licèt gratia non connectatur cum tali actione productiua; & eam actionem connecti cum gratia, & hinc eſſe ſupernaturalem. Contrà; ſi ſemel illa actio eſt ſupra vires gratiæ, hic modus connexionis non ſufficit, vt res ſic connexa pertineat ad eundem ordinem cum gratia; ſimilis enim connexio datur inter naturam & gratiam, & nihilominus gratia nouum ordinem conſtituit à natura. Si rurſus dicas eam actionem deberi ſaltem vnioni hypoſtaticæ, quæ eſt ſubſtantialis gratia, vnde omnino non eſt ſuprà ordinem gratiæ. Contra eſt, ſi ponas ipſam vnionem ſic ad actionem indebitam eleuari; etenim vnio, cùm entitas finita ſit, eidem argumento ſubeſt, cui gratia ſanctificans. Quo argumento Faſoli etiam ſententia impugnata relinquitur. Denique minùs placet confugere ad connexionem intentionalem, quòd ſcilicet licèt gratiæ debitæ non ſint vires phyſicæ ad talem creationem, debentur tamen intentionales, hoc eſt cognitio quidditatiua illius. Nam contrà eſt, ſicut naturæ non eſt debita cognitio quidditatiua ſupernaturalium, quia hæc ſunt ſupra exigentiam phyſicam naturæ, idem proportionatè hìc dicendum eſt, vt nec gratiæ debeatur.

Obiectio. *Solutio.* *Alia obiectio.* *Solutio.* *Faſol.*

21 *Ad argumenta.* Ad fundamenta in §. 16. facilè reſpondeo; licèt per connexionem, & ordinem cum gratia ſatis probetur actûs ſic ordinati ſupernaturalitas, vt & per ordinem ad fidem ſupernaturalem probaretur; quidquid enim eſt eiuſdem Ordinis cum ſupernaturali neceſſe eſt etiam ſupernaturale fore: at prima radix omnis ſupernaturalitatis talis connexio non probatur, niſi aliunde in gratia ipſa titulus tantæ ſuperioritatis appareat, qui ex hac ſententia non oſtenditur: imò è contra indicatur, quòd ſit alia radix prior, ſcilicet excellentia Deitatis, quam participat, quæ participatio, quia primò reſplendet in forma ſanctificante (loquendo de gratia, quæ hominibus communiter fit) ideò hæc ſimpliciter, & quaſi primò *gratia* dicitur. Confirmatio ex ſecunda Petri primo. Id ipſum potiùs confirmat. Gratiam ſcilicet nòs eleuare ad eſſe ſupernaturale non ratione ſui, ſed quatenus peculiariter communicat naturam Diuinam; vnde tandem ab ipſa natura Diuina omnis ſupernaturalitas deriuanda eſt, vt latiùs conſtabit ſectione ſequenti. *2. Petri 1*

22 *Vltima ſententia explicās ſupernaturalitatem per dependentiam immediatã à voluntate diuina.* Vltimò recentiores ingenioſi tuentur ſupernaturalitatem conſiſtere in eo, quod ſpecialiter à Deo pendeat effectus ſupernaturalis, & hac ratione ſit ſupra id, ad quod natura cum generali concurſu ſufficit, quod pertinet ad effectus naturales, tunc autem dicunt effectum oriri ex generali concurſu, & vt *naturalem*, quando immediatè fuit ab Omnipotentia, ſeu à Deo, quà omnipotente præcisè; tunc verò ſpecialiter, & vt *ſupernaturalem*, quando procedit à Deo quatenus volente, non quidem quia vtrobique non requiratur Diuina volitio, ſed quia ad effectus naturales ſolùm ſe habet volitio vt applicatio, ſtante tota ratione principij, & virtutis in omnipotentia, quæ applicatur. At reſpectu effectus ſupernaturalis ipſa volitio habet rationem principij, ab ipſaque, vt à virtute influxiua ſpecificatur actio, ideo ſupernaturalia ſunt maximè *gratuita*, *voluntaria Deo*, & *ſignum amoris Diuini*.

23 *Reiiciuntur Recentiores Primò.* Sed reiiciuntur etiam, tum quia valde probabilis eſt opinio non diſtinguens omnipotentiam à voluntate maximè in actione creatiua, & ſaltem ſi ſemel ad aliquos effectus non diſtinguetur, idem dici poteſt de omnibus honeſtis, in qua opinione nihil prodeſt hoc diſcrimen inter naturalia, & ſupernaturalia. *Secundò.* Secundò ſtante volitione ſolùm, vt conditione pura, aliquando poteſt Deus applicare ſuam omnipotentiam cum concurſu robuſtiore, quam debeatur cauſæ naturali, ſcilicet vt ſuppleat defectum cauſæ compartialis ſicut ſupplens defectum ſubſtantiæ cum calore ferri candentis producit ignem in ſtupa, ergo ſimiliter volitione vt conditione poſſet parare concurſum robuſtiorem, quo ſuppleat virtutem, ad quam tota collectio naturalium agentium non valeret. Tum ſic; in tali effectu ſupernaturalitas daretur, cùm in natura eſſet inſufficientia. *Tertiò.* Tertiò etiam reiicitur hæc explicatio, nam loquendo in particulari de Angelo verbi gratia à ſolo Deo creabili, cùm non minùs excedat ſufficientiam, & vires actiuas naturæ; quid rogo eſt in ipſo, ratione cuius potiùs oriatur ab omnipotentia, quàm à voliſione per modum principij; quare hæc ſententia rem inexplicatam relinquit.

SECTIO IV.

Proponitur propria ſententia.

24 *Duplex aſſignatur ſupernaturalitatis conceptus: poſitiuus alter, alter negatiuus.* Ego prò explicanda ſupernaturalitate duos conceptus diſtinguo (vti in tract. ſequenti de ſcientia Dei Spiritualitatis conceptum explico duas immaterialitates diſtinguens) Primum quaſi *negatiuum*, per id præcisè quòd extra Ordinem naturæ ſit. Secundum *poſitiuum*, quo peculiaris gradus perfectionis taxetur, & ſaltem ex genere ſuo ſuperioris, & excellentioris Ordinis ſit, quàm totus naturalis Ordo; ad eum modum quo loco

citato ſpiritualitatem explico, vt aliquando accipiatur pro immateriali negatiuè ſumpto quæ vſurpatio latiſſima eſt, nec veram, & propriam Spiritus rationem importat, cùm ita ens rationis, & carentia quælibet immateriales ſint, vt pote materiæ ſenſibilis expertes; vltra quam immaterialitatem, aliam perfectionem, in qua talis negatio fundetur, *Spiritualitatis* ſtricta denotat, verbi gratia eſſe intellectiuum, vel alterius perfectionis requirentis gradum, & Ordinem omni materia ſenſibili ſuperiorem.

25 *Probatur nō eſſe ſupernaturale ſtrictè, quidquid eſt extra ordinem naturæ.* Hanc diſtinctionem hìc etiam admittendam eſſe ſic noto. Ordo ſupernaturalis ſimpliciter, & ſtrictè acceptus ex genere ſuo ſupremam perfectionem importat, ſed eſſe extrà omnem ordinem naturæ, ita vt nulla ſubſtantia creata, nec creabilis habeat, aut exigat vires ad producendum effectum aliquem (in quo caſu nihil deficit, vt talis effectus alterius Ordinis à naturali dicatur) per ſe talem perfectionem non inuoluit; ergo neque ſupernaturalitatem ſtrictam. Conſequentia legitima eſt; & maior propoſitio manifeſta eſt §.5. Minor ſuadetur facilè; quia non ſolùm titulo perfectionis, ſed etiam imperfectionis poteſt aliquis effectus eſſe indebitus alicui, vt non habeat vires proportionatas ad ipſum, verbi gratia ſi compares diſcurſum cum Angelo, ſic etiam calor, licèt imperfectior gratia ſanctificante, ſupra illius vires eſt; Ergo eſſe ſic ſuprà naturam non arguit nobilitatem effectus. Explicatur, lux ſupernaturalis, ſi datur, vt in Beatis, eſt perfectior naturali; ergo & illuminatio ſupernaturalis, id eſt productio ſupernaturalis lucis erit perfectior productione naturali. Tum ſic: ſed actio productiua lucis, eo quòd ſit indebita, & ſupra omnes vires naturæ non eſt ita perfecta; Quis enim dicat perfectiorem actionem, qua lapis eleuaretur ad producendam lucem ſolis, quàm eam, qua ſol ipſe eandem producit. Confirmatur argumentum, actio ſic ſupernaturalis negatiuè non requirit eſſe donum Spiritus ſancti, ſpecialiùs conducens in vitam æternam: id patet, tum ſi ponas actionem peccaminoſam eſſe creatiuam, vel alias ortam à cauſa improportionata; Item ſi homo eleuetur ad producendum actum naturalem Angeli, talis actio ex eo quòd eſſet ſuprà naturam, & quidem bona homini eſt omnino indebita, non haberet maiorem proportionem, vt ob hoc foret meritoria vitæ æternæ; cùm id non ſortiretur in Angelo; idem patet in actione, qua ignis produceret frigiditatem, aqua calorem; cur enim hic ſpecialiùs reſplendebit liberalitas donorum Dei, vbi inuertitur natura, quàm vbi omnia rectæ diſpoſitioni conſonant. Tum ſic. Sed opus ſtrictè ſupernaturale ſpecialiter Deo tribuitur, vt donum maximè à Deo intentum, tanquam fructus, vel diſpoſitio vitæ æternæ; ergò ſupernaturalitas ſtricta altiorem perfectionem dicit, in qua fundetur, quod nec per vires habitas, aut exactas à natura attingatur.

26 *Poſitiuus ſupernaturalitatis conceptus ſpeciali mihi ratione exponitur.* Hanc ego, & ſupernaturalitatis conceptum ſic explico, vt ſupernaturale ſit, *quidquid per modum quaſi proprietatis ad eſſe Diuinum in aliquo ſtatu mediatè, vel immediatè conſequitur. Eſſe* Diuinum dupliciter poſſumus conſiderare, vel in ſe ipſo, & ſecundùm perfectiones, quæ ad ipſum vt ſic conſequuntur, & hæ omnes perfectiones, cùm increatæ ſint, per ſe patet, quòd omnem excellentiam ſupernaturalium contineant; ſed nondum explicant ſupernaturalitatem creatam, quam præcipuè inquirimus. In alio ſtatu *eſſe* Diuinum capax eſt, vt ex ipſo creatæ perfectiones quaſi per modum proprietatis effluant, quando ſcilicet *eſſe* Diuinum, vt eſt creaturæ communicatum concipitur, vt quando aſſumit naturam creatam, & ipſi vnitur, vti fuit Diuinitas in Chriſto, ſic enim plures ſunt perfectiones, & dona quæ ipſi titulo Diuinitatis connaturaliter debentur; ſicut enim animæ ſpirituali, & in ſe inſpectæ debentur proprietates, ſcilicet intellectus, & voluntas, & ipſi etiam vt communicatæ, & vnitæ corpori propria attributa debentur, ſcilicet ſenſus materiales, potentiæ, *&c.* Ita & Diuinitati plura attributa debentur, Diuinitati inquam tam in ſe, quàm vt vnitæ. In connexione ergo immediata, vel mediata modo infrà explicando cum *eſſe* Diuino, ſic per modum proprietatis, conceptum & excellentiam ſupernaturalitatis ſtatuo, & explico proboque.

Primò ſupernaturalitas titulo perfectionis ſuæ omnes vires naturalium agentium habitas, vel exactas excedit, ſcilicet talis excellentiæ eſt, vt nulli ſuppoſito creato ſaltem de facto exiſtenti, nec conſiderato ſeorſim nec etiam in vllo rerum naturalium occurſu vires actiuæ ſuppetant, vel debitæ ſint ad illius productionem, ſed non apparet tantus titulus excellentiæ in ſupernaturalitate, vt ita excedat vires naturales, niſi quia aliquid Dei proprium importet, ergo in ea conditione *proprietatis* conſiſtit excellentia ſupernaturalis. Minor probatur; nam in ſe plures effectus ſupernaturales ſunt imperfectiores, quàm natura, verbi gratia vbicatio corporis Euchariſtici, quàm Angelus, imò ipſa viſio intuitiua Dei, & gratia ſanctificans, vt dixi ſupra; Nequit ergo titulus excellentiæ horum donorum ſic vires naturæ ſuperare, niſi quòd fundetur, & radicetur in alia ſuperiore. Confirmatur; quia ſic facile colligitur ratio, ob quam cognitio verbi gratia ex eo quòd ſupernaturalis ſit, perfectior ſit naturali etiam circa idem obiectum; quia ſcilicet eſt operatio propria ſuppoſiti altioris ordinis, ſicut cognitio ſpiritualis ſuperat materialem, quòd illa ſpiritum ſuperioris ordinis afficiat. 27 *Mea opinioni fidem facio.*

Secundò operationes, & effectus ſupernaturales dicuntur *Dei proprij opera* Diuina, & *Diuini ordinis*, ſed hoc habere nequeunt, niſi immediatè, vel mediate ad *eſſe* Diuinum ſequantur per modum proprietatis; ergo, *&c.* Maiori propoſitione dubito ſic ne alia frequentiùs inuenta apud ſcripturam, & Patres, ſæpiuſque ab Scholaſticis repetita. Sic conuerſio peccatoris dicitur propria Dei, homines per gratiam ſunt in ordine Diuino, & dij appellantur, vniuerſaliterque, vt probet Auguſtinus contra Pelagium actus ſalutares ſupernaturales eſſe *air ſe oſtenſurum, quod opus Diuinum ſint* lib. de ſpir. & litter. cap. 35. ad medium ibi: *Sed quia dici poteſt illa opera* (retulerat plura miracula ſeu facta ſupernaturalia) *eſſe Diuina; iuſtè autem viuere ad noſtra opera pertinere ſuſcepi oſtendere etiam hoc opus eſſe Diuinum.* Minor ſuadetur, quia vt aliquid in ſe Diuinum ſit, neceſſum eſt, vt vel ſit Deus per identitatem, vel ex Deo vt propria affectio ſequatur, aliàs niſi tale ſit, Deus conſtituet alium, & ſuperiorem Ordinem illo; ita nihil eſt in ordine intellectiuo, & proprium opus intellectiui, niſi quod intellectus eſt, vel ad ipſum conſequitur; ita etiam, vt aliquid ſit ſpiritualis ordinis, vel debet eſſe Spiritus, vel affectio propria ad Spiritum conſecuta; Ergò vt dona, & opera ſupernaturalia ſint propria Dei, & ordinis Diuini, requiritur, vt ad ipſum *eſſe* Diuinum per modum proprietatis conſequantur. Confirmatur; ordo ſupernaturalis eſt 28 *Auguſt.*

Ordo

ordo omnium ſupremus,& eleuatiſſimus;ergo formaliter debet includere *eſſe* Diuinum, cum quo cognationem habeat, & à quo tota perfectio huius ordinis deriuetur, neque enim perfectio ordinis deſumitur per conceptum conuenientiæ in aliqua ratione communi cum ente ſupremo, nam ſic ratio *entis* faceret ordinem perfectiſſimum, cùm ſub illa Deus comprehendatur, ſed hæc cognatio conſtare nequit, niſi omne ſupernaturale ſit Dei proprium modo explicato; ergo.

29 Tertiò, Idem arguo ex gratia iuſtificante, nam ipſa cum toto ordine ſupernaturali facit *nos participes naturæ Diuinæ*, ſed vt hoc faciat, neceſſum eſt, vt conſequatur tanquam proprietas ad Diuinum eſſe; ergo. Maior patet, tum ex 2. Petri 1. ex quo loco S.Thomas 1.2. quæſt. 62. art. 1. corp. probat dari aliam Beatitudinem, & ordinem ſupernaturalem, quia *ſola Diuina virtute haberi poteſt ſecundam quandam Diuinitatis participationem, ſecundùm quod dicitur 2.Petr.1.quòd per Chriſtum facti ſumus Diuinæ conſortes naturæ*, item probat ſupernaturalitatem virtutum Theologicarum ibi in ſolutione ad 1. quia iſtæ virtutes conueniunt homini ſecundùm naturam Dei participatam. Minor probatur, tum quia non eſt aliud, in quo hæc participatio conſiſtat, nam non in ſimilitudine cum Deo vt eſt in ſe iuxta §. 15. nec in eo quòd ſupernaturalia procedant à Deo, vt à principio, quo ſenſu effectus dicitur participare virtutem ſuæ cauſæ; etenim hæ omnes rationes etiam inueniuntur in rebus naturalibus; ergo ſolùm reſtat, vt conſiſtat in eo quòd ſupernaturalitas imbibit aliquid proprium Diuinitatis. Tum etiam, quia id dicitur participare naturam alterius rei, quod vel in ſe eſt talis res, vel habet aliquid proprium illius, ita ferrum candens ob id, quod habet calorem, qui eſt proprietas ignis, dicitur naturam ignis participare. Quod totum apprimè confirmat S. Thomas 1. 2. quæſt.72. art.1. ad ſecundum, vbi docet dupliciter dici habitum virtutis Diuinum, *vel eſſentialiter, & ſic ſolùm competit Deo: alio modo participatiuè ſicut lignum ignitum participat naturam ignis, & ſic quodammodo fit homo particeps Diuinæ naturæ*. Idem alio exemplo oſtendit Athanaſius contra eos, qui dicunt Spiritum-ſanctum creaturam, multò poſt medium pag. mihi 563. ſcilicet ſimilitudine vnguenti, cuius particeps ille dicitur, qui retinet illius fragrantiam: *quo* (ſcilicet vnguento Chriſti) *cum inuncti fuerint, & participes redditi dicunt de ſe Chriſti bonus odor ſumus*; Ergo ſi ordo gratiæ eſt participatio Diuinæ naturæ, neceſſarium eſt, vt ad Diuinitatem tanquam proprietas ſequatur (& quidem Deitatis in ſe, vel in alia natura, ideò ſapienter notauit Athanaſius ſuprà, *quòd vbicunque dicimur participes Chriſti, Dei etiam participes dicimur*) ſicut calor ad ignem, fragrantia ad vnguentum. Quod fundamentum latiùs expendam diſput. ſequenti.

2. Pet. 1. — S. Thomas. — S.Thomas. — Athanaſ. — Athanaſ.

30 Quartò, huic ſententiæ fidem conciliat, quod iuxta eam plura in alijs difficilia componantur primò Deum ipſum, & eius attributa in ſe eſſe ſupernaturalia, quod ſentit Damaſcenus lib. 3. de fide, cap.15. & lib. 4. cap. 12. Dionyſius de diuinis nominibus cap.1. lect.2. ad medium S.Thom. ibi, & 3. part.q.76.art.7.corpore, ratioque ipſa oſtendit. Tum quia, ſi creatura, cui connaturale eſſet videre Deum, ſupernaturalis foret, cur non & ipſe Deus, qui ſe comprehendit. Tum etiam, quia Deus ſub perfectiſſimo genere poni debet, genus autem *ſupernaturale* eſt ſupremum, & eleuatiſſimum. Secundò, ſub hac definitione comprehenduntur etiam effectus ſupernaturales qui fingi poſſent ſupra ipſam gratiam, vt ſi hæc eleuaretur ad creandam in ſe aliquam perfectionem, adhuc enim hæc virtus creatiua, licèt ſuperet, omnes vires habitas, & exactas ab agentibus creatis, imò & ab ipſa gratia, connaturaliter tamen debetur, & conſequitur ad *eſſe* Diuinum; neque enim poteſt eſſe ſupra huius exigentiam, vel debitum, cùm nulla perfectio ſit, quâ non ſit dignum diuinum ſuppoſitum. Tertiò, adhibetur ratio, ob quam gratia ſanctificans ſit ſupra exigentiam Angeli, quod enim vt proprietas conſequitur ad *eſſe* Diuinum, nequit ad inferius *eſſe* ſequi connaturaliter, vt latiùs expendam diſput. ſequenti. Aliàs autem ſecluſâ fide nihil excellentiæ aſſignatur iuxta authorum ſententias in gratia, ne ſit connaturalis Angelo. Quartò, tribuitur connaturale ſubiectum, ſeu ſuppoſitum, cui iuxta ſuam conditionem inſint accidentia ſupernaturalia; mirum enim eſſet quòd ordo tam perfectus ſemper vagaretur præternaturaliter, nec haberet propriam ſedem, cùm natura accidentis ſit primariò reſpicere ſubiectum connaturale ſibi proportionatum; alia verò ſecundariò, vt calor primariò reſpicit ignem, ſecundariò aquam. Quintò, ſic facilè deſignatur, quid ſignificetur nomine *naturæ*, quæ ſit conditio *exceſſiu*, & cur denique hic arguat perfectionem in ſupernaturalitate, vt dicam §. vltimo.

Diuina prædicata à ſupernaturalitatis conceptu excludenda non ſunt. — Damaſcen. — Dionyſ. — S.Thomas.

Cur gratia ſit ſupra exigentiam Angeli?

Accidentia ſupernaturalia natiuam ſedem ſortiuntur.

Denique huic ſententiæ fauet, quòd in conceptu ſupernaturalitatis ſic explicatæ omnia ſupernaturalia conueniant, differantque à naturalibus. 31 Differentia manifeſta eſt; omne enim naturale nec Deum in ſe perficit, nec ob ipſum, Deum communicatum creaturæ reſultat, cùm independens ſit ab hac communicatione. Conuenientia etiam conſtat; nam quidquid eſt, ad quod titulo perfectionis inſufficientia ſunt agentia naturalia, vel increatum eſt, vel creatum. Si primum erit Deus, vel eius attributa, ac proinde propriiſſimè conſecutum ad Diuinum *eſſe*. Si ſecundum, licèt ad Deum in ſe non poſſit conſequi, quia Deus per creata accidentia compleri nequit, debitum tamen eſt, & conſequutum ad Deitatem, vt creaturæ communicatam, proinde eſt autem vt cenſeatur perfectio propria Diuini *eſſe*, quòd ad hoc in ſe, vel vt creaturæ communicatum ſequatur, vt notaui ex Athanaſio §.29. in fine; etenim vt ſic nihil perfectionis eſt, quod ſufficientiam talis ſuppoſiti excedat, ipſique titulo Diuinitatis, quam habet, debitum non ſit. Quæ omnia clariùs conſtabunt ex ſectione ſequenti.

SECTIO V.

Obiectionibus ſatisfit.

Obiicies primò habitum ſupernaturalem fidei non conſequi ad Deitatem, nec in ſeipſa, vt 32 paret, nec etiam vt communicatam creaturæ, cùm fides in Chriſto non detur, idemque argumentum formari poteſt de habitu ſpei, & aliis, qui aliquam imperfectionem important. Reſpondeo, licèt non immediatè, at mediatè per modum proprietatis conſequitur fides ad eſſe Diuinum; nam ſpectat ad connaturalitatem ipſius gratiæ, licèt non in Chriſto ob incapacitatem ſubiecti, nec etiam in Beatis, at ſaltem in aliquo ſtatu gratiæ, vt in viatoribus: quæ conſequutio ſufficit ſupernaturalitati;

Argumenta contra meum peculiarem modum explicandi ſupernaturalem conſequutionem, eorumque ſolutiones.

Fides quomodo ſequatur ad eſſe diuinum.

tati; ideo eam poſui *immediatam*, vel *mediatam*. Si dicas nec ſic conſequi ipſum actum fidei, dum fit per auxilium extrinſecum; gratiæ enim connaturaliter non debetur talis actus, ſed alius procedens connaturalius medio habitu. Reſpondeo tale auxilium extrinſecum dari ad exigentiam gratiæ, & ob debitum illius, Sicut enim in naturalibus Deus tenetur ſupplere defectum cauſæ ſecundæ, ob exigentiam naturæ, ideoque talis concurſus naturæ connaturalis eſt. Ita in præſenti, & ob id ipſe actus fidei proprius gratiæ cenſetur.

33 *Et Character.* Obiicies ſecundò Characteres Baptiſmi, & Confirmationis ſunt ſupernaturales, nec tamen vllo modo ad deitatem in Chriſto, aut ad gratiam in aliis iuſtis conſequuntur. Reſpondebit quis ſaltem in ſuo principio pertinere ad connaturalitatem Deitatis in Chriſto, huius enim excellentiæ debita eſt potentia ſicut ad inſtituenda Sacramenta, ita ad producendas in aliis iuſtis qualitates, vel ſigilla, quibus in ratione profitentium Chriſti fidem, & obſequium ſignentur. Hæc tamen ſolutio idonea non eſt ob dicenda infrà. Ego dico licèt gratiæ ſecundùm ſe non debeatur Character, debetur tamen ipſi, vel fidei vt collatæ per Sacramenta Baptiſmi, Confirmationis, aut Ordinis; ſufficit autem ſupernaturalitati, quòd in aliquo ſtatu ad proprietatem Diuinam ſequatur, vt patet ex definitione in §.26. Sic etiam defendi poteſt ſupernaturalitas vbicationis Euchariſticæ, ſiue quia connaturaliter ſequitur ad Deitatem communicatam naturæ corporeæ tam modo corporeo, quàm Spirituali locari, licèt id ipſi corpori ſecundùm ſe connaturale non ſit, ſiue quia ſaltem in principio ſufficientiæ humanitati deificatæ debetur vt perfectio ipſius ſuppoſiti. Adde iuxta principia à me poſita in Philoſophia facilè defendi poſſe vbicationem hanc quoad ſubſtantiam naturalē eſſe, vt in ſola repetitione vbicationum circumſcriptiuarum conſiſtat.

Vbicatio Corporis in Euchar.

43 *Actus liberi.* Obiicies Tertiò: Actus ſupernaturales non conſequuntur per modum proprietatis ad eſſe Diuinum, cùm neceſſarium non ſit, nec debitum Diuino ſuppoſito ſemper ſe exercere per tales actus, maximè ſi hi liberi ſint. Reſpondeo licèt actus in ſe non conſequantur tanquam proprietates connaturales: at conſequuntur in ſuo principio ſufficienti, quod per ſe tales actus præſupponunt, ſcilicet ratione gratiæ, vel charitatis; ſatis autem eſt ſupernaturalitati, ſi talis perfectio ſit, vt ad Diuinum eſſe ſuppoſiti, in quo eſt, mediatè ſaltem per modum proprietatis conſequatur, quatenus vel in ſe neceſſariò reſultat per modum proprietatis, vel ſolo titulo huiuſce proprietatis in ſuppoſito inuenitur; nam hoc ſufficit, vt ad ſuperiorem ordinem eleuetur, ſapiatque Diuinitatis naturam, ſicut ad ordinem ſpiritualem pertinet non ſolùm, quod neceſſariò vt proprietas immediatè ſequitur ad eſſentiam Spiritus, ſed etiam quælibet affectio per ſe illam proprietatem Spiritualem ſupponens, ſoloque eius titulo debita ſuppoſito, vt cognitio, vel amor.

35 *Cur non creatio Animæ.* Obiicies quartò hoc pacto creationem animæ rationalis fore ſupernaturalem; nam licèt non in ſuo tamen principio ſufficienti ad *eſſe* Diuinum conſequitur cùm potentia creatiua formaliter ſit infinita, potentia autem infinita, vt attributum proprium ſequitur neceſſariò ad eſſentiam Diuinam. Reſpondeo nego talem creationem eſſe ſupernaturalem, tum quia licet vires creatiuæ non dentur in agentibus naturalibus, exiguntur tamen, ob quod illæ vires, & potentia creandi, licèt ſint in eſſendo propriæ Dei, & ſupernaturales, in operando tamen non ſunt omnino propriæ Dei, ſed communes naturæ ſic exigenti: tum præcipuè, quia de conceptu proprietatis eſt, quòd perficiat, ornet, & quaſi compleat ſuam eſſentiam, ac proinde maneat in ſuppoſito, in quo eſt talis eſſentia, vel ſaltem ſi ſit proprietas mediata, afficiat ſuppoſitum, in quo immediata fuerit: Sic admiratiuum comitatur eſſentiam hominis, riſibilitas autem (quæ eſt mediata paſſio) afficit ſuppoſitum, in quo fuerit admiratiuum, & hoc eſt quod facit eſſe eiuſdem ordinis cum eſſentia, non autem dependentia purè phyſica, ſicut vt aliqua actio ſit in ordine Spirituali, non ſufficit quòd per ſe ab Spiritu pendeat, quot enim materiales à Deo oriuntur, niſi ita ſolo titulo Spiritus ſequatur, vt illius affectio ſit, & in ipſo recipiatur. Sic ergo, vt effectus ſit ſupernaturalis, & ex dignitate Deitatis ſuam excellentiam participet, debet reſultare in Diuino ſuppoſito conſequenter ad Diuinum *eſſe* mediatè, vel immediatè modo explicato. Cùm autem Angelus factus per creationem ſit extra Diuinum ſuppoſitum, etiam mediatè; nam neque per ſe eſt in ſuppoſito habente proprietatem Diuinitatis, ideo non cenſetur eius creatio Dei propria, licèt in ſuo principio ſufficientiæ, tanquam proprietas, ad Diuinum eſſe conſequatur.

Perfectio aliqua vt ſit ſupernaturalis debet manere in ſuppoſito diuino.

36 *Defenditur ſupernaturalitas donorum purè phyſicorum, in natura irrationali.* Obiicies quintò Pluribus donis ſtrictè ſupernaturalibus poſſe Deum naturam irrationalem decorare ſicut decorauit rationalem, vt ſi igni ſupernaturalem calorē, aut lucem tribueret. Sed illa dona nec mediatè, nec immediatè ſequerentur ad Diuinum eſſe; etenim nec Deo in ſe, vel in Chriſto debentur, neque item gratiæ iuſtificanti, vel aliis proprietatibus Chriſti. Reſpondeo illa dona deberentur conſequi ad Deitatem, ſi aſſumeret naturam ignis, quam aſſumptionem poſſibilem eſſe dicam in materia de incarnatione ac proinde iam eſſent *Dei propria* in aliquo ſtatu. Dices è contrà; ergo actio, qua ignis produceret in ſe frigiditatem foret ſupernaturalis ſtrictè, nam igni ſic aſſumpto, ſicut deberetur virtus patratiua miraculorum, ita & potentia ad hunc effectum, qui cùm maneat tunc in ſuppoſito Diuino, nullo modo deficit à ratione proprietatis ſaltem mediatæ. Reſpondeo nego conſequentiam, quia frigiditas non in ornatum, vel complementum talis ſuppoſiti, ſed potiùs contrà naturam ipſius ineſſet, quod proprietati repugnat; nunquam enim eſſentia vt proprietatem exigit, quod ipſam dedecet.

37 *Quæ ſupernaturalitas conueniat perſeitati accidentium in Euch.* Obiicies ſextò modum exiſtendi per ſe accidentium in Euchariſtia eſſe ſupernaturalem, nec tamen eſſe proprium Diuini ſuppoſiti. Pater Vaſquez 1. part. diſput. 214. num. 34. negat illum modum eſſe ſupernaturalem intrinſecè, quia ille modus exiſtendi per ſe ſaltem in æquiualenti eſt debitus naturæ, ſcilicet ſubſtantiæ naturali. Quod mihi certius eſt, qui in Philoſophia docui exiſtentiam per ſe continere in actione creatiua, quæ ſolùm addit ad actionem antiquam puram negationem dependentiæ; quin quoad entitatem addat aliquam differentiam, vt etiam tenet Herice hic diſput. 48. num. 40. Deinde do eſſe intrinſecè ſupernaturalem non tamen ſupernaturalitate ſtricta, & Theologica, de qua nunc, ſed purè philoſophica, niſi velis conſiderare Deo vnito, ſeu aſſumenti immediatè naturam accidentium iam deberi ex conſequenti quod hæc per ſe ſubſiſtant, vt tenet Aluarez diſputat. 22. de Incarnatione, Becanus capit. 5. quæſt. 3. cum Almaino Maior. & Gabriele.

Vaſquez. Herice.

Aluarez. Becan. Maior. Gabriel. Almayn.

Sed

38 Sed omiſſis iam aliis obiectionibus, quæ faciles ſolutu ſunt attendenti ad prædicta. Ex his infero 1. Theologicam ſupernaturalitatem, & ſtrictam de qua hic, in conſequutione per modum proprietatis ad Diuinum *eſſe*, per modum perfectionis Diuini ſuppoſiti propriè conſiſtere, *Diuini, inquam, ſuppoſiti* vel immediatè; quia ipſi Diuino ſuppoſito inſit talis perfectio, vel mediatè, quia alteri ſuppoſito vt habenti proprietatem aliquam talis ſuppoſiti Diuini inhæret. Quam conſecutionem per modum proprietatis ſi extendas, vt intelligatur ſiue de effectu in ſeipſo, ſiue in ſuo principio ſufficientiæ, quod per ſe effectus præſupponat, omnis ſupernaturalitas tam ſtricta quàm lata comprehendetur, ne nobis opponas non aſſignari conceptum vniuocum omni ſupernaturalitati. Nihil enim eſt miraculoſum, quod in ſe non debeatur ſuppoſito Diuino, ſaltem in ſuo principio ſufficientiæ. Infero 2. conſequenter ad hanc definitionem, quòd differat ſupernaturalitas quoad modum, & quoad ſubſtantiam.

Proponitur definitio communis, & vniuoca omni ſupernaturalitati.

Supernat. quoad modum, & quoad ſubſtantiam.

Res dicitur ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, quæ intrinſecè, & quoad entitatem talis eſt, vt in ſe ad Diuinum *eſſe* nata ſit conſequi. Ad Diuinum inquam *eſſe*, vt ſæpius dixi, & in Diuino ſuppoſito, ſiue per identitatem talem, vt eſt Chriſtus, ſiue participatiuè, quale eſt ſuppoſitum habens aliquam proprietatem Deitatis, vt gratiam ſanctificantem, ita eſt ſupernaturalis vnio hypoſtatica, lumē gloriæ, viſio Dei, &c. ſupernaturalis quoad modum dicitur res quæ ſolùm in his circumſtantiis habet conſequi ex titulo Deitatis, talis eſt viſus reſpectu hominis cæci; proprium enim eſſet Deitatis aſſumentis naturam impeditam viſu, vt etiam contra exigentiam talis impedimenti viſus rediret.

39 Infero tertiò facillimè ex tota hac diſputatione ſolutionem ad rationes dubitandi in §. 6. Nam primò conſtat, quis ſit titulus in tantùm euehendi excellentiam ſupernaturalitatis, vt ex ſuo genere quodlibet ens ſupernaturale emineat naturali proportionato. Perfectio ſcilicet ex ſuo genere orta ob rationem proprietatis diuinæ; cum enim quò perfectior eſt eſſentia, perfectiores reſultent proprietates, neceſſariò erit omni entitate naturali perfectior ex ſuo genere proprietas, quæ ad eſſentiam ſupremam cōſequitur. in qua perfectione fundatur etiam exceſſus exigentiæ; & cauſalitatis. Implicat enim deberi, aut contineri in eſſentia inferiori ſufficienter proprietates naturæ ſuperioris. Vnde ſecundò conſtat, quæ ſit conditio *exceſſus*, quo ens ſupernaturale naturam ſuperat. Tertiò, quid intelligendum ſit nomine *Naturæ*, ſupra quam eſt ens ſupernaturale: intelliguntur enim hæc ſuppoſita creata de facto. Etenim vt ſupernaturalitas à Patribus exacta concedatur, ſolus hic exceſſus ſufficit qui optimè in mea ſententia explicatur. Nam eo ipſo quòd titulo Diuinæ proprietatis ſupra omnia ſuppoſita agentia, quæ de facto exiſtunt, aliquis effectus ſit; neceſſariò etiam omnem ſubſtantiam, quæ fingi poteſt naturalis ſuperabit. Cùm quo rurſus ſtat formaliter loquendo locus quæſtioni de ſubſtantia ſupernaturali creata; licèt enim ſupernaturalitas ſumatur ex ratione proprietatis conſecutæ ad Diuinum eſſe. Diſputationi adhuc ſubeſt, quin ſit implicatio formaliter in terminis; poſſit-ne talis proprietas etiam conſequi ad ſubſtantiam creatam, vti *eſſe loco motiuum*, quod conſequitur ad humanum *eſſe*, etiam eſt proprietas Angeli, item calor temperatus non minùs homini, quàm bruto connaturalis eſt: Non igitur obſtruitur locus diſputationi ſequenti.

DISPVTATIO XX.

Vtrùm ſit poſſibilis ſubſtantia ſupernaturalis creata.

SECTIO I. *Iudicia Theologorum & partis affirmantis fundamenta proponuntur.*

SECTIO II. *Defenditur ſententia poſſibilem negans ſubſtantiam ſupernaturalem creatam & primum eius fundamentum.*

SECTIO III. *Vrgetur aliter poſitum fundamentum.*

SECTIO IV. *Confirmatur vltimò fundamentum poſitum, & explicatur variis obiectionibus poſitis, & expoſitis.*

SECTIO V. *Alia fundamenta proponuntur, ſeu ex aliis capitibus arguitur pro verà ſententia.*

SECTIO VI. *Soluuntur argumenta poſita in ſectione prima.*

CONSEQVENS eſt hæc diſputatio præcedentis, tum vt morem geram communi Authorum ſtylo affirmantium vel negantium poſſibilitatem huius ſubſtantiæ iuxta ſupernaturalitatis conceptum ab ipſis poſitum, tum maximè, quia mihi etiam huius rei definitio deducenda eſt ex principiis præiactis. Priùs autem videamus quid alij ſentiant.

SECTIO I.

Iudicia Theologorum, & partis affirmantis fundamenta proponuntur.

PAtet Molina hìc quæſtione 12. art. 5. diſput. 2. primus ex recentioribus ſecutus Ioannem Maiorem diſput. 49. qu. 4. in quæſtionem adduxit, & vehementer inclinauit in poſſibilitatem ſubſtantiæ ſupernaturalis, licèt plenum ei dare aſſenſum formidauerit; eius propenſionem & formidinem imitati ſunt Pater Valentia, Becanus, Albertinus, Coninx, Herice, quos refert & ſequitur minùs formidoloſè Ripalda diſput. 23. §. 2. Fauet etiam huic ſententiæ Alarcon diſput. 2. cap. 10. num. 15. Qui Authores licèt ſi rationum momentis ſolùm agendum foret, omnino in repugnantiam talis ſubſtantiæ irent; fatentur tamen ſe detineri authoritatis pondere Scholaſticorum, qui ſua ſcripta prælo mandarunt ferè omnium. Quorum alij ſententiam contrariam *periculoſam* cenſent, vt Salas; alij *temerariam* vt Nazarius & Cabrera; quamuis iam omni cenſura libera ſit, poſtquam eruditè illuſtrata à Patre Ripalda, ab ipſoque, & aliis doctis recentioribus in publicis diſputationibus ingenioſè defenſa, fundataque his argumentis. 1

P. Molina. Ioannes Maior.

P. Valentia. Becanus. Albertinus. Coninx. Herice. Ripald. Alarcon.

Non ſine cenſura vt patet ex Salas. Nazario. Cabrera.

Primum ſit. Subſtantia illa eſt ſupernaturalis, cui connaturalis eſt ſeu propriis viribus debita gratia ſanctificans, vel aliud donū ex his, quæ modò agnoſcuntur ſupernaturalia, hoc apud omnes conſtat vt 2

Primum fundamentum ſuadens poſſibilitatem

Subſtantia ſupernaturalis. vt manifeſtum, etenim eo ipſo talis ſubſtantia erit eiuſdem ordinis cum gratia. Sed prædicta ſubſtantia creata non repugnat; ergo nec ſubſtantia ſupernaturalis: minor probatur primò. Quia ſubſtantia ad illam connexionē connaturalitatis non requirit infinitatem, cùm neque ex parte termini detur infinitas, nec modus habendi per connaturalitatem infinitatem arguat; etenim ipſi gratiæ vel lumini gloriæ, licèt finitis plura dona ſupernaturalia connaturaliter debentur; Vnde ſi cum limitatione, & imperfectione *accidentis* componitur ipſi deberi connaturaliter aliquid ſupernaturale, cur non componetur hoc cum *ſubſtantia*. Secundò coniunctum ex gratia & natura non eſt infinitum; Ergo poterit dari aliquid æquiualens tali coniuncto, licèt finitum ſit, ad æquiualendum; namque *finito* non requiritur infinitas. Tertiò non repugnat eſſe in vna ſubſtantia per naturam aliquid formaliter, vel æquiualenter perfectioni, quæ in alia natura eſt per gratiam & ſupernaturaliter, ſic Angelus per ſua naturalia habet comprehendere alium Angelum, ad quod ſolùm homo eleuatus per auxilium ſupernaturale valeret; vnde huic coniuncto ex intellectu hominis & tali auxilio eſt ſubſtantia Angeli indiuiſibiliter æquiualens; ergo ſimiliter alia ſubſtantia ſuperior dari poterit, quæ coniuncto ex natura & gratia licèt ſupernaturali æquiualeret.

3 *Secundum.* Secundum argumentum Supernaturalitas non repugnat cum gradu *ſubſtantiæ* vt ſic; Ergo neque cum gradu *ſubſtantiæ creatæ*. Antecedens probant quæ dixi diſputatione præcedenti, vt Deus ſit ſubſtantia ſupernaturalis. Conſequentia probatur primò. Quia ſi repugnaret ſubſtantia ſupernaturalis creata, vt ait Vaſquez diſputatione 44. numero 3. & alij relati diſput. 1. ſect. 2. pro prima ſententia, maximè quia deſtrueret conceptum *Supernaturalitatis ſimpliciter*, & abſolutè, quæ requirit nulli ſuppoſito eſſe connaturalem, At hoc iam vincitur hic. Secundò quia omnes perfectiones Diuinæ ſunt in gradu inferiori à creatura participabiles, ſic quia Deus eſt *immaterialis*, *intellectiuus*, &c. Colliguntur dari creaturæ immateriales, & intellectiuæ, modo ſibi proportionato, ſeruato alio altiori, & proprio ipſi Deo; ergo ſimiliter de ſupernaturalitate. Tertiò quia datur ſupernaturalitas per modum actus ſecundi in Deo, requirit actum primum radicalem, verbi gratia quia dantur quaſi paſſiones, & attributa *Sapientiæ*, *immenſitatis*, *volitionis*, &c. Quæ ſupernaturalia ſunt per modum actus ſecundi ſubſtantia ipſa Dei, cui connaturales ſint vt actui primo radicali, neceſſariò aſſignatur. Ergo cùm in creatis dentur actus ſecundi, & accidentia ſupernaturalia, etiam dari conuenit ipſis connaturale ſubiectum, ſeu ſubſtantia.

4 *Tertium.* Tertium argumentum, poſſibilis eſt ſubſtantia creata ſupernaturalis *modalis*, cui ſcilicet debeantur gratia ſanctificans, lumen gloriæ, *&c.* Ergo etiam erit poſſibilis ſubſtantia abſoluta ſupernaturalis. Antecedens patet in vnione Hypoſtatica, cui omnia bona ſupernaturalia debita ſunt; ipſa autem ſubſtantialis eſt, cùm faciat vnum ſuppoſitum per ſe. Conſequentia probatur primò. Quia ſi ſemel prædicatum ſupernaturalitatis non repugnat identificari cum ſubſtantia creata, nihil refert eſſe modalem vel abſolutam; nam vnio ſubſtantialis etiam eſt natura *vt quo*; vnde iam vincendum eſt, quòd ſupernaturalitati non opponatur eſſe alicui naturæ connaturalem. Secundò ſaltem hinc fiet poſſibilem eſſe ſubſiſtentiam ſupernaturalem; etenim ipſa eſt etiam ſubſtantia modalis, cùm à pluribus in modo conſtituatur. Admiſſa autem ſupernaturalitate in creata ſubſiſtentia, nemo illam negabit ſubſtantiæ abſolutæ. Tertiò poterit etiam dari forma ſubſtantialis ſupernaturalis, quæ ſcilicet ſit ſupra naturam ſui ſubiecti, licèt ipſi alia dona ſupernaturalia debeantur: nam ſi ſtat ſupernaturalitas in vnione, eo quòd ipſa vnio non debeatur humanitati, cui inhæret, cur idem dici non poterit de tali forma. Eo autem ipſo quòd forma aliqua ſit ita in ſubiecto vt ſuperet omnem eius exigentiam ſupernaturalis dicenda eſt vt patet in formis accidentalibus; vnde fit.

Quartum argumentum: Poſſibilis eſt ſubſtantia creata ſupernaturalis per modum formæ conſtituens vnum per ſe cum ſubiecto naturali, verbi gratia. Anima rationalis, quæ ſit ſupernaturalis; Ergò & ſubſtantia completa per ſe ſubſiſtens, conſequentiam nullus negat, Antecedens ſuadetur; talis Anima non repugnat primò quòd forma ſubſtantialis debeat eſſe eiuſdem ordinis cum materia; nam de facto Anima rationalis eſt ordinis ſpiritualis, & eius ſubiectum materiale. Nec ſecundò, quòd non poſſit informare ſubiectum, à quo connaturaliter non exigitur, cùm natura informetur ab accidentibus ſupernaturalibus, quæ non exigit. Nec Tertiò, quòd non eſſet ſupra naturam; nam ex accidentibus patet ſufficere ſupernaturalitati, ſi ſit ſupra naturam ſui ſubiecti, nec requiri quòd ſint ſupra totum ex ipſis & ſubiecto reſultans; Etenim ex hoc iam bene conciperetur illius formæ creationem alicui eſſe gratioſam, ad quod non exigitur vt ad integrum ſuppoſitum accedat, nam maxima gratia fuit communicatio Deitatis in Chriſto, cùm tamen Deitas ſuppoſito integro non ſuperuenerit; ergo nullo titulo repugnat anima rationalis ſupernaturalis. 5 *Quartum.*

Confirmatur: non repugnat actus ſubſtantialis, qui cum alia comparte efficiat vnum per ſe, licèt ſit ſuprà omnes vires, & exigentiam talis compartis, & omnium agentium naturalium; ergo licèt ſit ſupernaturalis, ſaltem phyſicè, conſequentia patet, nam creatio animæ rationalis ideò ſupernaturalis non eſt, quia à ſua comparte exigitur. Antecedens patet tum in verbo Diuino, quod cum humanitate facit *vnum per ſe*, non obſtante quòd ab illa non exigitur; tum etiam quia forma cæleſtis, quamuis naturaliter non exacta à materia ſublunari (quam pone diuerſæ ſpeciei) Diuinitus tamen poſſit ei ſubſtantialiter vniri; ergo idem dicendum de forma, quæ à nulla materia exigeretur; ſi enim ſtat ſemel vniri *per ſe* cum ſubiecto non exigente formam, quid refert hanc aliunde exigi, vel non exigi. 6 *Confirmatio.*

Contrariam ſententiam, quam veram exiſtimo, omnes authores qui publicæ luci ſcripſerunt abſolutè tuentur, ita vt neque eam Doctores citati §. 1. deſerere audeant, videantur antiqui apud Salas tom. 1. in 1.2. quæſt. 3. tract. 2. diſput. 3. ſect. 2. num. 11. verſu 2. *quia*: plures alij nouiores apud Ripaldam diſput. 23. ſect. 1. num. 1. quibus addo Nauarrete controuerſia 36. & 38. Azor tom. 1. inſtitutionum. moralium lib. 3. cap. 34. quæſt. 4. diſcalceatos hìc diſput. 3. dub. 2. num. 16. Meratium diſput. 15. ſect. 1. num. 6. Auerſam ſect. 6. concl. 1. Caſpenſem diſput. 4. ſect. 6. Denique videantur Ioannes de ſancto Thoma, Ioſeph. Auguſtinus, Franciſcus, Amicus, Iulius Cæſar Recupitus, Præpoſitus, 7 *Pars negatiua verior, ſunt pro ea omnes antiqui Doctores apud Salas, plures moderni apud Ripaldam, quibus accedunt.* Nauarrete, Diſcalceati. Meratius. Auerſa. Caſpenſis. Ioannes de S. Thom.

Ioſeph Aug. Franciſcus Amic. Iulius Cæſ. Recupitus. Præpoſitus.

Præpoſitus, cum aliis citatis diſputatione præced. initio.

Rationes tamen non ita manifeſtè hanc ſententiam conuincunt, quod & ipſi Doctores ingenuè fatentur, qui ideo cum Ariſtotele 1. Ethicorum,
8 cap. 3. *indiſciplinati* aiunt *ingenij eſſe in omnibus æqualem euidentiam, & demonſtrationem exigere.* Sufficiat nobis in clarum teſtimonium difficultatis inueniendi ſatis aptam pro noſtra ſententia argumentationem, illam nec Scoti ſubtilitati apparuiſſe; hic enim ſubtiliſſimus Doctor poſt ſæpe ſui ingenij acumine tentata argumenta vt probet repugnantiam ſubſtantiæ creatæ natura impeccabilis, quæ idem ſonat ac ſupernaturalis apud antiquos; tandem concludit in 2. diſput. 23. qu. vnica, verſu *Dico igitur, Teneo igitur propter authoritatem magis: quòd Deus non poteſt facere voluntatem impeccabilem per naturam.* Videndum tamen quæ ratio maiorem probabilitatem præſeferat.

Ariſtoteles. Scotus.

SECTIO II.

Defenditur ſententia negans poſſibilem ſubſtantiam ſupernaturalem creatam; & primum eius fundamentum.

Ariſtotelis prudens dictum.

9 EX nuper dictis in §. præcedenti apparet quantùm ſit authoritatis ſuffragium pro hac ſententia, quanti autem eſſe debeat ſapienter docuit Ariſtoteles 6. Ethicorum cap. 11. *Peritorum*, inquit, *hominum, & ſeniorum, & prudentum pronunciationibus, & opinionibus abſque demonſtratione, non minùs quàm demonſtrationibus attendendum eſt.* Item quidquid ſit de ſententiæ affirmantis immunitate ab omni merito rigidioris cenſuræ à qua iam omnino abſtinendum exiſtimo inclinantibus ipſi, imò fauentibus tam illuſtris ingenij iunioribus, licèt nouiſſimè Pater Recupitus lib. 6. de veritate Dei quæſt. 2. cap. 2. num. 3. ipſorum nec authoritate, nec argumentis impediatur, quin adhuc noſtram ſententiam *fidei proximam* appellet, *temeritatiſque* notâ aduerſantem inurat, ſed vt dixi quidquid de hoc ſit, cum ſaltem à nemine negetur pro nobis eſſe antiquorum, imò omnium peritorum, & prudentium commune pronunciatum, vel hoc ſine alia demonſtratione ſatis debet eſſe, vt probandæ repugnantiæ ſubſtantiæ ſupernaturalis creatæ incumbamus: quam etiam non leuiter mihi hoc fundamentum confirmat.

P. Recupit.

Haud leue fundamentum probans repugnantiam ſubſtantiæ ſupernaturalis creatæ.

10 Impoſſibilis eſt ſubſtantia creata, cui ſit connaturalis gratia ſanctificans, vel aliquod prædicatum tali gratiæ formaliter vel virtualiter æquiualens; ergo etiam cui ſit connaturale aliquod donum ſupernaturale; ergo abſolutè impoſſibilis eſt ſubſtantia creata ſupernaturalis, hæc conſequentia manifeſta eſt ex §. 2. antecedens latè infrà probabitur. Prima conſequentia, vel ex ſola paritate videtur manifeſta; etenim eadem excellentia, quæ datur in gratia, titulo cuius nequeat putæ creaturæ eſſe connaturalis; datur etiam in quolibet dono ſupernaturali, vt amplius alibi conſtabit, ſed vlteriùs hæc prima conſequentia probabitur.

Supernaturale omne eſt connaturale gratia.

11 Primò, quia toti ordini ſupernaturali eſt connaturalis gratia ſanctificans ſaltem in principio per ſe requiſito ad effectus quoſlibet ſupernaturalis ordinis, licèt enim non ſemper gratia ſit cónaturalis cuiuis effectui ſupernaturali, vt patet reſpectu actûs fidei credentis abſentiam gratię; at ſaltem eſt connaturalis principio per ſe requiſito, vel ſufficienti ad eliciendum talem actum, ſeu effectum ſupernaturalem, verbi gratia, habitui fidei, ſcientiæ, & virtum infuſarum connaturalis eſt gratia; quin miraculum ſit dono ſupernaturali coniunctio cum illa; aliàs enim gratia eſſet alterius ordinis à donis ſupernaturalibus; ergo ſi alicui ſubſtantiæ implicat connaturalem eſſe gratiam, etiam repugnabit ſupernaturalitas; fingere namque non licet ſupernaturalitatem alterius conditionis, ab ea, quam de facto cognoſcimus, niſi ſaltem proportionatè, & per analogiam ad iſtam. Secundò datâ ſubſtantiâ in aliquo ordine, licèt poſſint ipſi ſecundùm ſpeciem conſideratæ eſſe indebita aliqua accidentia talis ordinis, neceſſariò tamen illa accidentia ſaltem ſub altera ſubſtantia contineri debent; ita licèt aëri non debeatur lux; debetur tamen alteri ſubſtantiæ naturali, ſcilicet ſoli, & vniuerſaliter nullum accidens eſt naturale, quod alicui ſubſtantiæ naturali non debeatur, vel poſſit ſub naturali eius virtute contineri; ergo ſemel admiſſâ ſubſtantia ſupernaturali vel ipſi vel alteri perfectiori creatæ etiam omnia accidentia ſupernaturalia, & conſequenter gratia ſanctificans debita erunt formaliter vel æquiualenter.

Tertiò, denique probatur conſequentia, quia 12
vel talis ſubſtantia, cui connaturale eſſet donum ſupernaturale, foret *rationalis*, vel *irrationalis?* ſi irrationalis? nulla accidentia eidem debita dici poſſent ſupernaturalia, niſi quatenus vnio hypoſtatica, & à fortiori gratia tali ſubſtantiæ connaturaliter inhæreret, quidquid enim fingi poteſt, quantumuis excellens, in ſubſtantia purè irrationali, ſi ab vnione hypoſtatica præſcindatur, nullum titulum ſupernaturalitatis habet, eo ipſo quòd tali ſubſtantiæ ſit debitum, nam prædicta ſubſtantia, nec Theologicè nec phyſicè à ratione *Naturæ* euehi poſſet, magis quàm alius ſol, vel brutum poſſibile perfectius exiſtentibus.

Subſtantia ſupernaturalis rationalis neceſſariò erit indiſtincta à gratia.

Si verò ſubſtantia illa *rationalis* foret, etiam 13
poſſet eſſe volitiua, quamuis enim *intellectiuum* non arguat *volitiuum* ſemper in indiuiduo determinato, ſaltem arguit in genere, nullum namque eſt genus *cognoſcitiui* cui *volitiuum* proportionatum non poſſit cohærere, ita ſi dantur materialia, ſpiritualia & ſupernaturalia cognoſcentia; tot ſunt *appetitiui* genera; tunc ſic; talis ſubſtantia ſupernaturalis volitiua poſſet amare Deum, cùm enim hoc côncedatur naturæ, quidni ſupernaturalitati; ergo illi eſſet connaturalis habitus charitatis ſupernaturalis, ſaltem in æquiualenti, & eminenter, nam quid aliud eſt charitas, quàm facultas ſupernaturalis amandi Deum? ergo eſt connaturalis ei gratia ſanctificans: patet hæc conſequentia; quippe habitus charitatis, vel indiſtinctus eſt à gratia ſanctificante, vel ſaltem illam indiuiduè comitatur.

Antecedentis præfati varia probationes.

Antecedens illud, in quo difficultas præſens ma- 14
ximè verſatur, & quo euicto, nullum ſolidum reſtat argumentum pro ſupernaturali ſubſtantia, videlicet nulli ſubſtantiæ creatæ poſſe eſſe connaturalem gratiam ſanctificantem, variè probari ſolet primò ex Antonio Perez in Laurea Salmantina, certamine 4. Scholaſtico cap. 4. §. 57. quia amicitia debet eſſe *gratuita*, ſine vllo debito nec metaphyſico, nec naturali, nemini enim quis, etiam homo, neceſſariò eſt amicus, nec vllus ita natus eſt amicus alterius, vti ignis naſcitur calidus, ſed gratia eſt formaliter amicitia cum Deo, ergo omnino gratuito & ſupra omnem exigentiam creaturæ Deus illam infundit, & conſequenter

Prima ex Ant. Perez.

Quia gratia eſt amicitia, & hæc debet eſſe gratuita.

nulli poteſt eſſe connaturalis. Sed quia poteſt dici gratiam quidem non eſſe debitam tali ſubſtantiæ, ei tamen connaturaliter accidere, vt homini connaturalis eſt amicitia alterius, licèt non debita; vrgeo argumentum, quoniam non ſolùm ipſa amicitia, ſed nec ſtatus amicabilis, & aptus ad amicitiam ſtare poteſt, niſi inter æquales, vt docet Ariſtoteles 8. Ethicorum item 7. magnorum Moralium, cap. 11. *Amicitia*, inquit, *in quadam æqualitate conſiſtit*; ergo vt ſit aliqua ſubſtantia creata per ſuam naturam amicabilis cum Deo, deberet eſſe *æqualis naturæ*; ergo cùm hoc ſit impoſſibile, dicendum eſt ſolùm poſſe eſſe amicabilem amicitia omnino gratioſa, & ſupernaturali, quæ hanc æqualitatem non poſcit. Confirmatur; implicat ex eodem principio venire amicitiam, & ſeruitutem, ſic Ariſtoteles 8. Politicorum, cap. 6. negat amicitiam inter Dominum & ſeruum; & Chriſtus Dominus conſequenter ait: *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos*. Sed omnis ſubſtantia creata natura ſuâ & ſecundùm omnia, quæ ei connaturaliter debentur, eſt Dei *ſerua*, ergo non ex natura, ſed ſolùm omnino gratioſè poteſt ei accidere amicitia cum Deo.

Ariſt.

Ariſt.

15 *Secunda ex Recupito.* *Quia eſt forma remiſſiua iniuria diuinæ.*

Secundò arguit Recupitus ſuprà caput 5. nulli puræ creaturæ poteſt eſſe connaturalis remiſſiua forma iniuriæ factæ Deo, ſed talis eſt gratia, ideò definitur à Tridentino *cauſa formalis noſtræ iuſtificationis*; ergo. Maior probatur, tum quia nullus tenetur condonare ſuas inurias ſine ſatisfactione æquali niſi mere gratuito; tum etiam ſatisfactio æqualis pro iniuria Diuina nulli puræ creaturæ poteſt eſſe connaturalis; ſed excedit omnes eius vires, & exigentiam; ergo multò magis excedet forma ex ſe ablatiua talis iniuriæ ſine vlla ſatisfactione. Confirmatur admiſſa ſubſtantia, cui ſit connaturalis gratia ſanctificans, & poteſt admitti quæ talem gratiam in ſua virtute vt cauſa principali contineat, nam non requiritur maior perfectio ad continendum aliquem effectum per modum *virtutis*, quàm per modum *proprietatis*, & quidem omni effectui vnius ordinis correſpondere poteſt virtus actiua in tali ordine, ſic nullus effectus naturalis fingi poteſt, cui non poſſit correſpondere in aliqua ſubſtantia naturali virtus principalis ad eum producendum, maximè ſi non poteſt fieri per creationem, quam gratia non petit, vt dicam alibi; at repugnat creatura, cui ſit connaturalis virtus remiſſiua iniuriæ Diuinæ; etenim nullus habet facultatem remittendi iniuriam alterius, niſi vel ipſe iniuriatus, vel iniuriati Dominus; ergo.

16 *Tertia ex P. Torres.* *Quòd faciat Filium naturalem, ſi connaturalis eſt.*

Tertiò arguit Pater Torres; ſubſtantia, cui eſſet connaturalis gratia, foret filius naturalis Dei; ergo repugnat quòd ſit pura creatura. Antecedens probatur primò, filius naturalis eſt, *qui naturaliter habet ius ad hæreditatem*; ſed ſubſtantia habens connaturaliter gratiam, habet connaturaliter ius ad hæreditatem, ſcilicet ad gloriam; tale enim ius fundatur in gratia. Secundò. Illi ſubſtantiæ titulo gratiæ conueniret Filiatio Dei, non adoptiua; etenim *adoptio gratis tribuitur*. Verba ſunt Concilij Francofordenſis in ſacro ſil. col. 5. *Quoniam non ex debito; ſed ex indulgentia tantummodo adoptio præſtatur*; ergo Filiatio illi ſubſtantiæ debita naturalis eſſet. Tertiò gratia facit nos Filios adoptiuos; ergo in ſe ſoli debita & propria eſt Filij naturalis; conſequentia probatur, nam Filiatio adoptiua petit formaliter ius ad hæreditatem, & affectum Paternum proprium Filij naturalis ſi autem gratia non ſit propria ſolius Filij naturalis, ſed

Conciliis Francoford.

communis extraneo; titulo illius non excitabitur in Deo affectus proprius Filij naturalis, quomodo namque dicetur quis tractari & amari modo proprio Filij, ſi affectus ſit communis ſeruo? Confirmatur Pater per Filiationem adoptiuam reſpicit *extraneum* tanquam *Filium naturalem*; ac ſi eſſet verè Filius; vnde in humanis adoptans quaſi fingit adoptatum vt verum Filium; ergo cùm hæc fictio in Deum non cadat, vt Deus reſpiciat iuſtum, tanquam Filium verum, opus eſt, vt videat in ipſo aliquid proprium Filij naturalis, & veri ratione gratiæ per quam adoptat.

Hæ tamen probationes omnino non conuincunt: ad primam in §. 14. reſponderi poteſt per gratiam ſolùm fieri ſubiectum *congruum* Diuinæ amicitiæ ſupernaturalis, ſicut per naturam integram eſt homo *congruus* amicitiæ naturalis; vnde ſicut hæc congruitas non obſtat inæqualitati ſeruitutis, ſeu quominùs homo poſſit habere cum Deo amicitiam naturalem, ameturque à Deo mutuo propter ſe amore beneuolentiæ, quidquid ſenſerit Ariſtoteles, ita in præſenti exiſtimari poſſet in ſubſtantia poſſibili. Ad ſecundum in §. 15. reſpondee faciliùs permitti oppoſitionem cum peccato per modum formæ, quàm per modum ſatisfactionis, etenim hæc nec ſupernaturaliter poſſibilis eſt à pura creatura, ſecus illa. Deinde dico gratiam vt remiſſiuam non fore connaturalem illi ſubſtantiæ; nam ad hoc requiritur, quòd etiam poſt peccatum naturaliter deberetur gratia tali ſubſtantiæ, vel virtus ad gratiam producendam in peccatore, hoc autem non haberet, cùm titulo reſiſtentiæ propè infinitæ peccati contrarij virtus illa effectiua impediretur; ſicut aqua licèt productiua frigiditatis eam producere non valet vrgente reſiſtentia maiori caloris; quare ſemper maneret proprium Dei ſuas iniurias condonare. 17 *Non placet Perez.*

Ariſt. *Impugnatur Recup.*

Ad tertium in §. 16. illi ſubſtantiæ non conueniret Filiatio naturalis, quia non fundaretur in ſimilitudine ſpecifica naturæ, vnde eſſet adoptiua licèt non eo genere adoptionis, quod de facto contingit purè gratuito, nam hoc non requiritur; etenim adoptio benè ſaluatur in iure ad hæreditatem Filij inuento in perſona diuerſæ naturæ: ſic ſecundus gradus gratiæ verè adhuc eſt Filiatio adoptionis, licèt ex debito meritorum de condigno detur, idemque eſſet licèt ex phyſica connexione ſequeretur ad primam gratiam, cùm conceptui gratiæ iuſtificantis non magis obſit debitum phyſicum, quàm morale, eſt inquam Filiatio adoptionis ex eo præciſè, quòd perſonæ non habenti naturam Diuinam conferatur. Illa autem ſubſtantia non eſſet naturæ Diuinæ, etſi connaturaliter haberet gratiam. Item adhuc admiſſa hac ſubſtantia poſſibili, bene diceretur nobis per gratiam dari aliquid *proprium Filij* naturalis (licèt gratia connaturalis eſſet alteri, non verò Filio) non quidem quia alteri à Filio naturali non conueniat, ſed quia ius quod natiuitas, & identitas naturæ fundat in vero Filio & naturali, hoc fundat in nobis gratia, ſiue inueniatur in aliis à Filio naturali, ſiue non, & quoniam ratione huius iuris, Deus nos vocat ad hæreditatem, dicitur amare *vt filios*, quin neceſſaria ſit aliqua fictio. 18 *Reyeitur Torres.*

Non eſt omittenda alia probatio illius antecedentis ſatis ad ſpeciem vrgens, ne vlli ſubſtantiæ creatæ connaturalis paſſio, vel proprietas poſſit eſſe gratia ſanctificans. Nulli ſubſtantiæ debetur proprietas perfectior ipsâ, vt inductio oſtendit in omnibus proprietatibus, nam proprietas debetur titulo 19

titulo excellentiæ dignitatis ſubiecti; res autem non eſt digna neque illi debetur aliquid excellentius ipſa; quid? quòd proprietas manet ab eſſentia, nequit autem ab imperfecto effectus perfectior manare; tunc ſic, ſed gratia eſt perfectior quàuis ſubſtantia creata poſſibili, ità Molina, Valentia, Granad. Aragon. apud Ripaldam diſput. 21. ſect. 1. Fauetque Auguſtinus 15. de Trinitate cap. 18. & ſermon. 15. de verbis Apoſt. *Melius eſt iuſtum eſſe quàm hominem eſſe, ſi hominem te fecit Deus, & iuſtum tu te facis, melius aliquid facis quam fecit Deus.* Et S. Thom. q. 113. 1. 2. a. 9. ad 2. abſolutè ait bonum gratiæ eſſe maius, quàm bonum naturæ totius vniuerſi.

(Molina. Valentia. Granado. Aragon. apud Ripald. Ripald. D. Auguſt. S. Thomas.)

20 *Acuta calculatio.* Probaturq; hac calculatione: homo cum gratia eſt duplò perfectior, quàm ea ſubſtantia ſecundùm ſe, carens ſaltem Diuinitus gratia, cùm tamen homo aliàs ſeorſim acceptus imperfectior ſit; ergo accrementum gratiæ eſt maioris perfectionis quàm illa ſubſtantia; patet hæc conſequentia, nam ex additione alicuius nequit res minor creſcere duplò, niſi additamentum ſit maius, quàm res, vt per ſe patet ex quantitate, verbi gratia, ſit quantitas vnius palmi, vt aſſurgat in quantitatem duplò maiorem, quàm vlna, quæ eſt menſura quatuor palmorum, neceſſarium eſt vt additamentum ſit maius quàm vlna; ſit ſcilicet ſeptem palmorum, quibus & ſuppleat minoritatem primæ quantitatis palmaris, & addat duplum exceſſum ſupra vlnam. Iam antecedens probatur; illi homini cum gratia Deus maiorem duplò impendit amorem, cùm amor amicitiæ aliis excellat, maior autem amor Dei maiorem perfectionem arguit, cùm ipſe bonus ſit rei æſtimator quamcunque rem diligens iuxta propriam dignitatem; ergo gratia ratione ſui duplò auget perfectionem hominis ſupra omnem ſubſtantiam creabilem. (Idem argumentum fit, ne viſio Dei ſit ſubſtantiæ connaturalis, quia duplò auget perfectionem, cùm duplò conducat ad maiorem felicitatem, & beatitudinem.) Conſequentia hæc probatur; nam ita verum eſt quòd Deus magis amat titulo gratiæ hominem, & quòd homo cum viſione magis beatus, & felix eſt ſupra illam ſubſtantiam poſſibilem perfectam, verbi gratia, vt quinquaginta vt licèt duplo creſceret ſubſtantia ſecundùm ſe ad centum; adhuc amor Dei erga hominem, eiuſque beatitudo maior foret, quod euidens ſignum eſt amorem duplò maiorem fuiſſe, & conſequenter perfectionem gratiæ.

21 *Improbatur.* Hæc tamen probatio adhuc non conuincit primò; quia inſtatur in habitu naturalis amicitiæ cum Deo, duplò enim ſuperat in ordine ad excitandam Diuinam complacentiam homo cum hac amicitia naturali, quàm alia ſubſtantia, licèt in ſe perfectiſſima, ſi ab hac amicitia præſcindatur. Secundò ſoluitur, ſi dicas ſubſtantiam ſeipſa eſſe gratiam, ex hoc enim iam ipſa condignæ excellentiæ, & perfectionis erit, vt poſſit habere tanquam proprietatem gratiam accidentalem (quatenus eſt ordinis amicabilis, non quia in actu ſecundo cogat ad amicitiam vt dixi §. 17.) Tertiò, illa calculatio nil probat, nam ab æſtimatione morali, & in quodam determinato genere tranſit ad phyſicam & abſolutam, quod nihil valet, tum quia ſic omnis actus fieret perfectior ſuo principio & ſubſtantia, nam ſine dubio duplò plus placet Deo homo actu illum amans in actu ſecundo, quàm quilibet actus primus. Item viſio in actu iuxta hunc Authorem feliciorem duplò reddet hominem quàm lumen præciſè, cui tamen cum homine nemo viſionem prætulit ne faciamus effectum perfectiorem ſuâ causâ; tum etiam quia eodem modo probo è contrà ſubſtantiam hominis eſſe meliorem gratia; nam *homo iuſtus* magis amatur à Deo, quàm duo gradus gratiæ, vel etiam centum ſecundùm ſe; etenim cum his Deus non gerit amicitiam, nec communicat ſuam beatitudinem, vt cum homine. Denique vnio gratiæ eſſet multò perfectior, magis enim ſibi complacet Deus in vno gradu gratiæ inhærente homini, quàm in coniuncto ex homine & mille gradibus ſeparatis. Igitur ad argumentum reſpondeo, gratiam eſſe perfectiorem æſtimatione morali, non verò phyſicâ & entitatiuâ, ſiquidem in ſua entitate ſecundùm ſe tantam æſtimationem non meretur vnde ſolùm *ſecundùm quid* excedit omnem ſubſtantiam, non verò ſimpliciter, ſicque intelligendi ſunt Patres, vt expreſsè tenet S. Thomas 1. diſtinct. 17. quæſt. 1. art. 2. ad 3. Scotus, Ricardus, Fonſeca, Suarez, Vaſquez, Salaz, & alij cum Ripalda, diſput. 21. num. 6.

(S. Thomas. Scotus. Ricardus. Fonſeca. Suarez. Vaſquez. Salas. Alij cum Ripald.)

His ergo omiſſis ex conceptu ſupernaturalitatis poſito diſputatione præcedenti ſic probo gratiam ſanctificantem nulli ſubſtantiæ puræ creatæ poſſe eſſe connaturalem; gratia ſanctificans eſt proprietas conſecuta ad Diuinum eſſe communicatum humanitati Chriſti Domini, ſed proprietas ſic conſecuta ad Diuinum eſſe nulli puræ creaturæ poteſt eſſe connaturalis, neque in ſe neque in alio formaliter, vel virtualiter æquiualenti: Ergo nulli ſubſtantiæ puræ creaturæ poteſt eſſe connaturalis gratia. 22 *Specialis ratio, cur gratia ſanctificans nulli ſubſtantiæ purè creatæ poſſit eſſe connaturalis, perfecto clauditur ſyllogiſmo.*

Maior prorſus communis eſt omnibus Theologis; licèt enim varient in modo quo gratia à Diuino eſſe ſic communicato dimanet, ſit-ne per veram efficientiam ab vnione hypoſtatica, vel ab ipſa perſonalitate, omnes tamen conueniunt ſtrictam rationem *proprietatis* ſortiri, eiuſque titulo connaturaliter exigi à Chriſto Domino, ita S. Thomas cum Auguſt. 3. part. quæſt. 7. art. 13. ad 2. *Gratia habitualis non intelligitur vt præcedens vnionem, ſed vt conſequens eam, ſicut quadam proprietas naturalis; vnde & Auguſtinus dicit in Enchiridio, quòd gratia eſt quodammodo Chriſto homini connaturalis*: idem explicat latiùs in corpore concludens, *vnde gratia habitualis Chriſti intelligitur vt conſequens hanc vnionem, ſicut ſplendor ſolem*, item Baſilius in Pſal. 44. *Propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ* ponens differentiam inter Chriſtum Dominum, & alios homines; quòd *alij labore, & exercitatione, hoc* (*ſcilicet ſanctitatem vtique* per gratiam) *aſſequuntur, Chriſto autem naturalis eſt ad boni proſecutionem proprietas.* Vide Toletum notatione 41. in cap. 1. Ioann. Granad. controuerſ. 1. de Incarnatione diſput. 3. Lugo diſput. 16. §. 100. qui dicit ab omnibus concedi gratiam eſſe Chriſti paſſionem, Valentiam qu. 7. punct. 1. verſu *fateor tamen.* Suarez diſp. 18. ſect. 3. qui pro hac ſententia adducit Cyrillum, Dionyſium Alexandrin. Damaſcen. Concil. Francofurd. epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, pluresque alios recentiores, imò omnes, qui ideò cum S. Thoma 3. part. quæſt. 7. art. 3. tuentur gratiam habitualem non eſſe priorem, ſed conſequentem ad vnionem hypoſtaticam, quia eſt illius proprietas. 23 *Theologorum & Patrum fulcitur ſuffragio.*

(S. Thomas. cum Aug. Baſilius. Toletus. Granadus. Lugo. Suar. Cyrillus. Dionyſ. Alexand. Damaſcen. Concilium Francofur. Recentes cum S. Th.)

Ratioque eſt manifeſta, nam illud comparatur vt proprietas alicuius formæ, vel quaſi formæ vnitæ ſubiecto, quod ob dignitatem talis formæ, ita debitum eſt, & exactum, vt ſine phyſica improportione, & diſſonantia negari nequeat; Sic potentiæ cenſentur animæ proprietates, 24 *Suadetur etiam ratione.*

tates, calor ignis, *&c.* Sed gratia debito connaturalitatis ſequitur ad Diuinum *eſſe* communicatum humanitati ob dignitatem, & excellentiam phyſicam formæ, vel quaſi formæ illi vnitæ, ſcilicet Deitatis, nec enim minùs improportionatè exiſteret Diuinitas in Chriſto ſine gratia, & donis ſupernaturalibus, quàm ipſa natura humana ſine potentiis ad ſuas operationes naturales, quàm ignis ſine calore; nec minùs proprium eſt Diuinitatis afferre gratiam, quàm ignis calefacere; ſtatim enim admirationem excitaret omnibus cum Damaſceno humanitas vnita Deitati, & carens gratia; *nam ſi verè vnita eſt verbo Dei caro* (verba ſunt Damaſceni lib. 3. de fide cap. 22.) *quomodo non perfectè ditata eſt omni ſapientia, & gratia:* Quæ admirationis excitatio ſignum eſt connaturalis connexionis, cum gratia vt cum proprietate, ſiquidem ſine miraculo vinci nequit ea connexio, vti quòd ignis in rubo non comburat; Ergò gratia ad Diuinum *eſſe* ſequitur in Chriſto vt proprietas. Confirmatur, omni formæ communicatæ ſubiecto debitæ ſunt aliquæ proprietates, quibus ſuppoſitum, in quo eſt, perficiatur, ſic ignis affert calorem aqua frigiditatem, *&c.* Ergo huic nouæ quaſi formæ, & compoſito, quod reſultat ex communicatione Diuinitatis, aliquæ proprietates conſequi debent, at nulla ſtrictior eſt, quàm gratia; ergo.

25 *Minor probatur.* Minor propoſitio quòd ſcilicet gratia, ſi eſt proprietas conſecuta ad Diuinum *eſſe*, nulli alteri poſſit eſſe connaturalis; probatur, proprietas proportionatur, & commenſuratur cum eſſentia rei, vt creſcat proprietatis excellentia pro maiori perfectione eſſentiæ, ad quam conſequitur; id eſt manifeſtum, tum inductione proprietatum, quas videmus, imo non aliunde habemus argumentum eleuandi perfectionem eſſentiæ, niſi ob proprietatum excellentiam, hinc putamus hominem perfectiorem leone, ignem terra perfectiorem, quia proprietates & operationes in ipſis experimur magis perfectas, tum etiam quia proprietates explicant conditionem eſſentiæ, in qua huius natura quaſi reſplendet, item datur ex meritis phyſicis & dignitate eſſentiæ; ergo neceſſarium eſt vt creſcat pro menſura perfectionis eſſentiæ. Tum ſic, ſed implicat eſſentia purè creata, quòd tantæ dignitatis, perfectionis, & excellentiæ ſit, quantæ eſt ſuppoſitum Chriſti Domini, ergo & cui gratia ſit paſſio connaturalis.

26 *Aduerſus præmiſſum ſyllogiſmum argumenta contraria.* Sed antequam vlteriùs procedamus in maiorem explicationem, & confirmationem rationis poſitæ, vt quælibet præmiſſa ex ſyllogiſmo poſito in §. 22. in vero & germano ſenſu ad præſens accipiatur attendendæ ſunt, & audiendæ hæ obiectiones contrà quamlibet propoſitionem præmiſſam.

27 *Arguitur contra maiorem. Primò.* Et imprimis contra propoſitionem maiorem, quòd ſcilicet gratia ſit proprietas conſecuta ad Diuinum *eſſe*, obiicitur primò. Gratia non eſt proprietas conſecuta, & debita vi vnionis hypoſtaticæ, vt enim dicam ſect. 4. in fine non eſt proprietas vnionis, ſed Perſonalitatis Verbi, alioqui non eueheretur ad tam altum gradum ſupra omnem ſubſtantiam creatam: tum ſic, ſed ipſi perſonalitati etiam vt communicatæ, & vnitæ deberi non poteſt, nec poteſt dici, quòd conſequatur ad *eſſe* diuinum communicatum, ex exigentia, quam habeat Verbum ad talem gratiam; ergo gratia non eſt proprietas diuini *eſſe* etiam vt communicati. Conſequentia patet, quia id quod conſequitur, vt proprietas alicuius conſequitur, & dimanat ad eius exigentiam, vt patet in omnibus proprietatibus, ſic calor debetur exigentiæ ignis, potentia ad exigentiam animæ, &c. Minor propoſitio in qua ſola eſt difficultas, quòd ſcilicet gratia non detur ad exigentiam Verbi, ſuadetur, quia aliàs Chriſto nec de potentia abſoluta poſſet negari gratia habitualis: nequit enim agi contra exigentiam Verbi, vti nequit ipſi fieri violentia, tolli autem ab aliquo id, quod ipſi debetur, ab ipſoque exigitur, genus quoddam violentiæ eſt. Confirmatur; nequit ſubſtantia ſpoliari ſuis proprietatibus ſine violentia: ſic ignis pateretur violentiam ſi ſpoliaretur calore. Item anima ſi ab ipſa tollerentur potentiæ, & lapis ſi extra centrum exiſteret, &c. ergo ſi gratia foret proprietas Chriſti. Chriſtus ſine gratia foret in ſtatu violento, ſeu eius exigentiæ inferretur violentia. Tunc ſic, ſed Chriſtus non patietur violentiam ſecundùm humanitatem, vel ſecundùm vnionem, ſiquidem neutrius eſt gratia proprietas, ſed ſolius Verbi; ergo Verbum ſaltem vt communicatum ſtaret in ſtatu violento ſine gratia; quod neutiquam dicendum eſt, vt dicam in tract. de Incarn. *Confirmatur.*

Secundò aliter oſtenditur quòd gratia non ſit proprietas ſuppoſiti Diuini, ex natura, & conditione ipſius gratiæ; hæc enim talis eſt vt non exigat Diuinum ſuppoſitum, imo non minùs eſt gratuitum, & liberale donum ſupra omnem ordinem gratiæ vnio hypoſtatica, quam ſit ipſa gratia habitualis ſupra ordinem naturæ. Atqui omni proprietati connaturaliter, & ex debito debetur tanquam connaturale ſubiectum ſubſtantia, & ſuppoſitum cuius eſt proprietas, ſic calori debetur ignis, luci ſol, quin aliquis fingat nouum, & preternaturale opus fieri ſi calori adiaceat ignis, &c. Ergo cùm Verbum Diuinum, etiam vt vnitum, ſit ſupra omnem exigentiam, & connexionem debiti gratiæ, iſta non eſt cenſenda proprietas Verbi ſic communicati, & vniti. 28 *Arguitur ſecundò.*

Tertiò, licèt gratia non ſit proprietas, reſtabit aliud donum non commune puro homini. Primò negatiuum; excludere omnem imperfectionem tam phyſicam vt fidei, quæ in Chriſto non eſt, quàm moralem, peccati etiam venialis, quod gratiæ non repugnat, ſicut Chriſto. Secundò, donum in genere moris, vt ſatisfacere pro mortali, habere valorem infinitum meritorium. Tertiò, donum etiam phyſicum reſtat aliud proprium Chriſti præter gratiam; nam virtus patratiua miraculorum omnium non eſt annexa gratiæ; ergo quantumuis gratia deberetur ſubſtantiæ purè creatæ non ideo debetur virtus patratiua miraculorum, & conſequenter aliquod donum proprium Chriſti reſtabit. Confirmatur, nam licèt gratia ſola ſit communis ſubſtantiæ purè creatæ, at ſaltem non eſt communis gratia vt coniuncta cum iis omnibus donis relatis, nempe cum excluſione omnis imperfectionis cum valore infinito merendi, & ſatisfaciendi pro mortali, cum virtute patratiua miraculorum, quæ collectio, & coniunctio maioris perfectionis, & æſtimationis eſt, quàm gratia ſola, pro eleuanda autem perfectione alicuius ſubſtantiæ ſufficit, ſi fundet proprietates, quę vt collectæ nequeunt in inferiori reperiri, licèt poſſint ſeorſim; ſic calor eſt proprietas ignis vt additus, & coniunctus cum aliis ſeptem gradibus, non autem ſecundùm ſe; ſic enim mixta etiam calorem exigunt. 29 *Tertiò.*

Quartò, ſi gratia eſſet proprietas Diuini ſuppoſiti, eam Diuinum ſuppoſitum afferret vbicumque 30 *Quartò.*

& cui

& cuicumque communicaretur, nam proprietas ſequitur ſubſtantiam, ſeu eſſentiam, cuius proprietas dicitur, vt calor ignem. At poteſt ſuppoſitum diuinum communicari, quin afferat gratiam, vt ſi communicaretur naturæ irrationali, vt plures poſſibile admittunt; ergo gratia non eſt proprietas Diuini *eſſe*, ſeu ſuppoſiti communicati. Quintò id quod poteſt eſſe proprietas conſequens aliquod *eſſe* ſubſtantiale, poteſt etiam eſſe diſpoſitio antecedens, vt patet in calore reſpectu ignis, quem antecedit vt diſpoſitio, & etiam conſequitur vt paſſio; ſic etiam actus charitatis, & diſponit, & conſequitur ad gratiam. Atqui gratia non poteſt eſſe diſpoſitio ad *eſſe* diuinum communicandum; ergo nec conſequi vt proprietas ad ipſum communicatum. Sextò, vbi non eſt poſſibilis proprietas adæquans dignitatem moralem meriti, neque adæquans dignitatem phyſicam exigentiæ phyſicæ. Id patet in naturalibus; nam vti adæquat proprietas naturalis dignitatem phyſicam eſſentiæ naturalis, ita præmium purè naturale adæquat dignitatem naturalis meriti: ſic etiam præmium ſupernaturale ſatisfacit ſupernaturali merito, ſicut & proprietas ſupernaturalis exigentiæ phyſicæ ſupernaturali. Tunc ſic, ſed dignitatem meritorum Verbi etiam vt communicati nullum præmium adęquat; ergo nec phyſica proprietas.

Quintò.

Sextò.

31 *Quo ſenſu gratia ſit proprietas Verbi vt vniti.* S. Thomas

His omnibus occurretur, ſi notes me nolle ſtatuere, quòd gratia ſit ſtricta proprietas Verbi, ſed *quaſi*, & *quodammodo* vt loquitur S. Thomas, & alij PP. citati §.23. hæc autem proportio *proprietatis* conſiſtit in eo, quòd ſine miraculo vinci nequeat connexio, qua verbum affert gratiam, nec per ſe loquendo minùs bona ſit hæc conſequentia. *Verbum communicatur humanitati; ergo eam ditat omni gratiâ, & ſapientia*, quàm iſta alia conſequentia *exiſtit ſol; ergo illuminat*, Vt noto cum S. Damaſceno citato §.24. & S. Thomas explicat 3. part. quæſt. 7. art. 13. dum probans qualiter gratia habitualis ſit proprietas Chriſti, concludit in corpore huius articuli ſic: *Vnde gratia habitualis Chriſti intelligitur vt conſequens hanc vnionem, ſicut ſplendor ſolem.* Præcisè ergo in hac connexione, & naturali ſequela, qua Verbum communicatum infert gratiam conſiſtit tota ratio, qua gratia comparatur vt proprietas reſpectu Verbi, non quia Verbum perficiatur, aut compleatur per gratiam; & ideo Verbo etiam vt vnito nulla violentia infertur, in ſeipſo, nam vnio forſan violentiam patitur) dum negatur gratia: quia nulla res patitur violentiam ex eo quòd negetur illi id à quo nec perficitur, nec completur, nec vllo modo melioratur in ſe vel in aliquo bono vel operatione ſua: quomodo namque triſtabitur quis, ſeu manebit violentus ex eo quòd ſpolietur re, qua nullo modo indiget, quæ ſua nihil protſus intereſt.

S. Damaſc. S. Thomas

32 *Fit ſatis argumentis contra propoſitionem maiorem.*

Ex quibus ſic intellecta maiori propoſitione præmiſſa, qualiterque conueniat gratiæ habituali reſpectu Verbi, ſeu diuini *eſſe* cõmunicati eſſe proprietatem, manifeſta patet ſolutio ad primam obiectionem in §.27. Item & ad ſecundam in §.28. ſiquidem iam opus non eſt, quòd gratia imitetur alias proprietates in eo quòd violenter ſine illis exiſtat earum eſſentia: vel in eo quòd è conuerſo ipſis proprietatibus debeatur coniunctio cum ſua eſſentia, ita vt ex natura rei neceſſariò connectantur cum eſſentia à qua dimanant; non enim ita comparatur gratia cum vnione hypoſtatica, vt bene probat ſecunda obiectio; licèt negandum non ſic connaturalius, ſeu magis conſonè, & proportionatè exiſtere gratiam in Chriſto, quàm in aliis ſubiectis, vt notaui diſp. præcedent. ſect. 4. num. penult. in fine. Præterea opus non eſt vt gratia imitetur alias proprietates in eo quod ſequatur ad Verbum vbicumque ſit, vti calor ſequitur ignem, nam cùm Verbum poſſit variè, & variis naturis vniri ſolùm iuxta vnionis conditionem, & naturarum capacitatem, debet vel non debet ſequi gratia, ſic vnionem animæ in auribus ſequitur potentia auditiua, ſecus in pede. Per quod patet ad quartam obiectionem in §. 30. Ad 5. in eodem §. diuerſa ratio eſt de proprietate, ac de diſpoſitione reſpectu vnionis hypoſtaticæ, licèt in naturalibus eadem ſit ratio, cuius diſcriminis rationem vide apud S. Thom. 3. part. quæſt. 7. art. 13. ad ſecundum, mihi enim ſufficit quòd gratia non ſit in omni rigore proprietas præterquamquòd in ordine doni, & liberalitatis (qualis maximè reſplendet in vnione hypoſtatica) rectè ſtat donum nulli diſpoſitioni inferiori deberi, licèt è contrà res inferior tanquam proprietas conſequatur, ſeu tali dono debita ſit; ſic nulli rei naturali debetur ſupernaturale donum è contrà verò huic dono natura debetur ſaltem vt ſubiectum. Ad 6. de diſcrimine inter proprietatem æquantem moraliter, vel phyſicè dicam ſect. 4. ad 8. obiectionem.

Quartò & quintò. S. Thom.

33 *Reſpondetur ad tertiam obiectionem in §. 29. & oſtenditur nullam proprietatem ſoli Chriſto conuenire, ſi poſſit gratia eſſe connaturalis puræ creaturæ.*

Contra minorem propoſitionem præmiſſam in §. 22. nempe proprietatem conſequutam ad diuinum *eſſe* non poſſe eſſe communem puræ creaturæ maximè militat 3. obiectio in §.29. ex quo conſtat poſſe aliquid proprium dari in Chriſto, licèt gratia ſit communis, & connaturalis puræ creaturæ. Sed vt tam hæc quàm aliæ obiectiones, quæ fieri, poſſunt, accipiant ſolutionem, ſic illa propoſitio minor accipienda eſt, vt proprietas *poſitiua ſumma* quæ conſequitur phyſicè ad diuinum *eſſe* nequeat conſequi ad *eſſe* creatum; etenim ſic experimur, quòd creſcat proprietas phyſica *poſitiua* pro maiori excellentia eſſentiæ, & ſimiliter eſſentia, quò excellentior eſt, eò perfectiores proprietates poſitiuas phyſicè fundat. Vnde patet ad primam inſtantiam, & 2. in §.29. Ad 3. de virtute patratiua miraculorum, permitto illam formaliter non fore proprietatem puræ creaturæ quantumuis ipſi foret gratia connaturalis, ſicut de facto homini puro quantumuis iuſto non eſt debita virtus miraculorum, at iam puræ creaturæ perfectiori poſſet conuenire proprietas æqualis Chriſti proprietati, verbi gratia debeatur Chriſto gratia vt mille vt coniuncta cum virtute miraculorum, fateor non fore æqualem creaturam, cui deberetur tantùm gratia vt mille; nam ſine dubio ſicut profectior etiam intenſiuè eſt virtus, quæ poteſt efficere plures effectus (plures inquam effectus finitos, nam cùm in hoc caſu potentia vt formaliter ad vnum effectum ſit finita addita & coniuncta per identitatem cum potentia ad alium effectum faciet quid maius etiam *intenſiuè*) ita perfectior eſt eſſentia cæteris paribus, quæ fundat plures proprietates finitas, ſeu paſſiones. Bene hoc ſit; at ſi puræ creaturæ poteſt deberi gratia vt mille, cur non poterit aſſignari alia excellentior, cui debeatur gratia vt bis mille. Hæc autem creatura quantumuis careret virtute patratiua miraculorum longè excellentior eſſet; quàm ſi cum gratia vt mille ea virtus deberetur, nam exceſſus gratiæ etiam vnius non ſolùm adæquat, ſed præſtat longè virtuti patrandi quæcumq; miracula; ergo iam puræ creaturę licèt non formaliter ſaltẽ æquiualẽter poſſet conuenire proprietas

æqualis, imo perfectior proprietatibus, quæ conſequuntur ad diuinum *eſſe* cõmunicatum inChriſto.

34 Sed iam vlteriùs abſolutè obiici poteſt contra illam propoſitionem minorem, vt probetur poſſe proprietatem conſecutam ad Diuinum *eſſe* conuenire connaturaliter puræ creaturæ. 1. Nam hæc gratia, quæ vt proprietas dicitur conſequi, non conſequitur dignitatem Verbi ſecundùm ſe, vt ſæpe dixi, ſed Verbi *vt vniti*; vt ſic autem non eſt opus vt ad *eſſe* perfectius perfectiores proprietates conſequatur. Id patet primò; nam ſi verbum vniretur naturæ igneæ ad illud non conſequeretur proprietas rationalis, ſed irrationalis, & purè phyſica, & conſequenter, minor quàm ſit potentia intellectiua, quæ conſequitur *eſſe* humanum; quod tamen longè inferius eſſet illo ſuppoſito Diuino igneo. Secundò patet de facto in anima rationali, quæ quando vnitur corpori, non fundat proprietatem meliorem, quàm eam, quæ conuenit aliis animabus imperfectioribus. Quis dubitet poſſe dari viuens irrationale, quod melioribus conſtet proprietatibus materialibus, quàm ſint materiales ſenſus, potentiæ, vel diſpoſitiones organizæ quæ in homine inueniuntur? Tertiò eſt ratio à priori; nam vbi forma ſecundùm ſe non petit proprietates, ſed vt vnita, vel vt in ſubiecto ratione vnionis, vel capacitatis ſubiecti poteſt coarctari vt non explicet totam ſuam excellentiam; ergo non eſt neceſſarium vt proprietas conſecuta ad Diuinum *eſſe* non poſſit eſſe communis inferiori eſſentiæ puræ creaturæ.

35 Secundò contra eamdem propoſitionem minorem præmiſſam obiicitur poſſe proprietatem conſecutam ad Diuinum *eſſe*, etiam conſequi ad *eſſe* creatum, & inferius, dum non conſequatur eodem modo; etenim etiam eminet excellentia, & peculiaris præſtantia alicuius ſubſtantiæ ex diuerſo, & præſtantiori modo habendi aliquas proprietates ſecundùm ſe communes aliis inferioribus ſubſtantiis. Sic diuerſa, & longè maior perfectio arguitur in ſubſtantia, quòd petat cognoſcere per cognitionem diſtinctam, vel identificatam, quod petat habere aliquam perfectionem à ſe, vel ab alio, ideo materia prima licèt exigat formam minimæ adhuc perfectionis eſt, quia formam à ſe non habet, & ego ipſe fateor ſupremæ perfectionis eſſe habere gratiam habitualem ex propria virtute, & connaturaliter neque ſolùm quaſi emendicato ex liberalitate alterius. Tunc ſic ſed plures ſunt excogitabiles modi, quibus perfectiùs conueniat gratia Chriſto, quàm puræ creaturæ, etiamſi vtrique gratia foret connaturalis; id patet primò ſi poneres gratiam identificatam cum vnione hypoſtaticâ, habere namque per identitatem, altior modus habendi eſt. Secundò ſi ponas gratiam Chriſti eſſe neceſſariò etiam metaphyſicè conſecutam ad vnionem hypoſtaticam, ita vt nec de potentia abſoluta poſſet dari Chriſtus ſine gratia habituali. Tertiò de facto gratia habetur à Chriſto coniuncta cum facultate videndi in ſe vnionem hypoſtaticam; & dicendi, *Ego ſum Chriſtus*, ex quo modo habendi gratiam ſumma, & particulariſſima excellentia in Chriſtum refunditur vt per ſe patet; ergo quantumuis gratia habitualis ſecundùm ſe conſequatur ad *eſſe* Diuinum poteſt ſub alio inferiori modo eſſe connaturalis ſubſtantiæ puræ creatæ.

36 *Quo pacto verum ſit, quòd proprietas conſequens ad eſſe Diuinum vt communicatum, neque formaliter, neque æquiualenter ad inferius eſſe conſequi poteſt.*

Vt his obiectionibus ſatisfaciam ſic explico propoſitionem minorem, qualiter nempe debeat proprietas aliqua conſequi ad *eſſe* diuinum, vt nequeat eſſe communis ſubſtantiæ puræ creatæ, neque in ſe formaliter, neque æquiualenter; hoc inquam ſic explico, vt quando proprietas talis eſt, quæ ad *eſſe* diuinum communicatum non cuilibet ſubiecto, ſed optimo conſequitur, non poſſit ad aliud *eſſe* inferius, conſequi ipſa neque vlla alia proprietas eidem in perfectione æqualis. Hoc pacto accipienda eſt prædicta propoſitio minor; aliàs enim ſi forma ſit in præternaturali, & incapaci ſubiecto quid mirum, quòd non fundet proprietates ſibi proportionatas, & conſequenter, quibus æquales nequeat alia forma inferior fundare; ſic intellectio poſita in lapide non fundat volitionem, quam in anima infert; neque item ipſa anima rationalis vnita materiæ indiſpoſitæ fundabit proprietates aliquas, quibus æquales non ſint proprietates igneæ. Iam verò hoc modo, & ſenſu accepta prædicta minor propoſitio exceptionem nullam, neque impugnationem patitur.

Ex quibus obiectioni in §. 34. facilè reſpondeo, 37
admiſſo proprietatem, de qua loquimur conſequi ad *eſſe* Diuinum non ſecundùm ſe, ſed vt communicatum. At licèt cæteris imparibus, quando vna forma perfectior eſt in ſubiecto incapaci, & inferior in capaci, iſta poſſit æquales proprietates fundare, ideoque anima rationalis in ſuo connaturali ſubiecto meliores proprietates inferat, quàm Verbum in igne vt dicam ſect. 4. obiect. vndecima; at non ita cenſendum eſt quando Verbum eſt in ſubiecto, vel quaſi ſubiecto maximè capaci, qualis eſt natura humana; vnde patet ad primam inſtantiam. Ad 2. fateor animam rationalem in corpore fundare aliquas proprietates non ſuperiores proprietatibus Brutorum, neque enim fundat acutiorem viſum, quàm lynx; at etiam in corpore fundat diſcurſum dependentem à phantaſmatibus, quem Brutum æquare non poteſt: ſic autem intendo aliquam ſaltem proprietatem Chriſti, quæ in ipſo ſuprema eſt, qualis eſt gratia, nulli puræ creaturæ adeo inferiori poſſe conuenire. Ad 3. rationem à priori vti dixi de ſubiecto, vt debeat eſſe capax, ita poſſem dicere de vnione, ſic intelligendo illam propoſitionem minorem; vt quo *eſſe* ſubſtantiale perfectius eſt, cæteris paribus in connaturali, & capaci ſubiecto, per capacemque, & proportionatam vnionem ipſi vnitum meliores proprietates debeat fundare. Sed ne in fictiones abeamus nunquam puto vnionem hypoſtaticam ad naturam humanam poſſe eſſe improportionatam; vnde namque fingi poteſt improportio, ne Verbum inferat ſummam perfectionem, & ornamentum? Ergo ſemper hoc debet eſſe tale, vt nequeat illi æquiparari vlla proprietas ſubſtantiæ puræ creatæ; ergo cùm hoc ornamentum ſit gratia habitualis; hæc non debet eſſe communis puræ creaturæ, neque proprietas, quæ conſequitur ad *eſſe* Diuinum communicatum in Chriſto poteſt vllo modo conſequi neque in æquiualenti ad eſſe creatum ſubſtantiæ purè creatæ.

Quo perfectius eſt eſſe ſubſtantiale per capacem vnionem capaci ſubiecto vnitum, eò perfectiores proprietates fundat.

Vt ſoluam ſecundam obiectionem in §. 35. contra 38
prædictam propoſitionem minorem, etiam prænotandum eſt dupliciter ſe habere proprietatem aliquam, ſeu duplici titulo eſſe ſignum perfectionis formæ, vel quaſi formæ ſubſtantialis ad quam conſequitur. Primò vt conſideratur proprietas ſecundùm ſe abſtrahens à modo quo conueniat eſſentiæ; ſic proprium eſt Dei ſe comprehendere, ſiue comprehenſio diſtincta ſit, ſiue indiſtincta ab eſſentia, quomodocumque namque concipiatur comprehenſio Dei etiam præſcindendo à modo quo conuenit eſſentiæ, infinitatem in

Quotuplici titulo proprietas ſit ſignum perfectionis formæ, ad quam conſequitur.

tali

tali eſſentia, cuius proprietas eſt, arguit; nemò enim poteſt vllo modo Deum perfectè comprehendere, niſi Deus ipſe ſit. Secundò conſideratur proprietas non ſecundùm ſe præcisè, ſed ſecundùm modum quo eſſentiæ conuenit; ſic non eſt proprietas ignis calor vtcumque, ſed calor intenſè radicatus. Sic etiam dici poteſt, quòd ſit proprium ſolis eſſe lucidum, non vtcumque, ſed neceſſariò: item ſit proprium Dei eſſe ſanctum non quomodocùmque, ſed per eſſentiam, & è contrà hominis proprium eſt *ridere*, ſed non ſemper. Animalis proprium eſt *loco moueri* circumſcriptiuè non tamen hoc ita eſt eius proprietas, vt non poſſit ſine motu progreſſiuo reperiri, quare non eſt Proprium quarto modo, ſed tertio, quia licèt conueniat omni & ſoli animali, ſed non ſemper.

39 *Gratia eſt proprietas verbi ſecundùm ſe inſpecta.* Iam ergo ad obiectionem ſecundam in §. 35. qua impetitur minor propoſitio ſæpius prædicta, nempe proprietatem gratiæ conſecutæ ad *eſſe* diuinum non poſſe conſequi vllo modo ad eſſe purè creatæ ſubſtantiæ. Reſpondeo Gratiam eſſe proprietatem primi generis in §. præced. nam eius excellentia præcipua conſiſtit in eo quòd connaturaliter ſequatur, debeaturque ſubſtantiæ, cui ineſt, ſiue ſit diſtincta, & ſeparabilis, ſiue inſeparabilis, & indiſtincta; id quod patet primò, quia in re, & de facto non eſt indiſtincta in Chriſto, ſed diſtincta, & realiter conſecuta ad eius ſubſtantiam, imo & ſeparabilis ab ipſa ſaltem de potentia abſoluta; cùm enim iuxta communem opinionem ſit eiuſdem ſpeciei cum gratia, quæ nobis ineſt, ſicut iſta inuenitur ſine Chriſto, ita & illa eadem, quæ in Chriſto eſt, ab ipſo poteſt ſeparari; poteſt item ſimiliter ſubſtantia Chriſti conſeruari ſine gratia habituali; ſicut enim potuit verbum communicari corpori, quin in ipſum refunderet ornamenta claritatis, & lucis materialis, quæ naturaliter corpori hiſpoſtaticè aſſumpto debebatur, ita diuinitus poſſet, dum vnitur Animæ, illam non ornare gratia habituali; ex quibus omnibus patet gratiam reſpectu Chriſti eo præcisè oſtentare perfectionem ſui ſuppoſiti, quod ad ipſum connaturaliter conſequatur, vnde debet gratia eſſe propria Chriſti etiam ſecundùm ſe accepta, & non attenta identitate, vel connexione eſſentiali cum ſuppoſito. Ergo nil reſtat, quod ſit proprium diuini ſuppoſiti ſi gratia ſecundùm ſe connaturaliter ſequitur ad ſubſtantiam purè creatam. Addo ſecundò vt probem gratiam eſſe proprietatem primi generis in §. præcedent. euehentem ſummè ſuppoſitum omne, cui connaturaliter debetur; nam eo ipſo quòd gratia alicui ſubſtantiæ connaturaliter debeatur; iam talis ſubſtantia eminenter eſt gratia ſanctificans, quaſi à fortiori, & perfectiori modo; eſt enim radix omnis honeſtatis, & facultatis ſupernaturalis virtuoſæ, in quo conceptus ſanctitatis conſiſtit; ergo eſt gratia ſanctificans per metaphyſicam connexionem, & identitatem; ergo non reſtat perfectio in modo habendi gratiam maior, vbi gratia debetur connaturaliter alicui ſuppoſito; Ergo ſemper gratia connaturaliter debita ſummè eleuat eſſentiam, cui debetur.

40 Aliter contingit (vt ſingillatim ſatisfaciam inſtantiis in §. 35.) in cognitione identificata, vel diſtincta; nam quando cognitio eſt diſtincta non ſupponit ſubſtantiam cognoſcentem actu per ſuam eſſentiam. Deinde fateor perfectius quid eſſe habere proprietatem à ſe ſeu actiuè, quàm merè paſſiuè. At eo ipſo quòd alicui ſubſtantiæ purè creatæ debeatur connaturaliter gratia paſſiuè, arguitiuè infertur dandam aliam ſubſtantiam ſimiliter creatam, quæ poſſit actiuè gratiam producere; vbi enim in modo agendi per creationem non indiget effectus infinita virtute, ſi datur connaturaliter virtus paſſiua finita etiam dabilis erit actiua ſemper namque principio paſſiuo proportionatum actiuum correſpondet; Ergo cùm gratia, vt pote accidens non producatur per creationem; ſi aliqua ſubſtantia eſſet connaturaliter illius receptiua quamtumuis ea ſubſtantia eſſet purè creata, ſimiliter poſſet dari virtus purè creata actiua, vti datur in naturalibus virtus actiua formarum generabilium, vt reſpondeat ſic virtuti paſſiuæ materiæ. Denique admitto magnum diſcrimen eſſe vbi gratia habetur ex propria virtute, & exigentia, ideo ſic puto ſoli Chriſto poſſe conuenire; at ſi ſemel ſit connaturalis alicui creatæ ſubſtantiæ, nullum modum reſtabit Chriſto, quo emineat eius præſtantia, & perfectio ſupra alia ſuppoſita purè creata, vt conſtat ex dictis.

Ad modos, qui excogitantur in §. 35. conſtat ex nuper dictis in §. ante præcedent. primum, & ſecundum non eſſe ſpeciales in Chriſto. Tertius autem licèt ſpecialis ſit, cùm nemo poſſit dicere: *Ego ſum Chriſtus*: Si ſit purus homo; at nullam præſtantiam arguit in gratia habituali, imo neque in lumine viſionis, quæ non affert vi ſuæ perfectionis excellentiam vnionis hypoſtaticæ, ſed illam ſupponit; haud aliter ac ſi eſſet cognitio merè naturalis eſſentialiter vera, quæ connectitur cum exiſtentia ſui obiecti; quare gratia per ſe inſpecta nullius perfectionis maioris eſt in Chriſto, quam in alio puro homine, ſicut, non maioris perfectionis eſt potentia intellectiua naturalis, licèt hæc in Chriſto eliciat actum verum (pone veritatem eſſe cognitioni adæquatè intrinſecam) ſecus in aliis hominibus. 41

Ex quibus omnibus ſatis iam patet quomodo intelligendæ ſint præmiſſæ in Syllogiſmo poſito §. 25. quo præcipuè probo meam ſententiam; vt ſcilicet gratia quaſi proprietas ſequatur ad eſſe diuinum, hoc eſt cum neceſſaria connexione; aliunde quod ita conſequitur ad eſſe diuinum in ſubiecto capaci & proportionato, ſeu communicatum tali ſubiecto per proportionatam vnionem nulli puræ creaturæ poſſit eſſe connaturalis. Sic autem & in hoc ſenſu. 42

Confirmatur totum argumentum perfectio, quæ conſequitur in aliquo ſubiecto expoſitione alicuius formæ & excellentiæ in illo, ſequi nequit ſaltem ſecundùm ſe totam (hoc addo propter calorem vt quatuor, qui homini, & leoni conuenit, ſi tamen calor cum omnibus aliis proprietatibus hominis coniungeretur, leoni nequiret conuenire) niſi ad aliam formam ſimilem, vel æquiualentem in perfectione; ſed ad Diuinum *eſſe* in Chriſto conſequitur, vt prima, & propinquiſſima perfectio reliquas omnes continens gratia; ergo nulli minoris perfectionis, quàm ſit Deus vt ſic communicatus, poteſt gratia eſſe connaturalis; maior probatur tum quia licèt ponamus poſſe dari eſſentiam, ad quam nullæ proprietates ſequantur: at ſi ſequuntur, dimanant ſecundùm perfectionem eſſentiæ; Tum etiam à paritate ipſius gratiæ, ad quam quod per modum proprietatis ſequitur vt virtutes, & dona, nulli alteri, quod formaliter, vel æquiualenter gratia non ſit, adaptari poteſt, alioquin ſupernaturalia poſſent ſequi ad naturam; minor propoſitio, ita eſt omnibus conſtans, vt ſine hæreſi, vt ait ſuprà Suarez, vel ſaltem ſine temeritate, vt cen- 43

Suarez. Vaſquez. ſet Vaſquez & Theologi 3.part.quæſt.7.artic. 1. & in 3. diſt.13. negari non poſſit.

SECTIO III.

Vrgetur aliter poſitum fundamentum.

42 Poſſibile eſt donum creatum, quod vt proprietas conſequatur ad *eſſe* Diuinum communicatum Creaturæ, ſed tale donum, & proprietas alia non eſt quàm gratia ſanctificans; ergo gratia ſanctificans eſt proprietas, vel quaſi proprietas ſtricta Diuini *eſſe* ſic communicati, & conſequenter debita eſt ſoli ſuppoſito Diuino, nullique purè creato connaturalis. Conſequentia eſt euidens. Minor facilè probatur; nam tale donum quantumuis perfectiſſimum non eſt ſupra hanc gratiam ſanctificantem, quæ modò datur; iſta enim eſt donum omnium creatorum excellentiſſimum; vt iure de illo dicatur, illud Prouerb.8. *Melior eſt cunctis opibus pretioſiſſimis, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari* vnde concludit Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap.14. *nullum eſt iſto dono excellentius* quo enim pacto poteſt ſubſtantia creata magis perfici, quàm vt ſit particeps Diuinæ naturæ? quod argumentum, & ſupremam excellentiam gratiæ amplius expendam ſect.5. infra.

Prouerb. 8. Auguſt.

43 Iam maior illa prima initio poſita, quòd ſcilicet poſſibile ſit donum creatum, quod vt proprietas conſequatur ad *eſſe* Diuinum vt illi ſoli debita, probatur. Implicat ratione vnionis Dei cum creatura, non deberi huic tali creaturæ perfectionem, & ornamentum,ſeu donum creatum ſpeciale, quod ex ſe, & ante vnionem cum Diuinitate non habebat. Sed tale donum ſoli Deo debetur; etenim ſi alteri ſubſtantiæ creatæ deberetur, iam iſta ſubſtantia per vnionem cum Deo nihil nanciſceretur ſpeciale; ergò poſſibile eſt donum prædictum, quod ſit Dei proprietas. Hæc conſequentia, & minor conſpicuæ ſunt. Maior ſic ſuadetur: Implicat ſubſtantiam creatam ratione vnionis non euehi ad *eſſe* ſubſtantiale excellentius, & longè ſuperioris Ordinis, & rationis, quàm ipſa ſubſtantia habeat ſecundùm ſe: id patet: Sed eo ipſo poteſt tali ſubſtantiæ venire, & deberi perfectio, & ornamentum creatum indebitum ſuæ ſubſtantiæ, & conſequenter omni ſubſtantiæ puræ creatæ gratioſum, & ſupra omnem creatam exigentiam ſubſtantialem; ergo:minor hæc ſuadetur facilè, & multipliciter;tum quia perfectio creata ſupra illam ſubſtantiam ſecundùm ſe (ſiquidem purè creata eſt, & finita ſecundùm ſe) poſſibilis eſt; quæcunque autem perfectio quantumuis excellentiſſima aduenire debet ratione vnionis hypoſtaticæ; nihil enim eſt excellentiæ, quod Deo communicato non debeatur; tum etiam inter *eſſe* ſubſtantiale purè creatum, & Diuinum, quod aduenit per hanc vnionem, eſt diſtantia infinita, poterit ergo ex hoc *eſſe* ſubſtantiali in illud purè creatum deriuari aliqua ſpecialis, & ſuperior perfectio maximè cùm ad omne *eſſe* ſubſtantiale ſemper ſequi poſſit, & debeat aliud accidentale, in quo reſplendeat, vt infrà dicam; tum denique quia Omnipotentia in linea *Potentis* ſemper valet producere effectus ſupra omnem virtutem creatam; ergo & perfectio Dei ſubſtantialis communicata, vt prima radix valebit originare, ſeu adducere nouam excellentiam, & perfectionem ſuperiorem.

Nulla ſubſtantia creata eſt, cui ratione vnionis hypoſtaticæ non debeatur nouum ornamentum accidentale.

Confirmatur primò hæc probatio; nequit non ratione vnionis hypoſtaticæ aduenire ſubſtantiæ purè creatæ nouum præmium ſupra omne id,quod aliàs tali ſubſtantiæ debebatur; vnde ſuppoſitum, fit dignum ſpeciali dono remuneratorio ratione talis vnionis, quo alias digna non erat ſubſtantia purè creata; ergo ſimiliter dignum erit nouo ornamento phyſico, ſeu quaſi in linea phyſica. Confirmatur ſecundò in genere ſatisfacientis debetur Chriſto Domino, ſeu ſubſtantiæ habenti vnionem hypoſtaticam ſatisfactio ex toto genere ſuperior omni purè creata; hoc eſt, quæ non ſolùm ſatisfaciat pro offenſa quomodocumque maiori, ſed tali ſatisfactione, quæ non ſolùm excedat creatam ſecundùm magis, & minùs, ſed ex toto ordine. Nam Chriſtus Dominus ſatisfacit pro mortali, pura autem creatura, nec pro vno infimo mortali poteſt ſatisfacere; ergo purè creaturæ nec phyſicè debebitur tanquam proprietas cõnaturalis infimus gradus gratiæ ſanctificantis; vt ita ex toto genere debeatur Deo communicato per vnionem hypoſtaticam proprietas ſuperior omni ea, quæ ad *eſſe* ſubſtantiale purè creatum conſequitur. Cur namque ſicut diuinum ſuppoſitum ſibi vendicat proprietatem moralem, non vendicabit aliquam proprietatem phyſicam? 44

Probatur à paritate pramij.

46 Aliter tertiò ex præiacto fundamento vrgeo. Per gratiam ſanctificantem fit homo *particeps Diuinæ naturæ*; ergo quia talis gratia eſt proprietas ſoli naturæ Diuinæ in ſe, vel vt communicatæ debita. Antecedens eſt principium per ſe notum Theologis in materia de iuſtificatione, conſequentiam ſatis probant, quæ dixi diſput.præced.ſect.4. num.29. & vlteriùs probatur, nam huiuſmodi participatio, quam affert gratia, non fit ſolùm per prædicatum *conuenientiæ* cum natura Diuina; ſic enim à fortiori diceretur ſubſtantia Angeli ſeipſa participatio Diuinæ naturæ; etenim natura Diuina ſtrictius conuenit cum natura Angelica quàm cum gratia; ſiquidem cum illa conuenit in ratione *ſubſtantiæ, ſubſiſtentis, principij quod*, &c. faciliùs autem datur vniuocatio (quæ eſt ſtricta, & propria conuenientia) inter ſubſtantias, quàm inter accidens,qualis eſt gratia,& ſubſtantiam, qualis eſt natura Diuina. Dices ſed gratia ſanctificans conuenit cum natura diuina in eo quòd det ius ad viſionem ſummi boni, quam conuenientiam non habet Angelus per ſuam ſubſtantiam. Sed contra iſta conuenientia nimis analoga eſt, cùm Deus habeat ius per ſe, gratia verò per inhæſionem, & vt alteri ſcilicet iuſto communicet ius hoc; iam verò hic defectus conuenientiæ in Angelo benè compenſatur per conuenientiam in *eſſe* ſubſtantiali,ſiquidem iſta conuenientia facit pertinere aliquo modo ad idem genus, cùm accidens toto genere differat, quantumuis ita ſupremum ſit, vt gratia ſanctificans, tribuatque ius ad viſionem ſummi boni.

Cur gratia habitualis nuncupetur diuinæ naturæ participatio.

Denique vniuerſalius poſitum fundamentum vrgeo, & firmo, ſicque ex tradita doctrina probo nullum donum ſupernaturale poſſe eſſe debitum purè creaturæ: ſubſtantiæ nouæ, & ſuperioris eſſentiæ, altiorisque ordinis debent correſpondere perfectiones in eſſendo, quibus ſcilicet in ſe ornetur, & in operando, virtus ſcilicet, & potentia ad actus noui, & altioris ordinis ſupra ordinem, & perfectionem ſubſtantiæ inferiori debitam, id patet, nam forma ſpiritualis præ corporea, quia materiam eleuat ad *eſſe* ſuperius, & alterius ordinis, ſcilicet *ſpirituale*, affert etiam potentias, & actu 47

Subſtantia ſuperioris ordinis debet habere operationes ordinis ſuperioris.

actus ſpirituales; forma viuens præ non viuente affert vitales operationes; ergo cùm Diuinitas communicata humanitati in Chriſto eleuet ipſum ad nouum *eſſe* ſupra omnem ſubſtantiam creatam, & creabilem, etiam ſecum afferat, neceſſe eſt, operationes, & perfectiones, quæ ſupra omnes alias ſubſtantiis inferioribus debitæ ſint, at hic ordo perfectionum, & operationum in Chriſto alius non eſt, quàm ſupernaturalis; ergo ille nulli puræ creaturæ inferiori adeò poterit eſſe connaturalis.

SECTIO IV.

Confirmatur vltimò fundamentum poſitum, & explicatur varijs obiectionibus poſitis, & expoſitis.

48 *Duplex proprietatum commenſuratio cum eſſentia.*

OBiicies primò; hoc argumento probari operationes, & attributa in Chriſto debere eſſe *Diuina* per identitatem, cùm *eſſe*, quod humanitati accedit, ſit Deitas ipſa; quemadmodum ad formam ſpiritualem ſequuntur operationes, & proprietates, quæ in ſe ſunt ſpirituales. Reſpondeo dupliciter ſequi aliquid per modum proprietatis ad aliquam formam, primò in ipſa forma, & independenter à toto, ſeu ſuppoſito, quod conſtituit, & talis proprietas, cùm non ſit, vnde limitetur, accedit per identitatem ad ipſum gradum ſuæ eſſentiæ, ita ſe habet potentia intellectiua & volitiua reſpectu animæ rationalis. Secundò aliæ proprietates ſunt quæ ſolùm debentur formæ vt in ſuppoſito, & quaſi ratione totius, & hæ cùm limitentur iuxta capacitatem alterius compartis, non petunt hanc identitatem, & excellentiam æqualem perfectioni formæ; ita ſe habent potentiæ materiales in homine, & hic gratia, & aliæ proprietates ſupernaturales, quæ licèt veniant ratione Deitatis, non tamen titulo Deitatis in ſeipſa, ſed vt communicata, quo pacto cùm communicatio ſit creata, & finita, ſolùm in hac menſura proprietates expoſcit. At adhuc proprietates iſtæ debent eſſe altiſſimi ordinis creati, nam illi *eſſe* etiam vt ſic communicato illi toti, & ſuppoſito nulla ſubſtantia, vel eſſentia creata poteſt æquiualere.

49 *Ordo ſupernaturalis quo modo ſit diuinus?*

Aliter etiam ſecundò, reſponderi poteſt faciliùs dona ſupernaturalia eſſe quidem ordinis Diuini, vt conſtat ex tota diſput. 1. Cæterùm ad id non requiri quòd accedant ad ipſam perfectionem Deitatis, ſeu ad identitatem cum ipſo *eſſe* Dei, neque enim hoc exigit proprietatis conceptus, neque, vt ſit in eodem ordine cum ſua eſſentia, debet æqualem illi excellentiam imbibere, imò neceſſariò importat inæqualitatem, nam cùm eſſentia ſit prima radix, & ſubſtantia, proprietas ad lineam accidentis ſpectat; ſic calor non eſt æqualis igni, nec intellectiua potentia eſt in ſe Spiritus; licèt ad Spiritum, vt proprietas, conſequatur: Ideuditas ergo ordinis, ſeu commenſuratio proprietatis cum eſſentia ſolùm expoſcit, ne proprietas ad vnam eſſentiam conſecuta aliam diuerſæ conditionis, & gradus comitetur; quod ego ordini ſupernaturali ad Deitatem in Chriſto conſequuto concedo, & concedendum eſſe hoc eodem argumento perſuadeo, aliàs enim nulla conformitas inter hoc nouum compoſitum, ſeu ſuppoſitum, & eius proprietates reluceret.

50 *Poſſibilis eſt ſubſtantia*

Obiicies ſecundò; ergo licèt gratia non poſſit eſſe proprietas debita ſubſtantiæ purè creatæ, poterit ſaltem ſubſtantiæ creatæ conuenire per identitatem, etenim quamuis ſubſtantiæ inferiori non poſſit conuenire proprietas diſtincta æqualis proprietati ſuperioris eſſentiæ, bene tamen prædicatum identificatum, ſic ſubſtantia ignis perfectior eſt luce Item Angelus perfectior eſt gratia ſanctificante. Reſpondeo; nego conſequentiam, tum quia talis ſubſtantia neceſſariò haberet aliquam proprietatem, & operationem, quæ forent ſupernaturalia, vnde iam vrget argumentum, tum etiam quia duplex perfectio conſiderari poteſt in ſubſtantia collata cum aliquo accidente, & proprietate. Prima in ratione proportionatæ, & dignæ, cuius merito, vel virtuti effectiuæ debeatur proprietas illa. Secunda perfectio eſt diſparata, & ſolùm quaſi in eſſendo: hanc concedo illi ſubſtantiæ poſſibili; ſicut & Angelo, aut animæ rationali concedit S.Thom.in 1. diſtinct.17. quæſt.1. art.2.ad 3. At non ideò erit ſubſtantialiter *gratia ſanctificans* ſubſtantia illa; ſicut neque talis eſt Angelus, ad hoc enim requireretur perfectio primo modo. Quis enim dubitabit, quòd ſi daretur gratia ſubſtantialis ex eius condignitate, & excellentia à fortiori debita eſſet gratia accidentalis, vel aliud æquiualens in effectu formali; debitum ſcilicet eſſet ius ad ſupernaturalem hæreditatem, itemque amor Diuinus amicabilis, ſeu vt tractaretur à Deo talis ſubſtantia, habereturque vt amica, in quo maximè reſplendet excellentia tota gratiæ ſanctificantis exiſtentis de facto.

perfectior quàm gratia; ſed non qua ſit ſubſtantialis gratia.

S. Thom.

51 *Obiectio tertia ex proprietate ſuperioris ſubſtantiæ conuenienti ſubſtantiæ inferiori.*

Obiicies tertiò bene poſſe, quod eſt proprietas ſubſtantiæ perfectioris, eſſe paſſionem inferioris ſaltem in minori gradu, ſic lux, quæ connaturaliter ſoli debetur, debetur etiam igni, licet remiſſior; & calor ignis inuenitur temperatus in mixtis communiterque accidentia corrupti manent in genito; Ergo ſaltem aliqua remiſſa gratia poterit eſſe connaturalis puræ creaturæ: ſed contra primò, quia ſaltem creſcente perfectione ſubſtantiæ creatæ, creſceret æquali gradu intenſio debita gratiæ; ergo cùm perfectio ſubſtantiæ creatæ poſſit abire in infinitum, vt dixi in Philoſophia, poſſet tandem dari pura creatura, cui tanta gratia deberetur, quanta Chriſto Domino. Vnde maximè cõfirmatur mea opinio, vt prorſus repugnet creatura, cui ſit connaturale donum aliquod ſupernaturale, ne dignitati gratiæ æqualis ſit Chriſto. Contra ſecundò, quia eſſentiæ diuerſi ordinis, etiam ex toto ordine debet conuenire aliqua diuerſa proprietas: ſic ordini ſupernaturali conueniunt operationes, non ſolùm intenſione graduali, ſed intrinſecè, & entitatiuè à naturalibus diuerſæ, ſic etiam viuenti diuerſæ competunt operationes à non viuentibus. Ergo etiam ſuppoſitum diuinum in Chriſto vendicabit ſibi proprietates ex genere ſuo, & entitate diuerſas à pura creatura, & non ſolùm ſecundùm intenſionem.

Reijcitur.

52 *Quo pacto proprietas ad ſuperiorem eſſentiam ſecuta nequeat inferiori deberi.*

Contra hanc obiectionem denique reſpondeo: Proprietas, quæ conſequitur ad eſſentiam ſuperiorem proportionata ipſi, vt ſuperior eſt, nequit ſaltem vt ſic inueniri in inferiori; ſic calor cum tanta acrimonia vt vltimò diſponens ad ignem, non inuenitur in aëre, vel in mixtis, nec lux ita illuminans, vt eſt in ſole, competit aliis præter ipſum. Tum ſic; ſed gratia non proportionatur excellentiæ diuini ſuppoſiti titulo intenſionis gradualis, cùm iuxta communiorem ſententiam gratia habitualis in Chriſto finitæ, & limitatæ intenſionis ſit, nec attingat ſupremum gradum poſſibilem; ergo proportionatur in perfectione eſſentiali, & entitatiua ex genere ſuo, & ſecundùm ſubſtantiam,

ſtantiam, & conſequenter in nullo gradu quantumuis remiſſio poteſt eſſentiæ purè creatæ conuenire. (Nota hic nomen *intenſionis* à me accipi non ſolùm pro intenſione graduali, ſed etiam pro gradu *perfectionis*, nam nec ſic Chriſto data eſt gratia omnium perfectiſſima.) Igitur ex genere ſuo, & ex effectu formali gratiæ ſecundùm ſe, hæc ita propria eſt Chriſti; vt nulli alteri ſubſtantiæ purè creatæ poſſit connaturaliter deberi.

53 *Qualiter gratia ſit proprietas adæquata Chriſti?*

Obijcies quartò; gratia non eſt proprietas correſpondens adæquatè, & completè diuinitati communicatæ vt tali; ergo bene poterit inferiori ſubſtantiæ tanquam proprietas deberi. Hæc conſequentia patet; nam proprietas, quæ non proportionatur cum eſſentia ſuperiori vt tali; bene poteſt inferiori reperiri. Antecedens ſuadetur, quia diuinitas digna eſt omni perfectione poſſibili; ergo cùm illa gratia limitata ſit, & finita, nequit tanquam proprietas completa adæquare dignitatem eſſentiæ, cui correſpondet: quod etiam patet à paritate dignitatis moralis meritorum Chriſti, nam his non correſpondet de facto præmium adæquatum; ergo neque correſpondet dignitati phyſicæ, cùm non minùs infinita ſit. Reſpondeo, duplex eſt dignitas phyſica, ſicut etiam & moralis ſuo modo, ſcilicet in actu primo, quaſi ſufficienti, & in actu ſecundo efficaci, dignitas phyſica in actu primo conſiſtit in quadam aptitudine, & conſonantia, ratione cuius, quidquid intuitu ipſius fit, congruit perfectioni excellentiæ talis eſſentiæ. In actu ſecundo vlteriùs addit exigentiam, & connexionem, ratione cuius prætetnaturaliter diſſentaneéque ad rectam rationem inſpectis prædicatis intrinſecis rei, daretur talis eſſentia ſine ea perfectione. Et hanc dignitatem ſequitur proprietas, pro maiorique perfectione eſſentiæ commenſuratur excellentia talis proprietatis; ergo opus eſt vt ſuppoſitum creatum perueniat ad excellentiam Chriſti (quod eſt impoſſibile) vt ipſi connaturalis tanquam proprietas ſit gratia ſanctificans.

Duplex adſtruitur dignitas phyſica.

54 *Si gratia foret debita ſubſtantia purè creata ſufficienter, etiam eſſet efficaciter.*

Quintò obiicies, & contra datam reſponſionem replicabis: bene ſit, quòd gratia non debeatur vt proprietas ſubſtantiæ purè creatæ, quaſi debito in actu ſecundo modo explicato. At cur repugnabit correſpondere eius dignitati in actu primo: hoc autem ſufficiet, vt iam gratia ſimpliciter ſit connaturalis; ſicut connaturalis eſſet Chriſto alia gratia perfectior, quamuis titulo proprietatis non eſſet debita in actu ſecundo. Reſpondeo eo ipſo quòd gratia ſit debita quaſi in actu primo, & connaturali alicui ſubſtantiæ purè creatæ, poni poterit conſequenter aliqua virtus purè creata connaturaliter actiua talis gratiæ: vbi enim in modo, quo producibilis eſt effectus, verbi gratia, per creationem (qualiter non produceretur illa gratia; ſiquidem accidentalis eſſet, & modo in veriori ſententia de facto per generationem producatur) productio prædicti effectus infinitatem in ſua cauſa non petit; vti poteſt ea productio ſufficienter exigi ab aliqua ſubſtantia creata, ita etiam poterit connaturaliter ineſſe alicui ſaltem creatæ ſubſtantiæ virtus ad prædictum effectum producendum, quin talis virtus argumento ſit, quòd ea ſubſtantia habeat maiorem perfectionem, quàm is effectus productus; cuius ratio eſt, quia licèt non ſemper æqualitas perfectionis cauſæ cum effectu ſignum ſit virtutis effectiuæ in ea cauſa ad talem effectum; at è conuerſo virtus ad effectum nec per ſe exigit maiorem perfectionem in ſua cauſa, quàm ſit in ipſo effectu; nec potiùs talis virtus repugnat connaturaliter in eſſe ſubſtantiæ; quàm repugnet, quòd prædictus effectus eidem ſubſtantiæ connaturaliter inſit.

His poſitis vlterius ſic arguo in ſolutionem præſentis obiectionis. Eo ipſo quòd alicui creaturæ virtus connaturalis inſit ad producendum aliquem effectum, iam ſaltem in aliqua occurrentia, ſeu occurſu circumſtantiarum ſibi connaturalium, & eiuſdem ordinis cum prædicta creatura, omnino debitus erit concurſus in actu ſecundo, vt actu influat ea creatura in talem effectum; vti contingit in ordine naturali; nullus enim effectus naturalis eſt, cuius productio non debeatur neceſſariò alicui collectioni cauſarum; ergo ſi gratia eſſet connaturalis alicui ſubſtantię purè creatæ, etiam in aliqua purè creata poſſet inueniri virtus effectiua, vel exactiua gratiæ; ergo eidem ſubſtantiæ ſaltem in collectione aliarum ſui ordinis, & conſequenter purè creatarum debitus foret omnino effectus gratiæ, ſeu efficaciter in actu ſecundo gratiam exigeret in ſe, vel in alio ſubiecto exituram; ergo ſaltem reſpectu talis collectionis vt ſic gratia eſſet debita, etiam in actu ſecundo, cùm tamen tota illa collectio longè inferior ſit comparata cum ſuppoſito Chriſti. Hæc clariora fient ex ſequentibus, ex quibus expeditior fortè colligetur, harum, & ſimilium obiectionum ſolutio; ſic igitur aliter prædictas obiectiones pono, & expono. 55

Sextò, obiicio igitur iuxta dicta gratia ſanctificans non ſequitur vt proprietas commenſurata Deitati etiam communicatæ: nam etiam vt ſic digna eſt Deitas omni perfectione poſſibili: ita vt omnis poſſibilis creata perfectio non minùs debeatur Deitati ſoli in Chriſto, quàm deberetur ſubſtantiæ purè creatæ, cui gratia eſſet connaturalis, quàm deberetur, inquam, tali ſubſtantiæ in quocumque occurſu circumſtantiarum conſideratæ: Reſponderi poteſt, vt ex proximè dictis conſtat æquè, imò plus ſoli Chriſto deberi omnem perfectionem poſſibilem, quàm prædictæ ſubſtantiæ purè creatæ debeatur gratia, deberi, inquam, ſoli Chriſto plus in actu primo non tamen in actu ſecundo. Sed in præſenti aliter, & fortè expeditiùs, reſpondeo Deitatem eſſe quidem dignam omni perfectione poſſibili; abſolutè loquendo, etiam dum communicatur; non tamen dum communicatur per hanc determinatam vnionem; ſicut enim *communicari* abſolutè limitat; ita limitat, quòd communicatio fiat per hanc determinatam vnionem. Ecce in probabili ſententia faciente vniones animæ rationalis heterogeneas; licèt etiam phyſicè loquendo, & in actu ſecundo digna ſit anima rationalis, & capax, vt videat, non tamen videt in pede, quia ſcilicet vnitur per talem determinatam vnionem ſic limitantem. 56

Ex prædicto exemplo, & inſtantia vnionis animæ rationalis diuerſimodè vnitæ ſimiliter dico ad obiectionem poſitam. Deitas vnita ſubſtantiæ creatæ etiam phyſicè digna eſt in actu ſecundo infinitæ perfectionis, ſeu gratiæ infinitè intenſæ, abſolutè quidem loquendo, præſcindendo à conditione vnionis; ſicut anima rationalis abſolutè loquendo etiam in corpore digna eſt, ſeu ipſi debetur etiam in actu ſecundo neceſſariò, & vt ſtricta proprietas *videre*, *audire*, & cætera. At ſicut animæ rationali vt *vnita* vnione auriculari, iam vt ſic non debetur *videre*; ſic nec verbo debetur neceſſariò, & in actu ſecundo vt per hanc vnionem vnito intenſior gratia, vt fortè præternaturale 57

Nouo philoſophandi modo obuiam itur obiectionibus.

Gratia gradus limitatur in Chriſto ex conditione huius determinatæ vnionis.

naturale ſit in Chriſto vt vnito cum verbo ſic dari intenſiorem gratiam; eſt enim iam plenus: licèt ſimpliciter maior gratia non eſſet fauor, & beneficium, ſicut nobis; tum quia non eſt ſupra dignitatem verbi ſecundùm ſe, tum etiam nec ſupra meritum, vel dignitatem moralem; tum denique neque ſupra vires phyſicas, Chriſto enim ampliſſima potentia patratiua miraculorum competit. Et quidem hæc ratio limitandi gradum, & intenſionem, ſeu perfectionem gratiæ ſanctificantis in Chriſto ab omnibus Theologis vſurpanda eſt. Vt hæc duo Principia componant. prima *in Chriſto Domino non fuiſſe omnem gratiam poſſibilem*, tum quia non fuit infinita phyſicè in actu, vt communiter docent Theologi cum S. Thoma 3. part. quæſtione 7. articul. 11. vltra quemlibet autem gradum finitum, alius poſſibilis eſt, tum etiam quia vltra infinitum, & quemlibet gradum excogitabilem alius vlterior ſuperaddi poteſt; cùm enim certum ſit non poſſe aſſignari creaturam omnium perfectiſſimam, neque poterit determinari gratia perfectiſſima, ita vt repugnet alia paululum perfectior; Ergo in Chriſto domino non fuit omnis gratia poſſibilis, quin maior eſſe poſſet, maximè ſi intenſio fiat per gradus homo geneos, tunc enim opus foret, vt haberet omnem gratiam, & quòd in ipſo exiſteret eadem gratia numero quæ eſt in S. Petro, & in quolibet iuſto. Tunc ſic: ſed aliunde firmiter tenendum eſt Chriſtum non potuiſſe creſcere, aut habere intenſiorem gratiam, quod eſt ſecundum Theologorum principium; quia ab initio *plenus fuit gratia*; ergo recurrendum eſt ad plenitudinem ſecundùm conditionem & limitationem vnionis; aliàs abſque aliquo fundamento phyſico dicemus datam hanc gratiam, & non maiorem; & conſequenter Chriſtus non erit *plenus gratia*; cuius veritatis ratio optimè iuxta meam ſententiam explicatur; Nam Chriſtus habuit gratiam in determinato gradu, & finito, quia vnio, ad quam conſequitur, finita, & determinata eſt. *Plenus* item fuit Chriſtus gratia, quia iuxta connaturalem capacitatem hæc vnio hypoſtatica, ſeu Verbum cum hac vnione plus gratiæ non petebat, ſeu vt diſcurrit P. Iacobus Granado controu. 1. de Incarn. tract. 7. diſp. 3. num. 7. Gratia habitualis connaturaliter dimanat phyſicè ab vnione hypoſtatica, & ab ea efficienter fluit, quare ab vnionis virtute limitatur, & determinatur.

Chriſtus non potuit creſcere in gratia ſub hac vnione.

Chriſtus vt plenus gratia.

58 Septimò replicabis nec ſic ſatis expediri præſentem difficultatem, hæc enim integra reſtat in vnione ipſa hypoſtatica; Cur nempe Chriſtus Dominus præcisè habuerit hanc vnionem, & non aliam perfectiorem; cùm enim dignitas Verbi ſit infinita, cur ad illam non conſequitur vnio perfectior, & cui maior, & intenſior gratia ſanctificans correſpondeat. Si reſpondeas, quia incapax fuit humana natura perfectioris modi vnionis, ſeu Vnionis, quæ ſit perfectioris entitatis, in primis id gratis dicitur, & ſine fundamento, cùm hæc vnio fiat per potentiam obedientialem humanitatis, quæ potentia ad omnia ſe extendit, & æqualis inuenitur in omnibus rebus creatis ad quemlibet effectum: deinde dicet alius idem de ipſa gratia ſanctificante, vt eam limitet iuxta capacitatem humanitatis. Si verò recurras ad ordinationem extrinſecam, & diſpoſitionem diuinæ voluntatis, & decreti: cur ſimiliter idem non dicetur de gratia ipſa ſanctificante, vt dicit Suar. Tom. 1. in 3. part. diſputatione 13. ſectione 2. concluſione 3. verſ. 3. *Probatur*.

Reſpondeo pro determinatione conditionis, & gradus in perfectione vnionis hypoſtaticæ meliùs recurritur ad voluntatem, & decretum Dei, quàm pro determinatione gratiæ. Ratio diſparitatis eſt, quia gratia ſanctificans non exiſtit in Chriſto, quaſi ratione ipſius gratiæ, ſed ratione alterius prioris vt conſequuta ad connaturalem ſtatum Chriſti tamquam proprietas illius; ita vt ſi omnino tolleretur gratia, Chriſtus Dominus maneret in ſtatu præternaturali, vti ſol ſine ſplendore, ſine calore ignis; Ergo ſicut datur ratio phyſica titulo connaturalitatis, vt debeatur gratia ſanctificans, licèt nullo titulo niſi ex puro libito Dei exiſtat vnio hypoſtatica, ita dicendum, & aſſignandum eſt phyſicum fundamentum, vt debeatur determinatus gradus gratiæ. Quis enim ferat, quòd Chriſtus contentus ſit gratia remiſſa: Ergo minùs philoſophicè recurritur pro determinatione quantitatis, ſeu gradus gratiæ ad purum libitum Dei, bene tamen pro determinanda conditione, & perfectione vnionis hypoſtaticæ, quæ cùm ad nullius exigentiam ponatur, neque enim eam poſcit ſubiectum humanitatis, ſiquidem eſt ſupra eius exigentiam, neque item verbum ipſum; ſiquidem, vt ita dicam, eſt infra exigentiam illius: reſtat, vt ſolùm pro libito Dei conſtituenda ſit. Deus ergo eam vnionem determinauit volens eſſe tantæ excellentiæ, cui connaturalis ſit tanta perfectio, & gradus gratiæ ſanctificantis. Sic ex puro libito Dei factum fuit, quòd Angelus verbi gratia crearetur cum tanta gratia; licèt non pro mero Dei libito, ſed iuxta phyſicam menſuram gratiæ ſic liberaliter à Deo collatæ prouenerit, quòd habitus charitatis, & aliarum virtutum ſint in tali determinato perfectionis, & intenſionis gradu. Sic etiam in naturalibus ex ſolo libito Dei forma ſolis producta eſt in vniuerſo; Cæterùm non ex puro Dei libito, ſed iuxta phyſicam naturam ſolis, talis, ac tanta lucis proprietas conſequitur. 59

Gradus perfectionis in vnione hypoſtatica à mera Dei voluntate determinatur, ſecus autem in habituali gratia.

Quæ ſit huius ratio?

Explicatur magis tradita doctrina, quòd ſcilicet ratio proprietatis, quam ſortitur gratia ſanctificans reſpectu Deitatis communicatæ Chriſto, ſumenda ſit, & commenſuranda non reſpectu Deitatis communicatæ vtcumque, ſed vt communicatæ per hanc determinatam vnionem. Explicatur inquam ſic hæc tradita doctrina, quia ſi dicas, quòd gratia vt ſic collata cum Deitate communicata vtcumque eſt proprietas Chriſti; Rogo vtrum gratia ſit proprietas ſecundùm rationem genericam gratiæ? vel ſecundùm determinatam, & ſecundùm certum gradum. Si primum? Ergo contentus erit Chriſtus gratia remiſsâ, & dignitati phyſicæ nõ debebitur tanta gratia, quãta merito puri hominis iuſti; nam huic ſæpe debetur intenſa: hoc autem quis patiẽter audiat? Si ſecundùm cur Deitas in Chriſto trahit hunc gradum gratiæ, & non maiorem? Vide dicta in obiectione ſexta, ſuprà. Ego autem hîc facilè reſpondeo. Ob conditionem vnionis. Si vrgeas, & retorqueas argumentum; Ergo ſimiliter poſſet Verbum vnione ita debili vniri humanitati Chriſti, vt ipſi ſola gratia remiſſa deberetur. Reſpondeo primò, ſicut poteſt Verbum vniri ſubiecto, in quo nullam gratiam adducat, vt dum vniretur irrationali naturæ, ita poſſet tali modo vniri naturæ rationali, vt nec in ea adduceret neceſſariò gratiam ſanctificantem, vt docet Valentia in 3. p. diſp. 1. q. 7. punct. 1. §. *non ex primo quoniam*. Reſpondeo ſecundò nullam eſſe vnionem hypoſtaticam, quæ non ſit in ſupremo gradu perfectionis, licèt limitato, & finito; quare ſemper afferet 60

Explicatur tradita doctrina.

afferet p'enitudinem gratiæ, & in ſumma perfectione, licèt finita.

61 Octauò, replicabis gratiam ſanctificantem non poſſe dari Chriſto per modum proprietatis phyſicæ, quin ſit infinita. Quia Deitas non eſt minùs digna phyſicè, per quamcumque vnionem communicetur humanitati Chriſti, quàm ſit digna moraliter in eius meritis. Sed Chriſtus etiam cum hac determinata vnione ob excellentiam Deitatis dignus eſt, mereturque moraliter infinitum præmium: Ergo ſimiliter dicendum eſt de merito, ſeu dignitate phyſica. Confirmatur, quia abſurdum eſt dicere, quòd purus homo ſuis meritis dignus ſit moraliter maiori gratia, quàm ſit digna phyſicè Deitas, etiam vt communicata per hanc determinatam vnionem; ſi autem ad Deitatem vt ſic ſolùm conſequeretur condignè phyſicè gratia finita, bene contingere poſſet, quòd per intentiſſima merita iuſtiſſimus homo purus maiorem gratiam mereretur. Reſpondeo ad merita concurrit Deitas ſine vlla limitatione, & ſeipſa immediatè. Ideò ſunt ſimpliciter infinita, vt communiter notant Theologi ad materiam de Incarnatione, vt potiùs infinita dignitas Dei reddat ſimpliciter infinitam ſatisfactionem Chriſti, non verò ſic infinitet ſimpliciter offenſam. Iam verò in hac dimanatione phyſica non ipſa Deitas immediatè, ſed vnio hypoſtatica eſt immediata radix, à qua phyſicè dimanat gratia ſanctificans; licèt iſta gratia non vnioni ſoli tribuatur, ſed integro ſuppoſito, vt dicam in fine huius ſectionis. Ad confirmationem reſpondeo primò, ſi homo purus conſideretur ſine gratia, nihil poteſt mereri ſupernaturale; ſi autem vt veſtitus gratia, iam eſt deificatus ac proinde non mirum, quod ita dignus ſit moraliter. Reſpondeo ſecundò tantum eſſe exceſſum gratiæ in Chriſto, vt nullis meritis puri hominis poſſit obtineri: & quidem aduerſarius etiam reſpondere tenetur, nam quidquid ſit de dignitate infinita Chriſti; illi tamen non concedit de facto niſi finitam gratiam; ergo poterit purus homo eſſe tam plenus gratia, quàm ſit de facto Chriſtus Dominus; quod non minoris abſurditatis eſt, quàm ſit ea abſurditas, quæ nobis in confirmatione huius obiectionis opponitur.

Cur gratia limitetur in Chriſto ob limitationem vnionis, & non meritum?

Meritum puri hominis non poteſt mereri tantam gratiam, quanta eſt in Chriſto.

62 Nonò oppones, eo ipſo quòd gratia ſanctificans non adæquet dignitatem Deitatis ſecundùm ſe, non eſſe cenſendam proprietatem, ſicut patet in aliis eſſentiis, quæ ſolùm habent vt proprietatem, eam perfectionem, quæ ipſarum dignitati commenſuratur. Reſpondeo, non requiritur in proprietate commenſuratio cum eſſentia ſecundùm ſe, ſed vt vnita; ſic enim potentiæ materiales commenſurantur animo rationali non vt ſeparato, ſed vt vnito; nec rurſus vt vnito quomodocumque per quamlibet vnionem, ſed per talem; nam in pede ſola ſenſatio tactus debetur; non autem auditionis, vel viſionis & cæteras, quas omnes vt ſibi commenſuratas exigit animus in corpore, cui vnitur. Iam vero Deitati vt ſic vnitæ per hanc determinatam vnionem cum humanitate Chriſti, benè commenſuratur gratia ſanctificans: Nam ſic infinita gratia non requiritur; ſed talis conditionis, vt ratione vnionis hypoſtaticæ, ita adueniat humanitati hæc ſumma gratia, licèt finita, vt præternaturaliter exiſteret Deitas in Chriſto ſine hac gratia; quam præternaturalem exiſtentiam non habet Chriſtus, quantumuis careat gratia infinita, ideo ſola finita in ſummo gradu iam dicto rationem proprietatis obtinet.

Proprietas non ſemper debet commenſurari cum eſſentia forma ſecundùm ſe, ſed vt vnitæ.

Decimò, ſi gratia non commenſuratur cum Deitate ſecundùm ſe, ſed vt vnita; Ergo tandem vnio eſt menſura proprietatum; ſiquidem iuxta variam illius conditionem magis, vel minùs perfecta proprietas requiritur. At vnioni hypoſtaticæ poteſt aliquid purè creatum æquiualere, cum ipſa finita & creata ſit; imo eo quòd ſit entitas modalis, ſubſtantia Angeli eam excedit, vt plures docent: Ergo & huic poterit deberi proprietas æquò perfecta. Confirmatur; vel Deitas eo quòd vniatur quaſi deprimitur ad finitatem in ordine ad fundandas proprietates, & reputatur quaſi eſſentia finita, vt anima ſpiritualis in ordine ad fundandas potentias materiales reputatur quaſi materialis, vel adhuc eſſentia diuina in ſua infinitate perſeuerat. Si primum? quid mirum, quòd ei ſufficiat proprietas communis eſſentiæ finitæ; ſicut animæ rationali conueniunt potentiæ materiales communes Bruto, nec magis perfectæ, quàm ſint proprietates, quæ Bruto conueniunt? Si ſecundum, gratia non emanat ab eſſentia diuina, vt proprietas; ſiquidem ipſi non commenſuratur, nec ad proportionem illius euehitur ſupra omnes proprietates creatas; aliàs gratia ſaltem perfectiſſima, & intentiſſima omnium poſſibilium eſſe deberet. 63

64 Reſpondeo ad hanc obiectionem decimam; licèt vnio hypoſtatica ſit in entitate ſimpliciter imperfectior quaſi vt *quod* reſpectu alicuius ſubſtantiæ creatæ; nihilominus in ratione fundandi proprietates excellentiores, ſeu vt *quo* eſſe perfectiorem, eâ enim excellentiâ, ſeu titulo excellentiæ, ob quam nequit vnio hypoſtatica eſſe connaturalis alicui ſubſtantiæ purè creatæ, ex eâ inquam excellentia habet vnio fundare exigentiam proprietatum; nec enim purè ratione ſui præciſè proprietates expoſcit, aliàs de facto melior proprietas deberetur etiam Angelo infimæ hierarchiæ, qui iuxta probabilem opinionem perfectior eſt in ſua entitate phyſica, quàm vnio hypoſtatica. Fundat ergo vnio hæc proprietates, vt concernit Verbum Diuinum, & quaſi per modum complexi cum illo. Vnde reſpondeo ſecundò vnionem hypoſtaticam ſecundùm ſe non eſſe menſuram adæquatam proprietatum, ſed quaſi inadæquatam, ſeu vt meliùs dicam conditionem, & organum limitans, vel determinans veram menſuram, & radicem, quæ eſt ipſa forma vnita: quare Verbum eſt, *quod*, & ratione cuius datur fundamentum in humanitate exigens gratiam; limitatur autem qualitas, intenſio, ſeu conditio gratiæ, quatenus Verbum tali vnione hypoſtatica copulatur cum humanitate, non autem copulatur perfectiſſima vnione identitatis, quo pacto infinitatem refunderet.

Vnio hypoſtatica ratione ſui non petit gratiam, ſed vt organum Verbi.

Ad confirmationem reſpondeo eſſentiam diuinam vnitam reputari non quidem vt ſimpliciter infinitam, hoc enim ſolùm habet in ſe, & ratione ſuarum proprietatum, vel attributorum; at vt alterius ordinis, & rationis ſupra omnem ſubſtantiam creatam, vtpote quæ eſt infinita in ſe licèt communicata modo finito; facienſque complexum ex finito, & infinito, cui etiam vt ſic nil creatum poteſt æquiualere; quod affertur de anima rationali, non vrget: nam cùm perfectio ſpiritualitatis finita ſit, bene poteſt ob conditionem vnionis ita deprimi vt in ordine ad fundandas proprietates, purè materiali æquiualeat, ſecus dicendum de Deitate ſimpliciter infinita. Quid? quod nec anima rationalis fundat proprietates adæquatas, ſeu adæquatè conuenientes ei, quæ communes ſint bruto; vna quidem aut alia tranſeat; at integra 65

Deitas vt vnita licèt non exigat proprietates ſimpliciter infinitas, at exigit alterius ordinis purè creatas.

Cur anima ſpiritualis contenta ſit vt vnita proprietatibus

communibus eſſentia purè materiali, Deitas verò exigat non communes etiam vt vnita eſſentia purè creata.

tegra proprietas, & ſecundùm ſe totam nullo modo. Aliàs vltima diſpoſitio embrionis hominum eſſet vltimò diſponens ad introductionem leonis, quod falſum eſt; Ergo cùm gratia eminenter ſaltem, & virtualiter ſit prima, & propinquiſſima proprietas reliquas omnes in Chriſto continens, nequit puræ creatæ conuenire. Vide dicta ſect. 2. num. 26.

66 Vndecimò obiicies Deitas poteſt vniri alicui ſubſtantiæ, quin in illa fundet gratiam ſanctificantem, neque aliam proprietatem, qua meliorem & perfectiorem fundare nequeat forma purè creata; Ergo ipſa gratia, quam fundat, non eſt cur ita excellens reputetur, quin ipſa vel alia proprietas æquiualens poſſit eſſe communis puræ creaturæ. Antecedens patet, ſi Deus aſſumeret naturam ignis, vt quando intelligitur vnitus cum corpore; nam ſuprema proprietas tali igni debita minor eſſet, quàm intellectus, & voluntas, quæ ad creatam ſubſtantiam conſequuntur: conſequentia etiam videtur bona; ſi enim ſemel excellentiæ Deitatis vnitæ non debetur titulo hypoſtaticæ vnionis proprietas ipſi ſoli propria, cur idem dici nequibit de gratia? quod à conditione vnionis, vel aliunde limitetur ſupereminens proprietas vt igne aſſumpto ratione conditionis ſubiecti; neque enim minorem vim habet limitandi proprietatis excellentiam vnio, quàm ſubiectum. Reſpondeo fortè ob hoc argumentum dicet aliquis repugnare vnionem hypoſtaticam cum natura completa irrationali, ne titulo vnionis huius nondum veniat in ſuppoſito aliqua proprietas ſuperexcedens cuilibet proprietati debitæ ſuppoſito purè creato. Dixi de natura *completa* irrationali, nam quòd incompleta ſit irrationalis, non obſtat, quin aſſumatur à verbo, vt aſſumptum fuit corpus in triduo; nam ſufficit perfectioni ſuppoſiti diuini, quòd ratione illius debeatur naturæ aſſumptæ rationalizari, ſeu compleri per ſe complemento ſubſtantiali; quod ſic eleuari, & ornari poſſit, & debeat (permanente ſubſiſtentia Deitatis) per proprietatem omnium ſupremam.

67 Reſpondeo abſolutè conſequentiam in obiectione eſſe nullam; primò, quia negandum non eſt, quin Deitas vnita poſſit ratione illius vnionis afferre alicubi nouum donum ſupra omnem ſubſtantiam creatam, ſeu ſupra omne, quod ſuppoſito pure creato debeatur; nam ex ipſis terminis notum eſt poſſe aduenire nouam perfectionem cuilibet ſubſtantiæ creatæ ratione huius vnionis cum Deitate, nouam, inquam, perfectionem, & maiorem, quàm habeat ſubſtantia creata ex ſe. Vt dixi num. 27. & ſequenti at nullum donum, & proprietas eſt perfectior gratia ſanctificante abſolutè, niſi ad ſummum ſecundùm magis, & minùs; ergo tota determinatio, & limitatio, quæ poteſt venire in Chriſto ex conditione vnionis, ſolùm erit quoad gradum intenſionis in proprietate gratiæ conſecutæ, non verò quoad ipſam excellentiam proprietatis ſecundùm ſe; ſiquidem iam videmus hanc eſſe ex ſuo ordine ſupremam. Secundò nulla eſt conſequentia obiectionis: nam dico ex qualitate vnionis neceſſariò venire limitationem, & determinationem quoad menſuram perfectionis, & intenſionis determinatæ: cùm enim vnio vtpote entitas creata in gradu determinato ſit, proprietates, quæ ad ipſam ſequuntur etiam determinatæ erunt; Cæterùm aio nihil poſſe conſiderari in hac vnione hypoſtatica (cùm ſit ad naturam rationalem recipientem ornatum per potentiam obe-

Vnio hypoſtatica cum humanitate nunquam poteſt eſſe ita limitata perfectionis, vt ei nō debeatur proprietas ſuprema.

dientialem) titulo cuius habeat improportionem ne ipſam ſequatur proprietas ex genere ſuo omnium perfectiſſima, cùm videamus ſequi gratiam ſanctificantem, quæ ita perfecta, & ſuprema eſt, vt conſtat ex dictis.

Obiicies vltimò gratiam non eſſe proprietatem Verbi, ſed vnionis, etenim hæc eſt, quæ completur, & perficitur, ſicut eſſentia per ſuas proprietates, vnde & ab vnione fit gratia, non verò à perſonalitate verbi. Tum ſic, ſed ad perfectionem vnionis hypoſtaticæ, vtpote finitæ, non repugnat aliqua pura creatura peruenire; Ergo neque repugnat, quòd ſit radix gratiæ ſanctificantis. Reſpondeo gratiam nullatenus eſſe dicendam proprietatem vnionis, ſed verbi; non quidem verbi ſecundùm ſe, ſed vt vniti, & communicati; Omnis enim proprietas, quæ dimanat ex vnione formæ ad ſubiectum, non ipſi vnioni, ſed formæ tribuitur ſeu compoſito vt tali. Compoſitum autem, ſeu ſuppoſitum Chriſti bene perficitur per gratiam, & hæc datur quaſi ex merito phyſico Verbi ſic vniti, quod ſufficit ad rationem proprietatis. Neque refert phyſicè non produci gratiam à perſonalitate Verbi (quamuis nec deſit, qui hanc productionem admittat immediatè, & formaliter fluentem ab ipſa relatione Verbi ſpecialiter; ita Franciſcus de Abra tract. de Incarn. cap. 3. quæſt. 3.) id enim non requirit proprietatis conceptus, vt plures cenſent de quantitate reſpectu materiæ primæ; imo communiter paſſiones dicuntur fieri à generante. 68

Gratia non eſt proprietas vnionis ſed Verbi.

SECTIO V.

Alia fundamenta proponuntur, ſeu ex aliis capitibus arguitur pro vera Sententia.

SEcundò arguo ex conceptu ſupernaturalitatis entitatiuæ, & quoad ſubſtantiam, viſio beata (idem de quolibet alio dono ſupernaturali) vt ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, & entitatem, nulli ſuppoſito creato debet eſſe connaturalis; ergo implicat ſubſtantia creata cui viſio beata ſit connaturalis, ergo & quæ in ſe ſupernaturalis ſit; hæc conſequentia patet ex ſect. 1. Item prima conſequentia, nam omnis ſubſtantia per ſe eſt de conſtitutiuo ſuppoſiti; vnde quod eſſet illi connaturale, connaturaliter deberetur ſuppoſito. Antecedens probatur, vt ſit aliquid ſupernaturale reſpectu alicuius ſuppoſiti, non requiritur quidem eſſe ſupra omne accidens, quod ſuppoſito inhæreat, nam homini ſupernaturalis eſt actus fidei, licèt non ſit ſupra Fidei habitum homini inhærentem. At requiritur, ne ſit de conceptu ſubſtantiali ſuppoſiti, ne ſit ipſi ſuppoſito debitum, quis namque vocaret de facto viſionem *ſupernaturalem*, niſi eſſet ſupra omnia ſuppoſita purè creata de facto; ergo omnia, quæ de facto ſupernaturalia dicuntur, reſpectiuè dicuntur talia, non ad accidentia, ſed ad ſuppoſitum ſubſtantiale, ergo vt aliquid ſit ſupernaturale abſolutè, debet eſſe indebitum, & ſuprà omne ſuppoſitum abſolutè. Conſequentia videtur bona, aliàs enim liceret etiam *ſupernaturale* appellare, quod eſt ſupra humanum ſuppoſitum licet non ſit ſuprà Angelicum, antecedens mihi euidentiſſimum eſt, qui enim *ſupernaturale*, & *gratioſum* dici poteſt alicui, id quod debitum ipſi, propriiſque viribus conſequibile eſt? Et qua alia 69

Prorſus euertitur ſupernaturalitatis conceptus, ſi vlli purè creatura donum ſupra naturam euectum deberi poteſt.

ratione *gratia* reſpectu ſuppoſiti Chriſti ſupernaturalis non eſt, niſi quia ipſum connaturaliter ſequitur? Confirmatur; ſupernaturale quoad modum, ſolùm ſecundùm quid eſt ſupernaturale, non quia ſemper, ſed ſolùm in his circumſtantiis determinatis eſt indebitum ſuppoſito; Ergò ſimiliter viſio, non erit ſimpliciter ſupernaturalis, ſi non omnibus, ſed certo ſubſtantiæ generi indebita ſit.

70 *Connaturalitas ſuppoſito diuino non deſtruit ſupernaturalitatis conceptum, ſecus creato ſuppoſito.*

Dices, vt ſit viſio quoad entitatem, & abſolutè *ſupernaturalis*, ſufficere, quod non ſit connaturalis ſuppoſito naturali, ſicut iuxta me ſupernaturalitas non deſtruitur, licèt ſit connaturalis ſuppoſito Diuino, quia ſuperat omne creatum. Sed contra, quia connaturalitas ſuppoſito Diuino non deſtruit, imo perficit ſupernaturalitatem, cùm ſuppoſitum Diuinum ſit prima radix, & fons totius ſupernaturalitatis: deſtruit verò reſpectu ſuppoſiti purè creati, nam in hoc non eſt, vnde appareat ſupernaturalitas, neque cur hoc ſuppoſitum ſit in ſuperiori ordine ad naturam: dices, quia ipſi connaturalis eſt viſio, vel gratia ſanctificans, quæ eſt ſupra omne ſuppoſitum naturale. Sed contrà vel ſuppoſitum naturale eſt omne creatum, & creabile abſolutè, vel ſolùm quod de facto creatum eſt. Si primum; obtinui; ſi ſecundum; ergo ſine detrimento ſupernaturalitatis intrinſecæ in viſione poſſet hæc connaturalis eſſe cuilibet Angelo perfectiori exiſtenti.

71 *Viſio non poteſt probari abſolutè ſupernat. ſi ſubſtantia creata ſit ſupernaturalis.*

Occurres; ſuppoſitum naturale eſſe ſubſtantias creatas, & creabiles non omnes, ſed his affines, id eſt, quæ non connectuntur cum viſione, & gratia, ſed cui viſio eſt indebita. Sed contra, tum quia hoc pacto dicere, quòd viſio eſt indebita ſuppoſito naturali; ſeu ſupra naturam, eſſet idem, ac dicere, quòd ſit ſupra ſuppoſitum, cui viſio non debetur; quod eſt idem per idem, vnde ridiculè ex ſupernaturalitate entitatiua viſionis inferetur, quod naturæ non debeatur viſio: tum etiam ſic; licèt cuilibet Angelo poſſibili deberetur viſio, adhuc hæc eſſet ſupernaturalis, nam adhuc foret ſupra naturam, cui viſio eſt indebita. Confirmatur; non magis repugnat connaturalitati *violentum, præternaturale*, quàm *ſupernaturale*. Sed in terminis implicat ſubſtantia violenta præternaturalis, ergo & ſupernaturalis.

72 *Non ſolùm hæc viſio Dei, ſed omnis eſt ſupern.*

Ideo dices viſionem hanc Dei eſſe ſimpliciter ſupernaturalem, quia omne ſuppoſitum creatum, & creabile ſuperat; adhuc tamen poſſibile eſſe ſuppoſitum, cui ſit connaturale videre Deum per aliam viſionem, & hoc dicendum *ſupernaturale*, quia connaturale eſt ipſi, quod nobis contingit per formam ſupernaturalem. Sed contrà primò quia non ſolùm videre Deum per hunc actum, ſed ipſe effectus formalis *videndi Deum* eſt ſupernaturalis. Vnde Pelagianiſmi damnaretur, qui viribus naturæ id putaret obtineri poſſe per aliquem actum. Ergo ſicut titulo ſupernaturalitatis hic actus in ſpecie nulli ſuppoſito creabili poteſt eſſe connaturalis, ita neque in genere hoc, quod eſt *Deum videre*. Contra ſecundò, titulo excellentiæ in effectu formali videndi Deum, viſio, & totus ordo ſupernaturalis ponitur ſupra vires, & exigentiam Angeli ſupremi, quantæcunque perfectionis ſit, ſed nulla ratio eſt, cur ſuperet exigentiam talis Angeli, niſi quia ex conceptu ſuo ſuperat omne ſuppoſitum creabile; nullum enim ſpeciale impedimentum affert hic Angelus huic perfectioni, niſi quod creatum ſit, vel aſſignetur tale impedimentum; ergo.

Confirmatur, & explicatur totum argumentum; 73
poſſibilis eſt ordo ſupernaturalis reſpectu omnis ſuppoſiti creati, & creabilis, ſeu eleuatio, & donum creatum ita perfectum, vt nulli purè creaturæ debeatur titulo excellentiæ, & altitudinis talis doni; ergo huiuſcemodi eſt ordo ſupernaturalis, qui de facto datur. Antecedens probatur, tum quia cùm omne ſuppoſitum purè creatum ſit finitum, ſubiectum eſt Deo, vt amplius ſupra ſuam naturam ornetur, ſentiatque effectus proprios ſolius gratiæ, & liberalitatis Dei: tum etiam quia eo ipſo quòd vna creatura ſit perfectior alia, non repugnat à prima in ſecundam deriuari aliquam qualitatem ſupra vires ſecundæ, ideo Angelus ſuperior illuminat inferiorem ſuprà vires, & intellectum proprium inferioris; ergo cùm Deus infinitè diſtet à qualibet ſubſtantia creata, ſemper poterit ipſam eleuare ad modum agendi, & operandi ſupra ipſius vires, & naturam. Sic Aug. 9. de Geneſ. ad litt. cap. 17. & 18. ait pertinere ad dignitatem Dei, *quod poſſit aliqua facere ſupra omnem naturam.*

Confirmatur argumentum. Ex poſſibilitate doni omni purè creaturæ indebiti. — Auguſt.

Nec valet, ſi dicas ſubſtantiam naturalem cum 74
lumine etiam eſſe finitam, nec tamen poſſe hoc coniunctum eleuari (nam ſi poteſt, ruit argumentum) ad modum agendi perfectiùs. Reſpondeo non ex ratione Finiti, vt ſic, à me colligi eleuabilitatem, ſed ex Finito per modum ſuppoſiti, cui ſcilicet attribuitur operatio; hoc enim eſt, quod ſi non poſſet eleuari ſupra propriam naturam, argueret independentiam à benefactore, inindigentiam liberalitatis illius; tolleretque titulum agendi gratias, & redigendi donum in putam beneficentiam, & liberalitatem Dei, quod non tollitur, quamuis coniunctum ex ſubſtantia, & lumine non poſſit vlterius eleuari. Nam hic iam includitur ipſa liberalitas Dei, iam qui acturus eſt gratias, ſcilicet homo) neque enim ipſum beneficium, & Donum gratias agit, ſed ſuppoſitum recipiens donum) manet obnoxius gratitudini.

Nullum eſt ſuppoſitum creatum, quod non ſit eleuabile ad ſuperius donum; & operationes ſupra ſe.

Nunc verò illa conſequentia §. 73. Probatur pri- 75
mò. Quia aliàs ſupernaturalitas præſens dicenda foret talis ſolùm ſecundùm quid, cùm non ſit ſine addito, & abſolutè *gratioſa*, ac *indebita*, ſicut illa. Secundò quia ordo gratiæ, & ſupernaturalitatis, qui de facto datur, prædicatur à PP. vt ſupremus donumque huius gratiæ, quam nobis Deus impertitur omnium poſſibilium excellentiſſimum, nam communiter intelligunt de gratia hac illud prouerbior. 8. *Melior eſt cunctis opibus pretioſiſſimis, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari*; item ait Bernardus ſermone 28. in Cantica columna ſecunda. *Chariſſima peroptimum charitas eſt planè incomparabile, & infra; quid nam huic comparandum putemus*: Auguſt. 15. de Trinit. cap. 14. *Nullum eſt iſto Dei dono excellentius*; & tom. 10. homil. 50. de Verbis Domini: *Quale bonum eſt caritas iſta, fratres? Quid pretioſius*, &c. Ita etiam S. Bonauentura cum Scholaſticis in 2. diſtinct. 27. articul. 1. quæſt. 2. ad 2. ait gratiam eſſe primum, & excellentiſſimum inter dona creata. Hæc autem omnia ſtare nequirent ſi aliquod donum creatum à gratia diſtinctum admitteretur poſſibile, ad cuius excellentiam nulla pura creatura poſſet habere proportionem, & condignitatem, cum tamen eam dignitatem haberet reſpectu gratiæ. Tertiò nullum eſt donum purè creatum ita excellens, quod non poſſit cadere ſub condignitatem huius gratiæ, vt dicam in materia de merito, & Incarnatione. Hinc ex eo quòd homo iuſtus non poſſet mereri remiſſionem

Gratia eſt donum ſupremum. — Prouerb. 8. — Bernard. — Auguſt. — Bonauent.

remiſſionem peccati mortalis, infertur neceſſitas Incarnationis, & meritorum *hominis Dei*; ergo ſi aliquod donum purè creatum eſt ſupra omne ſuppoſitum, implicat, quòd hæc gratia ſit alicui ſuppoſito connaturalis, & debita, aliàs ex conſequenti tale donum illi deberetur.

76 Denique perfectio huius ordinis gratiæ ſupra omne donum & eleuationem creatam probatur; quia implicat creaturam magis eleuari per dona creata, quàm vt habeat conſortium cum Deo, & modum operandi maximè Dei proprium, ſcilicet per intuitionem, & amorem boni Diuini. Si dicas poſſe hoc ipſum perfectius habere per intenſius lumen, & gratiam; vnde iam relinquetur aliquid, per quod Deus eleuare poſſit omnem creaturam, ſcilicet per lumen, & gratiam magis intenſam, nullique creaturæ ſub ea intenſione connaturalem. Item ſic relinquitur hæc dona gratiæ, quæ de facto dantur, eſſe ſupernaturalia abſolutè, quia ſcilicet ſunt eiuſdem ordinis ſecundùm ſe cum illis intenſis. Sed contra quia niſi ex genere ſuo ordo iſte ſupernaturalis ſit indebitus, creſcentè per intenſionem perfectione ſuppoſiti creati, tandem hoc peruenire poterit ad proportionem cum gratia, & donis ſupernaturalibus quantumuis intenſis; ergo ſi non poteſt dari ordo ſupernaturalis ex genere, & ſecundùm ſubſtantiam perfectior exiſtente, hic debet eſſe eſſentialiter eleuatiuus, & indebitus omni ſuppoſito creato.

Probatur ſumma excellentia ordinis ſupernat. ex genere ſuo.

77 Tertium argumentum ſit, implicat ſubſtantia creata, cui ſit connaturalis vnio hypoſtatica; ergo implicat, cui connaturalis ſit gratia, vel aliud donum ſupernaturale; antecedens eſt omnino certum, quis enim audeat in dubium vertere, vlli ne ſubſtantiæ purè creatæ vnio hypoſtatica debeatur; aliàs ſtrictiſſimè diceretur quòd veniret Deus in cõpoſitionem cum aliis, & quod alicui creaturæ debeatur vt complementum Diuinitas, vnde non eſſet mirandus error, quòd Deus foret anima mundi, ſeu pars compoſiti creati. Iam conſequentia probatur etiam eiſdem argumentis, quæ poſita ſunt ſect. 1. pro contraria ſententia. Nam ſi entitati modali creatæ, qualis eſt vnio, conceditur connaturaliter, imo eſſentialiter deberi, & coniungi Verbum Diuinum, cur non & ſubſtantiæ perfectiori? Item complexum ex vnione hypoſtatica & humanitate finitum eſt: Ergo ſubſtantia indiuiſibiliter illi æquiualens non erit infinita. Denique non eſt contra conceptum ſubſtantiæ creatæ vt ſic exigere connaturaliter Verbum ſibi intrinſecum, cùm id conueniat vnioni, quæ eſt ſubſtantia modalis; ergo idem dici poterit de ſubſtantia abſoluta.

Probatur impoſſibilis ſubſtantia creata ſupernat. ex impoſſibilitate creaturæ, cui ſit debita vnio hypoſtatica.

78 Dices cum Ripalda diſput. 23. num. 86. nulli eſſentiæ deberi poſſe proprietatem perfectiorem abſolutè, quàm ipſa eſſentia; ſubſiſtentia autem gerit munus proprietatis, & hinc creaturæ imperfectæ non poſſe deberi vnionem cum ſubſiſtentia Diuina. Sed contra, vniatur Deus non per modum ſubſiſtentiæ, ſed formæ abſolutè complentis incompletionem alterius compartis, quæ ſe haberet per modum potentiæ receptiuæ, nam contra rationem talis potentiæ non eſt eſſe longè perfectionis inferioris. Dices ſecundò etiam hoc implicare, quia non poteſt vniri per modum formæ niſi ens incompletum, & receptum in ſubiecto; vtrumque autem repugnat Deo, vnde nec per vnionem indebitam poteſt Deus vniri creaturæ per modum formæ. Sed contra, quia licèt Verbum non ſit incompletum, nec recipiatur, adhuc facit vnum per ſe cum humanitate ſtante incompletione ex parte ſolius humanitatis; ergo ita hic contingere poterat, deinde licèt poſſibilis eſſet vnio Deitatis per modum formæ, adhuc nullus admitteret ſubſtantiam creatam, cui connaturaliter deberetur talis vnio, quod præſenti argumento ſat eſt.

Occurritur ſolutionibus.

Quartum argumentum: In hac materia communiſſimum, ſi daretur ſubſtantia ſupernaturalis, eſſet natura ſua impeccabilis, ſed implicat pura creatura natura ſua impeccabilis; ergo. Maior ſuadetur; tali ſubſtantiæ connaturalis eſſet gratia ſanctificans; & alia dona ſupernaturalia, vt dixi à §. 11. ergo per ſuam eſſentiam eſſet ſanctitas. Conſequentia hæc probatur, nam eſſet prima radix ordinis gratiæ, & donorum ſupernaturalium, non autem alia ratione ipſa gratia habet in nobis conceptum Sanctitatis, niſi quia ſic eſt prima radix, item quia cùm tota perfectio gratiæ contineatur eminenter in ea ſubſtantia, conſequenter etiam continebitur ipſa Sanctitas, & quidem continentia formali; nam nihil eſt æquè perfectum, ac formalis Sanctitas, perfectum autem nequit in imperfecto contineri: ſed implicat quòd ab ipſamet Sanctitate poſſit oriri peccatum iuxta illud 1. Ioan. 3. num 9. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ex Deo natus eſt.* Hoc eſt, vt expendit Auguſt. lib. 1. de gratia Chriſti, cap. 25. *iuſtus prout ex iuſtitia operatur, & gratia, peccare non poteſt; quia charitas ſecundùm quam natus eſt ex Deo*; verba ſunt Auguſtini. *non agit perperam; nec cogitat malum, cùm ergo peccat homo non ſecundùm charitatem, ſed ſecundùm cupiditatem peccat, ſecundùm quam non eſt natus ex Deo, quoniam illa vtriuſque radicis eſt capax:* manifeſtum eſt igitur quòd ipſa Sanctitas peccabilis non eſt, & huius ratio eſt clara, quia repugnantiam inuoluit eſſe principium formale ſanctificandi illud, quod ex ſe eſt principium peccandi, cùm nihil ſit à ſanctitate alienius, & certè nullus poteſt eſſe titulus tantæ excellentiæ in entitate, quæ peccare poteſt, vt adhuc cenſeatur ipſa Sanctitas formalis; ergo ſubſtantia ſupernaturalis, ſi daretur, eſſet natura ſua impeccabilis.

79 *Ex impoſſibilitate ſubſtantiæ creatæ impeccabilis.*

1. Ioan. 3.

Auguſt.

Subſtantia ſupernatur. neceſſariò foret impeccabilis.

Hoc autem implicare ſic probo: Implicat ſubſtantia volitiua, quæ ſeipſam amare nequeat, cui propria bonitas, & id, in quod innata propenſione inclinat, improportionatum ſit, vt ametur, hoc euidentiſſimum eſt iuxta illud *amabile bonum, vnicuique autem proprium.* Vnde quantumcunque limitata concipiatur voluntas, ſaltem ad ſe amandum ſemper valebit, eſt enim propria bonitas obiectum maximè ipſi connaturale, tum ſic. Sed ſolius Dei eſt proprium, quod ſemper ſit honeſtum ſe amare, ſe nulli præponere, operarique iuxta inclinationem ſuæ voluntatis, cùm ſolùm amor Diuinus nullo titulo poſſit eſſe prohibitus, Diuinaque bonitas nunquam poſſit eſſe moraliter mala, bonitas autem cuiuſuis creaturæ quantumuis excellentiſſimæ, cùm finita ſit prohiberi poſſit à Deo; ergo proprium eſt ſolius Dei eſſe determinatum ad amabile honeſtum. Confirmatur; proprium eſt ſolius Dei nihil poſſe eſſe bonum morale, quod non ſit ipſi phyſicè bonum, & è contrà, nihil bonum ipſi phyſicè poteſt eſſe moraliter malum, etenim cuilibet creaturæ quantumuis perfectæ plura ſunt bona phyſicè, quæ poſſunt eſſe moraliter mala; cùm enim ſubiecta ſit voluntati ſuperioris Dei, poteſt Deus prohibere ipſi phyſicas perfectiones. Tum ſic, ſed ſola natura, cui bonum proprium, & phyſicè

80 *Repugnantia impeccabilis ſubſtantiæ ſpeciali ratione mihi probatur.*

Solius Dei eſt proprium, quod ſemper ſit honeſtum velle ſui exiſtentiam,

phyſicè perfectiuum non poteſt eſſe moraliter malum, & cui è conuerſo peccare, ſeu malum morale non poteſt eſſe bonum, & conueniens vlla ratione, ſola inquam talis natura eſt determinata ad honeſtum, & impotens peccare, ſeu amare obiectum prohibitum; vbi enim perfectio phyſica eſt prohibita, & peccatum iam obiectum turpe, & prohibitum proponitur ſub ratione boni, & conuenientis tali naturæ, & conſequenter amabile eſt; ergo ſolius naturæ Diuinæ eſt eſſe determinatam ad amandum honeſtum, ſeu non poſſe peccare.

81 Qua probatione bene intelligitur quo pacto ſit Dei proprium eſſe primam Regulam honeſtatis moralis, neque enim hoc habet Deus præcisè ex eo quòd actus, qui conformatur actibus Dei, iam honeſtus appareat, ſic enim etiam actus honeſtus creatus foret prima Regula, nam per conformitatem cum tali actu colligitur manifeſte honeſtas, in alio eidem conformi. Ideo igitur ſpecialiter Deus eſt prima Regula, quia per meram conformitatem, & conuenientiam ad eius naturam phyſicè ſpectatam ſtatim apparet honeſtas moralis, quod creaturæ competere nequit, vt dixi, nam plura phyſicè conuenientia creaturæ poſſunt eſſe prohibita. Et ſic accipiendus eſt D. Th. 1. p. q. 63. art. 1. dum impeccabilitatem per naturam reijcit à creatura, ne ſit prima Regula honeſtatis, de quo latè cum ipſo agemus in materia de Angelis.

Explicatur quo pacto ſolus Deus ſit. 1. Regula honeſtatis.

S. Thom.

82 Vltimum argumentum proponitur communiter ex eo quòd repugnet creatura cui per ſuam naturam competat eſſe beatam, ſeu lumen gloriæ, ſed de hoc infra cum ſancto Thoma art. 4. & 5. diſput. 27.

S.Thomas.

SECTIO VI.

Soluuntur argumenta propoſita in ſectione prima.

83 AD primum argumentum in §. 2. reſpondeo licèt formaliter, & immediatè non appareat infinitas in ſubſtantia, cui eſſet connaturalis gratia, at arguitiuè, & materialiter, ſeu realiter infertur eſſe infinitam talem ſubſtantiam, vt patet in rationibus adductis. Sic formaliter non apparet infinitas in virtute creatiua, tamen ſubſtantia, cui connaturaliter ineſſet talis virtus, iuxta communem ſententiam inferretur infinita, quia argueretur habere omnipotentiam. Ita ergo ſubſtantia, cui eſſet connaturalis gratia ſanctificans, argueretur habere naturam diuinam, hoc pacto ſoluit ſimile argumentum S. Thomas hac q. 12. art. 5. cùm enim ſibi obieciſſet lumen gloriæ eſſe quid creatum, ac proinde poſſe eſſe connaturale alicui creaturæ reſpondet. *Ad tertium dicendum, quòd diſpoſitio ad formam ignis* (quòd accipe ſiue de diſpoſitione antecedenti, ſiue conſequenti, quæ eadem eſt cum proprietate, ſeu paſſione, nam hoc perinde eſt ad mentem S. Thomæ) *non poteſt eſſe naturalis niſi habenti formam ignis. Vnde lumen gloriæ non poteſt eſſe naturale creaturæ, niſi creatura eſſet natura Diuinæ, quod eſt impoſſibile. Per hoc enim lumen fit creatura rationalis Deiformis, vt dictum eſt;* quibus verbis pulcherrimè argumentum diſſoluit, totamque meam doctrinam de ſupernaturalitate expreſſit, nam ſtatuit lumen gloriæ eſſe proprium diuinæ naturæ, vt *eſt calor ignis*, item hoc probat ex eo quòd nos reddat *Deitatis participes*, ſeu Deiformes. Rurſus ex eodem capite infertur quòd nequeat ſubſtantiæ creatæ eſſe connaturale lumen gloriæ, & à fortiori gratia ſanctificans, idemque dicendum de quolibet dono ſupernaturali, vt ſuprà oſtendi, quin arguatur in tali ſubſtantia diuinitas, ſeu quòd habeat diuinam naturam, ſicut arguetur habere naturam ignis, cui diſpoſitio ad formam ignis, hoc eſt calor vt octo, connaturalis eſt.

Quo pacto inferatur infinita ſubſtantia ſupernat.

S. Thomas.

Ratio autem ob quam debitum connaturalitatis accidentium tantam perfectionem arguat in ſubſtantia, quantam non arguunt, cùm ſupernaturaliter donantur, eſt, quia quando dimanant connaturaliter, tota eorum perfectio exiſtit titulo ſubſtantiæ, in huiuſque nobilitatem, vt in primam radicem reducuntur, quando verò *ſupernaturaliter*, ſolùm refunduntur in donantis potentiam. Ex quo etiam fit, vt quod vnum accidens alteri connaturale ſit, non ita eleuet accidentis, è quo dimanat, perfectionem, ſicut ſubſtantiæ, quia videlicet cùm accidens non exiſtat ratione ſui, & propter ſe, ſed propter ſubſtantiam, ideo enim accidens dicitur *entis ens*, accidentis perfectio, non fundatur in alio primo accidente, è quo fluit, neque eſt propter ipſum, ſed rurſus integrum coniunctum ex vtroque accidente in aliud prius neceſſariò reducitur, per quod patet ad primam probationem pro connaturalitate gratiæ ſubſtantiæ creatæ, conſtatque diuerſam eſſe rationem, vt donum ſupernaturale potiùs connaturale ſit accidenti purè creato, quàm ſubſtantiæ puræ. 84

Supernaturale poteſt connaturaliter ex accidenti dimanare, ſecus vero ex ſubſtantia abſoluta.

Quod affertur ibidem in ſecunda probatione deſumpta à paritate coniuncti ex natura & gratia, nihil vrget, plura namque diſperſa finitatem habent, & identificata infinita ſunt, ita huic coniuncto *ex voluntate, & actu libero*, quod in entitate finitum eſt, implicat aliquid creatum per ſuam entitatem omnino ſimplicem, & indiuiſibilem æquiualere; quis enim niſi victus infinitate perfectionis diuinæ admittet entitatem neceſſariam identificantem ſecum prædicatum, & denominationem realem contingentem. Similiter complexum ex ſubſtantia creatâ, & cognitione finitum eſt, nihilominus communiter putatur impoſſibilis ſubſtantia creata, quæ per ſuam ſubſtantiam ſit cognoſcens, & conſequenter tali complexo nequit aliquid indiuiſibile, niſi infinita ſubſtantia æquiualere, & in præſenti non admittes ſubſtantiam purè creatam complexo ex humanitate, & vnione indiuiſibiliter æquiualentem, licèt etiam hoc complexum finitum ſit, vt dixi ſect. præd. §. 77. Et ratio eſt, quia vinculum identitatis immutat notabiliter rerum eſſentiam, modumque eſſendi, vt patet in allatis inſtantiis. Cùm autem dicitur quod *ad æquiualendum finito, non requiritur infinitas*, de æquiualentia in perfectione verum eſt, & hinc admittam ſubſtantiam purè creatam æquè perfectam, ac complexum ex gratia, & natura: Falſum tamen eſt de æquiualentia in effectu formali, imò ſæpe impoſſibile, quia ſcilicet pluries effectus formalis ſuam poſſibilitatem fundat in diſtinctione, vt ſi diceres poſſe fieri beneficium, & liberalitatem ſtrictam per donum indiſtinctum à recipiente, clariuſque patet in effectu formali *producentis, dualitatis, relationis*, &c. 85

Plura diſperſa finita ſunt, & identificata infinita.

Ad æquiualendum finito, quando requiratur infinitas.

Ad tertiam inſtantiam, ſeu probationem adductam ibidem §. 2. Reſpondeo excellentiam ſupernaturalitatis aliquando fundari in effectu formali ſecundùm ſe, & ex genere ſuo, aliquando ſolùm fundari 86

Duplex ſupernaturalitas in effectu.

fundari eam ſupernaturalitatẽ in modo, quo communicatur effectus formalis per talem qualitatem, & formam: Primum habet viſio Dei, hoc enim quod eſt *videre Deum* intuitiuè ex genere ſuo inuoluit ſupernaturalitatem, ſiue fiat per hunc actum ſiue per illum, vt dixi §. 71. & ideo nulli ſubſtantiæ creatæ poteſt conuenire æquiualentia ex propria natura tali effectui formali. In ſecũdo verò euentu non obſtat æquiualentia ſecundùm ſe (vt patet in ipſo Angelo, quem non dices eſſe *ſubſtantiam ſupernaturalem*) niſi æquiualentia ſit ſecundùm illum modum, & conditionem, qua talis forma participat ſupernaturalitatem, hoc autem reperiri nequit in ſubſtantia; quæ diuina non ſit, vt ſæpius dixi.

87 Ad 2. argum. in §. 3. Reſpondeo *ſupernaturale* ſimpliciter ſolùm dici relatè ad *Naturam* creatam, quia hæc eſt principium motus, quæ eſt præcipua ſignificatio naturæ, tum maximè quia ordo ſupernaturalitatis eſt ordo gratiæ, & liberalitatis Dei erga creaturas; ergo relatè ad ipſas debet eſſe *indebitus*, & ſupra exigentiam. Quare licèt poſſit gratia eſſe connaturalis ſubſtantiæ Dei, non tamen puræ creaturæ. Neque omnia, quæ inueniuntur in Deo, aſſignari formaliter, vel communicari creaturis etiam in minori gradu poſſunt, vt patet de virtute creandi, comprehendendi Deum, &c. niſi quando perfectio communicata talis conditionis eſt, vt ſeruare poſſit ſuum conceptum formalem etiam in gradu inferiori, tale eſt *eſſe materiale*, vel *intellectiuum*, ſecus eſſe primam radicem ratione ſuæ ſupernaturalitatis, quo patet ad primam, & ſecundam probationem conſequentiæ ex ſubſtantia ſupernaturali Diuina ad creatam. Ad 3. reſpondeo etiam in creatis reperiri ſedem propriam ſupernaturalitatis creatæ in actu ſecundo & primum, & radicale principium, cui connaturaliter debeatur, hoc eſt ſuppoſitum Chriſti; verè enim, & ad meam ſententiam aptiſſimè interpretatus eſt Cyrillus Alexandrinus verba illa 1. Ioan. 13. *Dedi illis poteſtatem Filios Dei fieri*, ſcilicet *vt aſcendamus ad ſupernaturalem dignitatem per Chriſtum non tamen vt propriè, ſicut ille, ſed vt ſimilitudine illius per gratiam Filij Dei ſimus*; Quaſi tota ſupernaturalis dignitas ex Chriſto deriuetur iuxta dicta diſput. præcedenti, & ipſi tanquam proprietas inſit ſupernaturalis ordo, ex quo actus ſecundus ſupernaturalitatis ſuo actui primo proportionato correſpondebit.

Supernaturale *ſolum dicitur relatè ad* Naturam creatam.

Cyrillus Alexand. 1. Ioan. 13.

88 Ad tertium argumentum nego poſſibilem eſſe quamcunque ſubſtantiam creatam ſupernaturalem, etiam quæ modus ſit præter vnam vnionem hypoſtaticam. Diſcrimen modi huius ad alias ſubſtantias in primis ab omnibus debet aſſignari, aliàs inferre poteras ſubſtantiam *abſolutam*, cui connaturalis foret coniunctio cum Deo, vt dixi ſect. 5. deinde ratio eſt, tum quia quidquid perfectionis eſt in vnione non in ipſam, ſed in extrema refunditur, quare quoad hoc participat naturam accidentium, neque ita euehitur eius excellentia per connexionem connaturalem cum donis ſupernaturalibus, ſicut aliæ ſubſtantiæ, eſt enim vnio hypoſtatica via, qua communicatur excellentia, non eſt ipſa excellentia, vti in actione nulla reſplendet virtus actiua, ſed tota eſt in agente: tum etiam quia tota radicatur vnio in Diuino eſſe, ac quaſi conſequitur ad ipſum, & hinc habet, vnde hauriat ſupernaturalitatem; non ita autem aliæ ſubſtantiæ etiam modales. Denique

Diſcrimen inter vnionem hypoſtaticam, & alias ſubſtantias; cur illi debeantur ſupernaturalia dona.

eſſe vnioni hypoſtaticæ connaturalem gratiam; non tam eſt deberi ipſi gratiam, quàm perſonalitati Verbi, quæ per illam applicatur, quemadmodum calefactio non tribuitur vbicationi ignis, licèt ad illam conſequatur. Quare non deſtruit ſupernaturalitatis conceptum, qui petit ſupernaturalitatem eſſe indebitam puræ creaturæ; ſcilicet vt pura eſt, non autem vt affert aliquid Diuinum; quod titulo ſui debitum includat, ſic veriſſimum eſt ſatisfactionem æqualem pro mortali eſſe ſupra omnem creaturam, quia licèt vnio hypoſtatica cum ea connectatur, non tamen ratione ſuæ perfectionis propriæ, ſed extremi, quod trahit. Ex quo patet, cur non ſit poſſibilis ſubſtantia, vel forma ſubſtantialis ſupernaturalis, neceſſarium enim foret, vt ipſi ratione ſui deberetur gratia ſanctificans tanquam proprietas, cùm ipſa non haberet, vnde in Deum vt radicem primam refunderet hanc excellentiam, quod amplius conſtabit ex ſolutione quarti argumenti; ſpecialiter autem repugnat ſubſiſtentia creata ſupernaturalis, quin neceſſario eſſentia; quam complet, ſupernaturalis ſit, nam de conceptu ſubſiſtentiæ eſt dimanare ab eſſentia, cuius eſt complementum per ſe ſubſiſtentia.

Supernaturalitas qualiter indebita ſit puræ creaturæ?

Explicatur exemplo ſatisfactionis pro mortali.

Implicat ſubſiſtentia creata ſupernat.

Ad quartum argumentum in 5. §. reſpondeo implicare ſubſtantiam ſupernaturalem, quæ per modum formæ conſtituat vnum per ſe cum ſubiecto naturali, ſi talis forma purè creata ſit. Ratio eſt, quia vel eſſet ſupernaturalis, eo quòd vt prima radix afferret in ſuppoſitio gratiam, & alia dona ſupernaturalia. Vel præciſè eo ſolùm quod entitatis talis ſit, vt ſuperaret naturam ſui ſubiecti, & eius exigentiam, ſed primum iam dixi eſſe contra conceptum creaturæ afferre ratione ſui proprietates, quæ ad *eſſe* Diuinum conſequuntur. Si ſecundum? ſecluſa exigentia, & connexione cum gratia ſanctificante, gratis fingitur in ea forma tanta excellentia, vt ſuperet exigentiam omnis ſubiecti poſſibilis; cùm (retorqueo argumentum (anima rationalis ſuperans adeo perfectionem materiæ. adhuc ſit iuxta exigentiam eius, & vt ponis creſcere perfectionem talis formæ, cur non etiam poterit creſcere virtus agentium naturalium, vt in ſe contineat illam formam, ſi nullum conſortium Diuinitatis in ea reſplendeat. 89

Implicat forma ſubſtantialis creata.

Denique eſt manifeſtum diſcrimen in forma ſubſtantiali præ accidentali, ob quod contradictionem implicat eſſe ſupra exigentiam omnis ſubiecti: Nam vel forma ſubſtantialis accedit ſubiecto completo ſubſtantialiter, vel incompleto? Si primum, talis forma erit accidens, quidquid enim aduenit ſubſtantiæ completæ per accidens ineſt. Si ſecundum? vel ſubiectum eſt *incompletum* per ſe ad illam formam, & ſic talis forma non erit ſupra eius exigentiam, nam ſubiectum dicet tunc ordinem, & exigentiam ad illam; omne enim incompletum exigit compleri. Rurſus, vel ſubiectum eſt *incompletum* per accidens reſpectu talis formæ? & ſic forma erit per ſe loquendo, incomplebilis, cùm per ſe non reſpiciat ſubiectum ipſi aptum, ſed potiùs repugnans, quod eſt contra naturam entis incompleti; cùm enim per ſe ordinetur ad ſui complementum reſpicere debet ſubiectum per ſe non repugnans tali complemento; (hoc eſt per ſe non completum ſubſtantialiter; quod enim per ſe completum ſubſtantialiter eſt, per ſe repugnat, 90

Cur potiùs repugnet forma ſubſtantialis ſupernaturalis, quàm forma accidentalis.

gnat, ſubſtantialiter vlteriùs compleri) ſicut & accidentia ſupernaturalia per ſe reſpiciunt ſubiectum ita non repugnans,nam licèt natura non exigat poſitiuè accidentia ſupernaturalia, tamen poſitiuè non repugnat illis; hoc eſt, nihil affert per ſe, quod præternaturale, & incompoſſibile ſit exigentiæ, & conditioni talium accidentium: Neque accidentia ſupernaturalia comparata cum ſubiecto, cui inſunt, reſpiciunt aliquid deſtruens conditionem accidentis, ſiquidem accidens præcisè petit in ſubiecto capacitatem obedientialem quæ ſtat, etiamſi ſubiecto ſit extraneum; ſubſtantialis verò forma vlteriùs petit, quòd tale ſubiectum per ſe ordinetur, vt ad complementum ſuum, ad eam formam; etenim forma quæ vltra ordinationem per ſe cuiuſuis ſubiecti eſt, nullum titulum habet, ex quo ſubſtantialis, & non potiùs accidentalis cenſeatur, vt ex differentia, quæ communiter aſſignatur inter accidens, & ſubſtantiam patet, & hæc ad 4. argum.

91 Item ad confirmationem in §.6. reſpondeo licèt non ſit de conceptu actus ſubſtantialis connaturaliter ineſſe omni comparti, cum qua facit vnum per ſe, eſt tamen, quòd habeat aliquam propriam compartem, cui connaturalis ſit, quemadmodum Verbum connaturale eſt propriæ naturæ, forma cœleſtis materiæ propriæ; etenim in eo diſtinguitur forma ſubſtantialis ab accidentali, quòd illa per ſe eſt de complemento alicuius ſubſtantiæ, non poteſt autem per ſe pertinere ad complementum alicuius rei illud, ſine quo talis res eſt per ſe completa; ergo neceſſarium eſt, vt aliquis actus ſit ſubſtantialis,quòd ipſi correſpondeat alia compars per ſe incompleta in ordine ad illum, & conſequenter quod talis actus ſit alicui comparti connaturalis. Confirmatur; nam ipſa gratia habitualis non alia ratione accidentalis cenſetur, incapaxque, vt ſit de complemento alicuius ſubſtantiæ quanquam eſt prima radix in nobis accidentium ſupernaturalium, niſi quia nulla ſubſtantia eſt per ſe incompleta per ordinem ad illam; ergo ſtare nequit ſubſtantialitas alicuius actus, ſi ad ipſum per ſe omnia ſuppoſita comparantur vt completa. At nequit vna res ad alteram comparari per ſe vt incompleta, niſi ipſam exigat connaturaliter; ergo prorſus implicat actus ſubſtantialis, ſeu faciens vnum per ſe, ſi ſit ſupra exigentiam cuiuſuis ſubiecti, vel compartis, nullique connaturaliter accedat, & conſequenter hoc titulo repugnat ſubſtantia ſupernaturalis.

Omnis forma ſubſtantialis debet reſpicere aliquam materiam cui connaturalis ſit.

Gratia ſanctificans cur non ſit ſubſtantia.

DISPVTATIO XXI.

Vtrum poſſibilis ſit viſio Dei per potentiam corpoream.

Sectio I. *Implicat viſio corporea Dei à ſenſibus de facto exiſtentibus procedens.*

Sectio II. *Statuitur ratio à priori repugnantiæ ne potentia materialis de facto eleuetur ad videndum Deum.*

Sectio III. *Obiectis in ſectione prima contra veram concluſionem ſit ſatis.*

Sectio IV. *Vtrum poſſibilis ſit aliquis ſenſus, ſeu potentia materialis eleuabilis ad videndum Deum? Aliorum rationes repugnantiæ examinantur.*

Sectio V. *Quid dicendum ſtando rationi?*

VT ſolùm proprio, & vero huius tractatus ſcopo intenti ſimus, ne *viſionis* nomen corporeæ tantùm, vnde ſumptum eſt, intuitioni adaptetur, libet hanc à præſenti controuerſia, ſed non inſalutatam reijcere, cùm de ea agat S.Thomas hìc quæſt. 12. art. 3. vbi & eius Interpretes vt ſtatim conſtet huius tractatus ſubiectum non eſſe de viſione corporea, ſed ſpirituali ab intellectione intuitiua indiſtincta. Vtrum autem poſſibilis ſit aliqua materialis viſio in aliquo ſenſu à Deo creabili diuerſi ordinis, & naturæ ab iis, qui de facto dantur conſtabit ex ſect. vltima.

Vide infrà qu. 12. art. 3. dub. 1. & 2.

SECTIO I.

Implicat viſio corporea Dei à ſenſibus de facto exiſtentibus procedens.

PLures *viſionis* voce deluſi neſcio quid maioris perſpicuitatis in oculis corporeis quàm in aliis ſenſibus inuenere, vt cum non ſine riſu quęſtionem excitari exiſtimēt, poſſit-ne Deus *palpari*, vel *olfieri*, ſeriam adhuc & longam conſtituant tractationem, vtrum ſaltem ab oculorum acie proſpici valeat, quaſi minùs dedeceat Deum eſſe colorem quam odorem; vel magis huic alligetur olfactus quàm colori viſus; Ego tamen ſenſibus qui de facto exiſtunt æqualem omnibus repugnantiam adſcribo, vt nec Diuinitus in viſionem Dei aſſurgere queāt, & hoc ſit à poſteriori euidentiſſimum huius veritatis argumentum. Nam nemo adeo deſipuit, vt per ſenſum olfactus Deum poſſe ſentiri putauerit quia ſcilicet ſenſus iſte non perceptioni cuicunque, ſed olfactioni ſoli addictus eſt: olfactio autem eſt ſolius odoris perceptio. At potentia viſiua corporea (& ſic de aliis materialibus de facto proportionatè) non quamcunque viſionem, ſed oculatam & vt ita dicam *oculationem* ſolam exercet, quæ eſt coloris perceptio; ergo omninò implicat ad intuendum Deum eleuari. 1

Non minùs implicat Deum videri oculo corporeo, quàm olfieri.

Ita ſentiunt communiter omnes Theologi vt id putent ad *dogma fidei* pertinere PP. Valentia & Arrubal hìc, vel ſaltem eſſe *fidei proximum*, oppoſitumque *erroneum*, vt aiunt PP. Suarez & Vaſquez; tum quia cùm Deus ita prædicetur *inuiſibilis*, ſicut *immortalis*, quemadmodum nulla potentia poteſt ſubeſſe morti, ſimiliter per ordinem ad aliquam potentiam videndi debet prorſus *inuiſibilis* eſſe: At hæc viſio, cui Deus omnino repugnat, non eſt *intellectualis*; ergo *corporea*, tumetiam quia communi PP. conſenſu ex eo quòd Deus non ſit *corpus* deducitur non poſſe videri oculo corporali; vnde hæretici Antropomorphitæ, vt Deum facerent ſic viſibilem, fecerunt corporeum. Sed Deum eſſe *corporeum* eſt contra fidem; ergo eſſe ſic viſibilem, eſt erroneum, talis enim cenſetur propoſitio deducta ex vna contra fidem. 2

Cenſura contraria opinationis.

Nihilominus quia non ita euidenter deducitur, quin plures ſtando rationi cum Auguſtino lib. 32. de 2

Excuſantur.

de Ciuitate Dei cap. 29. dubitauerint: *Sicut conſtat videri corporea ab Spiritu* (verba ſunt Auguſtini) *quid ſi tanta erit potentia Spiritualis corporis vt corpore videatur & Spiritus*, ideo non manifeſtus apparet error in contraria ſententia licèt fortè *temeraria* cenſeatur cui omnes PP. & Theol. reſiſtunt. Hi videri poſſunt apud Alarcon & Granado in præſenti; licèt viderim ego non minùs piæ, quàm ingenioſæ eruditionis Patrem Hieremiam drexelium ſatis inclinantem in contrariam ſententiam etiam tot Authoribus oppoſitam, ita prædictus Pater ſcribit lib. 2. de cælo; qui inter alia eius ſpiritualia opera inuenitur cap. 15. §. 4. per totum in priori tomo. Nihilominus neque ipſe plenum aſſenſum fert in hanc ſententiam neque ergo vllum fero contrarium P.P. quos refert Auguſt. epiſt. 111. qui licèt poſſibilitati ſenſus videntis Deum conniueat, iſtis tamen ſenſibus de facto exiſtentibus omnino inficiatur etiam de potentia abſoluta, nam quod concedit menti, negat corpori; certum autem eſt ſolum de potentia abſoluta, & per eleuationem conuenire noſtræ menti viſionem Dei; Ergo nec ſic oculus corporeus videre poteſt iuxta Auguſtinum pro quo adducit ipſe Athan. Hieron. Ambr. & alios P. P.

P. Hieron. Drexelius.

4 A poſteriori, & ab abſurdis probatur vera ſententia, quia ſi ſemel potentia vitalis poſſet vagari extra ſuum obiectum poſſet etiam intellectus amare, oculus audire, planta ſentire, imo & res mortua vt lapis eleuari ad viuendum; neque enim magis repugnans eſt *viuere* lapidi, quàm alienum ab oculo *viuere vita intellectiua*, ſeu diſcurrere, denique poſſet brutum verbi gratia equus eleuari ad videndum Deum, quod cenſuit Dio Chriſoſt. orat. 12. cùm hebetioris viſûs non ſit quàm homo ob quæ abſurda reiiciendus etiam eſt P. Salas 1. 2. t. 2. diſtinct. 5. ſect. 1. num. 5. qui licèt neget oculum corporeum poſſe videre Deum viſione materiali, illi tamen viſionem ſpiritualem concedit, per quam Diuinitus videat. Sed non rectè, quia ſimili viſione equus eleuari poteſt ad videndum Deum; item lapis aliaque inanimata ad viuendum vita ſpirituali, quod non minoribus incommodis ſubeſt.

Probatur vera ſententia ab abſurdis.

Oculus nec viſione ſpirituali poteſt videre Deũ.

5 Rationem tamen à priori, qua tam hæc abſurda quàm alia repugnare probentur, difficilem reddit, primò. Potentia obedientialis, quæ admitti ſolet in qualibet creatura ad quemlibet effectum, quantumuis diſparatum, & alienum à virtute, quæ in Creatura reſplendet, verbi gratia vt calor frigefaciat, lapis illuminet; non autem apparet minor diſſonantia, & improportio, ſi calor *frigefaciat* quàm ſi oculus *diſcurrat*. Secundò Intellectus noſter cùm ſit naturaliter improportionatus ad videndum Deum, Deuſque vt *viſibilis* extra ſphæram naturalem eiuſdem, adhuc vt viſiuus eleuari poteſt, vt attingat Deum, cur igitur ſimilis eleuationis erit incapax potentia viſiua corporea. Tertiò Maximè vrgeo in ſententia non diſtinguente potentias ab anima, nam tunc, non minùs eſt Deus, intra ſphæram naturalem obiectiuam potentiæ viſiuæ *corporeæ* realiter loquendo, quàm viſiuæ *intellectualis*, ſiquidem vtraque realiter idem eſt; formaliter autem vt *viſiua* vtriuſque ſphæram naturalem excedit Deus; nam nec per viſiuam intellectualem attingi poteſt intuitiuè Deus viribus ſolius naturæ. Si ergo etiam *vt viſiua* poteſt intellectualis potentia eleuari ad attingendum Deum; cur ſimiliter non poſſit vt *viſiua corporea*. Quarto ipſe oculus corporis eleuatur in beatis (vt plures cenſent) ad percipiendam lucem ſupernaturalem, quam tamen non continet intra naturalem ſphæram, tum quia nunquam videmus oculos circa talem lucem exerceri, tum quia intellectus licet ſubtilioris virtutis cognoſcitiuæ, nequit intra naturalem ſphæram intuitiuam ſupernaturale obiectum continere, ergo neque oculus, qui nihil niſi intuitiuè reſpicit attinget naturaliter ſupernaturalem lucem, ſi igitur hoc non obſtante ad eam videndam eleuari poteſt, etiam ad Spiritualem valebit.

Ratio dubitandi in contrarium multiplex.

Huic difficultati Reſpondetur ex Vaſquez, Herice, & Alarcon hic & Patre Martinon diſput. 7. de Deo ſect. 1. potentiam obedientialem non eſſe ita vniuerſalem, & extenſam, ſed ſicut in ordine naturali, ita etiam in obedientiali determinandam eſſe ſphæram, vltra quam neque Diuinitus extrahi poſſit potentia, ſignum autem determinationis eſſe in ordine naturali rationem vel experientiam, in ſupernaturali verò fidei Diuinæ, vel Patrum authoritatem, quæ fauet viſioni mentis; & non oculi corporei, Item limitat Pater Herice, vt ſolùm detur virtus obedientialis ad effectus, ad quos in natura iam eſt inchoata virtus, quæ per auxilium ſupernaturale compleatur, quatenus ſcilicet effectus ſint affines naturalibus, hoc eſt conuenientes in munere præcipuo cum illis, quos naturaliter elicit potentia naturalis, ſeu in prædicato, ratione cuius cuius effectus naturalis poſtulat talem cauſam determinatam, ſic autem viſio Dei ſolùm eſt affinis actibus intellectus non verò viſionibus corporeis, cùm harum munus ſit repræſentare colorem, quod viſio Dei non præſtat, nec rurſus viſio Dei habet prædicatum aliquod, titulo cuius exigat procedere ab oculo corporeo; licet aliæ naturales viſiones corporeæ.

6 *Quid reſpondeat.* Vaſquez. Herice. Alarcon. Martinon.

7 Sed contra primò. Quia conſtantius eſt, longéque receptius apud Theologos potentiam phyſicam poſſe eleuari vltra ſuam ſphæram, quàm vitalem: cùm primum admittant plures; ſecundum nullus; ergo independenter àb ea quæſtione de vniuerſalitate potentiæ obedientialis danda eſt ratio repugnantiæ, nè oculus corporeus poſſit videre Deum: ſecundò viſio Dei ab oculo corporeo haberet affinitatem cum aliis naturalibus corporeis; nam conueniret in munere repræſentandi, quod eſt præcipuum in viſione materiali; item hoc titulo talis viſio in indiuiduo peteret hanc potentiam vitalem determinatam. Dices non eſſe affinem quia non eſt *viſio coloris* nec prædicatum intuitionis Dei eſt, titulo cuius viſiones naturales poſtulant oriri ab oculo corporeo; ſed contra, quia affinitas non debet eſſe ſpecifica; nam nec viſio Dei intellectualis ſupernaturalis conuenit in ratione cognitionis *abſtractiuæ* qualis eſt naturalis cognitio intellectus de Deo, item neque cognitiones naturales titulo *intuitionis* Dei qui titulus eſt proprius in viſione ſupernaturali Dei, intellectum poſtulant. Tertiò, Reiicitur hæc ſolutio. Quia ſi prædicatum *ſupernaturalitatis* poteſt ſeruare affinitatem cum actibus naturalibus omninò ſupernaturalitatis expertibus; cur non, & prædicatum *materialis*, & hinc vt dixi §. 5. cur ſaltem anima nequibit eleuari vt viſione materiali attingat Deum.

Potentia obèdientalis phyſica non eſt limitanda hic.

8 Secundò, Communiter redditur ratio ex proportione ſpeciali, quam requirit potentia vitalis præ purè phyſicâ potentiâ cum ſuo obiecto connaturali, extra quod, nec Diuinitus vagari poteſt, licèt confortata perfectiori auxilio non repugnet ſuum proprium obiectum perfectius attingere quàm

Aliorum ſolutio communis.

Ex diuerſitate potentiæ effectiuæ purè, & vitalis

quàm naturaliter valebat. Hinc cùm obiectum naturale viſûs ſit color, cuius Deus eſt expers, non poteſt oculus eleuari ad attingendum Deum; licèt eleuetur intellectus, qui cùm reſpiciat totam rationem *entis*, intra quam eſt Deus, quando ad hunc attingendum eleuatur, ſolùm habet attingere perfectiùs ſuum obiectum.

Reiicitur. Sed contra primò. Quia huius rationem petimus cur nequeat potentia vitalis eleuari ſicut phyſica, & ſicut huius obedientialis ſphæra extenſior eſt, quàm naturalis, cur idem dicendum non ſit de ſphæra vitali. Secundò vrget lux ſupernaturalis perceptibilis ab oculo corporeo, licèt ſit intra ſphæram naturalem. Si dicas eam lucem venire ſub prædicato *lucis* quod in luce naturali percipitur per viſionem naturalem. Contrà; nam ſimiliter videri poſſet qualitas ſpiritualis verbi gratia lumen gloriæ quod iure vocabis *lucem ſpiritualem*, cùm hoc prædicatum *qualitatis*, & *lucis*, in luce corporea naturaliter videatur. Tertiò denique diſplicet hæc ſolutio, quia iuxta eam ſaltem poterit anima per actum materialem Deum attingere neque enim ideò operabitur vltrà obiectum ſibi connaturale ſimpliciter, ſi autem dicas non eſſe connaturale, per illum actum. Contrà neque etiam intellectui eſt connaturale per actum viſionis.

9 *Tertia ſolutio.* Ideò Tertiò in viſu corporeo aſſignant alij repugnantiam vt eleuetur ad videndum Deum, quia talis viſio eſſet *materialis*, nam per ſe penderet ab organo corporeo, & conſequenter à materia, in quo conceptus materialitatis conſiſtit, ſed viſio materialis nequit attingere Deum, quia viſio magis debet proportionari cum ſuo obiecto, quàm ſpecies impreſſa, ſpecies autem ſi materialis ſit, nequit repræſentare obiectum ſpirituale, cùm vel ad concurrendum phyſicè in Spiritualem repræſentationem materialiū obiectorum inepta ſit; ideòque aſſignetur intellectus agens ad fabricandas ſpirituales ſpecies.

Reiicitur. Sed cōtrà primò quia bene poteſt dari actus vitalis, qui per ſe non pendeat à potentia à qua oritur, ſed indifferens ſit ad aliam ſuperiorē, vt plures exiſtimant per cognitiones Angelicas poſſe reddi cognoſcentem intellectum humanum; ergo viſio illa poſſet eſſe per ſe independens à materia, & conſequenter Spiritualis, dum alia repugnantia non aſſignetur. Contrà ſecundò. Quia ſi viſio creata poteſt tangere obiectum increatum, cognitioque & ſpecies naturalis, (vt modò ſuppono cum Ripalda diſputat. 30. De ente ſupernaturali ſect. 16. (Obiectum ſupernaturale, cur impediet materialitas in viſione aut in ſpecie reſpectu Dei Spiritualis. Tertiò quia aſſignanda eſt vniuerſalior ratio ob quam nec ſonum percipere poſſit oculus, cùm tamen vterque materialis ſit.

SECTIO II.

Statuitur ratio à priori repugnantiæ, ne potentia materialis de facto eleuetur ad videndum Deum.

10 *Potentia vitalis non poteſt eleuari ad viuendū in alio genere vitæ, quā in connaturali.* HAnc ego ſic ſtatuo. Nulla potentia vitalis eleuari poteſt ad videndum in alio genere vitæ, quam ſibi competat connaturaliter, ſed ſi oculus corporeus eleuaretur ad videndum Deum (ſiue ad ſonum olfactus, *&c.*) Viueret alio genere vitæ quàm ſibi competat connaturaliter; ergo, *&c.* Conſequentia eſt legitima, Maior Probatur quia *viuere* non ſolùm dicit producere vtcunque operationem (quia Deus & habitus concurrunt ad noſtros actus quin viuant per illos) ſed illam producere peculiari modo ab intrinſeco, hoc eſt per propriam exigentiam, & virtutem debitam, & innatam viuenti, nam vt dixit Diuus Thomas 2.2. quæſt. 179. art. 1. corpore *illa propriè dicuntur viuere, quæ ex ſe ipſis mouentur, illud autem conuenit alicui per ſe ipſum quod eſt proprium ipſi, & ad quod maximè inclinatur.* Vnde in eo diſtinguitur principium viuens à non viuente, quòd hoc quomodocumque influat in operationem ſiue à ſe determinatum, ſiue ab alio *verè operans* dicetur; illud autem; licèt *cauſans* dici poſſit non tamen *viuens*, ſi ſolùm ab extrinſeco, & non ex natura ſua determinetur ad operandum. *Viuere quid ſit?*

Hinc manifeſtè infertur illa propoſitio, nam principium vitale reſpectu alterius generis vitæ, quàm ſibi connaturaliter competat, repugnat ex ſe moueri, & innata virtute operari etiam Diuinitis, vel per vllam eleuationem, quia implicat principium operari propriis viribus, & innata virtute quando agit ex eleuatione, quod eſt agere ex aliena, & indebita virtute; ergo repugnat viuere in alio genere vitæ extra connaturale. Confirmatur implicat cauſam eleuari ad agendum naturaliter effectum quem naturaliter producere nequit, verbi gratia licèt aqua eleuetur ad producendum calorem, repugnat tamen eleuari vt illum producat naturaliter, hoc eſt vt effectum contentum in eius naturali potentia, ſicut è contrà licèt ignis Diuinitus poſſit exiſtere ſine calore non tamen valet etiam per Diuinam potentiam exiſtere naturaliter ſine calore. Sed principium aliquod eſſe in aliquo genere vitæ formaliſſimè conſiſtit in eo quòd poſſit naturaliter in illo viuere, ſeu viribus propriis elicere motus vitales talis generis, vt conſtat ex ſancto Thoma ſuprà; ergo implicat etiam Diuinitus ſub tali genere viuere, ſi aliàs non eſt naturaliter ſub illo viuens. 11

Implicat in terminis, quòd eleuetur cauſa ad agendum naturaliter effectum ſupernaturalē.

Quòd autem oculus corporeus extraheretur à proprio genere vitæ, ſi eleuaretur ad videndum Deum, ſic probatur; quia vita in ratione vitæ diuerſificatur ex obiecto, hinc non ſolùm in ratione *cauſæ*, ſed formaliter in ratione *vitæ & cognoſcentis* diuerſificamus ſenſus externos, quia vnus tendit ad colorem, alius ad ſonum, neque alio titulo putamus non differre potentiam viſiuam leonis & hominis, niſi quia vtraque reſpicit idem obiectum, cuius ratio eſt quia principium *reſpiciens obiectum* vt ſic formaliter eſt viuens, & in linea vitæ, vnde hæc denominatio *reſpiciendi obiectum* cadere non poteſt niſi ſupra principium viuens; ergo ex diuerſitate obiecti, diuerſificabitur formaliter *viuens* in ratione *viuentis*, conſequentia patet; nam omnis cauſa, & potentia diuerſificatur ex termino diuerſo, quem vt talis potentia reſpicit. Hinc potentia calefactiua & frigefactiua ex diuerſis terminis diſtinguuntur. Tum ſic; ſed viſio Dei tendit ad diuerſum obiectum, ab eo, quod eſt connaturale oculo corporeo; ergo conſtituit diuerſum genus vitæ. 12 *Oculus corporeus vt videret Deum extraheretur à proprio genere vitæ.*

Confirmatur 2 oculus corporeus in ratione viuentis formaliter differt ab intellectu, ſed per viſionem Dei conueniret cum ipſo in ratione vitæ; nam ſublata diuerſitate *materialis*, vel *ſpiritualis*, quæ iuxta aduerſarios per accidens eſt ad rationem vitæ formaliter, ſicut eſt per accidens eſſe naturalem, vel ſupernaturalem vt ipſi dicunt in ratione perceptiui obiecti, & in motiuo quod repræſentaret, æqualiter ſe haberent omnino *Procedit cōfirmatio poſitâ doctrinā aduerſariorum.*

oculus

oculus, & intellectus; ergo oculus per viſionem extraheretur a proprio genere vitæ. Confirmatio hæc eſt ſolum ad hominem.

13 Aliter ſic arguo principium improportionatum in genere viuentis ad aliquam operationem non poteſt per auxilium ſupernaturale proportionari, ſed in genere viuentis, eſt oculus improportionatus ad videndum Deum; ergo non poteſt ſupernaturaliter proportionari vt Deum videat, conſequentia & minor patent ex dictis, cùm in ratione percipientis illud obiectum ſit oculus improportionatus: *percipere autem obiectum* formaliter pertinet ad lineam & genus viuendi, licèt enim *facere*, vel *producere* vt ſic exercitium viuendi formaliter non ſit; ſecus ratio *percipiendi* cùm percipere idem ſit, quod repræſentare, repræſentare autem eſt intentionaliter *viuere*. Item, nam oculus eam improportionem habet ad videndum Deum, quæ eſt in habitu infuſo ſecluſa virtute effectiua, in qua ſuperatur ab habitu, æquè enim ex ſe, & naturaliter eſt ineptus, ſed ineptitudo in habitu infuſo ſolùm eſt in genere vitæ, quia in genere efficientis proportionatus eſt; ergo & oculus in genere viuentis eſt improportionatus quo differt ab intellectu cuius tota improportio eſt in genere efficientis, ſi enim valeret efficere viſionem Dei, nulla egeret eleuatione, vnde ſine aliquo auxilio eleuante, ſi ipſi ab extrinſeco veniret, viſio redderetur cognoſcens per illam.

Potentia vitalis improportionata in ratione vitalis non poteſt proportionari ab extrinſeco auxilio.

Intellectus in linea vitæ formaliter non eſt improportionatus ad videndum Deum.

14 Maior propoſitio probatur, quia vt proportionetur principium in genere viuentis opus eſt vt creſcat ab intrinſeco in virtute propria, & intrinſeca, auxilium verò extrinſecùs aduenit: item auxilium formaliter nullam confert vitalitatem actui, cùm formalitas vitalitatis adæquatè correſpondeat potentiæ; ergo auxilium ſupernaturale non proportionat potentiam in ratione viuentis, nec facit ipſam viuaciorem. Explicatur à ſimili proportionis in ratione efficientis: ideo enim hæc proportio venit ab auxilio, quia per auxilium additur noua continentia effectiua, vt cauſa impotens efficere reddatur ſimpliciter potens per adiuentum alterius compartialis coefficientis; ſicut qui ſolus nequit pondus ſuſtentare mille librarum proportionatur ab alio etiam ſuſtentãte; ergo cum ratione auxilij ſupernaturalis implicet venire cauſa adiuuans in ratione *viuendi*, nec enim auxilium vel partialiter viuit, ſed totum munus viuendi debet correſpondere potentiæ, non poterit talis potentia, quæ eſt improportionata ad viuendum, per auxilium proportionari.

Auxilium ſupernaturale proportionat potentiam in ratione ſufficientis, ſeu efficientis; non in linea vitæ.

15 Tertiæ probationi præmitto primo aliquos eſſe effectus formales, qui non ſolùm exprimunt communicationem formæ, vel modum ſe habendi huius ad ſubiectum, ſed vlteriùs denotant conditionem ſubiecti, & peculiarem naturam illius, qua ſubiectum capax ſit talis effectus formalis: ſic verbum cùm æquè vniatur corpori ac animæ Chriſti, hanc reddit *ſanctam*, vt *amicam*; non illud, quia ſcilicet effectus formalis *ſancti*, & *amici* non ſolùm denotat dari ſanctitatem in ſubiecto, ſed vlteriùs exprimit conditionem ſubiecti, nimirum ſubiectum eſſe rationale; ſic etiam ſpecies impreſſa non facit aërem *potentem videre* ſicut oculum, quia hæc denominatio exprimit eſſe *viſiuum*. Denique hoc patet in vnitate, quæ iuncta numero binario denotat *ternarium*, quam denominationem non communicat, ſi alteri vnitati ſoli iungatur. Hinc fit ſecundo Deum non poſſe ſupplere incapacitatem ſubiecti, & eius improportionem in ratione talis ad aliquem effectum formalem. Ratio eſt; quia hæc improportio eſt indiſtincta ab ipſa entitate ſubiecti, quod in genere cauſæ formalis intrinſecæ ſeu conſtitutiuæ concurrit ad talem effectum non minùs quàm ipſa forma, neque enim minùs dualitas quàm vnitas intrinſecè faciunt ternarium, at in forma non datur potentia obedientialis vt proportionetur ad diuerſum effectum formalem quam propria natura fert, ergo idem dicendum de hac improportione ſubiecti, ſic non poteſt proportionari Angelus vt ſit *albus*, nec corpus vt ſit *ſanctum* etiam diuinitus, *ſanctum*, inquam, ſanctitate amicabili.

Aliqui effectus formales exprimunt ſpecialem conditionem ſubiecti.

Quæ incapacitas non poteſt ſuppleri à Deo.

Præmitto tertiò in effectu formali viuendi exprimi neceſſariò peculiarem conditionem ſubiecti *viuentis* hoc patet quia quantumuis actus vitalis efficiatur, & recipiatur in lapide, non faciet illum viuere, & viſio licèt eodem modo producatur & iuxta plures vniatur lumini ſicut intellectui, hunc denominat viuentem, ſecus illud. Præmitto quartò hanc conditionem, & proportionem, qua ſubiectum concurrit vt capax ad effectum viuendi conſiſtere in eo quòd ſubiectum ſit in linea ſeu genere proximo vitæ, in quo *viuere* denominatur, ſeu quod idem eſt, ſit principium ſe mouendi ex ſe & ab intrinſeco in illo genere, neque aliud diſcrimen aſſignari poteſt, ob quod lumen ſit ſubiectum incapax præ intellectu ad effectum viuendi. Præmitto quintò vt ſubiectum ſit in aliquo proximo genere viuendi, quod definitur *principium ſe mouendi*, neceſſarium eſſe vt ex ſe poſſit elicere aliquem actum vitalem ſaltem imperfectum in illo genere vitæ, quia quod nullo actu ſe poteſt mouere, implicat dici *principium motus*, cùm non detur potentia ad impoſſibile. 16

17 Hinc ſic arguo: viſio Dei eſt in genere proximo vitæ in quo non eſt oculus corporeus; ergo hic, nec diuinitus, poteſt eleuari ad Deum videndum per eam viſionem. Conſequentia eſt nota ex dictis antecedens probatur. Oculus corporeus nullum actum vitalem, nec imperfectum poteſt elicere ex ſe circa obiectum in quo tendit viſio Dei vt per ſe patet; ergo non eſt in eodem genere proximo vitæ. Conſequentia conſtat ex quinto præmiſſo; nam non aliter potentia vitalis eſt in linea vitæ circa aliquod obiectum, niſi quatenus ex ſe poteſt ſe mouere circa illud: Item ideo oculus non eſt in linea vitæ auditiuæ, quia nullum actum circa eius obiectum elicere valet. Denique viſio Dei eſt in genere vitæ intellectiuæ, cùm enim Deum non attingat vt *coloratum* attingit vt *verum*; verum autem vt verum eſt obiectum vitæ intellectiuæ; & quidem negari non poteſt ita Deum eſſe obiectum proprium potentiæ intellectiuæ, (hoc eſt potentiæ tendentis ſub ratione vniuerſali *veri*, ſiue talis potentia ſit materialis ſiue ſpiritualis vt à quæſtione de nomine *intellectus* præſcindam) ſicut ſonus auditiuæ; at oculus corporeus nullum actum ex ſe elicit ad verum ſub ratione veri ſeu in linea intellectiua magis quam in auditiua; ergo viſio Dei eſt in genere proximo vitæ in quo non eſt oculus.

Viſio Dei eſt in genere vitæ, in quo non eſt oculus corporeus.

18 Confirmatur totum: Non poteſt ſupernaturaliter eleuari ad viuendum id quod naturaliter viuens non eſt, hinc nec Diuinitus poteſt lapis eleuari ad viuendum. Ratio ex dictis eſt, quia viuens non conſtituitur per virtutem ſe mouendi vtcunque, niſi hæc virtus, ſeu potentia proxima ad motum ex ſe, & ab intrinſeco illi competat qualis

Non poteſt eleuari ad viuendum id quod naturaliter viuens non eſt.

lis non eſt virtus quæ fundatur in auxilio ſupernaturali; ergo non poteſt eleuari ad viuendum in aliquo genere illud, quod ex ſe non eſt viuens in illo: conſequentia probatur à paritate, ita enim eſt improportionatum principium non viuens in vno genere vt viuat in alio, ac ſi ſimpliciter non viueret, ſic vita phyſica plantæ omnino inepta eſt, vt ſentiat, vita purè ſentiens, vt diſcurrat, & quis quæſo maiorem proportionem inuenit in occipite vt videat, quam in lapide, licèt in illo vita ſit.

19 *Neque id quod non viuit vno genere vitæ, vt viuat in illo.*

Sed oculus non eſt ex ſe viuens in genere, in quo eſt viſio Dei, hæc enim ex ſuo obiecto formali eſt in linea intellectiua, & rationali, oculus verò in purè ſenſitiua, quia in ſe non eſt magis rationalis oculus, quàm brutum; Ergo eleuari non poteſt vt Deum attingat. Explicatur, oculus non poteſt eleuari vt Deum attingat per fidem, vel per diſcurſum magis, quàm lapis, Ergo nec per viſionem. Conſequentia patet à fortiori; viſio enim perfectior eſt, eleuatior, ac rationalior, vt ita dicam, quàm cognitio alia abſtractiua. Antecedens probatur, diſcurſus, & fides omninò pertinent ad aliud genus vitæ naturæ rationalis, at ad vitam rationalem non minùs eſt ineptus oculus quam lapis, & bruta ergo, *&c.*

20 *Confirmatur doctrina tradita ex P.P.*

His omnibus optimè concinit doctrina Communis Patrum ideò ſtatuentium in natura humana capacitatem eleuationis ad actus ſupernaturales, quia in ipſa apparet vita rationalis, quam capacitatem brutis, & purè ſentientibus negant, non minus quàm omninò non viuentibus, ita Auguſtinus contra Iulianum cap. 3. æquè ait *eſſe incapacia gratiæ eleuationis pecora ſicut ligna & lapides.* Fulgentius lib. de Incarnat. cap. 22. abſolutè ſcribit; *neque vlli naturæ credendi facultas inſita eſt* (ſcilicet per eleuationem,) *quam rationalem non fecit Deus* vnde cap. 23. addit: *agnoſcat igitur homo in eo ſe naturaliter credere poſſe in quo naturã habet credulitatis, & fidei capacem, quod animantibus irrationabilibus datum diuinitus non eſt*: Ergo ſicut repugnat id, quod abſolutè non viuit eleuari ad viuendum; ita repugnat eleuari in aliquo genere, quod non eſt viuens in illo, vt æquè improportionatè ſe habeat res ad vitam rationalem, ſiue ſit omninò mortua, ſiue viuens in alio genere. Denique id totum explicuit, rationemque reddidit Hugo Vict. in annot. elucid. circa epiſt. ad Rom. quæſt. 238. his verbis & exemplo. *Eſt enim oculus talis naturæ vt per illum viſus exerceatur, ſi ſolis radio percutiatur, ſine quo viſio non eſt in oculo niſi tamen talis naturæ eſſet etiam tactus radio non videret, vt lapis & paries non videt, etſi radio ſolis perfundatur: ſic anima habet potentiam merendi naturaliter, quam tamen non poteſt exercere, niſi ſplendore gratiæ perfundatur*; & tandem concludit: *Sic ad hoc vt anima promereatur, duo exiguntur, & gratia & naturalis potentia.* Vbi expende primò requiri peculiarem conditionem ſubiecti ad viuendum etiam per eleuationem gratia: 2. hanc conditionem conſiſtere in naturali potentia operandi ſub illo genere vitæ. Vnde conſequens fit vt oculus, qui non eſt in linea viuendi circa Deum, nec Diuinitus poſſit eleuari.

* * *

SECTIO III.

Obiectis in ſectione prima contra veram concluſionem ſit ſatis.

EX his facilis eſt ſolutio ad rationes dubitandi ad primam, cauſa in genere efficientis poteſt eleuari vltra propriam ſphæram, tum quia in eo genere non attenditur, quòd potentia ſit ab intrinſeco, quia per auxilium eleuans additur ipſi noua virtus coëfficiens vti potentia ſuſtentatiua ponderis eleuatur vt ſuſtineat maius pondus, dum accedit alius adiuuans ſuſtentando; viuenti autem nequit addi noua potentia viuens, ideòque in ratione viuentis extendi nequit vltra propriam ſphæram. Ad ſecundam eſt diſcrimen de intellectu, nam hic eſt in genere proximo vitæ, in quo eſt viſio Dei, cùm modus tendendi intuitiuus non ſit extraneus intellectui; aliundeque ipſe ex ſe ſit viuens circa Deum per plures cognitiones, vita autem vt talis formaliter non diuerſificatur, niſi modus tendendi, vel obiectum diuerſum ſit. 21

Dices modum tendendi eſſe diuerſum, quia licèt tendere intuitiuè competat naturaliter intellectui circa aliquod obiectum; non tamen circa Deum, vnde, vt videat Deum ſimpliciter eſt impotens; Ergo ſi hoc non obſtante eam viſionem producit vitaliter, fitque ſimpliciter potens & proportionatus, licet auxilium ab extrinſeco ſit neque viuat in genere vitæ, ſcilicet viuendo ſimul cum intellectu, ſimiliter dici poteſt de oculo. Reſpondeo impotentiam intellectus eſſe in genere purè efficientis, non verò in genere vitæ, quia ſi ab alio acciperet viſionem productam, iam ex ſe eſſet proportionatus vt vinceret per illam. Ratio eſt quia in viſione Dei omnis titulus vitalitatis, qui apparet, ratione cuius petit oriri ab intrinſeca virtute potentiæ, ſolùm eſt qua *reſpicit obiectum*, & qua habet modum tendendi intuitiuum, nam poſita in potentia virtute intuitiua, & quod ſimpliciter ſit obiectum intra ſphæram potentiæ, repræſentationem illius tantæ vel maioris perfectionis, vt ad claritatem intuitiuam aſcendat, non arguit diuerſam vitalitatem in potentia, ſed ſufficit quòd potentia roboretur, licèt ab extrinſeco; hinc ab eadem potentia vitali cognitio euadit perfectior ſolùm creſcente ſpecie vel concurſu obiectiuo. Igitur licèt intellectus ſit impotens in eſſe *efficientis*, in linea tamen vitæ improportionem non habet, dicique poteſt operari ab intrinſeco, non quia hunc actum viſionis in particulari viribus propriis eliciat, ſed quatenus producit per virtutem valentem ad actus ſimiles in *eſſe* & titulo vitæ, quod non habet oculus corporeus.

22 *Intellectus non eſt improportionatus ad videndum Deũ in linea vitæ formaliter.*

Ad Tertiam Reſpondeo potentiam intellectualem, etiam *vt viſiuam* non moueri ex diuerſo obiecto formali ac *abſtractiuam*, ſub quã cadit Deus, eadem enim eſt prorſus ratio obiectiua cognitionis abſtractiuæ, & intuitiuæ ſpiritualis, Deuſque vt viſibilis intellectualiter idem prorſus dicit ex parte obiecti formalis, ac vt cognoſcibilis abſtractiuè. Quare neque vt viſibilis eſt formaliter extra naturalem ſphæram intellectus, ſecus vt viſibilis corporè, vt ſic enim neceſſariò inuolueret aliquam rationem obiectiuam, (ſcilicet colorem) oculo connaturalem, extra quam eſt Deus; vnde etiam admiſſa identitate potentiarum, potentia *vt viſiua* corporea

23 *Intellectus etiam vt viſiuus idem obiectum formale habet, ac vt abſtractiuus.*

corporea non poteſt eleuari ad videndum Deum quia vel eleuaretur per potentiam intellectualem hoc eſt quæ moueatur ex pura ratione *veri* nudi ab omni colore, vel per viſionem materialem habentem modum tendendi ſub ratione coloris: Primum concedo, at tunc non operatur, vt oculus corporis, ſed mentis, ſecundum repugnat ex obiecto; nam Deus non poteſt mouere obiectiuè vt color; ex quo rurſus apparet diſcrimen ad potentiam viſiuam intellectualem, quia viſio intellectualis ex parte obiecti non repugnat; Deus enim eſt intellectualiter viſibilis: aliunde intellectus vt viſiuus, non extrahitur à munere *intellectus*, cùm modus hic tendendi non ſit connotatum extraneum ab ipſo, *vt intellectus eſt*.

24 Ad Quartam reſpondeo, dum obiectum contineat propriè eandem rationem omnino affinem per quam obiectum connaturale mouet potentiam, non diuerſificatur potentia in ratione vitalis; cùm autem ſupernaturalis illa qualitas, eo ipſo quòd ſit propria *lux*, conueniat in ratione obiectiuè mouente viſum, ideo ab hoc attingi poteſt addita ſolum confortatione in ratione efficientis, ſic gradus intenſiſſimus lucis, licèt naturaliter percipi nequeat, nec ſecundùm ſpeciem (ſi ponas intendi heterogeneè) ab oculo corporeo, Diuinitus tamen hic confortari poteſt, quia ſcilicet ſtrictè conuenit in ratione lucis cum eius obiecto naturali, ſolùmque differat penes maiorem perfectionem; Deus verò conſtituit diuerſum ordine obiectum à colore & luce; quòd enim dicatur Deus *lux ſpiritualis* Methaphora eſt: adde dici poſſe, quòd *lux ſupernaturalis* cadat ſub viſione confuſa intra ſphæram naturalem viſus, vt ſæpius ab hoc alii colores diſtincti confunduntur, neque repugnat ſupernaturalitati ſic confuſè tangi à potentia naturali, quia intellectus ex ſe cognoſcit ſupernaturalia confuſè.

25 *Iob. 19. v. 26 explicatur.* Denique obiicitur Iob. cap. 19. num. 26. *in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius, & oculi mei conſpecturi ſunt.* Reſpondeo loqui de Deo homine, nam præmiſerat verſu 25. *Scio quòd redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſus circumdabor pelle mea, & in carne mea*, &c. Item S. Thom. in Iob. lect. 2. gloſſa interlinealis), & quod magis eſt, fauet lectio Eccleſ. addens *& in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum*; clarior videtur hæc ſolutio, quàm alia quæ adducitur hìc à ſancto Thoma, vt S. Iob. ſperet ſe viſurum Deum in carne, ſed non per carnem. Etenim addit *quem oculi conſpecturi ſunt*; oculus autem ſimpliciter corporeum denotat.

SECTIO IV.

Vtrum poſſibilis ſit aliquis ſenſus, ſeu potentia materialis eleuabilis ad videndum Deum? Aliorum Iudicia & rationes repugnantiæ examinantur.

26 *Vide infrà quæſt. 12. art. 3. dub. 3.* SI Deus cadere poteſt ſub ſphæra naturali potentiæ materialis, vt hæc per aliquem actum licèt imperfectè Deum repræſentare valeat, certum eſt eleuari diuinitus poſſe talem potentiam, etiam ad claram Dei viſionem, vt conſtat ex dictis ſectione præcedenti. Quare primum ab omnibus communiter negatur, putant enim omnes ferè Theologi implicatorium eſſe obiectum ſpirituale à potentia materiali percipi, non minùs, quàm ſi intellectus materialis poſſibilis quæratur; ſiquidem nomine *intellectus* potentiam ſpiritualium perceptiuam apprehendimus. Vt nouiſſimè id notauit P. Ioan. Martin. diſput. 7. de Deo ſect. 2. num. 16.

Rationes autem huius repugnantiæ potentiæ materialis hæ communiter ſunt. Prima: ea potentia eſſet *ſenſus*, ſenſus enim definitur *potentia cognoſcitiua materialis*; ergo eius obiectum erit *ſenſibile* ſicut obiectum intellectus dicitur *intelligibile*, viſûs *viſibile*. Sed Deus ſenſibilis nõn eſt: tum quia ſenſibile, & materiale idem ſunt, vt dixi in lib. de anima, tum etiam ex eo quòd Deus *inuiſibilis* dicitur 1. Thimothei 1. de fide eſt non poſſe naturaliter attingi oculo corporeo, & hinc neque vllo ſenſu de facto; ergo neque vllo poſſibili; Inuiſibilitas namque omnem viſionem poſſibilem negat. Secunda ratio: potentia illa vtpote materialis erit diuiſibilis; ergo nequibit attingere Deum indiuiſibilem; conſequentia probatur; tum quia non poteſt attingi per partes, quod partes non habet; tum etiam quia experimur obiecta quo magis fugiunt extenſionem, eo minùs percipi per ſenſus; ſic quantitas quò minor eſt, difficiliùs cernitur; ergo quod omnino caret extenſione, vt Deus, omnino fugiet omnem ſenſum. Tertia: ſi res materialis poteſt percipere Deum; Ergo & quæcumque ſpiritualia; ergo poterit diſcurrere, & hic habere libertatem merendi, &c. Sicut anima rationalis: vnde non manebit argumentum probandi ſpiritualitatem in anima. Quarta: quò creſcit ſubtilitas obiecti; ita & ſubtilitas actus; imo ſubtilior eſt res in *eſſe* intentionali, quàm in ſe; Ergo ſubiectum, ſi eſt omnino immateriale, ſicut Deus, ita & eius cognitio & conſequenter potentia nequibit eſſe materialis. Quinta: nequit Deus vllis lineamentis materialibus in imagine externa quidditatiuè exprimi; ergo nec in viſione materiali; eſt enim viſio quædã imago, & delineatio ſui obiecti. 27 *Rationes pro repugnantia ſenſus, ſeu potentiæ materialis Spiritualia percipiens.*

Hæc tamen manifeſtam repugnantiam huius potentiæ materialis non oſtendunt. Imo ſoluuntur facilè, nam ad primum reſpondeo, licèt hæc potentia ſit *ſenſus* ex parte ſubiecti, quia ſcilicet ipſa in ſe dependet à materia perceptibili per hos ſenſus, qui de facto dantur, in quo diſtinguitur à noſtro intellectu ſpirituali, At ex parte obiecti ſeu collatione facta ad eius obiectum poteſt dici, quod non ſit *ſenſus*; ſed *intellectus*, licèt materialis; quia ſcilicet ſenſibile ſimpliciter ipſi non correſpondet, ſed intelligibile; ſenſibile enim abſolutè denotat quod attingi poteſt per ſenſus de facto exiſtentes; & hâc ratione conuertitur cum materiali; ſicque inuiſibilitas Dei accipienda eſt; nam in ordine ad iſtum ſenſum poſſibilem Deus ſolùm foret intuitiuè intelligibilis; ſiquidem vt dixi quamuis hæc potentia ſubiectiuè ſit ſenſus, obiectiuè intellectus eſt, & ipſi correſpondet *intelligibile*; eſſe autem Deum intuitiuè intelligibilem per eleuationem potentiæ naturalis non repugnat. Ad ſecundum reſpondeo potentia materialis poſſet eſſe indiuiſibilis, vt cum S. Thom. dixi in libris de anima de formis materialibus viuentium. Rurſus licèt foret diuiſibilis poſſet attingere obiectum indiuiſibile, ſicut actus diuiſibilis intenſiuè percipit Angelum indiuiſibilem omnino; ſed tunc potentia ſic diuiſibilis non attingeret ſuum obiectum per partes obiecti; ſed actus; nam per quamlibet partem actûs attingeret totum obiectum, & conſequenter ſolum eſſet verum in hoc caſu obiectum attingi per partes partialitate 28 *Non conuincunt.* *Quo modo Deus dicatur inuiſibilis.*

tialitate actûs non partialitate obiecti; vt dicitur de effectu indiuiſibili veniente à duplici cauſa partiali: Denique obiectum, quò minùs extenſum, minùs percipitur per hos ſenſus de facto exiſtentes; id tamen de poſſibilibus nego, imo in ordine ad hos ſenſus de facto ſupernaturaliter eleuatos non impedit minor extenſio, ſicut nec maxima diſtantia. Ex quo inſto argumentum: nulla eſt aſſignabilis diſtantia quæ impediat ſenſus poſſibiles, licèt impediat ſenſus exiſtentes de facto; ergo licèt per inextenſionem impediantur hi ſenſus, ſecus poſſibiles.

29 *Ille ſenſus quo differret ab anima rationali?*

Ad tertiam rationem repugnantiæ reſponderi poteſt illam potentiam materialem fore tantùm imperfectè cognoſcitiuam ſpiritualium, verbi gratia, per ſolas ſimplices apprehenſiones, ob quod ad perfectionem intelligendi noſtræ animæ non perueniret. Deinde Pater Arriaga infrà citandus non veretur admittere totam hanc perfectionem in ea potentia, adhuc tamen non eſſet ſpiritualis; ſicut anima rationalis; nam ea perfectio diſcurrendi merendi & cætera, ſolùm arguit immediatè & formaliter immortalitatem; vt ferat quiſque dignum ſuis meritis ſtipendium, puniaturque in æternum peccatum pro ipſius dignitate. Hinc cùm in anima rationali non ſaluetur immortalitas, ſeu duratio perpetua intra corpus colligitur eius permanentia in ſtatu ſeparationis à corpore, & inde ſpiritualitas, quæ formaliter ſita eſt in independentia à materia, ſeu in potentia naturali exiſtendi extra corpus: at illa potentia materialis diſcurſiua poſſet eſſe immortalis ob vnionem incorruptibilem cum corpore ex qua materialis adhuc maneret. Ad quartam nego pari gradu ſemper creſcere ſubtilitatem actus & obiecti, nam actus creatus percipit Deum ſubtiliorem, & actus ſupremi Angeli cognoſcuntur ab infimo per cognitionem minùs ſubtilem. Ad quintam fateor nullam imaginem materialem externam aptam eſſe vt Deum quidditatiuè exprimat; ſed nego conſequentiam de imagine intentionali viſionis materialis vt euidenter inſtatur in imagine ſpirituali, quæ poſſibilis eſt intentionalis in viſione: ſed non phyſica per aſſimilitudinem: ratio eſt quia, iſta requirit, vt quidditatiua ſit, æqualitatem, vt ſit eiuſdem rationis, vt homo eſt imago hominis, ſimilitudo autem phyſica implicat quidditatiua creati ad increatum: ſecus intentionalis vt patet in viſione beata.

Eſſet immortalis, ſed non ſpiritualis.

Imago propria phyſica Dei repugnat.

SECTIO V.

Quid dicendum ſtando rationi?

30 Ob hæc dico in libris de anima non ſatis apparere vllam implicantiam in hac potentia materiali ſpiritualium perceptiua, cui aſſertioni modò addo conſequenter, nec repugnare materialem potentiam, quæ valeat eleuari ad videndum Deum. Ita cenſuit P. Valentia qui hanc quæſtionem excitauit primus hìc quæſt.8. in fine; ei plenè ſubſcripſit Arriaga hìc, & in ſuo Curſu philoſophico diſput. 5. de anima num. 29. P. Ioannes Martinez de Ripalda in manuſcriptis de viſione diſput.2. ſect.4. cenſerique debent pro hac ſententia omnes Patres (plurimos vide apud Suar. lib. 1. de Angelis, cap.5. Vaſquez diſput. 178. cap.2.) qui putarunt Angelos eſſe corporeos, neque ideo vlli venit in mentem negari ipſis vim perceptiuam ſpiritualium: nam clarè videbant ab Angelis cognoſci Deum, non eſſeque minoris virtutis cognoſcitiuæ, quàm animam rationalem: neque obſtat piè exponi poſſe hos Patres de corporeitate lata: Nam certè de potentia corporea ſaltem poſſibili non patiuntur expoſitionem hanc illa Auguſtini verba lib.22. de Ciuitate Dei, cap.29. *Sicut ergo conſtat videri corpora ſpiritu, quid ſi tanta erit potentia ſpiritualis corporis, vt videatur & Spiritus?* Cùm enim in Spiritu ſtrictè tali detur vis cognoſcitiua corporis, etiam in ſtricto corpore poſſibilis erit virtus ſpiritualium perceptiua. Minùs obſtat quoad corpus Angelorum reiectam eſſe opinionem hanc ab Eccleſia: nam nec vllus Patrum eam reiecit titulo virtutis cognoſcitiuæ ſpiritualium, nec reiici debet tamquam manifeſtè repugnans quod tot ſapientibus placuit, quod pro poſſibilitate potentiæ corporeæ cognoſcitiuæ ſpiritualium mihi ſufficit; ſi ſtemus præciſè rationi.

Valentia.

Ripald.
Arriaga.
Patres.
Fauent poſſibilitati huius ſenſus.

31 *Et ratio.*

Quam hæc ratio poſitiua confirmat: Non repugnat potentiam cognoſcitiuam eſſe inſeparabilem naturaliter à materia ſenſibili per hos ſenſus de facto, licèt eius obiectum ſeparabile ſit: Ergo non repugnat potentiam eſſe materialem licèt eius obiectum immateriale, ſeu ſpirituale ſit. Conſequentia eſt manifeſta ex conceptu materialitatis à me tradendo in Philoſophia, vbi dico eo differre materialia à ſpiritualibus, quòd hæc naturaliter ſint per ſe inuiſibilia, hoc eſt, independentia à materia ſenſibili, & certè clarius argumentum nullum eſt materialitatis, quàm hæc connexio cum ſenſibili, ad illam enim ſequitur impenetrabilitas, partium extenſio, & aliæ paſſiones, quas in corporibus experimur; neque pro materialitate animæ leonis præcipuè ſi indiuiſibilis ſit, vt voluit S.Thom. aliud indicium reſtat.

32 *Non repugnat, quòd potentia cognoſcitiua dependeat à materia, licèt eius obiectum non dependeat.*

Antecedens illud variè probari poteſt primò in genere; non repugnat plures dependentias, & conditiones inueniri ex parte potentiæ, quæ non dantur in obiecto. Sic potentia creata attingit obiectum increatum; potentia accidentalis dependens à ſubiecto cognoſcit obiectum ſubſtantiale independens; potentia naturalis ſubiecto connaturalis, & proportionata reſpicit obiectum ſupernaturale, & ab omni exigentia naturæ liberum; ergo ſimiliter potentia alligata materiæ poterit cognoſcere obiectum omnino ſolutum, & ab imperfectionibus materiæ abſtractum. Secundò idem patet etiam in dependentia à materia; nam potentia, quæ naturaliter nequit primò produci extra materiam, quæ per ſe ordinatur ad vnionem intrinſecam cum materia poteſt habere pro obiecto, quod omnino independens eſt à materia, nullumque ad ipſam reſpectum dicit, neque in *fieri*, neque in *conſeruari*: Vt patet in intellectu noſtro cognoſcente Deum vel Angelum; ſi ergo iam non requiritur proportio inter obiectum, & potentiam in dependentia à materia, neque etiam obſtabit licèt potentia dependeat inſeparabiliter. Tertiò non minor proportio requiritur inter actum, & potentiam, quam inter potentiam, & obiectum; æquè enim actus, ſeu notitia paritur ab obiecto, ac potentiâ, ſed poteſt actus materialis à materia dependens oriri à potentia ſpirituali independenti; vt ſi omnes potentiæ in homine identificentur cum anima; ergo ſimiliter poterit reſpicere obiectum ſpirituale.

Actus materialis poteſt oriri à potentia ſpirituali; ergo & ab ſpirituali obiecto

33 *Alia ratio à poſteriori.*

Denique ſic arguo: potentia ex eo quòd nunquam naturaliter poſſit percipere ſuum obiectum, niſi per conuerſionem ad phantaſmata materialia,

lia, quod ſcilicet habeat ita imperfectum modum cognoſcendi; vt niſi præeunte ſenſu materiali, miniſtrantéque ipſi ſpecies, operari non valeat, talis, inquam, potentia ex eo non eſt incapax percipiendi ſpiritualia. Sed hæc potentia erit materialis, nam eo ipſo naturaliter exiſtere non poſſet extra materiam, cùm *eſſe* ſit propter operari; ergo non repugnat potentia materialis ſpiritualium perceptiua. Maior ſuadetur (minor enim, & conſequentia iam conſtant) tum quia ſenſus internus percipit plura obiecta ſuperiora iis, quæ externis obiiciuntur; licèt indigeat per ſe accipere ſpecies ab exterioribus ſẽſibus, ipſiſque inſeparabiliter adhęreat; ergo illa potentia poſſet percipere obiecta ſuperiora materialibus, quæ per phantaſiam repræſentantur, conſequenterque ſpiritualia; tum etiam quia intellectus noſter intra corpus non eſt incapax percipiendi ſpiritualia; & tamen vtitur conuerſione ad phantaſmata; ergo licèt illa potentia ſemper, & neceſſariò vteretur illa conuerſione, non impediretur à viſione ſpiritualium. Conſequentia iſta videtur ſimilis huic, & æquè manifeſta. *Oculus non impeditur nec eſt incapax videndi ſolem, etiamſi vtatur conſpicilijs; ergo ſi daretur aliquis, qui tantum medijs conſpicilijs videre poſſet obiectum ſeu haurire ſpecies illius: non ideo eſſet incapax videndi ſolem.*

34 *Obiectioni occurritur.* Dices alligationem ad phantaſmata eo ipſo quòd eſſet perpetua, neceſſariò ſecum allaturam materialitatem ex parte potentiæ, & hinc nouum impedimentum, quod non eſt in noſtro intellectu, qui cum non obſtante conuerſione ad phantaſmata in ſe ſpiritualis maneat expeditus eſt ad ſpiritualia. Vnde ſicut non valet conſequentia ex eo quòd conuerſio ad phantaſmata non faciat intellectum noſtrum *materialem*, neque impediat eius ſpiritualitatem; non, inquam, valet, vt nec in illa potentia materialitatem inferat, ſimiliter ita poterit conuerſio ad phantaſma, ſi neceſſaria, & perpetua ſit in hac potentia, de qua diſputamus, tollere vim perceptiuam ſpiritualium; quamuis hæc vis in intellectu maneat. Sed contra nam id intendo, & probo ex argumento poſito materialitatem non debere eſſe impedimentum; ſiquidem ſolùm affert connecti cum dependentia à phantaſmatibus, & hæc non ſunt impedimento cognitioni ſpiritualium. Sicut licèt connexio perpetua cum conſpiciliis immutet naturam oculi, non tamen cenſetur afferre nouum impedimentum, quia conſpicilia ſecundùm ſe non impediunt.

35 Quod affertur de ſpiritualitate non vrget, nam cùm hæc formaliter conſiſtat in aptitudine naturali exiſtendi ſine materia, non mirum ſi tollatur per alligationem neceſſariam, & non per contingentem cum materia; vis autem cognoſcitiua formaliter non definitur per ordinem ad materiam, niſi reſpectu ſui obiecti, & operationis: ſi autem reſpectu huius aliquid ſemel impedimentum non eſt, numquam erit impedimentum, licèt perpetuò inhæreat, ſicut frigiditas quæ ſemel non impedit introductionem caloris in ligno, neque impedimento eſſet quantumuis ligno inhæreret neceſſariò.

36 *Duplex ratio impediendi explicatur.* Vnde dupliciter cogito effectum aliquem poſſe impediri ab aliqua re, vel vt à puro impedimento operationis, vel vt ab argumento, & ſigno conditionis & eſſentiæ rei impeditæ. Primo modo ſi ſemel non eſt impedimentum, nunquam impedimentum erit, vt patet in frigiditate reſpectu introductionis caloris. Secundo modo poteſt eſſe argumentum res ſi ſemper exiſtat, licèt non ſit argumentum aliquando ſolùm exiſtens, verbi gratia, quod ſubſtantia aliquando ſit calida, non eſt argumentum non eſſe aquam, at ſi ſemper ex natura rei calida ſit, indicium clarum eſt aquam non eſſe, quamuis vt ſuprà dixi frigiditas, quæ ſemel impedimentum non eſt ad calorem, neque ipſi impedimento erit quantumuis perpetua ſit. Iam conuerſio ad phantaſmata in ordine ad effectum cognoſcendi ſolùm ſe habet vt purum impedimentum operandi & hinc anima ſeparata clariùs cognoſcit, vti ignis magis calefacit lignum ſiccum; ad ſpiritualitatem verò non eſt impedimentum operationis, ſed argumentum eſſentiæ.

Dices operationem circa res, & obiecta ſpiritualia, & à materia abſtracta eſſe argumentum quòd eius principium ſit etiam per ſe independens à materia, tum quia tale principium perfectiùs operabitur quominus ſe immiſceat materialitati, vt experimur contingere in anima rationali eò perſpicatiori ad diſcurſus quò debilior eſt in corpore, vt patet in ſenibus. Vnde ſicut ob id anima probatur per ſe independens, ſimiliter & illud principium: tum etiam quia liberior debet eſſe eſſentia à materia, quàm eius operatio, vel ſaltem non dependet in *eſſe* ſi non dependet in *operari*, ſed cognitio ſpiritualium per ſe non pendet à materia, nam quamuis demus titulo ſpecierum indigere phantaſmate materiali ex hoc non fit per ſe dependens à materia, ſed ſolùm per accidens, vt à requiſito, vel conditione: hinc abſolutè intellectio noſtra non dicitur *pendens* ex corpore, licèt ſecundùm illum modum imperfectum, quem habet cum corpore connectatur; neque enim anima ſeparata naturaliter cognoſcit per conuerſionem ad phantaſmata vel eo modo ænigmatico, quo vtitur in corpore, dependentia autem quæcumque non ſufficit materialitati; etiamſi intrinſeca ſit, nam volitio efficax Dei de ſui vnione cum corpore, actus fidei de exiſtentia animæ intra corpus ſimilem dependentiam habent, quin materiales ſint. 37

Confirmatur; quia non eſt cur potius dependentia ex parte ſubiecti arguat materialitatem, quàm independentia ex parte obiecti ſpiritualitatem, cùm ſi conſulamus experientiam, ex qua diſcrimen inter ſpirituale & materiale colligitur, non minùs propria ſpiritus ſit independentia ex parte obiecti; ſeu reſpicere obiecta à materia abſtracta; quàm ſit proprium rei materialis in ſuo *eſſe* à materia dependere; ergo illa potentia poſſibilis, ſi ſpiritualia reſpicit, ſpiritualis etiam dicenda eſt quidquid ſit de eius connexione cum materia. Reſpondeo conceptum materialitatis conſiſtere in connexione intrinſeca cum materia, ratione cuius titulo phyſico res in ſuo eſſe exiſtere non valeat ſine materia, vt probabo in libris de anima, quare hoc in præſenti ſupponendum. Et quidem aduerſarij vt probent cognitionem noſtram ſpiritualem ex eo quòd obiectiuè non pendeat à materia inferunt nec pendere ſubiectiuè, & in ſe: quare ad id vnum reducenda eſt hæc diſputatio vt de re, ſit (per quod patet ad confirmationem ſupra poſitam) poſſit ne dari aliqua potentia in ſe intrinſecè pendens à materia licèt obiectiuè non pendeat, quod ego affirmo. 38 *Quid diſputetur de re in hac quæſtione?*

Et ad oppoſita reſpondeo independentiam obiectiuam à materia non eſſe immediatũ argumentum ad probandam independentiam, quam in ſe habet noſtra anima, vt ſupra dixi §. 19. neque 39

iuuat ſenum perſpicacia, ea enim etiam datur tunc in ſenſu interno, quem non dices *ſpiritualem*; quia ergo meliùs elaborantur ſpecies benè temperata phantaſia, & huius temperies in ſenectute viget, hinc ſunt diſcurſus viuidiores, cum ſubordinatione tamen ad eius organum, vt eorum inordinatio ad phantaſiæ læſionem ſecuta ſatis oſtendit: neque ideo dico diſcurſus noſtros etiam ſecundùm illum modum imperfectum non poſſe ex natura rei inueniri ſine phantaſia, etenim cùm anima ſeparata ferat ſecum ſpecies, quas in præſenti acquiſiuit dum eis vti velit eoſdem actus efficere poteſt, licèt alios perfectiores etiam eliciat per ſpecies illius ſtatus proprias. Excipio tamen actus, qui titulo intentionali materiæ alligantur, quibus ſcilicet anima experitur ſe eſſe intra corpus, & ſimiles; ij enim dari nequeunt in ſtatu ſeparationis, ſed dependentia hæc, cùm obiectiua ſit materialitatem non arguit, ſicut nec ſpiritualitatem obiectiua independentia; Senſus autem poſſibilis phyſicè & titulo ſui eſſe materiam requireret.

40 Dices licèt illa potentia poſſibilis requireret, & dependeret à materia, ſed non ab hac ſenſibili per hos ſenſus de facto; ergo talis potentia non erit *materialis*. Conſequentia certa videtur; ſicut enim, non facit materialitatem eſſe ſenſibile per ſenſus poſſibiles, niſi ſentiatur ab his: ita nec pendere à materia ſenſibili niſi dependeat ab hac. Antecedens probatur quia talis potentia eſſet alterius rationis, & ordinis ab omnibus iis formis, quas de facto recipit hæc materia; ergo in hac materia non eſt fingenda capacitas ad eam recipiendam; fruſtrà enim fingitur potentia, quæ non reducitur ad actum aliquem ſaltem illius ordinis. Neque alio fundamento colligimus virtutem, & capacitatem in cauſa ad effectus; niſi quia ſaltem ad aliquos eius generis concurrere experimur. Quare ſicut nullus dicet niſi fictè, & ſine fundamento poſſibilem frigiditatem, vel alium nouum effectum, qui ab igne dependeat; ita neque qui dependeat à materia. Confirmatur quia ſicut fingis dari capacitatem in materia ad recipiendam hanc formam, cuius ne veſtigium experimur; ita dici poſſet dari in noſtra anima capacitatem ad ſimilem ſenſum ſpiritualium perceptiuum.

41 *Cur capacitas cauſæ paſſiua ſit extendenda vltra experientiam, ſecus actiua.*

Reſpondeo in hac materia prima communiter poni capacitatem ad omnem formam poſſibilem, ideo in Phyſicis probabile cenſui cum Thomiſtis repugnare aliam materiam primam ſpecie diſtinctam. Ratio autem ob quam inconſultà experientià extendimus capacitatem paſſiuam materiæ, ſecus actiuam agentium deſumitur ex diuerſa vtriuſque cauſæ conditione, *Actiua*, quò magis capax perfectior eſt; non ita *Paſſiua*, ſed vice verſa; etenim vt magis det quis, ditior debet eſſe non vt recipiat ſed magis indigus ſit. Hinc ergo cùm perfectio non ſit ponenda in cauſa ſine neceſſitate, & poſitiuo fundamento; dum poſitiuè non apparet repugnantia, extendenda eſt capacitas materiæ, & agentium coarctanda. Ex quibus patet ad confirmationem, nam capacitas in anima ad nouum ſenſum nouam perfectionem argueret; ſiquidem ex eius virtute & dignitate flueret: pono namque futurum naturalem, etenim ne ſit ſupernaturalis alia ratio eſt, ſcilicet impotentia viuendi etiam diuinitus alio genere vitæ quàm naturali.

42 *Nec diuinitus poteſt anima noſtra eleuari ad hunc ſenſum.*

Sed vt hæc omittam illa forma eſſet materialis, quia penderet ab alia materia, quæ ſolùm ab hac differret in vniuerſaliori capacitate recipiendi ſcilicet hæc accidentia ſenſibilia verbi gratia quantitatem, & vltrà illam formam poſſibilem, ex quo ſtrictum conceptum materialitatis retineret, qui non tam ſumitur ex dependentia ab hac materia ſecundùm ſe, quàm vt *ſenſibili* per hos ſenſus de facto: quod autem his ſenſibus obiicitur, ibi inueniret tactus verbi gratia impeditus à penetratione per quantitatem.

Dices vltimò; repugnat potentiam materialem eſſe in eodem genere proximo vitæ cum noſtro intellectu, ſed data potentia materialis ſpiritualium perceptiua eſſet in eodem genere proximo vitæ, nam & haberet idem obiectum formale vt ponitur, aliunde poſſet habere eundem modum tendendi intuitiuum, vel abſtractiuum, indicatiuum item, & diſcurſiuum, neque in his ſpiritualitas relucet magis quàm in reſpectu ad ſpirituale obiectum vt manifeſtè conuincitur; vita autem formaliter non diuerſificatur niſi ex diuerſo modo tendendi vel obiecto. Ergo & cætera. Maior probatur quia aliàs poſſet noſter intellectus ſaltem diuinitus cognoſcere per cognitionem materialem, potentia enim vitalis rectè viuere poteſt per actum ſibi non connaturalem, dum tamen ſit in eodem genere proximo vitæ, vt conſtat; hoc autem abſurdum eſt; ſic enim & Deum videre poſſet actu materiali, noſtraque beatitudo, imo & angelica in viſione materiali poſſet conſtitui. 43

Fortè erit cui non diſſonet intellectum poſſe deprimi ad viuendum per actus materiales ſicut poteſt eleuari per ſupernaturales, id enim, & præcedens obiectio ſuadet propriæque vſtioni Dæmonum ab igne materiali concinit; quod dixi §. 12. ex mente Aduerſariorum ſed hoc omiſſo: abſolutè nego potentiam materialem futuram in eodem genere vitæ cum noſtro intellectu; ad id enim nec ſufficit conuenientia in modo tendendi intuitiuo vel abſtractio neque obiectum formale commune eſſe vtrique; nam intellectus vt intuitiuus albedinis hæc omnia habet communia cum oculo corporeo, neque ideo dices poſſe vti viſione corporea. 44

45 *Eſſe cognitionem materialem, vel ſpiritualem eſt differentia in genere vitæ.*

Requiritur ergo vlterius, & neceſſariò attendenda eſt conditio ſeu natura talis modi tendendi, quæ coaptetur, & commenſuretur actibus naturalibus potentiæ, à quibus ſcilicet ſolùm differat penes maiorem vel minorem (ſi placet) perfectionem tendendi in ſuum obiectum. Sic ſimpliciter & abſolutè continetur potentia intra ſuum modum tendendi connaturalem, quem perfectò non ſeruaret, ſi ex genere, & conditione eſſendi actus differret, neque enim minùs modum tendendi diuerſum conſtituit in actu vitali eſſe materialem vel ſpiritualem, creatum vel increatum, quàm eſſe intuitiuum vel abſtractiuum. Hinc eleuari poteſt potentia ad actus ſupernaturales, quia hos ſolùm diſcriminat à naturalibus perfectionis augmentum (licèt enim hoc augmentum non ſit ſolius gradualis intenſionis, imo diuerſum ordinem conſtituere dicatur: at tota hæc diuerſitas præcisè dicit perfectionem actus creſcere vſque ad ſuperandas naturæ vires, quare iure cenſenda eſt quaſi intenſiua in proprio genere eſſendi) oculus tamen corporeus neque ſuum obiectum videre poteſt viſione ſpirituali, quia talis viſio non ſolùm perfectionis exceſſu, ſed noua conditione, & modo eſſendi diſſidet à naturalibus.

46 *Specialis ratio ne humanitas Chriſti*

Vnde obiter inferes rationem, inter alias, ob quam humanitas Chriſti non cognoſcat per ſcientiam increatam; hæc enim, non tantùm ſecundùm magis, & minùs, ſed nouum modum eſſendi, & gradum

intelligat per intellectionem increatam.

gradum à naturalibus, & creatis actibus diſtantiſſimum conſtituit longiori exceſſu, quàm ſpiritualis viſio coloris ſuperet materialem oculi corporei, quare cùm certa ſit repugnantia ne oculus viuat per actus ſpirituales, ita etiam ne creatus intellectus per increatam cognitionem cognoſcat quæ veritas hinc à fortiori conſtare debet; ſiquidem ſubſtantia materialis etiamſi viuere non poſſit accidentaliter per vitam ſpiritualem accidentalem (nequit enim amare, aut cognoſcere cognitione ſpirituali ſicut modò vidimus) adhuc viuere ſeu viuificari poteſt vita ſubſtantiali ſpirituali ſicut viuificatur corpus per rationalem animam; ergo cùm nullo modo poſſit ſubſtantia creata reddi ſubſtantialiter viuens per vitam increatam, nec poterit reddi viuens in actu ſecundo ſeu cognoſcens per cognitionem increatam. Quo argumento vſus eſt S. Thom. quæſt. 20. de veritate art. 1. corp. in fine his verbis: *Sicut autem diuinitas non poteſt eſſe actus corporis, vt eâ corpus formaliter viuat, vel rationalis creatura fiat; ita non poteſt eſſe actus animæ rationalis vt eâ formaliter ſit ſciens.* Sed de hoc alibi.

Modò id omnino notandum licèt ea quæ huc vſque dixi ſtando rationi probabilia ſint, imo nec ex authoritate ſanctorum Patrum (nedum ſanctæ ſcripturæ aut Conciliorum) aliquid conuincens
47 contra hanc ſententiam opponi poſſit adhuc me ipſi plenum aſſenſum non ferre, quia communiter Theologos in eam propenſos non video.

Vnde à fortiori conſtat nullius roboris eſſe hoc argumentum, quod à paritate intendit potentiam materialem ſpiritualium perceptiuam ſuadere ſic: appetitus innatus materialis poteſt tendere in rem
48 ſpiritualem, ita corpus appetit animam rationalem; ergo, & appetitus elicitus. Probatur conſequentia tum quia innatus explicatur conditionatè per elicitum, illa enim res amat innatè, iuxta Ariſt. primo Rethoricorum ad Theodectem cap. 6. quæ amatet elicitè ſi elicitè eſſet appetitiua: tum etiam quia ſi iam res ſpiritualis poteſt eſſe bonum rei materialis; cur non & amabile? Tum ſic: ſed appetitui, qui elicitè poteſt appetere rem ſpiritualem, poteſt etiam imo tenetur cognoſcere, quia nihil volitum quin præcognitum; ergo admittenda eſt poſſibilis potentia materialis perceptiua ſeu cognoſcitiua rerum ſpiritualium. Hoc argumentum, vt dixi, nullatenus admittendum eſt; probat enim etiam de facto dari appetitum elicitum materialem (& conſequenter cognoſcitiuam potentiam) rei ſpiritualis, ſi quidem de facto datur appetitus innatus in corporea d ſpiritum. Deinde arguit à ſenſu metaphorico ad proprium. Quare abſolutè negandum eſt intentum argumenti, nam eo ipſo quòd res appetens innatè bonum ſpirituale ſortiretur appetitum elicitum, ex hoc amitteret materialitatem vt intendit contraria ſententia & iuxta omnes non poteſt lapis, qui innatè appetit centrum ideo admitti poſſibilis, qui tale centrum appetat elicitè: nam eo ipſo talis poſſibilis *lapis* non eſſet.

***

DISPVTATIO XXII.

De cognoſcibilitate, & appetibilitate viſionis Dei.

Sectio I. *Statuitur exiſtentia Viſionis Dei.*
Sectio II. *De cognoſcibilitate poſitiua viſionis Dei, vtrum ratione naturali probari poſſit ſaltem probabiliter?*
Sectio III. *De cognoſcibilitate viſionis Dei per naturalem demonſtrationem.*
Sectio IV. *De appetibilitate viſionis Dei per appetitum innatum.*
Sectio V. *De appetibilitate viſionis Dei per appetitum elicitum.*

Reiecta materiali viſione reſtat, vt iam ſermo ſit de intellectuali; cuius nomine in præſenti ſignificatur *cognitio clara; immediata, & intuitiua obiecti vt eſt in ſe*; hoc eſt per ſpeciem propriam ita vt cognitio talis ſuapte natura pendeat à præſentia obiecti, qua obiectum eſt, nullo ſcilicet alio titulo attento, niſi quia obiectum eſt talis cognitionis intuitiuæ: cognitio enim, quæ ſecluſo titulo efficientis, conditionis ſine qua non cauſæ materialis, *&c.* pendet ab obiecto, eo præcisè quòd obiectum eſt, iure intuitiua dicitur. Vtrum autem de Deo haberi poſſit cognitio quidditatiua, quæ intuitiua non ſit dicam diſp. 26.

SECTIO I.

Statuitur exiſtentia viſionis Dei.

Eam in Beatis ſtatuit manifeſtè catholica fides, dum Ioann 3. dicitur *Videbimus eum ſicuti eſt.* 1 *Ex fide S. Scriptura. Vide infrà quaſt. 12. art. 1. dub. 1.*
Prima Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Vbi oſtenditur *clara* quia non in ænigmate *immediata*, quia facie ad faciem: ac denique *intuitiua*, cùm obiectum ſicuti eſt repræſentet. Vnde concludit Paulus ibi? *nunc cognoſco ex parte, tunc autem & cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* Hoc eſt eo modo tendendi, quo à Deo cognoſcimur ſcilicet intuitiuo: licèt non ea quantitate, & adæquatione comprehenſionis, vnde notauit Caietanus non dixiſſe Paulum cognoſcam *quantum* ſed *ſicut* cognitus ſum.

Ne autem hæc teſtimonia liceat minùs propriè intelligere vt alia veteris teſtamenti in quibus dicitur *Deus viſus facie ad faciem* Iacob. Gen. 32. loquutus Moyſi exod. 33. 11. obſtat expreſſa definitio & vſurpatio Eccleſiæ in ſenſu ſtricto, Concilium Francofordienſe in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ in fine, Florentinum ſeſſione vltima, Euariſtus Papa in epiſt. 1. & præ cæteris clariſſimè Benedict. 12. in quadã decretali, de qua fit mentio in eius vita tit. 1, Conc. parr. 2. p. 818 verba ſunt apud ſupplementũ Gabriel. in 4. diſt. 49. q. 2. a. 3. dub. 3. *Definimus quòd ſecundum Dei ordinem animæ ſanctorum* 2 *Definitionis Eccleſia.*

quæ ex hoc mundo purgatæ diſcedunt ante iudicium generale vident diuinam eſſentiam viſione intuitiuа, & faciali, nulla mediante creatura in ratione obiecti ſe habente; ſed diuina eſſentia nudè & clarè, & apertè ſe illis oſtendente.

3 Eundem ſenſum latè proſequitur Auguſtinus, epiſt. 112. concluſ. 15. & alij innumeri Patres apud Suarez, Faſolum, & Recupitum lib. 6. quæſt. 1. videri poſſunt. Ne autem ab hoc communi conſenſu Chryſoſtomus excludatur, legendus eſt ep. 5. ad Theodor. apertè hanc viſionem adſtruens ibi; *Contueri licebit* (ſc. in patria) *ipſum Regem non per ænigma, nec per ſpeculum ſed facie ad faciem.* Vnde quidquid alibi in Chryſoſtomo appareat contrarium hinc interpretandus eſt, & iudicandus huius veritatis aſſertor: qualem putamus Paulum ob ſimilia verba 1. Corinth. 13. licèt 1. Timothei Deum *inuiſibilem* æquè ac *incorruptibilem* facere videatur. Neque neceſſarium duco in huius, vel aliorum Patrum, qui minùs veritati catholicæ fauere videntur exploranda mente fuſiùs laborandum, cùm de veritate, iam conſtet, neque fidei noſtræ, vel Patrum authoritas lædatur ſi inuincibiliter homo de illa aliquid ſtatuiſſe dicatur, vt bene notat Faſolus in præſenti dub. 3. num. 20. ſpeciatim autem quia hic Chryſoſtomi mens inquiri ſolet dicam §. 6. Rationi naturali præciſè nihil poteſt nobis conſtare de exiſtentia viſionis, cùm enim ſupra omnem naturam ſit, ſolumque ex liberali Dei voluntate pendens, quin experimento vllo in ſe comperiatur, eatenus ſolùm cognoſci poteſt, quatenus illam Deus reuelauerit; nam quod neque in ſe, neque in effectu aliquo ad extra innoteſcit, reſtat vt in ſola Dei voluntate libera cognoſci valeat. Secreta autem libera, & profunda Dei, niſi ipſo reuelante non patent: ſicut neque ſecreta cordis humani vt maximè de hac viſione mirè expreſſit Apoſtolus his verbis 1. Corinth. 2. 10. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum, nobis autem reuelauit Deus per Spiritum ſuum,* huius rationem reddens addidit *Spiritus enim omnia ſcrutatur etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis qui in ipſo eſt? Ita, & quæ Dei ſunt nemo cognouit, niſi Spiritus Dei.*

Chryſoſtomus eſt pro hac veritate.

4 Poſitis tamen aliis operibus gratiæ etiam naturalis ratio colligit exiſtentiam viſionis, verbi gratia, ex Incarnatione: *nam qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit* (ait Apoſtolus Rom. 8. 32.) *ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Item ipſe Filius neceſſariò habebit viſionem hanc vt pro excellentia formæ dentur etiam proprietates ſicut dixi diſp. 20. Ergo & nos qui titulo amicitiæ, & Filiationis adoptiuæ conſortes ſumus naturæ diuinæ hanc proprietatem communicare debemus iuxta datam doctrinam diſput. 20. ſed iſta adhuc abſolutè non conuincunt, nec directè probant exiſtentiam viſionis, niſi caſu quo ipſa aliàs non repugnet: quare rationibus repugnantiæ priùs occurrendum eſt. Fuit hic Armenorum error tuentium Deum in ſe non poſſe videri, ſed ſolùm in quadam luce, & imagine à Deo effluente; quo pacto accipiebant illud Pſalm. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.*

5 Arguunt igitur primò ex ſcriptura Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam:* Item cùm Deus dicitur abſolutè *inuiſibilis* omnem viſionem poſſibilem videtur excludere, ſicut quia dicitur *incomprehenſibilis*, vel *immortalis* omni morte, & comprehenſione creatæ opponitur. Quare Auguſtinus epiſt. 112. cap. 15. expendens illud 1. Timoth. 6. *Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili*, addit, *quæ contextim appoſuit Apoſtolus, quia ſicut nunc incorruptibilis, nec poſtea corruptibilis, ita non ſolum nunc ſed etiam ſemper inuiſibilis.* Accedit ratio quod ſi titulo perfectionis eſſendi ita eleuatur Deus vt ſuperet omnem cognitionem naturalem, maior relucebit perfectio ſi omnem poſſibilem creatam excedat, cùm nulla ſit, à qua infinitè non diſtet; vti non ſolùm naturaliter, ſed etiam diuinitus eſt *incomprehenſibilis.*

Hæc tamen teſtimonia & vrgentiora, quæ afferri poſſunt ex Patribus dum intelligantur de viſione comprehenſiua, vel naturali, vel in hac vita, aut denique corporea facilem expoſitionem habent; & quidem Auguſtinus vbi ſupra, & maximè epiſt. 111. poſt medium manifeſtè intelligit locum Pauli de viſione corporea, nam poſt relata verba num. 6. addidit: *Verùm quia neque iſta teſtimonia falſa eſſe poſſunt beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt; negare non poſſumus Filios Dei viſuros Deum, ſed ſicut videntur inuiſibilia* Ad rationem reſpondeo excellentiam Dei ſæpius petere vt viribus propriis creaturæ non pateat ad ipſum Deum aſcenſus, ſecus ex liberalitate Diuina; ſic cuilibet apparebit indecens ſi vnio hypoſtatica ex debito inſit creaturæ, non verò, ſi liberaliter, vt in Chriſto. Ita autem ſe habet in præſenti, Dei perfectio exigit vt nulli debitus ſit eius concurſus obiectiuus, conſtituatque modum eſſendi longè altetius ordinis à creato, & hinc propriis viribus ad Deum videndum nulla creatura aſcendere poteſt vt dicam, diſput. 27. bene tamen ex liberalitate, & *condeſcenſu* Dei ipſius: vt intelligo Chryſoſtomum hom. 3. de incomprehenſibili Dei natura dum negat *Angelos ipſam ſinceram Dei ſubſtantiam, ſed quæ videbant*, inquit, *condeſcenſus erat, & indulgentia.* Id eſt, non videbant adæquatè & totaliter vt ipſe Deus, hæc enim eſſet comprehenſio, ex quo ſcientia creata æquaret diuinam, quod omnino repugnat, ſed attemperante ſe Deo, & accommodante finitæ Angelorum capacitati, operanteque ex liberalitate condeſcendendo. 6

Auguſt.

Explicatur D. Chryſoſtomus.

Hinc argues ſecundò; nam viſio Dei neceſſariò erit infinita, etenim viſionis perfectio creſcit, quò obiectum perfectius eſt; ergo viſio obiecti infiniti erit infinita: Conſequentia probatur; tum quia talis viſio excedit in infinitum alias viſiones obiectorum in infinitum Deo inferiorum; tum etiam quia viſio debet in gradu immaterialitatis proportionari cum ſuo obiecto, ſic viſio obiecti ſpiritualis debet eſſe ſpiritualis, ideoque oculus corporeus nequit attingere obiectum ſpirituale. Reſpondeo; argumentum plures habet inſtantias, nam amor & cognitio abſtractiua etiam creſcunt, quò ad obiectum perfectius terminantur, requiruntque proportionem cum ipſo, ideoque nec abſtractiuè poteſt oculus, vel appetitus corporeus attingere obiectum ſpirituale; ergo ſi hoc non obſtante poſſibiles ſunt & de facto dantur amor, & cognitio abſtractiua creata de Deo item, & actio finita licèt ſpecificetur ab obiecto infinito ita dici poteſt de cognitione intuitiua. 7

Argumentum contra viſionem calculatorium.

Inſtatur.

Communiter reſpondere ſolet huic argumento viſionem creſcere ad menſuram obiecti non quidem proportione *arithmetica*, & quantitatiua, vt ſcilicet ſicut obiectum ſuperius excedit inferius, ita huius viſio æquali menſura ſuperetur à viſione illius, 8

Explicatur communis ſolutio de proportione Arithmetica, & Geometrica.

illius, ſed ſolùm proportione *geometrica*, vt ſcilicet viſio ſuperioris obiecti conſtituat diuerſum, & ſuperiorem ordinem ad quem cæteris paribus nunquam accedat viſio obiecti inferioris, ex quo exceſſu, licèt ſit ſupra viſiones in infinitum ſecundùm maiorem perfectionem multiplicabiles, non arguitur infinita perfectio abſolutè, nec tanta quanta ſe ſuperant obiecta; tum quia ſic natura humana excedit infinitas ſpecies animalis, quas Deus in infinitum minùs perfectas homine creare poteſt, item malitia peccati mortalis ſuperat ſimiliter veniales infinitas; neque ideo eſt infinitè bona, vel hæc mala infinitè; tum etiam eſt ratio quia totum incrementum viſionis limitatur, & clauditur in determinato genere, & linea nempe *cognitionis intuitiuæ creatæ*; obiectum autem creſcere poteſt abſolutè in omni genere, vt patet in Deo reſpectu obiecti creati; ergo non eſt neceſſarium, imo nec poſſibile quòd viſio creſcat arithmeticè ad menſuram ſui obiecti, ſiquidem ſemper creſcit in limitato genere; quare fiet ſolùm infinita ſecundùm quid, & vt creata viſio non verò infinita ſimpliciter, vt patet etiam in cognitione abſtractiua, quæ non euadit ſimpliciter infinita, quare ſolùm concludet argumentum quaſi per infinitam gradationem viſionem Dei excedere aliorum obiectorum viſiones. Quod additur de proportione immaterialitaris ſatis conſtat ex diſput. 21. ſect. 5. non obſtare, rectè enim ſtat in terminanda habitudine, & reſpectu proportionari, quod in *eſſe* entis nimis diſtat, ſic Deus in *eſſe* principij & finis proportionatur cum creaturis, ſimiliterque in *eſſe* obiecti cognitionis abſtractiuæ. Ergo, & intuitiuæ.

9 Sed hinc rurſus vrges. Deus in eſſe obiecti viſibilis non eſt proportionatus intellectui creato connaturaliter, ſiquidem per nullam viſionem naturalem attingi poteſt vt ſuppono ex diſp. 26. ſed quidquid ſit de proportione obiecti ſecundùm ſe, ſi tamen in modo, quo tangendum eſt à potentia vitali non ſit naturaliter proportionatum, nec diuinitus poteſt eleuari potentia ad talem modum; ergo nec intellectus ad viſionem Dei. Minor ex diſput. 21. ſect. 2. patet, & vlterius ſuadetur tum in oculo corporeo, qui non poteſt eleuari ad attingendum colorem abſtractiuè: tum etiam quia potentia vitalis non minùs extrahitur à ſuo genere proximo vitæ per nouum modum tendendi quàm per obiectum nouum, ſic circa eundem colorem in eſſe vitæ oculus, & ſenſus internus differunt, quia oculus intuitiuè, ſenſus internus abſtractiuè tendit. Vnde confirmatur, ſi daretur in aliquo ſuppoſito potentia ſpiritualis purè intuitiua circa Deum, & alia abſtractiua ſicut noſtra non minùs differrent hæ potentiæ quàm viſiua materialis vt oculus, & abſtractiua vt ſenſus internus differunt modò circa idem obiectum ſcilicet colorem. Sed hi ſenſus differunt formaliter in genere proximo, & ratione vitæ, vt nec diuinitus ſenſus internus eleuari poſſit ad repræſentationem intuitiuam coloris, ſicut nec oculus ad abſtractiuam eiuſdem; ergo nec intellectus, qui purè abſtractiuè tangit Deum eleuari poteſt ad intuitionem.

10 Hoc argumentum ſolutionem habet ex diſp. 21. ſect. 2. nam licèt quando modus ſecundùm ſe eſt extraneus potentiæ vitali, hæc non poſſit eleuari ad vtendum illo etiam circa ſuum obiectum materiale vt bene probat obiectio. At vbi modus ſimpliciter connaturalis eſt, quod magis extendatur quàm naturaliter poterat, dum fiat intra latitudinem proprii obiecti non immutat modum operandi vitaliter, ſed efficienter purè nam quo minus naturaliter extenderetur nulla iam relucet impotentia, quæ in defectum virtutis purè efficientis ab extrinſecoque præſtabilis reduci non poſſit vt notaui §. 22. ex quo potentia vitalis eleuari poterit ad illum modum magis extenſum. Patetque ad confirmationem ratio diſcriminis; nam ſenſui interno omnino alienus eſt modus tendendi intuitiuus circa colorem (nomine *ſenſus interni* non intelligo ſenſum communem, qui intuitiuè percipit omnia obiecta ſenſuum particularium externorum, ſed intelligo potentiam *imaginatiuam*, ſeu phantaſiam, quæ tendit abſtractiuè) vnde magis differt ſenſus internus phantaſiæ ab oculo corporeo, quàm intellectus noſter ab illa potentia ſpirituali; & conſequenter licèt nequeat eleuari ſenſus internus ad videndum colorem, bene tamen intellectus ad intuendum Deum, ſicut & ipſe internus ſenſus, ſi identificetur cum potentia viſiua corporea poterit eleuari ad intuenda obiecta inſenſata, quæ correſpondent potentiæ æſtimatiuæ, verbi gratia, *amicitiam, inimicitiam, conuenientiam*, & alia, quæ naturaliter non cadunt ſub intuitionem.

Senſus internus magis differt ab externo, quàm intellectus noſter à potentia intellectiua abſtractiuè purè, cognoſcenti.

Vltimò contra poſſibilitatem eleuationis intellectus vt videat Deum obiicies; viſionem moueri ex nouo obiecto formali, quod non cadit ſub ſphæra naturali, tum quia mouetur ex Deo, *vt Authore ſupernaturali* item *vt trino*, vt ſic autem ſupra omne lumen naturale intellectus eſt; tum etiam quia mouetur ex ipſa Deitate immediatè, & vt præſente: Deus autem licèt vtcumque tamquam obiectum materiale cadat mediatè ex cognitione creaturarum, (mouente ſcilicet veritate creata priùs cognita) non tamen cadit immediatè, & formaliter ratione ſui ſub ſphæra naturali intellectûs; ergo ſimpliciter hic eleuari nequit ad talem viſionem; aliàs extraheretur, licèt non à materiali; ſaltem à ſuo obiecto formali connaturali, quod minorem repugnantiam non inuoluit. Reſpondeo idem prorſus obiectum formale quod attingit viſio, attingi poteſt per actum naturalem; licèt enim intellectus primò non feratur immediatè in Deitatem, ſed manuductus ex cognitione creaturarum, hac tamen ſemel acquiſita, ipſe iam immediatè Deum attingit, vt patet tum in apprehenſionibus, quæ ſæpius immediatè excitantur circa Deum, tum maximè in indiciis, quæ affirmant prædicata nulli alteri, niſi Deo conuenientia: tum vltra in amore, qui directè ſolùm tendit in Deum vt formale obiectum, tum denique à priori; quia ſæpius intellectus licèt indigeat præuia notitia, vt in alterius obiecti cognitionem deueniat, poſtea tamen independenter à prima ſecundam repetit, vt patet in ſcientiis; neque enim ſemper recurrimus ad prima principia. Neque vt Deus cognoſcatur tamquam Author ſupernaturalis, vel Trinus nouum lumen à naturali requiritur, vt patet in hæretico per actus naturales hæc omnia attingente, vnde iam ſatis ſoluta manet hæc obiectio. 11

Quo modo Deus etiam vt Trinus ſit obiectum formale immediatum cognitionis naturalis.

* * *

SECTIO II.

De cognoſcibilitate poſitiua viſionis Dei, vtrum ratione naturali probari poſsit, ſaltem probabiliter?

12 *Vide infrà qu.12.art.1. dub.2.& 3.*

INſcripſi ſectionis titulum de cognoſcibilitate poſitiuâ, nam de negatiua, quatenus naturalis ratio nil contradictionis inuenit in poſſibilitate talis viſionis ſatis conſtat ex dictis. Cæterùm hæc cognoſcibilitas nil certum ſtatuit, ſolùm namque ſignum eſt arguentis impotentiæ ad conuincendam partem oppoſitam, quod multoties eueniet; etiamſi veritatem contineat, vt bonæ cauſæ eſt malum patrocinium: Vnde ſicut huius imbecillitas non nocet bonitati cauſæ; ita nec ſtatim firmat veritatem non repugnantiæ alicuius effectus argumentorum inertia in eius implicantiam. Et ratio eſt, quia adhuc dubitare poteſt prudens intellectus, ſit-ne alius implicationis titulus, qui lateat ipſum; vt ſæpius nobis ipſis progreſſu temporis noaffulget repugnantiæ ratio, quæ expeditos aliàs impediat. Quare licèt piè quis in effectus poſſibilitatem inclinet expertus Dei omnipotentiam, dum apertam implicantiam non agnoſcit, vt tamen certior hic ſit de viſionis Dei poſſibilitate notitia, inquirimus quatenus ea poſſit per rationem naturalem poſitiuè probari?

Debilis probatio alicuius concluſionis, quòd non appareat repugnantia.

13 *Poſitiua ratio probabiliter ſuadens poſſibilitatem viſionis Dei.*

In qua quæſtione cenſeo etiam ſecluſa fide, & aliis principiis reuelatis oſtendi poſſe viſionis poſſibilitatem, eamque ſolo naturali lumine probari ſatis poſitiua hac ratione. Natura rationalis creata, verbi gratia, humana, capax eſt veræ beatitudinis, vt concors omnium in beatitudinem inclinatio, philoſophorumque communis conſenſus benè demonſtrat, neque enim vt rectè dixit Auguſtinus *omnes Beati eſſe vellemus, niſi eſſe poſſemus?* Sed vera beatitudo non ſtat niſi in viſione Dei; ergo huius eſt capax natura humana, & conſequenter ea erit poſſibilis. Maior & conſequentia ſatis liquent. Minor ſuadetur: beatitudo naturæ rationalis in nullo bono finito conſiſtit, ſed in ſolo ſummo, & infinito; ita vt ficto per impoſſibile defectu ſummi boni, Deumque non eſſe infinitæ excellentiæ, & bonitatis, non intelligeretur natura rationalis creata ſatiata perfectè & verè felix; pertinet enim tam ad perfectionem naturæ rationalis creatæ nullo bono perfectè ſatiari niſi infinito, quàm ad excellentiam ipſius Dei eſſe ſic finem & obiectum, in quo ſolo vera beatitudo rationalium creaturarum, quarum amorem, & obſequium exigit, conquieſcat. Quis enim dubitet dedecere naturam ſemel capacem amplectendi bonum increatum, aliud finitum, in quo conquieſcat, illi præferre? ſi enim & brutis ſua quies conceditur, ſi res inanimatæ ſuum centrum conſequuntur, cur perfectiſſimum animal rationale ſine præfixo fine erit, cur illi ſoli quies omnimoda, qua ſine anxietate ſit, non concedetur poſſibilis? Tum ſic, ſed ſecluſa viſione noſtra beatitudo non ita ſita eſt in infinito bono; ergo nec ſimpliciter ſtabit vera, & perfecta beatitudo.

Beatitudo naturæ rationalis in bono ſummo & infinito conſiſtit, ita vt ſi hoc deficeret, illa non ſtaret.

14 Hæc minor, in qua eſt difficultas probatur: nam ſecluſa viſione Dei ſolùm reſtat cognitio ipſius in creaturis, ad hanc autem cognitionem perfectio Dei vt eſt in ſe eiuſque realis excellentia per modum obiecti per accidens ſe habet. Etenim ſtante obiecto formali motiuo quidquid ſit de defectu reali omnis alterius eodem modo permanet cognitio, neque quoad claritatem & vim inferendi gaudium, & delectationem aliquid amittit: cogita cum aliquorum ſententia, dum obiectum cernitur in ſpeculo non videri in ſeipſo, ſed in imagine, vel ſpecie ibi apparente, profectò hæc eſt per ſe, quæ conducit ſola in illam viſionem, quin ob defectum obiecti ſi ſtaret adhuc talis imago, viſio immutaretur, vel delectatio ex ea proueniens; ergo ſimiliter hìc continget, quòd per ſe non bonum infinitum, ſed eius creata imago, quæ finita eſt, hominem obiectiuè bearet.

Hæc ſine dubio eſt mens S. Thom. hìc art.1. in corpore; ideo namque rectè intulit, *quod ſi nunquam eſſentiam Dei videre poteſt intellectus creatus, vel nunquam beatitudinem obtinebit, vel in alio eius beatitudo conſiſtet, quàm in Deo:* ſc. in illa creatura, in qua tanquam in medio, & imagine cognoſcitur Deus. Item ideo apud Scotum in 4. diſt. 48. verſ. *videtur tamen mihi* perinde eſt beatitudo ac beatitudo viſionis, nam ſi ſolum cognoſceretur Deus in alio, talis cognitio per ſe non expoſceret bonum infinitum exiſtens, niſi ſolùm *apparens* in imagine; ergo vt *vera* ſit beatitudo de bono infinito illud in ſe intueri debet. 15

Colligitur hæc ratio ex S. Thoma, & Scoto.

Dices primò etiam ſecluſa viſione Dei poteſt eſſe Deus immediatum obiectum formale, nam vel in hac vita Deus immediatè cognoſcitur, vt dixi §.11. Reſpondeo, ſed hæc immediata cognitio tota fundatur in prima mediata, neque magis conducit ad beatitatem cognitio ſic immediata, quàm dum cognoſcitur Deus mediatè in creatis, vt rectè notat P. Rainaudus de diſciplina morali diſt.1. qu.4. art.4. num.294. Quare eodem modo perſiſteret talis cognitio immediata etiamſi Deus in ſe deficeret, eo ſolo quòd perſiſtant creaturæ. Dices ſecundò infinitum bonum licèt cognoſcatur in alio, etiam conducit ad beatitatem, nam ſi non daretur in ſe, non reluceret in creaturis. Sed contra hoc non eſt abſolutè ſummum bonum titulo ſui beare; ſed miniſtrare, & tribuere obiectum, quod beet, ſeu conducere tanquam conditionem, ſine qua non exiſteret obiectum beans: ſic non dicitur beare, ſeu delectare formaliter palatum, qui miniſtrat cibum, neque in miniſtrante delectatur palatum, ſed in cibo ipſo. 16

Dices tertiò beatitudinem naturalem eſſe veram beatitudinem conſtitutam in ſummo bono, & infinito, nec tamen poſitam eſſe in viſione Dei. Reſpondeo veram beatitudinem ſimpliciter, ſolùm eſſe ſupernaturalem gratiæ ita acriter tuetur Vaſquez 1.part. diſp.126. cap. 2. & 1. 2. diſp. 12. cap.3. Coninx diſ.11. de actibus ſupernaturalibus num.156. & 158. Tuetur etiam Scotus 1. quæſt. Prologo, dicens Deum videndum eſſe finem naturalem noſtræ animæ, licèt ſupernaturaliter adipiſcendum, quam veritatem mihi inter alias hæc ratio ſuadet; nam beatitudo vera, & ſimpliciter talis ab omnibus concipitur imbibere, ſtatum fixum, immutabilem, & à timore amiſſionis liberum: ſecluſa autem ſupernaturali beatitudine amittere poſſet homo felicitatem omnem, cùm nihil eſſet, quo impeccabilis redderetur intrinſecè; nihil enim eſt ſecluſa viſione quod indifferentiam voluntatis adimat, ne in peccatum deflectat vt patuit in Angelis, quantumuis in contemplatione Dei perfectiſſima creatis, & in beatitudine naturali, D.Th. 1.part.qu. 62. art. 1. & 2. Vnde denuo aſſertio in §.13. confirmatur; nam ratione naturali probari poteſt hominem eſſe capacem veniendi aliquando ad terminum fixum, & 17

Beatitudo naturalis quomodo conſiſtat in Deo.

Beatitudo purè naturalis non eſt ſimpliciter beatitudo.

immu

immutabilem conſecutionis ſui finis, hoc autem ſine viſione fieri non poteſt. Qui enim fiet, vt cùm voluntas creata intrinſecè indifferens ſit ad peccandum, per totam æternitatem immutabiliter bono adhæreat.

18 Neque naturale deſiderium probat beatitudinem propriis viribus conſequibilem, nam id deſiderium ſolum eſt ad felicitatem conſequendam vt maximum, & gratioſum beneficium creatoris, quare ſolùm arguit eſſe poſſibilem ex liberalitate illius, vt ſemper verum ſit illud Apoſtoli. *Gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Ieſu, Domino noſtro* ob id tamen homo non eſt peioris conditionis quam à bruta, quibus naturali curſu ſua felicitas aduenit, tum quia ſicut non eſt peioris conditionis, licet homini ſit contingens, brutis autem neceſſaria (nam potiùs hoc petit excellentia beatitudinis rationalis) ita dici poteſt hìc, vt rectè notat Vaſquez ſuprà, meliúſque S. Thom. 1. 2. quæſt. 5. art. 5. ad 2. Tum etiam quia imperfecta beatitudo & ſecundùm quid talis, etiam naturali virtute adueniet homini, *ſatis autem eſt homini*, vt dixit Ariſt. 10. Ethicorum. *Si ſit beatus vt homo*; etiam ſi beatitudo vera, & perfecta ſolùm veniat per gratiam.

Non eſt abſurdū, quòd homini nequeat contingere vera beatitudo propriis viribus.

Neque ideo eſt peioris conditionis, quàm bruta.

19 Sed hinc dices quartò, hac ratione accepta vera beatitudine, non eſſe demonſtrabilem ratione naturali eius capacitatem in homine, nam diceret quis poterit hominem ſolùm eſſe capacem beatitudinis ſic imperfectæ. Sed contra; hominis capacitas talis eſt, vt ſolo bono infinito ſatietur, huius enim veritatis ſufficiens ſignum eſt omnium ſapientium in ipſam conſpiratio, etenim hoc ſolo titulo aliæ veritates morales ſatis probari cenſentur, vt dari in alia vita præmium, & ſupplicium meritorum, imo & vnitas Dei, & ſimiles. Videatur latiſſimè Abulenſis in caput 5. Mathæi. à quæſt. 18. ad 27. & inter Recentiores noſter Theophilus Raynaudus diſt. 1. de diſciplina morali quæſt. 3. art. 1. mira eruditione antiquorum placita in hanc veritatem exponens; ipſumque naturale lumen ſtatim dictat hominem omnis boni capacem ſolùm ſatiari per poſſeſſionem boni totius. Cùm ergo omnia bona finita nòn poſſint ſimul in ſe obtineri; cùm plura ſint in ſuo eſſe formali incompoſſibilia, conſequens eſt vt in alio eminentiori teneantur, qui eſt ſolus Deus, & conſequenter vt homo ſit capax talis beatitatis, quæ deficiente, ſeu imminuta hac infinitate Dei continentis omne bonum, non daretur, Ergo ſiquidem hoc neceſſariò arguit Dei viſionem, iuxta dicta talis viſio ſatis naturali ratione probatur, vt etiam ſecluſa reuelatione fidei pro illius probabilitate ſtandum ſit, quod ſolum intendo.

Cur homo probetur non poſſe beari niſi bono infinito.

SECTIO III.

De cognoſcibilitate viſionis Dei per naturalem demonſtrationem.

20 VTrum autem non ſolùm hâc morali, ſeu probabili certitudine, ſed etiam metaphyſica demonſtratione poſſibilitas viſionis intuitiuæ Dei oſtendi poſſit, quæſtio eſt non ſolùm præſenti tractatui vtilis; ſed etiam communis cognoſcibilitati aliorum donorum ſupernaturalium expediendæ, vt appateat repugnetne ſupernaturalitati cognoſci ſaltem vt poſſibilem per cognitionem naturalem: ſeu vtrum omnis res ſupernaturalis non ſolùm ſit ſupra omnes vires & exigentiam phyſicam naturæ, ſed etiam ſupra omnem cognitionem ſaltem metaphyſicè euidentem; & demonſtratiuam. De quo plura in genere conſtabunt in tract. de Angelis, ſpeciatim autem in tractatibus de Trinit. & Incarnat. modò autem quod ad præſens attinet de viſionis ſolius poſſibilitate agendum, poſitâ eius exiſtentiâ vt omnino intrinſecè occultâ, cùm non pendeat aliunde, quàm ex extrinſeca Dei voluntate. Item vt intrinſecè ſolùm probabili per rationem naturalem in *eſſe* poſſibilis agendum, inquam, de viſionis poſſibilitate, queat-ne metaphyſica certitudine demonſtrari naturaliter, ſeu ex medio naturali.

Vide quæſt. 12. ar. 1. dub. 2. & 3.

An ſit contra ſupernaturalitatem demonſtrari vt poſſibilem per medium naturale?

Affirmat Pater Arrubal hìc diſput. 15. cap. 1. pro ſe adducens S. Thomam, & Scotum: at neuter hoc vt ita certum ſtatuit, ſed ſolùm intendunt ratione naturali probari eam poſſibilitatem; quod citra euidentiam fieri poteſt vt patet etiam in ipſis veritatibus naturalibus, quæ ſub opinione verſantur; vnde quod D. Thom. 3. contra Gentes cap. 51. non ſolùm dicat eſſe credibile vel probabile poſſe videri Deum ab intellectu creato, ſed abſolutè id eſſe poſſibile, non arguit ſtrictam demonſtrationem. Scotus autem in 4. diſt. 49. quæſt. 8. citata ſuprà, ſolùm ait. *Videtur tamen mihi, quòd per rationem naturalem poteſt probari ſublata imperfectione iſtius quoad cognitionem quod poteſt cognoſci quòd natura humana ſit capax beatitudinis veræ.* Imo Pater Vaſquez qui etiam adducitur pro hac ſententia expreſsè concludit 1. 2. diſput. 20. num. 6. metaphyſicè demonſtrabilem non eſſe. 21

Affirmat P. Arrub.

Arguit Pater Arrubal, euidens eſt ad videndum in ſe Deum non requiri actum infinitum, ſicut nec ad amandam in ſe eius bonitatem infinitam. Sed certum eſt nihil finitum eſſe ſupra capacitatem creaturæ, & conſequenter nec ſupra potentiam eleuatiuam Dei; Ergo nec viſio. Reſpondeo maiorem non eſſe certam naturali lumine; nam ſicut non obſtante, quòd naturalis ſit amor Dei, in ſe viſio *naturalis* negatur ob peculiarem proportionem, quam petit cum ſuo obiecto, ita & *poſſibilis* negari poteſt. Arguit ſecundò cum Scoto, modus tendendi, qui conceditur potentiæ inferiori; poteſt communicari ſuperiori; ſed potentiæ cognoſcitiuæ infimæ, ſcilicet oculo datur intuitiuè tendere in omnia ſua obiecta: ergo id intellectui concedetur, ſaltem diuinitus erga Deum, qui eſt eius obiectum. Reſpondeo; argumentum probat viſionem Dei eſſe naturalem, ſicut eſt oculo viſio coloris: Quare neganda eſt maior, quia potentia ſuperior poteſt ex alio capite compenſare illum defectum, vti lumen fidei perfectione ſupernaturalis ſupplet euidentiam cognitionis naturalis. Arguit tertiò Cardin. de Lug. hìc in manuſcriptis; omne obiectum abſolutè poteſt terminare cognitionem intuitiuam inadæquatam, hoc eſt, quæ licèt intuitiua ſit; comprehenſiua non ſit. Id patet experientiâ, qua cernimus omnia obiecta intuitiue videri poſſe, quin ideo comprehendantur, & in ipſis aliud eſſe intuitiuè videri, aliud comprehendi; ratio eſt quia cùm minùs ſit inadæquatè videri, quàm adæquatè, poſſibile erit primum ſine ſecundo. Tum ſic, ſed cognitio intuitiua, ſeu viſio de Deo, quæ inadæquata ſit, non poteſt eſſe diuina; talis enim viſio dedecet intellectum diuinum; Ergo eſt creata. Reſpondeo rectè poteſt admitti vt non repugnans id, quod maius eſt, licèt non admittatur *minus*. Sic ſolùm eſt poſſibilis pro peccato mortali ſatisfactio ſuperabundans; non autem quæ præciſè æqualis eſt culpæ mortali- 22

Eius fundamenta.

Argument. Card. de Lugo.

mortali, nam vt ſuppono ex tract. de Incarn. non poteſt ſatisfacere ad æqualitatem pro mortali niſi Chriſtus Dominus, cuius ſatisfactio ſemper eſt ſuperabundans. Ergo benè admitti poteſt vt non repugnans id, quod maius eſt, qualis eſt ſuperabundans ſatisfactio, licèt repugnet quod minus eſt, qualis eſt ſatisfactio præciſè æqualis. Ergo ita dici poſſit in preſenti, quòd Deus, ſi videndus eſt intuitiuè, neceſſariò comprehenſiuè; & adæquatè videatur.

23 *Argument. Recupiti.*

Quartò argui poteſt ex Patre recupito in preſenti quæſt. 1. a num. 26. euidens eſt oculum corporeum poſſe videre omnem colorem poſſibilem, etiam vltra illum, quem naturaliter videt: quis enim dubitet poſſe oculum ita confortari, vt videat ſolem in ſua rota, vnde ſi poſſibilis ſit color, & lumen infinitum, ratione naturali erit demonſtrabilis eorum viſibilitas ab oculo eleuato; ergo & viſibilitas Dei ab intellectu. Conſequentia probatur, tum quia ita ſe habet verum ad intellectum ſicut coloratum ad oculum, ſeu ita Deus conuenit in ratione veri cum obiecto quod naturaliter intuitiuè tangitur ab intellectu: (hoc eſt habet conformitatem paſſiuam per quam eſt aptus terminare aſſenſum, quod *talis in ſe ſit Deus, qualis cognoſcitur*, in qua conformitate conſiſtit ratio veri in obiectis creatis, quæ intuitiuè tangit intellectus) ſicut color infinitus conuenit cum colore finito; Ergo ſi viſibilitas coloris infiniti eſt demonſtrabilis, etiam & veri infiniti. Rurſus ſi Deus eſſet coloratus ratione naturali probaretur eius viſibilitas ab oculo corporeo, quia ſcilicet foret ſub ſpecificatiuo formali illius; ita autem modo eſt ſub ratione veri, ſeu affirmabilis per aſſenſum, quæ eſt ratio formalis ſpecificatiua intellectus, etiam dum intuitiuè tendit; tum denique ex eo quòd naturaliter non videatur aliquis color ab oculo, non bene negatur talis color poſſe diuinitus videri, aliàs lux ſolis in ſe non eſſet viſibilis, nec alia lux quàm hæc, nec in alia menſura, quàm in ea, quæ de facto videtur; ergo ita dicendum de intellectu creato, reſpectu Dei vt eſt in ſe in ordini ad quem, licèt ſe habeat *ſicut oculus noctuæ ad lumen ſolis* iuxta Philoſophum 2. Met. tex. 1. poterit tamen ſicut oculus ad ſolem, ita ad Deum in ſe confortatus pertingere: *etenim ſicut ſe habet ſol inter ſenſibilia ita Deus inter intelligibilia, vt dixit Nazianzenus* oratione 42.

Quæ ſit ratio veri motiui intellectus.

24 *Bonum argum. vt intellectus præ oculo bene probetur capax vt videat Deum.*

Bonum eſt hoc argumentum vt clarè pateat intellectum præ oculo extrahi à ſuo obiecto, nec repugnantiam claram inuoluere quamtumuis eleuetur ad viſionem Dei. Nam Deus vt viſibilis, conuenit cum obiecto connaturali viſibili in ratione *ſub qua* hoc viſionem intellectus terminat, ſcilicet in ratione *veri*, ſeu conformitate paſſiua ad aſſenſum, continetque propriè eandem rationem obiectiuam omnino affinem ei, per quam obiectum connaturale mouet viſionem potentiæ intellectiuæ neque enim hæc intuetur obiectum, quia *coloratum materiale*, vel *creatum* ſit, ſed præciſè quia affirmabile eſt per aſſenſum, eſtque in ſe, ſicut in aſſenſu exprimi poteſt, in quo formaliſſimè ratio veri conſiſtit. Iam verò quando obiectum nouum ſic propriè conuenit cum obiecto connaturali potentiæ, rectè poteſt à potentia confortata attingi, quin hæc putetur extrahi à ſuo obiecto, vt notaui diſput. 21. ſect. 3. num. 24. vt oculus poſſit eleuari ad videndum colorem & lucem ſupernaturalem, Deus autem non habet hanc conuenientiam obiectiuam cum colore obiecto oculi.

Nihilominus tamen poſitiuam demonſtrationem omnino conuincentem non affert argumentum hoc, nam reſponderi poteſt, neque oculum aut aliam potentiam eleuari poſſe ad eliciendam operationem magis perfectam, quàm naturaliter valeant: præcipuè ſi perfectio non ſolùm creſcat ſecundùm magis & minùs, ſed etiam ſecundùm ſubſtantiam. Quare licèt fortè demonſtrari poſſit viſio poſſibilis intenſior, quàm vt octo, tendenſque ad lucem ſolis, quia hæc ſola intenſiuè à ſublunari differt, non tamen demonſtrabitur viſio, quæ omnino ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalis ſit, qualis viſio intuitiua Dei. 25

Demonſtratiuè non conuincit.

Ob id communior ſententia negat naturaliter cognoſci poſſe poſſibilitatem viſionis Dei omnino certò. Ita Molina, Suarez hìc & lib. 2. de Angelis cap. 29. aliique plures, quos ſequitur & refert Pater Ripalda diſput. 11. de ente ſupernaturali num. 14. quibus addo Alarcon diſput. 1. num. 5. Meratium diſput. 5. ſect. 1. Ioſephum Auguſtinum art. 1. diffic. 2. num. 14. Recupitum vbi ſuprà. Fundamentum huius ſententiæ eſt, tum generali titulo ſupernaturalitatis, ratione cuius neque in ſe poteſt eſſe immediatè cognoſcibilis viſio Dei, neque in medio naturali, cùm res naturales nullam affinitatem, ſimilitudinem, vel connexionem habeant cum rebus ſupernaturalibus, ſicut requirebatur, vt tanquam medium nos ducerent in ſupernaturalium cognitionem; tum ſpecialiter id probatur in viſione, cùm omnia argumenta pro eius poſſibilitate vtcumque ſoluantur, quod non fieret ſi veram demonſtrationem attingerent, præcipuè quia viſio imbibit modum agendi per eleuationem ſupra omnem exigentiam, & vires intellectus, pluresque alias difficultates, quas numquam antiqui Philoſophi ſuperarunt, nec attigerunt, imo & à Catholicis impeditè ſatis explicantur: Tum denique accedunt teſtimonia Scripturæ, & Patrum, maximè enim propter viſionem Dei dicitur 1. Corinth 2. *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus diligentibus ſe*, & ad Epheſ. 3. *id cognoſcere ſoli gratiæ tribuitur.* 26

Negant Molina. Suarez. Ripald. Alarcon. Meratius. Ioſeph Aug. Recupitus.

Mihi duo dicenda videntur; primum; naturali ratione non poſſe nobis in corpore demonſtrari poſſibilitatem viſionis Dei eâ certitudine, de qua in §. 20. Secundum; non repugnare tantam certitudinem naturalem in Angelis, vel in alia ſuperiori intelligentia poſſibili: Prima pars ſatis conſtat ex dictis; tum etiam quia aliæ veritates naturales, licèt certæ non ita metaphyſicè euidentes ſunt, vt contra contumacem etiam intellectum demonſtrentur, ſed requirunt eum benè diſpoſitum vt de vnitate Dei ait Suarez diſp. 29. Metaphyſicæ ſect. 3. & de immortalitate animæ Scotus in 4. diſt. 43. quæſt. 2. Ergo quamuis intellectus bene diſpoſitus ſatis conuincatur noſtrum vltimum finem eſſe Deum, in eiuſque vera conſequutione beatitudinem noſtram conſiſtere, ex quo principio communiter admiſſo vt demonſtrabili euidens mihi eſt poſſibilitas viſionis iuxta §. 13. non tamen hanc omnino certò metaphyſicè cognoſcet. Tum denique eſt ratio à priori quia intellectus dum eſt in via non cognoſcit immediatè rerum quidditates, niſi quantum relucent per effectus ſenſibiles. At hi ſolùm aperiunt quidquid neceſſarium eſt, vt ipſimet exiſtant, in quo nihil vt purè poſſibile, & alterius ordinis qualis eſt viſio Dei euidenter reſplendet. 27

In corpore non datur nec poſſibilis eſt perfecta demonſtratio de viſione Dei.

Hinc ſecunda pars ſuadetur, nam Angelus inſpicit rerum quidditates in ſeipſis; ſed hæ in ſe ſunt medium ſufficiens ad omnimodam euiden- 28

Bene poteſt in Angelo.

tiam

tiam de viſione beata poſſibili; ergo poterit illam euidenter cognoſcere. Minor probatur: res naturalis ſecundùm ſe intrinſecè eſt medium ſufficiens vt vi illius cognoſcat noſter intellectus ſaltem probabiliter poſſibilitatem viſionis beatæ, vt ſatis conſtat ex §.13. neque inficiantur aduerſarij, qui ſolùm negant cognitionem euidentem; conſulantur Authores citati §.26. præcipuè P. Herice diſput.34. cap.2. Ergo poteſt eſſe medium Angelo cognitionis euidentis.

Cur in creaturis nequeat cognoſci Deitas vt radix Trinitatis, licèt ex parte obiecti ad eam referantur.

29 Conſequentia hæc vt probetur pono, & do id aduerſariis vltra eſſentialem connexionem vnius rei cum alia requiſitam, vt aliqua res ſit ſufficiens medium ad alterius euidentiam, inſuper etiam expoſci, quòd res in ſuo eſſe, & quaſi in modo reſpiciendi tranſcendentaliter habeat excitare ſpecies inclinantes in aſſenſum termini, cum quo connectitur potiùs, quàm oppoſiti: hinc in creaturis nequit cognoſci eſſentia Dei vt *fœcunda*, & *radix* trium perſonarum; licèt ex parte obiecti cum ipſa vt ſic connectantur omnes effectus creati (neque enim relatio tranſcendentalis eſt præciſiua) quia ſcilicet modus ipſe eſſendi; & tendendi ex parte creaturæ potiùs occultat myſterium illud. Hæc latè infrà explicabo, pluraque ex hoc principio non inutilia inferam; interim tamen hoc explicari poteſt in cognitione rationis genericè, verbi gratia, *animalis*, in qua reflexè cognitâ apparere non poteſt conceptus differentialis quia licèt ad hunc etiam referatur ex parte obiecti, modus tamen eſſendi ipſius cognitionis imperfectus eſt, & ſe habens ex parte ſui ſolùm per modum *animalis*.

Sola relatio tranſcendentalis non eſt medium ſufficiens, vt in ipſa cognoſcatur terminus.

30 Ex his tamen ſic argumentor: quod ex principiis intrinſecis rei probabiliter innoteſcit eo ipſo habet modum tendendi, vt ita dicam manifeſtatiuum ſui termini. Rurſus non repugnat in ipſo inueniri connexionem eſſentialem cum ſuo termino, etenim medium probabilis aſſenſus ad rem poſſibilem, ſi ex intrinſecis procedat, probabile eſt connecti cum tali re; at probabilitati non eſt inconueniens ſubeſſe verum; ergo, neque ex nuper dictis inconueniens erit, quòd natura ſit medium ſufficiens reſpectu Angeli penetrantis eius quidditatem ad euidentem cognitionem de poſſibilitate viſionis.

Probatur poſſibilis ea demonſtratio.

31 Secundò idem probatur, poteſt in re naturali demonſtrari vt poſſibilis condonatio peccati, ſicut enim communis omnium cultus in Deum arguit Dei exiſtentiam, ita communia ſacrificia pro eo exorando *placabilem eſſe*, & remiſſorem iniuriarum, & peccati, ſed non ex debito, & exigentia naturæ peccantis, & iniuriantis, ſemper enim condonator ſine ſatisfactione æquali, qualis non datur in pura creatura, operatur ſupra debitum purè liberaliter & ex gratia; & conſequenter cognoſcitur poſſibilis condonatio, licèt purè ſupernaturalis, ergo idem dicendum de viſione beata poſſibili. Conſequentia ſuadetur, nam condonatio peccati non minùs indebita, & ſupernaturalis eſt, quàm viſio, imo ad illam maximè neceſſaria fuit gratia per Chriſtum. Ergo ſi adhuc cum hoc ſtat, quòd in natura capacitas ad condonationem appareat, ita dicendum de viſione. Denique à priori eſt ratio; quia conceptus ſupernaturalitatis ſolùm petit eſſe ſupra omne debitum, & vires naturæ, ſed quantumuis naturaliter cognoſcatur vt poſſibilis res ſupernaturalis hoc habere poteſt, vt patuit in condonatione, item in viſione ipſa, quæ aliqualiter cognoſcitur per naturam, cum tamen nullo modo debeatur; ergo, &c. Quare iure cenſuit Card. de Lugo, diſput. 1. de Incarn. ſect. 1. ex ſupernaturalitate debilem duci conſequentiam ad negandam naturalem demonſtrationem etiam vnionis hypoſtaticæ vt poſſibilis.

Hinc iam patet ad ſecundam ſententiam in §. 26. licet enim eius fundamenta conuincant de intellectu humano, non tamen de Angelico, vel alio poſſibili naturali vt conſtat ex dictis. Solùm obſtare videtur locus Pauli, qui de Angelis etiam loqui videtur Epheſiorum 3. in hæc verba, *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc in gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, vt innoteſcat principatibus, & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* Reſpondeo hæc & alia teſtimonia, quæ afferri poſſunt intelligenda de Incarnatione, & aliis myſteriis, quæ notitiam Trinitatis includunt, quam fateor eſſe ſupra omnem intellectum creatum, idemque cenſeo de quiditate huius viſionis, quæ de facto datur, cùm in ipſa etiam Trinitatis myſterium reſplendeat; ſi tamen ſermo ſit de conceptu viſionis Dei vt ſic, qualiſcumque illa fuerit, ſolúmque ſecundùm rationem poſſibilitatis vt ſic inconueniens non eſt, neque oppoſitum teſtimonio Pauli, ſi Angelis innoteſcat, ſiquidem iuxta omnes ſaltem probabiliter cognoſcitur, quòd ſufficit, ne ſimpliciter abſcondita, & inueſtigabilis cenſeatur. 32

Hæc viſio, quæ de facto datur, nec probabiliter poteſt cognoſci.

SECTIO IV.

De appetibilitate viſionis Dei per appetitum innatum.

POſſibilitas viſionis Dei præcipuè ſuadetur à S. Thoma ex naturali appetitu ad illam, hic autem duplex eſſe poteſt, innatus, & elicitus, vterque examinandus eſt, vt appareat qualiter ex illo deduci poſſit viſio poſſibilis. Innatum appetitum ſumptum pro inclinatione, ex propenſione, quam habet res antecedenter ad omnem actum, ſeu appetitionem elicitam affirmant Scotus, quem ſequuntur omnes diſcipuli: Durandus ex noſtriſque P. Valentia t. 2. diſp. 1. qu 5. punct. 1. Ruiz diſp. 1. de voluntate Dei, ſect. 2. num. 7. Recupitus lib. 6. quæſt. 10. num. 16. 33

Vide infrà quæſt. 12. art. 1. dub. 4.

Dari appetitum innatum affirmant

Scotus. Valentia. Ruiz. Recupitus.

Probari poteſt primò: frequens appetitus elicitus, & commune omnibus deſiderium in aliquod obiectum neceſſariò arguit aliquam propenſionem innatam, & pondus antecedens in natura ad tale obiectum. Sed reſpectu viſionis Dei datur iſte appetitus frequens, & communis apud omnes; ergo & propenſio, ſeu appetitus innatus. Conſequentia eſt legitima. Maior indubia cenſetur etiam à contrariis Doctoribus, vt videre eſt apud Herice diſput. 37. num. 20. & ratio eſt; nam appetitus innatus colligitur à paritate eliciti; vt ſcilicet ad illud bonum feratur, quod per ſe res inanimata elicitè appeteret ſi cognitione duceretur, vt acutè notauit Auguſtinus lib. 11. de Ciuitate, cap. 28. de lapide appetente centrum; ergo quòd homo appetit per ſe elicitè (per ſe autem, & non caſu eſt appetitus, qui apud omnes viget, *quod enim à caſu eſt non ſemper vt plurimum eſt*, iuxta Ariſt. 1. de cœlo textu 135.) appetit etiam innatè. Minorem probat S. Thomas, viſo effectu homo ſtatim deſiderat videre cauſam; ergo viſis creaturis, quæ ſunt effectus Dei per ſe naturaliter hoc deſiderium excitabitur: 34

Fundamenta.

bitur: Iure enim colligimus in vno ſingulari, quod in aliis ex inductione experimur. Item idem patet ex amore beatitudinis; nemo enim eſt, qui non velit omnino ſatiari; repletamque eſſe eius capacitatem per poſſeſſionem omnis boni; omne autem bonum niſi per viſionem Dei venire non poteſt, nam neque omnia bona vllibi inueniuntur coniuncta, niſi in Deo, cùm in ſeipſis plura incompoſſibilia ſint, & oppoſita, vt frigus, & calor, nec Deus, verè ſatiat, niſi per viſionem iuxta §. 13. & ſeqq.

35 Secundò hæc ſententia probatur: non repugnat appetitus innatus in re naturali ad ſupernaturalem. Ergo neque ad viſionem Dei; conſequentia patet, nam inter ſupernaturalia viſio Dei appetibilior, & conformior naturæ eſt. Antecedens ſuadetur: homo iuſtus nimis aſſuetus exercitio virtutum, propenſior eſt etiam in actu primo ad actus ſupernaturales, quàm peccator, ideo in ipſo pro priori ad omnem actum probabilius cognoſcitur bona operatio futura, quàm in peccatore; hæc autem facilitas naturalis eſt, cùm non dentur habitus ſupernaturales acquiſiti: Rurſus materia prima ſi primò crearetur cum omnibus formis, has poſtea corruptas adhuc appeteret, ſiquidem tunc maneret violenta, reproductio autem formæ corruptæ eſt ſupernaturalis, vt dixi in Philoſophia. Denique per formam ſupernaturalem ſatiatur naturalis appetitus, ideo humanitas Chriſti non appetit aliam ſubſiſtentiam dum terminatur per diuinam; Ergo forma ſupernaturalis eſt terminus appetitus innati, hic enim non quieſcit, niſi obtento bono, quod appetit.

36 *Vera ſententia negat.* Caiet. Ferrara. Molina. Suarez. Ripald. Alarcon. Ioſeph Aug. Ioan. de S. Thoma

Secunda ſententia negans mihi placet, eſtque abſolutè communior tam inter Dominicanos, quàm noſtros Authores, ita Caietanus, Ferrara, Molina, Suarez, & alij cum Ripalda diſput. 9. de ente ſupernaturali num. 11. item Alarcon, Ioſephus Auguſtinus. Ioan. de S. Thoma diſput. 2. artic. 3. verſ. *Dico ergo primò.* Pro qua opinione commune fundamentum ſic vrgeo. Non datur in natura appetitus innatus ad rem naturali virtute impoſſibilem; ſed talis eſt viſio Dei vt eſt ex fide certum; ergo ad ipſam non eſt in natura innatus appetitus. Maior ſuadetur: appetitus innatus eſt quædam intentio naturæ, & eius Authoris in bonum conſequendum; ſicut enim appetitus elicitus eſt deſiderium, & intentio finis ad ipſius exequutionem ordinata; ſic inclinatio, quæ phyſice, & innatè propendet in bonum, erit ordinatio, & via ad ſequendum tale bonum, quo rectè comparetur cum appetitione elicita. At Author naturæ nequit intendere rem ſibi impoſſibilem, aliàs inordinatè procederet; ergo nec producere appetitum & inclinationem innatam in rem impoſſibilem viribus naturæ; quod enim vt ſic non eſt poſſibile, potentiæ Dei vt Authoris naturæ non ſubeſt.

37 Confirmatur: Deus vt Author naturæ tenetur ſe accommodare eius innatis exigentiis, ideo putamus eſſe debitas proprietates eſſentiæ, centrum lapidi & cætera, neque alius titulus naturalis eſt huius debiti. Rurſus tenetur Deus præbere media, quibus conſequantur finem, & bonum, quod innatè appetunt res naturales, producereque ea intentione, ex eo namque appetitus innatus dicitur eſſe ex directione Authoris naturæ. Si dicas non teneri niſi quando finis eſt naturaliter conſequibilis. Contra, ea conſequibilitas infertur ex tali appetitu: nam vt ait Ariſt. 2. de Cælo textu 50. *Irrationabile eſſet aſtra ordinari ad motum, & naturam nullum eis dediſſe organum vt mouerentur.* Tum ſic, ſed viſio nulla ratione eſt debita naturæ, hæcue producitur ex intentione illius, nec exigit organa ad illam conſequendam. Ergo, &c.

Hinc ſecunda ratio deſumitur, quia ſi in natura eſſet naturalis inclinatio in viſionem Dei non foret, vnde viſio cenſeretur eſſe ſupra naturam; etenim ad ſupernaturalitatem non ſufficit *exceſſus* ſupra vires effectiuas, ſiquidem anima rationalis, & ipſa materia prima naturales ſunt, quamuis à nullo agente naturali creari valeant. Hinc rogo, quid habeat gratia ſanctificans vt ſit ſupernaturalis? cur Deus quando producit gratiam non operatur naturaliter, ſicut quando infundit animam rationalem; etenim productio gratiæ non poteſt eſſe ſupra eius naturam, neque item ſupra vires agentis, quod Deus eſt; Ergo ideo ex natura rei, ſeu naturaliter gratia non producitur quia anima noſtra non habet naturales vires paſſiuas ſeu naturalem exigentiam, & appetitum innatum recipiendi gratiam. Confirmatur ſi natura appeteret innate viſionem ex huius defectu imperfecta maneret, vti appetitus elicitus miſer eſt, dum non poſſidet bonum, quod amat. At natura non eſt imperfecta ob defectum entis ſupernaturalis; aliàs Deus vt Author naturæ nihil poſſet producere ab imperfectione liberum; Ergo vt viſio ſit ſupernaturalis negandus eſt appetitus innatus ad illam in naturâ. Confirmatur rurſus a paritate aliarum perfectionum vt eſt gratia, vnio hypoſtarica & cætera, quæ excedunt appetitum naturæ, licèt ipſius ſint maximè perfectiuæ. Quod præcisè euenit titulo ſupernaturalitatis; nam ſi viribus naturæ obtineri valerent ſtatim per eius appetitum amplecterentur. 38 *Aliàs gratia non eſſet ſupernat.* *Deus vt Author naturæ nil faceret perfectum.*

Ad primum argumentum pro contraria ſententia reſpondeo nego maiorem, quia licèt appetitus innatus arguat elicitum caſu, quo res foret cognoſcitiua, non tamen è contra elicitus arguit innatum, nam iſte fertur ad bonum reale; ille autem ſolùm ad apprehenſum, quod poteſt eſſe impoſſibile. Vnde ſicut valet conſequentia per ſe à bono reali ad apprehenſum, & intentionale bonum ſeu apprehenſibile; non tamen è contra; ita hic. Rurſus bonum appetitus innati non eſt quidquid res amaret elicitè, ſi vtcumque cognitione duceretur, ſed ſi duceretur cognitione prudenti: ideo Ariſt. lib. 1. rethoricorum ad Theodectem, cùm definiſſet bonum cap. 6. *Quod omnia appetunt, quæ intellectum habent, vel ſi haberent* addidit cap. 7. in principio: *quod quæcumque mentem, & prudentiam habent expeterent*, & ibidem ad medium: *quod vnaquaque res expeteret, ſi haberet prudentiam.* Et huius ratio eſt, quia ſicut appetitus elicitus ducitur cognitione ipſius appetentis, innatus dirigitur cognitione authoris naturæ (vt latè comprobat S. Thomas in diſputatis de veritate quæſt. 22. art. 1.) quæ prudentiſſima eſt. At in impoſſibile appetenti non eſt prudens directio. Ergo appetitus elicitus, qui dirigitur ex cognitione boni impoſſibilis appetenti non arguit innatum, ſed tota propenſio, ſiquæ eſt, antecedens in natura ſolùm datur in elicientiam appetitionis, non tamen in eius obiectum vt contingit quando quis fertur in amorem rei chymericæ, neque enim ideo innatè chymeram appetit. ergo. 39 *Appetitus elicitus quomodo arguat innatum.*

Ad ſecundum in §. 35. dico illam facilitatem, & inclinationem non oriri ab habitu naturali ſolo, ſed ab ipſo incompleto, & adiuto per ſupernaturale auxilium. 40 *Appetitus obedientialis*

innatus datur in natura de re ſupernat. auxilium. Sic autem etiam admitto appetitum innatum in natura; nam complexum ex intellectu & lumine naturaliter inclinatur, & exigit viſionem, non minùs quàm ignis calorem. Quo pacto mihi non diſplicent Herice, & Alarcon ſuprà admittentes in re naturali appetitum obedientialem, quem alij recentiores appellarunt conditionatum. Rurſus materia prima appetit formas corruptas, non vt corruptas ſed ſecundùm ſe vti primò appetiit, quo pacto non ſunt ſupernaturales; ſic homo cæcus appetit viſum, quia non quoad ſubſtantiam vt viſio beata, ſed ſolùm quoad modum ſupernaturalis eſt. Denique ex eo quòd *Item ſatiatur pure naturalis per modum gaudij.* appetitus innatus ſatietur per formam ſupernaturalem non ſequitur quòd illam appetat, niſi ſolùm quod in illa eminenter contineatur bonum, quod deſiderabat natura. Sic elicitè cupiens monetam argenteam contentus eſt aurea licèt hanc non amauerit.

SECTIO V.

De appetibilitate viſionis Dei per appetitum elicitum.

41 *Varia ſententia circa appetitum elicitum. Vide infrà qu. 12. art. 1. dub. 5.* PErmiſi in ſectione præcedenti dari appetitum elicitum in natura ad viſionem, ſeu ad hanc poſſibile eſſe deſiderium naturale. Quod modò in quæſtionem vocandum eſt. Nam hìc etiam diuiduntur Authores. Alij opinantur poſſibilem eſſe naturæ viribus appetitum elicitum etiam *efficacem.* Ita Salas 1.2. tract.2. diſp. 12. ſect. 2. num. 24. P. Granados 1.2. controu. 1. diſp. 5. ſect. 2. Herice diſp. 38. de viſione Dei cap. 6. Ripalda tom. 1. diſput. 14. de ente ſupernat. ſect. 3. Secundò alij Authores opinantur ſolùm dari in natura appetitum elicitum *inefficacem*, ſed omnino negant efficacem ita Thomiſtæ communiter. Albelda, Nauarrete, Medina, Nazarius, Ægidius Luſitanus, Zumel, Machin, Lorca apud Ripalda ſupra ſect. 4. nu. 14. qui addit ex noſtris Tannerum, Raynaudum, & Faſolum. Tertiò denique alij negant omnem appetitum elicitum naturæ ad viſionem; ſiue is appetitus *ſit efficax*, ſiue *inefficax*. Ita Caiet. art. 1. §. *ad euidentiam.* Sotus 4. diſt. 49. qu. 2. art. 1. concl. 4. Raynaud. diſt. 1. de diſcipl. Moral. quæſt. 4. art. 7. num. 271.

42 *Poteſt dari aliquis.* Ego dico primò: poteſt dari appetitus, & deſiderium aliquod elicitum in viſionem Dei. Hæc concluſio euidens mihi eſt; nam vel in rem euidenter impoſſibilem poteſt dari tale deſiderium, & ſimplex velleitas; ergo à fortiori hìc; vbi impoſſibilitas viſionis non eſt euidens, imo è contra viſionis poſſibilitas ſatis cognoſcitur naturali lumine. Secundò id conſtat à poſteriori in hæreticis, & omnibus, quibus commune eſt velle eſſe beatos, & quidem beatitudine per Chriſtum iuxta Auguſtinum lib. 4. contra Iulianum, cap. 3. Quod etiam manifeſtè ſupponit S. Thom. hìc ob naturale deſiderium videndi cauſam viſo effectu: quare in hac concluſione ſic poſita non autumo eſſe controuerſiam, nam Authores citati pro tertia opinione ſolùm negant appetitum inefficacem, qui habeat pro motiuo formali ſupernaturalitatem viſionis (vt expreſsè notauit Raynaudus ſuprà num. 274. verſ. *Si verò viſio Dei*) ducuntur enim ex generali principio, quòd nullus actus naturalis poteſt ſpecificari ex ſupernaturali motiuo; nam ſicut inter cognitionem, & amorem requiritur proportio, vt ſcilicet ſint eiuſdem ordinis; quin cognitio naturalis ſufficiat ad dirigendum ſupernaturalem amorem, ita cenſendum putant de proportione motiui. Quod principium longiori examine indiget, ſed non neceſſariò hìc; ſiquidem, vt amemur viſio mouere poteſt alia ratio formalis purè naturalis, verbi gratia, ratio communis ſcientiæ; nam & alia ſupernaturalia bona affectu, motiuoque etiam prauo queunt attingi. Sic dæmones appetierunt excellentiam Dei, vel Chriſti. Hæretici vanâ fiduciâ, vt ait Trident. ſeſſ. 6. cap. 4. ſperant remiſſionem peccatorum, Sacerdoſque poteſt ſimoniacè vel'e miniſtrare ſacramenta.

Dico ſecundò: poſſibilis eſt viribus naturæ appetitus elicitus efficax in ratione talis ad viſionem. 43 *Et efficax in ratione appetitus, ſed intentionaliter.* Probatur, & explicatur aſſertio, poſſibilis eſt naturæ viribus appetitus, quo voluntas conatur quantùm poteſt in exiſtentiam viſionis, ſed talis appetitus in ratione appetitionis, & deſiderij eſt efficax; ergo poſſibilis eſt appetitus vt talis efficax in viſionem. Conſequentia patet: probatur maior; poteſt naturaliter proponi voluntati, & cognoſci viſio non minùs, vt bona, & poſſibilis, quàm alia bona naturalia in quæ toto conatu fertur; etenim ex dictis ſect. 2. cognoſci poteſt viſio vt poſſibilis ſaltem probabiliter. Circa plura autem bona naturalia meliorem cognitionem non habet quàm probabilem voluntas; ergo poteſt voluntas appetere viſionem æquali, ac toto conatu ſicut alia bona naturalia. Conſequentia hæc ſuadetur, tum à paritate intellectus, qui toto conatu per aſſenſum fertur in obiectum, vbi hoc apparet æquè vt verum, ſicut alia quibus aſſentitur, tum etiam id patet in ipſa voluntate; quæ eodem modo fertur in bonum; quando hoc eſt poſſibile, licèt tranſeat in impoſſibile, dum tamen æquè proponatur, etenim idem amor, qui in inſtanti *A* efficax fuit circa motionem manus, v. g. permanebit in inſtanti *B* eâdem ſtante cognitione, licèt negetur à Domino concurſus potentiæ exiſtenti, quo in euentu motio reddetur implicabilis; tum denique eſt ratio, quia voluntas ſolùm attendit ad bonum ſecundùm apparentiam, non ſecundùm *eſſe* rei: ergo ſicut poteſt amare id, quod eſt malum in re, ſi appareat vt bonum, ita etiam poterit impendere totum ſuum conatum, vbi appareat omnino bonum, ſicut alia bona, in quæ totaliter fertur.

Quòd autem talis appetitus ſit efficax (quæ erat minor propoſitio argumenti.) Probatur efficacia appetitus eliciti in ratione talis, non menſuratur ſecundùm vim quam habeat executiuam phyſicam, ſed *intentionalem*, hoc eſt qua ſit vltimum determinatiuum voluntatis; etenim appetitus efficax in linea, & genere affectùs debet diſcerni ab inefficaci, ſicut iudicium ab apprehenſione, à qua in eo diſcernitur iudicium, quòd per iudicium vltimò determinatur intellectus in verum. Tum ſic, ſed hoc vltimum determinatiuum intentionale voluntatis non ſit niſi penes id, quod totò conatu feratur voluntas; nam ſequi phyſicè effectum, vel non per accidens eſt, vt patet quandò Deus negaret concurſum ad motionem manus, ad quam in inſtanti præcedenti ſub eodem affectu illum conceſſerat. Ergo appetitus, quo toto conatu fertur voluntas in executionem obiecti, efficax eſt. Rurſus idem probatur talis appetitus eſt incompoſſibilis cum odio de obiecti exiſtentia, & requiſitis ad illam; ergo eſt efficax: Antecedens eſt manifeſtum, nam voluntas nequit odiſſe, quod toto conatu amplectitur, aliàs vellet toto conatu contra 44 *Explicatur & probatur efficacia intentionalis.*

contra

contradictoria, quod etiam viribus ſupernaturalibus repugnat, neque enim circa idem poteſt componi amor naturalis, & odium, licèt ſupernaturale. Conſequentia etiam videtur clara, etenim appetitus inefficax compoſſibilis eſt cum odio, item in intellectu nihil eſt repugnans cum actu oppoſito, niſi actus vltimò determinatiuus, & quaſi efficax in vnam partem; ergo idem dicendum in actibus voluntatis.

45 *Non ſolum apparenter ſed verè eſt efficax.* Dices ex Recentiore Dominicano ſalmanticenſi efficaciam illius affectus non eſſe veram, ſed ſolum ſecundùm apparentiam, cùm per ſe non ſequatur veram potentiam efficiendi ſed ſolùm apparentem in cognitione. Sed contra hoc ſufficit vt ſimpliciter dicatur efficax in ratione affectus; ſiquidem ex hoc imbibit maiorem conatum, maioremque determinationem voluntatis, vimque excluſiuam affectus oppoſiti maiorem quàm affectus inefficax; vnde licet ſit *apparens* in *eſſe* efficientis, & determinantis per ſe phyſicè ad opus, tamen efficacia in *eſſe* affectus non eſt *apparens*; ſicut licèt in aſſenſu ſit apparens poſſibilitas obiecti, verè tamen, & non ſolùm apparenter conuenit aſſenſum eſſe rationem vltimò determinandi intellectum. Rurſus hic affectus talis eſt, vt determinet ad poſitionem mediorum vt dicam §. 47. ſiquidem talis eſt affectus, vt ſi amanti concederetur potentia illam determinaret. *Suo modo phyſicè quoad media naturalia.* Item ſi apprehenderetur vt medium opus naturale, potentia exequens ex vi huius affectus maneret determinata: item cogit ad non peccandum, eo quòd peccatum ſit impedimentum ad conſequendam viſionem ſupernaturalem: affectus autem qui determinat potentiam exequentem ad poſitionem mediorum, & ad impedimentorum remotionem, efficax eſt, licèt nondum adhibeat omnia media proportionata, quibus tandem conſequatur finem, neque hic efficiatur vi illius. Sic intentio ſalutis in ægroto putatur efficax quando cogit ipſum ad ſciſſionem venæ, licèt ad talem ſciſſionem non ſequatur ſalus. Vel finge hìc Deum ex ſuo placito promiſiſſe dare viſionem ſi ponatur actus naturalis vt conditio tunc verè obtinebitur viſio ex efficacia talis affectus, ad hoc enim non requiritur per ipſam intentionem efficacem poni finem; ſed ſufficit ſi ponatur aliquid, ad quod finis ſequatur, vt patet quando finis pendet à voluntate alterius, circa quem etiam vt ſic nemo negauit intentionem eſſe efficacem, & tamen ab ea intentione effectus non fit, ſed à voluntate alterius.

46 Dices ſecundò: appetitus naturalis elicitus nequit determinare voluntatem ad electionem ſupernaturalem, etiam quando ſunt ſupernaturales vires pro tali electione; ergo nequit dari amor naturalis efficax circa viſionem Dei. Conſequentia patet, nam neceſſariò amor efficax determinat voluntatem ad electionem mediorum, vbi electio eſt in eius poteſtate. Antecedens probatur primò non poteſt voluntas determinari ad amorem ſupernaturalem ex cognitione naturali, ſicut amor ſpiritualis nequit oriri ex cognitione materiali; ergo nec poteſt determinari voluntas ad electionem ſupernatùralem ex naturali electione: ita enim ſe habet intentio ad electionem, ſicut ad amorem cognitio. Vnde nec materialis appetitus ſufficit ad determinandam electionem ſpiritualem. Secundò pia affectio naturalis non poteſt determinare intellectum ad aſſenſum ſupernatùralem fidei. Etenim definitum eſt in concil. Arauſicano 2. can. 5. *non poſſe ex nobis eſſe affectum credulitatis nec initium fidei*: poſſet autem naturalis voluntas ſi eſſet ita efficax, voluntati enim efficaci ſubiiciuntur potentiæ exequentes, & maximè intellectiua, quoad aſſenſus euidentes. Tertiò: voluntas ſi ex ſe poſſet apponere affectum efficacem in actum ſupernaturalem verbi gratia charitatis iam poneret aliquid conducens in ſalutem. Quid enim conducentius, quàm id, quod efficaciter infert ſalutem? Imo totum meritum tribueretur naturæ, nam cum iuxta communem ſententiam tota libertas inſit imperio efficaci, inerit etiam totum meritum, quod clarius cernitur, quando efficaciter imperatur actus fidei; tunc enim certiſſimum eſt ipſum actum fidei immediatè non eſſe meritorium; ergo meritum adæquatè reſidebit in imperante naturali.

Reſpondeo non ſolùm efficacia quoad applicanda media naturalia, ſed etiam quoad ſupernaturalia poſſe actum naturalem pollere non quidem quia phyſicè vel moraliter ipſi actui naturali debeatur abſolutè medium ſupernaturale, ſed quatenus poſitis viribus gratiæ voluntati ſubiectis, iam hæ poſſunt determinari ad operandum ex illo conatu naturali. 47 *Et quoad ſupernaturalia, ſi ponantur in poteſtate voluntatis.* Quod ſic probo: poteſt voluntas actu naturali conari quantùm eſt ex ſe in elicientiam actus charitais verbi gratia ſicut enim, licèt obiectum ſit verè poſſibile, dum apprehenditur impoſſibile, iam amari non poteſt conatu omnimodo, ita è contrà ſi poſſibile apprehendatur quidquid in re ſit, nil detinebit voluntatem, ne omnino feratur in illud; Tum ſic ſed voluntate conante quantùm eſt in ſe in actum charitatis, implicat hunc non elici, ſi adſint vires gratiæ, & per gratiæ defectum non ſtet; ergo naturalis conatus poteſt determinare ad operationes ſupernaturales. Minor ſuadetur tum quia amor non ſolo titulo, quòd ſupernaturalis ſit, ſed præcisè, eo quòd ſit amor, excludit eſſentialiter odium tam formale, quàm virtuale ſui obiecti; ergo dum voluntas conatur quantùm eſt ex ſe in actum charitatis, illum volendo, non poteſt liberè ipſum ſuſpendere; nam vel ſuſpenderet per nolitionem talis actus, quæ eſt odium formale, vel per puram omiſſionem, quæ eſt virtuale odium; tum etiam quia dum voluntas vult, ſeu conatur quantùm eſt ex ſe in *operari*, implicat quòd per illam ſtet non operari; ſed aſſiſtente gratia ſolùm per voluntatem ſtare poteſt, ſi non operetur actum ſupernaturalem; Ergo implicat illum non operari. Tum denique aſſiſtente gratia ipſa voluntas ſe determinat: at nullo melius ſe determinare poteſt niſi conando quantùm eſt ex ſe in operationem; quid enim aliud efficiet vt prorumpat in operationem, quàm conari ſic. Ergo ad voluntatem conantem quantùm eſt ex ſe per actum naturalem neceſſariò ſequetur ſupernaturalibus viribus gratiæ. Confirmatur quia vires ſupernaturales ſubordinatæ ſunt voluntati, poteſt hæc per actum naturalem eas determinare ad non operandum; ergo & ad operandum. Conſequentia ſuadetur, quia æquè vtrumque facta ſuppoſitione aſſiſtentiæ gratiæ ſubiicitur voluntati, & quaſi per ipſam ſtat.

Ab obiectionem oppoſitam. Reſpondeo primò inſtantiam habere in affectu inefficaci naturali, quem Aduerſarij admittunt: etenim iſte etiam aliqualiter determinat, & allicit in actũ ſupernaturalem. Quis enim negabit hominem operari faciliùs virtutis opera, quò per habitus naturales vel naturales cõplacentias magis in illa afficiatur, non eſt autem minùs abſurdum abſolutè tribuere naturæ hoc initium noſtræ ſalutis, quàm ſi eſſet efficax: 48 *Prima ſolutio per inſtantiam.*

etenim

etenim ſimpliciter illuſtrationi fidei ſalutis initium tribuitur, cùm tamen fides ſolùm inefficaciter alliciat. Reſpondeo ſecundò, improportio, quam habet natura ad opera ſupernaturalia, ſolùm tollit, quòd ratione ſui per modum debiti phyſicè, vel moraliter exigat opus ſalutare, vel vires gratiæ ad illud. Cæterùm per modum conditionis & applicationis puræ poſito mere gratuito auxilio Dei rectè poterit iuuare natura: nam Sacerdos ſacrilegus per actum prauum, & conſequenter naturalem imperat verba Sacramenti, quæ gratiam producunt; & ſimiliter actione naturali poſſet applicari ignis ligno, licèt in ipſo producendus eſſet effectus ſupernaturalis. Ratio horum eſt, quia nil obſtat ſupernaturalitati naturam concurrere ad opus ſalutare, dum tamen non concurrat propriis viribus vt patet in voluntate. Si ergo huic non tribuitur actus ſupernaturalis, qui verè ab ipſa efficitur, eò quòd non propriis viribus, ſed alienis operetur; multò minùs tribuetur actui naturali, ſic etiam præmiſſa naturalis determinare valet ad concluſionem Theologicam ſupernaturalem, dum adſunt vires per conſortium alterius ſupernaturalis præmiſſæ.

Secunda ſolutio, Quid tollat improportio naturæ ad actus ſalutares.

49 Ad ſecundam probationem à paritate cognitionis naturalis, quæ dirigere non valet ad amorem ſupernaturalem: Reſpondeo diſcrimen eſſe, quia cognitio non ſolùm vt pura applicatio per accidens, ſed per ſe præſupponitur ad amorem, ipſique tota perfectio, quam habet amor in linea affectus tribuitur; etenim omnis amor eſt per ſe in vi cognitionis, vt titulo illius, & in ipſa radicetur concurſus debitus ad amorem, ea proportione, qua ad bonum reale ſequitur appetitus innatus, qui ad bonum ſupernaturale ſupernaturalis eſt. At cognitioni naturali nequit deberi affectus ſupernaturalis; ergo neque ad ipſum dirigere, niſi ſit ſui ordinis. Aliter ſe habet hoc imperium, & affectus naturalis, quæ integram potentiam per ſe ſupponit ad electionem ſupernaturalem; ſolúmque indirectè, & per accidens iuuat, quo pacto etiam appetitus materialis iuuare poteſt; ſic trahit ſua quemque voluptas. Hinc pia affectio naturalis non poteſt ſola applicare intellectum ad fidem ſupernaturalem niſi præcedat priùs ſupernaturalis affectio, nam ſicut cognitio per ſe requiritur ad amorem ita aſſenſus obſcurus eſt in vi affectionis, quæ per ſe complet potentiam aſſentiendi.

Cur appetitus pra naturali cognitione poſſit determinari ad amorem ſupernat.

50 Quare ad ſecundam probationem reſpondeo affectum proportionatum per ſe requiſitum ad fidem, non eſſe naturalem, neque potentia exequens voluntati ſubiicitur, niſi quatenus eſt expedita cum omnibus requiſitis, quorum vnus eſt pia affectio ſupernaturalis. Quare naturalis appetitus ſolùm poteſt determinare intellectum ad fidem præeunte ſimul affectu ſupernaturali, ex quo non tribuitur naturæ initium ſalutis. Imo nec conducentia abſolutè, & ſimpliciter; quia licèt talis appetitus naturalis efficax poſitis omnibus requiſitis, & auxiliis gratiæ neceſſariò inferat & connectatur cum opere ſalutari; At eo ipſo quòd ratione ſui non valeat inferre ea requiſita, & auxilia; ſed indebita omnino ſint abſolutè, & ſimpliciter ipſi non tribuitur conducentia, ſicut nec præmiſſæ naturali, aut intellectui concurrenti in concluſionem theologicam ſupernaturalem ut dixi §. 48. Ex quo patet ad tertiam probationem. Quod additur de merito non obſtat, nam ſi actus imperatus ſit elicitus à voluntate, vti actus charitatis, æquè immediatè & in eodem prorſus ſigno elicietur purè concomitanter cum imperio, ita vt conati voluntatem quantùm eſt ex ſe in elicienriam actus charitatis, ſi hic ſubiaceat poteſtati voluntatis ſit formaliſſimè elicere ipſum actum charitatis, vt dicam in tract. de charitate, vel dicendum, quòd tunc ſimul cum imperio naturali habeatur à voluntate aliud ſupernaturale, à quo veniat libertas meritoria, quia Deus lege prouidentiæ ſupernaturalis tenetur non deeſſe naturæ facienti quod in ſe eſt ad merendum. Si autem imperatus ſit actus alterius potentiæ, vt aſſenſus fidei, tunc non procedit ex ſolo actu naturali imperante, ſed à pia affectione ſupernaturali voluntatis, quæ libera erit ſicut dixi de actu charitatis, & conſequenter capax, cui totum meritum vitæ æternæ tribuatur.

DISPVTATIO XXIII.

Vtrum poſſibilis ſit ſpecies expreſſa ſeu verbum ad videndum Deum.

SECTIO I. *Status quæſtionis, & Authorum ſententiæ proponuntur.*

SECTIO II. *Datur de facto & prorſus neceſſaria eſt in viſione beata ſimilitudo expreſſa Dei.*

SECTIO III. *Non datur in viſione beata ſimilitudo in quâ, ſeu aliquod idolum, & imago diſtincta ab eſſentia diuinâ quæ ſit terminus viſionis.*

SECTIO IV. *Datur verbum & ſpecies expreſſa de facto & neceſſariò in viſione Dei.*

SECTIO V. *Occaſione nouæ obiectionis ſpecialiter explicatur natura Verbi.*

LICET quæſtio ferè tota de voce ſit, tamen cognoſcendæ naturæ *Verbi* non eſt ſpernenda, præcipuè cùm apud Thomiſtas ſub celebri controuerſia ſit, negantibus pluribus (vt aſſolent (licèt manifeſtè Verbum admittat in viſione beata S. Thomas teſte Capreolo 4. diſt. 49. quæſt. 5. art. 3. ad argumenta 1. concluſ.

SECTIO I.

Status quæſtionis, & Authorum ſententiæ proponuntur.

VT quid nominis in præſenti (quod non parum eſt) à quæſtione de re ſecernatur, ſupponendum eſt: Primò viſionem beatam eſſe quid creatum, veréque ab intellectu productum, ſeu operationem ab ipſo efficienter elicitam vt latiùs oſtendam in tract. de beatitudine. Secundò, per hanc viſionem vt formam reddi intellectum Beati verè cognoſcentem, ſeu repræſentantem ſuum obiectum; ſicut enim albedo facit *album*, & vnio formaliter *vnitum*; ita viſio, & cognitio reddit intellectum *cognoſcentem*, ſeu repræſentantem obiectum, cuius cognitio eſt. Tertio viſionem beatam 1

Supponuntur quæ ſunt extra controuerſiam. Vide infrà qu. 12. art. 2. per tres priores dubitat

eſſe

eſſe quidditatiuam & immediatam eſſentiæ diuinæ vt eſt in ſe, ſicut probaui ex fide diſput. præced. ſect. 1. Suppono quartò, expreſſam ſpeciem nihil aliud eſſe, quàm ſimilitudinem & imaginem ab intellectu productam de obiecto, in qua obiectum ſigillatur & exprimitur, quæ imago, ſicut collata cum obiecto dicitur *ſpecies expreſſa*, quatenus explicat, ſeu exprimit, quod implicitum præcontinebatur in ſpecie impreſſa, ita quatenus comparata cum potentia notificat illi naturam obiecti, *Verbum mentis* appellatur quo ſibi intellectus loquitur. Hæc apud omnes extra controuerſiam ſunt.

Species expreſſa. — *Verbum.*

2 Duo tamen reſtant, quæ in præſentem quæſtionem venire poſſunt, & origo ſunt diuerſarum opinionum circa exiſtentiam Verbi in viſione beata. Primum, vtrum imago, & ſimilitudo explicata in quarto ſuppoſito inueniatur in viſione Dei. Secundum, circa munus talis imaginis, an ſcilicet ſolùm ſit (caſu quo inueniatur) per modum medij *quo* intellectus ducitur in ipſum Deum directè, ac immediatè attactum in ſeipſo redditurque intellectus repræſentans, & exprimens Dei eſſentiam in ſe? An verò ſit etiam medium *in quo* tanquam in imagine, & idolo Deus repræſentatur, ita vt ſimilitudo illa ſeu Verbum non ſit formalis repræſentatio, ſed fungatur munere terminandi viſionem, & repræſentationem? Ad eum modum, quo imago Cæſaris ſolùm deſeruit, vt in ipſa Cæſaris figura cognoſcatur, ita vt imago, non autem Cæſar ipſe, ſit terminus formalis viſionis.

Verbum quo & in quo.

3 Quibus poſitis: Prima ſententia omni titulo negat Verbum in viſione beata, quia putat omnino repugnare imaginem, & ſimilitudinem creatam eſſentiæ Dei vt eſt in ſe. Ita Caietanus, Bannez, Zumel hìc, & alij, apud Suarez 1. part. lib. 2. cap. 11. num. 1. Mouentur tum à fortiori ex ſpecie impreſſa, *ſi enim impoſſibile eſt inueniri ſpeciem impreſſam creatam* (ait Caietanus hìc art. 2. verſu quoad tertium) *alicuius propter eminentiam rei cognitæ, multò magis erit impoſſibile inuenire ſpeciem expreſſam.* Tum etiam, quia imago continet in ſe proprietates exemplaris, ſic imago Cæſaris continet figuram, & magnitudinem Cæſaris, neque aliàs repræſentat ipſum Cæſarem vt eſt in ſe. Sed nulli rei creatæ poſſunt conuenire proprietates Dei; ergo neque eſſe poteſt illius propria ſimilitudo.

Negant Verbum Caiet. Bannes. Zumel.

4 Secunda ſententia admittit ſimilitudinem, quæ exerceat munus terminandi viſionem, ſeu ſit medium *in quo* quidditatiuè cognoſcatur eſſentia Dei, ita cenſet veriſſimile eſſe Capreolus in 1. diſt. 27. quæſt. 2. art. 3. ad 8. contra primam concluſionem. Idem tenet abſolutè Ferrara 1. contra Gentes, cap. 53. & reliqui Thomiſtæ, qui putant produci Verbum in viſione beata. Mouentur, tum quia intellectio, vt intellectio eſt actio, ſed actio non poteſt eſſe ſine termino ab ipſa producto: Ergo datur terminus intellectionis in viſione beata productus per ipſam, & conſequenter ſimilitudo *in qua*; talis enim dicitur, quæ viſionem terminat vt intellectio eſt. Secundò cognitio non tendit ad obiectum ſecundùm *eſſe* reale, ſed ſecundùm *eſſe* apparens & obiectiuum; ideo licèt immutetur obiectum ſecundùm eſſe reale non mutatur cognitio, item cognitio ex eo vera dicitur, quòd *eſſe* reale obiecti conueniat cùm obiectiuo; ergo *eſſe obiectiuum* in omni cognitione, & conſequenter in viſione beata, datur diſtinctum ab *eſſe* reali obiecti, terminatque viſionem, & conſequenter in hac dabitur ſimilitudo *in qua*. Tertiò omnis cognitio producta ex ipſo conceptu *productæ* cognitionis imbibit Verbum *in quo* eius obiectum reale cognoſcatur; etenim non alia ratione in Verbo diuino omnia cognoſcuntur: Sed viſio beata eſt cognitio producta: ergo includet Verbum, & ſimilitudinem *in qua*.

Affirmant Verbum in quo. Capreol. Ferrara.

Tertia ſententia negat hanc ſimilitudinem *in qua* dari in viſione beata, ſolúmque admittit ſimilitudinem *qua*. Ita in re ſentiunt communiter, tam noſtri quàm Dominicani, licèt quoad voces differant his negantibus ſpeciem expreſſam, ſeu Verbum, quia putant debere eſſe medium *in qua*, ſeu ſimilitudinem non ſolùm formalem, ſed etiam obiectiuam, affirmantibus verò noſtris cum pluribus Thomiſtis, quia voce *Verbi* ſolùm accipiunt medium realiter procedens ab intellectu, *quo* intellectus ipſe obiectum repræſentat, ita rectè notauit diſſidium hoc ſolùm eſſe de nomine noſter Franciſcus Amico 1. part. diſp. 9. n. 26. vtriuſque locutionis Authores referens, licèt ipſe cum Dominicanis loquatur. 5

Affirmant ſolùm Verbum quo.

Ego autem quid ſentiam tam de re, quàm de modo loquendi tribus ſequentibus concluſionibus, & ſectionibus explico. 6

Dominicani & Noſtri communiter.

SECTIO II.

Datur de facto, & prorſus neceſſaria eſt in viſione beata ſimilitudo expreſſa Dei.

Ita ſentio ſecluſa voce *ſpeciei expreſſæ*, ſeu *Verbi* contra primam ſententiam in §. 3. cum Molina, Suarez, Vaſquez, Arrubal, Herice, Salas, quos refert, & ſequitur Ioſeph. Auguſt. hìc difficult. 6. Recupitus lib. 6. qu. 24. cap. 3. Faſolus hìc qu. 12. art. 2. diffic. 3. & latiſſimè Ægidius de præſentatione lib. 11. de beatitudine qu. 7. art. 3. §. 3. Quod hac ratione probo, & intendo modo dari veram ſimilitudinem, hoc enim ſolum poteſt eſſe hìc de re quoad nomen autem *ſpeciei expreſſæ* dicam ſect. 4. 7

Ita Molina. Suarez. Vaſquez. Arrubal. Herice. Salas. Ioſeph. Aug. Recupitus. Faſol. Ægid. Luſit.

Intellectus per viſionem beatam fit formaliter *ſimilis* diuinæ eſſentiæ; ergo viſio eſt formalis ſimilitudo. Conſequentia patet; ſicut enim id per quod ſubiectum fit *vnitum*, eſt vnio, & per quod fit *cognoſcens*, eſt cognitio, ita forma, per quam fit *ſimilis*, erit ſimilitudo. Antecedens apprimè oſtenditur ex 1. Ioan. 3. *Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Vbi cum ad probandam ſimilitudinem afferatur, hæc indicatur nos Deo aſſimilatura: quæ aſſimilatio non conſiſtit præciſè in conformitate & conuenientia entitatum, quatenus ſcilicet beati per viſionem conueniant cum Deo in eo, quòd vtrique eſſentiam diuinam inſpiciant, talis enim aſſimilatio eſt analoga, nec propriè faciet nos eſſe *ſicuti Deus eſt in ſe*, vt intendit Apoſtolus. Igitur hæc aſſimilatio accipienda eſt quatenus ipſa viſio eſt formalis ſimilitudo; vnde dixit Auguſt. lib. 15. de Ciuitate, cap. 16. *cùm ſimiles ei erimus, quando videbimus Deum ſicuti eſt; tunc Verbum noſtrum non erit falſum.* 8

Per viſionem intellectus fit ſimilis Deo.

Ratione ſecundò efficaciùs ex hoc teſtimonio Auguſtini idem oſtendo: Intellectus formaliter per viſionem redditur abſque falſitate, & mendacio cognoſcens eſſentiam diuinam; ergo redditur *ſimilis* ſuo obiecto. Conſequentia probatur; nam in eo diſtinguitur cognitio vera à mendaci, & falſa, quòd iſta difformis, illa verò conformis, & conſequenter, 9

quenter, *ſimilis* ſit ſuo obiecto, cui per cognitionem veram intellectus aſſimilatur. Explicatur; viſio beata eſt formaliter *vera*; ergo eſt conformis cum ſuo obiecto; etenim veritas formaliter conſiſtit in conformitate cum obiecto, ſed viſio non eſt conformis obiecto (loquor de *conformi vt quod*) per ipſum eſſe reale obiecti, diſtinctum enim debet eſſe ab entitate reali obiecti, id quod comparatur cum ipſo vt *conforme*; ergo viſio eſt conformis ſeipſa, & conſequenter erit ſimilitudo obiecti. Confirmatur viſio non eſt vera ex eo quòd eſſentia diuina ſit in ſuo *eſſe* ſicut eſt in ſua quidditate reali, vel ſicut eſt in ſuo verbo, & cognitione increata, hoc enim ridiculum eſt, ad colligendam veritatem creatæ cognitionis; ergo ideo eſt vera, quia eſſentia diuina eſt in ſe eodem modo, ac eſt in aliquo diſtincto, & repræſentante eſſentiam diuinam. Finge enim quòd aliquis velit examinare, vtrum vera ſit viſio beata, profectò nihil aliud comparabit cum eſſentia Dei, vt deducat conformitatem, niſi ipſam entitatem viſionis; ergo in viſione ipſa admitti neceſſariò debet aliqua ſimilitudo, & imago creata Dei.

Fit conformis.

10 Tertiò per viſionem tanquam per formam redditur intellectus repræſentans eſſentiam diuinam, nam vt poſui §. 1. intellectus non redditur *cognoſcens*, ſeu repræſentans vitaliter intuitiuè eſſentiam diuinam per formam increatam, ſed creatam: ergo in viſione, vt in forma ſit eſſentia diuina præſens intellectui, non quidem præſentia reali; nam hæc antecedenter ad viſionem dabatur; ergo intentionali, vt in ſimilitudine & imagine. Nec valet ſi dicas cum aliquibus Dominicanis viſionem non eſſe formaliter repræſentationem, ſed ſolùm principiatiuè, quatenus, vel producit verbum creatum, quando repræſentantur obiecta creata, vel vnit eſſentiam diuinam, quando eſſentia diuina repræſentatur vt eſt in ſe, ſicut in viſione beata, vel dici etiam repræſentationem terminatiuè, quatenus terminat concurſum ſpeciei impreſſæ, aut Dei habentis ſe per modum ſpeciei: Non, inquam, valet hæc ſolutio; Primò, quia cùm eſſentia non vniatur verè & intrinſecè, ſeu phyſicè intellectui, non poteſt præſtare effectum formalem repræſentandi, qui intrinſecus eſt. Secundò, quia ſi munus repræſentandi formaliter tribuitur ſoli eſſentiæ diuinæ, iam potiùs per intellectionem increatam, quàm per creatam dicetur intellectus videre, & cognoſcere; formaliſſimè enim redditur intellectus *cognoſcens* obiectum per formam, per quam illud repræſentatur. Tertiò, præcipuè (quod argumentum mihi euidens apparet, ſi vocibus non illudatur) quia vt conſtat ex §. 9. in aliquo diſtincto ab eſſentia diuina debet inueniri ſimilitudo, vt *quod* cum obiecto, ſeu aliquid obiecto conforme, vnde ſumatur veritas viſionis. At nec eſſentia diuina, vt eſt ſpecies expreſſa, neque vt obit munus impreſſæ comparabilis eſt per conformitatem, & ſimilitudinem cum obiecto viſionis; ergo in ipſa viſione, & ratione illius dicetur Deus eſſe præſens intellectui, ſicut res dicitur eſſe in ſua imagine.

Repræſentans.

Eſſentia diuina non gerit munus Verbi in viſione beati.

11 Denique à paritate aliarum cognitionum ſic arguo; viſio materialis neceſſariò inuoluit aliquam ſimilitudinem ſui obiecti; ergo & viſio beata. Antecedens non negant aduerſarij, ſic enim ſenſus fit, & dicitur recipere alias formas. Conſequentiam probat, imo totum argumentum, Auguſtinus 9. de Ciuitate Dei, cap. 16. his verbis: *In quantùm Deum nouimus, ſimiles ei ſumus. Et quemadmodum cùm per ſenſum corporis diſcimus corpora, fit eorum aliqua ſimilitudo in animo noſtro, ita cùm Deum nouimus, illa notitia Verbum eſt, & fit aliqua Dei ſimilitudo.* Deinde non alia ratione viſio materialis eſt ſimilitudo, niſi quia notificat ſenſui ſuum obiectum, facitque in illius naturæ cognitionem venire, ſi enim imago dicitur repræſentare, ſeu eſſe ſignum Cæſaris, quia facit venire in notitiam Cæſaris, à fortiori ipſa ratio formalis notificandi ſignum dicetur (ſignum autem idem eſt, quod ſimilitudo, & imago iuxta Auguſtinum) & hinc apud omnes cognitio appellatur ſignum formale. At ſimiliter viſio beata facit intellectum certiorem de obiecto, illudque notificat: Ergo.

In viſione materiali datur ſimilitudo expreſſa.

Auguſt.

12 Ex quo pro ſolutione fundamenti primæ ſententiæ: Nota ſimilitudinem hanc non conſiſtere in conuenientia entitatiua & phyſica, ſed vocari intentionalem, quia purè eſt ſecundùm repræſentationem, ſeu ſecundùm vim faciendi cognoſcere, & repræſentare obiectum, cuius ſimilitudo dicitur, ſic dicit Sanctus Thomas, quæſt. 4. de veritate, art. 4. ad 2. *ad veritatem Verbi non exigitur ſimilitudo ad rem, quæ per Verbum dicitur ſecundùm conformitatem naturæ, ſed ſecundùm repræſentationem.* Huic autem ſimilitudini nulla diſtantia in *eſſe* entis officit; ſic cognitio ſpiritualis eſt ſimilis obiecto materiali, & Verbum diuinum rei creatæ: è contra autem res ſimilis in *eſſe* entis differt ſæpe, & diſſimilis eſt intentionaliter, vt ſi vna cognitio ſpiritualis falsò de alia ſpirituali negaret ſpiritualitatem, vel abſolutè diceret *nulla cognitio eſt qualitas*, quo ſibi ipſi intentionaliter diſſimilis foret, quantumuis ſibi & & aliis phyſicè aſſimiletur.

Qualis ſit hæc ſimilitudo.

13 Hinc ad fundamentum primæ ſententiæ, reſpondeo licèt in re finita non poſſint inueniri proprietates rei finitæ ſecundùm conformitatem naturæ, benè tamen intentionaliter & ſecundùm repræſentionem. Sic cognitio diuina ſimilis eſt non ſolùm eminenter ſed formaliter obiectis creatis, quæ repræſentat ipſique malitiæ peccati, quàm Deus nullo modo continet, intentionaliter ſimilis eſt. Ergo eodem pacto in cognitione finita poterit inueniri ſimilitudo Dei. Conſequentia patet, nam non minùs diſtat res infinita à finita, quàm è conuerſo, nec minùs obſtat ſimilitudini, quòd diſtantia fundetur in exceſſu, quàm in defectu, vt patet exemplo quantitatis, æquè enim deficit à ſimilitudine vlna reſpectu palmi ob exceſſum, quàm iſte reſpectu illius ob defectum; Si ergo cum tanta diſſimilitudine in eſſe entis ſtat ſimilitudo ſecundùm repræſentationem in cognitione diuina de obiecto creato, ita è conuerſo. Argumentum autem à paritate ſpeciei impreſſæ nullum eſſe videbimus diſput. 25. Fatenturque ex Thomiſtis Capreolus, Sotus, Ferrara, Syluester diſparitatem aſſignantes apud Salas tom. 1. in prima ſecundæ tract. 2. diſput. 5. numero 21.

***

SECTIO III.

Non datur in viſione beata ſimilitudo in quâ ſeu aliquod idolum, & imago diſtincta ab Eſſentiâ diuinâ, quæ ſit terminus viſionis.

14 *Ex triplici capite reiicitur ſimilitudo* in qua.

IN hac concluſione communiùs Authores conueniunt, imo ſolo hoc titulo Thomiſtæ negant verbum in viſione beata, in quo ſenſu præcipua difficultas de re hic verſatur, id autem mihi ex triplici capite probatur. Primò, quia talis ſimilitudo neceſſaria non eſt. Secundò, quia repugnans perfectioni huius viſionis. Tertiò, quia inſufficiens ad quidditatiuam Dei cognitionem. Primò igitur omiſſis his, quibus probabo in philoſophia neceſſariam non eſſe in vlla cognitione eam ſimilitudinem, ſpecialiter in viſione ſic probo.

15 *In viſione Dei non eſt neceſſaria ſimilitudo* in qua.

Viſio beata ſe ſola ſufficit, vt ducat intellectum ad percipiendam eſſentiam diuinam in ſeipſa immediatè omnino; Ergo nulla ſimilitudo, *in qua* neceſſaria eſt. Conſequentia patet, nam idolum hoc ſeu ſimilitudo *in qua* ſolùm eſt neceſſaria, quatenus ipſa viſio ſe ſola non ſufficit vt terminetur immediatè ad eſſentiam diuinam. Antecedens ſuadetur, nam in primis ex parte eſſentiæ diuinæ nulla eſt repugnantia vt exprimatur per ſimilitudinem creatam, ſeu ſit terminus, quem creata imago repræſentet; etenim hæc ſimilitudo *in qua* ſeu idolum, quod fingis immediatè refert eſſentiam diuinam ſicuti eſt, comparaturque ad ipſam vt imago ad imaginatum. Deinde ipſa viſio, quatenus eſt in ſe, non repugnat repræſentare, ſeu eſſe ſimilitudinem alicuius obiecti. Ergo neque repugnabit, ſed ſufficiens erit ſe ſola, vt repræſentet eſſentiam diuinam. Hæc conſequentia ſuadetur; nam ſi ſemel non ſit contra conceptum viſionis repræſentare ſeu eſſe ſimilem obiecto, etiam poterit aſſimilari obiecto, quantumuis infinito, ſi aliunde infinitudo non obſtat, vt per creatam imaginem referatur.

16 Iam verò quòd viſio antecedenter ad omnem ſimilitudinem *in qua* per ſe ſolam aſſimiletur obiecto. Probatur; nam viſio repræſentat hoc idolum & ſimilitudinem *in qua*; ideo enim talis dicitur, quia non eſt ratio cognoſcendi, niſi vt terminans viſionem, & cognita ſicut imago externa. Ergo neceſſarium eſt, vt viſio illam ipſam cognoſcat: at omnis cognitio fit per aſſimilationem rei cognitæ cum cognitione, etenim ſi hæc vera ſit, eſt ſicut terminus, quem cognoſcit; ſeu illi conformatur vt dixi §.9. Ergo viſio eſt ſimilitudo, ſeu repræſentat idolum illud, & conſequenter etiam poterit alia obiecta repræſentare, præcipuè ſi ipſi applicata, & præſentia ſint vti eſſentia diuina.

17 Confirmatur; hoc idolum ſeu ſimilitudo *in qua* vel eſt purus terminus viſionis, comparaturque purè obiectiuè ad intellectum, vel etiam comparatur ſubiectiuè, vt forma cognoſcendi, ſi hoc dicatur, contra eſt, quia tale idolum erit tota intellectio, & ſimilitudo *qua*, & conſequenter inutiliter dicetur eſſe *in qua*; etenim niſi ponatur ſui reflexiua, nequit imago ſimul eſſe medium *quo*, & *in quo* ſui exemplaris. Si verò dicas id lum ſolum comparari *obiectiuè*. Contra: ergo etiamſi non informaret intellectum, eſſetque intellectui extraneum tale idolum, poſſet terminare viſionem. Quid enim refert ſubiectari, ſeu recipi in intellectu vt ipſi appareat obiectiuè; nonne ſaltem huic tuo idolo aſſimilatur obiectum quod eſt extrinſecum omnino?

Dices primò, licèt ſimilitudo *in qua*, ſeu idolum ſolum terminatiue concurrat ad viſionem; at ad hoc munus debere per ipſam viſionem produci immanenter in intellectu, tum ne detur actio ſine termino, tum etiam quia ideo per cognitionem dicitur *produci* obiectum in *eſſe intellecto*, hinc igitur inſufficiens erit idolum, ſi extraneum ſit. Secundò obiectum ſecundùm *eſſe* reale improportionatum eſt, vt terminet viſionem, niſi proportionetur per aliquid intentionale, medio quo terminet, ſicut vt moueat indiget proportionati media ſpecie intentionali, ſic etiam bonum in ſuo eſſe reali non eſt proportionatum voluntati, niſi ſecundùm eſſe repræſentatiuum. Ergo ſimiliter hic verum in *eſſe reali* non poterit terminare viſionem niſi ſecundùm *eſſe* obiectiuum idoli intrinſecè exiſtentis in potentia. 18 *Munus vt ſibi in quo, ſeu idolum, & neceſſitas vt in ſit intellectui.*

Sed contra primum eſt, nam per accidens ſe habet *produci* ſeu terminare viſionem, quatenus actio eſt, & quatenus viſio, ſeu repræſentatio, & ratio aſſimilandi. Etenim obiectum in *eſſe* reali terminat repræſentationem idoli; ſeu hoc terminatur ad obiectum, vt repræſentatio, non tamen vt actio, & productio illius. Si dicas *idolum* eſſe repræſentationem in facto eſſe vt imaginem *quaſi mortuam*, non autem per modum tendentiæ vitalis, & *in fieri*, & ideo viſionem vt viſio eſt debere habere terminum factum per ipſam. Contrà quia fieri tendentiæ vitalis ſolùm dicit reſpectum quaſi paſſiuum ad principium à quo efficitur, non verò actiuum ad rem ad quam dicitur vitaliter tendere vt patet in amore reſpectu obiecti, quod amat, reſpectu cuius non tendit actiuè; Ergo per ſolam hanc rationem imaginis, quin aliquid faciat viſio circa obiectum ſatis concipitur per modum tendentiæ vitalis repræſentantis. Quòd ſi dicitur *producere rem in eſſe intellecto*, ideo eſt quia intellectus producens cognitionem producit aliquid ſimile, & conforme *vt quo* cum obiecto, hoc autem, ſine ſimilitudine *in qua* ab obiecto diſtincta reperitur, vt patet in viſione comparata cum idolo, quod fingis, ipſa enim, cùm repræſentet idolum, ei aſſimilatur, & conſequenter idolum ipſum dicetur eſſe in viſione, ſicut dicitur res eſſe in ſua imagine; hinc viſio ſolùm habet terminum qua actio eſt, non qua viſio, nam vt viſio eſt potiùs conſtituitur ex ipſo termino, imo in ſolo termino conſiſtit adæquata intellectionis eſſentia vt dicam ad lib. de anima. 19 *Reiicitur.* *Tendentia vitalis nil facit circa obiectum phyſice. Quo ſenſu dicatur obiectum produci in eſſe intelligibili.*

Minùs vrget ſecunda ſolutio in §.18. nam imprimis inſtantia de ſpecie impreſſa potiùs fauet hic, etenim in præſentia obiecti ſpecies neceſſaria non eſt; ſed ſufficienter obiectum per ſe concurrere valet, ideoque communiter relegatur ſpecies hæc à Theologis in viſione beata. Ergo ſimiliter dicendum eſt de munere terminandi ad quod, licèt aliàs pro obiecto abſente opus eſſet imagine hac vt ſubſtituto ad terminandum, ſecus dicendum foret in viſione beata, cui intima eſt diuina eſſentia, quam vt obiectum reſpicit. Deinde tam in ſpecie impreſſa, quàm in cognitione boni reſpectu amoris diſcrimen aſſigno, vt potiùs debeant ſubſtitui pro obiecto reali, quàm hoc idolum. Nam tam cognitio boni reſpectu amoris, quàm ſpecies impreſſa reſpectu intellectionis aliquod munus, & immutationem phyſicam exercent circa potentiam, ipſamque phyſicè coadiuuant; vnde non mirum, ſi requirant ſpecialem 20 *Titulo abſentia ſeu improportionis obiecti non requiritur verbum in quo.* *Diſcrimen de ſpecie impreſſa.*

cialem proportionem quæ in obiecto ſecundùm ſe non inuenitur at munus purè terminandi extrinſecum eſt, & nihil conferens potentiæ vt patet in idolo, ſeu imagine Cæſaris, quæ independenter ab exiſtentia ipſius Cæſaris eum repræſentat; ergo tes in ſuo eſſe reali non poteſt eſſe improportionata, vt terminet repræſentationem viſionis.

21 *Similitudo ſeu Verbum in quo repugnat perfectioni viſionis.*

Ex ſecundo capite probo concluſionem ab inconuenienti, quòd talis ſimilitudo *in qua* repugnet perfectioni viſionis beatæ; nam viſio beata vt dixi diſput. 22. ſect. 1. ex Benedicto 11. *fit nulla mediante creatura in ratione obiecti ſe habente, ſed eſſentia diuina nudè, & clarè, & apertè ſe oſtendente beatis*; ſi autem daretur hoc idolum, aliquid mediaret per modum obiecti; etenim per ſuam cognitionem, cùm obſcura non ſit, ſed manifeſta, clarè viderent ſe priùs cernere ſimilitudinem hanc. Confirmatur, vel Deus præciſè videtur ſecundùm *eſſe* intentionale, & repræſentatiuum, quod imbibit idolum, vti cùm quis ſolum videt Cæſarem in ſua imagine? Vel vlterius porrigitur viſio ad attingendum *eſſe* reale Dei in ſeipſo? Si primum verè non videtur Deus, ſicut verè non videret Cæſarem, qui in illius imaginis cognitione ſiſteret. Si ſecundum dicatur? rurſus vel immediatè tendit viſio ad *eſſe* reale Dei æquè primò ac ad ſimilitudinem illam? ſicque ſimilitudo erit inutilis. Vel priùs tendit ad ſimilitudinem? & ſic talis ſimilitudo repræſentaretur priùs ſecundùm ſuum *eſſe* reale, quàm eſſentia Dei, ſicut priùs eſt imaginem Cæſaris cognoſci ſecundùm ſuum eſſe, quàm quod ducat in cognitionem exemplaris. Hoc autem & contra experientiam eſt in omni cognitione intuitiua, nec enim aliquis experitur ſe intueri naturam idoli huiuſmodi, & ſpecialiter repugnat perfectioni viſionis beatæ, quæ nihil prius, & immediatius cognoſcit, quàm eſſentiam diuinam, cùm à ſola ipſa ſpecificetur, ſicut & beatificatur ſolùm ab illa.

22 *Beatitudo non conſiſteret in ipſo reali eſſe Dei.*

Vnde aliter vrgeo argumentum: viſio vnice, & adæquatè habet rationem beatitudinis titulo excellentiæ obiecti, quod reſpicit; at non habet beare niſi à præſentia reali Dei, Deo ſecundùm *eſſe* reale ſuum vnice ad beatitudinem conducente obiectiuè. Ergo ſolùm Deus ſecundùm ſuum eſſe reale viſionem terminat. Conſequentia hæc probatur: nam ſi terminaret viſionem ſecundùm eſſe intentionale, & in eſſe intellecto, quod reperitur in idolo, ſiue Deus realiter exiſteret in ſe, ſiue non, eàdem ratione viſio beata perſiſteret etiam deficiente reali potentia Dei vti perſiſtit imaginis viſio, quantumuis prototypon deficiat. Rurſus beatitudo obiectiua potius tribuenda foret huic idolo, quam eſſentiæ Dei, ſicut omnis ſatietas, delectatio, vel poſſeſſio, quæ datur ratione viſionis Cæſaris in ſua imagine, potius imagini, quàm Cæſari ipſi tribuitur.

23 *Repugnat Verbum, ſeu ſimilitudo in qua quidditatiua Dei.*

Ex tertio capite ob repugnantiam, ſcilicet imaginis, ſeu ſimilitudinis *in qua* quidditatiuè cognoſci poſſit diuina eſſentia concluſio poſita ſuadetur. Pro qua repugnantia manifeſtè eſt S. Thom. hoc art. 2. imo de ea maximè tota doctrina ibi tradita intelligitur. Sic arguo; nihil poteſt eſſe imago, & ſimilitudo *in qua* reſpectu alterius, niſi ipſi aſſimiletur entitate phyſica quidditatiuè, ſed implicat aliquid creatum ſecundùm *eſſe* phyſicum *quidditatiuè* aſſimilari eſſentiæ diuinæ. Ergo implicat eſſe ſimilitudinem *in qua* cognoſcatur quidditatiuè diuina eſſentia. Conſequentia eſt euidens: minor ſuadetur, nam vt aliquid aſſimiletur, ſitque imago alterius quidditatiua ſecundùm eſſe phyſicum, non ſolùm genericè, ſed ſpecificè debet conuenire cum ipſo, ſeu habere eius naturam ſpecificam, aliàs pictura hominis albi diceretur eſſe imago Æthyopis, hìc enim ſola eſt ſpecifica differentia coloris, nam genericè conueniunt. Sed euidens eſt non poſſe in aliquo creato inueniri conuenientiam ſpecificam cum Deo: ergo nec ſimilitudinem ſecundùm eſſe phyſicum quidditatiuam.

24 *Similitudo in qua debet aſſimilari phyſicè obiecto in ſuo eſſe ſpecifico.*

Maior probatur, nam ſimilitudo *in qua* non ducit in cognitionem exemplaris formaliter, ſeu vt ratio formalis exprimendi, & repræſentandi, ſed purè obiectiuè, quatenus in ſua ipſius entitate habet, ſeu continet perfectionem exemplaris. At in ſe habere nequit perfectionem exemplaris, niſi ipſi in entitate phyſica aſſimiletur: ergo. Minor hæc probatur, nam ex parte obiecti nullus alius modus eſſendi datur, niſi *realiter*, & *phyſicè*: ergo nec datur modus eſſendi, & habendi perfectionem alterius, niſi *realiter* & *phyſicè*, & conſequenter per entitatiuam, & phyſicam aſſimilationem. Confirmatur imago Cæſaris non repræſentat Cæſarem niſi quantum continet de phyſica ſimilitudine ſecundùm colorem, verbi gratia, figuram, &c. Item effectus ſolum dicitur ſimilitudo cauſæ ſecundùm perfectionem phyſicam, quam ab illa participat. Ergo eatenus aliquid eſt ſimilitudo *in qua* reſpectu alterius, quatenus in eſſe phyſico ei aſſimilatur.

25 *Quid requiratur vt vnum obiectum ſit medium in quo cognoſcatur aliud quidditatiuè.*

Confirmatur totum argumentum nil poteſt eſſe medium *in quo* (ſeu ſimilitudo *in qua*) cognoſcatur obiectum vt eſt in ſe, niſi formaliter, aut eminenter obiectum contineat, ſed nihil creatum poteſt formaliter, nedum eminenter attingere vſque ad perfectionem Dei. Ergo neque eſſe medium *in quo* eſſentia Dei vt eſt in ſe cognoſcatur. Maior probatur tum quia ideo non poſſumus cognoſcere ſpiritum vt eſt in ſe, quia cognoſcimus illum per media corporea, quæ diuerſæ naturæ ſunt: tum etiam quia quod cognoſcitur in alio medio repræſentatur ad ſimilitudinem medij, ſeu ad modum illius. Ergo nequit repræſentari obiectum vt eſt in ſe in aliquo medio, ſi tale medium non ſit ſicut eſt obiectum in ſe; non ſit, inquam, vel formaliter, vel eminenter, continens ſcilicet in ſe adæquatè tale medium entitatem obiecti vt talis entitas eſt in ſe; patet hæc conſequentia à paritate viſionis, quæ dum fit mediis conſpiciliis nunquam attinget colorem externum vt eſt in ſe, niſi idem color contineatur etiam in conſpiciliis, & hinc per conſpicilia coloris viridis, nequit albedo vt eſt in ſe videri. Denique ratio eſt quia medium obiectiuum non poteſt producere ſpeciem niſi proportionatam, & ſecundùm menſuram ſuæ perfectionis: hoc eſt quæ producat cognitionem eius claritatis quam produceret obiectum ſi immediatè per ſe concurreret; hoc per ſe patet cum ſpecies ſit ſemen obiecti, idque faciat obiectum media ſui ſpecie quod facturum erat ſeipſo: ergo medium obiectiuum nequit mittere ſpeciem, quæ in *eſſe* repræſentatiuo, ſeu quoad faciendam repræſentationem, non ſit iuxta menſuram perfectionis talis medij: tum ſic ergo non poteſt producere ſpeciem propriam obiecti perfectioris ipſo medio: Conſequentia hæc patet ex dictis, nam ſpecies propria commenſuratur cum perfectione obiecti, cuius eſt ſpecies. Ergo ſi eſſet propria obiecti perfectioris excederet, neque eſſet iuxta menſuram medij minus perfecti.

Dices vt cognoſcatur vnum in alio non requiri quod eminenter vel formaliter contineatur in illo 26

V. in viſione reflexè cognita Deus quidditatiuè cognoſci poſſit? Affirmat Salas.

phyſice, ſed ſufficere, ſi contineatur repræſentatiuè, & intentionaliter, ſic autem bene poteſt contineri Deus in aliquo creato; ſiquidem continetur in viſione beata, quæ eſt repræſentatio Dei, & *Deus intentionalis*, vt ita dicamus; vnde maxime arguitur, nam in viſione reflexe cognita tamquam in medio poteſt Deus quidditatiue cognoſci vt tenet Salas 1.2. tract.2. diſp.5. ſect.2. num.31. ad 5. Et ſuadetur primo quia ſi imago phyſica eſt ſufficiens medium ad aliud cognoſcendum, cur non & intentionalis, quæ expreſſior? Secundo non poteſt clare cognoſci viſio, quin cognoſcatur eius obiectum; ergo non poteſt cognoſci viſio repræſentans obiectum ſicut eſt in ſe, quin videatur obiectum ipſum ſicut eſt in ſe. Tertio talis viſio repræſentat omnia, & ſingula Dei prædicata: ergo in ipſa omnia prædicata Dei cognoſcentur; ſicut enim, ſi reflexe attingatur viſio vnius prædicati diuini ducit in cognitionem vnius, Ita in cognitionem omnium quando viſio eſt omnium. Sed cognitio omnium eſt maxime propria obiecti, ac proinde quidditatiua. Ergo in viſione vt in medio cognito poteſt Deus quidditatiue cognoſci; ergo ſimiliter non obſtante Dei infinitate poterit dari aliquod idolum, ſeu imago, & ſimilitudo creata, *in qua* Deus quidditatiue cognoſcatur. Quod probatur quarto, dum quis recordatur ſe vidiſſe obiectum: illius intuitiuam cognitionem habet, ſeu quidditatiuam; quis enim neget me clarius cognoſcere, quod vidi, quam quod non: Tunc ſic obiectum tunc ſolum cognoſco in viſione vel in ſpecie relicta. Ergo iam datur ſimilitudo *in qua* Deus cognoſcatur quidditatiue.

27 *Non poteſt.*

Reſpondeo neque eſſentiam diuinam, nec vllum aliud obiectum ſatis contineri in ſui viſione quantumuis comprehenſiua vt in hac tanquam in medio quidditatiue cognoſci valeat ita Faſolus hic difficult.2. num.4. cum communi Thomiſtarum, quos refert. Probatur, totum *eſſe* repræſentatiuum,

Viſio præcisè eſt ſimilitudo qua.

& intentionale viſionis eſt vt *quo*, & tanquam ratio formalis *qua* cognoſcendi, & repræſentandi. Sed quod ita ſe habet ineptum eſt vt in ipſo per modum obiecti, & medij in *quo* appareat, & contineatur entitas repræſentata. Ergo nulla viſio poteſt eſſe medium in *quo* quidditatiue contineatur, & cognoſcatur obiectum. Conſequentia legitima eſt, maior patet, nam eo præciſe viſio cenſetur continere repræſentatiue obiectum, quia illud repræſentat potentiæ: repræſentare autem ſolum arguit *eſſe* formam, & rationem *qua* cognoſcendi.

28 *Sed non ideo eſt in qua.*

Minor probatur, nam illud quod repræſentat vt forma ſolum habet repræſentare ſubiecto, cui ineſt ipſi inhærendo, ipſumque informando, ſed ex hoc inſufficiens eſt, & ineptum vt per modum obiecti & medij *in quo* valeat repræſentare; hoc enim ſecundum valde diuerſam habitudinem imbibit, quare non poteſt ex primo conceptu inferri. Sic licet odoratio tanquam forma faciat vt potentia, cui ineſt *olfaciat*, non tamen poteſt in ipſa odoratione tanquam in medio obiectum *olfieri*, pluraque alia præſtant formæ *vt quo*, & dum vniuntur ſuo ſubiecto, ad quæ tamen *vt quod*, & abſolute ineptæ ſunt, neque enim gratia, quia vt forma determinat, & facit obiectum *congruum diuinæ dilectioni*, ipſa ſecundum ſe amorem amicitiæ terminat. Item odium diuinum ratio formalis eſt abominandi peccatum, nec tamen ipſum odium vt quod, & tanquam obiectum Deo diſplicet, & ſic de aliis. Ergo quod per viſionem vt formam repræſentetur obiectum, non arguit ipſam viſionem etiam quà obiectum eſt, & medium poſſe ſimiliter ducere in ſui obiecti notitiam. Confirmatur à paritate ſpeciei impreſſæ, quæ etiam ſimilitudo, & imago obiecti dicitur, ſed quia totum munus ſimilitudinis habet virtualiter, & effectiuè ſolum ducit in notitiam ſui obiecti quatenus illam producit, non autem quatenus ipſa vt obiectum reflexe cognoſcitur vt Thomiſtæ ipſi fatentur.

Vt patet exemplo ſpeciei impreſſa.

Cuius ratio a priori in viſione eſt, quia dum viſio obit munus formæ & operationis cognoſcendi non virtute & perfectione propria continet formalitates obiecti, quas exprimit, ſed totam hanc virtutem in ſuo principio ſupponit, vti actio phyſica de ſuo nihil ponit, ſed eſt exercitium, & quaſi communicatio virtutis intentionalis ſui principij, ideo ſicut actio totam perfectionem effectus, quem producit ſupponit in cauſa, cognitio etiam ſupponit in ſuo principio omnem perfectionem obiecti, quod exprimit. Ergo ſicut actio conſiderata ratione ſui, præciſa virtute ſui principij, non valeret *vt quod* eam perfectionem communicare effectui, cum talem perfectionem in ſe non præcontineat: ita nec viſio ſi ſecundum ſe, & non vt informans conſideretur. Tum ſic ſed viſio quando conſideratur per modum obiecti, & medij *in quo* operatur virtute propria, concurritque ratione ſui ad exprimendam perfectionem obiecti ergo inepta eſt ad ſic concurrendum. 29

30 *Diſcrimen inter imaginem phyſicam, & intentionalem.*

Hinc ad probationes adductas §. 26. Reſpondeo ad primam; eſt diſcrimen de imagine phyſica: nam phyſica ratione ſui continet perfectionem exemplaris quare non mirum ſi ratione ſui ſpeciem perfectam illius mittere valeat, viſio vero ſolum eſt imago vt quo, & per modum formæ quare ſolum expreſſior eſt potentiæ cui ineſt, non autem prout reflexe cognoſcitur vt medium obiectiuum, ſicut dixi de ſpecie impreſſa, quæ ſolum quatenus efficit, non quatenus cognoſcitur in naturam obiecti perducit. Ad ſecundam concedo viſione clare cognita, etiam cognoſci obiectum cum enim viſio ſit effectus obiecti neceſſum eſt vt per illam obiecti exiſtentia demonſtretur. Sed non quia viſio repræſentar, & procedit ab obiecto ſicuti eſt, ideo erit medium vt in ipſa appareat obiectum ſicuti eſt, etenim etiam actio procedit à principio ſicuti eſt, omniſque creatura reſpicit Deum ſicut eſt in ſe, quin tamen in his reſplendeat tota quidditas obiecti & termini ſicut eſt in ſe. Quare quod viſio ſit obſcura, vel clara Dei ſicut eſt in ſe per accidens omnino ſe habet, vt tanquam medium obiectiuum ducat in claram notitiam Dei, nam hæc claritas in viſione *formalis* eſt non *obiectiua* quemadmodum modus repreſentandi olfactiuus in odoratione. Hinc igitur dum viſio tanquam obiectum reflexe cognoſcitur videbit intellectus eam eſſe claram cognitionem Dei non tamen ideo ipſum Deum clare cognoſcet. Sic Angelus cognoſcit ſenſationem olfactus eſſe *odorationem* obiecti, non tamen ipſe *odoratur*.

Æque cognoſcitur Deus in viſione beata reflexe cognita, quam in actu fidei, neque in hoc minus clarè, quàm in illa.

31 *Cognitio quidditatiua quæ ſit.*

Ad Tertiam probationem reſpondeo cognitionem quidditatiuam non eſſe quæ vtcumque omnem quidditatem obiecti propriam repræſentat (ſic enim etiam cognitio fidei dum omnia prædicata Dei reuelarentur, foret *quidditatiua*) ſed vlteriùs debet eam quidditatem non minori claritate & perſpicuitate penetrare, quam ſit ea claritas quam natum eſt parere obiectum ipſum dum per ſe concurrit, ad cognitionem autem ita claram nequit ducere viſio ſumpta per modum medij *in quo* nam ad hoc requirebatur, quod poſſet mittere ſpeciem

ſpeciem de eſſentia diuina ita perfectam qualem mitteret eſſentia ipſa, cum ex maiori ſpeciei vel obiecti concurrentis perfectione creſcat cognitionis claritudo, hoc vero vt dictum eſt §. 25. nequit præſtare medium imperfectius obiecto ipſo. Ad quartam probationem pro nunc admitto cognitionem recordatiuam obiecti viſi quidditatiuam eſſe; at illa non habetur præciſè in viſione præterita reflexe cognita, tanquam in medio, ſed immediatè fertur in ipſum obiectum, licèt non nude ſumptum, ſed vt cognitum hoc eſt repræſentando ſimul tale obiectum cognitum fuiſſe, de quo plura diſput. 25

32 *Intellectio vt intellectio non eſt actio.*

Ex quibus omnibus iam conſtat nullam dari ſimilitudinem in *in qua* viſione beata ob quod reiicienda eſt ſecunda ſententia in §. 4. ad eius fundamenta ibidem adducta reſpondeo. Ad primum intellectio vt intellectio non eſt actio vt probabo in lib. de anima, & ſaltem reſpectu illius reſpectu cuius dicitur *intellectio* non habet eſſe productionem, alias intelligi eſſet produci; vnde licèt intellectio conſiſtat in actione, terminus actionis non erit formaliter terminus intellectionis, quemadmodum terminus vnionis, non eſt terminus actionis; licet vnio ſeipſa fluat ab agente, ſeu ab actione indiſtincta ſit. Ad ſecundum reſpondeo cognitio tendit ad obiectum ſecundùm *eſſe* reale (quod vt veſtitum cognitione *obiectiuum* appellatur) etenim prædicata, quæ exprimit ſoli obiecto exteriori conueniunt. Cæterum non pendet ab exiſtentia ſui obiecti, ideo ex huius mutatione non variatur cognitio, quo pacto imago externa, & hoc tunm idolum verè tendit ad ipſum reale obiectum, quamuis hoc mutato, immotum adhuc perſeueret idolum; ſed de hoc argumento plura dicam infra. Ad tertium licèt cognitio producta Verbum ſit; non tamen per modum ſimilitudinis *in qua* reſpectu cognitionis directæ, neque Verbum diuinum hoc munus obit reſpectu cognitionis paternæ; dicuntur tamen omnia in Verbo diuino cognoſci, quia cum diuinum Verbum omnia eminenter contineat ea ratione, qua per ipſum omnia facta dicuntur, aptum medium eſt vt ipſo omnia cognoſcantur, etiam quidditatiuè, quod habet cognitio diuina præ creata ob hanc eminentialem continentiam.

Cur dicuntur creatura in Verbo diuino quidditatiuè cognoſci.

SECTIO IV.

Datur Verbum, & ſpecies expreſſa in viſione Dei.

33 *Probatur ex Auguſtino.*

HÆc concluſionis pars aliis poſitis iam eſt de nomine contra Thomiſtas Dominicanos: Sed quia in vſu vocum maximè perſtandum eſt authoritati eam amplector præcipuè propter Auguſtinum ſic expreſsè eloquentem lib. 9. de Trinitate, cap. 11. *cum Deum nouimus illa notitia Verbum eſt*, & lib. 14. cap. 17. *in beatis*, ait, *præcipue reperiri perfectam imaginem Dei quia ipſum videbunt*. Rurſus lib. 15. cap. 16. cum præmiſiſſet: *cognitio noſtra perueniens ad id quod ſcimus, atque inde formata Verbum noſtrum verum eſt*, concludit ex hac generali doctrina admittendum eſſe Verbum in beatis. *Ibi cum ſimiles ei erimus quando videbimus eum ſicuti eſt, tunc Verbum noſtrum non erit falſum.*

34 *Ex definitione Verbi*

Secundo idem probatur ex ipſo conceptu, & definitione Verbi *Verbum eſſe definiunt* (verba ſunt Auguſtini ſermone 20. de Sanctis; qui eſt primus de S. Ioanne Baptiſta aliquanto poſt initium) *ipſam cogitationem, quæ adhuc intra conſcientiæ ſecreta retinetur, vox index eſt cognitionis, Verbum ipſa cogitatio.* Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 18. *Verbum noſtrum eſt animæ noſtræ motio ſecundùm quam intelligit & cogitat.* Anſelmus in Monologio, cap. 31. *nulla ratione negari poteſt cum mens rationalis cogitando intelligit, ipſius imaginem naſci in ſua cogitatione imo ipſam cogitationem ſui eſſe imaginem, & Verbum.* S. Thomas 1. parti art. 1. corpore. *Quicumque intelligit ex hoc ipſo quod intelligit producit Verbum, vbi dicens quicumque intelligit, item ex hoc ipſo quod intelligit* manifeſte oſtendit eſſe de ratione formaliſſima intellectionis habere Verbum idque repetit 1. cótra Gentes, c. 53. & 4. contra Gent. c. 11. *Omnem intellectum in quantum intellectũ oportet eſſe in intelligente, ſignificat enim intelligere apprehenſionem eius quod intelligitur per intellectum: intellectum autem in intelligente eſt Verbum*, ex quibus omnibus manifeſtè conſtat Verbum eſſe ipſam cogitationem, notitiam, & intellectionem vel ſaltem in huius conceptu imbibi productionem Verbi, at in beati datur vera cogitatio, notitia, & intellectio diuinæ eſſentiæ: ergo & *verbum*.

Auguſt. Damaſcen. Anſelm. Thomas.

35 *Mens D. Thomæ examinatur.*

Reſpondent Thomiſtæ primò cum Caietano, & Ferrara locis citatis S. Thomam loqui de intellectu viatoris. Contra hoc repugnat generalitati, & formalitati Verborum, item aſſumpto, & intentioni D. Thomæ; nam cum hæc generalis doctrina aſſumatur ad probandum Verbum in diuinis maximè requiritur vt etiam viſio beata Verbum producat, cùm viſio præcipuè cognitioni diuinæ aſſimiletur. Secundò alius Thomiſta exponit S. Thomam vt omne ſuppoſitum intelligens eo ipſo quod intelligat producat Verbum per aliquam cognitionem non tamen per omnem cum Spiritus-ſanctus intelligat quin producat Verbum; ex hoc autem iam ſimpliciter probatur dari aliquod Verbum in diuinis quod intendebat S. Doctor. Sed contra ſi aliquis verè *intelligit*, quin producat Verbum, quid refert ſi per aliam cognitionem Verbum producatur? Deinde Spiritus-ſanctus licèt non producat Verbum, at non intelligit, niſi per intellectionem per quam Verbum producitur. Quare melius diceres, licèt non omne ſuppoſitum intelligens Verbum producat, per omnem tamen intellectionem produci Verbum, quod mihi ſufficit, & S. Thomæ neceſſarium eſt vt concludat intentum maximè iuxta verba adducta ex 4. contra Gentes, cap. 11. item quæſt. 4. de veritate art. 2. ad 5. vbi ait: *Aliter nos non poſſe intelligere niſi conceptionem exprimendo, & ideo omne intelligere in nobis propriè loquendo eſt dicere, id eſt producere Verbum.*

36 *Ex rationibus.*

Ratione etiam pro hac ſententia arguitur primo Angelus in ſui cognitione producit Verbum licèt ſibi ſit præſens, & per eſſentiam ſine ſpecie impreſſa intelligibilis. Ergo idem dicendum de viſione beata. Dices Angelus licèt ſeipſo ſit intelligibilis, ſed cum non ſit actus purus ſicut Deus non eſt actu *intellectus*, ſeu *cognitus*, & ad hoc indiget Verbo. Contra nec Deus eſt actu *viſus* à nobis per ſe, ſed in ratione *viſi*, & *intellecti* connotat viſionem vt formam denominantem. Ergo hæc faciet Deum eſſe viſum, ſeu intellectum actu in mente beati, ac proinde erit Verbum; iuxta dicta ex S. Thoma ſine. Secundo arguo obiectum non vnitur potentiæ niſi propter ſimilitudinem

ſui, ſeu Verbum producendum; ex eo enim quod data eſt ſpecies expreſſa præ requiritur impreſſa, ſeu vnio obiecti cum potentia vt ſimilis euadat effectus, ſeu partus producendus ſuæ cauſæ. At vt beati videant Deum præ requiritur vnio diuinæ eſſentiæ per modum ſpeciei impreſſæ intelligibilis: ergo ipſa viſio erit ſpecies expreſſa, ſeu Verbum. Tertio Verbum nihil aliud eſt quam ſimilitudo obiecti nata ex potentia, & obiecto vt communiter fertur. Sed viſio beata producitur ab intellectu, & eſſentia diuina vt obiecto, euaditque ſimilis obiecto vt probaui ſect. 2. eſt enim *ſicut obiectum*, & illi conformis, vtpote eſſentialiter *vera*: Ergo. Confirmatur Verbum eſt id *quo* obiectum intelligitur, ita D. Thom. in 1. diſt. 27. quæſt. 2. art. 1. ad 4. loquens de eſſentia diuina ait, *in quantum ſe habet vt id quod intelligitur eſt ibi vera ratio intellecti, ſed in quantum ſe habet vt quo intelligitur eſt ibi ratio Verbi.* Sed viſio beata eſt id quo Deus intelligitur, eſt enim quo beatus intelligit Deum per eandem autem formam fit potentia intelligens, & obiectum intellectum, ſicut per eandem actionem fit potentia producens, & terminus productus: Ergo, &c.

Species impreſſa, nec concurrens ex parte obiecti non eſt neceſſarius ſi non datur Verbum.

SECTIO V.

Occaſione nouæ obiectionis ſpecialiter explicatur natura Verbi.

37 Ex principiis præiactis in iis tribus concluſionibus, maximè autem in ſecunda colligi videtur contra ipſas concluſiones non poſſe admitti in viſione intuitiua Dei Verbum creatum, quod expreſſiuum ſit diuinæ eſſentiæ. Verbi enim munus, & officium eſt ad idque præciſè admittitur in cognitione vt terminet ipſam cognitionem, vt ſit medium non tantum *quo*, ſed etiam *in quo* cognitio videat ſuum obiectum; ſicque Verbum nihil aliud eſt, quam ipſum obiectum intentionaliter expreſſum, & in ſua naturali imagine apparens intellectui. Tum ſic, ſed nihil creatum poteſt eſſe medium in quo viſio beata intueatur diuinam eſſentiam vt conſtat ex ſect. 3. Ergo nullatenus admittendum eſt formari vel produci Verbum in viſione beata. Minor & conſequentia notæ ſunt.

38 Maior propoſitio, quod ſcilicet Verbum non ſit medium *quo*, ſed *in quo*; videtur eſſe de mente Auguſtini comparantis noſtrum verbum cum increato Verbo, hoc autem non eſt medium quo Pater cognoſcit omnia, ſed *in quo*, vt omnes Theologi docent cum eodem Auguſtino, lib. 15. de Trinitate cap. 14. eſt etiam de mente Anſelmi appellantis Verbum imaginem obiecti, in quam mentis acies fertur dum obiectum cognoſcere nititur: *Cum cogito* (inquit Anſelmus cap. 31. Monologiæ) *notum mihi hominem abſentem, formatur acies cogitationis meæ in talem imaginem eius, qualem illam per viſum oculorum in memoriam attraxi, quæ imago in cogitatione Verbum eſt eiuſdem hominis, quem cogitando dico.* Rurſus eſt hæc ſententia Ariſtotelis 3. de anima, text. 20. & 37. vbi ait ſcientiam actualem eſſe ipſam *rem ſcitam*: ſic S. Thom 1. contra Gentes, cap. 53. verſ. *vlterius autem conſiderandum*, ait eſſe proprium intellectus formare *intentionem intellectam, quæ ſit quaſi terminus intelligibilis operationis*; quod ſæpiùs repetit 4 contra Gent. cap. 11. aduertens hanc intentionem intellectam, quam intellectus in ſeipſo concipit de recognita, non eſſe rem ipſam, quæ intelligitur, ſed quandam ſimilitudinem intellectu conceptam de reipſa intellecta, quam voces exteriùs ſignificant & Verbum interius nominatur; ex quo infert Verbum hominis interius conceptum non eſſe verum hominem, nec habere eſſe naturale hominis, ſed eſſe hominem intellectum, & quandam ſimilitudinem hominis veri ab intellectu apprehenſam. Lege S. Thomam, hæc enim eſt ipſiſſima eius doctrina 4. contra Gentes, cap. 11. non multùm poſt principium, ſæpe diſtinguentis hominem verum ab homine intellecto maximè ibi: *Vnde oportet quod in homine intelligente ſeipſum Verbum interius conceptum, non ſit homo verus naturale hominis eſſe habens: ſed ſit homo intellectus tantum quaſi quadam ſimilitudo hominis veri ab intellectu apprehenſa.*

Verbum probatur eſſe medium in quo

Ex S. Aug. & S. Anſelm.

Ariſt.

S. Thoma.

39 Sed quid immoramur in coniectanda D. Thomæ mente, & ſententia pro ſtatuendo verbo tamquam medio in quo cognoſcitur natura rei intellectæ? Cum ipſe apertiſſime ſe explicet opuſc. 13. non longe à principio; *iſtud* ergo (inquit) *ſic formatum & expreſſum in anima dicitur Verbum interius; & ideo comparatur ad intellectum, non ſicut quo intellectus intelligit, ſed ſicut in quo intelligit quia in iſto ſic expreſſo & formato videt naturam rei intellecta*: Sic etiam opuſc. 14. aliquanto ante medium hæc habet: *hoc totum expreſſum eſt Verbum, & eſt totum rei dicta expreſſiuum, & totum in quo res exprimitur, & hoc intellectum principale, quia res non intelligitur niſi in eo: eſt enim tanquam ſpeculum in quo res cernitur.* Et quæſt. 4. de veritate art. 2. corp. *Verbum intellectus noſtri eſt id ad quod operatio intellectus noſtri terminatur, quod eſt ipſum intellectum*, & paulò poſt. *Ita ergo verbum intellectus in nobis duo habet de ſua ratione, ſcilet quod eſt intellectum, & quod eſt ab alio expreſſum.* Quæ verba S. Thomæ clariora nequeunt eſſe vt ſtatuant Verbum tanquam medium *in quo*: nec enim in præſenti licet exponere D. Thomam, de intellectione ſeu productione intellectionis, vt hæc ſit, quæ terminetur ad Verbum, non verò ipſa cognitio formalis; etenim dicit quod intellectio, quæ terminatur ad Verbum in illo *videt* naturam rei intellectæ, *videre* autem non competit actioni phyſicæ, ſeu productioni, ſed ipſi intellectioni formali. Nec ſecundo admittitur expoſitio de intellectione reflexa (vt ait Ioſephus Auguſtinus hic diffic. 6. num. 86. Verbum eſſe ſpeculum prout reflexe cognoſci poteſt) vt clariſſimè patet ex ipſo D. Thom. loc. cit. ad medium vbi expreſsè dicit hic non dari reflexionem in hoc Verbo. Minùs placent alij Authores dum dicunt S. Thom. loquutum non ex mente propria, ſed ad errorem vulgi, mirum enim eſſet quod ſubtiliſſimus & formaliſſimus Doctor, dum ex profeſſo nobis declarat naturam Verbi ſolum vulgi ruſticitati ſe accommodare. Quare Pater Valq. 1. part. diſp. 39. cap. 2. ingenue fatetur S. Thomam in aduerſa fuiſſe ſententia.

Difficillima D. Thom. verba.

Eius interpretationes inſufficientes.

40 Ratione etiam probatur maior illa propoſitio in §. 37. ſeu Verbum *in quo*. Stante verbo mentali eodem, quantumuis varietur natura rei intellectæ ſeu obiectum ſecundum ſuum *eſſe* naturale; adhuc res obiectiuæ eodem modo apparent cognoſcenti vt patet quando per conſpicilia multangularia apparet obiectum multiplex, adeo vt nullum diſcrimen percipiat oculus verum inter, & apparens obiectum, item apparet obiectum vbi non eſt; ſimiliter qui è loco lucido accedit ad obſcurum; adhuc ſibi

Ex rationibus probatur verbum eſſe medium in quo.

huc ſibi videtur videre lucem, ſicut antea; diuinituſque ſaltem conſeruata viſione, ſine obiecto reali verbi gratia ſine luce, eodem modo iſta obiectiue apparet, ac ſi realiter exiſteret. Rurſus è conuerſo quamtumuis obiectum ſit idem, inuariatum permanens, variatione Verbi mutatur obiectiue, vt quando ſpecies franguntur in remo ſub aquis, quando turris apparet inuerſa, quando ob ſpecierum intenſionem obiectum apparet craſſius. Ergo obiectum non videtur in ſuo eſſe reali, ſed in *eſſe* intentionali verbi vt in imagine. Conſequentia probatur, quia ſi viſio non eſſet medium *in quo*, concurreretque vt medium obiectiuum ob eius mutationem non variaretur obiectum in eſſe obiecti, nec enim medium poteſt eſſe ratio videndi obiectum aliter, ac eſt in ſe, niſi ipſum medium obiectiuè aliter ſe habeat; cuius ratio eſt quia nihil poteſt eſſe medium mutandi aliquid, quod non eſt medium afficiendi illud, ſub ea ratione ſub qua debet mutare id ipſum; ergo ſi Verbum non afficit potentiam obiectiue, ſeu vt *in quo* ſed tantum ſubiectiue *vt quo*, non poteſt eſſe medium mutandi potentiam obiectiue, ſed tantum ſubiectiue; ſicut quod tantum afficit potentiam obiectiue, non poteſt ſubiectiue potentiam immutare. Ergo nec quod tantum afficit ſubiectiue immutabit obiectiue. Explicantur hæc, & confirmantur multipliciter. Primo obiectum in *eſſe* obiecti aliter ſe habet, licet idem maneat in ſe ipſo phyſice. Ergo aliud eſt *eſſe* obiectiuum ab *eſſe* phyſico rei intellectæ, & conſequenter verbum interius obiectiue ſe habet, & non tantum ſubiectiue. Secundo corrupto obiecto exteriori, aliquid reale videt potentia, ſed non in ipſo *eſſe* reali obiecti exterioris quod non exiſtit: ergo in imagine; tum ſic, ſed viſio idem prorſus videt ſiue exiſtat obiectum exterius phyſice ſiue non. Ergo ſemper obiectum exterius non in ſe, ſed in Verbo videtur. Tertio Verbum eſt partus adæquatus ſpeciei impreſſæ, quæ totum ſuum munus exprimit in Verbo. Ergo in hoc reſplendere debet, ſeu ab hoc Verbo præſtari totum quod præſtaret obiectum exterius, ſi præſens eſſet, & applicatum in ſuo eſſe reali. Conſequentia patet quia ſpecies impreſſa adæquatè continet in *eſſe* intentionali vt communicet Verbo, quidquid obiectum ipſum exterius continet in *eſſe* naturali. Quarto oculus corporeus non poteſt videre obiectum niſi ſibi præſens, ſed videt etiam licet ſit abſens in *eſſe* naturali ergo ſignum eſt quod non tendit ad obiectum ſecundum ſuum *eſſe* naturale, ſed ſecundum eſſe intentionale, quod eſt expreſſum & formatum in Verbo. Quinto ſi viſio non format hanc imaginem intentionalem *in qua*, ſed ſolum eſt formalis tendentia *qua* potentia tendit ad obiectum; nihil poteſt aſſignari in tali viſione, ratione cuius dicatur aſſimilari obiecto, nihil habet imaginis; ſicut actio tendens, vel producens imaginem externam nihil ideo imaginis habet, nec ſimilitudinis. Denique ſexto ideo cum quis videt obiectum in imagine externa viſio non pendet à variatione obiecti in ſe, quia illud in ſuo *eſſe* reali, & naturali non videt. Ergo ſi iuxta ſæpe prædicta viſio non pendet ab *eſſe* reali & naturali obiecti, ſignum eſt quod obiectum non in ſe ipſo ſed in ſua imagine repreſentat.

Varie idem explicatur.

41

Qualiter Verbum ſub. iectiue *eſt*

Hæc mihi occaſioni, & fundamento ſunt proponendi ſpecialem doctrinam, quam in opere philoſophico pluribus illuſtrabo, modo autem breuiter ſtabiliam quatenus opus eſt vt de Verbi natura vera, & perfecta notitia habeatur. Exiſtimo Verbum *ſubiectiuè* eſſe ipſam cognitionem formalem, *obiectiuè*: ipſum obiectum exterius, quod cognoſcitur. Non dico *eſſe obiectiuum*, & *apparens* cognitioni identificari cum re exteriori, quæ cognoſci dicitur, ſeu nihil aliud eſſe in ſe, & per nil aliud conſtitui, quam per prædicata realia, & phyſica rei exterioris, ſed in hac conſiſtere *obiectiuè*; phyſicè enim, & abſolutè in eſſendo (quod intelligo per ly *ſubiectiuè*) identificatur cum cognitione formali, & ab hac eſt prorſus indiſtinctum. Ad modum quo: *eſſe poſſibile*: rerum creatarum *poſſibiliter* conſiſtit in ipſis creaturis, conſtituiturque ex prædicatis phyſicis earundem; at actu de præſenti, & exiſtenter, non in ipſis, quæ non ſunt; ſed vel in omnipotentia, vel in carentia conſiſtit. Ita ergo ſimiliter in præſenti diſcurrendum cenſeo.

ipſa cognitio formalis obiectiue *ipſum obiectum exterius?*

42

Eſſe obiectiuum *diſtinguitur in eſſendo ab obiecto phyſico.*

Et in primis quod *eſſe obiectiuum* ſeu apparens cognitioni, verbi gratia dum homo cognoſcitur diſtinguatur in eſſendo ab ipſo reali *eſſe* hominis bene oſtenditur ex dictis in toto §. 40. cuius ratio manifeſta eſt, quia poteſt dari *eſſe* obiectiuum hominis, quin detur eſſe phyſicum illius, ſic dum dico *Petrus exiſtit*, ſi poſtea moriatur, manet *Petrus* pure obiectiue in cognitione, ſeu in eſſe obiecti, non tamen in *eſſe* rei, & generaliter certiſſimum eſt, quod cognitio nequeat exiſtere ſine obiecto, & conſequenter, quin ad aliquod eſſe obiectiuum terminetur; & tamen ſæpe inuenitur ſine obiecto realiter, & phyſicè exiſtente, vt patet in cognitione falſa, vel etiam in cognitione de ente rationis. Ergo ſeparabile eſt eſſe phyſicum hominis ab eſſe obiectiuo. Et conſequenter hæc duo genera eſſendi diſtinguuntur, nullum enim maius ſignum diſtinctionis eſt, quam ſeparabilitas vnius ab alio; diſtinguuntur inquam *in eſſendo* ſeu *ſubiectiue* vt oſtenſum eſt; at non diſtinguuntur *obiectiue*; etenim *eſſe obiectiuum* hominis, quid aliud eſt quam ipſe homo cognitus; ipſe enim homo dum cognoſcitur, & vbi cognoſcitur dicitur eſſe, & exiſtere intentionaliter, ſicut vbi nominatur dicitur eſſe in ſua fama, vbi pingitur, in ſua pictura, vbi datur virtus effectiua illius, exiſtit homo poſſibiliter ſeu in potentia; quantumuis phyſice, & abſolute in ſuo eſſe reali non ſit.

43

Eſſe obiectiuum in eſſendo, & phyſice in eſſe rei non diſtinguitur à cognitione.

Hinc conſequenter *eſſe* obiectiuum hominis ſubiectiue loquendo & in eſſendo cum ipſa cognitione formali identificatur ita vt forma adæquata in qua vnicè conſiſtit, & omni alio præciſo iam datur in rerum natura tale *eſſe obiectiuum* ſit ſola cognitio. Ratio eſt ex dictis quia cognitio ſtare poteſt quin vllum obiectum in eſſe rei exiſtat; vel exiſtente hoc aliter quam eſt in cognitione) tunc ſic ſed implicat quod detur cognitio ſine aliquo *eſſe obiectiuo* quomodo namque ſtabit cognitio actu ſine actu cognito? Item cognitio quin actus aliquid cognoſcat. Ergo *eſſe* obiectiuum ex nullo alio tanquam ex forma conſtituitur niſi ex ſola cognitione formali: iſtaque eſt adæquatum conſtitutiuum talis *eſſe*.

44

Cogitatio aliquorum recentium Thomiſtarum.

Dices primo hoc *eſſe* obiectiuum bene quod non ſit obiectum ipſum reale, ſeu res intellecta ſecundum ſuum *eſſe* phyſicum, vt ſatis probatum eſt. At neque eſſe ipſam cognitionem, ſed quandam qualitatem in qua quaſi ſculpitur, delineatur, pictaque intentionaliter exprimitur natura rei intellectæ quæ qualitas Verbum *in quo* dicitur, ſeu idolum, in quod terminatur cognitio primo, & principaliter; non quidem percipiendo quid ſit tale idolum in eſſe rei, an qualitas, an ſpiritualis, *&c.*

Hoc

Hoc enim pertinet ad cognitionem reflexam, ſed ſolum percipiendo quid ſit in *eſſe* imaginis verbi gratia naturam hominis; vti in viſu materiali contingit percipiente in imagine externa obiecta, cuius imago ſit non vero ex qua materia confecta. Ita maxime diſcurrunt Thomiſtæ & ex noſtris P. Franciſcus Amico tom. 1. Curſus Theolog. diſput. 9. ſect. 3. à num. 40. quam reſponſionem maxime omnia dicta in initio huius ſectionis confirmant; nam cum ex vna parte obiectum à quo per ſe, & eſſentialiter pendeat cognitio debeat aſſignari, (cum implicet cognitio ſine obiecto, vti actio ſine termino) aliunde tale obiectum non ſit ipſa natura phyſica rei intellectæ, reſtat vt ſit idolum prædictum datum intelligenti ad ſupplendam abſentiam obiecti phyſici, vt terminet vt ſuppleat munus terminandi quod debebat præſtare obiectum ſicut ad ſupplendam abſentiam, vt concurrat, datur ſpecies.

45 Sed contra: hæc eſt vis cognitionis vt ipſa ſola (quin ponatur, nec opus ſit concipi aliquid præter ipſam, ſeu aliquod diſtinctum ab ipſa terminet eius tendentiam) faciat nobis repræſentari obiectum reale, etiam quando non eſt, nec aliquid loco illius exiſtit, & conſequenter quin detur vllum idolum quod ſic oſtenditur. Nam cognitio vt talis ſaltem diuinitus conſeruari poteſt ſine omni alia entitate, & qualitate tenente ſe ex parte obiecti vel termini ſeu ſine tuo idolo. Sed tunc adhuc appareret obiectum, ſeu daretur res in *eſſe* obiectiuo, ergo hoc eſſe non conſiſtit in hac qualitate, idolo, ſeu delineamento quod ponis. Conſequentia legitima eſt; & minor manifeſta, implicat namque in terminis me cognoſcere, quin aliquid mihi appareat, repræſentetur, ſeu cognoſcatur. Maior in qua ſola poteſt eſſe difficultas ſuadetur. Cognitio vt talis non pendet ab hoc idolo vt à cauſa, conditione antecedenti, vel præreiquiſito vt patet ſiquidem hoc idolum potius prouenit à cognitione, item nec connectitur cognitio cum idolo vt cum termino producto, cognitio enim vt cognitio productiua non eſt phyſice, aliàs non pura actio grammaticalis, ſed phyſica foret, & *cognoſcere* non ſolum daret *eſſe* intentionale, ſed vere *eſſe* phyſicum poneret in rerum natura ſimpliciter tale, quod eſt contra naturam cognitionis, quæ ex ſuo conceptu nihil facit, vt patet in Spiritu ſancto nil producente per ſuam cognitionem. Denique nec prodeſt ſi vt defendas cognitionem non poſſe dari ſine hoc idolo dicas cognitionem eſſe vnionem huius idoli, ſeu delineamenti intentionalis cum potentia, ratione cuius vnionis cognitio inſeparabilis erit ab idolo; ſicut nec de potentia abſoluta ſeparari poteſt vnio ab extremis quare ſicut vnio quin cauſet, vel cauſetur ab extremis dari nequit ſine extremis, ita nec cognitio ſine idolo cuius vnio eſt. Non inquam prodeſt ſi hoc dicas etenim cum hoc idolum ſolum à te ponatur vt habeat munus terminandi cognitionem intentionaliter ſine aliquo munere phyſico fruſtra requiretur phyſica vnio. Ergo ſaltem de potentia abſoluta poterit cognitio conſeruari ſine idolo hoc diſtincto vide dicta à §. 15. Dices ipſum munus intentionale cognitionis exigit habere hoc idolum, nam exigit habere obiectum, ſicut actio habere terminum, quare ſicut actio eſt connexio cum alio diſtincto *producto*, ita cognitio cum alio *cognito*. At ſecluſo iſto idolo maneret cognitio ſine obiecto. Sed contra licet actio vtpote phyſica connexio non poſſit eſſe ſine termino phyſice exiſtente; cognitio tamen cum intentionaliter ſolum tendat, petet quidem terminum, ſed non phyſice exiſtentem. Deinde licèt petat exiſtentem, cur phyſice vnitum, & intimũ intellectui, ſiquidem obiectum conſiderat vt extrinſecum? Cur phyſice illum producet cognitio, & non ſufficiet vtcumque extrinſecus aduenire; ſicut in imagine externa contemplor Cæſarem, licet imago ab alio depicta fuerit.

Idolum, ſeu Verbum in quo non diſtinguitur in eſſendo à cognitione.

Cognitio poteſt diuinitus exiſtere abſque idolo.

46 Vnde rurſus impugno hoc idolum ſeu delineationem conſiſtentem in qualitate diſtincta à cognitione. Nam vel iſta imago ſeu idolum eſt quaſi viua, & actiua repræſentatio rei intellectæ: vel pura ſimilitudo, & imago quaſi mortua, vti imago Cæſaris comparatur ad Cæſarem? Si primum dicatur? tale idolum erit formaliſſimè ipſa cognitio ſiquidem per illud intellectus repræſentat obiectũ: item iam in hoc idolo datur repræſentatio ſine exiſtentia rei repræſentatæ ergo ſimiliter dari poterit cognitio, quin exiſtat res cognita. Si ob hæc eligas ſecundum. Ergo per ſe loquendo ſtare poterit Idolum hoc ſine cognitione; vti ſtat delineatio, & imago externa phyſica Cæſaris, quamuis actu non videatur. Hoc autem quis dicat de *verbo* quis putet poſſe dari Verbum in intellectu, quin eum reddat intelligentem? neque enim minus implicat dari *eſſe* obiectiuum independenter ab intellectu cognoſcente; quam è contrà dari cognoſcentem ſine obiecto. Rurſus vt ſæpe dixi idolum hoc obire poterit ſuum munus, etiam ſi ſit extra intellectum, ſi enim terminus phyſicus eſt extra actionem phyſicam, & ab iſta ſeparatus; ſiquidem in ſententia communi actio non recipitur in termino neque in paſſo, ſed in Agente extrinſeco, & diſtanti; Cur non idem eueniet in termino intentionali? Ex quo fiet vt quin formet quis verbum poſſit cognoſcere obiectum in verbo ab alio formato. Item quoties obiectum exterius ſit ſatis applicatum, opus non erit Verbo, ſicut non eſt opus ſpecie impreſſâ, quod manifeſte eſt contra D. Thomam 4. contra gent. cap. 11. multo poſt principium & quæſt. 4. de verit. art. 2. poſt. med. corp. vbi aſſerit neceſſarium eſſe Verbum vt mens intelligat ſeipſam, quod idem ſentit de Angelis cum ſe ipſos cognoſcunt, item eſt clariſſimè contra Auguſtinum 9. de Trinit. cap. 11. dicens: *Cum ſe mens ipſa nouit, eſt eadem notitia Verbum eius, & cum habeat notitia ſimilitudinem ad eam rem, quam nouit, hoc eſt cuius notitia eſt, hac habet perfectam, & æqualem, qua mens ipſa, quæ nouit, eſt nota*: quod adhuc expreſſius, & ad rem noſtram opportunius ſcripſit Anſelmus in Monolog. cap. 31. *Nulla ratione* (ait) *negari poteſt cum mens rationalis ſeipſam cogitando intelligit, imaginem ipſius naſci in ſua cogitatione imo ipſam cogitationem ſui eſſe imaginem ad ſuam ſimilitudinem, tanquam ex eius impreſſione formatam. Quamcumque enim rem mens cupit veraciter cogitare, eius vtique ſimilitudinem, quantum valet, in ipſa ſua cogitatione conatur exprimere. Habet igitur mens rationalis cum ſe cogitando intelligit, ſecum imaginem ſuam ex ſe natam, id eſt cogitationem ſui ad ſuam ſimilitudinem, quaſi ſua impreſſione formatam, quæ imago eius Verbum eius eſt.* Ex quibus omnibus ſatis notum eſt nullius vtilitatis eſſe idolum hoc à cognitione diſtinctum, vt pure in illo inſpectetur figura, & delineatio obiecti cognitioque obiecto non careat, ſiquidem etiam quando obiectum intimum imo identificatum eſt cognoſcenti, & conſequenter a cognitione inſeparabile, adhuc *Verbum* eſt requiſitum.

Impugnatur idolum ſubiectiue, & in eſſe rei diſtinctum à cognitione.

Vt quis ſe cognoſcat indiget Verbo.

Denique

47 *Nullum eſſe datur in rerum natura niſi phyſicum, ſecluſa vi cognitionis formalis.*

Denique pacate conſideranti hoc idolum, imaginem, ſeu delineationem intentionalem à cognitione diſtinctam eſſe, placere non poteſt; ſi enim hæc delineatio diſtincta à cognitione ſit, purè phyſica erit, nec vllum *eſſe* habebit obiectiuum, ſed ſubiectiuum, & in eſſe rei, nam ex parte obiecti, ſecluſa vi cognoſcendi, omnis delineatio, & ſimilitudo pure phyſica eſt, quatenus in imagine dantur prædicata, ſeu *eſſe* phyſicum, & reale homogeneum, & eiuſdem ſpeciei phyſicæ cum re, cuius imago, & idolum dicitur; ſic contingit in imagine externa, quæ eatenus dicitur repræſentare prototypum quatenus in ſe habet eadem accidentia phyſica, verbi gratia, eandem realem albedinem, eandem figuram, colorem, ſitus, quantitatem, &c. per conuenientiam in entitate phyſicâ ſimilia accidentibus Prototypi, tunc ſic, ſed phyſicè in idolo illo non dantur prædicata, verbi gratia, hominis. Ergo nec apparebit homo delineatus in illa qualitate, ſeu idolo diſtincto à cognitione. Confirmatur: *homo* non eſt phyſicè, nec per ſimilitudinem phyſicam in idolo illo, vt patet. Ergo dum cognitio repræſentat hoc idolum nihil in eo aperiet, ratione cuius veniat in notitiam hominis. Suadetur hæc conſequentia, quia ex parte rei, & de rebus ipſis loquendo præciſa cognitione non datur alius modus eſſendi, niſi phyſicè aliàs liceret fingere noua genera entium, vt dentur à parte rei entia, quæ pure *intentionalia ſint* condiſtinctè à cognitione; ſi enim ſemel idolum illud in ſe vt condiſtinctè à cognitione eſt *homo* intentionalis non ſolum *obiectiuè* loquendo, ſed *ſubiectiuè* (nam purum eſſe *obiectiuum* ex parte rei non datur, aliàs iam tranſit in *ſubiectiuum*) Cur fingi non poterit *eſſe intentionale*. Quaſi nouum ens medium inter reale, & rationis. Confirmatur ſecundo, quia implicatorium eſt dicere quod ſit *homo* obiectiuè, ſi phyſicè non ſit homo, nec item ſit cognitio; ſi enim non ſit cognitio non faciet quaſi actiuè quod detur apparentia hominis; ſiquidem iſta actiua apparentia ſeu repræſentatio eſt formaliſſimè cognoſcere hominem. Rurſus ſi phyſicè, non ſit homo qualitas iſta, ſi phyſicè in ſe nihil habet de homine, intelligi nequit quo pacto in ipſa poſſimus cognoſcere rationem hominis. Quomodonamque cognoſceretur quod non eſt? Ergo nullo titulo eſt *homo* obiectiuè hoc idolum: ergo prorſus implicat doctrina nobis obiecta in §.44. quod ſcilicet detur in aliqua qualitate mortua, ſeu à cognitione diſtincta delineatio, pictura, & forma intentionalis obiecti, ſeu eſſe obiectiuum.

48 *Eſſe obiectiuum ab aliquibus ponitur indiſtinctum phyſicè ab obiecto reali vt poſſibili.*

Ideo dices ſecundo hoc eſſe *obiectiuum* nihil aliud eſſe quàm ipſum obiectum reale, formaliterque in ipſo conſiſtere, in ipſo inquam non vt exiſtente, nam manifeſtum eſt maximè in cognitione abſtractiua, imo & in intuitiua poſſe cognoſci, ſeu obiectiuè exiſtere in mente, quod à parte rei non exiſtit, patetque ipſa experientia ſæpe dari cognitionem ſine eo quod detur & exiſtat eius obiectum; conſiſtit igitur eſſe obiectiuum in ipſo obiecto reali vt poſſibili. Sed contra cognitio, quæ affirmat exiſtentiam Petri, verbi gratia, poteſt dari ſine Petro exiſtente, vt fateris, ergo quæ affirmat poſſibilitatem ſine poſſibilitate: ſuadetur conſequentia tum quia non minus exiſtentia eſt obiectum vnius cognitionis, quàm poſſibilitas alterius; tum etiam à paritate actionis, quæ quia tendit ad

Impugnantur.

terminum exiſtentem, ſi hic in *eſſe* exiſtentiæ deficiat non minus dicitur eſſe ſine termino, quam potentia, quia ſpecificatur à poſſibili, quando eſt ſine effectu poſſibili. Si ergo in cognitione de exiſtentia permittitur quod manere poſſit ſine exiſtentia etiam poterit eſſe cognitio de poſſibilitate, ſine hac, cum vtrobique ſit eadem ratio. Quod inde patet quia nil refert actus affirmantis exiſtentiam quod obiectum ſit poſſibile ſi ſemel deficit ab exiſtente vt patet ſi loquamur de verificatione. Ergo ſi poteſt pati defectum exiſtentiæ, etiam & poſſibilitatis. Confirmatur eodem modo dico, *Petrus exiſtit*: quando in re exiſtit, quo id dicerem ſi non exiſteret. Ergo ſimiliter eodem modo dicam: Petrus eſt poſſibilis, ſiue in re poſſibilis ſit, ſiue impoſſibilis: conſequentia patet; nam modus tendendi eſt idem, & conditio obiecti æquè extrinſeca cognitioni. Confirmatur 2. hæc cognitio: *Hircocerus*: non immutaretur, licèt Hircoceruus redderetur poſſibilis. Ergo è contra nec cognitio de Petro poſſibili, licèt iſte redderetur chymæra. Conſequentia patet: antecedens probatur, quia per poſſibilitatem Hircoceruí, nil tollitur ab illa cognitione à quo talis cognitio aliquid accipiat, ſiquidem ab impoſſibili nil poteſt accipere: Rurſus neque ponitur aliquod impedimentum cum purè extrinſecè ſe habeat Hircocernus. Confirmatur 3. in cognitione falſa: *Petrus eſt impoſſibilis*: Hæc cognitio nec titulo phyſico, nec intentionali petit Petri poſſibilitatem. Ergo eſſe obiectiuum Petri, quod tangit illa cognitio, non conſiſtit in obiecto ipſo reali, & exteriori. Antecedens probatur tum phyſicè, quia illa cognitio non eſt cauſa, nec effectus Petri vt poſſibilis, Petrus enim vt ſic omni omni actioni ineptus eſt. Ergo non habet titulum phyſicæ dependentiæ, nec intentionalis, quia ea cognitio potiùs reddit intentionaliter ad impoſſibilitatem Petri: ergo non petit intentionaliter poſſibilitatem, ſi enim aliquid petit intentionaliter cognitio maximè obiectum vt ab ipſa affirmatum. Deinde ratio à priori inde ſumitur, quia tota connexio in cognitione cum obiecto exteriori eſt eo quod extrinſecè repræſentet tali modo obiectum, ad id autem neceſſum non eſt, quod in re detur obiectum talis repræſentationis, vt patet in cognitione de ente rationis; quæ ex modo tendendi ita ſe habet ac ſi obiectum reale daretur, neque ideo petit huius realitatem. Ergo *eſſe* obiectiuum ſine quo cognitio non datur, in quod tendit, & quod neceſſariò intellectui proponit non conſiſtit in ipſa re exteriori etiam vt poſſibili.

Ex qua doctrina, quæ conſequens eſt ad opinionem, quæ negat in cognitione ordinem tranſcendentalem ad obiectum à ſe diſtinctum, de qua P. Arriaga diſput.14. logicæ §. 47. ſi enim nullam habet cognitio eſſentialem connexionem cum obiecto à ſe diſtincto conſequens eſt vt poſſit manere ſine illo. Ex hac inquam doctrina manifeſtè colligitur quando dicitur cognitio ſpecificari ab obiecto, vel non poſſe exiſtere ſine illo, non ſumi obiectum ſecundum *eſſe* ſubiectiuum, quod in ſe intrinſecè abſolutè habeat ſiue actu, ſiue poſſibiliter extra cognitionem, & condiſtinctè ab ipſa, ſed *eſſe* obiectiuum, ſeu iuxta qualitatem, & modum eſſendi intentionaliter, quem obiectum habet in cognitione, & indiſtinctè ab ipſâ, & ſecundùm quem nata eſt comparari cognitio cum *eſſe* reali obiecti exterioris, ſi daretur, verbi gratia, cognitio de homine diſtincta eſt ſpecie à cognitione de leone, non ex eo quod in re homo à leone diſtinguatur; ſed quia 49 *Explicatur connexio cognitionis cum ſuo obiecto.* *Quo ſenſu dicatur ſpecificari ab obiecto.*

quia cognitio habet talem modum tendendi, ratione cuius eſt comparabilis cognitio *homo:* cum eſſe reali ſi daretur diuerſo ab illo cum quo comparatur, *leo*, ſicut diuerſa eſt cognitio de Petro exiſtente, & de poſſibili, quia licèt neutra connectatur cum exiſtentia Petri; at cognitio de exiſtentia ex modo tendendi repræſentat id, quod haberet obiectum ſi eſſet exiſtens, quod non inuenitur in cognitione de Petro poſſibili: Quod benè explicatur in imagine externa, quæ diuerſa eſt, & quaſi ſpecificatur ex imaginato; non quod realiter exigat, ſed cui nata ſit imago externa comparari, verbi gratia, ſi daretur Cæſar, vel ſi daretur Bucephalus. Eadem ratione dicitur quod cognitio nequeat eſſe ſine obiecto, hoc eſt ſine eo quod cognitio ſit talis modi tendendi, & tale obiectum proponat, cui ſimilis eſſet res exterior ſi daretur: Hæc enim eſt virtus cognitionis vt valeat proponere, & quaſi confingere obiectum, quando non datur ratione huius modi tendēdi, ob quem dicitur habere pro obiecto talem rem, cui ſimilis eſſet, & à qua vera fieret, ſeu verificaretur, ſi daretur talis res: vt patet in intuitione, quæ diuinitus conſeruari poteſt ſine vllo obiecto realiter exiſtente abſolutè, ſed non ſine conditionato; Id eſt, ſine eo quod modus tendendi intuitionis talis ſit, vt illi ſimile eſſet obiectum (verificaretque ipſam cognitionem) ſi exiſteret.

50 *In quo conſiſtat quod vna cognitio potiùs tendat in vnum obiectum quàm in aliud.*

Tertiò contra hanc doctrinam, vt *eſſe* obiectiuum non diſtinguatur ab ipſo obiecto exteriori ſecundùm eſſe reale ſic obiicies. Cognitio determinatè reſpicit potiùs hoc obiectum exteriùs ſecundùm *eſſe* reale, verbi gratia, dum dicit: *Petrus non currit*, Petrum realem, quàm aliud obiectum, verbi gratia, leonem. Ergo aliquam maiorem connexionem habet cum Petro, quam cum leone; ſeu indifferens non eſt vt poſſit conſeruari ſine ſuo obiecto exteriori; & conſequenter in hoc conſiſtit eſſe *obiectiuum*, quod eſſentialiter datur, quando datur cognitio. Conſequentia probatur, quia ſi illa cognitio, *Petrus non currit*, non connecteretur cum Petro æquè foret indifferens ad leonem, & æquè poſſet comparari cum omnibus obiectis, ſicut imago externa quia non connectitur cum Petro præ Paulo ſecundùm ſe non potiùs repræſentat Petrum, quàm Paulum. Antecedens videtur per ſe notum, tum quia diuerſa eſſet cognitio quæ diceret, *Leo non currit*: ergo quia prima: *Petrus currit* aliquam ſpecialitatem habet ad Petrum: tum etiam cum dico: *Chriſtus Dominus eſt Deus:* quis dicat me non loqui peculiariter de hoc homine reali ſecundùm eſſe quod habet à cognitione diſtinctum. Item ex eo quod *Petrus* in re currat, propoſitio illa eſt falſa, ſecus ex curſu aliorum. Ergo quia ſpecialiter determinat Petrum hunc realem, & appellat ſupra illum. Denique hoc clare patet in cognitione intuitiua, *hic Petrus non currit:* Quis enim dicat eſſe indifferentem ad omnes homines, cum & in pura apprehenſione demonſtratiua, ſeu ecceante aliqua applicatio, & determinatio detur. Reſpondeo bene diſtinguitur vna cognitio ab alia, licèt cum obiecto extrinſeco non connectatur, ſcilicet ob diuerſum modum tendendi cum tali vel tali imagine intentionali, ſeu ſecundùm diuerſum eſſe apparens iuxta §. præced. cui diuerſum eſſe reale aſſimilaretur, & quæ ex diuerſo *eſſe* reali ſi daretur verificaretur. Quo pacto exiſtimo etiam ab aduerſariis explicari debere determinationem obiecti exterioris, ſeu quod cognitio intelligatur potius loqui de hoc obiecto quàm de illo, vt in hac cognitione, *ſubſtantia ſupernaturalis eſt poſſibilis, vel impoſſibilis* Ea enim cognitio non determinat potius realem quam chymericam ſubſtantiam, & conſequenter nullam connexionem habet cum ſuo obiecto, cenſetur tamen potius loqui de ſubſtantia, quàm de accidenti, quia ſola ſubſtantia ſi daretur haberet in *eſſe* rei per quod aſſimilaretur tali cognitioni. Vnde patet ſolutio ad hanc obiectionem, nam vno verbo dico, ſpecialiter ſe habet illa cognitio ad Petrum eo quod potius *eſſe* Petri relucet intentionaliter in cognitione, ſeu eam cognitionem verificat potius quam alteram quæ ſit de alio obiecto.

Quartò replicabis contra hanc ſolutionem Petrus non eſt in *eſſe* rei, ſicut in cognitione, nam 51
Cur potius cognoſcatur Petrus poſſibilis, quàm chymaricus?

realiter currit ſicut ſuppono, ſecus in cognitione prædicta enunciante: *Petrus non currit* (quod idem dicendum de omni cognitione falſa.) Reſpondeo: Petrus in eſſe rei eſt ſicut in cognitione ex parte *ſubiecti*, licèt non ex parte *prædicati*, & ideò cognitio cenſetur applicari Petro, & de illo loqui licèt propterea ſit falſa. Vrgebis *Petrus* intentionalis, ſeu imago illius quæ eſt in cognitione ſecundùm ſe non magis appellat ſupra realem quam ſuprà chymericum Petrum? Ex quo ergò determinatur, vt cenſeatur loqui de Petro reali, cum potius reali currente: ly *Petrus non currit* de chymerico verificetur, reſpondeo eo ipſo quod Petrus ſit realis nullus Petrus eſt chymericus: Nam Petrus chymericus eſt Petrus impoſſibilis, quæ impoſſibilitas non datur poſita poſſibilitate Petri: Hinc ergo cùm cognitio tendat per modum *Petri*, vt ita dicam hoc eſt per talem modum tendendi qui verificetur, ſeu ſimilis ſit Petro reali, iam appellat ſuprà *eſſe* Petri quod inuenit reale, licèt falsò in illo ponat carentiam curſus.

V. poſſit fingi Petrus impoſſibilis, quando ipſe poſſibilis eſt.

Vrgebis iterum: ergo tunc cognitio verè nihil cognoſcit niſi ſeipſam, cum nihil præter ipſam detur, nec exiſtenter, nec poſſibiliter per ſe loquendo. Reſpondeo cognitio illa nec ſeipſam habet pro obiecto *quod*, aliàs eſſet reflexa; neque item habet aliud diſtinctum, vt maximè patet in cognitione de ente rationis, verbi gratia, *hircocerni*, quæ eſt quædam imago, quidam *hircoceruus* intentionalis, cui quia nihil correſpondet ex parte rei cum quo comparetur cognitio, & imago illa ideò dicitur chymeram cognoſcere, & ipſa chymera dicitur eſſe tantùm obiectiuè in intellectu, licèt dicatur obiectum huius cognitionis, hircoceruus, ſecundùm *eſſe* phyſicum quod ſi daretur correſponderet, aſſimilareturque illi cognitioni.

Cognitio de ente rationis nil diſtinctum in eſſendo à ſe habet pro obiecto.

Ex quibus concludo dupliciter conſiderari obiectum cognitionis, primò ſecundùm *eſſe* reale, 52
Dupliciter conſideratur obiectum cognitionis.

ſeu ſecundùm ſtatum quem habet abſolutè extra cognitionem ſeu condiſtinctum à cognitione, à quo non pendet eſſentialiter cognitio, nec cum illo connectitur, ſed mutare & variare poteſt. Secundò ſecundùm *eſſe* quod habet quaſi conditionatè, quod ſcilicet verificaret cognitionem, ipſique aſſimilaretur, & correſponderet, ſi tale eſſe obiecti poneretur à parte rei. Hoc *eſſe* obiectiuum ſic acceptum quaſi conditionatum, nec diuinitus poteſt variari à cognitione, ab eoque cognitio ſpecificatur, nam abſolutè loquendo, & ſubiectiuè formaliſſimè conſiſtit indiſtinctumque realiter eſt à modo tendendi cognitionis, hac ſcilicet ratione & hoc repræſentandi genere: Vnde licèt

licèt obiectum ex parte rei, abſolutè & in ſe ſit idem, verbi gratia, in homine, *rationale*, & *admiratiuum* cognitio, quæ tendit ad *admiratiuum*, nequit dicere *homo eſt rationalis*, ſed ſpecie diſſidet cognitio prima *homo eſt admiratiuus* à ſecunda, *homo eſt rationalis*; ſicut cognitio & amor cum idem obiectum habeant à parte rei ſpecie adhuc diſſident ex modo diuerſo, quo per illos actus attingitur obiectum exterius. Pendet ergo per ſe cognitio, & ſpecificatur ab obiecto exteriori, non ſecundùm *eſſe*, quod habet actu, & abſolutè, ſiue exiſtenter, ſiue poſſibiliter, ex parte rei: Nam hoc *eſſe* licèt deficiat, vel varietur, non ideo deficiet cognitio vt ſupra toties dixi, ſed pendet cognitio ab *eſſe* conditionato obiecti, ſeu ab eo, quod ſi obiectum talis rationis ponatur à parte rei, aſſimiletur cognitioni. Quod *eſſe* neceſſario repræſentat cognitio, ita vt ſubiectiuè, & reipſa nihil diſtinctum à cognitione ponatur in rerum natura, obiectiuè autem, & conditionatè in re diſtinctâ, & ſæpè chymærica conſiſtat.

53 *Soluitur obiectio §. 37.* *Diſtinctione conceptûs in & conceptus ad.* Hinc ad argumentum in §. 27. quæ occaſioni fuit huic doctrinæ loquendo de verbo *in quo* duplicem huius ſtatum diſtinguo (vt de relatione ſolet diſtingui conceptus *in*, & conceptus *ad*) *ſubiectiuè*, vel purè *obiectiuè* hoc eſt vel ſecundùm conſtitutiua, quæ dantur à parte rei, vt obiectum exteriùs ſit ſeu appareat in *eſſe* obiectiuo; vel ſecundùm id quod denominatur *obiectiuè* apparens. Nunc concedo verbum eſſe *terminum* cognitionis, eſſe *imaginem in qua*, ſeu quam repræſentat cognitio, eſſe inquam diſtinctum ab obiecto exteriori, & quaſi loco illius poſitum à natura, ſi loquamur de eius conſtitutiuis, quæ actu dantur ex parte rei. Secus ſi loquamur non ſecundùm conceptum *in*, ſed purè *ad* ſeu obiectiuè acceptum; ſic namque eſt natura ipſa rei intellectæ. Vnde quando Diuus Thomas, & Anſelmus citati §. 38. volunt *in verbo* formato videri naturam rei intellectæ, & non *per verbum* ſumunt cognitionem prout præciſè apprehenditur ſecundùm conceptum *ad*. *Exemplo exiſtentiæ & poſſibilitatis.* At hîc idem conceptus *ad* ex parte rei, & ſubiectiuè nihil aliud ponit in rerum natura, quàm ipſam cognitionem quæ ſimul habet rationem verbi *quo*, ſeu *per quod* intellectus intelligit. Quæ omnia benè explicantur, vt ſi loquamur de ſtatu eſſentiæ, & poſſibilitatis creaturarum. Iſte enim ſtatus ſubiectiuè loquendo, ipſa mera poſſibilitas, ſi concipiatur ſecundùm ſtatum, quem actu ponit à parte rei, nil aliud eſt quàm omnipotentia. At ſecundum conceptum quaſi *ad*, & in *eſſe* mere *poſſibilitatis* ſupra res ipſas creatas cadit, quæ denominantur poſſibiles ab omnipotentia: Sic igitur ab hoc *eſſe* obiectiuo, quod ſubiectiuè loquendo, & ſecundùm conceptum *in* nil aliud eſt quàm cognitio, dicuntur res externæ obiectiuè exiſtentes, ideoque iſtæ cenſentur *intellectum minus principale*, vt dicit Diuus Thomas citatus §. 39. & (vt ego explicui §.49.) ab ipſis nec eſſentialiter dependet cognitio, nec ſpecificatur. Item iure dicit ibi Sanctus Thomas hoc eſſe verbi (vt obiectiuum ſcilicet) non eſſe *quo* intellectus intelligit; quia licè ſubiectiuè ſit forma intelligendi (ſiquidem ex parte rei adæquatè conſtituitur ex ſola cognitione). non tamen vt obiectiuè conſideratur. Rurſus quod cognoſcitur in hoc *eſſe* cognoſci *in verbo* comparaturque ſpeculo, quia iſta omnia bene aptantur ſecundùm *eſſe obiectiuum*, quod à parte rei datur præciſè intellecta ſolùm cognitione ſi loquamur de exiſtentia reali; licèt exiſtentia, vt pure obiectiua, ſit ipſa res exterior, quæ poſſibilis eſt abſolutè, vel conditionatè vt dixi §. præced.

Eadem ſolutione, & doctrina expediuntur facilè ſigillatim omnia quæ obiiciuntur in §. 37. Nihil creatum poteſt eſſe quod ſit verbum, ſeu eſſe obiectiuum, & *in quo* intuitiuè cernatur Deus, nihil inquam creatum eſt, quod ſit verbum obiectiuum, *obiectiuè*: bene tamen *ſubiectiuè*, vt patet ex hucuſque dictis. Ad authoritatem Auguſtini reſpondeo vt patet ex loco eodem 15. de Trinitate cap. 14. fine noſtrum verbum plurimum diſſimile eſt verbo Dei: *Noſtrum ergò tale verbum* (inquit Auguſtinus) *quod inuenimus eſſe vtcumque ſimile: quantum ſit etiam diſſimile non pigeat intueri.* Ergo ex diuino ad crearum non valet argumentum. Præterquam quòd nec diuinum eſt *in quo* niſi ſubiectiuè, vt terminus phyſicus Patris, partuſque proprius ipſius, vt intelligentis, ob quod potius in illo quam in Spiritu-ſancto repræſentantur creaturæ, vt explicabo in tractatu de Trinitate. Auguſtinus autem manifeſtè ſentit Verbum (ſeu ſimilitudinem intentionalem, & *eſſe* obiectiuum) ſubiectiuè nil aliud eſſe à cognitione, ſeu notitia cognoſcente, & per hanc, & in hac formaliſſimè conſiſtere, vt patet 9. de Trinitate, cap. vndecimo, vbi notitiam, quàm de ſe habet anima noſtra appellat verbum. Anſelmus, Ariſtoteles, & Sanctus Thomas dum verbum diſtinguunt à re intellecta loquuntur de ſtatu ſubiectiuo, quo præciſè exiſtente quidquid ſit de re intellecta, iſta menti obuerſatur, & in ipſa eſt. At hic ſtatus ſubiectiuus identificatur cum cognitione noſtra, quæ vt conſideratur ſecundùm eſſe quod habet in ſe eſt verbum *quo*, vt autem per hoc *eſſe* habet vim vt obiectiuum ſtatum habeat res intellecta concipitur tanquam verbum *in quo* ſpeculum, & imago in quam cogitationis acies formatur, & intenditur; hæc enim omnia cum formaliſſimè vi cognitionis contingant, & ab eius exiſtentia indiſtincta ſint, iure de cognitione ipſa dicentur. Vnde conciliantur teſtimonia D. Thomæ dum ait verbum eſſe *id quo quis formaliſſimè intelligit*, 1. diſtinctione 27. quæſtio. 2. articulo 1. corpore, & ad 4. & articulo 2. Item 4. contra Gentes cap. 11. ait intelligere intellectionem intellectam, ſeu verbum fieri per actum reflexum: Ergo ſignum eſt quod ipſa cognitio directa, ſeu forma cognoſcendi habeat rationem verbi ſubiectiuè, & obiectiuè modo explicato per quod facilè patet ad rationem in §. 39. 54 *Verbum noſtrum in multis diſſidet à diuino*

***

DISPVTATIO XXIV.

Vtrùm detur de facto ſpecies impreſſa Dei.

SECTIO I. *Authorum ſententiæ.*
SECTIO II. *Vera ſententia.*
SECTIO III. *Obiectis ſatisfit.*

Vide infra quæſt.12.artic.2. dub.4.

CVm admiſerimus de facto ſpeciem expreſſam ſtatim conſequens videtur vt impreſſa etiam admittatur; ideo antequam ad indagandam eius poſſibilitatem, vel repugnantiam procedam, de qua diſput.ſequent. videndum eſt vtrum caſu quo impreſſa ſpecies admittatur poſſibilis, de facto etiam, vel etiam de neceſſitate ponenda ſit: quam quæſtionem breuiter tribus his ſectionibus expediam.

SECTIO I.

Authorum ſententiæ.

1 *Affirmant.* Ægidius. Vaſquez. Alarcon. G. Hurtado. Bernal. Smiſing.

PRima ſententia affirmat, quam ſequuntur plures ex antiquis, quos referunt Ægidius, Luſitanus, lib.8. 2. part. quæſt. 3. art.3. §. 2. Recupitus hic lib.6. quæſt.20. num.1. fine. & ex modernis ipſe Ægidius ſupra. Vaſquez diſput.43. cap.7. Alarcon diſput.3. cap.3. Gaſpar Hurt. tract. 1. de Deo diſp.9. difficult.7. Bernal. diſput. 33. de Incarnatione ſect. 4. num.84. Theodorus Smiſing tit. 1. Tom.2. diſp.6. num.89.

2 *Mouentur Ex eo quod Deus non poſſit concurrere obiectiue.*

Probatur primo ex impotentia Dei concurrentis per modum obiecti, ad hoc enim requiritur vniri intellectui tanquam formam vt patet in ſpecie; nam debet perficere intrinſece intellectum, & illum facere ſimilem in actu ſecundo, ſeu fæcundum imagine obiecti, quod ſine vnione non fit; vnio autem inter eſſentiam diuinam, & intellectum poſſibilis non eſt. Confirmatur vt concurreret Deus per modum obiecti concurrere debebat per id, quod terminat viſionem, ſcilicet per eſſentiam & relationes, item & concurrere neceſſario; obiectum enim, qua obiectum eſt, non concurrit quatenus vult, ſed quatenus eſt, & per modum naturæ, vt experientia patet. Vtrumque autem eſt impoſſibile; tum quia omnis concurſus Dei ad extra eſt liber, & à ſola omnipotentia, tum etiam quia relationes, vt tales, actiuæ non ſunt, alias opera Trinitatis ad extra indiuiſa non forent, vt patet clarius ſi videretur vna perſona ſine alia.

3 *Lumen non diſtinguatur ab ſpecie.*

Secundo lumen gloriæ non diſtinguitur ab ſpecie impreſſa: Ergo cum lumen non poſſit negari poſt Concil. Viennenſe, nec ſpecies impreſſa. Antecedens probant, Vaſquez, Alarcon, Hurt. Bernal. & Smiſing: nam intellectus cum lumine ſatis continet omnes formalitates obiecti; vitalitas enim correſpondet potentiæ, ſupernaturalitas lumini ſecundum rationem genericam *habitus ſupernaturalis*, & ſecundum ſpecificam *talis habitus*, nempe *luminis gloriæ*; formalitas repræſentationis talis obiecti. Quod argumentum ſic vrgeri poteſt. Intellectus cum ſola ſpecie naturali ſufficit ad cognitionem abſtractiuam Dei. Ergo cum ſola ſpecie ſupernaturali intuitiua Dei ſine alio lumine eliciet cognitionem intuitiuam Dei. Conſequentia hæc probatur: ita ſpecies ſupernaturalis intuitiua excedit naturalem abſtractiuam ſicut vna cognitio aliam; nempe ſpecies iſtæ continent Deum intentionaliter in actu primo eadem inæqualitate qua cognitiones in actu ſecundo. Ergo ita iuuabit intellectum ſpecies intuitiua ad cognitionem intuitiuam ſicut abſtractiua ad abſtractiuam; nam principium inæquales effectus producere valet eo gradu, quo ei inæquale aduenit adiutorium vt enim creſcat effectus proueniens à duobus principiis partialibus ſufficit vnum ex illis augeri; ab hoc enim traiicietur in effectum maior perfectio quantumuis alterum ſit omnino idem aut æquale.

Tunc vltra, ſed intellectui ad cognitionem naturalem nullum aliud adiutorium poteſt aduenire 4
diſtinctum ab ſpecie impreſſa, omnis enim cognitionis perfectio, quæ non correſpondet ſpeciei formaliter correſpondet potentiæ intellectus; ergo ſimiliter lumen quod aduenit intellectui ad viſionem non poteſt diſtingui ab ſpecie impreſſa. Conſequentia patet tum quia fictitiæ ſunt qualitates ſupernaturales non affines in ſuo munere præcipuo naturalibus, cum ordo ſupernaturalis ſolum ſit perfectio naturæ, tum etiam quia cognitionem eſſe intuitiuam, vel abſtractiuam ab eadem potentia non poteſt intelligi in naturalibus ex alio prouenire niſi ex differentia ſpeciei impreſſæ, nec enim ad hoc ponitur aliqua qualitas ex parte potentiæ, ſed ſolum diuerſus modus concurrendi ex parte obiecti: idem namque intellectus qui cum ſpecie abſtractiua cognoſcit abſtractiue colorem verbi gratia cum intuitiua videt intuitiue. Ergo cum ſpecie intuitiua ſupernaturali Dei quin ex alio cap. poſſit prouenire cognoſcet Deum intuitiue ſupernaturaliter.

Explicatur vt potentia quæ poterat attingere 5
aliquod obiectum abſtractiue ipſum attingat intuitiue (ſi aliàs talis potentia ſit in linea videndi intuitiuè, vt eſt intellectus præ imaginatione materiali, quæ non valet ad intuitionem eleuari) ſufficit ſola variatio ſpeciei impreſſæ. Id manifeſte patet experientia nam intellectus vti per ſpeciem abſtractiuam attingit abſtractiuè colorem abſentem, ſolo aduentu intuitiuæ ſpeciei intuitiuè colorem attingit. Ergo ſimiliter quin intellectui detur aliud adiutorium, quam ſola ſpecies intuitiua Dei, vti attingit Deum nunc in via abſtractiuè, poterit ipſum intuitiuè percipere. Nec refert viſionis ſupernaturalitas, nam illi ſatis occurretur ſi ſpecies ſit ſupernaturalis; ergo de facto adiutorium luminis, quod aduenit intellectui nil aliud erit quam ſpecies impreſſa; hæc conſequentia ſuadetur, quia ſi ſemel ſatis adiuuatur intellectus per ſpeciem impreſſam, connaturalius eſt vt ipſius diuerſitati præciſe tribuatur quod cognitio ſit abſtractiua, vel intuitiua.

Tertio, eſto poſſibilis ſit viſio ſine ſpecie tamen 6 *Ex maiori naturalitate.*
per hanc illa connaturaliter fit, Primo quia connaturalius completur potentia intrinſece, quam extrinſece, ideo potius eleuatur per habitum quam per auxilium extrinſecum. Secundo Deus non facit ſe ſolo quod poteſt præſtare mediis cauſis ſecundis: hinc licet Deus adſit ſufficiens ſe ſolo præſtare concurſum obiectiuum ad cognitionem ſui, & aliorum

aliorum obiectorum in via, ſemper tamen admittitur ſpecies. Tertiò non implicat vt cum lumine identificetur ſpecies, & ſolum lumen præſtet vtrumque concurſum, & *obiectiuum*, & *ex parte potentiæ*, ne ergo multiplicentur entitates connaturalius totum tribuitur lumini. Ita videtur ſentire S. Thom. dum hic lumen vocat *ſimilitudinem eſſentiæ diuinæ*. item quodlib. 7. art. 1. ſic concludit in corpore: *lumen gloriæ facit hoc reſpectu diuinæ eſſentiæ in intellectu, quod facit reſpectu aliorum intelligibilium, quæ non ſunt lux tantum, ſed ſpecies rei intellectæ ſimul & lumen.*

7 *Sententia negans.* Faſol. Valentia. Molina. Suar. Salas. Recupitus. Meratius. Herice.

Secunda ſententia communiſſima vt ait Faſolus hic dub. 8. num. 25. & omnino certa, & extra controuerſiam, vt ait Valentia hic punct. 2. negat dari ſpeciem de facto. Ita præter Authores, qui eam omnino inficiantur poſſibilem diſp. ſeq. Molina, Suarez, & alij innumeri, quos referunt, & ſequuntur Salas 1. 2. tract. 2. diſp. 5. ſect. 2. num. 19. Faſolus, & Recupitus ſuprà, Meratius diſp. 9. ſect. 1. Herice diſput. 42. cap. 3. Fundamentum eſt quia ſuperflui: ſpecies in præſentia obiecti ſicut ſubſtitutum in præſentia principalis, ideoque Angelus non vtitur ſpecie ad cognitionem ſui, Deus autem præſentiſſimus eſt intellectui beati. Ergo ſimiliter quantumuis ſpecies impreſſa admittatur poſſibilis, de facto tamen admittenda non eſt in Beatis.

SECTIO II.

Vera ſententia.

8 *Argumenta pro neceſſitate ſpeciei, ſi ſemel poſſibilis eſt.*

Mihi ſatis probabilem reddunt exiſtentiam ſpeciei de facto. Si ſemel admittatur poſſibilis, hæc argumenta. Primum voluntas nulla præſentia reali boni contenta eſt niſi bonum intentionaliter adſit, nempe per cognitionem: ergo neque intellectui ſufficiet præſentia realis obiecti niſi intentionaliter adſtet per ſpeciem. Conſequentia probatur; ita ſe habet appetitus in bonum, & oritur ex bono, ſicut *eſſe* effectus ex *eſſe* cauſæ: Ergo ſicut appetitus intentionalis præ appetitu reali, & innato requirit ſpeciale bonum intentionale, ita & *eſſe* intentionale cognitionis exigit eſſe intentionale in cauſa, quin ſufficiat *eſſe* reale obiecti, ſicut non ſatisfacit voluntati præſentia realis boni, niſi etiam ſit intentionalis, & cognita.

9 Secundum poteſt obiectum eſſe improportionatum ad concurrendum ob ſuam materialitatem, ob quam improportionem ſupplendam detur ſpecies, quantumuis obiectum præſens ſit realiter: ſic indiget Angelus ſpeciebus ad cognoſcendas res corporeas præſentes: ergo è contra poteſt obiectum ob nimiam ſuam immaterialitatem eſſe ita improportionatum, vt requiratur ſpecies temperans eam immaterialitatem. Conſequentia hæc probatur, quia non minus cauſat improportionem exceſſus immaterialitatis obiecti, quam defectus: ideo ſpiritus non poteſt concurrere per modum obiecti cum potentia materiali; non autem minus excedit immaterialitas Dei intellectum creatum, quam ſpiritus potentiam corpoream: ergo vt attemperetur immaterialitas Dei, & quaſi per *condeſcenſum appareat*, vt loquitur Chryſoſtomus citatus diſput. 22. §. 6. admittenda eſt ſpecies.

10 Tertium non poteſt dari ſpecies, cui implicet commenſurari virtus potentiæ: ſemper enim potentia valet cognoſcere quidquid continet in actu primo ſpecies, qua vtitur; alioqui, cur etiam data poſſibili ſpecie impreſſa Dei, repugnaret ſpecies comprehenſiua. Sed nulla potentia creata poteſt ita commenſurari concurſui obiectiuo eſſentiæ diuinæ in actu primo; aliàs cōprehenderet Deum: ergo Deus nequit præſtare per ſe talem concurſum. Confirmatur incomprehenſibilitas Dei non ſolùm repugnat comprehenſioni formali creatæ, ſed etiam virtuali, ſeu quod detur ſpecies comprehenſiua Dei etiamſi aliunde ſpecies quidditatiua intuitiua non implicaret: ergo repugnabit quod præſtetur concurſus obiectiuus in cognitionem creatam ab obiecto ex ſe continenti comprehenſionem Dei: ſic enim ex parte concurſus obiectiui non repugnaret comprehenſio creata Dei.

Cenſeo tamen abſolutè non dari de facto ſpeciem impreſſam Dei. Diſcrimen de amore requirente ſemper præſentiam intentionalem boni deſumendum eſt ex eo quod cognitio requirit *eſſe* intentionale in cauſa titulo participandi illud in ſe, non participatione formali, ſed extrinſeca, quare contenta eſt cognitio, ſiue tale *eſſe intentionale* detur formaliter in cauſa, ſiue eminenter, quod proprium eſt participationis effectiuæ effectus cuiuſuis, etenim æquè bene calor producitur ab alio calore, quàm à Sole, qui eſt eminenter calor. Hinc igitur cognitio de Deo petit quidem cum ſit quaſi *Deus intentionalis* dari in potentia, ſeu principio ſui Deum vel intentionalem formaliter, vt in ſpecie impreſſa vel intentionalem eminenter, vt in ipſo *eſſe* reali Dei. Iam verò amor requirit præſentiam boni vt feratur in illud; ob quod non eſt contentus, niſi bono formaliter intentionali: nam licèt in ordine ad cauſandum eâdem ratione ſe habeat *eſſe formale*, & *eſſe eminentiale*, non tamen ſe habet eodem modo in ordine ad terminandum appetitum, ſic materia ſublunaris, quæ appetit formam ignis, non eſt contenta ſole, in quo eminenter eſt ignis; & homo peccator ita amat bonum delectabile vt non ſit contentus bono infinito eminenter creatum continente. Per quod patet ad primum argumentum, in §. 8. 11 *Cur amor præ cognitione prærequirat præſentiam intentionalem ſui obiecti.*

Ad ſecundum in §. 9. reſpondeo totam improportionem non ſe tenere ex parte Dei obiecti, qui eſt ſumme intelligibilis, ſed ex parte potentiæ ad ſupplendam autem improportionem potentiæ non inſtituitur ſpecies, quæ ſolùm datur, quando improportio ſe tenet ex parte obiecti. Ad tertium reſpondeo ſufficere quod virtuti obiectiuæ diuinæ eſſentiæ commenſuretur cognitio increata, ad quam ordinatur, reſpectu cuius ſolius, erit comprehenſio virtualis. 12 *Improportio ad viſionem ſolum eſt ex parte potentiæ.*

Rationem pro excluſione ſpeciei de facto ſic formo ex communi fundamento. Species impreſſa non datur reſpectu cognitionis, reſpectu cuius eſt obiectum proportionatum ad concurrendum per ſe immediatè, ſed Deus eſt obiectum proportionatum, vt per ſe immediatè concurrat in ſui viſionem: ergo non datur ſpecies impreſſa reſpectu viſionis Dei. Maior probatur, tum quia ſpecies inuenta eſt à Philoſophis vt vicaria obiecti; tanquam ſemen, & inſtrumentum illius ſubſtituens concurſum in obiecti defectum, & improportionem, quem concurſum præſtiturum erat ipſum obiectum. Id patet ex Ariſtot. 3. de anima tex. 38. Auguſt. 10. de Trinit. cap. 5. *Cùm non poſſit anima ſecum introrſum tanquam in regionem incorporeæ naturæ ipſa corpora inferre imagines eorum conuo-* 13 *Speciei munus.*

luit, ac rapit: dum autem proprietarius operatur non indiget ſubſtituto, nec cauſa principalis inſtrumento ad effectum, quem ipſa immediate præſtat. Rurſus ſtante obiecto proportionato ad currendum ipſi ex natura rei debetur concurſus, cauſæ enim applicatæ ſine miraculo concurſus negari non poteſt, maxime ſi neceſſaria ſit quali comparatur obiectum. Superfluit igitur ſpecies cum adſtat proporcionatum obiectum ni admittatur duplex concurſus ex parte obiecti; nempe per ſe immediatè, & per ſpeciem. Denique nulla eſt formalitas, quam participare poſſit cognitio ab ſpecie, quam hautire non poſſit ab obiecto ipſo, cum in hoc tota ſpeciei virtus reſidear. Ergo ſpecies quando obiectum adeſt proportionatum ad concurrendum per ſe admittenda non eſt.

14 Minor propoſitio ſcilicet proportio Dei per modum obiecti ſuaderi ſolet, quia Deus elt præſentiſſimus intellectui beati, non minus quam ipſa ſpecies, quæ fingitur, item non minus quam ſubſtantia Angeli reſpectu ſui ipſius. Ergo ſicut ſpecies ſe ipſa concurrit, item Angelus ſe ſolo abſque ſpecie eſt proportionatus vt per modum obiecti concurrat in cognitionem ſui ſimiliter dicendum de Deo. Sed reſponderi poteſt non quamcumque potentiam ſufficere vt obiectum ſit proportionatum ad concurrendum niſi ita præſens ſit vt perficiat intrinſece, ſitque de intrinſeco complemento potentiæ intellectiuæ, quod habet ſpecies inhærens potentiæ, item ſubſtantia Angeli cum ſibi identificetur. Deus autem licet præſens ſit per immenſitatem extrinſecus ramen ſe habet reſpectu intellectus beati. Ergo è contra ſicut Angelus Gabriel licet penetratus cum Michaële non concurrit in cognitionem, quam habet Michaël de ipſo iuxta plurium ſententiam, nec poteſt Michaël vti ſpeciebus reſidentibus in Gabriele, nec Deus concurrere poterit obiectiue cum ſolum habeat hanc præſentiam penetrationis.

15

Proportio Dei, vt obiectiue concurrat. Probatur primo.

Ideo omiſſa hac inſtantia abſolute probo minorem illam. Deus eſt ſufficienter proportionatus vt per ſe immediate concurrat in viſionem ſui, item vt ſe ipſo formaliter reddat potentiam abſolute completam. Ergo ſi non ſtet per improportionem potentiæ, Deus quantum eſt de ſe eſt ſufficienter proportionatus vt concurrat per modum obiecti. Antecedens eſt certum, ſi loquamur de concurſu vtcumque, nam Deus vere concurrit in illam viſionem vti in omnem effectum creatum, & conſequenter per aſſiſtentiam Dei completur intellectus in ratione proxime potentis, vti cauſa ſecunda completur per primam. Conſequentia de concurſu per modum obiecti ſuadetur, nam licet non ſit idem concurſus obiectiuus, & concurſus titulo cauſæ primæ, cæterum vbi iſte præſtatur ſatis conſtat obiectum eſſe aptum ad concurrendum. Ergo ſicut ex hac pura exiſtentia cauſæ primæ potentia compleri poteſt, item & titulo illius continere formalitatem effectus ſcilicet rationem entis, quam alias ſecundum ſe non continebat potentia; ita ſimiliter poterit ſatis compleri vt contineat formalitatem repræſentationis in actu primo, quam in actu ſecundo communicet. Explicatur ideo obiecta cenſentur improportionata vt concurrant quia titulo abſentiæ vel materialitatis, (vel etiam quod careant ſubordinatione vt conſtituant vnum principium per ſe, ob quod vnus Angelus licet indiſtans non poteſt concurrere cum alio obiectiuè vt late explicat Suar. lib. 2. de Angelis cap. 1. vnde reſpondetur ab inſtantiam §. 14. ſiue)

Cur vnus Angelus non concurrat obiectiue vt videatur ab alio.

nequeunt concurrere. Ergo cum Deus licet purè aſſiſtens concurrere valeat improportionatus non erit.

16 Secundo hinc arguo quantumuis poſſibilis ſit qualitas vicaria in genere cauſæ primæ de facto tamen admittenda non eſt, neque item qualitas impulsûs ad motionem corporis nomine Dei, & vt inſtrumentum ipſius, ſed ipſe Deus per ſe immediate vtrumque concurſum præſtare debet ex natura rei. Ergo & concurſum obiectiuum ſine inſtrumento ſpeciei. Antecedens eſt omnino certum. Conſequentia probatur tum quia, ſi quæ eſt neceſſitas ſpeciei eadem fingi poteſt vt Deus indigeat impulſu ad mouenda corpora, vt ſcilicet moueat per formam inhærentem mobili, ne faciat Deus ſe ſolo quod poteſt mediis cauſis ſecundis, &c. Tum etiam quia ſicut totum *eſſe*, quod eſt in actu ſecundo, & motione reſplendet in ipſo Deo ſecundum ſe ita totum *eſſe* viſionis reſplendet in aggregato ex intellectu eleuato, & ipſo Deo aſſiſtente. Ergo concurſus obiecti quem petit viſio, ſatius ab obiecto ſic aſſiſtente præſtabitur immediate, quam per inſtrumentum medium; vti motus corporis ab obiecto præſente immediate oritur. Vnde confirmatur ita ſe habet impulſus ad motum ſicut ſpecies impreſſa ad cognitionem, vtraque enim eſt qualitas vicaria ſolo titulo improportionis, & abſentiæ cauſæ principalis inuenta. Sed preſente motore, licet pure extrinſece aſſiſtente, qui poſſit influere in motum non admittitur impulſus, ideo iſte reiicitur in motu vectionis, quando ſcilicet mouetur lapis in manu detentus. Item Deus non vtitur impulſu dum mouet corpora, nec item Angelus, aut viuentia dum non cauſant motionem indiſtans. Ergo nec præſenti obiecto potente concurrere dabitur ſpecies quantumuis obiectum non vniatur intrinſece potentiæ.

Secundo ex eo quod non moueat Deus medio impulſu corpora.

SECTIO III.

Obiectis ſatisfit.

17 Ad primum argumentum in §. 2. ex repugnantia concurſus obiectiui immediate a Deo præſtandi reſpondeo in ſpecie impreſſa ſolum ob imperfectionem accidentis requiri vnionem, & informationem, non autem titulo concurſus obiectiui, vt patet etiam in qualitate, quæ eſſet inſtrumentum cauſæ primæ: Item in impulſu; licet enim in his requiratur vnio, & informatio; non tamen titulo ſui muneris ſecundum ſe, & quantum eſt ex parte exigentiæ effectus vt ſupra vidimus. Hinc igitur nego intellectum debere eſſe intrinſece fæcundum, aut ſimilem in actu primo, niſi ſolum per denominationem extrinſecam ab obiecto exiſtente quemadmodum ex cauſa prima exiſtente; iam abſolute redditur proxime potens, & fæcunda cauſa ſecunda vt communicare valeat ſuo effectui rationem entis.

Species titulo concurſus quem præſtat non exigit vnionem cū potentia.

18 Dices vt obiectum concurrat cum potentia debere vniri cum illa, nec ſufficere hanc puram aſſiſtentiam & præſentiam localem. Primo quia eam habet Deus reſpectu intellectus noſtri in via, nec tamen eſt proportionatus vt concurrat obiectiue. Secundo, nec vnus Angelus licet penetretur cum alio habet ſufficientem aptitudinem vt concurrat, & per modum obiecti vniatur cum potentia, niſi inſuper admittatur ſpecies vt ait S. Thom. 1. part. quæſt. 56. art. 2. ad 3. Patres Dominicani cum Caietano

Quid ſit vnio obiecti cum potentia.

tano hic qu. 12. art. 2. ſine mira fingunt de vnione intelligibili, quæ intelligibilia non ſunt. Ego cenſeo hanc vnionem aliud non eſſe quam meram præſentiam localem obiecti reſpectu potentiæ proportionaræ, & habentis ſecundùm ſe facultatem cognoſcendi tale obiectum. Etenim ſicut alia comprincipia dicuntur coniungi, & vniri ad agendum præcisè quatenus ſunt ita præſentia, quin aliqua vera vnio intercedat vt pater in cauſa prima cum ſecunda (imo in ſole, & homine, hominem generantibus, nec hæc præſentia localis requiritur) non video cur non ſufficiat ſimiliter hæc coniunctio vt obiectum concurrat, & ſic faciet vnum in intelligendo cum potentia vt loquitur S. Thom. in 4. diſtinct. 49. quæſt. 2. art. 1. corpore quetenus cum intellectu coniungitur ad principiandum viſionem; ideo cenſui in libris de anima cum Valeſio, & pluribus Recentioribus, Hutt. Arriaga, & Ouiedo pro ſenſu tactus, & guſtus non dari ſpecies intentionales, quia ſatis obiecta ipſa concurrere valent ſiquidem ſenſionem non cauſant, niſi præſentia.

Conſiſtit in præſentia obiecti reſpectu potentiæ iam proportionatæ.

Cur Deus in via non concurrat obiectiuè.

Nec anima rationalis.

19 Dixi hanc vnionem vt ſit ſufficiens debere eſſe reſpectu potentiæ proportionatæ ſicut enim color non eſt ſufficiens ad ſpeciem mittendam niſi in oculum illuſtrarum lumine, *ita nec diuina eſſentia quamuis præſens ſit intellectui noſtro* (verba ſunt S. Thomæ quæſt. 10. de veritate, art. 11. ad 11.) *non eſt tamen ei coniuncta vt forma intelligibilis, ipſa enim mens non habet facultatem videndi Deum per eſſentiam antequam lumine gloriæ illuſtretur,* vnde neque ipſa anima ex S. Thom. in 1. diſtinct. 3. quæſt. 1. art. 2. ad 3. quamuis alias ſibi ſatis coniuncta ſufficiens eſt vt per ſuam eſſentiam ſe intueatur dum eſt in via per quod patet ad primam inſtantiam. Ad ſecundam de Angelo cenſeo cum P. Molina quæſt. 56. art. 2. Angelum indiſtantem poſſe per ſuam eſſentiam concurrere obiectiuè, licèt per ſe admittatur ſpecies, vt etiam diſtans cognoſci valear, quæ neceſſitas non militat reſpectu Dei, qui diſtare non poteſt. Deinde eſt diſcrimen, nam cum Deo coniungitur intellectus creatus per eſſentialem dependentiam in *eſſe*, & in *operari* titulo cuius dependentiæ non minus indiget concurſu Dei, & illi ſubordinatur in operando, quàm propriæ ſubſtantiæ, cui ineſt ipſa potentia intellectiua: vnde ſicut ſubſtantia propria poteſt concurrere per modum obiecti ob hanc dependentiam, & ſubordinationem ita etiam Deus; ſecus verò vnus Angelus, cui non ita ſubeſt alter & ob hanc rationem Dei ſpecialiter proprium eſt vniri per modum obiecti ſicut, & eſſe per *illapſum* in mente beatorum.

Nec Angelus.

Cur dicatur Deus illabi menti Beatorum.

20 Ad confirmationem in illo §. 2. reſpondeo difficultatem eſſe communem, etiamſi admittarur ſpecies; nam etiam hæc & producitur neceſſario ab obiecto, & mittitur ab eo ſecundum quod terminat viſionem. P. Meratius hic diſput. 9. neutrum putat abſurdum, nam cum influxus obiectiuus ſit vt cauſa particularis indiget ſemper concurſu vniuerſali omnipotentiæ, ex quo ſimpliciter euadet liber cum omnipotentia ſubſit voluntati liberæ Dei, item, & communis erit toti Trinitati ſicut omnipotentia, licèt qua obiectiuus, & particularis, & neceſſarius ſit. Ego tamen vtrumque vito: primum nam perfectio eſſentiæ diuinæ petit vt ſemper ſubſit voluntati omnis eius concurſus licèt particularis etenim particularis eſt quando Deus concurrit in defectum cauſarum ſecundarum & adhuc iſte concurſus etiam *vt particularis* liber eſt. Ergo ſimiliter *Deus pro ſuo arbitrio poteſt facere quod præſentata diuina eſſentia intellectui noſtro diſpoſito, ſiue ex ſe, ſiue per lumen gloriæ non videatur.* Ita loquitur Durandus in 4. diſtinct. 49. quæſt. 3. num. 4. Faſolus hic num. 31. cum Marſilio, Suarez & Salas ideo communiter dicitur eſſentia diuina ſpeculum voluntarium viatorum. Secundo vito cum Herice diſput. 40. cap. 4. quia licèt opus ſit quod obiectum concurrat realiter per id, quod obiicitur; non autem formaliter, nec enim cum albedo diſtans apparet ſub ratione confuſa & communi pallori ſpecies mittitur à ſola ratione communi formaliter: Igitur relationes diuinæ concurrunt per omnipotentiam communem omnibus non quidem titulo generali, quoad omnes effectus ad extra concurrit, ſed titulo ſpeciali intentionali, & intelligibili.

Concurſus obiectiuus eſt liber.

21 Ad ſecundum argumentum in §. 3. ex indiſtinctione luminis ab ſpecie, cenſeo ex illo potius concludi nihil dari præter potentiam, quod effectiuè concurrat, niſi eſſentiam diuinam adiuuantem concurſu obiectiuo ſupernaturali; tum quia intellectui ſic adiuto æquè correſpondent omnes formalitates viſionis; eſt enim in actu primo *vitalis, ſupernaturalis, & determinatus* ad viſionem: tum etiam perfectio cognitionis, ſi experientiam conſulas non minus creſcit ex influxu perfectiori immediatè præſtito ab obiecto quam ab ſpecie. Ergo cum præſentia Dei nullo indigeat ſubſtituto iuxta dicta potiùs negandum eſt lumen concurrere effectiuè, quàm eſſe ſpeciem impreſſam. Concilio autem Viennenſi ſatisfiet dum lumen ſit tamquam diſpoſitio ad hanc vnionem Dei per modum obiecti cum intellectu, ſicut ait D. Thom. quæſt. 8. de veritate art. 3. initio corporis, & hic art. 5.

Secundum argumentum multum probat.

22 Deinde argumentum Patris Vaſquez omnem concurſum obiectiuum, & neceſſitatem ſpeciei deſtruit, nam ſi lumen ſolum requiritur ad determinandam potentiam intellectiuam ad talem repræſentationem, totum hoc nulla habita conſideratione ad concurſum obiecti, ſiue immediatum per ſe, ſiue mediatum per ſpeciem præſtari poteſt. Cur enim repugnabit potentia cognoſcitiua determinata ad cognoſcendum vnum obiectum? hæc nullo concurſu obiectiuo indigeret iuxta Vaſquez. Ergo neque intellectus cum lumine, qui omnino vt ſic comparatur illi potentiæ: Vnde opus non erit vt aliud præſtet, quàm talis potentia. Igitur requiritur ad munus ſpeciei, vt ipſa ſit inſtrumentum obiecti eo titulo inſtituta vt præſtet concurſum, qui dandus foret ab obiecto ipſo ob communicandum *eſſe* intentionale viſioni. Hoc autem *eſſe* ſic non correſpondet lumini, nam ſicut ipſi ſecundùm rationem genericam *habitus* ſupernaturalis ſolum correſpondet ſupernaturalitas generica, ita ipſi, vt tali ſolum correſpondet ſupernaturalitas talis, ſeu repræſentatio non qua talis repræſentatio, ſed qua talis ſupernaturalitas, & & ideo vlterius requirit in principio aliquid, cui correſpondeat quà eſt Deus intentionalis, ſeu repræſentio Dei, hoc autem non poteſt præſtari niſi ſit ab obiecto ipſo, vel ab aliquo quod ſit virtus obiecti; cuius totum munus ſit ſubſtitui loco obiecti (quod de lumine dici non poteſt vt amplius dicam diſput. 28. aliàs non eſſet cur intellectus de facto non poſſet cenſeri ſpecies vniuerſalis omnium rerum, determinabilis tamen per alia requiſita tanquam per applicationem vt de ſpeciebus Angelorum dicitur.

Quid requiratur ad munus ſpeciei.

23 Confirmatio præterquam quod non probat ab-

Confirmatio in §. 3. inſtatur in amore supernat.

ſolutè ſpeciem vt notaui §. 21. Inſtatur manifeſte in voluntate, cui non ſufficit ad amorem ſupernaturalem ſola ſupernaturalis cognitio, licet hæc æquo gradu ſuperet cognitionem naturalem, qua voluntas naturaliter amat, ac naturalis amor exceditur à ſupernaturali: Item licet ex cognitione perfectiori voluntas perfectius amet, non tamen ſufficit cognitio ſupernaturalis ad ſupernaturalem amorem, niſi vlterius ipſi voluntati addatur maior virtus per habitum charitatis; alias enim gratia per Chriſtum non diſtingueretur à notitia legis, & doctrinæ vt volebat Pelagius. Neque valet ſi dicas habitum ſupernaturalem eſſe affinem naturali habitui, & ideo admitti poſſe in adiutorium voluntatis, non valet quia hæc affinitas ſoli nomini *habitus* innititur quod impoſitum fuit auxilio intrinſeco ſupernaturali præciſe, quia permanens eſt; cum tamen neque generetur ex actibus, neque facilitet in quo conſiſtit tota eſſentia habitus naturalis. Vnde arguo. Ergo ſicut cognitio ſupernaturalis nequit iuuare voluntatem niſi ſupponat eleuatam per habitum, ita neque obiectiuus concurſus ſeu ſpecies ſupernaturalis ſufficiet ad viſionem niſi intellectui iam eleuato per lumen; quod eodem titulo debet vocari *habitus*.

24

Species non eſt ſufficiens ad proportionandam potentiam.

Huius ratio a priori eſt, quia ponenda eſt quædam proportio in potentia, quæ non poteſt venire ab ſpecie, ſic potentia materialis non poteſt cognoſcere obiectum ſpirituale licet habeat ſpiritualem ſpeciem. Anima licet ſit ſibi ſpecies vt ſe cognoſcat intuitiue ſeparata vt tanquam extra controuerſiam ſupponit Suarez diſput. 35. Met. ſect. 2. num. 7. cum S. Thom. 1. part. quæſt. 89. art. 2. ob improportionem tamen potentiæ, dum eſt in corpore, non intuetur ſe. Tertio ſi Angelus inferior cognoſcat ſuperiorem per ſubſtantiam ſuperioris minus adhuc cognoſcet, quam ipſe ſuperior vti minus cognoſcit intellectus creatus quam diuinus, non quidem defectu ſpeciei, nam pono eſſentiam diuinam vtrique ſeruire vt ſpeciem. Ergo ex improportione intellectus: ſic etiam in naturalibus cum eadem ſpecie melius videt qui viget viſu quam cæcutiens vt ad præſens vrget optime S. Thom. 4. diſt. 49. quæſt. 2. art. 1. ad ſecundum ergo improportio, & inæqualitas potentiæ cognoſcitiuæ non poteſt tolli ab ſpecie, alias liceret omnem inæqualitatem cognoſcendi inter Angelum verbi gratia & hominem reducere in præciſam inæqualitatem ſpeciei. Ergo cum intellectus ſit improportionatus in ratione potentiæ, neque enim minorem improportionem habet, quam anima dum eſt in corpore ad cognitionem intuitiuam ſui, non poterit iuuari per ſolam ſpeciem niſi hæc ſupponat potentiam eleuatam per lumen.

25

Quando cēſeatur potētia proportionata in ratione potentiæ.

Quare ad confirmationem in forma conceſſo antecedenti nego conſequentiam. Ratio eſt quia ſpecies intuitiua ſupernaturalis non ita inuenit potentiam proportionatam ad cognitionem ſupernaturalem ſicut ſpecies abſtractiua naturalis ad cognitionem naturalem. Probationem conſequentiæ ſic retorqueo. Æqualis virtutis eſt ſpecies naturalis ad cognitionem naturalem ſicut ſpecies ſupernaturalis ad ſupernaturalem; ſed illa indiget potentia completa, & proportionata in ratione potentiæ (hoc eſt quæ ſimpliciter ſit *potens*, tituloque *potentiæ* ſimpliciter ipſi debeatur concurſus obiecti, ſicut enim cauſa ſecunda in ratione cauſæ ſecundæ completa cenſetur quando ipſi debetur concurſus cauſæ primæ ita *completam* voco potentiam in ratione potentiæ, cui debitus eſt concurſus obiecti dum per huius inſufficientiam, & improportionem ad concurrendum non ſtet, ſiue per ſe immediate ſiue media ſpecie, quo pacto certum eſt improportionem non dari ex parte Dei.) Ergo & ſpecies ſupernaturalis indiget intellectu per ſe completo, ſeu ſupernaturali, ac proinde cum naturali, & improportionato nequibit concurrere ad viſionem.

Vnde confirmatur. Ita ſe habet ſpecies ſupernaturalis cum intellectu ſupernaturali, ſi daretur ac naturalis cum naturali. Ergo ſicut ſpecies naturalis non valet concurrere cum potentia non attingente virtutem intellectus naturalis, ita nec ſpecies ſupernaturalis, niſi naturalis intellectus confortetur per lumen, quo pacto æquiualet ſupernaturali intellectui. Confirmatur ſecundo inſtantia ita ſpecies ſpiritualis excedit ſpeciem materialem ſicut viſio ſpiritualis materialem, & adhuc potentia quæ valet cum materiali ſpecie elicere viſionem materialem, non ideo cum ſpirituali poteſt ſpiritualem, quidquid ſit de perfectione adiutorij, ſed requiritur peculiaris proportio ex parte potentiæ vt poſſit vti tali ſpecie. Ergo ſimiliter hic dico potentiam naturalem non valere per ſe vti ſpecie ſupernaturali. 26

Improportio ſimpliciter ex parte potentiæ nunquam tollitur ab ſpecie licet tollatur improportio ſecundum quid.

Neque obſtat quod per ſpeciem aliquando proportionetur potentia ſic cum æquali potentia melius videt qui intenſiorem habet ſpeciem, imo ſenes ideo vtuntur perſpiciliis vt quæ non videbant iam videre poſſint. Hoc non obſtat nam etiam idem contingit in cognitione reſpectu voluntatis, imo in applicatione reſpectu ignis, qui magis comburit, quo magis applicatur. Igitur ſicut hoc contingit in igne, quin ipſi adueniat noua virtus, & continentia effectus ita potentiæ vt potentiæ per ſpeciem noua virtus non accedet, ſed ſolum applicatur obiectum alias impotens ad concurrendum cum potentia, potente quidem abſolute in ratione potentiæ: alias ſi potentia deficeret vt in læſione pupillæ vel organi viſualis nulla ei ſpecies mederetur. Ergo cum non minus ſit impotens intellectus ad viſionem Dei, quàm potentia viſiua materialis læſo organo ad videndum colorem, per nullam ſpeciem proportionari poterit ſicut neque oculus. De quo plura in art. 5. S. Thomæ; nam ad præſens minus profecto vrget tota hæc doctrina, cùm enim negari nequeat etiam ex parte potentiæ inueniri poſſe improportionem, & inſufficientiam, quæ ab ſpecie non curetur vt dixi §. 24. cur potius defectui ſpeciei, quā defectui luminis diſtincti tribuitur inſufficientia intellectus naturalis vt videat Deum. 27

Cur intellectus adiutus ſpecie intuitiua ſolâ naturali faciat viſionem naturalem, ad ſupernaturalem vero non ſufficiat ſpecies intuitiua ſupern. Vide diſput. 28. à §. 3.

Explicatio poſita in §. 5. nil plus conuincit fateor quando potentia ſecundum ſe eſt proportionata cum obiecto, talis ſcilicet quod debeatur ipſi concurſus obiectiuus ad intuendum obiectum præſens, fateor inquam tunc ſatis eleuati per ſolum adiutorium ſpeciei intuitiuæ, alioqui ſpecies erit ei inutilis taliſque potentia inepta vt illa vtatur, ſicut quando potentia ſimpliciter, eſt extra lineam viuendi ſpiritualiter, nil ei prodeſt quod infundatur ipſi ſpiritualis ſpecies, quia illa vti non poterit. Nunc vero ſi loquamur in ordine ad viſionem naturalem intellectus potentia proportionata eſt vt ipſi debeatur concurſus in intuitionem obiecti verbi gratia coloris ſi iſte præſens exiſtat: Ideoque ſola variatione ſpeciei abſtractiuæ, vel intuitiuæ intellectus percipit abſtractiuè, vel intuitiuè. Quod non contingit in ordine ad viſionem Dei, patet namque Deum eſſe nobis intimum, & præſentiſſimum, & nihilominus non debetur nobis concurſus 28

obiecti

obiectiuus. Ergo ſimiliter quantumuis adeſſet ſpecies impreſſa.

Quando auxilium ad actus vitales debeat eſſe intrinſecum?

29 Tertium argumentum in §. 6. inſtatur in primis in qualitate impulſus vt dixi §. 16. Ad primam probationem reſpondeo auxilium requiri intrinſecum potentiæ, cum datur titulo ipſius potentiæ, ſecus quando datur loco, & nomine cauſæ extrinſecæ, ſicut ſemen quia concurrit nomine Patris non debet matri inhærere; hinc patet diſcrimen inter lumen, & ſpeciem ſecundùm concurſum obiectiuum, hic enim poteſt venire ab aliquo extrinſeco connaturaliter, cum fiat nomine obiecti extrinſeci concurſum autem luminis connaturaliter petit venire ab habitu intrinſeco cum detur titulo ipſius potentiæ intrinſecæ. Ad ſecundam probationem, reſpondeo imo Deus non vtitur cauſis ſecundis concurrentibus nomine ipſius, ſeu ad opera, quæ ipſi vt cauſæ particulari tribuuntur, ideo non admittit inſtrumentum, ad creandum, ad concurſum generalem ad motionem corporis, &c. ergo nec admitter ſpeciem. Tertia probatio benè fortè vrgeret ſi ponenda foret ſpecies diſtincta à Deo, & à lumine. Cæterum concurrente Deo immediatè non multiplicantur entitates. Dixi *fortè* quia puto ſpeciem formalem non poſſe identificari cum lumine ſicut cenſeo cum P. Suar. lib. 2. de Angelis, cap. 3. implicare intellectum creatum, qui non indigeat ſpecie diſtincta ad cognoſcendum: ergo idem dicendum de lumine. Neque opponitur S. Thom. dum lumen appellat ſimilitudinem Dei, ſermo enim eſt de ſimilitudine participata non verò formali. Quodlib. autem 7. art. 1. expreſsè aſſerit lumen ſe tenere ex parte potentiæ; & quidem ſi lumen facit in intellectu beati, quod facit reſpectu obiecti quando obiectum ſimul eſt ſpecies ſui: ergo lumen non eſt ſpecies; etenim reſpectu obiecti quod ſeipſo ſpecies eſt nequit lumen intellectus obire iterum ſpeciei officium.

DISPVTATIO XXV.

Vtrum ſaltem de potentia abſoluta poſſibilis ſit ſpecies impreſſa ad videndum Deum.

SECTIO I. *Aliorum iudicia, & fundamenta.*

SECTIO II. *Repugnantia ſpeciei impreſſæ ſpeciali ratione defenditur.*

SECTIO III. *Nouâ aliâ ratione confirmatur repugnantia eiuſdem ſpeciei impreſſæ.*

SECTIO IV. *Obijciuntur aliqua, & ſoluuntur contra rationes poſitas.*

SECTIO V. *Aliæ communes obiectiones pro ſpecie ſoluuntur.*

Vide infrà qu. 12. art. 2. dub. 5.

CELEBERRIMA eſt quæſtio hæc ſi quæ alia in hac materia de viſione, in qua licèt plurima miſceantur de nomine, de re tamen plurima etiam controuertuntur, res autem maximè conſiſtit in eo quod definiatur vtrum poſſibilis ſit qualitas aliqua creata vi cuius ſuppleatur concurſus obiectiuus Dei totaliter, vel partialiter, ſiue vocetur ſpecies ſiue non.

SECTIO I.

Aliorum iudicia & fundamenta.

Pro poſſibilitate ſunt Scotus. Aureol. Mairon. Ricardus. Maior. Peſant. Molina. Suarez. Vaſquez. Salas. Valentia. Becan. Faſol. Meratius. Herice. Auerſa. Arriaga. Martinon.

ESſe poſſibilem à fortiori tuentur, quia eam ponunt de facto diſp. præced. & prætereà Scotus, Aureolus, Maiton, Ricardus, Maior, Peſantius, Molin. Suar. Valentia, Salas, Becanus, quos refert, & ſequitur Faſolus hic art. 2. dub. 10. Meratius diſput. 8. Herice diſput. 40. Auerſa diſput. 12. ſect. 19. Arriaga tom. 1. in 1. part. hic P. Iuan Martinon diſp. 8. ſect. 5. Mouentur primo, Dei potentiæ non eſt negandum quod manifeſtè non conuincitur repugnare, repugnantia autem ſpeciei manifeſtè non conuincitur, cum omnes implicantiæ rationes ad ſummum probabilitatem attingant. Secundo à paritate ſpeciei expreſſæ, quam admittendam dixi diſput. 23. & in ea à fortiori inſtantur repugnantiæ contra impreſſam. Tertiò licèt per ſe neceſſaria non ſit, ſpecies vt Angelus ſe cognoſcat, nequeatque Angelus eſſe improportionatus per modum obiecti ad ſui viſionem adhuc talis ſpecies eſt poſſibilis: ergo ſimiliter in Deo. 1

Pro impoſſibilitate Thomiſtæ omnes Granadus. Arrubal. Tannerus. Recupitus. Ioſeph. Aug. Franciſcus de Lugo. Marc. Ant. Palumbus.

Eſſe impoſſibilem tuentur ex antiquis præcipui, ex Thomiſtis omnes: ex noſtris Granados, Arrubal, Tannerus, Recupitus, Ioſephus Auguſtinus, Lugo, Palumbus hic, ex Recentioribus in manuſcriptis non pauci. Fundamenta pro vna ſententia tot ſunt, quot capita: Decem & ſex eruditè verſat & ſoluit Faſolus ſupra; hæc reduxit ad octo Recupitus lib. 6. quæſt. 21. & cum nullum ſatis firmum reputet eis alia octo ſuperſtruit, quibus firmentur. Ego hæc, & ſimilia omittens communiora ſolum proponam, & diluam. 2

Fundamentum Recentium Thomiſtarum Dominicanorum.

Primum fundamentum, & repugnantiæ ratio apud Dominicanos præcipua. Per ſpeciem inferioris ordinis non poteſt cognoſci quidditatiuè obiectum ſuperius, ſed omnis ſpecies creata eſt longè inferioris ordinis quàm Deus: ergo non eſt poſſibilis. Maior probatur, primò à priori quia ſpecies debet eſſe eiuſdem immaterialitatis, imo & eiuſdem quidditatis cum obiecto, vt ait S. Thomas quodlib. 8. art. 4. Secundò à poſteriori, nam ideo per ſpeciem corpoream nequit cognoſci Spiritus. Reſpondeo nego maiorem de ſpecie inferioris ordinis in *eſſendo*, id eſt, quæ ſit entitatis inferioris, nam per ſpeciem, quæ eſt accidens repræſentatur ſubſtantia: per ſpeciem tamen de re inferiori, id eſt, quæ repræſentat, & mittitur à re inferiori concedo non poſſe cognoſci rem ſuperiorem, & ſic per ſpeciem creaturæ non poteſt quidditatiuè cognoſci Deus, vt dixi diſput. 23. Ad probationem primam reſpondeo ſpeciem non eſſe eiuſdem quidditatis cum obiecto abſolutè, & in eſſe naturali, ſed ſolùm ſecundùm quid ita S. Thomas, ſuprà *ſpecies eſt quodammodo ipſa quidditas & natura rei ſecundùm eſſe intelligibile.* Quodammodo autem, & ſolùm intelligibiliter nil refert quòd creatura ſit Deus ipſe, nam noſtra cognitio in via quodammodo eſt ipſe Deus vt ex Auguſtino docet S. Thom. art. 2. ad 2. Item ſecunda probatio à poſteriori nulla eſt; nam nec per ſpeciem abſtractiuam attingitur Spiritus, cùm tamen abſtractiuè Deus per ſpeciem creatam cognoſcatur. Igitur eo ſolùm ſpecies corporea non poteſt dari de Spiritu, quia cùm Spiritus non cadat ſub ſenſu, conſequenter nec ſub ſpecie ſenſibili, quæ ſoli ſenſui ſeruire poteſt, ex quo potiùs dari poterit de ob- 3

Quo pacto ſpecies ſit eiuſdem ordinis cum obiecto.

iecto increato ſpecies intelligibilis, cùm Deus cadat ſub intellectu.

4 *Species non requiritur eiuſdem immaterialitatis cum obiecto.* Deinde arguo contra axioma vt ſumitur à Dominicanis immaterialitas requiſita ad ſpeciem, qua conuenire debet cum obiecto vel conſiſtit præcisè in independentia à materia corporea? vel in independentia ab omni ſubiecto, & potentia paſſiua, aut denique in æqualitate perfectionis cum obiecto. Si primum; omnis res ſpiritualis completa æqualis immaterialitatis eſt. Si ſecundum ſpecies Angeli non eſt eiuſdem immaterialitatis cum illo, ſiquidem Angelus Actus ſubſiſtens eſt, ſpecie verò inhærens, & dependens à ſubiecto. Tertium denique falsò requiritur, nam quis dicat ſpeciem Angeli æquè perfectam ac Angelum. Iam verò nulla alia immaterialitas in qua debeat ſpecies cum obiecto conuenire niſi pro libito fingi poteſt. Confirmatur (quidquid ſit de nomine ſpeciei expreſſæ) poteſt dari viſio, quin ſit eiuſdem immaterialitatis cum Deo. Ergo & ſpecies. Conſequentia probatur, tum quia viſio non eſt minoris immaterialitatis, quàm ſpecies, imo tota ſpeciei immaterialitas, ſicut totum eius *eſſe* eſt propter cognitionem vnde ſicut per ſpeciem materialem non poteſt cognoſci Spiritus, ita nec per cognitionem materialem. Ergo ſi hoc non obſtante poteſt dari cognitio creata de Deo, ita & ſpecies: tum etiam id patet ex appetitu elicito, qui ſi materialis ſit nequit tangere obiectum immateriale in cognitione tamen, quam requirit mouentem nomine obiecti non petit immaterialitatem æqualem obiecto, ſed ipſi appetitui. Ergo ſimiliter ſpecies ſoli immaterialitati cognitionis, ad quam concurrit debet proportionari.

5 *Probatur ex viſione Dei.* Deinde ſic vrgeo efficacius vel viſio beata eſt ſpecies expreſſa vel non? Si primum vrgens argumentum eſt ne debeat ſpecies impreſſa eſſe eiuſdem immaterialitatis cum Deo, vt iam fatentur Recentiores Thomiſtæ. Si ſecundum? Ergo ſpecies concurrens obiectiuè loco Dei non debet eſſe eiuſdem quidditatis, & immaterialitatis cum Deo hæc enim perfectio ideo requiritur in ſpecie vt ſit ſimilitudo obiecti; ſpecies autem ſimilitudo non eſt, niſi quatenus continet, & communicatura eſt ſimilitudinem expreſſam cognitioni; quæ probatio euidēter, ni fallor deſtruit quoad præſens quidquid roboris eſſe poteſt in hoc thomiſtico axiomate: *Et ex ipſa potentia cognoſcitiua.* ſimiliterque inſtari poteſt in potentia cognoſcitiua, quæ licet requirat conuenientiam in immaterialitate cum obiecto ob quod oculus corporeus non poteſt videre Angelum, poteſt tamen intellectus Deum, quia licèt Deus magis differat in ratione entis, quàm Angelus ab oculo; non tamen in proportione obiecti reſpectu intellectus, hoc diſcrimen reddentibus ipſis Thomiſtis. Ergo ita dici poterit de ſpecie; quare licèt per ſpeciem creaturæ non poſſit videri Deus, poterit per ſpeciem creatam vti ſubſtantia per ſpeciem accidentis nequit quidditatiuè cognoſci, bene tamen per ſpeciem accidentalem, quæ tamen iure dicetur non eſſe eiuſdem immaterialitatis cum ſubſtantia, quando hæc eſt actus ſpiritualis completus, ſumpta immaterialitate pro excluſione potentialitatis vt notaui §. 4. Si enim facit animam realem in corpore eſſe minùs immaterialem Angelo, quod informet corpus ita, & ſpeciem faciet eſſe minùs impotentialem, quòd ſit actus potentiæ inhærens.

Implicat per ſpeciē creaturæ videri Deum, non tamen per ſpeciem creatam.

6 *Non foret ſpecies comprehenſiua.* Secunda repugnantiæ ratio. Species intuitiua Dei foret comprehenſiua, & infinita. Primò, quia in *eſſe* intelligibili haberet quidquid Deus in *eſſe* reali, aliàs non foret propria Dei ſicuti eſt. Ita Thomiſtæ. Sed contra viſio eſt Dei ſicuti eſt nec tamen comprehenſiua. Secundò arguit Ioſephus Auguſtinus hîc. Omnis ſpecies intuitiua quantum eſt de ſe eſt comprehenſiua, tum quia ſpecies intuitiua præſtat, quod faceret obiectum, ſi adeſſet, obiectum autem ex parte ſui ſufficit ad comprehenſionem; tum etiam ſpecies intuitiua eò perfectiorem notitiam gignit, quò cum perfectiori potentia coniungitur, ſic videmus ſpeciem ſenſibilem cum oculo perfectiore ad perfectiorem viſionem concurrentem. Ergo ſi coniungeretur cum potentia comprehenſiua ſufficeret ad comprehenſionem. Conſequentia hæc probatur; nam ideo obiectum ex parte ſui ſufficit ad comprehenſionem quia quò creſcit potentia, eò perfectiùs influit. Sed contra in Angelo inferiori datur ſpecies intuitiua ſuperioris, non tamen comprehenſiua. Igitur intuitiua poteſt deficere à comprehenſiua, quia limitatur ex ſubiecto in quo recipitur; ſicut ipſa viſio limitatur, ne ſit comprehenſio ex limitatione potentiæ à qua efficitur: vnde ſpecies non ſupplet totum quod poſſet obiectum ipſum quoad perfectionem; neque quia creſcat cognitio pro maiori perfectione potentiæ ideo ſpecies cum potentia comprehenſiua ſufficeret ad comprehenſionem: nam totum hoc incrementum ſemper eſt intra ſuum ordinem inadæquatum obiecto.

Tertia ratio ſit: eſſentia Dei eſt ſuum *eſſe* id eſt purus actus excludens omnem potentialitatem; ergo nequit dari ſpecies Dei. Conſequentiam primò probant litterales Thomiſtæ, quia ſpecies debet eſſe eiuſdem immaterialitatis, ſeu actualitatis cum obiecto. Secundò alius politioris litteraturæ. Deus præ creatura, eo quòd ſit purus actus, petit vt potentiæ non diſtinguantur ab eius ſubſtantia, ſicut in nobis? Ergo ſicut nulla ratione poteſt Deus agere per potentiam diſtinctam, nec intelligere per virtutem proximam intelligendi diſtinctam, ita nec mouere obiectiuè per virtutem mouendi diſtinctam, qualis eſt ſpecies. Tertiò probat Pater Arrubal hîc, Deus eo quòd ſit purus actus ſeipſo eſt intelligibilis proximè; Ergo non poteſt conſtitui talis per potentiam diſtinctam, effectum enim, ſeu attributum, quod habet res ſeipſa nequit participare, nec in ſimili per formam diſtinctam: Sic repugnat habitus, qui facilitet potentiam ſeipſa facillimam & anima ſi ſecundùm ſe ſit proximè actiua adæquatè actuum vitalium implicat reddi actiuam per potentiam diſtinctam. Quartò Recentiores noſtri ſpecies non eſt, niſi forma, quæ ſupplet improportionem vel diſtantiam obiecti non potentis vel ſaltem non concurrentis actu in viſionem: hoc enim nomine ſpeciei omnes intelligunt, idque eſſe eius munus experientia docet, cum non alio titulo inuenta ſit; aliàs liceret potentiam aut etiam lumen vocare ſpeciem; ſed quidquid ſit de qualitate concurrente obiectiuè Deus tamen eo quòd ſit actus purus à quo omnia pendent in fieri, & in Conſeruari nullam habet improportionem; imo ſemper actu concurrit in ſui viſionem, ſicut in omnes creatos effectus, ergo repugnat ſpecies. 7 *Species non tollit quin Deus ſit purus Actus.* *Quod ſit munus ſpeciei.*

Maiorem habet veritatis, & ingenij ſpeciem hæc contra ſpeciem repugnantiæ ratio. Adhuc tamen nego conſequentiam. Ad primam probationem conſtat ex dictis ad primum argumentum, item ſpecies de ſubſtantia, eſt in potentia ad intenſionem, ſecus ſubſtantia cùm non ſit intenſibilis. Ergo ſicut in hac actualitate, & excluſione potentialitatis non debet proportionari ſpecies cum obiecto, 8

obiecto, ità & in aliis. Secunda probatio negat Deo omne inſtrumentum contra plurium Thomiſtarum placitum admittentium inſtrumentum ad creandum item ad mouendum corpus ſi loquamur de poſſibili: cur enim Deus nequibit imprimere impulſum, medio quo, proiectum moueatur? Igitur repugnat Deo præ creatura quòd ex neceſſitate vtatur virtute diſtinctâ; non tamen ex placito, ſic enim agere poteſt diſtincta virtute, vt cùm vteretur inſtrumento ad creandum; licèt nec ſic valeat intelligere per potentiam diſtinctam, nam cùm hæc potentia ſit virtus vitalis, oritur ex exigentia ſubſtantiæ, cui ineſt, & conſequenter neceſſaria eſt intelligenti, ac proinde, ſi Deus vtpote actus purus ſeipſo eſt virtus proxima, & formalis intelligendi, nequit aliam intellectiuam admittere, hoc enim eſſet illam ex neceſſitate exigere, bene tamen motiuam admittet, quæ vitalis non eſt, ac proinde, non det venire ex exigentia ſubſtantiæ.

Cur Deo repugnet inſtrumentum ad intelligendum, licèt non ad creandum.

9 Tertia probatio inſtatur Angelus ſeipſo eſt proximè potens intelligi, & adhuc admittit ſpeciem poſſibilem qua ſe intueatur, rurſus ſeipſo poteſt mouere corpus, & etiam conſtituitur potens per impulſum. Item Deus eſt proximè potens adæquatè cauſare calorem, & tamen conſtituitur ta'is per cauſam ſecundam. Deinde reſpondeo, Deus ſeipſo eſſentialiter non eſt proximè intelligibilis; ad hoc enim requirit per modum applicationis volitionem concurrendi: ſicut ergo quando obiectum, non eſt applicatum localiter, admittit ſpeciem, idem dici poſſet hìc. Quid enim refert defectum applicationis procedere ex hac cauſa vel ex alia; ſemper enim cùm verus defectus ſit, admittit æquè obiectum ſupplementum ſpeciei. Vlteriùs addo dupliciter fingi poſſe effectum aliquem ſeu attributum alicuius rei. Primò quod datur titulo talis rei, & ob eius exigentiam, & eiuſmodi eſt potentia vitalis vt dixi num. præcedenti ideoque nequibit admittere potentiam diſtinctam ab anima, qua ſeipſa ſit adæquatè proximè potens vnicè, eo enim ipſo vitalis non erit, cùm non ſit ex exigentia animæ. Secundò attributum datur titulo effectus producendi præcisè, & tunc res per denominationem extrinſecam poterit participare attributum, quod ſeipſa habet intrinſecè, quia ſcilicet iam locus datur vt per talem formam aliquis effectus realis præſtari queat non repugnans attributo intrinſeco. Hoc ſecundo modo ſe habet ſpecies, quæ cùm detur titulo effectus, vt ſcilicet cognitio participet formalitatem repræſentationis; licèt hinc veniat, quòd obiectum denominetur de nouo proximè intelligibile, rectè admitti poterit. Nequit tamen potentia ſeipſa facilis admittere habitum diſtinctum facilitantem, quia nomine *habitus* ſolùm accipitur qualitas non vtcunque minuens conatum potentiæ, ſed ad hoc ordinata exigentia, & indigentia potentiæ vt dicam Fuſiùs in opere Philoſophico.

Cur habitus, nec potentia diſtincta dari nequeat ſubſtantia ſeipſa facili & proximè intellectiua, poſſit tamen dari ſpecies proximè intelligibili.

10 Si hinc vrgeas quartam probationem vt ſimiliter ſolùm ſit ſpecies, quæ ordinatur ad proportionandum obiectum aliàs impotens. Reſpondeo, licèt improportio obiecti occaſio fuerit aſſignandi ſpecies diſtinctas, at vlterius apparere argumentum, titulo effectûs ſcilicet cognitionis, ob quod non concurrente obiecto ipſo neceſſarium ſit ponere aliquid eius nomine concurrens, vt ſic ſemper ſaluetur à potentia, & obiecto gigni notitiam. Hinc igitur quidquid concurrit obiectiuè modo ſufficienti vt per ſe neceſſarius non ſit immediatus obiecti concurſus iam ſpecies dicenda eſt. Dixi *vt per ſe neceſſarius non ſit* concurſus obiecti, quia licèt Deus nequeat non concurrere, dum tamen per ſe neceſſarius non ſit eius concurſus titulo obiecti ob præſentiam alicuius qualitatis, hoc ſufficiet vt talis qualitas ſit ſpecies in reipſa. (ſicut *impulſus* dicitur qualitas, quæ ſupplet immediatam motionem cauſæ principalis) Quæ ratio non militat in habitu, cùm plures formæ minuant conatum potentiæ, quin ideo potentia dicatur facilitari: vti cùm vna cauſa totalis attemperat ſuum concurſum ob præſentiam alterius, ideo vt aliqua forma ſit propriè *habitus* facilitans neceſſarium eſt vt non ſolùm vtcumque minuat, ſed quòd ſit ordinata ad minuendum conatum potentiæ; vt habeat ſic minuere conatum ex innata, & determinata ordinatione ſuæ naturæ. Lumen autem, & potentia intellectiua *ſpecies* non dicuntur, quia per eorum concurſum non fit ſatis ortui, quem ab obiecto petit cognitio ſicut in qualitate poſita. Quarta ratio repugnantiæ ſit, quam ingenioſè excogitauit P. Iuan. Martinez de Ripalda in manuſcriptis de viſione.

Quidquid concurrit modo ſufficienti vt per ſe neceſſarius non ſit obiecti concurſus in cognitionem ſpecies eſt.

Quid ſit habitus.

Deus concurrit liberè per modum obiecti ad ſui viſionem (nam perfectio Dei petit quod nihil efficiat non liberè, & ideo ex S. Auguſtino Deus dicitur *ſpeculum voluntarium beatorum*) ſicut concurrit liberè quatenus cauſa prima eſt: ergo ſicut titulo huius libertatis, & dominij cauſæ primæ non poteſt à ſe abdicare dominium hoc producendo qualitatem vicariam muneris cauſæ primæ, quia ſcilicet iam, illâ productâ, non maneret perfectiſſimus Dominus, vt pro ſuo libito ſuſpenderet effectus creatos, ita nec poterit producere qualitatem vicariam muneris obiectiui, ſcilicet ſpeciem, quia iam non poſſet pro libito ſuſpendere concurſum obiectiuum. Confirmatur liberum dominium quo Deus concurrit vt cauſa prima minuitur admiſſa qualitate ſupplente eius concurſum, licèt Deus alio titu'o, ſcilicet per modum obiecti, concurreret in viſionem, & ob hunc titulum poſſet illam impedire: ergo ſi minuitur dominium Dei, vt concurrentis per modum obiecti minuetur per hanc qualitatem, ſeu ſpeciem, quia licèt alio titulo, ſcilicet titulo cauſæ primæ poſſit ſuſpendere viſionem, at non per modum obiecti. 11

Quarta ratio pro impoſſibilitate ſpeciei, ex eo quòd Deus debeat liberè concurrere per modum obiecti habentis perfectiſſimum dominium.

Sed adhuc hæc ratio non conuincit; nam in primis tota ruit, ſi admittas ſpeciem impreſſam, quæ concurrit concurrente etiam Deo inadæquatè per modum obiecti; vt enim dominium Dei in genere cauſæ primæ efficientis permittit concurſum partialem creaturæ, ita ſimiliter hìc. Iam talis qualitas propriè obiret munus ſpeciei; cùm ſuppleat concurſum obiectiuum requiſitum. Deinde poteſt dici, quòd hoc habeat ſpeciale dominium cauſæ primæ, & generalis, vt nunquàm valeat abdicari, cuius rei claram rationem reddam in phyſicis; quæ non militat in concurſu obiectiuo; at dominium partiale abdicari poteſt. Sic Deus licèt plures effectus producat liberè, etiam vt cauſa partialis, verbi gratia, gratiam habitualem, non obſtante hac libertate, poteſt loco ſui, vt cauſæ partialis aliam cauſam creatam, ſubſtituere: ſic etiam in moralibus, licèt nequeat Deus priuare ſe dominio alto, quod habet titulo creatoris, poteſt tamen cedere aliis titulis, vt Saluatoris, &c. iam Deus obiectiuè ſolùm concurrit vt cauſa partialis. 12

Non conuincit.

SECTIO

SECTIO II.

Repugnantia ſpeciei impreſſæ ſpeciali ratione defenditur.

13 STo pro hac ſecunda ſententia, quæ licèt aliàs à primoribus noſtris non admiſſa iam tamen pluribus grauibuſque recentioribus placet, & quod plus eſt manifeſtum habet patronum S.Thomam, vt eruditè oſtendit diligens mentis eius indagator P. Ioſephus Auguſtinus hîc art. 2. diffic. 2. fatenturque Aduerſariorum plures, vt patet ex Herice diſp.40.cap.1. Rationem autem pro impoſſibilitate ſpeciei ſic formo.

14 *Repugnat entitas creata per ſe ſufficiens ad ſupplendum concurſum obiectiuum in viſionem caſu quo per poſſibile vel impoſſibile Deus non concurreret.*

Repugnat entitas creata, quæ ita concurrat in viſionem vt ex vi illius perſiſtere valeret viſio etiam Deo obiectiuè non concurrente. Ergo repugnat ſpecies impreſſa. Conſequentiam nemo negabit quidquid enim intelligi velis nomine *ſpeciei* certum eſt ipſam ita concurrere in viſionem, vt præſtet concurſum, qui neceſſarius eſt titulo obiecti in ipſa viſione, ac proinde iam talem concurſum, quantùm eſt ex ſe ſupplet. Quare licèt admitti poſſit, quòd adhuc concurrente obiecto, detur ſpecies non tamen, quòd ſpecies impreſſa ſit forma illa, quæ ita concurrit, vt per ſe ſit inſufficiens ſupplere obiecti concurſum: aliàs quid habebit talis forma præ intellectu vt cenſeatur concurrere obiectiuè voceturque ſpecies? Quid vt ipſi ratio imaginis,& repræſentationis in viſione correſpondeat, dicaturque eſſe intentionaliter ipſum obiectum.

15 Antecedens, in quo eſt difficultas hoc ſyllogiſmo oſtendo: repugnat creaturam rationalem perfectè beari alio bono quàm infinito ſeu dari illius perfectam beatitudinem per ſe ſufficientem, niſi à reali præſentia Dei vt obiecto. Sed ſi poſſibilis eſſet qualitas creata per ſe ſufficiens ſupplere concurſum obiectiuum Dei in viſionem, ſtaret per ſe loquendo noſtra beatitudo ſine Deo vt obiecto; Ergo repugnat talis qualitas. Maior probatur; nam bonum infinitum formaliter, *quà obiectum eſt*, & ſecundùm ſuum eſſe & præſentiam realem, realiter, & verè confert ad noſtram beatitudinem,& hac ratione beatitudo noſtra aliquid increatum, & infinitum imbibit, diciturque vnicè in bono infinito conſiſtere, in bono inquam, vt obiecto, non vt principio etiam beatitudo Bruti conſiſtit in infinito bono; Ergo implicat per ſe ſufficienter dari beatitudinem niſi à reali præſentia Dei vt obiecto. Minor oſtenditur, quia viſio per ſe non pendet ab obiecto præſenti, vbi datur ſpecies, ſeu qualitas illa in potentia, nam tunc obiectum ſolum habet munus terminandi, hoc autem nil confert viſioni ipſi,& hinc,quia creaturæ ſunt purus terminus reſpectu ſcientiæ Dei, Deus eadem claritate eas intuetur etiamſi realiter non exiſtant. Et rurſus intuitio materialis licèt nequeat exiſtere ſine obiecto quando obiectum per ſe immediatè concurrit, vt tactio ſine re tangibili bene perſiſtere valet ſine obiecto purè terminatiuo, ideo dum maneat ſpecies in potentia viſiua, manebit viſio licet obiectum viſibile pereat vti manet auditio tranſeunte ſono; & quia ſpecies ob reflexionem cum obliquis conueniunt, eadem ratione repræſentatur obliquitas in virga recta ſub aquis immerſa, ac ſi in re inflexa foret, & per conſpicilia multangularia apparet obiectum non minùs vbi eſt, quàm vbi non eſt: & conſequenter ſicut apparet in loco *A* verbi gratia obiectū, quod eſt in *B*.etiam eadem ratione apparet in *B*, licèt in *B*, non eſſet. Quam veritatem ſcilicet data ſpecie obiectum eadem ratione repræſentari ſiue exiſtat realiter, ſiue non, latè & efficaciter probant Molin.1.part.quæſt.55.diſp.2. membro 5.Quare Suar.3.de anima cap.11.Vaſq.1. part.diſput.38.num.9. Conimb. de anima cap. 6. quæſt.3.Rubius ibi quæſt.13.Murcia ibidem diſp.5. quæſtione 1. Franciſcus Amicus 1. part. diſput. 9. ſect 3. num. 47. S. Thom. 3. part. quæſtione 73. articulo 8.

Quo ſenſu dicatur noſtra beatitudo in Deo conſiſtere.

16 Explicatur argumentum implicat Deum communicare alicui creaturæ virtutem beatificandi formaliter, quà talem; virtutem inquam, beatificandi perfectè, qualem Deus ſeipſo præſtat, ſed data ſpecie poſſibili, ipſi communicaretur talis virtus; Ergo repugnat. Maior videtur clata, cui enim durum non ſit, quòd realitas Dei non habeat maiorem vim ſatiandi,& delectandi, quàm aliqua creatura. Deinde ſuadetur, tum quia cùm de perfectione bonitatis ſit ſatiare appetitum, & ipſi ſatisfacere; bonitatis infinitæ proprium debet eſſe ita ſatiare, vt in nullo finito bono eius virtus poſſit inueniri. Tum etiam quia non minùs bonitatis diuinæ proprium eſt *vt obiectum* vnicè beatificare, ac eſt perfectionis diuinæ, quòd ab ipſa vt à principio vniuerſali omnia pendeant,ſed implicat communicari alicui creaturæ virtus principiandi,& efficiendi ſic vniuerſalis,ergo & beatificandi. Minor propoſitio ſuadetur, nam virtus beatificandi formaliter, vt talis non exiſtit in Deo quatenus principio efficienti, ſed præciſè quatenus *obiecto*: Vnde eo commendatur excellentia bonitatis diuinæ vt præciſè poſſeſſa per viſionem beatitudini ſufficeret omnemque quietem & ſatietatem pareret, etiamſi vt à principio primo efficienti, vt tenet Salas tract.2. diſp.2.num.55. ab alio penderet; vti excellentia ſaporis in cibo titulo obiecti præciſè delectat in ſuo genere. At data ſpecie tota virtus obiectiua in ipſa reſideret, ita vt iam nil aliud per modum obiecti per ſe præſtaret Deus. Ergo tali ſpeciei communicaretur tota virtus beatificatiua formaliter.

Nulla res creata ſufficit ita ſatiare ſicut Deus.

17 Dices Dei eſt proprium vt nil præter ipſum poſſit ſatiare, non quidem per modum *concurrentis obiectiuè*, ſed per modum *termini* viſionis, & in hoc commendatur excellentia bonitatis Dei, cenſeturque noſtra beatitudo in ſolo Deo conſiſtere *terminatiuè* ſcilicet non autem *motiuè*. Sed contrà, plus confert ad beatitudinem noſtram, quod ſe habet *motiuè* dando *eſſe* & concurſum obiectiuum in illam, quàm quod eſt purus terminus,hic enim ad ſummum ſe habet vt pura conditio,imò per ſe exiſtens realiter non requiritur, vt dixi §. 15. Vnde licèt in re tantam perfectionem non habeat, eadem ratione quis beatificabitur; ſicut non minùs delectamur videndo colores apparentes in arcu iridis, quàm ſi veri eſſent. Ergo ſi ob excellentiam bonitatis Dei ipſi ſoli referenda eſt noſtra beatitudo, vt obiecto terminatiuo, etiam vt motiuo. Imo hinc arguo, ita eſt Dei proprium beatificare *terminatiuè* vt nulli rei creatæ poſſit hoc communicari; Ergo idem dicendum eſt de virtute motiua,ſeu concurrente *obiectiuè*, cùm huic potius vis beatificatiua tribuatur.

In Deo conſiſtit noſtra beatitudo nō ſolùm terminatiuè, ſed præcipuè motiuè.

18 Confirmatur primò prædictum argumentum perfecta beatitudo petit ne ſit in ſua vi beatificandi per ſe loquendo purè apparens, & illuſoria, ſed vera, & realis apprehenſio, & poſſeſſio ſummi boni.

Noſtra beatitudo per ſe loquendo eſ-

ſet phantaſtica ſi daretur ſpecies. boni. At datâ ſpecie impreſſa, per ſe loquendo, & quod attinet ad vim beatificandi, poſſet eſſe noſtra beatitudo in apparentia ſolùm, & phantaſtica, neque enim minus delectat,& datur viſio, dum manet ſpecies, ſiue in re exiſtat obiectum, ſiue non: ſic cenſer S.Thomas citatus ſuprà 3. part. qu. 73. art. 8. apparitiones miraculoſas, quæ fiunt in Euchariſtia non contingere, eo quòd ibi ſit in ſpeciebus conſecratis color ille, & figura *pueri*, qui apparet, ſed quia Deus immutat oculos mediantibus ſpeciebus impreſſis repræſentantibus quod non eſt: ergo non eſt admittenda ſpecies impreſſa Dei.

19 Confirmatur .2. & maximè vrgetur argumentum poſitum. Vis beatificandi, quam habet Deus per ſeipſum ſaltem in eo gradu, in quo Deo competit, talis eſt,vt præſtari nequeat per puram creaturam, ita vt in eadem excellentia & perfectione detur, quantumuis Deus per impoſſibile non eſſet. *Deus per ſe præſens non maiorem ſatietatem, & delectationem inferret, quàm abſens.* Quis enim ſtatim non apprehendat abſurdum, quod non poſſit ex ipſo Deo immediatè, & ſeipſo obiectiuè concurrente maior beatitudo, & felicitas, ſeu delectationis ſatietas ſperari naturæ rationali, quàm formaliter, & per ſe loquendo, venire poſſit ab aliqua re, & qualitate creatâ? Quis non tribuat ſummæ bonitati, & perfectioni Dei, quòd vt præſens, ſeu quia præſens eſt, ſpecialiter beare poſſit, ſpecialiorem cauſare delectationem, quàm ſit poſſibilis ſine Deo? Permitto aliquam beatitudinem poſſe dari ſine Deo concurrente, permittò quòd ſufficiat, vt aliqua beatitudo ſita dicatur in Deo ipſum Deum purè terminatiuè ſe habere: Permitto poſſe venire ab aliqua re creata magnam vim delectandi, quæ vtcumque ſatiare poſſit naturam rationalem, etiam ſine Deo præſente. At quòd à præſentia Dei nulla perfectior delectatio, nulla maior ſatietas venire poſſit, quis admittat? Tunc ſic ſed admiſſa ſpecie ad viſionem Dei, huius præſentia nil referret, nec inferre poſſet aut cauſare maiorem ſatietatem, nullatenus per ſe poſſet præſtantiùs beare naturam rationalem, præſtantiſſima namque omnium beatitudo eſt, quæ per viſionem contingit, viſio autem, vt ex dictis conſtat, poſita ſpecie per ſe non dependet à præſentia obiecti; ergo omnino neganda eſt ſpecies impreſſa poſſibilis ad videndum Deum. Explicatur in delectatione ſaporis, quæ ſi veniat per ſpeciem à nullo cibo quantumuis excellenti venire poteſt maior & gratior, eo quòd cibus ſit phyſicè præſens, neque cibus magis delectat, eo quòd ſit phyſicè præſens vti etiam contingit in colore iridis, verbi gratia, qui eâdem ratione gratus eſt, qua verus color. Ergo ſimiliter dicendum foret ſi Deus per ſpeciem impreſſam videretur.

20 *Data ſpecie viſio non eſſet ſummè clara.* Confirmatur 3. cognitiò eò clarior eſt de aliquo obiecto, quò obiectum magis per ſe, & immediatius ſe habet ad talem cognitionem, quo cognitio titulo repræſentationis directæ magis, & ſtrictiùs connectatur cum obiecto qua obiectum eſt. Sic clarior eſt cognitio intuitiua quàm abſtractiua; quia hæc nullo modo per ſe pendet à præſentia obiecti, nec cum illa connectitur, ſecus intuitiua: Rurſus in intuitiuis clarior eſt viſio obiecti proximi, quàm remoti, quia ſtrictiùs illud coniungitur. Et in ipſis proximis clarior eſt intellectualis, quàm corporea, quia illa tatò poteſt ſine obiecto conſetuari. Denique clarior eſt cognitio intuitiua, quæ habetur de obiecto apertis oculis, quàm quæ remanet de illo oculis clauſis, quia iſta ſolùm petit extitiſſe obiectum, at illa petit actualem præſentiam; ergo abſolutè loquendo, cognitio eò eſt maioris claritatis, quò ſtrictius connectitur cum obiecto vt obiectum eſt: Dixi *vt obiectum eſt*, nam alij tituli per accidens ſunt ad claritatem. vt titulus veritatis, iſte enim datur in actu fidei obſcuriſſimo: titulus connexionis ob efficientiam; nam iſte maximè datur quando anima cognoſcit ſeipſam, nec tamen hæc cognitio tam clara eſt, quàm viſio coloris, cùm tamen viſio connectatur cum colore ſolùm ex natura rei, cognitio verò cum anima eſſentialiter. Denique per accidens eſt in præſenti titulus neceſſitatis obiecti, verbi gratia, *bis ter ducta ſunt ſex*, vel *Deus exiſtit*, hæ namque cognitiones non attingunt viſionis claritatem. Nunc ſic argumentor, viſio beata eſt ſummæ claritatis; maioriſque longè, quàm hæ omnes cognitiones relatæ vt per ſe patet. Ergo connectitur eſſentialiter cum obiecto; quod vt ſuprà ſæpiùs dixi, non fiet admiſſa ſpecie impreſſa. Explicatur cognitio non potens non procedere immediatè, & adæquatè ab obiecto eſt ſummæ claritatis, cùm enim eò ſit clarior, quò magis coniuncta cum obiecto titulo obiecti, cùm in hoc caſu ſit ſummæ dependentiæ, erit etiam ſummæ claritatis. At viſio beata eſt ſummæ claritatis; ergo procedit neceſſariò immediatè, & adæquatè ab eius obiecto, & conſequenter ſine ſpecie.

SECTIO III.

Nouâ aliâ ratione confirmatur repugnantia eiuſdem ſpeciei impreſſæ.

Vt huius rationis efficacia appareat, ſupponendum eſt primò Deo eſſentialiter ita conuenire immediatum influxum in omnes effectus creatos,vt non ſolùm non poſſit ſe illo omnino abdicare, ſed neque eſſe poſſibilem qualitatem aliquam, quæ inſtrumentum ſit muneris cauſæ primæ, quam loco ſui ſubſtituat Deus ad munus cauſæ primæ immediatè influentis, vel illâ vt inſtrumento vtatur, medio quo ſolùm concurrat Deus, quin alium immediatum præſtet influxum per ſeipſum. Rurſus pro hac dependentia immediata creaturarum à Deo non ſufficit, quòd iſta dependentia ſit purè intentionalis, per meram ſympathiam, vel tanquam à conditione ſine qua non; ſed requiritur vera, & phyſica per verum influxum & efficientiam, quod modo probandum non eſt, ſed ſupponendum ex Philoſophis in tract. de cauſis, & ex Theologis in materia de peccatis. 21 *Implicat Deum ſe abdicare concurſu immediato cauſæ primæ.*

Suppono ſecundò, ita ſicut eſt Dei proprium quòd ſit cauſa prima à qua vt à principio, omnia dependeant, etiam eſſe Dei proprium quòd ſit obiectum noſtræ beatitudinis, quòd ſit ſimpliciter finis noſter, noſtra quies, & felicitas omnino ſatians, & delectans noſtrum appetitum, & deſiderium. Id etiam ſimpliciter; & abſolutè omnino certum eſt, tam apud Philoſophos quàm apud Theologos ſtatuentes Deum non minùs eſſe finem noſtrum, quàm principium, & ſicut noſtrum *eſſe* pendet à Deo, ita & beatitudinem perfectam ab ipſo pendere vt à fine iuxta Apocalypſ. 1. verſ. 8. *Ego ſum α & ω, principium, & finis*, *dicit Dominus*, ac ſaltem quis non videat maximè commendari excellentiam ſummi Boni, ſi ita in *eſſe* obiecti habeat conferre beatitudinem, ſicut in *eſſe* principij habet eſſe radicem omnis entis. Ergo ità ſentiendum eſt, ſiquidem quemadmodum dicitur abſolutè, quòd Deus ſit noſtrum *principium*, ita & dicitur 22 *Deo ita proprium eſt eſſe beatitudinem noſtram obiectiuè, ſicut eſſe cauſam primam.*

& dicitur *Finis* & ſimpliciter dicitur quod noſtra beatitudo conſiſtat in bono infinito, vtique vt *obiecto*, nam vt *Principio* etiam Beatitudo brutorum indiget Deo vt ſupra §.15. notaui.

23 *Vt finis non admittit conſortium, admittit verò vt cauſa prima.*

Suppono 3. hoc eſſe diſcrimen inter munus Principij, & finis reſpectu Dei, quòd ſcilicet illud munus Principij non conueniat vnicè Deo, ſecus munus finis, hoc habet ſpecialiùs Deus quatenus obiectum perfectè beatificans, vt quamuis admittat conſortium in ratione cauſantis principij, non tamen in ratione beantis obiectiuè, etenim in Deo vt obiecto non quomodocumque ſed vnicè conſiſtit beatitudo noſtra, neque aliquid creatum intrare poteſt vt partialiter concurrat tanquam obiectum nos beans, vt in ipſo conſiſtat partialiter noſtra beatitudo, ad modum quo partialiter à cauſa ſecunda producitur noſtrum *eſſe*. Ratio diſcriminis eſt quia ſi Deus ſolus, & vnice non foret noſtra beatitudo, ideo contingeret, quia ipſe ſolus non ſatiaret nos; quia adhuc alio bono indigeremus præter bonitatem Dei, quia bonitas Dei non foret nobis ſufficiens ad quietandum nos, quod argueret in Deo defectum bonitatis, & nondum eſſe nobis ſummum bonum; etenim cùm per viſionem beatam omnino perfectè teneamus bonitatem diuinam vt eſt in ſe, ſi adhuc alio indigeremus bono, manifeſtè id reduceretur in defectum, & inſufficientiam bonitatis diuinæ. At is defectus potentiæ, & virtutis non arguitur in Deo, eo quòd admittit conſortium ad producendum; ſiquidem id contingit eo quòd nolit vti omni ſua virtute, nec communicetur, quàm perfectè poteſt. Deinde ratio influendi per modum Principij efficientis perfectiſſimi non conſiſtit in eo quòd effectus vnicè indigeat illo, adhuc enim poteſt influere cauſa in actu ſecundo, & actione adæquata, licèt alia concauſa præſtet etiam ſuam actionem, quatenus nempe effectus perſiſtere poſſet ex vi primæ actionis, quantumuis abeſſet ſecunda. At verò ratio *Boni* perfectè beantis petit vt Beatus illo indigeat; ſi enim ita comparatur Beatus cum aliquo bono; vt illo non indigeat ad ſuam beatitudinem, multum derogatur excellentiæ talis Boni; Ergo licèt Deus in ratione *Principij* poſſit admittere conſortium cauſæ creatæ, ſecus in ratione *finis* ſeu obiecti.

Ratio diſcriminis.

24 *Munus beãdi ad cauſam finalem pertinet non ad purè efficientem.*

Supp. 4. Muneri finalizandi ſeu beatificandi, non competere cuilibet cauſæ cauſanti phyſice beatificationem, ſeu delectationem, ſed ſoli cauſanti obiectiuè; etenim delectatio vt talis ex obiectiuo concurſu formaliter deſumitur, ideo cibus eſt, qui delectat palatum non verò palatus ipſe, licèt iſte efficienter concurrat in delectationem. Sic etiam Deo non competit *delectare*, ſeu ſatiare appetitum ſenſitiuum, licet ipſe infunderet, & ſolus cauſaret huius delectationem ſenſibilem.

25 *Illa res dicitur abſolutè beare, quæ phyſice præſtat beatitudinem.*

Hinc quaſi à fortiori ſuppono 5. vt alicui tribuatur *beatificare*, ſeu delectare non ſufficere quòd vtcumque dependeat beatitudo ab illo, niſi dependentia hæc ſit phyſica, & per veram efficientiam ab ipſo, vt ab obiecto mediatè, vel immediatè concurrente obiectiuè, patet id ex ſuppoſitione præced. Si enim *influere* per modum Principij, licèt influxus iſte ſit phyſicus, non ſufficit vt delectatio iſta tribuatur tali Principio, & quòd Principium dicatur dare delectationem, à fortiori nil delectationis dabit res, quæ nil phyſicè præſtat: Præterea eſt ratio; illi rei tribuitur *delectare*, quæ dat delectationem, & conſequenter, quæ illam præhabet & præcontinet, nemo enim dat quod non habet, hæc autem ſi vera ſint efficientiam phyſicam inuoluunt; maximè ſi iſta poſſibilis ſit ab obiecto, vt verè poſſibilem, imo de facto euenire ſemper eſt certum, ſi quidem vel immediatè vel media ſpecie obiectum phyſicè influit in cognitionem ſui. Denique quia vetus, & realis color nullum influxum phyſicè præſtat in viſionem iridis, non dicitur quod quis contemplans iridem delectetur in vero colore, ſed in apparente. Ergo ſolùm illa res dicitur delectare, quæ phyſicè præſtat delectationem, & quidem obiectiuè vt dixi num. præced.

Ex his ſic arguo. Non minùs pertinet ad Deum vt obiectum, & bonum infinitum, quòd ab ipſo pendeat vt à beante, & delectante noſtra beatitudo perfecta, quàm ſpectet ad ipſum, vt Principium, eſſe cauſam primam à qua omnia dependeant in ſua entitate id patet ex ſuppoſ.2. Sed implicat etiam formaliter loquendo, quòd ex vi ſufficienti alicuius virtutis creatæ perſiſtere poſſit res aliqua ſine Deo vt Principio immediatè concurrente ideo implicat qualitas ſuppleus & ſubſtituens munus cauſæ primæ ex ſuppoſ. 1. Ergo implicat, quòd detur virtus creata per ſe ſufficiens ad beatificandum nos ſine Deo vt obiecto aliquid conferente; quod contingeret data ſpecie, vt ſæpius vidimus. Confirmatur Deo vt delectanti, ſeu beatificanti tribuenda eſt vltima noſtra felicitas, ſicut ipſi vt Principio primo tribuitur noſtrum *eſſe*, quis enim dubitet ex hoc maximè commendari Dei excellentiam, vt inquietum ſit cor noſtrum donec ſiſtamus in Deo. At nequit tribui felicitas, ſeu ſatietas Deo vt delectanti niſi veniat ab ipſo obiectiuè, & per phyſicum influxum ex ſuppoſ.4. & 5. Ergo hac ratione Deus debet concurrere. Non ſolùm *mediatè* vt patet à paritate concurſus cauſæ primæ, (vti enim eſſe primum Principium tribuit immediationem in ratione principij; ita eſſe finem vltimum, quæ eſt ſumma perfectio in ratione finis tribuet immediationem concurrendi in ratione talis) Nec ſolùm *partialiter*, aut admittens conſortium in ratione obiectiuè concurrentis vt latè dixi in ſupp. 3. Ergo Deus ſe ſolo ita influit obiectiuè, vt ſpeciei impreſſæ, ſeu qualitati vlli concurrenti ſimul repugnet. 26 *Formatur efficax probatio.*

Explicatur argumentum Deus vti habet munus cauſæ primæ, ita etiam habet eſſe obiectum noſtræ beatitudinis, vt implicet beatitudo, quæ non habeat Deum pro obiecto, vel quæ habeat aliud præter Deum, quod pertineat ad beatitudinem eſſentialem, iſta enim vnicè conſiſtit in Deo, quin aliquid creatum intret in ratione obiecti, vt docent omnes Theologi cum S. Thom. 1.2. quæſt. 2. art. 8. Atqui dependentia perfecta beatitudinis ab obiecto petit, quòd immediatè oriatur beatitudo, procedàtque phyſicè ab obiecto, vt obiectum eſt, vt patet tum à paritate dependentiæ à Deo vt à Principio, quæ neceſſariò immediata eſt; tum etiam quia admiſſa ſpecie præcipuum munus phyſicum obiecto deeſt, ſiquidem nil per ſe confert, imo formaliter loquendo per accidens ſe habet ſiue exiſtat, ſiue non, vt viſio & tota beatitudo, ſatietaſque in beato detur. Ergo ſpecies, & omnis qualitas obiectiuè concurrens ad viſionem Dei neganda eſt. 27

* * *

SECTIO

SECTIO IV.

Obiiciuntur aliqua, & ſoluuntur contra rationes poſitas.

28 CONtra rationem implicantiæ poſitam ſectione ſecunda maximè obiicitur Primò. Licèt admittatur poſſibilis ſpecies ad intuendum Deum, adhuc tamen requiri poteſt præſentia realis Dei per modum obiecti, eo quòd ea poteſt dici natura cognitionis intuitiuæ, vt quantumuis habeatur per ſpeciem, tendat tamen eſſentialiter ad obiectum vt præſens. Sed contrà, licèt verum ſit quòd cognitio *intuitiua* ex modo tendendi ſic repræſentet obiectum ac ſi eſſet realiter præſens; at conceptus intuitiuæ cognitionis non imbibit formaliter ipſam realem præſentiam obiecti, vnde intuitiua dicitur, adhuc viſio illa materialis, quæ maneret ſine obiecto, vt tenent Authores citati §. 15. maximè Molina quæſt. 55. art. 2. diſp. 2. membr. 5. §. *deinde mihi.* Iulius Cæſar Recup. tom. 1. de Deo lib. 2. quæſt. 5. cap. 2. num. 3. & quidquid ſit de quæſtione de voce *intuitiua*, verè tamen ſi Deus ipſe, & obiectum non concurrit, ſpecies eodem modo poteſt operari eandemque viſionem: ſiue obiectum exiſtat præſens re ipſa, ſiue non, vt patet ſi conſeruata eadem ſpecie intuitiua papyri, papyrus deſtrueretur; Ergo licèt per impoſſibile Deus deficeret adhuc eodem modo ſtaret viſio, & noſtra beatitudo per ſe loquẽdo, & ex ſufficientia ſpeciei impreſſæ.

Notitia intuitiua quomodo petat præſentiam obiecti?

29 Obij. 2. in hoc caſu licèt perſiſteret ſpecies, non tamen operaturam, nec per ſe loquendo eſſe ſufficientem ad ponendam viſionem in hypotheſi impoſſibili, quòd maneret ſpecies impreſſa intuitiua Dei ſine Deo præſente vt obiecto. Nam huiuſmodi ſpecies titulo ſuæ perfectionis dependet vt operetur à reali præſentia ſui obiecti tanquam à conditione ſine qua non, tum ob excellentiam viſionis beatæ, quæ ex hoc eodem titulo beatitudinis, quo petit eſſe veram, & realem poſſeſſionem ſummi boni realiter præſentis, prærequirit tanquam conditionem eſſentialem, vt ſpecies ipſam operetur realem præſentiam obiecti, quidquid ſit de aliis ſpeciebus intuitiuis; tum etiam à paritate ſpecierum, quæ infunduntur Angelis à primo inſtanti ſuæ creationis, etiamſi intuitiuæ ſint (vt tenent Theologi plures cum S. Thom. 1. part. quæſt. 55. art. 9. non ideo eæ ſpecies valent repræſentare intuitiuè obiecta, antequam exiſtant, ſed ab eorum reali præſentia vt à pura conditione dependent, vt in viſionem concurrant: Tum denique id manifeſtiùs contingit in intellectu diuino, qui per ſe completus eſt non minùs, quàm creatus cum ſpecie ad viſionem futurorum, & tamen dependet à tali futuritione, vt à conditione pura ſine qua non vt intuitiuè repræſentet futura. Ergo ſimiliter dici poteſt de ſpecie impreſſa ad viſionem Dei, quæ eſſentialiter pendeat; vt à conditione ſine qua non, à reali præſentia ſui obiecti.

30 Reſpondeo: doctrina hæc de dependentia cauſæ in operando ab aliqua pura conditione, quæ nil muneris phyſici præſtet in effectum, parum philoſophica eſt, & in caſu præſenti de ſpecie valde difficilis viſa Patri Ludouico de Molina diſp. illa 2. membr. 5. verſ. *Deinde* in 1. part. quæſt. 55. art. 2. vbi latè eam impugnat & ratio eſt, quia ſi ſine vllo munere phyſico has dependentias fingere liceret, plures phyſicæ influentiæ, & dependentiæ per verum influxum negari poſſent; vt explicentur ſine vlla efficientia per ſolam naturalem ſympathiam, & dependentiam, vt à conditione ſine qua non, plures dependentiæ, quas in argumentum immediatæ efficientiæ communiter adducuntur, verbi gratia non erit neceſſarium vt Deus immediatè concurrat ad id, quod pro ſuo placito poſſit ſuſpendere operationes cauſarum ſecundarum; nam poni poſſet diuina volitio quamuis purè extrinſecè ſe habens vt conditio ſine qua non ad tales operationes. Rurſus è contrà cauſæ creatæ non eſſet neceſſarium quòd phyſicè influant in effectus, vt ignis in calorem, ſed ſolùm quòd ille requiratur ad hunc vt conditio ſine qua non ſit à Deo. Item contra principia communia in noſtra ſocietatis Schola ſatis probata habitus charitatis, ſupernaturalis ſatis ſubordinaretur noſtræ voluntati in operando licèt ille ſit tota ratio agendi, & voluntas nil immediatè agat, quia ſcilicet habitus penderet à voluntate vt à conditione, ita vt ſine huius conatu licèt nil phyſicum præſtante in actum charitatis habitus non operaretur. Denique poſſet Deus præfinire efficaciter actum liberum ſine vlla directione præuia ſcientię mediæ, imo ſine vllo auxilio immediato prædeterminante; nam ſimiliter fingi poſſet, quòd talis volitio præfinitiua, licèt nihil phyſicum immediatè præſtet in actum, vel accipiat ab illo, connectatur tamen per modum conditionis ſine qua non, vt dicis de viſione.

Non poteſt cauſa dependere in operando à conditione purè extrinſeca nil muneris phyſici præſtante.

Probatur ex variis abſurdis.

Deinde quidquid ſit de hac doctrina, & de inſtantia de ſpeciebus Angelicis, de quibus dicam tract. de Angelis non eſſe adæquatam rationem obiectiuè agendi, ſed vlteriùs compleri, vel per ipſum obiectum reale immediatè, vel etiam per nouum concurſum omnipotentiæ ſupplentis defectum obiecti, vnde nulla eſt paritas ad ſpeciem impreſſam Dei, quam ponimus adæquatam in *eſſe* concurrentis obiectiuè. Item quidquid ſit de inſtantia ſcientiæ liberæ Dei, quæ nunquam eſt in exemplum adducenda cùm adeò ſupra humanum captum ſit myſterium actuum liberorum Dei. His tamen omnibus omiſſis, & permiſſis manifeſtum diſcrimen eſt in præſenti pro influxu obiectiuo in viſionem Dei ne fiat media ſpecie; nam vt conſtat ex ſect. præcedenti beatitudo noſtra, quæ indiſtincta eſt à viſione non ſolùm debet dependere ab ipſo Deo vt obiecto ſeu beante, & delectante tanquam à conditione, ſed tanquam ab immediatè conferente concurſum beandi: ſicut titulo Principij, & cauſæ vniuerſalis non aliter ſatisfit, quàm per hunc immediatum concurſum efficientem. Rurſus per beatitudinem debet ſummum bonum poſſideri & apprehendi, ac proinde beatitudo debet eſſe quaſi vinculum, & nexus, quo ſummum bonum habeatur; alioqui ſi ita non contingeret, quod beatitudo formalis ſit quaſi vnio, & nexus deitatis coniungens ipſam deitatem cum Beato virtus Spei ex obiecto in quod tendit non foret Theologica, ſi quidem Bonum, quod amaret per ſe, neque vt *quod* neque vt *quo* eſſet aliquid increatum. Tunc ſic ſed ſi Deus eſſet purus terminus, titulo viſionis, non iungeretur cum intellectu Beati, etenim ſolum obiectum qua concurrens, & motiuum vnitur cum potentia, non autem quando eſt purè terminatiuum; Ergo admiſſa ſpecie etiamſi penderet in producenda viſione à Deo, vt à puro termino per modum conditionis, perfecta beatitudo non ſtaret. 31

Solutio argumenti ex doctrina in ſect. præced.

Obiicies 3. Quamuis admiſſa ſpecie Deus non concurrat immediatè, concurret mediatè, vnde vt medio 32

Non ſufficit

quòd Deus concurrat media ſpecie, vt inſtrumento.

medio hoc inſtrumento obiectiuè concurrat, requiretur præſentia realis Dei ad noſtram beatitudinem, tum vt mittat ſpeciem ſui, quod eſt formaliter munus obiecti, tum quia inſtrumentum operari non poteſt niſi motum, ſeu in virtute cauſæ principalis. Sed contrà, exiſtentia realis Dei vt obiecti ſi tota vis immediatè influendi detur in ſpecie impreſſa, per accidens ſe habet vt talis ſpecies ſit ſufficiens, influatque in beatitudinem; vnde oculus eodem modo videbit hanc papyrum ſiue ab ipſa, ſiue à ſolo Deo infundantur ſpecies, nec papyrus vt illas mittat, & mediis eiſdem, vt inſtrumento concurrat: ergo eadem ratione ſeclusâ exiſtentiâ Dei per modum obiecti, ſola continentia vniuerſalis, quàm habet Deus titulo principij, & omnipotentiæ ſufficiet ad conſeruandam ſpeciem, Deo vt obiecto nil præſtante, nec immediatè, vt patet, nec mediatè, ſpecies enim per ſe, licèt ſit inſtrumentum, eſt tamen ſeparatum inſtrumentum, quod poteſt operari in defectu cauſæ principalis, vt patet deficiente papyro, vel in ſemine, deficiente Patre. Addo ex ſect. 2. ſicut ad perfectionem primi principij pertinet, vt ab ipſo pendeant effectus creati, neque huic dependentiæ ſatisfit per cauſalitatem mediatam; eadem ratione excellentia bonitatis, & obiecti beatificantis requiret hanc immediatam dependentiam.

Varij tituli connexionis cum Dei præſentia reali.

33 Ex qua doctrina reijcitur vt inſufficiens quarta obiectio, & connexio, quæ poni poſſet in viſione cum exiſtentia reali Dei. Primò titulo *veritatis*, cùm enim ſit viſio eſſentialiter vera, & affirmet exiſtentiam ſui obiecti cum illo neceſſariò connectetur, licèt fiat per ſpeciem vt patet in actu fidei. Secundò titulo *effectus* creati, ratione cuius exigit primam cauſam præſentem, & influentem. Tertiò titulo *neceſſitatis* obiecti, ratione cuius non poteſt Deus non eſſe; ergo nec viſio poteſt eſſe ſine Deo. Quartò hoc eodem titulo *beatitudinis* perfectæ & poſſeſſionis Dei; nam ratione huius ſtare nequit ſine Deo, aliàs neque eſſet vera poſſeſſio nec beatitudo, ſed contra ex dictis reiiciuntur hæ tres priores connexiones, quia non ſunt titulo *obiecti beantis*, & poſſeſſi ratione ſui. Prima

Reijciuntur.

quidem vt apparet in ipſo actu fidei; item quia obiectum maximè concipitur beate, quatenus apprehenſiuè independenter ab affirmatione attingitur, vt exiſtens; quemadmodum patet in obiecto delectabili ſenſus, quod ſolum attingitur per ſimplicem perceptionem, & apprehenſionem. Secunda connexio reijcitur, quia abſolutè non dicitur quod delectatio ciborum conſiſtat in Deo, licèt ab eo pendeat vt à cauſa prima. Vt dixi præcedenti ſect. ſuppoſ. 4. ergo per hanc præciſam dependentiam non explicatur connexio cum Deo vt obiecto beante. Item titulus cauſæ primæ quatenus Deus eſt principium, requirit, quòd ita ratione illius pendeat à Deo effectus creatus, vt non fiat ſatis per dependentiam mediatam, vel ob alium titulum, verbi gratia, obiectiuum. Ergo ſimiliter titulo obiecti beantis, quatenus Deus eſt finis, non fiet ſatis, nec per dependentiam mediatam, nec per dependentiam ex alio capite. Sic enim non magis conſiſteret noſtra beatitudo in Deo nec magis ab illo penderet, quàm alius effectus, verbi gratia, calor, aut delectatio ciborum. Reiicitur etiam tertia connexio ſumpta ex neceſſitate ſe tenente ex parte obiecti, talis enim connexio eſt omnino inepta, cùm nec ſit ex vi viſionis, nec ex vlla dependentia huius ab obiecto. Quarta connexio bona eſt, & omnino ſufficiens, imo neceſſaria ad conceptum viſionis Dei: At dico illam ſtare non poſſe ſine immediata influentia Dei per modum obiecti, vt ſatis conſtat ex dictis à ſect. 2.

Implicat qualitas creata, quæ concurrat obiectiuè in viſionem, etiam partialiter.

Obiicies 5. ex rationibus allatis non impediri 34
quominus admittatur poſſibilis qualitas aliqua, quæ partialiter cum Deo concurrat concurſu ſimili ſpeciei impreſſæ, & per modum obiecti; tum quia poſita hac ſpecie impreſſa ſic partiali, tunc Deus adhuc phyſicè conduceret ad noſtram beatitudinem, neque iſta ſtare poſſet ſine præſentia reali Dei per modum obiecti, ſiquidem ſtare nequit ſine concurſu obiectiuo adæquato: tum etiam quia ſic ita penderet beatitudo creata à Deo vt ab obiecto, ſicut vt à principio, nam à principio dependet admiſsâ creatâ concausâ. Reſpondeo: nec admittendam eſſe qualitatem creatam ſic partialiter obiectiuè concurrentem, tum primò, quia ſic, ex parte, creatura nos bearet taliter, vt ſaltem ex parte, Deus non requireretur obiectiuè: eſt autem abſurdum non ſolùm in eo quòd Deus abſolutè non requiratur ſecundùm eius præſentiam realem per modum obiecti; ſed quòd non requiratur *vnicè*. Explicatur: abſurdum eſt quòd noſtra beatitudo partialiter conſiſtat in bono creato, & quòd niſi hoc viſo ex parte obiecti perfectè non ſimus beati quoad ſubſtantiam. Vnde Deus debet eſſe *vnicus* per modum termini viſi per viſionem beatam; at per ſe loquendo quâ non concurrit obiectiuè ratio termini, potiùs eſt beatitudo à creatura, quàm à Deo, potiùs creatura quàm Deus confert talem beatitudinem; quemadmodũ namque ſi Deus foret omnino purus terminus, iam creatura omnem beatitudinem conferret, ita ſi partialiter: item quia ſicut ratio perfecta obiecti terminantis viſionem, & ſimpliciter beantis petit immediatè concurrere obiectiuè; ita ratio *adæquatè beantis*, vt perfectè Deo competat exiget adæquatè, & vnicè concurrere. Secundò iuxta dicta ſect. 3. ſuppoſit. 3. manifeſtum eſt diſcrimen, cur Deo potiùs competat eſſe vnicum in ratione obiecti, quàm in ratione efficientis; ſicut iuxta omnes licèt partialiter ſimus efficienter à principio creato; at nec partialiter conſiſtit noſtra beatitudo in creato bono, nec partialiter intrat bonum creatum ad terminandam viſionem, ſeu vt terminans eſſentialem beatitudinem. Confirmatur ſicut abſolutè competit Deo eſſe cauſam primam, ita & eſſe obiectum (vtique perfectè conducens in beatitudinem per obiectiuum concurſum immediatum) beatitudinis. At ſoli Deo competit, & vnicè eſſe cauſam primam, ergo ſoli Deo & vnicè competet eſſe obiectum beatitudinis.

Argumentum à paritate ſpeciei expreſſæ.

Obiicies 6. ſi abſurdum eſt nos ab aliqua re bea- 35
tificari niſi concurrente per ſeipſam reali præſentia Dei. Ergo noſtra beatitudo non debet conſiſtere in viſione creatâ, nam iam per locum intrinſecum etiamſi non exiſteret Deus, adhuc beati eſſemus; etenim viſio eadem ratione repræſentat intuitiuè obiectum, ſiue hoc in re detur, ſiue non: quare ſi beatitudo noſtra conſiſteret in viſione obiecti creati, licèt tale obiectum non exiſteret, conſeruari poſſet viſio, qua ſine exiſtentia reali obiecti bearemur. Vnde confirmatur obiectio: cognitiones intuitiuæ de obiecto creato etiamſi immediatè ab ipſo concurrente dependeant ſine interuentu ſpeciei, vt cenſeo de perceptione guſtus & tactus, adhuc per ſe ſtare poſſunt ſine reali præſentia obiecti: quidquid ergo diſcriminis hìc fuerit, vt potiùs viſio beata à ſuo obiecto realiter præſenti ſemper

per

per ſe dependeat, id aſſignari etiam poterit quamuis ſpecies poſſibilis admittatur. Confirmatur 2. nam quando ratio noſtra proponit vt abſurdum, quòd noſtra beatitudo dari poſſet ſine Deo vt obiecto realiter præſenti, vel loquitur in hypotheſi poſſibili, vel in impoſſibili? primum eſt falſum, nam omnino implicat Deum abeſſe per modum obiecti phyſicè,& real ter. Secundum etiam ſuadet viſionem ipſam debere conſiſtere in aliquo increato, ſic enim ſtrictiùs nec per impoſſibile poſſet dari beatitudo noſtra ſine Deo; ſi ergo id non eſt concedendum, neque neganda ſpecie impreſſa poſſibili.

36 Bonum argumentum, ob quod aliqui antiqui Pariſienſes apud Gregorium 2.diſtin.7.quæſt.2.poſuerunt noſtram formalem beatitudinem in viſione increata Dei; imo nouiſſimè P. Franciſcus Amicus tom.1. in 1. part. diſput.9.ſect.3. à §.74.latè tuetur ſpeciem expreſſam, ſeu verbum, (quod apud me ex diſput.23.non diſtinguitur à cognitione, & viſione ipſa) non poſſe eſſe quid creatum, ſed increatum. *Soluitur.* Ego tamen hoc neceſſarium non puto vt ſoluatur obiectio quia titulo excellentiæ obiecti beantis ſolùm requiritur ne independenter à Deo vt obiecto detur cauſa obiectiua per ſe ſufficiens noſtræ beatitudinis; non verò requiritur, quòd ipſa formalis beatitudo ex Deo conſtituatur, ſitque inſufficiens ad effectum formalem beandi, etiamſi per impoſſibile exiſteret ſine Deo: Sicut titulo primi entis, & cauſæ vniuerſalis ſolùm requiritur, ne ſit aliquod ens per ſe ſufficiens exiſtere ſine Deo; *Notando diſcrimine.* non verò exigitur ne ſit ſufficiens intrinſecè ad effectum formalem exiſtendi, etiam in caſu impoſſibili quod perſeueraret ſine Deo, quis enim dubitet in hypotheſi impoſſibili, quod daretur *animal rationale* ſine Deo, adhuc extiturum verè, & realiter hominem? Vnde ſicut ob id perfectio creata, non quidem conſiſtit in entitate increata Dei, exigit tamen Deum immediatè concurrentem, & conferentem talem perfectionem, quin permittat mediam qualitatem vt inſtrumentum conferendi, & concurrendi ad eam perfectionem: ita cenſendum eſt de dependentia,quam exigit viſio beata à Deo vt obiecto.

37 Ex quibus manifeſtè patet ad obiectionem 6. potiorem rationem eſſe vt negetur poſſibilis ſpecies impreſſa, quàm expreſſa; qualitas creata concurrens per modum obiecti, quam ipſa formalis viſio, & beatitudo creata. Ad primam confirmationem reſpondeo viſionem de obiecto creato poſſe manere obiecto deficiente, quia tota obiecti creati perfectio eminenter continetur in Deo, & conſequenter omnis virtus, qua obiectiuè concurrit à cauſa prima ſuppleri non repugnat. At Deus vt cauſa prima non continet perfectionem Dei vt obiecti; non quidem formaliter, cùm ſint diſtinctæ virtutes formales, nec etiam eminenter, cùm perfectio diuinæ eſſentiæ in nullo alio eminenter valeat contineri; ſicut neque è contra perfectio *cauſæ primæ* ſatis contineri poteſt, & ſuppleri per concurſum obiectiuum, ſeu qui eſt a Deo per modum obiecti. Requirit ergo viſio intuitiua de Deo præ aliis viſionibus de obiecto creato ſuum obiectum realiter præſens, vt ita perſe immediatè qua beatitudo eſt pendeat à Deo vt obiecto, quemadmodum qua ens creatum pendet ab ipſo vt cauſa prima, quod ſtare non poſſet admiſſa ſpecie impreſſa vt ſæpe vidimus. Ad ſecundam confirmationem reſpondeo ex dictis, totum abſurdum ſpeciei impreſſæ conſiſtere in eo quòd ex vi ſufficienti & immediata poſſet noſtra beatitudo ſtare ſine Deo, vt obiecto, ob quod ſic i. dependeret ab illo, ſequereturque illa hypotheſis impoſſibilis, hoc autem non militat admiſſa viſione, & verbo creato vt iam expendi §. præcedenti, quare neceſſaria non eſt doctrina Pariſienſium, vel Patris Amici de qua plura dicam tom. ſequenti in tract.de Beatit.

Obiicies vltimò conceptui Beatitudinis ſatisfieri dum pendeat à Deo, & in ipſo conſiſtat *terminatiuè*, licèt non motiuè: nam certè Beatitudo naturalis noſtra etiam in Deo conſiſtere dicitur, Deuſque eſt finis noſter naturalis, ſicut eſt Principium, & tamen ad cognitionem in qua naturalis beatitudo conſiſtit non concurrit Deus immediatè per modum obiecti, ſed media ſpecie, cùm talis cognitio abſtractiua ſit.Iamblicus lib.de myſt.§.15. in fine hoc argumento motus ſtatuit diuinam eſſentiam per modum ſpeciei concurrere etiam ad eam cognitionem naturalem, ita apud P. Theophil. Raynaud. de diſcipl. moral. diſt. 1. quæſt. 4. num. 295. Item alij apud Salas tom. 1. in 1. 2. quæſt.3. tract.2. diſp.2. ſect.7. num. 77. §. *octaua in ordine eſt aliorum* beatitudinem naturalem in viſione Dei clara conſtituunt. Sed hoc omnino falsò dicitur; cùm ex fide conſtet viſionem eſſe ſupernaturalem: Primum illud etiam neceſſarium non eſt; imo impoſſibile, nam obiectum nunquam per ſeipſum concurrit vt ſpecies, quando non cognitione propria, & quidditatiua, ſed ad inſtar alterius repræſentatur. 38

Cognitio in qua conſiſtit beatitudo naturalis nõ fit media ſpecie vt vult.

Iamblicus.

Reiicitur.

Ideo expeditior mihi ſolutio eſt quam dixi cum Scoto Vaſquez Coninch citatis diſput.22.§.17.quibus adde D. Thomam.Ægid.Romanum apud Carthuſ.lib.de lumine Chriſtianæ Theoriæ art.51.item Patrem Herice 1. part. diſput.37. num.21. P. Salas 1.2. tract.2. diſp. illa 2. num.77. §. octaua in ordine Beatitudinem naturalem non eſſe veram, & ſimpliciter beatitudinem, ſolùmque hanc naturæ rationali obuenire ex gratia Dei, in viſione que ſupernaturali conſiſtere; quare ſiquæ alia appelletur beatitudo erit imperfecta, ſolumque conſiſtens in Deo *ſecundùm quid*. Vnde ei ſufficiet ſi ſolùm terminatiuè & imperfectè in Deo conſtituatur eſt tamen Deus ſimpliciter, & propriè noſter finis naturalis, ſicut & Principium, non quidem quatenus obiectiuè poſſidendus, ſed quatenus omnia propter ipſum facta ſunt, ad ipſumque ordinantur, quo pacto omnium rerum etiam inanimatarum eſt naturalis finis, ſpecialiter autem creaturarum rationalium, quia ipſum debent vltimò amare, & cognoſcere, & ſaltem terminatiuè in ipſius perfectiſſima contemplatione ſumma naturalis felicitas conſiſtit. 39

Beatitudo naturalis non eſt verè & ſimpliciter beatitudo Ita Scotus. Vaſquez. Conink. S.Thom. Ægid. Romã. Herice. Salas.

SECTIO V.

Aliæ communes obiectiones pro ſpecie ſoluuntur.

IAm verò fundamenta poſita pro poſſibilitatẽ ſpeciei impreſſæ ad intuendum Deum in §. 1. facilè diſſoluuntur. Primum fatendo hos pro repugnantia ſpeciei diſcurſus non eſſe demonſtratiuos:at vt aliquid melius negetur poſſibile, ſufficit, ſi probabilior appareat repugnantia; etenim etiam quæſtiones de poſſibili ſub opinione verſantur. Quando ergo dicitur Dei omnipotentiæ non eſſe negandum niſi quod manifeſtè conuincitur repugnare, ſenſus eſt; non quidem quod ex modo cognoſcendi 40

Non debet negari diuinæ omnipotentiæ niſi quod conuincitur repugnare:quod ſenſu accipiendum.

gnoſcendi debeat repugnantia eſſe manifeſta, ſed ex parte rei cognitæ; vt ſcilicet non ob difficultatem, vel ob inconueniens aliquod noſtris viribus inſuperabile Deo negetur aliqua res poſſibilis, ſed quia imbibit duo contradictoria, quæ eſt repugnantia manifeſta. Hic autem putamus ſpeciem implicare duo contradictoria, quia vi propria obiectiua *poſſet* ponere viſionem, nam hanc vim habet omnis ſpecies, vt non dependeat à concurſu obiectiuo obiecti; item *non poſſet*, quia ſine Deo immediatè concurrente obiectiuè non ſtat beatitudo, & conſequenter, nec viſio. Quare quaſi quæſtio hic eſt vtrum ex ſpecie impreſſa poſſibili ſequatur repugnantia manifeſta, in qua illi opinioni eſt accedendum, quæ probabilius ſequelam oſtendit, vt eſt per ſe notum; hæ enim conſequentiæ ſunt euidentes: Probabilius eſt ex ſpecie ſequi contradictionem: ergo probabilius eſt ſpeciem eſſe impoſſibilem: ergo probabilius non poſſe produci à Deo: ergo probabilius ſentit qui tuetur repugnare ſpeciem hanc.

41 Secundum fundamentum in §.1. à paritate ſpeciei expreſſæ ſatis diſſoluitur ex dictis à §. 36. non enim eſt abſurdum quòd beatitudo noſtra formalis non ſit increata, at abſurdum eſt quod non dependeat ab obiecto increato, ſicut iuxta omnes abſurdum eſſet quòd non terminaretur ad obiectum increatum.

42 Tertium fundamentum à ſimili ſpeciei impreſſæ poſſibilis, media, qua, Angelus ſe poteſt cognoſcere, licèt ſibi Angelus præſentiſſimus ſit, & impotens improportionis in ratione intelligibilis. Hoc inquam tertium fundamentum nil conuincit; Nam ſpecies reſpectu Dei non ideo neganda eſt poſſibilis, quia Deus improportionari nequeat, nam ex ſuperabundantia poſſet fingi qualitas obiectiuè concurrens, quantumuis eâ Deus non indigeat; vti Deus poteſt vti qualitate inſtrumentaria *impulſiua* licèt diſtans, vel improportionatus nequeat eſſe ad mouenda corpora. Igitur cùm ideo negetur ſpecies impreſſa Dei quia noſtra beatitudo vnicè & immediatè debet à Deo vt obiecto dependere, quod militat reſpectu viſionis Dei, non autem pro viſione Angeli, iſte etiam ad ſe videndum vti poterit ſpecie impreſſa. At reſpectu viſionis Dei omnino erit impoſſibilis. Adde licèt poneretur ſpecies titulo improportionis eſſe potiorem rationem cur admittatur in Angelo Gabriele ad ſe cognoſcendum intuitiuè, quàm in Deo: Nam poteſt aliquis intellectus eſſe improportionatus ad videndum Gabrielem, ſine ſpecie; nam Gabriel improportionatus eſt vt concurrat obiectiuè ad viſionem quàm habet de Gabriele Michael. Vnde iam poſſibilis ſpecies ordinata ad ſupplendum hunc defectum; data autem ſemel ſpecies hæc poterit diuinitus poni in ipſo Gabriele, & hinc concurrere in illam viſionem, licèt concurrente etiam obiectiuè ipſa ſubſtantia Gabrielis, non enim implicat diuinitus duplex cauſa totalis in actu ſecundo in eundem effectum: Iam verò cùm nulla ſit poſſibilis viſio Dei ad quam ſit improportionatus Deus vt obiectiuè concurrat, non eſt vnde poſſibilis admittatur qualitas ordinata ad ſupplendam hanc improportionem, & conſequenter nec ſpecies.

Diſcrimen inter Angelum dum ſe videt, & Deum dum videtur à nobis, vt impoſſibilis ſit ſpecies impreſſa.

43 Vltimum fundamentum pro poſſibilitate ſpeciei intuitiuæ ad videndum Deum, effici poterit à paritate ſpeciei abſtractiuæ quidditatiuæ, quam poſſibilem eſſe defendam diſput. ſequenti: Ergo idem dicendum de intuitiua. Conſequentiam ego fateor communem apud Thomiſtas, & noſtros plurimos, quia putant dari non poſſe cognitionem quidditatiuam, quæ intuitiua non ſit circa Deum (circa Deum, inquam, nam de creaturis poſſibilibus Deus habet cognitionem quidditatiuam ſimplicis intelligentiæ à ſcientia viſionis diſtinctæ) vnde conſequenter negant ſpeciem quidditatiuam abſtractiuam. Qui verò cognitionem de Deo quidditativam, & non intuitiuam admittat cum Scoto infrà citando conſequenter ad Scoti ſenſum, neque Thomiſtis contrarius in hac hypotheſi admittere poterit ſpeciem Dei quidditatiuam abſtractiuam potiùs quàm intuitiuam. De quo ſit.

Impoſſibilis eſt ſpecies intuitiua, licèt repugnet abſtractiua quidditatiua.

DISPVTATIO XXVI.

An implicet ſpecies abſtractiua, & quidditatiua Dei.

SECTIO I. *Sententia negans poſſibilem talem ſpeciem.*
SECTIO II. *Sententia affirmans poſſibilem ſpeciem abſtractiuam, & quidditatiuam Dei.*
SECTIO III. *Proprit ſententia.*
SECTIO IV. *Species prædicta non eſſet ſtrictè quidditatiua.*
SECTIO V. *Sententijs oppoſitis ſatis ſit.*

PRO complemento, & maiori examine poſſibilitatis, vel impoſſibilitatis ſpeciei impreſſæ ad videndum Deum diſputatio hæc neceſſaria eſt, quæ communiter agitatur in præſenti, licèt iam non ita magna contentione agitetur, vt olim controuerſam fuiſſe inter Thomiſtas, & Scotiſtas teſtatur P. Cæſar Recupitus lib. 2. de eſſentia Dei, quæſt. 5. cap. 1. num. 1. conquerens celebrem quæſtionem antiquatam fere.

Vide infrà qu. 12. art. 2. dub. 6.

SECTIO I.

Sententia negans poſſibilem talem ſpeciem.

EA eſt Thomiſtis communiſſima Bannes 1. part. quæſt. 56. art. 5. dub. 1. concluſ. 1. Cabrera 3. part. quæſt. 11. art. 1. diſput. 5. §. 6. à num. 191. & §. 7. Suarez diſput. 30. Met. ſect. 11. & 1. part. tr. 3. lib. 1. cap. 11. à num. 14. Faſol. 1. part. quæſt. 12. a. 2. dub. 16. Recupitus lib. 2. de eſſent. quæſt. 5. cap. 2. Ioſephus Auguſt. 1. part. quæſt. 12. art. 13. qui omnes eo fundamento mouentur, quòd putent omnem ſpeciem propriam, & quidditatiuam obiecti increati, ſeu Dei formaliſſimè eſſe intuitiuam, vnde cùm ex dictis ſpecies quidditatiua intuitiua repugnet, etiam & quidditatiua abſtractiua. 1

Negant Bannes. Cabrera. Suar. Faſol. Recupitus. Ioſeph. Aug.

Repugnantia ſpeciei quidditatiuæ de Deo, quæ intuitiua non ſit, & conſequenter iuxta diſp. præced. implicatoria ſit) probatur primò: nam ſpecies vt quidditatiua ſit non ſolum debet eſſe de quidditate Dei, ſiquidem in via vbi nullam habemus cognitionem, nec ſpeciem quidditatiuam de Deo adhuc plures habemus, quibus prædicata quidditatiua Dei credimus vel demonſtramus, eſt igitur ſpecies 2

Rationes pro repugnantia quidditatiuæ non intuitiuæ. A paritate cognitionis.

ſpecies quidditatiua Dei, quæ ipſius propria, nulli-que alteri communis ad cognitionem diſtinctiuam quidditatis Dei non confundentem eum cum aliis obiectis concurrit, repræſentatque Deum ſicut eſt in ſe. Tunc ſic: ſed talis cognitio ſic quidditatiua non poteſt eſſe circa Deum quin ſit intuitiua; Ergo. Minor probatur nam talis ſpecies, & cognitio repræſentat Deum vt exiſtentem ſiquidem Deus in ſe eſt ipſa exiſtentia, neque enim datur in Deo verus ſtatus ex parte obiecti, quin exiſtentiam includat; item ſimiliter repræſentat Deum tam vt præſentem tempore, quàm loco, cùm in ſe ſit æternus, & immenſus. Species autem propria obiecti vt exiſtentis, & præſentis in nullo deficere poteſt ab intuitiua. Confirmatur à fortiori ſpecies vt intuiua ſit, ſolùm requiritur quòd attingat vltimam differentiam, & proprietatem obiecti repræſentando illud ſecundùm ſingularitatem determinatam, quam in ſe habet, quidquid ſit repræſentet-ne ipſum obiectum vt præſens, dependeatne talis ſpecies ab obiecto præſenti: nam de futuris liberis datur ſcientia immediata in ipſis, & conſequenter viſionis, ſeu intuitiua, & Deus ac Angeli plura intuitiuè repræſentant, quin eorum ſpecies ab obiectis præſentibus fiant vel conſeruentur. Tunc ſic ſed omnis ſpecies, quæ quidditatiua eſt, vtpote cùm ſit propria obiecti ſui, nec communis aliis, repræſentat eius vltimam differentiam, & ſingularitatem; Ergo erit intuitiua, & conſequenter impoſſibilis de Deo.

3 *Ex impoſſibilitate beatitudinis.*

Secundò ſpecialiter ex Recupito loco citato cap. 3. argui poteſt contra doctrinam à me traditam diſput. præced. ſect. 3. ſpecies beatificatiua de Deo repugnat, vt ſic excellentia Dei vt obiecti beantis ſit immediatè obiectiuè concurrere. At omnis ſpecies de Deo, ſi quidditatiua ſit, quantumuis fingatur abſtractiua, beatificatiua eſt, ergo. Maior patet ex diſp. præced. ſect. 3. Minor etiam, quia talis ſpecies ſufficeret ad cognitionem diſtinctiuam de ſummo bono vt eſt in ſe in cognitione autem, quæ repræſentat ſummum bonum diſtinctè vt eſt in ſe, formalis beatitudo conſiſtit, neque enim eſt alius titulus, ob quem viſio intuitiua beatificet, ſiquidem iam per talem cognitionem tenetur, & poſſidetur omne bonum, proprium namque eſt cuiuſuis cognitionis trahere ad ſe, & poſſidere ſuum obiectum; Ergo ſpecies prædicta dum quidditatiua ſit erit etiam beatificatiua.

4 *Ex repugnantia ſpeciei comprehenſiua.*

Tertiò. Repugnat ſpecies (etiam abſtractiua) quidditatiua, quæ ſit adæquata, & comprehenſiua Dei, ſeu quæ ex parte ſui, niſi ſtet per defectum potentiæ producere valeat cognitionem perfectiorem, & perfectiorem quidditatiuam de Deo ſine fine vſque ad comprehenſionem; vti poteſt ipſe Deus obiectiuè concurrens. Sed ſi ſemel Deus poteſt immittere ſpeciem quidditatiuam ſui, poteſt etiam, & comprehenſiuam, ſeu adæquatam; Ergo. Maior patet vti repugnat cognitio (etiam abſtractiua) adæquata cognoſcibilitati quidditatiuæ Dei. Si enim repugnat cognitio, conſequenter debet repugnare ſpecies, quæ ad ipſam ordinatur. Iam minor probatur; quia licèt de abſtractiua mediata non valeat conſequentia ab ſpecie inadæquata ad adæquatam, eo quòd medium mittens ſpecies forte non eſt commenſuratum cognoſcibilitati obiecti, ideo Deus licet in medio creato cognoſcatur inadæquatè, tamen cognoſci nequit per ſpeciem adæquatam; licèt, inquam hoc ita ſit, quando ſpecies non eſt quidditatiua immediatè immiſſa ab obiecto; At quandocumque obiectum per ſe, & immediatè poteſt mittere ſpeciem ſui, poteſt etiam mittere adæquatam, vt inductione patet omnium obiectorum, nullum enim eſt productiuum ſpeciei, quod non poſſit producere ſpeciem valentem ſupplere concurſum obiectiuum, quem obiectum per ſeipſum præſtare poſſet; Ergo cùm Deus ex parte ſua & per modum obiecti poſſit producere viſionem perfectiorem, & perfectiorem ſine fine vſque ad comprehenſionem, quin huius defectus tribui poſſit obiecto, ita eueniet in ſpecie. Deinde eſt ratio quia ſpecies cùm veniat ab obiecto, ſitque ipſa intelligibilitas obiecti, vti hoc ſine limite eſt, ita & illa, quæ non habet vnde limitetur, vti limitatur cognitio ab imperfectiori potentia, Ergo per ſe euadere poteſt adæquata obiecto, præſtatque quidquid obiectum, qua obiectum eſt, præſtat. Confirmatur in qualibet re cognoſcitiua ſi poteſt mittere ſpeciem immediatam ſui non eſt minor virtus ad producendam ſpeciem ſui, quàm ad ſe cognoſcendum, ſeu non eſt minor virtus cognoſcibilitatis paſſiuæ media ſpecie, quàm actiuæ vt patet in Angelo, qui vti poteſt ſe comprehenſiuè cognoſcere, ita poteſt mittere comprehenſiuam ſpeciem vt cognoſcatur; neque enim eſt cur non æquali menſura creſcat cognoſcibilitas paſſiua, quàm actiua, ſeu virtus ad mittendam ſpeciem, ac ad cognoſcendum ſe, hinc nullus Angelus mittit ſpeciem ſupercomprehenſiuam ſui, ſeu quæ per ſe ſecluſo alio extrinſeco exceſſu ſcilicet potentiæ ſuperioris Angeli cum qua coniungatur) ſufficiat obiectiuè ad ſupercomprehenſionem; Ergo ſi quidem Deus ſe poteſt comprehendere, etiam poſſet mittere ſpeciem comprehenſiuam ſui, ſi ſemel poteſt mittere quidditatiuam.

Quartò. Cognitio quidditatiua quantumuis abſtractiua petit connaturaliter fieri ab obiecto ſi adeſt, ſiquidem eſt imago propria illius repræſentans illud ſicuti eſt; Ergo cognitio quidditatiua de Deo petit per ſe, & connaturaliter loquendo concurſum Dei obiectiuum. Tunc ſic ſed nulli qualitati, vel cauſæ creatæ poteſt committi concurſus, qui eſt Dei proprius per ſe, & connaturaliter loquendo tum quia effectus, qui petit cauſam perfectiorem, non eſt contentus alia imperfectiori, non eſt, inquam, contentus imperfectiori etiam vt in adæquatè concurrat, quando inadæquatus ipſe concurſus ſuperioritatem imbibit, munus autem Dei proprium vndequaque eſt diuinum, & cõſequenter in quod nec ex parte ſufficit creata cauſa; tum etiam quia ſi aliquid quod connaturaliter debetur Deo, alij tribueretur, fieret quaſi violentia ipſi Deo; ita niſi violenter, & præternaturaliter non poteſt tolli, quin concurrat obiectum dum præſens eſt in ſui cognitionem quidditatiuam tum denique modus concurrendi per modum cauſæ primæ, quia eſt proprius nullo modo neque inadæquatè poteſt cauſæ ſecundæ conuenire: Ergo omnino eſt impoſſibilis qualitas creata, ſeu ſpecies concurrens ad cognitionem abſtractiuam Dei quidditatiuam. Confirmatur; res quæ per ſe & ex natura rei petit cognoſci per ſpeciem ſuperiorem non poteſt cognoſci per inferiorem; ſeu per ſpeciem ordinis inferioris nequit ſuppleri ſpecies ſuperioris ordinis, ideo Angelus non poteſt cognoſci ſpecie materiali nec res ſupernaturalis videri per ſpeciem naturalem. At Relationes diuinæ exigunt per modum ſpeciei ad cognitionem quidditatiuam ſui concurrentis eſſentiam diuinam, exigunt-que ſpeciem increatam (ſuppono per ſe immediatè relationes

5 *Ex eo quòd repugnet fieri per ſpeciē cognitio, quæ per ſe petit concurſum Dei.*

relationes non eſſe actiuas) ergo nequeunt quidditatiuè attingi per ſpeciem creatam; & conſequenter abſolutè impoſſibilis eſt ſpecies impreſſa quidditatiua Dei, quæ enim quidditatiua ſit repræſentans Deum ſicuti eſt etiam attingit, vel ſaltem attingere poteſt relationes.

6 Quintò: Sic arguitur pro repugnantia omnis ſpeciei quidditatiuæ: Non poteſt Deus non concurrere obiectiuè in actu ſecundo ad ſui cognitionem quidditatiuam, hoc eſt, non ſolùm non eſt improportionatus in actu primo, vt concurrat obiectiuè, ſed etiam implicat, quòd detur cognitio quidditatiua de Deo, in quam Deus actu non concurrat, actu obiectiuè: ergo implicat ſpecies impreſſa. Conſequentia patet: iam enim nullus titulus eſt admittendi hanc ſpeciem, ſiquidem nomine ſpeciei impreſſæ intelligitur ab omnibus *qualitas ordinata ad ſupplendum defectum, & improportionem obiecti non potentis, vel ſaltem non volentis concurrere obiectiuè*; ideò nullus dicet poſſibilem eſſe ſpeciem impreſſam, ſeu qualitatem ordinatam ad concurrendum obiectiuè in præſentia intellectus habentis ſpeciem, ſic enim poſſet dari ſpecies ſpeciei ſine fine. Iam antecedens, ſcil. non poſſe Deum non concurrere obiectiuè in actu ſecundo ad ſui cognitionem quidditatiuam, probatur: *Concurrere obiectiuè*, nil aliud eſt, quàm quòd terminus ipſe cognitionis concurrat; ſed Deus non poteſt non eſſe terminus cognitionis quidditatiuæ, vt patet, ſiquidem illam terminat, ſeu ab ipſa cognoſcitur; aliunde nec poteſt Deus in illam, vtpote creatam non influere; implicat enim Deum ſe priuare concurſu in effectus creatos, vt dicitur contra Durandum: Ergo non poteſt Deus non concurrere obiectiuè in cognitionem quidditatiuam ſui. Minor & conſequentia conſtat. Maiorem, in qua eſt difficultas probo: Tum quia *concurrere obiectiuè* nil aliud eſt quàm ipſum obiectum concurrere; eo enim eo ipſo iam concurrit principium aliquod ex parte cauſæ ſecundùm *eſſe* obiecti, quod eſt intentionaliter in actu ſecundo cognitionis effectæ: Tum etiam, quia non minùs conſtituit concurſum obiectum influxus ipſius obiecti, quàm influxus ſpeciei, cùm hæc ſit ſolum vicaria illius. Eo autem ipſo quòd detur influxus ſpeciei, datur concurſus obiectiuus; Tum denique concurrente obiecto efficienter ceſſat omnis neceſſitas, & titulus requirendi ſpeciem; etenim omni *eſſe* inuento in cognitione relucebit *eſſe* proportionatum correſpondens in principio, ſeu omni formalitati effectus correſpondet alia in principio proportionata; nullaque eſt formalitas effectus, cui non correſpondeat ſimilis formalitas in cauſa, qui eſt præciſus titulus requirendi ſpeciem ad cognitionem.

Ex eo quòd repugnet Deum non concurrere obiectiuè in omnem cognitionem quidditatiuam ſui.

Definitur ſpecies impreſſa.

Quid ſit concurrere obiectiuè.

7 Confirmatur hæc quinta probatio: Solus Deus neceſſario præſtat quidquid præſtandum eſſet ab obiecto & ſpecie in actu ſecundo concurrente (ſolus, inquam, Deus hoc præſtat in ſui cognitionem quidditatiuam) ſed implicat qualitas ordinata ad ſupplendum concurſum obiectiuùm complexi huius ex obiecto & ſpecie ſic concurrentis, vt per ſe manifeſtiſſimum eſt, ne procedamus in infinitum. Ergo & implicat qualitas ſic ordinata ad ſupplendum vllo modo concurſum obiectiuum Dei, & conſequenter implicabit ſpecies, quæ natura ſua vicaria eſt ſubſtituens defectum obiecti. Minor & conſequentia notæ ſunt. Maior probatur, totum negotium concurrendi obiectiuè, quod inuenitur in illo complexo ſolum eſt, *& efficere tenendo ſe ex parte obiecti.* Quod præſtatur ab ſpecie; & *terminare* quod præſtatur ab obiecto. At vtrumque neceſſariò præſtatur à ſolo Deo in ſui cognitionem quidditatiuam, cùm non poſſit non ſe habere reſpectu illius, *vt terminans* ipſam, & rurſus *vt efficiens*, ſiquidem ea cognitio creata eſt: vt efficiens, inquam, tenenſque ſe omninò ex parte obiecti, cùm ſit obiectum ipſum: ergo.

Si dicas in ſolutionem huius quintæ probationis. Deus concurrit ad cognitionem, quàm de ipſo habemus in via eam cognitionem terminando, nec tamen concurrit obiectiuè, cùm vlteriùs requirat ſpeciem. Ergo non ſufficit concurſui obiectiuo *concurrere terminando*; ſeu quod ipſe terminus cognitionis influat. Si, inquam, hoc dicas reſponderi poteſt tunc ſolùm ſufficere pro concurſu obiectiuo influxum termini, & obiecti, excludique ſpeciem, quando *eſſe* intentionale cognitionis ſe habet ſicut eſt in ſe tale obiectum, ſecus aliàs; & ratio eſt, tum quia concurſus obiecti maximè comparatur ſpeciei quidditatiuæ concurrenti ad cognitionem obiecti, vt eſt in ſe: tum etiam quia concurſus obiectiuus eſt, qui datur ad exprimendum intentionaliter in actu ſecundo, quod in actu primo præceſſit in potentia, ſeu cauſa concurrenti obiectiuè. Ergo concurſus obiecti ſolùm ſe habebit obiectiuè, quando facit ſuum *eſſe* dari in cognitione, ſicut datur in ipſo obiecto; hinc licèt ad cognitionem abſtractiuam, quæ non repræſentat ipſum obiectum, vt eſt in ſe concurrat tale obiectum, non dicetur tamen concurrere *obiectiuè*, ſed ad concurſum obiectiuum ſe habebit concurſus iſte merè per accidens; ita vt requiratur alia ſpecies, quia iam tunc *eſſe* obiecti in ſe non eſt, quod inuenitur expreſſum in cognitione, ſed *eſſe* obiecti aliqualiter immutatum; vnde vt concurrat obiectiuè *eſſe* obiecti, neceſſarium eſt etiam quòd immutetur, ſcilicet in ſua ſpecie: Nec refert ſi replices cognitionem illam abſtractiuam, quam habemus in via, eſſe propriam Dei; non refert, nam huius cognitionis proprietas, non venit ex *eſſe* intentionali, per quod ſit, ſed ex modo tendendi intellectûs eam cognitionem ſic applicantis, ita cognitio de tenebris prædicans *non lux* propria eſt tenebrarum; & tamen ſit per *eſſe* intentionale alienum, ſcilicet *lucis.* ob id ergo Deus non concurrit obiectiuè ad cognitionem, quam hîc habemus de illo, licèt concurreret, ſi talis cognitio quidditatiua foret: ſicut ob eandem rationem, nec anima concurrit obiectiuè ad ſui cognitionem in corpore (ſiquidem vtitur nunc ſpecie) licèt extra corpus ſic conuurrat. 8

Protegitur ab impugnationibus hæc quinta probatio.

Si rurſus replices: Angelus Gabriel implicat non concurrere ad ſui cognitionem illam terminando etiam quidditatiuè, neque ideo repugnat ſpecies illius: ergo vel iſte non eſt conceptus obiectiui concurſûs, vel non obſtante, quòd talis concurſus deficere nequeat, admitti poteſt ſpecies. Si, inquam, ſic replices, reſponderi poteſt ex dictis diſput. præced. num. 42. Gabrielis poſſibilis eſt ſpecies, quia poteſt dari aliqua eius viſio & à fortiori cognitio quidditatiua ad quam non concurrat Gabriel, verbi gratia, quando cognoſcitur quidditatiuè à Michaele, ex quo ſit, vt poſſit dari ſpecies, ſeu qualitas ordinata ad ſupplendum hunc defectum; data autem ſemel ſpecies poterit diuinitus poni in ipſo Gabriele, & hinc concurrere in illam viſionem, licèt concurrente etiam obiectiuè ipſa ſubſtantia Gabrielis, cùm non implicet duplex cauſa totalis in actu ſecundo in eundem effectum. Iam verò cùm nulla ſit poſſibilis cognitio 9

quid

quidditatiua Dei ad quam ipſe Deus non concurrat, non eſt vnde poſſibilis admittatur ſpecies impreſſa, ſeu qualitas ordinata ad ſupplendum concurſum obiectiuum Dei.

SECTIO II.

Sententia affirmans poſſibilem ſpeciem abſtractiuam, & quidditatiuam Dei.

10 PRo hac ſententia ſunt omnes Scotiſtæ cum Scoto in 2. diſp 3. quæſt. 9. vbi hanc ſpeciem docet de facto dari in intellectu Angelico ipſique eſſe naturaliter debitam: ita etiam Nominales cum Gabriele 2. diſput. 3 quæſt. 2. art. 2. Marſ. quæſt. 7. concl. 8. Maior. quæſt. 2. concl. 5. ex Recentioribus verò Palatius 1. diſtinct. 1. diſput. 4. Ægid. Lucan. lib. 4. de Beati quæſt. 9. art. 2. §. 2. Molina 1. part. quæſt. 1. art. 2. diſput. vlt. & quæſt. 56. art. 3. concl. 1. Salas 1. 2. tract. 2. diſput. 3. ſect. 1. fine & ſect. 7. num. 32. & maximè ad preſens inſtitutum diſput. 5. ſect. 2. num. 30. Granado 1. part. tract. 7. diſput. 3. num. 3. Ioan. Martinon 1. part. diſput. 27. ſect. 3. à num. 22. & diſput. 39. ſect. 1. à num. 13. cuius ſententiæ ex Thomiſtis etiam eſt Capreol. 2. diſput. 23. quæſtione 1. art. 3. ad argum. Scoti folio mihi. 223.

Scotus. Okam. Grabr. Marſil. Maior. Palatios. Ægidius. Luſic. Molina. Salas. Granadus. Martinon. Capreol.

11 *Rationes pro hac ſent. Ex poſſibili cognit. abſtractiua, & quiddit.*

Probatur communiter 1. poſito quòd cognitio vt intuitiua ſit debeat repræſentare Deum vt præſentem, in qua definitione intuititiuæ notitiæ vt condiſtinctæ ab abſtractiua omnes conueniunt. Ex quo ſic arguitur poteſt dari cognitio præſcindens à præſentia, licèt quidditatiua ſit. Ergo poteſt eſſe quidditatiua, & abſtractiua. Antecedens ſuadetur poteſt eſſe quidditatiua & ſimul præciſiua vnius perfectionis diuinæ ab alia, nam vel intuitiua etiam poteſt eſſe præciſiua. Ergo & præſcindere ab exiſtentia vt præſente, præſentia namque diuina, licèt non realiter, aut ex natura rei, ratione tamen diſtinguitur ab eſſentia, cum exiſtentia vt præſens imbibat, formaliſſiméque ſit attributum æternitatis, vel immenſitatis vt autem detur præciſio ſufficit diſtinctio rationis. Ergo talis cognitio licèt ſit quidditatiua, non erit beatifica; beatitudo namque in viſione conſiſtit. Omnis autem cognitio, quæ beatifica non eſt, poteſt fieri de Deo per ſpeciem impreſſam, vt conſtat ex diſput. præced. Ergo talis ſpecies impoſſibilis non eſt. Confirmatur circa creaturam exiſtentem, quantumuis ponamus eſſentiam ibi non diſtingui ab exiſtentia, poteſt dari cognitio quidditatiua, quæ purè abſtractiua ſit, vt omnes fatentur & patet in ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ vt condiſtincta à ſcientia viſionis, etiam quidditatiuè tangit eſſentiam rei exiſtentis aliàs ſcientia ſimplicis intelligentiæ in Deo non eſſet neceſſaria, ſed contingens, & defectibilis. Ergo & ſpecies impreſſa concurrens nomine Dei, ſeu ſupplens concurſum Dei per modum obiecti; ſolùm namque vt ex dictis conſtat inſupplebilis eſt concurſus per modum obiecti beantis.

12 *Ex poſſibil. cognit. immediata non intuit. in via.*

Secundò eadem ſententia probatur; poteſt dari cognitio immediata Dei licèt abſtractiua; Ergo licèt abſtractiua, poteſt eſſe quidditatiua. Conſequentia probatur quia vbi cognitio non tendit ad obiectum in alio, iam cognoſcit illud in ſeipſo, & per ſpeciem ab ipſo immiſſam, ſi enim ſpecies ab alio mitteretur, iam hoc aliud prius noſceretur; Ergo per ſpeciem *propriam*; obiectum enim non mittit ſpeciem alienam vt cognoſcatur ipſum, ſed *propriam*; Cognitio autem per propriam ſpeciem quidditatiua eſt. Iam quòd cognitio abſtractiua poſſit eſſe immediata patet, nam vel nunc in via ſæpe cognoſcimus Deum, quin vllius creaturæ, vel medij meminerimus. Item habemus Deum non ſolùm pro obiecto materiali noſtræ cognitionis, ſed pro formali, tum quia illum non ſolùm de obliquo, & de connotato cognoſcimus, ſed directè & in recto dicimus verbi gratia *Deus eſt creator omnium*: Quod proprium eſt obiecti formalis; tum etiam quia ſi Deus in ſe non caderet ſub obiecto formali noſtri intellectus, nec diuinitus poſſet intellectus eleuari ad percipiendum Deum immediatè. Nunquam enim potentia vitalis nec diuinitus eleuatur, vt verſetur extra ſuum obiectum formale, ideo oculus non poteſt eleuari ad videndum obiectum non coloratum; Ergo iam dabilis eſt cognitio abſtractiua & immediata de Deo. Ergo & ſpecies impreſſa ſimiliter immediata: conſequentia hæc patet ex §. præced. item quia cùm illa cognitio immediata, licèt imperfecta, contingat in via, neceſſarium eſt vt fiat per ſpeciem, in via enim non aliter cognoſcimus Deum neque ipſe per ſuam eſſentiam nobis vnitur ad concurrendum obiectiuè & per modum ſpeciei immediatè.

Tertiò maximè probatur ex cognitione rememoratiua, quæ remaneret in eo, qui vidiſſet Deum, etenim etiã iſte trãſacta viſione recordatur diuinæ eſſentiæ viſæ vt contigit D. Paulo iuxta 2. Cor. 12. *Scio hominem, quoniam raptus eſt in paradiſum, & audiuit arcana verba, quæ non licèt homini loqui.* Ergo habebat D. Paulus, verbi gratia, in memoria ſpeciem quandam diuinæ eſſentiæ, non quidem *ænigmaticam*, & confuſam, ſic enim rectè poterat de illa loqui, neque mediatè & in alio, ſed ſicut illam vidit, vti erat in ſe: Ergo quidditatiuam. At non intuitiuam, & repræſentatiuam illius eſſentiæ, vt exiſtentis, & præſentis aliàs ſemper maneret beatus, nec viſio diceretur tranſacta, ſed permanens: Ergo ſpecies illa, ſicut & cognitio abſtractiua erat; licèt quidditatiua. 13

Ex cognitione rememoratiua.

SECTIO III.

Propria ſententia.

CEnſeo poſſibilem eſſe ſpeciem impreſſam abſtractiuam immediatam nullà vtentem, vel innitentẽ imagine, vel obiecto creato, & in hoc ſenſu quidditatiuam; at ſimul exiſtimo talem ſpeciem omnino, & ſtrictè quidditatiuam non eſſe. Primum dictum opponitur primæ ſententiæ, ſecundum autem ſecundæ, quodlibet ſeorſim explico, & probo. 14

Poſſibilis eſt ſpecies immediata, non tamen ſtrictè quidditatiua.

Prima ergo pars concluſionis huius ſuadetur, & explicatur. Poteſt dari cognitio repræſentans Deum quin manuducatur ad eam repræſentationem notione alicuius obiecti creati, vel quod ſimul cognoſcat vt medium *in quo* Deum exprimat, vel quod ante præcognouerit, vt ſic ex ipſo inferat notitiam Dei; vel denique quod aliqua ratione apprehendat, vt ſic ad eius ſimilitudinem Deum ſibi proponat, & hoc quidem habere poteſt cognitio aliqua licèt purè abſtractiuè tendat in Deum. Ergo poſſibilis eſt cognitio purè abſtractiua, quæ omnino, & ſtrictiſſimè immediata ſit attingens Deum, & non per ſpecies obiecti creati. Conſequentia iſta manifeſta eſt nam ſolùm ob aliquem 15

Poſſibilis eſt cognitio abſtractiua, quæ immediatè omnino feratur in Deum.

modum ex tribus dictis dicitur cognitio mediata, 1. cognoſcimus Deum mediatè quando cognoſcimus in creaturis. 2. quando licèt immediatè feramur in Deum haurimus notitiam hanc, & deducimus ex præcognitione creaturarum, vt quando inferimus Deum exiſtere ex eo quòd præcognouimus omnem creaturam debere produci ab alio, 3. denique quando vtimur ſimilitudine alterius obiecti creari, quod ſimul tunc apprehendimus, vt quando Deum ad modum *corporis* concipimus. Ergo ſi aliqua cognitio abſtractiua ita habeatur de Deo, vt neque in creatura, neque ex creatura, neque ad modum creaturæ Deum repræſentet erit omnino immediata.

Quotupliciter dicatur cognitio mediata.

16 Iam verò quod poſſibilis ſit talis cognitio immediata de Deo modo explicato, probatur maximè ex tertio fundamento pro ſecunda ſententia ex cognitione ſcilicet, quæ remanet rememoratiua poſt obiectum viſum; iſta cognitio non repræſentat ſuum obiectum in aliquo medio prius cognito hoc enim in primis dum quis, verbi gratia, recordatur ignis à ſe viſi, non eſt aliqua cauſa, vel effectus phyſicus ignis, vt per ſe patet, neque enim opus eſt ad hanc recordationem cognoſci fumum, vel calorem, vel aliud ſimile phyſicam habens connexionem cum igne: deinde medium hoc non eſt viſio ipſa præterita; licèt enim qui recordatur obiecti viſi, cognoſcat ſe habuiſſe viſionem illius, non tamen cognoſcit præciſè obiectum in illa viſione vt in medio, aliàs non tam clarè cognoſceret ignem viſum, neque tam proprium formaret conceptum de igne; imo cùm eiuſdem connexionis ſit viſio à me habita, & viſio habita ab alio eâdem ratione & claritate ego cognoſcerem ignem reflectendo ſupra meam viſionem, ac ſupra viſionem alterius, quod omnino falſum eſt, & contra ipſam experientiam, clariùs namque percipio obiectum, quod vidi, quàm quòd ex ſola relatione cognoſco: & rurſus clariùs dum tale obiectum vidi, quàm dum cognoui per aſſenſum obſcurum, verbi gratia, fidei ſupernaturalis, cùm non minorem habeat connexionem cum obiecto iſte aſſenſus, quàm illa viſio. Viſio autem quando ducit in notitiam obiecti non formaliter, & *vt quo* ſed obiectiuè, & per modum medij, non ducit titulo claritatis maioris, vel minoris, quàm in ſe habeat, ſed præciſè titulo connexionis; ob quod nil refert, quòd viſio tendat ad Deum *ſicuti eſt* Deus; vt ideo in viſione reflexè cognita, & per modum medij appareat Deus ſicuti eſt: quemadmodum quod cognitio ſit materialis, vel ſpiritualis; odoratiua, vel auditiua non ideo cum iis differentiis ducet in notitiam obiecti, vel has differentias communicabit cognitioni reflectenti, ſed cognitio reflexa cognoſcit eam eſſe cognitionem odoratiuam, vel auditiuam obiecti, at ipſa cognitio reflexa non ideo odoratur. Ita ergo hic eo quòd viſio obiecti *ignis*, in qua ignis cognoſcitur ſit viſiua, & clara; videbit quidem intellectus reflectens eam eſſe viſionem claram de igne, at non ideo potiùs videbit clariùs ignem, quàm ſi videret in cognitione obſcura: Ergo ſi quidem cognitio rememoratiua clarè, & per conceptum proprium repræſentat obiectum viſum, ſignum eſt quòd illud immediatè, & non in viſione vt in medio cognoſcit.

Cognitio rememoratiua obiecti viſi non cognoſcit obiectum in viſione reflexè cognita vt in medio in quo.

Non eſt apprime mediū vt cognoſcatur obiectum in illo viſio eo quòd ſit clara, vel obſcura.

17 Ex proximè dictis in §. præced. manifeſtè etiam colligitur cognitionem rememoratiuā non ſolùm eſſe immediatā de obiecto quatenus illud non cognoſcit in aliquo medio; ſed neq; ex aliquo medio; qui enim rememoratur aliquod obiectum non colligit, ſeu infert eius notitiam per diſcurſum ex aliqua re alia prius cognita ob cuius connexionem veniat in prædictam notitiam obiecti; alioqui cognitio rememoratiua non ita clarè exprimeret obiectum vt expendi in §. præcedenti, qui totus hic etiam militat. Rurſus conſequenter cognitio rememoratiua non exprimit ſuum obiectum per ſpecies alienas, ſeu ad modum alterius; etenim, qui recordatur ignis à ſe viſi benè diſtinguit ignem à quolibet alio, & per conceptum proprium illius; multóque aliter ſe habet, qui ſic per recordationem concipit ignem, quàm qui concipit ſubſtantiam ſpiritualem, quam per ſpecies alienas corporis apprehendit: ergo cognitio memoratiua omnino immediatè tendit in ſuum obiectum; ergo ſimiliter in præſenti cognitio memoratiua Dei viſi qualem habuit D. Paulus fuit immediata de Deo; ergo poſſibilis eſt cognitio abſtractiua omnino immediata de Deo.

Cognitio memorat. omnino immediata eſt.

Huic argumento reſpondet P. Hieronymus Faſol. tom. 1. in 1. part. quæſt. 12. art. 2. dub. 16. num. 66. memoriam illam D. Pauli fuiſſe per propriam ſpeciem ſupernaturalem infuſam à Deo neceſſariò ex ſuppoſitione præcedentis viſionis; eam verò ſpeciem non fuiſſe *immediatam* ipſius diuinæ eſſentiæ, ſed ſolius viſionis diuinæ eſſentiæ, vnde ille actus memoriæ non repræſentabat immediatè rem aliquam increatam, ſed ſolùm creatam viſionem. Hæc tamen ſolutio qua generaliter vtitur Faſolus ad explicandam notitiam rememoratiuam ſatis impugnatur ex dictis in præcedentibus. Magis tamen diſplicet P. Arriaga diſput. 6. de Anima §. 122. vbi exiſtimat cognitionem memoratiuam obiecti viſi eſſe intuitiuam, fierique per eaſdem ſpecies antiquas, per quas videbatur obiectum præſens, & quæ iſto abeunte permanent in memoria. Sed iſta ſententia nullatenus audienda eſt; conſtat namque teſte experientia cognitionem aliter haberi à nobis quando recordamur de obiecto, ac quando illud intuemur præſens; ſi autem manerent ſpecies antiquæ intuitiuæ, eâdem ratione videremus obiectum vt præſens; vt enim ſæpius probaui diſput. præced. eadem viſio de obiecto præſenti manere poteſt diuinitus ſaltem deficiente realiter obiecto; hoc autem non aliter fieret, niſi quia conſeruaretur eadem ſpecies, quæ concurrebat ad viſionem obiecti vt præſentis; Ergo cognitio, quæ eſt memoratiua non fit per eaſdem ſpecies antiquas. 18

Faſol.

Arriaga.

Cognitio memoratiua non fit per eaſdem ſpecies, alias in D. Paulo manſiſſet ſemper beatitudo.

P. Gregorius de valent. 1. part. diſput. 6. quæſt. 7. punct. 3. ad 2. verſ. *Reſpondeo igitur* ait in D. Paulo non fuiſſe memoriam ipſius diuinæ eſſentiæ ſecundùm ſe, ſed ſolum D. Paulus (ait) recordabatur ſe illam eſſentiam vidiſſe, recordabaturquo aliquarum veritatum, quæ in illa viſione fuerunt ei diuinitus patefactæ iuxta illud. *Audiui arcana verba*, &c. Sed contra eſt, quidquid ſit de facto, negandum tamen non eſt ſæpe in nobis dari memoriam, ſeu cognitionem claram obiecti viſi, quæ non ſolum fertur ad viſionem præteritam, ſed ad ipſum obiectum exterius; ſicut enim circa viſionem iam præteritam, & non exiſtentem poteſt dari notitia rememoratiua clara, quæ non tendat in ipſam exercite vt præſentem, ſed vt præteritam cur non poterit ad ſimilem notitiam manere ſpecies circa obiectum exterius. Nunc vlterius rogo cur circa Deum (quidquid ſit de voce *quidditaua*) non poterit dari ſimilis cognitio ita clara, & per conceptum proprium exprimens Deum, licet non tendat exercitè modo de præſenti, affirmans abſolute exiſtentiam 19

Solutio P. Valentia.

Impugnatur.

Memoria immediate & proprie tendit directè in rem viſam.

exiſtentiam Dei exercitam? De ipſa exiſtentia exercita creaturæ etiam quando intuitiue non cernitur poteſt dari cognitio clara, immediata, propria, diſtinctiua, minimeque confundens talem creaturam cum alio obiecto vt patet in memoria albedinis viſæ, hæc enim memoratiua cognitio procedit per proprium conceptum albedinis, maximeque diſtinctiuum; quis nãque non experiatur in ſe diuerſum conceptum formari de re, quam vidit ab eo quem format de re nõ viſa, de qualitate ſenſibili, ac de qualitate ſpirituali, de Aquila quam vidit, quàm de Phœnice aue quam non vidit? Iam ſimiliter rogo cur ſimilis, & ita clara, propriaque cognitio nequeat dari de eſſentia diuina, quã licet vt exiſtens de præſenti non concipiatur, concipiatur tamen vt exiſtens pro aliquo inſtanti ſecundum differentias proprias, & quaſi caracteriſticas, quibus nota fuit?

20 *Non confundendo cum aliis.*

Hinc maximè confirmatur & explicatur ratio facta. Poſt tranſactam viſionem de obiecto poteſt manere cognitio de eodem obiecto, quæ intuitiua non ſit, ſit tamen immediata & propria imago illius, per quam tale obiectum diſcernatur à quolibet alio; quin cum alio aſſimiletur vel confundatur. Id patet nam in primis quod talis cognitio non ſit intuitiua mihi manifeſtum eſt; quis enim non experitur ſe longe aliter percipere colorem præſentem apertis oculis, quam clauſis, quando actu guſtat ſaporem præſentem, quam dum iam guſtauit; etenim color licet in ſe præſens ſit (idem de ſapore) ita comparatur cum cogitatione, quæ manet clauſis oculis, vt per ſe præſentiam non requirat, vt per ſe cogitatio illa non diſcernat præſens ne ſit & perſeueret adhuc color, an vero abfuerit, vel defecerit; ob id longe diuerſa procedit delectatio de colore cognito apertis oculis, vel clauſis, de ſapore quando adhuc ſentitur per guſtum actu, ac de illo quando guſtatus iam fuit; quæ diuerſitas non conſiſtit præcisè vel in maiore claritate vtcumque cognitionis intuentis colorem apertis oculis, vel in eo quod quando hi aperti ſunt noua addatur cognitio ſenſitiua oculorum, quæ non datur clauſis oculis non inquam conſiſtit in hoc prædicta diuerſitas; etenim ipſa cognitio intellectualis dum intuitiue procedit. Ita tendit ad obiectum colorem vt ſibi præſentem, quod illum percipit per modum præſentis, & exercite præſentialitatem exprimit, quaſi poſſidendo illum colorem, ita vt ei intuitioni non ſatisfieret, niſi color foret actu præſens, quæ diuerſitas alia eſt, quam præcisè maioris claritatis; ſi quidem ſtat cognitionem clariſſime tendere, nec tamen ita per modum præſentis, vt patet in cognitione memoratiua Angeli. Maneat ergo cognitionem quæ habetur de colore clauſis oculis intuitiuam non eſſe: vti intuitiua eſt quando oculi ſunt aperti. Iam vero quod adhuc clauſis oculis habeatur cognitio, propria de colore, ille ſolum negare poterit, qui neget nos non habere conceptum magis proprium de colore, quam de Angelo, de accidentibus ſenſibilibus, quàm de ſubſtantia, de vrbe Valliſoletana, quam vidi, quàm de Romana. Ergo ſtat cognitio propria, & immediata de obiecto aliquo poſt tranſactam viſionem, quæ tamen ipſa intuitiua non ſit.

Confirmatur in memoria, quam habeo de ipſa viſione præterita.

Confirmatur de viſione ipsâ cognitio rememoratiua, quæ habetur dum iam præteriit immediata prorſus eſt, quo enim quæſo medio vtitur dum meminit quis ſe habuiſſe viſionem? Cuius obiecti alieni ſpecies ſunt? quæ excitant memoriam viſionis habitæ profecto qui meminit viſionis præteritæ, ſi experientiam conſulamus non minus immediate fertur in prædictam viſionem, quam ferebatur quando eandem viſionem vt præſentem reflexè cognoſcebat: Tunc ſic, ſed cognitio reflexa de viſione vt præſenti eſt intuitiua præ cognitione, quæ poſtea rememoratiue habetur, illa enim reflexa tendit ad ſuum obiectum per modum præſentis exercite tendit namque ita de præſenti vt prædicet ly *eſt* de ſecundo adiacente, ſeu vt vi repræſentationis immediatæ reflexè ſupra illam viſionem poſſit dicere abſolutè: *viſio eſt, ſeu exiſtit*, quem modum tendendi non habet cognitio rememoratiua vt patet ergo cognitio propria, & immediata de obiecto aliquo ſtat, quæ tamen ipſa intuitiua non ſit.

Hinc procedo ad probandam conſequentiam in cognitione rememoratiua de Deo viſo, vt ſcilicet poſt tranſactam viſionẽ de Deo poſſibilis ſit cognitio immediate tendens in ipsũ Deum, & non connotatiuè innitendo obiecto creato. Nam in primis negari nequit infinitatem diuinæ eſſentiæ exprimi poſſe per aliquam imaginem, & ſimilitudinem creatam ſeu ſpeciem expreſſam immediatam vt late oſtendi diſput. 23. (quidquid ſit procedat ne hæc ſimilitudo expreſſa ab ſpecie impreſſa vel à Deo immediate concurrenti per modum obiecti) Deinde vt ſupra ſatis oſtenſum eſt de illo obiecto, de quo datur ſimilitudo immediata, dum actu videtur, poteſt dari ſimiliter immediata ſimilitudo rememoratiua, licet non exprimat prædictum obiectum eô modo quô id exprimebat intuitio. Ergo ſi prima ſimilitudo expreſſa poſſibilis eſt de Deo etiam, & ſecunda. Confirmatur in aliquo creato poteſt ſine connotatione aliena, ſed omnino immediate, & proprie exprimi infinitas diuinæ eſſentiæ vt eſt in ſe per modum præſentis actu, & exercite vt patet in viſione beata. Ergo ſimiliter non repugnabit quod in aliquo creato exprimatur, ſeu delineetur immediate ſine vllo reſpectu, & connotatione ad creaturas talis infinitas pure recordatiue & quaſi de præterito vt viſa. 21

Ex quibus omnibus concludo poſſibilem eſſe ſpeciem impreſſam immediatam, & propriam de diuina eſſentia; nam nulla ſpecies de Deo repugnat, niſi intuitiua, ſeu niſi talis ſit, vt ex vi illius dari poſſet cognitio intuitiua de Deo. Sed talis non eſſet ſpecies prædicta Ergo ea ſpecies eſt poſſibilis conſequentia patet, & minor propoſitio ſuadetur tum ex dictis diſput. præced. tum ex dicendis hic ſect. ſequenti in ſolutione argumentorum; Imo vt conſtat ex primà opinione ideo præcipue negatur a Thomiſtis quia foret intuitiua, ſeu concurrens ad cognitionem intuitiuam Dei. Iam vero minor propoſitio quod ſcilicet prædicta ſpecies non eſſet intuitiua probatur tum quia ea ſpecies foret pure rememoratiua; rememoratiua autem diuerſæ longè rationis eſt ab intuitiua vt ſupra dixi. Tum etiam quia ſpecies dicitur eſſe vel non eſſe intuitiua iuxta conditionem cognitionis ad quam concurrit; cognitio autem (quæ manet tranſacta viſione) ad quam datur talis ſpecies, intuitiua non eſt vt patet in D. Paulo, in quo poſt raptum non manſit cognitio intuitiua Diuinæ eſſentiæ alias continuò foret beatus. Ergo prædicta ſpecies intuitiua non eſt. Per quæ ſatis probatur poſſibilitas ſpeciei impreſſæ immediatæ de diuina eſſentia vt dixi in prima parte meæ concluſionis. 22

SECTIO

SECTIO IV.

Species prædicta non eſſet ſtrictè quidditatiua.

23 IAm verò ſecunda pars quod ſcilicet prædicta ſpecies non ſit ſtrictè quidditatiua probatur. Vt cognitio ſit quidditatiua ſtrictè (idem puta dictum de ſpecie impreſſa, quæ tali cognitioni proportionatur) opus eſt vt ita appareat, etiam ex parte modi obiectum qualiter ipſum eſt ex parte rei; licèt enim obiectum per ſpecies immediatas concipiatur, ſi tamen hæ non ſint conuenientes ſoli tali obiecto, non dicetur per ſpecies proprias concipi, & conſequenter nec quidditatiuè. Iam verò ille conceptus eſt proprius, fitque per ſpecies proprias obiecti in quo obiectum intentionaliter, ſeu in modo tendendi cognitionis ea ratione delineatur, & exprimitur, quâ eſt ipſum obiectum in ſe phyſicè, & à parte rei. Ergo cognitio vt quidditatiua ſit opus eſt vt etiam ex parte modi exprimat, & repræſentet obiectum quale ipſum eſt a parte rei. Confirmatur vt aliquis conceptus ſit quidditatiuus opus eſt vt cognoſcatur obiectum ſicut eſt in ſe, non ſolùm ex parte obiecti (ſic enim cum non detur præciſio ex parte obiecti omnis cognitio foret quidditatiua) ſed debet cognoſci ſic ex parte modi: Ergo in ipſo modo tendendi debet ita exprimi obiectum, vt ſi ponatur à parte rei cum eis prædicatis præciſè, & cum ea entitate quam habet delineatam in eo modo tendendi non aliter ſe haberet tunc quam ſe habeat in ſe intrinſecè, & phyſicè tale obiectum nunc verè, & abſolutè: non dico cognitionem quiddidatiuam debere eſſe ſummè claram, & diſtinctiuam, ita vt ex parte modi explicitè poſſit quis reddere rationem de ſingulis prædicatis rei quidditatiuè cognitæ, ſed ſaltem requiro ad cognitionem quidditatiuam, quod ita delineatum intentionaliter ſit in ipſa obiectum, vt eo ipſo quod à parte rei poneretur ſicut eſt in tali cognitione, neceſſario imbiberet omnia prædicata, & perfectiones, quas in re phyſicè habet prædictum obiectum, verbi gratia, qui videt albedinem format conceptum quidditatiuum de hoc colore, quia licèt non exprimat plura eius prædicata, vt *eſſe dependentem* à Deo, *miſſiuum* ſpecierum, &c. At eo ipſo, quod alicui conueniret præciſè illud eſſe intentionale prout eſt in viſione omni alio ſecluſo foret dependens à Deo, &c. In quo manifeſtè oſtenditur cognitionem quidditatiuam ſtrictè talem debere eſſe etiam ex parte modi, quale eſt obiectum ex parte rei, nec plus, nec minus, licèt non exprimat omnia explicitè, vt iterum dicam diſp. 31. ſect. 3.

Quæ cognitio dicatur fieri per ſpecies proprias, & quidditatiuas.

24 Tunc ſic ſed cognitio rememoratiua de diuina eſſentia, quæ haberi poteſt tranſacta viſione, & quam habuit D. Paulus quantumuis ſit immediata, & propria modo explicato initio huius ſectionis, non tamen eſt ita ſtrictè propria, ſolique conueniens diuinæ eſſentiæ eius imago, & delineatio intentionalis qualiter expoſui §. præced. Nam *eſſe* obiectiuum, & imago, quæ datur in illa recordatione petit quidem, & imbibit exiſtentiam in actu exercito pro illa differentia temporis in qua fuit viſio, vt contingit quando ego recordor albedinis à me viſæ heri, quæ memoria non habet modum tendendi, & delineandi albedinem vt præſentem hodie, ſed heri; ita vt ad id quod exiſtat albedo à parte rei cum eo *eſſe* quod habet in mea memoria delineatum ſufficiat, quod heri extiterit, licèt iam hodie non exiſtat. Vnde ſimiliter cognitio memoratiua D. Pauli vi imaginis, & delineationis præcedentis ad affirmationem, vel negationem (vi cuius delineationis metiri debemus quando cognitio repræſentet obiectum ſicut eſt in ſe, procedatque per conceptum proprium, nam intercedente affirmatione etiam nunc in via formamus conceptus proprios de Deo non conuenientes alteri; vt quando dico: *Deus non eſt cauſatus*, ſeu eſt incauſatus) vi inquam huius delineationis non requirebat memoria D. Pauli pro tunc exiſtentiam exercitam, ſeu præſentem eſſentiæ diuinæ, niſi ſolùm pro ea differentia temporis, in qua fuit viſio, aliàs manſiſſet D. Paulus continuo in intuitione diuinæ eſſentiæ, continuoque foret Beatus. Ergo Deus in cognitione D. Pauli rememoratiuâ non fuit intentionaliter, ſicut eſt in ſe phyſicè. Patet hæc conſequentia, nam phyſicè, & in ſe Deus non ſolùm eſt præſens, & in actu exiſtentiæ exercitæ pro vno tempore, ſed pro omnibus, vt dicam in tract. ſeq. vbi oſtendam id eſſe proprium æternitatis Dei vt ratione illius ſimul occupet omnia ſpatia temporis, ſicut ratione æternitatis occupat omnia ſpatia loci.

Cognitio memoratiua non eſt ita propria.

Cognitio quidditatiua debet eſſe propria ſecluſa affirmatione, vel negatione.

Confirmatur, & explicatur hæc probatio vt cognitio memoratiua D. Pauli non ſit ſtrictè quidditatiua. In cognitione quidditatiua ſtrictè ita datur obiectum, vt ſi poneretur à parte rei præciſè ſecundùm ea, quæ habet obiectiuè in intellectu in nullo differret ab *eſſe* quod habet phyſicè, id patet ex dictis §. 23. ſed ſi poneretur à parte rei Deus ſecundùm eam præciſè entitatem, & modum eſſendi, quem habet obiectiuè in intellectu, ſeu cognitione memoratiua D. Pauli maximè differret eſſentia Dei ab ea, quæ nunc eſt; ſiquidem in memoria D. Pauli imago intentionalis Dei non delineabatur vt exercitè exiſtens; neque vt exiſteret aliquid ſimile tali imagini opus foret vt tranſacta viſione, & raptu adhuc actualem exiſtentiam exercitam haberet: Ergo ſi poneretur à parte rei illud *eſſe* præciſè quod eſt in tali memoria, tale *eſſe* non foret eſſentia diuina: Ergo ille cóceptus, ſeu imago per ſe conuenit aliis ab eſſentia diuina (aliis ſcilicet quæ ſi darentur differrent ab eſſentia diuina, ſeu non forent eſſentia diuina.) Ergo non eſt ſtrictè proprius eſſentiæ diuinæ: Ergo illa cognitio ſtrictè loquendo non foret quidditatiua. Hæc omnia legitimè inferuntur ex dictis: ſiquidem eſſentia Dei, vel eſt actu exiſtens in omnibus temporibus ſimul, vt dixi §. præcedenti; vel ſaltem nemine refragante, talis conditionis, vt ſemper & neceſſario exiſtat, vt nunquam poſſit adaptari Deo imago, quæ actualem exiſtentiam exercitè non imbibat: Quare prædicta cognitio memoratiua abſolutè non eſt Dei ſicut eſt in ſe, ſed vt ita dicam, ſicut fuit. 25

Explicatur probatio.

Dices cognitio rememoratiua obiecti creati, verbi gratia, coloris viſi, licèt non ſit intuitiua, nihilominus eſt quidditatiua ſtrictè, abſolutè namque ſcientia ſimplicis intelligentiæ quidditatiuè comprehendit creaturas etiam non exiſtentes; & nos quidditatiuum conceptum formamus de colore viſo, neque enim per ſpecies alienas; vti res ſpirituales concipimus; ideo communiter dicitur, quod in hac vita, neque ſubſtantias ipſas, neque Spiritum cognoſcamus quidditatiuè, niſi ſola accidentia ſenſibilia. Ergo ſimiliter de Deo viſo poteſt manere cognitio quidditatiua. Conſequentia probatur, 26

Diſcrimen vt cognitio memoratiua de obiecto viſo creato ſit quidditatiua ſtrictè, ſecus de Deo.

probatur, nam ſimiliter imago coloris viſi, quæ manet clauſis oculis non ſe habet intentionaliter, ſicut ipſe color, quem pono adhuc in re præſentem eſſe, item *eſſe* obiectiuum quod eſt, & delineatur intentionaliter in tali memoria diuerſum foret ſi daretur ab *eſſe* quod in re habet color cum iſte exiſtat adhuc exercite, illud *eſſe* quod eſt in memoria non exiſtat. Ergo ſi adhuc cognitio iſta memoratiua de obiecto creato, & ſcientia ſimplicis intelligentiæ quidditatiua ſtrictè, & abſolutè eſt; ita ſimiliter dicendum de memoria D. Pauli. Reſpondeo diſcrimen vtriuſque memoriæ eſſe primo quod color viſus in inſtanti *A.* vere in ſe pro tunc fuit in ſolo *A.* non autem in *B.* ſequenti; Deus autem nunquam fuit in ſolo. *A.* ſed ſimul in omnibus inſtantibus, quare nunquam memoria de Deo illum repræſentat ſicut eſt in ſe, & ſicut fuit viſus. Secundo quod exiſtat, vel non color in *B.* eſt omnino per accidens; quare color adhuc quando concipitur abſtrahens ab exiſtentia exercita (quam forte in re habet) concipitur ſecundum modum eſſendi per ſe illi conuenientem, quod non accidit reſpectu Dei, qui licet non exiſtat ſimul in omnibus temporibus, at implicat in ſe eſſe ſine actuali, & exercita exiſtentia.

27 Dices iterum ex hoc ipſo inferri contra primam partem meæ ſententiæ non eſſe (memoratiuam) cognitionem D. Pauli propriam vllo modo, nec immediatam de diuina eſſentia, & conſequenter eſſe *ænigmaticam*, qualem habemus in via de Deo. Ratio eſt quia eſſentia diuina non poteſt concurrere ad ſpeciem, ſeu cognitionem immediatam ſui, niſi prout ipſa eſſentia diuina eſt in ſe, alioqui etiam dum videtur in ſe poſſet concurrere ad viſionem vnius attributi, & non alterius, quin opus foret vt videns diuinam eſſentiam formet talem imaginem, & conceptum de illa qui formaliter imbibat omnia attributa, & perfectiones tam abſolutas, quam relatiuas; contra ea quæ dicam diſp. 31. ſect. 3. negans poſſe videri vnum attributum ſine alio etiam ex parte modi: tunc ſic; ergo ſi cognitio memoratiua D. Pauli non eſt omnino de diuina eſſentia prout eſt in ſe, neque erit immediata. Reſpondeo cognitio intuitiua de obiecto, neceſſariò repræſentat illud in ſingulari, cum enim procedat *modo præſentiali* vt dixit Aureolus. qu. 2. art. 9. hoc eſt ita repræſentans obiectum, vt præſens quod ipſam præſentiam, & exiſtentiam exercitè prædicet in propoſitione de *eſt ſecundo adiacente* (vt aiunt) dicendo verbi gratia *Deus eſt*, ſeu *Deus exiſtit*, aliunde nil reale poſſit exiſtere niſi in ſingulari; opus eſt vt ſi cognitio intuitiua repræſentat obiectum ſicuti eſt in ſe repræſentet in ſingulari. Res autem in ſingulari, & ſecundùm vltimam differentiam accepta omnes alias rationes, & prædicata rei imbibit; alioqui non eſt ſingularis, ſiquidem concipitur per ſpeciem communem ipſi vt eſt in ſe intrinſecè, & vt eſt in cognitione verbi gratia ſi quis præcisè videat in Deo omnipotentiam. Ille conceptus de omnipotentia communis eſt, & Deo vero, & Deo ficto, qui eſſet tantùm omnipotens, & careret ſapientiâ, bonitate, immenſitate, *&c.* Ergo vt res concipiatur in ſingulari, & ſecundùm vltimam differentiam, opus eſt vt tale idolum, imaginem, ſeu *eſſe* obiectiuum in ſe formet, quod implicitè imbibat omnes alias rationes, & prædicata, & cui formaliter conueniant omnes aliæ perfectiones rei. Hæc autem non eueniunt in cognitione immediata, quæ intuitiua non ſit, ſed rectè ſtat immediatam eſſe, & in vniuerſali: nam de

Cognitio intuitiua nequit eſſe præciſiua, ſecus cognitio immediata.

ente in communi v. g. cognitionem immediatam habemus in corpore, neque enim cognoſcitur ens in alio, vel ex alio medio quod non ſit ens. Ergo rectè ſtat cognitionem immediatam eſſe, & præciſiuam, ſeu non adæquatam, quantumuis intuitiua neceſſariò adæquata ſit ſaltem implicitè, modo ſæpius dicto.

Dices tertiò licèt poſſit dari cognitio *immediata*, ſeu aliquo modo propria, quatenus ænigmatica non eſt, nec habetur per ſpecies alienas, licèt 28 inquam poſſit dari talis cognitio immediata dum pure abſtractiua ſit; non tamen poſſe ſi memoratiua ſit obiecti viſi; tunc enim talis cognitio *intuitiua* eſt ſaltem imperfectè; nam cognitio intuitiua, vt talis non petit in obiecto actualem exiſtentiam exercitam, ſeu quod tendat modo præſentiali actu pro differentia temporis vigente nunc; vt patet in ſcientia viſionis futurorum, quam habet Deus, vel quam communicaret creaturæ, vt intueretur futura in ſeipſis, quæ ſcientiæ quia in modo tendendi ab exiſtentia exercita non præſcindunt, ſed illam prædicant pro aliqua differentia temporis abſtractiuæ non ſunt, ſed intuitiuæ. Atqui ſimiliter cognitio memoratiua obiecti viſi tendit modo præſentiali pro aliqua differentia temporis. Ergo ſi immediatè tendit ad obiectum in ſeipſo, intuitiua cenſenda eſt, neque enim plus diſtat ab exiſtentia actu præſenti obiectum præteritum, quàm futurum. Hæc obiectio eſt quæ maximè vrget vt cognitio memoratiua non ponatur immediata de re viſâ, ſed ſolùm mediatè repræſentans illam in viſione præterita tanquam in medio. Cæterùm quia ipſam viſionem præteritam non repræſentat memoria in alio medio ne procedamus in infinitum, nec ideo de viſione præteritâ dicimus, dum recordamur, habere cognitionem intuitiuam; Item per memoriam non cognoſcimus propriùs, nec formamus propriorem delineationem & imaginem de viſione ipſa, quàm de colore viſo. Ideo perſiſtens meæ ſententiæ reſponderi poteſt primò cognitionem diuinam de futuris eſſe intuitiuam; quia ſimpliciter, & ſine additio dicit abſolutè de futuris: *exiſtunt*: vt latè dicam tract. ſeq. diſput. ne ſcientia Dei pro varietate, & mutatione temporum mutetur: non ita autem ſe habet cognitio memoratiua, ideo ipſa non eſt intuitiua, neque cognitio infuſa creaturæ, quæ diceret non de præſenti ſed de futuro: *Exiſtent*: Reſpondeo ſecundò vt hanc ſcientiam infuſam de futuris in ſeipſis intuitiuam defendam præ memoratiuâ. Scientia ſic infuſa ita immediatè tendit in futura, vt non ſolùm non vtatur medio, ſed neque per ſe ſupponat aliquid diſtinctum ab obiecto futuro, cui vllo modo nitatur, & quod quaſi conſignificet; At notitia memoratiua quamuis neque ipſa vtatur viſione præterita vt medio, at illi aliquo modo innititur, illamque conſignificat, ſemper namque dum quis recordatur obiecti *viſi* recordatur viſionis, imo dum immediatè repræſentat viſionem præteritam ſemper iuuatur eius præteritione, & ita ipſam viſionem immediatè repræſentat, vt ex modo tendendi illam præteriiſſe exigat, & conrepræſentet, ſeu conſignificet. vnde ſcientia illa infuſa non minori perſpicuitate tendit in exiſtentiam futuram, quàm in præſentem, idemque euenit in ſcientia abſoluta de præteritis in ſeipſis. Cæterum cognitio memoratiua longè aliter ſe habet, ac viſio de obiecto præſenti abſolutè, vt experientiâ conſtat.

Cognitio memoratiua nõ eſt intuitiua.

Licèt intuitiua ſit cognitio diuina, vel etiam creata de obiectis futuris.

Memoratiua quo differat à ſcientia abſoluta de obiecto præterito in ſeipſo.

Dices quartò cognitionem memoratiuam ſtri- 29 ctè quidditatiuam eſſe, nec poſſe eſſe præciſiuam, ſed neceſſariò

Memoria ob-

lecti intuitiuè cogniti differt à memoria abſtractiua. neceſſariò eſſe adæquatam ſaltem implicitè vt dixi de viſione beata §. 27. Ratio eſt, quia licèt talis cognitio memoratiua abſolutè, & ſimpliciter non ſit intuitio; at eſt *memoria intuitiua*, ſeu intuitio memoriæ; aliter enim recordatur quis rei à ſe cogitæ purè abſtractiuè & abſtrahendo omnino ab exiſtentia, quàm recordetur rei à ſe viſæ exiſtentis pro aliqua differentia temporis. Ergo iuxta dicta ſuprà §.27. memoria D. Pauli, quam habuit de diuina eſſentia à ſe viſa non erit vllo modo præciſiua, ſed adæquata, & quidditatiua ſtrictè; patet hæc conſequentia, nam ea cognitio memoratiua repræſentat ſuum obiectum in ſingulari; neq; enim minùs implicat apprehendere: *exiſtit*, niſi de re ſingulari, quàm *exſtitit*: ſiquidem omnino implicat rem exiſtere niſi in ſingulari: At res cognita in ſingulari neceſſariò cognoſcitur etiam ex parte modi ſaltem implicitè cum omnibus ſuis prædicatis, & perfectionibus, quin poſſit ab vlla præſcindere, vt ſatis ſuprà dixi: ergo memoria D. Pauli abſolutè, & ſtrictè erit quidditatiua. Reſpondeo cognitio intuitiua ideo eſt adæquata etiam ex parte modi quin præſcindere poſſit vllam perfectionem ſui obiecti ab alia, ideo inquam ſic adæquata eſt, non quia ſuum obiectum repræſentat in ſingulari, vtcumque ſed quia repræſentat in ſingulari *ſicuti eſt*; etenim eo ipſo quòd repræſentans ſuum obiectum in ſingulari non repræſentaret adæquatè cum omnibus prædicatis, & perfectionibus, quas habet tale obiectum, iam non repræſentaret ſicut eſt prædictum obiectum, ſiquidem cognoſceret ſingularitatem, quam tale obiectum non habet, ſeu cognoſceret aliud obiectum. Iam verò cognitio memoratiua D. Pauli licèt repræſentaret eſſentiam Dei in ſingulari ſed non *ſicuti eſt*.

Intuitiua memoria non cognoſcit rem adæquatè in ſingulari, ſicut eſt in ſe, ſed in ſingulari inadæquatè, vt hoc animal vt indiuiduum immediatum generi.

SECTIO V.

Sententiis oppoſitis ſatisfit.

30 *Solutio argum pro ſententia Thomiſtarum in ſect. 1.* PRima ſententia Thomiſtarum prout intendit omnem cognitionem, & ſpeciem immediatam de Deo eſſe intuitiuam mihi falſa eſt vt conſtat ex ſect. præced. Ad prim. in §. 1. fateor cognitionem de Deo *ſicuti eſt* ipſe Deus in ſe adæquatè, ita vt idolum ſeu imago intentionalis, quæ datur in prædicta cognitione, talis ſit, quòd poſita in *eſſe* phyſico à parte rei in nullo differret à vero Deo; fateor inquam talem cognitionem fore intuitiuam; at ſatis conſtat ex ſuprà dictis, vt ſit cognitio immediata, quin vtatur medio creato, vel cognoſcat Deum vt exiſtentem, & non ad modum creaturarum, hoc neceſſarium non fuiſſe in cognitione memoratiua D. Pauli quæ immediatè formauit imaginem, ſeu delineauit intentionaliter diuinam eſſentiam, vt præſentem pro aliqua differentia temporis, licèt non vt præſentem abſolutè pro omnibus, ideoque intuitiua non fuit, ſed neque ſtrictè quidditatiua, ſeu ſicut erat diuina eſſentia in ſe. Confirmatio adducta in eo §. 2. faciliùs ſoluitur, ſiquidem negandum non eſt poſſe dari cognitionem immediatam de aliquo obiecto quin ſit, & repræſentet ipſum ſecundùm vltimam differentiam, & ſingularitatem, vt patet in cognitione de ente in communi quæ non poteſt non eſſe propria & immediata de ipſo, ſiquidem in nullo medio diſtincto ab ente reali haberi poteſt. Ergo ſimiliter cognitio aliqua poterit eſſe immediata de Deo, & conſequenter, non *intuitiua* licèt ſic immediata.

Cognitio quatenus poſſit eſſe quidditatiua & non intuitiua.

Deinde falſum eſt ſufficere ad id quòd aliqua cognitio ſit intuitiua, ſi repræſentet obiectum ſecundùm vltimam differentiam, & ſingularitatem niſi ſimul exercitè prædicet exiſtentiam ſicut eſt in obiecto, iam verò ſcientia diuina futurorum item & angelica ita attingit, & prædicat exiſtentiam; ſecus ſe habet cognitio memoratiua S. Pauli, quæ non repræſentat exiſtentiam Dei qualis erat in ipſo Deo vt dixi §.24. Ergo cognitio, quæ à me intenditur immediata, & aliquo modo quidditatiua de Deo non eſt intuitiua. Ex quo patet nullius roboris eſſe primum, & vnicum fundamentum Thomiſtarum in §. 1.

Ad ſecundum fundamentum P. Iulij Cæſaris Recupiti in §. 3. reſpondeo ſpeciem, & cognitionem quantumuis quidditatiuam de Deo ſi tamen ab exiſtentia Dei præſcindat, intuitiuaque non ſit neque fore beatificatiuam: Ratio eſt, quia ſimpliciter obiectum non tenetur, nec poſſidetur dum vt exiſtens non percipitur; cùm enim ſimpliciter tale obiectum (in eo ſtatu præſcindente ab exiſtentia) non ſit ita nec ſimpliciter poſſidebitur; noſtra autem beatitudo non in qualibet cognitione de ſummo bono conſiſtit, ſed in cognitione, quæ ſit verè poſſeſſiua illius; quemadmodum obiectum ſenſibile tunc ſuo modulo abſolutè delectat, & beat quando vt exiſtens percipitur, & intuitiuè; non quando abſtractiuè quantumuis ſumma claritate, & diſtinctione quidditatiua cognoſcatur; neque enim delectat ſimpliciter memoria ſaporis prætetiti vel ſapor ipſe ſecundùm ſe apprehenſus abſtrahendo ab exiſtentia, ſed ſolùm delectat quando vt actu de præſenti exiſtens, & intuitiuè percipitur. Per quod ſatis patet ad fundamentum P. Recupiti in §. 3. 31

Cognitio beatifica debet eſſe intuitiua.

Tertium fundamentum contra poſſibilitatem ſpeciei quidditatiuæ de Deo in §. 4. facilè etiam diſſolui poteſt. Concedo repugnate ſpeciẽ impreſſam creatam comprehenſiuam Dei, ſeu quæ talis ſit vt quantum eſt ex ſe poſſit concurrere ad cognitionem perfectiorem, & perfectiorem ſine fine, cùm enim ſpecies impreſſa licèt concurrat nomine obiecti, at proportionanda ſit ſpeciei expreſſæ ſeu cognitioni in ordine ad quam datur, vbi hæc repugnat ſic comprehenſiua, etiàm repugnabit impreſſa comprehenſiua, vnde è contrà ſiquidem expreſſa immediata dum non ſit comprehenſiua, poſſibilis eſt; etiam talis ſpecies impreſſa, quæ comprehenſiua non ſit, poſſibilis erit, licèt repugnet comprehenſiua; & quemadmodum dicis expreſſam limitari ne ſit comprehenſiua ex imperfectione potentiæ creatæ à qua fit; ita impreſſa limitabitur ex imperfectione, & limitatione ſubiecti creati in quo recipitur: vt patet poſita ſententia, quam in opere philoſophico defendo, quòd ſcilicet poſſibilis ſit viſio intuitiua, ſeu ſpecies expreſſa quidditatiua à ſolo Deo adæquatè infuſa, non tamen ideo poſſibilis erit ſimilis cognitio comprehenſiua, ergo ſimiliter eueniet in ſpecie impreſſa. Inductio ab aliis obiectis quæ vti poſſunt immittere ſpeciem quidditatiuam inadæquatam, ita poſſunt adæquatam, & comprehenſiuam, nil probat; nam præterquam quòd Angelus ſuperior producit in inferiori inadæquatam, non tamen adæquatam, cùm nequeat ab inferiori comprehendi; nil mirum eſt, quòd etiam mittere poſſit adæquatam, cùm vtraque finita ſit, reſpiciatque capacitatem finitam, ſpeciemque expreſſam, ſeu cognitionem, cui poſſit deſeruire; quod in præſenti non contingit. Ex quo patet ad confirmationem, 32

Repugnat ſpecies comprehenſiua Dei.

nem, quæ tota euidenter inſtatur in ſpecie expreſſa; vt perpendenti conſtabit.

Cognitio quidditatiua licèt petat oriri à Deo connaturaliter, Deus tamen ex parte ſua id non exigit.

33 Ad quartum argumentum in §. 5. dato quòd connaturaliter cognitio omnis immediata,& quidditatiua debeat fieri ab obiecto, dico hanc connaturalitatem, & debitum ſe tenere ex parte cognitionis de Deo, quæ dum quidditatiua eſt, & immediata, petit immediatè procedere ab ipſo Deo: At Deus ipſe id non petit dum ipſi aliud placet, ſi enim res extrinſecæ ſubduntur libito Dei, quid ni ipſe ſibi, vt potentia exterior voluntati imperanti; vnde quemadmodum manus dum ſurſum mouetur ex imperio voluntatis violentiam non patitur, licèt alioqui manus titulo grauitatis petat deſcendere, ita hic Deus non ſubierit violentiam. Vnde concurſus qui connaturaliter fit à ſolo Deo, poteſt inſtrumento creato conuenire, vt patet in probabili ſententia admittente inſtrumentum ad creandum. Neque verum eſt vniuerſaliter loquendo quòd effectus, qui petit cauſam perfectiorem, & ſuperiorem per ſe, non ſit contentus inferiori, dum in effectu non reſplendeat tota ſuperioritas cauſæ (vti cenſeo non reſplendere in ſpecie expreſſa.) Nam motus cælorum per ſe petit fieri immediatè ab Angelo, non eſt autem dubium, quin fieri poſſit à qualitate impulsûs, & talis conditionis eſt concurſus Dei in cognitionem immediatam, ſecus concurſus cauſæ primæ, ſeu operantis modo per ſe independenti ab alio, iſte enim licèt non quoad effectum, at quoad modum agendi infinitatem imbibit, ſecus ille. Ad confirmationem ex hac doctrina nuper data reſpondeo: res quæ per ſe petit cognoſci per ſpeciem ſuperiorem exigens formaliter ſuperioritatem ſpeciei, non poteſt cognoſci per inferiorem, ſecus ſi ſuperioritas ſe habeat materialiter. Nam nemine inficiante poſſibilis eſt ſpecies impreſſa, qua Gabriel ſeipſum videat, licèt per ſe & connaturaliter loquendo ea viſio fiat eſſentiâ Gabrielis concurrente per modum ſpeciei; quæ eſſentia valdè ſuperior eſt omni qualitate ſpeciei impreſſæ. Iam verò in præſenti cenſeo eſſentiam diuinâ ſecundùm totam ſuperioritatem,& excellentiam, quàm habet, non concurrere per modum ſpeciei ad viſionem relationum, cùm enim hæc viſio creata, & finita ſit per ſe contenta eſt concurſu finito, & principio finito ſe tenente,& concurrente per modum obiecti. Vnde ſatis ſolutum eſt quartum fundamentum.

Effectus, qui connaturaliter petit cauſam ſuperiorem, quando fieri poſſit per inferiorem.

Solutio argum. §. 6.

Concurſus obiectiuus explicatur.

34 Quintum fundamentum in §. 6. ni fallor æquiuocationem patitur in explicando munere ſpeciei impreſſæ, & concurſus requiſiti ex parte obiecti, iſte enim talis eſt (vt breuiùs explicem, quod latiùs exponam in opere philoſophico) vt intelligatur aduenire, & exigi poſt completam, & proportionatam potentiam in *eſſe* potentiæ: Hoc eſt poſitis omnibus requiſitis concurrentibus, quæ intelligi debent vt potentia cenſeatur apta ad producendam cognitionem, nouus, & diſtinctus concurſus intelligitur venire ab obiecto. Ex quo fit, vt poſtquam iam intelligitur potentia noſtri intellectûs cum concurſu Dei vt cauſæ primæ, alius vlterior concurſus veniens ab obiecto requiratur, vt patet quando videmus colorem, verbi gratia, vltra concurſum potentiæ completæ,& adiutæ à Deo coëfficiente vt cauſa primâ exigitur alius concurſus ab ipſo colore. Ergo cum non requiratur minor concurſus quando ipſe Deus videtur, ab hoc, vt ab obiecto debet venire ſpecialis influxus, etiam præter illum, quem præſtat vt cauſa prima, quemadmodum quando alias Deus concurrit ſupplens concurſum cauſæ particularis, vt quando ſe ſolo producit ignem ad præſentiam caloris, vel ſe ſolo infundit cognitionem aliquam ſine influxu potentiæ, tunc non ſolùm Deus præſtat concurſum generalem cauſæ primæ, ſed etiam alium ſpecialem ratione noſtra vltra primum diſtinctum, quia ſcilicet tunc duplici titulo influit, duplex munus agit, & cauſæ primæ, & cauſæ ſecundæ ſeu potentiæ; Ergo cum reſpectu ſui viſionis, ſeu cognitionis quidditatiuæ duplici titulo concurrat, duplici indigentiæ effectûs occurrat, quatenus viſio vtpote effectus creatus indiget causâ primâ vniuerſali; & quatenus indiget concurſu obiectiuo neceſſario dicendum eſt quòd iſte ſecundus concurſus ſit formaliter diſtinctus à primo, vel primus debeat eſſe robuſtior vt vtrique titulo ſatisfaciat. Confirmatur, & explicatur hæc doctrina: pone quòd Deus infundat viſionem coloris primo concurrente potentia, at ſupplente Deo defectum ſpeciei, rectè enim poteſt ſe ſolo facere effectum ſpeciei. Pono ſecundo quòd Deus infundat viſionem ſupplendo etiam concurſum potentiæ, potentia ſcilicet nil efficiente. Profectò in hoc ſecundo caſu fortius concurret, & aliter, quàm in primo, cùm maiorem concurſum ſuppleat: Ergo ſimiliter ſi ſuppleat concurſum ſolius potentiæ,& non ſpeciei, minorem concurſum præſtabit, quàm ſi ſuppleat vtrumque, vnde ſi ponas viſionem, qua ipſa potentia intellectûs ſe videat, eſſe infuſam à Deo media ſpecie, minorem concurſum præſtabit Deus, quàm ſi eam viſionem ſolus infundat ſine ſpecie, ergo ſimiliter minorem concurſum præſtabit potentia ipſa dum dat concurſum ſolius potentiæ, quàm ſi ſimul concurrat concurſu obiectiuo, ſeu per modum ſpeciei & obiecti: Ergo Deus non ſatisfacit concurſui obiectiuo in ſui viſionem per ſolum concurſum per modum cauſæ primæ.

Robuſtior debet eſſe concurſus Dei quando non ſolùm concurrit in ſui viſionem titulo cauſæ primæ, ſed etiam titulo cauſæ particularis obiectiuæ.

Explicatur ſolutio.

Ex hac doctrina prompta eſt ſolutio fundamenti 35
in §. 6. Deus non ſatis concurrit obiectiuè eo quòd concurrat vt cauſa prima, quia concurrere obiectiuè, non eſt vtcumque concurrere obiectum, ſed concurrere impendendo ſpecialem influxum titulo obiecti, cómunicando nempe ſpecialitatem, quam habet eo quòd obiectum ſit, quæ ſpecialitas communicatur quando concurrit ſpecies, non autem quando concurrit obiectum, ſi iſtud habeat alium titulum concurrendi, & ob hunc alium titulum concurrit. Fateor quòd iam tale obiectum ſatis proportionatum erit, & ſufficiens, vt concurrat obiectiuè, ideoque non indigebit ſpecie, nihilominus, ſi ex libito talis obiecti, vel ex aliquo alio titulo non influat qua formaliter obiectum eſt; tum benè poterit ad hunc defectum ſupplendum dari ſpecies & hoc contingit in præſenti vt admittatur ſpecies impreſſa immediata Dei. Deinde quidquid ſit de neceſſitate vt Deus obiectiuè concurrat, ſicque impoſſibilis ſit ſpecies impreſſa prout huius nomine ſignificatur qualitas ordinata ad ſupplendum defectum obiecti, ſaltem hoc argumentum nondum probat repugnantiam qualitatis, quæ in re præſtet concurſum obiectiuum ſufficienter ex ſe ad complendam potentiam ex parte obiecti, etſi hoc per impoſſibile deficeret; etenim cùm non repugnet duplex cauſa totalis in actu ſecundo, non eſt cur ſtante concurſu Dei non poſſit diuinitus, ſupernaturaliterque dari concurſus alius a ſpecie, ſeu qualitate hac. Hinc ſatis patet ad confirmationem in §. 7. & totum hoc quintum fundamentum aliaque quæ excogitari poſſunt pro ſententia Thomiſtica, vt repugnet

Conceſſo toto hoc argumento adhuc non conuincitur repugnantia ſpeciei.

pugnet ſpecies abſtractiua immediata, & propria Dei: Sed quia ſtatui ſect. præcedenti huiuſmodi ſpeciem non eſſe ſtrictè, & abſolutè quidditatiuam, implicareque ſpeciem, & cognitionem de Deo abſolutè quidditatiuam, quæ intuitiua non ſit, reſpondendum etiam eſt Scotiſtis.

36 *Soluitur ſententia Scotiſtarum in ſect. 2.*

Ergo ſecunda ſententia in ſect. 2. prout dictis in ſect. præced. opponitur reijcienda eſt. Ad primum in §. 11. dico notitiam intuitiuam eſſe, quæ exercitè prædicat exiſtentiam, ſeu *eſt* de ſecundo adiacente, vt aiunt, percipiendo ſcilicet experimento ipſo exiſtentiam. At eo ipſo quod aliqua cognitio formet conceptum ſtrictè proprium, & quidditatiuum de Deo, talem nempe, vt ſi poneretur à parte rei phyſicè eo præcisè modo, quo eſt Deus intentionaliter delineatus in ea cognitione, Deus ſic in nullo differret ab eo Deo vero, qui nunc datur; eo inquam ipſo talis cognitio percipiet Deum exercitè vt exiſtentem; ſolus namque talis conceptus ſoli Deo viuo, & vero conueniret. Ergo talis cognitio erit intuitiua iuxta dicta. Vnde nego cognitionem omnino, & ſtrictè quidditatiuam poſſe eſſe præciſiuam, neque ex parte modi, poterit quidem non ita explicitè, procedere vt poſſit expreſsè reddere rationem de qualibet perfectione Dei, at ſaltem implicitè omnes perfectiones, omniaque attributa debet etiam ex parte modi attingere vt explicui §. 23. Ad id autem opus eſt vt exiſtentiam exercitè, & experimentaliter explicitè percipiat; omne namque implicitum in aliquo explicitè cognito continetur, cum nulla cognitio detur, quæ nil explicitè percipiat; nequit autem exiſtentia exercita implicitè contineri in re non exiſtente, ſicut nequeunt prædicata realia implicitè concipi & contineri, niſi *ens* concipiatur. Et hinc occurro obiectioni, quæ fieri poſſet vt ſaltem implicitè aliqua cognitio quidditatiua de Deo præſcindat ab exiſtentia, & præſentia, ſeu exiſtentiam non attingat explicitè ſicut præſcindit ab aliis attributis. Eſt enim manifeſtum diſcrimen, quod nuperrime explicui, vnde nec ſenſus externi vnquam poſſunt non explicitè attingere exiſtentiam exercitam ſui obiecti, licèt ab aliis prædicatis præſcindant; neque in conceptu quidditatiuo, in quo talis exiſtentia non exprimitur, dicetur quis implicitè concipere exiſtentiam, ſicut dicitur implicitè concipere alia prædicata, verbi gratia, formet quis conceptum quidditatiuum albedinis ſecundùm ſe, qualem Deus format illum per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, per quam exercitè non prædicat, neque exprimit exiſtentiam. Iam talis conceptus albedinis implicitè erit qualitas, accidens dependens à Deo, &c. licèt hæc prædicata explicitè non dicantur. At exiſtentia exercita, neque implicitè conueniet illi albedinis conceptui, cum iſte ſtare poſſit, & conuenire albedini, quæ verè non ſit accidens, qualitas, &c. Ex quibus omnibus ſatis patet ad hoc primum fundamentum pro ſententia Scoti. Confirmatio ibi poſita ſufficientem ſolutionem habet ex §. 26.

Omnis cognitio, quæ de Deo ſit adæquatè ſicut eſt in ſe, eſt intuitiua.

Cognitio quidditatiua nequit cognoſcere explicitè exiſtentiam, licèt non exprimat alia attributa.

Sicut neque ſenſus externus.

37 *Obiectum poteſt mittere ſpeciem communem aliis.*

Ad ſecundum fundamentum in §. 12. vt ſatis patet ex ſect. præced. admitto ſpeciem immediatam abſtractiuam Dei, at iſta nondum erit quidditatiua, & omnino propria illius, nam licèt obiectum non poſſit mittere ſpeciem obiecti extranei, ſed ſuiipſius, hoc eſt prædicati verè ipſi conuenientis, at non eſt opus vt mittat ita propriam vt ſoli ipſi conueniat, præcipuè accedente ope intellectus *agentis* denudantis talem ſpeciem à ſingularitate, vel ab aliis conditionibus, quæ in primæua ſpecie intuitiua continebantur: Ita contingit in ſpecie de ente in communi. Hæc enim immediatè immittitur ab ente reali, verbi gratia, dum intuitiuè aliquod ens in ſingulari cernitur. At accedit poſtea intellectus agens, qui eam abſtrahit à ſingularitate, quam in re habet, aliamque ſimilem efformat prædicati verè conuenientis illi enti ſingulari, non tamen ſoli, ſed aliis entibus. Similiter igitur diſcurrendum eſt in præſenti, Deus per ſeipſum immediatè immittit cognitionem ſui in ſingulari, & ſicuti eſt, ac proinde intuitiuam, poſtea autem tranſacta hac viſione intuitiua intellectus agens eleuatus, vel ipſe Deus elaborat aliam ſpeciem immediatam obiectiuè, hoc eſt immediatè etiam tendentem in diuinam eſſentiam, at iam non ſoli ipſi diuinæ eſſentiæ conuenientem, quia denudata eſt hæc ſpecies ab illa ecceitate, & conditionibus ſingularizantibus, quæ conueniebant intuitioni; quare manet talis ſpecies immedita quidem obiectiuè de Deo; at non omnino *ſicuti Deus eſt*; & ideo non eſt talis ſpecies, ſeu cognitio abſtractiua, quæ ab illa procedit ſtrictè & abſolutè quidditatiua.

Tertium fundamentum ſuadet illam cognitionem rememoratiuam D. Pauli eſſe immediatam, non ænigmaticam, nec ad modum creaturarum Deum concipientem, vel ex cognitione creaturarum illatam; ob quod talis cognitio ſupernaturalis eſt, longéque ſuperior eâ, quam habemus in via, iſta enim licet aliquo modo tendat in Deum immediatè, neque enim ſemper opus eſt dum apprehendimus Deum ipſum in aliquo medio cognoſcere. At cognitio hæc immediata de Deo, quam habemus in via per ſe ſupponit cognitionem priorem de creaturis, quibus manuducimur in cognitionem Creatoris, & ad quarum ſimilitudinem creatorem concipimus; iam verò nihil horum omnium habet cognitio memoratiua D. Pauli vt intendit hæc tertia obiectio, & ego ipſe id oſtendi latè ſectione præcedenti. Ex quo patet ſpeciem immediatam abſtractiuam de Deo, de qua in præſenti ſupernaturalem eſſe ſolúmque diuinitus poſſibilem. Cæterum cum prædicta ſpecies non ſit omnino de Deo ſicuti eſt ipſe Deus abſolutè non eſt cenſenda quidditatiua, vt ex tota hac diſput. ſatis conſtat. 38

Cognitio rememoratiua D. Pauli poſt raptum non fuit ænigmatica, ſed nec quidditatiua.

DISPVTATIO XXVII.

Vtrum poſſibilis ſit aliqua viſio Dei omnino naturalis.

SECTIO I. *Punctum difficultatis & dubitandi ratio proponitur.*

SECTIO II. *Proponitur & probatur vera ſententia de impoſſibilitate viſionis naturalis Dei.*

SECTIO III. *Confirmatur ampliùs ratio poſita, illuſtraturque propoſitis, & ſolutis ſpecialibus obiectionibus, quæ contra ipſam opponi poſſunt.*

SECTIO IV. *Expediuntur oppoſitæ dubitandi rationes in ſectione prima.*

PLVRA quæ in præſenti diſputatione dici ſolent conſulto prætermittam cum ſatis poſita, & expoſita ſint tota diſput. 19. & 20. quia tamen

Vide infra qu. 12. art. 4. dub. 1.

men in his ſolum expreſſe egi de repugnantia viſionis, quæ eſt ſupernaturale donum, vt cum hoc implicat & ſimul quod debeatur ipſa alicui ſuppoſito & ſubſtantiæ purè creatæ, ſub quo titulo excitari ſolet huiuſmodi quæſtio communiter apud Authores. Ego in præſenti vt omne vocum diſſidium ſeponatur circa nomen *ſupernaturalis* inſtituere decreui diſputationem de poſſibilitate viſionis Dei *omnino naturalis*, licet enim ſub titulo hoc à nemine, quem viderim, in controuerſiam adduci ſoleat hæc difficultas? ſed ſolum de facto loquendo de intellectu Angeli, vt D. Thomas in hac quæſt. 12. art. 4. vel de poſſibili loquendo de ſubſtantia ſupernaturali, cui licet viſio connaturalis ſit adhuc ſimpliciter ſupernaturalis vocatur, vt quæ modo eſt, lumini gloriæ connaturalis vt patet ex Ripalda tom. 1. de ſupernat. diſpur. 23. Licèt inquam ſub hoc titulo controuerti non ſoleat difficultas iſta, aptior tamen mihi viſus eſt, vt in re appareat, in quo ſita ſit excellentia viſionis, ob quam ſit ſupra omnem ſubſtantiam creatam. Eius impoſſibilitatem omnes Theologi ſupponunt rationibus tamen non ſatis efficacibus, vt erudite oſtendit Ripalda eà diſp. 23. de Supern. & nouiſſime P. Ioann. Martinon to. 1. in 1. part. diſp. 7. vbi in ſect. 5. & 6. pluſquam duodecim rationes repugnantiæ diſſoluit, & tandem ſect. 7. ob authoritatem, & maiorem congruentiam accedit ſententiæ communi; Quæ tamen ratio hîc ſit, patebit ſect. 2.

SECTIO I.

Punctum difficultatis, & dubitandi ratio proponitur.

1 Viſionem, quæ in beatis datur ſupernaturalem eſſe fides docet indeque conſequens eſſe vt nulli ſubſtantiæ creatæ debeatur connaturaliter dixi diſput. 20. Reſtat Ergo non leuis difficultas, poſſibilis-ne ſit aliqua alia cognitio intuitiua de Deo, quæ ſupernaturalis non ſit, ſicut licet amor charitatis in ſalutem conducens ſit ſupernaturalis; admittitur tamen à pluribus Theologis alius amor Dei ſuper omnia, qui ſit charitatis naturalis. Vnde etiam conſtabit quæ ſit ratio a priori, ſecluſa fide, ob quam Deum intuitiue videri à beatis tale beneficium ſit vt quoad ſubſtantiam ſupernaturale cenſeatur.

2 *Rationes dubitandi à paritate Amoris.*

Et hinc oritur prima dubitandi ratio Deus non minus eſt infinitus vt *amabilis*, quam vt cognoſcibilis, item amor beneuolentiæ circa Deum ſuper omnia in ordine amorum excellentiſſimus eſt, ſicut intuitio in ordine cognitionum. Ergo ſi adhuc viribus naturæ poteſt Deus amari ſicut eſt in ſe, darique naturalis amor ex modo tendendi conueniens cum ſupernaturali ſola differentia naturalitatis, & ſupernaturalitatis, ita cognitio intuitiua. Secundo poteſt Deus videri vt cauſa prima, & Author naturæ præciſe, quin videatur vt author ſupernaturalis vt patet in communi ſententia tuente poſſe videri vnum attributum ſine alio. Sed viſio Dei vt authoris naturæ eſt naturalis; tum quia ſimilis amor de Deo naturalis eſt, tum etiam quia actus naturalis à ſupernaturali differt ex motiuo, & obiecto formali, vt communiter cenſent Thomiſtæ: & ſaltem motiuum naturale non indiget actu ſupernaturali vt attingatur ergo, *&c.* Tertio poſſibilis eſt viſio, quæ confundat Deum cum obiecto

Ex viſione Dei vt Authoris naturæ.

Ex viſione confundente Deum cum creatura.

creato, ſicut viſio corporea ſæpe confundit vnum colorem cum alio, ergo & poterit tangere Deum ſolum ſub ratione *entis.* At talis viſio non eſt cur ſit ſupernaturalis, cum non videat Deum vt infinitum, inſufficienſque ſit ad beatitatem, imo compoſſibilis cum peccato actuali vt ait Salas 1. 2. litt. 2. diſput. 7. ſect. 1. num. 9. Ergo ſaltem aliqua viſio Dei poſſibilis eſt mere naturalis.

Quarto quia cognoſcens non debet eſſe eiuſdem abſtractionis cum cognito; (quæ eſt ratio repugnantiæ D. Thomæ hic) nam potentia ſingularis percipit vniuerſalia abſtrahentia à ſingularitate: Anima per potentias diſtinctas cognoſcere poteſt aliam ſecum identificantem potentiam: item licet daretur Angelus ſe ipſo ſubſiſtens ſine ſubſiſtentia diſtincta, non ideo eſſet naturaliter inuiſibilis Angelis de facto non abſtrahentibus a potentialitate ſubſiſtendi. Rurſus Angelus, inferior videt ſuperiorem magis abſtrahentem à materià, ſeu potentialitate. Ergo quod Deus ſit actus purus ſuperioris abſtractionis, quam intellectus creatus non ideo erit omnino *inuiſibilis.* Dices Angelus ſuperior non excedit inferiorem in abſtractione generica, & quoad gradum, ſed ſolum ſpecifica. Contra tamen vniuerſale, & ſingulare quoad gradum abſtractionis differunt iuxta Thomiſtas, ideo intellectus differt quoad gradum à ſenſu, quia ſenſus non abſtrahit ſuum obiectum a materia ſingulari nihilominus vt ſupra dixi potentia ſingularis percipit vniuerſale. Deinde ſubſtantia identificans potentias vel ſubſiſtentiam non ſolum differt penes magis & minus, ſed nouum ordinem ſimplicitatis conſtituit. Ergo & nouum gradum abſtractionis à potentialitate. Denique anima ſeparata intuitiue cognoſcit Angelum, qui in diuerſo ordine immaterialitatis exiſtit cum nullum ordinem ad corpus dicat ſicut anima.

3 *Quia cognoſcens non debet eſſe eiuſdem abſtractionis cum cognito.*

Quinta ratio ſit ſumpta ex parte Dei; nam non apparet quid perfectionis à Deo adimatur ex eo quod viſibilis ſit aliqua naturali viſione, cum res ſuperior poſſit videri ab inferiori, alias etiam abſtractiue deberet eſſe *incognoſcibilis*; item *inuiſibilis* per lumen ſupernaturale cum hoc finitum ſit. Ob hæc fundamenta P. Suar. diſp. 30. Met. ſect. 11. num. 13. fatetur repugnantiam huius viſionis non poſſe demonſtrari. Vaſquez hoc articul. 4. in commentario ſola fide teneri; Molina ſequutus. Ioannem Maiorem in aliqua creatura poſſibili non repugnare, licet in his creatis de facto ſolum ex gratia Dei venire poſſit, in quam ſententiam ſatis inclinare videntur qui admittunt cum Ripalda diſput. 23. de ente ſupernaturali ſect. 6. poſſibilem ſubſtantiam cui ſit connaturalis viſio Dei, nam vt notaui ſupra diſput. 20. ſect. 5. ſi ſemel alicui ſuppoſito creato connaturalis ſit viſio, hæc ſimpliciter *naturalis* cenſenda eſt, cum non habeat vnde ſupernaturalitatem nanciſcatur.

4 *Quia nil perfectionis in Deo minuitur.*

Quid ſentiant. P.P. Suarez Vaſquez. Molina. Ripald.

SECTIO II.

Proponitur, & probatur vera ſententia, de impoſſibilitate viſionis naturalis Dei.

Nullam viſionem Dei naturalem eſſe poſſibilem mihi certiſſime colligitur ex principiis fidei; neque enim hanc ſolam viſionem, quæ de facto datur in Beatis ſupernaturalem prædicant, (quo ſolum pacto intelligi poſſet illud: *gratia Dei vita æterna*) ſed omnem prorſus viſionem natu- 5

5 *Probatur authoritate.*

ralem excludunt iuxta 1. Timoth. 1. *Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili*; inuiſibilis namque non eſt, qui aliqua viſione, quantumuis minimâ videri poteſt; ſic color non eſt *inuiſibilis* oculo, licet non perciperetur imperfectiſſimâ viſione.

Dices *inuiſibilis* quidem eſt Deus vlla viſione naturali creaturis de facto exiſtentibus, non verò reſpectu poſſibilium, ſed contra 1. ex hoc loco colligit Auguſtinus (& communiter Eccleſia) 12. de Ciuit. cap. 9. etiam ſupremis Angelis eſſe Deum *inuiſibilem*, ſtando autem rationabili illationi non eſt cur Angelis ſit impoſſibilis naturalis viſio de Deo ſi aliàs ſecundùm ſe non implicat viſio naturalis. 2. vti dicitur *Deus inuiſibilis*; ita dicitur *Cor hominis inſcrutabile*, Ierem. 11. verſ. 10. futura contingentia ignota creaturis ſolumque à Deo annunciabilia, Iſaiæ 46. Ergo ſicut ob hæc teſtimonia nulla eſt poſſibilis nec creaturis exiſtentibus, nec poſſibilibus naturalis ſcrutatio ſecretorum cordis, præſcientia creata naturalis futurorum; omninoque colligitur implicare creaturam cui iſtæ cognitiones ſint connaturales, ita & quæ connaturaliter, vel viſione naturali videat Deum.

7 *Ratione.* Veritas iſta licèt ita manifeſtè authoritate conſtet, ratione tamen non ita manifeſta eſt vt nuper vidimus ſect. præcedenti: aliquam dedi diſput. 20. ſect. 3. ſpecialiter eam oſtendo, & probo hoc argumento. Nulla ſubſtantia poteſt propriis viribus ſua cognitione formaliter, vel æquiualenter, ſeu comprehendere obiectum ſuperius ipſo cognoſcente: Sed omnis viſio de Deo eſt talis reſpectu ſubſtantiæ creatæ: Ergo nulla viſio Dei poſſibilis eſt propriis viribus ſubſtantiæ purè creatæ, ſeu nulla viſio de Deo poteſt eſſe naturalis. Conſequentia legitima eſt in ſecundo modo primæ figuræ *celarem*. Præmiſſa quælibet ſeorſum probanda.

8 Maior igitur probatur quod ſcilicet nulla ſubſtantia poſſit comprehendere obiectum ſuperius, & perfectius ipſa probatur inquam primo inductione. Nam Angelus ſuperior ideo nequit comprehendi ab inferiori, vt docet P. Suarez lib. 2. de Angelis cap. 31. à §. 12. Item anima nequit comprehendere Angelos, vt tenet expreſsè S. Thom. in quæſt. de anima, art. 18. ad 1. ſecundi ordinis. Denique Deus obiectum adæquatum eſt ſuæ ſcientiæ, vt nullam cognitionem eliciat perfectiorem comprehenſione ſui, neque enim ſe ſuper comprehendit. Secundo eadem maior ſuadetur eo communi modo loquendi quod: *modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi*, ſeu vt dicit S. Thomas hic *cognitum* (vtique adæquatè tale) *eſt in cognoſcente ad modum cognoſcentis*, vt ſcilicet eo gradu creſcat vis cognoſcendi, quo creſcit modus eſſendi, & perfectio cognoſcentis; nec obiectum poſſit eſſe (nimirum) *adæquatè* in cognoſcente per cognitionem, niſi ſecundùm menſuram cognoſcentis: eſt enim cognoſcentis natura obiectum maximè proportionatum, & commenſuratum cognoſcenti. Tertiò ab abſurdo eadem maior ſuadetur, quia ſi aliqua ſubſtantia intellectualis, verbi gratia Angelus poſſet comprehendere ſuperiorem, fieret quod inferiori deberetur ſpecies ad talem comprehenſionem, ſeu Angelus intentionalis (vt ita dicam) ſuperior, quod abſurdum eſt; ſic enim effectus intentionaliter ſuperior contineretur ſub virtute inferiori intentionali, quod non minus abſurdi videtur importare, quam ſi in cauſa phyſicè imperfectiori contineretur effectus nobilior phyſicè.

Implicat ſubſtantia comprehenſiua obiecti perfectioris ſe proprijs viribus.

9 Denique vt eadem maior propoſitio probetur à priori pono primo in ſubſtantia intellectiua, v. g. in Angelo perfectiorem ſequi entitatem ad maiorem virtutem cognoſcendi. Pono ſecundo ſubſtantiam intellectiuam poſſe eſſe æqualem in ratione cognoſcibilis, & in ratione cognoſcitiuæ, vt ſcilicet non ſit maior vt cognoſcibilis, quam vt cognoſcitiua. Id patet in intelligentia increata; Deus enim non eſt maior in ratione cognoſcibilis quam in ratione cognoſcitiui. Ergo ſimiliter poterit inueniri hæc æqualitas in Angelo Gabriele, verbi gratia: Nunc ſic arguo: Ergo nullus Angelus poteſt elicere cognitionem comprehenſiuam obiecti perfectioris ipſo ſeu nequibit comprehendere Gabrielem perfectiorem. Conſequentia hæc probatur ex præſuppoſitis: talis Angelus erit maior in virtute cognoſcitiua, quam in ratione cognoſcibilis (ſiquidem non ſolum adæquat ſuam cognoſcibilitatem, ſed etiam ſuperexcedit, cum adæquat ſeu comprehendat maiorem cognoſcibilitatem, ſeu quod idem eſt ſubſtantiam perfectiorem, quo enim perfectior eſt res, eo eſt magis cognoſcibilis) At hæc maioritas, & exceſſus implicat, tum quia ex 1. ſuppoſito ad maiorem vim cognoſcendi creſcit perfectio, maior autem perfectio eſt maior cognoſcibilitas; tum etiam ratio cognoſcitiui, & cognoſcibilis ſunt æquales in Gabriele ex 2. ſuppoſito. Iam Angelus qui Gabrielem comprehendat, vel neceſſario eſt æqualis perfectionis, & ſic obtinui quod implicet Angelus qui poſſit comprehendere ſuperiorem. Vel talis Angelus eſt inferioris perfectionis, & ſic erit minus cognoſcitiuus, quam Gabriel, ſi enim ſubſtantia quo perfectior eſt, eo eſt magis intellectiua, Gabriel, qui vt ponitur, eſt perfectior erit magis cognoſcitiuus: Ergo cum tota Gabrielis ſphæra præciſè ſe extendat ad comprehendendum Gabrielem ipſum, id non licebit Angelo inferiori.

Confirmatur multipliciter ex præſuppoſitis hæc ratio à priori in probationem maioris in §. 7. Ratio cognoſcibilis, & cognoſcitiui ſunt æquales in Deo, & in Gabriele. Sed omnis ſubſtantia quo creſcit, vel decreſcit in vna ratione creſcit, vel decreſcit in alia, nam ſi Angelus eſt magis perfectus, eſt etiam magis intellectiuus (eſſe autem magis perfectum, & eſſe magis cognoſcibilem per inde eſt, quo enim res eſt perfectior, eo perfectiorem cognitionem requirit vt comprehendatur) & è conuerſo, quo magis intellectiuus eſt, eo eſt magis perfectus: Ergo ſemper in ſubſtantia intellectiua æqualis remanet ratio cognoſcibilis, & cognoſcitiua ex communi axiomate: *ſi æqualibus æqualia addas, vel demas, quæ remanent ſunt æqualia*, & conſequenter implicabit ſubſtantia comprehenſiua connaturaliter obiecti perfectioris ſe. Confirmatur ſecundo ſubſtantia intellectualis quo perfectior eſt eo eſt magis cognoſcitiua? ergo habere debet obiectum, quod penetrare nequeat ſubſtantia minus perfecta, ſi enim idem obiectum æquè patet vtique non erit vis cognoſcendi maior in ſubſtantia prima perfectiori, quam in ſecunda imperfectiore. At hoc obiectum non eſt perfectius primà ſubſtantia, nam ſi perfectius eſt erit magis cognoſcitiuum tale obiectum, vnde redit argumentum de hoc ſine fine: Ergo ſubſtantia intellectiua nequit comprehendere, & commenſurari in cognoſcendo cum obiecto ſuperiori ſeipſâ. Confirmatur tertiò; licèt fingamus poſſe aliquam ſubſtantiam intellectualem eſſe magis cognoſcibilem quam cognoſcitiuam, ſicut abſolutè poteſt aliqua res eſſe cognoſcibilis, quin ſit cognoſcitiua vt patet in lapide: at ſaltem cognoſcens eſſe non poteſt,

teſt, quin ſit cognoſcibilis. Ergo nec magis cognoſcens, quin ſit magis cognoſcibilis; quia vt conſtat ex dictis non poteſt res eſſe magis cognoſcitiua quin ſit magis perfecta, ſed eſſe magis perfectam eſt eſſe magis cognoſcibilem. Ergo non poteſt eſſe magis cognoſcens, quin ſit magis cognoſcibilis, ergo implicat quod aliqua ſubſtantia ſe ſupercomprehendat, ſic enim maior eſſet vis cognoſcendi, quam cognoſcibilis. Maneat ergo nullam ſubſtantiam poſſe propriis viribus formaliter, vel æquiualenter comprehendere obiectum ſuperius ipsâ ſubſtantia cognoſcente.

11 *Omnis viſio Dei eſt magis perfecta, quam comprehenſio cuiuſuis creaturæ.* Iam minor præmiſſa in §.7. nimirum, quod omnis viſio de Deo formaliter, vel æquiualenter eſt ſupercomprehenſio reſpectu cuiuſuis ſubſtantiæ creatæ, ſeu eſt comprehenſio obiecti ſuperioris ipſa ſubſtantia, ſuadetur: nam quælibet viſio de Deo melior eſt, & perfectior in ratione cognitionis quam ſit comprehenſio cuiuſuis creaturæ, tum quia æſtimabilior eſt, cum ſatiet appetitum, poſſideatque ſummum bonum, quod nulla cognitio de obiecto creato præſtare poteſt; tum etiam quia maiorem perfectionem aperit in obiecto: quodlibet enim prædicatum diuinum, quantumuis præciſum ab omni alio *infinitum* eſt, & plus perfectionis importans, quam ſint omnes creaturæ, vnde plus replet intellectum, pluresque perfectiones oſtendit quælibet Dei viſio, quàm comprehenſio creaturæ cuiuſuis; ergo ſaltem æquiualenter eſt comprehenſio perfectioris obiecti, quam ſit quælibet ſubſtantia creata; ergo ex dictis nulli ſubſtantiæ creatæ poteſt eſſe connaturalis.

SECTIO III.

Confirmatur amplius ratio poſita illuſtraturque propoſitis, & ſolutis ſpecialibus, obiectionibus, quæ contra ipſam opponi poſſunt.

12 *Implicat ſubſtantia cuius virtuti naturali cognoſcitiua non poſſit fieri ſatis per cognoſcibilitatem creatam.* VT prædictam rationem in ſect. præced. amplius confirmem ſic eam formo. Nulla ſubſtantia poteſt naturaliter cognoſcere comprehenſiue formaliter vel æquiualenter ſubſtantiam perfectiorem ſe, perfectiorem inquam ex linea cognoſcitiua præciſe, ſeu nulla ſubſtantia creata ita poteſt creſcere in vi cognoſcitiua, quin æqualis cognoſcibilitas creata poſſit ei correſpondere; imo copioſior eſt linea cognoſcibilitatis, cum non ſolum creſcat ex vi cognoſcendi formaliter; ſed etiam ex qualibet perfectione verbi gratia durandi, vbicandi virtutis factiuæ, *&c.* Ergo nulla eſt ſubſtantia creata, quæ propriis viribus poſſit ſupercomprehenſionem ad omne obiectum creatum, ſeu cuius virtuti cognoſcitiuæ non ſatisfaciat, compararique poſſit vt æqualis cognoſcibilitas alicuius obiecti creati. Tunc ſic, ſed viſio Dei, vt conſtat ex num. præced. eſt æquiualenter (quod perinde eſt ad præſens, vbi enim aliquod prædicatum titulo maximæ perfectionis nequit conuenire creaturæ, nequibit item conuenire aliud æquiualens) eſt inquam viſio Dei ſupercomprehenſio cuiuſuis obiecti, & cognoſcibilitatis creatæ; infinite enim excedit perfectio viſionis Dei perfectionem comprehenſionis omnium creaturarum. Ergo viſio Dei nulli creaturæ poteſt eſſe naturalis.

13 Denique ſic à priori iuxta mentem, & modum loquendi S. Thomæ confirmatur ratio facta. Perfectio cognoſcendi connaturaliter ſequitur perfectionem eſſendi, vt ſcilicet maior cognoſcendi vis arguat excellentiorem perfectionem in natura cognoſcente; eſt enim vis intelligendi ſumma, & maxima nobilitas rei à qua pendet tota eius æſtimabilitas; ideo in ente infinito primus conceptus eſt intellectio infinita? Igitur ad menſuram perfectionis eſſendi creſcit perfectio cognoſcendi connaturaliter. Dico *connaturaliter*, & ex propriis viribus, nam hoc arguit perfectionem cognoſcentis, quod habet ex ſe, non quod emendicat ab alio. Tum ſic ſed omnis exceſſus perfectionis in eſſendo quem poteſt habere quælibet ſubſtantia creata reſpectu alterius ſatis exprimitur in vi cognoſcendi infra viſionem intuitiuam Dei: etenim infra hanc eſt quælibet cognitio, quantumuis perfectiſſima, de obiecto creato, ergo poteſt creſcere ſine fine vis cognoſcendi infra viſionem Dei, ergo & poteſt dari in virtute cognoſcendi exceſſus ſatis correſpondens exceſſui eſſendi in ſubſtantia creata quin aſcendat ad viſionem Dei ergo nulla ſubſtantia creata eſt poſſibilis, ſupra cuius ſummam cognitionem non ſit quælibet viſio Dei & conſequenter nulla viſio eſſe poterit naturalis. *Ex mente S Thomæ arguitur.* Illuſtratur maxime tota hæc doctrina ſi perpendantur obiectiones, & ſolutiones ſequentes. *Obiectiones Ex lumine gloriæ.* Prima ſit: intellectus ipſe completus lumine gloriæ, hoc inquam coniunctum ex intellectu, & lumine poteſt elicere ſaltem æquiualenter ſupercomprehenſionem ad ſe, quam ſupra omne obiectum creatum; hoc eſt poteſt elicere cognitionem perfectiorem, quam ſit comprehenſio ſui, & cuiuſuis obiecti creati; talis namque eſt viſio Dei, quam connaturaliter elicit coniunctum prædictum. Ergo non eſt vera doctrina à me poſita quod nulli ſubſtantiæ intellectiuæ poſſit eſſe connaturalis cognitio perfectior cognitione comprehenſiua ſui. *Soluitur.* Reſpondeo meam doctrinam, & ſententiam procedere in ſubſtantia operante propriis viribus vt dixi num. præced. quando enim operatur vt eleuata, iam non eſt commenſuranda perfectio ipſius ſubſtantiæ cum obiecto, ſed perfectio diuina, cui tota hæc excellentia tribuitur. Deinde loquor de ſubſtantia intelligente qua intelligens eſt formaliter, operaturque intelligendo, ſic autem non operatur lumen gloriæ; neque enim ſupra ipſum cadit denominatio videntis. Denique hæc obiectio communis eſt æque probans contra omnes viſionem beatam ſupernaturalem de facto poſſe eſſe connaturalem alicui ſubſtantiæ creatæ de quo vide diſput. 20. §. 85.

Obiicies ſecundo vt cognitio etiam propriis viribus elici poſſit ab aliqua ſubſtantia, licet talis cognitio ſit comprehenſiua obiecti perfectioris. Nam licet cæteris paribus quo Angelus verbi gratia eſt magis cognoſcitiuus ſit magis perfectus ex alio tamen capite poterit creſcere perfectio minus cognoſcitiui; ſicut licet *incorruptibile* ex genere ſuo ſit magis perfectum, hæc maior perfectio poteſt compenſari, & excedi aliunde in ſubſtantia corruptibili vt patet in homine collato cum ſole: ſimiliter ergo poni poteſt in præſenti quod Angelus *A* licet minus cognoſcitiuus ſit tamen perfectior Angelo *B.* magis cognoſcitiuo, eſt inquam Angelus *A* perfectior quia eſt maioris virtutis phyſicæ, non *conſtans ſubiecto ſpirituali*, nec partibus integrantibus eſt *incorruptibilis*, &c. Tum ſic ſed Angelus *A*, ſe comprehendit omnis enim Angelus ſe ipſum ſaltem naturaliter valet comprehendere. Ergo etiam comprehendetur ab Angelo imperfectiori *B.* ſiquidē iſte magis cognoſcitiuus eſt. Reſpondeo 14

Angelus imperfectior nō poteſt eſſe magis cognoſcitiuus.

pondeo eo ipſo quod Angelus *B.* ſit minus perfectus, careatque illis perfectionibus quas habet Angelus *A*, implicat eſſe magis cognoſcitiuum, quam *A*. perfectio namque intelligendi non ſolum cæteris paribus vtcumque ſuperat perfectionem, ſed omnino, & ex toto genere, ſic nullus dicet ſubſtantiam *non cognoſcitiuam* ex aliquo capite poſſe eſſe talem, vt omnibus penſatis præſtet cognoſcitiuæ; quare vbi perfectiones ſimpliciter loquendo ſunt excellentiores in aliqua ſubſtantia fundantur in meliori virtute cognoſcitiua, vt iſta ſit vnica menſura incrementi in perfectione; ideo Anima rationalis permittit imperfectionem actûs incompleti, ordinati ad materiam, *&c.* Præ Angelo, quia minus cognoſcitiua eſt. Item nullo alio fundamento Angelos perfectiores facimus de facto magis cognoſcitiuos; & Dei infinita perfectio fundatur in infinita vi cognoſcendi, vt dicam §. ſequenti. Ergo Angelus imperfectior nequit comprehendere perfectiorem.

Tertia obiectio quod Deus foret æque cognoſcitiuus ſine immenſitate.

15 Obiicies tertio vt poſſit ſubſtantia intellectiua creſcere in ratione *cognoſcitiua*, pluſquam in ratione *cognoſcibilis*; Ex quo manifeſte fiet poſſe adæquate ſeu comprehendere obiectum magis cognoſcibile, ſeu magis perfectum. Si per impoſſibile Deus maneret ſine immenſitate verbi gratia nunc foret magis cognoſcitiuus, quam cognoſcibilis; etenim de facto æqualis eſt in Deo vis cognoſcendi cognoſcibilitati diuinæ, ſiquidem ſe non ſupercomprehendit, & conſequenter diminuta hac cognoſcibilitate per ablationem perfectionis immenſitatis, dum vis cognoſcendi maneret eadem maneret neceſſario inæqualis. Tum ſic ſimiliter contingeret ſi ponas Angelum vnum extenſum verbi gratia ad vnam leucam, qui tamen ſit cognoſcitiuus ſui commenſurate, & æqualiter ad cognoſcibilitatem, quemadmodum Deus immenſus ſuæ cognoſcibilitati æqualis eſt. Iam ſecundus Angelus eo quod non ita extenſus eſſet in ordine ad locum, vt primus (in quo caſu foret minus perfectus, & conſequenter minus cognoſcibilis) non inquam ideo foret minus cognoſcitiuus; nam videmus animas materiales minus extenſas verbi gratia in lince eſſe magis cognoſcitiuas quam extenſiores. Ergo per accidens ſe habet ad vim cognoſcendi extenſio localis. Ergo poſſet eſſe tam Deus, quam Angelus minus extenſus localiter, & conſequenter minus perfectus licèt magis cognoſcitiuus. Reſpondeo quantumuis vis cognoſcitiua vndequaque non adimpleat formaliter omnem lineam entitatiuam, ſeu cognoſcibilitatis, & perfectionis, adimplet tamen eminenter ſaltem in puris intelligentiis ſpiritualibus (quæ ſolæ poſſunt ſe comprehendere, aliis enim cognoſcentibus datum non eſt habere tam perfectum modum cognoſcendi qualis eſt comprehenſio, ſiquidem nec anima rationalis dum eſt in corpore ſufficiens eſt ad eliciendam aliquam comprehenſionem) vt patet de facto in Angelis de quibus certum eſt eſſe magis cognoſcitiuos quo ſunt magis perfecti ſeu cognoſcibiles: item in Deo tota perfectio entitatis radicatur in ſumma vi cognoſcendi. Quod explicatur appoſitiſſimo exemplo potentiæ phyſice effectiuæ, quæ licet non ſit tota entitas rei; ſed ipſa res plura includat vt producibilis, quam vt productiua, ſeu effectiua, verbi gratia ignis vt *productiuus* ſolum dicit potentiam ignefactiuam; in ipſo autem non eſt ſolum *producibilis* hæc ratio ſed ratio corporis ſubſtantiæ, *&c.* Nihilominus licèt hæc ſic ſe habeant ita virtus productiua commenſuratur ſecum vt producibili, quod non poſſit eſſe maior ignis vt productiuus, quam vt producibilis; neque enim poteſt ignis adæquate producere maius producibile quam ſe licet poſſit inadæquate. Ergo ſimiliter licet inadæquate poſſit intellectus cognoſcere obiectum magis cognoſcibile ſeu perfectius ipſo intellectu, non tamen adæquate, & per comprehenſionem: ex quibus omnibus ſatis patet ſolutio ad totam hanc obiectionem.

Non foret quia omnis perfectio ſubſtantiæ perfectè cognoſcentis fundatur in vi cognoſcitiua; quæ eminenter continet omne formalitatem rei.

Explicatur appoſitiſſimo exemplo.

Obiicies quartò quilibet Angelus cognoſcit omnia naturalia. Ergo Gabriel. verbi gratia cognoſcit omnia prædicata Michaëlis perfectioris. Etenim omnia prædicata Michaëlis naturalia ſunt. Ergo Gabriel intuitiue cognoſcit quidquid formaliter, & eminenter eſt in Michaele, omnia namque eminentialia reſplendent in formalibus; ſi enim ego video verbi gratia Deum poſſe producere Petrum, implicat quod Petrum in Deo non videam, & ſic de aliis. Ergo in ea viſione Gabrielis exiſtit Michaël intentionaliter tantus, quantus eſt in ſe realiter. In hoc autem formaliſſimè conſiſtit comprehenſio. Confirmatur ex S.Tho. 1. part. quæſt. 109. art. 3, ad 3. vbi ait inter Angelos non eſſe illuminationem in naturalibus, quia omnes à principio cognouerunt, quæ ad naturalem cognitionem pertinent. Tunc ſic ſed naturali cognitione comprehenditur Michaël. Ergo comprehenditur à Gabriele, alias ſi iſte illum non comprehenderet; Ergo aliquid lateret illum de Michaële, & conſequenter quoad hoc poſſet edoceri, & illuminari. Reſpondeo Gabriel cognoſcit de Michaële omnia formalia implicite, ſed non explicite, ideo non attingit connotata quæ eminenter ſunt in Michaële, ſicut viſio corporea, quæ non præſcindit attingit implicite in albedine vim productiuam ſpecierum vt dico diſp. 31. ſect. 3. Sed non ideo exprimit ipſas ſpecies. Quare non eſt neceſſarium vt comprehendat Michaëlem. Neque verum eſt quod quilibet Angelus cognoſcit, & videt explicite omnia naturalia, niſi tantum inferiora, ſuperiora autem implicite; alioqui quilibet Angelus infimus non ſolum ſuperiorem, ſed etiam ſupremum Angelum comprehenderet. Ad confirmationem: ſanctum Thomam intelligo de cognitione naturali, & naturalium infra ſe, vel naturali non comprehenſiua. 16

Quomodo verum ſit quod Angelus cognoſcit omnia naturalia.

Obiicies quintò. Contemplatio, quam habet Angelus de Deo, in qua conſiſtit eius beatitudo naturalis perfectior eſt, quam perfectiſſima comprehenſio ſui, vel alterius cuiuſuis creaturæ. Ergo poteſt dari in Angelo perfectior cognitio, quam perfectiſſima comprehenſio de obiecto creato. Antecedens patet primo ex dictis §. 11. cum illa cognitio de Deo, non vero alia quantumuis, perfectiſſima de obiecto creato ſit beatitudo, & quietet appetitum Angeli, ſecundò quia vt ait Ariſtoteles cognitio de rebus altiſſimis, licet inadæquata, & obſcura, melior eſt quam clariſſima de rebus infimis. Reſpondeo illa beatitudo naturalis Angeli cum in cognitione abſtractiua conſiſtat, & non intuitiua, vel intuitioni innixa immediate ad Deum non fertur, ſed mediate, indiſtinctaque eſt à comprehenſione de ipſo Angelo. Huius enim beatitudo naturalis conſiſtit in perfectiſſima cognitione, quam ex creaturis poteſt habere de Deo, alia enim quæ immediate feratur in Deitatem, vel intuitiua eſt, vel intuitioni innitens vt de rememoratiua dixi diſput. 26. Vnde nunquam habet perfectiorem cognitionem, quam ſit comprehenſio ſui. 17

Cognitio in qua conſiſtit beatitudo naturalis Angeli eſt ipſa comprehenſio de ipſo Angelo.

Obiicies ſextò Amor Dei propter ſe eſt perfectior 18

fectior amore maximo ſui, tamen iſte amor poſſibilis eſt naturaliter: Ergo & viſio perfectior comprehenſione ſui. Probatur antecedens: nam amor Dei propter ſe ſupernaturalis eſt perfectior amore maximo ſui licèt ſupernaturali; eſt enim ille amor charitatis Dei ſupernaturalis, verbi gratia, forma *ſanctificans, vltima diſpoſitio ad gratiam, incompoſſibilis cum omni peccato*, quæ excellentia non competit vlli amori de creatura quantumuis ſupernaturali. Reſpondeo amor ille poſitus in obiectione, qui amat Deum propter ſe, eſt quidem perfectior moraliter, ſeu in genere moris; non tamen phyſicè, & in eſſe entis. Id patet nam amor Dei propter ſe quantumuis remiſſiſſimus, & debiliſſimo conatu factus; quantumuis fiat ab homine, ſeu humanus ſit habebit omnes illas excellentias, quas obiectio expendit; præ intentiſſimo alio amore de creatura, qui fiat verbi gratia à ſupremo Angelo, & tamen de hoc ſecundo amore dubitari non poteſt, quin in *eſſe* entis perfectior ſit primo. Deinde hæc ſolutio ſuadetur ſecundo; nam amor ille etiam eſt perfectior, habetque illas excellentias præ actu perfectiſſimo cognitionis tendentis etiam in Deum propter ſe; quæ tamen cognitio phyſicè loquendo perfectior eſt prædicto amore. Tertiò illæ excellentiæ, quæ expenduntur in amore Dei propter ſe omnino ceſſarent, ſi fieret ſine libertate, tuncque talis amor neceſſario factus non haberet eam præſtantiam, & exceſſum comparatione amoris facti toto conatu circa creatum obiectum, cum tamen perfectio phyſica eadem ſit licet deficiat libertas.

Amor de Deo non eſt phyſicè ſemper perfectior amore de creatura.

SECTIO IV.

Expediuntur oppoſita dubitandi rationes in ſectione prima.

19 AD primam in §. 2. concedo dari poſſe amorem beneuolentiæ Dei ſuper omnia; nego tamen viſionem naturalem. Diſcrimen eſt quia viſio immediatè commenſuratur cum obiecto ſecundùm huius *eſſe* reale; amor verò ſolùm ſequitur cognitionem, quin obiectum reale per ſe phyſicè loquendo ei aliquam perfectionem communicet. Ergo neceſſarium eſt vt viſio ſit nobilioris naturæ pro maiori excellentia obiecti, amor verò tunc ſolùm creſcet, quando vt tendat in obiectum nobilius opus fuerit cognitione nobiliori. Cum autem cognitione etiam imperfecta, & naturali ſatis proponi poſſit bonitas infinita vt amabilis, non creſcet amor proportionatè excedens alios amores, vt ex hoc creſcit viſio Dei. Si tamen detur aliquis amor, qui per ſe requirat claram viſionem Dei *ſicuti eſt* tunc talis amor de Deo *ſicuti eſt* etiam excedet omnem naturalem. At communiter nomine amoris Dei *ſicuti eſt* ſolum intelligendus venit amor de Deo propter ipſum, quin ad aliud referatur; ſiue hoc fiat prælucente cognitione immediata de Deo, ſiue mediata; quare ſimpliciter admittendus eſt talis amor circa Deum, etiam naturalis (licèt non deſint Thomiſtæ, qui negent hunc amorem Dei ſuper omnia eſſe naturalem) ſecus cognitio Dei ſicuti eſt quæ ſtat pro viſione Dei intuitiua; talis autem viſio vt ex dictis conſtat naturales vires excedit.

Diſcrimen vt poſſibilis ſit amor naturalis Dei ſicuti eſt præ viſione.

20 Ad ſecundam dubitandi rationem poſitam in eodem §. reſpondeo admiſſo Deum poſſe videri præcisè vt *cauſam primam*, & *Authorem naturæ*, adhuc viſionem illam non fore naturalem, tum quia Deus etiam vt ſic eſt in ſeipſo in eſſendo *ſupernaturalis* licèt in ordine ad operationes ad extra naturalis dicatur vt dixi diſput. 19. ſect. 5. in obiectione 4. viſio ergo quæ ſpecificatur ab ipſo vt eſt in ſe iam habet vnde ſupernaturalitatem hauriat, licèt id non habeat amor ob dicta §. præced. tum etiam quia naturalitati obiecti ſufficit vt attingi poſſit aliquo actu naturali, ſic autem Deus vt cauſa prima per cognitionem abſtractiuam naturalem attingitur: at poteſt obiectum naturale ita attingi perfectè vt ſola ſufficiat cognitio ſupernaturalis huic perfectioni, quemadmodum eclypſis *vt futura*; licèt abſtractiuè naturaliter cognoſci poſſit: ſecus intuitiuè; ita ergo dicendum eſt de perfectione cognoſcendi intuitiuè Deum, etiam vt authorem naturalem; nam Deus etiam vt ſic ita nobilem modum eſſendi habet vt ſupra omnem cognitionem naturalem ſit eius intuitio vt dixi §. 11.

Deus vt Author naturæ eſt in eſſendo ſupernaturalis ex diſput. 19. ſ. 30. & 35.

Viſio naturalis non ſufficit pluribus obiectis naturalibus.

Ad tertiam inſtantiam ibidem poſitam reſpondeo in primis cognitionem intuitiuam, qua cognoſceret Deum præcisè ſub ratione *entis*, ſeu illum confunderet cum aliis entibus abſolutè non eſſe dicendam *viſionem Dei*; tum quia nihil proprium Dei reſpicit; tum etiam, quia aliàs modo de facto, & in via poſſet quis dici *videre Deum*; ſi enim æquè licèt præſcindere rationem communem per cognitionem intuitiuam, ſicut per abſtractiuam: ſimiliter ſicut Deus dicitur attingi abſtractiuè, quando concipimus rationem communem abſtractiuè *entis*; ita etiam, viſa intuitiuè ratione *entis*; diceretur Deus videri intuitiuè; & cum certum ſit nos de facto formare conceptum immediatum, & per ſpecies proprias de *ente* in communi; ſimiliter etiam diceremur modo de facto in via concipere Deum per ſpecies proprias & immediatas, quod abſurdiſſimum eſt, & à nemine admiſſum. Deinde abſolutè nego eſſe poſſibilem cognitionem intuitiuam, quæ confundat Deum cum creatura. Ratio huius eſt quia cognitio intuitiua repræſentat exercitè ſuum obiectum vt præſens, hoc eſt experimento ipſo percipit eius exiſtentiam exercitam: ex quo fit, licèt non explicitè, implicitè ſaltem attingi omnes perfectiones, & prædicata rei viſæ intuitiuè, vt ſæpiùs explicui diſput. præced. ſect. 3. & 4. patetque exemplo viſionis materialis de albedine, verbi gratia, in qua albedo intentionaliter expreſſa talis eſt, vt imbibat prædicatum *dependentiæ* à Deo, &c. ita vt eo præcisè quod exiſtat à parte rei, ſicut eſt intentionaliter in ea viſione *albedo*, de conceptu formali huiuſmodi albedinis eſſet dependere à Deo, licèt id non declaret explicitè illa viſio. Tunc ſic, ſed in viſione intuitiua nequit formari talis imago Dei, ſi ſolum attingatur Deus ſecundùm rationem communem, etenim eo ipſo vt patet, de eius conceptu formali non eſſet differentia propria Deitatis: Ergo cognitio intuitiua nequit eſſe præciſiua vnius formalitatis ab aliis neque ex parte modi vt amplius explicabo diſp. 31. ſect. 3. Confirmatur, cognitio intuitiua explicat ſuum obiectum in ſingulari, nequit enim apprehendi res exercitè exiſtens niſi in ſingulari; nulla autem ratio vt in ſingulari accepta Deo, & creaturis eſt communis; ergo cognitio intuitiua nequit confundere cum creatura. 21

Implicat cognitio intuitiua confundẽs Deum cum creatura.

Quarta ratio dubitandi in §. 3. nulla eſt, ſi ratio S. Thomæ accipiatur, vt accipienda eſt, de cognitione comprehenſiua, ſeu de cognitio adæquatè; item de abſtractione, non quidem à materia phyſicè 22

S. Thomas modus cognoſcendi comprehenſ.

unt, & adæquatus ſequitur modum eſſendi. ſicè accepta, ſed methaphyſice prout potentialitatem ſeu imperfectionem importat; vt tandem ſenſus ſit: cognoſcens debere eſſe eiuſdem abſtractionis ſeu receſſus ab imperfectione cum obiecto, quod adæquate cognoſcitur: ſeu non poſſe elicere cognitionem adæquatam formaliter vel æquiualenter obiecto magis abſtracto ab imperfectione. Quo pacto rectè ſtat dictum S. Thomæ: *Quod ſi modus eſſendi alicuius rei cognitæ excedat modum, ſeu perfectionem naturæ cognoſcentis oportet quod cognitio illius* (adæquata nimirum & proportionata rei) *ſit ſupra naturam illius cognoſcentis*; neque infringitur hæc ratio ſic expoſita per oppoſitas inſtantias, quæ ibi opponuntur; nam in his abſtractio phyſice tantum accipitur, ſeu à materia phyſica, non autem à methaphyſica, ſeu ab imperfectione. Deinde viſio vnius Angeli circa ſuperiorem non eſt formaliter, aut æquiualenter adæquata; quare non mirum ſi poſſit eſſe de obiecto perfectiori: ſicut cauſa bene poteſt attingere effectum perfectiorem dum ad ipſum inadæquate concurrit ſecus dum adæquata eſt.

23 *Qualiter pertineat ad excellentiã Dei eſſe naturaliter inuiſibilem.* Hinc tandem apparet ad quintam rationem dubitandi in § 4. Quid perfectionis indicet in Deo hæc *inuiſibilitas* arguit namque primò tantam eſſe eius excellentiam vt vel minimum de illa penetrare æquiualeat, & ſuperet omnem ſcientiam de re creata, mirabiliuſque ſit quodlibet Dei attributum vt eſt in ſe, quam coniunctum ex omnibus creaturis, quare licèt Deus ſuperior maneret qualibet re creata; etiamſi ab ipſa videretur; non tamen ea ſuperioritate, & excellentia quæ ſimplicem eius intuitum perfectiorem redderet omni alia cognitione. Secundò ad excellentiam Dei pertinet non ſe oſtendere nimis obuium & viſibilem cuilibet niſi pro placito, vel ſaltem poſſe ſe occultare ita vt ſolum ex indulgentia, & liberalitate ſe conſpiciendum præbeat; ſi enim hoc ſpectat ad maieſtatem regiam in humanis, ne facilis ſit cuilibet infimæ plebis ad Regem aditus, quidni idem dicamus de Deo reſpectu cuiuſuis creaturæ, quæ comparatione Dei pro nihilo reputatur? Tertiò etiam commendat diuinam excellentiam quod tantum bonum ſit *videre Deum*, vt nullum aliud maius pure creatum poſſibile ſit quod in ea viſione non includatur, vel cum quo viſio non connectatur (hoc addo propter gratiam ſanctificantem cum qua connectitur viſio, nam vnio hypoſtatica non affert donum pure creatum) iam vero vt conſtat ex diſp. 20. §. 73. libito Dei debet ſubeſſe, & eius liberalitati abſque vlla obligatione ditare creaturas ſpecialibus, & gratioſis donis.

24 *Non vero eſſe omnino incognoſcibilem.* Neque ideo perfectio Dei obſtat cognitioni abſtractiuæ, nam hæc non ita commenſuratur cum perfectione obiecti abſtractiue cogniti, nec ſequitur eius naturam immediate, ſed ſecundum proportionem medij è quo ducitur: vnde ſicut dixi de amore §. 19. non creſcit cognitio abſtractiua proportionate excedens alias cognitiones ſecundum excellentiam obiecti; ſed fieri poteſt vt cognitio de obiecto imperfecto perfectior ſit ex nobilitate medij: non ergo minuitur excellentia Dei quod cognitioni abſtractiuæ pateat: imo commendatur. Hoc enim ideo contingit, quia nulla vel minima res eſſe poteſt ſine Deo. Denique nec ex dictis ſequitur Deum etiam per lumen debere eſſe *inuiſibilem*, nam ſolum natura nequit comprehendere obiectum perfectius, quando cum propriis viribus operatur: etenim aliena virtute Angelus inferior ſuperiorem comprehendit, etiamſi ratione luminis ſuperadditi non excedat in perfectione Angelum cognitum. Cuius ratio eſt quia lumen operatur vt inſtrumentum Dei pure phyſicum non autem vt ratione ſui cognoſcens, quare non requirit proportionem, quæ debet eſſe inter cognoſcens, & cognitum vt dixi §. 13.

DISPVTATIO XXVIII.

De lumine gloriæ.

SECTIO I. *De exiſtentia luminis, & eius diſtinctione ab ſpecie impreſſâ.*

SECTIO II. *De Muneribus luminis.*

SECTIO III. *Vtrum lumen ſit tota ratio agendi?*

SECTIO IV. *Vtrum ſine lumine poſſit intellectus elicere viſionem per auxilium extrinſecum?*

SECTIO V. *Confirmatur amplius poſſibilitas auxilij extrinſeci ad viſionem: probaturque non implicare eandem viſionem factam per lumen, & auxilium intrinſecum fieri per extrinſecum; quantumuis talis viſio ſit modus in actione conſiſtens.*

DISPVTATIO iſta grauiſſimas continet difficultates maximè, quæ in ſect. 2. & 3. Sed quia plures dependent ex dicendis in aliis materiis, earum tractationem illis reſeruo, expendens tamen quæ pro præſenti ſufficiant. *Vide infrà quæſt. 12. articulo 5. per octo dubitationes.*

SECTIO I.

De exiſtentia luminis & eius diſtinctione ab ſpecie impreſſâ.

NOmine luminis gloriæ intelligitur hìc qualitas ſupernaturalis permanens eleuans intellectum ad viſionem Dei, quod negabant Beguardi, & Beguinæ relati in Clementina *ad noſtrum de hæreticis* hac propoſitione quam damnat Concilium Viennenſe *anima non indiget lumine ipſam eleuante ad Deum videndum*. Ob quod pluribus Thomiſtis videtur exiſtentia luminis in acceptione explicata eſſe de fide; ſed licèt *lumen* per modum habitus acceptum valde conſonum ſit menti Concilij id enim lumen ſtatuit, quod communiter admittebatur à Catholicis; at exiſtimo præcipuæ curæ Concilij fuiſſe definire, quòd natura ex ſe non ſit beata, vt volebant hæretici, quare id ſolum definitum eſt ſine auxilio eleuante naturam non poſſe videre Deum, ſiue eleuatio conſiſtat in concurſu actuali iuxta Scotum in 3, diſput. 14. quæſt. 2. ſiue in viſione ipſa iuxta Aureolum, apud Capreolum in 4. diſtinct. 49. quæſt. 3. ait. Siue denique in concurſu in actu primo extrinſeco. Ita tenent Bannez, Molina, Suarez, Vaſquez Salas cum Smiſingo in præſenti lib. 2. diſp. 6. num. 78. 1 *Lumen gloriæ quid ſit.* *Quomodo ſit de fide eius exiſtentia.*

Abſolutè tamen tenenda eſt communis ſententia de lumine per modum *habitus*, tum vt homo ſit conſtitutus in ſtatu ſuperiori, & eleuato in ſe ipſo, 2 *Lumen eſt per modum habitus.*

ipſo, cui dignitati non ſufficit *viſio* licèt intrinſeca, quia non eſt per modum facultatis, nec Deus vt *extrinſecè aſſiſtens*; quod enim intrinſecè non inhæret perfectius non reddit ſubiectum, tum etiam quia quando cauſa ſecunda operatur, ipſa debet præcontinere perfectionem effectûs, quin recurratur ad primam, in intellectu autem ſine lumine non inuenitur perfectio viſionis. Dices neceſſariò recurrendum ad Deum concurrentem per modum obiecti: Reſpondeo, Deum tunc non concurrere vt cauſam primam, ſed vt particularem. Vrgebis, Deus vt ſic concurrens eſt ſufficiens ad complendum omnino intellectum, nam concurſus obiectiuus ſufficiens eſt ad proportionandum potentiam, ſic concurſus intenſioris ſpeciei ſimiliter eleuabit ad viſionem ſupernaturalem.

3 *Lumen diſtinguitur ab ſpecie impreſſa.*

Hoc argumentum occaſio fuit Authoribus quorum memini diſp. 6. vt cum negare non auderent lumen habituale illud ab ſpecie impreſſa in nullo diſtinguerent. Ego tamen omnino diſtinguo, quod ibi præſtiti, modoque hic confirmo. Potentia cognoſcitiua non indiget ſpecie præſente obiecto ex ſe ſufficienti ad concurrendum, ſemper namque ob impotentiam ad concurrendum obiectum datur ſpecies: Sed præſente Deo ſufficienter ex parte ſua ad concurrendum (quid enim impedimenti eſt ex parte Dei) intellectus creatus indiget lumine vt dixit Concilium Viennenſe: ergo hoc non eſt *ſpecies*.

4 *Species impreſſa inepta eſt vt eleuet potentiam aliàs improportionatam.*

Præterea lumen gloriæ habet eleuare intellectum, ſeu conſtituere ipſum *proportionatum* ſupra eius naturalem exigentiam ad eliciendam viſionem, quod maximè definiuit Viennenſe: Sed ſpecies inepta eſt ad hoc munus, tum quia ſolùm præſtat, quod præſtaret obiectum. Obiectum autem non eleuat, nec aptum eſt ad concurrendum cum potentia, niſi inueniat iam ipſam proportionatam, ideò quantumuis applicetur & vniatur cum Angelo gratia iuſtificans, non ideò concurret obiectiuè, ſiquidem vt ſuppono, ineptus eſt, vt ſupernaturalia cognoſcat, concurret autem ſi ſupponatur proportionatum per lumen, tum etiam à paritate cognitionis, ita enim mouet bonum ſupernaturale media cognitione ſicut ſupernaturale, verum media ſpecie, cognitio autem non mouet niſi voluntatem iam proportionatam, nec datur ad amorem ſupernaturalem, niſi ad exigentiam voluntatis iam eleuatæ per habitum, ergo ſimiliter dicendum de ſpecie eſſe ſcilicet per ſe ineptam ad eleuandam potentiam.

5 *Potentia cognoſcitiua eſt improportionata in ratione potentiæ quando præſente obiecto ex ſe intelligibili debitus adhuc non eſt concurſus ad illud cognoſcendum.*

Vnde ſumitur ad argumentum in §. 2. ſolutio, nam potentia cognoſcitiua dupliciter poteſt dici improportionata, & incompleta primò in ratione principij totalis cognitionis, & ſic omnis potentia præciſo omni concurſu obiectiuo improportionata eſt ad cognoſcendum, cum ex obiecto & potentia coaleſcat integrum cognitionis principium. Secundò in ratione potentiæ præciſè, & hæc improportio tunc intelligitur, quando præſente obiecto, ſatiſque ex ſe intelligibili debitus adhuc non eſt potentiæ concurſus ad cognoſcendum tale obiectum, ſiue mouente hoc per ſeipſum, ſiue media ſpecie. Sic in materialibus potentia guſtûs læſa, & improportionata intelligitur in ratione potentiæ, ſi præſentem cibum non ſentit; item ſi color præſens, ſatiſque viſibilis non ſubminiſtret ſpecies quibus oculus videat, ſignum eſt hunc in ratione potentiæ defeciſſe.

6 Prima improportio tolli poteſt ab obiecto, ſeu ſpecie, & creſcente huius obiectiuo concurſu etiam cognitio creſcet, ea enim eſt natura effectus à duplici cauſa vt creſcat ex cuiuſuis augmento ſecundæ tamen improportioni ſpecies non ſufficit quia iam potentia eſt inepta, vt tali adiutorio vtatur; ſicut calamus quo melius temperatus manum aptam, quaſi eleuat ad formandos pulchriores caracteres ineptam tamen, & mancam adiuuare non poteſt, cùm igitur præſente naturali obiecto debitus ſit intellectui concurſus ad illud videndum, aptus eſt vt ex perfectiori concurſu perfectius videat; è contra tamen ineptus, & improportionatus, vt vtatur (viribus propriis & naturalibus) ſpecie ad videndum Deum, cùm etiam Deo præſente abſolutè indebitus ſit concurſus obiectiuus in viſionem ipſius Dei.

Explicatur appoſito exemplo.

SECTIO II.

De muneribus luminis.

Bacconius cum Aureolo in 1. d. 17. art. 4. cenſent totum munus luminis eſſe quod ſeruiat tanquam diſpoſitio eleuans, & proportionans intellectum, & hic ſic proportionatus, & quaſi ſupernaturalizatus ſit adæquata ratio agendi viſionem ſolo accedente concurſu Diuinæ eſſentiæ per modum obiecti, cui ſententiæ ſatisfacere videtur ea, quam nuper impugnaui; nam ſi præter concurſum obiectiuum omnis alius adſcribitur potentiæ, ergo hæc eſt tota ratio agendi, vt volebat Aureolus, neque enim Aureolus vnquam potentiæ adſcripſit concurſum obiectiuum, vel poſuit hunc eſſe connaturaliter debitum intellectui: quare dum potentiæ conueniat omnis concurſus præter obiectiuum, ſiue iſte præſtetur ab eſſentia immediatè, ſiue media ſpecie, ſatis erit Aureolo. Vnde non mirum ſi ita firmiter Suarez in 1. part. lib. 2. cap. 15. num. 14. quidquid ſugilletur ab Smiſing 2. diſt. 6. num. 2. indiſtinctionem luminis à ſpecie impreſſa repudiet, vt dicat ſententiam illam *non eſſe admittendam vllo modo, & quo magis ac magis illam conſiderat, eo firmius ſe hoc iudicio adhærere*; etenim haud lenius ſentiunt omnes contra Bacconium, & Aureolum quia ex illorum ſententia opus ſalutare abſolutè tribueretur naturæ, ſi autem ſolum adiuuante obiecto per modum obiecti, per ſe vel per ſpeciem, iam intellectus naturalis ex ſe valeret elicere viſionem; ipſi naturæ abſolutè tribueretur viſio Dei; ſicut abſolutè tribuitur viſio coloris, quia ſola adiuuante ſpecie ſufficiens eſt potentia naturalis. 7

Sententia identificans lumen cum ſpecie facit intellectum totam rationem agendi viſionem.

Præterea abſolutè impugnatur Aureolus 1. quia intellectus nihil habet de ſupernaturalitate in ſua entitate intrinſeca, ergo quantumuis ſupernaturalizetur per qualitatem diſtinctam, ipſe dare non poteſt ſupernaturalitatem actui, ſic aqua quantumuis calefiat ipſa non dat *eſſe* caloris, quia in ſua entitate intrinſeca calor non eſt nec formaliter, nec eminenter; tum ſic, ſed effectus ſolum accipit *eſſe* à cauſa à qua efficitur, non autem à diſpoſitione, ſolum enim cauſa efficiens eſt, quæ dat eſſe neque enim alius eſt modus dandi *eſſe* quam efficiendo. Ergo implicat quod actus accipiat ſupernaturalitatem, ſeu efficiatur ſupernaturalis per ſolam proceſſionem ab intellectu naturali. Secundò, quia in opere ſupernaturali potiores partes tribuendæ ſunt gratiæ, vt dicat Auguſtinus naturam *vix agere*; ita lib. de geſtis Pelagij, cap. 3. *proculdubio plus eſt agi, quam regi, qui enim regitur aliquid agit, & à Deo regitur, vt rectè agat, qui enim agitur* 8

Intellectus nequit eſſe tota ratio agendi.

Lumen gloriæ non ſolùm concurrit vt diſpoſitio eleuans, ſed verò efficiendo.

agitur agere aliquid vix ipſe intelligitur. Et tamen tantum præſtat voluntatibus noſtris gratia Saluatoris, vt non dubitet Apoſtolus dicere. Quotquot Spiritu Dei aguntur hi ſunt Filij Dei. Vbi pendendum eſt, naturam *agere* quidem licèt parum, quo excluditur ne habitus ſit tota ratio agendi: item in eo genere, in quo potentia naturalis agit quando iuuatur à Spiritu & gratia Saluatoris in *eo vix agit* & totum agit principalius gratia. At in genere eleuandi, & proportionandi, nihil habet noſtra potentia niſi ſolum in genere efficiendi. Ergo in hoc maior pars danda eſt gratiæ, & auxilio ſupernaturali.

9 *An concurrat vt cauſa paſſiua?*

Salmanticenſes Diſcalceati referentes alios Thomiſtas cenſent munus luminis gloriæ non ſolum eſſe iuuare intellectum actiuè ſed etiam paſſiue recipiendo viſionem. Ratio eſt quia lumen cum compleat potentiam ad agendum vitaliter non ſolum debet præſtare concurſum actiuum, ſed etiam paſſiuum hoc enim eſt de ratione actus immanentis, & vitalis perfecti vt maneat in ſuo principio actiuo adæquato, in eoque diſtinguitur à vitali imperfecto qualis eſt vegetatio, cui ſufficit recipi in aliqua parte principij. Confirmatur potentia vitalis vt ſic formaliter non ſolum eſt actiua ſed etiam paſſiua, ſeu ſuum agere eſt pati, Ergo ſi intellectus non eſt completus ad agendum vitaliter ſine lumine nec ad patiendum, & conſequenter ſicut titulo incompletionis ad agendum indiget lumine adiuuante actiuè, ita & paſſiuè. Accedit iuxta Viennenſe lumen eleuare ad videndum; *videre* autem eſt ſimul efficere, & recipere viſionem imò formalius eſt recipere, cum intelligere ex ſuo conceptu non dicat actionem, vt dixi ad libros de anima.

10 *Non concurrit Molina.* Suar. Vaſquez, Henee.

Communis tamen opinio, & vera negat lumini paſſiuum concurſum in viſionem. Ita molina cum pluribus antiquis hic art. 5. Suarez, Vaſquez, cum Herice diſput. 45. num. 43. Probatur intellectus eſt ſufficiens cauſa vt adæquatè recipiat viſionem; aliunde ſolus recipit eius effectum formalem, & primarium, ergo lumen non concurrit paſſiue ad viſionem. Conſequentia euidens eſt, nam nulla forma ponenda eſt niſi in ſubiecto, quod denominat, niſi quando aliquo titulo ſpeciali ſubiectum denominationis eſt abſolutè incapax vt eam formam accipiat, etenim ſi actus vitales ſenſitiui in materia recipiuntur ideo eſt quia anima ſpiritualis, quæ ab illis denominatur nequit eſſe eorum adæquatum ſubiectum, quia alias periclitaretur eorum materialitas. Antecedens quoad ſecundam partem etiam eſt clarum, nam intellectus ſolus dicitur *videre* non verò lumen.

Quoad primam partem ſuadetur antecedens tum ad hominem contra Thomiſtas à paritate aliorum actuum ſupernaturalium, qui non recipiuntur in habitu ſupernaturali, à quo fiunt; nam contritio iuxta Thomiſtas procedit ab habitu charitatis, in quo tamen recipi non poteſt, etenim cum præcedat habitum contritio, vt diſpoſitio in genere cauſæ materialis daretur mutua prioritas in eodem genere cauſæ quam nunquam admittunt Thomiſtæ, licet eam in diuerſo genere permittant. Deinde abſolutè antecedens illud ſuadetur quoad eam primam partem, quia nec titulo ſupernaturalitatis repugnat viſio recepta adæquatè in potentia naturali; etenim vnio hypoſtatica, gratia ſanctificans, & ipſum lumen adæquatè recipiuntur in ente naturali (ne ſi aliquid prius ſupernaturale præcedat vt cauſa receptiua detur infinitus proceſſus ſubiectorum; nam tale ſupernaturale eleuans paſſiue etiam debet eſſe in ſubiecto, cum ſit accidens) nec repugnat titulo vitalitatis; nam licet actus vitalis perfectus requirat recipi in omni principio actiuo, à quo vitaliter procedit, non tamen in omni actiuo vtcunque, ſic non recipitur in ſpecie impreſſa, nec in Deo concurrente vt cauſa prima, cuius concurſu non minus indiget intellectus, quam lumine.

12 *Lumen non complet in linea vitæ.*

Ad rationem oppoſitam reſpondeo lumen, licèt compleat ad agendum vitaliter, non tamen complet in linea vitæ, ſeù vt comprincipium vitale, ſed ad modum quo cauſa prima per ſuum concurſum dicitur complere intellectum vt vitaliter operetur, quare ſicut concurſus cauſæ primæ vt Authoris naturæ ſolum eſt in genere cauſæ actiuæ, ita & concurſus illius, vt authoris ſupernaturalis, qui fit per lumen. Ad Confirmationem reſpondeo *agere vitaliter* includit etiam paſſionem ſeu receptionem ex parte potentiæ, cui correſpondet vitalitas, non vero ex parte cuiuſuis principij actiui quod purè phyſicè, & quaſi extrinſecè operatur, ſeu ab extrinſeco, vt patet in ſpecie impreſſa ſeu obiecto, quod licet compleat potentiam actiuam vitaliter operantem, ipſum tamen non concurrit ad patiendum. Denique concilium Viennenſe nobis non opponitur, nam ſicut lumen eleuat *ad videndum,* nec ideò adiuuat *videndo* etiam, ſeu in linea agendi vitaliter, ita dicetur eleuare ad viſionem, licet non præſtet concurſum paſſiuum, qui ad videndum requiritur; eo enim ſolum quod aliquem concurſum neceſſarium præſtet omnino indebitum & ſupra vires & exigentiam naturæ, ſufficit vt ratione talis concurſus natura eleuari cenſeatur: ſic pauperis miſeria eleuari dicitur à diuite, quia licet ſolus pauper largitionem recipiat, ab actione tamen indebita largitoris pendet.

Actio vitalis in quo requirat concurſum paſſiuum.

13 *Lumen nec partialiter concurrit paſſiuè.*

Ex his conſtat primo non ſolum totaliter vt volunt diſcalceati ſed nec partialiter vt alij cum Salas t. 2. diſputat. 5. ſect. 3. num. 61. contendunt viſionem recipi in lumine, id enim probat ſiquid oſtendit argumentum in §. 10. Conſtat ſecundò lumen non eſſe diſpoſitionem paſſiuam reſpectu viſionis, etenim non magis requiritur lumen ad actum viſionis, quam alij habitus infuſi ad ſuos actus, vt negauit nemo. Sed alij habitus non requiruntur vt diſpoſitio paſſiua tum iuxta Thomiſtas nè detur mutua prioritas in eodem genere vt notaui §. 11. tum etiam quia habitus ſolum exiguntur titulo imbecillitatis. & inſufficientiæ naturæ, quod ſcilicet non ſimus ſufficientes cogitare aliquid à nobis quaſi à nobis ſecundæ Corinth. 3. Quintò quæ Imbecillitas ſolum arguit indigentiam adiutorij actiui; Ergo luminis concurſus, & totum munus ſolum eſt actiuum adeò vt ſi extrinſecus infundatur viſio, vt poſſe fieri cenſeo nulla foret neceſſitas luminis, etiam vt connaturaliter, ſeu iuxta leges ordinarias prouidentiæ ſupernaturalis, intellectus denominaretur *videns*, vt patet à paritate aliarum formarum ſupernaturalium, quæ ab extrinſeco infuſæ non præſupponunt per modum diſpoſitionis aliquid ſupernaturale præuium vt ſuum effectum formalem communicent.

Nec diſpoſitiue.

Viſio à Deo infuſa denominaret intellectum ſine lumine.

14

Dices primò cum Caietano viſionem eſſe vltimam formam in generatione ſupernaturali, & ideò egere diſpoſitione præ aliis, ſicut in ordine naturali forma ſubſtantialis, quæ eſt vltimus terminus generationis, & per ſe intenſus diſpoſitiones præuias prærequiri licet hæ rurſus alias non ſupponant. Reſpondeo i generatione naturali non

requiritur

Forma ſubſtantialis quatenus præ requirat diſpoſitiones antecedentes?

requiritur diſpoſitio præuia titulo formæ vltimæ, ſeu per ſe intentæ, ſed vt expellantur contrariæ diſpoſitiones, determineturque materia ad formam ſubſtantialem; etenim in conſeruari forma vbi iam nullum adſtat contrarium à nulla diſpoſitione antecedente dependet, cum omnes diſpoſitiones cauſentur ab ipſa forma, vt patet in aqua recuperante ſibi frigiditatem. Quod ſi aliqua alia diſpoſitio præuia requiritur ad generationem ſubſtantialem, ideò eſt vt ſeruiat operationibus, quas elicitura eſt forma; ſic organizatio diſponit materiam formæ viuentium, Ergo cum viſio neutro titulo indigeat diſpoſitione, nam neque contrarium aliquod expellendum eſt in homine decedente in gratia; nec a viſione, cum ſit actus vltimus, aliquæ operationes eliciantur, lumen non obibit diſpoſitionis munus, quod maxime patet à paritate gratiæ paruulorum, quam nulla diſpoſitio præcedit, licet ſit terminus generationis ſpiritualis.

Lumen qualiter diſponat ad vnionem cum diuina eſſentia?

15 Dices ſecundò cum Ioſepho Auguſtino hic artic. . difficul. 2. num. 23. lumen eſt diſpoſitio vt intellectus vniatur cum eſſentia Diuina vt expreſſe tenet S. Thom. hic art. 5. in corpore. At non vt vniatur ſeu recipiat immediatè ipſam eſſentiam Diuinam in ſe & phyſice, hæc enim extrinſeca eſt beato. Ergo vt recipiat intelligibiliter, ſeu vt vniatur cum eſſentia Diuina in eſſe intelligibili quod fit per viſionem. Reſpondeo, Diuus Thom. manifeſte loquitur de vnione cum ipſa eſſentia immediate nam loquitur antecedente ad viſionem, ratione cuius coniungitur cum intellectu per modum ſpeciei. Vnde potius arguo ex mente S. Thom. lumen non eſſe ſimpliciter diſpoſitionem quia aliter non diſponit, niſi quatenus eſt diſpoſitio, vt eſſentia vniatur per modum ſpeciei; hoc autem non eſt eſſe diſpoſitionem propriè & ſimpliciter quæ ſupponit pro aliquo conſtituente ſubiectum aptum ad receptionem ſeu vnionem intrinſecam cum forma. Quare ſicut reſpectu vnionis cum eſſentia Diuina eo ſolum ſenſu lumen eſt diſpoſitio quatenus ratione illius conſtituitur intellectus aptus vt vtatur eſſentia Diuina tanquam ſpecie, quod euenit præciſe, prout per aduentum luminis ſuperaccreſcit intellectui virtus intelligendi vt loquitur S. Tho. hic ita dicendum eſt reſpectu viſionis, vt non titulo recipiendi ſed titulo agendi, vt integretur vnum principium totale effectiuum viſionis lumen diſponere cenſeatur modo explicando ſectione ſequenti.

Quid ſit vnio hæc?

SECTIO III.

Vtrum lumen ſit tota ratio agendi?

Vide infrà quæſt. 12. art. 5. §. 35.

16 GRauiſſimam quæſtio hæc continet difficultatem inter Dominicanos & noſtros DD. latè & contentioſè diſcuſſam illis ſolum lumini adæquatum concurſum immediatum tribuentibus tanquam adæquatæ virtuti proximæ & rationi agendi qualis eſt calor igni ad calefaciendum, noſtris verò cum concurſum diuidentibus, vt influxus in viſionem æquè immediatè ab intellectu, quam à lumine dependeat, haud aliter, quam communiter ponitur ab obiecto ſeu ſpecie impreſſa, & potentia produci viſio. Vrgent Dominicani *ſupernaturalitatem*, quæ omninò ſupra naturæ virtutem collocari poſtulat; Societatis Schola *vitalitatem* viſionis, quæ niſi ex immediato influxu potentiæ participari nequit. Quæ fundamenta ſolum hic expendam, tum quia alia vel ſpecialius ad alios tractatus pertinent, vt illud quod ex libertate valide à noſtris proponitur in materia de charitate, vel etiam ad materiam de ſupernaturalitate & gratia.

Arguo ego pro Dominicanis ex eo quod viſio non eſt ſupernaturalis, & naturalis.

17 Argumentum ex ſupernaturalitate viſionis pro Dominicanis ſic vrgeri poteſt. Viſio beata eſt *ſupernaturalis omninò* excludens compoſitionem ex naturali & ſupernaturali, non ſolum formalem, ſeu realem, quod eſt per ſe notum, cum ſit realiter indiuiſibilis; ſed etiam compoſitionem æquiualentem, & ratione noſtra, quatenus viſio perinde ſe habeat, ac ſi ex vno prædicato naturali & alio ſupernaturali coaleſceret, vel æquiualeat coniuncto ex vno actu purè naturali, & ex alio ſupernaturali purè; ad modum quo ſi detur actus, qui ſimul ſit Religionis, & temperantiæ elicitus ex vtroque motiuo, licet formaliter non componatur ex temperantia aut Religione, æquiualet tamen coniuncto ex actu purè temperantiæ, & alio Religionis puræ. Tunc ſic. Ergo viſio ex parte ſui principij proximi & virtutis immediatè influentis nequit ſupponere principium coaleſcens ex naturali aut ſupernaturali, ſed ſupernaturale purum. Antecedens certum videtur tum quia viſio Beata ita ſupernaturalis eſt, vt ſi alicui ſubſtantiæ connaturalis foret eam omninò ſupernaturalem argueret vt dixi diſp. 20. Ergo ita ſupernaturalis eſt ac viſio quæ fieret à ſubſtantia purè ſupernaturali, talis autem viſio vndique ſupernaturalis foret. Tum etiam quia alias viſio licet ex parte tantum foret naturalis ſimpliciter dicenda eſſet naturalis, licèt *non purè* vti actus indiuiſibiliter æquiualens Religioni, & temperantiæ ſimpliciter temperantiæ eſt licet non purè. Vnde iam ipſa natura formaliter conduceret ex parte in ſalutem.

18 Conſequentia in qua eſt difficultas ſuadetur primo viſio cuius omne principium foret ſupernaturale vndequaque eſſet ſupernaturalis. Ergo ſi miſcetur aliquod principium naturale hinc deficiet à ſupernaturalitate. Secundò Actus qui ſit purè Religionis, nequit oriri nec partialiter ab habitu temperantiæ, aut temperantia ex conſortio religionis poteſt porrigi ad eliciendum actum purum religionis, ſed mixtum ex prædicato temperantiæ. Ergo ſimiliter intellectus naturalis ex conſortio luminis ſupernaturalis, nunquam extendetur niſi ad formalitatem naturalem. Tertiò actio naturalis nequit attingere terminum ſupernaturalem, etiam in conſortio alterius actionis ſupernaturalis. Ergo nec principium naturale. Conſequentia hæc ſuadetur, tum quia ſicut actio non agit actu ſupra ſuam actualem ſphæram naturalem, ita nec potentia ſupra poſſibilem, ſeu ſupra id, quod naturaliter poteſt; tum etiam quia perinde eſt principio dare influxum partialem, ac dare influxum partialiter, nec minores vires arguit in cauſa, ſi ab ipſa fluat effectus partialiter per vnam indiuiſibilem actionem, quam ſi concurſus diuidatur in plures partiales; ſic non minor continentia, ſeu correſpondentia formalitatum requiritur in ſpecie impreſſa, vt influat in viſionem per eandem actionem cum potentia, quam per diuerſam. Antecedens etiam probatur, quia alias in natura daretur initium ſeu inchoatio noſtræ ſalutis; quid enim magis conducens, & inchoans ſalutem, quam quod cum illa eſſentialiter connectitur vt actio. Quartò Denique ſuadetur conſequentia illa à paritate diſpoſitionis, ſeu cauſæ meritoriæ, hæc enim nec partialiter poteſt diſponere ad effectum

ctum ſupernaturalem etiam in conſortio ſupernaturalis auxilij: Ergo idem dicendum de cauſa phyſica. Conſequentia hæc ſuadetur, tum quia res ſupernaturalis non minus eſt ſupra vires phyſicas naturæ, quam ſupra intentionales meritorias; tum etiam quia plus habet ſeu continet de effectu cauſa phyſica, quam moralis. Si ergo ratione ſupernaturalitatis nequit eſſe in natura aliqua moralis conducentia ad ſalutem, nec *partialiter*, idem dicendum de continentia ſeu conducentia phyſica.

Secundum argumentum ex vitalitate intentionali.

19 Secundò, pro Dominicanis argui poteſt. Viſio vt ſit vitalis non requirit phyſicè produci à potentia intentionaliter viuente, ſed poteſt intellectus cognoſcere per intellectionem adæquatè productam ab alio: ergo viſio adæquatè produci debet à lumine. Conſequentia patet, tum quia ſi aliquid obſtaret maximè vitalitas requiſita ad viſionem; tum etiam quia ſi ſemel vitalitas ſtare poſſit in aliqua viſione quin intellectus phyſicè concurrat, id maximè dicendum eſt de viſione beatifica, vt ſentiunt Oxam, Gabriel Durandus, Ricardus, Marſilius, tribuiturque Scoto apud Faſolum, hic dubit.6. num. 24. ne homo ſeipſum *beatificet*, ſed præmium ſit adæquatè à præmiante, ſoluſque Deus ſit cauſa noſtræ beatitudinis iuxta Pſalm. 83. *gratiam & gloriam dabit Dominus.* Ioan. 5. *gloriam quæ eſt à ſolo Deo.*

Viſio vt ſit vitalis non requirit influxum phyſicum potentiæ.

20 Antecedens autem latè probatur in philoſophia. Et vlterius nam intellectio in ſententia communi noſtrorum, dum diſtinguunt potentias ab anima adæquatè & omnino eſt vitalis intentionaliter ſolum reſpectu animæ, & hæc eſt quæ denominatur *intelligens* immediatè, non autem potentia ipſa, vt ab anima diſtincta; ſi enim intellectus diſtinctus intelligeret, etiam & voluntas amaret quod eſt impoſſibile, cum voluntas ſi ab anima diſtinguatur, nihil cognoſcat: Ergo nec amare poterit: Iam ſic arguitur. Stat intellectionem eſſe vitalem intentionaliter adæquatè reſpectu animæ à qua adæquatè non procedit phyſicè: Ergo etiamſi nullo modo procedat ab intellectu, ſed adæquatè ab habitu poterit intellectum reddere videntem, ſeu eſſe reſpectu illius vitalis intentionaliter licèt non phyſicè.

Si viſio ſolùm ſit vitalis purè intentionaliter, & non etiam phyſicè, tunc poterit lumen eſſe tota ratio agendi.

Tunc potentia naturalis ſimpliciter ſe habebit merè paſſiuè, & ſolùm aget denominatiuè.

21 Propter hoc argumentum cenſeo poſſe lumen concurrere vt adæquatam rationem phyſicè agendi ſine diſpendio vitalitatis viſionis, ſi enim plures cogitationes & illuſtrationes pertinentes ad gratiam excitantem infunduntur à Deo in nobis ſine nobis aliquem concurſum præſtantibus vt multi Theologi docent cum Vega in Trident. lib.6. c.8. Ergo ſimiliter poterit Deus producere ſeu infundere viſionem beatam medio lumine, intellectu naturali ſe habente merè paſſiuè phyſicè, licèt adhuc intentionaliter viuat. Conſequentia hæc ex dictis probatur à fortiori, nam viſio producta adæquatè à lumine reſpectu animæ & cenſetur procedere ab ipſa, quod enim fit media virtute ſubiecto, & cauſæ communicata à tali cauſa & ſubiecto fieri *dicitur*; aliunde talis viſio eſt ab intrinſeco, licèt enim in ratione *influxus phyſici* ab extrinſeco veniat animæ *poſſe phyſicè* concurrere, & *poſſe intentionaliter percipere* ab intrinſeco eſt, tum quia hoc non præſtatur à lumine, à quo proportio vitalis formaliter venire non poteſt, vt dixi, tum etiam quia potentia *intentionaliter viuendi* animæ competit quatenus connaturaliter eſt operatiua & factiua alicuius intellectionis, vel ſaltem *exigitiua* illius, quod à ſua natura habet, non verò à lumine, ergo licèt lumen ſit tota ratio agendi adhuc viſio erit intentionaliter vitalis. Confirmatur actus vt ſit vitalis *intentionalis* diuerſa ratione petit oriri phyſicè à ſubiecto cognoſcente verbi gratia, quo petit illud *cognoſcens*, & *viuens* denominare, nam ex dictis ſolam animam facit *viuere intentionaliter*; cum tamen phyſicè oriatur à potentia, ergo etiamſi viſio ſit ab anima ſolùm denominatiuè, & medio lumine poterit eſſe reſpectu illius vitalis intentionaliter.

Simpliciter lumen omnino negandum eſt quod ſit tota ratio agendi.

22 Dicendum tamen eſt abſolutè lumen non eſſe totam rationem agendi, ſed immediatè etiam phyſicè concurrere intellectum. Probatur viſio nonſ ſol eſt vitalis intentionaliter, ſed etiam *phyſicè*; vt per illam verè phyſicè viuat intellectus nec merè paſſiuè ſe habeat, quod tanquam omnino certum ſupponunt Thomiſtæ iuxta Tridentinum ſeſſ.6.cap.5. vbi circa alios actus ſupernaturales hoc definitur idque etiam expoſcit perfectio beatitudinis in viſionem, vt docent Theologi communiter 1.2. qu.3. art. 2. At intellectus nequit viuere phyſicè, ſeu effectiuè ſi lumen ſit tota virtus agendi: Ergo. Minor ſuadetur, nam vt quis viuat *phyſicè*, neceſſe eſt vt agat ab intrinſeco hoc eſt per virtutem non ſolum ſibi intrinſecam & inhærentem, ſed conuenientem ab intrinſeco, & ex propria exigentia ideò viuens non dicitur moueri ab intrinſeco per motum veniẽtem ab impulſu, licèt inhærente ſibi, quia ſcil. impulſus ille ab extrinſeco eſt, ſic etiam aqua licèt calefaciat per calorem ſibi intrinſecum, non tamen dicitur ab intrinſeco calefacere; ſicut ignis, quia ipſe calor natiuus aquæ non eſt, ſed deforis vltra eius exigentiam aduenient. Ergo cum lumen non detur ex propria exigentia intellectus, ſed ab extrinſeco, ſi ſit tota virtus agendi, quamuis intellectus dicatur ſe mouere vt *quod* non tamen ab intrinſeco, ſeu vitaliter. Confirmatur, ſi anima ex ſe & ab intrinſeco non haberet potentiam intellectiuam, ſed intellectus extrinſecus adueniret; non ſolum non vt *quo*, ſed neque vt *quod* diceretur vitaliter ſe mouere tunc; cum ita ſe haberet ac ſi intellectus poneretur in lapide. Ergo de facto intellectus nulla ratione viuet, etiam vt *quod* ſi lumen ſit tota virtus agendi; quid enim magis habet reſpectu operationis adæquatæ à lumine, quam aqua reſpectu calefactionis, anima reſpectu intellectionis in caſu poſito?

Ex vitalitate phyſica qua viuit intellectus per viſionem probatur efficaciter.

Viuens phyſicè debet ab intrinſeco habere virtutem proximam ſe mouendi ſaltem inadæquatam.

Si virtus extrinſecùs adueniat viuenti adæquata non viuet, nec vitaliter ſe mouebit per illam.

Non eſt magis de conceptu viuentis, quod virtus agendi ſit intrinſeca, quàm ab intrinſeco.

23 Dices primò lumen habet *coaptationem* eſſentialem cum intellectu, & datur à Deo vt operetur ab intrinſeco intellectus, ſeu tanquam virtus agendi illius non mortuo modo ſed ab intrinſeco, & vitaliter ob quod intellectus medio illo operabitur vt *quod* non vtcumque ſed ab intrinſeco, contra quia de conceptu operantis vitaliter eſt agere per virtutem intrinſecam, ob nullam *coaptationem* poteſt fieri vt intellectus viuat per lumen quod ſit tota virtus agendi, ſi ponatur purè aſſiſtens extrinſecè: Ergo nec per lumen veniens ab extrinſeco cum non minus exigat conceptus vitæ fieri ab intrinſeco. Præterea tale lumen, nullum prædicatum habet ratione cuius conueniat cum virtute vitali, vel differat à virtute agendi mortuo modo verbi gratia, à calore poſito in aqua. Dices ſecundò habet eſſe *eleuatiuum* potentiæ vitalis tanquam virtus illius. Contra non tanquam virtus illius *vt vitalis*, cum ex modo agendi per talem virtutem nullum ſignum vitæ reluceat in intellectu magis quam in anima, ſi ab extrinſeco infunderetur ipſi virtus intelligendi.

In operatione qua totaliter procedat à lumine non reſplendet vllum ſignum vitæ.

Lumen non viuit vt quo.

24 Secundò, vrgetur argumentum lumen non agit vitaliter viſionem etiam *vt quo*: Ergo niſi intellectus

lectus influat immediatè nequibit viuere per illam neque *vt quod.* Antecedens probatur, nam aliàs lumen non eſſet auxilium intelligendi, ſed nouus quidam *intellectus* ſupernaturalis, ſimiliterque habitus charitatis, *arbitrium* ſeu *voluntas* ſupernaturalis. Vnde ponendum eſſet lumen immediatè in anima ſicut aliæ potentiæ: neque intellectus naturalis diceretur *videre* Deum, ſed anima medio hoc intellectu ſupernaturali, cum intellectus naturalis nulli vſui eſſet; non ad viuendum vt *quo*, hoc enim facit per ſe lumen, non *vt quod* nam hoc ſatis habet anima ipſa per ſe. Quæ omnia quis non videat eſſe abſurda, & contra id quod ſupponitur ex Tridentino intellectum ſcilicet naturalem, non ſe habere mere paſſiuè. Iam conſequentia ſuadetur, nam ratio quæ facit lumen non operari vitaliter etiam vt *quo* nempè eſſe ab extrinſeco, faciet etiam ne intellectus ratione illius viuat vt *quod*: item id ſolum communicatur, vt *quod* principio remoto, quod vt *quo* conuenit virtuti proximæ agendi, ſic effectus non poteſt prouenire materialiter ab aliquo ſeu paſſiuè vt *quod* niſi media virtute cauſante paſſiuè vt *quo*. Ergo nec vitaliter vt *quod* niſi media virtute agente vitaliter vt *quo*, & ratio eſt quia principium *quod* non aliter agit niſi quatenus agit virtus eius ſeu principium *quo*. Confirmatur ſupernaturalitas petit non ſolum principium remotum ſupernaturale, ſed maximè proximum, vnde non ſatis erit actus ſupernaturalis ob ſupernaturalitatem gratiæ, quæ ſe habet per modum naturæ in ordine ſupernaturali, ſi virtus immediata agendi eſſet naturalis. Ergo ſimiliter nec vitalitati ſufficiet principium *quod* eſſe vitale niſi etiam vitale ſit principium *quo*.

Neque intellectus vt quod, ſi lumen ſit tota ratio agendi.

Confirmatur ſi ſupernaturalitati non ſufficit Principium quod ſupernaturale. Ergo nec vitalitati principium quod vitale.

25 Tertiò intellectus eſt vera cauſa actiue concurrens in viſionem ſiue vt *quo* ſiue vt *quod*. Ergo verè dat *eſſe* viſioni. Effectus enim accipit ſuum *eſſe* à cauſa, Ergo intellectus in ſe præhabet, & in ſua entitate continet perfectionem viſionis, nemo enim dat quod non habet. Dices ipſe intellectus non dat per ſe, ſed medio lumine, vnde in ſe non debet continere effectum ſed in lumine: contra, licet det per lumen, lumen tamen eſt ratio dandi id quod eſt in intellectu, ſicut actio licet ſit ratio dandi, dat tamen ſeu communicat perfectionem cauſæ, & calor dat perfectionem principij *quod* cuius eſt virtus ignefaciendi, & hinc præcipuè quæritur continentia effectus, & æqualitas perfectionis in principio *quod*: ideo calor poteſt producere ignem perfectiorem ſe, quia ex parte principij *quod* datur æqualitas, quare ſi principium requirit præcontinere perfectionem effectus id maximè verum eſt de principio *quod*, niſi verè actiuum non ſit ſed ſolum denominatiuè vt aqua reſpectu caloris, neque certè alia ratio reddi poteſt ob quam calor non ſit virtus aquæ in calefaciendo, niſi quia non communicat effectui aliquam perfectionem præcontentam in aqua. Confirmatur intellectui potius correſpondet vitalitas actus, quam ſupernaturalitas, Ergo quia verè dat aliquid de ſuo, & quod præcontineat, aliàs eadem ratione diceretur viſio vt ſupernaturalis accipere ſuum eſſe ab intellectu, Item non magis requireretur intellectum eſſe vitalem, quam eſſe ſupernaturalem.

Intellectus verò dat eſſe vitalitatis effectui, ſicut daret ſupernaturalitatem ſi intellectus foret ſupernat.

26 Hinc tandem concludo. Ergo intellectus etiam vt *quo*, & immediatè poterit concurrere in viſionem, hæc conſequentia ſuadetur; tum quia concurſui immediato ſolum obſtare poterat defectus *præeminentia*, & quod natura nequeat de ſuo aliquid conferre & communicare in ſupernaturalem actum, tum etiam quia ſi ea ratione, qua præhabet vitalitatem intellectus contineret etiam ſupernaturalitatem, nulla indigeret media virtute, ſed immediatè vt *quo* adæquatè influeret in viſionem. Ergo modo cum lumine immediatè influet, ſic enim præhabet nunc cum lumine ſicut in illo caſu ſolus præhaberet quidquid eſt in viſione. Tum denique intellectus quidquid habet de effectu non habet vt *quod* hoc enim pertinet ad animam ſeu ſuppoſitum: ſed vt *quo* & virtus influendi. Ergo ſolum vt ſic poterit communicare vitalitatem: ſicut enim nemo dat quod non habet, nec dat aliter quam habet.

Quartò ſupernaturalitas poteſt ſubeſſe immediato influxui naturæ, ergo & viſio beata intellectui. Conſequentia patet: antecedens probatur. Poteſt natura effectum quem ſe ſola producere non valet immediatè efficere iuuante auxilio ſupernaturali, ſeu per coniunctionem ad cauſam ſupernaturalem partialiter influentem. Sed talis actus erit ſupernaturalis. Ergo poteſt natura immediatè agere in actum ſupernaturalem. Maior ſuadetur non repugnat quod aliqua virtus producat immediatè in conſortio alterius concauſæ effectum ad quem ſola erat improportionata: ſic paruus ignis producit intenſum calorem in conſortio alterius: impotens eleuare ſolus magnum pondus redditur potens iuuante alio: idemque euenit in effectu indiuiſibili, nam ſpecies non poteſt ſola immediatè influere in cognitionem, accedente autem virtute intellectus iam influit; vniuerſaliterque hoc verum eſt in cauſis partialibus eo perfectiorem effectum elicientibus, quo robuſtius adiutorium accedit, vt phantaſma materiale eleuatur ex conſortio intellectus ſpiritualis ad producendam ſpeciem ſpiritualem. *Quia ſicut pars ſenſitiua* (verba ſunt S.Thom. 1.part.quæſt.85.artic.1. ad 3.) *Ex coniunctione ad intellectum efficitur virtuoſior, ita phantaſmata ex coniunctione intellectus agentis redduntur habilia vt ab eis ſpecies intelligibiles abſtrahantur:* vtique concurrente phantaſmate effectiuè immediatè vt dicit communis opinio cum S Thom quæſt.10. de veritate art. 6. ad 7. & alibi apud Conimbr. lib. 3. de anima quæſt.6.art. 2. Tum ſic; ergo ſimiliter non repugnabit quod natura per coniunctionem ad concauſam ſupernaturalem valeat immediatè producere effectum, quem ſola non poterat. Quidquid ſit de ſupernaturalitate talis effectus, de qua poſtea. Conſequentia euidens eſt à paritate cur enim dedecebit auxilium ſupernaturale ſic conuenire cum natura ad immediatè concurrendum, cum Deus ipſe ſic cum cauſis ſecundis immediatè concurrat, & ſicut auxilium ſupernaturale poteſt supplere totam virtutem agendi, cur nequibit complere partialem, & inchoatam, cum ad hoc valeat auxilium naturale; & quidem ſic euenit vt præmiſſa naturalis iungetur per ſupernaturalem ad concluſionem Theologicam.

27 *Efficaciſſimum argumentum ex ipſo conceptu ſupernaturalitatis.*

Poteſt natura per conſortium auxilij ſupernat. immediati plus efficere quàm ſola.

Iam ſupernaturalitas talis effectus probatur primò. Talis effectus eſſet alterius ordinis, & ſuperioris omni naturali: eo enim cauſa perfectiorem effectum producit quo meliori adiutorio coniungitur vt dixi de phantaſmate ad ſpeciem intelligibilem: cum igitur adiutorium eſſet alterius ordinis etiam & effectus. At quidquid non eſt purè naturale, ſupernaturale eſt, tum quia nemo admiſit ordinem *medium*, nec *mixtum*, tum etiam talis effectus eſſet nobis indebitus & gratioſus, ſimpliciterque ſuprà vires naturæ, ſicut ſimpliciter eſt ſuprà vires noſtras transferre montem in mare Marci 11. 23. 28

Hinc probatur immediatus concurſus naturæ in actum ſupernat.

Cuius exemplo monſtratur ſupernaturalitas operum ſalutarium ab Auguſt, lib. de ſpiritu & litt. c. 35.) eo præciſè quod humanæ vires ſolæ non ſufficiant, quamuis aliis coniunctæ poſſent impetum aliquem immediatè conferre in hanc tranſlationem. Vnde probatur ſecundo ex Auguſt. ſupra ſupernaturalitas non tollitur ex eo quod per nos agitur: *nam ſi propterea non eſt opus Dei* (verba ſunt Auguſtini de ſalutari actu) *quia per nos agitur, vel quia illo donante nos agimus, neque illud eſt opus Dei vt mons transferatur in mare, quià per fidem horum fieri poſſe Dominus dixit, & hoc ipſorum operi attribuit.* Nec refert nos agere vt *quod.* nam agens vt *quod* ſi verè agit ſuam perfectionem transfundit in effectum, vt dixi §. 25. Si ergo hoc non obſtat ſupernaturalitati, quia illa virtus naturalis, vt *quod* non eſt abſolutè talis, niſi accedente vltra omne debitum virtute vt *quo* ita ſimiliter dicendum eſt de virtute partiali immediata.

Impoſſibilis eſt effectus eo ſolùm quòd implicet vnica cauſa.

29 Confirmatur primò duplici paritate tum ſpeciei intelligibilis quæ euadit omnino ſpiritualis, licèt vnum principium, nempe phantaſma materiale ſit, tum concluſionis Theologicæ, quæ ſupernaturalis eſt licèt ab vna præmiſſa naturali dependeat. Confirmatur ſecundò effectus eſt vndequaque, & omnino *impoſſibilis*, eo ſolum quod impoſſibilis ſit aliqua cauſa requiſita ad eius productionem; ſic ſimpliciter impoſſibile eſt Deum concurrere cum Angelo ad creandum, quia impoſſibilis eſt ex parte Angeli iuxta Thomiſtas virtus creatiua licèt non ex parte Dei: Ergo viſio beata erit naturæ vndequaque impoſſibilis, & conſequenter ſupernaturalis eſt eo ſolum quod requiratur lumen omnino impoſſibile viribus naturæ.

Quid ſit effectum eſſe ſupernaturalem?

30 Hinc vt argumento reſpondeam *eſſe* ſupernaturale nihil aliud eſt quam eſſe ſupta vires habitas, vel exactas à natura, ſeu quod effectus ita excellens ſit vt titulo eius perfectionis maior virtus requiratur, quam detur, vel debita ſit toti naturæ, nil de effectu poni poſſit ſine auxilio ſuperiori, hocque naturæ impoſſibile ſit: ſi enim non poſſum ſcribere ſine calamo, & hic ſupra meam poteſtatem eſt, ſimpliciter ſcriptura ſupra me eſt, ſicut ſimpliciter & omnino impoſſibilis eſſet, & chymerica, ſi calamus implicaret. Ex quo ad omnimodam ſupernaturalitatem non obſtat concurſus immediatus naturæ, neque requiritur eſſe ſupra omem naturæ concurſum, tum quia cum hoc ſtat impoſſibilitas ſimpliciter, tum quia non requiritur, vt excludatur natura paſſiuè concurrens aut actiuè vt *quod.* Denique quia vt effectus in perfectione ſit ſupra cmnem naturam, ſat eſt ſi natura per ſe ſolam non adæquet talem effectum licèt illi æquiualeat in perfectione: Ergo vt ſuperet vires ſat erit, ſi per ſolas naturæ vires effici non poſſit. Vnde ſicut effectus euadit perfectior concurrente vno principio ſupernaturali, licèt etiam concurrat natura, neque ideò eſt mixtus ex perfecto & imperfecto; ita ſimpliciter dicendus eſt ſupernaturalis, neque mixtus ex naturali.

Supernaturalitati non obſtat concurſus immediatus naturæ.

Actus eo quod fiat immediatè à potentia naturali, non eſt minùs ſupernaturalis, quàm ſi fieret ſolum à lumine.

31 Iam ad argumentum in §. 17. conceſſo antecedenti nego conſequentiam: prima probatio in §. 18 inſtatur in ſupernaturali forma, quæ neque vt *quod* reſpiceret principium naturale. Deinde abſolutè non deficit ſupernaturalitas quia adhuc cum concurſu naturæ, ſtat actum eſſe indebitum naturæ. Sicut eo quod aliquod principium, vt ſpecies non concurrat *vitaliter*, non ideò amittit viſio quod omninò vitalis ſit, quia ſcilicet vitalitas ſolum dicit eſſe ab intrinſeca virtute quæcumque ſit. Ita ergo ſupernaturale eſſe ſupra virtutem. Ad ſecundū reſpondeo prædicatum temperantiæ eſſe omnino poſitiuum, neque excluſiuum alterius, nam ſolum dicit reſpectum ad motiuum temperantiæ, qui reſpectus cum ſtare poſſit cum reſpectu etiam ad motiuum religionis ſtat ſemper prædicatum temperantiæ. At eſſe naturale formaliter dicit excluſionem perfectionis ſuperioris, dicit enim ſufficienter cadere ſub exili virtute, quare vbi iam ad ſuperioritatem aſcendit omnino amittit eſſe naturale, ſicut actus remiſſus vbi intenſionem accipit iam deſinit eſſe *remiſſus*, & ſuperior deſinit omnino inferioritatem.

Cur idem actus nequeat eſſe ſimul naturalis, & ſupernaturalis.

Ad tertium reſpondeo, ſicut actio non agit ſuprà id quod eſt in actu, ita nec potentia ſuprà id quod habet poſſibiliter; at aliud eſt quod habet poſſibiliter ſola, aliud quod cum tali, vel tali adiutorio, vt patet in naturalibus, & hinc ſi adiungatur cum ſupernaturali concauſa operatur ſupernaturaliter. Et hoc diſcrimen eſt inter actionem, & potentiam, quod potentia indifferens ſit ad varios modos operandi, ſecus actio cum ſit vltima determinatio. Quamuis autem poſſit intellectus partialiter concurrere in actum ſupernaturalem, non tamen per actionem partialem ſibi correſpondentem, neque enim ſemper verum eſt cauſæ partiali poſſe ſeorſim correſpondere ſuam partialem actionem, vt patet in cauſa ſecunda quæ licèt partialiter influat cum prima, non tamen poteſt ſola habere actionem partialem, cum nihil valeat ponere, niſi ſubordinatâ Deo vt authori naturæ. Ita ergo hic in omni influxu debet natura ſubordinari Deo, vt authori ſupernaturali; quia ſicut omnis actio etiam partialis eſt *ens*, ideoque debet pendere à cauſa prima, ita omnis actio etiam partialis eſt *ſupernaturalis* cum ſimpliciter ſit indebita naturæ, connexaque cum ente ſupernaturali, & hoc titulo pendens a Deo, vt authore ſupernaturali, ſicut ob eundem titulum ipſe actus hanc dependentiam requirit, & hinc ſumenda eſt ratio colligendi vel negandi actionem partialem in cauſis partialiter concurrentibus; ſi ſcilicet militet, idem titulus in actione, vt dependeat ab vtraque cauſa quæ militat in termino ipſo, ſicut contingit hic, & in actione cauſæ ſecundæ & primæ, vel ſi non militet, vt quando duo ignes concurrunt, aut ſpecies cum intellectu. 32

Cauſæ partiali non ſemper correſpondet ſua actio partialis.

Ad quartam probationem vt reſpondeam noto dupliciter poſſe fingi actum naturalem per auxilium ſupernaturale eleuari ad cauſandum moraliter. Primò per auxilium tenens ſe ex parte principij phyſici naturalis actus, & dignificans illum, qualiter ſe habet gratia. Secundò per coniunctionem cum alia concauſa ſupernaturali moraliter cauſante, verbi gratia, amor Dei naturalis, & amor ſupernaturalis conueniant ad merendam viſionem Dei correſpondentem tanquam effectum moralem vtrique, quemadmodum vis phyſica naturæ eleuatur per coniunctionem cum ſupernaturali virtute coëfficiente, ita ut viſio ſecundùm vnam formalitatem correſpondeat virtuti naturali, ſecundum aliam ſupernaturali. Nunc ſi primum dicatur, diſcrimen eſt clarum, quia nequit vna cauſa improportionata, & inadæquata in vno genere eleuari & compleri in illo niſi per adiutorium in tali genere; ideo oculus in linea vitæ improportionatus ad videndum Deum, non proportionatur per auxilium, quia hoc non addit vires vitales, non concurrit vitaliter, non adiuuat *viuendo*, ſicut in linea efficiendi adiuuat coëfficiendo. Et ratio eſt clara nam 33

Quomodo eleuatur meritum naturale per auxilium ſupernat.

Ratio ne homo inſtus mereatur per actus naturale.

nam virtus non creſcit in vno genere niſi per additionem virtutis in illo. At hic ſimiliter non adiuuat auxilium hoc phyſicum *commerendo*. Ergo non poterit ſupplere vires meritorias, quæ deficiunt actui naturali.

34 *Præmium ſemper eſt moraliter diuiſibile in ſuo genere. Ratio ob quã vna cauſa moralis naturalis ſeu naturale meritum nequeat eleuari ad ſupernaturale præmium quantumuis coniungatur cum alio merito ſupernaturali.*

Si dicas ſecundum; eſt etiam diſcrimen, quia præmium cum moraliter æſtimetur ſemper eſt diuiſibile, ſeu partibile per æquiualentiam moralem in ſuo genere ita vt ſi duobus meritis correſpondet, vnum præmium, quantumuis phyſicè indiuiduum poſſit diuidi per æſtimationem moralem in duo minora; quorum quodlibet correſpondeat cuilibet merito ſeorſim. verbi gratia meritis ſupernaturali, & naturali vt octo correſpondet viſio Dei phyſicè indiuiſibilis vt nouem ſtatim datur locus, vt librata æſtimatione præmij ſupernaturalis, merito ſupernaturali debeatur *vt octo*, & alia viſio etiam ſupernaturalis remiſſa *vt vnum* adæquatè correſpondeat naturali, & eadem proportione nullum eſt præmium ſupernaturale, quod ſecundum æſtimationem moralem diuidi non poſſit in alia minora ſupernaturalia, ſicut naturale in naturalia minutiora. Cui diuiſioni non datur locus in phyſicis vt patet. Cum ergo nihil ſupernaturale adæquate poſſit contineri in virtute morali naturali, neque poterit hoc aliquid conducere in præmium ſupernaturale.

35 Aliud celebre argumentum, quod hic fieri ſolet vt natura immediatè non concurrat in viſionem, ne hæc perfectior euadat pro maiore perfectione intellectus expendam diſput. ſequent. in artic. 6. S. Thomæ. Nequeo tamen non breuiter ſaltem attingere ſequentes probationes, quas alibi latius expendam. Prima, voluntas iuuatur à gratia. Ergo non minus propriè, & immediate agit quam gratia; patet conſequentia quia ſicut adiuuari indicat actionem *iuuantis*, ita adiuuari actionem *adiuti*. Ideo ignis non dicitur iuuari à calore ad calefaciendum, quia hic eſt tota virtus; & ratio eſt quia *Adiuuans* in genere quo adiuuat eſt cauſa partialis. Ergo gratia in genere immediatè influentis non eſt totalis virtus, ſed partialis. Confirmatur primò. Nam verba quibus conſtat efficientia immediata gratiæ repetuntur pro voluntate, quando eius cooperatio *adiuta* denotatur. Vide S. Thomam, quæſt. 26. de verit. artic. 4. ad 12. Vbi ait: *Quod anima agit diſponendo ſe ad gratiam virtute propria naturæ*: & generaliter ſicut nos rogamus Deum vt nos conuertat: ita viciſſim ipſe iubet nos vt faciamus bona opera, per quæ nos ipſos conuertamus. Ergo ſicut primum arguit efficientiam gratiæ, ita & ſecundum efficientiam noſtræ voluntatis. Confirmat. ſecundò eo quod dicatur quod gratia adiuuet definitur naturam non agere totaliter. Ergo in præſenti deſignatur efficientia vt *quo* non vt *quod*: Nam ly *quod* adæquate conuenit voluntati, quæ ſola, & non aliquid ſupernaturale eſt Agens *quod*.

36 Probatur ſecundò eodem ſenſu, & modo, quo Pelagius dabat totum naturæ, volunt Patres dare partem, ſed Pelagius dabat totum immediate, vt patet, ergo immediate danda eſt pars. Maior probatur ex Auguſt. epiſt. 143. vbi ſæpe ait de virginitate: *Quia etſi etiam ex illa*, (ſcilicet S. Demetriade) *propter arbitrium proprium ſine quo non operamur bonum, non tamen ſicut iſte*, (ſcilicet Pelagius) *dixit non niſi ex illa*. Solum ergo diſplicet Auguſtino opus ſupernaturale *non niſi ex nobis eſſe*: non vero ex nobis etiam eſſe eodem ſenſu, quo negatur non niſi ex nobis ſic etiam cap. 6. de gratia & libero arbitrio & cap. 14. ſolum reprehenditur Pelagius quod velit opus bonum tantummodo eſſe ex nobis & addit. cap. 14. initio, *Si merita noſtra ſic intelligerent, vt etiam ipſa Dei dona eſſe cognoſcerent, non eſſe reprehendendam iſtam ſententiã.* Confirm. ex lib. de gratia Chriſti. cap. 47. *Si conſenſerit*, Pelagius, *etiam ipſam voluntatem & actionem diuinitus adiuuari, & ſic adiuuari, vt ſine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus, eamque eſſe gratiam Dei per Ieſum Chriſtum* D. N. *nihil de adiutorio gratiæ Dei quantum arbitror controuerſiæ relinquetur.* Hæc autem omnia ben eſtant cum actiuitate immediata voluntatis vt patet.

Probatur tertiò ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 5. definiente: *Hominem gratia excitanti, libere aſſentiendo, & cooperando diſponi, ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem; neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens*; & canone quarto *mere paſſiue ſe habeat* pondero primo. *Gratiæ excitanti*; excitare autem non poſſet voluntatem, niſi ipſa immediate agat, alias potius gratia eſſet excitanda. Secundo *cooperando* gratiæ adiuuanti: principium autem quod non cooperatur, id enim conuenit cauſis partialibus, ſed operatur ſimpliciter cum *quo*, vt ignis non cooperatur calori, niſi calefactio oriatur ab vtroque vt cauſa partiali. Tertio *homo ipſe* diſtinguit hominem à gratia, & prout condiſtincto tribuit actionem; alias ſi ſola gratia agit, vt quid additur ly *ipſe*. Dices ne. Ignis ſe ipſo calefacit. Quarto *nil omnino agere* accipi debet non ex parte modi agendi, ſed ex parte termini; non quaſi dicatur, ita parum propriè agit, vt vix agere concipiatur; ſed ly nil omnino ſumendum eſt ex parte effectus, id eſt, aliquid ab arbitrio fit in effectu. At ly *fit* ſi comparetur cum principio quod non ſolum agitur non omnino nihil, ſed totus effectus, ergo in præſenti comparatur ad principium quo, & ad id quod habet effectus vi voluntatis: quintò *mere paſſiue ſe habeat.* Rogo, quo alio pacto potuerunt Hæretici dicere, quod voluntas ſe habeat mere paſſiue inſpirationem recipiens, niſi quatenus nil per ſe ipſam & ex ſe ipſa immediate præſtet niſi recipere, & certe quid plus habet voluntas iuxta Thomiſtas niſi recipere, quid tolleretur a voluntate ab eo qui diceret per ly agere vt quod ſolum denotari voluntatem eſſe ſuppoſitum, in quo recipitur gratia, & quidem ab extrinſeco, vt aqua reſpectu caloris. Confirmatur; nam Hæretici vt patet in Chemnitio contra Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. can. 4. Si intelligunt Tridentinum ſibi opponi, prout dicit; *In motibus & actionibus ex gratia, & liberi* arbitrij (*viribus fieri vnam cauſam efficientem, ita vt ad efficiendos motus ſupernaturales hæc duo ſimul concurrant*, gratia *ſcilicet & naturales* vires *liberi arbitrij.*). 37

Probatur quartò nam vires quæ tribuuntur gratiæ, & influxus in actum, eiſdem verbis tribuitur voluntati noſtræ. Vide Ruiz. de Prædeſt. à d. 27. ad 38. maxime tota d. 30. Ergo vt teneamus medium, & verum iter vtrobique tribuendus eſt verus, & immediatus influxus. Conſequentiam optime explicat Concilium Senonenſe in Prologo. colum. 2. in fine. *In errorem Manichæi, Lutherus incidit, dum nimis anxie & ſcrupuloſè deuitat Pelagium. Metuens namque liberum arbitrium cum Pelagio nimis efferre, omne opus bonum, quod eſt in homine, Deo tribuit, & diuinæ gratiæ, nihil prorſus libero arbitrio, ſicque tollens omnino liberum arbitrium, Lutherus factus eſt Manichæus, dum refugit eſſe Pelagius. Debueras certe Lutherus ex* 38

Apoſtolo noſſe , ita neceſſariam eſſe diuinam gratiam ad bene operandum, vt cum ea tamen liberum arbitrium bonum opus efficiat.

39 Probatur quintò, Deus licèt alieniſſimus à peccati malitia, tamen ex conſortio voluntatis creatæ determinatur ad influendum in malitiam formalem peccati (quam pono in poſitiuo conſiſtere) ergo ſimiliter è contra voluntas creata per conſortium gratiæ eleuabitur ad attingendum immediatè actum ſupernaturale. Conſequentia probatur primo, quia ſicut dicitur ; *omne donum perfectum de ſurſum eſt*; *Deus eſt qui operatur : non eſt volentis, neque currentis* ; ita etiam dicitur, *Perditio tua ex te*, &c. & generaliter non minus conuenit ſoli Deo eſſe Authorem boni, & non eſſe cauſam ſimpliciter mali , quàm nobis eſſe cauſam mali , non boni : imò proprius voluntas agit opus ſalutare ſimpliciter, quam Deus; illa enim diffinitur ſimpliciter agere, Deus vero propriè non cauſat, ſed permiſſiuè ſe habet : Ergo ſi non obſtante Deus immediatè influit cum voluntate, ita & voluntas cum Deo. Secundò, Deus influit titulo entis, ergo & voluntas in actu ſupernaturali , quia inuenit formalitatem vitalitatis. Tertiò, cauſa ſuperior deprimitur ad agendum immediatè effectum, quem alias ſola non poſſet, & dedeceret ipſam: Ergo ſimiliter cauſa inferior nempe voluntas eleuabitur ex conſortio gratiæ ad effectum , quem ſola non poteſt. Patet hæc conſequentia nam non minus bona gratia eleuat, quam deprimat mala voluntas. Confirmatur ex Fulgentio lib. 1. ad Monimum, cap. 21. ſicut competit Deo vt ſit cauſa totius operis boni, ſic incongruum eſt , vt imputetur cauſa cuiuſlibet operis mali. Auguſt. lib. 2. de peccatorum mer. & remiſſ. c. 18. *Quo circa quod à Deo nos auertimus , noſtrum eſt; & hæc eſt voluntas noſtra, quod autem ad Deum nos conuertimus, niſi ex ipſo excitante, & adiuuante non poſſumus ; & hæc eſt voluntas bona.*

SECTIO IV.

Vtrum ſine lumine poſſit intellectus elicere viſionem per auxilium extrinſecum?

40 *Negant Thomiſtæ Recentiores.*

ADmittunt communiter Thomiſtæ ſine auxilio intrinſeco permanente poſſe eleuari intellectum , ideoque poſſe ſine lumine : at neceſſario requiri auxilium intrinſecum licèt tranſiens ita probant ex S. Thoma 2. 2. quæſt. 175. art. 3. ad 2. *Diuina eſſentia ab intellectu creato videri non poteſt niſi per lumen, quod tamen dupliciter participari poteſt vno modo per modum formæ immanentis, & ſic beatos facit Sanctos in Patria, alio modo per modum paſſionis cuiuſdam tranſeuntis , & hoc modo lumen illud fuit in Paulo quando lapſus eſt.* Vbi cum abſolutè dicat *non poteſt* etiam loquendo de viſione præternaturali, & de potentia abſoluta qualis fuit viſio Pauli. Signum eſt iuxta S. Thomam nullam viſionem poſſe fieri per auxilium extrinſecum, ita omnes Dominicani hic.

41 *Eorum ratio æquiuocatione laborans.*

Mouentur primo ratione generali ſupernaturalitatis. Intellectus eſt intrinſecè impotens ad actus ſupernaturales ; nam natura *nihil ex ſe poteſt* in ſalutem ; non *ſumus ſufficientes* ex nobis : Ergo ſi intrinſecè non immutetur intellectus non valet reddi potens; patet conſequentia , quia intrinſeca denominatio non poteſt amitti , niſi per intrinſecam mutationem ; implicat enim rem aliter ſe habere intrinſecè , dum eadem intrinſecè manet. Confirmatur effectus intrinſecè debet præcontineri in ſua cauſa, cum hæc nihil aliud det niſi quod in ſeipſa habet ergo vt intellectus ſit cauſa actus ſupernaturalis debet ipſi aduenire præcontinentia intrinſeca , ſed præcontinentia venit ab auxilio ſupernaturali : ergo hoc debet eſſe intrinſecum. Secundò ſpecialiter mouentur ex vitalitate quia hæc petit eſſe à principio intrinſeco.

Quod ego ſi vrgeo potentia vitalis petit ità operari ab intrinſeco , vt titulo potentiæ intrinſecæ debitus ſit concurſus, & reliqua requiſita ad operandum , hoc enim diſcriminatur à non viuente viuens , vt huic *ex intrinſeci debita ſit potentia proxima ad ſe mouendum immanenter* , id facilè probari poteſt tum quia omnia quæ manifeſtè cernuntur viuere ita ab intrinſeco operantur, nec vlli viuenti accidit ab extrinſeco exigentia ad ſe mouendum ; tum etiam quia ideo ignis dum ſe aggenerat non viuit ; quia licèt immanenter ſe moueat producendo vnionem continuatiuam ſui cum nouo igne ; at ex intrinſecis illi non debetur hæc aggeneratio : tum ſic ſed intellectui ſine auxilio intrinſeco non eſt debita viſio, nec ipſi ex intrinſecis conuenit exigentia vt ſe moueat per viſionem , vt patet : Ergo per illam non viuet phyſicè. 42

Firmatur, & explicatur quo ſenſu motus vitalis ſit ab intrinſeco.

Motus vitalis eſt debitus intrinſeca exigentia viuentis.

Confirmatur non ſufficit ad motum vitalem , quod principium indæquatum ſit intrinſecum, ſi integra potentia intrinſeca non ſit ; etenim ſi intellectus diſtinguatur ab anima hæcque immediatè influat inadæquatè adhuc Deus per auxilium extrinſecum non poteſt ſupplere defectum potentiæ intellectiuæ, alias anima poſſet intelligere ſine intellectu & ſimiliter ſeparata à potentiis materialibus *videre*, & *olfacere* quod nemo dixit : Ergo ſimiliter hic, quòd enim in naturalibus facit potentia, in eleuaris facit habitus (etiam iuxta Scholam ſocietatis) ſi potentia vitalis non eſt tota ratio agendi. Confirmatur ſecundò vitalitas actus per ſe exigit ſaltem cõnaturaliter auxilium intrinſecum, ſeu intellectum intrinſecè eleuari, per illuſtrationem ſupernaturalem luminis , ſi enim hoc non requiritur titulo vitalitatis , ſicut iuxta ſententiam ſocietatis ſacramenta eleuantur per auxilium extrinſecum , ita & intellectus. At auxilium quod intrinſecum requiritur titulo vitalitatis actus, nec diuinitus poteſt ſuppleri extrinſecè, ideò namque nec diuinitus poteſt amor dari ſine auxilio intrinſeco per cognitionem, quia hæc requiritur titulo *vitalitatis* amoris, alio autem titulo bene poſſunt ſe extrinſeca adiutoria , vti concurſus obiecti cauſæ primæ, &c. Ergo ſimiliter dicendum de lumine gloriæ. 43

Contraria ſententia mihi vera eſt pro qua ſunt omnes Scholæ & Authores præter Dominicanos, quibus adde Meratium , Alarcon, Recupitum , & Ioſephum, Auguſtinum hic nec vllus è Societate diſſentit, fauet S. Thomas in 4. diſput. 49. quæſt. 2. art. 7. & quæſt. 10. de veritate art. 11. dicens , *Poteſt miraculosè fieri quod Diuina virtute aliquis intellectus creatus non habens , niſi diſpoſitiones viæ eleuetur ad videndum Deum per eſſentiam.* At inter diſpoſitiones viæ non eſt lumen etiam tranſiens : Ergo. Dices quamuis lumen tranſiens non ſit diſpoſitio naturalis viæ, habet tamen præ lumine permanente, quod ſit diſpoſitio conformis & compoſſibilis cum ſtatu viæ, & ideò intellectus etiam cum lumine tranſeunte cenſetur non habere niſi diſpoſitiones viæ. Sed contra quia ibid. Sanctus Thom. præmiſerat : *homo per diſpoſitiones omnes* 44

Affirmant omnes præter Thomiſtas recentes. S. Thomas expreſsè.

Capreolus ſuo genio potius quàm D. Thomæ adhærens.

nes quas habet in ſtatu viæ non poteſt in aliquod amplius, niſi vt intelligat per ſpecies à ſenſu abſtractas. Vnde arguit connaturaliter requiri lumen, licèt non requiratur ex Diuina virtute, hoc autem argumentum etiam reiicit lumen tranſiens, cum huius operatio non ſit per ſpecies ſenſus, ideò planè fatetur Capreolus hic S. Thom. pro nobis eſſe, licèt vt ſuo genio potius indulgeat quam magiſtro dicat mutaſſe ſententiam.

45 *Ratio efficax pro vera ſententia.*

Probatur vera ſententia primò. Poteſt vna cauſa naturalis producere cum aſſiſtentia extrinſeca alterius effectum, quem ſola non poterat, ignis iuuatur alio igne, trahens rhedam ab alio trahente. Cauſa ſecunda per aſſiſtentiam extrinſecam cauſæ primæ. Ergo ſimiliter natura producere valebit per aſſiſtentiam Dei, vt authoris ſupernaturalis effectum quem ſola non poteſt. Conſequentia ſatis probata eſt §. 27. cur enim auxilium ſupernaturale erit inſufficiens ad iuuandam extrinſecè potentiam, cum ad hoc valeat auxilium naturale? Omnino videndum quartum illud argumentum in §.27. quod hic eadem vi conuincit. Ergo etiam potentia vitalis poterit iuuari auxilio ſupernaturali extrinſeco. Conſequentia hæc ſuadetur, nam potentia vitalis non requirit quod eius complementum ſit intrinſecum, dum per illud non completur in ratione vitæ, ſic completur per concurſum cauſæ primæ intellectus per concurſum obiecti, planta per concurſum ſolis, quæ omnia extrinſeca ſunt. Cum ergo auxilium ſupernaturale non concurrat vitaliter, nec compleat titulo vitæ ſupplerit poterit extrinſecè. Confirmatur; potentia vitalis, non minus petit, quod eius virtus ſit ab intrinſeco, quam quod ſit intrinſeca, ſed poteſt compleri per auxilium ſeu virtutem ſupernaturalem venientem ab extrinſeco, quia ſcilicet hæc non agit vitaliter. Ergo & per auxilium extrinſecum non vitale.

Intr. lumen non requiritur titulo vitæ.

Vita non minus debetur virtus ab intrinſeco quã virtus intrinſeca.

46 *Explicatur euidenter.*

Explico argumentum. Calor vt quatuor improportionatus & impotens ſe ſolo producere calorem vt octo, poteſt cum concurſu extrinſeco Dei ſupplente abſentiam ignis, & præſtante concurſum, quem ignis præſtiturus erat. Hoc nemo negare poterit. Nam ſaltem quod Deus præſtat per cauſas naturales ſecundas præſtare poteſt ſe ſolo, hic enim vel nullibi tenet dictum S. Thom. 1. part. quæſt. 105. art. 2. *Erroneum eſt dicere Deum non poſſe facere per ſe ipſum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcumque cauſam creatam.* Ergo etiam intellectus improportionatus ad vnionem poterit proportionari per auxilium extrinſecum, ſeu per Deum præſtantem per ſe concurſum, quem præſtiturus erat habitus. Probatur conſequentia. Tum quia improportio phyſica eſt eadem, cum non poſſit calor vt quatuor producere vt 8. naturaliter, tum etiam quia illa actio, quæ orietur à calore vt 4. & ab auxilio eſſet ſupernaturalis, nam nullæ vires ſunt in natura, quæ eam actionem exigant; licet enim ignis petat producere calorem vt 8. at tum illa actio ſit eſſentialiter productio caloris vt 8. ex calore vt 4. à quo eſſentialiter pendet, eſſentialiter etiam includit oriri ex concurſu indebito, & ſupra omnem exigentiam naturæ, vt tranſlatio montis in mare ſupernaturalis eſt vt facienda per hominem, licèt fieri poſſet ab Angelo (qua inſtantia tranſlationis montis clarius vrgetur totum hoc argumentum) Tum denique, quia ſicut poteſt Deus præſtare auxilium, & concurſum, quem datura erat natura, cur non poterit dare concurſum ex ſe ſolo, cum ſolus habeat maiores vires, quam tota natura, vti homo robuſtus non ſolum poteſt ſupplere defectum auxiliantis debiliter, ad ſuſtentandum pondus verbi gratia ſed etiam præſtare vberiorem conatum. Tum ſic aliunde non obeſt ratio *vitalis,* nam cum auxilio ita extrinſeco ſtat intellectum *operari immanenter circa ſuum obiectum connaturale,* quod ſufficit vt intellectus viuat per illam actionē, hic enim modus agendi non conuenit non viuentibus, vt dicam §.45. vt autem actus ſimpliciter ſit vitalis, ſufficit ſi ab vno principio oriatur vitaliter, etenim de facto intellectio ſolum vitaliter procedit ab intellectu non autem à cauſa prima & obiecto. Nihil ergo repugnat quod potentia vitalis eleuetur per auxilium extrinſecum, quod argumentum mihi hanc ſententiam euidentem facit.

Appoſita inſtantia pro explicanda poſſibilitate auxilij extrinſeci.

Quid ſufficiat vitalitati operationis.

Secundùm ſic, infidelis habet auxilium ſupernaturale ad actum fidei; ſic enim habet ſufficientiam vt conuertatur, non per *habitum,* quia habitus fidei ſupernaturalis non eſt in infideli, nec per *qualitatem tranſeuntem intrinſecam,* tum quia auxilium illud ſemper aſſiſtit, quo ergo pacto dicetur tranſiens; tum quia talis qualitas verè eſſet habitus fidei, cum verè præſtet, quidquid facit fidei habitus, ſicut eleuare intrinſecè ad faciendos fidei actus. Quod autem ſit *tranſiens* ſolum argueret eſſe fidem tranſeuntem, abſurdum autem eſt quod in infideli ſit etiam fides tranſiens, vti peccator nequit habere gratiam, nec *tranſeuntem.* Ergo Hoc auxilium erit extrinſecum. Idem confirmatur in illuſtrationibus in quibus conſiſtit gratia præueniens, & quibus homo etiam quando non credit vocatur ad fidem; hæ enim non fiunt ab habitu fidei, nec tranſeunte, nec permanente, nam nulla fides datur in credēte, ſicut nec in peccatore charitas. 47

In infideli daretur fides tranſiēs, & in peccatore charitas tanſiens, ni admittatur auxiliū extrinſecum.

Tertio. Ipſum lumen & auxilium intrinſecum poteſt eleuari vt agat ſupra ſuas vires, cum enim ſit res creata, debet etiam eſſe ſubiecta potentiæ creatoris *vt eâ mediante fiat quidquid creator diſpoſuerit* vt loquitur S. Thom. in 4. diſp. 8. quæſt. 1. art. 3. Tum ſic ſed non eleuatur per auxilium intrinſecum ne procedamus in infinitum ergo per extrinſecum. Dices idem argumentum fieri poſſe de auxilio extrinſeco. Id tamen nego, quia auxilium extrinſecum non eſt quid creatum, ſed ipſa omnipotentia Dei. Confirmatur argumentum lumen gloriæ elicit viſionem indebitam omni auxilio intrinſeco. Ergo eleuatur ad illam eliciendam per nouum, & ſuperius auxilium, conſequentia patet, nam ideò natura indiget auxilio ſuperiori ad videndum Deum, quia talis viſio eſt naturæ indebita. Tum ſic ſed hoc auxilium, non poteſt eſſe intrinſecum vt patet, alias viſio non eſſet indebita omni auxilio intrinſeco. Ergo eſt extrinſecum. Primum antecedens probatur tum quia lumen in Chriſto elicit viſionem connexam cum triſtitia, ſeu quæ repræſentat triſtitiam, & ſtatum viatoris, talis autem viſio indebita eſt lumini cuius paſſio, & proprietas eſt ex natura rei excludere triſtitiam (Idem argumentum fit de morte, & carentia dotum gloriæ;) lumen autem non eleuatur per aliud lumen tranſiens. Ergo illa viſio indebita eſt omni auxilio intrinſeco; tum etiam omne auxilium intrinſecum quod eſt in Chriſto videt ſe eſſe in duplici loco adæquato ob Euchariſtiam; talis autem viſio indebita eſt, ſiquidem eſt opus miraculoſum & ſupra naturam cuiuſuis auxilij eſſe in duobus locis adæquatis. Vnde ſicut res naturalis ſe ſola non poteſt 48

Lumen eleuabile eſt & nõ per aliud lumen ne procedatur in infinitum.

Auxilium extrinſecum eſt ipſa omnipotentia Dei.

Poſſibilis eſt viſio indebita omni auxilio intrinſeco, quæ fiet per extrinſecum.

intuitiuè cognoſcere opus ſibi miraculoſum, ita nec auxilium ipſum ſupernaturale hoc opus quod reſpectu illius miraculoſum eſt.

49 Quartò, Denique maximè probatur non repugnantia auxilij extrinſeci ex ſolutione argumentorum; ad primum in §. 37. Intellectus dicitur intrinſecè impotens ad viſionem, quia ſe ſolo non habet potentiam adæquatam, licèt inadæquatam habeat, ſicut homo eſt abſolutè impotens ad mouendum montem, quia ſolus non poteſt, licèt poſſit in conſortio; quare ſolum indigebit intellectus mutatione extrinſecâ vt contingit in exemplo adducto, aliàs indigeret mutatione per identitatem, cùm natura per identitatem ſit impotens. Ad confirmationem ſupernaturalis effectus intrinſecè cõtinetur *inadæquatè* in natura ſola quia ſola eſt cauſa inadæquata; imò continentia ratione cuius natura cauſat non poteſt venire ab auxilio, quia nemo dat niſi quod in ſeipſo habet per ſuam entitatem. Ad ſecundum ex vitalitate reſpondeo, viuens in eo diſtingui à non viuente, quod illi ab intrinſeco debita ſit potentia proxima ad motum circa illud obiectum, non verò requiritur vt debita ſit ad talem motum i a perfectum in particulari; alias nec cum lumine gloriæ viueret intellectus cum lumen *ab intrinſeco* non ſit debitum. Iam intellectus licèt non exigat hanc operationem in particulari, nempe ſupernaturalem, petit tamen abſolutè ſe mouere circa Deum; ſecus ignis circa aggenerationem; nulla enim aggeneratio per ſe eſt debita igni.

Intellectus intrinſecè eſt impotens ad agendam viſionem ſe ſolo, non vero vt eleuatus.

Viuenti quomodo ab intrinſeco debita ſit potentia proxima ad ſe mouendum.

50 Ad primam confirmationem: Si intellectus diſtinguatur ab anima & hæc etiam influat immediatè, benè poterit influxus potentiæ ſuppleri extrinſecè, nec anima intelliget ſine intellectu, quia ipſa ſecum identificat munus intellectus ſolumque datur potentia, vt adiutorium intelligendi. Viuere tamen non poterit per actus materiales ſi ſeparetur à corpore, quia vt ait S.Thom. 1. part. qu.77. art.5. in argumento *Sed contrà*, cum Ariſtot. 2. de ſomno & vigilia *ſentire non eſt proprium animæ, neque corporis; ſed coniuncti*, quare ſola anima non eſt ſubiectum capax talis denominationis. Ex quo etiam patet ad ſecundam confirmationem de cognitione, nam *amare* non eſt ſolius voluntatis, ſed *cognoſcentis*, ita vt ſubiectum denominationis *amantis* ſit cognoſcens formaliter, non poteſt autem per formam extrinſecam reddi cognoſcens. Iam auxilium intrinſecum hoc titulo non requiritur, ſed purè efficienti; efficienter autem benè completur potentia etiam extrinſecè: connaturaliter tamen potentia, vt vitalis exigit præ Sacramentis auxilium intrinſecum, quia titulo vitalitatis, eſt cauſa principalis; cauſæ autem principali præ inſtrumentali debet eſſe connaturalis ſuus actus: *nullus enim actus perfectè*, id eſt, *principaliter* (verba ſunt S.Thom. 2.2. qu.23. art.2.) *producitur ab aliqua potentia actiua, niſi ſit ei connaturalis per aliquam formam, quæ ſit principium actionis*. Cum autem connaturalis non ſit viſio niſi per lumen hoc requiretur intrinſecum connaturaliter. Item quia actus vitalis per ſe petit cauſam ſecundam, effectus autem, qui petit cauſam ſecundam petit illam in ſe virtuoſam & potentem; nam operatio comparatur cum ſuo principio, vt fructus cum radice. Ergo actus vitalis petit, quod intellectus ſit radix exigens viſionem ſupernaturalem, hæc autem exigentia non datur ſine habitu intrinſeco.

Quatenus verum ſit quod anima diuinitus poteſt intelligere ſine intellectu intrinſeco?

Anima ſeparata cur non poſſit materialiter ſentire.

Denominatio amantis *ex parte ſubiecti reſpicit* cognoſcens.

Cur actus vitalis connaturaliter petat auxilium intrinſecum?

SECTIO V.

Confirmatur amplius poſſibilitas auxilij extrinſeci ad viſionem: probaturque non implicare eandem viſionem factam per lumen, & auxilium intrinſecum, fieri per extrinſecum; quantumuis talis viſio ſit modus in actione conſiſtens.

POteſt Deus iuuare ſe ſolo, & præſtare concurſum ſupernaturalem, quem præſtat auxilium 51
intrinſecum creatum adeo vt dixerit D. Thom. 1. part. qu.105. art.2. corpore: *erroneum eſt dicere Deum non poſſe facere per ſeipſum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcumque cauſam creatam*; quod ſaltem verum debet eſſe quando concurſus cauſæ creatæ non eſt formaliter exercitium vitæ; etenim quando concurrit per modũm obiecti ad ſui viſionem in Beatis præſtat quod præſtaret auxilium intrinſecum ſpeciei ſi per poſſibile vel impoſſibile daretur, quia ſcilicet concurſus ſpeciei non eſt formaliter in ratione vitæ, ſeu exercitium formale vitæ: at concurſus qui præſtatur à lumine gloriæ non eſt formaliter in genere vitæ; nam vitalitas non correſpondet lumini; neque hoc viuet per actum viſionis, ergo ſimiliter præſtari poterit talis concurſus à Deo ſe ſolo iuuante extrinſecè per ſuam omnipotentiam. Confirmatur ex ſententia communi ſtatuente poſſe Deum infundere nobis plures cogitationes ſine nobis: Ergo poteſt ſe ſolo efficere in nobis viſionem beatam, ſine vllo concurſu auxilij intrinſeci: ergo à fortiori poterit concurrente intellectu ſupplere abſentiam luminis, ſi enim poteſt ſe ſolo ſupplere omnem concurſum, à fortiori poterit vnum.

Ruſſus eadem veritas ſic probatur in actu viſionis, plura inueniuntur prædicata, quæ formaliter *vitalia* non ſunt vt quod ſit *accidens, qualitas* ſpiritualis, *intenſa productiua* ſuæ durationis, vbicationis &c. imo ipſa ſupernaturalitas, non eſt vitalis formaliter: Ergo poteſt creſcere viſio quoad prædicata commemorata ſupra vires effectiuas potentiæ vitalis, quin ideo formaliter in vitalitate creſcat, verbi gratia, pone in actu viſionis aliquam perfectionem diſparatam; fingamus poſſibilem viſionem, quæ ſimul ſit ſpecies infuſa de Angelo; cur repugnabunt hæ duæ perfectiones diſparatæ (viſio ſcilicet de vno obiecto, quæ ſit ſpecies de Angelo) venire in identitatem vnius indiuiſibilis entitatis; omnis namque perfectio diſperſa inter plures res poteſt inueniri, & coniungi in alia eminentiori dum ſpeciali repugnantia, & contradictio non inuenitur, qualis inuenitur in coniunctione aſſenſus, & diſſenſus de eodem obiecto. Tunc ſic illa viſio cum ex prædicato *ſpeciei infuſæ* ſit ſupra vires effectiuas potentiæ, opus erit vt ipſi adiungatur aliquod auxilium cui correſpondeat prædicatum *ſpeciei infuſæ* quod eſt in tali viſione; ſed ad communicandum tale prædicatum non requiritur auxilium intrinſecum, munus namq; mittendi, & producendi ſpecies intentionales obiecto purè & extrinſecè aſſiſtenti competit: Ergo ſtat potentiam vitalem ad cognoſcendum per viſionem aliquam requirere pro complemento aliquid extrinſecum quando eſt titulo alicuius prædicati effectus, in quo non reſplendet formaliter vitalitas: Ergo cum in

52

Efficaciter oſtenditur ſi cum viſione identificetur perfectio linea extranea.

cum in ſupernaturalitate non reſplendeat vita formaliter, poterit ad illam per auxilium extrinſecum. Confirmatur non implicat viſio de Deo quæ talis conditionis ſit; vt ad illam ſit inſufficiens lumen gloriæ verbi gratia quia excedit lumen ipſum in intenſione, vel quia non ſolum habet prædicatum *viſionis*, ſed etiam aliud diſparatum *eſſe* ſcilicet *gratiam ſanctificantem*, eſſe qualitatem patratiuam miraculorum, *&c.* Ob quæ prædicata non ſufficit ſolum lumen gloriæ ad producendam talem viſionem, niſi ſimul concurrat virtus diuina productiua gratiæ, vel productiua qualitatis patratiuæ miraculorum quemadmodum ſi aliquis actus eſſet non ſolum religionis, ſed etiam temperantiæ, ad illum efficiendum nequaquam ſufficeret habitus religionis, niſi etiam concurreret habitus temperantiæ communicans illi formalitatem temperantiæ. Et quidem ſicut in naturalibus ſæpe vna cauſa non ſufficit, niſi adiuuetur ab aliâ ſimul concurrente, vt accidit in equo trahente currum cum alio coinfluente, & aſſiſtente; cur non idem dicemus in ſupernaturalibus. Ergo iam ſaluatur quod virtus ſupernaturalis *pure aſſiſtens* poteſt proportionare, & complere potentiam ad effectum ſupernaturalem, licet non ſit intrinſece inhærens. Ergo idem eueniet cum potentia naturali.

53 *Intellectus ad plus valet cum adiutorio extrinſeco, quā ſine illo.*

Explicatur aliter ratio facta: Intellectus cum adiutorio licet extrinſeco; ad effectum, ſeu actum, perfectiorem valet, quam valeat per ſe ſolum; quo enim in principio aggregatur plus virium eo maior emanat effectus. Sed talis actus eo ipſo quod talis ſit vt nequeat fieri ab intellectu ſine auxilio extrinſeco ſupernaturali, ipſe etiam ſupernaturalis erit vtpote ſupra vires, & exigentiam intellectus ergo ad actum ſupernaturalem valet intellectus iuuari auxilio extrinſeco. Maior probatur primo nam adiuta potentia habitu naturali ad plus valet quem ſola; habitus autem eodem modo iuuaret intellectum, licèt vnionem non haberet cum ipſo, vt maxime patet in ſententia non diſtinguente habitus intellectuales ab ſpeciebus; concurſus autem ſpecierum per ſe intrinſecus non eſt; cum eodem modo iuuare poſſit ipſum obiectum; ſic etiam calor non eſt minoris virtutis inhærens quam per ſe ſubſiſtens in Euchariſtia. Secundò eadem maior probatur ex virtute motiua currus quæ ad maiorem motum ſufficit ex extrinſeco adiutorio. Tertiò debilitas auxilij purè extrinſecè debilitat potentiam, vt cæteris paribus remiſſior, ſeu debilior ſit actus quo concurſus omnipotentiæ minor ſit; ſi enim quantumuis lumen ſit intenſiſſimum ſolum ad actus remiſſos concurſus paretur à cauſa prima viſio euadet remiſſa. Ergo è contra pro incremento auxilij extrinſeci, ſeu concurſûs cauſæ primæ creſcere poteſt intellectus in ſuis actibus.

54 *Eadem actio luminis intrinſeci procedere poteſt ab extrinſeco.*

Secunda pars poſita in ſectionis titulo ſcilicet non implicare eandem viſionem factam per lumen & auxilium intrinſecum fieri per extrinſecum, quantumuis talis viſio ſit modus in actione conſiſtens: probatur primo, non variatur actio, quæ oritur ab aliquo principio intrinſeco, ſeu inhærente, & vnito alicui ſubiecto ex eo quod talis vnio diſſoluatur permaneatque prædictum principium per ſe ſubſiſtens, & ſine ſubiecto; neque enim actio, qua calefacit calor panis ante conſecrationem variabitur ob ſuperuenientem conſecrationem, poſt quam iam calor extrinſecus eſt, & ſine ſubiecto. Ergo ſimiliter eadem erit actio viſiua, quæ procedit à lumine inhærente, etiam poſtquam talis inhærentia, & vnio diſſoluatur; in quo caſu lumen ſe habebit vt auxilium extrinſecum, cum pure aſſiſteret, & non inhæreret potentiæ intellectiuæ.

Primo ſi diſſoluatur vnio luminis.

Secundò probatur poſſe eandem actionem viſiuam procedentem à lumine gloriæ procedere etiam & fieri per aliam actionem reflexam ad quam compleatur intellectus per auxilium extrinſecum; fateor tunc actionem viſiuam non fieri ſine lumine cum pendeat eſſentialiter actio à principio à quo ſemel per ſe ipſam immediate fluit; at ſimul exiſtimo poſſe fieri vt dixi per aliam actionem reflexam venientem ab auxilio extrinſeco: Suppono hic primo abſolutè poſſe naturalem potentiam compleri ad actus ſupernaturales per auxilium extrinſecum; mihi enim in preſenti controuerſia non eſt contra Thomiſtas Dominicanos, ſed contra aliquos Theologos recentes ex noſtris putantes cum Ripalda tom. 1. de ente ſupernaturali diſput. 34. ſect. 7. num. 46. licèt aliqui actus fiant per auxilium extrinſecum, non tamen poſſe eos actus, qui in actione, & modo conſiſtunt; ſi ſemel procedant ab intrinſeco auxilio. Suppono ſecundo eundem terminum, ſeu effectum poſſe duplici cauſalitate, & actione totali produci, ſeu poſſe terminare aliam actionem vltra totalem; hoc pauci negant de potentia abſoluta vt patet à paritate corporis vbicati vbicatione vltra totalem; imo id ego defendo de potentia ordinaria in opere noſtro philoſophico, quod ſuadet exemplum animæ rationalis exiſtentis connaturaliter vltra ſpatium, & vnionem, quâ connaturaliter ſufficienter valet exiſtere. His ſuppoſitis ſic argumentor; effectus abſolutus non minus eſt determinatus cum actione vitali, vt oriatur ab hac cauſa tantum quam ipſa actio, & modus; ergo ſi adhuc admittere poteſt nouam actionem vltra hanc ſufficientem, & totalem vt oriatur à noua cauſa ita ſimiliter dicendum eſt.

55 *Secundo eadem actio luminis poteſt fieri per aliam reflexam ab extrinſeco.*

Cum quo ſit quæſtio præſens.

56 *Ratio à priori: vt actionis determinatio.*

Tertio hinc ſumitur ratio à priori, quia de conceptu actionis ſolum eſt vt oriatur ab hac cauſa non autem eſt determinatio quaſi negatiua vt non oriatur ab alia; tum quia ad hoc ſufficienter determinatur per negationem actionis reflexæ; tum etiam quia per actionem determinatur effectus abſolutus, vt oriatur ab hac cauſa; Cæterum non determinatur per negatiuam repugnantiam, nempe vt pugnet ortui ab alia nouâ cauſâ. Quod autem competit termino abſoluto media actione, habet actio ipſa immediatè ratione ſui; tum deniquè quia quidquid ſit de poſſibili, quod ſcilicet poſſibilis ſit actio quæ ſimul ſit detractio poſitiua ab hac cauſa, & negatiua, vt non poſſit eſſe ab alia cauſa; cæterum conceptui actionis, quem experimur, ſufficit ſi actio ſe ſola ſit eſſentialis determinatio, vt oriatur ab hac cauſa, licet maneat adhuc indifferens, vt oriatur ab aliâ per alium modum diſtinctum, nam recte ſtat cum determinatione in vna linea, quod habeat modus indifferentiam in aliâ. Sic modus ſubſiſtentiæ eſt determinatio ad ſubſiſtendum, & vbicatio determinatio exiſtendi in loco, indifferentes tamen manent hi modi vt fiant ab hac cauſa vel ab illa: tunc ſic; ergo ſimiliter quantumuis viſio ſit modus ſe ipſo determinatus vt fiat à lumine poterit ſeruare indifferentiam, vt fluat ſimul ab auxilio extrinſeco per aliam actionem reflexam.

57 Quarto idem probatur quia omnis effectus eſt per ſuam eſſentiam immediatè determinatus vt oriatur à Deo, reſpectu cuius ſe ipſo eſt actio immediatè

mediatè fluens à Deo, ne vna creatura ſtrictiùs pendeat à Deo quam alia, & ne Deus ita comparetur circa creaturam, vt ſtrictiùs, & immediatius hæc pendeat ab aliquo creato, quam à Deo, ſiquidem ab actione intermedia pendet effectus per ſeipſum à Deo autem ſolum medià actione; ſed hoc omiſſo licèt effectus omnis creatus non ſit actio ſeipſo, ſaltem negandum non eſt effectum creatum ſeipſo habere repugnantiam, vt non oriatur ſine Deo. Tunc ſic, ſed adhuc admittit nouam actionem, quâ ſimul determinetur ad fluendum à cauſa ſecunda: Ergo è contrario poterit contingere, vt actio aliqua ſeu modus ſeipſo determinatus vt fluat à cauſa ſecunda, nouam determinationem habeat vt de nouo per auxilium extrinſecum procedat.

58 *A paritate aliorum modorum.* *Vnionis poteſt dari reflexa vnio.*

Quintò maximè idem probatur à paritate aliorum modorum, verbi gratia vnionis, quæ licèt per ſe ſit determinata, & immediatè vnita cùm ſuis extremis AA. quorum eſt ratio vniendi, tamen admittere poteſt nouum modum, & vnionem quaſi reflexam, qua aliis extraneis copuletur: Ergo ſimiliter actio poterit terminare nouam, & reflexam actionem, qua à præternaturali, ſeu aliena cauſa producatur. Conſequentia patet, quia ſicut communiter loquendo dicit axioma: *Actionis non datur actio:* etiam addit: *ſicut neque vnionis vnio:* ergo ſiquidem hoc additum intelligitur: *ad connaturalia extrema*, ita ſentiendum eſt de actione, vt ſolum excludat actionem reflexam reſpectu connaturalis cauſæ, reſpectu cuius eſt *ratio agendi*, imo quaſi *vnio, ſeu ratio vniendi*, agens cum ſuo termino.

59 Antecedens ergo quod poſſit dari vnionis vnio probatur primò in vnione continuatiua vnius partis aquæ ad aliam, quæ non ſolum copulat vtramq; partem, ſed etiam vnionem vnius cum vnione alterius neque enim ſolum partes continuantur, ſed etiam ipſa vnio præced. partis, ſeu qua materia, & forma præced. partis erant vnitæ cum alia vnione ſuperuenientis partis continuatur, quod præcipuè cernitur quando nutritur homo; nam homo per nutritionem non producit nouam partem animæ, quæ partes non habet, nec nouam partem materiæ, quæ ſolum per creationem fit, neque vnionem animæ rationalis ad nouas partes, quia anima virtutem non habet ad producendam vnionem ſui cum corpore: Ergo faciet nouam vnionem, non nouæ materiæ præciſè cum præexiſtente, ſic enim non faceret formaliter *hominem*, vt *hominem* in ratione totius creſcere (nam *homo* vt homo reduplicat ſupra vnionem) ſed tantum partem hominis: ergo ad hoc quod homo vt homo creſcat per nutritionem continuatiuè neceſſarium eſt vt vnio partis ſuperuenientis copuletur cum vnione partis exiſtentis: tunc ſic non per vnionem antiquam; hæc enim ſolum habet copulare formam cum materia ergo per nouam & reflexam: ſecundò id etiam patet fortius in vnione hypoſtatica qua Verbum diuinum non ſolum aſſumpſit partes humanitatis ſecundùm ſe, ſed vt *vnitas* ipſamque vnionem, quæ inter materiam, & formam intercedit vt notat Suar. tom. 1. in 3. part. d. 17. ſect. 5. §. *primo quia* (& certè ſaltem de poſſibili nemo negabit quidquid de facto ſit; cum enim Verbum potuerit ſumere accidentia quidni modum hunc ſubſtantialem) imo & vnionem continuatiuam qua vna pars corporis cum alia copulatur vt ait Card. de Lugo d. 12. de Incarnatione ſect. 5. num. 61. At illa vnio naturalis non ſeipſa (cum exiſtere poſſit ſine Verbo) ſed medio nouo modo vnionis vnitur Verbo diuino vt benè vidit Suar. ſupra §. *& confirmatur* ad finem §. ergo, &c. Tertio idem patet in vbicatione vnionis, duratione &c. ad quæ vnio ſubſtantialis ſeipſa non vnitur niſi per aliam diſtinctam vnionem, ſiue cum ipſa vbicatione identificatam, ſiue non. Rurſuſque idem patet in ſubſiſtentia, & actu amoris qui modus ponitur, & conſequenter ſeipſo vnio cum ſubiecto, qui tamen vt aliis extremis diſtinctis vniatur, verbi gratia, cum propria vbicatione, duratione &c. indiget diſtincta vnione à ſeipſo.

Anima quando nutritur homo producit nouam vnionem, qua terminetur ad antiquam continuatiuam, cum noua continuatiua.

In Chriſto vnio hypoſtatica terminabatur ad vnionem naturalem.

DISPVTATIO XXIX.

Vnde proueniat inæqualitas viſionum?

SECTIO I. *Status quæſtionis & Authorum ſententiæ.*

SECTIO II. *Ex inæqualitate potentiæ naturalis poteſt deſumi inæqualitas viſionum; non tamen deſumitur de facto.*

SECTIO III. *Occurritur oppoſitis argumentis, & quanta ſit inæqualitas viſionum oſtenditur.*

TRIVMPHVM egiſſe contra noſtram opinionem tribuentem intellectui partialem influxum immediatum in viſionem beatam exiſtimant Thomiſtæ recentes Dominicani in præſenti difficultate putantes noſtros Authores vnice vrgeri hoc magno abſurdo, quod beatitudinis inæqualitas non ex inæqualitate meritorum iuxta Florent. litt. de vnion. Armen. ſed etiam ex inæqualitate potentiæ naturalis eſſet deſumenda, vt notaui diſp. 28. §. 35. Cæterum ipſi Recentiores ni velint intellectum merè paſſiuè ſe habere eodem abſurdo vrgeri demonſtro §. 8. & quidem loquendo de beatitudine naturali, ad quam certum eſt naturam immediatè concurrere, nemo id inficiabitur, cùm tamen etiam certum ſit naturalem beatitudinem forè pro qualitate meritorum. Sed hic cum merita meliora ſint quando fiunt à meliori natura, non mirum, cenſeo, ſi beatitudo ſit inæqualis: quid vero dicendum de beatitudine ſupernaturali dicam ſect. 2.

Vide infrà qu. 12. art. 6. per 3. dubit.

SECTIO I.

Status quæſtionis, & Authorum ſententiæ.

Licèt quærat S. Thomas hic vtrum viſiones ſint inæquales, inæqualitatem tamen hic non probat, ſed 1. 2. quæſt. 5. art. 2. fortè quia ſub nomine *Beatitudinis* expreſſiùs definita eſt; ſed totus eſt in hoc articulo in oſtendenda radice, vnde phyſicè effectiuè proueniat, nam moraliter certum eſt venire ex meritis inæqualibus; formaliter autem ex ipſarum viſionum entitate, quarum inæqualitas ſit ne ſpecifica, vel ſolùm intenſiua dicam ſect. 3. Supponendum eſt etiam poſſe hanc inæqualitatem prouenire ex diuerſitate luminis, cum enim lumen ſit 1 *Status quæſtionis.*
cauſa

cauſa maximè proportionata, agatque ſecundum totam ſuam virtutem dubium eſſe non poteſt pro maiore huius perfectione viſionem perfectiorem euaſuram. Suppono etiam ex maiore perfectione concurſus obiectiui per ſe non venire inæqualitatem; nam cum obiectum concurrat iuxta proportionem potentiæ, & luminis, & ad huius exigentiam cæteris paribus inæqualis concurſus obiecti non erit. Verumtamen eſt ſi præternaturaliter concurſus obiectiuus cæteris paribus creſceret viſionem futuram perfectiorem, vti de facto cognitio perfectior ex perfectiore ſpecie procedit, reſtat ergo tota difficultas de inæqualitate ex parte potentiæ naturalis, vtrùm conducere poſſit in perfectiorem viſionem.

Vtrum ex inæquali potentia naturali viſiones ſint inæquales?

2 Prima ſententia affirmat intellectum perfectiorem cum æquali lumine, & ſpecie, ſeu concurſu obiectiuo perfectiùs viſurum Deum, ita Scotiſtæ apud Smiſing. t. 2. diſput. 6. quæſt. 6. Thomiſtæ aliqui cum Caietano 3. part. quæſt. 10. art. 4. ad 2. Vbi etiam S. Thom. dum ait: *Gradus in viſione ſecundum perfectionem magis attenditur ſecundum ordinem gratiæ, quam ſecundum ordinem naturæ.* Ergo ſi *magis* facta comparatione; ex natura etiam veniet licet *minus*. Ex noſtris ſequuntur hanc ſententiam Molina, Herice, Alarcon, & ex parte Ripalda diſp. 37. ſect. 1.

Affirmant. Scotiſtæ omnes. Thomiſtæ aliqui. Ex noſtris. Molina. Herice. Alarcon.

3 Mouentur primò creſcente partiali virtute creſcit effectus ſic creſcit cognitio ex perfectiore ſpecie cum æquali intellectu? & ratio eſt quia iam virtus totalis abſolutè eſt perfectior, ex perfectiore autem virtute melior euadit effectus. Ergo cum virtus agendi viſionem coaleſcat ex intellectu naturali partialiter, viſio creſcet pro huius maiori perfectione. Secundò viſio ſpecie diſtinguitur pro diuerſitate intellectus vt patet facto argumento de actione productiua viſionis, quæ vel à viſione non diſtinguitur, vel ſaltem ſupernaturalis eſt, ſicut illa, hæc autem actio cum eſſentialem reſpectum dicat ad potentiam diuerſam, neceſſario ſpecie differet. Ergo & inæqualis erit pro potentiæ inæqualitate. Conſequentia probatur tum quia diuerſitas ſpecifica ex communi opinione non ſtat ſine inæqualitate, tum quia reſpectus ad potentiam nobiliorem non poteſt non augere cæteris paribus excellentiam talis reſpectus.

Fundamenta.

4 Tertiò Angelus cum æquali lumine fidei perfectiores elicit cognitiones, quam homo; tum quia non cognoſcit componendo & diuidendo dependenter à phantaſmatibus, confundendo rationes communes, ſicut homo; tum quia etiam in Angelo hic actus fidei *Deus eſt homo* perfectior eſt, quam in ruſtico cum quidditatiue ſciat quid ſit *eſſe hominem*; ſicut perfectius cognoſcit qui vidit Philippum, dum audit: *Philippus eſt Matriti.* Neque hæc maior perfectio ſolum reſidet in præuiis apprehenſionibus naturalibus, vt reſponderi ſolet; ſed intrinſeca eſt ipſi aſſenſui fidei; quia ipſe aſſenſus fidei non poteſt non attingere ſubiectum & prædicatum maximè cum iudicium ſit ſimplex qualitas. Ergo ipſe actus fidei in ſe, & ratione ſui clarius repræſentat.

5 Secunda ſententia negans eſt communis inter noſtros, & Dominicanos vide plures apud Ripaldam diſp. 37. ſect. 1. quibus adde Ioſephum Auguſtinum Recupitum, Meratium Machin. Hurtado de Mendoza diſput. 124. de charitate ſect. 3. & expreſſius ſanctum Thomam hic ad 3. ibi. *Diuerſitas videndi Deum exit per diuerſam facultatem intellectus, non quidem naturalem ſedININININ glorioſam.* Quare 3. part. quæſt. 10. art. 4. ly *magis* adductum §. 2. non eſt ſumendum comparatiuè ſed aduerſatiuè, id eſt potiùs vti dicimus, *melius eſt mori quam peccare.*

Negant Thomiſtæ communiter. Ioſeph Aug. Recupitus. Merat. Machin. P. Hurtado. S. Thomas.

6 Mouentur primo quia concurſus cauſæ primæ eſt iuxta menſuram luminis ſolius, ergo & perfectio viſionis. Conſequentia patet quia viſio non poteſt eſſe perfectior concurſu Dei. Antecedens probatur. Cauſa dat ſuum concurſum iuxta menſuram exigentiæ cauſæ ſecundæ, ſed nihil exigit concurſum ad viſionem niſi ſolum lumen, nam viſio omninò eſt ſupra exigentiam naturæ, etiam quando adeſt auxilium; ideò enim etiam tunc operatur natura ex potentia obedientiali; ergo, &c. Mouentur ſecundò nihil poteſt natura ſibi tribuere ex actu ſupernaturali iuxta illud. *Quid habes quod non accepiſti.* Si autem inæqualitas viſionis oriretur à natura cæteris paribus hic exceſſus proprius eſſet naturæ.

Fundamenta.

7 Tertiò præcipuè: viſio & beatitudo non correſponderet ad menſuram meritorum contra definitionem Florentini in literis vnionis, vbi habetur, *beatos intueri clarè ipſum Deum trinum & vnum ſicuti eſt, pro meritorum tamen diuerſitate alium alio perfectius.* Et ſecundæ Corinth. 9. *Qui parcè ſeminat parcè & metet:* etenim meritis æqualibus correſpondet æquale lumen; aliunde cum æquali lumine melior viſio eſt in Angelo in contraria ſententia. Dices primò cum Herice & Alarcon eſt melior in entitate, ſed non in claritate (titulo cuius magis beat, quo ſenſu loquitur Florent.) ſic actus Fidei in entitate melior eſt ſcientiâ naturali; non tamen in claritate. Contrà ſi aliquid probant argumenta contraria maximè tertium intellectus melior etiam conducit ad clariores cognitiones. Dices ſecundò cum Ioſepho Auguſtino hic num. 17. Vaſquez & aliis Deum detracturum Angelo aliquid de lumine, quia lumen per ſe non datur, vt præmium; ſed vt medium ad præmium; ſcilicet ad viſionem, quare tantumdem dandum eſt, quantum æquali viſioni neceſſarium ſit. Sed contrà ergo detrahet de gratia, nam lumen vt proprietas ſequitur menſuram gratiæ: item Angelus eſſet peioris conditionis, cum priuaretur ornamento luminis. Denique detrahet de charitate, nè amor ſit inæqualis. Ideò dices tertiò cum Molina detrahetur de concurſu cauſæ primæ vel obiecti. Contra hoc eſt præternaturale & violentum, vt Deus non concurrat iuxta exigentiam potentiæ: vnde foret perenne miraculum.

SECTIO II.

Ex inæqualitate potentiæ naturalis poteſt deſumi inæqualitas viſionum; non tamen ſumitur de facto.

8 Poſſe deſumi ſic probo. Ex potentia naturali participat actus vitalitatem, quam non participaret ſi potentia vitalis non eſſet, licet daretur idem lumen per poſſibile, vel impoſſibile. Ergo ſimiliter ex maiori perfectione potentiæ participabit maiorem ſeu perfectiorem vitalitatem. Explicatur, pone aliquam virtutem eleuatiuam indifferentem, vt ſit ratio eleuandi vitaliter cum potentia vitali, & purè efficienter cum cauſa purè phyſica, vti Deus, & cauſa prima vtroque modo adiuuat, vel ſi mauis ſit indifferens ad eleuandum ad actus voluntatis, & intellectus. Ecce cæteris paribus

Ex inæqualitate potentiæ naturalis poteſt deſumi, ſicut deſumitur vitalitas.

ribus ſub hoc eodem auxilio, & virtute ob inæqualitatem, & diuerſitatem potentiæ ex intellectu oritur intellectio, quæ perfectior eſt volitione, quam eliceret voluntas per illud idem auxilium.

Et minor perfectio ſupernaturalis actus,

Confirmatur, poteſt actus eſſe minus perfectus ob minorem perfectionem naturæ, ergo & eſſe magis perfectus ob maiorem. Conſequentia eſt per ſe nota: Antecedens probatur: poteſt actus eſſe remiſſior ex libertate naturæ, cæteriſque paribus: ergo & ex inæqualitate capacitatis,& perfectionis naturæ,cur enim ſicut determinatio naturæ liberæ retardat vim auxilij ſupernaturalis, non poterit retardare peculiaris imperfectio, & incapacitas eiuſdem naturæ? Quod argumentum etiam vrget Dominicanos qui immeritò ſe immunes ab hac difficultate gloriantur; nam licèt lumen ſit tota ratio agendi, intellectuſque ſolum cauſet *vt quod* verè tamen ex ipſo vitalitas ſumitur vt viſio vitalis non foret ſi in potentia vitali non radicaretur lumen: item licèt habitus charitatis ſit tota ratio agendi, poteſt limitari eius vis à voluntate remiſsè amante: ergo & augeri ob augmentum voluntatis.

Argumentum hoc etiam vrget, quantumuis lumen ſit tota ratio agendi.

9 Secundò arguo iuxta argumentum factum diſputatione 28. §. 42. auxilium quo Deus ſuppleret abſentiam ignis adiuuantis vt quatuor ad hoc, quod ex calore vt quatuor oriretur actio producens calorem vt octo eſſet ſupernaturale; rurſus tale auxilium cum calore vt duo ſolum eliceret actionem productiuam vt ſex; etenim ignis ipſe adiuuans vt quatuor cum calore vt duo ſolum produceret calorem vt ſex; idem autem dicendum eſt de virtute huius auxilij, cùm ſolùm præſtet vices ignis; ſicque apponi poſſunt alia exempla, nam eo minori adiutorio ſupernaturali indigeret homo ad transferendum montem, quo homo ex ſeſe eſſet maiorum virium: Ergo ex maiori perfectione potentiæ poteſt cæteris paribus creſcere effectus ſupernaturalis. Confirmatur ex diuerſitate præciſa potentiæ naturalis poteſt oriri quod cum eodem lumine vnus videat, alius non, ſic poteſt dari lumen cum quo videat Angelus,& non homo: ſicut per hoc lumen de facto videt intellectus, non autem oculus corporis, vbi tota diuerſitas oritur,ex potentia naturali apta: Ergo ſimiliter ex potentia naturali aptiori poteſt oriri talis viſio ita perfecta quæ non poſſit ex alia.

Explicatur exemplo calefactionis ſupernaturalis, quæ maior eſt à maiori calore naturali.

Et tranſlationis montis,

Luminis elicientis viſionem cum intellectu, & non cum oculo.

10 Tertiò eſt ratio à priori maximè in ſententia Societatis: Supernaturalitas non tollitur vbi natura *non poteſt* abſolutè effectum producere niſi cùm auxilio indebito omnino.Sed hoc rectè ſtat quantumuis minori egeat auxilio vna potentia naturalis quàm alia,ſeu eliciat cæteris paribus perfectiorem viſionem: ergo, &c. Maior ſatis conſtat ex diſput. 28. ſect. 3. in 4. argum. quod omnino videndum eſt, nam totum hic vrget clariſſimè; minor probatur, tum quia quod vna potentia naturalis ſit proportionata, vt eleuetur præ alia, non tollit auxilium eleuatiuum eſſe indebitum, vt patet in intellectu præ oculo ad videndum Deum: Ergo neque quod vna potentia minori egeat auxilio; eo enim minus auxilium requiritur, quo potentia eſt magis proportionata: tum etiam intellectui etiamſi influat partialiter adhuc eſt indebitum auxilium, quia ſcilicet potentia intellectus ſolum eſt conditionata *ſi detur eleuatio*; ſed etiam eſſe poteſt conditionata ad cauſandum perfectius ſi detur auxilium, vti homo robuſtus maiorem conatum conferet in tranſlationem montis ſi eleuetur,quam debilis. Confirmatur in præmiſſa naturali euidenti, quæ meliorem facit concluſionem quam probabilis, verbi gratia, *homo eſt rationalis*, meliorem concluſionem infert (*ergo Chriſtus eſt rationalis*) cum hac indebita *Chriſtus eſt homo*, quam hac alia præmiſſa: *homo viuit per potentias diſtinctas*: ergo *Chriſtus viuit per potentias diſtinctas*.

Ex conceptu ſupernaturalitatis.

11 Non deſumi de facto ex inæqualitate potentiæ naturalis viſionum inæqualitatem ſuadetur primò, non eſt opus vt creſcente perfectione potentiæ immediatè influentis creſcat ſub eodem lumine effectus ſupernaturalis: ergo de facto non creſcit. Conſequentiam nullus negabit, cum omnes ex oppoſito antecedenti coacti in contrarium eant. Antecedens probatur primò quia inæqualitas cauſæ non debet reſplendere in omni effectu, ſic *homo* licèt perfectior equo; non tamen ſe mouet perfectius: Ergo maior perfectio Angeli præ homine, verbi gratia, non eſt opus vt reſplendeat in viſione, cum ſatis exeratur in actibus naturalibus; maximè cum homo in actu viſionis æquè ſit independens à phantaſmatibus diſcurſu & aliis imperfectionibus ob quas exceditur ab Angelo, vnde ſicut maior perfectio Angeli non facit eum videntem magis independenter à phantaſmatibus, ita nec magis perfectè. Secundò, vt aliqua entitas ſit cauſatiua alicuius effectus, non ſufficit æqualis perfectio, nam æquè comparatur in perfectione ferrum ad ferrum,ſicut ignis ad ignem, neque ideo eſt æquè cauſatiuum.Requiritur ergo vlterius proportio, quæ non ſequitur perfectionem cauſæ vt iam patuit: ergo poteſt creſcere cauſa in entitate, & non in proportione virtutis,ſic viuens perfectius igne iſto inferius eſt in proportione producendi calorem: Ergo quantumuis potentia perfectior ſit, ſi lumen ſolum ſit proportionatiuum vt quatuor ſolum viſio fiet vt quatuor.

Viſionum inæqualitas de facto non ſumitur ex potentia naturali.

12 Secundò, abſolutè probatur viſio æqualis de facto: Nequit ex inæqualitate naturæ viſio oriri intuens Deum perfectius ſuprà intenſionem, ſeu perfectionem luminis, ergo nequit de facto oriri inæqualis. Antecedens ſuadetur, nequit ob inæqualitatem naturæ oriri viſio magis ſeu perfectius ſupernaturalis vt per ſe patet tota enim ſupernaturalitas, & eius exceſſus correſpondet auxilio, ſicut vitalitas potentiæ: Ergo nec magis ſeu perfectius intuens Deum. Conſequentia patet, nam formaliter conceptus intuitionis Dei eſt conceptus ſupernaturalitatis; titulo enim excellentiæ intuendi obiectum abſtractum ab omni potentialitate ſuperat viſio vires naturæ: Ergo creſcere non poteſt niſi creſcente eleuatione ſupra naturam. Confirmatur Beatus non videt Deum perfectius niſi quatenus aliquid nouum de ipſo exprimit. Sed nequit exprimere aliquid nouum niſi ex noua eleuatione, quodlibet enim attributum, & formalitas Diuina talis eſt vt eius viſio etiam vt præciſa ab aliis ſit ſupra omnem naturam, & in illa intuenda appareat tota ratio exigendi eleuationem ſupernaturalem ad ſimpliciter intuendum Deum; ergo quantumuis creſcat intellectus, non videbit Deum perfectiùs niſi creſcat lumen, vti non exprimet nouum attributum obiecti, niſi creſcat, & extenſior ſit ſpecies.

Viſio non poteſt creſcere formaliter in ratione ſupernaturalis, & hinc neque in ratione intuentis Deum niſi ex meliori lumine.

13 Dices ſit viſio inæqualis, non quia ſuperet perfectionem luminis, ſed quia intellectus hominis nequit æquare virtutem luminis, ſicut Angelus vti iuſtus remiſsè operans non æquat virtutem gratiæ. Contra primò, quia hoc directè & poſitiuè non eſt creſcere ex inæqualitate naturæ, ſed quaſi dari remouens prohibens; præcipuè autem hic quæritur

Poſſe tamen decreſcere & hinc eſſe negatiuè inæqualem improbabile non eſt.

quæritur, vtrum ſuprà virtutem luminis poſſit proficere perfectio natu.æ ſiquidem iam ſimpliciter totalis virtus perfectior eſt. Contra ſecundo gratis fingitur intellectum hominis non operari ſecundum totam potentiam luminis, nec apparet quid impedimenti ſit in homine præ Angelo, imò hoc durè dicetur, nam communiter ſupponunt Thomiſtæ viſionem ſequi menſuram luminis.

At dicitur ſine fundamento.

SECTIO III.

Occurritur oppoſitis argumentis, & quanta ſit inæqualitas viſionum oſtenditur.

14 *Supernaturalitas viſionis, & omne prædicatum quod vt tale eſt ſupernat. formaliter non creſcit ex naturali potentia.*

Contra primam concluſionem militant quæ poſui pro ſecunda ſententia in §. 5. ea tamen facilem habent explicationem ex nuper dictis in ſecunda concluſione ſanctus Thomas loquitur de diuerſitate videndi clarius ſeu perfectius Deum, quam fateor ſolum deſumi ex lumine; ſicut enim to:a ſupernaturalitas ſoli lumini correſpondet formaliter, ita & omnis perfectio quæ ſupernaturalitati formaliter ſubalternatur; ſecus dicendum de aliis perfectionibus alterius generis, ſi ſermo ſit de poſſibili; qua diſtinctione cætera obiecta ſoluta manent.

15 *Tertium argumentum pro ſententia negante manifeſtiſſima inſtantia ſoluitur pœnarum inferni, & beatitudinis naturalis.*

Nota tamen pro tertio cui maximè fidunt Dominicani, nè intellectus immediatè influat in viſionem, manifeſtam habere inſtantiam in cognitione, quam habent damnati de bono omiſſo, triſtitiaque quæ illam ſequitur per modum pœnæ, nam etiam hæc debet eſſe pro menſura demeritorum, quin tamen ideò negari poſſit naturæ immediatus influxus, cum talis iuſtitia ſit actus naturalis, neque enim eſt donum gratiæ. Nunc ergo ſi ex influxu immediato intellectus in viſionem inferunt hanc perfectiorem futuram in Angelo, ita in dæmone erit viuidior repræſentatio mali, & per conſequens maior pœna, & triſtitia cæteris paribus, ita enim clarior cognitio mali auget triſtitiam, ſicut gaudium, & beatitudinem melior boni cognitio; quare æquè omnes vrget hoc argumentum, quod ego ſolno ex dictis in Beatis, in damnatis autem abſurdum non eſt cum melior potentia maiora fecerit peccata.

16 *In viſione alia prædicata ſunt ſupernaturalia formaliter, alia non.*

Iam vt reſpondeam ad argumenta primæ ſententiæ prout oppugnant meam ſecundam concluſionem noto duo eſſe prædicatorum genera in actu ſupernaturali; primum correſpondens formaliter naturæ, *vt vitalitas*, vel ſaltem ſe habens ita ad ſupernaturalitatem, vt titulo talis prædicati formaliter non exigatur ſupernaturalitas, verbi gratia *eſſe diſcurſiuum, dependens à phantaſmatibus, materiale*, &c. Hæc enim talia ſunt, vt ratione ſui, non ſint ſuprà naturam formaliter; ſecundum genus eſt directè, & per ſe ſupra naturæ vires, verbi gratia *firmiter adhærere, & omninò certò ob motiuum obſcurum, diligere inimicos*, &c. Quæ prædicata titulo ſuæ excellentiæ, auxilio ſupernaturali correſpondent.

17 *Solum in prædicatis non ſupernaturalibus poteſt viſio creſcere ex meliori potentia, vti è contra ex meliori lumine non creſcit vitalitas. Vt ſi Deus eleuaret duos calamos ad formandos characteres aureos, vterque aureos faceret, ſed qui melius paratus pulchriores.*

Hinc igitur de prima perfectione concedo poſſe creſcere ex inæqualitate naturæ, ſecus de ſecunda: quemadmodum enim ex incremento auxilij ſupernaturalis nequit creſcere *vitalitas* actus, quia hæc eſt propria potentiæ, neque ex perfectione potentiæ creſcere cognitio, ſeu extendi ad repræſentandum nouum obiectum; quia hoc prædicatum formaliter correſpondet ſpeciei impreſſæ; ita non poteſt creſcere actus in perfectione ſupernaturali formaliter, ſeu quatenus formaliter ſupernaturalitati ſubalternatur ob inæqualitatem naturæ. Per quod patet ad primum & ſecundum in §. 3. item ad 3. in §. 4. Nam illa maior perfectio Angeli, quòd ſcilicet clarius penetret terminos, independenterque à phantaſmatibus, non eſt ſuprà naturam formaliter nomine ſui; ſed in hoc reſplendet excellentia ſupernaturalitatis quod aſſenſus fidei ſit certus ex motiuo obſcuro aſſentiendi, firmiterque adhæreat Angelus qua firmitudine non excedit hominem.

18 *An diuerſitas viſionum ſit ſpecifica?*

Conſtat ex dictis ſolum ex inæqualitate luminis viſiones poſſe eſſe inæquales; at dubium eſt ſit nè hæc inæqualitas ſolum numerica, & intenſiua, an etiam quoad ſpeciem. Communiter Thomiſtæ cenſent eſſe tantum intenſiuam: imò addunt implicare inæqualitatem ſpecificam. Suarez, Salas Caietanus cum Faſolo difficultate ſecunda num. 10. Ratio; eſt lumen, & obiectum ſunt eiuſdem rationis in omnibus Beatis, ergo & viſio. Conſequentia patet cum ex diuerſitate ſpecifica potentiæ naturalis non ſumatur inæqualitas. Patet Vvadingus. t. de Incarnat. diſput. 6. dubitat. 3. §. 4. cenſet implicare viſiones inæquales in claritate, quæ eo ipſo ſpecie non diſſideant, quod etiam ſentit Herice diſp. 49. num. 30. quando differunt in numero obiectorum materialium.

19 *Eſt Metaphyſice loquendo ſed non Theologice.*

Ego exiſtimo theologicè loquendo hanc differentiam viſionum ſolum eſſe quoad intenſionem in rigore tamen methaphyſico, vere eſſe quoad ſpeciem. Prima pars facile probatur. Differentia purè intenſiua eſt illa, quæ cum conuenientia in effectu formali præcipuo; ſolum eſt diſſidens penes, magis, & minus. Sed talis eſt differentia viſionum quoad conſiderationem theologicam, tum quia viſio conſideratur à Theologis vt beatitudo; beatitudo autem præcipuè ſumitur ex bono infinito ſatiante, tum etiam quia omnes viſiones per ſe conueniunt in repræſentanda Diuina eſſentia; aliæ autem extenſiones acceſſoriæ ſunt theologicè huic conceptui, ergo ſolum iuuant ad maiorem intenſionem.

Secunda pars probatur. Viſio perfectior, ſeu clarior per ſuam entitatem indiuiſibilem eſt ita inæqualis, Ergo differt ſpecie à minus clara, nam intra eandem ſpeciem admittenda non eſt inæqualitas in perfectione; aliàs hominem & leonem liceret facere eiuſdem ſpeciei. Antecedens ſuadetur, nam vni cognitioni nihil addi poteſt, per quod clariùs repræſentet, niſi alia cognitio, nulli enim formæ conuenit determinare ad repræſentandum obiectum, niſi cognitioni. Iam hæc cognitio addita, vel eſt ſeipſa clarior vel non? ſi primum: iam diſferet ſpecie, ſi ſecundum non ideò beatus cognoſcet clarius, etenim duæ cognitiones æquè claræ de eodem obiecto, non magis illuminant intellectum quam vna, ſic æquè manet obſcurus intellectus licet plures repetat aſſenſus Fidei de Trinitate. Dices ſecunda cognitio vnitur cum prima & ideò ſolum facient vnam intenſionem in ſpecie completam vti quando vnus gradus caloris licèt etherogeneus vnitur cum aliis. Sed contra, quia ſecunda cognitio per ſe abſoluta eſt in munere repræſentandi, aliàs liceret etiam fingere, nunquam dari nouas cognitiones circa idem obiectum, ſed ſolum ſuperaddi modum quendam extenſionis ratione cuius prima cognitio ad noua videnda extenderetur; Ergo abſolute ſecunda cognitio nouam ſpeciem conſtituet. 20

Vna cognitio addita alteri non facit intenſionem

Secundo Idem ſuadetur; nequit viſio eſſe clarior. 26

quin

Non datur quod cognitio ſit clarior, niſi aliquid nouum aperiat in obiecto, nec quod videat plura obiecta materialia, niſi plus videat in formali.

quin aliquod nouum cognoſcat ex vi cognitionis ſui obiecti formalis, ſeu eſſentiæ Diuinæ, ſed hæc differentia eſt ſpecifica: ergo. Probatur maior, tum quia qui clariùs cognoſcit minus confundit, ergo quia diſtinguit aliquam proprietatem ſui obiecti; tum à paritate viſionis materialis, quæ dum clarior eſt plura diſcernit in obiecto vſque ad minutiſſimos atomos, tum denique cauſa quo clariùs cognoſcitur, eo plures effectus in ipſa videntur, vt manifeſtum eſſe docet S. Thom. hic articulo 8. corpore: Ergo quia nequit concipi maior claritas in viſione, ſi omnino idem videatur. Iam minor ſuadetur: ex vi viſionis eſſentiæ nequit apparere nouum connotatum, niſi ipſa eſſentia vt obiectum formale diuerſimode immutet verbi gratia ſi videtur iam Petrus in eſſentia Diuina, ideo eſt quia hæc mouet formaliter, *vt continens Petrum*, ſed diuerſitas quæ venit ex nouo prædicato, vel formalitate obiecti formalis, variat actum in ſpecie, licet enim idem realiter ſit obiectum, vbi tamen ſub diuerſa ratione formali attingitur, ſat eſt ad ſpecificandos actus. Ergo in rigore methaphyſico loquendo viſiones ſpecie differunt.

DISPVTATIO XXX.

Vtrum Deus poſſit comprehendi à Beatis?

SECTIO I. *Statuitur incomprehenſibilitas Dei à creatura.*
SECTIO II. *Obiectionibus occurritur.*
SECTIO III. *Vtrum ex cognitione omnium poßibilium in Deo ſequatur comprehenſio.*

Vide infrà qu. 12. art. 7. per 4 dub.

QVÆSTIO hæc non ſolùm procedit de facto, ſed etiam de poſſibili, nec ſolùm de virtute intellectiua creata operante viribus ſibi connaturalibus (ſic enim etiam cognoſci Deum quidditatiuè repugnat) ſed etiam quantumuis eleuetur per ſupernaturalia auxilia. Non tamen eſt quæſtio de qualibet comprehenſione, cùm expreſsè dicat Apoſtolus Corint. 9. *Sic currite, vt comprehendatis*, Coloſſ. 1. *Sequor autem ſi quo modo comprehendam*, quibus teſtimoniis fortè ducti Anomæi hæretici affirmarunt Deum de facto ab vno quoque Beatorum comprehendi, contra quos ſcribit S. Chryſoſtomus toto lib. *de incomprehenſibili Dei natura*. Comprehenſio ergo, de qua in præſenti, non ſumitur pro qualibet poſſeſſione, & quaſi tentione ſummi boni, quam ſignificat vox comprehenſio apud D. Paulum, & contingit per viſionem Dei ſicuti eſt, ſed ſumitur comprehenſio pro cognitione adæquata obiecto, quam nil latet obiecti, vt dicam ſect. 1. In qua acceptione Deum eſſe incomprehenſibilem ſtatuunt in quæſt. hac Theologi Scholaſtici ſecuti authoritatem Eccleſiæ, & Patrum. Imo idem ſenſerunt Philoſophi plures Triſmegiſt. Plato. Ariſt. Athenagoras, Proclus, & Simonides apud Recupitum, tom. 1. in 1. part. lib. 6. quæſt. 49. num. 2.

SECTIO I.

Statuitur incomprehenſibilitas Dei.

COmprehenſio in præſenti ſumitur ſtrictè pro cognitione adæquante cognoſcibilitatem ob- 1
iecti, ratione cuius *hoc cognoſcitur quantum cognoſcibile eſt, vt nihil obiecti lateat videntem, ſed obiecti fines circumſpiciantur*, vt tenet communis definitio comprehenſionis ab Scholaſticis recepta ex Auguſtino epiſtola 112. cap. 8. quam definitionem explico in meo opere Philoſoph. modò.

Definitur hic comprehenſio.

Concluſio poſita in ſectionis titulo abſolutè eſt de fide, vt videre eſt apud Patrem Ruiz diſpu. 6. de ſcientia Dei à ſect. 2. Faſolum hic diſput. 1. num. 3. qui benè aduertit incomprehenſibilitatem hanc definiri in ſenſu à Theologis Scholaſticis vſurpato ex Concil. Lateran. relato in cap. *Damnamus de ſumma Trinit.* ante medium ibi: *Credimus & confitemur cum Petro* (nimirum Lombardo ſententiarum Magiſtro) *quod vna quadam res eſt incomprehenſibilis quidem, & ineffabilis Pater, & Filius, & Spiritus-ſanctus*: Ergo in eo ſenſu definit Concilium Deum eſſe *incomprehenſibilem*, in quo id docebant Scholaſtici cùm ſuo Magiſtro, qui ſenſus eſt iuxta definitionem datam ab Auguſtino, cum quo ſemper loquitur Magiſter. 2

Incomprehenſibilitas Dei in ſenſu à Theologis vſurpato eſt de fide.

Ex qua definitione ratio in promptu eſt, primò, nulla cognitio creata poteſt æquare cognitionem diuinam, ſeu eſſe tam perfectè repræſentatiua, ſicut cognitio Dei, qua ipſe cognoſcit, ſi enim repugnat creaturæ æquare potentiam Dei, vt ſit æquè potens, ſancta, immenſa, &c. à fortiori repugnabit æquare ſapientiam, vt ſit æquè ſapiens, aliàs ea cognitio foret tam perfecta, quàm Deus, cuius perfectio, & eſſentia in ipſa excellentia cognitionis actualis conſiſtit. Tum ſic; ergo nulla cognitio creata poteſt eſſe comprehenſio Dei. Conſequentia patet, nam minor ſcientia quam Diuina, non ſufficit comprehenſioni Dei, qui non ſupercomprehenditur à ſeipſo, neque enim Deus minor eſt vt cognoſcibilis, quam vt cognoſcitiuus, vel ſcientia Dei alij obiecto nobiliori poteſt adæquari quàm ſibi. 3

Ratio euidens.

Cognitio vt comprehendat Deum debet eſſe æqualis ſcientiæ Dei.

Qui ſe non ſupercomprehendit.

Confirmatur per cognitionem creatam non poteſt Deus cognoſci quantum cognoſcibilis eſt: ergo nec comprehendi. Conſequentia patet ex definitione comprehenſionis §. 1. Antecedens ſuadetur, tum quia Deus eſt cognoſcibilis infinitè, ſicut eſt infinitè perfectus, cognoſcibilitas enim ſequitur perfectionem arithmeticè, vt eo ſit magis res cognoſcibilis, quo magis perfecta: Ergo ſicut titulo infinitæ perfectionis ſimpliciter non poteſt adæquari niſi per infinitam perfectionem, ita nec cognoſci niſi per infinitam ſcientiam ſimpliciter. Tum etiam id patet à paritate amoris, laudis, æſtimationis, &c. nam Deus nequit amari pro dignitate, laudari, æſtimari, minori amore quàm infinito ſimpliciter: ergo neque cognoſci minori cognitione. 4

Nullo amore niſi infinito Deus pro dignitate amatur.

Secunda ratio ſic: Comprehenſio debet eſſe intentionaliter adæquatè quidquid eſt obiectum in eſſe reali, & omnino ſicut illud: ſed implicat Deum intentionaliter adæquatè contineri in aliquo creato: ergo & comprehendi. Maior probatur, nam tunc maximè commenſuratur cognitio cùm ſuo obiecto, quando hoc ſecundùm omnes ſuas formalitates 5

Comprehenſio debet eſſe intentionaliter quidquid eſt obiectum in eſſe reali.

malitates continetur intentionaliter in cognitione, quemadmodum in materialibus illa menſura adæquata eſt menſurato in qua tot partes ſunt quot in ipſo menſurato. Ex quo exemplo nota contra aliquos infra citandos ſicut nihil refert ad æqualitatem quantitatiuam, quot partes lineæ æquantis ſint in entitate imperfectiores, ita parum curandum eſſe de perfectione entitatiua cognitionis, ſi in repræſentando, ſeu in *eſſe* intentionali æqualis ſit; vnde cognitio naturalis poteſt eſſe aptior ad comprehenſionem, quam ſupernaturalis aliqua; debet tamen cognitio eſſe *euidens*, & *intuitiua*, quia aliàs non eſt obiectum in cognitione ſicut in ſeipſo; eſt enim ad modum alterius per cuius ſpeciem cognoſcitur, quando non eſt cognitio intuitiua.

Cognitio aliqua ſupernat. poteſt eſſe ineptior comprehenſioni, quam naturalis.

6 Iam minor ſuadetur, nam vt Deus ſit intentionaliter in cognitione creata ſicut eſt in ſeipſo realiter, opus eſt vt omnia prædicata, quæ dicuntur de Deo in *eſſe* reali poſſint prædicari de tali cognitione intentionaliter; hoc autem eſt impoſſibile; tum quia cognitio creata non poteſt eſſe intentionaliter quidquid eſt intentionaliter cognitio Diuina; ſicut enim de nulla re creata poteſt prædicari in *eſſe* reali quidquid realiter dicitur de Deo, ita nec poterit de cognitione prædicari intentionaliter in creatis, quidquid prædicatur intentionaliter de cognitione Diuina; tum etiam quia alias cognitio creata æquaret claritatem Diuinæ, nam videret quidquid Diuina cognitio, ſi quidem ipſam habet pro obiecto, exprimitque in ſe formaliter omnia, quæ ſunt in cognitione Diuina & ex eodem motiuo; etenim eadem eſſentia diuina (quæ in intellectione conſiſtit) eſt motiuum formale ſcientiæ Dei: implicat autem duas cognitiones non euadere æquè claras, quando ex eodem motiuo vna videt quidquid alia. Tum denique de eadem entitate Dei prædicatur, quod ſit, quantum eſt ex ſe, indiuiſibiliter volitio alterius mundi, & exercitium omnis libertatis, nam ex ſe ſine vllo addito entitatis hæc omnia habere poteſt; quod non habet nec poteſt habere intentionaliter cognitio creata, neque enim per ſuam entitatem poteſt tranſire ad repræſentandum talem volitionem ſi daretur, cum cognitio creata non valeat repræſentare aliud obiectum ab illo, quod actu repræſentat, neque poſſit habere nouum munus, etiam in *eſſe* intentionali, ſine noua entitate; hoc namque eſt Dei proprium.

Nulla cognitio poteſt cõprehendere cognitionem perfectiorem ſe.

Ex Myſterio liberorum actuum probatur incõprehenſibilitas Dei.

7 Ex his infero primò non ſolum abſolutè eſſe Deum incomprehenſibilem à creatura, ſed neque aliquod eius attributum aut formalitatem poſſe per quamcunque eleuationem à cognitione creata comprehendi. Ratio eſt quia quodlibet attributum, & formalitas diuina habet identificari cum tota hac perfectione, quod non habet cognitio creata illius etiam intentionaliter, neque enim identificatur realiter cum repræſentatione aliarum perfectionum. Ergo talis cognitio creata non eſt adæquatè & omnino ſicut tale attributum, ſeu non eſt ita perfecta in *eſſe* intentionali, ſicut eius obiectum in *eſſe* reali, vt requirebatur ad comprehenſionem. Quare minus benè dixit Caietanus hic articulo tertio ſine Christum Dominum videntem per ſcientiam beatam omne obiectum ſcientiæ viſionis, poſſe dici quod habeat comprehenſionem de ſcientia viſionis formaliter; etenim viſiò beata Chriſti Domini licèt in ordine ad obiecta contingentia ſit intentionaliter ſicut ſcientia viſionis Dei, hæc tamen abſolutè in *eſſe* reali aliter eſt in ſe, quam intentionaliter in viſione creata Chriſti, ſiquidem realiter identificatur cum aliis perfectionibus diuinis, quæ vt ſic formaliter non repræſentatur ſecundum omnem ſuam perfectionem per illam viſionem Chriſti. Fateor tamen ſcientiam reflexam, quam poſſumus conſiderare in Deo de ſua ſcientia viſionis, & eius obiecto, etiam vt conſideratam condiſtinctam formaliter à ſcientia, qua ipſe Deus in ſe cognoſcit alia attributa poſſe appellari comprehenſionem; diſcrimen eſt, quia illa ſcientia etiam vt ſic, quamuis formaliter non cognoſcat niſi vnum attributum, at realiter apta eſt repræſentare reliqua, ſiquidem identificatur cum ſcientia omnium, quare omninò eſt intentionaliter ſicut ſuum obiectum in eſſe reali.

Nullum attributum Dei poteſt à creatura comprehendi.

Licet ſcientia diuina etiam qua tendit reflexe ad vnum attributum illud comprehendat.

8 Infero ſecundo Deum à ſe comprehendi, nam tantus eſt in eſſe intentionali quantus in eſſe reali, tantæ virtutis cognoſcendi, quantæ eſſendi; etenim quemadmodum in *eſſe* reali aptus eſt identificari cum actuali nolitione creandi mundum; ita ſimiliter cognitio, quam Deus habet de ſe ipſo apta eſt eſſe idem actu cum cognitione illius nolitionis.

Deus ſe abſolute comprehendit omni modo.

9 Infero tertiò nihil eſſe extra Deum quod non poſſit per creatam cognitionem comprehendi: contrarium cenſent Pater Suarez & Albertinus apud Ripaldam diſput. 13. de ente ſupernaturali num. 1. qui excipiunt ab hac illatione generali dona gratiæ præcipuè vnionem hypoſtaticam, ſed immeritò cum communiter Patres vt Dei proprium prædicent eſſe incomprehenſibilem; & ratio eſt ex dictis, nam comprehenſio ſolum exigit, quod ſit in *eſſe* intentionali omninò adæquatè, ſicut obiectum in eſſe rei, hoc eſt iuxta §. 5. vt omnia prædicata quæ realiter dicuntur de obiecto dicantur de cognitione iuxta eandem menſuram, & gradum proportionatum perfectionis in *eſſe* intentionali, ſecundum quem in ſe ſunt talia prædicata in *eſſe* reali. Ergo ſolum obiectum quod in *eſſe* reali eſt infinitæ perfectionis exiget cognitionem infinitam, & conſequenter ſolus Deus erit per cognitionem finitam incomprehenſibilis.

Nihil creatum eſt incomprehenſibile.

SECTIO II.

Obiectionibus occurritur.

11 HÆ non oppugnant concluſionem cum ſit de fide, nec primam rationem in §. 3. quæ facit concluſionem euidentem. Arguitur ergo maximè contra ſecundam rationem in qua exprimitur natura, & conceptus cognitionis comprehenſiuæ. Sic igitur obiices. Angelus cognitione naturali comprehendit hominem, quia tamen de tali cognitione dicantur intenrionaliter omnia quæ in eſſe rei homini conueniunt. Primo non dicitur intentionaliter, ſeu non cognoſcit illa cognitio *relationem* tranſcendentalem, quam dicit ipſe homo ad Trinitatem ſeu ad eſſentiam Diuinam fæcundam, cum enim in relatione & ordine phyſico, non detur præciſio dum homo habet ordinem ad omnipotentiam ſeu eſſentiam Diuinam, neceſſe eſt vt etiam referatur ad eſſentiam, vt fæcundam Trinitatis, cognoſci autem non poteſt talis relatio & ordo, ſeu reſplendere intentionaliter nequit in naturali, cognitione alias naturaliter innoteſceret Trinitas. Secundum de homine vti de omni cauſa prædicatur in *eſſe* rei continentia infinitorum effectuum in particulari, infinitæque reflexiones fieri poſſunt ab intellectu naturali; quæ tamen

Argumenta quid impugnent? hic.

An comprehẽſio debeat eſſe intentionaliter totũ quod obiectũ phyſice.

Homo dicit tranſcendentalem ordinem ad Trinitatem.

tamen omnia requit Angelus naturali cognitione exprimere, eum non valeat ſimul cogitare infinita. Tertium potentia obedientialis ad effectus ſupernaturales non relucet in cognitione, quam habet Angelus, aliàs noſceret naturaliter myſteria gratiæ.

In comprehenſione ſolum debent dari intentionaliter prædicata phyſica obiecti vt ſunt in ipſo.

11 Vt his fiat ſatis noto primo comprehenſioni ſufficere, ſi ea prædicentur intentionaliter, quæ realiter dicuntur de obiecto ad modum tamen illius, & ſicut in ipſo obiecto ſecundum *eſſe* reale continentur, quemadmodum vt quis comprehenderet cognitionem confuſam de animali, vt ſic ſufficeret, ſi in illa comprehenſione reſplenderet ratio *animalis* eo modo quo in cognitione confuſa. Hinc ad primam inſtantiam oppoſitam reſpondeo licet homo ex parte obiecti referatur ad Trinitatem, ſicut & cognitio illa confuſa ex parte obiecti exprimit omnes differentias, at in modo reſpiciendi, ſeu aſſimilandi homo eſt per modum vnius, quin in ſua entitate intrinſeca habeat modum eſſendi ſimilem Trinitati, vel participet aliquam perfectionem intrinſecam Trinitatis propriam. Igitur ſufficiet quod hac ratione ille ordo intentionaliter conueniat comprehenſioni, quatenus hæc dicat intentionalem ordinem ad Trinitatem, non *explicitè*, ſed *implicitè*, id enim ſolum in cognitione comprehenſiua debet exprimi intentionaliter, quod in ſeipſa perfectionem ſpecialem inuoluit & ſigillat.

Et vt in ipſo exprimunt peculiarem perfectionem.

Solum hi effectus cauſæ per eius cõprehenſionẽ noſcendi ſunt, ſigillatim, qui variant eius æſtimationẽ, vel perfectionem.

12 Hinc noto ſecundò id debere relucere in comprehenſione quod facit ad augendam perfectionem obiecti, vt ſcilicet fiat conceptus adæquatus & totalis de eius perfectione; maximè enim res comprehenditur, dum bene librata, & taxata maner eius perfectio per cognitionem, vt per nullam aliam appareat res maior, vel diuerſa, ſiquidem tunc *tantum quantum* eſt obiectum in ſe, eſt in cognitione. Ex quo ad ſecundam inſtantiam patet ſolutio, nam multiplicatio effectuum in indiuiduo omnino ſimilium eiuſdem perfectionis virtutem requirit, quare dum in igne cognoſcitur vnus calor, poſſeque quemlibet alium ſimilem producere idem conceptus fiet de perfectione cauſæ, ac ſi omnes ſigillatim noſcerentur, & ideò æquiualenter dici ſic intentionaliter de cognitione vnum effectum, eſt dici omnes, idemque contingit in aliquarum ſpecierum multiplicatione, vt ibi gratia actuum reflectentium, qui diuerſæ ſpeciei ſunt, ſiquidem à cognitione directa de Angelo ſpecie diſſidet alia reflectens ſupra illam, & ab hac ſecunda alia reflexio cum diuerſa habeant obiecta: adhuc tamen ita perfectè penſatur quanta ſit virtus cognoſcitiua hominis dum cognoſcitur vna reflexio, poſſeque in quamlibet aliam ſimilem procedere quam ſi omnes in ſingulari explicitè apparerent.

Bona ratione ad comprehenſionem in naturali obiecto debeat exprimi potentia obedientialis.

13 Ex eadem doctrina ſoluitur etiam tertia inſtantia in §. 10, nam potentia obedientialis nil addit ſupra naturalem perfectionem, nec ex parte naturæ effectus ſupernaturalis ſpecialem virtutem præter eam quæ requiritur ad naturales effectus expoſcit: ſed tota inæqualitas ſe tenet ex parte auxilij eleuantis. Sicut qui habet vires vel diuitias vt vnum, non magis creſcit ex parte ſuæ virtutis intrinſecè quod vnum ſolus poſſit, vel quod centum valeat cum auxilio vt 99. Qua propter cognitio erit intentionaliter ſicut potentia obedientialis in eſſe rei, ſi coniuncta cum alia cognitione vt 99. repræſentet centum.

Secundo Obiicitur præcipuè: bene poteſt co-
14 gnitio ſic intentionaliter eſſe totum quod obiectum eſt realiter, quin hoc comprehendatur. Ergo Deus non eſt incomprehenſibilis ob ſecundam rationem in §. 5. Antecedens probatur, nam poteſt obiectum eſſe totum in cognitione, quin ſit *totaliter*, hoc eſt ea claritate & perfectione, qua cognitio adæquet cognoſcibilitatem intenſiuam obiectiuam obiecti vt patet primo in amore, ſtat enim Deum totum amari à beato, nec tamen *totaliter* ac pro dignitate. Secundò in cauſa partiali quæ producit totum effectum, & non *totaliter*, ſicut cauſa adæquata. Tertiò, quia poteſt cognitio creſcere in claritate, & perfectione, quin creſcat in extenſione, ſeu quin plus in ea reluceat de obiecto; Sic amor circa idem poteſt eſſe intenſus, & efficax cum maiori conatu: ſæpè circa eundem articulum fidei eſt aſſenſus credens intenſior, quam alter circa plures, & iuſtus maiori charitate dat obolum, quam alius aureum in eleemoſynam. Sic circa idem omnino obiectum clarior eſt cognitio Diuina, quam creata; intuitiua, quam abſtractiua: imò id petit ipſe conceptus intenſionis in claritate, intenſio enim, prout ab extenſione diſtincta, non ſumitur penes diuerſa, ſed quatenus de eodem ſecundum idem vna cognitio excedit claritate aliam ergo poteſt contingere totum obiectum eſſe in cognitione nec tamen *totaliter*, ea ſcilicet intenſione claritatis, quæ debita eſt commenſurataque ſeu adæquata cognoſcibilitati obiecti. Confirmatur. Poteſt res creata eſſe tota intentionaliter in cognitione, quin tamen ſit totaliter, eaque cognitio perfectiſſima, ſic homo ab Angelo cognoſcitur adæquatus; perfectius tamen cognoſcitur à Deo. Ergo ſimiliter licèt Deus ſit ſecundum ſe totum in aliqua cognitione, poterit per aliam verbi gratia à ſe cognoſci perfectiùs, & clariùs, ergo prima cognitio non ſufficit ad comprehenſionem, hæc conſequentia patet, nam ex §. 3. minor cognitio, quam Diuina non ſufficit, vt comprehendatur Deus.

Obiicitur ſecundò eo quod non ſufficiat comp.

Intenſio quò differat in cognitione ab extenſione.

Hoc argumentum occaſio fuit, vt quilibet pro libito varias strueret comprehenſionis definitiones primo vt ſit *tam perfecta in eſſe entis, quam obiectum* ita Vaſquez hic diſput. 53. cap. 2. qui ſolum hoc ſenſu certus eſt, eſſe de fide incomprehenſibilitatem Dei. Sed contra perfectio in *eſſe* entis eſt per accidens, ſic ad rationem imaginis nihil refert, aureanè ſit, an plumbea. ſecundò vt *ſit perfectiſſima cognitio ex his, quas poſtulat obiectum* ita Herice, diſput. 4. de ſcientia Dei cap. 4. Sed contra quia omnis creatura præcipuè gratia ſanctificans, quæ petit amari à Deo, petit cognitionem infinitam Dei, & tamen infrà illam comprehenditur. Tertiò explicant Recentiores eam claritatem commenſurari nobilitati cognoſcibilitatis obiecti quæ *per ſe oritur à principio quod ſit tam perfectum in eſſe cognoſcitiui quam obiectum in eſſe cognoſcibilis*, ita Arriaga diſp. 6. de anima §. 130. Sed contra; homo non comprehendit colorem, & tamen perfectior eſt in eſſe cognoſcentis, quam color in eſſe cognoſcibilis. Dices quartò hanc claritatis perfectionem debere extendi ad omnes formalitates obiecti, vt *adæquetur cognoſcibilitas intenſiuè, & extenſiuè*, cognitio autem humana non adæquat extenſiuè cum non cognoſcat omnes formalitates coloris. Sed contra hæc perfectio intenſiua ſupra extenſiuam non requiritur. Etenim vnus Angelus comprehendit ſe, & tamen in ratione *cognoſcitiui* non eſt tam perfectus quam in ratione cognoſcibilis: nam ratio *cognoſcibilis*, tranſcendit omnia prædicata, creſcitque ex cuiuſque prædicati incremento; ratio autem *cognoſcitiui* ſolum imbibit vnum prædicatum 15

Variæ definitiones comprehenſionis.

prædicatum cognoſcitiui. Ergo neceſſe eſt vt eo Angelus ſit perfectior in eſſe cognoſcibilis quo plura prædicata ſuperaddit prædicato cognoſcitiui, ſatis enim cognoſcitiuo adæquatur cognoſcibilitas in ipſo conceptu cognoſcitiui.

16 Ex qua tam varia & incerta claritatis requiſitæ ad comprehenſionem menſuræ denuò mihi confirmatur definitio poſita §. 5. vt non aliunde deſumenda ſit quam ex adæquatione intentionali ibi explicata. Ad obiectionem concedo obiectum dum comprehenditur debere cognoſci *totaliter*, & ea claritate, quæ adæquet cognoſcibilitatem illius. Addo tamen hoc totum fieri dum obiectum omninò intentionaliter eſt in cognitione, quod ſic explico: claritas cognitionis maximè correſpondet concurſui obiectiuo, vt patet in materialibus, vbi iuxta intenſionem ſpeciei viſio clarior euadit, ergo quo perfectius obiectum concurrit, eo clarior erit cognitio, & conſequenter virtus cognoſcibilis exhaurietur per cognitionem maximè claram ipſi debitam, quando obiectiuè concurrit *quantum poteſt*, quemadmodum in phyſicis exhauritur virtus cauſæ tota, & totaliter, quando agit *quantum poteſt*. Tum ſic. Sed tunc obiectum concurrit *quantum poteſt* quando totum eſt in cognitione, ſicut in phyſicis cauſa agit quantum poteſt dum producit effectum adæquatè ſimilem ſibi: & ratio eſt, quia ſicut concurſus obiectiuus creſcit pro maiori perfectione entitatis obiecti, ita creſcet reſpectu claritatis cognitionis, quo in hoc maior perfectio obiecti reluceat, & conſequenter vbi tota relucet, aget obiectum quantum poteſt. Ergo quando obiectum ſecundum omnem ſuam perfectionem eſt in cognitione, tunc totum & totaliter cognoſcitur?

Quando obiectum cognoſcatur totum, & totaliter?

17 Ad primam inſtantiam in §. 14. Reſpondeo licet à Beatis ametur totus Deus, non tamen amari *totaliter*, quia adæquatio amoris non tam ſumitur ex obiecto, quam ex perfectione intrinſeca actûs in genere entis, eſt enim quaſi donum quod amato tribuitur; donum autem creſcit pro maiori excellentia entitatiua. Cum ergo Deus dignus ſit dono infinito, non fiet ſatis eius dignitati per finitum amorem. At in cognitione aliter ſe res habet in qua non attenditur quid ſit ipſa obiecto, ſed quid obiectum in ea. Ad ſecundam inſtantiam ideò dico obiectum debere concurrere obiectiuè quantum poteſt. Ad tertiam. Reſpondeo maiorem claritatem ſemper dicere aliquam diuerſitatem in obiecto, vel in medio in quo cognoſcitur: Sic cognitio Diuina de obiecto creato clarior eſt quia plura connotata videt, & in obiecto nobiliori ſcilicet in ſua eſſentia, vt dicam §. 23. Item intuitiua clarior eſt quam abſtractiua, quia hæc non mouetur ex ipſo obiecto ſicuti eſt. Adhuc tamen intenſio differt ab extenſione claritatis, quatenus ſcilicet comparatur ad idem claritas intenſa, verbi gratia in cauſa cognoſco varios effectus, hæc cognitio ſi comparetur ad effectus ipſos eſt *extenſiua*, ſi ad cauſam *intenſiua*, quia cadit ſupra idem, vel etiam quia in eadem re plures gradus perfectionis aperit, pluris æſtimat eius perfectionem, cognoſcitque eſſe maioris valoris. Ad confirmationem reſpondeo negato antecedenti de cognoſcibilitate intrinſeca conceſſo, & extrinſeca vt magis conſtabit ſect. ſequenti.

Cur amor Beatorum non ſit adæquatus ſeu comprehenſiue amans Deum.

Quo differat claritas intenſa, & remiſſa in cognitione.

SECTIO III.

Vtrum ex cognitione omnium poſſibilium in Deo ſequatur comprehenſio.

18 TErtiò obiicitur præcipue. Poſſunt cognoſci creaturæ poſſibiles in Deo, quin Deus comprehendatur, ſed talis cognitio eſt omninò *intentionaliter* ſicut Deus. Ergo hoc non ſufficit ad comprehenſionem: conſequentia patet. Minor videtur clara tum à paritate cognitionis de cauſa creata, quæ tunc eſt adæquatè ſicut obiectum quando cognoſcit quidquid formaliter, & eminenter, eſt in cauſa. Tum etiam quia in obiecto non eſt aliud *eſſe* niſi formaliter, vel eminenter. Primum habet viſio, quia eſt de obiecto ſicuti eſt in ſe, ſecundum autem dum cognoſcit omnes effectus; Ergo vndequaque omne *eſſe* quod eſt in obiecto eſt etiam intentionaliter in tali cognitione.

19 Pro maiori propoſitione, circa quam eſt grauiſſima controuerſia præſens, ſunt Scotiſtæ in tertium diſtinctione 14. & plurimi antiqui. Meratius hic diſputatione 20. per ſeptem ſectiones, & alij apud ipſum. Probatur primò Beatus videt in verbo terminum adæquatum potentiæ generatiuæ Patris, videt enim Filium quin comprehendat potentiam generatiuam, Ergo & poterit videre terminum adæquatum omnipotentiæ, quin hanc comprehendat. Dices ideò non comprehendit potentiam ad intra quia non comprehendit potentiam ad extrà, cum qua identificatur; ſed contra nam loquor de potentia ad intra, vt ſic formaliter. Deinde ergo eadem ratione licèt videantur omnia poſſibilia non comprehendetur potentia ad extra, ſi lateat potentia ad intra. Viſa ſcilicet eſſentia ſine perſonis. Secundò probatur maior: antecedenter ad continentiam poſſibilium ipſa eſſentia eſt in ſe perfectionis incomprehenſibilis, etenim ſi in rebus creatis independenter à continentia effectuum contingit dari peculiarem perfectionem non ſubiacentem cuilibet comprehenſioni, verbi gratia in vnione hypoſtatica, gratia ſanctificante, &c. Quæ nullum habent effectum, cur non idem dicemus de excellentia intrinſeca Deitatis? Quod confirmatur in attributis ab omnipotentia diſtinctis quæ operatiua non ſunt vt æternitas, & adhuc vt ſic formaliter non poſſunt comprehendi. Tertium Amor non eſt comprehenſiuus quantumuis velit Deo omnia poſſibilia etenim ſi hæc omnia repræſententur per fidem amari poſſunt Deo, neque ideo Deus amabitur comprehenſiuè.

Poſſe cognoſci omnes creaturas in Deo, quin Deus comprehendatur. Affirmant Scotiſtæ. Meratius.

20 Huic argumento communiter reſpondetur negata maiori, ita acriter Thomiſtæ, & plures antiqui cum Faſolo hic dubio 4. Ex noſtriſque Molina, Suarez, Vaſquez, Valent. Arrubal, Alarcon Franciſcus Amicus, Recupitus, Ioſeph Auguſtin hic, & ferè omnes qui ſua ſcripta prælo mandarunt. Mouentur primo authoritate & ratione ſancti Thomæ hic; *Quanto aliqua cauſa perfectius videtur tanto plures effectus in ea videri poſſunt. Ille igitur intellectus poteſt in cauſa cognoſcere omnes cauſæ effectus & omnes rationes effectuum, qui cauſam totaliter comprehendit.* Secundò poſſibilibus comprehenditur omnipotentia. Ergo Deus. Antecedens probatur, cognito omni *producibili* cognoſcitur totum *productiuum*, nam ſicut totum producibile adæquat

Non poſſe cognoſci omnes creaturas quin Deus comprehendatur. Affirmant. Thomiſtæ. Molina. Suarez. Vaſquez. Valentia. Arrubal. Alarcon. Franciſcus Amic. Ioſeph. Aug. Recupitus.

totum productiuum, cum ſint correlatiua; ita qui cognoſcit totum producibile adæquatè, cognoſcet etiam adæquatè productiuum. Conſequentia etiam ſuadetur, nam omne *producibile* neceſſario requirit in productiuo eſſe actum purum, & infinitum, neque minor perfectio in cauſa, quam infinita ſimpliciter ſufficeret, cum poſſibilia nullam dicant limitationem, nec in ſe, neque in modo producendi. Quare licèt potentia exequens formaliter non includat omnia attributa, & perfectiones Dei, tamen potentia vt contentiua omnium creaturarum neceſſario inuoluit attributa omnia, nam verbi gratia debet *eſſe immenſus*, vt vbique producat, *æternus*, vt quandocunque, *ſapiens*, vt prouidè, *volitiuus*, vt liberè, imò *trinus* etiam vt infundat cognitionem Fidei, ſicque dicendum de reliquis omnibus perfectionibus, cum enim nulla ſit quæ per cognitionem Fidei credi non poſſit omnis videnda eſt à Beato, vt omnia poſſibilia in Deo cognoſcat, omneſque cognitiones Fidei, quæ de illis perfectionibus fieri poſſunt.

21
Ex viſione omnium poſſibilium non ſequitur cōprehenſio.

Ego cenſeo ex viſione omnium poſſibilium in Deo non ſequi comprehenſionem. Moueor primò. Poteſt Beatus videre centum verbi gratia in omnipotentia, quin eas videat ea claritate qua Deus ergo & omnes. Conſequentia probatur quia non minus eſſentia Diuina ſuperat perfectè omnes creaturas ſimul quam ſingulas. Ergo & cognitio Diuina non minus excedet claritate cognitionem omnium, quam ſingularum, conſtabit id magis ex ſequentibus. Tum ſic ſed viſio, quæ non eſt æqualis Diuinæ in claritate non eſt comprehenſio iuxta §. 3. Ergo ex viſione omnium non ſequitur comprehenſio. Antecedens ſuadetur ratione & authoritate S. Thomæ 3. part. quæſt. 10. art. 2. ad 3. *Quantitas ſcientiæ non ſolum attenditur ſecundum numerum ſcibilium, ſed etiam ſecundum claritatem cognitionis. Licet igitur ſcientia animæ Chriſti, quam habet in Verbo parificetur ſcientiæ viſionis quoad numerum ſcibilium, ſcientia tamen Dei excedit in infinitum, quantum ad claritatem cognitionis ſcientiam animæ Chriſti, quia lumen increatum in infinitum excedit lumen creatum.* Vnde confirmatur argumentum. Numerus ſcibilium non eſt adæquata menſura claritatis; ſed poteſt anima Chriſti videre omnes creaturas quas videt ſcientia viſionis, quin æquet huius claritatem. Ergo & omnes poſſibiles, quas videt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quin ſit æqualis claritatis.

Probatur Quia numerus ſcibiliū non eſt menſura claritatis.

22
Ex eo quod Deus ſit perfectior multo omni collectione poſſibilium.

Secundò à priori ſic arguo licèt eſſentia Diuina concurrat obiectiuè ad oſtendendas omnes creaturas poſſibiles non eſt neceſſarium vt concurrat omni conatu obiectiuo quo poteſt, ſed poteſt cum concurſum attemperare. Ergo poteſt non comprehendi. Conſequentia patet, nam tunc non æquatur abſolutè intrinſeca cognoſcibilitas obiecti, ſicut non æquatur actiuitas cauſæ, licèt tota influat, ſi non influit cum toto conatu. Antecedens probatur: eſſentia Diuina ratione ſui eſt perfectionis infinitæ maioris, quam tota collectio creaturarum. Ergo non eſt neceſſarium quod influat ſecundum ſe totam; perfectio enim concurſus, ſufficit, vt proportionetur perfectioni effectùs. Confirmatur Beato licèt videat omnia poſſibilia adhuc plus reſtat videndum de perfectione Dei, nam perfectio Dei non ſolum habet continere creaturas, ſed continere illas perfectiſſimo modo per exceſſum infinitum perfectionis *continentis*, ita eſt participabilis a creaturis vt infinita perfectio reſtet in Deo ſupra omnem participationem; ergo. Poterit videre continentiam omnium, quin videat nec penetret omnem perfectionem, & excellentiam continentiæ; quin penetret quanti valoris ſit perfectio Dei, quantum excedat omnes creaturas. Ergo quin comprehendat Deum, cognitio enim, vt ſit comprehenſiua & adæquata debet ex parte modi aperire, & explicare omnem gradum perfectionis obiecti vt perfectius in ſe non ſit obiectum quam in ea cognitione. Aliam huius rei probationem vide diſputat. 32. ſect. 1.

23
Comprehenditur Deus ſi in illo vel vna creatura cognoſcatur ſecundū omnes rationes quibus cognoſci valet.

Ex quibus infero primò contra Thomiſtas in §. 2. non ſufficere ad comprehenſionem cognoſci omnes effectus poſſibiles in Deo, niſi vt addit Sanctus Thomas cognoſcantur *omnes rationes* effectuum hoc eſt omnes affectiones, etiam extrinſecæ, combinationes, & reſpectus, qui poſſunt effectibus conuenire & iuuant ad meliorē cognitionem de obiecto; perfectius enim cognoſcitur homo verbi gratia ex eo quod comparetur cum Angelo perfectiore, cum imperfectiore leone, vt ſic pateat qualiter *diſtinguatur* a reliquis, *aſſimiletur*, *excedat*, vel *excedatur* in perfectione, *quantum diſtet* à perfectione Diuina, quod ſolus Deus metiri valet, cum ipſe ſolus bene penſatam habeat ſuam perfectionem, quantique æſtimari debeat, ſeu quot graduum perfectionis ſit. Vnde licèt quo perfectiùs cognoſcitur cauſa plures cognoſcantur effectus. Cæterum ſi omnes effectus non æquant perfectionem cauſæ non poterit vt hæc tanta quanta ſit penetretur ac proinde nec comprehendatur, niſi etiam *rationes*, & affectiones talium effectuum cognoſcantur modo dicto, per quod patet ad primum: ad ſecundum reſpondeo omnes effectus poſſibiles re ipſa infinitam perfectionem requirere, nunquam tamen eam ad æqualitatem exprimere, ſicut nec eam vſque ad æqualitatem participant, quin maioris æſtimationis, & valoris ſit quam ab illis demonſtretur; imò neque per aliquam cognitionem Fidei ita reuelari poteſt tota perfectio Dei, vt vltimatus conceptus fiat de ea quanta ſit, hoc enim pertinet ad infinitam dignitatem Dei, vt nunquam à creatura, ſatis æſtimari poſſit.

24
Viſio omniū poſſibilium in Deo eſt ſicut Deus, ſed non quātum Deus quia ſi poneretur Deus præcisè vt eſt in ea cognitione foret minor ſe ipſo.
Explicatur ex caſu impoſſibili.

Infero ſecundò præcipuè ſolutionem tertiæ obiectionis in §. 8. negata minori, nam licet Beatus videat omnes effectus poſſibiles adhuc viſio non eſt omninò ſicut Deus, quia licet ſit totum, quod Deus, intentionaliter, non tamen exprimit, & taxat quantitatem excellentiæ ipſius Dei, vt ſatis penetret quanti valoris ſit; quare licet ſit *ſicut* Deus, ſed non *quantum Deus*, vt ſi Deus à parte rei non foret maioris perfectionis, nec excellentiori modo haberet eſſe, quam eſt in cognitione ſibi non æquaretur. Finge cognitionem illam Beati eſſe practicam, & quaſi factiuam Dei, non ſatis dirigeret, vt beatus poneret Deum à parte rei tam perfectum ac eſt, neque enim poteſt dari creata idea adæquata Deitatis. Rurſus viſio Beata non penetrat Diuinitatis *profundum* quod ad comprehenſionem requiri pulchrè deducitur ex Paulo Epheſ. 3. nam licet latam comprehenſionem explicans hæc ait verſu 18. *Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, ſublimitas, & profundum. Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ. Charitatem Chriſti* (nota) *vt impleamini in omnem plenitudinem Dei*, hoc eſt vt omnis plenitudo Dei reſplendeat in cognitione. Ex quo ſicut in cognitione ruſtici non eſt adæquatè gemmæ, vel auri electri excellentia, ſicut in aurifice, licet tota

videatur

videatur in vtroque, quia eius profundum & gradus non diſcernit.(hoc eſt vt loquitur hiſpanus no conoze el fondo, y quilates que tiene (ita dicendum de viſione Beata, quantumuis omnia poſſibilia cognoſcat.

25 *Obiectum tunc comprehenditur quando cognoſcitur quantum ipſum obiectū natum eſt cognoſci ex intrinſeca virtute obiectiua.*

Infero tertiò, obiectum vt ſic comprehendatur non debere cognoſci quantum cognoſcibile eſt quomodocunque, ſed quantum ipſum obiectum natum eſt cognoſci ex intrinſeca virtute obiectiua iuxta §. 16. ita vt ea cognitio quæ habetur iuxta menſuram virtutis motiuæ obiecti) reſplendente ſcilicet quantitate perfectionis obiecti in eo concurſu) regula ſit cognoſcibilitatis debitæ obiecto. Sic quantitas vlnaris ſatis comprehenditur alia æquali licèt latius comprehenderetur à quantitate mille vlnarum. Iam homo verbi gratia ſolum habet intrinſecam cognoſcibilitatem & virtutem motiuam ſecundum perfectionem ſuæ entitatis, & effectuum quos continet, licèt per ordinem ad alia extrinſeca connotata, & comparationes perfectius cognoſci valeat, ideòque melius à Deo quam ab Angelo, etiam dum ab hoc homo comprehenditur; cognoſcatur: ipſe tamen Deus nunquam poteſt ſupercomprehendi quia nullum connotatum poteſt eſſe extrinſecum, ſeu per accidens Deo, ſicut creaturæ verbi gratia homini extrinſeca eſt poſſibilitas Angeli, cum quo comparatur, non Deo qui Angelum etiam continet, & ſic cenſendum de aliis omnibus connotatis, & combinationibus, quas continet Deus, velut *potens*, velut *cognoſcens* quod perinde eſt ad comprehenſionem, nam cognitio vt reflexè comprehendatur intrinſecè petit (ſiquidem ad id mouere poteſt per ſe) cognoſci eius obiectum: per quod patet clarius ſolutio ad confirmationem poſitam.

Creatura poteſt ſupercomprehendi ſecus Deus.

Vt cognitio comprehendatur debet cognoſci omne eius obiectum.

DISPVTATIO XXXI.

Vtrum videri poſſit vnum attributum ſine alio? Vel vna Perſona ſine alia?

SECTIO I. *Quid ſentiendum de facto?*

SECTIO II. *Quid alij ſentiant de poſſibili?*

SECTIO III. *Vera ſententia proponitur prima concluſio de Attributis.*

SECTIO IV. *Vera ſententia proponitur ſecunda concluſio de Perſonis.*

SECTIO V. *Proponuntur & ſoluuntur ſpeciales obiectiones contra concluſiones datas à me in ſectionibus tertiâ, & quartâ.*

SECTIO VI. *Soluuntur fundamenta ſententiarum in ſectione ſecundâ prout oppugnant concluſiones poſitas.*

SECTIO VII. *Vtrum videri poſſit vnum decretum liberum Dei ſine alio?*

Vide infrà qu. 12. art. 8. ſect. 4. priores dubitat.

QVÆSTIO hæc ſub aliis terminis proponi ſolet, vt declaretur, quod ſit obiectum formale viſionis Beati, An ſcilicet viſio beata neceſſario videat quidquid formaliter eſt in Deo, omnemque perfectionem, vel prædicatum formaliter inuentum in ipſo, ſiue hoc ſit eſſentiale, ſiue attributale, ſiue abſolutum, ſiue relatiuum, neceſſarium vel liberum? Vnde quæritur vtrum poſſit videri eſſentia ſine attributis, vel ſine perſonis, quod diſquiram tam de facto quam de potentia abſoluta. Authores autem qui de hac re agunt latiſſimè referuntur à P. Salas tom. 1. in 1.2. tract. 1. diſputat. 4. ſect. 3. nouiſſimè autem à P. Franciſco Amico. in præſenti diſput. 9. ſect. 18. P. Ioan. Martinon diſp. 8. de Deo ſect. 9. à num. 74. P. Iulio Recupito. quæſt. 31. Ioſeph. Aug. art. 7. huius quæſt. 12. Meratio diſp. 17. ſect. 1.

SECTIO I.

Quid ſentiendum de facto?

1 *Alia prædicata ſunt Attributa Alia modi Attributorum.*

PRæmitto primo inter prædicata diuina aliqua eſſe, quæ ſunt ſimpliciter, & primario talia & quaſi ponunt in numero vt *eſſe Deum ſcientem, volentem, omnipotentem Patrem, Filium*, &c. alia verò ſunt prædicata, & perfectiones, quæ nouum quid abſolute non faciunt, ſed vt ſecundariæ in aliis includuntur ſolumque ſunt quaſi modificationes, & determinationes primorum prædicatorum, & perfectionum, vt in ipſa Deitate *gradus* æſtimationis, ſeu valoris obiectiui *tantus* vel *tantus* modo quo explicui diſpur. præced. Vel etiam in ſcientia, & omnipotentia formalis, & determinatus reſpectus, ſeu continentia, *Petri, Pauli*, &c. In quo non additur diſtincta perfectio, ſed exprimitur incluſa in vniuerſali conceptu *omnipotentiæ*, ideoque talis perfectio melius vocabitur *modus* perfectionis, quam noua perfectio ſimpliciter, vti non vocantur hæ perfectiones attributa, ſed modi attributorum.

2 *Explicatur præciſio ex parte obiecti: & ex parte modi ſeu formalis.*

Præmitto ſecundo dupliciter poſſe aliquid diuinum latere vel *ex parte obiecti*; vel ſolum *ex parte modi*, cuius præciſionis diſcrimen ego ſic explico, vt tunc ſolum præſcindatur formaliter, & ex *parte modi* quando modus ipſe tendendi cognitionis, licèt ſi comparetur cum formalitatibus obiecti ex æquo cadat ſupra omnes identificatas, tamen ſi attendamus ad imaginem intentionalem, (pone formati idolum in mente claritatis gratia) in tali idolo non reſplendeat; niſi vna formalitas, ita vt ſi poneretur res à parte rei præciſe *ſicut eſt* in idolo illo, item ſi ex vi illius cognitionis quis fabricaturus eſſet obiectum, non poneret cum vtraque formalitate, ſed ſolum cum illa, quam ex parte modi cognoſcit. Et hinc fit quod quamuis alia cognoſcantur ex parte obiecti, at ſolum de illa formalitate poſſe rationem reddi à cognoſcente: ſolum ſub ea expreſſione non admittit errorem de obiecto bene tamen alias.

3 *Duplex eſſe obiectum explicatur.*

Quo poſito reducenda ſunt in memoriam omnino quæ dixi diſput. 22. ſect. 5. ſcilicet dupliciter accipi eſſe *obiectiuum*, vel quod eſt ex parte rei exterioris, vel quod eſt *pure obiectiuum*, & ſe tenet ex parte cognitionis imò ab ipſa cognitione non diſtinguitur, ſed pertinet ad modum tendendi. Vnde præmitto tertio ſecundum *hoc eſſe obiectiuum*, non eſſe neceſſarium identificari formalitates, quæ in eſſe rei ſunt idem. Nam eſſe obiectiuum, quod reſultat ex cognitione *animal* verbi gratia præſcindendo à rationalitate obiecti exterioris, non eſt *rationale*: etenim cognitio *animal* ſecundum ſe non dicit animal verum, ſed æque ſe habet ad fictum, vt cognitio in modo tendendi non variaretur

licèt *animal* reale repugnaret (quod latè oſtendi diſput.72.negato ordine tranſcendentali cognitionis ad obiectum exterius cum Cardinali Lugo diſput.20. de Incarnatione num.51.Arriaga diſp. 14. logicæ nu.47.)at ſi animal eſſet chymera nullo titulo in cognitione *animal* daretur eſſe obiectiuum *rationalis*, cum hæc duo *eſſe* forent rationis entia, conceptus autem de vno ente rationis, non repræſentat aliud: neque quando concipio hircocerunm eſt ibi obiectiue *hircocervus leo*. Ergo per ſe loquendo de *eſſe* obiectiuo puto, quod eſt in cognitione *animal* diſtinguitur *à rationali*. Quare licèt cognitio *animal* collata cum obiecto exteriori homine æque cadat ſupra rationale negata poſſibili præciſione obiectiua;at ipſum *rationale* tangit per modum *animalis* ſolius, per ſolam imaginem animalis intentionalis,ſeu purè obiectiui. Quemadmodum ſi ex parte rei eſſet idem color ruber, & viridis, videretur tamen mediis conſpiciliis purè viridibus, viſio licet in ſe ſolum *viridis*, ſeu ſolum pendens per modum ſeu ſpeciem viriditatis, formalitatem etiam rubram immediate attingeret.

4 His pro dicendis in tota hac diſputatione præmiſſis dico primò ex parte obiecti nulla perfectio diuina, nec modus perfectionis latet beatum. Probatur Beatus videt omnia prædicata diuina, ſeu perfectiones vniuerſales & primarias, Sed hæ videri non poſſunt, quin etiam videantur ex parte obiecti omnes modi talium perfectionum, & prædicatorum. Ergo nihil latet ex parte obiecti: conſequentia patet. Maior indubia eſt, nam quæ nunc videmus, per ſpeculum in imagine Fidei, tunc videbimus facie ad faciem iuxta primam Corinth.13. ideo dixit Auguſtinus ſecundo de ciuitate cap.11. & lib. de diligendo Deo cap. 18. *Quod hic crediderunt ibi videbunt*; vt ſic præmium merito correſpondeat. Ergo cum per fidem hæc omnia primaria credantur, videbuntur in patria. Minor ſuadetur inter has perfectiones, ſeu attributa, & modos eorum nulla intercedit diſtinctio virtualis, vt apud omnes certum eſt, ſed nulla intercedente diſtinctione virtuali nequit vna formalitas ex parte obiecti terminare viſionem potius quam alia; nequitque viſio cadere vel denominare viſam potius vnam formalitatem quam aliam Ergo, *&c.*

Ex parte obiecti nil latet viſionem beati.

5 Hæc minor ſubſumpta ſic ex dictis probatur, ſecluſa diſtinctione virtuali nequit verificari ex parte obiecti in aliquo vero ſenſu *videri omnipotentiam* verbi gratia, & non videri potentiam determinatam, ſeu continentiam Petri, etenim videri omnipotentiam, ſeu denominatio *viſæ* in omnipotentia duo dicit, & entitatem omnipotentiæ & viſionem: ſicut denominatio *albi* albedinem, & ſubiectum. Iam cognitio ex parte ſui nullam dicit diuerſitatem, cum ſit omnino indiuiſibilis;Rurſus omnipotentia ex parte obiecti tam eſt continentia Petri, quam omnipotentia. Ergo ex illa viſione, & continentia Petri non aliter conſurget denominatio *viſæ*,quam ex omnipotentia quidquid ſit quod continentia cognoſcitur modo tendendi ita ſpeciali vt ſolum ſit natus parere eſſe obiectiuum omnipotentiæ vt dixi §.3. Confirmatur,ſit cognitio, quæ dicat *lapis*,& comparetur cum animalitate hominis ex parte obiecti non minus cadet ſupra rationalitatem ob virtualem indiſtinctionem. Ergo quod cognitio *animal* dicatur magis cadere ſupra animalitatem oritur ſolum ex modo tendendi *animal* vt ita dicam, non ex ipſa correſpondentia ex parte rei, & obiecti exterioris: nam

Clara explicatio concluſionis poſita.

ſi immediate & formaliter rationalitas eſt animal, cur non etiam immediate ſignificabitur per conceptum animal? Ergo ſimiliter dicendum de viſione omnipotentiæ indiſtinctæ virtualiter à continentia Petri. Confirmatur ſecundò denominatio variari non poteſt ſen conſtitutum formale, niſi varientur partes, ex quibus conſtituitur. Modo ſic arguo. Complexum ex viſione & omnipotentia omnino idem eſt, eaſdemque partes habet formaliſſime, ac complexum ex viſione & continentia Petri. Ergo & eadem denominatio *viſæ* erit reſpectu vtriuſque.

Dico ſecundò ex parte modi etiam cognoſcuntur omnia attributa, & perfectiones primariæ Dei ſed non earum modi & gradus. Prima pars ſuadetur, tum quia hæc omnia cognoſcuntur per fidem ex parte modi, ergo debet videri etiam ex parte modi iuxta §. quartum;tum etiam quia aliter cognoſcuntur hæc à Beatis, quam ea videat, qui ſolum videt rationem entis; *obiectiue* autem etiam hic videt omnia. Secunda pars ſuadetur, nam ex diſputatione præcedenti non videt Beatus, quot gradum perfectionis ſit Deus; & ex diſputatione ſequenti non videt ſingulas continentias diſtinctè ad omnes creaturas; alias quilibet Beatus videret omnes creaturas poſſibiles, nam qui ex parte modi exprimit potentiam determinatam, ſeu continentiam Petri & Pauli, *&c.* neceſſario ipſum Petrum videt, cum nec apprehendi, aut explicari poſſit potentia vt productiua Petri ſine Petro,& ſimiliter nec videri ſcientia Dei circa Petrum, quin idem videatur, vt magis dicam ſectione ſequenti. Quomodo autem hoc contingat, An ſolum penes explicitum dicam §.16. 6

Ex parte modi cognoſcuntur omnia attributa, ſed non videntur modi attributorum explicitè.

Ex quibus in concordiam venire poſſunt oppoſiti modi dicendi. Alij enim volunt modos attributorum non poſſe videri à Beatis vt fusè contendit Salas 1.2. tract.2.concluſione 4.ſectione 2.& 3. Alij è contra neceſſario videri, Ita communiter omnes Thomiſtæ & noſtri cum Recupito quæſt.31. Ioſephus Auguſtinus art.7. num 5. Meratius diſp. 17.ſect.1. Herice diſput.50.cap.1.Hæc inquam oppoſitio in concordiam venit, ſi primi accipiantur ex parte modi concipiendi,& cognoſcendi. Secundi ex parte obiecti. Ita diuus Thomas hic art. 7. ad 3. ait *Deum non videri totaliter, non quidem ita quod totus modus obiecti non cadat ſub cognitione, ſed quia modus obiecti non eſt modus cognoſcentis* (hoc eſt gradus obiecti non ſunt intentionaliter in cognitione) quibus verbis iuxta explicationem datam §. 2. manifeſtè diſtinguit tangi ex parte *obiecti* totum licèt non ex *parte modi.* 7

Aliorum ſententia componuntur.

SECTIO II.

Quid alij ſentiant de poſſibili.

PRima opinio communis inter Thomiſtas, & noſtros abſolutè tuetur implicare videri eſſentiam ſine attributis, aut vllam perfectionem ſine alia in Deo.Ita Suarez, Molina,Vaſquez, Arrubal, Faſolus articulo 8. dubitatione ſecunda & alij citati ſuprà §. 7. apud quos plures alij antiqui, & neoterici Thomiſtæ videri poſſunt. Ita etiam Sanctus Thomas & clariſſime 2.2. quæſt.2. art. 8. ad 13. & quod plus eſt colligitur ex Ioannis 14. *Philippe qui videt me,videt & Patrem*: cuius rationem reddit Chriſtus Dominus: *quia ego in Patre, & Pater in me eſt* ſcilicet per identitatem naturæ vt exponunt Theologi 8

Poſſe videri vnum attributum ſine alio. Negant ex parte modi. Thomiſtæ. Suar. Molina. Vaſquez. Arrub. Faſol.

Theologi cum Auguſtino libro quæſtionum noui teſtamenti quæſt. 45. *per id quod vnum in ſubſtantia ſunt, qui vnum videt, ambos videt*. Ergo quia inter identificata, nequit vnum ſine alio videri.

9 *Mouentur. 1. Vt viſio ſit ſicut obiectum.*

Et ratio eſt primò quia alias natura non videretur *ſicuti eſt* cum aliter obiectum ſit in ſe, quam in ea viſione. Nec refert ſi dicas viſionem eſſe *ſicut obiectum*, quia licèt non adæquetur illi poſitiuè, at non opponitur negatiuè; non excludit poſitiue attributum quod non cognoſcit: non refert inquam; nam quamuis per hoc liberetur à falſitate, ſed non à diſſimilitudine: ſic vna virga non æquans aliam non dicitur eſſe *ſicut illa*. Vnde confirmatur: non videt quis ſicuti eſt, virgam trium palmorum ſi lateat vnus, nec triangulum ſi vnus angulus occultetur. Ergo nec Deum ſi lateat aliqua perfectio. Patet conſequentia, quia non minus eſt de eſſentia Dei infinita perfectio, quam de triangulo tres anguli.

10 *2. Ex connexione.*

Secundò, nequit videri connexio vnius cum alio quin hoc formaliter ex parte modi cognoſcatur, idque etiamſi realiter diſtinguantur: ideo conceptus cauſæ nequit concipi ſine effectu, nec relatio ſine termino. Sed quodlibet attributum eſt formaliſſima & ſtrictiſſima connexio cum alio, nam quantumuis diſtinguatur virtualiter; identificatur tamen realiter, identitas autem realis eſt maxima, & ſanctiſſima connexio, ergo nequit vnum videri ſine alio. Confirmatur nequit videri eſſentia ſine eius conſtitutiuo formali; alias poſſet videri homo ſine animali rationali, Ergo neque eſſentia ſine attributis. Conſequentia patet, tum quia omnia attributa ſunt de conceptu formali eſſentiæ Dei non minus quam animal rationale de conceptu hominis, cum enim Deus vt talis formaliſſimè ſit *infinitus*, formaliſſimè debet includere omnem, ſeu infinitam perfectionem, ſicut *homo* finitam; tum etiam quia ſaltem connexio, & identitas cum attributis eſt de conceptu formali eſſentiæ, ipſa enim eſſentia, ſe ipſa ſine alia noua perfectione, ne procedamus in infinitum, petit identificari cum aliis. Ergo nequit cognoſci eſſentia, quin videatur ex parte modi hæc connexio, & conſequenter eius terminus.

11 *3. Quia viſio intuitiua non præſcindit præ abſtractiuâ.*

Tertia ratio mihi præ aliis vrgentior. Viſio fit per ſpecies *proprias* obiecti antecedenter ad omne connotatum extrinſecum, ſed in obiecto indiuiſibili ſic mouente obiectiuè, nequit videri vna formalitas ſine alia. Ergo neque in Deo. Maior eſt certa eo enim differt cognitio abſtractiua ab intuitiua, quod ad illam moueant extrinſeca connotata, per quæ venitur ad notitiam cauſæ, ideoque *abſtractiua* præſcindit, quia cognoſcit per ſpecies effectûs non adæquantis cauſam; *intuitiua* verò in ipſa eſſentia vt in medio connotata reſpicit, vt ideò à priori videat hoc connotatum præ alio, quia videt hanc formalitatem eſſentiæ verbi gratia quod viſio in eſſentia Dei videat Petrum præ Paulo in cauſa eſt ipſa eſſentia, quæ in ſe relucet potius vt continens Petrum quam Paulum. Minor ſuadetur, nam vt videatur vna formalitas ſine alia ex parte modi ſecluſa diſtinctione virtuali opus eſt relatione ad diuerſum connotatum, ſeu quod obiectum appareat ſub relatione ad vnum connotatum præ alio, obiectum autem indiuiſibile in ſe inſpectum intrinſecè antecedenter ad omne extrinſecum, non refertur potius ad vnum, quam ad aliud. Ergo ratione ſui nequit in ſe videri ſecundum vnam formalitatem ſine alia.

Quartò ex duplici abſurdo. Primum quod videatur Deus in ſe, & ignoret Beatus, an ſit *potens, ſciens, viuens*, vel *truncus*, quod eſt impoſſibile, tum quia nec abſtractiuè poteſt cognoſci Deus infinitè perfectus, quin ſaltem appareat *Omnipotens & ſapiens*, vel ſaltem hæc attributa per diſcurſum deducantur: per viſionem autem apparet vno ictu quidquid per diſcurſum deducit cognitio, tum etiam quia errare poſſet beatus, ſicut videt hominem a longè quia non diſcernit ex parte modi putat eſſe irrationale. Secundum poſſet confundi Deus cum creatura viſa ſola ratione entis vel ſubſtantiæ. Nec valet ſi dicas *infinitum* cum *finito* non poſſe confundi per intuitionem, ſicut neque ens cum non ente; non inquam valet, tum quia ſi lateat paternitas; iam Pater infinitus confunditur cum non Patre; tum etiamſi omnipotentia ſolum videatur vt productiua caloris, verbi gratia, vel immenſitas vt eſt ſolum in loco *A*, iam potentia infinita confunditur cum finita ignis; infinita magnitudo cum limitata ad vnum locum. 12

4. Quod nequeat Deus non videri vt viuens.

5. Quod nequeat per viſionem Deus confundi cum creatura.

Secunda ſententia tuetur non ſolum ex parte modi ſed etiam ex parte obiecti poſſe videri vnum attributum ſine alio à quo virtualiter diſtinguitur, eſſentiam ſine relationibus, & vnam relationem ſine alia: ita Scotus in primū diſtinctione 1. quæſt. 2. §. *quantum ad iſtum articulum*, & plures alij cum Salas tract. 2. diſput. 4. ſect. 3. concluſione 3. Mouentur primò. Pater pro priori ad generationem verbi videt eſſentiam, nec tamen videt Filiationem, cum intuitio ſeu viſio ſupponat pro priori exiſtens ſuum obiectum vt patet in ſcientia viſionis de creaturis. At hæc præciſio non eſt ex parte modi; non enim oritur ex imperfectione, & confuſione cognitionis, ergo ex parte obiecti. Secundo actio & vnio realis præſcindunt relationem à natura; ſolum enim producitur & vnitur hypoſtaticè immediatè Filiatio. Ergo ſimiliter actio, & vnio intentionalis poterunt præſcindere, vt vniatur verbi gratia Filiatio per modum obiecti, & non natura, nam plus requiritur ad præciſionem realem, quam intentionalem. Tertio ſaltem vna perſona, cum realiter diſtinguatur ab alia terminare poteſt viſionem realiter diſtinctam à viſione alterius, vnaquæque enim res ſicut ſe habet ad eſſe, ita & ad cognoſci, ergo videri poteſt eſſentia ſine relatione. Patet hæc conſequentia, nam cum videtur Paternitas ſine Filiatione vel omninò non videtur eſſentia, vel ſaltem videtur ſine Filiationis relatione. Quartò. Cum Beatus dicit: *eſſentia identificatur cum Filiatione* ſi ex parte obiecti huic propoſitioni per viſionem eſſentiæ attingeretur paternitas eſſet falſa propoſitio, ergo ſolum tangitur eſſentia. 13

Affirmant ex parte modi & ex parte obiecti. Scotus. *Alij cum Salas, mouentur. 1. Ex viſione Patris pro priori. 2. Ex præciſione actionis phyſicæ. 3. Quando vna perſona cognoſcitur ſine alia. 4. Quando eſſentia affirmatur indiſtincta à relatione.*

Tertia ſententia abſolutè tuetur poſſe quodlibet attributum, & perfectionem Diuinam videri ſine alia, ita Scotiſtæ & plures antiqui cum Salas ſupra Smiſing hic diſput. 6. quæſt. 5. articulo 206. Granados tract. 5. diſput. 7. & ſeptima, Alarcon diſp. 4. cap. 2. concluſione 2. Mouentur 1. inter diſtincta virtualiter ob dicta pro ſecunda ſententia. Secundò abſolutè nam viſio corporea licèt attingat obiectum ſicuti eſt dum videt albedinem diſtantem, non diſcernit an ſit albedo, vel alius color. Tertio Beatus non videt modos attributorum, qui tamen non minus identificantur cum natura, quam ipſa attributa. 14

Affirmant ſaltem ex parte modi. Salas. Alarcon. Granadus. Smiſing.

***

SECTIO III.

Veræ ſententiæ proponitur, prima concluſio de Attributis.

15 *Cur actio intentionalis pra phyſica praſcindere non poſſit.*

VT vt vera ſit tertia ſententia habent tamen eius fundamenta ſolutionem niſi amplius explicentur. Primum ex §. 10. nam quia ſubtilior eſt & plus tranſcendit actio intentionalis, ideò nequit attingi connexio, & relatio ſine termino per viſionem, licèt non ſit opus vt quis producat relationem, eadem actione phyſica attingi terminum; inter diſtincta autem virtualiter, neceſſario eſt connexio identitatis. Secundum dum viſioni corporeæ obiicitur albedo diſtans, verè ad albedinem non tendit viſio, ſed verbi gratia ad pallorem quem referunt ſpecies ob diſtantiam remiſſæ; ſicut enim ob medium per quod mittuntur ſpecies formantur referentes colorem *viridem* in iride, licèt in re non detur talis color, *obliquitatem* in remo ſub aquis, qui verè obliquus non eſt, adeò vt ſpecies eiuſdem rationis ſint cum his, quæ mittuntur à vera obliquitate, & à vero colore; ita puto ſpecies ob diſtantiam immutari vt fiant eiuſdem rationis, ac ſi mitterentur à pallore, ſic etiam ſpecies de magnitudine ſolis eæ ſunt quæ ſi à paruo globo mitterentur. Tertium modi attributorum implicitè etiam ex parte modi attinguntur, vt iam explico. In hac prima concluſione de Attributis.

Viſio in albedinem diſtantem ex parte modi alium colorem videt.

Viſio quam formamus de Sole eiuſdem rationis eſt cum ea quam formaremus ſi foret ſol paruus globus.

16 *Dicendum eſt quod neque ex parte modi implicite poteſt videri vna perfectio Dei ſine alia à qua non diſtinguitur virtualiter. Bene tamen explicite.*

Primo ergo cenſeo (quidquid ſit de veritate huius tertiæ ſententiæ quæ fortè hac explicatione in concordiam venire poterit cum prima) etiam ex modo tendendi, & cognoſcendi non poſſe videri vnam perfectionem diuinam ſine alia abſolutâ non poſſe vnquam videri ſine alia *implicitè*, licèt poſſit *explicitè* & omnino clare. Explico concluſionem: poteſt viſio ita repræſentare eſſentiam, vt ſub definitione propria *Omnipotentiæ immenſitatis* &c. Rationem reddere non valeat de attributis: Cæterum neceſſario repræſentat *eſſentiam* ſub ea ratione obiectiua, vt etiam ſecundum conceptum obiectiuum purum, quod datur præcisè in viſione formaliter imbibantur omnipotentia, & reliqua attributa; ita vt eo ſolum quod poneretur à parte rei eſſentia, ſicut eſt in eſſe obiectiuo viſionis, eam omnia alia comitarentur non tamen forent ita implicita, & quaſi implexa à parte rei ſicut in mente vt notaui diſputatione præcedenti num. penultimo: ob quod viſio beata non eſt omnino ſicut obiectum, deficitque à comprehenſione, quare ſimpliciter neque ex parte modi latet perfectio aliqua in Deo viſo vt conſtat ex tertio præmiſſo numero 3. vti latet *rationale* cum abſtractiuè cognoſcitur *animal*: nam tunc ipſum *eſſe* obiectiuum animalis tale eſt in illo modo tendendi, vt in illo rationalitas non appareat, nec opus ſit rationalitatem exiſtere, vt ponatur à parte rei *animal* ſicut eſt in cognitione, etenim eundem conceptum formalem immutatum *animalis* applico *irrationali*; ideò cognitio *animal* facit vniuerſale æque prædicabile de omnibus ſpeciebus. Habet igitur ſe *eſſe* obiectiuum eſſentiæ, quod eſt in modo tendendi viſionis, ſicut conceptus *homo* ad animal rationale, quod etiam in ipſo modo tendendi reſplendet; licèt non tam explicitè.

Explicatur.

17 Hæc ſententia ſic explicata ſuadetur primo à poſteriori. Viſio corporea, & aliæ intuitiones, quas experimur, quia tendunt in obiectum *ſicut eſt in ſe*, ita referunt, etiam ex parte modi ſuum obiectum, vt in ipſo *eſſe* obiectiuo prout præcisè eſt in viſione, implicite contineantur formaliter omnia prædicata obiecti verbi gratia ratio entis creaturæ, *&c.* Etenim illud *eſſe* obiectiuum, quod eſt in ea viſione coloris licèt non explicet creaturam, nec per hanc vocem, & definitionem formaliter poſſit videns reddere rationem quod *creatura ſit*: at etiamſi præcisè, vt eſt in eo modo tendendi viſionis poneretur à parte rei, neceſſario foret dependens & creatum. Sic etiam pretioſitas gemmæ viſæ à ruſtico eſt in eius viſione etiam ſecundum modum tendendi, aliud enim eſſe obiectiuum habet adamas, quam Cryſtallus viſa; licèt ruſticus non poſſit reddere rationem de ea pretioſitate ſicut aurifex. Ergo ſimiliter dicendum eſt de viſione beata, quod etiam in eius modo tendendi & puro *eſſe* obiectiuo inueniatur ea excellentia, quæ neceſſario imbibat omnia attributa & perfectiones Dei, licèt de iis explicitè ratio reddi nequeat. Hæc conſequentia patet, nam nihil amplius probant argumenta pro tertia ſententia.

Probatur primo exemplo viſionis materialis.

Secundò arguo à priori ex conceptu notitiæ intuitiuæ. Hæc debet eſſe per conceptum, & ſpeciem ita propriam, vt repræſentet obiectum ex modo tendendi *vt eſt* in intuitione, ſecundum vltimam proprietatem, & differentiam conſtitutiuam obiecti, at hoc fieri non poteſt niſi in modo tendendi implicitè inueniantur omnia prædicata obiecti. Ergo &c. Minor probatur nam res in vltima differentia implicitè imbibit omnes alias rationes, vt nuper dixi de albedine, quæ dum talis exprimitur in viſione neceſſario rationem *entis creati*, &c. In ipſo modo tendendi includit: & quidem ſi vltima differentia Dei quæ in illo modo tendendi viſionis beatæ obiectiuè inuenitur; extraheretur à parte rei, ipſa omnem perfectionem expoſceret cum infinita ſit; ergo & omnia attributa. 18

2. Ex conceptu cognitionis intuitiua.

Maior propoſitio ſuadetur tum quia ſpecies *intuitiua* non dicuntur *propria*, quia fiant immediatè ab obiecto, nam omnis ſpecies, & cognitio *de ente* vt ſic immediatè fit ab obiecto, neceſſario enim fit immediatè ab aliquo ente, nec tamen intuitiua eſt. Rurſus non ſunt *propria* quia ſint rei præſentis, vt præſentis, nam Deus vt præſens etiam cognoſcitur in via: nec denique quia ſint de obiecti quidditate, etenim actus Fidei quidditatem Dei cognoſcit, item & cognitio de ente vt ſic. Ergo quia ſpecies ſunt propriæ obiectiuè hoc eſt de vltima proprietate, & differentia obiecti, Tum etiam probatur maior, quia conceptus intuitiuus etiam ſecluſa affirmatione vel negatione per ſe inſpectus; eſt imago *propria* obiecti (etenim media affirmatione, vel negatione etiam in via hæc cognitio eſt propria Dei. *Deus non eſt cauſatus*) Ergo non poteſt alteri adaptari niſi ſuo obiecto, alias *propria* non eſt, ergo attingit vltimam differentiam. Patet hæc conſequentia. Nam ſola huius imago aliis communis non eſt. Tum denique conceptus intuitiuus nequit eſſe de aliqua ratione in communi verbi gratia vt videat quis hominem vt ſic, & in vniuerſali exiſtere, quî enim fieri poteſt, vt imago per modum *exiſtentis* & intuitio, ſit illius propria; alias & chymæræ dari poſſet imago propria & intuitio, ergo debet eſſe ſecundum vltimam differentiam: hæc conſequentia patet, quia imago rei vt in ſingulari iam addit vltimam differentiam, quæ eſt ſingularitas, & ſicut res non exiſtit niſi vt ſingularis; ita nec ſine vltima differentia. Ergo hæc 19

Cur dicantur ſpecies intuitiua propriæ.

hæc etiam ex parte modi debet attingi per viſionem Dei, vt eſt in ſe, & conſequenter omnes perfectiones abſolutè ſaltem implicitè.

20 *Exiſtentia ut exercita nequit repræſentari in communi.*

Confirmantur hæc ex rationibus pro prima ſententia maximè primâ & quartâ, quæ ſolùm hanc implicitam attingentiam probant; cùm enim intuitio repræſentet obiectum per modum *præſentis* & *exiſtentis* nequeatque cum ſupernaturalis ſit referre illud aliter. ac eſt, nequit repræſentare rationem communem quæ niſi fictè *vt exiſtens* concipi non valet, neque particularem creatam, nam ſic Deus aliter ac eſt cognoſceretur: Ergo Diuinam & infinitam adhuc vt hæc eſt in mente, & in puro modo tendendi. Tum ſic, ſed de conceptu formali *infinitæ* perfectionis ſunt implicitè omnia attributa; etenim ex infinita perfectione per conſequentias formales deducitur omnis perfectio; non eſt autem formalis conſequentia vbi non eſt formalis continentia: Ergo, &c.

21 *Viſio materialis quid videat in colore diſtanti.*

Neque valet ſi obijcias viſionem albedinis diſtantis in cuius cognitionis modo tendendi non datur, nec implicitè vltima differentia *albedinis* ſicut eſt, ſed verbi gratia, albedo cognoſcitur ad modum *palloris*. Non, inquam, valet, nam vt dixi num. 15. tunc ex remiſſione ſpecierum in eſſe intentionali, non formatur imago propria albedinis, ſed palloris, nigredinis vel alterius coloris, cuius ſignum eſt quod cum propius accedit quis, & diſcernit colorem eſſe album, colligit oculos deluſos fuiſſe: vnde potiùs fit, quod cum viſio beata illuſiua non ſit, nec deceptioni obnoxia, neceſſariò debeat attingere vltimam differentiam adæquatam; alioqui non verum Deum, ſed nouum idolum formaret Beatus, vt contingit in oculo corporeo.

22 *Qualiter per viſionem materialem attingatur prædicatum dependentiæ à Deo implicitè.*

Nec item valet ſi iterum obijcias viſionem materialem albedinis, ratione cuius, licèt albedo attingatur intuitiuè, non tamen videntur omnia eius prædicata, non enim oculus corporeus attingit prædicatum *dependentiæ à Deo* identificatæ cum albedine, tum quia oculus nihil videt in colore niſi ſub ratione *coloris*, tum etiam quia ex vi talis viſionis albedinis nondum quis poteſt reddere rationem, dependeat-ne à Deo; imò adhuc ſimpliciter ignorat dependentiam, vt ei ſimpliciter diſſentire poſſit, quod patet in negantibus Deum, vel etiam negantibus effectus creatos à Deo dependere. Hæc inquam ſi dicantur nondum valent, vel aliquid concludunt contra concluſionem poſitam; præciſè namque conuincunt non videri ab oculo corporeo *explicitè* ſub expreſſione talis prædicatum *dependentiæ*, at implicitè hæc etiam videtur ex parte modi, cùm exprimatur etiam ab oculo corporeo id prędicatum, in quo formaliter imbibitur, ſeu de cuius conceptu formali eſt dependentia, vnde licèt ſub hoc termino, & voce *dependentia* à Deo videns colorem non poſſit de *dependentia* reddere rationem, reddit tamẽ ſub alia in qua *implicitè* continetur, vti qui redderet rationem de conceptu generico ſub ſpecifico, de animali, vebi gratia, dicendo de Petro eſſe hominem: fortè iſte tales ſub nomine *animalis* hoc prædicatum negabit de Petro, quem ſcit eſſe hominem; at forma iter etiam ex parte modi ſcit, & reddit rationem de eius animalitate. Sic oculus exprimens colorem, exprimit *ens, creatum, accidens*, quæ ſunt rationes genericæ ad colorem vt ad ſpeciem, conſequenterque videns colorem poteſt de his conceptibus reddere rationem, non ſub his vocibus ſic abſtractis ſed ſub tali *ente, creato*, &c. quod ſi forte negat *dependentiam* non negat rem, ſed vocem, quia non penetrat terminos, vt qui affirmans de Petro eſſe hominem negat eſſe animal.

Qualiter reddat rationẽ de ratione generica qui videt implicitè ſpeciem.

Ex dictis à fortiori conſtat loquendo ex parte obiecti nullam perfectionem abſolutam Dei denominari *cognitam* ſeu videri, quin eadem ratione æque immediatè, & formaliter ex parte rei videatur quidquid eſt cum illa identificatum per modum perfectionis abſolutæ. Patet inquam hoc à fortiori ex dictis, ſiquidem faciliùs permittitur diſtinctio, & præciſio ex parte modi, quam ex parte obiecti; ſi ergo prima impoſſibilis eſt per actus intuitiuos, fortiùs implicabit ſecunda. Item præciſio obiectiua, ſeu quod ex parte rei loquendo vna formalitas cognoſcatur, & alia non cognoſcatur ſtare nequit ſine diſtinctione reali talium formalitatum, vt latè oſtendi diſput. 15. ſect. 13. vel ſaltem ſine diſtinctione virtuali intrinſeca, & capacitate ad recipienda prædicata contradictoria: vt patet ex dictis in hac diſput. §. 5. At inter perfectiones Dei abſolutas nulla datur talis diſtinctio, vt latiſſimè oſtendi diſput. 15. per totam. Ergo nec præciſio obiectiua per viſionem poſſibilis eſt inter attributa, & perfectiones abſolutas Dei: denique id etiam à fortiori conſtabit ex dicendis ſectione ſequenti. 23 *Ex parte obiecti non præſcindit viſio vllo pacto inter attributa.*

SECTIO IV.

Veræ ſententiæ proponitur ſecunda concluſio de perſonis.

SEcunda concluſio ſit: Implicat videri vnam perſonam ſine alia ex parte obiecti, ita vt patiantur contradictionem in *cognoſci*, & verè à parte rei videatur vna, & non alia. Item ſimiliter implicat videri vnam perſonam ſine alia, etiam ex parte modi perfecti, ſeu rationis ratiocinatæ, ita vt formetur à viſione aliquod *eſſe* intentionale, de cuius conceptu formali non ſit identitas cum tribus perſonis; modo quo id explicui de attributis à §. 16. denique non implicat explicitè videri vnam perſonam, quin ſic explicitè appareat alia ſub propria expreſſione. Quare vno verbo omnino ſimiliter implicat videri vnam perſonam ſine alia, ſicut dixi ſect præc. de perfectionibus abſolutis, ſeu attributis: æquiualenter ſe habet impoſſibilitas præciſionis per actus intuitiuos, licèt per abſtractiuos aliqua differentia ſit, de qua §. 34. 24 *Præciſio ex parte obiecti etiam implicat circa perſonas.*

25 *Implicat videri vnam perſonam ſine alia ex parte obiecti.*

Prima pars concluſionis loquendo in ſenſu ex parte rei, & obiecti independenterque à noſtro cogitandi modo. Sic probatur; implicat quod viſio denominet ex parte rei, ſeu cadat ſupra eſſentiam, & non cadat ſupra relationem, ſeu ſupra omnem formalitatem identificatam cum eſſentia; ſed eo ipſo implicat vnam perſonam ex parte obiecti denominari *viſam* ſeu videri, & non aliam: Ergo implicat ex parte obiecti præciſio vnius perſonæ ab alia, ſeu videri vnam perſonam ſine alia. Conſequentia patet, & minor etiam; nam ſi ob identitatem viſa ex parte obiecti eſſentia videtur vna relatio, ergo & omnes, cum æquè omnes cum eſſentia identificentur: ergo cum opus ſit ob eandem identitatem, quod viſa vna perſona, ſeu relatione, videatur eſſentia; conſequenter videbuntur omnes perſonæ, ſeu relationes. Maior etiam late probata eſt diſput. 15. in ſect. 13. & ſect. 22. à §. 206. Etenim ſi non obſtante quod *eſſentia ſit communis*; *relatio non ſit communis* cognitio extranea, & impertinens, verbi gratia, quæ dicat, *lapis*; dum comparetur

Probatur ex cognitione extranea.

comparetur cum diuina eſſentia æqualem reſpectum, & eandem iam habet ſupra eſſentiam, ac ſupra relationem, æque enim vtrique coëxiſtit talis imago intentionalis exprimens *lapis*. Cur ſimiliter non eueniet æque immediata cadentia, vt ita dicam, in omni repræſentatione, & viſione? Quid refert quod viſio dicat: *Eſſentia* ſeu tendat per modum *eſſentiæ*, vt ex parte rei diuerſitas fingatur, vt potius tali viſioni ſubſit eſſentia ipſa obiectiua diuina, quam relatio? An quia tali, vel tali modo tendendi placeat ſibi formare repræſentationem, ideo immutatio realis eueniet in obiecto reali, vt dicatur terminare, vel non terminare? nonne per accidens omnino eſt vt viſio materialis cadat ſupra talem colorem obiectiuum, quod medium, quo oculus vtitur, nempe conſpicilia ſint in ſe viridia, vel rubra? Ergo ſimiliter hic eueniet vt notaui §. 5.

26 *Quidquid extrinſecum dicitur de eſſentia dicitur de relatione.* Confirmatur Argumentum; quidquid ex parte rei verificatur de Relatione verificatur etiam de Natura, & eſſentia dum tale prædicatum diſtinctionem non requirat à correlatiuo, nec pugnet cum eſſe abſoluto eſſentiæ. Ergo è contra quidquid verificatur de eſſentia verificatur de relatione dum ſtet cum diſtinctione à correlatiuo, ſeu dum non requirat identitatem cum correlatiuo. Conſequentia manifeſta eſt. Antecedens niſi ex parte formæ ad talem prædicationem ſit aliqua limitatio, vel ſpecialis repugnantia, vt cadat ſupra vnam & non ſupra aliam formalitatem eo pacto, quo dixi de vnione hypoſtatica diſput. 15. ſect. 22. vnionem poſſe ſpecificari ex qualitate extremi, quod afficit, niſi inquam detur ſpecialitas hæc ex parte formæ implicat aliquid verificari de relatione, quod non verificetur de eſſentia. Id eſt manifeſtum nam ſi tale prædicatum abſtrahat à diſtinctione, vel identitate, (ſi aliunde ex parte formæ non ſit vlla limitatio) nullum titulum habet, ratione cuius relatio potius, quam eſſentia illi prædicato ſubſit, niſi quod aliquo modo in ſe eſſentia ſit alia à relatione, etiam vt præſcindit à correlatiuo. At ex diſput. 15. nulla alietas eſt immediate inter relationem, & eſſentiam. Ergo æquè vtraque eidem prædicato ſubeſt; tunc ſic: Sed prædicatum *viſi* præſcindendo nunc ab affirmatione vera vel falſa per viſionem dicentem *Paternitas non eſt Filiatio* non petit quod eius obiectum ſit identificatum vel diſtinctum à Filiatione; viſio quidem vt ſit vera diſtinctionem petit; ac præciſè, *videri* ſiue falſo, ſiue vere, nil requirit, etenim viſio falſa etiam ſub expreſſione *eſſentiæ* poſſet dicere: *eſſentia non eſt Filiatio*: Aliunde autem actus viſionis ex ſe nullam limitationem habet, nec cum aliquo fundamento poteſt fingi quod incapax ſit denominare potius extremum identificatum, quam diſtinctum à Filiatione. Ergo nequiquam dicendum, quod ex natura rei, & obiecti loquendo in ſe intrinſecè potius denominetur *viſa* relatio Paternitatis quam eſſentia.

27 *Etiam ſi admittatur diſtinctio virtualis ex natura rei.* Probatur ſecundò eadem prima pars concluſionis ſeu repugnantia præciſionis obiectiuæ, vt ex parte obiecti viſio cadat ſupra eſſentiam, & non ſupra relationem quantumuis detur diſtinctio virtualis, de qua diſput. 15. (ex quo euidenter infertur non poſſe videri vnam perſonam ſine alia, ſi enim viſa vna formalitate neceſſario videtur alia quantumuis virtualiter diſtincta; ergo quando videtur Paternitas videtur eſſentia, ſi ergo non poteſt videri eſſentia, niſi viſis omnibus relationibus conſequenter nec videri poterit Paternitas non viſis aliis perſonis ex parte obiecti) ſic inquam probatur. Quidquid ſit de diſtinctione virtuali ex natura rei, & ex parte obiecti, non ideò eſſentia neceſſe eſt vt æquo gradu recipiat omnia prædicata contradictoria, ſeu omnem contradictionem, ſicut quoad *non produci, non diſtingui à Filiatione, non communicari*, &c. Neque enim ita contradictionem recipiunt natura, & relatio quoad *eſſe ſapientiam*, & *non eſſe ſapientiam*, ac quoad eſſe Filiationem, nam de Paternitate realiter negatur Filiatio, cum tamen realiter negari nequeat ſapientia. Ergo neque recipiet contradictionem Paternitas, vt de illa negetur *videri* ex parte obiecti, quando id affirmatur de natura. Quod enim aſſignari poteſt diſcrimen vt non obſtante diſtinctione virtuali negari nequeat eſſe ſapientem de Paternitate, & queat negari *eſſe viſam*.

Confirmatur & explicatur: pone has duas viſiones, quarum prima dicat: *Paternitas exiſtit*: Secunda *Paternitas generat*. Nunc rogo. Prima attingit-ne neceſſario eſſentiam? (quidquid ſit de diſtinctione virtuali) vel non? Si affirmes. Ergo & idem debes dicere, & affirmare de ſecunda, etenim ſi nomine Paternitatis venit notificari *eſſentia* quid refert, quod addatur, vel non prædicatum conueniens eſſentiæ; inſimula, ſi vis, falſitatis ſecundam propoſitionem; at quod attingat eſſentiam, quo iure negare poteris, ſi ly *Paternitas* apud te ex parte obiecti denotat eſſentiam. Deinde loquendo de propoſitione abſtractiua, cui facilius permittitur præciſio quam intuitiuæ, non eſt ipſi impedimento, ne loquatur, & cadat ſupra eſſentiam, quod viatur, vel non prædicato ipſi conuenienti vt patet in hæreticis, qui etiam ſub expreſſione *eſſentiæ* plures dixerunt: *eſſentia generat*. Præterquamquod veritati non obeſt in illa Propoſitione ſiue intuitiua ſiue abſtractiua: *Paternitas generat* attingi per illam immediate, & formaliter *eſſentiam* ex parte obiecti, vt oſtendi diſput. 15. ſect. 22. Si ob hoc neges etiam de prima Propoſitione: *Paternitas exiſtit*: per illam attingi eſſentiam immediate. Contra Paternitas realiter eſt eſſentia; aliunde quoad munus *exiſtendi* non recipit contradictionem; cur ergo potius vna formalitas, quam alia dicetur attacta? deinde non obſtante diſtinctione virtuali æquè immediate coexiſtit eſſentia, ac Paternitas illi propoſitioni: *Paternitas exiſtit*. Quid ergo differentiæ dari poteſt in re ob quod potius Paternitas, quam eſſentia dicatur illi correſpondere. Quid quæſo eſt in ipſo obiecto hæc correſpondentia? Si quoad coëxiſtentiam non datur contradictio, cur eam fingis quoad correſpondentiam? Denique ſaltem realiter quidquid ſit de diſtinctione virtuali *Paternitas eſt eſſentia*. Ergo realiter attingetur eſſentia ſub viſione Paternitatis. Ergo realiter non obſtante quod neque in ſenſu reali *eſſentia generet* attingetur eſſentia, quando Beatus dicit *Paternitas generat*. Ergo & attingetur vna perſona, quando videtur alia, ſaltem ex parte obiecti. Quæ contra hanc primam partem opponi poſſunt clarius conſtabunt ex ſequent. 28 *Inſtatur in ſenſu reali.*

Secunda ergo pars, quod implicet etiam ex parte modi perfecti *videri* vnam perſonam ſine alia: vti id explicui de attribut. abſolutis à §. 16. probatur ex conceptu cognitionis intuitiuæ, ſeu viſionis, hæc enim petit vt obiectum tale ſit in cognitione intuitiua, quale eſt in ſe; vt ſcilicet, licèt non exprimantur clare omnia eius prædicata, tale tamen ſit obiectum in cognitione, vt à nullo diſſimile 29 *Neque ex parte modi impliciti poteſt videri vna perſona ſine alia.*

Qualiter obiectum ſit in cognitione intuitiua.

mile foret obiecto reali; ſic enim cognoſcitur obiectum ſicut eſt in ſe. At eo ipſo quod vna perſona ita videatur, & repræſentetur per viſionem, implicat vnam perſonam etiam ex parte modi videri ſine alia: ergo implicat, &c. Conſequentia patet, & minor ex dictis in ſect. præced. §. 16. nam tunc Paternitas, verbi gratia, *viſa* ſecundùm conceptum obiectiuum, quod habet in viſione, eſſet eſſen ia identificans Filiationem; hoc eſt tale *eſſe* obiectiuum formaretur in illa viſione, vt de eius conceptu formali eſſet eſſentia identificans Filiationem; etenim ſolum hoc *eſſe* obiectiuum habet eſſe tale, quod ſi poneretur à parte rei in nullo differret à vera Paternitate diuina; in hoc autem formaliſſimè conſiſtit quod in Paternitate implicitè attingatur eſſentia & Filiatio, vt patet ex §. 3. ideo dum attingitur homo ſub conceptu animalis non attingitur implicitè tota eſſentia hominis, quia ſi à parte rei poneretur *eſſe* obiectiuum *animalis* homini diſſimilaretur, è contra autem animalitas, & rationalitas implicitè attinguntur ſub conceptu *homo*, quia ſi poneretur à parte rei, id quod obiectiuè apprehenditur ſub ly *homo* in nullo diſſimilaretur animali rationali. Vide diſp. 16. n. 20.

30 Maior igitur propoſitio in qua eſt difficultas; probatur primò exemplo viſionis materialis, in qua licèt non exprimantur omnia prædicata coloris, verbi gratia, virtus miſſiua ſpecierum, inhæſiua ſubiecto, dependens à Deo, &c. At exprimitur color ſub eo *eſſe* obiectiuo, quod hæc omnia formaliter includit, & quod etiamſi præciſè poneretur vt eſt in cognitione in nullo differret ab his prædicatis. Secundo quia aliter non apparebit obiectum *ſicuti eſt*; apparebit quidem ſine poſitiuo prædicato contrario eſſentiæ reali obiecti, at non ideo cum ſimilitudine poſitiua eſſentiæ reali, vt bene expenditur §. 9. ergo vt abſolutè ſit viſio obiecti ſicuti obiectum eſt, ita debet hoc apparere in viſione, vt ſi ſecundùm *eſſe* intentionale, quod in viſione habet præciſè, ponatur in *eſſe* rei in nullo differat à vero, & reali obiecto. Item tertiò cognitio intuitiua repræſentat obiectum per imaginem *propriam*, ideo dicitur tendere per *proprias ſpecies*. Ergo eſſe obiectiuum, quod formatur in intuitione tale eſt, vt nequeat obiecto, ſi aliter ſe haberet ex parte rei adaptari, conſequentia patet, nam imago, quæ per ſe poteſt alteri adaptari propria non eſt, ſed communis vt patet: tunc ſic ſed eo ipſo quod in *eſſe* obiectiuo implicitè non includantur formaliter omnia prædicata rei, verbi gratia, ſi in Paternitate ſecundùm *eſſe* obiectiuum, ſeu intentionale non includatur eſſentia identificans Filiationem, iam tale eſſe obiectiuum poſſet per ſe applicari Paternitati, quæ non foret hæc, quæ de facto datur: Ergo non procederet viſio per ſpecies *proprias*. Quartò intuitio vt talis, eſt de obiecto in ſingulari, nam formaliter tendit ea ratione qua obiectum poteſt exiſtere, actuque datur à parte rei. Hoc autem ſicut à parte rei euenire non poteſt phyſicè, niſi Paternitas identificet eſſentiam, ita nec intentionaliter. Vide pro hoc argumento quæ dixi ſect. præcedenti §. 19. omnia enim æquè huc aptantur.

31 Confirmantur, & explicantur hæc: vna perſona, verbi gratia, Paternitas, ita exiſtit intentionaliter in viſione, vt de Paternitate etiam prout ſubeſt illi viſioni, & ſecundum *eſſe* obiectiuum quod habet in illa poſſit eſſentia (& conſequenter Filiatio) prædicari; item vt Paternitas etiam vt delineata in viſione, ſi clarè explicetur, & ſi bene penetretur, etiam ſecundùm tale *eſſe* obiectiuum manifeſtet in ſuo conceptu formali eſſentiam; vti ſi ly *homo* conſideretur ſecundùm *eſſe* quod habet ſic confusè apprehenſus in cognitione, de ipſo ſic prædicari poteſt *animal rationale* non minùs formaliter, quàm de ipſo in *eſſe* rei) ergo nequit videri Paternitas, quin implicitè videatur eſſentia, & reliquæ perſonalitates. Conſequentia patet, vti ob hanc rationem nequit videri *homo*, quin videatur *animal rationale*: Antecedens probatur tum quia cum hoc modo cognoſcendi *implicitè* ſtat quod habens viſionem de Paternitate non poſſit reddere rationem de Filiatione, nec de eſſentia, vt dixi §. 22. de vidente colorem, & non penetrante conceptum *dependentia*; cum tamen certum ſit quod de colore etiam vt obiectiuè reſidet in viſione materiali ſit formaliter prædicabilis *dependentia*, etenim de colore vt ſubeſt viſui colligimus quod ſit *accidens creatum*, neque aliter illud conſideramus quando de eo prædicamus dependentiam quam vt eum experimur per ſenſus: tunc ſic, ſed viſio Beata ſolum eâ expreſſione priuari poteſt, qua reddat rationem explicitè de omnibus prædicatis diuinis: ergo nequit videri Paternitas, quin modo dicto videatur eſſentia. Præterea in cognitione intuitiua nequit intentionaliter exiſtere res, niſi ea ratione, qua poteſt phyſicè exiſtere; ideo viſio eſt de obiecto ſicut eſt in re; ideoque de chymæra nequit dari intuitio, implicatque quod quis videat, & affirmet: *Hirco-ceruus exiſtit*: Si autem viſio non attingeret Deum modo dicto, Deus non poſſet exiſtere phyſicè ea ratione, qua eſt in viſione, quare ly *Deus exiſtit* quaſi de impoſſibili, ſeu inepto ad exiſtendum diceretur. Denique phyſicè loquendo vna res non dicitur eſſe *ſicut alia*, ſi iſta plura prædicata contineat, quàm illa: ergo neque exiſtet intentionaliter A, ſicut B, phyſicè, ſi B, plura dicat phyſicè, quàm A, intentionaliter: ergo nequit Paternitas videri, quin implicitè videatur eſſentia: ergo quin videantur aliæ duæ perſonæ.

In cognitione intuitiua nequit exiſtere res niſi ea ratione, qua poſſit dari à parte rei.

Denique pro hac ſecunda parte huius ſecundæ concluſionis, quod ſcilicet nequeat videri vna perſona, quin implicitè etiam ex parte modi videatur alia, manifeſta mihi videntur verba Chriſti Domini Ioan. 14. verſ. 9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*, cuius veritatis idem Dominus rationem reddens addidit verſ. 10. *Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Verba, quæ ego loquar vobis, à meipſo non loquor. Pater autem in me manens ipſe facit opera.* Quaſi ideo videns Filium, Patrem etiam videat, quia vterque eſt eiuſdem naturæ, & eſſentiæ. *Qui me videt* (inquit S. Hilarius 7. de Trinitate) *videt & Patrem, quia vnius in Patre & Filio diuinitatis Sacramentum natiuitatis natura conſummat, dum Dei Filius non aliud, quàm Deus eſt.* Idem expendit Athanaſius in oratione contra Arrianos, *Quod ex Deo Deus eſt Verbum.* Nazianzenus oratione 49. Baſilius, Chryſoſtomus, & Cyrillus, cum & apud Eminentiſſimum Cardinalem Franciſcum Toletum, cap. 14. Ioannis, annotatione 11. referentem in identitatem naturæ, quòd nequeat Filius videri ſine Patre; in quam ſententiam Theologi omnes conſpirant. Tum ſic: ſed non ſufficit, vt ſimpliciter dicatur non poſſe videri vnam perſonam ſine alia, quod ex parte obiecti tantùm non detur præciſio Si enim verè in imagine ſeu *eſſe* intentionali, quod formatur per viſionem de Filio, verbi gratia, non reſplendent prædicata Patris, quid refert tale *eſſe* cadere ſupra vtrumque, vt dicatur, quod qui videt Filium,

32 *Expenditur locus Ioa. 14. verſ. 9.*

Hilarius. Athanaſ. Nazianz. Baſilius. Chryſoſt. Cyrillus. Toletus.

Filium, videt & Patrem? Videre enim non ſumitur penes id, quod eſt in obiecto, ſed penes id, quod eſt in *eſſe* intentionali viſionis. Sic cenſeo, quod per conceptum *ens* non attingatur per ſe Trinitas; (vnde qui reflectit ſupra talem conceptum, non cognoſcit in illo Trinitatem, quantumuis prædictum conceptum adæquate comprehendat, vt patet in Angelo comprehendente meam cognitionem naturalem de Trinitate.) Quantumuis ex parte obiecti ly *ens* cadat ſupra omnes differentias entis. Maneat ergo iuxta verba citata Chriſti Domini opus eſſe, vt qui videt vnam Perſonam, videat aliam implicitè, formetque de illa talem imaginem, & *eſſe* obiectiuum, vt de ipſa ſit prædicabilis tota Trinitas, & ſi poneretur â parte rei præciſè ſecundum apparentiam, quam habet in viſione in nullo differret à vera Trinitate, quam veneramur.

33 *Poteſt videri vna perſona quin explicite exprimatur alia.*

Hæc licèt ita ſint, adhuc mihi certa eſt tertia huius concluſionis pars, quod ſcilicet poſſit videri explicite vna perſona, quin ſic explicitè exprimatur alia; hoc adeo manifeſtum eſt vt probatione non egeat. Patet primò exemplo viſionis materialis, in qua licet ita delineetur intentionaliter color, vt de ipſo ſic prædicabilis ſit *dependentia à Deo*, adhuc iſta explicite non videtur. Secundò ipſa viſio beata non diſcernit, nec poteſt reddere rationem de pluribus decretis Dei liberis licet cum ipſo identificentur, ac de plutibus modis attributorum, ſeu prædicatis, & excellentiis Dei, neque enim ita expreſſe Beatus videt Deum eſſe *potentem* in particulari producere Petrum, ſicut videt Deum *exiſtere*. Tertio eſt ratio à priori ex conceptu intuitionis, & viſionis Dei *ſicuti eſt*; nam hæc ſolum petit, quod ſi obiectum ponatur a parte rei præciſè provt eſt in cognitione eo ipſo imbibat formaliter, reliqua omnia prædicata, nec diſſimile in vllo ſit vero obiecto; hoc autem ſine expreſſione explicita inueniri poteſt vt patet in conceptu *homo*, qui nondum explicite attingit Animal rationale, de quo latè dixi §. 31. & ipſæ res in ſe ſtatim nobis ſine diſcurſu ſe aperiunt vt ſenſibiles, non tamen ita *vt dependentes à Deo*, licèt iſte conceptus dependentiæ in ipſis formaliter includatur, vt de earundem conceptu formali ſunt vti ratio generica de ſpecie.

34 *Diſcrimen inter cognitionem intuitiuam & abſtractiuã quoad vim præſcindendi.*

Ex dictis infero hoc diſcrimen ad preſens inter cognitionem intuitiuam, & abſtractiuam; quod licèt neutra præſcindat ex parte obiecti, vt ſatis conſtat ex diſput.15. ſect.13. At abſtractiua poteſt perfectè præſcindere ex parte modi: ita vt nec implicite attingat cognitio abſtractiua aliam formalitatem identificatam, ſecus intuitiua, vt dixi à §. 29. Patet id primo à poſteriori, nam cognitio abſtractiua, quæ dicit: *Animal*: tale idolum, ſeu *eſſe* obiectiuum formatur æquè illud applicari poſſit Animali *rationali*, & *non rationali*, ſeu bruto; & puro Animali ſi daretur vt dixi §. 16. Secundò à priori conſtat ex differentia cognitionis intuitiuæ ab abſtractiua; nam illa non poteſt eſſe de ratione obiectiua in communi, quis enim dicat *exiſtit* de aliquo obiecto in communi. Ergo nec poteſt eſſe de vna formalitate, & non de alia identificata; hæc conſequentia patet, tum quia non magis identificatur ratio communis cum particulari, quam vna formalitas cum alia, tum etiam quia non magis eſt capax ad exiſtendum vna formalitas ſine alia, quam communis ſine particulari; tum denique eo ipſo quod vna formalitas verbi gratia immenſitas repræſentetur ſine æternitate talis immenſitas eſt quaſi ratio communis prædicabilis de æterno & non æterno. Confirmatur ex proprietatibus cognitionis intuitiuæ quod ſit per ſpecies proprias, de obiecto ſicuti eſt, in ſingulari, & per modum exiſtentis de quo plura §.19.30. & 31.

SECTIO V.

Proponuntur & ſoluuntur ſpeciales obiectiones contra concluſiones datas à me in ſectionibus tertiâ, & quartâ.

35 *Quæ obiectiones hic ſint præcipuæ.*

QVæ contra primam concluſionem in ſect. 3. ſpecialiter obiici poſſunt formalius militant contra ſecundam in ſect. præcedenti, ſi enim nequit videri vna perſona ſine alia à fortiori nequibit intuitiuè cognoſci vnum attributum ſine alio. Solum poſſet quis contendere circa attributa ea omnia neceſſario videnda non ſolum ex parte modi implicite, ſed etiam explicite, quantumuis vna perſona ſine alia explicite cognita videatur, ſed de hoc in fine huius ſectionis. Prius videamus quid contra impoſſibilitatem videndi vnam perſonam ſine alia obiiciatur, & quia ego nego, non ſolum præciſionem obiectiuam, ſed etiam ex parte modi perfecti, contra hanc partem militabunt hic obiectiones, alia enim ſatis impugnata eſt, & propugnata diſp.15. ſect.22.

36 *Authores abſolute affirmantes poſſe videri vnam perſonam ſine alia.* Scotus. Salas. Palud. S. Anton. Palacios. Martinon. Arriaga Alarcon. Granado. Smiſing.

Primo igitur obiicitur ex Authoribus, qui abſolutè affirmant poſſe videri vnam perſonam ſine alia. Scotiſtæ cum Scoto 1. diſt. 1. quæſt. 2. §. *quantum ad iſtum articulum.* Salas 1. 2. tract. 2. diſp. 4. ſect. 3. concluſ. 3. §. 26. Paludan. 4. diſtinct. 49. quæſt. 3. art. 3. S. Anton. 3. part. titul. 30. cap. 4. §. 2. Palatios. 1. diſtinct. 1. diſput 3. P. Ioan. Martinon. 1. part. diſputat. 3. ſect. 6. num. 37. Arriaga 1. part. diſput. 9. ſect. 4. Alarcon, Granados, & Smiſing. citati ſupra §. 14. Obiicitur inquam primo ex his Authoribus. Dum viſio dicit *Paternitas non eſt Filiatio.* Si propoſitio iſta non ſolum ex parte rei, & obiecti: ſed etiam ex parte modi caderet ſupra eſſentiam, talis propoſitio foret falſa, nam veritas propoſitionis negatiuæ requirit quod prædicatum negatum non conueniat ſubiecto ſaltem vt apprehenſo ex parte modi. Ergo cum certum ſit eſſentiæ conuenire eſſe Filiationem ſi *eſſentia* etiam (ſaltem implicitè) ex parte modi attingitur, illa propoſitio erit falſa. Confirmatur primo in cognitione de *homine* de quo nil dici poteſt, quod non conueniat animali rationali, quia animal rationale implicitè ſub conceptu *homo* continetur. Confirmatur ſecundo etiam in Deo, nam cognitio quæ ſit ex parte modi abſtractiua, licèt implicite, de eſſentia non poteſt negare Filiationem, neque enim dabitur aliqua imago intentionalis in qua ſit implicite eſſentia, & de ipſa vt ſic poſſit negari Filiatio.

37 *Explicatur veritas huius enunciationis: Paternitas non eſt Filiatio, licet ex parte modi attingatur eſſentia.*

Hoc argumentum, qua parte intendit ex parte obiecti non attingi per illam propoſitionem *Paternitas non eſt Filiatio*, eſſentiam diuinam, ſatis ſolutum eſt diſput.15. à §.206. qua parte vero intendit non attingi ex parte modi etiam per cognitionem intuitiuam, ſeu viſionem, vt liberetur à falſitate. Reſpondeo non obſtante implicita attingentia *eſſentiæ*, veritatem immunem perſiſtere; nam ea ratione qua implicite attingitur *eſſentia*, implicite etiam attingitur identitas, & affirmatur per illam

illam propoſitionem; formatur enim quaſi idolum imago, ſeu *eſſe* obiectiuum Paternitatis, qualis ipſa eſt, & conſequenter quæ quoad deitatem identificetur, quoad relationem verò diſtinguatur à Filiatione, quare licèt quoad expreſſionem ſolùm exprimatur diſtinctio quia ſolùm explicitè tangitur relatio Paternitatis, at implicitè etiam identitas continetur in illo idolo, vt ſi poneretur à parte rei, vti in mente delineatur cum identitate, & diſtinctione appareret, neque poſſit vlli applicari niſi trino, & vni. Ex quo nulla falſitas eſt in tali viſione ſolum enim menſuranda, & attendenda eſt conuenientia prædicati cum ſubiecto ſecundùm modum, quo vtrumque tangitur, vt ſcilicet prædicatum affirmatum explicitè conueniat ſubiecto explicito, implicito autem ſubiecto ſufficit conuenientia prædicati impliciti, & in negatione ſufficit pro eius veritate ſimilis diſconuenientia. Hinc ergo non eſſe Filiationem conuenit Paternitati, quæ exprimitur in illa propoſitione; eſſe verò Filiationem quod ibi implicitè tangitur, & prædicatur conuenit eſſentiæ ibi implicitè contentæ. Confirmatur nemo dicet hanc propoſitionem explicitam eſſe falſam: *Eſſentia eſt Filiatio*, *Paternitas non eſt Filiatio* dum Beatus ſimul ſimplici viſione vtrumque enunciat explicitè; vt patet in Deo ſimilia enunciante, nec tamen præſcindente) ideo ſcilicet quia prædicata cadunt proportione, & diſtributione accommoda: ergo à fortiori hic ly *diſtinguitur à Filiatione*, vel *non eſt Filiatio*: ſolùm cadet ſupra Paternitatem non verò ſupra eſſentiam, patet conſequentia, tum quia eſſentia hic ſolùm implicitè tangitur, non autem explicitè, ſicut in caſu poſito; tum etiam quia hic etiam correſpondet ſuum prædicatum proportionatum implicitum eſſentiæ; ſicut enim iſta attingitur implicitè ob identitatem cum ſubiecto, nempe cum Paternitate; ita ſub ly *non eſt Filiatio* attingetur implicitè *eſſe Filiationem*, ſeu identitas Filiationis cum eſſentia, quę identificatur cum non identitate, ſeu diſtinctione Filiationis à Paternitate, ęquè enim Filiatio habet eſſe naturā, ac non eſſe Paternitatem.

Veritas propoſitionis quam conformitatem petat prædicati cum ſubiecto.

38 In eiuſdem doctrinæ confirmationem etiam facit quod negari non poſſit, ſaltem de poſſibili, viſio etiam explicitè attingens Paternitatem & eſſentiam, ex parte tamen prædicati ſolùm dicens: *Paternitas non eſt Filiatio*, nec enim opus eſt vt omnia, quæ conueniunt ſubiecto, explicentur in prædicato: Ergo à fortiori in præſenti, vbi viſio explicitè non tangit eſſentiam hæc propoſitio, *Paternitas non eſt Filiatio*, vera perſiſtit. Dices, ſub ly *Paternitas* attingitur etiam eſſentia? Ergo de eſſentia dicitur *non eſt Filiatio*, nam de toto, quod correſpondet ex parte ſubiecti, dicitur prædicatum. Reſpondeo iuxta dicta §. præcedenti, totum prædicatum debet cadere ſupra ſubiectum, non tamen ſupra quamlibet illius partem. Sic dico: *Homo eſt corpus & anima*, quod prædicatum non cadit ſupra quamlibet partem hominis, ſed ſupra totam entitatem diſtributione accommoda. Iam in noſtro caſu prædicatum *non eſt Filiatio* non tantùm implicitè tangit *non eſſe*, ſed etiam *eſſe Filiationem*, vt patet ex nuper dictis. Tum ſic: hoc *non eſſe Filiationem*, quod non eſt purum *non eſſe*, ſed etiam *eſſe*, bene cadit ſupra eſſentiam & Paternitatem, non quidem, cadente prædicato ſupra eſſentiam ſolum, vel ſupra Paternitatem ſolum, ſed ſupra vtramque ſimul diſtributione accommodā, vt eſſentiæ applicetur *eſſe* & Paternitati *non eſſe*

Explicatur in caſu poſſibili.

Quo pacto de toto ſubiecto dicatur prædicatum.

vnde nulla eſt falſitas, vt apparet in viſione, quam de facto habent Beati, quæ præciſiua non dicitur, & cum enunciat, *Paternitas non eſt Filiatio*, ſub ly *non eſt*, explicat *eſſe* de eſſentia. Replicabis: hæc prædicatio eſt falſa: *eſſentia non eſt Filiatio*, quantumuis iuxta me ly *non eſt* dicat ſimul eſſe & non eſſe, vt explicui: ergo ſimiliter hoc non obſtante hæc erit falſa, *Paternitas non eſt Filiatio*, ſi ſub ly *Paternitas* etiam ex parte modi tangitur eſſentia. Reſpondeo, concedo antecedens, & nego conſequentiam, nam vt propoſitio ſit falſa ſufficit quod immutet diſtributionem accommodam, vt in propoſitione obiectā, in qua ex *non eſſe*, *& eſſe Filiationem* ly *non eſſe* applicatur eſſentiæ contra veram diſtributionem, quemadmodum licèt in ipſa expreſſione ex parte modi expliciti vera ſit propoſitio, quæ exprimens ſimul Paternitatem & eſſentiam dicit ſolùm *Paternitas non eſt Filiatio*, vt notaui initio huius §. vel etiam quæ indiuiſibiliter diceret, *Paternitas non eſt Filiatio*; *Eſſentia eſt Filiatio*, ſecus ſi inuerteretur ordo vt diceret *Eſſentia non eſt Filiatio: Paternitas eſt Filiatio*, ex quo ſatis patet ad hanc primam obiectionem.

Bona replica.

Occurritur.

Ad confirmationes, quibus vrgetur: Reſpondeo ad primam ideo nil poſſe dici de homine, quod etiam non dicatur de animali rationali, quia hoc non vtcumque inuoluitur implicitè ſub ly *homo*, ſed omnino adæquatè, & conuertibiliter, vt ſcilicet ly *homo* nil includat realiter diſtinctum in ſe immediatè, nec mediatè quatenus dicat aliquid quod diſtinguitur realiter in tertio. At *Paternitas* ita implicitè imbibit eſſentiam, vt imbibat aliquid identificatum cum eſſentia, quantumuis id ſit realiter diſtinctum à Paternitate; ex hoc ergo locus datur, vt prædicatum negatum de Paternitate, non ſit opus negari etiam de eſſentia: licèt quidquid negatur de homine negetur etiam de animali rationali. Quod inſtatur ſaltem in ſenſu reali, & identico, in quo ſine dubio correſpondet eſſentia. nec tamen identitas cum Filiatione vllo modo negatur. Ad ſecundam confirmationem primo fateor poſſe dari cognitionem abſtractiuam, quæ neque ex parte modi impliciti ſit de Paternitate, quia ſcilicet in ea ita eſt ſolùm intentionaliter delineata eſſentia, vt queat applicari non Patri, vel è contra ita obiectiuum *eſſe* Paternitatis datur, vt per ſe applicari poſſit Paternitati putæ ſi daretur, vt dixi de conceptu *animal* §. 3. Cæterum non ideo hoc permittendum eſt conceptui intuitiuo, vt notaui §. 34. iſte enim format imaginem intentionalem ſimilem ſicut eſt obiectum in eſſe reali. Secundò, addo non eſſe cur implicet aliquis conceptus abſtractiuus, in quo implicitè contineatur non ſolùm relatio, ſed etiam eſſentia; vti datur in quo non ſolùm rationalitas, ſed etiam animalitas ex parte modi implicitè inueniatur, talis fortè eſt nomen *Deus*, vel *Pater*, & de hoc benè negatur Filiatio, & affirmatur qua *Deus*; Deus enim idem eſt Filius. 39

Ad confirmationes in §. 36.

Obiicies ſecundo; Qui videt vnam perſonam non ideo videt ex parte modi eam vt diſtinctam ab alia: ergo non videt neque implicitè aliam. Conſequentia probatur tum quia non minus identificatur cum Paternitate *eſſe diſtinctam* à Filiatione, verbi gratia, quam identificetur cum Paternitate ipſa eſſentia, ſeu identitas mediata cum Filiatione. Si ergo primum latere poteſt viſionem, quantumuis ſit ſicut obiectum, etiam & ſecundum: tum etiam implicat cognoſci Filiationem vt talem ex parte modi, quin concipiatur diſtincta; 40

V. qui videat vnam perſonam videat aliam vt diſtinctam?

Ratio negandi.

imo cognoſci *aliam* perſonam à Patre, eſt cognoſci perſonam diſtinctam, quid enim eſt eſſe *aliam*, niſi eſſe diſtinctam? Antecedens etiam probatur à paritate viſionis materialis, quæ videt quantitatem, lucem, colorem, & gradus intenſionis, quin eos ex parte modi diſtinguat. Confirmatur cognitio intuitiua vt patet in oculo corporeo plura confundit, licèt in ſe diſtincta realiter, vt patet in inſtantiis adductis; & in partibus coloris diſtantis. Ergo ſimiliter viſio beata non obſtante quod procedat intuitiue poterit cognoſcere Deum, quin cognoſcat vt *trinum*.

41 *Affirmandum eſt.*

Reſpondeo, nullam viſionem poſſe dari de vna Perſona, quin implicite etiam ex parte modi attingat aliam, quatenus ſcilicet tale eſſe obiectiuum formatur intentionaliter in eâ viſione, vt quantumuis explicite non diſcernatur pluralitas, at applicari non poſſit prædictum eſſe obiecto reali, quod phyſicè non ſit Trinum, ſed potius Trinitas prædicabilis ſic etiam formaliter de tali eſſe obiectiuo eo pacto, quo id ſæpius explicui, maxime in §.31. aliter enim non erit viſio intuitiua, nec per ſpecies proprias veræ Paternitatis, ſiquidem vera & realis Paternitas non ita ſe habet phyſice, ſicut ſe haberet in tali viſione. Et idem proportionate cenſeo de viſione corporeâ, per hanc enim, licèt non diſcernatur explicitè diſtinctio quantitatis, lucis, *&c.* At tale idolum formatur de luce, vt ipſum applicabile non ſit obiecto, quod diſtinctionem phyſicè non haberit niſi dicamus quod aliquando viſio in ſe ita debilis, & remiſſa ſit vt non formet idolum de quantitate, & colore, qui exiſtit, ſed de alia per cuius ſpecies procedit, vt quando videntur colores in iride, vel globus Solis apparet vt paruus. Nihilominus licèt implicite attingantur per viſionem coloris aliquando partes diſtinctæ, & per viſionem beatam diſtinctio Perſonarum, de ea tamen diſtinctione nequit quis reddere expreſſam rationem vt oſtendi concluſione ſecunda in tertia parte illius. §.33.

42 *Obiectiones ne poſſit vna perſona videri ſine alia etiam explicitè.*

Contra quam obiici poteſt tertio (alia enim quæ obiici poſſunt vt videri queat vna perſona ſine alia conſtabunt ex ſect. ſequenti) non poſſe videri per viſionem beatam vnam perſonam, quin explicite exprimatur alia. Nam non videtur ſimpliciter obiectum, quod ita confuſe proponitur, vt nequeat quis reddere rationem de illo. Primò ideo dum video hominem à longè venientem ſolum dicor cognoſcere vt *animal* non vt rationalem, licèt ex parte obiecti etiam rationalitatem videam. Secundò dum Chriſtus Dominus dixit Ioan. 14. *Qui videt me, videt & Patrem* eum modum videndi Patrem dixit neceſſario ineſſe videnti Filium, qui nunc euenit in Beatis; nunc autem explicite videtur Pater; alioqui quid referret videre Patrem ſi nondum quis poſſet exprimere qualis ſit ſic enim iure Philippus reſponderet Domine quantumuis te ſciamus, ignorare adhuc poſſumus quis & qualis ſit tuus Pater? Tertiò vbi poteſt videri vna Perſona explicite quin ſic explicite videatur alia, iam trinitas non videbitur *ſicuti eſt in ſe*, nam in ſe æque habet Deus eſſe Patrem, ac eſſe Filium. Quartò ſi poteſt videri Paternitas quin videatur explicite eſſentia, & vnum attributum ſine alio. Ergo etiam poterit Deus per viſionem attingi, quin attingatur vt *exiſtens*, & quin attingatur explicite *vt ens reale* hoc autem eſt impoſſibile, quis enim apprehendere poteſt, quod videns Deum nequeat reddere rationem de eius exiſtentia, realitate, imo & Deitate, &c.

Reſpondeo, qui videt omnia prædicata rei implicite etiam ex parte modi ſimpliciter cognoſcit totam rem, vt poſſit reddere rationem de omnibus prædicatis, licèt non in abſtracto, & generaliter; at particulariter, & in concreto, per eam nempe rationem, quæ ratio, quæ alias imbibat modo explicato §.12. Ad primam inſtantiam in contrarium dico in cognitione *Animal* neque implicite contineri in modo obiectiuo ſeu ſecundum *eſſe* obiectiuum intentionale: *rationale* cum per ſe æque applicari poſſit non rationali vt dixi §.16. hic autem aliter euenit cum viſio comparetur conceptui *homo* comparato reſpectu *Animalis rationalis*. 43

Quomodo beatus reddat rationẽ de omnibus prædicatis intrinſecis, licèt non de extrinſecis connotationibus vt dico diſp. 32. §. 8. & hic §. 49.

Ad ſecundam inſtantiam in §. 42. Reſpondeo qui videt Filium iuxta præſentem prouidentiam explicite etiam videt & Patrem: iuxta illationem autem neceſſariam, (ad quam attendit Chriſtus Dominus dum reſpondit Philippo, ſiquidem recurrit ad immanentiam, qua Pater eſt in Filio.) Ideo qui videt Filium, videt & Patrem quia conceptus, quem intentionaliter format in ſe etiam Paternitas eſt, nec poteſt applicari Filio, qui non habeat naturã Patris. Vnde *Patrem* videt, quaſi in concreto, licet non inabſtracto, videt per ſe conceptum, qui imbibit Paternitatem formaliter, licèt non ſub hac voce. Vnde merito arguitur Philippus eo quod vellit habere quaſi de re diſtincta notitiam, quando eam perfectè, & intuitiue formaſſet de Filio; tunc enim iam non indigeret notitia de nouo obiecto, ſed ſolum notitiâ clariore; ſic videns albedinem inepte vt quid nouum quæreret videre *effectum Dei: formam inhærentem, accidentalem*, &c. nam in colore hæc omnia formaliter continentur, & in viſione coloris formatur talis imago obiectiua, vt de ipſa formaliter prædicabile ſit *eſſe effectum*, Dei, *accidentalem* &c. Nullique rei, quæ talis non ſit, ſit per ſe applicabilis. Sic optime dicitur videnti *hominem*, vidiſſe animal rationale, licèt forte non ita claram habuerit primam viſionem. 44

Qui videt Filium quo pacto opus ſit vt videat Patrem.

Ad tertiam inſtantiam in §. 42. Reſpondeo in obiecto reali, & phyſico nil eſt potius *implicitum*, quam *explicitum* hæ enim voces ſunt relatæ ad conceptus intentionales, quomodocumque autem ſit in mente ſeu conceptu intentionali talis imago, & delineatio vt alteri applicari nequeat, vt nec per impoſſibile applicari, & conuenire nequeat obiecto non trino: iam ſignum eſt quod trinitas ſicut eſt in ſe delineëtur; alias ad quid opus foret vt obiectum nempe Deus eſſet huius Trinitatis, quæ nunc eſt, vt ipſi imago iſta conueniret? 45

A parte rei nil eſt potius implicitum quam explicitum.

Ad quartam inſtantiam in eodem §. Reſpondeo, vt ſæpe dixi cognitio intuitiua ſaltem implicite attingit omnia attributa, quatenus talem ideam de Deo format viſio beatifica vt ſi Deus poneretur à parte rei ad modum, quo eſt in mente poneretur continendo reliqua omnia prædicata, & perfectiones. Hinc opus eſt vt etiam explicitè appareat *vt aliquid*, ſeu *ens reale*, & *exiſtens*, ſiquidem debet aliquis conceptus exprimi, qui reliquos contineat; hoc autem non eueniet, ſi ſaltem exiſtentia non exprimatur, quod enim non eſt *exiſtens*, nihil actu continere poteſt. Continentur quidem in vno prædicato non exiſtente, alia quæ etiam ab exiſtentia præſcindant, vt in homine, animal rationale, at ipſa formalis exiſtentia exercita non magis poteſt imbibi formaliter in conceptu, qui non apparet vt exiſtens, quam poſſit ens rationis continere, & implicitè imbibere 46

Non ſolum implicite ſed etiam explicite videndus eſt Deus per viſionem vt exiſtens.

Nequit in conceptu non exiſtentis implicite imbibi exiſtens.

imbibere ens reale. Vnde etiam puto tantam eſſe excellentiam Dei, vt niſi explicitè formetur idea deitatis, ſeu idea ſupereminens omni creatæ entitati nunquam ſatis conceptum proprium formari de Deo poſſit.

SECTIO VI.

Soluuntur fundamenta ſententiarum in ſectione ſecundâ prout oppugnant concluſiones poſitas.

47 Sententiæ poſitæ in ſect. 2. facilè poſſunt componi vt negent viſionem explicitam de vna perſona, vel attributo, quando videtur alia; affirment verò neceſſariam eſſe implicitam etiam ex parte modi; ſi autem Authores intendant maiorem præciſionem, quam explicitam, vel etiam velint maiorem incluſionem, quam implicitam reijciendi ſunt vt ſatis ex dictis conſtat. Fundamenta pro prima ſententia pro neceſſitate videndi omnia etiam explicitè debilia ſunt.

Componuntur contrariæ ſententiæ.

48 Ad 1. in §. 9. reſpondeo per ipſum ſolùm probari attingentiam implicitam, per id enim iam habet imago intentionalis eſſe *ſicut* obiectum reale, ad quam ſimilitudinem per accidens eſt expreſſio; ſiquidem in eſſe rei obiectum nil habet expreſſionis vt notabam §. 45. ſic vna albedo in eſſe rei eſt ſimilis omnino ſicut alia, quin tamen exprimat in ſe vllum prædicatum provt in eſſe rei perſiſtit.

49 Ad 2. in §. 10. reſpondeo poſſe etiam ex parte modi impliciti videri relationem, & connexionem, quin tamen exprimatur eius terminus, imo nec attingatur etiam realiter, & identicè, relatio namque ſolùm vt explicitè cognita ducit in notitiam termini; ſic conceptus *homo* licèt imbibat animal rationale, ſeu principium, & connexionem cum diſcurſu. At communiter non concipitur in ordine ad diſcurſum, ſed ad hæc accidentia ſenſibilia, & in colore, licèt etiam attingatur accidens, (quis enim neget viſionem corpoream ad accidens formaliter terminari, licèt non in communi, & abſtractè, ſed contractè, nempe ad ſpeciem peculiarem accidentis?) nihilominus nec realiter attingitur *inhærentia* quam accidens connotat. Nihilominus connexio identitatis ſi videtur ſicut eſt in ſe, nequit attingi ſine eius termino, cum per ipſum conſtituatur intrinſecè in ſe: At ſicut viſio Dei non exprimit *connexionem* non erit opus vt exprimat terminos, ſeu attributa. Hinc ad confirmationem (quæ non probat de vno attributo cum alio comparato, quod non eſt de eius conceptu formali) dico cognoſci omnia implicitè ſolum vt dum videtur *homo* videtur animal rationale; quo exemplo ſæpiùs explicui meam concluſionem.

Qui videt connexionem vel relationem non tenetur ſemper videre terminum extrinſecum; bene tamen intrinſecum identitatis.

50 Ad 3. in §. 11. fateor rationem videndi explicitè in Deo potiùs vnam perfectionem vel perſonam, quam aliam non oriri ex diuerſitate connotatorum, ſed ex modo intrinſeco tendendi formante clariorem, vel minus claram ideam Dei explicitam. Ita contingit in intuitione coloris, quæ ſemper implicitè format ideam intentionalem de omnibus prædicatis coloris, in qua idea implicitè formaliter continetur dependentia à Deo, adhuc tamen iſte reſpectus ad Deum nondum aperitur per quamcumque intuitionem, vebi gratia, corpoream vel corporeæ proportionatam, niſi alia intuitio ex ſuo modo tendendi expreſſo prædicatum *dependentiæ* explicitè in ſe delineet, ſeu repræſentet.

Quod potiùs videatur in Deo vna perfectio, quam alia non oritur ex connotatis.

Ad quartum fundamentum, quod ex duplici abſurdo ſumitur reſpondeo: Ad primum per viſionem Beatam tantam aperiri perfectionem Dei neceſſario, vt non poſſit non exprimi *potentia, ſcientia, & vita*; eſt enim impoſſibile quod formetur idea Dei propria, & tamen habenti notitiam, penetrantique terminos non ſtatim appareat Deum truncum non eſſe, ſeu ſtatim non appareat viuentem eſſe, hæc enim diſcretio viuentis à non viuente adeò notabilis eſt vt non poſſit non notari per cognitionem quidditatiuam, & propriam obiecti; alia ratio eſt ne exprimatur alia prædicata, vt quod Deus ſit *ſciens huius determinati obiecti* hoc enim prædicatum ſatis includitur implicitè in vniuerſali attributo *ſcientiæ*; ſciẽtia autẽ non apparet quo pacto poſſit in aliquo prædicato formaliter claudi, quod non exprimatur vt *ſciens*. Addo ſi tibi magis placeat ſecunda ſolutio) nullum abſurdum eſſe ſi Deus explicitè non exprimatur per omnem viſionem in ratione *ſcientis* ſatis enim eſt quòd per viſionem formetur talis idea de Deo, quæ conuenite nequeat niſi obiecto ſcienti; viuenti diſtincto à trunco, &c. vti id explicui §. 17. Neque tunc ſimpliciter erraret qui ſic videret Deum per hanc viſionem, ita debilem & imperfectam, adhuc enim negare de Deo nequiret *vitam*, niſi ad ſummum nomine tenus, quemadmodum qui affirmat de Petro eſſe hominem non poteſt negare eſſe animal rationale ſi hos terminos, & quid per illos denotetur percipiat. 51

Intuitio Dei neceſſario exprimit Deum vt viuentem, licèt non vt cum hac cognitione particulari.

Licèt formaliter explicitè non diſcernat Deũ à non ſciente, at ſi ipſi proponeretur aliquid non ſciens, tunc Beatus ex vi viſionis ſatis ab eo diſtingueret Deum vt dico §. 54.

Hinc ſecundum abſurdum in §. 12. facilè ſoluitur, etenim manifeſtum eſt Deum non poſſe confundi cum creatura, ſi taliter delineetur in viſione, vt eius imago intentionalis nulli creaturæ poſſit applicari, ſi enim eo ipſo quod imago ſit propria Dei non poteſt applicari *non Deo* etiam formaliter & per ſe loquendo, (vnde nequit applicari *immenſo*, quod non foret per impoſſibile æternum) multò minùs applicari poterit creaturæ, quæ realiter eſt *non Deus*. Tunc ſic, ſed vt confunderetur Deus cum creatura, opus erat vt idea quæ applicatur Deo communis foret creaturæ: Ergo ſimpliciter, & abſolutè implicat quod Deus per viſionem intuitiuam confundatur cum creatura. Dices licèt non implicitè, at explicitè poteſt Deus videri ſub ratione communi cum creaturis, poteſt enim videri Deus, quin exprimatur vt æternus, verbi gratia, vnde loquendo de viſione vt explicita, videtur ſub ratione conuenienti per ſe *non Deo*, ſeu non ſatis diſtinguente ipſum à non Deo: Ergo ſimiliter poterit Deus videri quin exprimatur niſi ſub ratione communi cum creaturis. Reſpondeo eo ipſo quod *implicitè* (etiam ex parte modi) formetur idea propria Dei iam dari in Beato ſufficientem notitiam, vt ſub nulla ratione explicita confundatur cum creaturis, vt enim ſimpliciter tollatur confuſio, deturque ſimpliciter diſcretio ſufficit hæc implicita attingentia ex parte modi, ideo conceptus *homo* quantumuis confuſus nequit applicari obiecto, quod non ſit *animal rationale*. 52

Implicat quod Deus confundatur cum creatura.

Nec ſub ratione explicita.

Quare ſtet ſimpliciter implicare omnino contradictionem, quod Deus ita videatur ſub ratione confundente Deum cum creatura; vt Beatus non diſcernat Deum à quolibet alio obiecto, quod probari poteſt ex ipſo conceptu intuitionis, quod ferri nequit in rationem communem, vt notaui hic §. 34. ſicut enim implicat quod exiſtat aliquid in communi, ita pariter implicat quod per cognitionem propriam, & quidditatiuam de aliquo prædicato in communi dicatur *exiſtit*. Rurſus po-

De ratione communi non poteſt dari intuitio.

tentia quæ attingit aliquam rationem in communi connaturaliter, eodem pacto, quo conceptum ſic communem percipit, deſcendere poteſt ad differentias particulares illius, quin ſit ſupra eius vires eodem tendendi modo attingere differentias particulares, quo attingit conceptum communem; Sic quia intellectus viribus propriis attingit abſtractiuè rationem communem entis, etiam ſic abſtractiuè poteſt omnes particulares, & ſenſui communi vti connaturaliter ſubeſt intuitiuè cognoſcendum obiectum ſenſibile; ita & quodlibet in particulari ſenſibile. Ergo ſi poſſibilis eſſet viſio, quæ confunderet Deum cum creatura, potentia quæ ſufficeret ad illam viſionem ſufficeret etiam ad diſtinguendum expreſſe Deum, & intuendam eius differentiam: tunc ſic ſed potentia ad illam viſionem ſic confuſam eſſet naturalis, non enim requiritur ſpecies, aut virtus ſupernaturalis ad cognoſcendum obiectum, quod poſitiue non cognoſcitur vt ſupernaturale, ſeu non diſcernitur à naturali. Ergo potentia ad videndum Deum clarè, & quidditatiuè vt talem, eſſet naturalis, vnde poſſibilis eſſet viſio naturalis Dei propria, contra dicta diſputatione 26.

Potentia quæ connaturaliter tangit rationem cōmunem eodē modo poteſt particulares.

54 Igitur viſio Dei quantumuis expreſsè non neceſſario declaret omnes perfectiones, & prædicata Dei; opus tamen eſt vt talem ideam de Deo faciat vt ipſum diſcernat à quolibet alio quod aliter ſe habeat ſiue per poſſibile, ſiue per impoſſibile: verbi gratia Beatus videns Deum non ſtatim dicit: *hoc obiectum eſt potens producere Petrum.* At viſo alio obiecto non potente producere Petrum, ſtatim ex vi viſionis appareret Beato diſtinctio inter vtrumque & à fortiori diſtinctio à non ſapiente, viuente, trunco *&c.* vt dixi §. 51. Qua propter ſatis conſtat non poſſe Deum confundi cum creatura, ad id enim opus erat quod talis eſſet viſio de Deo vt etiam creatura viſa, inter vtrumque obiectum creatum ſcilicet & increatum diſcernere non valeret Beatus. Forte dices, qui elicit actum *amoris naturalis* verbi gratia intuitiuè & quidditatiuè percipit eius exiſtentiam, ſiquidem eum experitur; experimentalis autem notitia intuitiua eſt, ſiquidem tendit ad eius obiectum per modum *præſentis*, *&* *exiſtentis.* Arqui ſic experitur ſuum amorem naturalem, eum nondum diſcernit à ſupernaturali; alioqui ſciremus quando amor noſter verbi gratia contritionis naturalis, vel ſupernaturalis ſit. Ergo rectè ſtat cognitio quidditatiua, & intuitiua de aliquo obiecto, quæ ipſum cum altero confundat, ſeu nequeat ipſum ab altero diſcernere, & conſequenter ſimilis viſio poſſibilis erit de Deo. Reſpondeo cognitionem experimentalem de propriis actibus non eſſe nobis quidditatiuam, alias in corpore quidditatiuè cognoſceremus obiecta ſpiritualia, imò potentiæ corporeæ obiectum ſpirituale ſubeſſet. Anima enim rationalis, etiam per actus materiales ſe exiſtere percipit, neque enim impotentior eſt, vt ſe amet, & conſequenter cognoſcat per actus materiales, quam brutum; bruta autem ſine dubio ſibi amant bonum cibi, *&c.* Deinde etiam eſt ratio ne putetur anima rationalis cognoſcere quidditatiuè ſuos actus, ſiquidem ipſos dum eſt in corpore per ſpecies corporis, ſeu ad modum corporis apprehendit: Vnde potius retorquetur argumentum, ne poſſit viſio quidditatiua confundere ſuum obiectum cum alio, nam quia anima rationalis non diſcernit clarè differentiam ſuorum actuum ſpiritualium à materialibus, quia certa & ſecura non eſt ſpirituales eſſe ex vi cognitionis immediatæ in ipſos; ideò non dicitur quidditatiuè eos cognoſcere. Ergo cognitio quidditatiua debet eſſe diſcretiua ſui obiecti à quolibet alio. Vnde ad obiectionem reſpondeo cognitionem hanc experimentalem quantumuis aliquo pacto tendat per modum *præſentis*, & *exiſtentis*, ſicque vocari poſſit intuitiua, ſimpliciter tamen *intuitiuam* non eſſe, nec quidditatiuam, quæ enim intuitiua eſt ſimpliciter & quidditatiuè (de qua hic agimus reſpectu Dei, ſiquidem Deus nobiſcum comparari nequit vt operatio, ſed vt purum obiectum) independenter ab eo quod obiectum ſit operatio videntis, & cognoſcentis quidditatiuè procedit.

Viſio Dei neceſſario Deū diſcernit ab omni alio non Deo ſibi propoſito.

Exprimit Deum ſecundum prædicata, quæ formaliter illum diſtinguunt ab omni eo quod non eſt ipſe.

Cognitio experimentalis non diſcernit prædicata operationis, licet eam operans vt exiſtentem experiatur.

Cognitio experimentalis de noſtris actibus non eſt quidditatiua.

Anima ſe aliquo modo cognoſcit per actus materiales.

Quidditatiua debet eſſe diſtinctiua ſui obiecti ab omni non ipſo.

55 Nunc reſpondendum eſt ad argumenta pro ſecunda ſententia quatenus intendunt poſſe videri vnum attributum, ſeu perſonam ſine alia etiam ex parte obiecti: Pro qua ſententia præter Authores citatos eſt etiam Raphaël Auerſa in præſenti quæſt. 12. ſect. 13. verſu, *Dico ergo primò* nullo tamen vtens nouo argumento præter dicta §. 13. Ad primum ergo reſpondeo, Patrem pro priori ad generationem Verbi nullo modo præſcindere à Filiatione, ſed æquè immediatè formaliter, & expreſsè ſicut videt eſſentiam, videre etiam Filiationem; neque obeſt conceptui intuitionis quod eius obiectum nondum ſit pro illo priori; ad intuitionem namque præſentia *in quo* attendenda eſt, non autem præſentia inſtantis *a quo* vt amplius dicam in tractatu de Trinitate vbi ſtatuam Verbum procedere, non ſolum ex cognitione intuitiua eſſentiæ ſed etiam ſui ipſius.

Raphaël Auerſa tuetur ex parte obiecti poſſe videri eſſentiam ſine perſonis.

Pater pro priori originis intuitiuè videt Filiationem.

56 Alia fundamenta in eodem §. 13. facilius ſoluuntur ex dictis. Ad 2. ſatis patet ex §. 25. & ſequentibus: item ex diſput. 13. ſect. 22. quod potius permittenda ſit præciſio in ratione *producti*, vel *vniti*, ſeu cur potius quoad hæc prædicata detur contradictio, verificeturque in Deo ratione diſtinctionis realis in tertio, quam contradictio in ratione *cogniti* & *viſi.* Ad 3. in eodem §. 13. licèt vna perſona diſtinguatur realiter ab alia; non ideo poterit ſine alia cognoſci, nam in primis eſt diſcrimen generaliter loquendo, vt potius diſtinguatur res ſi relatiua ſit in *eſſe* quam in *cognoſci*, vt patet hic ex §. 15. Deinde ſpecialis ratio eſt in vna perſona reſpectu alterius quando cognoſcitur per viſionem intuitiuam, nam cum vna perſona, quantumuis diſtincta ſit ab alia, mediatè tamen; hoc eſt in eſſentia identificetur cum alia; opus erit vt in viſione ſic appareat cum hac mediata identitate; aliter enim non apparebit *ſicuti eſt.* Eo autem ipſo, quod viſio repræſentet in patre inueniri eandem eſſentiam cum Filio, opus eſt vt vtrumque cognoſcat. Ad quartum latiſſimè reſpondent in hac diſp. ſectio 4. & 5. & in diſput. 15. ſectione vigeſima ſecunda à §. 206.

57 Iam vero Tertia ſententia in §. 14. Quantumuis neget præciſionem obiectiuam vnius perfectionis, vel perſonæ Diuinæ ab alia, ſi tamen velit ex parte modi poſſe perfecte præſcindi, & videri vnam perfectionem Diuinam ſine alia etiam reiicienda eſt, vt ſatis oſtendi in præſenti à §. 19. Item oſtenderam de attributis §. 16. Eius argumenta nullius roboris eſſe oſtendi ſect. 3. §. 15. Quare ne dicta repetantur hæc pro præſenti ſufficiant. Sed quia ſpecialis difficultas eſt de perfectionibus liberis videndum eſt in fine huius diſputationis; An etiam iſtæ ſine ita connexæ in viſione, vt nequeat vna videri ſine alia.

SECTIO

SECTIO VII.

Vtrum videri poſſit vnum decretum liberum Dei ſine alio?

58 *Ratio dubitandi.* IN viſione de actibus liberis Dei ſpecialis difficultas eſt, quæ in perfectionibus abſolutis non militat, nam quidquid ſit quod identificentur adæquatè cum eſſentia Dei, certum tamen debet eſſe ipſos vt tales defectibiles eſſe, & conſequenter in caſu diſtinctionis non attingi per viſionem Beatam; quis enim dicat à Beato videri nolitionem incarnandi, vt ſic formaliter, & denominatiuè talem, ſiquidem vt ſic in Deo non datur? Nunc ergo ſic arguitur. Vel per viſionem Beatam attingitur implicitè ex parte modi actus liber, vel non? Si non attingitur?, Ergo poteſt videri eſſentia Dei quidditatiuè, & ſicuti eſt, quin ſit intentionaliter in viſione cum omnibus prædicatis, & omnino ſicut eſt phyſice in eſſe rei, ſiquidem in eſſe rei Deus habet prædicatum illud liberum, quod non habet in viſione. Si autem attingitur ex parte modi ſaltem implicitè opus eſt vt idea quam format Beatus de Deo dum Deus habet vnum actum liberum, non poſſit ipſi Deo applicari, quando habet alium, ſiquidem vt ſæpiùs dixi cognitio intuitiua, & quidditatiua diſcretiua eſt, & diſtinctiua ſui obiecti à quolibet non ipſo, vnde Beatus percipiet differentiam, & quaſi nouitatem in Deo quando habet vnum actum liberum, vel alium, ex quo ſecreta cordis Diuini omninò inſcrutabilia non eſſent.

59 *Soluitur ſi decreta conſtituantur vt libera ex connotato extrinſeco.* Ego vel ob hanc difficultatem ſentio decreta Dei libera vt talia, & vt contingentia formaliter non eſſe Deo adæquatè intrinſeca, vt dico diſput. de volunt. ſect. 3. §. 27. vnde cum aliquid diſtinctum realiter imbibatur in vno decreto vt libero, quod non imbibitur in alio vt ibi dico non erit opus vt videnti Deum ſicuti eſt omnia libera decreta appareant.

60 *Quid ſi ſint adæquatè intrinſeca?* Hac tamen ſententia pro nunc omiſſa omnino conſequenter dicendum cenſeo non poſſe videri eſſentiam quin videantur decreta libera, quæ cum ipsâ identificantur, nec item poſſe videri vnum decretum ſine alio exiſtente, implicitè quidem licèt non explicitè, vt de ipſis attributis neceſſariis dixi, neque hoc eſt contra ſecretum cordis Diuini, nam dum *explicitè* decreta non apparent, iam ignorantur ſufficienter vt exprimi poſſint; licèt autem idea quæ formatur de Deo vt volente, diuerſa ſit, ac quando formaretur de ipſo vt nolente, idque diſcriminis perciperetur à Beato, at imprimis exprimere non valeret in quo conſiſteret diſcrimen hoc; deinde quoad præſens attinet cum in tempore non poſſit dari vlla variatio decretorum Dei, ſemper vniformiter Deum videret, nec haberet vllum caput, vnde colligeret nouitatem decretorum Dei.

Idem quod de attributis dum exiſtunt, neque id eſt contra ſecreta Dei.

61 *Videret decreta vage quin diſcerneret an nolitio, vel volitio.* Addo denique videri quidem decreta libera Dei at non determinata, ſed vaga. Videt verbi gratia, Beatus in Deo dari decretum de die dicato ad iudicium vniuerſale, at ſimpliciter ignorat ſit-ne decretum hoc affirmatiuum, vel negatiuum, ita vt neq; implicitè formaret Beatus diuerſam ideam de Deo eo quod circa diem A, verbi gratia, daretur in Deo potiùs volitio quam nolitio. Ratio eſt, quia Deus phyſice eodem modo ſe haberet aliàs mutaretur: Ergo quomodocumque tandem explicetur exercitium libertatis diuinæ Deus idem omnino eſt volens, ac nolens, & dum habet nolitionem omnino ſimilis ſibi eſt volenti: Ergo conſequenter, ſi viſio in qua eſt *volitio intentionaliter eſt ſicut Deus quando Deus eſt volens?* etiam erit quando nolens poneretur: quia ſcilicet idem omnino eſſet pro tunc nolitio, non enim deeſt volitio in nihilum, ſicut noſtra, ſed eius defectus eſt per tranſitum in identitatem cum nolitione, quare nullam differentiam in obiecto percipit viſio, quæ Deum repræſentat ſicut eſt in ſe phyſicè, ſiquidem ipſe phyſicè nullam habet differentiam.

Iam verò ſi è contra de ipſo decreto, libero quæras poſſit ne videri ſine eſſentia ſaltem ex parte modi clariùs patet ex dictis *implicitè* non poſſe; *explicitè* autem, ſi ſemel ponatur vt aliquid nouum ſupra prædicata neceſſaria, non video cur videri nequeat ſine his, vt de ipſis perfectionibus neceſſariis quantumuis inter ſe obiectiuè etiam virtualiter indiſtinctis aſſerui, patetque in viſione materiali percipiente rationem *coloris* explicitè, non autem exprimentis, ſit-ne accidens. 62 *Decreta libera explicitè poſſunt videri ſine eſſentia, ſicut è contra.*

DISPVTATIO XXXII.

An, & quomodo Beati videant creaturas in Deo?

SECTIO I. *An in Deo viſo vt in medio formaliter videri poſſint creaturæ?*

SECTIO II. *Quæ creaturæ ex poſſibilibus neceſſario videantur? & vtrum poſſint omnes?*

SECTIO III. *Quomodo videantur in Verbo creaturæ exiſtentes?*

SECTIO IV. *V. cognitio creaturarum in Deo ſit quidditatiua?*

HÆc in art. 8. Sancti Thomæ, qui ſolum reſtat exponendus ex iis qui Scholaſticæ diſceptationi materiam præſtant in hoc tract. *Vide infrà qu. 12. art. 8. per 7. dubit. à 5. vſque ad 11. incluſi.*

SECTIO I.

Vtrùm in Deo viſo vt in medio formalitèr videri poſſint creaturæ?

NEgat prima ſententia ſolum admittens ob authoritatem Patrum creaturas videri in Deo, ſeu in Verbo (ita loquuntur Patres applicantes Verbo quod eſt commune toti Trinitati ob appropriationem quæ ipſi fit operum ſapientiæ) non *formaliter*, vt in medio, ſed *cauſaliter*, vel quia ex viſione, vbi alia reſultat creaturarum in ſeipſis vt acerrimè tuetur Vaſquez diſput. 50. quem ſequuntur Torres, Becanus, Alarcon, hic Gaſpar Hurtado diſput. 3. de Incarnatione difficult. 3. vel quia Verbum obit munus ſpeciei tam increatæ quam creatæ, vt ait Oxam cum Nominalibus in 4. quæſt. 13. art. 3. latéque tuetur Recupitus lib. 6. quæſt. 36. cap. 30. Vel denique; Quia eadem viſio verbi concomitanter repræſentat ſimul creaturas in ſeipſis vt tenet Adam cum Aliaco in 1. quæſt. 12. art. 3. §. *his præmiſſis*. Mouetur primò præcipuè hæc ſenten- 1 *Negans ſententia variè explicatur cum.* Vaſquez. Torres. Becan. Alarcon. G. Hurtado. Okam. Recupito. Adam. Aliaco.

ſententia. Quia Deus nullam connexionem habet cum creaturis, nequit autem eſſe medium cognoſcendi aliud, quod cum illo non connectitur. Confirmatur, Patres maxime loquuntur de creatis exiſtentibus: at certum eſt cum his Deum non connecti, & conſequenter neque eſſe medium ad illas. Ergo ſimiliter.

2 Secundò ex variis abſurdis. Primum poſſe Beatos creſcere in beatitudine eſſentiali; nàm plura in dies vident in verbo, vt ait Sanctus Thomas 1. part. quæſt. 57. art. 5. de Angelis beatis verbi gratia preces, quæ ad ipſos funduntur, ergo creſcit viſio verbi, eadem enim numero viſio nequit ad noua obiecta ſe extendere vt dictum eſt ſect. 3. Secundum minus ſanctus meliorē haberet viſionem, nàm quo plures effectus videntur in cauſa, melius videtur cauſa iuxta Sanctum Thomam hic. Quilibet autem fundator Religionis plura videbit, quam Eremita Sanctior, nam ex communi Theologorum ſenſu beati vident quidquid ad eorum ſtatum pertinet. Tertium viderentur neceſſario omnes creaturæ, nàm eſſentia Dei æquè eſt medium ad omnes neque eſt cur ducat in vnius cognitionem præ alia. Quartum ſaltem poſſet ducere in viſionem omnium creaturarum, quia licet ſint infinitæ ſecundum numerum, non eſt tamen difficilius videre hoc infinitum, quam Deum, qui eſt infinitus ſecundum perfectionem, vnde ſicut viſio Dei non requiritur infinita ſimpliciter, ſed alterius ordinis ſuperantis infinitas viſiones quæ tenderent in obiectum creatum perfectius, & perfectius in infinitum ità ſimiliter dici poſſet, ſequela autem eſt contra Sanctum Thomam hic.

3 *Vera ſententia affirmat eum.* Salas. Auerſa. Faſol. Ægidio. Thomiſtis. S. Dyoni. S. Iſid. S. Gregorio. S. Auguſt. Concilio Senon.

Secunda tamen ſententia quæ mihi vera eſt, affirmat: ita communiter Authores cum & apud Salas 1.2. tract. 2. diſput. 4. ſect. 4. Auerſam hic ſect. 13. Faſolum dubitat. 5. Ægidium de præſentatione lib. 5. quæſt. 16. art. 13. & omnes Thomiſtæ Dominicani & noſtri, Probatur primò authoritate Dyoniſij, Iſidori, Gregorij, Bernardi, apud Suarez lib. 2. cap. 26. celebrius autem ex Auguſtino lib. 4. de Geneſi ad litteram cap. 23. diſtinguente in Angelis cognitionem matutinam, vt meliorem, qua cognoſcunt in verbo creaturas, à veſpertina, qua vident in ſe ipſis, non autem viderentur creaturæ melius in verbo, ſi ſolum concomitanter, vel cauſaliter & non vt in medio formaliter apparerent: adde Concilium Senonenſe decreto 13. docens *Beatis peruium eſſe Diuinitatis ſpeculum in quo quidquid eorum interſit illuceſcat.*

4 *Probatur ex connexione cum poſſibilibus in ratione potentis.*

Probatur ſecundò Ratione viſio beata videt in Deo eſſe *potentiam abſolutam* ad producendum Angelum (idem puta de ſcientia, idea, exemplari, & complacentia) ità vt aliud medium non habeat ad cognoſcendam hanc veritatem, niſi ſolam eſſentiam Dei; At hæc veritas repræſentari nequit imo nec explicari quin de connotato, & obliquo cognoſcatur Angelus, ſicut è contra in Angelo vt effectu Dei neceſſario inuoluitur Deus ergò, &c. Maior ſuadetur. Tum. Quia eſſentia Dei eo quod ſit infinitæ perfectionis affert fœcunditatem, ſeu poſſibilitatem aliorum, quibus communicetur, ſicut ſol affert fœcunditatem ad ſuos effectus de quo latè in libris Phyſicorum. Tum etiam. Quia licet per ſuam entitatem non connectatur abſolute, at poſita poſſibilitate creaturarum, à ſe & in ſe habet Deus illas continere, neque per aliquid à ſe diſtinctum conſtituitur *potens abſolute*: ſicut licet per ſuam entitatem non connectatur cum exiſtentia creaturarum, poſitis tamen exiſtentibus, ſeipſo illas videt abſolutè. Tum denique quidquid ſit de connexione *potentiæ*, ſaltem hic, & nunc *abſolutè cognoſcit* Angelum poſſibilem, vt ſatis poſſit quis, eo ſolum quod videat hic & nunc Deum, ſcire eſſe in ipſo *abſolutam ſcientiam de Angelo*, quin opus ſit vt prius appareat ipſe Angelus, quemadmodum cognitio creata ſe ſola eſt abſoluta repræſentatio obiecti, quin in ratione talis conſtituatur ex obiecto ipſo; neque actio ex termino. Confirmantur hæc, nam Deus in ſe ipſo videt creaturas vt habetur in tractatu de ſcientia vbi hæc quæſtio ex profeſſo diſcutitur, eadem autem ratio eſt de viſione beata.

Et in ratione ſcientiæ iuxta communẽ ſententiam, non iuxta meam vt dicam diſp. 42. ſect. 2.

5 *Videntur creaturæ in Deo vt ſpeculo.*

Modo tamen addo videri etiam creaturas in Deo vt in ſpeculo concurrente eſſentia Dei vt ſpecie in viſionem directam creaturarum, qui concurſus, quia ſolum connaturalis eſt videntibus Deum, ideò adhuc creaturæ dicuntur obiectum ſecundarium. Probatur, Beatus qui videt: *Deus poteſt producere hominem rationalem*, etiam poteſt dicere: *homo eſt animal rationalem.* Tum quia hæc ſolum differunt penes vocem actiuam & paſſiuam. Tum etiam. Quia in recto etiam definitiuè poteſt Beatus ex vi viſionis dicere de creaturis. At ad ſecundam propoſitionem non concurrit Deus, vt medium *in quo*; ſic enim ſola eſſentia in recto prædicatur. Ergo concurrit per modum ſpeciei, vt dicam §. 15. Confirmatur, tum: Quia ſic melius comparatur eſſentia cum ſpeculo *in quo* alia dicuntur videri nòn titulo connexionis, ſed quatenus ſubminiſtrat ſpecies. Tum etiam: Quia in Deo vt in medio obiectiuo creaturæ non attinguntur intuitiuè, ſicut nec Deus in creaturis, etenim ſublata differentia quidditatiuæ cognitionis, quæ non pertinet ad intuitionem ſi intuitiuè videretur effectus in cauſa etiam è contra. Denique Deus ratione ſuæ ſcientiæ continet intentionaliter directè *eſſe* omnium rerum. Ergo per illam obire poterit munus ſpeciei ad omnia: obiicit Lugo in præſenti in M. S. Ignis non poteſt concurrere vt ſpecies ad cognoſcendum calorem licèt hunc contineat; ergo nec Deus. Reſpondetur nego conſequentiam, quia Deus etiam intentionaliter continet calorem. Tum quia continet eius ſpeciem, Tum ratione ſuæ ſcientiæ eſt ſpecies expreſſa, vt iterum dicam §. 15.

6 *Quomodo creaturæ videantur plures, & de nouo ſine augmento, vel nouitate beatitudinis.*

Hinc ad rationes oppoſitas reſpondeo ad primam ſublata etiam connexione entitatiua, ob connexionem *denominationis abſolutè* cognoſci creaturas, Idem dicendum de exiſtentibus, cum quibus eſſentia licet non ſecundum ſe, at vt volens, & ſciens connectitur, Item etiam ſublata omni connexione eſſentia deſeruit vt ſpeculum §. 15. Ad abſurda reſpondeo ad primum plura quæ ſucceſſiuè vident Beati, apparent concurrente de nouo eſſentia vt ſpecie, non vt medio obiectiuo ita Sanctus Thomas hic art. 10. vide etiam Suarez in præſenti cap. 25. num. 9. Item dico ad ſecundum, ex quo minus ſanctus non euadet Beatior, vel dic compenſari hanc extenſionem per maiorem expreſſionem eſſentiæ ſecundum ſe; nam licet cæteris paribus, quo plures effectus videntur in cauſa hæc melius videatur, at poſſunt ex alio capite non parificari cætera. Ad tertium videntur pauciores creaturæ ſubtrahente eſſentia, vel obremiſſionem luminis vel pro libito concurſum obiectiuum; ideo dicitur Deus ſpeculum voluntarium Beatorum. Ad quartum in ſectione ſequenti.

Vnde oriatur quod videantur hæ creaturæ potius quam aliæ.

SECTIO

SECTIO II.

Quæ creaturæ ex poſſibilibus neceſſario videantur, & vtrum poſſint omnes?

7 Dixi poſſe videri vnam creaturam, & non aliam ſubtrahente eſſentia concurſum obiectiuum. Quia ſicut idem intellectus ob variationem ſpeciei, iam videt hanc, iam illam creaturam, ita licèt lumen ſit idem ſimiliter poteſt contingere concurrente variè obiectiuè Diuina eſſentia. Addo poſſe ita remiſsè concurrere vt nulla creatura, neque in communi, neque in particulari videatur. Hoc ſecundùm admittit Faſolus cum Suarez, & aliis hic num. 101. Primum negat cum eiſdem num. 83. Probatur tamen vtrumque. Tum; Quia ex diſput. 31. poteſt videri Deus, non viſa explicitè omnipotentia, vt videtur color non viſo ordine effectus ad Deum; Tum etiam, quia licèt cognoſcatur vt omnipotentia, poteſt hæc præciſé explicari per virtutem ſuffi ientem ex ſe; quidquid ſit deturne aliquid quod non implicet, & ita ſentit Herice diſput. 51. cap. 4.

Poteſt videri eſſentia nulla viſa creatura. Faſol. Suarez. Herice.

8 Obijcies pro Henrico, Durando, Gotofredo, Baſſolo, apud Faſolum hic diſput. 15. ſentientibus neceſſariò videndas omnes creaturas poſſibiles. Deus neceſſario videtur formaliter etiam ex parte modi ſaltem implicitè, vt *determinatè continens* omnes creaturas, ergo ſic cognoſcentur ipſæ creaturæ. Conſequentia probatur; quia vt cognoſcitur relatio debet cognoſci eius terminus, hinc ſi explicitè cognoſcitur relatio; ſequit non explicitè repræſentari terminus. Reſpondeo, ſolùm terminus cognoſci debet quando ordo explicitè apparet, imo id eſt explicitè apparere ordinem quod in illo diſtinguantur termini. Argumentum inſtatur in viſione coloris, quæ nec realiter ex parte obiecti attingit Deum, cum tamen in dubium ſit ex parte obiecti attingere ordinem ad Deum, imo formaliter ex parte modi implicit; nam in ipſo modo exiſtit color, non ſolum ſecundùm differentiam *coloris*, ſed in ſua ſpecie integra, in ſpecie autem formaliter includuntur ratio creaturæ, & omnes aliæ genericæ.

Neceſſariò videndas omnes ſentiunt. Durand. Gotofr. Baſſol.

Quando in relatione cognoſcatur terminus.

9 Poſſe videri omnes creaturas etiam de potentia abſoluta negant Thomiſtæ, & noſtri communiter ne Deus comprehendatur: item Scotiſtæ, quia talis viſio reſpicit infinita ſimpliciter: Ergo foret ſimpliciter infinita. Conſequentia probatur: tum, quia huic infinitati non ſit ſatis per ſuperiorem ordinem, nam viſio ex ſe eo quod ſit de Deo eſt in ordine ſupremo; ergo cum non poſſit creſcere in ordine creſcet ſimpliciter in perfectione, & infinitè; Tum etiam omnipotentia non ſolum eſt in ordine ſuperiori, ſed infinita ſimpliciter etiam in linea *potentiæ*, & merita Chriſti in eſſe *meriti*, quia ſcilicet continent omnia poſſibilia: Ergo ſimiliter viſio erit infinita in linea viſionis.

Poſſe videri omnes creaturas in Deo negant. Thomiſtæ. Scotiſtæ.

10 Affirmo ego cum Meratio diſput. 10. ſect. 1. Herice diſput. 51. cap. 40. & aliis apud ipſos. Ratio mihi eſt. Poſſunt omnes creaturæ videri in Deo per diſtinctas viſiones, ergo & per eandem. Conſequentia probatur, quia vt quis dicatur penetrare obiectum, & illud æque bene cognoſcere, nihil refert quod cognoſcat diſtinctis cognitionibus, ſi hæ habeantur ſimul: ſic non minus video duos homines duplici viſione; quam ſimplici: etſi videntur omnia licet diſtinctis viſionibus iam ſimpliciter nihil latet videntem, quod ſolum exigit perfectio comprehenſionis. Antecedens ſuadetur tum contra Recentiores, qui ſolum putant viſionem non poſſe ſe ipſam videre in verbo, Tum etiã nulla eſt creatura poſſibilis, cui non correſpondeat poſſibilis viſio illius in verbo. Ergo per omnes viſiones poſſibiles in verbo viderentur omnia poſſibilia, nec tamen per omnes comprehenderetur Deus. Per quod patet ad primum fundamentum Thomiſtarum.

Affirmandum eſt cum Meratio. Herice. Ratio.

11 Secunda ratio pro hac ſententia. Chriſtus per ſcientiam beatam videt quod Deus ſcientiâ viſionis, ſeu omnem veritatem contingentem. Ergo videt creaturas *futuras & non futuras*; nam non eſſe futuras, non minus contingens eſt, quam futuritio; videt omnes poſſibiles; nulla enim creatura eſt, quæ non pertineat ad futuras, vel ad non futuras. Confirmatur. Si omnes poſſibiles eſſent futuræ Chriſtus Dominus vt videret quæ ſunt futuræ, videret omnes poſſibiles, ergo vt videat quæ non ſint futuræ, videbit omnes, neque enim minus neceſſe eſt cognoſcere obiectum vt negetur futuram, quam vt affirmetur. Ex quo patet ad ſecundum fundamentum Scotiſtarum; nam talis viſio, adhuc in ordine viſionis Dei foret ſuperioris rationis, vt vidimus in ſcientia Chriſti, neque infinita ſimpliciter, ſicut omnipotentia; Quia hæc poteſt omne poſſibile & omnimodo perfectiſſimo, at illa viſio non ita, cum adhuc non attingat perfectionem cognoſcendi ſcientiæ increatæ.

Ratio ſecunda ex ſcientia beata Chriſti.

Ea viſio non foret infinita in eſſe viſionis, ſicut omnipotentia in eſſe potentiæ.

SECTIO III.

Quomodo videantur in verbo creaturæ exiſtentes.

12 Commune principium apud Theologos eſt videri à quolibet Beato in Deo omnia quæ ad ſtatum cuiuſuis pertinent iuxta Concilium Senonenſe decreto 13. *Beatis peruium eſt Diuinitatis ſpeculum in quo quidquid eorum interſit eluceſcat.* Ideoque anima Chriſti Domini dicitur videre in verbo omnia præterita, præſentia & futura; quia omnia ad ipſum vt caput ſpectant: ita cum Sancto Thoma 3. part. quæſt. 10. art. 1. Vnde fit pro qualitate conditionis beati repræſentari per viſionem in Deo plures vel pauciores creaturas ex exiſtentibus. Quæ veritas non mediocrem habet dubitandi rationem ob abſurda quæ expendit prima ſententia in §. 2. nè beatitudo in dies creſcat, vel nè beatitudo maior ſit ſine exceſſu meritorum, ſed his abſurdis omiſſis quibus ſatis occurritur in §. 6. alia duo non leuiora *hic* expendenda ſunt. Primum de quo in præſenti. Quo pacto poſſit eſſentia Dei ducere in cognitionem creaturarum exiſtentium, ſiquidem cum illis vt ſic nullam connexionem habet; nihil autem poteſt in medio inconnexo cognoſci vt ſuppoſui in §. 4. & latè oſtendam tractatu ſequenti diſput. 43. Secundum abſurdum eſt, & operoſius, pro quo ſoluendo erit tota diſput. 33. Quo pacto ſine detrimento Domini, Diuini vel veritatis viſionis beatæ poſſit iſta ſuam æternam durationem quæ maxime ipſius intereſt repræſentare.

Beatus videt exiſtentes quæ ad ipſum ſpectant.

Difficultas circa hæc in præſenti examinanda.

13 Modo igitur circa primum abſurdum mihi ſpecialis difficultas eſt, qui omninò nego in tract. de voluntate diſput. 58. actus liberos Diuinos vt tales

Proponitur dubitandi ratio.

tales ſecundum quod dicunt denominationem contingentem, & defectibilem adæquatè identificari cum Deo. Vnde nunquam eſſentia Dei, prout præcisè prædicata intrinſeca ipſi inuoluit habebit connexionem cum creaturis exiſtentibus, & conſequenter, quantumuis Deus vt ſciens, vel volens appareat, nunquam erit ſufficiens medium, vt ducat ſecundum ſua intrinſeca prædicata in cognitionem rerum exiſtentium vt vult communis ſolutio de qua in §. 6. ſupponens decreta libera Dei, eſſe ipſi adæquatè intrinſeca, quantumuis contingentia. Deinde nec ſatis eſt vt creaturæ exiſtentes dicantur in Deo, ſeu in verbo, aut eſſentia Diuina videri, quod iſta gerendo munus ſpeciei impreſſæ creatæ ducat in notitiam de creatura exiſtente; etenim non dicitur obiectum cognoſci in ſua ſpecie impreſſa, quantumuis ſpecies iſta ducat vel pariat cognitionem obiecti. Ergo vt creaturæ dicantur videri in eſſentia Diuina non ſufficit quod iſta concurrat vt ſpecies. Confirmatur: ita Creaturæ videntur in eſſentia vt opus ſit ipſam eſſentiam videri. At quod ducit in cognitionem alterius per modum ſpeciei, non opus eſt, vt præuideatur, nec enim ſpecies præuidenda eſt vt ducat in cognitionem ſui obiecti. Ergo nunquam ſatis explicari poteſt quo pacto creaturæ exiſtentes videantur in Diuina eſſentia.

14 *Ex vi connexionis cum poſſibilibus poſſunt videri creaturæ in eſſentia vt in motiuo.*

Imprimis ego cenſeo independenter à connexione eſſentiæ cum creaturis, vt exiſtentibus eo ſolum quod eſſentia Dei connectatur cum earum poſſibilitate, ſatis dici poſſe eſſentiam obiectum motiuum in quo etiam vt *exiſtentes* cognoſcantur; nam eo ipſo quod perfectè, & complete comprehendatur poſſibilitas rei quidditatiue, (vt comprehendi poteſt in eſſentia Dei,) vt poſtea cognoſcatur ſtatus exiſtentiæ talis rei; non eſt opus aliqua cognitione noua, vel repreſentatione, ſed ſolum noua terminatione, vel connexione cum tali exiſtentia, ratione cuius prior repreſentatio de poſſibilitate, fit de exiſtentia; vnde licet præter eſſentiam Dei aliquid aliud debeat terminare cognitionem vt cognoſcatur creatura vt exiſtens, non tamen aliud quod ſe habeat vt motiuum, vel ſpecificatiuum cognitionis in ratione talis, vt explicans motiuum ſcientiæ Dei dicam tractatu ſequent. diſputat. 37. ſectio 4.

15 *Explicatur quo pacto Deus concurrat vt ſpeculum, & vt ſpecies in viſionem creaturarum exiſtentium.*

Sed hoc omiſſo Addo creaturas exiſtentes videri in eſſentia Dei vt in ſpeculo concurrente ſcilicet eſſentia Dei vt ſpecie in viſionem directam creaturarum, vt explicui num. 5. eſſentia enim Diuina, eo quod contineat perfectiſſimè omnes res creatas, non ſolum valet ipſas phyſicè producere, ſed etiam intentionaliter præſtare, quidquid ipſæ concurrentes obiectiuè præſtare valerent, nullus enim dubitare poteſt, quin hoc pertineat ad perfectiſſimam continentiam, qua Deus in ſe præhabet omnes cauſas ſecundas, vt ſic præſtare valeat quidquid ipſæ poſſunt. Hinc cum Angelus verbi gratia valeat concurrere obiectiuè in ſui viſionem etiam eſſentia Dei immediatè per ſeipſam independenter ab Angelo valebit ſimilem concurſum obiectiuum præſtare.

16 *Duplex modus concurrendi in diuina eſſentia per modum ſpeciei. Per modum ſubſtituti & loco obiecti.*

Poteſt autem duplici titulo ſic obiectiuè concurrere. Primò quatenus ſubſtituat vices ſpeciei creatæ efficiendo, quod obiectum creatum, vel ſpecies illius efficere debebat. Secundò concurrit obiectiuè eſſentia Dei independenter ab hoc munere, & ſubſtitutione titulo ſolius ſummæ continentiæ, qua præhabet per ſe quidquid poſſunt cauſæ ſecundæ. Primo modo eſſentia Dei cum concurrat purè vt ſpecies impreſſa opus non eſt, quod præuideatur ipſa in ſe, ſed viſio quæ tunc elicitur primario, & vnicè comparatur directè cum obiecto creato; Secundo modo eſſentia Dei præuidenda eſt non quidem, quia viſio directè non tendat in obiectum, ſed quia concurſus obiectiuus, quem exhibet eſſentia; non aliter præſtandus eſt, quam à tali eſſentia vt præuiſa; ſicut enim ſpeculum, non mittit ſpecies vt videatur obiectum; niſi vt præuiſum, hoc eſt non aliter mittit ſpecies obiecti ſpeculum, quam mittendo ſimul & quaſi ex primaria intentione, & directa ſpecies ſui, quibus videatur ipſum ſpeculum, ita in hoc ſecundo modo concurrendi obiectiuè contingit ex parte eſſentiæ Dei, quæ non aliter, quaſi diſponitur ad præſtandum concurſum obiectiuum in viſionem rei creatæ, niſi quatenus prius & principaliter in ſuiipſius viſionem concurrit. *Ratione ſui.*

17 *Tunc non concurrit niſi vt viſa.*

Ex quibus fit Primo dum ſic in Deo videntur creaturæ exiſtentes, non concurrere eſſentiam Dei, niſi *vt viſam*, vt patet ex §. præcedenti, quidquid ſit de modo concurrendi ad modum puræ ſpeciei. Ex quo ſoluitur ratio dubitandi in §. 13. Fit ſecundò quo pacto verum ſit quod communiter dicunt Theologi, creaturas videri in Deo tanquam in ſpeculo iuxta D. Auguſtinum 13. Confeſſionum cap. 15. D. Gregorium 12. moralium cap. 13. D. Bernardum 5. de conſideratione cap. 4. Concilium Senonenſe citatum ſupra num. 12. Ex quorum authoritate admittendus eſt in eſſentia Dei iſte modus concurrendi obiectiuè, ſeu intentionaliter per modum ſpeciei, quem explicui nuper. Fit tertiò Dari in Deo ſpecialem rationem, ratione cuius præ cauſis creatis poſſit præſtare munus concurrendi intentionaliter ad viſionem ſuorum effectuum, quantumuis cauſa creata non ita concurrere poſſit; licèt enim ignis contineat phyſicè calorem; non tamen valet obiectiuè concurrere in viſionem caloris, ſicut de Deo diximus; quòd per ſe concurrat per modum obiecti ſeu ſpeciei intentionalis in viſionem de Angelo; neque enim opus eſt vt ſumma perfectio continentiæ, qua Deus præhabet ſuos effectus tribuatur etiam cauſis creatis reſpectu ſuorum effectuum.

Hic modus concurrendi obiectiuè in Deo admittendus eſt ſic, vt ſtet Authoritas Patrum ſtatuentium quod Deus concurrat vt ſpeculum; vnde non gratis fingitur.

Cur Deus præ cauſis ſecundis præſtet concurſum obiectiuum ad viſionem ſuorum effectuum.

SECTIO IV.

Vtrum cognitio creaturarum in Deo ſit quidditatiua.

18 *Quando creaturæ videntur in Deo vt in ſpeculo intuitiuè repreſentantur Secus quando vt in medio.*

INtuitiuam propriè non eſſe dixi §. 5. quod intelligo quando creaturæ videntur in Deo, vt in puro medio obiectiuo (nam quando etiam vt in ſpeculo modo explicato §. 16. videntur in nullo differet ea cognitio ab intuitione, vt etiam patet quando in materiali ſpeculo obiecta videntur) & ratio eſt quia cognitio intuitiua vt talis debet eſſe immediata, vt per ſe expoſcat exiſtentiam ſui obiecti; hæc autem exigentia per ſe non datur vbi obiectum ſolum in medio videtur, vt dixi diſput. 22. ſectione 2.

19 *Ratio dubitandi ne ſit quidditatiua in Deo vt in medio.*

Sit-ne autem ſaltem quidditatiua licèt communiter id ſupponatur non leue tamen dubium eſt. Nam cognitio quidditatiua debet repræſentare obiectum, *ſicut hoc eſt in ſe*, ſeu per ſpeciem propriam nulli non ipſi adaptabilem. At cognitio de Angelo, verbi gratia, in Deo non eſt talis: ergo non eſt quidditatiua. Maior, & conſequentia patent. Minor probatur: Non poteſt obiectum

iectum in aliquo medio cognoſci ſicut eſt in ſe, niſi medium ſit ſicut obiectum; ſed Deus non eſt ſicut Angelus: ergo, &c. Confirmatur Deus vt conſtat ex diſput. 23. ſect. 5. non poteſt quidditatiuè cognoſci in Angelo, quia iſte non eſt ſicut Deus, ſed eo ipſo Deus non eſt ſicut Angelus, implicat enim A eſſe ſimile B, ſi extremum B, non eſt ſimile extremo A, ergo neque Angelus poterit cognoſci quidditatiuè in Deo; quidquid ſit quod Deus ſit quid excellentius & ſupra Angelum. Probatur hæc conſequentia exemplo materialis viſionis, reſpectu cuius æquale impedimentum eſt ne videat colorem, verbi gratiâ, albedinem; quod medium ſit imperfectius, vt ſi conſpicilia ſint coloris viridis, ſiue perfectius, vt ſi ſint aurei coloris.

20 *Effectus cur cognoſcatur quidditatiuè in ſua cauſa adæquata, & non è contra.* Nihilominus ſtandum eſt communi ſententiæ, & dicendum eſt generaliter de omni cauſa adæquata in ipſa poſſe quidditatiuè cognoſci effectum imperfectiorem, ſed non è contra; ratio tota ſumitur ex continentia, cum enim totus effectus contineatur in cauſa omneſque formalitates propriæ illius, conſequenter iſtæ cognoſci poterunt, & qui perfectè viderit cauſã videret etiam in illa, quæ & qualia ſunt prædicata, quæ poteſt communicare, ſicut enim res ſe habet ad *eſſe* ita ſe habet ad *cognoſci*. E contra vero cum in effectu non ſint omnes formalitates, & prædicata cauſæ, ſed tantum aliqua, ſolum quoad hæc, & conſequenter non ſicut eſt in ſe cognoſcetur cauſa in ſuo effectu.

21 *Medium ad cognitionem quidditatiuã debet eſſe ſicut obiectum (cognoſcendum) formaliter, vel eminenter.* Vnde ad rationem dubitandi in §. 19. reſpondeo vt aliquid ſit medium cognitionis quidditatiuæ, ſufficere quod tale medium ſit ſicut obiectum *eminenter* (non quidem eminentia, ſeu exceſſu *perfectionis*, ſed eminentia *continentiæ*, & *cauſalitatis*, licèt non ſit *formaliter*; nam ex hoc aptum erit vt mittat ſpeciem de obiecto non minus perfectam, quam ſit ea, quam vt ſibi propriam mitteret ipſum obiectum, ſeu ſpeciem, qua ſciatur quæ, & qualia ſunt prædicata omnia obiecti. Deus autem in hoc ſenſu eſt *ſicut creatura*, quamuis creatura nõ ſit *ſicut Deus*: licèt enim ſimilitudo per æqualitatem neceſſariò debeat eſſe mutua; non tamen, quæ eſt per æquiualentiam; Nam Maius æquiualet minori, non è conuerſo. *Similitudo æquiualẽtiæ nõ eſt mutua.* Vnde patet ad confirmationem. Ad inſtantiam ex viſione materiali, reſpondeo ibi dari ſolam eminentiam perfectionis non autem continentiæ, & cauſalitatis, de prima fateor æque eſſe ineptam cognitioni quidditatiuæ, ſecus de ſecunda, vt dixi §. præcedenti. *Eminentia ad cognitionem quidditatiuam non ſufficit perfectionis, ſed cauſalitatis.*

DISPVTATIO XXXIII.

An & quomodo viſio beata poſſit videre æternam ſui durationem.

SECTIO I. *Senſus quæſtionis & dubitandi ratio proponitur.*

SECTIO II. *Solutio negans poſſe dari cognitionem ſupernaturalem, quæ ſupra ſuam durationem reflectat proponitur, & reiicitur.*

SECTIO III. *Solutio defendens indeſtructibilitatem huius viſionis eſſe conſequentem proponitur & reiicitur.*

SECTIO IV. *Solutio admittens aliquam creaturam poſſe eſſe eſſentialiter immortalem refertur & impugnatur.*

SECTIO V. *Proponitur prima ſolutio probabilis.*

SECTIO VI. *Proponitur ſecunda ſolutio probabilis.*

SECTIO VII. *Tertia ſolutio probabilior eligitur, ſi actus liberi ſint Deo adæquatè intrinſeci.*

SECTIO VIII. *Quid dicendum abſolutè.*

FERE nihil in tota Theologia implicatius, quàm diſputatio hæc, & certe omninò nihil ad implicandas diſputationes aptius, vſuique iam Recentium arguẽtium obnoxium magis quàm difficultas, quam in præſenti expedire conamur; licèt enim ſolum de ea (pro opportunitate) in actu ſupernaturali viſionis ſui ipſius durationem æternam affirmantis diſceptemus; doctrina tamen in eius ſolutionem tradenda æquâ prorſus ratione deſeruiet aliis ſoluendis argumentationibus, quæ infallibili veritati cognitionis ſupernaturalis nituntur. Obtinuit iam aliquorum Theologorum mos vt cum firmis fundamentis pro ſtabilienda aliqua concluſione ſint deſtituti ſtatim confugiant ad enunciationes ſupernaturales, quaſi ab ipſis emendicaturi veritatem, quam in propriis opinionibus ſuadendis oſtendere aliis nequeunt, nec ſibi ipſis conuincere. Sic obiiciunt vt detur cognitio boni repugnans amori actum ſupernaturalem, qui dicat: *non exiſtit vllus amor.* vt detur, qui nequeat fieri per auxilium intrinſecum, qui dicat: *non exiſtit auxilium intrinſecum*, vt detur meritum repugnans præmio: *non exiſtit præmium*: peccatum repugnans condonari, ſi eſſentialiter dependeat à fide dicente: *non exiſtit condonatio*; & ſexcenta alia ſimilia; ex quibus vel veritas cognitionis ſupernaturalis in dubium verti debet, vel monſtruoſa, & inaudita abſurda admittenda. Si enim verbi gratia viſio ſupernaturalis affirmat nullum amorem exiſtere vt aliquando in re contingit quòd nullus amor detur; & adhuc quis conetur poſſe illi in alio euentu coëxiſtere amorem, in tali euentu poterit falſificari, ſiquidem reſpiciet obiectum ſibi difforme; ſi verò amor coëxiſtere nequeat, iam vrget non vero minor abſurditas. Hæc tamen omnia hic vincentur.

Vide q. 11. ar. 8. dub. 11.

Neceſſitas huius diſputationis pro pluribus Theologiæ difficultatibus.

Maxime hic neceſſariũ vt ſciatur, videat ne viſio beatifica omnia, quæ ſpectant ad ſtatum Beati, inter quæ prima eſt æterna duratio ipſius viſionis.

SECTIO I.

Senſus quæſtionis, & dubitandi ratio proponitur.

QVæſtionis ſenſus expoſitione non eget; obuium enim cuilibet eſt percipere quid ſit viſionem aliquam de ſe affirmare ſuam durationem, cum nihil notius cognoſcenti ſit quam ſe cognoſcere actu & de præſenti. Ergo cognoſcit ſuæ cognitionis durationem præſentem; ita ergo quærimus 1

An ſicut affirmat ſe præſentem eſſe poſſit affirmare ſe futurã.

rimus. Poſſitnè eiuſdem viſionis durationem futuram cognoſcere? ſiue duratio futura temporalis ſit, ſiue in æternum extitura, quam durationem ſine nouo actu per eandem viſionem ſic duraturam affirmet vti per viſionem eandem affirmat ipſius viſionis durationem præſentem; vti etiam affirmat ſaltem in confuſo viſio ſancti Petri v. g. ſe bis mille ab hinc annis non duraſſe.

2 *Ratio dubitandi ne veritas Dei, vel eius Dominiũ nutet.*

Dubitandi ratio ne admittatur huiuſmodi viſio de ſe affirmans duraturam in æternum intellectu facilis eſt, ſolutu tamen difficillima, impetit enim acerrimè, vel dominium Dei, vel veritatem infallibilem cognitionis ſupernaturalis, quod ſic oſtenditur. Niſi viſio de ſe affirmans æternam durationem poſſet reddi falſa ſaltem de potentia abſoluta, talis viſio foret eſſentialiter *indeſtructibilis*, quin vlla poteſtate valeret à Deo annihilari, ſed ſemel exiſtens eſſentialiter immortalis eſſet. At nulla creatura poteſt ſic eſſe eſſentialiter immortalis, (ita vt ſemel exiſtens nequeat poteſtate abſoluta Dei ad nihilum redigi) ſine diſpendio ſupremi dominij Dei: Ergo vel dominium Dei, vel veritas viſionis beatificæ debet periclitari. Conſequentia legitima eſt: Minor propoſitio, vt certa de fide ponitur à Patre Suarez lib. 1. de Ang lis, cap. 9. num. 5. Vaſquez 1. part. diſput. 182. num. 7. Tannero 1. part. diſput. 5. quæſt. 1. num. 15. & certè cum omnis creatura æque ſubſit dominio Dei; ſimiliter liceret dicere de Angelis ſic eſſe eſſentialiter immortales (quis autem Catholicus hoc dicere audeat) nil enim differentiæ ex intrinſeca natura rei afferri poteſt. Iam Maior propoſitio etiam videtur manifeſta, nam cognitio aliqua, non aliter redditur falſa, dum aliquid affirmat, quam deſtruendo eius obiectum. Ergo vt nec de potentia abſoluta poſſet reddi falſa talis viſio opus eſt vt nec diuinitus poſſet deſtrui eius obiectum. Tum ſic ſed obiectum illius viſionis eſt æterna ipſiuſmet duratio ergo hæc nullo modo poterit deſtrui poſtquam ſemel extitit viſio.

Implicat creatura eſſentialiter Immortalis. Suar. Vaſquez. Tann.

3 *Explicatur eo quod implicat creatura quealiter non poſſit exiſtere, niſi æternum duratura ante & poſt.*

Explicatur eadem dubitandi ratio implicat viſio, quæ talis conditionis ſit, vt nequeat ad tempus ſolum produci, ſeu vt nequeat limitate ſolum durare, ſed admiſſa poſſibilitate talis viſionis reflectentis ſupra ſuam durationem admittenda foret viſio conditionis prædictæ, ergo omninò implicat viſio repræſentans ſuam æternam durationem. Conſequentia patet. Maior ſuadetur. Tum à paritate Angeli, quem non admittes poſſibilem talis naturæ, vt nequeat ad tempus ſolum exiſtere, vt ſolum ſubſit libertati Dei quoad primum *produci*, non autem quoad *conſeruari*. Tum etiam ſuadetur illa Maior propoſitio. Nam ſi ſemel admittatur viſio affirmans ſuam æternam durationem *à parte poſt*, ſimiliter poſſet (in ſententia communi admittente non implicari creaturam permanentem ab æterno produci) dari alia viſio, quæ de ſe affirmaret æternam eſſe *à parte ante*, & *à parte poſt*, & conſequenter, nunquam in tempore valeret produci; hoc autem ex ſe apparet abſurdum, vt iterum dicam ſectione 3. Iam minor propoſitio, niſi falſificabilem admittas viſionem illam manifeſta eſt. Nam viſio enuncians de ſeipſa, *ego exiſto in inſtanti A*, falſa eſt ſi non exiſtit in inſtanti *A*, ergo ſi dicat *ego exiſtam in inſtanti B*, falſum cenſebitur affirmaſſe ſi deſtruatur ante inſtans *B*. Ergo ſi vlterius dicat, *Ego nunquam deſtruar*, ſeu *in æternum durabo*, falſa erit ſi aliquando deſtruatur, ſeu temporaliter ſolum duret.

4 *Defenditur P. Ripalda à falſa inſinuatione Theologi Recentis.*

Hæc dubitādi ratio occaſioni fuit P. Ioanni Martinez de Ripalda tom. 1. de ente ſupernaturali diſputat. 59. à num. 7. vt expenderet difficultatem non ſatis expenſam, quæ contra ſummam veritatem cognitionis ſupernaturalis vt nec diuinitus falſificari queat opponi poteſt, *vt expenderet* in quam, non *vt defenderet abſolutè*, vel diuinitus falſificabilem eſſe, vt nec Diuinitus nec ſumma veritate (liuorenè aliquo ipſe viderit) falſo illi doctrinam hanc affingit Thomas Hurtado tom. 1. reſolut. moral. tract. 5. cap. 6. §. 1. num. 1094. Ego poſt laudatum magnum ingenij acumen Patris Ripaldæ, poſt beneque expenſam hanc difficultatem, cuius ſolutionem dabo à ſectione 5. Aduerto illam ferè totam probare æquè cognitionem ſupernaturalem poſſe etiam ex naturâ rei falſam reddi, quod ipſe Pater Ripalda vehementer auerſatur diſput. 58. de ente ſupernaturali num. 2. ſequi autem quod etiam ex natura rei cognitio ſupernaturalis falſificari queat multis probare poſſem, ſufficiant autem ſequentia.

Inſtatur eius argumentum

5 *Variis exemplis in quibus priuatur viſio ſua proprietate connaturali.*

Primò. Omnis beatitudo connaturaliter loquendo poteſt eſſe abſque omni triſtitia, cum dotibus gloriæ, &c. Ergo viſio beata Chriſti ex natura rei potuit eſſe ſine vlla triſtitia. Ergo falſificari, ſiquidem ipſa videbat cum triſtitia coniungi dum Chriſtus Dominus oraret in Horto. Secundò, meritum connaturaliter poteſt coniungi cum præmio proportionato. Ergo merita Chriſti quæ procedebant ex viſione repræſentante ſaluationem Iudæ non eſſe ipſis concedendam, adhuc connaturaliter coniungi poſſet cum tali ſaluatione Ergo & falſificari poterat illa viſio. Denique ſit cognitio ſupernaturalis vel viſio beata, quæ affirmet ſe ſtatim deſtruendam, non exiſtere niſi ab inſtanti *A*, conſeruari ſine amore Dei, cum peccato veniali, &c. talis viſio ex natura rei omne peccatum excludit, amorem infert; naturaliter petit conſeruari quandocunque, dum non adeſt contrarium: poteſt produci à Deo ſine peculiari miraculo; ergo poterit ex natura rei deficere eius obiectum, ſeu poterit ipſa falſificari ex natura rei, quod refugit iſte Author.

SECTIO II.

Solutio negans poſſe dari cognitionem ſupernaturalem quæ ſupra ſuam durationem reflectat proponitur, & reiicitur.

6 *Fundamentũ cui innititur.*

PRædicta obiectio varias ſolutiones excitauit; celebriores referam, & refellam in his primis ſectionibus; probabiliores autem in ſequentibus. Prima negat reflexionem ſupra durationem, licet enim poſſibilis ſit cognitio ſupra ſe reflectens quoad alia prædicata non tamen admittitur quoad prædicatum durationis cognitio ſupernaturalis reflectens, ne ſequatur hoc idem abſurdum, quemadmodum licet cognitio falſo dicens. *Petrus currit* ſit quoad alia reflectens, non tamen vt cognoſcat ſe falſam eſſe, id enim implicaret contradictionem, nam eſſet ſimul aſſentiri curſui dum dicit currit, & diſſentiri dum dicit hoc falſum eſſe.

7 *Conuenitur cum hac ſo*

Si obiicias contra hanc ſolutionem Beatos cognoſcere ſuæ beatitudinis, & conſequenter viſionis beatificæ æternitatem, nam ad complementum beati

butione Beatorum ſecuritas. beatitudinis ſpectat maximè ſcire ſe nunquam non fore Beatos. Reſpondent beatitudini ſufficere, ſi Beati cognoſcant quod nunquam carebunt hac, vel illa viſione indeterminatè, & diſiunctiuè, quin de vlla viſione determinata id cognoſcant, ex quo & nunquam ceſſabit felicitas, & nulla determinata viſio quantumuis vera repugnabit deſtructioni.

8 *Et viſio Chriſti omnium futurorum.* Si rurſus contra hanc ſolutionem vrgeas æternam durationem debere cognoſci etiam de aliqua viſione determinata ſaltem à Chriſto Domino, qui cognoſcit quidquid Deus per ſcientiam liberam viſionis, Deus autem determinatè cognoſcit; vel ſaltem cognoſcere poteſt hanc viſionem *A* æternaturam (pone in re ità euenire) Reſponderi poteſt in fauorem huius ſolutionis eſſe impoſſibile quod eadem viſio determinata duret, nec per duo inſtantia, quia omnis cognitio eſſentialiter eſt ſucceſſiua, nam identificatur, vel includit modum actionis, vel vnionis cum ſubiecto, à quo modô formaliſſimè indiſtincta eſt ſucceſſiua duratio rerum.

9 *Impugnatur ex aliis reflexionibus non minus abſurdis.* In primis hæc ſolutio confugit ad ſententiam in Philoſophia minus probabilem, imo *improbabilem* iuxta Suarez diſputat. 11. Metaph. num. 6. nempè durationem ſucceſſiuam rerum non diſtingui ab actione productiua earundem. Deinde quid quid ſit de hac ſententia viſio, quantumuis duret ſolum pro vnico inſtanti, ſitque eſſentialiter ſucceſſiua: pro illo eodem inſtanti reflectere poteſt ſupra plures alias conditiones cum quibus implicat connecti eſſentialiter, verbi gratia implicat creatura, quam non poſſit Deus ſubiicere voluntati alterius, circà quam exiſtentem non poſſit Deus varia libita exercere, vel producendo aliam ſupra vel infra ipſam, quin opus ſit ipſam non aliter producere, niſi conſtituendo eandem, vel creaturarum vltimam, vel primam, hæc enim omnia ſpectant ad perfectum Dominium Dei: vnde ſi talis eſſet Angelus, quem nequiret Deus ſubmittere alteri, nec poſſet creare, niſi vt aliorum caput, quin in ſenſu compoſito illius foret alius ſuperior, id eſſet contrà conceptum naturæ, tunc ſic, ſed iuxta hanc ſolutionem hæc omnia euenirent, ſi ſcilicet cognitio ſupernaturalis reflectat ſupra ſe cognoſcendo de facto eſſe primam, vel eſſe vltimam nemini ſubiectam, *&c.* Etenim in hoc caſu cognitio eſſentialiter exigeret hæc omnia ne falſificaretur. Vide etiam §. 5.

10 *Vrgetur viſio quæ affirmet ante inſtans A. non extitiſſe.* Prætereà viſio Chriſti Domini cognoſcit ſe durare ab inſtanti *A* & non antèa, ita enim euenit vt ſuppono; nunc arguo ſic: vel Deus poteſt producere eam viſionem ante inſtans *A* vel non, ſi primum? eam falſam reddet, cum dicat ſe non exiſtere ante *A*. ſi ſecundam ergo dabitur aliqua creatura eſſentialiter *improducibilis* ante inſtans *A*. ſed hoc non minus eſt abſurdum, quam ſi ſit indeſtructibilis poſt *A*. ad Dominium enim Dei æquè ſpectat poſſe producere creaturam, ac poſſe annihilare productam; ſi ergo non poſſe annihilare poſt *A* eſt abſurdum etiam abſurdum erit non poſſe producere ante *A*.

11 Addo maius hic eſſe abſurdum, nam viſio illa æterna ſolum eſt in deſtructibilis ex ſuppoſitione, quod primo producta fuit liberè. Vnde ſimpliciter poteſt non eſſe poſt *A*. At viſio quæ incæpit ab *A*. ante omnem ſuppoſitionem, & decretum Dei eſt improducibilis ante *A*. Deuſque eſt ſine Dominio ſimpliciter, vt poſſit tollere eius carentiam ante inſtans *A*.

SECTIO III.

Solutio defendens indeſtructibilitatem huius viſionis eſſe conſequentem proponitur, & reiicitur.

Ex ſuppoſitione ſcilicet quod Deus voluerit eam æternum conſeruare, vnde nihil ſit contra Dominium & libertatem Dei cùm in prima exiſtentià talis viſionis tota eius conſeruatio fuerit libera; quemadmodum cuiſlibet creaturæ exiſtentia ſimpliciter eſt libera Deo, quin minuatur eius Dominium ex eo quod ex ſuppoſitione, quod velit actionem neceſſario ſequatur terminus, quia ſcilicet iſte in actione vt in cauſa liber fuit. 12 *Explicatur indeſtructibilitatem eſſe conſequentem in hac viſione.*

Sed contrà: huiuſmodi viſio non conſequenter ſed omninò antecedenter, & ex eſſe tia ſua talis eſt, vt implicet produci, niſi vt conſeruanda per totam æternitatem; item ea ratione quâ repugnat falſitati, repugnat etiam deſtructioni. Ergo ſicut implicat produci falſificabilis, ita & deſtructibilis. Hoc autem ipſiſſimum abſurdum eſt, quod cenſent Theologi, dum negant poſſibilem creaturam eſſentialiter *immortalem*; nam quo quæſo alio pacto foret creatura eſſentialiter immortalis, niſi quatenus implicaret produci, niſi per decretum conſeruandi ipſam in æternum? contra quos & contra ſapientiæ 11. *Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes.* Sentiret qui poneret Angelum poſſibilem eſſentialiter immortalem, poſtquam ſemel extitit. Ergo ſimiliter. Deinde contra hanc ſolutionem militat impotentia antecedens ad non producendam viſionem, quæ de ſe affirmet non fuiſſe ante inſtans *A*. cuius abſurditatem. 13 *Impugnatur euidenter.*

Sic explico: Non minus pertinet ad perfectionem Dominij Dei libertas circa exiſtentiam creaturæ, quam circa carentiam, id eſt non minus pertinet ad Dominium Dei poſſe *Tollere exiſtentiam* creaturæ, quam poſſe *tollere eius carentiam*, ſed implicat quod abſolute & ſimpliciter nullo ſuppoſito decreto Dei quo ſaltem virtualiter, & quaſi in cauſa velit exiſtentiam, implicat, inquam, quod non poſſit illam tollere vt patet iuxta hanc ſecundam ſolutionem. Ergo etiam implicabit, quod abſolutè, & independenter ab omni decreto non poſſit tollere eius carentiam. Tunc ſic ſed admiſſa viſio de *A* fixa ad inſtans *A* nulla poteſtate poſſet Deus eam ponere, ſeu tollere eius carentiam ante *A*. cum impotentia ante *A* à nullo decreto veniat, ſed detur antecedenter ad omnia, & ad omne exercitium libertatis diuinæ. Ergo maximè iſta, & Dominium Dei læditur. 14 *Vrgetur abſurditas entitatis incapacis vt producatur ante inſtans determinatum.*

SECTIO IV.

Solutio admittens aliquam creaturam poſſe eſſe eſſentialiter immortalem; reiicitur.

Cenſet hæc ſolutio creaturam eſſentialiter *immortalē* ſolum repugnare, quando eſt talis ob perfectionem phyſicam; nam tunc magna perfectio ſupra creaturam argueretur, quæ ſundet eam immortalitatem, & libertatem a Dominio Dei, ſecus dicendum, quando indeſtructibilitas conuenit ob intentionalem veritatem, & ſupernaturalem; ratio huius eſt, quia talis immortalitas, ſeu indefectibilitas 15 *Immortalitas in re ſupernaturali, & intentionali non eſſe abſurda probatur.*

ctibilitas eſt *gratia*, cum ſit ſupernaturalis; at Patres ſolum negant immortalitatem per naturam; non autem per gratiam, Item talis immortalitas, & indefectibilitas venit à locutione,ſeu Verbo Dei cognitio enim ſupernaturalis Verbum & locutio Dei eſt. At optimè congruit Dei Verbum eſſe indefectibile Mathæi 24. verſ. 35. *Cælum & terra tranſibunt* (non ex natura rei ſed ſupernaturaliter) *verba autem mea non præteribunt*, ſcilicet nec ſupernaturaliter. Cuius ſolutionis à pari fundamentum eſt, quia in ordine naturali, qui ſpectat ad potentiam ordinariam fiunt plura per potentiam ordinariam indeſtructibilia, verbi gratia, Angelus, ſine defectu dominij naturalis: Ergo ſimiliter in ordine ſupernaturali. qui ad potentiam abſolutam ſpectat poterunt eſſe aliqua, quæ nec de potentia Dei abſoluta deſtrui queant.

Sed inſufficienter.

16 Sed contra quamuis *per gratiam*, ſeu gratioſè poſſint aliqua primo produci, at nihil creatum eſt quamuis ſit ſupernaturale, & gratioſum, quod eſſentialiter exigat primò produci, ita vt nec Diuinitus Deus poſſit illud non producere. Ergo ſimiliter nihil creatum erit, quantumuis ſit in ordine *gratiæ*, & *ſupernaturale*, quod ſemel productum neceſſario ſit conſeruandum, quod ſit eſſentialiter *immortale*, etiamſi poſſit eſſe immortale per gratiam. Patet hæc conſequentia tum ab omnimoda paritate; tum etiam quia æquè creatura ſubeſt Deo in conſeruari ac in primo *eſſe*. Vlterius impugnatur hæc ſolutio. Nam ſimiliter admittenda erit aliqua creatura ſupernaturalis, quæ eſſentialiter exigat deſtrui, ita vt Deus nequeat illam diu conſeruare; talis enim eſſet cognitio ſupernaturalis, quæ affirmaret ſe deſtruendam ſtatim, ſimiliter quam Deus non poſſet producere ante inſtans *A*, & quæ eſſentialiter exigeret plura prædicata eſſentialiter conditioni creaturæ repugnantia.

Quo pacto creaturæ conueniat immortalitas per gratiam.

Quod Verbum Dei ſit indefectibile.

17 Neque fundamentum, cui innititur hæc ſolutio, firmum eſt. Nam Patres dum dicunt nil creatum eſſe *immortale*, niſi per gratiam, ly *per gratiam* vſurpant, quaſi dicant per *purum placitum Dei*. Ex quo omnem creaturam quantumuis ſupernaturalem, & gratioſam *immortalem* negant niſi pro libitu Dei. Rurſus quando Verbum Dei dicitur indefectibile accipitur *Verbum*, & locutio Dei pro interna locutione, & actu libero Diuino quo aliquid decernit, vel promittit Deus ita infallibiliter futurum vt implicet non ſtare promiſſis. Quod nihil fauet huic ſolutioni. Ad fundamentum à priori reſpondeo licèt creatura ſit immortalis ex natura rei; at dum non eſt eſſentialiter immortalis, iam ſimpliciter manet ſub Dei dominio; ſi tamen etiam quoad potentiam abſolutam eſſet immortalis à tali dominio eximeretur. Sic nullam rem naturalem exiſtentem poteſt Deus deſtruere ex natura rei ex motu proprio, nullo exigente contrario, neque ideo omnem entitatem ſupernaturalem neceſſario conſeruat, ita vt neque de potentia abſoluta poſſit Deus motu proprio deſtruere rem ſupernaturalem. Item rei naturali non poteſt Deus ex natura rei negare proprietates, bene tamen ſupernaturali de potentia abſoluta.

Eſt abſurdum quod dominium Dei vt authoris ſupernaturalis limitetur, ſecus vt naturalis.

Alia abſurda vrgentur contra præcedentes ſolutiones.

18 Denique tam iſta, quam præcedentes ſolutiones impugnantur: nam dum ita fugiunt cognitionem ſupernaturalem poſſe eſſe falſam plura tenentur admittere cognitioni ipſi repugnantia, verbi gratia, erit viſio Dei eſſentialiter coniungenda cum peccato ſaltem veniali; erit excludenda à gratia, ab amore Dei, & ſic de aliis, quæ Diuinitus accidere poſſunt videnti Deum; poſſuntque cognoſci per ipſam viſionem. Rurſus erit actus fidei repugnans coniungi cum gratia, irremunerabilis eſſentialiter, & impotens ſatisfacere pro mortali; licèt fieret à Chriſto Domino, nam ſi iſta omnia, quæ Diuinitus euenire poſſunt, repræſententur per cognitionem fidei; talis cognitio ſi repugnet eſſentialiter falſificari cum his imperfectionibus, & implicantiis connectetur, quibus mederi non poteſt vlla ex dictis hucuſque ſolutionibus, vt perpendenti manifeſtum fiet.

SECTIO V.

Proponitur prima ſolutio probabilis.

PRæmitto primò intellectionem ſaluari in qualitate abſoluta, quæ eſſentialiter non affigatur cognoſcenti. Secundò, intellectionem, licèt eſſentialiter veram non habere connexionem cum ſuo obiecto, niſi quando vnita eſt ſubiecto capaci recipiendi denominationem intelligentis; quis enim dubitet poſſe poni in lapide cognitionem fidei de Meſſia venturo nunc, quando venturus non eſt, & ratio eſt quia ſolum eſt abſurdum me cognoſcere nunc Meſſiam venturum, idque actu a me repræſentari, at qualitas cognitionis ſecundùm ſe dum non eſt vnita meo intellectui, non repræſentat actu. Præmitto tertiò vnionem formæ ab ſubiectum licèt communiter fiat per modum poſitiuum ſuperadditum vtrique extremo; at poſſe etiam fieri per qualitatem mediam abſolutam, vel etiam ſine vlla entitate media per ſolam coëxiſtentiam extremorum, ſicut dici ſolet de relatione prædicamentali, nempè quia quodlibet ex his extremis exiſtere poteſt ſecundùm ſe, quin reſultet denominatio *vniti*; vtrumque tamen dari nequeat in rerum natura, quin vnitum ſit; Quis enim poneret entitatem mediam diſtinctam ab vtroque extremo, vt materia & forma vniantur, ſi quantumuis forma ſecundùm ſe poſſet exiſtere, quin vniatur materiæ, at implicaret exiſtere vtramque, quin ſtatim reſultaret denominatio *vniti*. 19

Poſſibilis eſt vnio conſiſtens in coëxiſtentia plurium extremorum.

Ex quibus iam infero licèt intellectus cognoſcat ſupernaturaliter ſuam viſionem æternum duraturam, nil tamen datur in rerum natura, quod ſimpliciter deſtrui non poſſit poſtquam exiſtit. Nam in primis intellectus ſecundùm ſe, etiam poſtquam extitit, deſtrui poteſt, vt patet, cum inde nulla falſificatio detur. Rurſus ipſa qualitas viſionis ſi ſecundùm ſe conſideretur deſtructibilis eſt, nam non ideo reddetur falſa cum nondum ſit vnita, nec affirmans. Tunc ſit vt intellectus cognoſcat ſupernaturaliter, nulla alia entitas datur in rerum natura, nullaque alia neceſſaria eſt (vel ſi vis dari entitatem mediam, pone illam etiam ſecundùm ſe abſolutam quæ in ratione vnionis coaleſcat ex aliis extremis vt relatio prædicamentalis.) Ergo nihil datur indeſtructibile. 20

Dices non poſſe deſtrui complexum ex intellectu, & viſione, nam vbi datur tale complexum; iam datur hoc quod eſt intellectum cognoſcere ſupernaturaliter, ac proinde *verè indeſtructibiliter*. Reſpondeo hanc impotentiam deſtruendi nullius abſurdi eſſe; nam talis potentia eſt ſimpliciter conſequens, nempè ex ſuppoſitione, quod Deus voluerit illud complexum coniungere; potentiæ autem 21

autem & Dominio Dei ſufficit, ſi omne creatum ſimpliciter deſtructibile ſit; complexè namque plura non poteſt Deus: ſic non poteſt producere in intellectu aſſenſum ex ſuppoſitione, quod produxit in illo diſſenſum, & iuxta omnes non poteſt annihilare Angelum ex ſuppoſitione, quod reuelauit illum non annihilandum.

SECTIO VI.

Proponitur ſecunda ſolutio probabilis.

22 *Vt poſſit Deus quamlibet rem creatam in ſingulari, & omnes ſimul deſtruere.*

SI tamen velis Dei Dominium, & libertatem tantam debere eſſe, vt non ſolum quamlibet creaturam in particulari, & ſecundum ſe poſſit ſimpliciter deſtruere, ſed etiam omnes ſimul, poſſitque omnem rem creatam ab ipſo diſtinctam in nihilum redigere, dum non inuoluatur formaliter ipſum decretum Dei de conſeruanda tali re; nam ſic nihil abſurdi eſt, quod in ſenſu compoſito decreti de conſeruanda tali re, non poſſit, non conſeruare illam; quemadmodum indemnis manet libertas voluntatis, quantumuis ex ſuppoſitione, quod amet non poſſit non amare, ſi inquam hoc velis quod neceſſarium eſt non ſolum ad perfectionem Dominij Dei, ſed maximè vt occurratur obiectioni poſitæ ſupra §. 18. ne detur aliquid creatum, quod ratione ſui petat proprietates ſibi ipſi repugnantes.

23 *Explicatur viſione prædicta conſtitui ex ipſo Decreto Dei.* Dicito quod viſionem Dei & omnem cognitionem ſupernaturalem, quæ affirmet, ac proinde exigat vel æternam ſui durationem, vel aliquid aliud contradicens conditioni creaturæ conſtitui in ratione ſic affirmantis in obliquo, vt ex connotato intrinſeco affirmationi vt tali, ex ipſo decreto Diuinæ voluntatis; cum enim tali decreto ſolummodo poſſit adſcribi ea exigentia, ita ex ſolo ipſo (vt ex conſtutiuo obliquo) venire poteſt cognitioni creatæ quod eas proprietates affirmet; vnde conſequenter fiet, vt ideò præciſè viſio Beata, verbi gratia non deſtruatur vnquam (& ſimiliter dicendum quando coniungitur cum proprietatibus ſibi repugnantibus) quia Deus vult hæc ita contingere, ſi enim Deus decerneret aliud, iam viſio non affirmaret primam veritatem, nec videret æternam ſui durationem; ſed eadem viſio vt connotans tale decretum affirmaret oppoſitum nempè veritatem conſentaneam nouo decreto.

24 *Hanc doctrinam qui teneantur admittere.* Doctrina quam ſupponit hæc ſolutio conſequens eſt ad Aureolum primo diſtinctione 47. art. 1. vbi conſtituit liberam ſcientiam Dei in ratione affirmantis obiecta contingentia ex ipſis obiectis de connotato; item ad Scotum 1. diſtinct. 1. quæſt. 2. art. 2. §. *Modus ponendi* (quem ſequitur Faber diſtinct. 11. cap. 4.) Vbi admittit eandem viſionem num. poſſe affirmare iam has creaturas, iam illas. Rurſus conſequens eſt hæc doctrina ad communem ſententiam, quæ ſtatuit viſionem beatam permanere inuariabiliter eandem de facto per totam æternitatem; nam cum viſio beata nunc videat abſolutè ſe exiſtere in inſtanti *A* & nondum in *B*. poſtea autem cognoſcat ſe exiſtere in *B*. & non in *A* niſi dicatur ſingulis momentis mutari, neceſſario fatendum eſt actum viſionis pro varietate connotatorum poſſe mutari in ratione affirmantis. Denique conſequens eſt ad communiorem ſententiam, quæ admittit eandem viſionem vnius Beati poſſe poni in alio. Hinc ſanctus Petrus affirmat, per ſuam viſionem ſe eſſe Beatum & non alium, quæ tamen eadem viſio ſi poneretur in ſancto Paulo affirmaret in illo ſe eſſe per eam viſionem beatum non ſanctum Petrum.

Hinc ſic arguo. Poſſibilis eſt qualitas cognitionis, quæ in ratione *affirmantis* conſtituatur ex aliquo connotato diſtincto à tali qualitate, vt dici ſolet cognitionem conſtitui ex obiecto in ratione *veræ*. Ergo etiam poſſibilis erit qualitas ſupernaturalis cognitionis, quæ in ratione affirmantis (affirmatio ipſi pro eodem eſt ac veritas) conſtituatur ex decreto Dei, Antecedens patet ex ſupra dictis; imò neceſſariò dicendum eſt de omni cognitione, nam per omnem cognitionem ſcit cognoſcens *ſe cognoſcere*, nihil enim manifeſtius cognoſcenti; Vnde negare nequit ſe cognoſcere, Ergo per eandem cognitionem dum ponitur in Petro cognoſcit Petrus ſe ipſum, & dum ponitur in Paulo ſe cognoſcit Paulus. Iam prima conſequentia, quòd ſcilicet id ſit admittendum in cognitione ſupernaturali, quæ conſtituatur ex decreto Dei ſeu ex ipſo obiecto affirmato patet, vel præciſè vt occurratur his abſurdis. 25 *Probatur à paritate veritatis, & aliorum.*

Ratio totius huius doctrinæ, & poſſibilitatis, vt qualitas cognitionis denominet intellectum affirmantem hoc vel illud obiectum pro varietate & conditione connotati dari poteſt, ex eo quod ſæpè forma dependeat ab aliqua conditione vt communicet ſuum effectum formalem, ita vt varios effectus communicet eadem forma, pro varietate prædicti connotati, & conditionis, id apprimè explicatur in volitione, quæ pendet à cognitione vt communicet denominationem *volentis, & amantis* ita vt eadem volitio quæ reſpicit Petrum & Paulum ſi ſolum ſupponat cognitionem de Petro ſolum reddit voluntatem *amantem* Petrum, ſi vero ſupponat aliam cognitionem de Paulo, iam voluntas amabit Paulum, ergo ſimiliter non implicabit cognitio, quæ iuxta naturam, & conditionem decreti, vel euentus futuri, quem ſupponit affirmet hanc vel illam veritatem, &c. 26 *Ratio à priori.*

SECTIO VII.

Tertia ſolutio probabilior eligitur ſi actus liberi ſint Deo adæquatè intrinſeci.

QVia alicui videri poteſt difficilis ſupradicta ſolutio eo quod recurrat ad connotata (vt in actibus liberis Dei) vt conſtituatur cognitio in ratione affirmationis, ideo tertiam eligo iuxta quam decretum Dei non ſe habeat vt conſtitutiuum ipſius affirmationis in abſtracto, ſed in concreto denominationis ſcilicet affirmantis, quatenus nihil diſtinctum à decreto Dei ponitur in rerum natura abſolutè & ſimpliciter, ratione cuius affirmatio vniatur intellectui, communicétque ipſi denominationem cognoſcentis; quo pacto ſolum connectitur cum obiecto §. 19. Id vt probetur. 27

Nota vnionem extremorum non ſemper conſiſtere in modo poſitiuo, ſed poſſe contingere ſolum per negationem entitatis mediæ ſuper additæ, ſicut enim vnitas conſiſtit in carentia diuiſionis ita vnio in carentia ſeparationis poterit conſtitui, hoc eſt in carentia modi ſeparantis. 28 *Vnio poſſibilis eſt conſiſtens in negatiuo.*

Hæc notatio explicatur iuxta communem ſententiam quæ contra Scotum aſſerit naturam per ſe inſpectam eſſe communicabilem, ſeu vnibilem alteri ſuppoſito, conſtitui vero in ratione *incommuni* 29

municabilis, ſeu *inunibilis* per modum poſitiuum ſubſiſtentiæ. Ergo ad huius inſtar poteſt dici eſſe aliquam formam, quæ ſe ipſa ſit actu communicata, & vnita ſubiecto, dum communicabilitatem, & ſeparationem non ſortiatur per aliquem modum poſitiuum, quo extrahatur à ſubiecto connaturali tanquam lapis à ſuo Centro, & talem puto eſſe poſſe qualitatem cognitionis, quæ ſe ipſa ſit ita coaptata intellectui, vt eam reddat cognoſcentem, dum non impediatur per interpoſitum aliquem modum, quo veluti terminetur per ſe & ſubſiſtat invnita, & qmomodo deficiente ſponte, & natura ſua inhæreat communicetúrque potentiæ, ſeu vniatur cognitio.

30 Iam ſic arguo cognitio in ratione *vnita* ſeu in concreto conſtituitur per excluſionem modi, ſed excluſio illius modi eſt ſola voluntas Dei, qua Deus decernit *non eſſe*, ſeu reiicit talem modũ. Ergo in ratione vnitæ intellectui cognitio illa ſolum addit decretum Dei. Ergo & in ratione affirmantis, ſeu *indeſtructibilis*. Prima conſequentia eſt legitima, ſecunda & maior patet ex ſupradictis Minor Probatur. Quia nihil eſt in rerum natura incompoſſibile cum illo modo, niſi ſola voluntas Dei, quamuis enim excluſio formalis, ſeu carentia talis modi, non identificetur cum decreto Dei: at nec vllum alium conceptum ponit ex parte obiecti diſtinctum à decreto; nihil creatum inuenit voluntas Dei quod ſibi reſiſtat nè deſtruat quamcunque creaturam.

31 Breuius hæc omnia componentur, ſi dicas decretum ipſum Diuinum conſeruandi in æternum cognitionem, vel dandi proprietates alias exigentiæ, & conditioni creaturæ repugnantes, eo ipſo habere munus vnionis vnientis talem cognitionem cum potentia, cum enim ſolum à Dei decreto veniat talis exigentia: iſta quæ neceſſario conueniat cognitioni illi *vt vnitæ*, prædicta cognitio *vt ſic vnita* decretum illud imbibet, quod niſi haberetur à Deo cognitio maneret *invnita*, ac proinde deſtructibilis.

SECTIO VIII.

Quid dicendum abſolutè.

32 Tertia hæc ſolutio, imo, & ſecunda in ſect. 6. nituntur communi iam Recentiorum opinioni conſtituentium actus liberos Dei ipſi etiam vt liberos, & contingentes adæquatè intrinſecos, quin neque in obliquo conſtituantur ex vlla connotatione; etenim cum illi viſioni vt affirmanti ponamus eſſentialem connexionem cum æterna conſeruatione, quin hæc cõnexio veniat ex aliquo creato, opus eſt vt veniat ex decreto Dei vt etiam dixi, non ex decreto neceſſario; nam hoc vt ſic indifferens eſt æque cum conſeruatione, ac cum prima productione creaturarum. Ergo ex decreto vt libero, ideo poſui hanc neceſſitatem conſeruandi ſimpliciter conſequentem eſſe, & conſequenter decretum Dei vt ſit liberum opus eſt conſtitui adæquatè intrinſecum Deo. Quam ſententiam, quia vehementer auerſor cum omnibus antiquis Theologis (quos referam, & ſequar in tract. ſequenti de voluntate) vt omnino inintelligibilem, vel fidei principiis repugnantem. Abſolute aliter reſpondeo præſenti difficultati.

33 Primò Poſitis præmiſſis in §. 19. Veritati viſionis ſupernaturalis ſolum debetur quod ex ſuppoſitione quod affirmet in concreto inſeparabilis ſit à ſuo obiecto. Hoc autẽ bene cõponi cum eo quod nulla creatura detur, nec ſigillatim nec ſimul ob cõſortiũ cum alia indeſtructibilis, ſed queat adhuc Deus omnem creaturam à ſe diſtinctam producere, ſine obligatione eam conſeruandi probatur, ſi ponas ex dictis in §. 28. vnionem viſionis ad intellectum (per quam fit viſio affirmans in concreto) conſiſtere in carentia modi ſeparantis, vnde quantumuis ſimul, & coëxiſtenter exiſtant viſio, & potentia intellectiua, adhuc à Deo, ſine vlla falſificatione poterunt deſtrui, ſi ſcilicet exiſtant cum illo poſitiuo modulo *ſeparationis* qui impedit viſionem *eſſe vnitam* & per cuius carentiam viſio *vnita*, ſeu actu communicata intellectui redditur, ſicut per carentiam ſubſiſtentiæ redditur Natura *communicabilis*. Vnde rurſus fiet quod non teneatur Deus producere vllam creaturam, ſcilicet hanc viſionem etiam in conſortio intellectûs, vel alterius entitatis cum obligatione eam diu conſeruandi. Etenim ſi producat viſionem ſeparatam ab intellectu ſtatim poterit illam deſtruere, quin fiat falſa vt patet ex §. 19. quod ſi ex ſuppoſitione quod ſemel affirmet in concreto: *Ego æternum durabo* iam deſtrui non poteſt, impotentia iſta ſimpliciter eſt conſequens, cum non oriatur ex exigentia alicuius entitatis creatæ, ſed ex eo quod Deus voluerit quod non exiſtat modus ſeparationis, ad quam volitionem à nullo cogebatur, ſed omnino libere eam habuit.

Dices, volitio illa vt libera cogit Deum ad æternam cõſeruationem talis viſionis vt dixi nuper Sed vt libera imbibit aliquid diſtinctum à Deo vt dixi §. 32. Ergo Deus ex aliquo a ſe diſtincto cogitur ad conſeruandam neceſſariò aliquam creaturam, quod volui ego vitare ſupra. Reſpondeo diſtinguo minorem *aliquid diſtinctum*, ſeu aliquem conceptum *poſitiuum* nego, *negatiuum* hoc eſt carentia modi illius ſeparantis tranſeat; facilius autem permittitur in negatiuo conceptu prædicatum aliquod, quod in poſitiuo repugnaret. Sic carentia datur ab æterno, ſecus res poſitiua; Deus nequit producere Chymæram, & huius carentia exiſtit neceſſario, ſecus ens poſitiuum; & ratio eſt quia hæ neceſſitates, vel incapacitates arguunt perfectionem in re poſitiua, ſecus in carentia, ſic immaterialitas perfectio dicitur in re poſitiua, ſecus in negatiua igitur iuxta hanc primam explicationem iam ſtat quod in nulla creatura, vel creaturarum collectione detur exigentia, vt ſemel producta non poſſit à Deo deſtrui, quidquid ſit de infalſificabilitate huius viſionis. 34

Secundo præmiſſis in §. 9. addo viſionem in ratione *affirmantis* in concreto non ſolum conſtitui ex vnione cum potentia, ſed etiam ex connotatione realis conſeruationis, ſeu æternitatis futuræ ad modum, quo id late explicabo agens de conſtitutione libertatis diuinæ diſput. 59. ſect. 2. ita vt eadem viſio vt denominet intellectum *cognoſcentem* ſeu videntem æternam durationem ſuæ viſionis connotet quaſi diſpoſitionem neceſſariam ex parte potentiæ vt recipiat talem effectum formalem, ipſam realem futuritionem durationis æternæ, ex cuius reali euentu connotato conſtituatur intellectus capax recipiendi effectum formalem taliter cognoſcentis; quemadmodum enim volitio quantumuis cõmunicetur, & vniatur cum potentia volitiua, nondum eam denominat *volentem* quouſque ſupponat in ipſa *cognitionem*; item & diuina ſcientia non facit Deum videntem ab 35

æterno

æterno mundum futurum, niſi prout Diuinum intellectum ſupponit ratione noſtra connotantem, quod mundus futurus ſit; ita contingit in viſio ne ſupernaturali prædicta.

36 Ex quibus fit primò viſionem infalſificabilem eſſe ex ſuppoſitione quod affirmat in concreto, idque ſine diſpendio diuini Dominij, nam ſecundum ſe viſio nondum affirmat in concreto durationem æternam ſui, niſi ex ſuppoſitione quod connotetur ipſa realis, & liberrima ex Dei placito conſeruatio, ex eo autem ſolū fit neceſſitas vt res ſit vel conſeruetur ex ſuppoſitione quod eſt, quæ ſuppoſitio eſt omnino conſequens. Fit 2. expeditius vitari abſurda in §. 18. ſiquidem dum viſio affirmat ſe eſſe ſine amore Dei, vel coniungi cum peccato veniali, bene ſtat quin appetat aliquid contra ſuam veritatem, quod exigat amorem, nam hoc ſolum eſt exigere denominationem *videntis* amorem, & carentiam peccati, quæ exigentia cum præſcindat à connotatione miraculi illius, & denominationis (habitæ iam) videntis non eſſe amorem, non contradicit ſuæ veritati. Fit tertio non ſine fundamento, vel fictitie poni actus ſupernaturales ſic reflectentes in ratione affirmantium in concreto ſic conſtitutos ex connotatione extrinſeca, cum infallibilitas Dominij Diuini, & veritatis ſupernaturalis ad id cogant, negata libertate Deo adæquate intrinſeca, cuius exemplo iſta omnia diſcurruntur, quæ clarius conſtabunt videnti citatam diſp. 59. ſect. 2.

37 Obiicies cum P. Franciſco Ouiedo 1. 2. tract. 1. controuerſ. 3. punct. 3. num. 33. & ſequent. viſionem prædictam quantumuis etiam de potentia abſoluta infalſificabilem, eſſe tamen intrinſecè quidem defectibilem; extrinſecè autem ratione ſummæ veracitatis Dei ratione cuius ſibi debet non concurrere vt authorem ſpecialem ad falſitatem, indefectibilem; Vnde Dominio Dei fit ſatis, quia ex nulla exigentia intrinſeca talis creaturæ repugnaret etiam poſtquam producta eſt deſtrui potius quam Angelus, neque vlla ob talem deſtructionem vis, vel iniuria fieret tali creaturæ adhuc tamen infalſificabilis foret, & ſimpliciter indeſtructibilis, quia Deus titulo propriæ perfectionis eam teneretur conſeruare: in quo nec læditur Dominium Dei neque aliquid ponitur ſupra perfectionem creaturæ, quia ſtat bene in hac eſſe ab intrinſeco corruptibilem, licet ab extrinſeco, ſeu titulo ſibi extrinſeco corrumpi nequeat. Sic homo cui Deus promiſit ſi non peccaret non viſurum mortem, ſine læſione Dominij Dei eſſet ex Dei promiſſione incorruptibilis, quia ſimpliciter ex intrinſecis mori poterat: & Dominium morale Dei non læditur; quia ſine iniuria creaturæ poſſet negare gloriam, licet iam eam negare nequeat poſtquam illam promiſit.

38 Reſpondeo iſta omnia eſſe merè verba & prorſus variis vocibus incidere in ſolutionem, quam impugnaui ſectione 4. Si entitas viſionis illius talis eſt, vt connectatur cum hac tanta perfectione Dei, vt prorſus implicet ſine veracitate Dei exiſtere: dum dicis veracitatem Dei cum æterna conſeruatione eſſentialiter connecti profectò iam ponis omnimodam immortalitatem; Si ergo deficere nequeo niſi deficiente Deo, quis negabit me eſſentialiter immortalem eſſe: qui nititur fundamento indefectibili, opus eſt indefectibilem etiam eſſe. Et vrgeo quidquid ſit de neceſſitate ab extrinſeco. Non admittes Angelum, qui ſic immortalis ſit; neque item creaturam aliquam, quæ neceſſario primo producenda ſit; viſionem, quæ ſine peccato veniali exiſtere nequeat. Ergo per hanc ſolutionem in §. præc. nil concluditur potius, quam in ſect. 4.

39 Neque iuuant aliquid inſtantiæ quibus vtitur: fateor quando pure ab extrinſeco conuenit creaturæ aliqua perfectio incorruptibilitatis, vel ſimilis, non eleuari ſupra conditionem creaturæ, vt in exemplo poſito de Immortalitate hominis; At in præſenti intrinſecè datur incorruptibilitas vt oſtendi §. præced. & immunitas Dominij diuini id petit vt à nullo neceſitate omnino antecedente impediatur eius libitum, nec ſcilicet titulo creaturæ, nec titulo perfectionis, vel attributi ſui ipſius. Sic abſurdum foret neceſſitari quoad primam productionem. Rurſus ne lædatur Dominium morale Dei opus eſt, vt independenter à pacto nullo titulo debeatur præmium creaturæ, nec dubium eſt quod ſi iſta ex ſe connecteretur cum pacto, iam Deo parum Dominij eſſet. Ergo cum hic viſio ex ſe phyſice connectatur cum neceſſitate conſeruandi ipſam, potius hinc oſtenditur lædendum phyſicum Dominium: & hæc pro tract. de viſione in quæſt. 12. S. Thomæ de nominibus Dei ago ego infra in indice quæſt. 13.

Alias 6. dubitationes exagito infra in Indice ad qq. S. Th. ad art. 9. 10. 11. 12. 13 ibi videri poſſunt.

TRACTATVS IV.

DE SCIENTIA DEI.

NIHIL notius diuinâ ſapientiâ, nihil rurſus ſcrutatu difficilius. Sapientiam, ſeu ſcientiam Dei ipſa vox Deus ſtatim clamat *theos dictus* eſt (inquit Clemens Alexandrinus lib. 1. ſtromatum fine) *ex poſitione*, & *ordine*, & *adminiſtratione*: Damaſc. lib. 1. fidei cap. 12. ad medium *Theos à Theaſte, ideſt intuendo omnia. Nam nihil eum latere poteſt; imo omnium Inſpector eſt*: Iam vero vox *Theos* idem eſt græcis, quod nobis *Deus*. Vnde merito in probationem magnæ claritatis, qua omnibus perſuaſum eſt Deum ſapientem eſſe, concludit S Thomas, lib. 1. contra Gent. cap. 44. fine ſic: *Huius autem fidei veritas* (Deum ſcilicet ſcientem eſſe) *tantum apud homines inualuit, vt*

ab intelligendo nomen Dei imponerent. Nam Theos, quod ſecundum Græcos Deum ſignificat, dicitur à Theaſte, quod eſt conſiderare, vel videre de quo plura Athanaſius tract. de definition. colum. 2. §. *Quid eſt Deus* Dialog. 1. contra Macedonium ſub init. Gregor. Niſſen. latiſſimè lib. ad Ablabium: *Quod non tres dij* non procul ante medium. Quam rationem nominis exponens Dyoniſ. de diuinis nominib. cap. 12. prope med. ait: *Diuinitas eſt omnia contemplans prouidentia.*

Aſt quis negec ſummam in ſcrutanda diuina ſapientia difficultatem? Cui timorem non incutiat de diuina ſcientia diſputare, quæ non ſolam admirationem, ſed terrorem etiam ſua magnitudine, ſtuporemque ſapientioribus ingerit. *Multa ſunt, quæ licèt miramur, non tamen cum timore* (ait Chryſoſt. homil. 1. de incompreh. Dei natura) verbi gratia. *Magnifica ædificia columnarum ornamenta parietum, picturas corporum, flores, & elegantiam miramur. Item maris vaſtitatem, ſed non ſine metu. Sic & Propheta cum vaſtum id, immenſumque diuinæ ſapientiæ mare inſpiciat, vertigine quadam tentatus obſtupeſcit, ac ſummo cum timore demirans recedit atque exclamat: Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es: Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* Tranandum tamen hoc mare nauigationis Magiſtro S. Thoma, illoque duce ſcrutanda diuina ſcientia, quantum Fidei, & naturalis rationis principia patiantur.

DISPVTATIO XXXIV.

Quæ naturalis ratio probet ſcientiam Dei. Vbi vtrum immaterialitas ſit ratio cognoſcendi?

SECTIO I. *Rationes naturales probantes Dei ſcientiam.*
SECTIO II. *An, & quomodo immaterialitas ſit ratio cognoſcendi.*
SECTIO III. *Propria ſententia.*
SECTIO IV. *Reſpondetur ad argumenta adverſariorum.*

Vide infrà quæſt. 14. art. 1. per. 9. dubit.

PRo toto iſto tractatu videri poſſunt Authores antiqui cum Magiſtro 1. diſtinct. 35. & Recentes cum S. Thoma 1. part. quæſt. 14. Vtroſque referr, eorumque citationes proponit P. Ripalda in ſuo libro ſupra litteram Magiſtri lib. 1. diſtinct. 35. pag. mihi 71. quas, quæſo, conſulat qui hic eas requirit. Qui vero Patrum teſtimonia ad ſatietatem inueniet apud Ruiz integro tomo de Scientiæ. Ego breuitati conſulens huic deſiderio ſatis feciſſe arbitror remiſſione facta ad prædictos Authores.

SECTIO IV.

Rationes naturales probantes Dei Scientiam.

1 *Scientia Deo non minus eſt nota in eſſe, quam exiſtentia.*

SCientia vox hic præſcindit à ſubſtantiali, vel accidentali, actuali, vel habituali diſcurſiua, vel ſimplici, vt præcisè denotet perceptionem obiecti, quæ cum ſit in ſubſtantia immateriali, & ſpirituali qualis Deus, ſupponitur ex quæſt. 3. iure cum ſcientia, ſeu intelligentia conuertitur. Sic autem Deum eſſe *ſcientem* tam certum eſt, quam eſſe Deum, & primum principium perfectiſſimum; *ſiuè nil intelligat* (ait Ariſt. 12. Methap. cap. 9.) *Sed ita ſe habeat vt dormiens quid præcellens erit.* Et quid orationes ad ipſum, quid præmiorum diſtributio, quid tota omnium gentium Religio, niſi Deum omnia percipientem, & intelligentem clamant?

A priori hæc veritas probatur. Primò ex infinita Dei perfectione ratione cuius deberet poni ſub genere perfectiori, ſeu ſub perfectiori diuiſione entis, ideò debet eſſe ſub diuiſione & genere *viuentis*. Ergo ſub *intellectiuo*. Patet conſequentia tum quia æquè notum eſt quod intellectiuum præcedat non intellectiuo, ſicut viuens mortuo, tum etiam quia non eſt alia vita, quæ in Deo ſpirituali cogitari poſſit præter intellectiuam. Secundò probatur ex aliis perfectionibus *Dominij, libertatis, beatitudinis*, &c. Sine quibus non apprehenditur Deus, ipſæque apprehendi non poſſunt ſine voluntate, & conſequenter nec ſine intellectu. Imò primus nobis & notiſſimus conceptus cauſæ primæ ſtare non poteſt ſine vi intelligendi iuxta Pſal. 93. *Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat?* Etenim in cauſa prima vt in principio adæquato debent contineri perfectiones omnes creatæ cum ab illa ſola manauerint omnes, & in agente principali totali, omnis perfectio effectus inueniatur, nè det, quod non habet: neque valet ſi dicas ſcientiam in Deo non debere inueniri *formaliter*, ſed *eminenter*, quod ſufficit vt communicetur effectui; non inquam valet, nam licet hunc modum intelligendi noſtrum imperfectum habeat Deus ſolum eminenter; at *ſcientia* præſcindens à noſtra imperfectione prout dicit præcisè, *percipere obiectum*, nequit in alio eminenter contineri ſiquidem nil eſt æquè perfectum ac ipſa accepta formaliter. Ergo ſic formaliter debet dari in Deo ſcientia ſeu *perceptio obiecti*.

2 Ratio ex infinita Dei perfectione.

Primus, & notiſſimus conceptus de Deo eſt ſapientia.

Cur in Deo non ſit ſcientia ſolum eminenter.

Secunda ratio quam hic, & alibi ſæpè magnifacit S. Thomas probat ſcientiam Dei ex immaterialitate, nam eo quod res ſit materialis, coarctata eſt, & limitata ad formam propriam, vt nequeat alienas recipere, coarctatio enim formæ, eſt à materia, vt colligitur ex Ariſt. 2. de anima tex. 124. Sed res cognoſcitiua debet eſſe illimitata & capax formæ extraneæ, ſiquidem alias formas intentionaliter recipit, nam fit ipſum obiectum, quod cognoſcit; vti de anima dixit Ariſt. *fieri quodammodo omnia.* Ergo res libera à materia conſequenter liberatur ab eius coarctatione. Ergo extenditur ad cognoſcenda obiecta. Ergo Deus ſummè immaterialis ſummè extenditur, vt intentionaliter

3 Ratio ex immaterialitate.

S. Thomas. vi Deus in Indice Bergo. num. 94.
Ariſt.

naliter ſit omnes aliæ formæ, ſeu eſt omnium perceptiuus, & intellectiuus. Probat S. Thomas hanc vltimam conſequentiam quia res quo eſt immaterialior eò eſt magis cognoſcitiua.

4 *Difficultas quadruplex contra prædictam rationem.* Ratio hæc has patitur difficultates: Prima dum ait coarctationem ad formam propriam venire à materia, vel loquitur de coarctatione ad receptionem phyſicam? & ſic quælibet res quantumuis ſpiritualis coarctatur ad *eſſe* proprium, & ſingulare, vel loquitur de receptione per aſſimilationem intentionalem? & ſic cum tale recipere ſit formaliter cognoſcere: erit petitio principij probans idem per idem. Secunda, hoc quærimus: cur potius materiale incapax ſit receptionis intentionalis, quam immateriale præcipuè cum bruta materialia ſint capacia huius receptionis, ſeu cognoſcitiua. Imo poſſibilem dixi ſtando præcisè rationi cum Patre Valentia diſput. 21. de viſione potentiam materialem diſcurſiuam, & intellectiuam, non minus quam ſit anima rationalis; Quæ aſſignatur ratio repugnantiæ in huiuſmodi potentia? Tertia cum immateriale neget materiam omnem quo pacto Deus eſt immaterialior, quam Angelus? ſiquidem neuter conſtituitur ex materia, vel ex ordine ad illam. Quarta: Immateriale ſaluatur per quamcunque negationem materiæ; negatio autem à materia nihil iuuat ad cognitionem, vt patet tum in carentiis, quæ ſine materia ſunt in vbicatione Angelica, charactere, gratia habituali, quæ licèt ſpiritualia vim tamen cognoſcendi non habent ideo ſit.

P. Valent.

SECTIO II.

An & quomodo immaterialitas ſit ratio cognoſcendi? Aliorum ſententia vbi de Spiritu non intellectiuo.

5 *Thomiſtæ. Dominican. Herice.* PRima ſententia affirmat de immaterialitate prout dicit excluſionem materiæ primæ, ita vt implicet res omnino materiæ expers, quæ intellectiua non ſit. Sic Thomiſtæ Dominicani, & plures ex noſtris cum Herice hic diſput. 1. num. 13. mouentur maximè inductione, nam nulla res purè materialis intelligit; quod ſi bruta cognoſcunt ideò eſt quia recipiunt formas obiectorum ſine ipſorum materia; neque enim brutum habet in ſe materialem colorem, quem videt, nondum tamen habet intellectiuam potentiam, quia à ſe omnem materiam primam non excludit; excludit autem anima rationalis, cum ſine materia eſſe poſſit ideò intellectiua eſt, Angelus autem intelligit perfectius, quia nec ordinem dicit ad materiam.

6 *Refellitur prima ſententia.* Contra tamen primo, Deus non eſt magis extra ordinem materiæ, quam Angelus, nihilominus plus excedit ipſum vi intellectiua, quam ipſe Angelus animam rationalem. Secundò, bruta materiam habent in ſe: Ergo ſicut non obſtante propria materialitate recipiunt aliorum formas ſine materia: cur è contra non continget, vt res quæ in ſe non habet materiam aliorum formas recipere non valeat, & conſequenter nec cognoſcere. Tertiò ad immateriale ſufficit quod ſit *penetrabile, indiuiſibile, vel imperceptibile ſenſibus*. Quid autem hæc vt inferant cognitionem? quod ſi in ſubſtantiis de facto reperiuntur cum cognitione; etiam reperiuntur cum conſortio, ſeu cum eo quod cum corporibus pertineant ad idem vniuerſum, neque ideò dices hoc conſortium in immaterialitate fundari quaſi Angelus, ni immaterialis foret non poſſet ad idem vniuerſum cum corporibus ſpectare.

7 *Secunda explicatio immaterialitatis.* Secunda ſententia ſumit immaterialitatem non pro carentia entitatiua materiæ, ſed pro abſtractione ab imperfectionibus illius, à quibus quo magis diſtat res eo aptior eſt ad cognoſcendum. Ita Ruiz diſputat. 1. ſect. 3. & Recentiores aliqui mouentur quia inter imperfectiones materiæ primæ, ea eſt præcipua ſcilicet quod in ſe habere non poſſit formas extraneas: Ergo immaterialitas ſeu abſtractio ab hac imperfectione dabit inclinationem, & capacitatem ad recipiendas extraneas formas. At receptio iſta aliter fieri non valet, quam intentionaliter per aſſimilationem & repræſentationem illarum; nam nulla res habet inclinationem, vt formam extraneam phyſice recipiat; ideò enim extranea eſt quia ad rem non pertinet: Ergo immaterialitas dicta fundabit vim cognoſcendi. Confirmatur: Materia prima ita imperfecta eſt, vt nihil per ſe cognoſcere poſſit, quod experientia conſtat, omnis enim cognitio venit à forma, ſed quo res magis recedit à non cognoſcitiuo, accedit ad cognitionem magis: Ergo quo magis abſtrahit à materiæ imperfectione res eſt magis cognoſcitiua.

8 *Recipere intentionaliter formas, & cognoſcere idem eſt.* Neq; hæc ſententia placet, nam probat idem per idem vt enim notaui n. 4. recipere intentionaliter formas extraneas, & cognoſcere idem eſt; vnde quærenti cur materia prima non ſit cognoſcitiua? cur huius materialitas cognitionem impediat? nil tandem reſpondet hæc ſententia niſi experientiam de facto, nullamque talis experientiæ rationem reddit. Neque valet ſi dicas bene probari definitum per definitionem, ſic probatur quod aliquis ſit *homo*, quia *eſt animal rationale*; non valet nam

Probatio definiti per definitionem quando ſit inepta. hæc probatio ſolum eſt bona quando alias conſtat conuenire alicui definitionem, iſtaque notior eſt, ſi enim quis dubitet de aliquo eſſe hominem, & dubitet eſſe animal rationale, non benè probabis per animal rationale, ſic contingit in præſenti. Quæritur an Deus ſit intellectiuus; ſeu receptiuus intentionaliter omnium formarum: cur à ſola materia prima veniat impedimentum receptionis intentionalis: Cùm bene poſſit res immunis à materia prima conuenire cum aliqua imperfectione illius, cur res ſpiritualis non erit etiam incapax receptionis intentionalis? Sicut è contra videmus bruta entitatiuè materialia eſſe huiuſmodi receptionis capacia? Iam reſpondere his, quia bruta ſunt immaterialia receptiuè, licèt non entitatiuè, non ſatisfacit. Tota quæſtio eſt an entitatiua immaterialitas arguat cognitionem: Nam de immaterialitate ſic explicata per abſtractionem ab imperfectione non recipiendi formas extraneas, quæſtio eſſet ridicula.

9 Confirmatio, quam afferunt Recentiores pro ſua ſententia, nulla eſt: Etenim etiam character ſpiritualis cognitione caret, quin vllus dicat per abſtractionem ab imperfectionibus characteris intellectiuum conſtitui: Materia ipſa prima caret actiuitate, nec tamen vis actiua ex immaterialitate probatur: Ergo nec vis intellectiua. Conſequentia patet, nam æque per receſſum à *non actiuo* res conſtituitur magis *actiua*, ſicut *magis intellectiua*, quo magis recedit à *non intellectiuo*.

10 *Tertia ſententia negat immaterialitatem eſſe rationem cognoſcendi* Ideò tertia ſententia abſolutè negat immaterialitatem eſſe rationem cognoſcendi, adſtruitque poſſibilem Spiritum non intellectiuum, ita Gabriel cum Ocam in 1. diſt. 35. quæſt. 1. artic. 1. Arriaga diſput. 15. num. 15. & Petrus Hurtado de Men

Grabr. Oxam. P. Hurtado. Arriaga Affirmant poſſibilem. ſpiritum non intellectiuum

Mendoza in manuſcriptis. Huius fundamentum ſententiæ eſt ex dictis, quia ſi ſermo ſit de immaterialitate *entitatiua*, neque iſta requiritur ad cognoſcendum vt patet in brutis, neque ſufficit, vt patet in charactere; neque tandem affertur ratio cur carere materia prima ſtatim det vim intelligendi, vt dicam ſectione ſequendi. Si ſermo ſit de Immaterialitate abſtractionis ab imperfectionibus materiæ primæ, vel accipitur de imperfectione quáuis? & ſic omnis forma carat imperfectione aliqua materiæ, nec tamen omnis eſt cognoſcitiua, vel loqueris determinatè de imperfectione limitationis ad recipiendas formas extranias, ideſt ad recipiendas formas intentionaliter, ſeu quin ſint phyſicè in recipiente, & ſic probatur idem per idem.

SECTIO III.

Propria ſententia.

IMmateriale vt ſic non eſt ratio intelligendi; bene tamen immateriale titulo perfectionis, ſeu
11 immateriale *ſpirituale* hæc ſententia probabilis erit ſola ſui explicatione. Ad *immateriale vt ſic* ſufficit quiuis conceptus quocumque modo excludens materiam primam vel dependentiam ab illa. Immateriale vero perfectionis ſeu ſpirituale, vlterius addit quod ſit tantæ præſtantiæ & excellentiæ vt titulo illius exceſſus ordinem materiæ excludat. Quem admodum *non poſſe produci* viribus Naturæ ſolum dicit quod effectus excludat proportionem cum illa, quæ excluſio ſupernaturalitati non ſufficit, vt ſi compares calefactionem cum gratia, nec enim quia gratia eleuatur ad calefaciendum vel diſcurrendum Angelus, ad quod non habet naturales vires, ideò calefactio, vel diſcurſus forent ſupernaturales; vnde eſſe ſupernaturale ſtrictè vlterius addit hanc excluſionem euenire titulo excellentiæ qualis inuenitur in viſione Beata, actu fidei, &c.

Immateriale titulo perfectionis eſt ratio intelligendi.

Quid ſit immateriale titulo perfectionis.

12 Iam pars prima concluſionis probatur. Ad immateriale vt ſic ſufficit inferre negationem diuiſibilitatis, perceptibilitatis per ſenſus, vel etiam dependentiæ à materia quantà, per hos enim conceptus materiale conſtituitur. At hæc ratio negationem inferens perfectione quantumuis minima contenta eſt, cum vel ſupra carentias, & entia rationis cadat, quid enim connexionis eſt inter independentiam à ſenſibus, & vitam, quod argumentum formo, ſiue immaterialitatem conſtituas in penetrabilitate, in indiuiſibilitate, &c. Iſta ſolum reſpiciunt vel admittere aliud in eodem loco, vel alio vt complemento integrali ſui non indigere ad quod valde per accidens eſt moueri ab intrinſeco, & conſequenter vita, & intellectio. Ergo non eſt cur *immateriale* vt ſic inferat intellectiuum. Confirmatur, quia vt plures cenſent non poteſt deſignari creatura omnium imperfectiſſima. Ergo poterit Deus efficere alium ordinem creaturarum inferiorem hoc materiali. Ergo qui materialis non ſit, quidquid enim huic ordini materiæ affine non eſt *materiale* non debet dici. Ergo nec intellectiuus, etenim intelligere eſt ſupra ordinem materiæ. Explicatur quidquid *materialis* nomine ſignificetur ipſum quidem habet aliquid perfectionis. Cur ergo repugnabit aliquid aliud imperfectius licet indiuiſibile, inſenſibile à quantitate independens ſit, hoc autem intellectiuum non erit.

Immortalitas vtcunque nõ arguit vim cognoſcendi.

13 Secunda pars probatur, quia ſpiritus, ſeu perfectio, quæ titulo exceſſus excludit materiam, & dependentiam ab illa debet eſſe ex genere ſuo ſuprà omnem rem materialem: ſed res immaterialis quæ eſt ſuprà omnem materialem, neceſſario eſt intellectiua. Ergo ſpiritus ſeu immateriale titulo perfectionis eſt intellectiuum. Conſequentia eſt bona; maior probatur, quia ex terminis implicat quod titulo exceſſus in perfectione res aliqua materiam excludat, ſi non dicit perfectionem maiorem, quam res materialis; ſic effectus qui titulo perfectionis eſt ſuprà vires naturæ, neceſſario pertinet ad gradum, ſeu genus perfectius omni effectu naturali. Minor etiam patet, quia talis res debet vt minimum pertinere *ad genus cognoſcitiuum*, cum hoc ſit ſub gradu materiali in brutis, nil autem ex genere non cognoſcitiuo poteſt æquare cognoſcitiuum, nedum ſuperare: tunc ſic, ſed cognoſcitiuum immateriale eſt cognoſcitiuum intellectiuè vt patet. Ergo.

Quod ex genere ſuo perfectiore, ſeu ob exceſſum perfectionis excludit materiam corpoream, & phyſicam neceſſario eſt intellectiuum

14 Probatur ſecúdò eadẽ pars. Immateriale perfectũ, ſeu ordo ſpiritualis perfectior eſt ordine materiali ita vt ex genere ſuo, & cæteris paribus res eo quod ſit ſpiritualis perfectior ſit quam materialis. Id videtur per ſe notum, idoque Deus conſtituitur ſub gradu ſpirituali. Sed niſi immateriale hoc afferat vim intelligendi, non eſt cur titulo immaterialis eleuetur ſupra materiale, & imbibat perfectionem maiorem. Ergo, &c. Minor probatur, tum quia præciſè *eſſe* ſiue materia ſolum dicit, quod excludat perfectionem illius, quæ excluſio indifferens eſt, vt contingat per defectum, aut per exceſſum; tum etiam quia vt aliquis ordo conſtituatur ſuperior, & ex participatione illius collocetur res in gradu perfectiori, neceſſarium eſt vt imbibat tanquam primam radicem aliquid excellentiæ. Atqui ſolum *intellectiuum* eſt ita excellens; ergo. Confirmatur immateriale præciſè ex eo quod ſit cognoſcitiuum perfectum, ſeu intellectiuum fundat in naturalibus genus ſuperius materiali. Ergo immateriale quod ex genere ſuo eſt ſuperius materiali debet eſſe intellectiuum. Conſequentia patet, antecedens probatur, tum quia alia prædicata vel inueniri poſſunt in re materiali, vel ex genere ſuo materiam non excedunt; imò ſunt infrà illam ex §. 12. tum etiam quia materia & materialis ordo nullam aliam perfectionem apparet impedire, niſi cognitionem perfectam, vt experientia de facto perſpicuum eſt:

Ordo ſpiritualis ex genere ſuo perfectior eſt ordine materiali.

15 Ex his infero primo communem modum loquendi Authorum nempe intellectiuum colligi ex immaterialitate non *negatiuè* accepta ſed *poſitiuè*, quod ego dixi titulo perfectionis, & exceſſus. Infero ſecundo non implicare ſubſtantiam vtcunque immaterialem non intellectiuam, implicare verò immaterialem ſtrictè, *ſeu ſupra materialem*, id eſt ſpiritualem quæ intellectiua non ſit. Primum patet, quia non eſt cur tantæ imperfectionis ſit materia prima, vt aliquid inferius illa, vel ſaltem inferius omni dependenti ab ipſa, non ſit poſſibile; hoc autem immateriale erit, & non intellectiuum ex dictis. Confirmatur. Poſſibilis putatur à pluribus materia ſeu potentia ſubſtantialis *immaterialis*. Vide Suarium diſput. 13. Metaph. ſect. 14. num. 5. Item immateriale diuiſibile, &c. Ergo & incapax cognitionis, vt quid enim ſola materia afferet hanc imperfectionem. Cum non ſola afferat alias. Secundum etiam patet, nam ſupernaturalis ſubſtantia, ſi detur, ſuperat perfectione omnem naturalem. Ergo *ſuper materialis*

Supermateriale neceſſariò eſt intellectuum.

Suarez.

materialis omnem materialem, quod ſtare non poteſt ſine cognitione. Confirmatur, quia perfectio talis ſubſtantiæ eſt, in qua radicatur eleuatio *ſpiritualis* ſupra materialem. Ergo ipſa imbibere debet perfectionem maiorem.

16 *Recte probatur Deus ex immaterialitate intellectiuus.* S. Thom.

Infero tertiò quod præcipuè hic intenditur ex immaterialitate rectè probari Deum eſſe intellectiuum, nam immaterialitas Dei eſt titulo exceſſus ſupra materialitatem vt per ſe notum eſt, ideoque id ſupponit ſanctus Thom. eo quod quæſt. 7. art. 1. probauerit Deum eſſe infinitum, item eo quod quæſt. 3. art. 2. probauerit eſſe purum actum nihil habentem de potentialitate, ergo immaterialitas Dei eſt titulo exceſſus, & perfectionis. Ergo cùm Deus longiſſimè ſuperet materiam, ſicque ſit in ſummo gradu, & perfectione immaterialitatis erit etiam in ſummo gradû intelligendi. Deinde aliter argui poteſt ex immaterialitate Dei poſito vt principio notiſſimo Deum cognoſcitiuum eſſe. Vis cognoſcendi ſi immaterialis ſit, eſt intellectiua, nam cognitio intellectiua à ſenſitiua ſola differt materialitate, ſed Deus eſt cognoſcitiuus ſummè immaterialis. Ergo erit intellectiuus.

Immateriale cognoſcitiuum intellectiuum eſt.

SECTIO IV.

Aduerſis argumentis occurritur.

17 *Argumenta vt omne immateriale ſit intellectiuum. ſoluuntur.*

PRimum eſt, vt omne immateriale ſit intellectiuum etiam de poſſibili. De facto nulla ſubſtantia materialis eſt intellectiua, item omnis immaterialis intellectiua eſt. Ergo hoc eſt de conceptu materialitatis, & immaterialitatis, vt nec de poſſibili valeat aſſignari ſubſtantia Immaterialis, quæ intellectiua non ſit; etenim non alio titulo cenſemus implicare hominem, qui non ſit rationalis, niſi quia omnis homo de facto rationalis eſt. Nego conſequentiam de poſſibili conceſſo antecedente de facto, nam etiam de facto omne corpus conſtat ex actu, & potentia ſubſtantiali, cum tamen non negetur poſſibile corpus ſimplex; inſtantia de homine non concludit quia hæc vox *homo* ſumpta eſt pro hac ſpecie determinata, quam experimur, vnde vbi aliquis conceptus ab hac ſpecie diſſidet implicat quod ſit *homo*. *Immateriale* verò ſumitur vniuerſaliter, vt comprehendit omnia entia, quæ materialia non ſunt, quare hæc vox non eſt metienda ex his, quæ videmus, ſic *immaterialis*, diceretur ſpiritus, qui ſine conſortio corporum daretur, licet de facto omnis ſpiritus corporibus aſſideat.

Corpus ſimplex non repugnat.

Cur implicet homo etiam de poſſibili, qui non ſit rationalis.

18 *Subſtantia, quæ non exiſtat per ſe, vti hæc, quã experimur repugnat.*

Vrgebis etiam ſubſtantia ſumpta eſt vniuerſaliter pro omni re ab accidente diſtincta, nihilominus, quia eam experimur exiſtentem per ſe, nec de poſſibili datur ſubſtantia, cui non conueniat perſeitas. Reſpondeo in ſubſtantia non colligimus perſeitatem etiam de poſſibili per experientiam. Etenim ob experientiam nulla eſt creatura præter Angelum ſupremum quæ tamen poſſibilis admittitur, ergo ideò colligitur perſeitas, quia ex ipſis terminis quidquid non habet inhærentiam vocamus *ſubſtantiam*. Non ergo hinc mirum eſt ſi implicet in terminis ſubſtantia non ſtans per ſe. Cum autem hæc vox *immateriale* non ſit impoſita pro *intellectiuo*, hinc niſi aliunde conſtet intellectualitas, non ideò ob immaterialitatem aduertenda eſt, licet de facto immaterialitatem comitetur.

19 Obiicies ſecundò cum Thomiſtis. Res quæ magis recedit à materia eſt magis intellectiua, vt patet in anima rationali, quæ melius intelligit extra corpus, quam intra corpus. Reſpondeo, nego aſſumptum de vi cognoſcitiua ad quam illo vtuntur Thomiſtæ, quid habet anima talpæ, vt magis recedat à materia, quam ignis? Siquidem vtraque forma materialis eſt, & quoad ſubtilitatem ignis profecto præſtat talpæ. Dices talpa recipit ſpecies ſine materia rei cognitæ. Contrà etiam Angelus recipit ſpecies ſine ſpiritualitate rei cognitæ, neque ideò per receſſum à tali ſpiritualitate conſtituitur vis cognoſcitiua. Deinde æquè ſic immaterialis eſt leo ac canis, tamen iſte inæqualiter cognoſcit, acriorem odorem habet, ſic in lynce perſpicacior eſt viſus. Ad inſtantiam de anima rationali. Reſpondeo in primis ex materia non impeditur ad intellectionem vt ſic, cum etiam in corpore diſcurrat: Deinde tranſeat quod materia impediat cognitionem non ideo erit vnicum impedimentum intelligendi; quare aliunde poterit impediri cognitio, ſicut paries interpoſitus impedit viſum, & tamen potentia viſiua adhuc libera à pariete impediri poteſt alio corpore opaco. Item non valet hæc conſequentia: nullus actus materialis eſt intellectio. Ergo omnis immaterialis erit intellectio, falſificatur enim in volitione. Ita igitur licèt materiale non ſit intellectiuum non ideò ſtatim immateriale intellectiuum erit.

Non quò magis quid recedit à materia eo magis cognoſcitiuum eſt.

20 *Argumenta vt nullo titulo immaterialitas ſit ratio cognoſcendi, licet ſpiritualis ſit.*

Obiicies tertiò è conuerſo contra ſecundam partem meæ concluſionis, licèt *ſpirituale* ex genere ſuo ſit perfectius materiali, non ideò debere eſſe *intellectiuum*. Primo quia gradus intellectiuus non eſt in quo fundatur exceſſus rei ſpiritualis, ſuprà materiam; dixi namque diſput. 21. de viſione, non implicare potentiam materialem diſcurſiuam, & perceptiuam obiecti ſpiritualis. Secundò incorruptibile licèt ex genere ſuperet rem corruptibilem, tamen aliquid poteſt eſſe incorruptibile, quod ſuperetur; quia ſcilicet perfectio hæc aliunde compenſatur, vt incorruptibilitas ſolis per rationalitatem hominis. Ergo ſpirituale licet ſit ex genere ſuo ſupra materiam, poterit tamen in ſpecie eſſe imperfectius. Vt ſi cogites aliquid ſpirituale *corruptibile*, & compares cum cognoſcitiuo materiali incorruptibili, vt enim rectè perpendit Pater Euſebius Nieremberg in tractatu de differentia æterni à temporali; optabilior eſt perfectio æterna quamuis minima, perfectione maxima temporali, vt præeligenda foret humanitas indefectibilis Deitati, ſi per impoſſibile deficere valeret. Item de facto vbicatio Angelica ſpiritualis inferior eſt bruto. Tertiò non cognoſcitiuum poteſt eſſe perfectius cognoſcitiuo, vt plures dicunt de gratia habituali collata cum Angelo, ne dum cum bruto cognoſcitiuo. Quartò vbicatio Angeli, character, &c. Spiritualia ſunt nec tamen intellectiua, ſi dicatur ſermonem eſſe de ſubſtantia ſpirituali; Ecce vnio hypoſtatica, ſubſiſtentia Angeli, Tertia perſona Trinitatis vt ſic formaliter intellectiua non ſunt licet ſubſtantiales.

21 *Inſtantur in ſpirituali ſupernaturali.*

Hæc tertia obiectio, & omnes eius replicæ manifeſtæ inſtantur in gradu ſupernaturali qui maximè intellectiuus eſt, dum materia caret: Quis enim cogitauit ſubſtantiam ſupernaturalem non intellectiuam? Et tamen contra ipſam æque militat tota hæc obiectio. Reſpondeo igitur ſpiritualitatem ſecundum ſe acceptam nullo titulo afferre perfectionem ſuperiorem ex genere ſuo, niſi quia ex genere inuoluat perfectionem intelligendi

& intellectiuo radicetur; nullam enim perfectionem videmus poſitiue materialitati repugnare niſi intellectionem.

22 *Potentia materialiũ quidditatiue perceptiua ſpiritualium repugnat.* Hinc ad primam replicam illa potentia immaterialis non eſſet perceptiua quidditatiuè rei materialis, nam omnia conciperet ad modum corporum, vt videmus in anima noſtra dum in via ſumus. Ad ſecundam, incorruptibile per ſe imbibit affirmationem perfectionis durantis: Sicut corruptibile negationem durationis: quare non mirum, ſi afferat perfectionem ex genere maiorem, quin fundetur in gradu poſitiuo excellentiori. *Incorrupti-bile ex ſe dicit perfectionem entis, ſecus immateriale.* Non ita *immateriale* quod ſolum affert negationem perfectionis materialis ſecundum ſe impertinentem ad augendam excellentiam rei, niſi fundetur in radice poſitiua eminenti, quæ alia nequit eſſe quam intellectiua ſubſtantia; Vnde gradus ſpiritualitatis in accidente vt in vbicatione Angelica compenſari poterit per aliud prædicatum rei materialis, quia adhuc apprehendi valet titulus ſuperioris ordinis in tali vbicatione, quin ipſa in ſe perfectior ſit. *Subſtantia intellectiua mortalis imperfectior eſſet (ſi per impoſſibile daretur) quã cognoſcitiuã immortale, licet materiale.* Secus in ſubſtantia, quæ niſi intellectiua foret ex nullo capite haberet conſtitui in ordine ſuperiore vt patet in ſupernaturali; ſubſtantia immaterialis intellectiua mortalis tranſeat quod ſit imperfectior materiali cognoſcitiua immortali, quia æterna duratio omnem perfectionem temporalem, quantumuis maximam in cognoſcitiuis recompenſat; at ego ſolum intendo opus eſſe ad id quod titulus immaterialitatis augeat cæteris paribus perfectionem, vt illa in intellectiuo, ſeu cognoſcitiuo meliori fundetur.

23 *Cognoſcitiuum cur ſit perfectius omni non cognoſcitiuo.* Iam ad tertiam replicam reſpondeo *cognoſcitiuum* manifeſtè præſtare non cognoſcitiuo: illud enim & gaudium habet, & quaſi per ſe, & ſibi bonum eſt. Hoc autem non ſibi, ſed aliis cognoſcentibus eſt bonum, quare nec eſt æſtimabile per ſe, & hinc licèt gratia aliis poſſidentibus melior ſit quam brutum, vel etiam Angelus, non tamen in ſe melior eſt ſicut bonum vtile non præſtat bono propter ſe, ſeu honeſto, & delectabili, vndè ſimpliciter eſſet eligibilius eſſe brutum quam eſſe gratiam, licèt longe præſtabilius ſit hanc poſſidere. Ad quartam, illa omnia accidentia, & ſubſtantiæ ſunt in ordine intellectiuo, & ideò eam excellentiam, & præſtantiam habent, licèt formaliter intelligentia non ſint, quia in intellectiuo radicantur. Sic ordo ſupernaturalis immaterialis intellectiuus eſt, vt implicet ſubſtantia ſupernaturalis, quæ intellectiua non ſit, licèt amor ſupernaturalis, habitus charitatis, caracter, &c. Intellectiua non ſint in ſe formaliter, ſed in radice.

24 *Quo pacto ex immaterialitate probetur vis intelligendi?* Obiicies quartò immaterialitas perfecta, ſeu ſpiritualitas conſtituitur formaliter, & conſiſtit in gradu intellectiuo. Ergo non benè ex illa intellectus concluditur ſed probatur idem per idem. Reſpondeo non probo ex immaterialitate intellectum vt ex ratione à priori, ſed vt ex medio illationis, vti dixit Aureolus 1. diſt. 35. part. 1. art. 2. propoſit. 3. §. Ad 2. hoc eſt vbi conſtiterit aliquid eſſe immateriale titulo perfectionis eſſeque eleuatioris ordinis ſupra materialem (quod manifeſtè conſtat, de immaterialitate Diuina) Dico inferri, quod ſit intellectiuum quia niſi ex hoc gradu non poteſt tantam excellentiam participare.

* * *

DISPVTATIO XXXV.

Vtrum in Deo detur actus primus intelligendi?

Sectio I. *Senſus quæſtionis explicatur aliquibus præmiſſis.*
Sectio II. *Authorum ſententiæ referuntur, & refelluntur.*
Sectio III. *Defenditur in Deo actus primus intelligendi realis.*
Sectio IV. *De Potentia proximâ, Habitu, & ſpecie impreſſa ad intellectionem diuinam.*

Poſita iam ſcientia Dei, probataque naturali lumine, deinde agendum eſt qualis illa ſit conueniatque Deo, An ſcilicet per modum potentiæ ſeu actus primi, ſiue radicalis, ſiue proximi, vt in nobis, An vero per modus actus ſecundi, & actualiſſimæ intellectionis. De quo Theologi Moderni iam agunt in præſenti materia de ſcientia Dei. Antiqui autem communius agunt 1. diſt. 35. Vbi Durandus Carthuſ. Ricardus, Scotus, & alij apud Didacum Ruiz hic diſput. 3. ſect. 1. num. 2. *Vide quæſt. 14. art. 1. dubio 4. 5. 6.*

SECTIO I.

Senſus quæſtionis explicatur aliquibus præmiſſis.

Præmito primo ea prædicata ſolum Deo vere tribuenda, in quibus, ſublatis imperfectionibus, inuenitur aliqua perfectio propria ſignificati per talia prædicata, verbi gratia tribuitur Deo *Scientia*, quia ſublata imperfectione *diſcurſus, accidentis*, &c. Manet perfectio *repræſentationis euidentis*, in qua ſaluatur ſignificatum *ſcientiæ*. At non poteſt Deo tribui *diſcurſus*, quia ſublata imperfectione *tranſitus* vnius actus in alium, *cauſalitatis*, &c. Nulla perfectio manet, in qua ſaluetur ſignificatum *diſcurſus*. Sic Auguſt. 1. ad ſimplician. quæſt. 2. ad medium. *Cum deſero de humana ſcientia mutabilitatem, & tranſitus quoſdam à cogitatione in cogitationem*, &c. *Et reliquero ſolam viuacitatem certæ veritatis inſinuatur mihi vtcunque ſcientia Dei.* Ergo ſolum tribuenda Deo ſunt ea prædicata quæ aliquam propriam ſui perfectionem ſiue imperfectionem conſeruant. 1 *Ea ſolum prædicata Deo tribuenda, quæ ſignificant perfectionem ſine imperfectione.*

Præmitto ſecundò non quæri in præſenti diſtinctionem actus primi à ſecundo de hac enim diſp. ſequenti, ſed quemadmodum quidquid ſit de diſtinctione, verè in Deo datur intellectio, & volitio. Ita quærimus deturnè aliquod prædicatum in Deo proprium actus primi intelligendi, quamuis diſtinctum non ſit ab actu ſecundo actualis intellectionis. Potius igitur hic ſupponimus eſſentiam Diuinam ab intellectione ipſa non diſtingui, ſi enim diſtingueretur abſque dubio eſſentiæ conueniret ratio potentiæ, & actus primi intelligendi. Vnde quæritur in præſenti, ſitnè indiſtinctè *Deus* 2

actus primus & ſecundus intelligendi, quemadmodum indiſtinctè eſt intellectio, & volitio; quemadmodum Paternitas ſine vlla diſtinctione eſt principium generandi, & generatio ipſa actualis.

3 *In Deo non eſt potentia per modum producentis.*

Præmitto tertio non eſſe in Deo actum primum intelligendi, ſeu potentiam *productiuam, receptiuam, elicitiuam*, aut *radicem* intellectionis; licet enim ad hæc omnia cogitanda, vel apprehendenda ratione noſtra, & modo cognoſcendi imperfecto detur fundamentum ex parte Dei, quia his omnibus muneribus potentiæ intellectiuæ creatæ æquiualet ſimpliciſſima Dei entitas, & actualiſſima intellectio: at cum vere, & actu inueniri iſta non poſſint, ſine reali diſtinctione (ſiquidem inter principium, & principiatum per ſe nota eſt realis diſtinctio) ſicut hæc vere non datur ex parte Dei inter formalitates abſolutas, ita nec vera *elicientia, receptio, radicatio*, &c. Confirmatur, nemo ponet ex parte obiecti in Deo *compoſitionem, pluralitatem* veram ea proprietate, qua abſolutè Deus verè dicitur *intelligens*, & volens. Atqui actus primus, ſeu radix, & potentia productiua, receptiua, &c. non poteſt intelligi ſine compoſitione & pluralitate. Ergo.

4 *Datur in Deo prædicatum aliquod, quod cõuenit actui primo intelligendi.*

Præmitto quartò verè dari in Deo prædicatum quod in noſtro actu primo intelligendi creato reperitur, quodque vt à nobis concipitur, non dum aperit *intellectionem* actualem verbi gratia, concipitur Deus *vt ſubſtantia intellectiua, vt perſona*, &c. Qui conceptus cum ſoli conueniat actui primo intelligendi: & non ſit communis actui ſecundo noſtro, nondum aperit Diuinam intellectionem actualem. In re tamen prædicatum hoc, ſicut & quodlibet aliud excogitabile pro actu primo & potentia intelligẽdi Diuina conuenit ipſi intellectioni, vtpote quæ cum omnibus prædicatis Dei realiter identificatur, vnde quærimus non an Deo conueniat aliquod prædicatum ita proprium actus primi, vt ex parte obiecti non conueniat actui ſecundo ſeu intellectioni ipſi. Hoc enim eſt impoſſibile cum non diſtinguantur ex parte obiecti. Sed an detur prædicatum aliquod ratione cuius in Deo ſit potentia ſeu actus primus intelligendi, quamuis indiſtinctus à ſecundo ſicut datur vera intellectio, licet indiſtincta à volitione, vera potentia generandi, licet à generatione actuali non diſtinguatur.

SECTIO II.

Authorum ſentetiæ referuntur, & refelluntur.

5 *Ponit actum primum ex natura rei.*

PRima ſententia ponit in Deo realem actum primum phyſicum intelligendi ita Scotus 1. diſtinct. quæſt. 7. circa medium §. obiicitur verſu ad 1. & §. contra iſtam verſu ad tertiam inſtantiam. Alenſis 1. part. quæſt. 20. Cui ſententiæ merito adſcribi poſſunt reliqui Scotiſtæ ponentes diſtinctionem ex natura rei, cum Smiſing. tract. 3. diſput. 2. quæſt. 1. num. 13. Item & Recentiores cum ſua diſtinctione virtuali intrinſeca, qua de vna formalitate Diuina abſolutè negetur immediatè prædicatum aliud Diuinum, ſeruata ſimplicitate, & identitate vtriuſque. Etenim ſic abſolutè poſſet poni principium: Et potentia productiua, quæ non maiorem diſtinctionem petit à prædicato *producto*, quam negatio à prædicato *negato*. Si ergo de vna formalitate negatur alia abſolutè, vt de eſſentia Dei *eſſe principium Spiritus Sancti* ſeruata identitate reali cum tali principio, ita affirmari poterit, quod ſit potentia productiua operationis realiter in diſtinctæ ab ipſa. Probatur hæc ſententia primo reſpectu intellectionis *notionalis*, ſeu Verbi, hoc enim verè producitur per intellectum. Ergo in Deo datur vera potentia productiua intellectionis, ſeu actus primus phyſicus intelligendi. Secundò reſpectu ſcientiæ liberæ, quam non habet, & poteſt habere, ſi ſcilicet crearet alium mundum, tunc illum videret exiſtentem, quam viſionem non habet nunc intellectus Diuinus. Ergo non eſt in actu videndi exiſtentiam talis mundi. Ergo eſt in potentia; Non purè paſſiua; Ergo *productiua*. Tertiò ratione, cuiuſuis intellectionis etiam neceſſariæ Deus viuit per illam verè, realiter, & ex parte obiecti. Ergo ea intellectio habetur ab aliquo reali principio per illam ſe mouente ex parte obiecti. (Vita enim eſt principium motus,) & conſequenter productiua talis intellectionis. Adfauet his diuus Aug. lib. 83. quæſton. q. 15. illis verſis. *Quod omnium rerum cauſa eſt etiam ſapientia ſua cauſa eſt.* Cauſa autem potentiam productiuam ſignat, vt patet reſpectu creaturarum.

Scotiſtæ. Alenſis. Smiſing. Recentiores.

Probatur actus primus realis.

S. Auguſt.

6 *Reiicitur.*

Sententia hæc de actu primo phyſico realiter productiuo intellectionis ſimpliciter à nullo Catholico affirmatur. Cæterùm in re ipſa non aliud videntur ſentire diſtinguentes ex natura rei, vel etiam virtualiter intrinſecè, vt modo notaui; Si enim titulo huius diſtinctionis poſſet actu realiter dici, in aliquo vero ſenſu obiectiuo: *eſſentia non eſt intellectio* ſine vlla iniuria ſimplicitatis, vti dicis: *eſſentia non eſt principium Spiritus-Sancti*; *non eſt ſcientia alterius mundi*; cur non poteſt dici ſimili proprietate eſſentia actu realiter *principiat* intellectionem? cur ad proprietatem & actualitatem *principiandi* maior diſtinctio requireretur, quam ad actualem negationem. Quare hæc ſententia de actu primo phyſico verè productiuo ex parte obiecti, ſiuè ex natura rei, ſiue virtuali extra præſentem controuerſiam debet eſſe, vt conſtat ex tertio præmiſſo.

7 *Relatio qua producitur in verbo non eſt ſcientia, ſeu cognitio formalis.*

Ad eius fundamenta Reſpondeo. Ad primum Relatio, quæ formaliter producitur in verbo, nõ eſt per ſe actus intelligendi ſimpliciter, licèt conſtituat intellectionem notionalem, quatenus eſt terminus intellectionis, alias in Filio daretur ſpecialis ſcientia, Paterque eſſet ſapiens, ſapientia genita contrà Doctores omnes de quo latè diſputionibus de Trinitate. Reſpondeo ad 2. Deus non poteſt habere nouum actum ſcientiæ viſionis, ſed modo eſt in actuali ſcientia de alio mundo futuro, quatenus titulo huius ſcientiæ quam modo habet, vbi alius mundus futurus foret, ſine noua ſcientia, illum actu repræſentaret ſicut modo actu eſt immenſus, quia per hanc eandem immenſitatem eſſet in alio mundo ſi iſte poneretur. Ad tertiũ Deus non viuit phyſicè per intellectionem, ſed intentionaliter, cui vitæ ſufficit quod ſit ab intrinſeco intentionaliter eo modo, quem explicabo latè ſectione ſequenti. Diuus Aug. loquitur de ſapientia notionali.

Scientia viſionis intrinſecè inuariabilis eſt.

Deus per intellectionem non viuit vita phyſica.

8 *Ponunt actũ primum ratione.*

Secunda ſententia ponit in Deo hunc actum primum ratione noſtra. Ita communiter omnes Thomiſtæ hic, & communius noſtri authores cum Molina 1. part. quæſt. 27. art. 5. diſput. 2. Suar. diſput. 30. Met. ſect. 15. & alij cum Martinon 1. part. diſput. 13. num. 7. Arriaga diſput. 15. ſect. 3. ſubſect.

Thomiſtæ. Molina. Suar.

Martinon. Arriaga. S. Thom. ſubſect.3. Fauet S. Thomas 1. part. quæſt. 41. art. 4. ad 3. vbi ait *reſpectu intellectionis ſaluari rationem potentiæ in Deo, ſolum ſecundum modum intelligendi.* Itâ qu. 1. de potentia art. 1. ad 2. ait *Dari in Deo aliquid principium ſuæ operationis ſecundum rationem.*

9 *Probatur.* Fundatur primò quia non magis repugnat Dei ſimplicitati diſtinctio inter formalitates abſolutas, quam productio, & receptio, atqui datur in Deo diſtinctio ratione noſtra; ergo & principium. Vbi autem ſemel datur in Deo principium ad operationem indiſtinctam, etiam poteſt admitti principium ad intellectionem ſeu actus primus. Secundò quia Deum poſſumus concipere per diſtinctos conceptus, & per connotationem ad actum primum, ſecundum modum noſtrum intelligendi. verbi gratia quando conſideramus eſſe *virtutem intelligendi*, eſſe *intellectiuum vt quod*, eſſe *naturam perſonatam*, quæ prædicata conueniunt ſoli actui primo. Et rurſus per connotationem ad noſtram intellectionem, vt quando conſideramus eſſe *rationem intelligendi* eſſe *actum formam*, &c. Ergo ſaltem ratione noſtra datur in Deo actus primus, etenim ſicut entitas Dei per connotationem ad rem diſtinctam conſtituitur diſtincta, per rationem noſtram ſimiliter per connotationem ad rem priorem erit ratione noſtra prior.

10 Vlterius arguit Martinon ſupra num. 6. ſimpliciſſima Dei entitas æquiualet noſtro actui primo & ſecundo intelligendi, ergo per hanc æquiualentiam virtualiter, & ratione noſtra diſtinguitur à ſubſtantia intellectiua, plus enim affirmat de Deo, qui dicit eſſe actualiter intelligentem, quam qui dicit eſſe intellectiuum. Sed ſubſtantia, quæ formaliter diſtinguitur ab intellectione, comparatur ratione noſtra, vt actus primus reſpectu illius, quando eſt talis ſubſtantia apta reddi intelligens per illam intellectionem, vt accidit in Deo, ſicut enim quando talis ſubſtantia eſt realiter diſtincta, eſt actus primus realis, ita per diſtinctionem rationis fiet actus primus ratione. Ergo in Deo datur actus primus intelligendi ratione noſtra.

11 *Reiicitur.* Refellitur hæc opinio, quia vel ſolum intendit poſſe Deum concipi à nobis penes prædicatum conueniens, & commune noſtro actui primo vel etiam penes prædicatum proprium conſtituens actum primum in ratione talis. *Deus concipitur ad modum actus primi ſed nō eſt actus primus, nec ratione noſtra.* Primum non ſufficit, vt conſtat ex quarto præmiſſo; plura enim prædicata noſtri actus primi ſunt indifferentia ſecundum ſe ad actum ſecundum, *vt ens ſpirituale*, &c. Secundum autem formaliter conſiſtit in productione, reſpicientia, elicientia, *&c.* Reſpectu intellectionis. Hoc autem nec ratione noſtra probatur inueniri in Deo, aliud enim eſt quod ratio noſtra ad ſimilitudinem noſtræ potentiæ intellectiuæ producentis concipiat Deum, aliud quod per Iudicium etiam affirmet dari talem productionem in Deo. Primum contingit reſpectu Dei, ſed non ſufficit ad ponendam in ipſo potentiam, ſeu actum primum intelligendi, nec ratione noſtra, quemadmodum nec ratione noſtra Angelus eſt iuuenis, Deus eſt mutabilis, corporeus, *&c.* Secundum autem neutiquam affirmat ratio noſtra iudicatiua de Deo, falſum enim ſentiret, qui diceret dari in Deo veram *reſpicientiam* ad actum ſecundum intelligendi.

12 *Sicut nec ratione noſtra eſt Corpus. Accidēs, &c* Vnde ſecundò impugnatur iſta ſententia, in Deo non datur actus primus accidentalis, corporeus, *&c.* Nec ratione noſtra, quamuis à nobis concipiatur per connotationem ad potentiam noſtram accidentalem; quamuis æquiualeat ipſi, *&c.* Quia ſcilicet ex parte obiecti per aſſenſum ſeu Iudicium poni nequit ſine imperfectione in Deo ratio accidentis, ſed nec poni poteſt iudicatiuè ratio *producentis* reſpectu formalitatis abſolutæ. Ergo ſicut accidens non mollitur, quia ponatur ratione noſtra, ita nec actus primus phyſicus, ſeu potentia productiua. Ergo ſicut conuenientia, vel æquiualentia cum accidente, non facit intellectum Dei accidentalem, ita nec productiuum, quia nimirum non probatur conuenire ſecundum differentiam talis, ſed ſecundum aliud prædicatum ſuperius. Denique reiicitur hæc opinio. In creatis eſt poſſibilis iuxta plures ſubſtantia intellectiua per ſuam eſſentiam intelligens actu. Ergo Deus per ordinem ad illam, nec ratione noſtra habebit actum primum. Patet conſequentia, tum quia ſicut per ordinem ad actum primum noſtrum realiter productiuum ponis in actuali intellectione Dei ratione noſtra actum primum, Ita ex ſimilitudine cum intellectione independenti ab actu primo iſte negandus erit etiam ratione noſtra. Tum etiam quia intellectus Dei potiùs comparandus eſt cum intellectu perfectiori poſſibili, ſic non ponis, nec ratione noſtra in Deo viſionem præciſiuam obiecti immediati, licet comparari poſſit cum noſtra cognitione *Nec cognoſcens præciſiue.* præciſiua, quia ſcilicet melius, & perfectius comparatur cum cognitione comprehenſiua poſſibili.

Ad fundamenta poſita §. 10. Reſpondeo ad primum diſtinctio rationis ſumitur in Deo extrinſecè 13 *Cur in Deo ſit potius diſtinctio, quam productio rationis.* penes noſtras cognitiones inadæquatas, quin aliquid ponat in Deo, ſed præcisè denotet à nobis concipi vnum ſine alio ex parte modi, hoc nil imperfectionis ponit in ipſo Deo. At productio non reducitur ad noſtrum modum concipiendi, ſed intrinſecè requirit aliquid veræ productionis in Deo; neque enim quia ad modum producentis concipiatur Deus, ideò potiùs producens erit ratione noſtra, quam ſit corpus, cum ad modum corporis concipitur, vnde etiam patet ad ſecundum maximè iuxta dicta ſuprà num. 11.

Item patet ſolutio ad 3. in §. 11. nec enim quia 14 *In Deo eſt actus primus phyſicus ratione noſtra apprehenſiue non indicatiue.* Deus æquiualeat alicui prædicato noſtro ideo appingendum eſt Deo, nec ratione noſtra, alias quia Deus æquiualet igni, ignis eſſet ratione noſtra. Ad quartum reſpondeo ſecundum apprehenſionem imperfectam cogitari poteſt Deus ad modum actus primi, ſicut Angelus ad modum egregij iuuenis. Cæterum ſicut iſte non eſt iuuenis ratione noſtra, ita nec Deus actus primus phyſicus intelligendi, quia illa prima apprehenſio præſcindens, & diſtinguens rationem ſubſtantiæ ab actuali intellectione corrigitur per ſubſequens iudicium repræſentans talem rationem ſuperiorem contrahi vt per ſuam differentiam per intellectionem actualem, vnde neque ex parte noſtri modi concipiendi talis ratio erit actus primus phyſicus, quemadmodum nec gradus ſuperior comparatur ratione noſtra vt actus primus productiuus differentiæ verbi gratia animalitas rationalitatis.

Tertia ſententia negat Deo omnem actum pri- 15 *Negat omnem actum primum etiam ratione.* mum intelligendi, etiam ratione noſtra, dum hæc concipiat Deum vt eſt in ſe, quia ſic neceſſario concipiendus eſt vt purus actus ſecundus intelligendi, actualiſſimaque intellectio ſubſiſtens. Ita Aureolus 1. diſt. 35. part. 1. art. 3. Gabriel in præſenti dubio 1. ad 1. & latiſſimè Pater Herice diſput. 2. cap. 3. in præſenti. Ruiz diſput. 3. ſect. 4. & ſequentibus: *Aureol. Gabriel. Herice. Ruiz.* fundamentum eſt. Primò quia ratio intellectus per modum potentiæ, & in actu primo dicit imperfectionem, requirit enim veram reſpicientiam, &

elicientiam

elicientiam actus ſecundi (quę elicientia imperfecta eſt ex dictis) Huius ratio eſt, quia quouſq; hæc elicientia cogitetur, nil cogitatur proprium actus primi; etenim reliqua omnia, quæ poſſunt cogitari cõmunia ſunt actui primo & ſecundo; verbi gratia, eſſe ſubſtantiam, ſubſiſtentem, intelligentem, vt quod, &c. etiam conuenit intellectioni ipſi actuali perfectiſſimæ, & infinitæ, aliàs infinita non eſſet, ſi his perfectionibus careret. At ex primo præmiſſo, vt aliquod prædicatum Deo tribuatur debet eius ſignificatum ſecundùm proprium illius conuenire Deo: Ergo, &c. Secundò, arguitur ſi detur poſſibilis intellectio actualis per ſe ſubſiſtens, verbi gratia, Angelus intelligens per ſuam ſubſtantiam: tum ſaltem realiter non daretur actus primus intelligendi: Ergo nec in Deo dabitur ratione noſtra, nam de conceptu formali intellectionis Diuinæ ſi à nobis concipiatur vt eſt in ſe, eſt ſubſtantia completa ſubſiſtens, &c. de hac ſententia conſtabit ex ſequentibus.

SECTIO III.

Defenditur in Deo actus primus intelligendi realis.

16 *Probatur actus primus realis intentionalis.* NOn phyſicus, & productiuus vt patet ex dictis contra primam ſententiam, ſed intentionalis. Probatur datur in Deo realiter, & à parte rei independenter à noſtris conceptibus *principium intentionale operandi* intellectiuè: Ergo actus primus realis intelligendi. Patet hæc conſequentia quia per actum primum intentionalem intelligendi propriiſſimè venit principium operandi intellectiuè: Antecedens hoc ſyllogiſmo oſtenditur. *Principium intentionale quid?* Principium intentionale operandi vt tale eſt ſatis concipitur dum eſt *id quod operatur*, ita vt ab alio priùs operario non ſit, licèt tale principium nec phyſicè producat, ſeu influat in eam operationem, imò ab ipſa indiſtinctum ſit, ſed principium tale conuenit Deo à parte rei reſpectu intellectionis; ergo conuenit principium intentionale. Conſequentia eſt euidens: Minor etiam eſt clara, nam intellectio eſt actualis vita, eſt tendentia, ſeu reſpicientia in obiectum, eſt ſimpliciter operatio intentionalis in illud, non autem alterius quam Dei.

17 *Principium non requirit diſtinctionem à ſua operatione.* Maior in qua eſt præcipua difficultas ſuadetur primò à paritate principij phyſici, quod concipitur in ratione talis dum ſit id, quod operatur phyſicè, licèt phyſicè non influat, nec diſtinguatur à ſua operatione. Sic Paternitas Diuina eſt principium phyſicum generandi, nec tamen diſtinguitur, aut influit in operationem, ſeu actionem generatiuam. Secundò principio ſufficit ſi comparetur cum ſuo termino *vt quod* ea ratione qua eius operatio comparatur *vt quo*, quidquid ſit de cauſalitate, & influxu in operationem, id patet ſi Deus ſeipſo eſſet operatio phyſica, ſeu actualis productio ſubſiſtens creaturarum, tunc enim verè diceretur illarum principium, quin verè flueret actio productiua à Deo, At idipſum habet principium intentionale, nam operatio intentionalis reſpicit *vt quo* ſuum terminum, quem tamen non producit, nec diſtinguitur ab ipſo, quid enim horum habet cognitio reſpectu ſui obiecti. Rurſus principium intentionale titulo talis operationis eadem ratione reſpicit *vt quod cognoſcens* tale obiectum. Tertiò, principium intentionale vt tale non debet *Nec productiuum.* eſſe productiuum, nam in ſententia ſatis communi ponente intellectionem in pura qualitate, ſubſtantia eſſet intellectiua, ſeu actus primus, & principium intelligendi per ſolos actus à Deo infuſos, quamuis nullo modo cauſatos phyſicè à tali ſubſtantia, ſed purè receptos: Ergo ſufficit principio intentionali, ſi ſit id quod operatur ſine vlla productione, aut diſtinctione à ſua operatione, neque enim potius eſt de conceptu principij diſtinctio, quam productio.

Secundo arguo ea proprietate, qua in aliquo ſuppoſito datur vera operatio, ſi tale ſuppoſitum comparetur *vt operans* per eam comparatur etiam vt principium ſic operandi: id patet in operatione phyſica, quæ ſuppoſitum per eam operans denominat vt principium; patet etiam ex re quæ, ſi paſſiuè operata ſit conſtituitur in ratione termini: Ergo & operans in ratione principij. Tunc ſic ſed intellectio eſt vera operatio intentionalis: Ergo Deus qui comparatur vt operans per eam erit principium ſic operandi. 18 *Operans vt tale cenſetur principium ſic operandi.*

Minor probatur primò: Quia nemo non apprehendet plus operationis in Deo qua intelligente, quam qua æterno. Secundò, intellectio eſt exercitium actu viuendi: *viuere* autem ſaltem in linea in qua eſt vita per opera ionem concipimus, vt è contrà mortuo modo ſe habere rem quæ nil operatur quemadmodum etiam producere effectum, & viuere phyſicè ex apprehenſione terminorum, eſt operari phyſicè, ita videtur ad apprehenſionem terminorum pertinere quod *viuere* intentionaliter ſit operari intentionaliter, opponi ſomno, otio, & quieti. Hæc omnia aprime comprehendit Ariſtot. 1. Ethic. cap. 8. in medio: *Viuere Deos vniuerſi putant, quare & operari, non enim oportet illos vt Endymionem dormire. Viuenti igitur ei cui actio, & multo magis effectio non tribuitur, quidnam aliud præter contemplationem reſtat. Quare Dei operatio præcellens Beatitudine contemplatiua ſine controuerſia erit.* Confirmatur in Deo datur verus actus intentionalis operandi: Ergo vera potentia intentionalis, ab actu enim ad potentiam valet conſequentia: Sed non potentia purè logica, prout poſſibilitatem ſignat, tum quia hæc non foret intentionalis, ſed phyſica ab omni enim entitate exiſtente reali valet conſequentia ad poſſibilitatem phyſicam, tum etiam quia pura poſſibilitas, & potentia logica non eſt *ad aliud*: non eſt *operandi*, ſed *eſſendi*: Ergo datur in Deo vera potentia per modum actus primi intentionalis. 19 *Intellectio vt talis præſcindendo à vi producendi eſt in linea operationis.* Ariſt. *Deus eſt operans per intellectionem.*

Tertio arguo: Intellectio eſt operatio poſitiuè ab intrinſeco verè & ex parte rei, non phyſicè, ergo intentionaliter: Ergo datur in Deo principium ſeu actus primus intentionalis. Hæc conſequentia patet, quia id *à quo* oritur, ſeu eſt poſitiuè operatio propriiſſimè dicitur *principium illius.* Prima conſequentia etiam patet, & minor propoſitio ex dictis; nam actus phyſicus non datur ſine diſtinctione, & principio phyſico; maior probatur, intellectio verè eſt operatio vitalis, ergo eſt ab intrinſeco, vita enim per operationem ab intrinſeco explicatur, non negatiuè, quatenus non ſit ab extrinſeco, tum quia ſpeciali ratione Deus viuit per intellectionem, & hæc per modum operationis apprehenditur, quàm immenſitas, & omnipotentia. In hoc autem quod eſt oriri negatiuè ab intrinſeco, ſeu non eſſe ab extrinſeco, æqualiter ſe habent omnia prædicata Diuina; tum etiam quia concepui intelligendi per accidens eſt produci vel non produci ab alia cauſa, vt pateret in creatura identificante ſecum intellectionem, quę intellectio licèt phyſicè 20 *Intellectio poſitiuè eſt ab intrinſeco.*

phyſicè ab extrinſeco non minus redderet ſubſtantiam creatam intelligentem & viuentem, ergo intellectio non ſolum debet eſſe ab intrinſeco negatiuè, ſed etiam aliquo modo poſitiuè.

21 *Duplex modus eſſendi ab intrinſeco phyſicè, & intentionaliter.*

Explicatur ſicut duplex eſt operatio: prima phyſica *productionis*, ſecunda intentionalis *tendentiæ & reſpicientiæ* in obiectum; ita etiam operatio dupliciter eſt ab intrinſeco primo vt à tendente phyſicè, ſeu producente intra ſe; Secundo vt à tendente intra ſe intentionaliter; ideo per cognitionem à Deo infuſam adhuc ego viuo, ſeu operor ab intrinſeco intentionaliter, quia talis cognitio ſolum eſt à me vt cognoſcente ſeu intentionaliter operante. Ergo intellectio Dei eſt intentionaliter ab intrinſeco verè, & ex parte obiecti ſeu datur in Deo intrinſecum, *à quo* realiter intentionaliter eſt intellectio. Sed id formaliſſimè eſt dari actum primum intentionalem; ſicut dari actum primum phyſicum eſt dari à quo ſit phyſicè. Ergo, &c.

22 *Datur in Deo realiter actus primus intentionalis, ſed non purus realiter, ſed qui ſit etiam ſecundus.*

Ex dictis infero primo tam in Deo, quam in ſubſtantia creata ſi daretur identificante intellectionem inueniri actum primum intentionalem non purè *primum* ſed qui ſimul ſit ipſe actus ſecundus, ſicut datur intellectio, & volitio licet indiſtinctæ: item idem eſt actus primus & ſecundus generandi: Ita idem eſt operatio intentionalis & operans *quod*, ſeu *à quo*, ſit talis operatio intentionaliter, quæ prædicata ſunt propria actus primi, ſiue diſtincti, ſiue indiſtincti à ſecundo. Infero ſecundò ratione noſtra dari actum primum purum intentionalem, nam ad hoc ſufficit prædicatum operantis *vt quod*, ſiue *à quo* ratione noſtra diſtingui ab actuali operatione, quæ diſtinctio neganda non eſt hic ſiquidem quin ponatur aliqua imperfectio ex parte obiecti poteſt cognoſci à nobis vna formalitas Diuina ſine alia. At nec ratione noſtra datur actus primus phyſicus, quia iſte addit productionem elicientiam, &c. quam ratio noſtra ſi vera ſit non ponit in Deo, vt ſatis conſtat ex dictis. Ex quibus facile quiuis ſoluet obiecta, quæ opponi poſſunt contra concluſionem poſitam.

Eſt tamen purus ratione noſtra.

SECTIO IV.

De potentia proxima, habitu, & ſpecie impreſſa ad intellectionem Diuinam.

23 *Vide infra q.14. a.1. dub 5. & 6.*

Pater Arriaga hæc omnia ponit in Deo hic diſputat. 15. ſect. 3. ſubſect. 4. Quia in Deo datur proxima non repugnantia ex parte potentiæ ad intelligendum, quæ poſſit concipi ſine actuali intellectione; qua correſpondet potentiæ intellectiuæ diſtinctæ ab anima: item proxima ex parte obiecti, qua correſpondet ſpeciei impreſsæ. Denique proxima ſine vlla difficultate, ex parte potentiæ, qua correſpondet habitui. Ergo datur in Deo potentia proxima, ſpecies, & habitus intelligendi. Conſequentiam probat, quia id prædicatum datur in Deo, cuius aliquid proprium illius in Deo inuenitur ſine imperfectione.

24 *Pro potentia proxima intelligendi.*

Secundo argui poteſt ſpecialiter, vt detur potentia proxima. Verbum Diuinum oritur per intellectum, non per intellectum in actu ſecundo, ſic enim verbum non procedit per intellectum, ſed eſt ipſa intellectio Patris, non in actu primo remoto, alias procederet per naturam, vt vult Durandus contra omnes Theologos; Ergo datur actus primus proximus, ſeu potentia intellectiua per quam procedat verbum. Rurſus probatur habitus, quem ſolus ponit Henricus 1. part. art. 37. quæſt. 1. quia in Diuina voluntate, dantur virtutes morales, ergo in intellectu intellectuales, virtus autem idem eſt quod habitus. Conſequentia probatur, tum à paritate, tum etiam quia nemo negabit Deo ſcientiam, prudentiam, artem, &c. quæ inter virtutes intellectuales numerat Ariſt. 6. Ethic. cap. 3. *Pro habitu.*

25 *Pro ſpecie. Alarcon. Ruiz.*

Denique maximè arguitur pro ſpecie impreſſa, quam dari in Deo tuentur multi cum Alarcon d. 1. cap. 1. num. 7. & plures cum Ruiz diſput. 4. ſect. 2. quæ videtur ſententia Sancti Thomæ 1. contra gentes, cap. 46. & 47. Probatur: proprium munus ſpeciei eſt determinare ex parte obiecti, & complere actum primum intelligendi, vt nihil ipſi deficiat ex parte obiecti. At Deo ad ſuam intellectionem nihil deficit ex parte obiecti. Rurſus eſſentia Diuina qua obiectum eſt, verè determinat intellectum Dei vt cognoſcat. Ergo verè habet rationem ſpeciei. Confirmatur, eſſentia Dei verè eſt obiectũ terminans neceſſariò & proportionatè cognitionem Diuinam. Ergo determinans. Ergo ſpecies. Hæc ſecunda conſequentia patet, quia nomine ſpeciei impreſſæ ſolum intelligimus, id quod ex parte obiecti determinat ad cognoſcendum, ſiue diſtinguatur ſiue non ab obiecto ipſo. Ideo Angelus per ſuam ſubſtantiam obit munus ſpeciei intelligibilis, vt ſe cognoſcat. Prima conſequentia probatur, tum quia obiectum, quod ita titulo ſuæ præſentiæ neceſſario connectitur cum cognitione ſui, dicitur determinate, & quaſi cogere ad talem cognitionem. Tum etiam quia non eſt cur potius tribuatur eſſentiæ Diuinæ proprietas terminandi, quam determinandi, nam æquè terminatio realis ſecundum ſe diſtinctionem denotat, ac determinatio; tum denique, quia eſſentia Diuina, ita eſt obiectum *terminatiuum* vt ſimul ſit *motiuum*, terminare autem motiuè, eſt determinare.

26 *Reiiciuntur iſta omnia.*

Nihilominus ex dictis, hæc omnia neganda ſunt. Probatur, iſta omnia ſecundum ſuum munus proprium non complent, niſi actum primum phyſicum, ſed talis actus primus, nec ratione noſtra ponendus eſt in Deo. Ergo, &c. Maior probatur, tum generaliter, quia actus primus intentionalis eſt, ſupra quem cadit denominatio *operantis* intentionaliter, ſeu *intelligentis*, quæ denominatio ſolum cadit ſupra ſubſtantiam Dei, cum hæc ſola ſit, quæ *intelligit*, & *amat*, quin requiratur aliud concipi præter ipſam ad hanc denominationem. Vnde ex potentia proxima ſolum iuuatur ſubſtantia indigens tali potentia vt principio *quo* intellectionem producat; tum ſpecialiter id patet; de potentia ipſa intellectiua, nam hæc ſolum additur, quia ſubſtantia non eſt immediatè productiua, vel non ſatis determinata ad producendum intellectionem præ volitione, denominatio enim *intelligentis*, ſicut nec *amantis* non cadit ſupra potentiam, alias amaret, qui non intelligit, ſiquidem potentia volitiua, quæ diſtingueretur ab intellectiua purè eſſet *amans*, quin eſſet *intelligens*, idem à fortiori patet de habitu, cuius facilitatio apprehendi nequit, niſi ad producendum. Quis enim concipiat ſubiectum facile, vel difficile, vt denominetur? Denique ſpecies impreſſa non viuit, & conſequenter, nec operatur intentionaliter;

Quia non dantur niſi ad iuuandum principium phyſicum.

ſed

ſed purè efficit; datur enim vt in principio producente, præexiſtant omnes formalitates termini producti: principium autem *non viuens* non poteſt operari intentionaliter vt patet.

27 Ad oppoſita reſpondeo. Ad 1. in §. 23. illa prædicata ſunt communia, nec potiori titulo propria actus primi proximi, quam actûs ſecundi, licèt in creaturis imperfectis ſoli potentiæ proximæ conueniant. Quod non ſufficit vt ex parte Dei ponatur potentia proxima. Iuxta dicta ſect. 2. contra ſecundam ſententiam. Ad 2. §. 24. Reſpondeo Verbum procedit per *intellectionem actualem* eſſentialem, cuius terminus eſt, ipſi enim verbo ſpecialiter non conuenit eſſe intellectionem abſolutam, ſeu eſſentialem ſed tantum notionalem. Vndè non ſatis probatur potentia proxima. Neque item habitus, nam licet dentur in Deo virtutes intellectuales, ſicut morales, at virtus quæ in nobis eſt habitus in Deo eſt actus puriſſimus permanens.

Verbum non procedit per intellectum in actu primo, ſed per ipſam intellectionem.

Virtus in Deo non eſt habitus, ſed Actus.

28 Ad argumentum §. 25. Pro ſpecie impreſſa nulla ratione eſt Diuus Thomas, quia potius defendit illo cap. 46. non dari in Deo ſpeciem intelligibilem, Cum autem dicit loco huius Deo ſufficere ſuam eſſentiam, non facit hanc ſpeciem formaliter, ſed æquiualenter, ſicut Deus æquiualenter eſt principium reale intelligendi phyſicum, licèt illo formaliter careat. Quare concedo nihil deficere Deo ex parte obiecti ad intelligendum, non quia obiectum influat, nec operando phyſicè, vt patet, nec intentionaliter, cum obiectum intentionaliter *non viuat*, ſed quia Deus vt ſe cognoſcat obiecto operante non indiget. Datur in Deo vera ratio obiecti *terminantis* cognitionem, & conſequenter proximè intelligibilis, & ſi velis *determinantis*, quia ad hoc ſufficit eſſe *verè cognitum*, ſic enim erit proximè intelligibile, nulloque alio proportionante indigens, præcipuè ſit ita comparetur, vt non poſſit non cognoſci. Cæterum adhuc nihil horum ſufficit, vt ſit ſpecies impreſſa, nam huius nomine ſignatur id quod influit in cognitionem, vt patet in Angeli ſubſtantia, vel ſaltem determinat potentiam, alias indifferentem, talem enim experimur proprium ſignatum ſpeciei impreſſæ, etenim ſi hæc munera non videremus nullus ſpeciem admitteret Ex quo patet ad confirmationem eſſentiam Dei eſſe determinatiuum, & hac ratione poſſe motiuum determinatè appellari, non tamen ideò ſpecies erit vt dixi; quod ſi dicitur eſſentia Diuina gerere vices ſpeciei reſpectu creaturarum, ſolum eſt per æquiualentiam, vnde conſtat non dari in Deo *memoriam* in actu primo, ſic enim à ſpecie non diſtinguitur, de eo tamen in actu ſecundo dicam infrà.

In Deo nulla ſpecies nec concurſus obiectiuus vt ſe cognoſcat, datur.

Ratio terminantis, & determinantis ſuam cognitionem datur.

Memoria non datur in Deo.

DISPVTATIO XXXVI.

An intellectio actualis conſtituat eſſentiam Dei?

SECTIO I. *Status quæſtionis, & Authorum ſententia.*

SECTIO II. *Nullâ diſtinctione ex parte obiecti intellectio differt ab eſſentia diuina.*

SECTIO III. *Intellectio Dei nec ratione noſtra ratiocinatâ diſtinguitur ab eſſentia Dei.*

SECTIO IV. *Per rationem ratiocinantem diſtingui poteſt intellectio ab eſſentia Dei: Vbi aliquæ illationes proponuntur de indiſtinctione per rationem ratiocinatam.*

SECTIO V. *Aliqua opponuntur & ſoluuntur.*

PLVRA, quæ poſſint, vel etiam deberent pro explicanda præſenti difficultate dici dicta ſunt iam in tract. 2. de eſſentia, & attribut. diſput. 17. item dicenda commodius erunt in primis diſputationibus ſequentis tractatus de voluntate, ideo vel omnino ea omittam hic, vel breuiſſime ſolum inſinuabo. Pro concluſione, quam ſtatuo hic in ſectione 2. Authores nullos refero, eſt enim reclamante nemine omnium Scholaſticorum præter Scotiſtas; antiquorum quidem cum Magiſtro 1. diſt. 8. §. *hic diligenter.* Recentiorum etiam cum S. Thoma 1. part. quæſt. 3. art. 4. 5. & vlt. & quæſt. 14. art. 4. & 1. contr. Gent. cap. 45. & de veritate quæſt. 2. Pro qua concluſione faciunt omnia quibus latiſſimè impugnaui omnem diſtinctionem ex natura rei diuinarum perfectionum ab eſſentia diſput. 14. & diſp. 15. per totas. Secundam concluſionem eſſe contra omnes Scholaſticos dixit P. Didacus Ruiz de Montoya. diſput. 8. de ſcientia ſect. 6. num. 11. ſed illius ſectatores pro me plures dedi diſput. 17. ſect. 6. & pro explicandis omnium teſtimoniis, quæ nobis opponit P. Ruiz ſupra ſufficit diſtinctio rationis ratiocinantis, quam ponam ſect. 4. Certè Georgius Hemelmam to. 1. in 1. part. tit. 4. diſp. 1. per 25. capita noſtram ſententiam tuetur, & pro ea adducit ſingillatim notatos plus quam *ſexaginta* Authores in cap. 2. & 5.

Vide quæſt. 14. art. 1. dubio 7. & art. 4. per 3 dub. & ſupra diſput. 17 ſect. 4

SECTIO I.

Status quæſtionis, & authorum Sententiæ.

1 NOn quærimus diſtinctionem realem, cum de fide ſit omnia in Deo cum eſſentia identificari, neque item inquirimus, quæ ſint omnia conſtitutiua eſſentiæ Dei, ſiue realiter ſiue ratione. Nobis enim hic ſufficit ſi conſtet, ingrediatur-ne diuinæ eſſentiæ conſtitutionem actualis intellectio ſiue hæc ſola ſufficiat ſiue aliæ etiam perfectiones includantur, vt animalitas non diſtinguitur ab eſſentiâ hominis, qui tamen eſſentialiter non ſolam animalitatem, ſed rationalitatem etiam includit formaliter. Hinc apparet locum dari huic quæſtioni quantumuis alius conceptus ab intellectione ſit de eſſentiâ Dei, imò licet iſte conceptus ſit prior intellectione; bene namque aliqua eſſentia rei conſtituitur, ex duobus conceptibus, quorum vnus ſit prior, & alius poſterior, quemadmodum ens naturale ex materia priori & forma poſteriori; ſi tamen è conuerſo nullus conceptus in Deo diſtinguatur prior ab intellectione, nec formaliter, nec virtualiter, manifeſte tunc eſſentia Dei non diſtinguetur vllo modo ab intellectione, ſed intellectio dicetur conſtitutiuum illius, vti ob ſimilem identitatem realem, intellectio realiter non diſtinguitur ab eſſentia Dei, ſed eſſentiam rea-

An intellectio ſit de eſſentia Dei ſiue adæquatè, ſiue inadæquatè.

Intellectio poteſt eſſe Dei licèt ſit poſterior.

liter conſtituit, diciturque Deus realiter intelligere per ſ am eſſentiam.

2 *Definitio eſſentię.* Eſſentiæ nomine in præſenti intelligimus primum conceptum differentialem, ſeu diſtinctiuum rei, qui prior ſit; radixque cæterorum omnium, qui in ea re ſunt; vnde eo pacto, quo in Deo talis conceptus ſit prior, ſiue realiter, ſiue ratione noſtra cenſenda eſt eſſentia ſiue realis ſiue per noſtram rationem. Quia tamen ſupponimus vt certum nullum eſſe conceptum in Deo realiter *priorem*, ſicut nec *diſtinctum* ab intellectione Diuina, id vnum quærimus. An ſaltem formaliter ſiue ex parte obiecti, ſiue ſaltem ex modo noſtro concipiendi detur in Deo aliquis conceptus vltimus, & prædicatum differentiale (titulo cuius Deus ab omnibus aliis diſtinguatur) prius, & radix intellectionis, ſeu quod à ſe diſtinctum præſupponat intellectio.

3 *Triplex diſtinctio, & præſuppoſitio.* Diſtinctio autem & præſuppoſitio (ſecluſa reali de qua non poteſt eſſe hic quæſtio) triplex eſt: prima ex natura rei *formalis*, ſeu actualis, qua vna formalitas actu non eſt alia ex parte obiecti, licet ſit idem realiter cum illa, vt de omnibus prædicatis Diuinis diſcurrunt Scotiſtæ. Secunda *virtualis* intrinſeca, qua vna formalitas actu eſt alia, negatur tamen de illa aliquod prædicatum quod affirmatur de hac ex parte obiecti; vna formalitas actu eſt alia quidem, ſed non eſt ex parte obiecti omnia prædicata identificata cum tali alia (quod eſt realiter diſtingui in tertio quæ diſtinctio intercedit inter relationes, & naturam Diuinam. Tertia diſtinctio eſt *virtualis extrinſeca* ſeu ex modo noſtro concipiendi, qua vna formalitas ex parte obiecti omnimodè eſt alia, & omnia prædicata illius; At quia vel pluribus æquiualet, vel quia plura diſtincta realiter connotat, per noſtram imperfectam cognitionem, poteſt concipi ſine alia, ſic identificata ex parte obiecti, vt in homine animalitas & rationalitas.

4 *Quadruplex ſententia.* Hinc quatuor ſunt ſententiæ. Prima diſtinguit intellectionem ab eſſentia ex natura rei, ita Smiſing. tract. 3. d. 2. num. 13. & alij Scotiſtæ cum Scoto primo diſtinct. 8. quæſt. 3. Sententia ſecunda diſtinguit virtualiter intrinſecè, pro qua video plures authores referri qui tamen mihi dubiæ fidei ſunt, cum non ſatis diſtinguant diſtinctionem virtualem intrinſecam ab extrinſeca ideo ſolum Recentiores noſtros huic ſententiæ adſcribo. Tertia diſtinguit ſolum ratione noſtra ratiocinata ex modo noſtro concipiendi. Ita omnes Thomiſtæ, & communiter noſtri antiqui, & Recentiores, quos refert & ſequitur Ruiz diſput. 8. de Trinitate ſect. 5. & ſequentibus, & 8. de ſcientia ſect. 6. Alarcon tract. 2. diſput. 1. cap. 5. qui addit neque actum primum neque ſecundum intelligendi eſſe prædicatum eſſentiale Diuinum, ſed tantum attributale. Quarta neque etiam ratione noſtra diſtinguit intellectionem Dei ab eſſentia. Ita olim aureolus primo diſtinct. 35, arricul. 3. Gabriel ibi & recentius Pater Herice, diſput. 3. cap. 3. Quarum ſententiarum fundamenta ex dicendis conſtabunt.

1. diſtingunt ex natura rei formaliter. Scotiſtæ. 2. Virtualiter intrinſece Recentiores. 3. Ratione ratiocinata. Thomiſtæ. Ruiz. Alarcon. 4. Nec ratione. Aureol. Herice. Grabr.

SECTIO II.

Nulla diſtinctione ex parte obiecti intellectio differt ab eſſentia Diuina.

5 *Neq; eſſentia neq; aliquod prædicatum eſſentiæ poteſt independẽter ab intellectu noſtro negari de intellectione diuina.* HÆc concluſio primæ & ſecundæ ſententiæ propoſitæ numero præcedenti opponitur. Probatur primo de Intellectione ex parte obiecti, in nullo ſenſu vero poteſt negari eſſentia ſed neque poteſt negari aliquod prædicatum eſſentiæ; ergo nullo modo obiectiue diſtinguitur intellectio Dei ab eſſentia eius. Conſequentia patet ex num. 4. Antecedens ſuadetur quoad primam partem, quia ſi actu ex parte obiecti independenter ab intellectu noſtro; *intellectio non eſt Deitas* ſeu eſſentia Diuina, quid ipſi deeſt, vt realiter ab ipſa diſtinguatur? ſicut enim *non eſſe* ex parte obiecti ſeu à parte rei independenter ab intellectu eſt *realiter non eſſe*; ita *non eſſe alind*, ex parte obiecti erit: *realiter non aſſe alind*, quod formaliſſimè eſt *diſtingui*, ſicut *eſſe alind* eſt *identificari*. Hinc ſuadetur ſecunda pars anteeedentis, nullum prædicatum eſſentiæ diſtinguitur realiter ab intellectione, vt ex fide conſtat. Si autem aliquod prædicatum poſſet de intellectione negari ex parte obiecti tale prædicatum diſtingueretur; ſicut enim eſſentiam ipſam negari, eſt eſſentiam diſtingui: ita negari aliquod prædicatum illius erit diſtingui quoad hoc: vnde ad hominem contra diſtinguentes ſolum virtualiter intrinſecè vrgentiſſimè pugnat paritas hæc, nam ſi ſemel ſtat negari aliquid ex parte obiecti, quin illud vt ſic formaliter diſtinguatur à parte rei, ſimiliter licebit dicere, quod quamuis intellectio non ſit eſſentia ex parte obiecti; adhuc realiter non diſtinguatur ab illa, quia eſt idem ens reale.

Probatur ſecundo. Eſſentia non poteſt negari de intellectione ex parte obiecti. Ergo nullum prædicatum eſſentiæ poteſt negari, ergo nec ex natura rei, nec virtualiter intrinſecè diſtinguitur eſſentia ab intellectione. Secunda conſequentia patet ex dictis. Prima ſuadetur ad hominem contra Recentiores diſtinguentes virtualiter; nullum prædicatum plus diſtingui poteſt ab intellectione, quam virtualiter, nec enim admittunt ipſi diſtinctionem ex natura rei. Ergo ſi eſſentia non poteſt negari de intellectione; Quamuis ipſi recentiores velint eam ab intellectione virtualiter diſtingui, neque etiam poterit negari vllum prædicatum eſſentiæ. Iam antecedens ſuadetur, tum quia à parte rei de nullo poteſt negari *ens reale*; non minus autem quidquid exiſtit in Deo eſt Deitas, quam quidquid eſt in rerum natura eſt ens reale, tum etiam quia ſimiliter poſſet negari *perfectio*, neque enim minus eſt de conceptu intellectionis Dei eſſe perfectionem, quam eſſe Diuinam, ſeu infinitam. Confirmatur; eſſentia Diuina, vel vitaliter diſtinguitur à prædicato, quod negatur de intellectione? vel non? ſi primum? ergo in illo prædicato non conſiſtit eſſentia virtualiter; ſiquidem eſſentia diſtinguitur ab illo ſi ſecundum? ergo non minus ipſa eſſentia negabitur de intellectione, quam illud prædicatum. Vnde eſſentia ſecundum ſe totam (vt ita dicam) negabitur de intellectione, vt volunt Scotiſtæ nullaque identitate nectentur intellectio, & eſſentia; ſicut enim Miſericordia, æternitas, &c. quæ datur à parte rei in Deo eſt realiter talis, quia datur independenter ab intellectu in ipſo obiecto, ita hæc negatio, ſeu diſtinctio, erit realiter talis cum detur ab intellectu. 6

Vrgens confirmatio contra negantes diſtinctionem ex natura rei.

7 *Intellectio nõ erit perfectio ſimpl ſimplex ſi diſtinguatur ab eſſentia Dei.* Probatur tertiò intellectio eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, hæc enim conuenit cuicunque prædicato Diuino abſoluto, ſed non erit talis intellectio, ſi diſtinguatur obiectiuè ab eſſentia; ergo. Minor probatur primo. Quia perfectio ſimpliciter, ſimplex definitur illa *quæ melior eſt ipſa in quolibet*, quam

quam non ipſa. Si autem eſſentia non ſit intellectio, non eſt meliùs eſſentiæ eſſe intellectionem, quam non eſſe intellectionem, vt patet. Secundò ſi intellectio diſtinguatur ab eſſentia, in hac non continebitur illa formaliter vt patet, ſed eminenter; repugnat autem profectionem ſimpliciter ſimplicem contineri in alia *eminenter*, ideò ex intellectu creato colligitur Deus intellectiuus non eminenter, ſed formaliter; & ratio eſt quia quod non eſt aliqua perfectio ſimpliciter ſimplex non eſt tam bonum; quam ipſa perfectio, ſi quidem de ratione perfectionis ſimpliciter ſimplicis eſt non eſſe tam bonum *non ipſam*, quam *ipſam*, nihil autem continetur eminenter in alio minori bono. Probatur tertiò minor; illa perfectio ſimpliciter ſimplex nullam habet imperfectionem, aliàs melius eſſet non ipſa. Ergo nulla caret perfectione ſimpliciter ſimplici; nam carentia huius perfectionis imperfectio eſt, ſiquidem melius eſt *non ipſa*, quam *ipſa carentia*. Ergo ſi intellectio diſtinguatur virtualiter, ſeu non ſit eſſentia ex parte obiecti, non erit perfectio ſimpliciter ſimplex.

Perfectio ſimpl. ſimplex non poteſt eminenter in alio contineri.

Nulla caret perfectione.

8 Dices perfectio ſimpliciter ſimplex melior eſt ipſa, quam non ipſa realiter. Intellectio autem licèt diſtinguatur ab eſſentia formaliter ex parte obiecti, adhuc eſt idem realiter cum illa. Sed contra nam quidquid ſit de diſtinctione reali, verè eſſentia *non eſt ipſa intellectio.* Ergo loquendo de intellectione, non eſt verum melius eſſe ipſam, quam non ipſam, quod per ſe dicit definitio perfectionis ſimpliciter ſimplicis, neque enim addit *non eſſe ipſam realiter.* Deinde hinc ſaltem fiet aliqua ratione verè ex parte obiecti intellectionem non eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem, cum verè ex parte obiecti non ſit melior, quam eſſentia *non ipſa.*

9 Contra concluſionem poſitam ex prima & ſecunda ſententia obiici poteſt. Primò intellectio eſt operatio vitalis. Ergo eſt à natura ſeu eſſentia, tanquam conceptus poſterior ipſa verè, & ex parte obiecti, & conſequenter diſtinguitur ab illa. Secundò relatio verbi gratia Filiatio diſtinguitur virtualiter ab eſſentia, & tamen nullum prædicatum Filiationis diſtinguitur realiter ab eſſentia. Ergo bene poteſt vnum negari de alio, quin diſtinguatur realiter ab illo. Tertiò Pater eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, nec tamen eſt melior, quam *non Pater* ſeu Filius. Quartò ex parte obiecti datur verè in Deo eſſentia, & datur verè proprietas, ſic canit Eccleſia, *vt in eſſentia vnitas, & in perſonis proprietas adoretur.* Ergo iam non repugnat conceptus obiectiuus primarius, & ſecundarius in Deo. Quid ergo ſi admittatur in eſſentia reſpectu intellectionis?

10 Hæc obiecta parui momenti ſunt, ideò breuiter perſtricta retuli. Ad primum conſtat ex diſput. præcedent. intellectionem eſſe operationem vitalem *intentionaliter*, talis autem operatio vitæ non petit diſtinctionem, nec poſterioritatem veram reſpectu operantis. Ad ſecundum Filiatio, non diſtinguitur immediatè ab eſſentia, nec vllo modo obiectiuè negabile eſt de illa aliquod prædicatum in abſtracto, ſeu formalitas identificata cum Filiatione, negatur autem quoad munus vel in concreto, quia huic negationi ſufficit ſi eſſentia identificetur cum aliquo diſtincto tertio realiter à Filiatione, titulo cuius diſtincti eſſentia reddatur incapax talis muneris, ſeu effectus formalis, quod latè explicui diſput. 15. ſect. 21. Ad tertium Pater eſt perfectio ſimpliciter ſimplex ab vna deitate communi Filiationi; non ratione Paternitatis & relationis, ſicut nec Filius eſt perfectus à ſua Filiatione, vt à perfectione ſimpliciter ſimplici. Iam Deitas Filij non negatur de Patre. Ad quartum in Deo eſt *eſſentia, & proprietas*, id eſt *commune & proprium* cuiuſque perſonæ, ad quod non requiritur obiectiue conceptus ſecundarius & poſterior vt intendit obiectio, ſed dari verum prædicatum in vna perſona quod non ſit in alia. In quo nihil contrà nos. Adde quamuis ſit poſterior relatio quam eſſentia non dari idem fundamentum pro intellectione cum nec diſtinguatur in tertio nec detur vlla neceſſitas verificandi contradictoria de intellectione & eſſentia. Alia quæ poſſunt obiici contra hanc concluſionem acrius militant contra ſequentem. Ideo infrà expendenda.

Paternitas quomodo ſit perfectio ſimpl ſimplex.

Quid ſignificetur nomine proprietatis in Deo.

SECTIO III.

Intellectio Dei nec ratione noſtra ratiocinata diſtinguitur ab eſſentia.

NOn ſtatuo indiſtinctam eſſe intellectionem ab omni prædicato Diuino. Scio enim poſſe concipi à nobis rationem ſubſtantiæ, viuentis, &c. In Deo quin concipiatur intellectio, item aliquid plus dici de Deo ab aſſerente Deum eſſe ſubſtantiam intelligentem, quam ſi præciſè diceret *eſſe ſubſtantiam*; quod eſſe optimum ſignum diſtinctionis ex parte modi concipiendi, & rationis noſtræ oſtendi diſput. 16. ſect. 1. Neque ob alium titulum cenſemus Animal, & rationale diſtingui per rationem noſtram in homine, niſi quia plus dicit de homine, qui illum fatetur eſſe animal rationale, quam ſi ſolum prædicaret eſſe animal. Ergo in præſenti præciſè aſſero nullum conceptum ſeu prædicatum dari in Deo, quod poſſit per rationem etiam comparari vt eſſentia reſpectu intellectionis. 11

Concluſionis ſenſus.

Probatur aſſertio de conceptu formalitatis, ſeu prædicati, quod ita habeat rationem eſſentiæ reſpectu intellectionis eſt eſſe perfectionem priorem, ſeu primariam, & radicem intellectionis. Sed nec per rationem noſtram ratiocinatam datur in Deo formalitas talis. Ergo nec eſſentia: conſequentia legitima eſt. Et maior continet ipſam definitionem & conceptum eſſentiæ, vt patet ex num. 3. Minor ſuadetur nullum datur fundamentum ex parte ipſius Dei, vt concipiatur à nobis aliqua formalitas Diuina *eſſe prior* intellectione. Ergo nec ratione ratiocinata prior eſt. Conſequentia probatur, quia quod fit per rationem noſtram, fit cum fundamento in ipſa re, ſi noſtra ratio ſit *ratiocinata*, & non pure rationis *ratiocinantis.* 12

Nullum prædicatum datur in Deo, quod poſſit etiam ratione noſtra comparari, vt eſſentia reſpectu intellectionis.

Antecedens ſuadetur vniuerſaliter, ne vlla formalitas Diuina dicatur, nec per rationem ratiocinatam *prior* reſpectu alterius abſolutæ in Deo, nam fundamentum tribuendi Deo aliquid ratione noſtra verbi gratia prioritatem non eſt præciſa æquiualentia; alias daretur in Deo ratione noſtra *accidens*, quia æquiualet accidenti; nec tale fundamentum eſt concipi ad modum *prioris*, alias foret *corpus* ratione noſtra, quia prout immenſus concipitur ad modum corporis latiſſimi: nec quod referatur ad connotata priora, nam nec ratione noſtra Pater Diuinus eſt prior tempore, quam Filius, licèt per connotationem ad res creatas dicat Patrem creatum, qui tempore præcedit Filium; nec denique prioritati rationis fundamentum dat, quod concipi poſſit per actum priorem quemadmodum 13

Prioritas etiam rationis reiicitur in Deo.

Quod ſit fundamentum tribuendi Deo aliquod prædicatum ratione noſtra.

diſtin

diſtinctioni rationis ſufficit poſſe concipi per actum diſtinctum, etenim eſt manifeſtum diſcrimen, nam diſtinctio rationis formaliter *eſt cognoſci vnum incognito alio*, ſeu ſeparari exercitium cognitionis, prioritas verò non venit, à cognitionis prioritate, ſicut nec quia cognitio ſit *qualitas, creata*, &c. Ideò in Deo ratione noſtra *qualitas* datur: adde potius contingere quod in Deo ſint cognitu priora, quæ ſunt conſtitutione poſteriora, vt patet in diſcurſu noſtro à poſteriori: Ergo nullum reſtat fundamentum, vt de vna formalitate dicamus priorem eſſe in Deo ratione noſtra reſpectu alterius. Hæc latè explicui diſput. præced. §. 12. & ſeq. & latiùs dicam tract. de voluntate.

13 *Nullus conceptus eſt in Deo prior intellectiuo.*

Secundò, ſpecialiter probatur reſpectu intellectionis, nullum dari conceptum priorem, nec ratione noſtra. Nullus conceptus eſt in Deo prior gradu intellectiuo: Sed gradus intellectiuus non poteſt eſſe prior intellectione actuali, nec per rationem noſtram: Ergo. Maior probatur, tum quia Deus primò & eſſentialiter ponitur in gradu perfectiſſimo vitæ, iſte autem intellectiuus eſt; tum etiam quia in primo, & eſſentiali conceptu Dei includi debet perfectiſſima ratio, quaſi generica; in qua cum creaturis conueniat, & cui quaſi adiaceat differentia complens talem eſſentiam, talis autem ratio qua Deus immediatius conuenit cum creaturis perfectiſſimis eſt gradus *intellectiuus*. Tum denique quia de eſſentia cuiuſuis rei eſt gradus perfectiſſimus in tali re præter differentialem; at in Deo ſecluſa differentia propria Diuinitatis, nil eſt *intellectiuo* perfectius: Ergo nil eſt prius.

14 *Licèt intellectiuum in actu 1. diſtinguatur à 2. adhuc intellectio in actu 2. Eſt de eſſentia Dei.*

Iam minor ſuadetur, tum ex diſput. præced. in qua negaui Deo omnem actum primum intelligendi præter intentionalem, qui intellectionem ipſam includit, tum etiam Deus concipitur imperfecte quatenus præciſè dicit potentiam; Ergo in linea in qua apprehenditur vt potentia debet apprehendi cum actu, & conſequenter, ſi vt concipiatur *eſſentia Dei*, debet concipi potens intelligere, etiam concipiendus eſt vt *actu intelligens*, quo differt intellectio à volitione, vt potius illa, quam hæc pertineat ad eſſentiam Dei, nam cum eſſentia Dei non concipiatur formaliter *vt volitiua*, nil refert ſi volitionem ipſam non includat formaliter.

Pra volitione.

15 *Eſſentia etiam ratione noſtra non ſolum debet eſſe prior in cognoſci. ſed cognoſci vt prior à quo.*

Tertiò, Abſolutè arguitur: Eſſentia Dei non eſt quiuis conceptus & formalitas, etiam quæ ratione noſtra poſſit concipi *prior*, & diſtinctiua reliquarum omnium formalitatum, niſi ipſarum omnium principium ſit, & radix, ex qua valeat conſequentia ad reliquas, non ſolum fundata in connexione, ſed quaſi in dimanatione, & præcontinentia. Id patet duplici exemplo. Primo in ipſo Deo nemo excludet à conceptu eſſentiæ Diuinæ radicale intellectiuum à ſe, radicale volitiuum à ſe, radicale immenſum, &c. æternum, &c. Nec dicet quis in ſola prima radice eſſentiam conſiſtere, quin aliæ intrent, & tamen prima (ſcilicet *radicale intellectiuum* à ſe) eſt ſufficienter diſtinctiua ab omni alia re, quæ non eſt Deus, ex qua valet etiam conſequentia ad omnes, ſi enim res aliqua eſt *intellectiua à ſe*, etiam eſt volitiua, immenſa, &c. poteſtque concipi aliqua ratione vt prior talis prima formalitas, verbi gratia, *intellectiuum volitiuo*. Secundum exemplum ſit, ſi daretur vna materia (qualem putant plures eſſe de facto materiam cæleſtem) de ſe naturaliter alligata vni formæ in ſpecie, verbi gratia ſolis, fieret conſequentia ad omnia prædicata ſolis, nec tamen in illa ſola conſiſteret integra eſſentia talis compoſiti ſolis. De quo plura ſupra diſput. 17. ſect. 7.

Tunc ſic; ſed reſpectu intellectionis nulla datur, etiam ratione noſtra formalitas ita Dei propria vt ſit radix talis intellectionis. Probatur, hæc formalitas non eſt præciſè ens à ſe, tum quia *ens* eſt ratio generica nimis remota, determinandum autem eſt genus proximum in eſſentia rei, tum etiam quia ly à ſe non minus conuenit intellectioni ipſi, quæ obiectiuè eſt à nullo alio; Si autem ſumas ly *à ſe* etiam ratione noſtra, reſtat tibi probandum in ſingulari quæ ſit talis formalitas in Deo habens talem *aſeitatem* vt ita dicam, per rationem. 16

Nulla formalitas datur in Deo etiam ratione noſtra prior à quo reſpectu intellectionis.

Dices eſſe *intelligentiam omnicomprehenſiuam*, ſeu ſubſtantiam quæ poſſit Deum, & alia comprehendere. Sed contra primò, eſſentia Dei cum ſit actus puriſſimus debet includere vltimam determinationem, & actuationem in ſuo conceptu, nec ſolum explicanda eſt per aptitudinem: Ergo ſi imbibit conceptum potentis comprehendere debet compleri formaliter per ipſam comprehenſionem actualem. Secundò, talis intelligentia licet connectatur formaliter cum intellectione, non tamen per continentiam, cum illa formalitas nullam prioritatem, & exceſſum perfectionis habeat, ſupra intellectionem actualem, qualis exceſſus requiritur in præcontinente. Tertiò, Melior eſt conceptus de Deo, qui ſit ſimul intellectio, quam omnis alius ab intellectione præciſus. Sed eſſentia Dei, vt potè formaliter infinita eſt maius, quod excogitari poteſt formaliter: Ergo nondum concipitur formaliter completa in ratione talis eſſentiæ, quouſque cum actuali intellectione concipiatur. Vide omnino diſput. 17. in tract. 1. 17

In intelligentia omnicomprehenſiua non ſaluatur eſſentia Dei.

SECTIO IV.

Aliquæ illationes proponuntur, & quæ ſit diſtinctio inter eſſentiam & attributa.

INfero ex dictis primo, licèt in eſſentia Dei, verbi gratia, includatur aliqua formalitas diſtincta ratione noſtra ab intellectione, verbi gratia, formalitas *ſubſiſtentis, ſubſtantiæ ſpiritualis*, &c. non tamen diſtingui ipſam eſſentiam, quæ vlterius includit intellectionem ipſam, vti eſſentia hominis præter animalitatem dicit rationalitatem, & ratio eſt, quia nulla formalitas in Deo ſufficienter præcontinet intellectionem formalem, eſtque illius radix prout requiritur ad eſſentiam, ideo dixi diſput. præced. Si eſſentia diſtingueretur ab intellectione concedendum eſſe in Deo actum primum phyſicum, quia ſcilicet conceptus eſſentiæ imbibit eſſe radicem & potentiam. 18

Licèt in Deo ſit aliquis conceptus diſtinctus ab intellectione, hac erit formaliter de eſſentia Dei.

Infero ſecundò, licèt attributa Diuina inter ſe diſtinguantur ratione ratiocinata non tamen ab eſſentia Dei, quæ eſt cumulus & complexio formalis omnium perfectionum ſimpliciter ſimplicium: ita Suarius lib. 1. de eſſentia Dei, cap. 11. & alij cum Martinon, diſp. 3. ſect. 8. Ratio eſt primò: Quia eſſentia Dei concipienda eſt, quam perfectiſſimè ſi non repugnet conceptui eſſentiæ. At non repugnat vt eſſentia comprehendat plures perfectiones quantumuis inter ſe diſtinctas, ſic eſſentia hominis non ſolum dicit rationalitatem, v. g. in rebus logicis ſeu rationalitatem logicam, vt ita dicam, ſed etiam phyſicam, Theologicam: Ergo eſſentia Dei imbibit formaliter aggregatum omnium. Tertiò, eſſentia *infiniti* ſimpliciter in omni genere 19

Attributa includuntur formaliter in eſſentia Dei.

genere perfectionis formaliter dicit etiam ratione noſtra omnem perfectionem, dicit inquam *formaliter* non *eminenter*, quia perfectio ſimpliciter ſimplex in nullo poteſt præcontineri melius quam formaliter, at talis eſſentia iure adſcribitur Deo: Ergo, &c. Vide omnino diſput. 17. ſect. 7.

20 Infero 3. Intellectionem potiùs eſſe ratione noſtra de eſſentia Dei, quàm volitionem, & alia attributa probatur, quia nomine eſſentiæ vocari poteſt vulgari modo ille conceptus qui primò apprehenditur in re, & qui ſimilis eſt eſſentiis realiter prioribus: Sed in Deo intellectio pertinet ad primũ conceptum de Deo. Quod enim primo in Deo concipimus eſt gradus intellectiuus, non in potentia, ſed in actu iuxta §. 17. iſte autem gradus, vt in actu ſpecialiter imbibit intellectionem: Ergo hæc pertinebit ſpecialius ad conſtitutionem eſſentiæ Dei.

21 *Penes conceptum magis explicitum ratione ratiocinante diſtinguitur eſſentia ab intellectione.*

Infero 4. poſſe permitti diſtinctionem rationis ratiocinantis (ſeu penes conceptum magis explicitum) *intellectionis*, & idem à fortiori de aliis attributis, ab eſſentia. Probatur, hæc diſtinctio non tollit, quin eſſentia includat formaliter intellectionem, eo modo quo animal includit gradus ſuperiores, v. g. *ens, ſubſtantiam*; qui ſint formaliſſimè de eſſentia animalis, licèt in conceptu explicito *animalis* non dicantur, ſed quantumuis intellectio (& alia attributa proportionatè) ſint formaliter de eſſentia Dei, per vocem *eſſentia infinita omnicomprehenſiua*, &c. non exprimitur *intellectio*. Ergo poteſt dici quod per rationem ratiocinantem, vt conceptus magis explicitus diſtinguatur; ſicque prior & radix ſit. Confirmatur, Dei eſſentiam concipimus ad modũ creaturarum: Ergo illam apprehendimus ſine vlla expreſſione *operationis*, id enim circa creaturas nobis contingit: Ergo quidquid ſit, quod intellectio Dei in eius eſſentia imbibatur etiam formaliter, non tamen exprimetur ſub conceptu *eſſentia*.

SECTIO V.

Aliqua opponuntur & ſoluuntur.

22 *An in intelligentia omnicomprehenſiua conſiſtat eſſentia Dei?*

Obiicies primò *intelligentia omnicomprehenſiua* poteſt diſtingui ratione, ſeu concipi, quin cognoſcatur intellectio Dei: ſed in tali formalitate, & prædicato conſiſtit eſſentia Dei: Ergo eſſentia Dei ratione noſtra diſtinguitur ab intellectione: Maior patet quia talis formalitas reſpicit diuerſa connotata, ſeu habet ſimilitudinem cum rebus diuerſis, item plus dicit de Deo qui dicit eſſe actũ *comprehendentem* quàm qui dicit eſſe *comprehenſiuum*. Minor ſuadetur in primis, talis formalitas eſt *propria* Dei, nulli enim creaturæ competit poſſe comprehendere Deum; eſt *prima* ex modo concipiendi, ſtatim enim ac concipimus Deum, apprehendimus eſſe naturam in ſupremo gradu conſtitutam, & conſequenter in gradu intellectiuo apprehendimus inquam ſi Deum *poſitiuè*, & non ſolum *negatiuè* concipimus. Denique vt *radix* poſitiua præcontinet intellectionem; nam concipitur ad ſimilitudinem eſſentiarum, quas experimur, in quibuſuis intellectiua ſemper eſt prior aliis perfectionibus, vt patet in Angelo, qui eſt *intelligentia ſimplex*: in homine, qui eſt *rationalis*, vtique per modum radicis præcontinentis realiter intellectionem actualem: Ergo Deus ratione noſtra.

23 *Non quia*

Reſpondeo nego minorem, quia prædictæ formalitati deficit concipi vt radicem, & priorem cum fundamento in re, vt ſatis conſtat ex tota ſect. præcedenti. Quare ob illas omnes cogitationes concipi poterit *ad modum eſſentia* per ſpecies, & imaginationem eſſentiæ, &c. at non ideò erit eſſentia, radix, ſeu prior, nec ratione noſtra, quemadmodum neque datur corpus, accidens, &c. in Deo nec per rationem noſtram.

non eſt radix ratione noſtra.

Ideò obiicies ſecundò illam formalitatem (eſto) nec ratione noſtra perfecta eſſe *priorem*, at concipi *prius*, & id ſufficere vt ſit eſſentia ratione noſtra, talem enim vocamus conceptum illum, qui primò concipitur in re, neque enim abſolutè volumus hic dari in Deo obiectiuè eſſentiam & radicem, vti datur ſcientia, & voluntas, ſed dari per rationem. Vnde quemadmodum qui poneret *ſcientiam*, ſolum ratione noſtra; non teneretur ponere ſcientiam ſtrictè in Deo; ita nec ſtrictè dandus eſt conceptus, qui ſit *prior*, & radix, ſed qui prius, & ad modum radicis concipiatur, & ex hoc dicetur eſſentia ratione noſtra; ſic ratione noſtra eſſentia hominis conſiſtit in ſolo *animali rationali*, & non in riſibili, licèt ſit idem obiectiuè, & conſequenter non poſterius rationali, ſic etiam eſſentia Angeli ponitur in gradu intellectiuo, non in volitiuo, & generaliter non omnis conceptus identificatus conſtituit eſſentiam rei, ſed qui primo concipitur ratione noſtra: Ergo ſimiliter dabitur ratione noſtra eſſentia in Deo, diſtingueturque ab intellectione, & aliis attributis. 24

25 *Licèt eſſentia rei creatæ conſiſtat in perfectione qua primo concipitur, ſecus in Deo.*

Reſpondeo, fateor ſic poſſe vocari eſſentiam rei ratione noſtra formalitatem etiam indiſtinctam realiter ab aliis: Cæterùm ſicut hoc non eſt verè priorem eſſet radicem, ita neque eſſe verè eſſentiam, vt tamen admittam hanc vocem, adhuc nego ſic dicendum eſſentiam Dei diſtinctam ratione noſtra ab intellectione, nam Deum primò apprehendimus vt *actu purum* formaliſſimè, ac proinde non apprehenditur ſatis, & adæquatè conſtitutus formaliter, quouſque actuatus concipiatur (quod ex dictis fit per intellectionem) ad modum quo, quamuis eſſentiæ aliarum rerum ab actuali operatione præſcindant, at nec per rationem noſtram dabitur eſſentia *actionis* vt talis, quin actuatio ipſa imbibatur. Idem proportionatè dico de incluſione attributorum, quia eſſentia Dei formaliſſimè concipienda eſt, vt *infinita* ſimpliciter, vt maius quod excogitari poteſt, &c. Vt dico diſput. 17. ſect. 7.

26 *Ens à ſe obiicitur à Smiſing. Auerſa.*

Obiicies tertiò cum Smiſing. tract. 1. diſput. 2. num. 12. Auerſa quæſt. 2. ſect. 2. *Ens à ſe* eſſe quod primo concipimus in Deo, & in quod omnia alia attributa & perfectiones reducimus, vt eſſe *infinitum*, *ſummè intellectiuum*, *volitiuum*, &c. nam cum nullam cauſam habeat Deus, ex qua ipſius eſſe limitetur, nullamque conditionem ſpectet, reſiſtentiamvè contrarij timeat (quod formaliſſimè eſt *eſſe à ſe*) quaquà verſus extenditur eius perfectio. Formalitas autem quæ primò concipitur in ſe, & quæ eſt ratio, & fons colligendi reliquas apprehenditur vt eſſentia ratione noſtra. Reſpondeo *ens à ſe* primò quidem cognoſci à nobis in Deo, non tamen vt primum conſtitutiuum, ſed vt ſignum negans præciſè dependentiam ab alia cauſa, vnde ſicut quod ex hac negatione inferamus infinitam perfectionem, non probat negationem hanc eſſe primum caput, & radicem ex qua omnia dimanant; ita neque eſſe eſſentiam formaliter, quæ in re debet ponere primarium & poſitiuum conceptum, tota autem hæc *Aſeitas* negatiua eſt, vide §. 18. & omninò vide etiam in tractat. de eſſentia & attributis totam

Reiicitur.

In ens à ſe omnes perfectiones Dei reducuntur per conſequentias, non per dimanationem.

totam diſput. 17. de formali conſtitutiuo eſſentiæ Dei, in qua latè explicatur cur eſſentia Dei non includat relationes, cur etiam intellectio, licet habeat recipiatque terminum priorem quam terminum procedentem à volitione, ſiquidem connotat verbum, quod prius eſt Spiritu-Sancto; adhuc tamen non ſit ipſa intellectio volitione huic enim diſputationi dicta ſufficiunt, nè dicta repetantur.

DISPVTATIO XXXVII.

De obiecto formali motiuo ſcientiæ Dei circa ſe ipſum.

SECTIO I. *Status quæſtionis.*
SECTIO II. *Aliorum ſententiæ de motiuo ad cognoſcendum obiectum increatum.*
SECTIO III. *Propria ſententia.*
SECTIO IV. *Iudicium de aliorum ſententiis in ſect. 2. de Relatione ſcientiæ Dei ad ſuum obiectum.*

Vide q. 14. a. 2. dub. 4.

PRIMVM, & maximè proportionatum obiectum Diuinæ ſcientiæ eſt ipſa entitas Dei, hæc enim vnicè commenſuratur Diuino intellectui, hæc vna eſt in cuius perfecta cognitione ſumma felicitas, & beatitudo cognoſcentis, imo & conſummata iuſtitia (Sapientiæ 15. verſ. 3. *Noſſe enim te conſummata iuſtitia eſt*) conſiſtit. Vnde ſolo naturali lumine Philoſophus ſtatuit ſcientiam Dei præcipuè circa ſe verſari. *Manifeſtum eſt igitur* (inquit Ariſt. lib. 12. Metaphyſ. cap. 9. tract. 51.) *quod illud intelligit, quod diuiniſſimum honorabiliſſimumque eſt*, ex quo paulo poſt infert: *ſeipſam ergo intelligit, ſi eſt quidem quod optimum eſt: & eſt intellectio intellectionis intellectio.* Vnde explicandus eſt idem Philoſophus lib. 2. Magnor. Moralium cap. 15. dum vt abſurdum infert quod Deus ſe ipſum contempletur ibi: *Quid igitur inſpiciet* (Deus) *Nam ſi quidquam aliud inſpiciet, id erit melius. Hoc vero abſurdum eſt, vt ſe quidquam melius habeat Deus. Ipſe igitur ſeſe inſpiciet: ac hoc delirum. Nam homini, qui ſeſe ſuſpiciat vt pote attonito inclamamus.* Explicandus inquam eſt Ariſtoteles eo quod hæc non dicat aſſertiue, ſed quaſi ponens rationem dubitandi, quam alio remittit vt agat tunc de homine; vnde addit. *Quid igitur Deus inſpiciat, omittamus: neque de eo quod ſibi Deus ſatis ſit conſideremus, ſed de homine.*

Ariſtoteles explicatur lib. 2. Magn. moral. c. 15.

SECTIO I.

Status quæſtionis.

1 *Quæ acceptione extra controuerſiam motiuum à Deo reiiciatur.*

EX huius proba intelligentia vera reſolutio totius quæſtionis pendet, ſicut etiam ſtatus ipſe probè intelligendus ſolam notitiam conditionum requiſitarum ad rationem obiecti *motiui* expoſcit; & in primis cum *motiuum* innuat eſſe principium motus, eſſe ſpecificatiuum extrinſecum, & determinatiuum indifferentiæ intellectus, quæ imperfectiones longè ſunt à Diuina ſcientia, ſub hac ſignificatione hic de motiuo non agimus, ſed ſub alia decenti ſummam Dei perfectionem: certum namque eſt Dei ſcientiam aliquo motiuo duci, & conſequenter ſtare aliquem ſignatum proprium obiecti *motiui*, qui perfectionem, ſine imperfectione deſignet, & de motiuo ſic accepto, ſine quo ſcientia non datur, quæſtio eſt, cui rei conueniat reſpectu cognitionis Diuinæ? Prius autem præmittenda ſunt in hac ſectione conditiones ad *motiuum* ſic acceptum diſcernendum requiſitæ.

Quid ſit eſſe motiuum ſcientiæ.

2 P. Ruiz ait. *Quod ab illo ſit vel cauſetur ſcientia.*

Pater Didacus Ruiz in præſenti diſput. 5. ſect. 4. quem ſequuntur Recentiores communiter, ad obiectum motiuum requirit, quod ab ipſo ſit perfectio cognitionis, ſit inquam vel *phyſicè*, ſi cognitio fuerit phyſicè cauſabilis, vel *formaliter* ſi cognitio ſit incauſabilis, hoc eſt, quod talis cognitio vi obiecti motiui habeat ſuum eſſe formaliter intrinſecè, vt contingit in cognitione, quæ ita ſe cognoſcit, vt à ſe ſola ſit. Probant hunc eſſe proprium ſignatum vocis *motiui*, qui communiter dicitur cognitionem ſumere ſpeciem, à ſuo obiecto motiuo, hoc eſſe *cauſam*, & *rationem*, vt intellectus cognoſcat, ſic que vocatur obiectum *primarum formale*, *ratio à priori*, *propter quam* reliqua cognoſcuntur, quæ omnia aliquam cauſalitatem, ſeu rationem vt ſit cognitio denotant.

3 *Vt ab obiecto.*

Sed quia contingit aliquid eſſe cauſam, & rationem vt ſit cognitio, nec tamen eſſe motiuum, vt patet in ipſa potentia cauſante viſionem albedinis, reſpectu cuius non eſt motiuum; ideo addi poteſt cognitionem debere eſſe à motiuo vt ab *obiecto* concurſu proprio obiecti: dixi *proprio*, id eſt, *ſuo nomine*, nam quando ſpecies impreſſa concurrit ad cognitionem comprehenſiuam coloris in hoc ſpecies ipſa reflexè cognoſcenda eſt, (cum enim ſpecies ſit effectus coloris conſequens eſt vt appareat, dum comprehenditur color) nec tamen ſpecies obiectum motiuum eſt, licet obiectiuè concurrat, & vt obiectum cognitum, quia ſcilicet non concurrit obiectiuè nomine proprio, ſed vt inſtrumentum coloris.

4 *Cui innitatur ſecuritas cognoſcentis.*

Aliter vt iis omnibus occurras cum ingenioſo Doctore Complutenſis requires in obiecto motiuo ita eſſe ab ipſo tanquam ab obiecto cognitionem, vt ſimul ſit tale obiectum ratio, & fundamentum, cui innitatur cognoſcentem eſſe *ſecurum*, & certum de veritate quam affirmat, & cui aſſentitur, addes etiam cum communi modo loquendi requiri ad rationem *motiui* quod ab ipſo ſit cognitio modo explicato n. 2. ſed ego bona pace exiſtimo primò hanc cauſalitatem obiecti motiui in cognitionem non bene requiri. Secundò ad ſecuritatem illam deſidero vlteriorem explicationem.

5 *Motiuum vt ſit non dependet, nec requirit vllam cauſalitatem in cognitionem quia. Implicat aſſenſus ſine motiuo.*

Prioris exiſtimationis fundamentum eſt, quia nullus prudenter aſſentitur ſine eo quod habeat *motiuum* aſſentiendi; quemlibet namque aſſerentem obiectum aliquod interrogamus ſtatim qua ratione ducatur. Quid ipſum moueat, vt veritatem illam ita ſe habere iudicet? Cuius niſi rationabilem cauſam afferat temerarius Iudex reputatur. Et certè ego non minus difficilè apprehendo intellectum aſſentiri alicui obiecto ſine vllo motiuo ſuadibili, ſine vlla ratione quam reddere poſſit ſui aſſenſus, quam voluntatem ipſi obiecto nondum propoſito vt bono conſentire, ſine eo quod poſſit rationem reddere, cur amet? Tunc ſic; ſed neceſſaria non eſt vlla cauſalitas, nec formalis, nec phyſica obiectiui motiui vt Deus alicui veritati;

veritati aſſenſum præſter. Ergò nec requiritur talis cauſalitas ad obiectum motiuum.

6 *Et tamen ſcientia viſionis de peccato à ſuo obiecto causi, innititur non cauſatur.*

Minor probatur primo in ſcientia media de peccato futuro ſub conditione, à quo non cauſatur talis ſcientia vt patet, nec ab vllo alio: ſiquidem nullo obiectiuo medio vtitur iuxta ſententiam ſocietaris, ſed immediatè fertur in ipſum peccatum futurum ſub conditione; neque enim rogatus Deus, vnde ſciat eam futuritionem? aliquod Diuinum, vel creatum à futuritione ipſa diſtinctum pro ratione redder. Secundo idem à fortiori vrget in obiecto ſcientiæ viſionis abſolutæ: item in relationibus Diuinis, ſi ab eſſentia diſtinguantur. Etenim ſi futuritio conditionata, quæ nihil omnino eſt, poteſt ratione ſui, & in ſeipſa cognoſci, cur non & futuritio abſoluta? Cur non & Relationes Diuinæ, quæ exiſtentes & increatæ ſunt. Imò cur non & poſſibilitas creaturarum? cum tamen ab horum nullo habeat cognitio Diuina ſuum *eſſe*. Sed de hoc plura ſect. 3.

7 Securitas *cognoſcentis non ſemper innititur* motiuo.

Iam poſterius deſiderium, ſeu neceſſitas vlterioris explicationis circa ſecuritatem requiſitam à recentiore in §. 4. fundatur primo quia actus Fidei de exiſtentia reuelationis iuxta communem opinionem illi propter ſe ipſam aſſentitur, nullumque aliud pro motiuo habet diſtinctum à tali reuelatione, & nihilominus non ipſi innititur cognoſcens vt ſecurus ſit, ſed excellentiæ modi tendendi actus Fidei, qui falſitati repugnat, vnde quamuis eadem reuelatio attingi poſſit propter ſe per actum naturalem (vt dicam in tract. de fide actum ſupernaturalem à naturali non differre ex verbo formali) iſte ſecurus non eſt. Et quis dicat credentem eſſe ſecurum immediatè de exiſtentia reuelationis, cum adeò obſcurè appareat. Secundò intellectus Diuinus, vt pote omnino repugnans falſitati non minus videtur inniti obiecto materiali, quam formali; cum ex vtriuſuis falſitate vacillet ergo obiectum *motiuum* non ſatis explicatur per id quod ipſi innitatur cognoſcens, niſi innitatur primario; hæc autem primitas in quo conſiſtit? Cum nec ſit ex parte rei, & in eſſendo; ſæpè enim obiectum motiuum eſt poſterius reipſa, vt quando in creatura cognoſcimus Creatorem; nec item ſit ex parte actûs, ſeu in cognoſcendo, nam idem indiuiſibilis actus attingit obiectum motiuum ſeu formale, & materiale, ac proinde non poteſt cognoſci vnum priùs, quàm aliud. Tertiò hinc obſcurum apparet, quid ſit inniti vni veritati præ alia, quando vtraque requiritur ad verificationẽ cognitionis vt hic.

8 *Explicatur quo pacto Motiuum ſit ratio aſſentiendi.*

Ego cenſeo id eſſe obiectum motiuum ſcientiæ, quod eſt ratio aſſentiendi ſcienti quod pro ratione redditur veritatis cognitæ, ſeu in quod obiectiuè vltimò reſoluitur aſſenſus. Hoc autem tunc contingit: quando ita comparatur obiectum cum cognitione, vt reſpectu illius vt talis formaliter omni alio ignorato, ſufficit obiectum prædictum ad terminandum aſſenſum, ſufficientemque veritatem habeat, vt cognoſcens eidem aſſentiatur, quod autem ita non comparatur, nec *obiectum formale* nec *motiuum eſt*, verbi gratia motiuum aſſentiendi Trinitati eſt reuelatio, quia hæc ſine vllo alio obiecto cognoſcibilis eſt intrinſece, ſecus Trinitas niſi veſtiatur reuelatione, hi enim termini: *Deus eſt Trinus* in ſe non magis ſunt ſuadibiles nobis, quam *Stellas pares eſſe*; Vnde iuxta hunc modum tendendi Fidei, non aſſentiretur quis Trinitati niſi reuelationem agnoſceret; ſecus è contrà.

Quando veritas aliqua omni alia ignorata ſufficit per ſe huic aſſenſui.

9 Dixi reſpectu *illius cognitionis vt talis formaliter* quia quando quis aſſentitur propter reuelationem exiſtentiæ Dei, adhuc illa eſt obiectum motiuum, non hæc, nam licet Deum exiſtere ſit per ſe cognoſcibile ſine reuelatione, non tamen iuxta hunc modum tendendi Fidei, ad quem ita comparatur exiſtentia Dei, ac ſi in ſe nihil ſuadibilitatis haberet, pluſquam paritas ſtellarum; vnde ſicut crederem ſtellas eſſe pares Angelo paritatem teſtificanti nullà attentione habita ad veritatem intrinſecam teſtificati obiecti, ita actus Fidei præciſè credit Deum exiſtere, quia reuelatum eſt ſine vlla alia attentione.

Hæc explicatio obiecti motiui probatur primo à paritate *motiui* voluntatis, nam tunc obiectum aliquod comparatur vt *motiuum* formale reſpectu voluntatis, quando in ſe habet bonitatem allicitiuam, quando verò nihil bonitatis in ſe habet, niſi vt veſtitum bonitate alterius, tunc cenſetur purum obiectum materiale verbi gratia dum amatur pharmacum amarum, & nullius in ſe bonitatis propter ſanitatem, hæc eſt ratio amandi, & pro ratione redditur amoris, & bonitatis pharmaci, ideòque hoc dicitur amari propter illam, vt finem, & motiuum intrinſecum, quantumuis idem ſimplex amor amplectatur vtrumque, & licèt pharmacum ſit ſecundum ſe alias amabile, vt potus vini, quia nempè reſpectu puræ intentionis circa ſalutem vini delectabilitas non æſtimatur. Ergo idem dicendum eſt proportionatè de motiuo intellectus. 10

Probatur explicatio à paritate motiui, ſeu finis voluntatis.

Secundo arguo ſecluſa cauſalitate *motiui* in cognitionem iuxta §. 6. obiectum motiuum eſt idem quod formale immediatum. At hoc vt à mediato, & materiali diſtinguitur præciſè dicit habere in ſe veritatem ſuadibilem, & quod materiale in ſe nihil veritatis explicet, niſi prout in obiecto formali reſplendet, & conſequenter in tale formale reſoluatur. Ergo obiectum eſſe motiuum formaliſſimè conſiſtit in eo, quod ſit ratio aſſentiendi modo explicato; de quo plura ex dicendis. 11

SECTIO II.

Aliorum ſententiæ de motiuo ad cognoſcendum obiectum increatum.

PRius eſt determinandum *motiuum* ſcientiæ Dei circa ſe; de motiuo vero ad cognoſcenda obiecta creata agemus diſputatione 46. quando de cognitione creaturarum. Prima igitur ſententia ſolam eſſentiam Diuinam vt formaliter, vel virtualiter diſtinctam à relationibus & actibus liberis conſtituit adæquatum motiuum ſcientiæ Dei circa ſe ipſum. Ita Thomiſtæ communius hic cum Faſolo quæſt. 14. art. 2. dub. 2. Suar. lib. 9. de Trinit. cap. 5. Vaſquez diſput. 149. cap. 2. Scotiſtæ cum Scoto 1. diſtinct. 10. Smiſing. tract. 3. diſp. 2. quæſt. 2. à num. 10. Probatur quoad excluſionem relationum, *&c.* Nam eſſentiam eſſe motiuum nemo dubitat. 12

Sola eſſentia eſt motiuum iuxta Thomiſtas *Plures.* Faſol. Suarez. Vaſquez. Scotiſtæ. Smiſing.

Probatur inquam. Primò quia eſſentia ſola eſt ratio ſufficientiæ vt ſit ſcientia ſui, & relationum, non vero relationes ipſæ. Ergo ſola eſſentia erit motiuum, ſeu ratio cognoſcendi relationes. Conſequentiam probant ſtatuentes obiectum *motiuum* Dei, quod eſt ratio vt ſit ſcientia: Antecedens etiam quia ſcientia Dei eſt indiſtincta etiam virtualiter ab eſſentia. Ergo cum hæc ſolum ſit à ſe & non à relationibus, idem cenſendum eſt de ſcientia. Confirmatur cognitio debet eſſe à ſuo obiecto, nam *ab* 13

Non relationes.

obiecto, & potentia paritur notitia. Sed non eſt à relationibus; tum quia potius Filiatio procedit ex illa cognitione, tum etiam quia in Patre datur integra ſcientia, quæ tamen, nec eſt, nec conſtituitur ex Filiatione, Ergo relationes non ſunt motiuum ſcientiæ Dei.

14 Secundò quia quælibet Diuina perſona in ſe habet omnia requiſita ad cognoſcendum, alioqui aliâ indigeret. Ergo habet in ſe *motiuum* ſuæ cognitionis, hoc enim eſt maximè requiſitum ad cognoſcendum, ſed non habet alias relationes, ſed ſolam eſſentiam. Ergo hæc ſola eſt motiuum. Confirmatur motiuum ſcientiæ ſaltem debet eſſe illi coëxiſtens, ſeu dari pro priori, pro quo datur ſcientia; at ſola eſſentia datur pro priori ſcientiæ Diuinæ, non verò relationes, quæ ſunt pro poſteriori, ad eſſentiam, & conſequenter ad ſcientiam ab eſſentia formaliter indiſtinctam. Ergo &c.

Sunt etiam Relationes iuxta. Albeld. S. Thom. Ruiz.

15 Secunda ſententia includit etiam relationes, ita ex Dominicanis Albelda in præſenti art. 2. diſput. 35. concluſ. 2. fauet S. Thom. diſp. 17. art. 1. difficult. 2. & ex noſtris latè Ruiz diſput. 5. ſect. 5. Probat Albelda primo de cognitione notionali: ad relationem verbi tendit immediatè, & formaliter generatio. Sed generatio Verbi vt talis formaliter, eſt cognitio. Secunda fratet Ioan. de S. Thoma. Relationes ſunt actus purus omninò immaterialis, & maxime applicatus Diuino intellectui. Ergo ſunt proximè per ſe intelligibiles. (Quod eſt eſſe motiuum) patet co ſequentia, quia ex eo ſolum requirit obiectum ſpeciem impreſſam vt fiat proxime *intelligibile*, quod materiale ſit vel non ſatis applicatum. Tertiò Arguit Ruiz. Eſſentia Dei non eſſet infinitè perfecta, ſi relationibus careret. Ergo eius intelligibilitas primaria ſeu motiua, vt infinita ſit, debet ex relationibus conſtitui.

Ioannes de S.Thoma.

16 Quartò probat alius, cognitio eſſentialis ſpecificatur a relationibus, eſt propter illas, vt propter finem. Ergo relationes ſunt motiuum talis cognitionis. Conſequentia patet, tum quia ad obiectum motiuum præcisè requiritur cognitionem eſſe, & ſpecificari ab ipſo, tum etiam à paritate amoris, cuius motiuum maximè conuenit finali cauſæ. Antecedens probatur, nam ad ſpecificandum ſufficit eſſe *terminum* cognitionis, neque requiritur eſſe principium illius. Sic actio non minus ſpecificatur à termino, quam à principio. Hoc autem ſaltem conuenit relationibus Diuinis reſpectu cognitionis eſſentialis. Vlterius hæc ſuſtentatur & completur realiter à ſubſiſtentiis relatiuis vt ſine dubio ſpecie diuerſa foret eſſentialis cognitio, ſi illis careret. Denique dici poteſt, quod eſſentialis cognitio ordinetur ad relationes vt ad finem, nam in primis hæc ordinatio non repugnat inter formalitates diuinas, ſiquidem aduerſarij ipſi volunt eſſentiam eſſe finem omnium Diuinorum, aliunde poſterioritas virtualis, quam habent relationes non obſtat, bene enim prius in executione ordinatur ad poſterius, ergo ſcientia Dei erit propter relationes, & ex vi illarum, vt cauſa finalis.

17 Vltimò arguitur ad ſtrictum motiuum ſufficit ſi media ſpecie ſui det *eſſe* cognitioni: at relationes ſic dant *eſſe* ſcientiæ eſſentiali. Ergo: probatur minor. Eſſentia Diuina deſeruit ſcientiæ eſſentiali vt ſpecies ad relationem cognoſcendam, cum hæc per eſſentiam conſtituatur actu intelligibilis, licèt autem non ſufficiat eſſe vtcunque alicuius ſpeciem ad hoc vt dicatur obiectum tribuere *eſſe* cognitioni, cui tribuit *eſſe* ſpecies; nam eſſentia Dei eſt ipſi ſpecies ad cognoſcendas creaturas, & tamen hæ non tribuunt eſſe per illius ſpeciem Diuinæ cognitioni; at benè obiectum dicitur dare eſſe media ſui ſpecie, quando iſta ordinatur ad illud & propter illud eſt; vti eſſentia propter relationes iuxta dicta.

Tertia ſententia addit etiam pro motiuo actus liberos, ita quidam Recentiores cum Ruiz diſp. 5. ſect. 5. num. 13. Probatur primo, quia vt aliquid ſit *motiuum* formale, ſufficit ſi (dum per ſe immediate terminet cognitionem, qualis immediata terminatio non negatur actibus liberis iuxta aduerſarios) ſufficit inquam, ſi dat eſſe cognitioni, vel per ſeipſum formaliter, vel per ſuam eſſentiam, perfectionem, vel potentiam, etenim relatio eſt obiectum formale motiuum viſionis Beatæ repræſentantis relationem ſine eſſentia, & tamen relatio non dat eſſe viſioni per ſe, ſed per omnipotentiam cum viſio ſit opus ad extra. Tum ſic ſed prædicata Diuina libera per ſuam eſſentiam, perfectionem, & potentiam dant eſſe illi ſcientiæ: etenim eſſentia, perfectio, & potentia actûs liberi non diſtinguitur, nec virtualiter ab ipſa eſſentia Dei, quantumuis diſtinguatur terminatio ipſa libera. Ergo, &c. Secundo obiectum *motiuum* debet connecti cum veritate cognita, ſed nec eſſentia, nec aliquid Diuinum connectitur cum actu libero niſi ipſe vt patet. Ergo ipſe erit obiectum formale motiuum. 18

Sunt etiam actus liberi iuxta. Recentior. P.Ruiz.

SECTIO III.

Propria ſententia.

Omnia prædicata Diuina ſunt obiectum formale motiuum Diuinæ ſcientiæ. Concluſio mihi veriſſima, qui non diſtinguo virtualiter immediatè inter ſe vlla prædicata Diuina. Probatur etiam ſuppoſita ad præſens diſtinctione virtuali, vel formali eſſentiæ ab aliis prædicatis Diuinis. Relatio (idem de prædicatis liberis (vt ſic diſtincta ab eſſentiâ eſt in ſe cognoſcibilis à Deo, etiam nullo alio obiecto diſtincto formaliter cognito, & omni alio formaliter loquendo ignorato: ergo poteſt eſſe *motiuum* cognitionis Diuinæ. Conſequentia euidens eſt ex notione *motiui* in ſectione 2. Item quia vt ibi dixi num. 5. nulla cognitio datur ſine motiuo: Si ergo relatio in ſe eſt cognoſcibilis ſola, ipſa erit motiuum. Iam primum antecedens probatur, tum quia relatio habet entitatem, & veritatem formaliter diſtinctam in ſe, in hac hypotheſi diſtinctionis ab eſſentia. Ergo eſt cognoſcibilis in ſe. Omnis enim entitas eſt cognoſcibilis ſicut eſt. Ergo reddi poteſt ipſa à cognoſcente pro ratione ſuæ enunciationis, & aſſensûs ſine vllo alio (quod eſt cognoſci ratione ſui formaliter iuxta §. 8. etenim nihil manifeſtius reddi poteſt pro ratione veritatis ſcientiæ, quam ipſa realitas obiecti. Si ergo hæc eſt talis ratione ſui, erit verificatiua ſeu motiua cognitionis. Tum etiam probatur idem antecedens, quia relatio poteſt videri in hac hypotheſi à Beatis non viſa eſſentia. Ergo formaliter loquendo, nec reſpectu intellectus Diuini opus eſt affirmari eſſentiam, vt affirmetur relatio. 19

Omnia prædicata diuina ſunt obiectum motiuum diuinæ ſcientiæ.

Secundo Deus non ſolum de obliquo, & reſultantia cognoſcit ſuam relationem ſic: *Mea eſſentia eſt communicabilis relationi*, ſed directè & in recto plura enunciat de relatione verbi gratia. *Paternitas generat Filium: eſt prima Perſonalitas* enunciat inquam ſciens hanc veritatem in ſeipſa, 20

ſeipſa, talem eſſe actu condiſtinctè formaliter ab eſſentia: Ergo non ſolum cognoſcit relationem in eſſentia, ſed immediatè in ipſa relatione. Conſequentia ſuadetur, quia vnum cognoſci in alio formaliſſimè conſiſtit in eo quod cum cognitio tendat directè, & per ſe in vnum obiectum, ad aliud quaſi ex reſultantia, & determinatione prioris extendatur; quod contingit quando repræſentatur in obliquo, ſic ſignifico lucem per ſe & ſolem per accidens quando dico *lux ſolis*. E conuerſo autem quando dico *ſol lucis*, hæc ſignatur per accidens ille per ſe.

21 *Diſcrimen inter ſcientiam Dei de relationibus, & de creaturis.*

Dices etiam ſcientia Dei plura affirmat directè de creatura, neque enim ſolum dicit in omnipotentia: *Ego poſſum producere hominem animal rationale*, ſed directè: *homo eſt animal rationale*. At creaturæ non ſunt motiuum ſcientiæ Dei: Ergo nec relationes. Similiter ob teſtimonium Angeli poteſt quis directè affirmare: *Stellæ ſunt pares*, & tamen paritas ſtellarum non cognoſcitur in ſe formaliter, ſed materialiter in alio. Reſpondeo nego conſequentiam, quia licèt creaturæ cognoſcantur directè (idem de paritate ſtellarum.) At in ſe nullam veritatem habent nec ſuadibilitatem intrinſecè, niſi prout veſtiuntur cognoſcibilitate eſſentiæ Diuinæ; in ſe enim, hi termini *animal rationale* non apparent potius poſſibiles, quam impoſſibiles, niſi quis innitatur omnipotentiæ Dei, ſciatque in hac virtutem dari ad animal rationale: Iam verò relationes diuinæ in ſe intrinſecè veritatem actualem, & neceſſariam habent: Ideò addidi quod ſcientia Dei plura enunciet directè de relatione: *Sciens veram eſſe & realem ratione ſui intrinſecè*.

22 *Licèt à relatione non ſit ſcientia Dei adhuc illa reſpectu huius poteſt eſſe motiuum formale.*

Tertiò ſi arguo: Relationi nil obſtare poteſt, ne ſit motiuum ſcientiæ Dei, niſi quod hæc non ſit (nec conſtituatur virtualiter.) ab illa. At hoc non obſtat: Ergo relatio erit motiuum ſcientiæ. Conſequentia patet, & maior tum ex aduerſariis, qui concedunt relationem eſſe *terminum formalem* immediatum nullo medio prius cognito indigentem, vt manuducatur intellectus Diuinus, ſeu vi connexionis cum tali relatione hæc conſtituatur ſuadibilis; tum etiam quia relatio in ſe habet determinatam entitatem actu neceſſario: Ergo niſi obſtet quod relatio, non ſit virtualiter id, *à quo eſt ſcientia*, illa erit huius motiuum. Hæc autem non obſtare probatur, non obſtat ne relatio immediatè poſſit cognoſci ratione ſui præciſè omni alio formaliter excluſo: Ergo nō obſtat ne ſit motiuum. Conſequentia patet ex dictis in prima probatione.

23

Antecedens autem ſuadetur primò quia alias cur vocas relationem potius, quam creaturas *terminum immediatum*, & formalem Diuinæ ſcientiæ? Secundò ſcientia Dei ad ſuum obiectum motiuum tendit, vt *incauſata*: Ergo quantumuis aliæ cognitiones creatæ ſint à ſuo obiecto, id tamen non requiretur in Diuina, ſed iſta vt pote ens à ſe præcontinebit omnes formalitates obiecti, licèt ab eo non procedat. Terriò, non eſt cur tam ſtrictè requiratur hæc cauſatio ab obiecto, vt compenſari nequeat per huius identitatem realem cum cognoſcente. Srictiùs namque communicat identitas, quam principiatio: Ergo ſufficiet relationi vt formaliter ſit motiuum ab illa, vt à conſtitutiuo reali eſſe Diuinam ſcientiam. Quartò, iuxta plures obiectum ſolum concurrit vt *determinatiuum*, ſine phyſica efficientia, eo præciſè quòd vniatur cum intelligente; at relatio ſatis vnita eſt per identitatem cum intellectu Diuino: Ergo cum in ſe relatio

Quantumuis aliæ cognitiones ſint, vel procedāt à ſuo obiecto ſecus dicendum eſt de diuina maximè vt cognoſcat formaliter relationes.

ſit vera, & determinata entitas ratione ſui latêre non poteſt intellectum infinitum quolibet alio præciſo: cur enim non dabimus infinitæ ſcientiæ per ſe extendi poſſe ad quodcunque verum, quod in ſe tale ſit? vt hac ratione ſcientia Dei præcontineat intentionaliter directè per modum repræſentationis formalis res omnes; ſicut præcontinet phyſicè eius eſſentia omnia alia entia.

24 *Alias poſſet fingi quod Deus non ſe cognoſcat propriè vt noto diſput. ſeq. §. 2.*

Vltimò, quia ſi negentur relationes in ſe immediatè cognoſcibiles, quantumuis ſint actu *exiſtentes*, & ſummè veræ eo quod ab ipſis non ſit ſcientia Diuina, ſicut creata eſt ab obiecto: difficilè impugnabitur, qui neget Deum ſe, & ſuam eſſentiam cognoſcere propriè, eo quod ſcientia Diuina non ſit à ſua eſſentia vt à principio, quemadmodum cognitio creata pariter à ſuo obiecto. Ruſus ſcientia creata diſtinguitur à ſuo obiecto cognito, ſecus Diuina: Ergo quemadmodum ad obiectum *cognitum* ſcientię Dei vincitur principiatio obiecti, ita & conſtitutio, ſeu quod ſcientia à ſuo motiuo conſtituatur.

SECTIO IV.

Iudicium, de aliorum ſententiis in ſectione ſecunda; & de relatione ſcientiæ Dei ad ſuum obiectum.

25 *Diſcrimen vt potius relationes diuinæ quam creaturæ futuræ, licèt terminent immediatè ſcientiam; ſint eius motiuum.*

PRima in §. 2. falſa eſt, cum innitatur falſæ explicationi obiecti *motiui* à quo non requiritur vt ſit ſcientia Dei licèt aliàs creata cognitio patiatur ab obiecto. Dices obiectum ſcientiæ mediæ, verbi gratia, futuritio conditionata peccati quantumuis in ſe immediatè cognoſcatur, ſitque formalis terminus ſcientiæ Dei; non tamen dicitur *motiuum*; non alia ratione, niſi quia ab illa non eſt ſcientia media: ergo quantumuis relationes Diuinæ in ſe immediatè terminent Dei ſcientiam eſſentialem; non tamen erunt motiuum illius; ſiquidem ab ipſis non eſt hæc ſcientia. Reſpondeo tranſeat antecedens, de quo diſput. 40. & nego conſequentiam, quia futuritio conditionata, licèt immediatè terminet formalitatem liberam ſcientiæ mediæ, non tamen terminat ipſam *vt cognitionem*: vnde nunquam in ſe immediatè cognoſci, ur futuritio licèt ſit terminus immediatus.

26 *Notanda doctrina vt creaturæ non ſint motiuum ſcientiæ Dei; quia licèt terminent immediatè actum diuinum non tamen vt ſcientiam.*

Quod vt explicem permiſſo pro nunc creaturas poſſibiles non eſſe cognoſcibiles per ſcientiam neceſſariam in ſeipſis, ſed præciſè titulo eſſentiæ Diuinæ, & ipſi innitendo vt explicui §. 21. Præmitto licèt admittatur ſcientia libera adæquatè intrinſeca Deo, non eſſe opus quod addat ſcientiæ neceſſariæ, quæ quidditatiuè res comprehendit, completum, & integrum conceptum cognitionis, ita vt ſint duæ repræſentationes, alia neceſſaria, alia libera, ſed eadem repræſentatio neceſſaria, vt veſtita terminatione, connexione, & connotatione intrinſeca ad obiectum contingens erit formaliter *repræſentatio libera*, nam à ſcientia *neceſſaria* habet quidquid ſat eſt comprehenſiuæ repræſentationi creaturæ, à terminatione vero illa quidquid deeſt; vt extendatur ad creaturam, *vt futuram*.

27 *Scientia libera ſecundum quod addit ad neceſſariam vt ſic formaliter non eſt repræſentatio.*

Hinc ſit primò, ſi formalitas libera ſcientiæ mediæ concipiatur vt diſtincta à ſcientia neceſſaria, eam non eſſe vt ſic formaliter repræſentationem, nec cognitionem, quia in ratione talis formaliter conſtituitur ex repræſentatione neceſſaria. Quemadmodum in opinione explicante Dei libertatem extrinſecam ſcientia libera vt talis præter prædicatum

dicatum extrinſecum contingens addit formaliter ipſam ſcientiam neceſſariam ſimplicis intelligentiæ. Fit ſecundò futuritionem conditionatam peccati non eſſe immediatum terminum ſcientiæ mediæ, vt ſcientiæ Quare non mirum quod non ſit motiuum. Relationem verò Diuinam cum in ſe veritatem determinatam habeat terminare immediatè cognitionem, qua cognitio eſt, & hinc habere poſſe rationem motiui.

Peccatum futurum non eſt terminus ſcientiæ Dei vt ſcientia.

28 Secunda & tertia ſententiæ veræ ſunt, licèt earum fundamentis non multum fidendum, niſi prout ad dicta reducuntur; in vanum tamen ea expendentur *qui enim non eſt aduerſus nos pro nobis eſt*, iuxta noſtri ſaluatoris conſilium Lucæ 9.50. ſolum noto vt circa modum, quo Deus cognoſcit ſua decreta libera obſeruentur, quæ dicta ſunt diſp. 31. ſect. 7.

29 *An ſcientia Dei ſit relatio, ſeu reſpectus ad ſuum obiectum.*

Sed tam contra has ſententias, quam contra omnes, veritatemque luminis naturalis, & fidei notiſſimam, quod Deus ſcilicet ſeipſum cognoſcat militat difficultas, quam propoſui in huius ſectionis titulo. Scientia vt talis imbibit relationem, & reſpectum ad ſuum obiectum: Ergo ſcientia realis relationem realem. Tunc ſic, ſed relatio realis nequit eſſe niſi ad terminum realiter diſtinctum: Ergo ſcientia Dei nequit tendere ad ipſum Deum, qui à ſua ſcientia indiſtinctus eſt, vt dixi diſput. præced. Primum antecedens in quo ſolo difficultas eſt (reliquæ namque propoſitiones notiſſimæ ſunt) Probatur tum ex Ariſtot. cap. 3. in Prædicam. vbi ait: *Sunt etiam hæc ad aliquid: vt habitus, diſpoſitio, ſenſus ſcientia*, &c. *Habitus enim cuiuſpiam habitus, & ſcientia alicuius ſcientia.* Tum etiam hinc eſt ratio, nam ea cenſemus relatiua, quæ intelligi non poſſunt niſi rem aliam intelligendo in obliquo: ideo actio eſt relatio ad terminum, vnio ad extrema, cauſa ad effectum, &c. ſcientia autem nec apprehendi poteſt ſine obiecto, cuius ſcientia, & repræſentatio ſit. Denique hæc videtur mens Theologorum, quam expendit latè P. Ruiz huius relationis aſſertor tomo de ſcientia diſput. 5. ſect. 2. à num. 8.

30 *Non eſt abſolutè licèt poſſit dici relatio tranſcendentalis.*

Ego ſtatuo vt certiſſimum primò quidquid ſit de voce *relationis tranſcendentalis*, vel ſecundum *dici*; verè tamen *ſcientiam* Dei in eſſendo non eſſe relationem ſimpliciter *realem* ad obiectum, id manifeſtè demonſtrat realis indiſtinctio, quare niſi addatur: relatio realis *intentionalis* quo pacto diſtinctionem non expoſcit (etenim non magis dicitur relatiuè ſcientia ad *ſcitum* quam ad *ſcientem* certum autem eſt quod in Deo non detur diſtinctio à ſciente) admittenda non eſt. Eſt namque primum principium inter Catholicos, quod in diuinis relatio realis ſit ratio diſtinguendi realiter. Si tamen aliquis dicat non omnem relationem realem eſſe rationem diſtinguendi, ſed quæ verſatur inter producens, & productum. Nam actio relatio phyſica eſt, & in eſſendo ad cauſam agentem, ſine qua non poteſt eſſe, actio enim realiter habet quod alicuius principij ſit actio & nihilominus non ſemper diſtinguitur ab agente. Reſpondeo ob hoc ipſum negandum quod actio ſit relatio ad cauſam (niſi tantum ſecundùm dici) ſed præciſè ad terminum.

31 *Non habet vllam connexionem cum ſuo obiecto per ſe loquendo.*

Hæc quidem ad vocem pertinent, loquendo tamen de re addo ſcientiam ita abſolutam eſſe in eſſendo, vt licèt realiter exiſtere nequeat ſine ſciente; at in re nullam prorſus connexionem dicat cum obiecto, quod affirmat; ita vt per ſe loquendo ſtare poſſit eadem cognitio (niſi aliunde ſumma perfectio ſcientis obſtaret) ſiue obiectum deficiat ab exiſtentia, ſiue etiam à poſſibilitate. Hoc oſtendi tract. præced. diſp. 23. ſect. 5. & hinc dicam hìc diſput. ſect. non poſſe in ſcientia Dei formaliter vt tali cognoſci ſatis creaturas: Sed de hoc iterum diſput. ſeq.

DISPVTATIO XXXVIII.

Quomodo Deus ſe cognoſcat?

SECTIO I. *Deus ſe cognoſcit, & comprehendit.*

SECTIO II. *Defenditur comprehenſio Dei; & explicatur quomodo ſe cognoſcat reflexe, ſine proceſſu infinito categorematico.*

SECTIO III. *Nonnulla de comprehenſione vt Dei propria.*

De modo, quo Deus ſe cognoſcit conſtare non poteſt, niſi propoſita natura comprehenſionis ideo conſulenda eſt diſput. 30. vbi de ea latè egi ſolum hic reſtant aliqua huius loci propria, quæ breuiter exponam pro comprehenſione quam Deus de ſe habet.

Vide qu. 14. art. 2. per 6. dubit. & art. 3. per 3. dubit.

SECTIO I.

Deus ſe cognoſcit, & comprehendit.

Concluſio hæc ita clara eſt ex fide & ratione vt probatione non egeat, niſi aliquâ ſolutione aliquarum obiectionum, quæ contra ipſam opponi poſſunt. 1

Prima eſt obiectum debet diſtingui à cognitione, tum quia hæc eſt relatio tranſcendentalis ad aliud, ſicut enim apprehendi nequit relatio ſine termino, ita neque cognitio ſine obiecto, relatio autem à termino diſtinguitur; tum etiam quia cognitio eſt partus obiecti; partus autem diſtinctionem neceſſariò importat ab eo à quo paritur. Tum denique cognitio eſt imago obiecti, non phyſica, ſed intentionalis: Ergo non debet eſſe ipſum obiectum phyſicum. Certè ſiquis motiuum ad ſcientiam increatam ex motiuo ad creatam metiatur iure conuinci poteſt hac obiectione vt propriè *cognitum* non dicatur illud quod à cognitione non diſtinguitur, iuxta diſput. 37. §. 24. 2

An ſit relatio ad ſe ſcientia Dei.

Ego tamen non conuincor, quia cenſeo cognitionem Diuinam, vt potè *incauſatam* nullum eſſe habere ab obiecto, neque item ad illud referri *phyſicè*, ſed tantum *intentionaliter*, quatenus apprehendi nequit ſine conceptu, qui denominetur *cognitum vt quod*, ſicut nec apprehenditur ſine cognoſcente, & operante intentionaliter. At quemadmodum actus primus intentionalis non debet diſtingui ab actu ſecundo, ita neque terminus intentionalis à relatione: Sed de his plura dixi diſp. præced. à §. 29. 3

Vt dixi loco citato Pater Didacus diſput. 5. ſect. 2. num. 8. concedit illam cognitionem eſſe *relationem tranſcendentalem*, quia ſimpliciter apprehendi nequit ſine obiecto cognito, verius tamen negatur relatio tranſcendentalis ſimpliciter, niſi cum addito *intentionalis*. P. Herice diſput. 4. c. 1. à §. *Hanc difficultatem* negat reſpectu cognitionis Dei, 4

Dei, vt tendentis ad ſe dari propriè *obiectum*, nec ſtra, ſiquidem ratio *obiecti* propriè dicit eſſe *terminum*, & *exemplar*, cuius imago ſit cognitio; quæ omnia ſine diſtinctione non dantur. Verius tamen concedenda eſt ratio *obiecti*, cùm negari nequeat ratio *cogniti*, vereque in cognitione Dei de ſe ipſo non ſolum phyſicè inueniatur eſſentia Dei, ſed etiam intentionaliter, quatenus inuenitur eo modo quo exprimitur in alia cognitione tendendi in eſſentiam Diuinam, quæ ab ipſa diſtingueretur.

SECTIO II.

Defenditur comprehenſio Dei, & explicatur quomodo ſe cognoſcat reflexè ſine proceſſu infinito categorematico.

5 *Ratio dubitandi.*

OBiectio ſecunda eſſentia Dei eſt indiſtincta à cognitione, ergo non poteſt eſſe terminus ſuæ cognitionis. Conſequentia probatur, implicat quod quis per cognitionem perfectam cognoſcat ſe cognoſcere præciſè ibi ſiſtendo. Etenim ſi apprehendam alterius cognitionem nequeo dicere præciſè *cognoſcit*. Sed vlterius aliquid addo, quod cognoſcat. Explicatur, vel ſcientia Diuina præciſè cognoſcit ſe cognoſcere, vel vlterius progreditur? Si primum? Ergo ly *cognoſcere* quod ſe habet pro obiecto de nullo eſt; Vnde Deus cognoſcit ſe cognoſcere, quin ſciat ad quid tendat ly *cognoſcere* obiectiuum. Si ſecundum? Ergo eſſentia Diuina aliud eſt à *cognoſcere* vel ſi illud aliud, eſt etiam *cognoſcere* imus in infinitum, quin in aliquo cognito ſiſtatur. Confirmatur; hoc primum, & quaſi directum *cognoſcere* non tendit in cognitionem, alias tale *cognoſcere* non directum, ſed reflexum eſſet. Ergo non tendit in eſſentiam Diuinam, iſta enim indiſtincta eſt à cognitione. Ergo Deus cognitione eſſentiali non cognoſcit ſe, & conſequenter nulla cognitione ſe cognoſcit; ſi enim alicui debitum eſt optimum, & infinitum obiectum maximè cognitioni eſſentiali.

6 *Implicat cognitio pure reflexa, cuius totum munus ſit ſe cognoſcere.*

Vt reſpondeam: noto dupliciter cognitionem poſſe eſſe reflexam ſupra ſe, Primo ita vt nullum munus, quaſi abſolutum habeat, niſi præciſè ſe cognoſcere. Secundò, ita vt etiam habeat alia munera, & prædicata ad modum, quo loqui poſſumus de actione vel vnione, quæ ſit verbi gratia vnio ſui præciſè, quin ad aliud ſit inſtituta, vel aliud munus habeat, niſi præciſè ſe vnire. Rurſus aliter contingit, quod cum alias ſit modus *ſubſiſtentiæ*, vel *vbicationis* ſe immediatè coniungat ſubiecto. Primò modo implicat cognitio reflexa ſupra ſe, ſicut implicat pura actio, vel vnio. Quum enim hi conceptus *actionis* videlicet & *vnionis*, ſint conceptus viæ, & tendentiæ, ſemper vltra quæritur, quid ſit id, cuius eſt actio, vel vnio? quis namque concipiat purum agere? Sic enim veriſſimè daretur actio ſine termino, & hic cognitio ſine obiecto.

7 *Secus ſi aliud munus habeat.*

Alio ſecundo modo explicato bene datur reflexio, tum quia ſic datur actio, & vnio indiſtincta à termino vt patet in modis, qui ſeipſis producuntur, & vniuntur; tum etiam quia omnis cognitio aliquo modo ſe cognoſcit. *Cognitio enim* (ait Ariſtoteles ſecundo Poſt. cap. 18.) *cognoſcentem ipſum latere non poteſt.* Ideò repugnat me cognoſcere obiectum, & ſimul iudicare idem obiectum *eſſe mihi ignotum*, quod aliunde non venit, niſi quia dum cognoſco ſcio ſimul me cognoſcere: Idem patet in hac cognitione vniuerſali: *Omnis cognitio eſt qualitas*: quæ falſa eſſet ſi ipſa à qualitate deficeret, quod ſignum eſt habere ſe pro obiecto, nam ſolum ex obiecto veritas vel falſitas ſumitur. Denique id à fortiori patet in cognitione infinita quam nihil latere debet.

Ex his ad ſecundam obiectionem reſpondeo per eam ſolum impugnari primam reflexionem: ad confirmationem dico eandem cognitionem Diuinam ex parte obiecti eſſe directam, & reflexam prout huius nomine ſignatur; & cognitio abſoluti alicuius muneris, & cognitio cognitionis: vt tamen concipitur ratione noſtra ſolum directa, non tendit talis cognitio, in conſtitutiuum adæquatum eſſentiæ Diuinæ, ſed in alia prædicata *entis à ſe intellectiui*, &c. Eſſentia enim Diuina vt adæquate ex reflexione conſtituitur. 8 *Eadem cognitio eſt directa, & reflexa, ſed vt directa non tendit in adæquatum conſtituentium eſſentia.*

Hinc obiicies tertiò ergo aliqua formalitas Dei ſaltem ratione noſtra, & per noſtros conceptus latet ſcientiam Diuinam, ac proinde formaliter ratione noſtra Deus non ſe comprehendet, cum cognitionem *comprehenſiuam* vt talem nihil lateat obiecti: Conſequentia hæc probatur. Nam ſcientia reflexa neceſſario diſtinguitur ratione noſtra à directa in infinitum, aliud enim eſt ratione noſtra *ſcire obiectum*, aliud *ſcire ſcientiam obiecti*, vnde plus dicit de Deo, qui dicit: *Deus ſcit ſe ſcire, & ſcit ſe ſcire hanc ſuam ſcientiam*, &c. Quam ſi præciſè admittat: *Deus ſe ſcit.* Ergo ſemper vt ſciatur reflexè vna cognitio requiritur alia diſtincta per rationem noſtram, ergo aliqua cognitio manebit incognita, hæc conſequentia probatur; nam quot ſcientias reflexas addis, tot addis noua obiecta quæ diſtinctas ratione noſtra cognitiones reflectentes exigunt vt cognoſcantur. Ergo ſicut prima cognitio erat cognita, & non cognoſcens reflexè, ita hic dabitur alia cognoſcens & non cognita vt patet in argumento *tribuli*, Si verbi gratia appoſito albo poſtea addas vnum nigrum neceſſariò afferens ſecum aliud album ſemper ſupererit vnum album. 9 *Vrgetur proceſſus in infinitum reflexionum.*

Communiter negatur proceſſio infinita reflexionum diſtinctarum, quia ſcientia quando infinita eſt indiuiſibiliter ſcit obiectum, & ſe eſſe ſcientiam obiecti, & ratio mihi eſt quia ſcientia infinita nihil poteſt repræſentare obſcurè & confuſe, at iuxta §. 7. Omnis cognitio ſe repræſentat ſaltem in confuſo per ipſum exercitium ſui. Ergo cognitio infinita ſeipſa ſeu ipſo ſui exercitio ſe repræſentat clarè. Tunc ſic; ſed effectus formalis, qui venit ab ipſo exercitio formæ, quantumuis reflexè apprehendatur in infinitum, præſtatur à tali forma ſine vlla diſtinctione; ſic vnio ita ſeipſam vnit, vt ſit vnio ſui, & vnio vnionis vnientis ſeipſam, & ita vnit vnionem vnionis vnientis ſe in infinitum, quin hæ reflexiones aliquam formalitatem nec per rationem noſtram diſtinctam addant. Ergo, &c. Confirmatur nec per rationem noſtram cognitio confuſa, qua notificatur ipſa cognitio cognoſcenti, diſtinguitur à cognitione directa, ſic confuſa ſui: nam quantumuis velis imaginari infinitas reflexiones confuſas omnes præſtantur per eandem cognitionem, ergo idem dicendum eſt de ſcientia Dei clara, & explicita de ſeipſa, cur enim ſcientia infinita non præſtabit clarè, quod ſcientia finita præſtat obſcurè. 10 *Vitatur hic*

Hæc dixi, quia non eſt neceſſaria in præſenti infinita reflexio, non quia renuam admittere proceſſum in infinitum ratione noſtra in Deo, iſtum enim proceſſum neceſſario admittendum mihi probat hoc argumentum. Scientia Dei diſtinguitur ab amore, 11 *Alias admittendus eſt neceſſario.*

amore, quo Deus gaudet de ipſa ſcientia, rurſus hoc gaudium per nouam, & diſtinctam cognitionem reflexam cognoſcitur. Prima enim ſcientia nequit ſcire gaudium de ſe exiſtere cum nondum ſit tale gaudium. Vlterius ad gaudendum de hac ſecunda cognitione reflexa primum gaudium intuéte nouum gaudium requiretur, & ad hoc noua cognitio, &c. in infinitum; etenim ſi non virtualiter ſaltem ratione noſtra omnis cognitio diſtinguitur ab amore, & amor quando eſt per modum gaudij præſupponit ſuum obiectum, vnde cognitio de qua eſt reflexè gaudium, nequit cognoſcere gaudium reflexum iam exiſtens ſed neceſſaria erit noua cognitio, & ad hanc nouum gaudium in infinitum.

12 Dixi *ſi non virtualiter* diſtinguatur ab amore cognitio, nam plures nolunt admittere cognitionem vllam in Deo indiſtinctam virtualiter a volitione, contra quos authores egi ſatis diſput. 15. per totam & hinc rurſus impugnantur, nè admittant aliquam formalitatem, de qua ex parte obiecti negetur eſſe cognitum à Deo iuxta hanc obiectionem.

13 *Et ſine abſurdo per rationem noſtrã quia ſolus eſt ſyncathegorematicus.*

Ad quam dico licet reflexio illa non probet proceſſum in infinitum, neque admittendus ſit Virtualium formalitatum, magnum namque abſurdum eſt verè, & ex parte obiecti verificari de aliquo obiecto *non cognoſci à Deo*: at nullum eſt per rationem noſtram, etenim ſolum probat nos nunquam ſatis Deum penetrare, poſſeque in infinitum ſincathegorematice plures, & plures reflexiones facere, quas Deus ſimpliciſſimo actu præcontinet, ſicut per rationem poſſumus diſtinguere in Deo varias cognitiones in ordine ad plures, & plures durationes æternitatis in infinitum; quæ varietas cognitionum noſtra eſt, non Dei, vnde hoc non tollit quin etiam ratione noſtra Deus adæquatè ſe comprehendat, nilque lateat ipſum de ſe, quia quamuis numerare non poſſimus, nec ratio noſtra penetret ſcientiam Dei; at ſcimus etiam formaliter Deo nihil ignotum eſſe, quemadmodum formaliter etiam ratione noſtra omnes durationes damus Deo, facimuſque formaliter æternum à parte ante licet explicitè ipſum ad durationes omnes ſigillatim nec mente referre poſſimus.

SECTIO III.

Nonnulla de comprehenſione Dei propria.

14 PRoprium Dei eſſe quod ſe comprehendat ſuppoſui diſput. 30. ſect. 1. vnde euidenter intuli omnino incomprehenſibilem eſſe à creatura, quantumuis adiuta lumine ſupernaturali. Modo breuiter, tam ſuppoſitum, quam conſequentia probari conuenit. Vtrumque autem probatur ſatis primo ex 1. Corinth. 2. *Spiritus enim ſcrutatur etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis; qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt, nemo cognouit niſi Spiritus Dei:* ex quo loco Patres probant Diuinitatem Spiritus Sancti, quia omnem profunditatem eius penetrat: audiatur inter alios (apud Ruiz diſp. 6. de ſcient. ſect. 5.) Athanaſius in diſput. contra Arium relata in Conc. Nicæn. paulo ante finem. *Supereſt vt Spiritum S. Patri, & Filio conſubſtantialem fateamur. Omnia enim, quæ ſunt Dei, etiam profunda cognoſcit Spiritus-Sanctus ſecundum B. Paulum.*

Secundo ex Matth. 11. *Nemo nouit Filium, niſi Pater neque Patrem quis nouit, niſi Filius.* Cui conſonat Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus, qui eſt in ſinu patris ipſe narrauit.* Et Ioan. 6. *qui eſt à Deo hic vidit Patrem*: in quæ loca Chryſoſtom. Homil. 5. de incomprehenſib. Dei nat. ex hoc loco (Matth. 11.) *eandem ſententiam accipe; Non quia Patrem quis vidit, niſi qui eſt ex Deo. Hic vidit Patrem. Plene, & exquiſitè eum nouiſſe, & cauſam, quam ob rem nouerit, dicit quoniam ex eo eſt. Cuius item documentum, quod eum norit exquiſitè. Hinc enim apertè eum nouit, quoniam ex eo eſt: argumentoque eſt ex eo, quod eum plane, aperteque cognoſcit, ſubſtantia namque ſubſtantiam ſuperiorem* (nota quæſo pro diſput. 27. ſection. 2.) *nunquam perfectè intelligere poteſt.* 15

Vnde conſequentiam noſtram intulit Cyril. Hieroſolym. *Nullus enim cognouit* (ſic loquitur Catecheſ. 6. inter principiũ, & medium) *Patrem niſi Filius, & Spiritus cuncta inquirit... Quid ergo præcipuum cognitioni Vnigeniti, aut Sancti Spiritus relinquent, ſi ipſam Diuinam ſubſtantiam penitus comprehendunt* Item Nyſſen. lib. de vita Moſis poſt medium. *Deum nullus vnquam vidit: non ſolum hominibus, ſed intellectuali omni naturæ impoſſibilem Diuinæ ſubſtantiæ cognitionem hac negatione determinans.* Huius veritatis rationem ne creatura etiam Diuinitus eleuari poſſit ad comprehenſionem dedi diſput. 30. ſect. 1. ne autem ſcientiæ Diuinæ comprehenſio negetur, etiam eſt manifeſta cum omni cognoſcibilitati aliqua cognoſcendi vis debeat correſpondere, ergo infinita cognoſcibilitas à Deo ſaltem exhaurietur. 16

DISPVTATIO XXXIX.

An Deus ſe cognoſcat in creaturis?

SECTIO I. *Status quæſtionis, & Authorum ſententiæ.*

SECTIO II. *Si Deus cognoſcat creaturas in ſe ipſis in illis ſic ſe cognoſcet; ſecus dum cognoſcit in ſe ipſo creaturas.*

QVÆSTIO iſta tota recens eſt inter noſtros Authores, quare illos ſolum dabimus, illorumque ſola argumenta, ego ſpecialius quid, quaſi inter vtroſque medium dicam ſectione ſecunda. *Vide q. 4. art. 2. dub. 6.*

SECTIO I.

Status quæſtionis, & Authorum ſententiæ.

1 *Quid ſit cognoſci vnum in alio?*

COgnoſci vnum in alio verbi gratia A. in B. eſt ita comparari cognitionem ad obiectum A. hocque cognitum eſſe ratione obiecti B. vt niſi titulo huius non ſit cognoſcibile A. hic, & nunc per talem modum tendendi cognitionis cognoſcentis

tis obiectum A. in obiecto B. hanc explicationem quiuis intelliget ex dictis à me diſputatione 37. à num. 8.

2 Id tamen nota hic non eſſe idem cognoſci aliquid in alio, vt in medio, & cognoſci vt in motiuo & obiecto formali, niſi quando hoc aliud in quo vt in medio aliquid cognoſcitur, eſt cognoſcibile ratione ſui, independenter à quolibet altero, aliàs enim & in vno obiecto materiali poteſt cognoſci aliud; ſic cognoſco in reuelatione Deum poſſe producere Petrũ; in quo caſu potentia Dei cognita vt obiectum materiale in reuelatione (quæ eſt obiectum formale) eſt medium quo cognoſco Petrum poſſibilem.

Non requiritur quod hoc aliud ſit motiuum.

3 Sic quæſtio eſt an Deus ſe cognoſcat in creaturis. Prima ſententia affirmat Arriaga, Herize, Albiz, Martinon in præſenti. Primò quia Deus comprehendit creaturas connexas cum ipſo, at vi comprehenſionis rei connexæ omnes termini connexionis cognoſcuntur. Ergo. Secundo Deus vt tendit ad creaturas, ſcit ipſas eſſe *producibiles* à ſua omnipotentia; ſimiliter viſionem beatam eſſe repræſentationem Deitatis. At hæ veritates nequeunt apprehendi, ne dum iudicari poſſunt, quin imbibatur omnipotentia, vt principium à quo, & Deitas vt obiectum, cuius eſt repræſentatio. Ergo in creaturis his Deus cognoſcit ſe.

Deum cognoſci in creaturis affirmant.
Arriaga.
Herice.
Albiz.
Martinon.

4 Probatur tertio hæc ſententia. Deus in lucis comprehenſione cognoſcit ſolem, ſi enim Angelus comprehendens *lucem* venit in notitiam ſolis, à fortiori Deus, qui melius penetrat naturam lucis. Ergo Deus ſe cognoſcet in creatura, ſtrictius enim hæc refertur ad Deum, quam lux ad ſolem. Quarto ita ſe habet cognitio Dei prout tendit ad creaturam, vt ſi alias Deus in ſe non eſſet immediatè cognoſcibilis vi penetrationis creaturæ exiſtentia Dei eluceſceret, vt patet in noſtro intellectu cognoſcente creatorem ex creatura: at hoc eſt formaliſſimè creaturam eſſe medium cognoſcendi Deum ſeu in quo Deus cognoſcitur Ergo.

5 Secunda ſententia negat, eſt communis cum Alarcon tract. 2. diſput. 2. cap. 2. num. 4. Probatur primo quia ſi in creatura, quando cognoſcitur *producibilis à Deo*, Deus iterum repræſentaretur, rurſus etiam in ſe ipſo ſic regredietur ad repræſentandas iterato creaturas infinitâ circuitione, quaſi dicat. *Ego poſſum producere creaturas producibiles à me* potente producere creaturas producibiles à me. Secundo dabitur in Deo cognitio inadæquata ſui, præciſiua, & confuſa ſolum quoad *an eſt*, etenim in creaturâ non reſplendet Deus quidditatiuè, & vt Trinus. In cognitione noſtra de animalitate vt ſic, ſolum apparent differentiæ confusè: At Deus non cognoſcit obiectum in aliquo medio, niſi prout hoc ad illud refertur, & connotat ideò in arbitrio creato nequit cognoſcere exiſtentiam actûs liberi, quia voluntas creata ſolum connectitur cum actu libero, vt poſſibili, non vt exiſtenti. Probatur vlterius hæc ſententia negans.

Negat cum communi.
Alarcon.

6 Deus in cognitione creatâ falſâ, quæ dicit: *Petrus currit*, non cognoſcit Petrum currere, neque in cognitione probabili cognoſcit obiectum probabiliter. Sed ſolum dicit Deus: *illa cognitio affirmat Petri curſum; iſta iuxta humanum captum probabiliter procedit*; affirmat ſcilicet ſolum ſcientiæ Dei reflexè falſitatem, vel probabilitatem; quin directè obiecta iudicet vt horum mediorum, & cognitionum creatarum, quas comprehendit. Ergo ſimiliter videns creaturam connexam ſecum affirmabit hanc connexionem; non verò ſciet directe ſeipſum.

SECTIO II.

Si Deus cognoſcat creaturas in ſeipſis in illis ſic ſe cognoſcet; ſecus dum cognoſcit in ſeipſo creaturas.

Prima pars huius meæ concluſionis, probatur: in caſu poſito licet principalius obiectum ſit Deus quam creatura; at æquè primo tendit ſcientia Dei ad vtrumque vt obiectum formale. Ergo ſiquidem Deus in ſe videt creaturas iuxta communẽ ſententiam; etiam ſe in illis videbit: conſequentia probatur, quia æquè vtrumque obiectum ad inuicẽ connectitur, vt inintelligibile ſit ſine altero. Dixi *iuxta communem ſententiam*, quia in hoc caſu ego opus nondum iudico, quod Deus in ſeipſo cognoſcat creaturas, nam ſcientia quæ penetrat: *Deus & creatura connectuntur, vt effectus, & cauſa* ſatis comprehendit vtrumque, quin neceſſarium ſit dicere de obliquo: *creaturam cauſat Deus*, vel *à Deo cauſatur creatura.* 7

8 Hinc ad obiecta pro ſecunda ſententia negante, reſpondeo ad primum, hic vitatur proceſſus in infinitum, nam à Deo cognito iterum non redit ad creaturam, quia dum ſcitur: *creatura eſt effectus Dei*, ſatis conſtat eſſe effectum Dei vt cauſantis ipſam. Ad ſecundum creatura connectitur cum Deo, & ad ipſum refertur phyſicè vt eſt in ſe, ergo ex parte obiecti refertur ad Deum vt Trinum, (nec enim ordo phyſicus præſcindere valet vt referatur ad Deum qua *vnum*, & non qua *Trinum*) licet quaſi ex modo eſſendi occultet Trinitatem, quemadmodum cognitio animal ex parte obiecti tangit differentias, licet ex modo tendendi eas occultet. Cæterum hæc occultatio quamuis nobis obſit non tamen intellectui infinito penetranti res vt in ſe. Hinc ergo omnis cognitio Dei manebit adæquata ſui & comprehenſiua.

Infinita circuitio, & regreſſus Dei ad ſevitatur

Nos nequimus Trinitatem cognoſcere in creatura, bene tamen Deus.

9 Ad tertiam obiectionem in §. 6. Reſpondeo. Quemadmodum Deus in cognitione noſtra falsâ: *homo eſt rugibilis*, attingit hominem rugibilem, ſed per Diſſenſum, ita hic in creatura attinget *Deum vnum*; ſed cum Trino coniungens, vti audio ego qui vidi Regem Hiſpaniæ. *Rex Hiſpaniæ eſt Matriti*, hoc ita apprehendo, vt addam *Philippus Quartus*, neque aliter apprehendere poſſum: ly *Rex Hiſpaniæ*, ſic dicitur in libris Perihermenias, quod ſæpè in voce res videatur, & ſignificetur melius audienti, quam imponenti ſignificationem, quo pacto explicari poteſt quod Deus ſe cognoſcat in creatura, quantumuis iſta non connectatur cum Deo, vt Trino.

Deus in cognitione falſa quo modo ſe cognoſcat.

Et in medio præſcindente.

Dices hoc non fit vi præciſa propoſitionis auditæ, ſed ſpeciei intuitiuæ quam habeo. Ergo ſimiliter attenta præciſè vi medij creati, Deus ſe inadæquatè cognoſcet: Magnum autem eſt abſurdum concedere Deo cognitionem inadæquatam, etiam ratione noſtrâ. Reſpondeo: Ideò non ſufficit ad excitandam cognitionem in Deo medium illud præciſè, niſi coniungatur cum altero perfecto, & adæquato, ita vt ex creatura ſimul coniunctâ cum eſſentia Dei coaleſcat integrum, & adæquatum obiectum, vti in vtraque præmiſſa noſcitur concluſio. Sic nequit Deo præciſè innoteſcere aſſertiuè directè natura hominis, vi cognitionis 10

tionis falſæ creatæ *homo eſt rugibilis*; at quemadmodum in hac cognitione cognoſcit hominem rugibilem, ſed per diſſenſum ad quem iuuat euidentia rei, ita ſimiliter.

11 *Vi alicuius medij non poſſe Deum aliqua ſcire ſine abſurdo dicitur.*

Quod autem nos præſcindentes per rationem noſtram vim alicuius medij, non concipiamus vt ſic cognitionem Dei, vt adæquatam, hæc non eſt imperfectio ſcientiæ Dei, ſed noſtræ: ſic abſurdum non eſt Deum aliqua ignorare vi alicuius medij; nam in voluntate creata neſcit actum liberum, & in ſua omnipotentia, qua eſt productiua Petri, non dum ſcit Angelum; hoc inquam abſurdum non eſt, licet omnis ignorantia obiectiuè procul ſit a Deo, quia ſcilicet realiter per eandem ſcientiam Angelum & Actum liberum cognoſcit in medio proportionato: ita ergo hic in creatura coniuncta, & quaſi veſtita Deitate ſe vnum & Trinum ſcit. Addo; dum ratione noſtra concipimus Deum vt tendentem præciſè in creaturam vt ſic; non cognoſci ab ipſo eius Deitatem, quia ſolum dicit per ſuam ſcientiam *creatura producibilis eſt à me*, quin per illam cognitionem iudicet aliquid directè de ſe ipſo, quemadmodum non concipitur iudicare de exiſtentia curſus Petri prout præciſè dicit Deus. *Hæc cognitio creata affirmat Petri curſum.*

12 *Deus in creaturis vt cognitis in ſeipſo non regreditur ad cognoſcendum ſe.*

Item ſecunda pars concluſionis quod ſcilicet Deus non cognoſcat ſe in creaturis cognitis in ipſo probatur; quia in Deo non eſt concedenda repetitio eiuſdem veritatis cognitæ ſine nouo motiuo, alias ſine fine poſſemus fingere varias cognitiones in Deo, quaſi numero diſtinctas, quibus eandem prorſus repetat, vti creatura de eodem obiecto prorſus multiplicare poteſt cognitiones ſolo numero diſtinctas, quam multiplicationem Deo repugnare oſtendam infrà. Atqui Deus præſupponitur cognitus vt cauſa creaturarum, quando has cognoſcit in ſeipſo. Ergo iterum non regredietur vt ſciat ab ipſo *eſſe cauſabiles*, hæc enim eſſet repetitio ſolo numero diſtincta.

13 Ad obiecta pro ſententia affirmante §. 3. Reſpondeo ad primum vi comprehenſionis cognoſcuntur termini rei comprehenſæ in ſe, non verò comprehenſæ in ipſo termino, nam eo ipſo ſine hac regreſſione ſatis aperiuntur prædicata rei verbi gratia quod creatura ſit cauſabilis à Deo. Ad ſecundũ Deus iam ſcit ſe eſſe principium *à quo*; nam formaliſſimè dum dicit: *ego ſum principium creaturæ* exprimit *à quo eſt creatura*; ſimiliter dum ſcit ſuam Deitatem eſſe obiectum viſionis beatæ, ſcit quod hæc ſit repræſentatio Deitatis.

14 Ad tertiũ in §. 4. Deus cum non neceſſario prius comprehendat ſolem, quam lucem; ſol non ſupponitur cognitus vt cauſa, quare ſine repetitione poteſt regredi ad ſolem, & ideo Angelus in creatura cognoſcit Deum. Ad quartũ reſpondeo: eſt quidem creatura ſufficiens ad inducendam notitiam de Deo. Cæterum quia eam ſupponit non poteſt eam inducere de nouo in intellectu Diuino, quemadmodum hæc veritas *Deus eſt trinus* ſufficienter per ſe eſt cognoſcibilis non tamen iterato; poſtquam à Deo ſemel ſcita eſt.

***

DISPVTATIO XL.

Vtrum aliquid creatum poſſit eſſe obiectum formale motiuum Diuinæ ſcientiæ.

SECTIO I. *Status quæſtionis, & Authorum ſententiæ.*

SECTIO II. *Eligitur ſententia affirmans.*

Hic non quæro poſſit ne aliquid creatum terminare in ſeipſo Diuinam ſcientiam, de quo plura dicam diſputatione 44. Neque item ſint ne creaturæ motiuum adæquatum ſcientiæ Diuinæ circa quod exceſſiſſe Gregorium notabo §. 5. ſuppono etiam ea ratione, qua explicabo diſputation. ſequentibus Deum eſſe motiuum Diuinæ ſcientiæ (de quo nullus dubitat in ſcientia de ſe ipſo; Gregorius namque locutus eſt de ſcientia Dei circa creaturas; at quod ſaltem circa ſe Diuinam ſcientiam ex entitate Dei moueatur conſtat à fortiori ex diſput. 37.) etiam adæquatum ſufficienter, ita vt independenter à motiuo creato ſatis Deus in ſua eſſentia haberet motiuum cognoſcendi creaturas. Vtrum autem ita ſit adæquatum vt vnicum ſit res eſt præſentis diſputationis, in qua vt rationibus again hic ponam celebriora Patrum verba, quæ fauent communi ſententiæ fuenti Deum in ſe ſolo reſpicere creaturas. *Vide q. 14. a. 2. dub. 7. & ar. 5. dub. 1.*

Dyoniſ. de diu. nominib. cap. 7. paulo poſt med. *Neque enim ea, quæ ſunt, ex his quæ ſunt diſcens, nouit Diuina mens: ſed ex ſe, & in ſe per cauſam rerum omnium cognitionem, ſcientiam, eſſentiamque anticipatam, & ante comprehenſam habet.* Item paulo inferius. *Eadem etiam cauſa vna omnia, vt à ſe profecta, & in ſe ante conſtantia cognoſcet: neque ab his quæ ſunt, ipſorum notitiam accipiet*: & poſt: *Deus ea quæ ſunt noſcit non rerum notitia, ſed ſui.* Sic etiam dixit S. Auguſt. 15. de Trinit. cap. 15. in medio. *Nouit itaque omnia Deus Pater in Filio, nouit in ſe ipſo. Sed in ſe ipſo tanquam ſe ipſum, in Filio tanquam Verbum ſuum quod eſt de omnibus quæ ſunt in ſeipſo.* Ex quibus conſtat Deum nullum alium modum cognoſcendi habere niſi in ſe, ſiue vt in Verbo: huic eidem ſententiæ patrocinantur verba S. Maximi, apud Cypariſſiotum Decade 8. cap. 5. ad finem. *Se ipſe Deus cognoſcens ſuos etiam effectus vna, & infinita cognitione cognoſcit.* Huius etiam ſententiæ eſſe videtur S. Anſelmus in Monologio negans in Deo dari Verbum creaturarum his: *Verbum quo creaturam dicit, nequaquam ſimiliter eſt Verbum creaturæ: quia non eſt eius ſimilitudo, ſed principalis eſſentia.* Ex quo conſequi videtur iuxta hos Patres, creaturas nullius cognitionis Diuinæ poſſe eſſe obiectum formale motiuum. Sed ego nihil per hæc concludi exiſtimo, nam cum vox *motiuum* varia ſit ſecundum peculiares eiuſdem acceptiones iam concedi, iam negari poterit veritati creatæ, vt explico S. Dyoniſium in §. 9. Sanctus autem Auguſtinus ſolùm ſtatuit creaturas in Deo cognoſci, quod ego non nego, ſed vlterius addo poſſe cognoſci in ſe ipſis vt in obiecto formali.

mali. Minus obſtant verba S. Maximi, poteſt namque vna eſſe cognitio, & duplici vti obiecto motiuo S. Anſelmus iure negat dari in Deo Verbum creaturarum, non quidem quia illatum non ſit ſimilitudo immediata vtcumque, ſed quia non eſt ſimilitudo per modum imaginis; nullâ enim ratione Verbum procedit à creaturis, nec ex earum cognitione, vt ab ipſis orta, vel ex ipſis conſtituta, vt procedit ex cognitione eſſentiæ diuinæ, & Paternitatis, vt dicam in tractatu de Trinitate.

SECTIO I.

Status quæſtionis, & Authorum ſententiæ.

1 QVæſtio hæc procedit ſupponendo creaturas cognoſci poſſe in Deo, vt in obiecto formali, ſed adhuc inquirit, poſſint-ne in aliquo creato cognoſci, vt in obiecto formali motiuo, benè enim ſtat aliquam veritatem in duplici obiecto formali poſſe cognoſci, ſic Chriſtus Dominus per ſcientiam Beatam cognoſcebat creaturas in Deo vt in obiecto formali, & adhuc ſcientia infuſa habebat pro obiecto formali veritatem creatam.

2 *Quæſtio procedit etiamſi creaturæ in ſeipſis cognoſcantur; adhuc enim poſſent non eſſe motiuum.*

Dixi vt *in obiecto formali motiuo*; nam adhuc huic quæſtioni locus datur, quantumuis creaturæ in ſeipſis cognoſcantur. Communis etenim apud noſtros Authores opinio eſt, futura libera creata cognoſci in ſeipſis, qui adhuc negant poſſe aliquid creatum eſſe motiuum, ſeu obiectum formale Diuinæ ſcientiæ: Quidquid ergo ſit de cognitione creaturarum in ſeipſis, vt in termino immediato directo. De quo diſput. 44. inquiritur hic poſſint-ne dici obiectum formale: ſic Card. de Lugo in manuſcriptis de ſcientia, ſect. 1. diſput. 4. ad 6. *obiectionem* negat eſſe creaturas motiuum Diuinæ ſcientiæ, quantumuis in ſeipſis cognoſcantur.

3 *Negant communiter Thomiſtæ. Scotiſtæ. Ruiz oppoſitum dicit temerarium. Alarcon. Vaſquez.*

Prima ergo ſententia negat, quæ communis eſt Thomiſtis Scotiſtis, & noſtris Authoribus hic, vt Ruiz diſput. 5. ſect. 4. num. 14. Oppoſitam cenſeat temerariam, quod confirmat diſput. 10. ſect. 2. & ex Authoribus, qui docent creaturas in ſeipſis cognoſci à Deo, Alarcon, diſput. 7. cap. 1. Vaſquez 1. part. diſput. 50. & diſput. 60. & ipſe Ruiz loquens de futuris diſput. 19. ſect. 1. & Fuſius diſput. 73. ſect. 2. Qui pro ſe innumera teſtimonia Patrum adducit, præcipuè autem & celeberrimum eſt, ex Dionyſio cap. 7. de Diuinis nominibus, quod ſupra retuli cum aliis.

4 Mouentur primò, quia ſcientia Dei nequit ſuum *eſſe*, ſpeciem, aut perfectionem ſumere à creaturis, quod requiritur ad rationem obiecti formalis ſecundò à paritate voluntatis Diuinæ, quæ non mouetur ex obiecto formali creato. Tertiò, vt ſic intellectus infinitus habeat proportionatum, & infinitum obiectum, ſicut enim cognitioni materiali debetur motiuum materiale. Ita ſcientiæ infinitæ infinitum: Quartò, vt ſic Deus ſolus ſibi ſufficiat, nec indigeat veritate creata, cum in ſe habeat motiuum adæquatum ſuæ ſcientiæ.

5 *Affirmant Gregor. Arriaga. Martinon.*

Secunda ſententia affirmat creaturas etiam eſſe obiectum formale ſcientiæ Dei, ita Gregorius Arimin. 1. d. 36. q. in col. vlt. licèt exceſſerit negans Dei eſſentiam poſſe vllo modo eſſe motiuum ad cognoſcendas creaturas, ideoque notatur ſupra à Didaco Ruiz; tenet etiam hanc ſententiam ſecundùm Arriaga in præſenti diſput. 19. num. 31. Martinon diſp. 10. ſ. 2. n. 12.

6 Probatur hæc ſententia primò à paritate voluntatis Diuinæ, quæ ſæpè mouetur ex bonitate creata, & hæc eſt ratio obiectiua amandi, quę reddi poteſt legitimè interroganti cur Deus amet? *Sic propter nos homines deſcendit de cœlis, propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam*, &c. Obiectum autem formale eſt ratio volendi: ſecundo Deus quando ſcit noſtrum actum liberum nihil ab ipſo diſtinctum reddere poteſt pro ratione ſui aſſenſus, ſolumque in ipſam exiſtentiam, vel futuritionem creatam reſoluitur cognoſcibilitas & affirmabilitas talis veritatis. At in hac reſolutione conſiſtit ratio obiecti formalis motiui, vel certè ad nil aliud requiritur motiuum iuxta diſp. 37. ſect. 1. Ergo iam aliquid creatum poteſt eſſe obiectum formale ſcientiæ Dei.

SECTIO II.

Eligitur ſententia affirmans.

CVm mihi probabile ſit cognoſci poſſe à Deo creaturas in ſeipſis non ſolum terminando formaliter connotationem, & connexionem in eſſe talis: Sed etiam terminando ſcientiam liberam in ratione ſcientiæ, negare non poſſum veritati creatæ in reipſa rationem *motiui* reſpectu ſcientiæ Dei; nam eo ipſo vltimò reſolui poteſt aſſenſus Diuinus, & pro ratione ſui reddere veritatem creatam, item hæc ſine alterius adminiculo, ſed quolibet alio diſtincto ſecluſo, vel per impoſſibile ignorato, cognoſcibilis & ſuadibilis eſt, in quo formaliſſimè conſiſtet ratio *motiui*, & obiecti formalis, vt dixi ſæpè. 7

Quia creatura à Deo cognoſcibilis eſt ratione ſui, quolibet alio ſecluſo ex diſp. 44.

Confirmatur ex dictis diſput. 37. ſect. 3. vt relationes ſint, etiam qua tales, & virtualiter condiſtinctæ ab eſſentia *motiuum Diuinæ ſcientiæ*, omnia enim in præſenti militant; & è contra quidquid excludere poteſt creaturas à ratione *motiui*, eodem modo excludit, ne cognoſcantur in ſeipſis terminando formaliter ſcientiam in ratione ſcientiæ ſicut terminant diuinæ relationes.

Sententia oppoſita non obeſt; nam ſæpè vox *motiui*, & obiecti formalis, ſumitur pro *primario*, *principaliori*, aut etiam dante ſpeciem, & perfectionem ſcientiæ, quo pacto quis non putat pluſquam *temerarium* dicere quod ſcientia Dei reſpiciat creaturas *vt motiuum*, ita interpretatur mentem S. Dionyſij Pater Ioannes Martinon in præſenti diſput. 10. num. 8. Nos autem in præſenti ſumimus obiectum formale motiuum minus prout præciſè dicit id quod ſine alio prius cognito per ſe loquendo cognoſci poteſt. Quod potius commendat quam deprimit Diuinæ ſcientiæ perfectionem, & profunditatem, quæ vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. 8

Vox motiui variè ſumitur.

Ad rationes pro prima ſententia. Ad primum nego id requiri ad rationem motiui, quod ſi huic voci inſiſtas ſicut omnipotentia ſpecificatur per ordinem ad creaturas producendas, cur hoc repugnabit ſcientiæ non magis infinitæ, quam ferri omnipotentiam, nec item minus diuina. Deinde dicam ſaltem poſſe Diuinam ferri in veritatem creatam quin vllo vtatur motiuo increato. Ad ſecundam diſcrimen eſt in ſcientia Dei ob quod ſcientia præ voluntate poſſit moueri ex obiecto creato. Nam ſcientia formaliter non minuitur neque intenſiuè, neque extenſiuè eo quod deficiat creatura cognita, eiuſdem enim ſcientiæ & æquè ſapiens eſt qui cognoſcit mundum exiſtentem quando mun- 9 10

dus exiſtit ac qui cognoſcit mundi carentiam quando non exiſtit. At verò gaudium minuitur ſaltem extenſiuè deficiente motiuo illius, implicat enim eſſe æquale motiuum gaudij mundum & carentiam mundi, nullius namque æſtimationis eſt res, quæ non pluris æſtimatur quàm eius carentia. Cum ergo gaudium & gloria Dei non poſſit minui, ideo inniti non debet obiecto creato defectibili.

11 Ad tertiam reſpondetur, imo ſcientia Dei vt infinita ſit debet moueri ex veritate creata, ſicut enim infinita non foret ſi creaturam ignoraret, ita nec ſi eam non cognoſceret formaliter, ſiquidem ſic eſt cognoſcibilis. Ita Angelus non ſolum cognoſcit ſpiritualia, ſed etiam materialia formaliter. Ad quartam Deus adhuc ſibi ſolus ſufficit, quia vt cognoſcat obiectum formale creatum non indiget huius adminiculo, licèt requirat vel connectatur cum tali creato obiecto. Sic Deus vt omnipotens ſibi ſufficit, quamuis cum creaturis connexionem habeat.

Hæc ſententia ſecunda affirmans abſolutè vt vera tenenda eſt; interim tamen probabilem non nego oppoſitam, quantumuis ſcientia Dei terminetur ad creaturas immediatè in ſe ipſis, vt de ſcientia actus liberi creati ſentit noſtra ſchola ſocietatis: etenim cum hac immediatione componi rectè, quod nil creatum ſit obiectum formalè
12 Diuinæ ſcientiæ, conſtabit diſput.37.§.16. Vnde patet ad ſecundum fundamentum, pro hac ſecunda ſententia affirmante in num.6. ad primum, facilius negatur, voluntatem Dei quà voluntas eſt moueri ex bonitate creatâ, hæc enim motio inficianda eſſet quantumuis Diuina ſcientia habeat pro motiuo veritatem creatam, vt vidimus nuper §.10.

DISPVTATIO XLI.

Vtrum Deus cognoſcat creaturas poſſibiles in ſe ipſo?

SECTIO I. *Præmittitur connexio Dei cum creaturis poſſibilibus.*
SECTIO II. *Reiicitur contraria ſententia.*
SECTIO III. *De connexione cuiuſuis rei cum qualibet aliâ.*
SECTIO IV. *Vtrum datâ connexione cognoſcantur creaturæ in Deo ſic connexo.*

Vide quæſt. 14. art. 5. per.7. dubit.

COMMVNITER pro explicanda hac diſputatione præmitti ſolet explicatio, detur ne connexio Dei cum creaturis poſſibilibus, de qua ego late agam in meo opere philoſophico ſub *titulo relationis tranſcendentalis* omnis cauſæ ad ſuos effectus vt poſſibiles; modo etiam vt communi vſui morem geram non nihil opus eſt de eadem connexione diſputare, quod præſtabo per tres priores ſectiones diſputationis huius vt tandem eiuſdem titulo in ſectione 4. ſatisfaciam. Cui placuerit prolixe ſatis, licèt æque erudite, & ingenioſe pertractatam videre, legat Patrem Georgium Hemelman tom. 2. in 1. part. per totum, vbi acerrime negat connexionem omnem diuinæ entitatis cum omni eo quod Deus non eſt. Pro ſe adducit plurima Patrum, & Philoſophorum teſtimonia, quæ copioſe ſpargit per integrum tomum, ſpeciatim refert Scholaſticos de hac re tractantes, tit.8. diſput. 1. cap.5. num.2. Vaſquez, Arrubal, Baſilium Ponce, Chriſtophorum, Gilium, Peſantium, Albertinum, Fabrum, Becanum, Luis. Torres, Raynaudum, Albiz, Petrum Hurtadum, Gaſparem Hurtado, Hacherum, Gamacheum, qui omnes ex profeſſo tractant, & negant hanc connexionem.

Nihilominus expreſſe eam defendunt Banez, Caietanus, Molina, Valentia, Torres, Epiſcopus Canarienſis, Suarez, Albelda, Nazarius, Faſolus, Tanetus, Pius, Herice, Zuniga, Arriaga, quorum omnium citationes vide apud eundem Hemelman eodem tom.2. tit 8. diſput.1. cap.2. num.1. & 2. pro qua ſententiâ adducit ſatis efficacia verba ſancti Thomæ, maxime autem quæſt.2. de veritate, art.3. ad vndecimum, vbi exemplo lineæ, quæ connectitur cum puncto poſſibili probat potentiam Dei connecti cum creaturis poſſibilibus, pro qua ſententia iam ſunt omnes Recentiores.

SECTIO I.

Præmittitur & probatur connexio Dei cum creaturis poſſibilibus.

AB hac connexione independens eſſe poteſt diſputatio hæc vt ex diſput.43. conſtabit quia 1
tamen ego eam dependentem facio præmittendum duxi meum iudicium de præfata connexione, quam poſui, & latè defendi in phyſicis ſub titulo *ordinis, & relationis tranſcendentalis* cauſæ ad effectus poſſibiles, ſub quo late agam in meo opere Philoſophico. Quare hic à longiori probatione abſtineam, ſicut etiam à voce *Ordinis, relationis* tranſcendentalis, & a iis quæ forte indicant reſpectum Dei ad creaturas, vt diſtinctas actu à Deo, ſolum ergo pro probando præmiſſo in titulo ſectionis ſic arguo.

De hac difficultate agi poteſt independenter à connexione, vt patet hic ex ſect.4. & diſp.43.

Deus eſſentialiter ex conceptu ſuo in ſe ipſo præ- 2
cisè inſpectus fundat poſſibilitatem creaturæ; fundamento eſt arguendi poſſibiles creaturas. Ergo connectitur cum poſſibilibus creaturis; conſequentia patet, nam ſecluſis vocibus, nomine *connexionis* ſolum intelligo Deum eſſe talis conditionis, vt exiſtere nequeat, quin fundet poſſibilitatem creaturæ, quin ſit abſolutè potens producere creaturam, ſic enim hæ veritates connexæ erunt, *Deus exiſtit, creatura eſt poſſibilis*, ſiue poſſibilitas ſit ab æterno, aliquid diſtinctum, ſiue indiſtinctum à Deo.

Probatur connexio ſolum ex defectu Dei, poteſt venire quod homo ſit impoſſibilis.

Antecedens, in quo eſt difficultas, probatur mul- 3
tipliciter primo. Infinita perfectio Dei in ſe (abſolute, & non ſolum conditionate) fundat poſſibilem imo neceſſariam repugnantiam alterius Dei. Infinita ſanctitas repugnantiam peccati Diuini; ergo non ſolum conditionatè, ſed abſolutè fundat poſſibilem creaturam verbi gratia hominem, conſequentia hæc probatur, tum quia ita Deus dicit eſſe *maiorem* alio, ſicut non habere aliud æquale: tum etiam ita potentia infinita dicit terminum producibilem, ſicut perfectio infinita repugnantiam alterius Dei, ſanctitas repugnantiam peccati. Confirmatur ad efficaciam Diuinæ voluntatis, pertinet non ſolum quod ad illam ſequatur effectus, *ſi non fuerit impoſſibilis*, ſed etiam tollere ſeu purificare hanc conditionem, hoc eſt tollere quod nihil ei

Quia ipſe Deus ſolus ſufficit vt iam intelligatur homo poſſibilis verbi gratia quid in hoc imperfectionis.

Affert abſolute hominis poſſibilitatem.

ſit

ſit impoſſibile; ad infinitam perfectionem Dei ſpectat, non ſolum quod habeat ſanctitatem, *ſi hæc non fuerit impoſſibilis*, ſed etiam tollere talem impoſſibilitatem. Ergo ſimiliter perfectio omnipotentiæ afferet non ſolum poſſe omnia *ſi ſint poſſibilia*, ſed etiam afferet ſimpliciter nihil ei eſſe impoſſibile, ſeu repugnans, nihil eſſe chymericum. Conſequentia hæc vlterius patet, nam homo ſimpliciter eſt impotens ad creandum Angelum, quia licet conditionatè poſſet, ſub hypotheſi, quod Angelus eſſet producibilis ab homine, ſi eſſet intellectio humana per ſe tamen non affert hypotheſim hanc, item licet Deus poſſet mentiri, ſi mendacium Diuinum eſſet poſſibile, adhuc tamen hoc ſimpliciter repugnat Deo quia Deus non affert hanc conditionem. Ergo omnipotentia debet afferre conditionem poſſibilitatis omnium.

4 *Nunc illi ad hominem nulla virtus deeſt.*

Secundo probatur idem antecedens, Deus in ſe eſt talis entitatis, vt ſi non repugnet homo verbi gratia iſte ſit factibilis, vi virtutis, & potentiæ nunc actu identificatæ cum Deo, quin tali entitati Diuinæ noua virtus, potentia, aut perfectio accreſcat. Ergo nunc præhabet abſolutè in ſe hominem, ſemperque præhabebit, ergo fundat hominis poſſibilitatem. Hæc conſequentia patet, antecedens conceditur ab aduerſariis. Prima conſequentia probatur, in caſu non repugnantiæ hominis entitas Dei præhabet hominem, eſt in ſe eminenter homo verbi gratia, ergo etiam præhabet in omni caſu, in quo entitas Dei eſt formaliſſimè eadem in ſe. Item ſicut effectus taxat perfectionem intrinſecam cauſæ, ita vt implicet, quod ſit talis effectus, quin ſit talis conditionis perfectio cauſæ. Similiter implicat quod manente eadem huiuſmodi perfectione cauſæ, quam effectus poſcit, qua effectus contentus eſt vt producatur, implicat inquam quod talis effectus præhabitus non ſit, idem enim manens idem natum eſt ſemper facere idem. Ergo entitas Dei, quæ ſemel eſt præcontinentia effectus ſemper illi erit ſufficiens. Denique virtus cauſæ licet non ſit formaliter effectus ipſe, eſt tamen eminēter, pro eodem eſt eſſe cauſam, & eſſe effectum, ita vt prædicata effectus præexiſtant in cauſa, ergo nunc quando Deus eſt virtus ad hominem identificatur, vt ita dicam cum homine, Ergo etiam eſt homo in omni euentu, in quo Deus idem manet.

5 *Eſt homo eminentialis.*

Tertio explicatur hoc argumentum, & probatio mihi euidentiſſima: ſi Deus in ſe haberet eſſe hominem, ſeu haberet prædicata hominis, quæ producturus eſt, implicaret non connecti cum homine, quidquid enim fieret de poſſibilitate hominis in ſe, adhuc tunc homo foret neceſſario poſſibilis in cauſa; Vndè ſi manente Deo poneretur homo impoſſibilis, ſequeretur vtrumque; eſſet enim tunc ſimul poſſibilis, cum Deus foret *hominis poſſibilitas*: benè, ſed hæc prædicata Dei à quibus modo fluit homo ſunt poſſibilitas hominis, ſunt cōtinentia hominis, ſunt ipſe homo eminenter, nemo enim dat quod non habet: neque minus verè prædicata effectûs continentur in ſuâ cauſa adæquata, quam ſi cauſa eſſet formaliter identificata cum effectu producendo, nam licet in re non ſit identificata cū effectu in eſſe formali; eſt tamen ſe ſola idem cum eminentiali, ergo ſemper imbibit eminentialem, id eſt perinde eſt, ac ſi imbiberet ipſum effectum in eſſe formali: Quare implicat in terminis ponere hominem impoſſibilem, & non ponere impoſſibilia illa prædicata Diuina, quæ præcontinent hominem: ponere chymeram poſſibilem, & non ponere ex parte Dei peculiaria prædicata, quibus ſit eminentialis chymæra.

Quarto probatur idem antecedens. Eſſentia Dei ſecundum omnem ſuum conceptum continet eminentialiter perfectionem hominis; nam etiam ſecundum illum conceptum, qui à te ponitur independens ab hominis poſſibilitate eſt maioris perfectionis, quam homo, quin ab alio poſſit Deus impediri, ergo continet eminenter hominem. Hæc conſequentia probatur, tum, quia ideo de facto eſſentia Dei continet hominem, quia ſic excedit eius perfectionem, tum etiam quia cauſam continere eminenter effectum, ſeu eſſe abſolutè potentem nil aliud eſt, niſi eſſe tantæ ac talis perfectionis ſic proportionatæ; iam rogo quid perfectionis deficiat illi conceptui Diuino ne fundet potentiam ad hominem? Tum denique ſi videremus in Deo entitatem eius conditionis, quæ proportionata ſit conceptui chymæræ, verbi gratia, *identitatem hominis & leonis*, eo ipſo Deum diceremus potentem ad chymæram; ergo cum in Deo ſecundum ſe inueniatur perfectio proportionata homini producendo in Deo fundabitur hominis poſſibilitas. 6 *Nullus conceptus Dei qui antecedenter ponatur abſolutus ab homine eſt inſufficiens.*

Denique Deus in ſe habet non eſſe, nec poſſe eſſe chymæram ſed ſi homo non eſſet poſſibilis, Deus eſſet Chymæra ergo Deus in ſe eſſentialiter habet quod homo ſit poſſibilis, ſeu affert hominis poſſibilitatem. Maior, & conſequentia patent; probatur minor, ſcientia intuitiua, & vera de homine impoſſibili eſt chymærica, & impoſſibilis, vt per ſe conſtat; quidquid enim ſine contradictione nequit exiſtere formaliſſimè eſt chymæra: hominis autem impoſſibilitas ſine qua nequit exiſtere illa ſcientia, contradictio & implicatio eſt; ſed ſi homo eſſet impoſſibilis Deus ſecum identificaret illam ſcientiam; Deo enim per identitatem conuenit ſcientia omnis veritatis, ergo Deus identificaretur cum chymæra, ſed de hoc argumento & ſimilibus quæ confici poſſunt dicam ſect. 3. 7 *Argumentum ſophiſticum.*

Pro noſtra ſententia ſunt communiter omnes Thomiſtæ apud Ioannem de Sancto Thoma 1. par. quæſt. 12. diſput. 15. art. 3. & ex noſtris plures grauiores Doctores, cum Suarez Faſolo, Tanneto Herice apud Emelm. Tom. 2. titulo 8. diſput. 1. cap. 2. numero primo & ſecundo Granad. 1. part. tract. 6. diſput. 1. ſect. 2. Ruiz diſput. 30. ſect. 4. Martinon diſput. 10. ſect. 3. Amicus diſput. 9. ſect. 21. Duo Fratres Ioannes & Franciſcus de Lugo, tract. de Deo vno & Trino ille in manuſcriptis, diſp. 3. ſect. 5. Iſte diſp. 23. c. 2. Ludouicus Ribas d. 8. de viſione. 8 *Affirmant connexionem hanc.* Thomiſtæ. Ioannes de S. Thom. Suar. Faſolus. Tann. Herice. Granadus. Amicus. Ruiz. Mart. Vterque Lugo. Ludou. Ribas.

SECTIO II.

Reiicitur contraria ſententia.

Scotiſtæ communiter & ex noſtris Vaſquez, & plures alij nobiles apud & cum Emelm. tom. 2. titulo 8. 9. & 10. Alarcon in præſenti diſp. 1. cap. 4. num. 8. Obiiciunt primo ſummam neceſſitatem Dei, ratione cuius indecens eſt, quod ex ſola ablatione entis finiti tollatur, tolleretur autem ex defectu, vel muſcæ poſſibilis. Reſpondeo, ſufficit neceſſitati entis ſi deficere ſit impoſſibile. Nam ex impoſſibili ſequitur quodlibet; & hic eſt ratio, quia poſſibilitas deficere non poteſt vbi non deficit aliquod prædicatum Dei, Deus per ſe eſt poſſibilitas creaturæ, quid mirum ſi deficiat. 9 *Negant connexionem.* Scotus. Vaſquez. Emelm. Alarcon. *Niſi ex defectu alicuius prædicati Dei nequit muſca eſſe impoſſibilis.*

10 Obiicies ſecundo Bonitas,& malitia obiecti moralis non fundatur in Deo. Ergo nec poſſibilitas, aut impoſſibilitas phyſica. Antecedens probatur. Nam mendacium verbi gratia non ideò eſt malum, quia Deus non poteſt illud amare, ſed ideò potius non poteſt amare, quia malum eſt mendacium. Tum quia ſi per impoſſibile Deus amaret mendacium fœdaretur ipſe, & iniuſtus eſſet; ideò ait Paulus Hæbr. 6.10. *Non enim iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis*,&c. Ergo ſignum eſt adhuc mendacium fore malum; tum etiam quia rogo: cur ſpecialiter Deus eſt impotens amare mendacium, quam veritatem, niſi quia in ipſo obiecto aliquid mali relucet antecedenter: & independenter à Deo? Ergo ſicut in ipſis obiectis ſecundum ſe datur bonitas vel malitia, ita poſſibilitas, vel impoſſibilitas. Confirmatur, ita ſe habet bonum, vel malum reſpectu voluntatis, ſicut reſpectu potentiæ *poſſibile*, vel *impoſſibile*, Ergo ſicut prius eſt, quod obiectum in ſe non implicet malitiam, quam quod poſſit illud amare Deus; ita prius erit quod non implicet contradictionem, quam quod poſſit illud facere.

11 *Malitia moralis quomodo fundetur in Deo.* Reſpondeo malitia mendacij, verbi gratia etiam fundatur in Deo, nam quia ipſe Deus eſt ſummè perfectus, dignus etiam eſt, & omnibus conuenit, quod ſit ſummæ authoritatis, quæ deſtrueretur per mendacium Diuinum poſſibile, ideò hoc eſt malum in ſe, (idem proportionatè cogitari poteſt de quolibet alio malo morali. verbi gratia de mendacio humano, nam quia Deus eſt perfectiſſimè omnipotens, poteſt facere Rempublicam humanam ordinatiſſimam, cui nociuum eſt mendacium humanum) hinc non poteſt Deus amare mendacium, licèt poſſit veritatem. Fateor prius eſſe obiectum bonum vel malum moraliter, quam quod Deus poſſit illud amare. Cæterum ideò non eſt dicenda malitia non fundari in Deo; nam licèt non in Dei voluntate, fundatur tamen in aliis perfectionibus Diuinis nobis notioribus, quæ eſſentialiter afferunt malitiam mendacij. Poſſibilitas autem phyſica rei abſoluta immediatè fundatur in omnipotentia, quia iſta non ſupponit ſuum obiectum vti voluntas ſed illud facit, ex quo patet ad confirmationem. *Prius eſt obiectum eſſe malum in ſe, quam quod non poſſit amari à Deo.*

12 *Explicatur: Ideo Chymæra nequit fieri à Deo, quia ipſa in ſe eſt impoſſibilis.* Hinc obiicies tertio etiam impoſſibilitas chymæræ præſupponitur ad potentiam Dei, nam vt ſapienter ait S.Thomas 1.part.quæſt.25.art.3. *Ideò Chymæra non fit à Deo; quia eſt impoſſibilis*: non autem *eſt impoſſibilis quia non poteſt fieri à Deo*, vel ex defectu Dei. Ergo ſimiliter ideò homo poſſibilis poteſt fieri à Deo, quia ipſe in ſe ſupponitur poſſibilis. Reſpondeo ſimpliciter non eſt dicendum: ideò chymæra eſt impoſſibilis, quia non poteſt fieri à Deo. *impotentia* enim ſimpliciter ſonat defectum potentiæ & imbecillitatem, chymæra autem non ex imbecillitate Dei, ſed ex ſumma, & infinita potentia impoſſibilis eſt; ſicut peccatum non ex defectu potentiæ, ſed ex exceſſu, & perfectione infinita virtutis Diuinæ, impoſſibile eſt; vnde loquendum eſt iuxta prudens conſilium S.Thomæ, vt chymæra non dicatur impoſſibilis; quia non poteſt fieri à Deo. Rurſus facilius apprehenditur à nobis abſoluta impoſſibilitas in ſe chymeræ,& ſimiliter abſoluta poſſibilitas in ſe hominis, quam poſſibilitas reſpectiua, ſeu producibilitas, quia prius apprehendimus vt quid notius congruentiam vel implicantiam terminorum in ſe, & ex eo quod apparet hic, iudicamus quid attribuendum ſit potentiæ Dei, ob quam prioritatem in cognoſci dicitur Deus poſſe, vel non poſſe facere hominem, quia in ſe poſſibilis eſt, licet in eſſe rei, & ex parte obiecti, ideo homo poſſibilis ſit, quia in Deo datur talis potentia ita infinita, ex qua etiam chymera impoſſibilis eſt, non quia Deus non poſſit illam facere. *In cognoſci, non in eſſe.*

Obiicies quartò qui negat vel affirmat aliquod poſſibile non tenetur ſtatim negare Deum, ſic negans ſubſtantiam ſupernaturalem creatam, non conuincitur negare Deum. Ergo quia hæ veritates non ſunt connexæ. Reſpondeo diſtinguendo antecedens, non conuincitur negare Deum talem, qualis ponitur ab affirmante; nego antecedens; qualem eum fingit concedo antecedens. Vnde ſicut hic eſſentia Dei variatur in cognitione ita variaretur in re, ſi in re & obiectiuè deficeret, vel adueniret de nouo poſſibilitas creaturæ. 13 *Qui negat aliquam creaturam poſſibilem formaliter non negat Deum v, ſed talem.*

SECTIO III.

De connexione cuiuſuis rei cum qualibet alia.

Obiici poteſt quintò ex connexione Dei cum creaturis poſſibilibus ſequi connexionem cuiuſlibet cum qualibet. Primò quia quælibet connectitur cum Deo; Ergo ex conſequenti, eum omni termino, quem Deus affert, qui enim connectitur cum aliquo connectitur etiam cum omnibus conſequentibus ad illud. Ergo ſi Deus affert omnia poſſibilia, cum omnibus, ex conſequenti connecteretur quælibet creatura. Secundò in qualibet re datur potentia obedientialis ad quamlibet; ergo ſicut titulo potentiæ Deus affert poſſibilitatem omnium, eam etiam afferet quælibet creatura. Tertiò Angelus verbi gratia ſi chymæra eſſet ens naturale poſſibile deberet cognoſcere talem poſſibilitatem, cum cognoſcat neceſſario omnia naturalia; Sed Angelus eſſentialiter repugnat cognitioni de chymæra exiſtente, cum huiuſmodi cognitio chymærica ſit iuxta dicta ſectione prima numero penultimo, nequit autem Angelus vnire ſecum cognitionem chymæricam, Ergo habet connexionem cum repugnantia cuiuſlibet chymæræ, & conſequenter cum poſſibilitate cuiuſlibet creaturæ. 14 *Probatur iſta connexio*

Denique probatur hæc ſequela connexionis cuiuſlibet cum quolibet lapidis verbi gratia cum gratia poſſibili: lapis habet connexionem cum eo *eſſe*, quod poteſt habere, repugnat enim habere *eſſe*, quod eſt ei impoſſibile, ſed non poteſt habere *eſſe* non coëxiſtens gratiæ poſſibili, Ergo connectitur cum *eſſe* ſic coëxiſtente. Confirmatur lapis non eſt æquè indifferens ad coëxiſtendum chymæræ, ſicut gratiæ, mira enim eſſet indifferentia lapidis ad rem impoſſibilem, Ergo eſt determinatus ad non coëxiſtendum, ergo connexus. Confirmatur ſecundò lapis eſſentialiter diſtinguitur, non ſolum à chymæra, ſed etiam à gratia, etenim ampliorem diſtinctionem dicit, quam à ſola chymæra: ſed ſi eſſentialiter non diceret gratiam vt poſſibilem, ſolum diſtingueretur à chymæra, diſtingui enim à gratia tunc eſſet diſtingui à Chymæra, Ergo &c. 15

Iam probo ego quod ſequela illa ſit abſurda, licèt aliquibus ex noſtris gratiſſima ſit; probo inquam non ſolum, quia ſic quælibet creatura foret aptum medium (conſequenter ad noſtros Authores) vt in ipſa cognoſcerentur, & comprehenderentur omnia, etiam Trinitas, ſed quia vt detur connexio vnius cum alio non ſufficit quod vtrumq; neceſſario 16 *Oſtenditur abſurda.*

neceſſario coexiſtens ſit, ſed vlterius requiritur exiſtere vnum vi alterius, ita vt vnum ratione ſuę perfectionis præcisè inſpectæ argumento ſit exiſtentiæ alterius, ſic quantumuis neceſſarium ſit ex natura rei quod anima Petri ſemel creata coexiſtat animæ Pauli, vt potè vtraque immortalis, non tamen ideò anima Pauli habet connexionem ex natura rei vt anima Petri duret, neque vllus dicet fieri aliquod miraculum, vel violentiam, (vt cer è fieret ſi tolleretur connexum ex natura rei) prædicatis Pauli etiam ex natura rei, ſi Petrus annihilaretur, tolli autem aliquid debitum, & connexum ex natura rei ſufficit ad miraculum & violentiam, vt ſi ſpoliaretur ignis calore, graue centro, &c.

Connexioni non ſufficit quauis neceſſitas coexiſtendi.

17 Ergo ſimiliter vna res in eſſe poſſibili, licèt ipſi neceſſario coexiſtat alia in *eſſe* etiam poſſibili ſeu eſſentiæ, non ideo per ſe cum hac connectetur, nec eam ſic poſſibilem petet per ſe, ſed quaſi per accidens quantum ex ſe eſt: Ergo ſimiliter per ſe loquendo non deficeret Paulus ex eo quod Petrus in inſtanti, in quo ſemel exiſtit ſimul non exiſteret. Confirmatur poſſunt dari duo exiſtentia, quæ omnino per accidens ſe habeant, neque vnum ratione ſui connectatur cum alio, ſed omninò neutraliter ſe habeat ad exiſtentiam alterius: Ergo & ita ſe poteſt habere per accidens, ſiue hoc aliud exiſtat neceſſario, ſiue contingenter: ex eo enim quod aliud neceſſarium ſit, vel contingens nil immutatur de huius entitate.

18 Exiſtimo igitur nullo modo admittendam connexionem cuiuſlibet cum quolibet; nam ſi quæſtio non ſit de nomine, vt connexio accipiatur propriè, vna res debet dari ex vi alterius, & quaſi ex huius exigentia: hoc enim pacto concipimus connexionem ad poſſibilia in Deo: item in aliis rebus, quas non diſparatas dicimus. Alia autem connexio, non tam connexio, quam neceſſitas in vtraque entitate fundata eſt, ſicut ex vtraque coaleſcit, quod numerum binarium efficiant.

Connexio requirat quod vnum exiſtat vi, & ex exigentia alterius.

19 Quare ad fundamenta oppoſita à §. 14. reſpondeo ad primum illa connexio mediata eſt, ſeu titulo medii; vnde ſimpliciter lapis collatus cum gratia connexionem non habet, etenim vt connexio mediata faciat ſimpliciter connexionem, neceſſarium eſt, connecti extremum mediatum cum medio ſecundùm eam formalitatem ſecundùm quam medium connectitur cum alio extremo, Angelus connectitur cum Deo, qui verè ex parte obiecti nunc, ſiquidem eſt volitio incarnandi, immediatè connectitur cum incarnatione; quia tamen Angelus non connectitur cum Deo, ſecundùm quod Deus eſt volitio incarnandi (ſicut connectitur ſecundùm quod eſt volitio dandi Angelo potentias naturales) neque connectitur ſimpliciter nunc cum incarnatione; imò neque cum Trinitate, quia nempè licèt connectatur cum omnipotentia fœcunda perſonalitatum Diuinarum, non tamen connectitur cum omnipotentia, vt ſic fœcunda vt dixi diſput. 22. ſect. 3.

Quando detur connexio mediata?

20 Ad ſecundum admiſſa illa vniuerſali potentia obedientiali, nego connexionem in qualibet re; quia lapis ſe ſolo non dat entitatem gratiæ, non eſt præcontinentia gratiæ, qualis eſt Deus, ſed ſolum inadæquatè continet, quemadmodum vna ſola præmiſſa continet concluſionem: quare ſicut in vna ſola præmiſſa non apparet concluſio: verbi gratia, *Chriſtus eſt rationalis* in hac ſola. *Omnis homo eſt rationalis*; niſi ſimul cognoſcatur, & coniungatur alia præmiſſa, *ſed Chriſtus eſt homo*, quia ſcilicet ſolùm in vtrâque continetur adæquatè concluſio: Ergo ſimiliter in lapide ſolo non apparebit connexa gratia poſſibilis, niſi in lapide, vt coniunctò cum auxilio Dei.

Licèt quodlibet poſſit eleuari ad quodlibet non tamen cum eo connectitur.

Ad tertium, Angelus non deberet cognoſcere chimæram poſſibilem licèt ipſa redderetur ens naturale, quia nempè non eſt debita huic Angelo cognitio niſi poſſibilium naturalium de facto, ſolumque horum cognitionem continet, Deo autem deberetur cognitio de illa chimæra, quia eſſentialiter eſt omniſcius, & ideò Deus deficeret ſi cognitio talis identificaretur cum Deo iuxta §. 7. Si tamen quis velit cogitare, quod hæc eadem ſcientia realis, quæ de facto datur in Deo, & per quam Deus cognoſcit repugnantem chymæram cognoſceret etiam poſſibilem, ſi chymæra poſſibilis redderetur, nimirum, quatenus hæc ſcientia haberet diuerſam connotationem, vt contingit reſpectu futurorum in ſententia tuente actum liberum Dei compleri per connotationem extrinſecam, ſi inquam velit ita quis cogitare facilè argumento in §. 7. poterit occurrere. 21

Angelus non cognoſceret chimaram licèt iſta fieret ens naturale.

Ad vltimum in §. 15. reſpondeo tota neceſſitas vel impoſſibilitas non eſt vi lapidis, ſed purè extrinſeca tenens ſe ex parte alterius extremi iuxta dicta §. 16. quemadmodum, quod vnio hypoſtatica terminetur immediatè ad Filiationem, & non ad naturam non eſt argumento diſtinctionis virtualis, ſeu contradictionis in vnione, ſed in termino, ſic non valet hæc argumentatio: lapis naturaliter non poteſt habere *eſſe*, niſi coexiſtens carentiæ gratiæ, ſed lapis petit connaturaliter produci cum *eſſe* quod naturaliter poteſt habere, vt aliàs deficiat Ergo deficiet naturaliter lapis ex defectu huius coexiſtentiæ, ſi ſc. exiſtat gratia. Tum ſic; ergo quemadmodum hic naturaliter loquendo per accidens eſt dari vel non dari gratiam reſpectu exiſtentiæ lapidis connaturalis, tenente ſe omni ſupernaturalitate ex parte gratiæ; ita etiam hic omnis impoſſibilitas in gratiam reducetur. 22

Neceſſitas vt lapis coexiſtat gratia vt poſſibili non venit vi lapidis, ſed quaſi coaleſcit ex vtroque extremo.

Ad primam confirmationem in eodem §. 15. reſpondeo licèt in re verum ſit nullam dari indifferentiam, vt lapis coexiſtat chimæræ, hæc tamen determinatio non venit ex ſolo lapide, ſed ex vtroque extremo. Ad ſecundam, lapis eſſentialiter habet non eſſe gratiam, nec chimæram, non tamen intrinſecè adæquatè ſibi identificatam diſtinctionem poſitiuam, hæc enim cum formaliter ſit numerus, vt numerus coaleſcit ex pluribus ex ipſa ſcilicet gratia poſſibili, & ex entitate lapidis, vti relatio prædicamentalis *binarij* coaleſcit ex vtroque extremo.

Diſtinctio vitalis non identificatur cum vno extremo, ſed coaleſcit ex vtroque.

SECTIO IV.

Vtrùm data connexione cognoſcantur creaturæ in Deo ſic connexo.

Adhuc eſt ratio negandi primò, quia quodlibet prædicatum Diuinum connectitur cum poſſibilibus, totus enim Deus deficiet deficientibus poſſibilibus, nec tamen in quolibet cognoſcuntur, verbi gratia, Angelus in immenſitate, æternitate, &c. Secundò, creaturę connectuntur cum Trinitate vt dixi diſput. 39. ſect. 2. nec tamen Deus ſe cognoſcit Trinum in creaturis. Tertiò, creaturæ cognoſcuntur à Deo, vt ſunt in ſeipſis, aliàs non viderentur quidditatiuè: ergo non vt ſunt in Deo. Quartò Deus dicit de creatura verbi gratia *homo eſt animal rationale*; At hanc veritatem ſic in re- 24

Ratio negandi.

cto, & enunciatiuè cognoſcere non poteſt in ſeipſo; vt ſic enim nihil cognoſcit de ſe, neque aliquid de ſeipſo iudicat, nam ſi iudicaret non poſſet ita in recto penetrare creaturam, ſed diceret: *Mea eſſentia poteſt producere hominem animal rationale*; vel ſimile quid ſemper de obliquo cognoſcendo creaturam ex determinatione enunciationis rectæ de ſe Ergo, &c. Quintò quia ſatis cognoſcitur connexio cum termino producendo ex eo quod iſte cognoſcatur in ſe ipſo, quin de obliquo repræſentetur in connexione, vt ſi Deus dicat: *Ego & creatura connectimur vt cauſa & effectus.*

25 *Affirmandum eſt aliquibus præmiſſis.* Pars affirmatiua eſt communis & vera, quam vt probem, præmitto Primo; medium connexum eſt ſufficiens ad cognoſcendum vtcunque terminum connexionis; hoc negari nequit, cum nec apprehendi poſſit, quod quis dicat de aliqua cauſa habere virtutem ad producendum hominem verbi gratia quin hominem exprimat de obliquo, ſic relatiua dicuntur eſſe ſimul natura hoc eſt in natura, & cognitione.

26 *Cognitio effectus, in cauſa adæquata, eſt quidditatiua, ſecus è contra.* Præmitto ſecundò quando tale medium eſt cauſa adæquata effectus ſufficit etiam adæquatè cognitioni, & quidditatiuæ de tali effectu: ratio eſt quia ſufficit cognitioni cuiuſuis prædicati effectus, cum enim omnia prædicata effectus contineantur æquè formaliter in tali cauſa ad omnia referetur, vt non potius appareat in cauſa vnum quam aliud: *formaliter* inquam, quo differt connexio cauſæ cum effectu à connexione effectus cum cauſa, nam effectus ex modo ſe habendi non reſpicit, niſi materialiter alia prædicata cauſæ quæ ipſi non communicantur, & hinc è contra cauſa adæquata reſpicit formaliter omnia prædicata effectûs, cum nihil in hoc ſit, quod in tali cauſa non præcontineatur. Ergo cognitio effectus in tali medio erit adæquata, item quidditatiua cum ſit cognitio penetrans ea prædicata, ſaltem non minus perfectè, quam ſi effectum in ipſo effectu videret ſiquidem continentia eminentialis non minus præſentat prædicata effectus, quam continentia formalis & vniuoca. Vide diſp. 32. ſect. 4.

27 *Non minus, quæ ſit in recto, quam quæ in obliquo.* Præmitto tertio quando effectus apparet in cauſa, poteſt cognoſci vi præciſè cauſæ nulla attenta immediata cognoſcibilitate effectûs, *poteſt* inquam *cognoſci* non minus clarè & quidditatiuè per enunciationem, & prædicationem in recto, quam dum cognoſcitur in obliquo, verbi gratia. Qui comprehendit cauſam, quæ adæquatè præcontinet hominem, non magis clarum conceptum facit de homine, cum dicit in obliquo: *Hæc cauſa poteſt hominem animal rationale*; quam dum hinc dicit in recto: *homo eſt animal rationale.* Sic non magis clarum conceptum facio de paritate Stellarum, dum reuelante Angelo dico: *Exiſtit certa reuelatio de paritate ſtellarum*; quam dum hinc dico enunciatiuè, & in recto: *Stellæ ſunt pares.*

28 Ex his præmiſſis ſic arguo: Sed pro cognitione Diuina non magis requiritur, quam eſſe *claram quidditatiuam*, & *adæquatam* modo *enunciatiuo* de ſuo obiecto. Ergo talis concedenda eſt Deo circa creaturas in ſe ipſo; ſiquidem connexus eſt, & adæquatè præcontinet effectus omnes creatos iuxta dicta ſect. 1.

29 *Non omne prædicatum diuinum, vt tale connectitur cum creatura.* Ad rationes oppoſitas in præſenti reſpondeo. Ad primum quamuis omne prædicatum diuinum obiectiuè connectatur cum creaturis poſſibilibus, non tamen formaliter ratione ſui, ſed quatenus imbibit aliud, quare quatenus apprehenditur per noſtros conceptus Deus tendere in immenſitatem præciſè, vt talem, non cognoſcit eam vt connexam, nec cognoſcit cum modo eſſendi ſimili formaliter, vel eminenter creaturæ. Vndè quemadmodum ob hanc diſſimilitudinem in modo eſſendi non apparet Trinitas in creatura, quantumuis hæc connectatur obiectiuè cum illa, vt dixi diſp. 22. ſect. 3. Ita ſimiliter. Ex quo patet ad ſecundam & ad tertiam quia Creaturæ ſunt in Deo æquiualenter, & eminenter, ſicut ſunt in ſe ipſis vt dixi §. 26.

Ad quartam: Medium ſufficiens ad prædicationem obliquam eſt etiam ſufficiens ad prædicationem rectam iuxta tertium præmiſſum §. 27. Ergo Deus non ſolum erit medium vt ſciat; *Ego poſſum producere hominem animal rationale*: Sed etiam *homo eſt animal rationale* quæ propoſitio ſono vocis tantum diſtinguitur à prima, licet autem non exprimat vt ſic formaliter eſſentiam Diuinam; bibit tamen lucem ex illa, nam ſemel de ipſa eſſentia directè prædicat aliam veritatem cui innititur ſecunda veritas enunciata de creaturis. 30

Ad quintã reſpondeo licèt ſatis explicetur connexio, ſi vtrumque extremum cognoſcatur ita immediatè; at negari nequit explicari etiam bene in obliquo; imò melius, cum ſic altiori modo creaturæ cognoſcantur, deturque poſitiuum fundamentum neceſſarium ſcientiæ Diuinæ, ſicut ipſa ſcientia eſt neceſſaria, quod fundamentũ in ſe non habent creaturæ; quis enim negabit potius fundamentum mihi eſſe, vt cognoſcam paritatem ſtellarum in teſtimonio Angeli reuelantis, quam ſi præciſè paritatem ipſam ex terminis apprehendam; iam creaturæ poſſibiles in ſe inſpectæ obſcuræ ſunt, & nullum firmum fundamentum habent, niſi recurramus ad infinitatem ſcientiæ, qui recurſus neceſſarius non eſt, vt creaturæ cognoſcantur in omnipotentia. 31 *Neceſſitas, & præſtantia cognitionis creaturarum in Deo.*

DISPVTATIO XLII.

In quo prædicato diuino cognoſcat Deus creaturas?

SECTIO I. *De omnipotentia.*
SECTIO II. *De ſcientia.*
SECTIO III. *De voluntate & reliquis prædicatis, ſpeciatimque de prædicato ſpeculi.*

NVNC determinandum eſt quod ſit prædicatum diuinum in quo Deus creaturas cognoſcat. Inter quæ primum locum obtinet omnipotentia de qua maxime loquitur Dion. c. 7. poſt med. illis verbis. *Per cauſam rerum omnium in ſe omnium rerum ſcientiam anticipatam habet; & paulo inferius non quod ſpecies ſingulas conſideret*, ſed *quod vno cauſæ complexu omnia ſciat, & contineat.* Aug. l. 5. de Gen. ad litt. cap. 16. ſub init. *Neque enim ea faceret niſi canoſſet antequam faceret, nec noſſet niſi videret, nec videret niſi haberet* hoc eſt per continentiam potentiæ. Sic S. Thomas ſæpiſſime hic quæſt. 14. art. 5. & 6. corp. art. 11. corp. prope finem 1. contra Gent. cap. 49. & 50. & 65. & quæſt. 2. de veritate art. 3. ad 11. probans connexionem cum poſſibilibus in ratione cauſæ adſtruit medium eſſe hinc ad 11. id explicat exemplo lineæ: *Quamuis à linea ſi diminuatur punctus in actu nihil depereat de lineæ quantitate; ſi tamen diminuatur à linea quod non*

non ſit ad punctum terminabilis, peribit linea ſubſtantia, Similiter eſt de Deo; non enim aliquid de Deo perit, ſi eius eiuſmodi creatura ponatur non eſſe deperit tamen perfectioni ipſius ſi auferatur ab eo poteſtas producendi creaturam non autem cognoſcit res ſolum ſecundum quod ſunt in actu, ſed etiam ſecundum quod ſunt in potentia eius De omnipotentia ego in ſect. 1.

Secundò cognoſcuntur creaturæ in prædicato ſcientiæ, ſeu ſapientiæ Dei (vt explicabo ſect. 2.) & Artis S. Maximus centuria 3. de charitate cap. 22. (apud Cypariſſiotam Decad. 8 cap. 5.) *Deus inquit ſe ipſe cognoſcit ex beata ſubſtantia ſua, quæ vero idem effecit cognoſcit ex ſapientia ſua per quam, & in qua cuncta fecit.* Auguſt. lib. 11. de ciuit. Dei cap. 7. poſt med. *Cognitio creaturæ in ſe ipſa decoloratior eſt, vt ita dicam, quam cum in Dei ſapientia cognoſcitur, velut in arte qua facta eſt.* Ad ſcientiam reducitur cauſa exemplaris, idealis, ſpecies, ſeu ſimilitudo rerum ſpeculum, modo quo id explico ſect. 3. fine; Denique tertiò (vt dicam in ſect. 3.) cognoſcuntur creaturæ in voluntate, ad quam reduci poteſt cognitio quam de creaturis in ſui bonitate quatenus diffuſiua ſui tribuit D. Thom. Deo q. 14. de veritate art. 7. corp. ad finem.

SECTIO I.

De omnipotentia.

1 Negant. Scotiſtæ. Nominales. Vaſquez. Albertinus. Becanus. Alarcon. Amic.

DEum non videre creaturas in ſeipſo tanquam in cauſa ſeu in ſua omnipotentia, ſentiunt Scotiſtæ nominales, Vaſquez, Albertin. Becanus vt refert eos ſequens Alarcon diſput. 2. cap. 3. num. 4. Amicus in præſenti, & diſput. 9. de viſione ſect. 21. num. 377. Mouentur primo; creaturæ non ſunt in omnipotentia formaliter, ſed eminentialiter: at res cognoſcitur in medio ſicut eſt in illo. Ergo ſolum ſecundum eſſe eminentiale cognoſcuntur.

Rationes. Secundò potentia non exprimit creaturas in particulari, ſed indiſcriminatim per eandem formalitatem reſpicit, verbi gratia Petrum, & Paulum, ſicut formaliſſimè per eandem virtutem per quam ignis valet ad calorem, A. valet ad B. ergo in potentia haberi non poteſt diſtincta ſcientia diſcriminans Petrum à Marco, qualis eſt Diuina. Tertio obiectum diuerſæ rationis ab alio, & illi ſummè diſſimile non poteſt eſſe medium vt veniatur in alterius notitiam. Deus autem infinitè diſtat à creatura.

2 Quartò omnipotentia Dei eſt poſterior ad ſcientiam cum hæc ſit de quidditate Dei, illa attributum, eſt enim voluntas ipſa, vel voluntatem ſequens; ſed obiectum eſt prius vel ſaltem non poſterius ſcientiâ, ergo in omnipotentia vt in obiecto formali non videt Deus creaturas. Confirmatur primò, hæc eſt vera, *Quia Deus ſcit omnia, ideò eſt omnipotens*: ſiquidem ſcientia omnium dirigit potentiam, & per illam hæc completur, vt efficiat, ob quod Deus dicitur agere per intellectum. Ergo è conuerſo hæc eſt falſa: *quia Deus poteſt omnia, ideò eſt omniſcius.* Confirmatur ſecundò Angelus, & homo intelligunt plura, quæ non poſſunt efficere. Ergo ſcientia Dei formaliter loquendo, & per locum intrinſecum, vt videat creaturas, non indiget omnipotentia.

3 Hinc arguo quintò omnipotentia Dei non eſt cauſa, adæquata omnium creaturarum, ſed in cauſâ inadæquatâ nequit videri effectus, ergo neque in omnipotentiâ. Conſequentia patet; & maior reſpectu noſtri actûs vitalis liberi, peccati, actionis, &c. Minor etiam conſtat ex diſputatione præcedenti ſectione tertia, ideo in potentia obedientiali nequit videri effectus, in vna ſolâ præmiſſâ concluſio. Item quantumuis potentia intellectiua Angeli ſit virtus ad omnes cognitiones naturales, non ideò iſtæ queunt in illo videri, alias ex conſequenti cognoſcerentur omnes ſubſtantiæ poſſibiles, cum omnes ſubeſſe poſſint eius cognitioni naturali, & cognitio apprehendi nequeat ſine ſuo obiecto: quorum omnium ea eſt ratio, quia potentia obedientialis, vna præmiſſa, & intellectus Angeli ſolum ſunt inadæquatæ cauſæ ſuorum effectuum requirentes auxilium eleuans aliam præmiſſam, &c. Ergo.

Contraria ſententia affirmatiua eſt communis & vera quam præcipuè probaui diſput. præcedenti ſect. 4. nam connexio titulo cauſæ adæquatæ eſt quæ continet, & præſentem facit diſtinctè omnia prædicata effectus, quare ſolum reſtat hic reſpondere ad argumenta oppoſita. 4 *Sententia affirmans eligitur.*

Ad primum in §. 1. Reſpondeo licet creaturæ in omnipotentia ſint *eminenter*, hæc tamen connotat illas quoad eſſe formale ipſarum, vt contingit in omni relatiuo, quod ſufficit, vt cognitio non ſiſtat in eſſe eminentiali, ſed tranſeat ad tale formale; quemadmodum nos in ipſis creaturis cognoſcimus eſſe increatum formale, & in teſtimonio loquentis, non ſolum conſcimus eſſe intentionale ſeu teſtificabile obiecti ſed obiectum ipſum formale; alias nihil percip[illegible] aliud à teſtimonio. Ad ſecundum reſpondeo [illegible] cognitio formaliſſimè eadem repræſentat plura ſecundum proprias differentias, ita cauſa continet plura, vnde qui perfectè cauſam penetret diſcriminabit effectus ſecundum propriam diſtinctionem ipſorum, licet omnes petant eandem virtutem cauſæ. 5 *Effectus ſecundum ſuum eſſe formale connotatur à cauſa, identificatur vero ſecundum eminentiale.*

Ad tertiū, reſpondeo dupliciter eſt aliquid medium primo ad *cuius inſtar* aliud cognoſcitur præciſo titulo connexionis, & relationis vti cognoſcitur Angelus ad modū, & inſtar iuuenis egregij, qui nullo titulo ad Angelum refertur. Secundò eſt medium, quod quaſi cogit, & determinat ad cognoſcendvm aliud, vti teſtimonium loquentis ducit ad cognoſcendam rem teſtificatam independenter à ſimilitudine. In primo tenet obiectio, non in ſecundo vt patet in teſtimonio, & in cauſa creata æquiuoca, in omnique effectu creato, qui ducit ad cognitionem de Deo, & ratio eſt quia titulus cognoſcendi eſt connexio. Ergo ſicut hæc eſt ad rem diuerſam, ita ducet ad eandem. 6 *Dupliciter medium aliquod ducit in cognitionem alterius*

Ad quartum in §. 2. omnipotentia, licet complete, & proximè accepta diſtinguitur ab eſſentia vti intellectus diſtinguitur a ſubſtantia animæ, ſecus ſi loquamur de potentia radicali. Adde ex diſputatione 37. bene poſſe obiectiuum medium, & motiuum formale eſſe poſterius ipſa ſcientia. Ad primam confirmationem: illa prima cauſalis eſt vera de potentia proxima, quæ vt talis conſtituitur per ipſam ſcientiam, ſecus de virtute phyſicâ, & remota. Secunda confirmatio probat ſecluſo titulo continentiæ poſſe à Deo cognoſci creaturas de quo diſp. 44. At non ideò continentia erit inſufficiens, vt patet in eodem Angelo cognoſcente effectus in cauſa. 7 *Omnipotentia vt nec ratione noſtra diſtinguitur ab eſſentia.*

Ad quintum in §. 3. Reſpondeo Deus licet non 8
ſit

Qualiter Deus adæquatè contineat etiam actionem creaturæ.

ſit cauſa proxima adequata illorum effectuum; eſt tamen adæquata radicalis, quatenus ſe ſolo continet, & ponere poteſt hominem, verbi gratia, qui vna cum concurſu Dei poſſit producere actum liberum. Vnde in Deo ſolo omnis poſſibilitas apparebit, præ in aliis cauſis inadæquatis creatis. Deinde etiam in his poteſt cognoſci effectus quando cauſa inadæquata habet exigentiam alterius inadæquatæ; ſic in habitu charitatis poteſt cognoſci amor ſupernaturalis, quia talis habitus infert, & exigit abſolutè voluntatem cooperantem & hinc ex conſequenti amorem ſupernaturalem.

Quando in cauſa inadæquata poſſint cognoſci effectus.

Secus ſe habet potentia obedientialis voluntatis, quæ non infert eleuationem habitûs, neque vna præmiſſa aliam conſortem, nec denique Angelus omnes ſpecies naturales exigit abſolutè, niſi ex ſuppoſitione quod ſubſtantiæ naturales cognoſcendæ exiſtant.

SECTIO II.

De ſcientia.

9 *Negat Herice. Suarez.*

Communis ſententia affirmat etiam dum negat de omnipotentia, vide Ruiz diſp.10.ſect.6. num.6. Nihilominus Pater Herice diſp.5. cap. 3. à num.24. latè tuetur in ſcientia vt condiſtincta ab omnipotentia non cognoſci creaturas à Deo. Fauet P.Suarez 1. part lib.2. cap. 25. num.43. fundamentum eſt primò, quia ſcientia ſolum *vt quo* & vt ratio cognoſcendi incognita notificat obiectum ſubiecto cui ineſt, non verò *vt quod*, & tanquam imago *in qua* delineetur obiectum. Secundò, connexio ſcientiæ cum obiecto eſt per modum *imaginis* cum exemplari. Imago autem per ſe non ducit in notitiam certam quod ita ſe habeat exemplar, niſi prius exemplari ipſo viſo; ſic licèt imago Cæſaris faciat me apprehendere ſpeciem Cæſaris, & poſſim ego ſcire: *datur imago Cæſaris*; at ita ſe habere Cæſarem, nondum ſciam, niſi hunc videam in ſe, & conferam cum imagine.

10 Si autem dicas cum Arriaga diſput.11.de viſione, num.7. in ſcientia *vt vera formaliter* non poſſe cognoſci obiectum quin hoc etiam in ſe cognoſcatur vt condiſtinctum à ſcientia, quia veritas formalis coaleſcit ex cognitione, & obiecto: at ſcientiam Diuinam per ſe eſſentialiter eſſe *veram radicaliter*, ſeu exigentem quod obiectum ita ſe habeat, ſicut ipſa affirmat, ſeu quod detur talis veritas formalis. Ergo in ea ſcientia poterit cognoſci huiuſmodi exigentia, & connexio, & conſequenter obiectum. Contra ex P. Suarez ſuprà, hæc exigentia tota venit ab eminentiali continentia ab identitateque cum omnipotentia, & quidem cum identitas iſta ſufficiat pro hac exigentia, non eſt cur eam demus ſcientiæ vt diſtinctæ ab omnipotentia: Ergo in ſcientia vt ſic diſtincta nequeunt cognoſci creaturæ.

11 Mea concluſio ſit: In ſcientia vt tali formaliter, & in linea ſcientiæ collata cum obiecto non poteſt hoc, ſeu creaturæ cognoſci aſſertiuè, & abſolutè, benè tamen in ſcientia, quatenus eſt ab intelligente perfectionis infinitæ: explico concluſionem. Et primam eius partem probo: Si immediatè conferatur cognitio Diuina, verbi gratia, de Marco currente cum ſuo obiecto, ſcietur quidem eſſe repræſentationem de curſu Marci *viuidiſſimam, adæquatiſſimam*, &c. At hinc præciſe non relucebit, verè ne currat Marcus ex parte obiecti; Item aſſeri non poterit realis curſus, niſi quatenus penetretur eam cognitionem eſſe ab intelligente, ita perfecto, vt ob ſuam perfectionem determinatus, & neceſſitatus ſit ad non habendam cognitionem, niſi quando obiectum ſimiliter ſe habeat, quæ neceſſitas ipſi non venit ex linea repræſentandi formaliter, quæ nullam habet connexionem immediatam cum repræſentato, ſed ex perfectione intellectûs qui repugnat repræſentationi falſæ, quemadmodum connexio præfinitionis in ſententia Societatis, ſi immediatè comparetur cum obiecto præfinito, nulla eſt, niſi quatenus ea præfinitio, per ſe ſupponit ſcientiam mediam.

In ſcientia vt ſcientia formaliter nequeunt creaturæ cognoſci, niſi vt infinita.

Secunda pars quod ſcilicet independens ab omnipotentia per ordinem præcisè ad perfectionem intellectûs ſit cognoſcibilis abſolutè, probatur quia ipſa perfectio intellectûs Diuini affert, & neceſſariò imbibit non poſſe Deo accidere cognitionem falſam independenter à titulo omnipotentis, etenim ſcientiam de futuro peccato non poteſt Diuinus intellectus admittere falſam; cum tamen ad futuritionem per accidens ſit omnipotentia: Ergo licèt in ſcientia, qua ſcientia, & repræſentatio obiecti creati non poſſit hoc cognoſci, benè tamen qua Diuina & infinitè perfecta ab intelligente erroris incapaci. Cæterum adhuc in ea ſcientia ſic nón poterunt cognoſci creaturæ quidditatiuè vt benè notat Arriaga ſuprà num. 17. ſiquidem adhuc ea ſcientia ſolum vt pura connexio connotat ſuum obiectum, quin illud contineat. 12

Non tamen opus eſt recurrere ad omnipotentiam.

Niſi vt cognoſcantur quidditatiuè.

Ex his componi poteſt hæc ſententia cum communi, itemque reijci ſententia ſingularis, quam latè confirmat Pater Amicus diſput.12. de ſcientia ſect.1. à num.20. quod ſcilicet Deus ſolum cognoſcat creaturas vt in medio non in omnipotentia; ſed in ſua notitia tanquam in ſpecie expreſſa, & verbo diſtinctè exprimente omnia. Reijci inquam, poteſt hæc ſententia, tum quia verbum, vt verbum non eſt ſufficiens medium ad cognitionem quidditatiuam de creaturis, quam Deus habet. Tum etiam quia ſæpè impugnaui in phyſica, & in materia de viſione, verbum quod ſit tanquam *idolum* & imago *in qua* videatur obiectum. 13

P. Amici ſingularis ſententia.

SECTIO III.

De volitione, & reliquis prædicatis, ſpeciatimque de prædicato ſpeculi.

IN volitione quantumuis efficaci, qua præcisè volitio eſt nequeunt cognoſci creaturæ, nam immediatè per ſe ſolum connectitur affectiuè cum ſuo obiecto, non effectiuè; niſi quatenus concipitur in ſuppoſito potente efficere tale obiectum quæ coniunctio cum ſuppoſito eſt extra lineam formalem volendi, & quaſi per accidens aduenit ipſi: Ergo in volitione quantumuis in ſua linea efficaci omni alio ſecluſo nequeunt cognoſci creaturæ, ita Herice diſput 5. num.51. 14

In volitione idem dicendum quod de ſcientia.

Non ideò tamen dicam cum ipſo Herice volitionem etiam prout condiſtinctam ab omnipotentia non habere in ſe vnde poſſit eſſe medium ad cognoſcendas creaturas, nam volitio etiam vt diſtincta ab omnipotentia eſt *Diuina*, & conſequenter petens identificari cum omnipotentia dirigique per ſcientiam veram de conſecutione futurâ ſui obiecti: Ergo habet connexionem cum ſuo obiecto, & conſequenter, licèt non quidditatiuè poterit hoc in illa cognoſci. 15

Alia prædicata poſſunt numerari, in quibus 16

Deus

Item & in aliis prædicatis præter omnipotentiam.

Deus poteſt creaturas cognoſcere verbi gratia quatenus *eſt ſpecies intelligibilis*, quatenus *exemplar, idea, ars* omnium, quatenus *infinitæ bonitatis diffuſiua* ſui, quatenus *Verbum* relatiuum, imo etiam qua *Pater & Spiritus ſanctus* poteſt eſſe medium (licèt hoc ſpecialius competat Verbo) ſufficiens vt cognoſcantur creaturæ, quæ omnia teſtimoniis Patrum, & Doctorum confirmat Ruiz in præſenti diſput. 10. ſect. 6. At omnia hæc vel formaliter omnipotentiam imbibunt, vel ſi ab hac præſcindunt ad ſcientiam, vel volitionem reducuntur; Quare de illis diſcurrendum eſt iuxta dicta in hac ſect. & præcedenti.

17 Specialem difficultatem habet prædicatum *ſpeculi* cuius metaphora vtuntur communiter Theologi dum dicunt Beatos in diuina eſſentia vt in ſpeculo videri creaturas, de quo ego diſp. 32. à §. 15. quæ Metaphora ſumpta eſt ex Auguſt. tom. 9. lib. de triplici habitaculo cap. vltimo tom. 5. Concili. in Concil. Senonen. cap. 13. in decreto Fidei. S. Thomas 1. part. quæſt. 12. art. 8. ad. art. 9. in arg. *Sed contra* hic quæſt. 14. art. 5. corp. Caietan. & alij Theologi hic. Explicui locis citatis eſſentiam Dei habere rationem *ſpeculi* non quatenus eſt medium *in quo* reflexè cognito apparent creaturæ; ſed quatenus eſſentia diſponitur ad concurrendum per modum ſpeciei in viſionem creaturarum eo quod primario in ſui viſionem concurrat cum intellectu Beati; Quæ ratio hic reſpectu ſcientiæ Dei deficit nam vt dixi diſp. 35. ſect. 4. Eſſentia Dei non habet rationem ſpeciei intelligibilis in ordine ad ſcientiam Dei; ſicut enim nec ratione noſtra perfecta, & ratiocinata datur actus primus phyſicus ex parte potentiæ, ita nec admittendus eſt ex parte obiecti, ergo proprie loquendo nec admittendum quod Deus videat creaturas in ſe vt in ſpeculo.

18 Improprie tamen poteſt eſſentia obire munus *ſpeculi* tum quatenus ſimul repræſentat ſe, & creaturas; tum etiam quatenus hæ continentur aliquo modo intra ipſam eſſentiam, ſcilicet eminenter, in ſpeculo autem materiali ad errorem vulgi apparent res quaſi intrinſecæ in ipſo, Deus igitur cum in ſe videat creaturas contentas per omnipotentiam. Hinc aliquam analogiam ad ſpeculum habet de qua analogia non eſt multum curandum cum tota impropria, & metaphorica ſit, vt multis docet D. Thomas quæſt. 12. de verit. art. 6. & iuxta varias acceptiones, varie eſt accipienda. Filius à diuerſis dicitur ſpeculum ſapient. 7 item è contra Creaturæ reſpectu Dei 1. Cor. 13. videmus nunc per ſpeculum.

DISPVTATIO XLIII.

Vtrum Deus cognoſcit in ſe ipſo creaturas, quamuis ab illis abſolutus?

SECTIO I. *Aliorum ſententiæ, & fundamenta.*

SECTIO II. *Approbatur & probatur ſententia negans.*

SECTIO III. *Reſpondetur ad argumenta oppoſita.*

DISPVTATIONEM hanc inſtituo vt appareat quanti referat ſtatuere connexionem Dei cum creaturis, vt proprie hæ dicantur in diuina eſſentia cognoſci. Tota inter recentes Theologos vnicè in controuerſiam adducta eſt ſi omnino connexionem quancumque præſcindamus vt noto ſect. 3. quare non mirum ſi authores nullos pro alterutra partium referam.

SECTIO I.

Aliorum ſententiæ, & fundamenta.

DEum eſſe motiuum ſuæ ſcientiæ ad cognoſcendas creaturas, quantumuis cum his non connectatur tuentur Alarcon diſput. 2. cap. 3. numero 16. quia licèt ſcientia Diuina non videat creaturas in ſe ipſo vt in obiecto prius cognito, quod vt ſic ſit illi ratio cognoſcendi creaturas; at ſpecificatur, indiuiduatur, & totam ſuam perfectionem ſumit ab eſſentia Diuina, ratione cuius perfectionis, & eo quod ſit cognitio primæ veritatis eſt tantæ virtutis, vt ſit cognitio cuiuſcumque veritatis etiam creatæ. Quæ explicatio conformis eſt modo quo plures authores tuentur in tract. de viſione creaturas non videri in Deo formaliter vt in medio ſed ſolum cauſaliter, quos retuli diſput. 32. de viſione num. 1. & ad præſens reiiciuntur, quia in præſenti agimus, an independenter à connexione etiam in ſe ipſo vt in medio poſſit Deus cognoſcere creaturas, & non in ratione *in qua*. 1

Quæſtio eſt poſſit ne Deus eſſe medium in quo cognoſcantur creaturæ poſſibiles, quantumuis ſit ab illis abſolutus ſeu ſine vlla connexione cum ipſis etiam vt poſſibilibus.

Adhuc vt ſic affirmat Herice in præſenti diſp. 5. cap. 13. num. 19. Fundamentum eſt. Primò quia licèt omnia, quæ in Deo ſunt abſoluta ponantur à creaturis, hæ tamen, dum ſunt poſſibiles, verè continentur in omnipotentia Dei. Ergo in ea ſunt cognoſcibiles. Patet conſequentia, quia ſicut res ſe habet ad *eſſe*, ita & ad cognoſci. Secundo licèt Deus non connectatur cum creaturis tamen eo ipſo quod poſſibiles ſunt illas repræſentat. Ergo eaſdem poterit cognoſcere reflexè in tali expreſſione, & repræſentatione. Tertio Deus licèt non connectatur cum creaturis exiſtentibus eas in ſe cognoſcit, vel in denominatione *ſcientiæ viſionis*, vel in *decreto*. Ergo ſimiliter ſtante ſummâ neceſſitate Dei, & independentia à creaturis poſſibilibus poterit eas cognoſcere vel in denominatione *potentis abſolutè, ſcientis, complacentis*, &c. Cur enim ſimiliter non poterit poni, quod Deus deficientibus poſſibilibus deficiat quoad denominationem *abſolutè potentis*, vel ſcientis per ſimplicem intelligentiam, & non quoad entitatem ſicut dicitur de ſcientia viſionis. 2

Affirmat. Herice.

Quartò ſpecialiter arguunt Recentiores vt in omnipotentia etiam formaliter independenti, & inconnexa cum creaturis, hæ cognoſcantur; nam omnipotentia formaliter conſtituitur independens à creaturis, quatenus ſolum eſt *potentia quaſi conditionata* ad producendum verbi gratia hominem ſi non implicauerit, vt per impotentiam Dei non ſtet quod homo non producatur, tum ſic: ſed hæc potentia etiam ſic conditionata comprehendi nequit, niſi appareat terminus illius, etenim non minus attingit hominem, qui dicit de aliqua cauſa 3

Speciosum fundamentum.

quod *poſſit producere hominem , ſi non implicet ,* quam qui dicit abſolutè: *hac cauſa hominem producere poteſt ,* nequit autem Deus attingere conceptum *homo* quin ſtatim videat ipſum non implicare, & conſequenter eſſe poſſibilem , ſiquidem hi termini : *animal rationale* formaliſſimè imbibunt poſſibilitatem, ergo in omni euentu, etiam ſublata connexione Dei cum creaturis has Deus in ſe ipſo videbit.

4 Secunda ſententia negans communis eſt. Pro qua argui poteſt primo, ſi omnipotentia non connectatur cum poſſibilibus ſolū ſe habebit conditionatè, nempè vt poſſit producere Petrum ſi non implicet, vnde hæc veritas ſic conditionatè affirmabitur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Tum ſic in veritate conditionata nequit cognoſci conditionatum abſolutè poſitum , & multo minus ipſa conditio, ita ſcientia media; *ſi vocauero Petrum reſpondebit,* nec determinatur aliquid de vocatione, nec abſolutus conſenſus Petri cognoſcitur. Ergo in hac ſcientia conditionata ſimplicis intelligentiæ : *ſi Petrus non implicauerit illum poſſum producere* : nec ſcietur aliquid de non implicantia Petri, nec de eius abſoluta producibilitate. Ergo neque id ſcietur in omnipotentia , quæ non plus ducit in cognitionem de abſoluta poſſibilitate Perti, quam ſcientia conditionata. Secundò ſublata omni connexione Deus ſcit : *mea omnipotentia non potius arguit poſſibilitatem , quam impoſſibilitatem Petri.* Ergo non poteſt dicere determinatè : *arguit poſſibilitatem.* Hæc enim cognitio contradictoriè opponitur primæ ergo poſſibilitas non eſt determinate cognoſcibilis in omnipotentia , etenim tunc maximè exiſtentia vnius eſt argumento exiſtentiæ alterius, quando hoc in illo cognoſcitur.

Ratio negandi.

SECTIO I.

Approbatur , & probatur ſententia negans.

5 CEnſeo non aliter poſſe Deum in ſeipſo , vt in medio creaturas poſſibiles cognoſcere , niſi quatenus cum his connectitur , vel entitatiuè, vel denominatiuè ſecundum id, in quo dicitur eas cognoſcere.

6 Probatur euidēter in indifferenti, vt indifferenti nequit determinate cognoſci vnum extremum illorum, ad quæ ſe habet indifferenter, quidquid ſit detur ne reipſa tale extremum: ſed ablata per poſſibile , vel impoſſibile omni connexione Dei cum creaturis entitas Dei apparet indifferens vt indifferens ad impoſſibilitatem , & ad poſſibilitatem Marci verbi gratia : Deus ergo in ſua entitate nequit determinate cognoſcere Marcum eſſe poſſibilem. Conſequentia patet & minor ſupponitur; ſi enim entitas Dei in ſe non apparet indifferens. Ergo determinata. Ergo connexa, nam ob quam aliam rationem cauſa neceſſaria dicitur connexa cum ſuo effectu , niſi quia indifferens non eſt , ſed determinata. Maior probatur , tum quia res cognoſcitur ſicut eſt ; in indifferenti autem vt tali nihil eſt determinatum ; tum etiam quia ex indifferenti vt tali nequit inferri vnum extremum determinatum, ſic ex cauſa libera non infertur effectus, ex medio autem *in quo* aliquid cognoſcitur poteſt hoc inferri ; ſic infertur effectus ex cauſa neceſſaria ; tum denique ideò in voluntate creata nequit cognoſci actus liber , quia voluntas eſt indifferens ad actum.

In indifferenti vt indifferenti nequit cognoſci extremum determinatum.

Secundò probatur poſita concluſio , ſi Deus non cognoſcat creaturas poſſibiles in ſe ipſis, non poteſt ſcire ipſas eſſe ſic poſſibiles in omnipotentia ſublata connexione , ergo in hac hypotheſi non poteſt cognoſcere creaturas in ſe ipſo. Conſequentia patet ſi enim in ſeipſis debet cognoſcere creaturas , ergo quia ex vi ſuæ omnipotentiæ non habet medium ſufficiens ad cognoſcendas creaturas. Primum antecedens probatur poſſe Deum. Dubium ſint nè creaturæ poſſibiles, vel impoſſibiles, nullum ipſi prædicatum aperietur in omnipotentia , quod tollat hanc dubietatem ; nam *continere creaturas, ſcire* ipſas , vel *poſſe* nihil determinat de poſſibilitate ; ſiquidem hæc prædicata pure conditionaliter ſe habent. An ne qui dubitat de ſubſtantia ſupernaturali creata poſſibili determinabit huius poſſibilitatem , ex eo quod ſciat Deum poſſe omnia in quibus non datur implicatio? Ergo quamadmodum ſic dubitans requirit vlterius cognoſcere poſſibilitatem talis ſubſtantiæ, ita ſimiliter Deus ex hac hypotheſi. 7

Si Deus non ſit connexus cum creaturis non cognoſcet eas niſi in ſeipſis.

Tertiò ſi creaturæ non eſſent poſſibiles eſſentia Dei cognita non duceret in cognitionem poſſibilitatis ipſarum , vt patet reſpectu chymæræ ; ſed de facto eſſentia Dei nunc ex ſe eodem modo ſe habet ad poſſibilia ſicut tunc. Ergo ſi præcisè ſpectetur in ſe non ducet in cognitionem poſſibilium explicatur poſita adhuc poſſibilitate creaturæ Deus non connectitur cum ipſa ; ergo non magis iuuabit vt cognoſcatur creatura poſſibilis in Deo, quod in re ſit vel non ſit , poſſibilis. Antecedens datur ab aduerſariis, nam ſi ſolū dicant aduerſarij Deum ſecundū ſe non connecti cum creaturis, connecti verò ex ſuppoſitione quod ſint poſſibiles, vti connectitur in ratione *videntis futura* , iuxta hunc modum dicendi , iam tandem non cognoſcentur creaturæ in Deo, niſi ſecundum prædicatum, quod eſt connexum cum ipſis. Conſequentia probatur, tum à paritate exiſtentiū, quæ nec quando exiſtunt cognoſcuntur in Deo; tum etiam quia ſic Deus eadē ratione ſe habet ad poſſibilitatem hominis, ſicut ſe habet quælibet alia res diſparata verbi gratia formica, ergo ſicut in hac nō poteſt cognoſci homo vt poſſibilis ſublata connexione cum tali poſſibilitate, ita ſimiliter. Vltima hæc conſequentia patet , nam conditionate etiam connectitur quælibet res non minus , quam Deus cum poſſibilitate hominis v.g. formica per ſuam eſſentiam habet coëxiſtere poſſibilitati hominis, ſi non implicet. 8

SECTIO III.

Reſpondetur ad argumenta oppoſita.

TRia argumenta poſita §. 2. pro ſentent. Patris Herice ſemper ponunt aliquid connexum, vel entitatiuè , vel denominatiuè ; nam ſi *continentia* ſumitur , vt ſimpliciter talis , & ſcientia vt *abſoluta* , ſic eſſentialiter connotant poſſibilitatem creaturarum; quod ſi ſecludatur connexio omnis. Reſpondetur Deum quidē *abſolutè continere* creaturas dū hæ ſunt poſſibiles (idem proportionatè de ſcientia.) Cæterū hæc denominatio *abſolutè continentis* eſt, partim intrinſeca, partim extrinſeca Deo, intrinſeca ob omnipotentiam , quam inuoluit : Extrinſeca ob non repugnantiam creaturarum per , quam 9

Denominatio abſolute cō*tinentis quo modo conſtituenda negata cōnexione.*

quam in ratione *abſolutè potentis* conſtituitur in obliquo; licèt hæc denominatio *potentis ſic* non cadat ſuprà illam conditionem eſſentialem *non repugnantiæ*, ſed ſupra entitatem omnipotentiæ, quæ eſt quaſi ſubiectum illius denominationis, ſicut denominatio *proximè potentis* calefacere cadit ſuprà ignem licèt præter ignem ex applicatione in obliquo coaleſcat: Cæterum quemadmodum calor, vt proximè producibilis non cognoſcitur in ſolo igne, niſi præuiſa in ſeipſa applicatione; ita ſimiliter.

10 *Cur conditio à Deo attingi poſſit præſcindens ab exiſtentia, ſed non præſcindens à poſſibilitate.*

Antequàm reſpondeam quarto argumento, quod difficilius eſt, reijcienda ſunt tanquam inſufficientia fundamenta adducta pro ſecunda ſententia in ſect. 1. num. 4. Nam ex illis fit à Deo cognoſci aliqua ratione Petrum in omnipotentia, cum autem Deus formare non poſſit niſi conceptum quidditatiuum, ſeu penetrantem quidditatem ſui obiecti, neceſſariò etiam repræſentabit Petrum vt poſſibilem. An ne attinget Petrum, quin ſciat eſſe Petrum, poſſibilis-ne an chimæra. Quare ad primum reſponderi poteſt ab aduerſariis in condirionali concipi conditionem, & conditionatum ſecundùm ſtatum, quem formaliter imbibunt ipſi termini, vt ſic poſiti in condirionali, vnde conditio, & conditionatum non concipitur vt exiſtens; bene tamen vt poſſibile, quia ipſi termini conditionis, & conditionati poſſibilitatem imbibunt formaliter; etenim neceſſariò ſi percipiantur termini, cognoſcendum eſt id quod eſt de conceptu formali terminorum. Sic Deus dicere non poteſt: *Si Petrus vocetur reſpondebit*; quin ſciat Deus quid ſit vocari, quid reſpondere. Et conſequenter poſſibilitatem eorum, licèt non exiſtentiam. At ſignificatio formaliſſima terminorum in illa conditionali *ſi Petrus non implicat*, &c. Eſt poſſibilitas Petri, ſi enim hominem eſſe eſt de conceptu formali Petri, ergo & eſſe *animal viuens, ens reale, ſeu poſſibile.* Ergo talis poſſibilitas cognoſcetur à Deo. Hinc ad ſecundum fundamentum cum formaliſſimè eſſe Petrum ſit eſſe poſſibilem, implicat quod Deus videns ſuam omnipotentiam exprimat illam diſiunctionem poſſibilitatis, nam determinatè ſi exprimit Petrum exprimendus eſt vt poſſibilis.

11 Igitur Deus videns ſuam eſſentiam, vel omnipotentiam ſi hæc omnino ſoluta à creaturis ponatur, nil de creaturis dicet nec conditionatè nec abſolutè ſed ſi præciſè attendatur Deus ſecundùm intrinſeca, ita contentus eſt ſua eſſentia, vt nullam mentionem efficere poſſit ex vi illius de creaturis, vel cognoſcere aliquem reſpectum ad creaturas, nec ſciendo ſe eſſe *potentiam*, aut *ſcientiam conditionatam*, nec item ſciendo eſſe formaliter diſiunctiuam, aut connexam cum poſſibilitate Petri, ſi non fuerit impoſſibilis. Hæc enim omnia extranea ſunt à Deo formaliter, & intrinſecè inſpecto; quin reſpectum vllum abſolutè exiſtentem ex parte ſubiecti, ſeu in ſeipſo habeat Deus, quantumuis condirionatum ex parte obiecti.

12 *Omnipotentia Dei ſi eſſet ſine vlla connexione ex ſe foret potentia ſolum conditionata ex parte ſubiecti ſed non conditionata ex parte obiecti*

Quod ſic explico vt aliàs ſoleo defendere potentiam obedientialem aquæ ad gratiam, ad quam rectè poteſt comparari vt conditionata ex parte ſubiecti, hoc eſt talis, quæ ex parte ſui, nec conditionalem reſpectum habeat nunc; haberet autem ſi ipſi contingeret (ſine vlla eius connexione) adiutorium, & eleuatio ad effectum gratiæ. Sic ego ſum conditionatè coexiſtens vnioni hypoſtaticæ Spiritûs-ſancti, quia mea exiſtentia talis eſt, cui contingere poſſit exiſtentia talis vnionis, ex qua coexiſtens denominabor. Item voluntas Religioſi hominis conditionatè comparatur ad occiſionem inimici: ſub conditione, *ſi maneret in ſæculo*, non quidem quia nunc de facto detur in Religioſo affectio conditionata occidendi inimicum ſub conditione quod is Religioſus inueniretur in ſæculo, aliàs illicita, nec Religioſa foret talis affectio: ſed quia ſi adeſſet ſtatus ſæcularis vel facultas Dei, tunc accideret abſoluta volitio, quam ex nunc bonus Religioſus coniectat.

Tunc ſic: Ergo ſimiliter ſe habere poteſt omnipotentia Dei, vt ſit conditionata vel diſiunctiua, aliàs non omninò inconnexa ponetur à poſſibilitate creaturarum: Ergo ſicut in voluntate Religioſi nunc cognoſcibilis non eſt affectio occidendi; nec in mea exiſtentia reſpectus vllus ad coexiſtentiam vnionis hypoſtaticæ; ita ſimiliter dicendum de omnipotentia, ſi proportionatè cogitetur cum ſimili abſolutione à creaturis, quæ nullam ſpeciem, aut apprehenſionem excitabit de creaturarum poſſibilitate, vel impoſſibilitate; ſed omninò diſparatè ſe habebit ad illas, niſi ad eaſdem in ſeipſis attendat Deus. Sicut enim iuxta num. 8. poſitis creaturis impoſſibilibus, eſſentia Dei nullatenus duceret in cognitionem poſſibilitatis, ita nec modo eſſentia titulo ſui ducet, ſiquidem eſſentia in ſe ſemper eſt æquè abſoluta, & inconnexa, idem autem manens idem natum eſt ſemper facere idem, maximè in neceſſariis, quale eſt munus ducendi & determinandi medij formalis in obiectum materiale. 13

Hinc ad quartum argumentum clariſſima eſt ſolutio, licèt cauſa ne connectatur cum exiſtentia effectus, ſatis ipſi ſit, quod ponatur conditionata per illum reſpectum conditionatum purè ex parte obiecti, ſiquidem hinc iam ſtabit dari cauſam ſine coexiſtentia effectus, quia ſcilicet auferibilis eſt conditio, at niſi reſpectus omnis, & omninò ſecludatur à ſubiecto, ita vt ex parte ſubiecti actu non ſit talis reſpectus, ſed foret ſub aliqua conditione, quam ſubiectum, nec habeat, nec petat, non dum ſubiectum, ſeu cauſa erit ſatis inconnexa à poſſibilitate, nam ille reſpectus; ſi abſolutè ponitur in ſubiecto, quantumuis conditionatè feratur, iam aperit quidditatem & formales terminos rei, ad quam ſic conditionatè refertur; cum autem in tali re poſſibili, idem formaliſſimè ſit eſſe conditionatum, & abſolutum ex conſequenti reſpectui, & connexioni abſolutæ æquiualet. Secus ſe habet reſpectu exiſtentiæ effectûs, ſiquidem in effectu ſeparabilis eſt ſtatus abſolutæ exiſtentiæ à ſtatu conditionato, & quidditatiuo. 14 *Reſpectu exiſtentiæ poteſt dari præciſio in propoſitione conditionali ſecus reſpectu poſſibilitatis.*

Ergo vt loquamur de omnipotentia quatenus omninò inconnexa, ſic eam concipere debemus vt conditionatam, etiam ex parte ſubiecti, cui ſcilicet omninò per accidens, & extraneè ſe habeat reſpectus omnis ad creaturas; quamuis aliunde, ſi in ſe videatur poſſibilis creatura, hæc poſſibilitas creaturam denominet *abſolutè potentem* producere talem creaturam, vt dixi §. 9. & patet in exemplis adductis §. 12. Cuius ratio à priori eſt, quia reſpectus conditionatus ex parte obiecti proprius eſt tendentiæ intentionalis, quæ ſola explicat conditionalem *ſi* in phyſicis enim explicari nequit quomodo afficiatur potentia phyſica circa conditionem, ſiquidem illam neque exigit neque producit. Præterquam quod hic militat vrgentior ratio vt dixi. 15

DISPVTATIO XLIV.

Vtrùm Deus cognoſcat creaturas poſſibiles in ſe ipſis?

SECTIO I. *Status quæſtionis, & Authorum ſententiæ.*

SECTIO II. *Deus cognoſcit creaturas poſſibiles in ſeipſis.*

SECTIO III. *Concluditur probatio veræ ſententiæ.*

SECTIO IV. *Reſpondetur argumentis pro ſententia negante.*

QVÆSTIO præſens præſcindendo ab eo quòd creaturæ ſint motiuum diuinæ ſcientiæ (de quo ſatis diſput. 40.) verſanda eſt in præſenti, circa quam præter Authores citandos ſectione prima ſequenti §. tertio ſunt pro parte negatiua Henricus quodlibeto.9. quæſt.2. poſt initium, Durandus in primum, diſtinctione 35.quæſtione 1. art. 3. num.12. & 13. Richardus eâdem diſtinctione 35. quæſt. 3. corpore,& quæſt. 7. ad quartum, Capreolus ibidem quæſt.2. art.1. concluſione primâ. Albertus primâ parte quæſt.60.membro 2.Alexander 1.parte quæſt.23. membro 2. S. Bonauentura primo diſtinct.39. art.1. quæſt. 1. ad argumenta. Et art. 2. quæſt.1. Marſilius primo quæſt. 38. art.3. Ægidius primo diſtinct. 35. quæſt. 3. Argentina ibi quæſt. vnicâ. Carthuſianus ibi quæſt. 1. poſt medium. Fauet S. Thomas in hac quæſtione 14. art. 5. fine, concludens, *igitur dicendum eſt quod Deus ſeipſum videt in ſe ipſo, quia ſeipſum videt per eſſentiam ſuam. Alia autem à ſe videt non in ipſis ſed in ſeipſo, in quantum eſſentia ſua continet ſimilitudinem aliorum ab ipſo.* Vbi eandem ſententiam ſequuntur Bannez, Zumel, & alij recentiores ſupra hanc quæſtionem 14. Videatur etiam Auerſa quæſt. 14. de ſcientia Dei ſect. 15. S. Auguſtinus in libro quinto de Geneſi ad litteram, cap. 15. ſub initium ita explicat verba Ioannis primo: *Quod factum eſt in ipſo vita erat. In qua vita* (inquit) *vidit omnia quando fecit; & ſicut vidit ea, ita fecit, non præter ſeipſum videns, ſed in ſeipſo.*

S.Thomas. *Negat ſolum cognoſci in ſeipſis vt in influentibus, (aliàs affirmat infra) vel vt à dantibus, & mittentibus ſpeciem.*

Ita S. Auguſt.

Nihilominus pro contraria ſententia affirmante in veritate creatâ inueniri ſufficientem cognoſcibilitatem ratione cuius poſſit terminare immediatè ſcientiam Dei citari poteſt vniuerſa ſocietatis ſchola; etenim omnes eius Authores id expreſsè fatentur in futuris creatis liberis; imò S. Thomas in hac quæſtione 14. art.6. & 1. & art.13.corpore, & infra quæſtione 57. art. 3. corpore, & ad tertium. Et 2.2. quæſt.171. art.6. ad ſecundum. Et primo contra Gentes cap.66. fine, & quæſtione 2. de veritate art.4. & 6. & primo ſententiarum diſtinct. 38. quæſt. vnicâ art. 5. corpore. Si autem ſemel veritas creata exiſtens cognoſcitur in ſeipſa, etiam poterit Poſſibilis, vt dicam ſectione 2.

* * *

SECTIO I.

Status quæſtionis ab Authoribus Sententiæ.

AGimus de alio medio, *in quo* Deus cognoſcat creaturas ea ratione, quâ dicitur de Christo Domino, quod per viſionem Beatam cognoſcat poſſibiles creaturas in Deo, & rurſus habeat aliam ſcientiam infuſam, per quam illas immediatè cognoſcat in ſe ipſis, ita vt ſecluſa luce, quæ venit à viſione Beata ſufficiens fundamentum, cui innitatur, & in quod reſoluatur aſſenſus ſcientiæ infuſæ de poſſibilibus detur in Chriſto, quin aliud cognoſcat ab ipſis poſſibilibus diſtinctum, ex quo in eaſdem cognoſcendas, quaſi manu ducatur. Sic igitur ſimilem cognitionem de poſſibilibus indagamus in Deo, ſecluſis tamen à tali cognitione imperfectionibus *cauſata, & realiter diſtincta* à ſcientia poſſibilium in ipſo Deo, & ſecluſa à poſſibilibus cognitis imperfectione *motiui* ſtrictè, vel etiam *obiecti formalis* ſi hoc apud te ſonet, *id quod cauſat* vel dat intrinſecè perfectionem ſuæ cognitioni. 1

Supponimus à Deo cognoſci creaturas in ſe ipſis, hoc eſt ſecundum veritatem intrinſecam ipſarum, hac enim ratione, etiam quando ſua eſſentiâ tanquam medio vtitur, creaturas quoad *eſſe* creatum, quod formaliter in ſe ipſis habent, cognoſcit. Rurſus creaturæ in ſe ipſis benè terminant plures reſpectus, & connotationes phyſicas Dei verbi gratia vt omnipotentis, *creantis*, imò & *ſcientis*, vt de futuritione reſpectu ſcientiæ viſionis, vel mediæ, dixi 37. ſect. 4. negans hinc ſequi, quod creatura in ſe ipſa terminet ſcientiam in eſſe ſcientiæ, ita vt omni alio ſecluſo, vel ignorato ſola creata veritas ſufficienter proponatur ſuadibilis intellectui Diuino, vt ipſi aſſentiatur. In præſenti autem quidquid ſit de ſequela veritatem conſequentis inquirimus: nempè ſitnè veritas creata poſſibilis ita per ſe ſufficienter cognoſcibilis, & ſuadibilis Deo, vt ipſi aſſentiretur, quantumuis per impoſſibile Deus ſeipſum ignoraret, nilque aliud præcognoſceret. 2

An veritas creata poſſibilis ſit ratione ſui ſufficiens terminare ſcientiam Dei, licet per impoſſibile Deus ſeipſum ignoraret.

Sic prima negat; ita communiter Thomiſtæ quos referunt & ſequuntur Molina in præſenti artic. 5. diſput. 11. membro 2. Suarez lib. 3. cap. 2. Ruiz diſput. 10. ſect. 2. num. 2. Ioan. de S. Thom. quæſt. 18. art. 2. fauet ſanctus Dionyſius cap. 7. de Diuinis nominibus paulo poſt medium ibi. *Non igitur propriam ſui notitiam Deus habet; aliam autem quæ communiter, & generaliter ea quæ ſunt omnia comprehendit.* Item ibi *Deus ea quæ ſunt noſcit non rerum notitia ſed ſui.* Iam ſi Deus noſceret poſſibilia in ſe ipſis, hæc alia ſcientia rerum foret à ſcientia ſui diſtincta. 3

Negant Thomiſtæ. Molina. Suarez. Ruiz. S. Dyoni.

Fundamentum eſt primò, quia hæc cognitio ſuperfluit cum iam præſupponantur poſſibilia ſatis cognita in omnipotentia, ideò negaui diſput. 39. Quod Deus iterum ſe cognoſcat in creaturis cognitis in omnipotentia, quia ſcilicet ſatis cognitus ſupponitur, & inutiliter repetuntur hæ cognitiones, quæ nouam lucem non afferunt. Confirmatur quia alias infinitè poſſent in Deo multiplicari ſcientiæ de eodem obiecto verbi gratia de calore vt cognoſcatur in hac cauſa, & in altera, & ſic ſine fine. Rurſus alia ſcientia eſſet quæ cognoſceret ſub hac hypotheſi, cum hac combinatione, disiunctione, copulatione, *&c.* Ergo quemadmodum hæc omnia inutilia ſunt, eò quod nihil nouæ aperiant veritatis, 4

Probatur.

ritatis, ita ſimiliter,ſiquidem ſatis comprehendit Deus omnem veritatem in ſe.

5 Secundò cognitio creaturarum in ſe ipſis foret imperfecta vt ſic formaliter,nam cognitionis perfectio ſumitur ex obiecto immediato, & formali, ergo cum creaturæ in ſe finitæ ſint, etiam & cognitio Diuina vt ad illas refertur. Confirmatur ſaltem non eſſet tam perfecta huiuſmodi cognitio, quam cognitio poſſibilium in Deo. Ergo implicat, conſequentia probatur,tum quia Deo ſolū concedenda eſt optima cognitio, tum etiam quia abſurdum eſt ponere cognitiones Dei inæquales in perfectione. Antecedens ſuadetur, quia cæteris paribus quo perfectius eſt obiectum immediatum, & formale perfectior eſt cognitio,ſed cognitio poſſibilium in eſſentia eſt quoad cæteras perfectiones certitudinis, euidentiæ, &c. par cognitioni poſſibilium in ſeipſis; aliunde creſcit quoad perfectionem obiecti immediati,vt patet. Ergo.

6 *Cognitio poſſibilium in ſe ipſis probatur futura diſtincta à ſcientia eorundem in Deo.*

Tertio cognitio poſſibilium in ſeipſis neceſſario diſtinguenda formaliter foret à ſcientia eorundē in Deo,at hæc multiplicitas ſciētiæ Diuinæ repugnat. Ergo ſcientia creaturarū in ſeipſis. Maior probatur tum quia vna ſcientia eſt immediata, alia mediata de creaturis, *immediata* autem *mediatam* negat, cum medium excludat; tum etiam quia cognoſci obiectum in ſe, & propter ſe dicit non cognoſci in alio. Ergo implicat creaturam cognoſci in ſe ipſa, ſi illa eadem cognitio vtitur alio medio ad eam cognoſcendam, quidquid enim cognoſcitur per ſuam cauſam cognitam eadem cognitione cognoſcitur, vt obiectum materiale. Ergo cognitio poſſibilium in ſe ipſis diſtincta eſt à ſcientia eorundem in Deo.

7 *Talis diſtinctio probatur abſolutè implicare.*

Minor propoſitio, quod ſcilicet repugnet diſtinctio iſta multipliciter oſtenditur. Primo iſta diſtincta cognitio foret imperfecta, cum non attingeret obiectum infinitum, & perfectiſſimum. Neque ſufficit ſi dicas prædictam cognitionem realiter eſſe de Deo, nam nec ratione admitti debet cognitio Diuina *præciſiua, confuſa, falſa* licet realiter ſit *clara, vera, &c.* quis enim dicat dari in Deo cognitionem, quæ vt ſic formaliter attingat animalitatem, ſine rationalitate. Ergo nec obiectum imperfectum in ſeipſo.

8 Rurſus ſecundo implicat diſtinctio numerica ſcientiarum in Deo, ſeu duæ cognitiones ſolo numero diſtinctæ, eo ſcilicet, quod vna æquiualet,& continet adæquatè omnem perfectionem ſuæ ſpeciei,at quælibet ſcientia Dei vt potè infinita æquiualet & continet omnem perfectionem cognoſcendi. Ergo implicat quod detur multiplex. Si dicas primam ſcientiam Dei eſſe adæquatam ſuo obiecto formali, ſecundam autem dari pro alio obiecto formali, & vt creaturæ cognoſcantur alio modo. Contra tum quia ad infinitatem omnipotentiæ ſpectat quod eadem formaliſſimè omnia poſſibilia, & omnibus modis poſſit. Ergo eadem formaliſſimè ſcientia omnia comprehendet, & omnimodè; alioqui ſi ipſi ſcientiæ comprehenſiuæ de Deo aliquid deeſſet non foret infinita. Contra etiam ſimiliter poſſent poni in Deo innumeræ ſcientiæ, nam pro qualibet creatura habebit diſtinctum obiectum formale; manifeſtum eſt autem pertinere ad perfectionem cognitionis, ſi eadem ſimul plura comprehendat, vt patet in nobis. Ergo vt ſcientia Diuina vna tantum ſit ſolum ponendum eſt vnum obiectum formale, ſcilicet eſſentia Diuina. Contra denique ſimiliter poſſent poni plura Verba, quæ tamen repugnant etiam per rationem plura, alias darentur plures *Filij*, nam *eo Verbum quo Filius.*

Vltimò hæc prima ſententia negans probari poteſt: non datur in Deo ſpecies ſeu determinatiuum ſufficiens ex parte obiecti reſpectu creaturarum poſſibilium in ſe ipſis. At ſine hoc determinatiuo nequit dari cognitio, quæ formaliter, vel æquiualenter paritur ab intellectu, & obiecto immediato *immediato* inquam nam *mediatum* cognoſcitur per denominationem immediati: Ergo poſſibilia ſolum cognoſci poſſunt in eſſentia, per determinationemque obiectiuam eſſentiæ tanquam Medij. Maior probatur ipſæ creaturæ cum non ſint, determinare non poſſunt intellectum Dei,neque item determinat ipſa eſſentia Diuina, nihil enim quod non eſt ſpecies impreſſa determinat obiectiuè, niſi prius cognoſcatur; eſſentia autem Diuina non eſt ſpecies impreſſa ad creaturas. Ergo niſi in ea prius cognita cognoſcantur creaturæ intellectus Dei carebit determinatiuo obiectiuè ad eas cognoſcendas.

9 *Affirmant* Herice. Mart. Arriaga. Moncæus. Card. Lugo Suar.

Secunda ſententia affirmat creaturas poſſibiles in ſe ipſis cognoſci à Deo. Ita tenentur ſentire omnes, qui negant connexionem Dei cum creaturis,ex aliis expreſsè & latè tuetur Herice in præſenti diſput. 5. cap. 4. Martinon diſput. 10. ſect. 1. Arriaga diſputat. 19. ſect. 4. Philippus Moncæus diſput. 3. Selectarum cap. 11. §. *Quod ergo* Card. de Lugo in manuſcriptis in 1. part. diſput. 4. ſect. 2. Quod putat probabile Suarez. Fundantur præcipuè in non repugnantia talis ſcientiæ, & in perfectione cognoſcendi omnia omnibus modis. Item à parte ſcientiæ viſionis, quæ in ſeipſis videt futura libera. Sed hæc fundamenta, ni penſentur altius leuia ſunt. Primum enim ſatis impetitur à n. 4. & paritatem ſcientiæ viſionis conſtat ex n. 2. non ſatis vigere. 10

SECTIO II.

Deus cognoſcit creaturas poſſibiles in ſeipſis.

HÆc ſententia mihi probabilior eſt, quam à poſteriori hoc non leui, ni fallor fundamento ſuadeo. Deus independenter ab omni cognitione de ſe ipſo, has veritates cognoſcit,verbi gratia *homo eſt homo: homo repugnat, vel non repugnat, ſi exiſtit exiſtit, &c.* etenim hæ veritates identicæ, vel ſtupidiſſimo intellectui, ſine aliqua manuductione ſunt per ſe notæ; Ergo à Deo ſunt ſufficienter cognoſcibiles immediatè, quin opus ſit, quod prius conſulat ſuam omnipotentiam, vel medium aliquod ab ipſis diſtinctum; tunc ſic. Sed hæ veritates ſunt formaliter creatæ,ſiquidem neque ex parte prædicati, nec ſubiecti Diuinum aliquod includunt. Ergo iam poteſt ſcientia Dei immediatè ferri ad aliquid poſſibile creatum, & conſequenter ad omne. Confirmatur in aliis veritatibus, quæ vel intellectui humano ſunt prima principia, & ex apprehenſione terminorum per ſe notæ immediatè v.g. *totum eſt maius ſua parte: duo bis ducta ſunt quatuor.*

1 *Probatur ex propoſitionibus identicis.*

Dices ſicut iuxta dicta à me diſputat. 43. ſect. 3. ablata connexione omnipotētiæ cum poſſibilibus, hæc omnipotentia,ita latent,vt nihil prorſus de illis Deus ſcire poſſit, nec veritates identicas: *Petrus eſt Petrus*, ita ſimiliter in præſenti, vbi negatur è conuerſo omnis cognoſcibilitas, quæ non eſt in omnipotentia. Reſpondeo eſt diſcrimen

12 *Cur hæ veritates non poſſint cognoſci in medio non connexo.*

quia medium diſparatum nil de veritate, cum qua non connectitur, excitare poteſt, cum in tali medio illa veritas non ſit. Sic neque hęc per ſe nota excitatur ex comprehenſione lapidis: *Christus eſt Chriſtus*: etenim nullam mentionem eſt opus facere de vnione hypoſtatica, quantumuis comprehendatur lapis: hinc igitur in omnipotentia non connexa latebunt veritates creatæ, licèt identicæ; At in ſeipſis latere nequeunt, cum reuera ſint ſuo modo, vt patet reſpectu intellectûs noſtri.

13 Secundò à priori probatur: Si creaturæ in *eſſe* exiſtentiæ darentur neceſſariò & ab æterno Deus illas immediatè cognoſceret: ſed in *eſſe* poſſibili dantur neceſſariò & ab æterno: ergo vt ſic poterunt immediatè cognoſci. Conſequentia ſuadetur, quia res non eſt minus cognoſcibilis immediatè in *eſſe* poſſibili, quando poſſibilis eſt, ſi non ſtet per defectum viuacitatis luminis intellectus, quam in *eſſe* exiſtentiæ, quando exiſtit. Id patet in Chriſto Domino cognoſcente per ſcientiam infuſam poſſibilia in ſeipſis; idem de Angelis dicam & ratio eſt, quia in reipſa poſita potentiâ Dei, non ſolum hæc verificat in ſe propoſitionem enunciantem: *Omnipotentia exiſtit*, ſed etiam enunciantem, *Petrus eſt poſſibilis*: Ergo ſi tanta ſit vis intellectus, vt omni medio valeat penetrare quidquid reipſa conuenit poſſibilitati, & ſuo obiecto ſufficiet, vt verè ſciat rem in *eſſe* poſſibili.

Secunda probatio ex eo quod ſi ab æterno forent exiſtentes cognoſcerentur in ſeipſis.

14 Iam omiſſa minori propoſitione, quæ per ſe euidens eſt cum non minus affirmabilis ſit poſſibilitas Petri ab æterno, & neceſſario, quam nunc in tempore: Maior probatur, quæ præcipuè eſt inuiſa Dominicanis, qui non dubitarent concedere cognoſci poſſe à Deo imediatè poſſibilia in puro *eſſe* poſſibili, ſi ſemel ſcientia Dei circa aliquid creatum poſſet immediatè ſine indecentia verſari vt patet ex Ioanne à S. Thoma in præſenti diſp. 18. art. 2. verſu, vnde *ſoluitur ratio.*

Veritas creata exiſtens in ſe eſt cognoſcibilis à Deo.

15 Sed hi Authores (& hæc ſit prima probatio maioris) alicui anſam arripuiſſe videbuntur; vel certè præbuiſſe errori Commentatoris 2. Metaph. c. 51. ſcilicet quod Diuina ſcientia vileſceret ſi cognoſceret vilitatem creaturæ, quare monendi ſunt verbis S. Thomæ 1. contra gentes, cap. 70. *Quod Deus cognoſcat vilia nobilitati ſcientiæ eius non repugnat, ſed atteſtatur*; & rurſus ibi num. 4. *Vilitas cognitorum in cognoſcentem non redundat per ſe, ſed per accidens, vel ex eo quod dum vilia conſiderat à nobilioribus abſtrahitur cogitandis, vel ex eo quod ex conſideratione vilium in aliquas indebitas affectiones inclinatur, quod in Deum cadere non poteſt. Non igitur derogat Diuinæ nobilitati vilium rerum cognitio.* Huc vſque Diuus Thomas, quæ æquè pro munditia cognitionis immediatæ, ac mediatæ vrgentia ſunt, vt qui primam neget, anſam det negandi ſecundam.

Sine vilitate.

Pulchra verba S. Thomæ id probant.

16 Deinde quod ſcientia Dei non deturpetur, licèt immediatè cognoſcat illam creaturam, vlterius probatur ratione. Scientia Dei vt ſit ita immediata non eſt opus, quod ſumat ſpecies à creatura cognitâ; nam vbi intellectus eſt infinitus, & ſummè completus ſe ſolo ſibi ſufficit ſine vllo auxilio obiecti, & ſicut in *eſſe* agentis Deus non indiget paſſo, ita concipi poteſt, quod nec indigeat emendicare ſpecies ab obiecto. Item in nullo genere cauſæ paritur notitia Diuina ab obiecto, cum enim ſit primum *ens incauſatum*, cur non poterit habere hanc excellentiam? Vnde tam ſtricta lex quod cognitio fiat ab obiecto, vt nec in diuinâ poſſit diſpenſari; Quæ incauſata eſt à potentia, cur non poterit tendere in obiectum, quin ab illo cauſetur? Rurſus vilitas creaturæ non communicatur, quoad ſuum *eſſe* formale cognitioni, nam in hac non exiſtit phyſicè obiectum quoad ſuum *eſſe*, ſed altiori modo, & valdè diuerſo, nempe intentionaliter: Sicut ergo in viſione Beata datur intentionaliter *eſſe* infinitum, quin viſio amittat ſuam finitatem; ita è contra poterit obiectum finitum dari in ſcientiâ Diuinâ, quin hæc amittat ſuam infinitatem. Sic creaturæ vilitas, quæ repugnat Deo *formaliter* non tamen *eminenter*: Ergo nec *intentionaliter*. Denique Deus non abſtrahitur à cogitanda ſua eſſentia eo quod creaturam immediatè cognoſcat: Ergo nullo titulo deturpatur ſcientia Dei licèt immediatè terminetur ad creaturas, vt notauit S. Thomas ſuprà §. præcedenti.

Dices primò deturpatur, quia pendet à creatura: Reſpondeo non pendet propriè, ſed connectitur, connexio autem abſurda non eſt ex diſput. 47. 17
Dices ſecundò, connexio etiam eſt imperfecta cum exiſtentia creaturæ: ergo illam creaturam æternam non cognoſceret immediatè Deus. Reſpondeo hic ſecludo hanc imperfectionem, quæ ceſſat circa poſſibilia; ſolum autem arguo ex vi immediationis ſcientiæ Dei circa veritatem creatam. Dices tertiò ſpecificatur à ſuo obiecto immediato, vt diuerſa ſpecie ſit, quæ reſpicit hoc obiectum præ alio; indecens autem eſt aliquid Diuinum ſpecificari à creato. Reſpondeo ſi obiectio intendat ſpecificationem, vt à termino extrinſeco titulo ordinis, & connexionis cum creatutâ, ſic non indecet, nam omnipotentia ex termino creato, & per ordinem ad illum talis ſpeciei eſt, vt diuerſa ſpecie foret potentia, quæ diuerſum terminum reſpiceret.

Obiectionibus occurritur.

Confirmatur, & explicatur probatio: Si daretur aliquis intellectus, qui titulo ſuæ perfectionis haberet immediatè cognoſcere obiectum, hocque appareret ſuadibile eo ipſo quod exiſteret, quin vlla ſpecie impreſſa indigeret, vel vllo concurſu obiectiuo, ſed præcisè vi ſua reſpiceret purè tale obiectum, ex hoc reſpectu nullam potius haberet imperfectionem, quam ſi aliàs purè extrinſecè, & per accidens comparetur cum obiecto; nam quo quæſo titulo maculam aliquam tale obiectum tali intellectui appingeret, ſiquidem & poſſet eſſe ille intellectus ſine obiecto, & ab obiecto nihil perfectionis acciperet, neque vllam ſpecificationem intrinſecam, niſi puri ordinis, & connexionis, quæ imperfecta non eſt, vt patet in ſcientia Dei, quæ licèt in alio reſpiciat creaturas, connectitur tamen cum illis: Item omnipotentia immediatè illas vt poſſibiles connotat. Tum ſic, ſed intellectus Diuinus, ita prorſus ſe haberet ad illam creaturam: Ergo ſi ab æterno exiſteret cognoſceretur à Deo immediatè. 18

SECTIO III.

Concluditur probatio veræ ſententiæ.

VLtimo ſic arguo: Intellectus Diuinus tantæ viuacitatis eſt; tantaque in eo intelligendi vis vt purè poſſibilia eo ſolùm quod poſſibilia ſint, id eſt quod ſit verum poſſe illa exiſtere, omni medio ſecluſo per ſe loquendo, ſufficiens ſit, vt ſtatim immediatè, & directè attingat, ſi ſemel Deum non dedeceat cognoſcere immediatè in ſeipſa veritatem creatam, 19

creatam. At hæc immediatio non dedecet. Ergo Deus in ſeipſis immediatè cognoſcit poſſibilia:conſequentia patet, & minor ex ſectione præcedenti. Maior ſub illa hypotheſi fortè non negabitur à Dominicanis, ſed cum in ea ſola teſtet difficultas hic maximè eſt probanda.

20 Probatur Igitur maior contra Dominicanos decreta libera Dei purè poſſibilia in ſe ipſis poſſunt cognoſci à Deo, nam & habent determinatam veritatem vt ſic, & neceſſariam, quo titulo negant Dominicani futura libera in ſe ipſis cognoſci. Rurſus ſcientia Dei, hinc non extrahitur ab ſphæra increata. Idem patet ſi per impoſſibile alius Deus eſſet purè poſſibilis, qui per ſe in hac hypotheſi impoſſibili, non ignoraretur à ſcientia Diuina infinita: at non cognoſceretur in medio, quod nullum eſt. Ergo in ſeipſo. Secundò futura vt talia in ſe ipſis cognoſcuntur, nam quantumuis omne aliud ignoraret Deus, futura haberent determinatam cognoſcibilitatem iuxta Scholam ſocietatis, at non plus determinationis, & cognoſcibilitatis habet futuritio, quam poſſibilitas. Ergo ſimiliter poſſibilia Deo per ſe loquendo cognoſcibilia ſunt. Tertio negari nequit magnam commendationem eſſe virtutis intellectiuæ, ſi in ipſa ſtatim appareat omnis veritas ſicut eſt; atqui non ſolum de omnipotentia verificatur poſſibilitas rerum creatarum, ſed de ipſis rebus, quæ non ſunt; ſed poſſunt exiſtere diſtinctæ ab omnipotentia. Ergo ipſæ vt ſic diſtinctæ immediatè ab intellectu Diuino relucebunt.

22 Dices hanc perfectionis commendationem eſſe chymericam, nam non poteſt dari aſſenſus ſine motiuo aſſentiendi: Sicut nec volitio ſine motiuo amandi: Ergo ſicut nec infinita vis volendi poteſt velle niſi præeunte cognitione, quæ actu ſuadeat bonitatem obiecti, ita nec ſcientia niſi præluceat veritas ſuadibilis, fundamentumque actu in obiecto detur determinans ad aſſenſum; tale autem fundamentum non datur in ipſis creaturis vt diſtinctis ab omnipotentia, etenim creaturæ ab æterno nil potius in ſe dicunt poſſibilitatis quam impoſſibilitatis. Confirmatur vti res redditur *cognita* à cognitione, ita redditur *poſſibilis* ab omnipotentia, æquè enim vtrobique nihil intrinſecè appingitur rei, ſed per puram denominationem extrinſecam dicitur ab æterno *poſſibilis* ſicut dicitur *cognita*. Tum ſic; ſed ſcientia Dei, quantumuis infinita ſit, & res ipſa verè ſit *cognita* non repræſentabit illam ſic cognitam, niſi videat cognitionem, à qua denominatur. Ergo nec repræſentabit *poſſibilem*, niſi videat omnipotentiam. Explicatur: hi termini: *homo eſt rationalis* in ſe non magis apparent affirmabiles ab æterno intrinſecè ex vi terminorum, quam hi ex præciſis terminis: *Stellæ ſunt pares*; in ſe enim nil lucis determinationis, vel fundamenti eſt potius in vno caſu, quam in alio; at nec ſcientia infinita ex apprehenſione horum terminorum in ſe ipſis poteſt affirmare ſtellas eſſe pares, ergo nec hominem eſſe rationalem.

Acris obiectio.

23 Hæc replica eſt, quæ vrgentius impugnat noſtram ſententiam & difficultatem, vt ſcientia media terminetur immediatè ad futuritionem puram obiecti oſtendit: vndè ab omnibus noſtris Authoribus ſolui debet. Ego fateor cognitionem non poſſe eſſe ſine motiuo. Cæterum motiuum cognoſcendi nihil phyſicum exercet in cognoſcentem ſed ſolum intentionaliter, quatenus reddi poteſt à cognoſcente pro ratione ſui aſſenſus; quatenus omni alio ignorato in ipſum reſoluitur aſſenſus. Motiuum ſic acceptum neceſſarium eſt ad omnem cognitionem, nè procedat in infinitum, ſed in aliquo per ſe cognito ſiſtat. At motiuum vt ſic nullam exiſtentiam requirit, vt patet primo in Chriſto Domino, & in Angelis cognoſcentibus immediatè poſſibilia. Secundò in homine ex apprehẽſione terminorum aſſentienti principiis primis, & veritatibus Identicis. Tertio quantumuis Manichæi negabant Deo potentiam ad corpora poſſibilia, adhuc non negabant ipſi eorum ſcientiam, quæ tunc immediata foret, (ni velis dicere cum Arriaga in præſenti ea corpora poſſibilia tunc immediatè cognoſcenda in eſſentia alterius Dei, quod hæretici non ſomniarunt) Ergo quia per ſe notius eſt poſſibilia a Deo cognoſci, quam quod illa contineat, & conſequenter notius eſt Deo ſuper eſſe motiuum cognoſcendi poſſibilia, quam indigere medio diſtincto ad illa cognoſcenda.

Motiuum quomodo neceſſarium ad omnem cognitionem.

24 Sed præ omnibus vim huius ſolutionis, quod ſcilicet motiuum nil requirat phyſicè exiſtens ex parte obiecti formalis: euidentiſſimè perſuadet mihi familiaris caſus, in quo Deus conſeruaret viſionem papyri verbi gratia deſtructa adhuc papyro, vti ſtat viſio coloris in iride ſine obiectiuo colore, curuitatis in remo ſub aquis ſine obiectiua curuitate; tunc viſio illa, & aſſenſus interius intuitiuus immediatè terminaretur ad papyrum, nullum enim eſt medium, *in quo* prius cognito reluceat tunc papyrus. Sicut ergo in præſenti aſſenſus non eſt ſine motiuo, licet nil actu ex parte obiecti cogniti exiſtat, idem contingere poterit reſpectu poſſibilium, hoc ſolum ſeruato diſcrimine, quod cognitio non affirmet exiſtentiam exercitam, nè falſa ſit, ſed putam poſſibilitatem, qui modus tendendi non eſt cur potius indigeat exiſtentiâ phyſicâ ſui motiui, Cum magis proportionatus ſit non exiſtentiæ illius quam primus.

Euidentiſſima explicatio pro vera ſententia ne in obiecto motiuo requiratur exiſtentia.

25 Vnde vrgeo & probo euidenter meam ſententiam; non implicat quod intellectus Diuinus ſe ſolo habeat totam completionem, & ſufficientiam cognoſcendi reſpectu papyri poſſibilis, quam habet coniunctum ex potentia creata, & ſpecie reſpectu papyri exiſtentis, ſi aliunde in tali ſufficientia non detur imperfectio, quæ in creatis, vti non datur cum reſpectu poſſibilitatis ceſſet imperfectio deceptionis, quam patitur potentia creata reſpectu exiſtentiæ papyri. Ergo quemadmodum hæc immediatè tendit ad papyrum exiſtentem, ita Deus ad poſſibilem.

Infertur efficax probatio pro vera ſententia.

26 Ex his ad replicam in §. 22. concedo non dari aſſenſum ſine motiuo aſſentiendi, ſicut nec volitio ſine motiuo amandi: at ſicut volitio non eget aliqua exiſtentia obiecti amati, ſed ſolum quod potentia ſit completa per cognitionem ita hic intellectus Diuinus eſt ſe ſolo omnino completus æquiualens coniuncto ex intellectu & ſpecie, vt dixi num. præcedenti. Cæterum non indigebit aliqua exiſtentiâ phyſicâ obiecti *cogniti*: Si vrgeas volitio Diuina non poteſt amare creaturas propter ſeipſas immediatè. Ergo nec ſcientia eas immediate poterit cognoſcere. Reſpondeo hoc non ſic titulo, quod volitio requirat exiſtens motiuum; ſed quod voluntatem Diuinam dedeceat conſtituere in creaturis ſuum gaudium, quæ indecentia reſpectu ſcientiæ non datur, vt patet ex ſectione præcedenti. Vndè conſequentia eſt nulla, & patet ſi probares nullo modo ſciri à Deo peccatum, quia nullo modo amatur.

Diſcrimen volitionis ne amet creaturas propter ipſas.

27 Ad confirmationem in eodem §. 22. reſpondeo, licèt nunc de præſenti purè extrinſeca ſit poſſibili-

Poſſibilibus

creaturis venit denominatio poſſibilis non à ſola omnipotentia ſed ab exiſtentia, quæ poteſt eſſe, ſicut res denominatur futura ab exiſtentia, quæ erit. Notandum diſcrimen ne denominatio cogniti ſciatur in obiecto niſi vt inuoluenti cognitionem.

bus denominatio *poſſibilis*; at verè in ipſis poſſibilis eſt entitas intrinſeca, & diſtincta ab omnipo entia, ratione cuius intrinſecè ſint poſſibiles, quin talis denominatio conſtituatur ex omnipotentia. Vndè ſicut nunc de præſenti ab omnipotentia deriuatur in creaturam denominatio *poſſibilis*; ita ab exiſtentia ipſius creaturæ poſſibilis veniet nunc denominatio *poſſibilis*: Ex quo talis creatura in ſe condiſtinctè ab omnipotentia erit *ſcibilis* ſecus contingit in denominatione *cognitæ*, quam implicat dari in re, quin conſtituatur ex cognitione, vnde nunquam veniet à re ipſa: quare & implicat in re ſola, vt condiſtincta à cognitione apprehendi talis denominatio: ſicut implicat papirus videri *vt cognita* quin videatur cognitio, à qua denominatur: at etiam quando ex parte rei papyrus non datur in ſe phyſicè poteſt adhuc videri in ſe ipſa immediatè condiſtinctè à quolibet alio viſo, vt dixi §.24.

28 Ad explicationem replicæ in eodem numero 22. fateor ex vi illius, quod actu datur condiſtinctè ab omnipotentia nihil eſſe; cur hi termini: *homo eſt rationalis*, ſint affirmabiles, vt poſſibiles: at hæc vis eſt intellectus Diuini, vt poſſint ipſi apparere poſſibiles ſine aliquo realiter exiſtenti ex parte obiecti, vt etiam poſſunt hi: *ſtellæ ſunt pares: papyrus exiſtit*; quantumuis ex parte obiecti nihil phyſicè exiſtat. Intellectui tamen Diuino præ creato potius apparent illi termini, quam iſti; quia primi affirmantur verè, non ſecundi.

SECTIO IV.

Reſpondetur argumentis pro ſententia negante.

29 AVthoritatem Dioniſij intelligo, vt ſcientia Dei de creaturis non ſit *alia* ex parte obiecti à notitia de ſeipſo; neque ita propriè occupetur in creaturis, vt ab ipſis ſpeciem intrinſecam deſumat, & ideo ſcientia Dei *non tam eſt ſcientia rerum, quam ſui ipſius*, quia ſcilicet non habetur à rebus, ſed à ſeipſo. Quo pacto etiam accipio Sanctum Thomam. Quando ait creaturas non videri à Deo in ſeipſis ſcilicet *influentibus*. Vrget Ioannes à Sancto Thoma, diſp. 18. art. 2. §. *Denique tertia ſolutio*: Eo ipſo quod creatura ſit obiectum formale immediatum iam eſt *influxiua formaliter, & per ſpecificationem*, hoc autem eſt influere in fluxu aliquo, ſcilicet *formali, & ſpecificatiuo extrinſeco*, verba ſunt ipſius ſed pura verba: nam eſſe ſic creaturam influxiuam, verè nihil intrinſecè, nec actiuè dat cognitioni Diuinæ, vltra hoc autem *ſpecificatio* à termino creato abſurda non eſt vt dixi num. 17. fine.

30 *Diſcrimen inter hanc ſcientiam & ſcientiam de Deo in creaturis cognitis in ipſo.*

Ad primum fundamentum Reſpondeo hæc ſcientia non eſt ſuperflua, nam non ſolum ſpectat ad infinitatem ſcientiæ cognoſcere omnia, ſed omnibus modis, etiam ſi noua veritas non appareat: Sic cognoſcit creaturas in ſe ipſo, vt in *cauſa, verbo, idea*, eſt autem diſcrimen ne regrediatur, vt iterum ſe cognoſcat in creaturis cognitis in ſeipſo, tum quia ſic nec nouam veritatem, nec nouo modo cognoſcit Deus; ſed omninò actum ageret; tum etiam quia cognitio circa creaturas (de qua modo) non præſupponit per ſe ipſas creaturas vt prius cognitas, ſiquidem æquè primo hæ ſciuntur in ſe ipſis, ac in eſſentia Diuina, at verò ea regreſſio, iam per ſe ſupponit Deum cognitum, vt cauſam iuxta dicta diſput. 39. numero vltimo. Denique ſuperflua non eſt hęc ſcientia, quia ratione ipſius aperitur mirabile acumen ſcientiæ Dei, quæ ſine vllo medio poſſibilitatem in ſeipſa immediatè, licèt nihil ſit, valet attingere. Vnde ad confirmationem totum concedo: Deus videt calorem in ſua omnipotentia, in ſole, in igne, in ipſo calore immediatè; ſub hac hypotheſi, combinatione, & cætera.

Secundò in §. 5. inſtatur manifeſtè, quantumuis creaturæ cognoſcantur mediatè in omnipotentia perfectior cognitio eſt cæteris paribus, perfectiuſque comprehendit aliquam cauſam, quæ in illa videt perfectiones effectus. Ergo perfectior erit cognitio Diuina de Angelo verbi gratia quam de homine, cum in cæteris par ſit claritate, certitudine, &c. Et aliunde prima cognitio creſcat quoad perfectionem virtutis cognitæ. Ergo ſicut æqualitas perfectionis ſumitur hic ex ſubiecto, vel ex identitate cum cognitione perfectiſſima, vt nihili ducenda ſit æqualitas per conſiderationem noſtram, & ordinationem ad obiectum, ita ſimiliter dicendum eſt in noſtro caſu. Ex quo etiam patet ad confirmationem, inæqualitas præſciſiua, & in vna linea per conſiderationem noſtram, dum in ea imbibat ſcientia Diuina omnem perfectionem ſibi poſſibilem, abſurda non eſt. Deinde perfectiones Dei eſſe æquales dixi diſputatione 18. ſect. 4. 31

Inſtatur obiectio ex §. 5.

Ad tertium in §. 6. dico eandem formaliſſimè ſcientiam Diuinam de poſſibilibus in omnipotentia, extendi etiam vt poſſibilia in ipſis cognoſcat: vnde de creaturis ſimul eſt *immediata*, & *mediata*, in quo nihil contradictionis inuenitur, vt cadere nequeat ſub cognitionem eandem; ſic in creatis cum eadem cognitio poſſit plura obiecta formalia reſpicere non implicat, quæ ſimul repræſentet cauſam in ſe ipſa, & etiam immediatè in ſeipſo effectum. Ex hoc autem cur repugnabit, quod ita penetret cauſam, vt in ipſa aperiat effectum, quantumuis alias directè & immediatè eundem ſimul repræſentet. Vnde hæc *immediata* cognitio non eſt accipienda *negatiuè immediata*, vt abſolutè medium excludat, ſed *poſitiuè* vt verè pro obiecto formali habeat ipſum effectum; quidquid ſit, cognoſcatur ne iſte etiam per medium, ſicut contingit cum video Petrum ſimul in ſe, & in imagine, vel ſpeculo. Tum ſic quidquid cadere poteſt in vnam cognitionem creatam cadere poteſt in Diuinam etiam formaliter & ratione noſtra vnam ergo, &c. 32

Scientia Dei de creaturis in ſeipſo, & in ſeipſis non diſtinguuntur ratione.

Eadem cognitio creata poteſt tangere obiectum immediatè, & mediatè.

Dices illa cognitio formaliſſimè etiam vt tendit ad creaturas talis eſt, vt primo & principalius cognoſcat eſſentiam Diuinam prout connexam cum illis, eſſentiaque ſit ratio cur creaturæ cognoſcantur, ergo ſub qualibet conſideratione creaturæ cognoſcuntur in eſſentia indirectè, & vt obiectum materiale, qua enim alia ratione dicimus Deum per aliquam cognitionem cognoſcere creaturas vt obiectum materiale? Ergo ſi Deus nullam de creatura poſſibili cognitionem habet, quæ non ſic illam attingat, nullam habebit, quæ creaturam poſſibilem directè, & in ſeipſa cognoſcat. Reſpondeo nego hanc ſecundam conſequentiam, nam ex enthymemate poſito ſolum infertur creaturam ſemper eſſe obiectum materiale, & indirectum; at cum hoc ſtat eſſe ſimul immediatum & directum, vt dixi numero præcedenti. Sic eadem cognitio iuxta Scholam ſocietatis communiter 33

ter admittitur fidei, & ſcientiæ; intuitiua, & abſtractiua. Vbi eadem veritas in ſe immediatè cognoſcitur, & rurſus in medio, ſeu reuelatione.

34 *An ſcientia iſta diſtinguantur? communis eſt omnibus difficultas de qua diſp. ſeq.*

Vtrùm autem poſſit ſine abſurdo admitti minor oppoſita in illo argumento §. 6. diſtinguaturne per rationem noſtrã ſcientia Diuina, vt eſt immediata circa creaturas à ſeipſa vt mediatè eas cognoſcit in Deo conſtabit diſputatione ſequenti, modo ſtet non eſſe vrgentius fundamentum, vt diſtinguantur hæ ſcientiæ, quam vt diſtinguatur ſcientia Diuina de homine in omnipotentia, a ſcientia de Angelo in eadem omnipotentia, ſiquidem à nobis concipi poteſt ſcientia Dei relatè ad vnum connotatum, & non relatè ad aliud.

35 *Quod ſit determinatiuum huius ſcientia?*

Ad quartũ in §. 9. reſpondeo eſſentiam determinare per modum ſpeciei de creaturis immediatæ, licèt enim non ſit formaliter ſpecies impreſſa de creaturis; at eminentialiter ratione continet hoc munus, vt ſeipſo Deus præſtet quidquid poteſt mediis cauſis ſecundis. Aliqui hanc determinationem obiectiuam ſic explicant, vt quia Deus eminenter continet creaturas, contineat etiam vim concurrendi obiectiuè ad cognitionem immediatam creaturarum, nam cum ipſe effectus hanc virtutem habeat determinandi obiectiuè ad cognitionem immediatam ſui, cauſa continens omnes perfectiones effectus continebit etiam hanc virtutem. Hæc tamen explicatio non placet, nemo enim dicet quod ignis poſſit concurrere obiectiuè ad cognitionem immediatam de calore, licèt ſic poſſit concurrere obiectiuè ipſe calor, qui eſt effectus ignis. Igitur Deus hoc munus habet quatenus præcontinet non ſolum creaturas, verbi gratia, Angelum, ſed etiam ſpeciem immediatam de illo. Vnde ſe ſolo præſtare poteſt, quod præſtaret, & efficeret talis ſpecies impreſſa de Angelo, eſſentiaque Diuina erit ita completa, vt nullo alieno determinatiuo, neque ex parte obiecti indigeat ad creaturas immediatè exprimendas, quia ſe ſola continet quidquid virtutis, & complerionis eſt in noſtro intellectu informato per ſpeciem impreſſam.

DISPVTATIO XLV.

Vtrùm detur in Deo multiplex ſcientia vbi de diuiſione in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, viſionis, & mediam?

SECTIO I. *Ratio dubitandi proponitur, & aliorum ſententiæ.*

SECTIO II. *Statuitur regula admittendi ſcientias, ſeu actus diuinos, aliaſque Dei perfectiones ratione diſtinctas.*

SECTIO III. *Vera ſententia: explicatur multiplicitas ſcientiæ Dei, ratioque dubitandi in ſectione prima diſſoluitur.*

SECTIO IV. *Prima ſententia reijcitur: & explicatur, cur repugnent in Deo, etiam per rationem duæ cognitiones & actus ſolo numero diſtincti.*

SECTIO V. *Reijcitur ſecunda ſententia: & explicatur differentia ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, viſionis, & mediæ.*

SECTIO VI. *Vtrum obiecta ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, viſionis, & mediæ differant.*

VTi non quæcumque prædicata ſunt ponenda in Deo, quantumuis quis addat poni *ratione noſtra*, vt notaui diſput. 15. ſect. 10. & diſput. 35. ſect. 1. neque enim Deus eſt *corpus* ratione noſtra, *peccator, iniuſtus*, &c. ita neque ratione noſtra admittenda eſt quæuis diſtinctio in Diuinis perfectionibus; quando ex tali diſtinctione aliqua imperfectione fœdantur perfectiones ipſæ. Sic contingit præcipuè in actibus ſcientiæ, ſi diſtincti ratione noſtra ab aliis admittantur vt dicam §. 1. In aliis etiam perfectionibus, & attributis hoc idem contingere poteſt vt notaui diſput. 16. quare non ſine magna vtilitate exponetur difficultas iſta, vt licentia ponendi quamuis diſtinctionem, vel prædicata Dei ratione noſtra comprimatur, coarctetur que & dirigatur regula, quam dabo ſect. 2.

Occaſione diſtinctionis huius exponenda etiam breuiter eſt diuiſio, (quæ longas excitauit controuerſias inter Patres Dominicanos, & noſtros) ſcientiæ Dei in ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, ſit-ne adæquata ſtrictè, & in rigore loquendo, vel debeat ſcientia contingentium condionatorum, tertium membrum huius diuiſionis conſtituere, quod medium ſit inter vtrumque vnde præter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis oporteat *ſcientiam mediam* aſſignare, cui laus etiam ex nomine ſit dum aliquid ex perfectione vtriuſque extremi participat.

SECTIO I.

Ratio dubitandi proponitur, & aliorum ſententiæ.

1 NOn ago de multiplicitate, ſeu diſtinctione reali, vel virtuali intrinſeca; ſed ſolum per rationem noſtram. Vtrum ſcilicet ſcientia Dei ita ſit ſimplex, vt nec per intellectum noſtrum diuiſibilis ſit; etenim nec ſic per rationem noſtram quælibet diſtinctio permittenda in Deo, aliàs poſſet dari in Deo ratione noſtra actus indifferens in indiuiduo. Item ſcientia *confuſa, præciſiua*, & quæ plura ignoraret, vel ſaltem dubitaret, verbi gratia, ſi in Deo daretur ratione noſtra ſcientia de *animali* diſtincta à ſcientia de *rationali*, talis ſcientia vt ſic formaliter *confuſa foret præciſiua*, ignorans differentias, apprehenſiua, vel dubitatiua cuius imperfectioni non ſatis medebitur per identitatem, cum ſcientia clara & comprehenſiua; tum quia potentia Dei vt condiſtincta ab omni alio etiam per rationem debet continere omnem perfectionem *potentiæ*, immenſitas omnem perfectionem *immenſitatis*, quin ratione noſtra dentur immenſitates plures: Ergo ſimiliter ſcientia imbibet formaliter omnem perfectionem ſcientiæ; tum etiam quia imperfectio actus indifferentis in indiuiduo, non tollitur per identitatem realem cum actu perfectiſſimo charitatis: Ergo ſimiliter dicendum de imperfectione ſcientiæ præciſiuæ.

Ratio dubitandi.

In ſcientia Dei non eſt permittenda quælibet diſtinctio etiam per rationem.

2 Aliunde cum poſſimus concipere ſcientiam Dei in ordine ad aliquod obiectum,& non in ordine ad aliud, per connotationem, & ſimilitudinem ad noſtras cognitiones realiter diſtinctas; ſicut ob hoc fundamentum diſtinguimus ratione noſtra intellectionem Diuinam à volitione, ita & ſcientiam Diuinam de creaturis, à ſcientia qua Deus ſeipſum cognoſcit, ſcientiam de *animali* à ſcientia de *rationali*, &c. Etenim cum ego video hominem à longè venientem, ſicut non poſſum reddere rationem de rationali, ſed de animali, ita non poſſum reddere rationem de ſcientia Dei, verſetur nè circà rationale, licèt cognoſcam dari in Deo ſcientiam de animali. Ergo quemadmodum diſtinguo per intellectum *animal* à *rationali*, ita & ſcientiam Diuinam de animali à ſcientia de rationali.

3 *Scientia Dei ſimpliciſſima etiam ratione noſtra affirmatur à* S. Thom. Alarcon. Scoto. Suarez.

Hinc prima ſententia ſimpliciſſimam ſtatuit ſcientiam Dei etiam ratione noſtra ita Alarcon diſput. 1. de ſcientia num. 3. Vbi citat ſanctum Thomam, Scotum, Suarium, & alios videturque communis opinio, quæ ideò ponit eſſentiam Dei eſſe adæquatum obiectum formale eſſentiæ Diuinæ, vt nec ratione noſtra pro diuerſitate obiecti formalis ſcientiæ plurificetur. Confirmatur quia ſcientia Dei de ſe ipſo formaliter, & ratione noſtra eſt *infinita*, ergo formaliter imbibit omnem perfectionem in ratione ſcientiæ, quin ei ſuperaddi poſſit, nec per intellectum noſtrum noua perfectio ſcientiæ. Conſequentia probatur, tum quia infinita perfectio in linea, in qua eſt infinita, non admittit augmentum: Tum etiam à paritate ſcientiæ ſolo numero diſtinctæ, quæ in Deo nec per intellectum noſtrum admittenda eſt, quaſi Deus iterato dicat: *Petrus eſt homo: Petrus eſt homo*: vt contingit in nobis.

4 *Negatur à* Durand. Ruiz. Tannero. Martinon.

Secunda ſententia admittit ſcientias ratione diſtinctas ita Durandus 1. diſtinct. 35. quæſt. 4. Ruiz in præſenti diſputatione 2. ſectione 4. num. 17. Tamerus quæſt. 18. dub. 9. Martinon diſput. 12. ſect. 3. Arriaga diſtinct. 18. ſect. 2. Videturque ſententia communis, tum ex communi diuiſione ſcientiæ Dei art. 8. S. Thom. in ſcientiam, quæ eſt *cauſa rerum*, & quæ *non eſt cauſa*, cui conſonat diuiſio in *practicam*, & *ſpeculatiuam*; tum etiam id maximè conſtat in ſcientiis, quæ ſunt ſeparabiles, ſcilicet neceſſaria, & libera, ſeu ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, ſub qua comprehenditur ſcientia *media*, de qua diuiſione agit ſanctus Thomas art. 5. vnde Martinon diſput. 14. ſect. 3. Octies diuidit ſcientiam Dei, vel ratione obiecti, vel ratione multiplicis modi tendendi, ratione cuius per conceptus inadæquatos concipi poteſt.

SECTIO II.

Statuitur regula admittendi, ſcientias ſeu actus Diuinos, aliaſque Dei perfectiones ratione diſtinctas.

5 *Regula diſtinguendi ſcientias Dei.*

HÆc mihi verior videtur, vt ea cognitio diſtincta per rationem admittatur (idem eſt de aliis actibus, & perfectionibus Diuinis) quæ in ſua linea imperfectionem poſitiuam non includente, omnem perfectionem poſſibilem intrà talem lineam includit. Quamuis autem à nobis concipiatur, vt habens vnam perfectionem, quin apprehendatur, vt habens aliam, non ideò cognitio ipſa Diuina plurificatur, & diſtinguitur ratione noſtrâ, ſed nos pluribus cognitionibus eandem, etiam formaliſſimè, cognitionem Diuinam cognoſcimus.

Explicatur, & probatur hæc regula: cognitio Diuina, nec ratione noſtra, eſt in lineâ *accidentis*, quia accidens quantumuis omnem perfectionem ſibi poſſibilem includat; poſitiuam adhuc imperfectionem dicit, eſt tamen in linea *cognitionis*, in qua dum omnem perfectionem poſſibilem intrà lineam cognoſcendi imbibit infinitè perfecta concipitur etiam ratione noſtra diſtincta à volitione, quia quamuis eſſe ſimul cognitionem & amorem augeat perfectionem cognitionis; non tamen auget in linea cognitionis formaliter ſed in linea *entis infiniti*. Rurſus hinc ſi cognitio Diuina apprehendatur vt cognitio de animali ſatis perfectionis cenſebitur habere ratione noſtrâ ſi intra lineam cognitionis de animali nil perfectionis ipſi deſit, ex quo talis cognitio Diuina, nec ratione noſtra diſtinguatur à cognitione de differentiis animalis, alias careret perfectione aliqua in genere cognitionis de animali; pertinet nâque ad cognitionē quidditatiuam de animali omnes eius differentias penetrare; poterit tamen ſatis perfectè concipi, vt *diuina*, licet apprehendatur diſtincta à cognitione de Angelo, quia hæc perfectio eſt extra lineam cognitionis de animali. 6 *Probatur.*

Denique conſequenter aduerto iuxta variam acceptionem poſſe perfectiones diuinas diſtingui ratione noſtra, ſecundum ſcilicet quod in variis lineis apprehenduntur; ſic potentia productiua hominis quamuis in linea *potentiæ de homine* ſolum petat producere omnes differentias hominis, & non Angeli, in linea tamen *potentiæ vt ſic* curta apprehenderetur *potentia* Dei, ſi ſolum foret potentia ad hominem, & non ad Angelum; vnde quantumuis liceat dicere ratione noſtra diſtingui potentiam ad hominem, & potentiam ad Angelum; non verò quod ſimpliciter ſint plures potentiæ ratione diſtinctæ; Solum enim eſt vna ſimpliciſſima ad omnia producenda ſe extendens, licet quaſi componatur ratione noſtra ex pluribus formalitatibus partialiter conſtituentibus vnam omnipotentiam. 7 *Perfectio dicitur vel negatur ratione diſtincta prout concipitur in vno genere, vel in alio.* *In Deo nec ratione noſtra ſunt plures omnipotentiæ ſed plures formalitates vnius potentiæ.*

SECTIO III.

Vera ſententia: explicatur multiplicitas ſcientiæ Dei, ratioque dubitandi in ſectione prima diſſoluitur.

EX dictis abſolutè loquendo non ſunt ponendæ in Deo plures ſcientiæ, ſed vna perfectiſſima, & infinita quæ omnia & omnibus modis cognoſcat; ita vt quamuis poſſimus apprehendere ſcientiam Dei, vt reſpicientem hoc obiectum, & non aliud, non ideo plurificemus ſcientiam Diuinam, nec per rationem noſtram vel dicamus dari in Deo ſcientias diſtinctas formaliter, & per rationem, quia hæc varietas conceptuum noſtra eſt & non Dei, nos enim quod in Deo eſt formaliſſimè ſimplex per noſtram imperfectionem ſimplici cogitatione non repræſentamus; ſcimus tamen per noſtras omnes cogitationes, & conceptus vnam tantum ſcientiam Diuinam, quaſi ex pluribus formalitatibus coaleſcere. Vnde quamuis liceat dicere diſtingui ratione noſtra Diuinam ſcientiam, vt de 8 *Ita & de ſcientia.*

homine

homine à ſcientia de Angelo; at in eſſe ſcientiæ ſimpliciter nec per rationem datur pluritas ſcientiarum.

9 Hinc ad rationem dubitandi num. 1. & 2. reſpondeo non ſufficit ad diſtinguendos Diuinos actus (idem proportionatè de aliis perfectionibus Diuinis) poſſe vtcunque à nobis concipi vnum ſine alio vel per ſimilitudinem, & ſpeciem noſtrorum actuum diſtinctorum. Quamuis enim dentur ex hoc ratione plures formalitates eiuſdem actûs, non tamen nec per rationem dicentur plures ſcientiæ. Sicut in viſione materiali albedinis, verbi gratia, poſſumus concipere eſſe *viſionem coloris*, quin percipiamus *eſſe viſionem talis coloris* (quando ſcilicet color diſtat à me attendente hominem proximè inſpicientem eundem colorem) Cæterum non ideò datur duplex viſio materialis alia coloris vt ſic, alia talis coloris ni velis dicere viſum corporeum præſcindere, ſed vna & ſimpliciſſima eſt viſio, etiam per rationem coaleſcens tamen ex duplici formalitate, nempe generica *viſionis* de colore vt ſic, & differentiali de tali colore. Sic cum certum ſit iuxta omnium opinionem poſſe à nobis concipi Deum, vt cognoſcentem hominem, & non Angelum, imò iuxta Scotum ſcientia Dei per quam procedit Verbum apprehenditur vt attingens eſſentiam, & non attributa, cum inquam hoc certum ſit plures ſcientiæ imperfectæ & diſtinctæ darentur in Deo ratione noſtra iuxta omnes. Igitur vlterius requiritur, vt ſcientia Diuina diſtinguatur, quod in ſua linea omnem perfectionem poſſibilem includat, vt explicui ſect. præced.

Non ſufficit ad diſtinguendos ratione actus diuinos connotare noſtros realiter diſtinctos.

10 Quapropter in Deo eo quod poſſimus concipere ſcientiam de animali, quia concipiamus eſſe ſcientiam de rationali, diſtinguetur quidem formalitas ſcientiæ de animali tanquam ratio generica, non tamen faceret ſcientiam Diuinam *diſtinctam*, nec per rationem ſicut quod poſſit cognoſci in homine *animal* ſine *rationali*, multiplicat quidem formalitates eiuſdem hominis, non verò multiplicat homines vt dicamus, verbi gratia, Petrum eſſe *duos homines* ratione noſtrâ. Dixi nec per *rationem noſtram* eſſe diſtinctam ſcientiam Diuinam, quia nondum habet omnem perfectionem in ſua linea, *diuinam* inquam; nam ſi præſcindat à Diuina benè poterit multiplicari ratione noſtrâ, cùm per illam formalitatem ſcientiæ de animali ſimilis ſit cognitio Diuina noſtræ cognitioni confuſæ de animali, ſic in viſione albedinis, non datur nec ratione noſtra duplex *viſio vt corporea*, ſi tamen apprehendatur ſub nomine *cognitionis vt ſic* benè poteſt dici, quod detur duplex cognitio ratione noſtrâ.

In ſcientia Dei de homine ratione diſtinguuntur formalitates vt eſt de animali, vt in eſt de rationali, ſed non ſunt duæ ſcientiæ.

11 Ar neque iſta confuſio eſt cognitionis Diuinæ, ſed noſtræ non valentis Diuinam claram ſicut eſt cognoſcere; confuſio namque dicit negationem claritatis; ſicut viſio albedinis non eſt confuſa, nec præciſiua, quia in ſe realiter claritatem habet. Nos præſcindimus ſcientiam Diuinam de animali, à ſcientia de rationali, ipſa verò ſcientia Diuina non præſcindit, ideò nec ratione noſtra datur in Deo actus indifferens in indiuiduo, quia hæc indifferentia dicit poſitiuum ordinem, vt non ſolum amet bonum indifferens, ſed illud amet ſiſtendo in illo & propter ipſum; vbi enim amatur bonum indifferens propter Deum actus eſt honeſtus in indiuiduo.

Excluditur omnis confuſio etiam ratione noſtra à ſcientia Dei, licèt confusè à nobis concipiatur. Actus indifferens in indiuiduo non detur in Deo nec ratione noſtra.

12 Ideò etiam ſcientia Diuina non eſt ignorans, dubitatiua, apprehenſiua, &c. quia hæ imperfectiones dicunt, quaſi poſitiuam tendentiam ex parte obiecti, quæ excludat perfectionem ſcientiæ aſſenſûs, iudicij, &c. Cum quibus vbi identitas datur, poterit quidem dici per rationem noſtram, quod nondum concipiatur ſcientia Dei *noſcens* Angelum, verbi gratia, non vero *ignorans*; ſicut materialis viſio albedinis ſæpè concipitur circa colorem, quin concipiatur diſcernens albedinem, ſed non ideò *ignorat* albedinem ratione noſtra; nec vllus dixit actum iudicij eſſe apprehenſionem ratione noſtra. Iam ſi formaliter loquamur ſcientia Dei vt eſt in linea *ſcientiæ Diuinæ*, etiam per rationem noſtram omnia, & omnibus modis cognoſcit: in linea tamen cognitionis Diuinæ *vt de homine*, nihil cognoſcit niſi quod ad hominem comprehendendum ſpectat.

Nos præſcindimus ſcientiam Dei, ipſa verò non ratione noſtra præſcindit.

SECTIO IV.

Reijcitur prima ſententia, & explicatur cur repugnent in Deo etiam per rationem duæ cognitiones, & actus ſolo numero diſtincti?

Conſtat ex dictis, quamuis non ſit admittenda ſimpliciter in *eſſe* ſcientiæ pluralitas in Deo nec per rationem noſtram; at cum addito *ſcientiam vt de homine* bene poſſe ex parte modi noſtri concipiendi diſtingui à ſcientia de Angelo: ſic communiter, quamuis etiam per rationem vocemus *vnum attributum* in eo tamen diſtinguimus varios modos, quo pacto ſolet dici in materia de viſione beatum de facto videre omnia attributa, ſed non omnes modos attributorum. 13

14 At difficultas eſt cur non poſſint inuehiri ratione noſtra in Deo duo modi ſcientiæ, ſeu duæ cognitiones ſolo numero diſtinctæ; non quidem circa duo obiecta numerica, ſic enim facilè poteſt in Deo diſtingui cognitio de Petro à cognitione de Paulo; ſed circa idem prorſus obiectum, vt iterato dicat ratione noſtrâ per duas cognitiones diſtinctas omninò ſimiles *Petrus eſt homo: Petrus eſt homo.* Sicut nos dicere ſolemus: Etenim vnus actus Diuinus duobus noſtris numericè diſtinctis æquiualet: Ergo ſicut ideò per rationem eſt multiplex in ſpecie: vt ſcientia Diuina de Angelo, & de homine virtualiter ſit duplex ſpecie hic erit duplex numero.

Ratio dubitandi vt admittantur in Deo duæ cognitiones omnino ſolo numero diſtinctæ.

15 Ex quo argui poteſt: diſtinctio numerica ratione noſtra in Deo non repugnat per connotationem ad noſtros actus omninò ſimiles. Nam verbi gratia, ſcientia Dei de meâ cognitione A. verſante circa Petrum, diſtinguitur à ſcientia de mea cognitione B. circa eundem Petrum, quid enim minoris fundamenti eſt ad diſtinctionem rationis per connotationem ad diſtincta indiuidua hominum, quam ad diſtincta indiuidua mearum cognitionum: Ergo ſimiliter poterit eadem ſcientia Dei circa Petrum diuidi in duas ratione noſtrâ, quatenus, concipitur æquiualens meæ cognitioni A. & meæ cognitioni B. Confirmatur ſi Deus cognoſceret per actus realiter diſtinctos poſſibilis eſſet vna cognitio ſolo numero diſtincta ab alia. Nam quo minor eſt diſtinctio perfectionum aptius inuenitur in Deo. Minor autem diſtinctio eſt purè numerica, quam ſpecifica: Ergo de facto admittenda eſt talis diſtinctio per rationem. Conſequentia probatur, nam illæ cognitiones per rationem diſtinguuntur in Deo, quæ realiter diſtingue

diſtinguerentur, ſi aliàs Deus permitteret diſtinctionem realem.

Heſterna ab hodierna poteſt aliqua ratione diſtingui.

Non reputo abſurdum ſiquis dicat ratione noſtra imperfecta diſtingui ſcientiam heſternam de Petro à ſcientia hodierna de eodem, nam per ordinem ad diuerſa inſtantia, iam datur aliquale fundamentum vt poſſimus actus diuinos per rationem diuidere, ſicut & noſtros realiter diuidimus, verius tamen dicentur durationes diuinæ eiuſdem actûs diuidi in hoc caſu, ſi tamen loquamur de ſcientia Diuina cum omninò eiſdem circumſtantiis, modo tendendi, obiecto &c. Nullatenus admittenda eſt diſtinctio, ſic que repugnat dari inter Diuinos actus & perfectiones diſtinctionem purè numericam etiam per rationem.

Diſtinctio pure numerica implicat inter diuinas perfectiones etiam per rationem noſtram.

17 *Probatur.*

Ratio eſt quia diſtinctio rationis, non poteſt ſine aliqua diſſimilitudine, vel connotatione diuerſa fundari, qua res eadem fundamentum det, vt potius concipiatur relata ad vnum connotatum, quam ad aliud, ſicut enim ratio noſtra plures res licet realiter diſtinctas, dum ſunt omnino ſimiles per modum vniûs concipit, verbi gratia quando facit vniuerſale, ita è contra, vt vnam rem diſtinguat, concipiatque per modum plurium debet aliquam diſſimilitudinem connotare. Hinc eandem rem numero nemo in duas numero per rationem diſtinxit, vt dicat Petrum duos eſſe homines per rationem, eandem cognitionem creatam eſſe duas numero diſtinctas, quamuis talem cognitionem poſſit in duas ſpecie diſtinguere connotando aliquam diſſimilitudinem. Ergo à fortiori nemo poterit diuinam cognitionem in duas omninò ſimiles, ſolo numero & indiuidualiter diſtinctas diuidere. Aliàs etiam dici poſſet eandem cognitionem Diuinam ratione noſtra eſſe multiplicem in infinitum, quaſi infinities repetat: *Petrus eſt homo.*

Cur poſſit per rationem dari diſtinctio ſpecifica & non numerica?

18 *Cur Idem realiter non æquiualeat pluribus ſolo numero realiter diſtinctis, bene pluribus ſpecie?*

Hinc ad rationem dubitandi in §. 15. Reſpondeo eundem actum Diuinum non æquiualere duobus creatis ſolo numero diſtinctis licèt æquiualeat duobus ſpecie. Diſcrimen eſt quia æquiualentia, in ſpecie ſolum ſumitur, quoad perfectionem poſitiuam tendentiæ in duo obiecta verbi gratia non verò quoad negationem, quatenus *vna non eſt alia* quæ æquiualentia non poteſt dari in eadem re, pugnat enim formaliſſime cum identitate, quod vnum non ſit aliud. Iam verò quando plures cognitiones ſolo numero differunt, tota diſtinctio numerica conſiſtit in eo quod *vna non ſit alia*, etenim tunc diſtinguuntur duo ſolo numero, quando præcisè differunt penes *hoc non eſt illud*, nam ſic nihil habent diuerſitatis, niſi præcisè *diſtingui*, quod eſt proprium diſtinctionis puræ numericæ. Alia enim diuerſitas maior ſupra numericam eſt, cui præciſa diſtinctio ſufficit. Ergo eadem res nequit æquiualere diſtinctis numero tantum: alias identitas æquiualeret diſtinctioni, & vnum contradictorium alteri formali contradictorio, quod formaliſſimè implicat, æquiualeret inquam quoad diſtingui formaliter contra diſp. 15. ſect. 20.

19 Argumento in §. 16. Reſpondeo quando diſtinctio eſt maior, quam penes *hoc non eſt illud* (quia ſcilicet formaliter aliquid plus dicit ſicut illæ cognitiones, quarum diſtinctio ideo numerica eſt, quia tandem radicatur *in hoc non eſt illud.*) Iam ad illam diſtinctionem rationis datur aliquod fundamentum in re, & aliqua connotata diuerſa. Et ita contingit in inſtantiis adductis. Ad confirmationem vero in illa hypotheſi adhuc non eſſet multiplicanda cognitio ſolo numero diſtincta, quia licet huiuſmodi diſtinctio minus officiat ſimplicitati; at valde nocet perfectioni carendi omni ſuperfluo, tunc autem illa repetitio cognitionis nullius foret vtilitatis ſed omnino ridicula. Præterquamquod non ſufficit diſtinctioni rationis quæuis diſtinctio realis connotata ex §. præced.

SECTIO V.

Reiicitur ſecunda ſententia, & explicatur differentia ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, viſionis & mediæ.

SEcunda ſententia ſolum probat diſtinctionem ſcientiæ ſub aliqua limitatione, & linea ſpeciali; ſic iam eſt *practica*, iam *ſpeculatiua*: at ſi loquamur in *eſſe ſcientiæ ſimpliciter* reiicienda eſt multiplex ſcientia in Deo, & ponenda vna ſimpliciſſima quæ indiuiſibiliter etiam per rationem ſit ſimul ſcientia *practica*, & *ſpeculatiua*, *ſimplicis intelligentiæ*, & *viſionis*, huius obiecti, vel illius, &c. Vt conſtabit ſect. 2. 20 *Vide infra quæſt. 14. artic. 13. dub 14.* *Scientia diuina in eſſe ſcientiæ ſimpliciſſima eſt abſolute loquendo.*

21 Ratio huius ſimplicitatis eſt, quia ſcientia vt infinita ſit, & Diuina in linea ſcientiæ debet per ſe talis eſſe vt repræſentet omnem veritatem, eo ipſo quod veritas ſit, licet quando non ſit eam non repræſentet: quemadmodum licet immenſitas per ſe non habeat ſemper actu conſtituere Deum in hoc loco reali mundi verbi gratia, conſtituit tamen in mundo eo ipſo, quod mundus exiſtat, quin ſuperaddatur noua immenſitas Ergo ſimiliter ſcientia infinita repræſentabit exiſtentiam mundi, quin ſuperaddatur noua ſcientia in eſſe *ſcientiæ ſimpliciter*, licet addatur in linea ſcientiæ viſionis, iuxta ſectionem tertiam.

22 *Scientia ſimplicis intelligentiæ.*

Vt melius hæc intelligantur explicanda eſt communis diuiſio in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, de qua S. Thomas in præſenti art. 5. ad finem corporis, (quæ diuiſio ſolum in ſua linea ſcientias diſtinguit, non abſolutè vt dixi) nomine ſcientiæ *ſimplicis intelligentiæ* accipitur ſcientia Dei prout verſatur circa quidditates, & eſſentias rerum, ſiue exiſtant, ſiue non: quare ſimpliciter vocatur *ſcientia neceſſaria*, tam ex parte obiecti, quam ex parte ſubiecti, quod neceſſario exiſtit, quin ab vlla Dei volitione dependeat. Scientia *viſionis* eſt, quæ reſpicit obiectum, vt *exiſtens abſolutè* pro aliqua differentia temporis, purè autem *viſionis* vocatur quando reſpicit exiſtentiam contingentem; nam quando exiſtentia eſt omninò neceſſaria vt Diuina, talis exiſtentia eſt de quidditate rei, quare melius ad ſcientiam omninò neceſſariam de quidditatibus rerum pertinebit, & ideò ſcientia *viſionis* propriè non eſt de prædicatis neceſſariis Dei, diciturque *omninò* libera tam ex parte obiecti, quam ſubiecti; quia nihil contingens exiſtit abſolutè niſi Deo volente directè, vel indirectè. *Viſionis.* *Non eſt talis pure vt verſatur circa Deum.*

23 *Media inter vtramque.*

Alia ſcientia eſt, quæ reſpicit obiectum contingens quidem, *ſi Petrus vocetur conſentiet*: ideò propriè non eſt ſimplicis intelligentiæ, potuit enim idem obiectum non eſſe; aliunde nil ponit actu in *eſſe* pro vlla differentia temporis, cum procedat conditionatè, ideò non eſt propriè, & directè viſionis, nec ex parte ſubiecti Dei, ab aliquo decreto libero, vel permiſſione dependet, ob quod iure *ſcientia media* dicitur independens à libertate ſubiecti, per quod conuenit cum ſcientia neceſſaria ſimplicis intelligentiæ, libera ſeu contingens ex

parte

parte obiecti, per quod cum viſione conuenit, non tanquam propriè *viſionis* eſt quamuis ad viſionem reducatur vt notauit Aluarez Dominicanus lib. 1. reſponſ. cap. 50. fine dicens *ſcientiam futurorum conditionatorum, quæ reuera futura non ſunt, reduci ad ſcientiam viſionis, at directè, & per ſe non eſſe ſcientiam viſionis*, ergo directè & per ſe eſt *ſcientia media*

SECTIO VI.

Vtrùm obiecta ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ viſionis, & mediæ differant.

24 *Agunt de hac differentia.* Herice. Arriaga. Card. Lugo.

DE diſtinctione obiectorũ harum ſcientiarum latè agit Herice diſput. 5. cap. 6. in præſenti Arriag. tota diſputat. 22. Card. de Lugo in manuſcriptis diſput 4. ſect. 5. Ratio affirmandi per ſcientiam viſionis, (idem proportionatè de ſcientia media) cognoſci aliquid, quod non fuit cognitum per ſimplicem intelligentiam eſt primo Petro vt obiecto ſimplicis intelligentiæ, ſeu vt poſſibili aliquid deeſt ad exiſtendum, ſed ipſi vt obiecto ſcientiæ viſionis nihil deeſt. *Ratio dubitandi vt differant.* Ergo quia habet aliquid amplius prout eſt obiectum ſcientiæ viſionis. Secundò vt obiectum ſimplicis intelligentiæ eſt cognoſcibilis eſt Petrus in omnipotentia, ſed non eſt cognoſcibilis vt obiectum viſionis. Ergo quia vt ſic aliquid addit. Tertiò ſeparabile eſt obiectum vnius ſcientiæ ab obiecto alterius, alias ipſæ ſcientiæ ſeparabiles non eſſent, ſeparabilitas autem eſt ſignum diſtinctionis.

25 In contrarium eſt primo quia omnia, quæ actu exiſtunt, & videntur per viſionem ſunt poſſibilia, ipſum etiam actuale exercitium exiſtendi, at omne poſſibile vt tale cognoſcitur per ſimplicem intelligentiam, ergo idem eſt obiectum vtriuſque ſcientiæ Secundò ex metaphyſica exiſtentia non diſtinguitur ab eſſentia, aliunde nulla eſſentia, & quidditas, ſiue poſitiua, ſiue negatiua, (qualis eſt eſſentia carentiæ) quæ non cognoſcatur per ſimplicem intelligentiam, ergo quidquid cognoſcitur per viſionem ex parte obiecti, nihil addit obiecto ſimplicis intelligentiæ.

26 *Scientiæ hæ differunt ex modo tendendi, ſed non ex obiecto.*

Ita ego ſentio cum Authoribus relatis num. 25. ſolum diſtinguens has ſcientias in ſua linea ex diuerſo modo tendendi, non ex differentia obiecti, quin in obiecto correſpondeat, aliqua formalitas vni, quæ non correſpondeat alteri ſcientiæ. Probatur, totum diſcrimen ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ à viſione eſt, penes id quod illa attingat obiectum, quin affirmet exiſtentiam illius, viſio vero exiſtentiam affirmet: at hoc diſcrimen nihil diuerſitatis ponit ex parte obiecti cogniti ſeu affirmati, ſed in modo cognoſcendi, affirmando, vel non affirmando idem obiectum vtrobique cognitum. Ergo in obiecto illarum ſcientiarum nihil diuerſitatis eſt. Patet conſequentia. Item Maior quia ſic ſimplex intelligentia procedit modo neceſſario, vt implicet eius obiectum, quà tale non eſſe, aperitque talis ſcientia rerum quidditatem, independetque ab exiſtentiâ exercitâ ſui obiecti. Minor probatur, quia cognitio affirmans, & non affirmans bene verſantur circa idem, vt patet in apprehenſione, & iudicio, idem enim quod quis iudicat apprehendit: ſicut idem quod amat præcognoſcit. Ergo ſimplex intelligentia, & viſio ſolum differunt ex modo tendendi, ſcilicet ſimplex intelligentia idem cognoſcit, ſed non idem affirmat, affirmat enim de exiſtentiâ poſſibilitatem præciſè, viſio verò ipſam exiſtentiam abſolutè.

27 *Poſſibilitas non aliter comparatur cum exiſtentia, quam futuritio.*

Iam vt reſpondeam ad rationes oppoſitas §. 25. quæ æquè probant diſtinctionem eſſentiæ ab exiſtentia. Noto: Quando dicitur. *Petrus poſſibilis* vel ly *poſſibilis* ſumitur quaſi dicat aliquid actu phyſicè? & ſic ſupponit pro omnipotentia, quæ fundamentum eſt affirmandi poſſibilitatem Petri, à qua poſſibilitate, fateor, differt exiſtentia Petri, quã affirmat ſcientia viſionis: Cæterũ ſcientia ſimplicis intelligentiæ aliud obiectum habet ab omnipotentia, vel ſumitur pro aliquo quod non eſt, ſed in aliqua hypotheſi eſſet? & quod tunc eſſet modo præbet fundamentum vt actu res denominetur poſſibilis: vnde eſt præſens quoad denominationem, licèt non quoad entitatem: ſicut peccatum Adami nunc eſt in denominatione *præteriti*, & Antichriſtus in denominatione *futuri* non ſolum à decreto nunc exiſtente, ſed ab ipſa entitate Antichriſti quæ non eſt nunc, ſed pro ſua differentia temporis, ex qua fundamentum eſt ad dicendam nunc eius futuritionem? Quæ poſſibilitas non differt ab exiſtentia, pro illo ſtatu hypothetico; ſicut futuritio non differt ab exiſtentia pro ſua differentia temporis.

28 Iam ad primam rationem reſpondeo: Petrus *vt poſſibilis eſt* de ſubiecto non ſupponente actu, ſed poſſibiliter, appellarque ſupra denominationem non ſupra ipſum Petrum, iſte enim in ſe, ſicut non eſt nunc, ita non eſt intrinſecè poſſibilis; quare in rigore loquendo pro ſtatu, in quo *erit* ſimpliciter in ſe poſſibilis, nil deerit tunc ipſi ad exiſtendum, quamuis vt obiecto ſimplicis intelligentiæ aliquid nunc, imo totum deſit, quia ſimplex intelligentia, licet exiſtentiam obiecti attingat, nil tamen illius affirmat, neque actu poſitam exigit; ſecus ſcientia viſionis ob peculiarem modum tendendi. Sic poſſes probare Petrum vt *præteritum* differre à præſenti, quia vt præterito deeſt nunc exiſtentia, quæ non deeſt vt præſenti. Ad ſecundam rationem vt idem diuerſimodè cognoſcatur diuerſum medium requiritur, ſic patet quando idem obiectum eſt cognoſcendum copulatiuè, vel disiunctiuè. Ad tertiam ſeparabilitati ſcientiarum ſufficit diuerſus modus tendendi; ſic idem obiectum præteritum, & futurum, licet idem ſit diuerſas, & ſeparabiles cognitiones noſtras terminat.

Vt idem diuerſimodè cognoſcatur diuerſum medium requiritur.

29 Vrgentius argui poterat, vt nec ex modo tendendi diſtinguerentur iſtæ ſcientiæ, ſed ſolum affirmet Deus de creatura quando exiſtit, *exiſtere*; & quando non exiſtit, *non exiſtere*, etenim ſi de exiſtente verbi gratia duntaxat affirmet *poſſibilitatem* talis affirmatio erit præciſiua. Si quidem res illa non ſolum habet poſſibilitatem, ſed etiam exiſtentiam. Contra tamen eſt quia iuxta omnes pro priori ad decretum ſuum Deus præſcit obiectum eius, nil enim volitum, quin præcognitum: non *vt exiſtens* cum nondum ſit decretatum, nec vt non exiſtens, quia in eodem inſtanti decernitur. Ergo ſcitur vt poſſibile præciſiuè. Ad rationem oppoſitam conſtabit infra quo pacto ſimplex intelligentia ſit præciſiua in *eſſe* connexæ ſeu denominatæ, & terminatæ ad exiſtentiam, non vero in *eſſe* ſcientiæ: conſule diſputation. 50. ſect. 4. initio. Iam vero abſurda non eſt præciſio in ratione *connexæ* ſeu coëxiſtentis, etenim ipſa entitas Dei ſecundum ſe præſcindit titulo ſuæ excellentiæ, & independentiæ ab exiſtentia creaturarũ.

So

Sola ergo abſurda eſt præciſio in ratione *ſcientis*, quia arguit confuſionem in ſcientia. Hanc autem non dari in Deo conſtabit loco citato.

30 Addo hoc eodem argumento mihi maximè probari ſcientiam viſionis vt talem conſtitui ex connotatione effectus creati, ſicque conſtituendos actus liberos diuinos, quin vt ſic liberos, & contingentes adæquatè ponatur identificati cum Deo, ne alias ſcientia aliqua Dei vt ratione (imo virtualiter intrinſecè) diſtincta (iuxta Recentiores) ſeparabiliſque à qualibet alia *præciſiua* admittatur, vt iterum notabo tract. ſequ. diſput. 59. ſect. 2. Quod autem nos concipientes ſcientiam viſionis ad modum intrinſecæ in Deo, & vt adæquatæ in eſſe ſcientiæ diſtinctæ à ſcientia ſimplicis intelligentiæ apprehendamus iſtam cum hac præciſione, abſurdum non eſt; nam vt dixi hic §. 12. ratione huius præciſionis ſcientia Dei nullo modo eſt dicenda *præciſiua*, ſed noſtra: Noſque præſcindimus, & inadæquatè concipimus ſcientiam Dei ipſa verò non præſcindit.

DISPVTATIO XLVI.

Vtrum ſcientia Dei ſit futurorum contingentium?

SECTIO I. *Stabilitur veritas Catholica, & difficultates contrariæ proponuntur.*

SECTIO II. *Vtrùm hæc ſcientia poſſit ratione naturali demonſtrari?*

PERTINET diſputatio præſens ad explicationem art. 13. S. Thomæ in hac quæſtione 14. quem ſtatim diſcutiendum ſuſcipio, nam alii à quinque prioribus, quorum in præcedentibus doctrinam expendi, non ita celebres difficultates in Scholaſtica Theologia continent, vel quia purè Philoſophici ſunt; vel ſi fortè aliquis Theologus eſt commodiorem locum obtinebit in materia de prædeſtinatione, vt in fine huius Tomi in Indice quæſtionum S.Thomæ aduertam, in quo omnium difficultates expendam vel expenſas iam notabo.

SECTIO I.

Stabilitur veritas Catholica, & difficultates contrariæ proponuntur.

1 *Præſentia, & præterita contingentia extra controuerſiam ſunt. Et futura neceſſaria.*

NVllus quantumuis Barbarus negauit Deo ſcientiam contingentium præſentium; imò nec præteritorum ſi ſemel in Deo ſcientiam creaturarum conceſſit: quodquidem non minus in ſe verè exiſtunt de præſenti, vel de præterito contingentia, quam neceſſaria. Rurſus neceſſaria vt talia, ſi nihil contingentiæ admiſceant perinde ſunt cognoſcibilia, dum exiſtunt actu, ac dum ſunt futura: ſiquidem modo de præſenti exiſtit aliquid, verbi gratia, decretum Dei, eorum futuritionem neceſſitans, & determinans. Solum igitur propter inſtabilem principij liberi naturam, à qua nihil firmum ſperari poteſt fuit error, de quo meminit S.Aug.9.de Ciuit.c.9.negans Deo certam futurorum contingentium liberorum ſcientiam.

Quæſtio ſola eſt de futuris liberis.

At eam firmiſſimè Deo fides Catholica adſtruit Daniel. 4. *Deus æterne, qui noſti omnia antequam fiant*, Pſalm. 138. *Intellexiſti cogitationes meas de longe.* Idem clamant omnes Prophetæ, vt verè Tertull. 2. contra Marcin. cap. 4. ante medium: *Præſcientia Dei tot habet teſtes, quot fecit Prophetas:* Et Auguſt. 5. de Ciuitate. cap. 9. paulò poſt initium: *Confiteri eſſe Deum, & negare præſcientiam futurorum, apertiſſima inſania eſt.* Vide P. Didac. Ruiz, diſput. 22. ſect. 2. ſi pro re clariſſima plura teſtimonia deſideras. 2

Contra hanc veritatem fidei duæ maximæ inſurgunt difficultates, prima ex contingentia talis ſcientiæ, nam cum ſcientia Diuina ſit eſſentialiter vera, ſi reſpicit obiectum contingens ad huius defectum deficiet, & ſicut obiectum potuit non eſſe, ita & ſcientia illud affirmans ne falſa ſit, nil autem quod eſt in Deo deficere potuit, quod ſpecialiter viget in ſcientia, quæ nec augeri nec minui poteſt, ne Deus creſcat ſapientiâ. Secunda difficultas eſt, talis præſcientia neceſſariò connectitur ab æterno cum futuro: Ergo iam ab æterno hoc obiectum neceſſariò fuit futurum, vnde tolletur omnis libertas, & contingentia rerum, ſed de prima difficultate, quæ communis eſt myſterio actuum liberorum Dei latè dicam tract. de voluntate, quidquid autem ſpecialiter militat contra ſcientiam exponam diſput. 48. de 2. difficultate ſtatim diſput. ſeq. 3

Duæ difficultates.

SECTIO II.

Vtrùm hæc ſcientia poſſit ratione naturali demonſtrari.

NEgat Herice diſput. 6. num. 3. ex ſententia Nominalium S. Auguſtinus & Thomas affirmant. Suarez diſput. 30. Metaphyſ. ſect. 15. à num. 28. Martinon in præſenti diſput. 9. num. 36. Arriaga diſput. 20. num. 3. Cum quibus ego affirmo, tum quia tota difficultas eſt in explicando modo, & medio, quo hæc ſcientia habeatur à Deo, neque enim plus intendunt Authores citati à Patre Herice, vt patet ſpecialiter ex Auguſtino in Pſalm. 49. *Tribuamus hoc Deo laudantes Deum; non audeamus dicere quomodo nouit Deus?* quibus addit alia verba in hunc ſcopum omninò videnda. Tunc ſic; ſed ſæpè euidens eſt, quod aliqua perfectio ſit in Deo, licèt nos nequeamus explicare modum vt patet in libertate: Ergo &c. tum etiam id manifeſtum fit ex communi hominum apprehenſione ipſam futurorum prædictionem tanquam Dei propriam, & Diuinationem accipientes. 4

Negant Nominales. Herice. S. Auguſt. S. Thom. Affirmant Suarez. Martinon. Arriaga.

Ratio igitur eſt prima: Quando actus noſtri liberi exiſtunt cognoſcuntur à Deo, ſed Deus non poteſt habere nouam cognitionem in tempore: Ergo eos cognouit ab æterno, & conſequenter vt futuros. Secundò, Deus cognoſcit præterita, ergo & futura. Conſequentia probatur quia ex eo quod Deus cognouerit obiectum quando præſens fuit nihil accipit complementi, vt cognoſcat præteritum (aliter ac nos, qui ideò cognoſcimus præterita, quia ipſa quando præſentia cognouimus, accipiendo ſpecies ab eiſdem.) Vnde Deus in ſe manet ac ſi non cognouiſſet præſens: aliunde obiectum præteritum non minus in ſe diſtat ab actuali exiſtentiâ, quàm futurum ergo æquè Deo patebit vtrumque. 5

Rationes euidentes pro hac ſcientia.

6 A priori idem probatur tertio, cognitio quæ haberetur de futuris nil haberet imperfectionis, poſſet enim eſſe *vera & euidens,* nam ſicut cognitio, eo quod obiectum fuerit, vera eſt, ita præcognitio de futuro deprehenditur vera fuiſſe ex euentu ſecuto; cognitio enim *vera* dicitur eo quod aliquando pro tempore importato per copulam verum ſit dicere: *obiectum eſt.* Ergo niſi ſtet per defectum *ſcientis*, (qui in Deum cadere nequit) futura præcognoſci poſſunt quarto Deus ſe ſolo habet omne complementum ad ſciendum quod datur coniuncto ex intellectu creato, & ſpecie impreſſa; atqui intellectus creatus ſi inſtruatur ſpecie poteſt affirmare exiſtentiam futuram, ſiquidem & eam affirmat præſentem, etiam quando non exiſtit diſputation. 44. §. 23. Ergo ſimiliter Deus poterit affirmare futura. Omninò vide, quæ dixi de ſcientia poſſibilium in ſeipſis, illo numero 23.

7 *Bona inſtantia contra decretum prædeterminans futura libera, quod non minoris difficultatis eſſet in Deo ſcientia, quã præſcientia.*

De efficacia harum rationum licet poſſit dubitare inſipiens, qui dubitat de exiſtentia Dei; at quemadmodum hæc ſtulta dubitatio non tollit, quin exiſtentia Dei ſit demonſtrabilis naturaliter, ita ſimiliter in præſenti. Vnum tamen obiter nota contra Dominicanos ponentes decretum efficax in Deo, quo actus omnes contingentes prædeterminet, & in eſſe *futuri* conſtituat nil potioris difficultatis eſſe, vt cognoſcat Deus præſentia; quam futura contingentia (cum tamen omnes authores peculiarem difficultatem repererint, & potius propoſitiones de præſenti, quam de futuro contingenti fecerint determinatè veras cum Ariſtotele primo Prihermen. cap. 8.) Quis enim dubitat, quin Deus cognoſcat quid ipſe actu decernat, hoc autem, & non plus apud prædeterminatores eſt futura præcognoſcere. Sed de hoc latius infrà.

DISPVTATIO XLVII.

Quomodo ſtet noſtra libertas cum Diuina præſcientia futurorum.

SECTIO I. *Proponitur ratio dubitandi, & communis Theologorum ſolutio.*

SECTIO II. *Difficultas in hac ſolutione propoſita, & aliorum explicatio per poteſtatem faciendi in tempore inſtantis operationis, ne Deus præſciuerit ab æterno nos operaturos.*

SECTIO III. *Qualiter ſit ſub noſtrâ voluntate facere, ne Deus præſciuerit ab æterno nos operaturos.*

SECTIO IV. *Concluditur concordia præſcientiæ futurorum cum noſtrâ libertate.*

VIDETVR *quidem præſcientia Dei, & liberum arbitrium repugnare* (inquit Anſelmus, libr. de Concordia Præſcientiæ cum libero arbitrio cap. 1. initio, *quoniam ea, quæ Deus præſcit, neceſſe eſt eſſe futura, & quæ libero arbitrio fiunt, nulla neceſſitate proueniunt.* Vnde plures

ſunt, quos referam ſect. prima, qui putent in via huius concordiæ rationem nos inuenire non poſſe; in quod reducunt quod poſtquam futurorum præſcientia commemorata eſt Pſalmo 138. verſ. 3. *intellexiſti cogitationes meas de longè, &c.* ſubiungitur, verſ. 6. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam.* Vnde Auguſtinus libr. 11. Confeſſionum cap. 19. ſic Deum alloquitur: *Quis nam ille modus eſt, quo doces futura nimis longè eſt modus iſte ab acie mea: inualuit ex me, & non potero ad illum: potero autem ex te cùm dederis tu dulce lumen oculorum meorum.*

Vt præſcientiam Dei concordem faciant cum libertate noſtrâ, fere omnes antiqui cenſuerunt ſub noſtrâ poteſtate nunc eſſe facere quod Deus non præſciuerit ab æterno noſtras operationes: ita Magiſter primo, diſtinctione 40. cap. 3. Sanctus Thomas quæſtione 6. de veritate art. 3. ad decimam: & 1. d. 39. quæſt. 1. art. 1. S. Bonauentura 1. d. 38. quæſtione vltimâ. Scotus d. 40. quæſt. vnica, ad 1. Durandus 1. d. 38. quæſtione 3. num. 25. Albertus 1. part. quæſt. 61. memb. 6. Alenſis 1. part. quæſt. 24. memb. 7. ad 3. Okam 1. d. 38. quæſt. vnica, prope finem. Gabriel ibidem qu. vnica, art. 2. ad finem, & art. 3. dub. 1. & dub. 8. Armacanus libr. 6. de quæſtionibus Armenorum cap. 11. & 14. Ricardus 1. d. 39. art. quæſtione 2. Gregorius 1. d. 38. quæſt. 2. art. 3. in quinto præmittendo, & in §. *Reſpondeo ergo aliter.* Adam in 3. d. 14. quæſt. 2. concluſ. 6. & ſequentibus. Marſilius 1. diſtinct. 40. art. 2. poſt concluſionem 4. Nicolaus de Orbellis 1. d. 39. art. 2. Maior loquendo de Prædeſtinatione in 1. d. 39. quæſt. vnica §. *Inſultas.* Ferrara 1. contra gentes cap. 67. §. ſed tamen. Capreolus 1. d. 40. art. 3. paulò poſt primam concluſionem. Vualdenſis 1. doctrinal. cap. 17. Bellarminus libr. 3. de gratia & libero arbitrio cap. 17. ad 4. Dionyſ. Ciſter. 1. d. 38. qu. vnicà art. 2. concl. 4. Michaël Abononia 1. d. 40. qu. vnica, & d. 41. Holkot in 2. qu. 2. art. 9. P. Aliaco 1. ſententiarum qu. 12. art. 3. Driedo de Concordia par. 2. cap. 2. Pigius lib. 8. de libero arbitrio cap. 1. Vega in Tridentinum cap. 17. Valentia qu. 14. punct. 5. §. 3. Bannez qu. 14. art. 13.

Hanc tamen ſententiam, licet tot Doctorum authoritate munitam non vereantur alij, ſi ipſa, vt verba ſonant, intelligatur, erroris, vel ſaltem temeritatis, & improbabilitatis inſimulare, vt noto §. 14. Quid autem ego ſentiam, dicam ſectione tertia.

SECTIO I.

Proponitur ratio dubitandi, & communis Theologorum ſolutio.

PRætermitti non debet huius concordiæ breuis explicatio, cum eius ignorantia induxerit aduerſarios infideles, vt cum Cicerone apud Auguſtinum 5. de ciuitate cap. 9. *vt facerent homines liberos fecerint ſacrilegos*, negata ſcilicet præſcientia in Deo, & è contra noſtri temporis hæreticos, *vt Deum præſcientem facerent, fecerint iniuſtum*, negata ſcilicet in hominibus libertate. Quæ enim maior iniuſtitia, quam æternis flammis punire inculpatè delinquentes. Ideò ipſe Auguſtinus 3. de libero arbitrio cap. 2. initio, *ineffabiliter*, inquit, *me mouet quomodo fieri poſſit vt præſcius ſit Deus* 1 *Difficultas in hac cõcordia inſuperabilis in hac vita putatur, à.* Nominalibus.

omnium futurorum & nos nulla neceſſitate peccemus? Quare Schola Nominalium apud Ruiz diſp. 30. ſect. 1. deſperat poſſe in hac vita explicari hanc concordiam.

2 *Proponitur.* Ratio dubitandi eſt: ab æterno datur ſcientia Dei, de peccato futuro, ego nunc non poſſum illam reddere falſam, nec facere quod Deus illam non habuerit ab æterno, cum ad præteritum non detur potentia. Ergo non poſſum non peccare, & conſequenter ſine libertate pecco. Confirmatur ex fide dico. *Antichriſtus peccabit*, quam propoſitionem non poteſt nunc impedire Antichriſtus quia nunc ille non exiſtit, quando vero exiſtet, non poterit facere ne præterierit hæc mea cognitio Fidei, quia factum non poteſt reddi infectum; ſed nec poteſt facere quod cognitio Fidei vera non ſit. Ergo ex nullo capite poteſt vitare peccatum. Et rogo quid faciet Antichriſtus? in poſitione talis ſcientiæ non peccat, cum nondum exiſtat ipſe; in connexione eiuſdem ſcientiæ cum peccato eſt omnimoda neceſſitas. Vnde non eſt imputabile Antichriſto dari talem neceſſitatem. Vbi ergo eſt peccatum? Et libertas cum hac præſcientia?

3 *Communis ſolutio quia neceſſitas conſequens non obſtat libertati.* Communis Theologorum, vt explicet concordem præſcientiam Dei cum noſtra libertate ponit non omnem neceſſitatem opponi libertati, ſed ſolum neceſſitatem antecedentem, & independentem ab exercitio libero, nam ex ſuppoſitione, quod Petrus videt me currentem neceſſarium eſt me currere, quia tamen hanc ſuppoſitionem ego facio, etenim ipſa in ſe, niſi originata, & determinata à me non datur; ideò libertas mea indemnis perſeuerat.

4 Hinc arguunt Theologi præſcientiam Dei non obſtare libertati, quia ſolùm ſe habet conſequenter, vt ideo Deus præſciat Petrum peccaturum, *quia Petrus ex ſe peccabit*, non è contra, haud aliter, ac ipſe Petrus videt me currentem, quia ego curro, non vero curro ego, quia Petrus videt, vti ex communi conſenſu Patrum paſſim oſtendunt noſtri. *Pulcra verba Franciſci Romai Gener. Dominican. contra Dominicanos Recentes.* Audiatur etiam Franciſcus Romæus Magiſter Generalis ordinis Dominicanorum vnus ex Patribus Tridentini lib. de libertate operum veritate 8. *Illud non eſt prætereundum, quod ſi ad antiquos Patres te conuertas reperies ferè omnes in hanc vnam conſentire ſententiam; non ex eo quod Deus ſcit aliquid idcircò futurum eſt, ſed quia futurum eſt Deus nouit: ſic enim loquitur Hieronymus, Auguſtinus, Origenes, Chryſoſtomus, & plerique alij, Orthodoxi Doctores.*

5 *Variis exemplis appoſitis explicatur immunitas noſtræ libertatis.* Confirmatur. Hæc ſcientia viſionis Dei ſolum ſe habet vt pura ſpeculatio nil in rebus ponens plus, quam ſi non eſſet, & inſtar puri ſpeculi in quo delineantur, & apparent liberi geſtus, & motus hominum ſibi oppoſitorum; inſtar vigilis, qui è turri eminenti proſpiceret ea, quæ in planitie ſubiectâ libere fiunt, proſpiceretque aliquos in foſſam latentem caſuros, ac inſtar puri ſigni à poſteriori per modum effectûs indicantis, quid res ſit: Tum ſic ſed repræſentatio ſpeculi, viſio hominis vigilis, indicatio ſigni vel effectûs, nihil officiunt libertati pluſquam ſi non eſſent. Ergo nec præſcientia Dei purè intuens, & ſpeculans, quid actus in ſe ipſo futurus ſit, qui actus eodem modo æquè futurus foret, etiamſi fingamus non præſciri à Deo vt expreſſit Origenes libro 7. in illud Romanos capit. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit: In præſcientia Dei*, inquir, *neque ſalutis, neque perditionis noſtræ cauſa conſiſtit, non propreterea erit aliquid quia id ſcit Deus futurum, ſe quia futurum eſt, ſcitur à Deo, antequam fiat. Nam etſi fingimus Deum non prænoſcere aliquid futurum ſine dubio erit.*

SECTIO II.

Difficultas in hac ſolutione propoſitâ, & aliorum explicatio per poteſtatem faciendi in tempore inſtantis operationis, nè Deus præſciuerit ab æterno nos operaturos.

Data ſolutio facile intelligitur reſpectu ſcientiæ temporalis mecum coëxiſtentis; viſio enim Petri de meo curſu, quantumuis neceſſariò, & eſſentialiter connexa cum illo non tollit libertatem; quia talis viſio deſcendit, & procedit ab exiſtentiâ illius curſûs qui liberè poſitus eſt à me, quare neceſſitas iſta à mea voluntate cauſata eſt, ſicut neceſſitas amandi, dum amo, iuxta illud. *Omne quod eſt neceſſe eſt eſſe dum eſt.* 6 *Solutio iſta bene intelligitur reſpectu ſcientiæ temporalis, & creatæ.*

Cæterùm huiuſmodi ſolutio non facile intelligitur reſpectu ſcientiæ Dei, tum quia iſta re verâ non cauſatur à meo actu, Ergo non eſt ſubſequens re verâ. Tum etiam antequam ego exiſterem, iam exiſtebat ſcientia Dei, qualiter ergo potui illam tollere? nec valet dicere quod adhuc ab æterno: *Ideo Deus præſcit me peccaturum, quia ego peccaturus ſum, & non è contrà.* Non inquam valet, quia hæ ſunt formalitates rationis, quæ nihil ponunt in re; verè enim Deus antequam ego peccem iam habet ſcientiam illam; vnde ergo ſcientia in re ipſa veniet à meo peccato? Si nondum ſum quando eligitur illa ſcientia, quam prioritatem habebo reſpectu illius? Et vrgeo, quid mea quod ſcientia determinetur à peccato futuro, ſi hic, & nunc quando exiſto, iam eſt poſita illa ſcientia, & inauferibilis tam in ſe, quam in veritate, & connexione cum ſuo obiecto? quod explicatur clarius in reuelatione, quæ non ſolum extitit prius, ſed iam eſt deſtructa, quomodo ego faciam poſtea nè præextiterit. 7 *Difficile reſpectu increatæ & æternæ.*

8 *Nunc eſſe in poteſtate voluntatis facere nè Deus habuerit præſcientiã, Sentiunt. Magiſter. S. Bonauent. Durandus. Alenſis. Armacan. Ricard. Adam. Orbelis. Ferrara. Valdenſis. Mich. Bon. Aliaco. Bellarm. Vega. Valentia. S. Thom. Scotus. Albert. Okam. Gabriel. Gregor. Marſil. Maior. Capreol. Dion. Ciſt. Holcoth. Driedo. Pighius. Corduba. Bannez.*

Ideò eſt plurium ſententia antiquorum fere omnium apud Ruiz diſput. 31. ſect. 2. & RR. multorum cum valentia quæſt. 14. puncto 5. §. 3. Arrubal diſput. 33. cap. 6. Bannez quæſt. 14. art. 13. aſſerentium nunc in tempore eſſe in poteſtate hominis facere, ne præextiterit ab æterno ſcientia Dei huius ratio præcipua eſt: Ideo Deus præſcit Petrum peccaturum quia Petrus peccabit, vt omnes noſtri fatentur. Ergo præſcientia Dei pendet à priori à peccato. Ergo Petrus, qui poteſt impedire peccatum poteſt tollere præſcientiam, nam qui poteſt tollere antecedens, etiam & conſequens per ſe pendens ab antecedenti. Confirmatur Petrus *nunc* poteſt non peccare; ſed *non peccare* formaliſſimè imbibit tollere præſcientiam Dei, non quidem faciendo vt nunc in tempore incipiat non eſſe, nec faciendo, vt ſimul fuerit ab æterno, & non fuerit, vtrumque enim eſt implicatorium. Ergo faciendo ne vllo modo præfuerit ſcientia ab æterno. Idem cernitur in orationibus noſtris, quibus petimus à Deo vt aliquid donet *nunc*, quæ eo tendunt, vt impetrent quod Deus ab æterno habuerit tale decretum. Ergo poſſibile eſt me *nunc* efficere quod Deus habuerit, vel non ab æterno tale decretum, alias non peteretur à me. Ergo ſimiliter eſt *nunc* ſub noſtrâ poteſtate facere, ne præextiterit ab æterno ſcientia Dei.

Ne

9 *Explicatur dictum : Ad præteritum non datur potentia. De præterito non identificato cum præſenti.*

Ne autem quis obiiciat ad præteritum non dari potentiam ponit hæc ſententia ſcientiam Dei ab æterno eſſe præſentem noſtro inſtanti A. vnde in hoc nunc temporali datur primum nunc ſcientiæ Diuinæ æternæ, nam æternitas indiuiſibilis eſt, & tota ſimul ; hinc cum ſcientia Dei tota ſit præſens, vt ipſum præteritum cum præſenti identificetur, ſicut datur potentia ad præſens, ita ad hoc præteritum. Rurſus etiam datur potentia ad purè præteritum, id eſt ad faciendum ne data fuerit reuelatio præterita, quæ iam non eſt de peccato Petri futuro, quia talis reuelatio, licèt ſit purè præterita, etiam ſecundùm ipſum *præteriiſſe* per ſe pendet à ſcientia Diuina, etenim quia Deus præuidet peccatum, ideò illud reuelat : qui autem poteſt tollere rationem à qua per ſe pendet præteriiſſe, ſeu qui poteſt facere, vt nunquam fuerit tota, & immediata cauſa alicuius effectûs præteriti, poteſt etiam tollere ipſum effectum præteritum, qui ex ea cauſa omninò pendet, eamque conſequitur. Hinc quando dicitur ad præteritum non datur potentia, limitatur de præterito, quod non identificatur cum præſenti, vel non pendet per ſe à tali præterito identificato cum præſenti, nam tunc potentia ad præſens, eſt potentia ad præteritum.

10 *Impugnatur.*

Sed adhuc ſic non placet hæc explicatio primo: Quia licèt per impoſſibile ſcientia Dei eſſet omninò anterior duratione, omnique præſentialitate ad futura careret, poſſet certò præſcire futura ; ſicut dixi diſput. 44. Creaturas poſſibiles in ſeipſis cognoſci ; & patet reſpectu purè conditionatorum, quibus, cum nunquam ſint, non coexiſtit ſcientia Dei. Secundò ; in præterito, vt tali duo dantur, & *eſſe* anterius, & *non eſſe* pro nunc, iam ſcientia Dei, quamuis in hoc *nunc* temporis non ſit præterita, quoad id quod dicit ratio præteriti *de non eſſe nunc*, at verè præterita fuit quoad poſitiuum, quod imbibitur in præterito, vt verè ab æterno dici potuerit : *ante hoc tempus ſcientia Dei* eſt. In hac autem præſentialitate priori vrget tota difficultas, quid enim refert quod illa ſcientia, de qua verè potuit dici ab æterno : *eſt*, duret immutata nunc, vel omninò deficiat ? tota vis connexionis, & neceſſitatis antecedentis tempore fundatur in illo *eſt* priori.

11 *Datur potentia ad præteritum pendens à futuro libero.*

Ideò independenter ab hac præſentialitate, abſolutè dicunt alij quod detur potentia ad præteritum, quando præteritum pendet à futuro libero, habeturque ex huius ſuppoſitione, ſcilicet quod exercitium liberum futurum eſt. Et ratio diſcriminis inter hoc præteritum, & alia præterita eſt, quæ communiter aſſignatur, vt potius ſit potentia ad futurum, quam ad præteritum, nempe quia poſt inſtans *A*, in quo res eſt præterita nunquam aduenit in *B* vera potentia ad oppoſitum præterito : At aduenit potentia in *B* ad oppoſitum illi quod fuit futurum in *A*. Cum enim nondum futurum ſit extra cauſas (pono tale futurum producendum in B.) verè cauſa libera in B, poteſt producere illud, vel eius oppoſitum. Tum ſic, ſed poſt A, in quo fuit ſcientia Dei de peccato futuro aduenit in B, potentia ad oppoſitum tali futuro, & conſequenter ad oppoſitum ſcientiæ : Ergo ſcientia Dei & quoduis aliud præteritum, quod habetur, & dependet ex ſuppoſitione futuri liberi poterit ſubeſſe poteſtati, vt tollatur poſtea.

12 *Impugnatur à Ruiz.*

Hæc explicatio vehementer diſplicet P. Ruiz, diſput. 31. ſect. 4. Citatque pro ſe Molinam, Suarium, Caietanum, Ferraram, & alios Thomiſtas fundamentum eſt, quia ante hoc *nunc* iam præceſſit ſuppoſitio, quod ſit ſcientia Dei, verè enim ante *nunc* dicebatur, eſt ; ſed res ex ſuppoſitione quod eſt non poteſt non eſſe : Ergo ſcientia Dei nunc non poteſt non eſſe, ſeu non eſt nunc in mea poteſtate facere quod Deus non habuerit ab æterno ſcientiam. Confirmatur, in reuelatione, quæ fuit in A (quam ſtatim ſuppono deſtructam eſſe ſimul cum ſuo principio) licèt pendeat à futuro libero poſt A, tamen non aduenit potentia ad ponendam talem reuelationem, vel eius oppoſitum in B. nam poſui cauſam productiuam reuelationis, verbi gratia fidem, omninò deſiiſſe nec permanere in B. Tunc ſic : ſed non aliter poteſt tolli, quod non fuerit reuelatio, niſi quatenus adueniat potentia ad oppoſitum, vt dicunt aduerſarij : Ergo reuelatio præterita in A, poſtquam non adueniet potentia ad oppoſitum illius, non poteſt tolli ne præterierit. *Molina. Suarez. Caietan. Ferrara.*

Secundò principaliter arguit Ruiz, quia ſic tollitur omnis firmitas fidei, neque ego ſecurus ero de peccato futuro Antichriſti eo quod à Deo præſcitum, & reuelatum ſit, nam potero dubitare. Vtrùm Antichriſtus effecturus ſit poſtea, ne Deus ſciuerit. Vnde ergo mihi ſtabit ſecuritas quod id non efficiet ? Si dicas: Quia Deus ſcit Antichriſtum id non effecturum : contra Antichriſtus poteſt poſtea efficere ne Deus habeat hanc ſcientiam, ita reflexam. Vnde ergo ſtabit firmitas Antichriſtum non effecturum, ne Deus præſciuerit quod ab ipſo Antichriſto non impedietur præſcientia de peccato, ſiquidem totum hoc pendet ex euentu futuro, qui ſubeſt libito & poteſtati Antichriſti? Quæ tandem erit firma regula noſtræ ſecuritatis ? nam in illa, totum militat argumentum. Confirmatur æquè in pendenti, ſeu in *egreſſu*, vt dicunt, ſtat nunc in tempore *fuiſſe* vel *non fuiſſe* ſcientiam Dei, ac in ipſa æternitate antequam ſupponeretur exiſtens erat in pendenti eſſe talem ſcientiam, vel non eſſe ? Ergo ſicut in æternitate, ſeu in primo nunc æternitatis. Nulla veniebat firmitas à ſcientia Dei, ita ſimiliter nunc. 13 *Quia tollitur firmitas fidei.*

Ego hic non poſſum non ſuſpicari aliquam latere æquiuocationem, ſolumque differentiam totam in modo loquendi eſſe, nam pro primo modo ſtat antiquorum authoritas, vt non negat Molina ; pro ſecundo Authores citati ita carpunt primò vt Molina in præſenti art. 13. diſput. 16. verſu *Vnde quartò* paulò ante finem putet eſſe *errorem*, & verſu *poſtremo* fine, eſſe *parum in fide ſecurum*, à quo non multum diſtat cenſura 2. Patris Ruiz, ſuprà ſect. 4. num. 1. Pater Suarez opuſculo de ſcientia lib. 1. cap. 9. num. 9. ait 3. non eſſe *veriſſimilem* ; Quæ tota æquiuocatio expeditur præciſè ſi notes comparationem cum præſcientia Dei : facilius imbibere ſenſum compoſitum, quam dum comparatur voluntas cum ſuo exercitio, vt conſtabit ſect. ſeq. 14 *Hæ ſententiæ ſola voce diſſident : non eſt ſub noſtra poteſtate ſciuiſſe eſt vero ſcire.* *Voluntas facilius facit ſenſum cōpoſitum relata ad præſcientiam, quam ad ſuum exercitium.*

SECTIO III.

Qualiter ſit ſub noſtra voluntate facere ne Deus præſciuerit ab æterno nos operaturos.

EST ſimpliciter ſub noſtrâ poteſtate ; non tamen vt in tempore reduplicatiuè. Hoc vt explicem noto primò in tempore peculiariter eſſe indifferentem poteſtatem noſtræ voluntatis ad peccatum, verbi gratia, quam ad ſcientiam Dei : Patet id, 15 *Sed non reduplicatiuè vt in tempore.*

id, nam voluntas poteſt in tempore comparari cum peccato, vt purè futuro, ac proinde realiter loquendo de rebus vt ſunt ex parte obiecti nullam habet determinationem voluntas, in toto inſtanti B, à peccato quod erit in C. Non poteſt autem ſic comparari voluntas noſtra cum ſcientia Dei, nam ſiquidem Dei ſcientia realiter exiſtit pro quolibet tempore, verè, & ex parte obiecti voluntas noſtra non eſt realiter indifferens ad illam etiam vt affirmat de C. ſed potius per illam realiter determinata etiam pro B. ſolumque indifferens cum addito nempè pro priori, illius inſtantis B.

Sub noſtra poteſtate eſt facere ne ſit in Deo ſcientia; ſed non ne data fuerit. Quia hac præteritio reduplicat ſupra tempus, & facit ſenſum compoſitum.

16 Noto ſecundò: voluntas in B, peculiariter eſt determinata quando præcedit determinatio in A, ac quando ſolum datur in ipſo B. Probatur quando datur determinatio in B, præciſè, nondum intelligitur voluntas actu determinata, quouſque includatur actu, quidquid realiter exiſtit in B, at ſi determinatio præcedat in A, non eſt neceſſarium attendere ad omnem determinationem præſentem in B, vt voluntas iam determinata intelligatur. Hinc conſequenter voluntas in tempore cum ſemper ſupponat ſcientiam Dei peculiariter eſt determinata realiter, comparatione ad ipſam ſcientiam, quo non eſt comparatione ad peccatum.

17 Noto tertiò: voluntas, vt in tempore, ſi concipiatur ſub hac reduplicatione compoſitionem realem facit cum præcedentia æternitatis, & rerum quæ ſunt in æternitate, nam implicat eſſe rem in tempore, quin æternitas, & res quæ ſunt æternæ reipſa præcedant talem rem: Ergo quin reipsâ fiat ſenſus compoſitus: ergo in noſtro caſu voluntas, *vt in tempore* verè ex parteque obiecti compoſitionem facit cum ſcientia Dei, licèt nondum faciat compoſitionem formaliter cum peccato.

18 Noto quartò, nulla eſt poteſtas in voluntate ad tollendam rem ex ſuppoſitione quod eſt. Probatur: nam quantumuis res abſolutè ſit contingens, adhuc talem rem eſſe ex ſuppoſitione quod eſt, omninò neceſſarium eſt, ſic ſimpliciter *neceſſe eſt rem eſſe, dum eſt*, ita vt ad tollendam rem in hoc ſtatu nulla potentia ſit nec antecedens. Hinc ſimpliciter impoſſibile eſt tollere rem dum eſt: Ergo tollere poſtquam eſt.

Non eſt poteſtas antecedens ad tollendam rem dum eſt.

19 Noto quintò: voluntas, quæ eſt in tempore ſpecificatiuè loquendo, & ſecundùm entitatem ſuam non ſupponit exiſtentem rem, ſine qua habere poteſt ſuam exiſtentiam præcipuè, ſi à tali re nihil accipiat; nam tunc præſuppoſitio ſolùm poteſt fundari in eo quod entitas voluntatis in ſuo eſſe comparata cum tali re eam prærequirat vt cauſam, nulla enim relatio prioris vel *præſuppoſiti* cogitari poteſt inter duo entia abſoluta ſecundùm ſe præſcindendo à tempore, niſi titulo cauſalitatis: Ergo entitas voluntatis quando eſt in tempore ſecundùm ſe, & ſpecificatiuè accepta non præſupponit exiſtentem rem independenter, à qua vt à causâ exiſtere poteſt.

20 Ex his facilè infertur concluſio, & explicatio poſita, ſub noſtra poteſtate eſt, vt à nobis determinetur ſaltem mediatè quidquid determinatur à noſtra operatione contingenti, dum ipſum non præſupponitur exiſtens; etenim hoc ex nullo capite poteſt cenſeri *neceſſarium*, non quidem in ſe abſolutè; nam quod pendet à contingenti non poteſt eſſe *ens neceſſarium* ſimpliciter, ſed ſimpliciter eſt contingens; non item eſt *neceſſarium* ex ſuppoſitione, quo ſolum pacto res contingens eſſe poteſt *neceſſaria*; ſiquidem hoc non præſupponitur; vt hic ſtatuo; aliunde, quod ſine vlla neceſſi-

Abſolutè eſt ſub noſtra poteſtate ſcientia Dei viſionis de peccato ſecundum ſe.

ta te priori à noſtra operatione determinatur ſub noſtra poteſtate eſſe cenſetur, vt patet in viſione quam habet Petrus de meo curſu libero: Sed ſcientia Dei ſi immediatè compararetur cum voluntate creata entitatiuè independenter à reduplicatione temporis, ſeu independenter ab eo quod imbibat ea, quæ realiter dantur in tempore ex nullo capite habet præſupponi exiſtens, vt patet ex notatione quinta: Ergo adhuc erit ſub poteſtate libera noſtræ voluntatis.

Rurſus voluntas prout in tempore B, in quo peccat realiter loquendo præſupponit extitiſſe ſcientiam Dei, quantumuis præſcindat à peccato B, præſenti vt patet ex notatione prima & ſecunda, vbi dixi peculiarius eſſe voluntatem determinatam realiter à ſcientia Dei, quam à peccato; determinatio autem hæc cum non fiat via cauſalitatis per aliquam præmotionem phyſicam fit formaliter ſupponendo, & imbibendo ipſam ſcientiam. Item ex notatione tertia voluntas prout in tempore realiter concipitur, vt poſterior iis, quæ præcedunt tempore, cum poſterioritas iam ſumatur in linea temporis: Ergo concipitur, vt præſupponens ſcientiam, & reliqua omnia, quæ prætererunt, & vt præterita explicantur, qualis eſt ſcientia Dei, & reuelatio præterita. Tum ſic, ſed nulla eſt poteſtas in voluntate ad tollendam rem ex ſuppoſitione quod eſt, ſeu in ſigno, in quo voluntas illam præſupponit vt patet ex notatione quarta: Ergo non eſt in poteſtate voluntatis prout eſt in tempore reduplicatiuè facere ne Deus habuerit ſcientiam ab æterno. 21

Sed non reduplicatiuè ſub noſtra poteſtate vt in tempore.

Hoc eſt ne ſcientia ſit, ſed non ne fuerit.

Et hinc diuerſi modi loquendi in ſectione præcedenti componuntur: Nam primus antiquorum non probat ſcientiam Dei *prout in tempore*, hoc eſt reduplicatione facta ſuprà ſtatum temporis poſſe tolli à voluntate noſtra, ſiquidem ita facit ſenſum compoſitum & concipitur voluntas, vt poſterior, ſeu vt ſupponens ſcientiam priorem: quo pacto nec noſtræ orationes peterent aliquid à Deo; quis enim petit, vt præſuppoſita ordinatione Diuina, qualis eſt hic & nunc, in hoc tẽpore, velit Deus aliquid de nouo? petimus ergo noſtris orationibus abſolutè, vt Deus velit nobis aliquid donare, quin aliquam reduplicationem faciamus ſcientes à Deo res diſponi ab æterno iuxta merita noſtra præuiſa in tempore. Quare ſimpliciter ad nullum præteritum formaliter datur potentia; nam præteritum compoſitionem facit, ſed ſolum *præteritum*; ſæpè diſponitur temperatè ad futurum, ex quo æquiualenter minus illud dependet ab hoc quam ſi de nouo cauſaretur. Vnde patet ad confirmationem: Nunc etiam quando exiſtit Petrus poteſt non peccare; & nunc etiam poteſt tollere ſcientiam, ſed non vt nunc in tempore, quia hæc reduplicatio, potius imbibit ſenſum compoſitum cum ſcientia, quam cum ipſo peccato, ſiquidem potius indifferentia ad ſcientiam tollitur quam ad ipſum peccatum, vt patet ex prioribus notatis. 22

Componuntur diuerſi, & oppoſiti modi loquendi.

Ad præteritum abſolutè non datur potentia.

Prætereà ſecundus modus abſolutè, & ſecundum ſe non tollit, quin ſit ſub noſtra poteſtate ſcientia Dei; adhuc enim, quantumuis ſit ſub noſtra poteſtate hæc propoſitio: *Deus ſciuit peccatum Antichriſti* eſt ſimpliciter neceſſaria; vt hic & nunc relate ad tempus, de cuius neceſſitate loquuntur authores hi, vt patet ex Molina & Suario, & euidens eſt; nam ſi res dum eſt neceſſe eſt eſſe. Ergo à fortiori poſtquam eſt at ſicut datur omnimoda firmitas rem eſſe dum eſt, & ſcientiam de præſenti eſſe veram infallibiliter, quantumuis ſit 23

Poſſum facere ne Deus ſciat non autem ne ſcieuerit, Quia hoc facit relationem ad ſenſum compoſitum.

ſub

Primum nunc æternitatis nil prius ſupponit, ideo non facit ſenſum compoſitum, ſecus nunc temporis vt patet ex §. 17.

ſub noſtra poteſtate tollere rem, quæ eſt, & tollere ſcientiam de præſenti, ita ſimiliter modo ſecuri erimus de peccato Antichriſti, quantumuis poſſit Antichriſtus tollere illud quia ſcil. ſolum poteſt poteſtate antecedenti ſpecificatiuè; non autem poteſtate complectenti res omnes, vt in tempore realiter ſunt: ad firmitatem autem ſufficit quæuis neceſſitas, quantumuis conſequens. Quæ non ita concipitur in primo *nunc* æternitatis, ſicut in tempore, quia ſcilicet potius in æternitate datur locus indifferentiæ, quam in tempore vt conſtat ex dictis §. 17. per quæ ſatis occurritur argumentis pro hoc ſecundo modo dicendi.

SECTIO IV.

Concluditur concordia præſcientiæ futurorum cum noſtra libertate.

24 EAm maximè impeditam reddit difficultas poſita ſectionis 1. initio. Quare ea breuiter expedienda, cuius pro expeditione ſuppono. Primo ad indemnitatem libertatis ſolum requiri quod neceſſitas non ſit cauſa operationis liberæ, non tamen requiri quod ſit effectus. Hinc ſi Deus vel habitus influerent per actionem diſtinctam ab actione voluntatis in actum liberum, licet actio Dei, & habitus neceſſariò connectatur cum actione voluntatis non deſtruitur huius libertas, quia ſcilicet non venit hæc connexio ab actione Dei, vel habitus vt à cauſa, ſed potius actio Dei, & habitus dependet à voluntate vt per ſuam actionem determinante actiones Dei, & habitus.

Indemnitas libertatis nō petit neceſſitatem ita eſſe conſequentem vt ſit eius effectus ſtrictè, ſed ne ſit cauſa.

25 Præmitto primò non obſtare libertati, quod detur neceſſitas antecedens tempore, ſi in inſtanti operationis neceſſitas ceſſet, ſic quòd ego heri vinculo fuerim detentus me hodie non impedit, ſi ſcilicet hodie tali vinculo ſim expeditus. Præteritum enim vt purè præteritum ita ſe habens omninò ac ſi non fuiſſet non pluris intereſt ad aliquod opus, quam ſi non fuiſſet.

Neque obſtat fuiſſe neceſſitatem heri, dum non ſit hodie.

26 Præmitto tertiò ad libertatem non requiri realem ceſſationem neceſſitatis, ſed tantum quod in inſtanti præſenti non veniat talis neceſſitas niſi ex determinatione voluntatis. Patet hoc, nam ſi neceſſitas de præſenti huiuſcemodi ſubſequens, (hoc eſt veniens ex determinatione voluntatis licet ab illa non cauſetur,) non tollit libertatem ex præmiſſo primo, cum aliunde ex ſecundo *præteriiſſe* neceſſitatem nil referat ſi modo de præſenti ita ſe habeat nihil obſtabit libertati, finge heſternum vinculum durare realiter hodie, ſed iam non ab extrinſeco, ſed quia ego nolo, & determino vinculum permanere, quia ego ipſe tale vinculum cauſo, & conſeruo, quis dicet neceſſitatem vinculi præcedentem modo obſtare libertati, eo quod non realiter ceſſet vinculum.

Nec non ceſſare realiter ſi tamen ita ſe habeat de præſenti ac ſi ceſſaſſet.

27 Ex his ſic concludo concordiam, ſcientia Dei licèt non ſit ſubſequens per efficientiam, eſt tamen ſubſequens determinatiuè operationem voluntatis in hoc inſtanti de præſenti. Ergo in hoc inſtanti non tollet libertatem. Conſequentia hæc patet ex primo præmiſſo. Ergo neque licèt data fuerit ſcientia ab æterno. Patet hoc ex 2. & 3. præmiſſo, Antecedens manifeſtum erit, ſi explicetur quid ſit determinari vnum ab alio, hoc autem non eſt vnum in aliud influere, vel aliqualiter præmouere, nam voluntas determinat actionem habitûs (quam actionem finge diſtinctam, explicationis gratia, neque enim implicat actionem partialem ab alia compartiali diſtingui) & tamen voluntas non efficit, vel præmouet actionem habitus, igitur tunc vnum principium determinatur ab alio vt operetur quando inſpecta virtute prioris tale eſt, vt in ſe concipi nequeat exire in opus, ſecus inſpecta virtute poſterioris: quando ita agit vt negato primo per ſe non implicet apprehendi ſecundum vt operans, ſecus è contra, item quando neceſſe eſt concipi in ſecundo libertatem, vel prædeterminationem, vt primum exeat ad operandum, etenim vbi aliquid ex his inueniatur, rectè dicitur ſimpliciter, *ideo operatur vnum quia operatur aliud*; non è contrà.

Evidens concordiæ explicatio.

Quid ſit vnam cauſam determinari ab alia.

Tunc ſic: ſcientia Dei in hoc inſtanti temporis præſentis, ita comparatur reſpectu noſtræ operationis liberæ; etenim ita pure indifferens eſt intellectus Diuinus, vt nullum fundamentum præbeat ex ſe ad hoc, vt concipiatur potiùs cum ſcientia affirmatiua de operatione noſtra, quam cum negatiuâ; ſecus vero attenta virtute creatæ voluntatis: voluntas creata, licet ſcientia Diuina negetur, concipi poteſt *operans*, ſecus è contra: Denique niſi in noſtrâ voluntate concipiatur libertatis Dominium nunquam intellectus Diuinus exibit ad operandum ergo iure huius ſcientia ab operatione noſtræ voluntatis cenſebitur determinari. Confirmatur, ab indifferenti, vt indifferenti nequit oriri actio determinata, niſi tale indifferens habeat Dominium ſui actus, ſitque formaliter liberum, in hoc enim præcipuè Dominium liberum reſplendet, quod ſine vllo determinante principium indifferens ſe ipſum determinet ad operandum: at intellectus Diuinus eſt ſine vlla libertate purè indifferens hic & nunc ex ſe ad affirmationem, vel negationem operationis noſtræ liberæ. Ergo debet ab aliquo determinari, quod non poteſt eſſe aliud, quam ipſa liberat operatiò. 28

Dices quando Deus vt ita dicam accedit ad hoc inſtans præſens, iam eſt prius ab æterno determinatus ergo non determinabitur ab hac operatione præſenti. Reſpondeo diſtinguo antecedens: eſt determinatus ab æterno per hanc operationem præſentem concedo; per aliam rem exiſtentem prius, quam exiſteret operatio noſtrâ nego antecedens, & conſequentiam, quia eo ipſo quod determinatio æterna ſit ab hac operatione, quæ eſt in hoc inſtanti temporis, quando accedit hoc inſtans, verum erit adhuc quod operatio hæc determinat. Vrgebis, ab æterno non exiſtit iſta operatio ergo non poteſt determinare ſcientiam æternam, nego conſequentiam nam quamuis cauſatio phyſica nequeat exerceri niſi à cauſa exiſtente, bene cauſatio determinatiua, qua intentionalis eſt, vnde & à pura carentia exercetur vt patet quando quis intuetur omiſſionem liberam. 29

Scientia Dei ab æterno determinatur ab operatione temporali

Cauſa vt determinet non requirit exiſtentiam.

Hinc etiam nunc exercetur iſta cauſatio determinatiua in ſcientiam, vel reuelationem, quæ præteriit, quia ſimiliter cauſatio intentionalis poterit in præteritum exerceri, (quamuis non poſſit phyſica) quatenus nihil fundamenti eſt, vt ſcientia determinata ab æterno intelligatur, Deuſque ſciens iuxta dicta num. 28. niſi attendatur hic, & nunc virtus creata operans, quamuis enim ante hoc tempus præceſſerit determinata ſcientia: at *ſic præceſſiſſe*, non aliunde determinationem hauſit, quam ab hac operatione noſtrâ præſenti, vt ita ſe habeat, ac ſi ab æterno noſtra operatio præceſſiſſet; Ergo tota determinatio ſcientiæ Dei venit à noſtra præſenti operatione, vt prædicta 30

ſcientia ita ſe habeat nunc ac ſi non præceſſiſſet in æternitate; modoque in tempore, non minus noſtra operatio ſit primum fundamentum determinandi intellectum Diuinum, quam ſi modo haberetur Diuina ſcientia. Quemadmodum merita, quamuis phyſicè non exiſtant, ita determinant ad conferendum præmium,& ita illud moraliter,cauſant ac ſi phyſicè exiſterent.

31 *Neceſſitas ſubſequens determinatiuè, licèt non effectiuè voluntatem liberam non illi nocet.*

Rurſus ſic arguo. Indemnitas libertatis ſeruatur vbi neceſſitas ſeruet ſubſecutionem determinationis ab operatione liberâ temporali, ſed poteſt præſcientia licet prior tempore ſeruare hanc ſubſecutionem. Ergo,&c. Maior patet ex dictis; quo enim pacto concipi poteſt quod aliquid neceſſitet me ad operandum per ſuam operationem, ſi ideò i, ſe operatur quia ego operor? ſi vt ipſe exeat ad operandum neceſſe eſt ad meum libitum attendere? Vnde ipſe quaſi paſſiuè ſe habet, ego vero actiuè; minor probatur tum à paritate futuritionis ipſius operis, quæ antecedit tempore opus ipſum, prius enim quam exiſteret peccatum Petri hodie, iam heri verè affirmabilis erat eius futuritio, quæ cum non diſtinguatur à peccato præſenti ſubſequetur hodie liberam determinationem; tum etiam in præmio, quo datur dependenter à meritis futuris, negari enim non poteſt, quod præſcius operum futurorum (quidquid ſit velis eſſe neceſſaria, vel libera) moueri queat ad præſtandum aliquid antecedenti tempore, quod præmium præſtitum ſeruat prædictam ſubſecutionem determinationis: tum denique à priori; cauſalitas determinatiua non requirit exiſtentiam. Ergo poterit res ſic cauſare vt futura. Ergo bene ſcientia prior tempore poterit à re poſteriori determinari.

32 Confirmantur hæc,vt ſeruetur indemnis libertas perinde eſt ſcientiam priorem tempore determinari à noſtra operatione futura, quam ſcientiam præſentem determinari à præſenti: ſed ſcientia Dei quantumuis prior tempore determinatur à noſtra operatione futura ergo ſeruatur huius libertas, perinde ac ſi determinaretur à præſenti, in quo caſu euidens eſt noſtra libertas conſequentia patet, & Minor ex dictis, in eo enim ſolum fundari poteſt cauſalis illa; *ideò ſcitur à Deo noſtra operatio quia eſt futura*, non è contra, item hæc eſt profunditas, & eminentia ſcientiæ Dei, vt à futura re determinetur, ac ſi res foret præſens, neque aliter concipi poteſt, cum ſcientia Dei non determinetur ab intrinſeco, quo pacto intellectus Diuinus indifferens valeat ad vnam ſcientiam præ aliâ determinari, niſi quatenus ab obiecto extrinſeco futuro, quaſi à præſenti determinetur.

33 *Perinde congruit libertati determinari ab operatione eius vt futura, ac vt præſenti.*

Iam maior probatur primo perinde eſt determinari ab operatione proxima, quam diſtante localiter. Ergo quam diſtante tempore. Secundò ſi ſcientia cauſaretur phyſicè ab operatione perinde eſſet, vt ſeruaretur libertas, cauſari ab operatione futurâ, quam cauſari à præſenti. Ergo idem dicendum eſt, ſi determinatiuè quaſi cauſetur: nam vt ſeruetur libertas idem eſt, quod neceſſitas ſubſequatur determinatione, ac cauſalitate phyſicâ iuxta §. 31. Tertio à priori ſcientia, quæ determinatur ab operatione præſenti, ideò non deſtruit libertatem, quia nihil intrinſecè immutat, afficit,vel innouat modum noſtræ voluntatis, plus quam ſi non eſſet talis ſcientia, ſed quaſi expectat, quod ſubſit placito voluntatis; Et illud ſpeculatur: at ita ſe habet ſcientia, quæ determinatur ab operatione futura (vnde ſi fingenda eſt difficultas in hac concordiâ, maximè in modo, quo ſcientia Dei, ſine aliquo fulcro præſenti, eo ſolum quod res futura ſit exeat in affirmationem illius de quo latè in ſequentibus) ergo vt ſeruetur indemnis libertas noſtra perinde ſe habet ſcientiam priorem tempore determinari ab operatione futura,ac præſentem à præſenti.

Apparens difficultas potius fingenda eſt in præſcientia, quã in concordia libertatis.

DISPVTATIO XLVIII.

Vtrùm creaturæ habeant realem & entitatiuam præſentiam in æternitate, in qua cognoſcantur à Deo.

SECTIO I. *Status quæſtionis.*

SECTIO II. *Sententia negans & eius fundamenta.*

SECTIO III. *Sententia affirmans & eius communes probationes.*

SECTIO IV. *Futura ſunt præſentia, & coëxiſtentia æternitati Dei per præſentiam, & coëxiſtentiam ipſius Dei, non præſentiâ, & coëxiſtentiâ propriâ.*

SECTIO V. *Occurritur fundamentis in ſectione ſecunda, aliæque obiectiones proponuntur & ſoluuntur.*

INNVMERA ſunt Patrum teſtimonia, quæ adducere poſſem, ſatis clarè ſtatuentia realem præſentiam à me explicandam in ſectione 4. Deo ratione ſuæ æternitatis conuenientem iam reſpectu futurorum, ſed, ne longa & odioſa velut in iudiciis Scholaſticam noſtram diſputationẽ tot teſtium appellatione interpellem, circumſcriptâ eorum multitudine, certos duntaxat præcipuè meæ exiſtimationi fauentes, hic & in margines huius, & ſequentis diſputationis producam; & hic quidem ſolus audiatur Boëtius lib. 5. de Conſolatio. Proſa. 6. cuius æternitatis definitio ab omnibus ſuſpicitur. *Æternitas* (inquit) *eſt interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio: nam quidquid viuit in tempore, id præſens à præteritis in futura procedit; nihilque eſt in tempore conſtitutum, quod totum vitæ ſuæ ſpatium pariter poſſit amplecti. Quod igitur temporis patitur conditionem, licet illud (ſicut de mundo cenſuit Ariſtoteles) nec cœperit vnquam eſſe, nec deſinat, vitaque eius cum temporis infinitate tendatur, nondum tamen tale eſt, vt credatur eſſe æternum. Non enim totum ſimul infinitæ licet vitæ ſpatium comprehendit, ſed futura nondum tranſacta iam non habet. Quod igitur interminabilis vitæ plenitudinem totam pariter comprehendit, ac poſſidet, cui nec futuri quidquam abiit, nec præteriti fluxerit, id æternum eſſe iure perhibetur. Idque neceſſe eſt, & ſui compos præſens ſemper aſſiſtere, & infinitatem mobilis temporis habere præſentem. Vnde quidem non rectè qui cum audiunt, viſum Platoni mundum hunc nec abuiſſe initium nec habituum eſſe finem, hoc modo conditori conditum mundum fieri coæternum putant.*

putant. Aliud eſt enim per interminabilem duci vitam, quod mundo Plato tribuit; aliud interminabilis vitæ totam pariter complexam eſſe præſentiam, quod diuinæ mentis proprium eſſe manifeſtum eſt. Quibus verbis mihi etiam eſt manifeſtiſſimum iuxta mentem Boëtij *ſimultatem* æternitatis non conſiſtere in præciſâ neceſſitate eſſendi ſemper, niſi vlterius complectatur & occupet ſimul omnia tempora, ſiquidem primum licet concederetur mundo non habenti initium, nec finem; adhuc mundus non foret coæternus Deo, quod etiam declarat Plato in Timæo, explicatque Proclus in 2. lib. Commentariorum ad Timæum Platonis.

SECTIO I.

Status quæſtionis.

1 *Proponuntur tria principia certa, & extra controuerſiam.* VT iſte perfectè calleatur à quo quidquid eſt quæſtionis (ferè in ſola voce conſiſtentis) dependet, ponenda ſunt aliqua omnino certa 1. creaturas in tempore incæpiſſe, ita vt earum vera carentia ab æterno præceſſerit ob quod de Antichriſto non poteſt dici *coextitiſſe ab æterno*; ſicut verè dicitur de eius carentia. Neque item verum eſt Antichriſtum coexiſtere in tota æternitate ſucceſſiua extrinſeca, in qua Deus durat ſed ſolum in parte illius: ſicut neque exiſtit in omni loco, in quo Dei immenſitas vbicatur. Secundò, Antichriſtus in propria duratione ſui temporis coexiſtit toti æternitati *intrinſecæ*, hoc eſt toti attributo Dei, quo Deus neceſſitatur, vt ſemper duret; nam hoc attributum æternitatis eſt indiuiſibile partibus carens: Ergo non poteſt ipſi ſolum partim coexiſtere, id patet in immenſitate Dei, cui toti ego ſum proximus Valliſoleti, licèt Romæ non ſim vbi ipſa exiſtit. Tertiò, Antichriſtus habet in æternitate præſentiam obiectiuam, ſeu in *eſſe cognito*, quia hoc nihil aliud eſt, quam quod Deus Antichriſtum cognoſcat ab æterno, quod de fide eſt vt patet.

2 *De quo quæſtio procedat.* Hinc quæſtio relinquitur an his non obſtantibus, priuſquam futura ſint in propria duratione temporis ſucceſſiui ſit vera propoſitio enuntians de præſenti phyſicam, & realem eorum futurorum exiſtentiã in æternitate Dei, vt ſi hodie aſſeras de præſenti: *Antichriſtus eſt præſens Deo ſecundùm eſſe reale propriæ exiſtentiæ:* ſiue *coexiſtit phyſicè, & realiter æternitati Dei*, quamuis non coexiſtat ipſi pro ſemper, hoc eſt exiſtendo in omnibus differentiis temporis, in quibus datur æternitas; at è ſua differentia temporis, ſeu quia in illa exiſtit res futura ſemper præbeat fundamentum vt dicatur de præſenti, etiam in temporibus antecedentibus *actu exiſtere* in æternitate.

SECTIO II.

Sententia negans, & eius fundamenta.

3 *Negant Scotus. Scotiſtæ. Smiſing. Nominales. Oxam. Durandus. Durãdenſes. Suarez.* NEgant quatuor * Scholæ Scotiſtarum cum Scoto 1. diſtinct. 39. apud Smiſing, tractatus 2. diſput. 4. quæſt. 3. à num. 84. Nominalium cum Oxam 1. diſtinct. 38. Durandenſium cum Durando 1. diſtinct. 38. quæſtione 3. articul. 2. & noſtræ Societatis communiter cum Suario, Vaſquez, Valentia, Bellarmino, & aliis apud Martinon, diſput. 11. ſect. 8. Amico, diſput. 12. ſect. 4. fauentque Sancti Patres, imo Scripturæ ſacræ teſtimonia, quibus paſſim dicitur Deus extitiſſe antequam res fierent. *Vaſquez. Valentia. Bellarm. Martinon. Amico.*

Probatur primò futurum cras, verbi gratia, non exiſtit in ſe de præſenti; non ſolum in hoc *nunc*, ſed neque in ſua differentia temporis abſolutè de præſenti datur, impropriiſſimè enim diceretur: *exiſtit abſolutè actu de præſenti ipſum cras*, ſeu ipſum futurum cras, eâ ratione, qua id affirmabitur craſtina die de tali futuro: Ergo huiuſmodi futurum abſolutè nec æternitati, nec vlli rei coexiſtit, patet conſequentia, nam coexiſtentia ſupponit, ſeu imbibit exiſtentiam duorum, ideo dies craſtinus non coexiſtit hodierno, quia craſtinus in ſe non exiſtit. Confirmatur res non coexiſtit de præſenti *ſimilis, alba* vel *in loco*, & ita de aliis prædicatis accidentalibus, niſi in ſe exiſtat; ſed res futura non eſt exiſtens in ſe, vt patet ex num. 1. ideo creaturæ non exiſtunt ab æterno: Ergo neque eſt coexiſtens; coexiſtentia enim eſt quædam ſimilitudo exiſtendi, prædicatumque accidentale. 4

Secundò, vt exiſtat res in alienâ menſurâ opus eſt, vt concipiatur prius in propria ſic ex Ariſtotele 4. Phyſicorum cap. 2. text. 14. res inferiores ſunt ſub cælo, quia ſunt in proprio loco, qui ſub cælo eſt; neque aliter concipi poteſt me eſſe in hoc gymnaſio, niſi prius ſim in aliquo loco peculiari. Item ideò poſſibilia non coexiſtunt æternitati, quia in nullâ menſurâ propriæ durationis exiſtunt: at de præſenti in nulla menſurâ & duratione propria exiſtit Antichriſtus: Ergo neque æternitati coexiſtit, ſeu præſens eſt. Confirmatur, ita modo nihil eſt de Antichriſto, ſicut nihil eſt de re purè poſſibili, vt totum diſcrimen de futuro ſit, non de præſenti: Ergo quemadmodum de præſenti res poſſibilis non coexiſtit æternitati, nec futura.

Tertiò, Antichriſtus non habet *eſſe* pro omni tempore, ſed pro aliquo determinato, neque enim dices, ita eſſe præſentem æternitati, ſicut Spiritusſanctus eſt æternitati præſens: Ergo ſolùm in tempore determinato poterit affirmari præſentia, non ante illud tempus. Conſequentia probatur, quia alioqui illimitatæ durationis foret Antichriſtus; ſicut illimitatæ vbicationis foret res, de qua vbique affirmari poſſet præſentia immenſitati, ideò affirmari nequit quod ego *Romæ coexiſto* immenſitati, ergo neque quod Antichriſtus in hoc nunc hodierno coexiſtit æternitati. Confirmatur ſi Antichriſtus quia aliquando verè dicitur *eſt*, iam abſolutè coexiſtit æternitati: ergo quia aliquando dicetur: *non eſt* non coexiſtet, ex quo duo ſtrictiſſima contradictoria vera erunt de eodem. 6

Quartò, licèt æuum Angeli ſit indiuiſibile iuxta communiorem ſententiam (idemque patet à fortiori de æuo viſionis Beatæ, quæ ſui æternam durationem videt, ita vt ſemel producta indeſtructibilis ſit iuxta plures ſicut infalſificabilis) adhuc tamen tali æuo, non coexiſtunt futura; tum quia hæc coexiſtentia futurorum ſolum eſt reſpectu æternitatis, tum etiam quia alioqui Angelus, vel Beati ſic æterni naturaliter ſcirent futura, & diem Iudicij, quem nemo ſcit niſi Filius Dei, & cui voluerit Filius reuelare: nam ob hanc præſcientiam Deus ſcit futura. 7

***

SECTIO III.

Sententia affirmans, & eius communes probationes.

8 *Sententia Caietani affirmatiua.*

Ex Capreolo quos ſequuntur. Molina. Granado. Fonſeca. Gillius. Ruiz.

CAietanus hic art. 3. §. *ad has obiectiones* gloriatur ſe poſt quindecim annos laboris nouam ante tres dies inueniſſe viam explicandi pręſentiam rerum in ęternitate, quam explicationem nemo quem viderit nec verbo, nec ſcripto attigit: Sed non vidit ipſe antiquiorem Capreolum 1. diſt. 36. quęſt. 1. art. 2. nulla re ab illo diſſidentem, vtrumque ſequuntur omnes Thomiſtę recentiores, & ex noſtris Molina in pręſenti diſp. 13. Granad. tract. 4. diſput. 3. ſect. 2. Fonſec. 6. Metaph. cap. 2. quęſt. 4. ſect. 2. Gillius lib. 2. de eſſentia Dei tract. 18. à cap. 15 pluresque alij ſubſcripti à Patre Ruiz diſputat. 28. ſectione 3.

9 *Prima probatio.*

Probatur primo ex Caietano, licet Verbum abſolute iuxta communiorem acceptionem connotet ſeu ſignet cum tempore, & conſignet tempus, vnde ly *exiſtit* vel *currit* non ſolum ſignat curſum, ſed etiam tempus præſens, ſeu nunc temporis, at non repugnat quod accipiatur conſignans ęternitatem, vt abſtrahat à tempore, & ſolum menſuret, & comparet curſum cũ ęternitate, etenim ſic vel ſic accipi ſignatum vocis pendet ex hominũ placito. Iam ſic arguitur. Sed ſi ſignatio verbi *exiſtit* compararetur cum ęternitate non poteſt connotare *ante*, nec poſt: *prius nec poſterius* quod in ęternitate indiuiſibili apprehendi nequit, hę namque ſucceſſiones ſunt proprię temporis. Ergo ſolum connotabit *nunc* ęternitatis, ſeu pręſentiam. Ergo reş collatæ, & menſuratæ per æternitatem ipſi ſemper de præſenti coëxiſtent.

10 *Quæſtionem reddit de nomine, & impropie loquitur.*

Hæc tamen probatio, ſeu explicatio, & quæſtionem reddit de nomine (quis enim in re dubitet, ſi ſumatur Antichriſtus ſecundum ſe, & conferatur cum æternitate nihil habere *futuri*, quemadmodum ſi conferatur cum immenſitate nil habebit *diſtantis*) & impropriè vult per æternitatem menſurari rem ſucceſſiuam, ſicut ineptè per quantitatem *continuam* menſuraretur *diſcreta*, vt ſi per pondus libræ menſures æſtimationem Angeli; & ratio eſt quia omnis menſura talis debet eſſe, vt ratione ipſius diſcernatur menſuratum maius à minori, quis autem per æternitatem diſcernat; an aliquid magis, vel minus duret, vt per immenſitatem indiuiſibilem Dei; an aliquid magis, vel minus extendatur, cum æquè vnus palmus ac mille tangat immenſitatem ſecundum ſe totam.

11 *Secunda.*

Probatur ſecundò Antichriſtus non eſt *futurus* reſpectu Dei ergo *præſens*. Conſequentia hæc patet. Antecedens probatur tum à paritate immenſitatis, ratione cuius nihil à Deo diſtat localiter, Ergo nec duratiuè ratione æternitatis tum etiam *phyſice futurum* reſpectu alicuius includit quatenus tale aliquam durationem huius iam præteritam, cum ipſum aduenerit; nulla autem duratio Dei tranſit, cum nihil Diuinum deſinat eſſe poſtquam eſt. Confirmatur in creatis ea ſunt præſentia, quæ pro eadem indiuiſibili duratione coëxiſtunt, & quæ eis afficiuntur durationibus vt tales durationes nequeant exiſtere niſi coëxiſtentes; ſi enim Petrus verbi gratia Durans in A. ſit determinatus ad coëxiſtendum Paulo per eandem durationem A. ſignum eſt ipſi eſſe præſentem; at Deus per hanc ſuam æternitatem indiuiſibilem, quam nun habet, eſt determinatus ad coëxiſtendum Antichriſto. Ergo eſt illi præſens.

12 *Etiam eſt de nomine improprio, & manifeſte eſt contra Beëtium relatũ in proœm. huius diſp. vbi de mundo quantumuis ab æterno, & neceſſario exiſtente negat coëxiſtere futuris.*

Etiam iſta probatio eſt de nomine, nemo enim in re dubitat quin Deus intrinſecè per eandem durationem duret, qua poſtea Antichriſto erit præſens; An verò id ſufficiat ad rationem *præſentis* quæſtio eſt de voce, in qua ex hoc titulo impropriè affirmatur: nam viſio beata indeſtructibilis: de qua ſect. 2. fine vel modus durationis affixus pluribus inſtantibus, non ideò eſt præſens Antichriſto futuro, quia ſcilicet non coëxiſtunt ſecundum idem tempus imaginarium. Ergo ſimiliter dicetur hic. Paritas ab immenſitate nulla eſt; nam nil quod exiſtit in hoc gymnaſio diſtat localiter ab Angelo verbi gratia, & tamen diſtat duratiuè quod eſt in fine huius horæ, ab Angelo qui eſt in initio horæ licet Æuum Angeli ſit indiuiſibile minus prodeſt paritas à creatis: nam ideo hic datur præſentia dum coëxiſtunt duo ſine variatione durationis, quia talis duratio formaliter, & virtualiter ſeu intrinſecè, & extrinſecè eſt indiuiſibilis, quin poſſit vnus exiſtere, non exiſtente alio, qui durat in A. æternitas vero cum exiſtat, quin exiſtat Antichriſtus non facit præſentiam quæ in nobis contingit, ſed potius aſſimilabitur futuritioni.

13 *3. Probatio. Quando res dicitur non eſſe nunc ipſa ſecundum ſe quaſi ſubſtantialiter non deeſt, ſed tantum eius duratio.*

Probatur tertiò ex quodam principio de quo plura dicam in Philoſophia nempe eo ipſo quod res exiſtat nunquam datur carentia ſubſtantialis illius rei ſecundum ſe, ſed tantum illius *vt in hoc nunc temporis*, vel in illo *durantis*; ſicut eo ipſo quod ego alicubi ſim nuſquam datur mei ipſius carentia, etenim licèt ego non ſim Romæ, non tamen datur Romæ carentia rei, (alias in eodem inſtanti daretur in rerum natura ſimul res & eius carentia) ſed tantum meæ vbicationis, ſolumque per carentiam modi vbicationis, quamuis nihil deficiat in mea ſubſtantia iam non ſum Romæ. Ergo ſimiliter per ſolam carentiam modi ſuperadditi durationis non erit Antichriſtus nunc quamuis non deficiat eius ſubſtantia ſecundum ſe. Ergo Antichriſtus abſolutè ſecundum ſe ſemper eſt præſens ac proinde coëxiſtit æternitati.

14 *Improbatur hæc doctrina vt abſurdorum ferax.*

Probatio hęc maximè de re eſt, liberatque quęſtionem à vocibus, ac iuxta principium poſitum legitimè concludit, in eo tamen non quieſco; inde enim fieret creaturam eſſe ſubſtantialiter *indeſtructibilem*. Item in Euchariſtia non deficere ſubſtantiam panis, ſed ſolum accidens, per reproductionemque rei non ſubſtantiam, ſed ſolum modum durationis attingi, vti per locationem, vel aliam accidentalem actionem: peccatum ſancti Petri non minus propriè in ſe verè exiſtere, quam in tempore negationis: rem eandem ſeipſam conſeruare, nam producit ſuę durationis modum homines non producendos potius ſubſtantialiter dum primò generantur, ac dum reſurgunt verbi gratia per eandem vnionem, nam vtrobique exiſtit vnio ſecundum ſe, in natiuitate, quia exiſtit reſurrectio in reſurrectione, quia exiſtit natiuitas. Denique iuxta plures admittentes poſſe exiſtere creaturam ſine omni modo durationis arguo; res vt ſic non amatur neceſſario à Deo. Ergo poteſt odio haberi, ergo deſtrui, & deficere, non pręciſè quoad modum qui non datur; Ergo ſubſtantialiter, quantumuis exiſterit.

15 *3. Probatio aliter proponitur veroſimilis.*

Aliter poſſet formari hęc tertia probatio poſita pręciſè ſententia iam cõmuni diſtinguẽte durationem à re durantio ſine duratio ſit modus antecedens, ſiue conſequens res ſubſtantialiter in ſe, vt diſtincta à modo exiſtit per ſeipſam, & in ſeipſa formaliter pręſcindendo à tempore (quidquid ſit de carentia

carentia ſubſtātiali rei, non enim opponūtur in rerū natura carentia, & res niſi pro eodem inſtanti temporis, quo occurritur abſurdis in numero præcedenti) ergo exiſtit ſine ſucceſſione priori vel poſteriori, iſta enim ſucceſſio venit à duratione temporis. Ergo de præſenti. Confirmatur; res vt ſic ſecundum ſe exiſtens comparata cum æternitate non eſt futura neque præterita, hoc enim totum venit à ſucceſſione, quę formaliter & intrinſecè non datur in re ſic ſecundum ſe acceptâ. Ergo erit præſens: nam formaliſſimè res apprehenditur præſens cum nec futura eſt, nec præterita: nè autem dicas iſta omnia contingere ſolum præciſiuè, ſeu per rationem noſtram, pone rem exiſtere ex parte obiecti ſine omni modo ſuperaddito, quod realiter poſſe contingere plures cenſent.

16 Ob hunc diſcurſum ego alibi negabo durationem diſtingui à re durante, ſed neceſſario admittendam in rebus creatis intrinſecam ſucceſſionem independenter ab omni modo diſtincto, etenim independenter à modo ſuperaddito concipitur res *eſſe* & *non eſſe* in ſe (ſicut enim res eſt per exiſtentiam ſui, & non præcisè per exiſtentiam modi diſtincti, ita *non eſt* per *non exiſtentiam ſui*, & non præcisè *per non exiſtentiam modi* diſtincti) quæ viciſſitudo eſſendi, & non eſſendi per ſeipſam dicit ſucceſſionem, cum per ſe dicat repugnantiam coëxiſtentiæ ad idem inſtans noſtri temporis. Sed admiſſa in præſenti illa ſententia. Ad argumentum in §. præcedenti omiſſo antecedenti diſtinguo conſequens; ſucceſſio formalis, ratione cuius exiſtentia ſit, *prius* formaliter quam carentia, vel è contra venit à duratione temporis concedo; ratione cuius exiſtentia, & carentia *dicant repugnantiam ad idem tempus*; nego primam conſequentiam, & ſecundam, nam *eſſe* de præſenti ſimpliciter omnem ſucceſſionem, & carentiam exiſtendi negat. Hinc ad confirmationem res ſecundum ſe non eſt futura, nec præterita ſi compararetur cum æternitate, ſicut nec ſi compararetur cum ipſius rei carentia; at quemadmodum non ideo carentiæ eſt præſens, quia eſſentialiter habet illam excludere, ita nec æternitati.

17 Quartò maximè probatur ex Patribus hæc ſententia qui dum ponunt tanquam Dei propriam præſentiam futurorum, non loquuntur de præſentia *obiectiua*, ſeu in eſſe cognito. Ergo de phyſica, & entitatiua. Antecedens patet primo quia obiectiua, etiam datur reſpectu cognitionis creatæ. Secundò iſta præſentia ponitur ad probandam obiectiuam, ſeu tanquam fundamentum vt probentur futura cognoſci à Deo. Tertio vt præſcientia Dei non tollat libertatem. Quarto vt Deus præ Angelo habeat fundamentum cognoſcendi futura. Si autem poneretur ſolum præſentia obiectiua, ſeu in cognoſci, idem per idem probaretur, vt patet & latè oſtendit Ruiz diſp. 18. ſect. 4. & 5.

4. Probatio vrgens ex Patribus qui non ſolum ponunt præſentiam obiectiuam.

18 Neque hæc probatio eſt efficax, dici namque poteſt Dei eſſe proprium quod ipſi immutato ſecundum eandem durationem quam habet nunc res futuræ præſententur non quidem nunc de præſenti, ſed quando aduenìat earum differentia temporis, quod non contingit præſcientiæ creatæ, item eſt bonum fundamentum vt Deus cognoſcat futura licet hæc ipſi non ſint phyſicè coëxiſtentia, tum quia adhuc ea non ſunt ipſi ſimpliciter futura per ſtrictam futuritionem, ſicut nobis, vt dixi num. 12. fine; tum etiam quia ſiquidem futura debet cognoſcere quando ſint præſentia, & ex eo non tollit libertatem, ſi aliunde Deus ſemper intrinſecè immutatus eſt, bene probatur hinc, quod eodem modo ſine præiudicio libertatis noſtræ eadem futurâ debeat cognoſcere ab æterno. Aliter ergo explicanda, & probanda eſt vera ſententia.

Soluitur.

SECTIO IV.

Futura ſunt præſentia, & coëxiſtentia æternitati Dei, præſentia, & coëxiſtentia Dei, non præſentia, & coëxiſtentia propria.

HOc eſt Deus etiam nunc temporis (ſpecificatiuè loquendo, quamuis non *prout nunc*) eſt 19
actu præſens, & coëxiſtens temporibus futuris, quemadmodum ſpecificatiuè Deus qui eſt Valliſoleti, eſt ſimul Matriti; licèt non *prout Valliſoleti* quia nempe Valliſoletum non eſt Matriti, ita in hoc nunc temporis non exiſtit inſtans futurum, Deus tamen exiſtit in vtroque, & hæc eſt Dei excellentia vt ſine vlla ſui ſucceſſione ſucceſſiuis temporibus, coexiſtat, omnia quaſi vno ictu occupans, & penetrans entitatiuè; quin ipſius æternitati aliquid phyſicè de nouo in tempore contigerit, quod ſtatim à primò ſui eſſe, vt ita dicam, ipſe Deus non attigerit æquè ex parte ſui Deus præterita & futura, quam ipſa præſentia realiter, & abſolutè exiſtentia complectens phyſicè, vt non prius vni tempori coexiſtat, quam alteri; nil expectans, nilque quod ſemel entitatiuè apprehenderit derelinquens.

Vide infra q. 10. art. 1. dub. 1 & 3 & ar. 2. dub. 1.

Probatur primo nam vt quid admirabile, & maximè ſuperans noſtrum modum eſſendi, & apprehendendi, dicitur de Deo & de ipſius æternitate quod ſit *ſimul tota, & perfecta poſſeſſio pariter comprehendens totam plenitudinem temporis, cui nec futuri quidquam abſit, nec præteriti fluxerit*, iuxta Boërium 5. de conſolatione proſ. 6. *nihil nouum Deo eſt, aut recens: coram Deo præſentia non tranſeunt, fixa ſtant, futura non expectantur: omnia ſunt ſimul, etiam nobis ſucceſſiua*, & ſexcenta ſimilia quæ latè refert Ruiz diſp. 28. ſect. 4. & ego ſupra, de quibus Anſelmus in Monolog. cap. 22. initio iure exclamat. *Quomodo eſt aliquid totum ſimul in ſingulis temporibus, ſi ipſa tempora non ſunt ſimul? quomodo conuenient hæc tam contraria ſecundum prolationem, & tam neceſſaria ſecundum probationem.* Hoc idem Auguſtinus ſæpiſſimè, præcipue 4. de Trinit. cap. 17. ibi: *apud Deum præterita & futura ſtant*, & cap. vltim. *apud Deum nec præterita tranſeunt, & futura iam facta ſunt.* S. Gregor. lib. 16. Moral. cap. 20. *Ibi quippe eſt* (ait de æternitate Dei) *quod nec initio incipitur, nec fine determinatur, vbi neque expectatur quod veniet, neque percurrit quod debeat recordari, ſed eſt vnum, quod ſemper eſſe eſt.* Et paulo poſt, *æternitas ſemper eſſe habet, in qua nulla pars ſuæ longitudinis præterit, vt pars alia ſuccedat: ſed totum ſimul eſſe eſt, & nihil deeſt quod cernat.* Et lib. 20. cap. 23. *In illo enim nec præterita, nec futura reperiri queunt, ſed cuncta mutabilia immutabiliter durant: & quæ in ſeipſis ſimul exiſtere non poſſunt, illi ſimul omnia aſſiſtunt, nihilque in illo præterit, quod tranſit; quia in æternitate eius modo quodam incomprehenſibili cuncta volumina ſeculorum tranſeuntia manent, currentia ſtant.* Gregor. Nyſſen. 20

Deus nunc occupat iam & exiſtit in tempore craſtino.

Nyſſen. lib. 1. contra Eunomium latâ & eruditâ oratione hoc explicat, ac demum concludit ſic: *At verò nullius egens illa, & æterna & omnia, quæ ſunt complexa natura, neque in loco eſt, neque in tempore. Sed ante hæc, & ſuper hæc inexplicabili quadam ratione ipſa in ſe ſolâ fide conſpicitur, neque ſæculis circumſcripta, neque cum temporibus decurrens*, &c.

21 Ex quibus ſic arguo: hæc ſimultas, & poſſeſſio omnium myſterium non habet in æternitate ſolum *intrinſeca*, quoad perfectionem Dei, quatenus eadem Dei entitas indiuiſim omnibus ſucceſſiuè poſſit coexiſtere; ſic enim etiam Angelus ſuam entitatem intrinſecam ſimul habet, & per eandem indiuiſim ſine ſuæ entitatis ſucceſſione omnibus temporibus coexiſtit, omnibuſque ſuis ſucceſſiuis durationibus, quod maximè patet in viſione Beata, quæ affirmaret ſui æternam durationem; eſſetque vt plures admittunt eſſentialiter indeſtructibilis, vnde neque aliquem modum ſuperadditum admitteret, ſed per ſeipſam immutatam haberet eſſentialiter coexiſtere omnibus temporibus ſuccedentibus: Ergo ſimultas propria æternitatis Dei, & eius admirabilis excellentia debet eſſe, vt æquè primò tempus præteritum, præſens, & futurum poſſideat modo explicato num. præced.

22 Probatur ſecundò: Deus non exiſtit prius in vno inſtanti, quam in alio; heri, verbi gratia, quam hodie, ergo ſimul; conſequentia patet. Antecedens ſuadetur primò ex communi modo loquendi & ſentiendi Patrum in illud Pſalmi 2. *Ego hodie genui te*: quod explicant quaſi æquè de nouo gignatur æternum verbum hodie non minus quam heri, & quam ſi nunc inciperet, ergo nihil prioritatis fuit heri potius quam hodie Pſal. 2. verſ. 7. Vide apud Lorinum, Athanaſ. Baſil. Cyrill. Alexād. & Hieroſol. Audi præcipuè Auguſtinum, cap. 13. Confeſſ. *Anni tui omnes ſimul ſtant, neque euntes à venientibus excluduntur, quia non tranſeunt; iſti autem noſtri omnes erunt, nam omnes non erunt. Anni tui dies vnus, & dies tuus non quotidie, ſed hodie. Quia hodiernus tuus non cedit craſtino, neque ſuccedit heſterno. Hodiernus tuus Æternitas. Ideò coæternum genuiſti, cui dixiſti: Ego hodie genui te.* Sic etiam idem Auguſtin. in tract. ad Pſalmum eundem 2. ly *hodie* ad æternitatem refert; & ad Pſal. 89. & lib. 83. qq. q. 17. ac. 19. & tract. 99. in Ioan. & ſerm. 24. de diuerſis. Idem antecedens ſuadetur ſecundò ex libertate decreti Diuini, ſi prius extitiſſet heri, quam hodie, iam Deus hodie neceſſariò conſeruaret ſuum decretum, quin formaliter hodie ſit laudabilis, quemadmodum neceſſariò homo operaretur, nihilque laudis mereretur hodie formaliter, ſi conſeruatio decreti heſterni nunc neceſſaria foret; Deo autem non minus neceſſaria eſt conſeruatio hodierna, & ſine libertate immediata, & formali decreti præſuppoſiti heri quam in homine, cuius volitio ſemel exiſtens non poſſet non conſeruari. Tertiò, ſi poſſet exiſtere Deus heri vel hodie quin actu exiſtat cras poſſet aliquod decretum Dei liberum incipere, vel etiam deſinere in tempore ſaltem denominatiuè (quæ ſententia reijcitur ab omnibus Doctoribus contra Antonium Delphinum lib. de rerum euentu pag. 23.) nam hæc variatio immutabilitati Dei non obſtat; ſiquidem admittitur in primo nunc æternitatis, aliunde benè concipitur, iuxta aduerſarios volitionem Dei eſſe heri vel hodie, quin concipiatur eſſe cras: Ergo omninò poſſet cras quoad denominationem deficere.

23 Tertiò, Deus ab æterno, & æquè primò poteſt de præſenti de omnibus rebus affirmare abſolutè, *exiſtunt*; verbi gratia, non ſolum affirmat; *exiſtit præſens Antichriſtus pro inſtanti B.* Sed ſine addito, & relatione: *exiſtit*, de Antichriſto autem hoc affirmari nequit, niſi ab intellectu præſenti, poſſidente, ſeu exiſtente iam in ipſo inſtanti B, quando erit Antichriſtus: Ergo Deus iam eſt præſens, occupatque ſeu poſſidet tempus B, futurum. Pro hoc tertio argumento eſt Auguſt. citandus diſput. ſequ. ſect. 3. lib. 2. ad ſimpl. qu. 2. ſunt item Patres dum dicunt ſcientiam Dei futurorum non propriè vocandam *præſcientiam*, ſed *ſcientiam*. Anſelmus de caſu diaboli, cap. 21. inter principium & medium: *Præſcientia Dei non propriè dicitur præſcientia. Cui enim omnia ſemper ſunt præſentia, non habet futurorum præſcientiam, ſed præſentium ſcientiam.* Quibus plura addit. Idem Anſelmus tract. de concordia præſcientiæ cum libertate, cap. 1. circa medium: *æterno præſenti ſimul clauditur omne tempus, & quæ ſunt in quolibet tempore. Cum ergo ait Apoſtolus, quia Deus præſciuit Sanctos ſuos, prædeſtinauit, vocauit, iuſtificauit, magnificauit; nihil horum prius aut poſterius apud Deum eſt, ſed omninò ſimul æterno præſenti ſunt intelligenda. Habet enim æternitas ſuum ſimul, in quo ſunt omnia etiam quæ ſunt diuerſis in locis vel temporibus*, &c. Idem in eodem tract. cap. 1. in medio: *ſicut præſcientia non in Deo dicitur propriè, ita nec prædeſtinatio; quia illi nec antea, nec poſt aliquid eſt, ſed omnia ſunt illi ſimul præſentia.* Præterea audiatur Gregor. Magnus, lib. 20. in illud Iob 30. *Mutatus es mihi in crudelem: Quomodo*, inquit, *eſt præſcius, dum nulla, niſi quæ futura ſunt præſciantur? Et ſcimus quia Deo nihil futurum eſt, ante cuius oculos præterita nulla ſunt, præſentia non tranſeunt, futura non veniunt: quippè quia omne quod nobis fuit, & erit in eius proſpectu præſtò eſt, & omne, quod præſens eſt ſcire poteſt potius quàm præſcire.* Quid clarius? Gregor. Niſſenus, oratione catecheticâ, cap. 8. *Suâ prauidendi virtute æquè intuens id, quod deinceps eſt futurum, atque id quod eſt præteritum.* Idem lib. de opificio hominis, cap. 22. *circa medium, futuros euentus tanquàm res præſentes intuetur*, &c. Theodoretus in Geneſim quæſt. 37. poſt medium: *Deus, quæ nondum facta ſunt perinde nouit, ac ſi iam facta eſſent.* In quem finem dixit Damaſcenus Dialogo contra Manichæos propè medium: *quæ futura ſunt velut iam facta perſpicit, & indicat.*

Sed prius ante alia vt probentur præmiſſæ ponenda eſt doctrina mihi certiſſima, nempe modum tendendi de præſenti, vel de futuro eſſe differentias eſſentiales cognoſcendi, id euidentiſſimum eſt, 24
alioqui ex vi cognitionis non poſſem eſſe certus, vtrum obiectum ſit mihi actu, & abſolutè præſens, vel futurum, ſiquidem hoc quod eſt *Antichriſtus exiſtit in B.* æquè ſtat, ſiue Antichriſtus de præſenti exiſtat, ſiue de futuro; ſemper enim reſpectu inſtantis B, ſimultatem habebit, & præſentiam exiſtentia Antichriſti. Vnde nihil plus diſcernere quis poterit de exiſtentia ſimpliciter, ſeu præſentia Antichriſti, ſiue ſit in ipſo B, cum Antichriſto, ſiue in antecedenti A, vel ſubſequenti C. Ergo cum non ſolum ſciam in communi præſentiam rerum relatiuam, ſed etiam abſolutam, vt diuerſum conceptum habeam de Antichriſto quando dico: *exiſtit præſens pro B*, quam ſi abſolutè dicam: *exiſtit præſens*: (ſiquidem primam præſentiam ſemper concipio, non tamen ſecundam: ſemper ſcio, verbi gratia, hanc horam nouam exiſtere actu pro B, extitiſſe pro C, exti-

turam

turam pro A. At abſolutè præſentem eſſe diſcernere non poſſum, per hunc indefinitum modum cognoſcendi cum præſentia relatiua) opus erit vt peculiarem cognitionem habeam, & peculiari modo tendam determinando, & definiendo abſolutè præſentiam.

25 Si dicas tunc exiſtentiam Antichriſti determinari, & diſcerni abſolutè præſentem, quando per cognitionem reflexam cognoſcit quis ſuam propoſitionem coexiſtere illi eidem inſtanti B. Contra eſt, quia ſicut cognoſcere exiſtentiam Antichriſti in B, non notificat abſolutè Antichriſtum præſentem, eo quod nihil determinet de exiſtentia ipſius B. vtrum ſit nunc vel antea, ita idem dicendum de coexiſtentia propoſitionis: obſcurum enim adhuc manet, vtrum coexiſtentia ad B, ſit nunc actu vrgens an poſtea, vel antea; nam rogo quando de mea propoſitione reflexè dico: *coexiſtit in B.* Vnde ſciam illam coexiſtentiam actu exerceri, vel iam fuiſſe cum primum ſtet ſine ſecundo non obſtante illa propoſitione. Maneat ergo præſentiam rerum non ſatis cognoſci niſi per ſpecialem modum tendendi de præſenti, qui abſolutè, & ſimpliciter determinet præſentiam ſui obiecti, nec ſolum per denominationem extrinſecam differant in mente: *extitit*, *exiſtit*, & *exiſtet*.

26 Ex præiacta doctrina probatur maior ex §. 23. Deus non minus quam nos diſcernit præſentias rerum, v.g. ſcit abſolutè & ſimpliciter præſentiam horæ nonæ *nunc exerceri*, vnde format ſaltem in tempore propoſitionem de præſenti: vt non ſolum dicat *hora nona eſt præſens pro B*, ſed abſolutè; *eſt præſens*; ſicut nos dicimus, at nullam poteſt habere cognitionem de nouo Deus in tempore, quam non habeat ab æterno, hinc enim probatur æterna ſcientia futurorum, ne Deus incipiat in tempore
27 habere aliquam ſcientiam: Ergo Deus ab æterno habet cognitionem ſecundùm modum tendendi de præſenti de omnibus futuris rebus.

Minor in §.23. facilè probatur, nam ſi modo abſolute proferã: *Antichriſtus exiſtit*, falsò proferre cenſebor, non alia ratione niſi quia non ſum in ipſo inſtanti B, quando erit Antichriſtus, idemq; eſt licèt proferam: *Antichriſtus exiſtit in B*, iſta enim propoſitio perinde eſt, ac ſi affirmaret: *Antichriſtus & B, actu dantur in hoc nunc A*, nam quo quæſo alio pacto formaretur mea propoſitio, ſi diſparatè cenſerem, quod in hoc nunc de præſenti ipſe Antichriſtus & B, actu exercitè dentur? Si mihi perſuaderem ipſum diem heſternum nunc actu dari qua alia cognitione id exprimerem, quam dicendo modo: *heri exiſtit*: Ergo iſte modus tendendi de præſenti, ne falſus ſit exprimit coexiſtentiam obiecti cum cognitione, quod ſcilicet obiectum ſimpliciter in ſe exiſtat, vel cognitio penetret iam, & occupet inſtans futurum, hoc enim ſufficit ad modum tendendi de præſenti, ſic cognitio futura tempore Antichriſti benè apprehenditur quod tendat de præſenti, quia quamuis in ſe non ſit An-
28 tichriſtus iam, at ipſa cognitio vt coexiſtens comparatur cum illo.

Alias probationes remitto ad Indicem qq. de perfectionibus Diuinis. Primo: Quod Dei æternitas, niſi ſimul occuper omnia tempora, non foret peculiare attributum à neceſſitate eſſendi, vel *immutabilitate* diſtinctum. Secundò Deus in ſuo *eſſe*, & non ſolum relatiuè ad tempora extrinſeca conciperetur cum aliqua nouitate; ipſe enim in ſe aliquam præſentialitatem, quaſi ſentiret in dies, quam non poſſet ſemper affirmare, & quaſi de futuro ſciret ſe poſteà non defuturum. Vide Tertullianum 1. contra Marcionem cap. 8. *Non habet tempus æternitas, omne enim tempus ipſa eſt. Deus ſi eſt vetus, non erit, ſi eſt nouus, non fuit.* Petrus Damian. opuſc. 36. cap. 8. *Omnipotenti itaque Deo non eſt heri vel cras, ſed hodie ſempiternum, cui nihil deficit, nihil accedit, cui nihil eſt varium nihil à ſe diuerſum.* Tertio ſi ponas creaturam eſſentialiter alligatam tempori, verbi gratia modum durationis abſolutè nunc Deus non poteſt facere omnia, vt durationem craſtinam. Quartò, clarius apparet fundamentum præſcientiæ futurorum, & concordia cum horum libertate, ſiquidem ſcientia Dei omninò parificatur cum noſtrâ ſcientiâ de præſenti, de qua eſt per ſe notum non nocere libertati, S. Thomas, quæſt. 2. de malo, art. 2. *Sicut viſus noſter non fallitur videns contingentia, cum ſint præſentia, & tamen per hoc non remouetur, quin illa contingenter eueniant ita Deus infallibiliter videt omnia contingentia, quia ſibi non ſunt futura.* Sic etiam quæſt. 14. de p. art. 13. ad 2. 1. ſent. diſtin. 38. qu. vnic. art. 5. & diſtinct. 40. qu. 3. & ſæpè alibi. Audiatur item hic Anſel. de caſu diabol. cap. 21. rogatus cur præſcientia Dei nollat libertatem reſpondet: *Quia non eſt futurorum, ſed præſentium.* Quintò eſt ratio æternitas per ſe æquiualet durationi noſtræ hodiernæ, & craſtinæ: ſed ſi per impoſſibile exiſteret ſimul in ſubiecto, vtraque duratio redderetur quis coëxiſtens vtrique diei: Ergo ſimiliter. Quod explicatur exemplo immenſitatis; ſicut enim quia immenſitas æquiualet vbicationi, hic & illic vtrobique locat: Et ſicut non obſtante quod totus Deus per immenſitatem ponatur hic, etiam totus ponitur illic, vnde idem quaſi ponitur extra ſe, & habet ordinem prioris & poſterioris loco, ita igitur, & tempore, pro qua ſententia manifeſtè eſt Abulenſis in cap. 11. Ioſue à q. 19. maximè autem qu. 21. ante finem.

SECTIO V.

Occurritur fundamentis in 2 ſectione aliaque obiectiones proponuntur, & ſoluuntur.

AD primum abſolutè, & ſimpliciter negandum 29
eſt de re futura cras quod *exiſtat de præſenti*, neque pro ſua differentia temporis, negandum enim eſt *à nobis*, quantumuis addamus *exiſtit in æternitate*, quia nos non ſumus abſolutè in die craſtina, at non eſt negandum à Deo, qui vniformiter affirmat hodie, & cras, nec ſtrictiùs tempus præſens quam futurum occupat. Vnde ſi per vocem: *coexiſtit Deo in æternitate* ſolum ſignificemus, Deum duratiuè non diſtare ab exiſtentiâ rei, Deum iam ſe ad ipſum cras futurum extendere (licèt res futura nondum in illo die craſtino detur, ita vt propoſitionem de præſenti affirmare queat Deus, non minuſque apud ipſum cras ſe habeat Deus vt præſens, quam res ipſa creata, dum in die craſtino exiſtit, ſic concedere poſſumus rem futuram *coexiſtere Dei æternitati*, ad quod non requiritur exiſtentia vtriuſque extremi *nunc*, ſed quaſi extenſio exiſtentiæ vnius ad inſtans alterius. Sic dupliciter poſſum approximari Romæ, vel ſi Roma accedit ad Valliſoletum, vbi ſum, vel ſi ego Romam attingam, ita hic Deus *iam* occupat craſtinum inſtans, in quo erit res futura, licèt iſta nondum ſit. Ad confirmationem reſpondeo res futura non exiſtit in ſe ſimpliciter, ideò non eſt coëxiſtens per propriam exiſtentiam, & præſentiam Dei.

Cur Deus præ nobis poſſit enunciare de re futura exiſtit in æternitate.

Dices

30 Dices implicat idem enunciatum eſſe verum, vt dicitur à Deo, & non vt dicitur à nobis. Sed nos de re futura falſo dicimus de præſenti *exiſtit*, ergo & Deus. Reſpondeo hic non eſſe omnino idem enunciatum, nam cognitio ſemper ſupra ſeipſam reflectit, ita vt ſimul cognoſcat ſe præſentem, & actu durantem, alioqui nihil de præſentia & actualitate rerum poteſt eſſe notum (imò nec de præteritione, aut futuritione, vt proportionatè diſcurrenti patebit.) Si enim cognitio quando dicit nunc de præſenti: *Petrus currit*: non reflectat dicendo *nunc in inſtanti in quo ego ſum*: obſcurum adhuc manebit, ſitnè ſermo de hoc nunc A verbi gratia vrgente hic, & modo, an de alio diſtanti; Et proportionatè quando dicit *cucurrit* eadem obſcuritas ſupererit, ſitnè præteritio curſûs, reſpectu huius nunc A. Cum ergo *nunc*, ſeu duratio cognitionis Diuinæ ſit diuerſa, & præſens diei craſtino, ſecus in creatis, ideo cognitio creata hodierna, & diuerſum enunciat, & falſa eſt: quemadmodum propoſitio abſolutè enuncians *vrbs Roma diſtat*, vera eſt à me, falſa verò à Papa. Ratio eſt clara quia vt propoſitio abſoluta de præſenti ſit vera opus eſt quod enuncians ſit in eadem duratione cum obiecto ſicut vt dicat quis de obiecto *non diſtat loco*, opus eſt vt ſit in eadem vbicatione. Hinc qui eſt ſimul Romæ & Valliſoleti etiam dum eſt Valliſol. poteſt dicere ſum Romæ, vel *non diſtat Roma* ſecus qui ſolum eſt Valliſoleti. Deus ergo cum ſit iam in duratione Antichriſti dicere poteſt abſolutè: *exiſtit*, ſeu *non diſtat* tempore: ſecus nos qui adhuc ibi non ſumus.

31 Ad ſecundum res futura propriè non exiſtit in æternitate, ſed æternitas exiſtit in illa, hinc à denominatione æternitatis res dici poteſt ipſi coëxiſtens, quatenus ita cum Deo comparatur, ac ſi res ipſa realiter præſens in ſe foret vt dicam à num. 34. ſic Roma non exiſtit in immenſitate, ſed immẽſitas exiſtit Romæ; Roma eſt indiſtans, ſeu coëxiſtens Deo exiſtenti Valliſoleti non per indiſtantiam, quam habeat Roma à Valliſoleto, ſed per indiſtantiam Dei ab vtraque vrbe: hic autem modus coëxiſtendi non requirit exiſtentiam rei in ſe, vti Roma non exiſtit Valliſoleti, & vti res non dicitur exiſtens in ſe quando denominatiuè à cognitione dicitur exiſtens. Iam poſſibilia nec ſic denominatiuè coëxiſtunt, nam non comparantur cum Deo, ac ſi forent præſentia, Deique æternitas nullum munus præſentis circa ipſa exercet, exiſtitiuè in inſtanti, in quo poſſibilia dentur; Vnde patet ad confirmationẽ, nam licet Antichriſtus abſolutè nunc nihil habeat de exiſtentia: at Deus iam habet exiſtentiam, & præſentiam, quam habebit, quando dicatur *coëxiſtens* Antichriſto, iam eſt in inſtanti imaginario indiſtanti ab Antichriſto, quod non accidit reſpectu poſſibilium.

Futura abſolutè non exiſtunt in æternitate ſed è contra æternitas in illis.

32 Ad tertiũ concedo Antichriſtum non eſſe præſentem æternitati, pro omni tempore, quia in ſe præcisè ſpectato non dat fundamentum, vt ſemper affirmetur præſens, ſicut Spiritus Sanctus; quia tamen æternitas omni tempori eſt præſens, poterit omni tempore affirmare præſentiam Antichriſti, pro omni tempore (inquam) *ex parte ſubiecti Dei* affirmantis, *non Antichriſti* in omni exiſtentis. Vnde conſequenter dico, quod nequit à Deo affirmari: *exiſtit Antichriſtus in hoc nunc*: ſed Deus in hoc nunc ipſe exiſtens poteſt dicere: *exiſtit Antichriſtus*: quod totum apprimè explicat inſtantia ipſa immenſitatis. Ad confirmationem *exiſtit* & *non exiſtit* ſolum ſunt contradictoria relatè ad idem inſtans, ex parte obiecti, vel prolata abſolutè ab eo, qui ſolum occupat vnum inſtans temporis ſic: *exiſtit*: & *non exiſtit*: benè dicitur relatè ad diuerſa loca: item *exiſtit*: vel *non exiſtit hic*: non dicitur ab occupante vnum tantum locum, bene tamen ſi plura, vt dixi §. 30.

Deus ſemper affirmat præſentiam futurorum ſed non pro ſemper.

Quartum fundamentum ſect. 2. fine vt manifeſtè oſtendit ſententiam recentium Thomiſtarum 33
Volentium ex indiuiſibilitate, vel neceſſitate æternitatis probare quod eidem ſint coëxiſtentia futura falſam eſſe, ita maximè meam opinionem confirmat, quod Diuina æternitas æquè primo omnia tempora occupet, quandoquidem præ æuo Angelico, vel viſione illa beatificâ dat fundamentum Deo, vt omnia cognoſcat de præſenti; & eius ſimultas propriiſſima Diuinitatis cenſetur. S. Petrus Damian. opuſc. 36. cap. 8. *Omnia, quæ apud nos elabendo diſcurrunt, aut per temporum viciſſitudines ſe variant apud illum hodie ſtant & immobiliter perſeuerant. In illo ſcilicet hodie dies ille adhuc immobilis eſt, in quo mundus iſte ſumpſit exordium; in illo iam & ille nihilominus eſt, quo iudicandus eſt per æterni iudicij æquitatem* & poſt pauca: *ſic in ſe tranſeuntia condidit vt apud ſe quæ condita ſunt, tranſire nequaquam poſſint. Nec tempus intus in conſpectu eius deſluit, quod apud nos foris per exteriora decurrit.* Igitur Deus præ Angelo vel viſione beata coëxiſtit futuris, quia ita omnia tempora imaginaria occupat, ita cum illis penetratur, vt ſemper abſolutè loquendo aptus ſit dicere de præſenti de Antichriſto verbi gratia *exiſtet: non diſtat duratiuè*: ſicut ratione immenſitatis cenſetur cum omnibus locis imaginariis penetrari, quatenus de omni loco reali dicere poteſt *coëxiſtit: non diſtat à me*.

Si autem roges, quid ſit in re ipſa fundamentum, ob quod Deus ſemper occupet omnia tempora, & inueniatur aptus ad ſcientiam de præſenti præ Angelo vel illa viſione beatifica. Reſpondetur Deum ratione æternitatis, non ſolum carere ſuore ſucceſſione intrinſecâ reali, hanc enim excludit immutabilitas, ſed etiam imaginariâ, ideò in ipſo non datur *viciſſitudinis obumbratio*, quod vt intelligas, nota, res creatas dupliciter eſſe ſucceſſiuas *intrinſecè* primo realiter, vt motus temporis. Secundò imaginariè (etiam intrinſecè) quatenus res quantumuis intrinſecè ſit eadem realiter, nunc & poſtea; tamen imaginamur nunc eſſe quaſi in potentia (ſiue contingenti, vt Angelus, ſiue neceſſaria, & vt viſio illa beatifica) vt ſit poſtea, independenter enim ab omni tẽpore extrinſeco imaginamur res creatas in ſe intrinſecè, ita eſſe actu *nunc*, vt ſint in potentia *ad poſtea*. Iam verò æternitas, cum ſit actus puriſſimus omnino ſui carentiam excludens, nec imaginariè eſt in potentia ad *eſſe*. Ergo omnia tempora imaginaria occupat; & hinc fundamentum habet, vt de omnibus habeat ſcientiam de præſenti, licet extrinſecè, & relatione facta ad ipſa tempora ſucceſſio apprehendatur. Hæc tamen eſt excellentia Dei ſupra humanum captum ex §. 20. 34

Hinc facile ſolues alias obiectiones. Prima Deus dum exiſtit hodie non eſt cras. Ergo prius 35
eſt hodie, quam cras. Reſpondetur *vt exiſtit hodie* reduplicatiuè, & extrinſecè concedo; ſpecificatiuè, & intrinſecè nego antecedens, & conſequentiam; ſicut anima vt eſt in capite ſuperior eſt, quam in pede *extrinſecè*, non tamen *intrinſecè*. Secunda ſi Deus per impoſſibile non exiſteret hodie minus duraret, quam de facto. Ergo non durat

rat ſimul ſemper. Reſpondetur *intrinſecè* loquendo de tempore imaginario ſequeretur vtrumque, vt ſi exiſtens hodie, non exiſteret hodie;at de tempore reali, & extrinſeco nihil refert. Tertia Deus per immenſitatem non eſt præſens loco reali non exiſtenti, ergo neque tempori. Nego conſequentiam: imò ſicut effectus formalis immenſitatis eſt præſentia locis permanentibus ſeu exiſtentibus ita æternitas reddit Deum præſentem ſucceſſiuis ſeu non exiſtentibus in ſe. Alia omitto quæ ex dictis ſolui poſſunt.

Deus hodie exiſtit in locis futuris, & iam illa occupat.

DISPVTATIO XLIX.

Vtrùm ſit neceſſaria præſentia futurorum in æternitate vt cognoſcantur à Deo.

SECTIO I. *Status quæſtionis.*
SECTIO II. *Authorum ſententiæ & fundamenta.*
SECTIO III. *Propria ſententia.*
SECTIO IV. *Reſpondetur contrariis fundamentis in ſectione 2.*

EX doctrinâ in hac diſputatione tradendâ maxime innoteſcet præſentiam futurorum in æternitate modo à me explicato diſputatione præcedenti ſectione quarta omnino admittendam eſſe iuxtà mentem Patrum & Theologorum inter quos primus eſt Auguſtinus lib.2.ad ſimplicianum quæſt.2. cuius verba ad præſens appoſitiſſima refero ſectione tertia §. octauo,quibus conſonat lib.10. de Ciuit.Dei cap.12.medium. *Temporalia mouens temporaliter non mouetur, nec aliter nouit facienda, quam facta, nec aliter inuocantes exaudit, quam inuocaturos videt.* Et lib. 5. de Geneſi ad litteram cap.18. propè finem: *Ipſi autem Deo non audeo dicere alio modo innotuiſſe cum ea feciſſet, quàm illo, quo ea nouerat, vt faceret, apud quem non eſt commutatio, nec momenti obumbratio.* Item lib.11. de Ciuit. Dei cap.21. per totum, ſed maximè notanda illa verba: *non quod vllo modo Dei ſcientia varietur, vt aliud in ea fiant, quæ nondum ſunt, aliud quæ fuerunt, aliud quæ iam ſunt. Non enim more noſtro ille vel quod futurum eſt proſpicit, vel quod præſens eſt adſpicit, vel quod præteritum eſt reſpicit; ſed alio modo quodam à noſtrarum cogitationum conſuetudine longè, lateque diuerſo. Ille quippe non ex hoc in illud cogitatione mutatâ, ſed omninò incommutabiliter videt, ita vt illa quidem, quæ temporaliter fiunt, & futura nondum ſint: & præſentia iam ſint, & præterita iam non ſint: ipſe vero hæc omnia ſtabili, ac ſempiternâ præſentiâ comprehendat: nec aliter oculis, aliter mente: non enim ex animo conſtat & corpore. Nec aliter nunc, & aliter antea, & aliter poſtea: quoniam non ſicut noſtra, ita & eius quoque ſcientia trium temporum, præſentis videlicet & præteriti, vel futuri varietate mutatur: apud quem non eſt immutatio, nec momenti obumbratio. Neque enim eius intentio de cogitatione in cogitationem tranſit, in cuius incorporeo contuitu ſimul adſunt cuncta quæ nouit. Quoniam tempora ita nouit nullis ſuis temporalibus notionibus, quemadmodum temporalia mouet nullis ſuis temporalibus motibus. Ibi ergo vidit bonum eſſe quod fecit, vbi bonum eſſe vidit quod faceret. Nec quia factum vidit ſcientiam duplicauit, vel ex aliqua parte auxit*, &c.

Ex quibus manifeſte concluditur vt vniformiter, & immutabiliter procedat ſcientia Dei ſine vlla immutatione, vel viciſſitudinis obumbratione iuxta Iacobi primum, opus eſſe vt procedat ſemper modo tendendi de præſenti. At ſic procedere nequit circa futura, niſi iam ſit in ipſis temporibus futuris vt patet ex verbis Auguſtini, & ex iis, quæ expendi diſputatione præcedenti §.24. Ergo firmè tenenda eſt coëxiſtentia æternitatis cum rebus futuris eâ ſolum ratione, quâ eam explicui diſputatione præcedenti, ſectione 4.

SECTIO I.

Status Quæſtionis.

EX diſput. præcedenti conſtat futurum verbi gratia Antichriſtum verè in ſe intrinſecè non eſſe præſentem æternitati Dei, ſed potius ſimpliciter *non eſſe*: at cum æternitas reſpectu futuri habeat conditiones & proprietates, quæ ſolum conueniunt rei iam præſenti, & coëxiſtenti; vt eſſe iam in tempore imaginario Antichriſti: poſſe affirmare propoſitionem de præſenti circa illum: exercere libertatem in decreto de exiſtentia illius non minus formaliter, & immediatè, quando realiter ſit præſens Antichriſtus in ſe; quam in primo nunc æternitatis. Iure æternitas dicetur præſens Antichriſto, & ex conſequenti iſte, quantumuis in ſe eſt nobis *futurus*; ex hac denominatione dicitur *præſens æternitati*. 1 *Quid ſit in æternitate eſſe iam in tempore futuro?*

2 *Duo in præſenti quæruntur.* De hac igitur præſentiâ quæſtio eſt, quatenus neceſſaria ſit vt Deus cognoſcat futura, alia namque præſentia intrinſeca futuris cum poſſibilis non ſit nequit eſſe neceſſaria. Rurſus circa hanc præſentiam duo in controuerſiam adduci poſſunt. Primum. Vtrùm per ſe ex genere ſuo ſufficiat ad cognitionem futurorum, ita vt futura latere nequeant intellectum præditum iſtâ præſentialitate, qui eo ipſo tam facile penetrare valeat futura, quam præſentia. Secundum vlterius controuerti poteſt, vtrum ita ſufficiat prædicta præſentia, vt neceſſaria etiam ſit, Diuinuſque intellectus futura ignoraret ſi ipſis præſens, & coëxiſtens non foret.

SECTIO II.

Authorum ſententiæ, & fundamenta.

3 *Negant neceſſariam Authores diſp.præc. Alarcon. Bannes. Molina.* PRima ſententia negat hanc præſentiam eſſe per ſe neceſſariam, quantumuis gratis admittatur, vt cognoſcantur futura à Deo. Ità Authores citati diſput. præcedenti ſect. 2. cum Alarcon diſput.2. de ſcientia cap.9. & ex oppoſitis Authoribus Bannez in præſenti dubio 1. Molina diſp.14. concluſ.2. fundamentum eſt primò. Cognitio non alia ratione pendet, ſeu requirit exiſtentiam obiecti, niſi vt hoc influat in illam immediatè, aut mediâ ſpecie; etenim vt obiectum præcisè terminet cognitionem nullâ indiget exiſtentiâ, ſic poſſibilia & præterita terminant cognitionem, ſine præſentia reali cum illâ. Tum ſic ſed ſcientiâ Dei non fluit, aut efficitur à ſuo obiecto, ergo per ſe non

requirit huius exiſtentiam. Secundò maximè patet in futuris conditionatis, quæ ſine vlla præſentia in æternitate certò cognoſcuntur à Deo. Tertio Chriſtus Dominus per ſcientiam infuſam cognouit euidenter futura ſine vlla præſentialitate, Ergo etiam Deus id poſſet per ſe loquendo ex vi luminis, vnde ſolum materialiter titulo æterni eam præſentialitatem habebit, ita vt ſi per impoſſibile, ſolum exiſteret hodie per hanc infinitam ſcientiam, quâ gaudet res futuras die craſtino penetraret.

4 *Negat ſufficientem. Arriaga.* Secunda ſententia tuetur hanc præſentiam, non ſolum non eſſe *neceſſariam*; ſed nec *ſufficientem*, quantumuis daretur vt cognoſcantur futura, ita Arriaga in præſenti diſput. 20. num. 33. Probatur & explicatur à contrario ex immenſitate, & indiſtantia locali, vt quis videat obiectum exiſtens Romæ ideo valde conducit cognoſcentem eſſe Romæ, (licet tanta poſſit eſſe vis, & acies luminis cognoſcitiui, vt è loco diſtantiſſimo tale obiectum penetraret) quia vere obiectum exiſtit in ſe intrinſeceque indiſtat loco. At ita non ſe habet præſentia durationis, & æternitatis, vt cognoſcantur res tempore diſtantes ſecundum ſe. Ergo non ſolum non eſt neceſſaria iſta præſcientia, ſed nec ſufficiens, minor ſuadetur; nam præſentia iſta non verè ponit obiectum in ſe exiſtens, ſed ſolum quaſi denominatiuè, & extrinſecè. Ergo non magis præſtat obiectum phyſicè eo quod ſit ita præſens, quam ſi non eſſet.

5 *Affirmant neceſſariam intuitioni Dominicani. Fonſeca. Granado. Ruiz.* Tertia ſententia affirmat præſentiam futurorum eſſe ex genere ſuo rationem ſufficientem, & neceſſariam vt intellectus certo prænoſcat futura ſaltem per ſcientiam intuitiuam (nam per abſtractiuam inquiunt communiter Dominicani ſufficere efficacitatem diuini decreti, vt in ipſo futura appareant.) Ita Thomiſtæ & ex noſtris Fonſeca, Granado, Ruiz citati diſput. præcedenti ſect. 3. fundamentum eſt quia communiter Patres tribuunt Deo præ Angelo notitiam futurorum, quia iſta illi ſunt præſentia, non huic. *Probatur ſufficientia.* Ratione etiam probatur primò ſufficientia huius præſentiæ, nam indubium eſt plurimi intereſſe præſentiam phyſicam rei in ſe, vt iſta cognoſcatur ab intellectu completo, & perfecto, quid enim penetrat intellectus ſi obiectum ſibi præſens dum actu exiſtit non cognoſcit? At intellectus omninò æternus eo quod tale ſit eandem cognitionem habet ab æterno, quam in tempore, aliàs talis noua cognitio æterna non foret, ergo titulo æternitatis neceſſariò cognoſcit futura. Confirmatur, titulo æternitatis eodem modo cognoſcit rem quando eſt, ac antea, ergo futuram.

6 *Neceſſitas.* Probatur ſecundò: neceſſitas huius præſentiæ: intellectus nequit determinari ad vnum obiectum cognoſcendum præ alio, niſi habeat aliquod determinatiuum extrinſecum. Ea enim eſt differentia agentis neceſſarij qualis eſt intellectus, & agentis liberi, quod iſtud à ſe determinetur, ſecus illud; at ad obiectum futurum cognoſcendum præ non futuro, nullum determinatiuum datur, niſi ipſum phyſicè exiſtat; ergo neceſſaria eſt huius phyſica præſentia. Minor ſuadetur in ſcientia futuri, ſeu in futuritione; de præſenti ſolum datur carentia rei futuræ, quæ carentia æquè indifferens eſt, vt ſit futura res, ſiue non ſit futura: Ergo de præſenti nullum datur determinatiuum: Ergo de præſenti non poterit determinare, quod enim de præſenti non eſt, nihil determinat, nec pro determinandâ differentiâ conducit; ſic æque voluntas noſtra indeterminata manet in via ad amandum Deum, licèt futura ſit viſio determinans in Patria ad amorem. Confirmatur, nihil immutaretur in rerum natura eo quod res non ſit futura, ſi ipſa res futura non ſit actu præſens in æternitate. Ergo nec immutabitur ſcientia Diuina, aut diuerſimode ſe habebit, cauſa namque, vel quaſi cauſa phyſica neceſſaria, qualis eſt intellectus Diuinus nequit phyſicè immutari, niſi quia phyſicè diuerſimodè ſe habeat in actu primo. Neceſſaria eſt ergo præſentialitatis diuerſitas vt intellectus Diuinus futura penetret, ſicut noſtro intellectui debet adiacere obiectum præſens vt illud determinet.

SECTIO III.

Propria ſententia.

Triplici concluſione eam explico. Prima & præcipua: futurorum præſentia explicata in diſput. præcedenti, neceſſaria eſt vt Deus futura cognoſcat. Probatur ex dictis ea diſputat. ſect. 4. probatione 3. Ea præſentia eſt neceſſaria, qua Deus abſolutè de præſenti poſſit affirmare: *Antichriſtus exiſtit*: cum enim hunc modum tendendi, & cognoſcendi habeat Deus in tempore, neceſſarium eſt vt eundem præhabuerit ab æterno; Tum quia omnia Diuina ſunt æterna, tum nè aliqua ſcientia Deo accedat in tempore; At iſte modus cognoſcendi requirit præſentiam Antichriſti, ſeu Deum eſſe actu in inſtanti imaginario, in quo erit Antichriſtus. Ergo vt Deus cognoſcat futura omninò neceſſaria eſt prædicta præſentia. Quod argumentum æquè requirit præſentiam futuri, ſiue neceſſarij, ſiue liberi, ſiue futuri in ſe, ſiue in cauſa, & decreto; nam nullo modo poteſt Deus vnquam formare propoſitionem de præſenti, niſi actu coëxiſtat ſuo obiecto, quantumuis neceſſario. 7 *Præſentia futurorum perfectioni, & modo tendendi diuinæ ſcientiæ omnino neceſſaria eſt.*

Confirmant prædictum fundamentum verba Auguſt. tom. 4. lib. 2. de diuerſis quæſtionibus ad ſimplicia. quæſt. 2. quibus præſentiam futurorum in æternitate ſic ab abſurdo probat. *Si autem ſicut in ordine temporalium creaturarum, ita apud eundem nondum ſunt, quæ futura ſunt, ſed ea præuenit ſciendo bis ergo ea ſentit; vno quidem modo ſecundum futurorum præſcientiam; altero modo ſecundum præſentium ſcientiam: aliquid ergo temporaliter accedit ſcientiæ Dei, quod abſurdiſſimum, atque falſiſſimum eſt, neque enim poteſt quæ ventura prænoſcit noſſe cùm venerunt niſi bis innoteſcant, & prænoſcendo, antequam ſint, & cognoſcendo cum iam ſunt.* Quod quidem proportionatè concludit, vt præterita ſint Deo præſentia, & modo de præſenti cognoſcantur; *quod ſi ita* (ait ibidem) *In Deo eſt vt poſſit propriè dici, intelligit: & intellexit; ſentit & ſenſit: admittit tempus: & ſubrepit illa mutabilitas quæ longè à Dei ſubſtantiâ remouenda eſt.* 8 *Verba appoſitiſſima. Auguſtini.*

Secunda concluſio quantum eſt ex parte medij, & obiecti cognoſcendi (ſecluſo modo perfectiſſimo tendendi de præſenti) Deus nullam præſentiam requirit ſed cognoſceret Antichriſtum futurum, adhuc ſi per impoſſibile Deus non foret æternus vt adhuc dicere poſſet: *Antichriſtus exiſtet*: probatur adhuc verè affirmabilis foret hæc propoſitio *Antichriſtus exiſtet*: qui enim hodie illam proferret non tenderet imperfectè ſed deprehenderetur vera dixiſſe. At Deus vi ſuæ infinitæ ſcientiæ penetrat, & refert omnem veritatem 9 *Per ſe non requiritur præſentia iſta.*

veritatem. Ergo. Secundo id clarè patet reſpectu futurorum conditionatorum; nam licet etiam ad hæc futura requiratur præſentialitas, vt dicam ſectione ſequenti; at ſaltem ita infinita eſt Diuina ſcientia, vt ſine aliquo exiſtenti actu connexo, & determinante talem futuritionem cognoſcat ipſam. Ergo per ſe loquendo, quamuis Diuina ſcientia non foret æterna poſſet ſuo infinito lumine futura abſoluta cognoſcere. Tertio, ſi ita ſimpliciter requirit Deus coëxiſtentem ſibi rem vt eam cognoſcat, ſicut ego niſi obiectum mihi coëxiſtat in ſe, vel in aliquo connexo, illud ignoro: quid profunditatis erit in ſcientia Dei vocantis ea quæ non ſunt, ſicut ea quæ ſunt.

10 Tertia concluſio. Præſentia æternitatis explicata ad tempora futura, ſeu præſentialitas, quam inde ſortiuntur futura ad æternitatem ſufficiens eſt vt inferat ſcientiam futurorum. Hæc concluſio maximè ſupponitur à Patribus, dum ex eo quod Deo ratione æternitatis præſentialitatem habeant res futuræ, probant in ipſo ſcientiam futurorum. Probatur igitur ex dictis. Intellectus Diuinus ratione æternitatis ita ſe habeat ad res exituras die craſtino, ac ſi ipſe phyſicè exiſteret iam cras, & ita æterna duratio conſtituit Deum actu in tempore imaginario craſtino, ſicut in hodierno; ſed duratio craſtina infert in intellectu perfecto ſcientiam omnium exiſtentium cras, ſeu omnium, quæ ſunt futura cras. Ergo & in Deo. Confirmatur intellectus Diuinus ex vi præſentialitatis, quam hodie habet, quin aliquid phyſicum præſtent, vel determinent res extrinſecæ hodie exiſtentes illas cognoſcit; ſed ratione æternitatis eodem modo comparatur etiam cum futuris cras, nec plus, aut minus, ab eis phyſicè accipit. Ergo ex hac ratione aptus erit ad illas cognoſcendas. Idemque dicendum de omni æterno.

SECTIO IV.

Reſpondetur contrariis fundamentis in ſectione ſecunda.

11 *Munus terminandi in obiecto non requirit præſentiam.*

PRima ſententia in numero tertio confirmat ſecundam concluſionem, ſed non bene infirmat primam. Ad primum fundamentum reſpondetur ex præciſo munere terminandi non requiritur per ſe realis præſentia obiecti; at requiritur præſentia reſpectu ſcientiæ infallibilis tendentis modo de præſenti, quia cum iſta ſcientia ex ſuo proprio modo tendendi repræſentet obiectum vt præſens, & ſibi coëxiſtens, fallibilis foret ſi aliunde, quam determinante vera præſentia obiecti haberetur. Ad ſecundum Deus futura conditionata etiam cognoſcit de præſenti, vt dicat *ſi Petrus nunc vocatur conſentit*: etenim ſi modo tendendi de præterito, aut de futuro tenderet Dei ſcientiā mutaretur: vt diceret de conſenſu conditionato hodierno heri: *ſi vocetur conſentiet*: & veniente hodie: *ſi vocatur conſentit*: cras vero: *ſi vocatus fuiſſet conſenſiſſet*: quæ variatio, & mutationem infert in ſcientia Dei, & acceſſionem nouæ cognitionis in tempore niſi Deus ſimul de præſenti occupet omnia inſtantia, vt conſtabit inſpicienti primam concluſionem in ſectione præcedenti. Ad tertiū reſpondetur humanitatem Chriſti non dedecet mutatio, & acceſſio nouæ ſcientiæ in tempore iam tendendo de præſenti, iam de futuro.

12 Secunda ſententia directè opponitur tertiæ concluſioni: Sed in primis eius fundamenta nihil probant, ſi intellectus non ſolum ſit æternus in ſe, ſed omnino etiam quoad ſcientiam immutabilis ſit, ponaturque quod cognoſcat res dum phyſicè ſunt præſentes, nam reſpectu talis intellectus, non minus inducet cognitionem ſui obiectum pro inſtanti, in quo de præſenti, & actu exiſtit, quam pro antecedenti; vt dicitur num. 6. nè æternitas, & immutabilitas ſcientiæ lædatur. Rurſus nihil probat hæc ſecunda ſententia reſpectu intellectus æterni, qui infinitæ virtutis cognoſcitiuæ ſit; nam ea eſt huius perfectio, vt cognoſcat quiquid abſolutè eſt affirmabile; vt exiſtens, quantumuis tale obiectum nihil phyſicè præſtet plus, quam ſi non eſſet vt patet reſpectu rerum abſolutè exiſtentium hodie: quare ad præſens nil contra nos.

13 *Præſentia futurorum in æternitate iuxta aliorū explicationē inutilis præſcientiæ.*

Nihilominus ex hac ſecunda ſententia vrgeri poteſt ſitnè alicuius vtilitatis intellectu ſecundum ſe ita eſſe præſentem rebus futuris, vt hinc præciſè ob hanc præſentiam colligatur debere futura prænoſcere? verbi gratia ſit Angelus per poſſibile vel impoſſibile eſſentialiter ſeipſo affixus, & durans hodie, & cras, ſicut viſio beatifica quæ foret eſſentialiter indeſtructibilis, vel modus durationis eſſentialiter duobus temporibus affixus, inquiri poteſt an ideò talis Angelus aptior concipiatur hodie ad prænoſcendas res craſtinas, quam ſi limitatus foret ad durationem hodiernam tantum? Ratio dubitandi eſt quia ob hanc præſentiam nihil phyſicum præſtare poteſt in intellectu Angelico Antichriſtus ex eo quod ſit talis Antichriſtus futurus potius cras quam ſi non eſſet; aliunde indiuiſibilitati, ſeu immutabilitati illius Angeli ſatisfit, dum non habeat cras nouam cognitionem de Antichriſto tunc præſenti (dici enim poteſt intellectus Angelicus eo quod æternus ſit, & immutabilis, quemadmodum ab obiecto futuro compleri non poteſt, ſicut nec cauſari, ità nec poſſe ab ipſo obiecto præſenti eo quod ſit incapax nouitatis) vnde manebit ſemper vniformis; & immutatus, vel ſi dicatur quod talis Angelus licet in ſua ſubſtantia indiuiſibiliter duret, tamen, quoad cognitionē, mutationē, & ſucceſſionē experiatur.

14 Hæc dubitandi ratio ſatis oſtendit inutiles eſſe communes explicationes circa præſentiam futurorum in æternitate, de quibus diſput. præcedenti, ſect. 3. nam Patres manifeſtè ſupponunt ab Angelis prænoſcenda futura, ſi ipſis coëxiſterent; iam verò ſi hæc coëxiſtentia ſolum ſumatur ex eo quod duratio cognoſcentis ſit indiuiſibilis ad plura tempora in caſu poſito Antichriſtus craſtinus non eſſet futurus Angelo, ſicut neque æternitati, item ſicut cum hac ſecundum ſe comparatur vt præſens ita & cum duratione illius Angeli. Denique in illo nunc Angelico Antichriſtus exiſteret; ſicut in nunc æternitatis, vtrobique enim ſi duratio æternitatis vel illius Angeli conſignificetur per Verbum: *exiſtit*: de præſenti formanda eſt propoſitio. Ergo cum adhuc nil proſit hęc præſentia ad inferendam vim cognoſcendi futura, ſignum eſt de ea Patres non fuiſſe locutos.

15 *Iuxta meam vtiliſſima vt ſi Angelus eam præſentiam haberet cum futuris iam ipſa præſciret.*

Hinc igitur cenſeo Patres locutos de præſentia per occupationem ſimultaneam, etiam imaginariè temporis præſentis, & futuri, licet enim hæc acrius vrgeat in Deo vt cognoſcat futura, cum ſit vndequaquè æterna eius ſcientia, probabile tamen eſt, quod Angelus, qui fingatur æquè primò exiſtens hodie, & cras non minus aptus erit ad cognoſcendum futurum craſtinum, quam præſens hodiernum, nam eo quod ita ſimul duret non eſt

minus aptus cras ad cognoſcendum Antichriſtum, quam alij intellectus cras exiſtentes: Ergo ſaltem adueniente die craſtino habebit cognitionem illius. At Angelus qui iam exiſtit pro cras iam eſt ſubiectum aptum vt denominetur abſolutè cognoſcens à tali cognitione craſtina aliàs non eſſet cur diceretur actu occupans, & exiſtens iam pro cras æquè, ac pro hodie, quandoquidem aptitudinem quam habet Angelus, vt denominetur à cognitione hodierna nondum habet reſpectu craſtinæ; Ergo præſentia prædicta ad tempus futurum valdè conducit ad cognitionem futurorum. Sic ait S. Thomas 1. part. quæſt. 57. artic. 3. corpore. ad finem: *Solius Dei eſt futura cognoſcere. Quia Deus omnia videt in ſua æternitate quæ cum ſit ſimplex, toti tempori adeſt, & illud concludit. Et ideo vnius Dei intuitus fertur in omnia, quæ aguntur per totum tempus, ſicut in præſentia; & videt omnia vt in ſeipſis ſunt; ſicut ſupradictũ eſt cum de Dei ſcientia ageretur. Angelicus autem intellectus & quilibet intellectus creatus deficit ab æternitate Diuinâ. Vnde non poteſt aliquo intellectu creato cognoſci futurum vt eſt in ſuo eſſe.* Quam doctrinam ſæpiſſimè repetit, 1. part. qu. 86 art. 4. Et 1.2. q 95. art. 1. & 1. diſt. 38. art. 5. & 2. diſt. 7. qu. 2. art. 2. Et 1. contra Gent. c. 67. & lib. 3. c. 154. & q. 8 de verit. art. 12. & q. 16. de malo, art. 7 & opuſc. 3. c. 135. & 136.

16 Tertia ſententia vera eſt tam pro ſcientia intuitiua, quam abſtractiua, nam neque abſtractiuè in decreto poteſt cognoſci de præſenti; exiſtit Antichriſtus; niſi iſte coexiſtat ſcientiæ. Patres autem ſemper requirunt ad ſcientiam futurorum præſentiam hanc; nam loquuntur de ſcientia immutabili, quæ non adueniat de nouo in tempore vnde non opponuntur meæ ſecundæ concluſioni. Item nec mihi opponitur ratio adducta ſect. 2. ſi e pro neceſſitate præſentiæ phyſicæ, & intrinſecæ Antichriſti, vt iſte ſciatur ab intellectu Dei; nam vt dicam infra intellectus Dei, vt non indiget obiecto phyſicè cauſante, ita nec phyſicè compl'ente, aut determinante, ſed ob ſuam infinitatem eſt determinatus ex ſeipſo intellectus Diuinus ad cognoſcendum eo ſolum quod veritas futura ſit; vnde quamquam ſecundùm ſe intellectus Diuinus ſit indifferens ad vtramque ſcientiam; at poſita tanquam conditione futuritione rei ex propriâ natura eſt determinatus ad affirmatiuam ſcientiam, quo differt à voluntate noſtra, quæ etiam poſita futuritione viſionis Beatæ adhuc manet indifferens ad vtrumque, vt ſolum determinetur ex ſuppoſitione propriæ operationis. Vtrum autem admitti poſſit aliquid phyſicè exiſtens & determinans ab æterno intellectum Dei conſtabit diſput. ſeq.

17 Modo ex dictis in præſenti & præcedenti diſp. ſic concluditur neceſſaria præſentia futurorum, & præteritorum in æternitate: Deus abſolutè de ſe enunciat de præſenti ſine vllo addito: *Mea Deitas exiſtit nunc:* ita vt idem ab æterno, & in æternum enunciet; aliàs mutaretur vt dixit Auguſt. citatus ſect. 3. concluſ. 1. Conſule dicta in procemio huius diſputationis. Et rurſus Aug. lib. 15. de Trin. cap. 13. poſt medium: *Nec aliter ea ſciuit creata quàm creanda. Non enim eius ſapientiæ aliquid acceſſit ex eis, ſed illis exiſtentibus ſicut oportebat, & quando oportebat, illa manſit vt erat. Ita ſcriptum eſt in lib. Eccleſiaſtico (23. d. 29.) antequam crearentur omnia nota ſunt illi, ſic & poſtquam conſummata ſunt. Sic* (inquit) *non aliter; & antequam crearentur, & poſtquam conſummata ſunt, ſic ei nota ſunt. Longè eſt ergo huic ſcientiæ ſcientia noſtra diſſimilis.* Tunc ſic; ſed id enunciare non poſſet Deus niſi actu de præſenti exiſtat in illo nunc imaginario; quantumuis Dei duratio ſit indiuiſibilis, quantumuis æternitas Dei ſecundùm ſe ſpectata talis ſit, vt ſi comparetur cum hoc nunc vt ſic præcisè nec poſterior nec prior ſit, etenim cum hac indiuiſibilitate durandi ſtat durationem verè non eſſe actu in nunc futuro ſicut verè non eſt viſio Beata, vel duratio affixa duobus temporibus, nam eo quod res hodie durans neceſſitata ſit vt perſeueret cras, non ideò iam exiſtit cras, ſed eſt neceſſitata, vt exiſtat cras, *exiſtet cras:* Ergo non poterit iam affirmare de præſenti: *exiſto cras:* ergo Deitas actu de præſenti id affirmans exiſtit ſemper in tali nunc, & ſimiliter in omnibus temporibus. Quo ſenſu accipiendum eſt, dum dicitur *Antichriſtus prius durare in æternitate*, quam *in propria duratione* quatenus priuſquam in ſe duret, poteſt Deus dicere, *actu exiſtit.*

DISPVTATIO L.

Vtrum detur aliquod determinatiuum à quo phyſicè primo determinetur ſcientia Dei futurorum contingentium?

SECTIO I. *Senſus quæſtionis, & ratio dubitandi.*

SECTIO II. *Authorum ſententiæ & fundamenta.*

SECTIO III. *Proponitur noua ſententia, & eius probationi aliqua præmittuntur.*

SECTIO IV. *Conciliatur fides propoſitæ ſententiæ*

SECTIO V. *Concluditur explicatio, & probatio huius ſententiæ, ferturque iudicium de ſententiis in ſectione ſecunda.*

SECTIO VI. *Infertur quid de noua ſententia in ſectione tertia, & de tota hac difficultate ſentiendum ſit.*

DISPVTATIONEM hanc in præſenti inſtituo vt iam hinc appareat tum ratio difficultatis, quæ poteſt eſſe contra ſcientiam mediam, eo quod in eius obiecto nil actu appareat, per quod potius determinetur Deus ad affirmandum, quam negandum; tum etiam manifeſtetur totum quidquid eſt difficultatis non potius ſcientiæ mediæ opponi, quam ſcientiæ viſionis; ſuppono namque res abſolutè futuras non eſſe coëxiſtentes æternitati modo quo illa coëxiſtentia fingitur à Caietano, & eius aſſeclis; coëxiſtentiam autem, qua æternitas ipſa ad futura etiam tempora extenditur; & illa ſemper actu occupat, & quam diſputationibus antecedentibus explicui, omitto, cum hic ad hominem ſolum contra negantes ſcientiam mediam, quibus nunquam occurrit talis coëxiſtentia, arguam. Iam verò ſi nullus reſpectus habeatur ad coexiſtentiam hanc, eandem rationem difficultatis inueniri vt aſſignetur determinatiuum ſcientiæ viſionis, ac vt aſſignetur pro ſcientia media ex hac diſputatione

perſpi

perſpicuum fiet; in qua noua cogitatio, quæ olim in diſputandi vſum non multum mihi ingrata fuerat, maturius examinabitur examinataque in verum & bonum vſum reducetur.

SECTIO I.

Senſus quæſtionis, & ratio dubitandi.

1 COmmunis eſt hæc difficultas explicandæ ſcientiæ mediç, expeditius tamen tradetur hic, ideò præmittenda, vt paulatim ad altiora aſcendamus. Præcipua autem controuerſia eſt circa libera, reſpectu quorum non videtur poſſe aſſignari determinatiuum aliquod ab ipſis diſtinctum; ratione cuius certò, & infallibiliter cognoſcantur, nam vel eſt antecedens, & ſic deſtruet libertatem, vt dicam infrà de decreto prædeterminante; vel conſequens, & ſic ſerò, & inutiliter aduenit, cùm iam antecedenter præfuerunt cognita futura. Rurſus hoc determinatiuum vel creatum eſt, & ſic nil phyſicè præſtare poteſt in intellectum Diuinum, cum nec ab æterno ſit, nec Deo intrinſecè adiaceat; vel increatum; & ſic, ſi ſit prædicatum neceſſarium Dei, non poteſt infallibiliter connecti cum contingentibus, ſi liberum, vel eſt ipſa ſcientia, vel decretum Dei illam ſupponens, quare non videtur, quo pacto valeat ſeruire, vt ſcientiam primo determinet.

2 *Vide qu. 14. ar. 13. dubit. 18. 19. 20. 21. 22.*

Suppono in præſenti quæſtionem non eſſe de determinatiuo *in quo* ſeu medio, *quod* vtrumq; ſufficiens ſit, vt ratione illius poſſit Deus certò prçnoſcere futura libera, ſic enim diſquiremus infrà, poſſint-ne hæc cognoſci in ſuis cauſis ſecundis, in cognitione verâ, &c. Quæſtio igitur eſt de determinatiuo non ſolum ſufficienti, ſed primò, titulo cuius intellectus Diuinus primò; & per ſe ab æterno determinetur ad cognoſcendos noſtros actus liberos futuros; qualis non poteſt eſſe prędeterminatio, cauſa ſecunda, vel cognitio vera creata, cum temporalia ſint, neque item cognitio Diuina, cum iam ſupponat intellectum Dei determinatum, neque etiam decretum antecedens æternum Dei, hoc enim nec bonitati Dei, nec libertati creaturæ erga peccatum congruit.

3 *Scientia conditionata operis, & decretum dandi auxilium ſufficiens medium eſt ſcientia abſoluta.*

Suppono etiam ſufficiens eſſe Deo, vt determinetur ad cognoſcendam futuritionem abſolutam actus liberi complexum ex ſcientia conditionata, & volitione collatiuâ conditionis, nam eo ipſo quòd Deus ſciat hęc duo; *ſi dedero auxilium Petro conuertetur*: & ſciat *ſe hoc velle*, non poteſt non eſſe certus de conuerſione abſolutè futura Petri, cum certiſſimum ſit, quod ipſi aduenire non poſſit ſcientia fallibilis, aut volitio fruſtrabilis. Cæterum quęſtio non eſt de hoc determinatiuo, tum quia non ſemper adeſt hoc complexum, vt patet reſpectu futuri, quod independenter ab omni conditione decernit Deus; tum maximè, quia circa determinatiuum illius ſcientiæ conditionatæ integra quæſtio relinquitur inſoluta.

4 Eſt igitur ſenſus quæſtionis poſſit-ne aſſignari aliquid ab æterno, quod phyſicè determinet primò eius ſcientiam futurorum contingentium, quin prædeterminatiuum ſit, quam quæſtionem agemus reſpectu peccati futuri, in quo maxima repugnantia cum decreto prædeterminatiuo reſplendet.

SECTIO II.

Authorum ſententiæ, & fundamenta.

PRima communis, ſicut aſſignat eſſentiam Dei pro adæquato obiecto formali motiuo ſcientiæ Diuinæ, ita & pro determinatiuo, quia licèt hæc per ſe nudè ſumpta non poſſit determinare intellectum Diuinum, neque connectatur ſe ſola cum peccato futuro, determinat tamen poſita futuritione peccati, vt conditione; etenim poſita hac conditione, iam vis obiectiua eſſentiæ Diuinæ habet determinare ſcientiam ad affirmationem peccati; vt autem aliquod obiectum ſit determinatiuum non requiritur, vt determinet ſemper ſe ſolo, ſed vt determinare poſſit ſaltem poſita aliqua conditione, ſic obiectum probabile ſolum determinat ſub conditione quod accedat imperium voluntatis. Confirmatur eſſentia Diuina vi ſua habet connexionem cum cognitione peccati, poſita præcisè vt pura conditione futuritione peccati; aliàs in ratione *obiectiui motiui* non eſſet eſſentia infinita, ſi non duceret ad omne verum, quemadmodum vt infinita ſit in eſſe ſcientiæ debet repræſentare omne verum: Ergo ſicut ſcientia ex ſuppoſitione, quod futurum ſit peccatum, repræſentat illud, ita eſſentia ex hac hypotheſi ad illud cognoſcendum determinabit, ita latè explicat hanc ſententiam Pater Ruiz diſput. 24. & ſequentibus, loquenſque de ſcientia media diſpu. 73. per totam. 5

6 *Eſſentia diuina ſe ſola nequit eſſe medium ſcientia futurorum.*

Sed quia de illa conditione futuritionis adhuc tota quæſtio reſtat per quid ſcientia Dei determinetur ad ea cognoſcenda, cum eſſentia Diuina etiam tali futuritione poſitâ perſeueret in ſe omninò eadem, cur potius ducat in illius cognitionem? nam rogo vel ex tali cognitione aliquid ſpeciale intrinſecum reſultat in ipſa eſſentia Diuina, vel non? Si primum: ergo iam præter eſſentiam Diuinam aliquid formaliter mouet, & determinat. Si ſecundum; Quantumuis detur talis conditio, ſemper erit inſufficiens in ſe eſſentia ad mouendum, & determinandum, etenim non alia ratione in cauſâ creatâ indifferenti nequit cognoſci determinatè peccatum, etiam quando in ſe futurum eſt, niſi quia talis cauſa adhuc manet in ſe cum eâdem indifferentiâ, cum inquam de determinatiuo ad hanc conditionem futuritionis quæſtio reſtet.

7 *Sententia IIa explicans per diuerſas & heterogeneas carentias.*

Secunda ſententia aſſignat prçter eſſentiam Diuinam futuritionem ipſam peccati pro determinatiuo, vt autem hoc ſit æternum ſtatuit dari carentias quaſdam ab æterno diſtinctas à Deo; quæ per ſe eſſentialiter ſint *fore* rerum, vt diuerſa ſit carentia rei, eo quod res ſit aliquando futura abſolutè, vel conditionatè à carentia rei merè poſſibilis: nam ea carentia eo, quod res ſit futura intrinſecè *futuritio*, ſecus ſi non eſſet futura. Rurſus futuritio diſtinguitur ab ipſa re futura; ita enim non datur actu phyſicè ab æterno; datur tamen futuritio, quod non contingeret, ſi carentia intrinſecè per ſe adæquatè non eſſet futuritio. Hinc eſſentia Diuina vt coniuncta cum hac determinatâ carentiâ, quæ eſt futuritio determinat ad ſcientiam affirmatiuam, vt coniuncta cum alia carentia, ad negatiuam; ipſæ verò carentiæ non ex aliquo determinatiuo priori, ſed per ſe reſultant eo quod res poſitiua præcisè aliquando erit vel non erit; quemadmodum ſine aliqua cauſa, vel determinatiuo

natiuo eo ipſo præciſè, quod forma non ſit datur eius priuatio, iuxta quam ſententiam multiplicandæ ſunt carentiæ eſſentialiter prout peccatum eſt *futurum conditionatò*, vel *abſolutè*.

8 *Non datur multiplex eiuſdem rei carentia.* Hæc ſecunda ſententia difficilior eſt primò. Quia gratis, & ſine vllo fundamento diſtinguit plures carentias eiuſdem rei; quid enim conducit rem eſſe vel non futuram in tempore, vt carentia, vel *non eſſe* rei intrinſecè ſit diuerſum, cum iſta ſit mera denominatio extrinſeca? Quemadmodum *Æterna rei carentia non eſt medium cognoſcendi rem futurã.* eſſe rei non variatur eo, quod poſtea talis res ſit vel non ſit futura; cur idem à fortiori non dicetur de carentia quæ minus fundamentum intrinſecum habet diſtinctionis? Adde ſic ex quàuis denominatione diuerſa poſſe fingi diuerſas carentias, vt omnia explicentur, vel potius confundantur per has carentias. Secundò hic clarius elucet carentias ſic explicatas, & exiſtentes in nullo diſtingui ab ente poſitiuo; imò nec ab infinito ente, quandoquidem determinantur, vt ſint ſine aliqua præuia cauſa, vel determinatiuo. Tertiò, adhuc vrget integra difficultas in aſſignando quid determinet, vt detur ea carentia, quæ eſt futuritio potius quam oppoſita. Illa quidem non neceſſario, ſed contingenter exiſtit, alioqui non foret futuritio libera, vnde ergo reſultat? nam variatio carentię ſine vlla varietate formæ poſitiuę inintelligibilis eſt. Si dicas ex noſtro exercitio libero futuro reſultat, contra, ergo iam, id quod non eſt ab æterno poteſt determinare carentiam æternam: cur non & ſcientiam Dei infinitam, quæ minori iuuamine extrinſeco indiget?

9 Ideò tertia ſententia nullum aſſignat determinatiuum actu ab æterno, ſed aſſerit pro determinando intellectu Diuino ab æterno ſufficere determinatiuum temporale futurum abſolutè, vel ſub conditione; nam ſicut ex eo quod obiectum ſit futurum in tempore, cognitio ipſa in actu ſecundo determinatur, vt ſit vera etiam ab æterno, ita poterit determinari intellectus in actu primo verax, vt eliciat hanc cognitionem potius, quam oppoſitam. Hæc ſententia pluribus explicabitur infra diſp. 53. ſect. 7.

SECTIO III.

Proponitur noua ſententia & eius probationi aliqua præmittuntur.

10 *Determinatiuum ſcientiæ futurorũ indiſtinctum eſt à prædicato actionis cum Deo ab æterno identificata.* Exiſtimabam olim defendi poſſe determinatiuum poſitiuum indiſtinctum à prædicato actionis, quam habet Deus ab ęterno identificatam ſecum, prodituramque in executionem pro ſua differentia temporis iuxta determinationem, & concurſum voluntatis creatæ; titulo cuius actionis intellectus Diuinus iam ſit determinatus ab æterno ad ſcientiam affirmatiuam præ oppoſitã. Hæc ſi libertas Diuina ponatur adæquatè intrinſeca Deo, de quo in tractatu de Voluntate, alioqui cum nihil actu ſit, nec quoad determinationem de nouo in intellectu Diuino cognoſcente futura nullo determinatiuo indigebit ſcientia Dei.

11 *Poſſibilis actio æterna temporalis effectus.* Ne autem ſententia iſta nondum nata difficultatum ſtatim occurrentium imbre ſuffocetur; Præmitto primum eius probationi bene poſſe dari actionem ab æterno, licet effectus ſit in tempore, ſufficit enim actioni connecti cum effectu pro differentia temporis, ad quam ordinatur, vt patet in ſententia communi ponente actionem creatiuam ab æterno, hinc non obſtat huic actioni æternæ non correſpondere effectum æternum, ſed temporalem.

Secundò, Deus influit phyſicè in qualitatem, quæ ſe habet per modum termini in actu peccati: quidquid enim ſit quod negetur concurſus Deo in formalem malitiam, at in qualitatem negari nequit; cum ſolum denominatiuè, non autem formaliter mala ſit, ſcilicet ab actione voluntatis creatæ. Similiter bene poteſt Deus determinare qualitatem illam, dum non prædeterminet actionem creaturæ, nam libertas formalis in actione eſt, non in qualitate. 12 *Deus concurrit in qualitatem actus peccaminoſi?*

Tertiò licet omnis actio creaturæ immediatè ſimul fluat à Deo, at adhuc Deus poteſt habere actionem propriam diſtinctam ab actione creaturę, qua concurrat in terminum: hoc probatur (de quo latè ago in phyſicis) tum quia non implicat, quando effectus producitur à diuerſis cauſis procedere per diſtinctam actionem, tum etiam hoc maximè concedendum eſt reſpectu Dei, verbi gratia circa ignem deficiente actione cauſæ ſecundæ in ſecundo inſtanti non dum periit, ſed adhuc exiſtit ignis, non vi actionis nouæ quam Deus ſubſtituat, Deus enim vt author naturæ non tenetur ſubſtituere nouam actionem deficiente aliqua priori, ideò deficiente luminoſi actione non ſubſtituit actionem aliam, vt conſeruetur lux. Ergo exiſtit tunc ignis vi prioris actionis à cauſa prima, & conſequenter Deus habet actionem propriam diſtinctam ab actione cauſæ ſecundæ adæquatam, & identificatam cum termino in effectus non vitales in vitales vero inadæquatam, & à termino diſtinctam. 13 *Poteſt Deus habere actionem propriã in terminum diſtinctam ab actione creaturæ.*

Quartò actio illa Diuina quoad executionem nullo modo determinat, ſed determinatur potius ab actione creaturæ, bene enim ſtat vnam actionem determinari ab alia compartiali, vt patet, ſi habitui concedatur actio propria, quæ determinatur ab actione voluntatis; nec refert actionem Dei eſſe æternam in ſe, nam in operari, ſeu in ponendo terminum, & quoad executionem temporalis eſt. Ergo quoad hoc poterit ſubordinari determinationi voluntatis creatæ. 14 *Talis actio poſſet determinari ab actione creaturæ, imò deberet.*

His poſitis, illa actio Dei ab ęterno connectetur cum ſuo termino futuro, vt patet, & rurſus connectetur cum alia actione compartiali noſtrę voluntatis; nam ſiquidem connectetur cum effectu, ſeu termino, & iſte vtpote vitalis, dari nequit ſine vtrâque actione, ex conſequenti connectetur cum ſecunda actione voluntatis. Ergo ſic tandem vi ſuę actionis ęternę ſatis erit determinatus intellectus Diuinus ab ęterno, vt affirmet futurionem abſolutam peccati, aut etiam futuritionem conditionatam, ſi proportionato modo ponas in Deo actionem conditionatam, quę ex ſe habeat inferre effectum poſitã actione, vti actio creatiua infert ſuum effectum poſita tali differentia temporis. Neque talis actio Dei deſtruet libertatem noſtram, ſiquidem ſubordinatur quoad executionem actioni voluntatis, ſicut habitus, neque item erit Deus author peccati ex eo quod amet ſuam actionem, quia neque in hac, neque in eius effectu eſt aliqua malitia formalis, quę tota reſidet in actione compartiali, per quam voluntas ſe determinat. 15 *Conciliatur libertas actionis temporalis cum actione æterna Dei.*

SECTIO

SECTIO IV.

Conciliatur fides propoſitæ ſententiæ.

16 *Explicatur ſufficientia actionis æternæ Dei, vt ipſum determinet ad ſcientiam futurorum.*

PRimò ſcientia libera vt talis ſecundum id, quod addit neceſſariæ, non importat formaliter aliquid nouum in linea ſcientiæ ſuprà ſcientiam neceſſariam ſimplicis intelligentiæ, ita vt dentur duæ repræſentationes in Deo vna neceſſaria, alia libera, ſed eadem repræſentatio neceſſaria; vt veſtita connotatione, & connexione phyſicâ cum exiſtentiâ obiecti eſt formaliter repræſentatio *viſionis*, vt Deus à ſcientia neceſſaria habeat quidquid eſt ſat perfectæ comprehenſioni; à connotatione verò illa, & connexione quidquid deeſt ipſi, vt ſit intuitiua libera. Tunc ſic ſed talis connexio in nullo aptius, quam in actione explicata ſect. præcedenti poni poteſt. Ergo hæc eſt admittenda; conſequentia patet, & minor in ſententia, quam ſupponimus, nempè libertatem Dei eſſe Deo adæquatè intrinſecam, nihil enim aliud aſſignabitur in præſenti, in quo conſiſtat hæc connexio.

17 *Conſonat hac ſententia cum noſtra de actibus liberis Dei tract. ſeq. diſp. 60.*

Maior multis mihi ſuadetur. Primo quia ea phyſica connexio ſufficit vt ſcientia neceſſaria compleatur in eſſe viſionis, quis enim adderet nouam ſcientiam liberam, ſi in intelligentia ſimplici inueniretur connexio cum futuris? ſignum eſt ergo, quod quidquid datur repræſentationis in Deo veniat ab intelligentia ſimplici. Secundo ſimplex intelligentia non foret infinita, cum nec attingeret obiectum ſicut eſt in ſe, (hoc enim ſemper exiſtit, vel non exiſtit determinatè) nec omnem veritatem repræſentet nempè futuritionis. Tertio Deus mutaretur in ratione *ſcientis*, (& conſequenter in perfectione) *ſcientia* enim ex apprehenſione terminorum manifeſta perfectio eſt, non ſic connexio, & determinatio ad effectum tranſeuntem, cum hoc munus non ſit propter perficiendum ſubiectum, ſed propter terminum extrinſecum; quare perfectio Dei per hanc connexionem non ita clare mutatur. Item proportionatè mutaretur, imò minueretur gaudium Diuinum liberum, ſiquidem quando formale gaudium qua tale, innititur bono creato, non poteſt iſto deficiente formaliter non minui vt dixi diſp. 40. ſect. 2. Quarto ſcientia viſionis perfectius penetraret ſuum obiectum, quam ſcientia ſimplici intelligentiæ, nam ne viſio imperfecta ſit, obiectum ſuum comprehendit; quo æquat ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & aliunde ipſum exercitium exiſtendi affirmat. Denique in ſcientia viſionis duo poſſunt per rationem diſtingui, vnum repræſentandi comprehenſiuè obiectum exiſtens, aliud habere modum tendendi exigentem obiectum exiſtens: per primum conuenit ſcientia viſionis cum ſimplici intelligentia, per ſecundum differt. Iam cur prò ſcientia viſionis vt tali non ſufficiet hæc differentialitas, vt ſimplex intelligentia contracta ad hanc differentiam dicatur viſio? vt quid multiplicandæ ſunt ſcientiæ Diuinæ? ſecundo ſuadibilis redditur hæc ſententia, quia iuxta illam ponimus aliquid ab æterno capax diſtinctionis, & diuerſitatis, vt diuerſus ſit poſitiuè ſtatus futuritionis à non futuritione, non minus, quam diuerſa eſt exiſtentia à non exiſtentia, nam per exiſtentiam actionis, iam explicatæ, determinatur ſcientia de futuritione: per carentiam verò talis actionis, eo ſcilicet quod Deo non ad ſit talis actio determinatur, vt cognoſcat terminum creatum futurum non eſſe, quemadmodum carentia actionis creatæ infert carentiam termini. Iam autem ſi præſcindas ab hac actione Dei difficile explicabis quid ſit actu ab æterno futuritio, vt diſtincta à non futuritione.

Scientia viſionis nil addit in linea ſcientia ſupra ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.

Explicatur.

Quid ſit ab æterno futuritio.

18 *Deus qualiter ſit purus actus phyſice agendi?*

Tertio poſita prædicta actione explicatur optime quo pacto Deus ſit actus puriſſimus tam in agendo, quam in cognoſcendo; ſiquidem nullo a io diſtincto eget per modum actionis, vt conſtituatur actu producens effectum.

19 *Quomodo poſſit hac actio Diuinum intellectum determinare?*

Quarto facilius permitti poteſt actionem Dei determinari à re contingenter futura in tempore, quam ſcientiam vt formaliter talem; tum quia iuxta communem ſententiam facilius reſpectus phyſicus diuinus terminatur immediatè ad creaturas, quam intentionalis; etenim nullus negabit creaturam eſſe terminum immediatum actionis, & potentiæ productiuæ Dei; cum tamen negetur terminus immediatus diuini intellectus: tum etiam quia ſic perfectio Dei non ſubiicitur mutationi creaturæ iuxta §. 17. Tum maximè quia determinatiuum obiectum in linea ſcientiæ, cum non ponatur à ſcientia ſed præſupponatur debet antecedenter ad ipſam habere aliquod eſſe determinatum, ſcitur enim res, quia eſt, & prout eſt: non ſic actio, quæ tendit in terminum *vt ſit* non *quia eſt*; licèt autem hæc actio diuina requirat actiones voluntatis in tempore determinantes, nam actio Dei per ſe attemperate productura eſt in effectum; neque aliter effectum productura niſi in tempore ſubordinetur, & determinetur ab actione voluntatis: at non ideo prærequirit actionem voluntatis exiſtentem ab æterno, independenter enim ab hac ſic præexiſtente ſatis concipi poteſt Deus determinatus, vt habeat potius concurſum poſitiuum, quam negatiuum.

Facilius hæc actio diuina quam ſcientia ab actione creatura determinabitur.

20

Quod ſic explico, concurſus Dei natura ſua connectitur cum eo, quod determinandus ſit à voluntate creata; Ergo ſolus ille concurſus erit proxime poſſibilis, qui connectatur cum determinatione ſibi proportionata. Ergo quantumuis Deus ſecundum ſe ſit alias indifferens, vt ſine aliqua mutatione ſui ex parte principij poſſit concurſum habere poſitiuum vel negatiuum; in re ipſa hic, & nunc ſolum erit proxime poſſibilis poſitiuus, (pono voluntatem operaturam) non ab aliquo extrinſeco determinatus, ſed à propria natura, & eſſentia infruſtrabili Dei, quia non poteſt habere concurſum inanem quare ſolus ille concurſus neceſſario exiſtit hic & nunc, qui vim habet inferendi ſuum effectum dependentem à determinatione creata; quique connexus eſt cum tali determinatione futura, ſicut quando Deus decernit efficaciter finem, ex vi huius decreti eſt Deus determinatus ad media, quæ hic & nunc habent connexionem cum aſſecutione finis, & iſta media tantum ſunt proximè poſſibilia.

SECTIO V.

Concluditur explicatio, & probatio propriæ ſententiæ, ferturq́, iudicium de ſententiis in ſectione ſecunda.

21 *Similis actio poteſt eſſe determinatiuum ſcientia mediæ affirmantis.*

COnſequenter ad dicta circa omnia futura conditionata ponenda ſunt in Deo de præſenti proportionatæ actiones, quæ per ſe connectantur cum eo, quod ſit futurum peccatum, verbi gratia, ſi ponatur conditio, ad modum quo contingit,

tingit in hac præmiſſa : *homo eſt rationalis*, quæ ſi ponatur alia, *Petrus eſt homo*, infert abſolutè : *Petrus eſt rationalis*, cum qua concluſione ſolum conditionatè connectitur dum non ponitur alia præmiſſa; ita ergo ſimiliter actio Dei, ſicut poſita actione circa conditionem redditur abſolutè connexa cum peccato, ſic redditur : *productio abſoluta* peccati non per aduentum nouæ actionis circa peccatum, ſed per coniunctionem cum actione ponente conditionem.

22 *Et carentia negantis.* Rurſus ſcientia Dei ſimplicis intelligentiæ, licèt indigeat determinatiuo, & quaſi extenſione, vt cognoſcat obiectum contingens futurum abſolutè, vel conditionatè; at vt non cognoſcat futurum, & conſequenter vt cognoſcat non futurum (idem enim vtrumque Deo eſt) nullo determinatiuo, nec extenſione indiget. Vnde eo ipſo, quod determinatiuo, & extenſione careat, ſeipſa ſcientia ſimplicis intelligentiæ erit ſcientia libera de non futuritione, quia liberè, & contingenter ſine extenſione eſt, quæ extenſio cum conſiſtat in actione Deo intrinſeca iam explicata, dum ſcientia vt libera negatiua conſtituitur per carentiam talis actionis non dicetur per aliquid extrinſecum conſtitui, ſed manebit adhuc adæquatè intrinſeca Deo libertas iuxta ſententiam, quam hic ſupponimus.

23 *Hac actio quo differat à prædeterminatione.* Ex quibus omnibus manet, quo pacto defendi poſſit non improbabiliter dari in Deo ab æterno aliquid poſitiuum, ratione cuius determinetur intellectus diuinus ad ſcientiam mediam, ſeu viſionis de obiecto futuro. Quod determinatiuum ne tollat libertatem voluntatis multis differt à prædeterminatione Dominicana; primò habetur dependenter à determinatione creata; ſecundò poteſt voluntas illud tollere, vel impedire ne ponatur; tertiò, non eſt Deo formaliter libera; quartò ideo datur, quia voluntas noſtra operatura eſt haud aliter, ac ſcientia media conſequens ad noſtras actiones liberas; imo eſt ipſiſſima ſcientia media, & viſionis, per quod ſcilicet formaliſſimè ſcientia ſimplicis intelligétiæ conſtituitur in ratione ſcientiæ liberæ viſionis, verbi gratia, hoc enim eſt quod vnicè hic intendo, nempe ſcientiam viſionis vt talem non addere ſupra ſcientiam ſimplicis intelligentiæ aliquid in eſſe ſcientiæ, ſeu intra genus notitiæ niſi quandam talitatem, differentialitatem, & quaſi adiacentem modificationem ad rationem communem cognitionis, & notitiæ, quæ differentialitas propria viſionis, & modus proprius tendendi illius nil aliud poteſt addere formaliter ſupra rationem notitię, quam connexionem & actionem ſupra poſitam; vt iterum dicam ſectione vltima.

Superadditur ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, hanque in ratione media, vel abſoluta conſtituit.

24 *Non tamen additur vt noua notitia, ſed vt noua connexio cum obiecto.* Id explicatur & probatur ad eum modum quo *perſeitas* in ente ſubſtantiali, licèt neceſſariò imbibat de connotato præſuppoſito rationem entis, at formaliter in recto non includit ens (in ſententia negante formalem tranſcendentiam entis) quia ſufficienter per *ens*, quod præſupponitur, fit differentia perſeitatis quid reale. Tum ſic; ſed ſimiliter quidquid eſt repræſentationis, & notitiæ ſufficienter communicatur viſioni per ſimplicem intelligentiam, quin neceſſarium ſit multiplicare, nec repetere genus *repræſentationis*; quemadmodum in aliis differentiis non repetitur genus, nec in ente ſubſtantiali datur formaliter duplex ratio *entis* alia generica, alia differentialis imbibita in perſeitate; ergo viſio non debet repetere genus *notitiæ*, ſed ſolum addere connexionem, ſeu ordinem ad exiſtentiam: Ergo ſcientia libera vt talis, ſiue conditionata ſit, ſiue abſoluta nil aliud eſt, quam ſcientia neceſſaria vt connexa cum exiſtentia ſui obiecti modo explicato.

Iudicium de ſententiis in ſectione ſecunda facile infertur conſequenter ad dicta: prima, licèt quoad inadæquatum determinatiuum remotum, & *vt quod* defendi poſſit, non tamen loquendo de proximo completo, & adæquato, ſicut enim cauſa efficiens, vt proxima ex applicatione coaleſcit, ita proximum determinatiuum præter eſſentiam includit applicationem conditionis, & futuritionis, ſicut etiam ipſa eſſentia in ratione ſcientiæ liberè addit formalitatem terminationis ad futura: apud me autem per idem conſtituitur in ratione determinantis, ac in ratione ſcientis liberè. 25

Secunda ſententia malè explicat futuritionem, vt conſtat ex §. 8. vnde ſimiliter impugnatur, qui velit futuritionem eſſe quoddam ens diminutum quod ſit quaſi à ſe, & ſine cauſa priori, vt ad modum quo res datur in eſſe *eſſentiæ*, detur in eſſe *futuræ*, & hi ſtatus futuritionis abſolutæ, & conditionatæ diſtinguantur, ſicut eſſentia ab exiſtentia, ſiquidem eſt ſeparabilis futuritio conditionata ab abſoluta, non minus, quam poſſibilitas ab exiſtentia. Impugnatur hæc cogitatio, nam fictitiè ponitur iſte ſtatus à ſe, maleque diſtinguitur ab exiſtentia vt conſtat ex dictis in Metaph. contra diſtinctionem eſſentiæ ab exiſtentia, & quandoquidem iſte ſtatus reſultat ex euentu temporali, cur non dicemus idem de ſcientia Dei? 26

Tertia ſententia in re non differt à mea opinione; ſolum in ea diſplicet, quod ſcientiam in eſſe ſcientiæ formaliter dicat determinari à re futura in tempore, licèt enim hoc de ſcientia libera ſimpliciter verè dicatur, at in ipſa non ſecundùm id, quod habet intra genus notitiæ, ſed ſecundùm quod huic generi addit determinatio paſſiua contingit, ſcilicet quatenus ſcientia infinita ſimplicis intelligentiæ eſt terminata, & completa per connexionem, ſeu ordinem ad exiſtentiam, quod videtur eſſe de mente S. Thomæ, qu. 3. de veritate, quæ eſt de ideis art. 3. ad 8. per hæc verba: *Simplex notitia dicitur* (loquitur de ſcientia ſimplicis intelligentiæ) *ad excludendum admixtionem eius, quod eſt extra genus notitiæ, ſicut eſt exiſtentia rerum, quam addit ſcientia approbationis.* Pulcherrimè ad præſens. Quid autem vtilitatis ſit, cum omnino prædeterminationem phyſicam oderimus, ſi actionem illam æternam Dei, non autem ſcientiam ipſam formaliter vt ſcientiam ab operatione noſtra in tempore futuro determinari defendamus ſatis conſtat ex tota ſect. 4. 27

SECTIO VI.

Infertur quid de noua ſententia in ſectione tertia, & de tota hac difficultate ſentiendum ſit.

INfero primò per diſcurſum factum in ſect. 3. id vnum benè oſtendi, nempe ſcientiam liberam ſecundùm id quod addit ſupra neceſſariam ſolum importare nouam terminationem, reſpectum, & nexum cum creaturis pro ſua differentia temporis, quæ connexio cum non ſit formaliter intentionalis actio ſeu cognitio, aliud eſſe non poteſt, quam phyſica actio modo explicato §. 16. vti enim actus liberi Diuini dum explicantur per connotationem extrinſecam conſtituuntur ex actione 28

creatâ

creatâ temporali, quæ in ſe formaliter non eſt cognitio, titulo tamen illius actus neceſſarius extenditur vt liberè attingat futura contingentia, ita hic licèt ſint intrinſeci actus liberi Dei ſolum addent ſupra neceſſarios nouam actionem phyſicam, æternam tamen, & identificatam cum Deo.

29 Addo & infero ſecundò antecedenter ad ſcientiam liberam completè talem nil exiſtere ab æterno, quo phyſicè determinetur. Nam hæc actio non antecedit ſcientiam, ſed formaliſſimè ipſam vt liberam conſtituit: quare dum huiuſmodi actio à nullo priori phyſico determinatur, ita dicendum de ſcientia vt libera.

30 Infero tertiò loquendo de ſcientia vt libera ſecundùm quod dicit de linea ſcientiæ à nullo phyſicè determinari, ſed adæquatè moueri à ſola eſſentia diuina vt notaui, diſput. 37. §. 25. & ſeq. ſecundùm id tamen, quod addit extra genus notitiæ vt dixit D. Thom. ſect. præced. fine, nullum habet determinatiuum ab æterno, ſed habebit pro ſua differentia temporis, & ob hoc temporale, iam ipſa ſcienria ab æterno eſt.

DISPVTATIO LI.

De ſcientia conditionata futurorum contingentium.

SECTIO I. *Status quæſtionis.*
SECTIO II. *Sententia negans, & eius fundamenta.*
SECTIO III. *Vera ſententia, & eius fundamenta.*
SECTIO IV. *Reſpondetur fundamentis ſententiæ negantis.*

DISPVTATIO hæc primæ controuerſiæ inter Dominicanos, & noſtros occaſioni fuit affirmantibus nobis, illis verò negantibus eſſe in Deo talem ſcientiam, qua certo & infallibiliter directo tendat & affirmet euentum conditionatum, vt conſtabit ſect. 1. iam vero ferè extra controuerſiam eſt, quare breuiter eſt expedienda.

SECTIO I.

Status quæſtionis.

1 *Sub qua conditione ſcientia media ſuum obiectum reſpiciat.* SCientia conditionata hic prudenti vulgo dicta *media*, eſt illa quâ affirmatur aliqua veritas ſub conditione (nec affirmatâ, nec negatâ) indifferenti, & compoſſibili tam cum euentu affirmatiuo, quam cum eius carentia; *ſi Petrus tentetur conſentiet*: vbi non attenditur ad vim illatiuam conditionis, ſed ad euentum, qui licèt contingenter, & quaſi per accidens, coniungetur tamen in re cum conditione, ſi hæc detur.

2 *Proponuntur diuerſi conditionati euentus.* Euentus conditionatè futurus dupliciter poteſt conſiderari, primus qui tranſeat in abſolutum, quia in re ponetur conditio, ſic de Petro cras tentando, & caſuro dices, *Si tentetur, cadet*: alius, qui manet purè conditionatus, quia ſcilicet nunquam ponetur conditio, vt *ſi Tyrij viderent Chriſtum, conuerterentur*; cuius veritatis ſcientia in modo tendendi non differt à ſcientia de primo euentu futuro; nam ſcientia conditionata in ſuo modo tendendi præſcindit à poſitione conditionis; quemadmodum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ per accidens eſt, quod eius obiectum exiſtat, vel maneat purè poſſibile. Denique controuerſia non minus eſt de prima ſcientia, quam de ſecunda, vt benè oſtendit Martinon diſput. 9. ſect. 5. num. 39. imò prima ſcientia maximè neceſſaria eſt vt Deus, antequam permittat tentationem Petro præſciat, quid ſi tentetur, eueniet. Denique euentus conditionatus, non minus eſt de præſenti, præterito, quam de futuro, omneſque æquè veniunt ſub hac controuerſia; imò conuerſio Tyriorum quam præſcientia media expendam ſect. 3. potius eſt de præterito, quam de futuro.

In tres partes diuiditur controuerſia iſta; prima eſt, vt probetur exiſtentia ſcientiæ conditionatæ præſcindendo à medio, & modo quo habeatur à Deo. Secunda eſt de hoc medio & motiuo, an ſcilicet Deus futura conditionata videat in ſua eſſentiâ, in decreto, in ſeipſis, &c. Tertia, quis ſit huius ſcientiæ vſus, quæ vtilitas, quanta neceſſitas. Hæc pars vltima ad plures tractatus pertinet, vt de auxiliis Diuinæ gratiæ, de eorum efficacia, de prouidentia, & prædeſtinatione, & de voluntate: duæ partes priores ad præſentem, de quibus hic agendum quantum ſatis eſt; prius tamen, & breuius prima expedienda, cum iam noſtrorum Authorum beneficio extra controuerſiam ſit. 3

4 Igitur in præſenti diſputatione quæſtio eſt, vtrum detur in Deo infallibilis ſcientia, quæ non ſolum iudicet in quam partem euentus *inclinet conditio? quid veroſimilius ſit?* iuxta naturam conditionis, ſed directè affirmet euentum conditionatum; directè inquam non minus (ſi ſcilicet ponatur conditio) quam per ſcientiam abſolutam ipſum conditionatum abſolutè affirmat.

SECTIO II.

Sententia negans, & eius fundamenta.

5 *Verba M. Ledeſma.* POſſe Deum iudicare quid foret veroſimilius, & probabilius in tali euentu, non tamen poſſe definitum iudicium ferre, hoc eſſet, aut erit ſi, illud fiat, aut fieret: fuit ſententia omnium Thomiſtarum: vt per hæc verba refert Ledeſma Dominicanus, diſput. 2. de ſcientia conditionata, pag. 580. col. 1. linea 20. qui pag. 590. col. 2. poſt lineam 26. ait hæc *ſententia eſt certiſſima taliter quod oppoſita non ſit mihi probabilis.* Neque ſibi ſatisfacit per decreta conditionalia, quia putat hæc non poſſe admitti circa omnia futura; eiuſdem ſententiæ fuiſſe Thomiſtas teſtantur Gonzalez 1. part. diſp. 44. ſect. 2. verſu 1. ſententia curſus Diſcalceatorum, rom. 1. tract. 3. diſput. 9. dub. 2. num. 9. §. 1. Machin diſput. 35. ſect. 1. §. *in hac re*, vt videatis quo iure recentiores Thomiſtæ cum Ioanne de S. Thoma acerbè audiant ſe aliquando ab hac fuiſſe ſententia, vt liberius iam negent Societatis Magiſtros, per quos in huius veritatis agnitionem profecerunt contra Plinianum illud (in præfatione naturalis hiſtoriæ circa finem) *benignum, & plenum ingenui pudoris eſt fateri per quos profeceris?* *Dominicani Thomiſtas pænitet ſe fuiſſe ab hac ſententia.*

6 Authoritatum fundamenta pro hac ſententia nihili ducenda ſunt cum iam ita ipſos Authores pudeat eam docuiſſe vt planè fateantur non poſſe ſine erroris in fide periculo defendi. Ipſam tamen penè emortuam ſuſcitauit Author quidam Anonymus

nymus in ſuo libello de ordine, cap. 24.

7 *Argumenta quæ pro ſcientia coniecturali afferunt aduerſarij.*

Fundatur primò. Quia ſcientia formaliter conditionata ratione illius particulæ, *ſi*: plures dicit imperfectiones. Primam *compoſitionis*, & *pluralitatis* conceptuum, nam componit conditionatum cum conditione, ſecundam *diſcurſus*, nam hæc: *ſi ſol oritur, dies eſt*; perinde eſt ac *ſol oritur, ergo dies eſt*. Imò hic perfectius tangitur conditio, quid ergo maioris imperfectionis eſt admittere cognitionem illatiuam, quam conditionalem? Tertiam *apprehenſionis*: nam ita conditionem attingit vt illam nec affirmet, nec neget. Quartam *abſtractionis*, & præciſionis, nam demus, quod Petrus in re tentetur, & peccet, qui adhuc dicit, *ſi tentetur peccabit*, abſtrahit ab exiſtentia peccatum, & tentationem, neutrumque cognoſcit, vt eſt in ſe.

8 Secundò fundatur: quia, ſi Deus habet ſcientiam conditionatam, eam habebit etiam, quando futura dantur abſolutè, vt dixi num. 2. at ſimilis ſcientia à nemine cordato formari poteſt, quis enim lucentem lunam cernens dixerit, *ſi luna luceret eam aſpicerem*. Ergo Deus, qui abſolutè exiſtentes ſtatus rerum aſpicit nequit procedere conditionatè.

9 Confirmatur à paritate cognitionis diſiunctiuæ nemo videns Petrũ currere dicet: *Petrus vel Paulus currit*, & ideò non conceditur Deo cognitio diſiunctiua, quia ſcilicet determinatè ſcit ſingulatem currentem. Ergo cum determinatè videat Petrum vocari, & reſpondere; non dicet: *ſi vocatur reſpondebit*; maximè quia hæc conditionalis exponitur per iſtam, *vel non vocatur, vel reſpondet*.

10 Tertio ex parte obiecti non datur ſtatus medius in ipſis rebus intrinſecè ſpectatis aliæ namque ſunt quæ exiſtunt pro aliqua differentia temporis, aliæ quæ pro nulla, cum potuerint exiſtere, nullumque eſt medium, & ſtatus intrinſecus rebus, prout ſunt in ſe à parte rei independenter à noſtro modo cognoſcendi faciente comparationes, & combinationes extrinſecas; ergo Deus qui non cognoſcit res, niſi prout ſunt in ſe, non habebit mediam, & conditionatam ſcientiam, ſed ſolum ſciet res vt poſſibiles, ſiue vt exiſtentes.

11 Quartò, non licet fingere ſtatum medium futuritionis conditionatæ pro hac: *ſi Turca ſaltat, Papa dormit*. Ergo nec pro aliis, antecedens ſupponitur communiter, alioqui ſimiliter daretur ſcientia media pro his conditionatis diſtincta à ſimplici intelligentia, & viſione. Conſequentia probatur nam ſimiliter concipere poſſumus vt medium quid inter dormitionem abſolutam Papæ & purè poſſibilem *fore* in illa hypotheſi, etenim ratione huius *fore* nihil ponitur in eſſe, aliunde non remanet dormitio in pura poſſibilitate, vti contingeret, ſi adhuc ſaltante Turca, vigilaret Papa.

12 Quintò. Deus non habet ſcientiam conditionatam contingentium ſub hypotheſi impoſſibili, verbi gratia: *ſi chymæra tentetur, conſentiet*; Ergo nec ſub hypotheſi poſſibili. Antecedens videtur per ſe notum, nam cum ille conſenſus ſit ſemper impoſſibilis, quo pacto videri poteſt extiturus potius, quam non extiturus, alias ſimiliter fingere poteras videre Deum, quid faceret Deus alius ſi eſſet poſſibilis, quid ipſe ſi eſſet peccabilis, & tentaretur, &c. Conſequentia probatur. Tum quia ſcientia formaliter conditionata nil determinat de conditione ſitnè poſſibilis, vel impoſſibilis, ſiquidem nihil affirmat de ipſa. Ergo perinde eſt ſcientiæ conditionatæ eſſe poſſibilem, vel impoſſibilem conditionem: tum etiam hic vrgent argumenta pro ſcientia media, vt fatetur Arriaga admittens conſequentiam diſput. 21. num. 44. nempè quod vnum extremum in re determinatè futurum foret, ſi conditio poneretur, & quod Deus conſultus de conditionali noſtra nunquam reſponderet: neſcio, &c. Tum denique in neceſſariis non minus conuenit Deo ſcientia conditionata ſub hypotheſi impoſſibili, quam poſſibili: ſic cognoſcit quod *ſi Spiritus non procederet à Filio non diſtingueretur*, ergo ſi non cognoſcit contingentiam ſub impoſſibili conditione, nec ſub poſſibili.

Sexto futuritio conditionata nihil amplius veritatis ponit ex parte obiecti, quam ſi maneret in ſola poſſibilitate. Ergo non eſt, vnde Deus illam potius affirmet, quam neget. Antecedens probatur, quia ratione poſitionis cauſæ puræ ſub conditione non immutatur ſtatus obiectiuus rerum, ſolum enim eſt quædam conſideratio noſtra, qua ponimus cauſam, quaſi exiſteret; ſimpliciter namq; ipſa, & effectus in ſua nihilitate antiqua manét, ſicut manet in ſua impoſſibilitate identitas Spiritus Sancti cum Filio, quia mea hypotheſis, *ſi non procederet*, nil ponit in eſſe: Ergo ſimiliter hic, *ſi vocaretur reſponderet*, cum nihil exiſtentiæ ponatur vocationi. Confirmatur non minus repugnat quod cauſa, quæ non exiſtit conducat aliquid in exiſtentiam effectus, quam cauſa impoſſibilis. At impoſſibilis nihil habere poteſt ratione cuius vnum effectum præ alio determinet ex §. præc. ergo neque conditio, quæ non exiſtit. 13

SECTIO III.

Sententia vera affirmans, & eius fundamenta.

CVm iam à nemine negetur, fruſtra referentur Authores, qui illam defendunt: paſſim exprimitur in ſacra pagina, celebratiſſimum eſt illud Matth. 11. 21. vbi Chriſtus Dominus prædicit pœnitentiam Tyriorum ſub conditione ſuæ prædicationis. Dequo Auguſtinus de dono perſeuerantiæ, cap. 9. fine: *nunquid poſſumus dicere etiam Tyrios talibus apud ſe virtutibus factis credere noluiſſe, aut credituros non fuiſſe, ſi fierent? Cum eis ipſe Dominus atteſtetur quod acturi eſſent pœnitentiam ſi in eis facta eſſent ſigna?* Vnde clare patet non coniecturalem, ſed certiſſimam eſſe iſtam prædictionem vt ipſe ſacer textus 3. Regum 11. 2. Similiter prædicit Iudæos, ſi ad vxores alienigenas accederent, *certiſſimè* ab ipſis auertendos in Idola. Adde de euentu ſolum coniecturaliter prædicto poſſe quem dubitare, quis autem Catholicus dubitare audeat hic. 14 *Fides conditionata Tyriorũ per ſcientiam infallibilem præuiſa.*

Innumera ſunt Sanctorum Patrum teſtimonia pro hac ſententia quæ vide apud Ruiz à diſput. 61. fere per 50. ſectiones, etenim ſine hac ſcientia fruſtraneæ ſunt quæſtiones: *cur Deus permiſit hominem tentari*, quem præſciebat lapſurum? *cur creauit Angelos*, quos caſuros ſciebat, &c. fruſtaneæ gratiarum actiones, quod quis *raptus ſit ne malitia mutaret intellectum eius*; inutiles preces, vt auertat Deus à nobis dignitatem & vitam, ſi male eis ſumus vſuri? vanæ conſultationes de euentibus futuris ſub ſtatu, quem eligere intendimus? affectata humilitas prudentum, qui propriam ignorantiam 15 *Coaceruãtur rationes ex ſacris litteris, & PP. pro ſcientia infallibili conditionata.*

rantiam fatentur; dum rogati quid in tali vel tali occaſione facerent; reſpondent: *neſcio Deus ſcit*: & mille alia quæ vt cordatè fiant, ita euidenter arguunt dari in Deo infallibilem ſcientiam conditionatam, vt expenſione non egeant, ergo quantumuis modus, quo in Deo detur hæc ſcientia nos lateat, eam tamen fateri ipſe naturæ ductus nos cogit; non minus quam ſcientiam abſolutam, imò magis vt magis neceſſaria ſit diuinæ prouidentiæ, qua nil notius.

16 Rationem communem pro hac ſententia ſic formo: futurum conditionatum eſt verè affirmabile: Negabis ne verum à me dictum, *Si Petrus tentetur non peccat*; adhuc ſi videas, Petrum tentatum non peccare? vbi non affirmatur quid ſit veroſimilius ex vi conditionis, alias propoſitio eſſet falſa: Ergo verè eſt affirmabile directè ipſum conditionatum, quando eſt præſens, ergo & quando eſt purè futurum: conſequentia patet, tum ex §. 2. tum etiam, quia veritas propoſitionis conditionatæ non deſtruitur eo, quod non ponatur conditio, nam independenter ab huius exiſtentia concipitur obiectum eſſe prout à tali propoſitione affirmatur, vt autem propoſitio adhuc concipiatur vera ſufficit, ſi apprehendatur obiectum exiſtere ea ratione, qua per propoſitionem affirmatur; ſufficitque ſi ſub ea ratione obiectum non deficiat.

Futurum conditionatum vere eſt affirmabile neque ad huc requirit poſitionem conditionis.

17 Confirmatur, & explicatur hæc ratio: Deus per ſcientiam non neceſſariam attingit peccatum verbi gratia, quin exigat futuritionem abſolutam illius: Ergo per ſcientiam conditionatam ſeu mediam inter viſionem abſolutam, & ſimplicem intelligentiam; conſequentia patet, quia iſta eſt neceſſaria, & illa exigit futuritionem abſolutam peccati. Antecedens probatur primo quia Deum nulla veritas latet; datur autem veritas exiſtentiæ peccati, quæ nec neceſſaria ſit, nec abſolutè futura, quidquid enim ſit de medio, in quo cognoſcatur, negari nequit, quod verè affirmetur: *Si Petrus tentetur peccat*, quæ veritas nec neceſſaria eſt, nec futuritionem abſolutam peccati requirit. Ergo quætendum eſt medium infallibilitatis, non verò neganda ſcientia. Secundò ſaltem quando Petrus tentatus peccat, cognoſcit Deus hanc veritatem: *ſi tentetur peccat*: tum quia ignorare nequit veritatem ſimilis cognitionis creatæ, tum etiam quia vel ſtolido intellectui euidentiſſimum eſt veram eſſe conditionalem ſub conditione, ſub qua de facto exiſtit: tum ſic, ſed hæc ſcientia, nec neceſſaria eſt vt patet, nec requirit futuritionem abſolutam peccati, ſicut nec tentationis; Deo enim deficere nequit ſcientia, dum non ponitur obiectum eam falſificans non autē falſificatur ea ſcientia ex eo quod peccatum, & tentatio non dentur abſolutè; ergo.

Futurum conditionatum videri non poteſt per ſcientiam viſionis, vel ſimplicis intelligentiæ.

18 Alia fundamenta Dabimus diſput. 53. nunc ex dictis hoc conſurgit à priori ſine vlla imperfectione eſt ſcientia, quæ cum neceſſario non detur, ad ſuam veritatem non requirit futuritionem abſolutam ſui obiecti, nam talis ſcientia poteſt eſſe vera, ſi ſcilicet connectatur cum eo, quod non exiſtat conditio ſine conditionato. Et quid nouum affirmat ab obiecto neceſſario, & exiſtente abſolutè, talis enim eſt, vt patet veritas conditionata. Ergo datur in Deo talis ſcientia etenim niſi ſtet per defectum luminis cognoſcitiui neganda non eſt cognoſcenti. Tum ſic talis ſcientia neque eſt ſimplex notitia, quæ omninò neceſſario procedit; nec viſio abſoluta de peccato affirmatur: Ergo in re eſt *media*, & diſtincta ab vtraque, ſiue vocetur formaliter conditionata, ſiue æquipolenter.

SECTIO IV.

Reſpondetur fundamentis ſententiæ negantis.

AD primum fundamentum §. 7. nulla imperfectio datur in hac ſcientia; non *compoſitionis*, quia per ſimplicem actum comprehendit Deus, quod nos per plures, vnde ad ſummum datur compoſitio virtualis, quæ non magis repugnat Deo, quam diſcurſus virtualis. *Non diſcurſus formalis*; quia iſte per ly *ergo* neceſſario includit proceſſionem vnius actus ab alio, non ſic ly *ſi*, ſicut neque ly *quia* in cauſali propoſitione: *quia ſol oritur, dies eſt*: non *apprehenſionis*, nam eadem cognitio ſimul iudicat de ſtatu conditionis, quaſi diceret: *vocatio non exiſtit ſed ſi exiſteret Petrus reſponderet*, apprehenſio autem ſimpliciter dicit carentiam iudicij; ſic cum dico: *Petrus eſt homo*, licèt cognitio vt comparata præciſe cum ſubiecto nondum affirmet; quia tamen realiter affirmat ea cognitio apprehenſiua non eſt, quod dicitur de *abſtractione*, & præciſione inſtatur in ſcientia ſimplicis intelligentiæ; nam iſta, neque attingit Petrum poſitiuè vt exiſtentem, neque vt pure poſſibilem, ſed abſtrahit; alias neceſſaria non eſſet: Ergo non attingit vt eſt in ſe iuxta dicta diſputatione 45. numero vltimo. Reſpondeo ergo ſimpliciter illa ſcientia non præſcindit, quia eadem realiter attingit rem prout eſt ex parte obiecti, ſiquidem identificatur cum ſcientia viſionis. 19

Scientia conditionata imperfectibilis expers.

Ad ſecundum Deus habet conditionatam ſcientiam etiam quando futura abſoluta dantur, ſed quæ tranſit, etiam & redditur *abſoluta*, ſicut Deus habet ſcientiam ſimplicis intelligentiæ tunc, cum tamen in nobis videntibus appareat ridicula cognitio, *luna poteſt exiſtere ſine contradictione*, ratio eſt quia noſtra cognitio omnis per ſe ſupponit tunc exiſtentiam, ſi tamen talis foret, quæ ſine exiſtentia lunæ manere poſſet iure, & prudenter haberetur, ſic iure habetur à Deo de futuro abſoluto ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & media, quatenus notitia de ipſius exiſtentia conditionata non deficit. 20

Datur ſcientia conditionata etiam quando datur, vel danda eſt abſoluta.

Ad confirmationem ſecundò reſpondeo ideo repugnat ſcientia diſiunctiua quia hæc formaliter pugnat cum determinata, quæ debetur Deo; nec conditionalis, (licet quoad nos diſiunctiuæ illi æquiualeat,) diſtinctiuè formatur à Deo, qui determinatè ſcit *non vocari* Tyrios verbi gratia. Tertium argumentum ſimiliter probat non dari ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, hæc enim abſtrahit à poſitiua exiſtentia, & non exiſtentia rei; alias non haberet pro obiecto veritatem neceſſariam, qui ſtatus præciſiuus non datur in rebus prout ſunt in ſe, ſed in ipſo modo tendendi ſcientiæ. Ita ergo contingit in ſcientia conditionata. 21

Scientia diſiunctiua determinata repugnat.

Ad quartum illa diſparata vt talis non dicitur propriè conditionalis, quia in hac aliqua connexio communiter imbibitur conditionis cum conditionato exponitur ergo *vt temporalis* ſic; *in eodem inſtanti in quo fuerit ſaltus Turcæ, erit ſomnus Papæ*, cuius veritatis ſcientia, ſiue ſit media, ſiue non, ſine abſurdo Deo competit, vt concedit Ruiz diſp. 78 ſect. 2. cum Suar. & fonſeca. 22

Vide infrà quæſt. 14. art. 13. dub. 15.

Conditionales de hypotheſi diſparata exponitur per temporalem.

Ad quintum conditionalis contingens ſub hypotheſi impoſſibili ſemper eſt falſa, quia his hypotheſibus vtimur ſolum, vt indagemus connexionem formalem (vt contingit in illa de Spiritu ſancto non 23

Conditionales de hypo-

theſi impoſſibili ſemper eſt falſa.

non procedente à Filio) non euentum rei, qui impoſſibilis eſt, cum autem hæc hypotheſis impoſſibilis obiecta nullam connexionem habeat, nec dabit veritatem effectui ſecus ſe habet in conditione poſſibili, quæ cum etiam ſine connexione det exiſtentiam abſolutè effectui dum ponitur abſolutè; benè poteſt concipi datura, ſi ponatur, talem exiſtentiam licèt connexione eareat.

24 Deinde dici poteſt has propoſitiones obiectas eſſe determinatè veras, aut falſas ſecundùm veritatem, aut falſitatem poſſibilium ad quas reducuntur, & per quas cognoſcuntur: ſicut cognoſcuntur carentiæ per ſpeciem rei poſitiuæ, verbi gratia, verè dico, *ſi homo haberet alas volaret*: non vero *ſi eſſet quadrupes*, quia ſcilicet omne alatum volat, non quadrupedans; ita ſi alius Deus daretur crearet mundum hic & nunc, quia ſcilicet verus Deus hic & nunc creauit mundum. Et ratio eſt, quia nunquam implicantia hypotheſeos immutat effectus de facto exiſtentes, niſi quando ponit aliquid in adiecto repugnans talibus effectibus. Deus autem ex eo quod eſſet alius, nihil imbibit repugnans formaliter mundi creationi, nec tentatio chymæræ conſenſui.

25 Ad ſextum conſtat tota diſputatione præcedenti poſſe aſſignari aliquid poſitiuum determinatè connexum cum euentu futuro conditionatè. Deinde ad præſens ſatisfacit decretum Thomiſticum, de quo diſputatione ſequenti iſtud enim potius datur ad euentum ſub conditione poſſibili, quam impoſſibili; per quod patet etiam ad confirmationem; de qua & hoc ſexto argumento plura dicam alibi.

DISPVTATIO LII.

Vtrùm futura conditionata contingentia cognoſcat Deus ante decretum efficax ſuæ voluntatis abſolutum ex parte ſubiecti, & conditionatum ex parte obiecti.

SECTIO I. *Status quæſtionis.*
SECTIO II. *Sententia Recentiorum Thomiſtarum, & eius fundamenta.*
SECTIO III. *Sententia Societatis, & eius ab authoritate fundamenta.*
SECTIO IV. *Ratione probatur ſententia Societatis.*
SECTIO V. *Vltima ratio pro eadem ſententia: Vbi de cognitione, quam habet Deus de ſuis decretis conditionatè futuris.*
SECTIO VI. *Proprium iudicium circa hanc rationem.*
SECTIO VII. *Reliqua argumenta.*
SECTIO VIII. *Reſpondetur argumentis in ſectione ſecunda.*

Vide infrà qu. 14. ar. 13. dub. 16.

AD præſentem controuerſiam deducta eſt iam tota diſceptatio inter Authores annuentes, & renuentes ſcientiæ mediæ, vt ex hac vnius veritate, vel falſitate vera intelligentia efficaciæ auxiliorum gratiæ, cauſalitatis prædeſtinationis, & electionis ad gloriam, beneficentiæque diuinæ dependeat; quare cum breuitas Scholaſtico tractui debita non permittat pro dignitate hic propoſitam difficultatem exponere, & expendere Lectorem meum tum ad quæſt. 14. quam ad finem huius operis attexo tum ad alios tractatus de Prædeſtinatione, & Gratia.

SECTIO I.

Status quæſtionis.

REcentiores Dominicani ſentiunt nullum euentum liberum eſſe cognoſcibilem ante decretum diuinæ voluntatis abſolutè prædeterminans quando euentus cognoſcitur abſoluè futurus, vel prædeterminans conditionatè vt euentus cognoſcatur conditionatus. Itaque non negant ipſi iam infallibilitatem ſcientiæ conditionatæ, ſicut neque ſcientiæ abſolutæ circa futura, ſed dicunt pro ſigno rationis ante prædeterminationem Diuinæ voluntatis neutrum eſſe determinatè cognoſcibile, quemadmodum pro priori ſigno, in actu primo noſtri arbitrij, nec determinatè affirmabilis eſt, nec determinatè negabilis actus ſecundus, licèt in reipſa determinatè pro poſteriori ſigno naturæ affirmabilis ſit, exiſtatque ex parte obiecti actus ſecundus. 1

Ad præſens dicunt hic Authores futura libera conditionata cognoſci quidem à Deo certò & infallibiliter, non tamen ante, ſed in decreto abſoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti, hoc eſt in decreto abſolutè exiſtente ab æterno in Deo nulla ſpectata conditione, licèt per tale decretum Deus decernat, & prædeterminet obiectum non aliter ponendum, quam dependenter à conditione, quemadmodum decretum creandi mundum poteſt dici *æternum* ex parte actus ſeu ſubiecti, & temporale ex parte obiecti; quia ſcilicet cum ſit in ſe *æternum* vult effectum temporalem: Vnde Deus hic iuxta hos Authores cognoſcit pœnitentiam Tyriorum futuram ſi Chriſtus Dominus eis prædicaſſet, quia iam nunc de præſenti dicit: *Volo Tyrios conuerti ſi audiant prædicationem Chriſti*, quod decretum eſt abſolutum ex parte ſubiecti, licèt conditionatè procedat ad obiectum. 2

Huic eidem ſententiæ fauent aliqui Scotiſtæ ponentes in Deo efficax decretum in quo determinentur veritates contingentes qui non differunt à Dominicanis, niſi quia iſti putant efficaciam decreti Diuini applicari per phyſicam prædeterminationem creatam in tempore, quam odio habentes Scotiſtæ totam vim, & efficaciam adſcribunt efficacitati Diuinæ voluntatis. Vtrique Authores quoad præſens non diſſident, æqualique fundamento nituntur, tamen Dominicani conſequentius procedunt, vt dicam in fine huius diſput. 3

SECTIO II.

Sententia Recentiorum Thomiſtarum, & eius fundamenta.

PRimum eſt implicat aliquis effectus, qui non ſit dependens à cauſa primâ in inſtanti ſibi proportionato, ſed decretum conditionatum, quo eſſet cauſaturus 4

cauſaturus Deus, ſi ponatur conditio, eſt proportionatum conditionatæ futuritioni effectus: Ergo hæc non aliter eſt, nec cognoſcitur niſi dependenter à tali decreto. Confirmatur nihil eſt abſolutè futurum, nec poſſibile antecedenter ad decretum abſolutum, & poſſibile Dei, hinc enim naſcitur omne *eſſe*. Ergo nihil eſt futurum conditionatè antecedenter ad conditionatum.

5 Secundò effectus creatus ex ſe independenter à Voluntate Dei actu exiſtente & decernente, ſolum habet meram poſſibilitatem, & nil, alias cauſa creata aliquid poſſet ex ſe ſine cauſa prima, ſiquidem poſſet extrahere effectum à pura poſſibilitate. At futuritio conditionata plus eſt quam poſſibilitas mera, ſiquidem ſtat effectum eſſe poſſibilem, quin ſit futurus conditionatè, ergo talis futuritio neque eſt nec cognoſcitur niſi in decreto, & libito Dei. Confirmatur nullum datur *eſſe* in creatura contra voluntatem Dei & Dominium ipſius; at *eſſe* cōditionatum eſt contingens, ergo dari non poteſt niſi ſubiectum voluntati, & Dominio Dei, Ergo dari non poteſt, & conſequenter, nec cognoſci, antecedenter, & independenter à Decreto Dei: Conſequentia probatur; nam quod vt exiſtat non indiget decreto actu exiſtente in Deo, nec Dei Dominio ſubeſt, nec deſtructibile eſt, quidquid renuat vel contradicat voluntas Diuina.

6 Tertiò, nihil poteſt abſolutè exiſtere niſi volente & decernente Deo, ſaltem enim abſoluta exiſtentia non datur niſi ex libito Dei; ſed ſi verum eſt quod Petrus verbi gratia conuerteretur præcisè poſita vocatione, præcisè illa poſita, & conſequenter quin voluntas Dei intercedat, iam exiſtet abſolutè conuerſio, etenim per eas, præcisè cauſas, exiſtere poteſt abſolutè effectus, per quas verum eſt extiturū ſi ponantur, ergo, &c. Confirmatur futurum conditionatū præcisè poſita conditione tranſit in abſolutū; ergo ſi ante decretum ſuę voluntatis cognoſcit Deus conditionatum; adimpleta tali conditione, antequam Deus aliquid decernat de actu futuro, iam iſte vt futurus abſolutè cognoſceretur.

7 4. In Deo poſſunt dari, imò de facto dantur prædicta decreta abſoluta ex parte ſubiecti, & cōditionata ex parte obiecti. Ergo futura cōditionata non cognoſcuntur à Deo, ante talia decreta. Antecedens probatur, 1. ex ſcriptura, tum in omnibus pactis, & comminationibus, quæ ſemper procedunt conditionatè, neceſſario autem imbibunt decretum actu præſens ex parte Dei, vt voluntas dandi gloriam Iudæ, ſi decederet in gratia quæ ex parte obiecti merè conditionata eſt; tum etiam patet 4. Reg. 3. *ſi percuſſiſſes ſepties percuſſiſſes Syriam*; quæ veritas, ne diſparata ſit indicat dari in Deo decretum debellandi Syriam, ſi procederet ſeptena percuſſio. Secundò eſt ratio à priori, obiectum purè conditionatum eſt amabile vt patet in nobis, & quis dubitat potuiſſe à Deo, etiamſi non crearet mundum, decerni: *ſi crearem mundum, in quo homo peccaret, incarnarem:* omne autem bonum amabile à Deo, vel poſitiuè amat, vel reſpuit, neque enim poteſt habere puram omiſſionem; ergo ſemper Deus, & neceſſario habet affirmatiuum, vel negatiuum decretum circa futura conditionata.

8 Hinc probatur prima conſequentia: Quod ſcilicet ea futura non cognoſcat Deus ante decretum nam hoc ſufficiens motiuum eſt, in quo habeatur ſcientia conditionata, ſiquidem & connectitur eſſentialiter cum eius obiecto, & non eſt poſterius tali ſcientia, nam immediatè ſequitur poſt ſignum neceſſariorum, cum non ſit quod expectet ſuſpenſa voluntas Dei; ſcientia autem conditionata, vtpote contingens, non eſt in ſigno neceſſariorum; ſed poſt ipſum; Ergo benè poterit ſcientia tali decreto vti pro motiuo. Ergo neceſſario illo vtetur. Hæc conſequentia patet, tum quia ſcientia Dei cognoſcit omnia quæ pro ſigno, in quo illa datur, ſunt cognoſcibilia; tum etiam quia ſic nihil eſt in Deo contingens niſi ex voluntate Dei libera iſtaque eſt prima radix omnis contingentiæ; tum denique ſic habebit Deus in ſe, & ex ſe motiuū ſufficiēs cognoſcendi omnem veritatem. Confirmatur quia ſi dicamus nullum futurum poſſe cognoſci pro priori ad decretum Dei, rectè componitur quo pacto ſcientia de conditionatis aliquando dicatur indeterminata, & coniecturalis, nempè pro priori; aliquando infallibilis, & determinata, nempè pro poſteriori ad decretum.

His argumentis probant quaſi poſitiuè Dominicani admittenda eſſe in Deo iſta decreta vt detur medium infallibilitatis ſcientiæ conditionatæ, alia quibus negatiuè arguunt, eo quod futura conditionata in ſeipſis ſciri nequeant, proponemus diſp. ſeq. 9

SECTIO III.

Sententia ſocietatis & eius ab authoritate fundamenta.

VNanimiter omnes ſocietatis Doctores conſenſere ſemper in reſpiciendis his decretis prædeterminantibus, ſimiliterque alij Authores, qui noſtræ ſententiæ adhæſerunt, de quibus opportunius diſput. ſequenti. Modo ea authoritas ſolum ponderanda, quę omni exceptione maior eſt, omniumque à ratione argumentorum fundamentum. 10

Primò ex illo Matth. 11. *Si in Tyro, &c.* vbi exprobrantur Iudæi, quaſi nullam poſſent excuſationem prætexere cur, non conuertantur cum eadem prędicatione Chriſti, qua conuerterentur Tyrij: hæc exprobatio nè vana ſit, petit à è Tyriis vltra prædicationem detur prædeterminatio: primò, quia exprobratio comparatiua requirit, ne poſſit accuſatus reddere diſparitatem, eſt enim talis exprobratio quoddam argumentum à pari quod friuolum eſt, ſi omnia non ſint paria. At Iudæi iure reſponderent: *Quid nos accuſas comparatione Tyriorum, & illos nobis præfers, cum ipſis præ nobis dederis prædeterminationem, cum qua nos etiam conuerteremur, & ſine qua nulla prædicatio Tyriis ſufficeret.* Secundò acrius vrgerent Chriſtum Dominum: *cur illos prædeterminas, & nos relinquis, quos à paritate prædicationis arguis?* Tertiò, iniuſtè arguitur, eo, quod minus gratum ſe oſtentat, qui minus beneficium recepit; Iudæi autem minus recipiunt cum non gaudeant phyſica prędeterminatione. Quartò, hæc exprobratio indicat quoddam genus admirationis in Chriſto de eo quod Tyrij præ Iudæis conuertantur. Si autem totum diſcrimen fundatur in decreto prædeterminante, quid mirum eſt? 11 *Comparatiua exprobatio æqualitatem extremorum exigit.*

Dices iuſtè reprehendi Iudæos, quia habent auxilium ſufficiens. Contra tranſeat iuſtè reprehendi *abſolutè*, ſed non *comparatiue*: ſic iuſtè reprehenditur abſolutè quiuis peccator, qui non conuertitur, non tamen comparatiuè ad D. Paulum, quem conuertit tam mirabilis vocatio. Quod ſi neceſſitas moralis in vno præ alio, facit ne poſſit iſte à pari reprehendi, verbi gratia Iudas quod non 12 *Auxiliorum ſufficientia non ſufficit exprobrationi comparatiuæ.*

amet Deum ſicut B. Virgo, à fortiori neceſſitas prædeterminationis, quæ phyſicè eſt infallibilis. Inſtabis primo reprobi in die iudicij increpantur comparatiuè ad Chriſtum, licèt tam inæqualia auxilia, & beneficia acceperint, quia ſcilicet ſimpliciter ipſi habuerunt auxilium ſufficiens. Ergo increpatio comparatiua non requit æqualitatem, ſed ſufficientiã. Reſpondetur non increpantur improbi, quia non fuerunt ſancti, & immaculati, ſicut Chriſtus, hoc enim fuit impoſſibile, ſed quod cum Chriſtus tanta pro eis paſſus fuerit, ipſi nec tantillum fecerint pro Chriſto.

13 Inſtabis ſecundò hoc argumentum in ſententia ſocietatis, iuxta quam Iudæi non acceperunt cogitationem congruam nec æquale beneficium ſicut Tyrij. Contra tamen nam de hoc ipſo iure arguuntur Iudæi, cur non fecerint, auxilium eſſe congruum? cum idem prorſus ſit ac auxilium Tyriorum; Tyriis enim, quod illa cogitatio fuerit congrua non accidit quia eſſet fortior, quia in diuerſo tempore, quia expectata opportunitate maiori, ſed ex proprio Tyriorum libito. Iure ergo admirationi & reprehenſioni datur locus cur Iudæi idem libitum non appoſuerint. Fateor Deum facturum maius beneficium Tyriis in eadem prædicatione, quia videbat eam prædicationem eis profuturam quod non præuidebat in Iudæis: at origo huius diſparitatis in præuiſione ſolum ſtetit per Iudæos iuxta ſocietatem, iuxta Dominicanos verò per voluntatem Dei Ergò iuxta hos vim haberet reſponſio Iudæorum; *ſi tu ita vis, ita ex tuo libito determinas quid exprobras? quid miraris?*

Iudæi ac Tyrij eadem auxilia habuere.

Diſparitas Iudæorum & Tyriorum in quo ſteterit?

14 Secundo ex ſapient. quarto *raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius*, vbi præmatura mors ponitur à Deo ad vitandum futurum lapſum, quem præuiderat in vita longiori *ſecundum pericula huius vitæ*, vt dixit Auguſt. lib. de prædeſtinatione ſanctorum cap. 14. Ergo non præuidit in decreto, conſequentia patet. Primo quia non referretur lapſus in pericula, ſed in decretum. Secundo ſi lapſus hominis pendet ex libito Dei vt quid eſt ſollicitus, & anticipat mortem ipſe Deus, ne poſtea prædeterminet ad lapſum, quaſi diceret: *anticipo mortem nè homo poſtea peccet, quem decerno vt ſi diutius viuat labatur*; vnde ſe gerit Deus, ponens medium, quaſi timeat à ſe ipſo prædeterminationem, quis autem prudens ponit medium ad vitandum id, quod ex ſuo ſolo libito ortum habet. Tertio illuſoriè videretur ponderare Deus hoc beneficium præmaturæ mortis, cum pro libito ipſe habeat decretum prædeterminans ad lapſum in longiori vita.

15 Dices lapſus refertur in pericula, quia Deus vt author naturæ tenetur non impedire, & conſequenter prædeterminare lapſum. Contra pericula niſi Deus prædeterminet non inferent lapſum, aliunde Deus etiam vt author naturæ, non tenetur prædeterminare quantumuis immineant pericula, quoties enim vrgente periculo in vnam partem voluntas noſtra naturaliter operatur oppoſitum? Quid ergo Deus timet niſi à ſe ipſo? Inſtabis etiam in ſententia ſocietatis poterat Deus non obſtantibus periculis in vita longiori liberare iuſtum. Contra ſæpe non poteſt niſi faciat ſpecialia miracula præter exigentiam occurrentium cauſarum naturalium: At ſine ſpeciali miraculo ſemper poteſt prædeterminare ad bonum, vt quid ergo cùm naturaliter poſſit vitare lapſum non prædeterminando ad malum, eligit potius immaturam mortem?

Deus numquam tenetur prædeterminare cauſas liberas.

Tertio ex Patribus dum primò quæſtiones excitant *cur Deus creauit Angelos, quos præſciebat lapſuros? cur homines quos præſciebat damnandos?* Semper repetunt & recurrunt ad præſcientiam, non ad decretum; non dicunt quos decernebat damnandos mirantur de creatione ipſa, non de decreto conditionali, cum dignius admiratione ſit: *cur Deus ex ſe decreuerit Angelorum lapſum ſi crearentur?* hominum damnationem, &c. *Siquidem in malum ſolum quaſi coactus concurrit, quis Deum coegit ad tale decretum?* Secundò dum, vt concilient Patres noſtram libertatem cum prędeſtinatione, recurrunt ad præſcientiam qua Deus prædeſtinat quos præſciuit credituros. Tertio dum ſuauitatem Diuinæ prouidentiæ, & opportunitatem aduentus Chriſti in tali tempore commendant, quia in hoc potius præuidebat hoc beneficium pluribus profuturum. Iam vero ſi præſcientia fundaretur in mero libito Dei inanis recurſus foret pro concilianda libertate cum prædeſtinatione ad præſcientiam. Poſſet item Deus in quolibet tempore decernere aduentum Chriſti æquè proficuum. 16

Quartò Ex communi hominum perſuaſione etiam argui poteſt, nam primo quando conſulunt de euentu futuro præcipue peccaminoſo ſub tali ſtatu, non conſulunt, quæ ſit voluntas Dei, ſed quis in ſe ipſo futurus rerum euentus. Secundò quando precantur, vt auertat Deus dignitatem, vel vitam, ſi illa ipſi male vſuri ſunt, certè potius precarentur vt Deus adiungat illi prædeterminationem bonam, cum non magis ex vita ſecundum ſe ſequendum ſit malum, quam bonum, niſi Deus prædeterminet pro libito, Ergo cum æquè ſubiaceat libito Dei naturaliter, vt authoris naturæ, vitam à malo liberare ſicut & vitam ipſam tribuere, non eſſet cur homines potius malum timentes peterent liberationem à vita, quam à malo. Tertiò omnes apprehendunt, vt opus perfectioris ſcientiæ cognoſcere obiectum futurum, quam præſens, ſi autem futurum noſceretur in decreto, nihil fotet ſpecialius. 17

Maior perfectio ſcientiæ futurorum præexiſtentium non ſtat cum decreto conditionato.

Vt his occurrat aliquis ſic fingere poteſt efficaciam prædeterminationis, & auxilij, nempè vt nihil addat ſupra ſufficiens, ſed iuxta peculiarem genium conditionem, & naturam voluntatis creatæ idem auxilium ita coaptetur, vt in his circumſtantiis methaphyſicam efficaciam habeat: in aliis, vel in eiſdem cum alia voluntate inefficaciã, quod conſequens eſt ad dictum Auguſtini cap. 14. de dono perſeuerantiæ; *Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio naturaliter munus quoddam intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus, vel hauriant verba, vel ſigna conſpiciant.* 18

Ex qua doctrina fit primo Iudæos iure repræhendi quibus eadem prędicatio inefficax, quæ Tyriis ſine maiori auxilio, nouitate, &c. Sed omninò eadem foret efficax. Secundo Deus vt author naturæ teneretur permittere pericula occurſura in vita longiori iuxta naturalem exigentiam cauſarum, hęc autem pericula hic & nunc antecedenter ad vſum voluntatis creatæ forent prędeterminantia, quo omnia componuntur ſapient. 4. & quod lapſus pręuideatur infallibilis in decreto, diſpoſitioneque Dei periculorum, & quod non ſit ex mero libito Dei. Tertiò iure commendatur Diuina prouidentia, obſeruaturque tempus, & opportunitas auxiliorum, quia ex his circumſtantiis conſurgit efficacia. Quartò hic non ex mero libito Dei, vita vel dignitas præuidetur nocitura, ſed ex ipſa conditione rerum, quarum penetrare genium, 19

nlum, & naturam, qua ſint eędem iam congruæ, iam incongruę, opus infinitæ ſcientiæ, & ſuper-comprehenſionis eſt.

20 Doctrina hæc rectè ad ſpeciem compoſita videtur aliquibuſque ex præmiſſis occurrit; cæterum in re omnino falſa eſt, neque poteſt ipſis Dominicanis placere, vtpote quæ funditus euertit contingentiam & libertatem; hæc enim non ſolum petit potentiam ad oppoſitum ſecundùm ſe, & in aliquo euentu, ſed hic & nunc in inſtanti, in quo operatur voluntas, vt ſcilicet in illo naturaliter loquendo potentia applicari poſſit ad oppoſitum, applicareturque de facto ſi Deus illi infunderet prædeterminationem; aliàs nulla cauſa eſſet neceſſaria, nam ignis ſecundùm ſe non poteſt comburere ſi non applicetur: Ergo Iudæi reſpondere poſſent nobis non dediſti talem genium, & naturam ſicut Tyriis, &c. Ergo tandem cum Deus poſſet applicare ad oppoſitum ex proprio libito à nullo coactus determinabit ad lapſum. Ex quo omnia argumenta à me poſita vrgent.

SECTIO IV.

Ratione probatur ſententia Societatis.

21 Ex dictis in ſectione præcedenti efficaciores rationes in probationem huius ſententiæ colliguntur; prima poteſt Deus è duobus hominibus quorum vnus conuertitur alius non, hunc reprehendere comparatiuè ad alium, quaſi æquale ex parte ſua fecerit Deus, & conqueri quod homo non æqualiter operatur, haud aliter, quam Pater humanus, verbi gratia, qui duobus filiis æquale talentum dedit, id patet ex Matth. 11. vnde & nos iure ſic arguimus non bene operantem ſimili comparatione, quin attendamus ad aliàs circumſtantias: Tunc ſic; hæc reprehenſio non ſtat cum eo, quod Deus prædeterminet operantem. Primò, quia ſic plus ponit Deus ex parte ſua in operante, ſiquidem ſecluſo omni, quod eſt ſub poteſtate operantis plus datur in hoc conducens in operationem, quam in non operante. Secundò reprehenſio à paritate tunc eſt iuſta quando ſimilis conſequentia à pari concluderet in neceſſariis, ſi autem non concluderet nulla eſt, nam manifeſtè oſtenditur tunc ceſſationem ab opere non eſſe reprehenſibilem, non ſtareque per defectum non operantis quod cum tali auxilio non operetur, ſed per defectum ipſius auxilij, & potentiæ, ſi autem datur in operante prædeterminatio, hæc conſequentia non eſt bona: *Petrus vocatus operatur; ſed Paulus vocatur, ergo operatur.* Conſequens igitur eſt, vt non valeat reprehenſio. Confirmatur, reprehenſio à pari requirit quod non poſſit reddi diſparitas, quod ideò præciſè vnus operetur, & connectatur cum operatione *quia vocatur;* At id non euenit in operante cum prædeterminatione; nam non ita connectitur vocatio cum opere, vt vocatio prædeterminata; ergo.

22 Secundò Deus ſæpè præparat potius vnum auxilium ſufficiens, quam aliud ex intentione vt ſequatur effectus liber; ſed id efficere nequiret, ſi illud redderetur efficax ex decreto prædeterminante: Ergo efficacia, ſeu effectus futurus præuidetur antecedenter ad tale decretum prædeterminans. Maior patet ex Sapient. 4. & paſſim conſtat ex Patribus dum prædicant Diuinæ prouidentiæ ſuauitatem, quæ expectat occaſiones, obſeruat tempus, permittit malum vt ex eo deducat bonum, &c. Minor probatur quia nullum auxilium ſufficiens cogit Deum etiam vt Authorem naturæ, vt potius prædeterminet ad vnam partem, quam ad aliam, liberrimè & à nullo coactus, vel determinatus Deus ex ſe applicat voluntatem noſtram ad actum habetque decretum prædeterminans vt dixi num. 15. Ergo inutiliter Deus vt conſequatur finem effectus liberi, eligeret vnum auxilium ſufficiens præ alio, ſi poſſet pro libito prædeterminare. Confirmatur, inutiliter ad finem eligam vnum medium præ alio, ſi vtrumque, prout mihi libuerit, eſt æquè vtile: ergo ſi Deus eligit, ideò eſt, quia præuidet non eſſe æquè vtile: ergo quia vtilitas ſeu efficacia non conſiſtit in libito Dei.

Tertiò, Deus antecedenter ad decretum cognoſcit voluntatem creatam ſub conditione omninò ſufficienti ad operandum, ergo cognoſcit quid, ſi illa præciſè ponatur, continget, & conſequenter, quid fiet in præciſione à decreto. Conſequentia hæc probatur, nam Deus ratione ſuæ infinitæ ſcientiæ cognoſcit, quid fiet vel non fiet, poſita quauis conditione, tum ſic, non cognoſcit neceſſariò futuram carentiam operationis; nam potentia proxima non connectitur eſſentialiter cum carentia operandi, aliàs proxima non eſſet; ergo cognoſcit exercitium voluntaris contingens ſub conditione antecedenter ad decretum. Confirmatur, antecedenter ad decretum præuidet Deus aliquid quod ipſum cogit ad prædeterminandum ad peccatum potius, quam ad carentiam peccati, Deus enim ex ſe auertit à peccato: atqui nihil Deum cogere poteſt niſi præuiſio praui vſus futuri à noſtra voluntate; ſiquidem nihil antecedens voluntatem noſtram cogit Deum ad prædeterminandum, ad vnam partem præ alia: Ergo, &c. 23

Quartò, ſcientia conditionata præcedit volitionem collatiuam conditionis, ſed hanc præcedere non poteſt decretum hoc conditionatum: Ergo huiuſmodi ſcientia habetur antecedenter ad decretum. Conſequentia patet, & maior, nam ſcientia conditionata præcipuè ponitur vt Deus præſciat antequam velit conditionem, quid ex illa ſequendum ſit, ex hacque notitia dirigatur, ſic permittit mala, quia pręſcit quanta inde eliciturus ſit bona; vult dare hoc auxilium, quia pręſcit fore efficax. Minor probatur, quia pro ſigno pro quo fingis dici à Deo: *volo quod ſi ponam hanc conditionem, homo conuertatur:* non eſt cur Deus ſuſpendat ſuam libertatem cur expectet ne ſemel dicat *nolo*, vel *volo conditionem*. 24

Eadem minor pręcipuè oſtenditur quia aliàs Deus haberet duplicata decreta conditionatum, & abſolutum de eadem re, *volo conuerſionem, ſi ponatur conditio;* & abſolutè *volo conuerſionem.* Rurſus hęc ſecunda volitio abſoluta non eſſet immediatè, & formaliter libera, nec à Deo vt indifferenti, ſiquidem iam foret determinatus, & neceſſitatus ex vi prioris conditionatæ, ſi enim poſita conditione nollet conuerſionem, fruſtraretur decretum conditionatum. Denique neque iuxta Thomiſtas Dominicanos erit libera volitio efficax & abſoluta conditionis; nam ipſa conditio etiam volibilis eſt ſub conditione alia reflexa, & conſequenter ſupponet aliud decretum conditionatum reflexum, verbi gratia: *Si vocauero Petrū conuertetur: ſi irrigauero vocabo ſi orauerit Paulus, creabo Petrum: ſi Franciſcus prædicauerit, Paulus orabit*, &c. ſine fine. Vndę & valdè minuitur Diuina libertas, cum ferè inaſſignabile ſit primum decretum, quod ſit radix, & 25

primus fons libertatis: Item daretur infinita proceſſio decretorum ſibi ſuccedentium, & inuicem ſubordinatorum, vt alibi clarius explicabo, ſtatimque perpendenti bene patebit.

SECTIO V.

Vltima ratio pro eadem ſententia, vbi de cognitione quam habet Deus de ſuis decretis conditionatè futuris.

26 *Deus cognoſcit ſuos actus ſub conditione futuros independenter à decreto præſenti.*

HÆc ratio ſic formatur. Deus ſcit ſuos actus liberos futuros ſub conditione, ſcit inquam independenter ab aliquo decreto abſoluto ex parte ſubiecti, (ſeu ex parte actus) verbi gratia ſcit Deus ſe voliturum incarnationem Spiritus-Sancti, ſi alius mundus crearetur, neque ideò iam nunc habet abſolutè decretum quo dicat: *decerno incarnationem Spiritus-Sancti caſu quo alius mundus exiſtat.* Ergo aliquid futurum contingens ſcibile eſt à Deo antecedenter ad decretum, ſimiliterque ſcibiles erunt noſtri actus futuri; Conſequentia patet, ſi enim Deus ſine vllo decreto præſenti cognoſcit ſuas volitiones futuras ſub aliqua hypotheſi. Ergo ſimiliter ſciet ſe voliturum prædefinire, verbi gratia ſub tali hypotheſi noſtras operationes, & conſequenter ſciet infallibiliter has futuras.

27 Antecedens in quo eſt difficultas probatur, tale decretum reflexum conditionatum, quod ponitur actu in Deo, vel coëxiſteret etiam in hypotheſi alterius mundi determinaretque Deum ad volitionem incarnandi, vel non coëxiſteret. Primum falſo dicitur, tum quia de facto Deus vult incarnationem, quin hæc volitio præſupponat aliquam reflexionem, cur non ſimiliter tunc? tum etiam quia alioqui volitio abſoluta incarnandi formaliter & immediatè non eſſet libera, ſicut non eſt liber immediatè actus imperatus ex præſuppoſitione imperantis; tum denique à priori, quia id habet ſpeciale primum liberum primumque determinans præ ſecundo quod nullo prædeterminante indigeat, ſed quantumuis ſit indifferens determinet ſe (quoties audiſtis à Dominicanis voluntatem creatam non poſſe ſe determinare, ne ſit primũ liberum, primumque determinans) & quidem ſaltem de illo decreto reflexo conditionato id dicendum eſt, ne procedamus in infinitum; cur non & de hoc abſoluto? Ergo omnino ſuperfluè, & inconuenienter ponetur, quod hoc decretum reflexum coëxiſtat tunc cum volitione incarnandi, ad illamque determinet.

28 Iam verò ſi ideò dicas quod non coëxiſteret. Contra, ergo in tali decreto non poteſt infallibiliter cognoſci quid Deus ſit voliturus; conſequentia patet, nam decretum, quod non valet inferre ſuum obiectum, nec valebit facere ipſum *cognoſcibile*. Item Deus comparatur cum volitione incarnandi tunc omninò indifferenter immediatè vt per accidens fuerit iſta reflexio, quam modo ponis. Ergo inſufficiens eſt tale decretum vt in eo cognoſcatur ea volitio: conſequentia patet, tum quia alioqui noſter actus liber, qui futurus ſit à potentia omninò indifferenti cognoſci poſſet independenter à ſcientia mediâ, quod nec Dominicani ipſi dicent. Tum etiam quia in meo propoſito conditionato, nequit cognoſci, quid ego facturus ſim, quando illud non habeam; etenim quando propoſitum iam non eſt proinde concipitur, ac ſi non fuiſſet. Explicatur, illa reflexio, & decretum nullam connexionem habet cum incarnatione Spiritus-Sancti, non per modum cauſæ vel applicantis cauſam; ſiquidem non exiſtit quando datur incarnatio: non quia per ſe ſupponat talem incarnationem futuram ad modum, quo ſcientia media præſupponit ſuum obiectum vt patet. Ergo omninò inſufficiens eſt hoc decretum, vt in ipſo cognoſcatur volitio incarnandi, alius enim titulus connexionis nequit aſſignari in decreto.

Dices primo Deum non cognoſcere quod ipſe eſſet voliturus ſub hypotheſi, unde hæc ratio corruit, quia ſupponit falſum. Pro qua ſolutione adducunt Patrem Molinam 1.par. qu.14. art.13. diſp. 17. §. *quaret fortaſſe.* Sed contra ſi in re data hypotheſi Deus habiturus eſt volitionem, non poteſt eius ſcientiam infinitam fugere talis veritas; hic enim vrget tota diſput. 51. neque talis ſententiæ fuit Pater Molina, vt ipſe ſe defendit in poſteriori editione ſuæ concordiæ quæſt. 14. art. 13. diſp. 52. §. *Illud hoc loco* ſtatuens ſe ſolum dixiſſe vbi ſupra, quod Deus vi ſcientiæ, quæ antecedit determinationem ſuæ voluntatis nondum cognoſcat quid ipſe foret voliturus in Hypotheſi, at in re poſteriori id omne cognoſcit Deus, quia voluntas Diuina ſtatim decernit, & determinat non ſolum quę de facto facit, ſed quæcumque eſſet factura ex quacumque hypotheſi, quæ eſſe potuit, & non fuit. 29

Ideò dices ſecundo nullum actum eſſe Deo conditionatum ex parte ſubiecti, nulla volitione caterè Deum, quam in aliqua Hypotheſi eſſet habiturus; vnde ſi ponimus, quod incarnaret Spiritus-Sanctus in alio mundo, iam ex nunc habet Deus decretum ſic incarnandi in hac hypotheſi, quæ ſi daretur, ſine nouo decreto per hoc idem conditionatum exerceret Deus incarnationem Spiritus-Sancti. Cum enim libertas Dei correſpondeat pleniſſimæ, & illimitatæ deliberationi, abſurdum erit relinquere aliquid indeterminatum ex his omnibus, quæ nunc poſſet determinare. Ergo ex nunc omnia determinat Deus, quæ ipſe voliturus eſt, in talique determinatione cognoſcentur. 30

Contra tamen vel in hypotheſi Deus habiturus eſt volitionem abſolutam vel non; ſed per hanc conditionatam operabitur Incarnationem Spiritus-Sancti. Si primum? de tali volitione abſoluta, quæ actu non datur in Deo, redit argumentum, in quo cognoſcatur, cum non poſſit cognoſci in decreto conditionato reflexo iuxta dicta. Si ſecundum; tollis à Deo decreta abſoluta, & ſola ponis conditionalia, cum tamen in genere volendi perfectior modus ſit abſolutus, maximèque libertas per abſolutum decretum exerceatur. Item licet circa res quæ nondum ſunt, ſed forent ſub aliqua conditione, vel quæ ab alio pendent, admitti poſſit volitio conditionata, at circa res quas Deus abſolutè facit ſe ſolo ſine dependentia, vel attemperatione ad alium, abſurde ponitur, (niſi loquamur ſolum pro aliquo priori) conditionate & ſuſpenſiue realiter decernere. Ergo abſolutè v g. decernit nunc incarnare. Ergo abſolutè etiam decernere in illa hypotheſi. 31

SECTIO VI.

Proprium Iudicium circa hanc rationem.

32 VT tamen omnia componam in gratiam Patris Molinæ negantis Deo ſcientiam de ſuis decretis vt futuris ſic explico (conſequenter ad dicta diſp. 50.) nullam Deo abeſſe volitionem, quam in aliqua hypotheſi habiturus foret, licèt plures ſint purè poſſibiles, nempe contradictoriæ his quas de facto habet, quæ contradictoriæ nunquam erunt futuræ nec abſolutè, nec conditionatè, cum quo tamen ſtat, quod nihil abſolutè faciat voluntas Dei, niſi per decretum abſolutum.

33 Ergo Deus habet decretum conditionatum incarnandi, ſi mundum creauerit, quod decretum tranſit in abſolutum non ſolum effectiuè ſed etiam affectiuè per voluntatem creandi mundum, ſeu per actionem huius mundi creatiuam (quæ actio Deo intrinſeca eſt & æterna iuxta dicta à me diſput. 50. ſect. 5. etenim voluntas Dei conſtituitur in ratione abſolutæ per connexionem abſolutam cum ſuo obiecto; nam nihil deficit volitioni infinitæ, quo minus ſit abſoluta, & efficax, niſi connexio cum ſuo obiecto, quæ connexio, ſi fuerit conditionata, faciat volitionem liberam conditionatam, ſi abſoluta, abſolutam. Tunc ſic, ſed illud decretum conditionatum incarnandi, vt coniunctum cum actione creandi mundum redditur abſolutè connexum cum incarnatione. Ergo redditur volitio abſoluta incarnandi, quæ dicta ſunt conſequenter ad doctrinam traditam diſput. 50. vt Deus habeat in ſe determinatiuum poſitiuum actu exiſtens ab æterno ad quamcunque veritatem cognoſcendam.

34 Iuxta quam explicationem, vt perpendenti conſtabit, non eſt opus ponere, quod Deus nunc careat aliqua volitione, quam in aliqua hypotheſi habiturus eſſet, nam licet careat volitione abſoluta incarnandi, quam haberet ſi crearet alium mundum; at tunc non ueniret noua volitio incarnandi, ſed nouum conſtitutiuum, & conditio, vel ſi placet adueniat noua volitio non incarnandi, ſed creandi alium mundum (quæ volitio eſt merè poſſibilis; nam Deus nunc habet nolitionem creandi alium mundum) per quam conditionem, vel volitionem hoc idem decretum, quod modo datur conditionatum, tranſiret in abſolutum.

35 Non ideo tamen ratio in ſectione 5. vim ſuam amittit contra Dominicanos, qui decreta conditionalia ex proprio modo tendendi diſtinguunt ab abſolutis, vt ante decretum abſolutum incarnandi præcedat poſitio conditionis, & ſcientia de euentibus futuris ſub tali conditione, quæ ſcientia antecedenter ad decretum conditionale non datur iuxta ipſos vndè in primò ſigno decernit Deus conditionatè: *volo incarnare, ſi mundus hic creetur*; hinc Deus habet ſcientiam conditionatam de incarnatione, dirigiturque ad creandum pro ſigno ſecundo mundum hunc, ex cuius & peccati præuiſione mouetur pro tertio ſigno ad nouum decretum abſolutum incarnandi, quod condiſtinctum eſt à præuiſione peccati, & à præuio decreto conditionato.

36 Vnde ſic concluditur argumentum contra Dominicanos, de præſenti Deus habet aliquod decretum liberum ſine præuia determinatione ne procedamus in infinitum. Ergo ſimile decretum habere poſſet in alia hypotheſi ſimili, ſicut enim ſe gerit Deus creans mundum A. cur non ſimiliter creare poſſet mundum B. ſed hoc decretum futurum non cognoſcit Deus in aliquo decreto præſenti ex dictis in præcedenti ſectione 5. Ergo &c.

SECTIO VII.

Reliqua argumenta.

PRimo ad hominem, ſcientia conditionata datur circa omnes veritates ſub conditione futuras, ſed circa plures ſic futuras nullum datur decretum actu in Deo iuxta plures Aduerſariorum; ergo illas Deus ſcit antecedenter, & independenter à decreto? Maior, & conſequentia patent; minor probatur. Primò quia decretum hoc Dei ponitur ſubiectiuè etiam conditionatum, quod ſcilicet non eſt actu, ſed eſſet ita Riſpolij, Zumel, & Cabrera apud Faſolum in præſenti dubio 17. & 16. Item ſecundò ſolum admittunt hæc decreta reſpectu conditionatorum, quæ nunquam erunt abſolutè. Nazarius in præſenti Controuerſia prima & alij apud Albeldam diſputation. 4. Tertiò ſolum circa ea decreta, quæ in ſacris literis inueniuntur expreſſa. Aluarez lib. 1. reſponſion. cap. 4 numero 10. ad 1. argumentum Ioannis de ſancto Thoma, qui diſput. 10. art. 2. pag. 631. §. *ad primam probationem*, ait circa infinita, quæ potuit decernere nil actu definiiſſe Deum nec conditionatè. 37

Rurſus eadem minor probatur quartò nam circa ea quæ abſolutè decernuntur nullum decretum conditionatum admittunt in Deo Albeda diſp. 44. ſect. 3. num. 38. Aluarez lib. 1. reſponſionum cap. 3. ad 5. Quintò ſaltem non admittunt conditionatum decretum eſſe prius abſoluto iidem authores, cum tamen maximè propriori ad volitionem abſolutam detur ſcientia conditionata dirigens, vt patet ex ſectione 4. fine. Secundo præ omnibus euidentiſſimè arguitur contra decretum Dominicanum ex quadruplici capite de quo in tractatu de efficacia gratiæ. Primo quod in operante tollat libertatem. Secundo in non operante auxilium ſufficiens. Tertio in vtroque potentiam diſſentiendi. Quartò in Deo auerſionem ſeriam, quantum in ſe eſt a peccato, ſtatuens ipſum peccati authorem. Sed de his latius Deo iuuante loco citato. 38

SECTIO VIII.

Reſpondetur argumentis in ſectione ſecunda.

FErè omnia ſoluuntur, ſi notes effectum ſolum exigere exiſtentiam ſuæ cauſæ pro inſtanti, pro quo effectus eſt; vnde dum in tali inſtanti cauſa adſit, non eſt opus, quod antecedenter exiſtat. Sic peccatum Antichriſti non pendet minus à concurſu Antichriſti, quam Dei, nihilominus vt ſit futurum abſolutè, non requirit, quod nunc actu detur Antichriſtus; neque item, vt peccatum ſit futurum conditionatè plus requirit, quam quod Antichriſtus eſſet in tali conditione. Et ratio eſt quia futuritio peccati, ſiue abſoluta, ſiue conditionata nil eſt actu, ſed *erit*, vel *eſſet*. Ergo ſufficiet quod cauſa *futura ſit*, vel *foret*. Confirmatur eo ſolum quod Antichriſtus cras ſit vel eſſet, potentia ſufficiens datur vt peccatum exiſtat cras. Ergo vt hodie ſit futurum. 39 *Cauſa non debet tempore præcedere ſuum effectum.*

[illegible] exemplum.

40 Hinc ad primum, futuritioni conditionatę effectus ſufficit futuritio decreti. Ad confirmationem quemadmodum peccatum Antichriſti eſt poſſibile, vel futurum, quin detur actu Antichriſtus. Item pro effectu poſſibili ſufficit decretum diuinum poſſibile ex parte actus, quin aliquid actu detur in ſubiecto (ſcilicet decretum actu determinans effectum eſſe poſſibilem) ita pro effectu futuro conditionato ſufficit decretum conditionatè futurum.

41 Secundum etiam inſtatur in peccato Antichriſti, quod independenter ab ipſo exiſtente actualiter, *futurum eſt*, futuritio autem condionata non *eſt actu plus*, quam pura poſſibilitas; ſed *eſſet*, vnde contenta eſt, quod decretum *eſſet*: Ad confirmationem eſt contingens intentionaliter, phyſicè autem *non eſt*, ſed *eſſet*; vnde non *ſubeſt* dominio Dei, ſed *ſuberit* vel *ſubeſſet*. Sic etiam peccatum Antichriſti ſuberit eius poteſtati.

42 Ad tertium conditio ipſa neceſſariò imbibit decretum Dei, imò eſt ipſum decretum indifferens, vnde quod exiſtat conditio dicit exiſtentiam Diuini decreti, quare implicat in terminis confirmatio; & quidem quis neget hanc veritatem, vtpote neceſſariam cognoſci ante decretum abſolutum, *ſi prædeterminauero, erit conuerſio*: neque ideo tamen conuerſio continget ſine decreto: ergo ſimiliter attende ad futuritionem peccati Antichriſti.

3 Ad quartum, ego non nego dari in Deo actu decreta putè conditionalia circa omnes euentus etiam, qui nunquam erunt; hoc enim manifeſtè ſenſit P. Molina citatus ſect. 5. probatque perfectiſſima deliberatio Dei, contra quam ſicut eſt velle aliquid in tempore quod non voluerit ab æterno, quia ſcilicet non eſt prudens ratio, cur Deus ſuſpendat ab æterno ſuam determinationem, cum eaſdem circumſtantias ſemper præuiderit: Ergo ſimiliter non eſt cur potius in hypotheſi determinet, quam modo de facto, quod ſub tali hypotheſi faciendum ſibi ſit.

44 Nihilominus ſcientia media non innititur in his decretis, quæ reſpectu noſtrorum actuum liberorum non poſſunt eſſe omninò efficacia, aut connexa cum ſuo obiecto ob rationes ſupra poſitas, ſed ſolùm Deus ſic ſe habet, *volo quantum eſt ex me quod ſi creetur Adam, mihi obediat*, quod decretum non eſt medium ſufficiens ſcientiæ infallibili de obedientia vt paret, ſiquidem reſpectu Adami eſſet falſa ergo ſcientia infallibilis, vel cognoſcit futura conditionata in ſeipſis, vt dicam diſputatione ſequenti, vel in actione eo concurſu Dei partiali, & conditionato, de quo latè egi, diſputatione 50.

45 Vnde confirmatio obiecta in §.8. nulla eſt, ſed quandocunque ſignatur ſcientia conditionata coniecturalis; accipiendum eſt de indirecta, & in cauſa, ſeu conditione quando ſignatur, infallibilis de directa, & in ipſo euentu conditionato; imo hinc efficaciſſimè reiicitur poſſibilitas decreti prædeterminatiui, quia alias nunquam in conditione ſciret Deus, quid eſſet veroſimilius attenta natura conditionis; nam Deus nec vt Author naturæ tenetur potius determinare ad vnam partem, quam ad aliam; vt dixi num. 15. neque enim tentatio, verbi gratia, vel habitus creatus inclinat Deum, aut ipſum procliuiorem reddit, vt prædeterminet ad vnam partem, ſed ipſe æquè indifferens ſemper manet.

In fine nota ex dictis impugnari etiam decreta efficacia recentiorum Scotiſtarum; nam ſi per illa Deus ex ſe determinat noſtros actus antequam eos præuideat, noſtra argumenta ſimiliter militant; & vlterius, vel hæc decreta ſeipſis immediatè inferūt, & ponunt ſuum obiectum, vel ſolum mediatè applicando cauſas proximas indifferentes? Si primum, in nullo differunt à prædeterminatione Dominicana, ſic enim ſunt æquè immediatè operatiua. Si ſecundum? erunt fruſtrationi expoſita, nam cum relinquant noſtrum arbitrium in manu conſilij ſui completum, quemadmodum ſi voluntas Dei immediatè non concurrat cum cauſis ſecundis non poterit impedire earum effectus, vt docent Theologi contra Durandum, ita nec poterit noſtrum arbitrium in opus ducere, vel remouere.

DISPVTATIO LIII.

Vtrùm futura conditionata cognoſci poſſint à Deo immediatè in ſeipſis?

SECTIO I. *Senſus quæſtionis, & Authorum ſententiæ.*

SECTIO II. *Sententia affirmatiua probatur, primò.*

SECTIO III. *Probatur ſecundò ſententia affirmatiua.*

SECTIO IV. *Concluditur probatio veræ ſententiæ.*

SECTIO V. *Præcipua obiectio pro ſententia negante, ex determinatiuo ſcientiæ mediæ.*

SECTIO VI. *Aliorum ſolutio proponitur, & reijcitur.*

SECTIO VII. *Explicatur quomodo ſit intellectus diuinus determinatus ad cognitionem futurorum in ſeipſis independenter ab omni connexo exiſtente ab æterno.*

SECTIO VIII. *Secunda ſolutio, & explicatio.*

HÆc eſt propriiſſima difficultas, quæ reſtat iam ſola inter Patres Dominicanos, & Societatis noſtræ Doctores, ex qua diſſidium omne circa conſtitutionem, & quidditatem auxiliorum efficacium dependet, & cuius declaratio omnino neceſſaria eſt, vt à prædeterminationis phyſicæ inſuperabili robore defendamus. Conſequens autem eſt hæc diſputatio ad præcedentes; ſi enim firme ſtatuenda eſt in Deo ſcientia conditionata, & nequit inniti decreto antecedente ex diſput. 52. opus eſt vt in ſeipſis cognoſcat hæc futura. *Vide infrà qu. 14. ar. 13. dub. 17.*

SECTIO I.

Senſus quæſtionis, & Authorum ſententiæ.

NOn quæro, repugnent ne aliter cognoſci hęc futura quam in ſeipſis de quo dicam diſput. ſequenti, & ex diſput. 17. conſtat probabiliter defendi poſſe non repugnare, ſed quemadmodum 1

quantumuis

quantumuis creaturæ poſſibiles cognoſci valeant mediatè, adhuc immediatè ipſas cognoſcibiles defendi diſput. 44. ita idem in præſenti inquiro de futuris rebus, ſiue ideò vocandæ ſint *motiuum*, & *formale obiectum* ſcientiæ Dei, ſiue non, quod pertinet ad quæſtionem de nomine, vt notaui diſput. 44. num. 1. de re enim ſenſus quęſtionis eſt, vtrum ſecluſa per ſe cuiuſuis alterius veritatis notitia, ita penetratiua ſit Diuini intellectus acies, vt ſciat hęc futura, eo ipſo quod futura ſint, quin in aliud obiectum ab ipſis diſtinctum certitudo Diuini aſſenſus reſoluatur.

2 *Vide qu. 14. art. 13. dub. 16. nu. 131.* In qua quæſtione 1. ſententia affirmat defendens ſcientiam mediam pro qua fruſtra referam Authores cum præter omnes noſtræ Societatis, ipſi ſuffragium dederint ſupremus Sanctæ Inquiſitionis Senatus in Portugallia, integræ Academiæ, & ex omnibus Religioſorum Cætibus vno excepto Dominicano, Doctores innumeri in quibus diligentiſſima fide recenſendis integrum, nec contemnendæ magnitudinis volumen inſumit Paulus Leonardus, ipſum conſule in opere apologetico pro ſcientia media. Mihi ſufficit eius aduerſarios ipſam erroris inſimulantes, nullamque eidem permittentes probabilitatem damnatos, quoad hanc inſimulationem ab Apoſtolica Sede præſide Clemente VIII. & Paulo V. Secunda ſententia Patrum Dominicanorum hanc ſcientiam negat, pro qua licet Ioannes de Sancto Thoma plures voluerit referre, ſolos numerauit decem in præſenti diſpur. 10. art. 6. titulo *Anthores plures*. Nec è ſuis qui ſua opera prælo mandarunt poterit totidem referre.

SECTIO II.

Sententia affirmatiua probatur primò.

3 *A ſeipſis immediatè cognoſcuntur futura conditionata.* VT peccatum Petri ſit determinatè futurum cras ſub conditione non requiritur per ſe quod hodie de præſenti aliquid actu exiſtat: Ergo vt Deus ſciat hodie determinatè eſſe futurum ſic, nulla re actu exiſtenti indiget: conſequentia videtur aliquibus per ſe nota quia ſcientia infinita Dei debet ſcire omne *verum*, ſicut omnipotentia poteſt omne *poſſibile*, eo ipſo autem quod peccatum ſit futurum cras, quin hodie detur aliquid de præſenti, iam ſine aliquo præſenri eſt verum eſſe *ſic futurum*. Sed contra, iſta nondum conuincunt, ſine alia probatione, nam ſimiliter voluntas infinita poteſt velle omne bonum, licèt autem Petrus ſit in ſe bonus ſine aliqua præſenti cognitione, non tamen ſine hac voluntas illum amabit. Igitur probandum reſtat quod ſcientia infinita ſe ſola ſine aliquo præſenti obiectiuo poſſit ſcire omne verum.

4 *Poteſt cognoſci à Deo futurum conditionatum ſine aliquo de præſenti.* Id ego & conſequentiam ſic probo: Scientia Dei non cauſatur à ſuo obiecto; ergo præciſè requirit illud quantum neceſſarium eſt, ne falſa ſit, ne intellectus Diuinus deceptus procedat, inueniaturque aliter rem repræſentaſſe, quam ipſa res in ſe ſit: Ergo ſi ſtat eſſe peccatum futurum, quin in hoc aliquid detur actu de præſenti, ſtabit etiam ſine aliquo præſenti cognoſci à Deo. Conſequentia hæc patet. Nam ſcientia Dei dicens nihil eſſe de præſenti, ſed purè futurum, nunquam falſitatis poterit redargui. Antecedens non ſolum eſt certum de ſtrictâ actione, ſed de quolibet iuuamine, auxilio, vel complemento phyſico, nihil enim phyſicum præſtat obiectum in cognitionem vel in intellectum Diuinum: Et quidem quidquid ſit, requiraturne hæc cauſatio, & iuuamen phyſicum in obiecto motiuo (quod tamen reieci diſp. 37.) nihilominus non eſt, cur requiratur in obiecto immediatè terminatiuo; nonne reſpectus phyſicus immediatè terminatur ad creaturas, quin ab ipſis aliquid accipiat? Complexum ex ſpecie infuſa & intellectu creato immediatè percipit obiectum, quin ab ipſo immediatè compleatur, aut iuuetur? cur tam ſtrictè requiretur principiatio ſcientiæ ab obiecto, vt nec cognitio increata ad hac principiatione liberetur? Cur repugnabit purus reſpectus intentionalis maximè increatus in terminum, qui omnino extrinſecè ſe habeat? Hinc prima conſequentia eſt clara, nam ſi nullo titulo phyſico requiritur obiectum à cognitione, reſtat, vt ſolum requiratur titulo verificationis, ſeu ne falſa ſit.

Diſcrimen ob quod voluntas Diuina requirit aliquid actu pręſens præter bonitatem obiecti, ſcilicet cognitionem, ſcientia verò nihil præter verum expoſcat, eſt, quia bonum phyſicum non eſt proprium bonum voluntatis, neque ipſam inclinat, vel trahit ad ſe niſi vt cognitum; vnde neque vt obiectum materiale amari poteſt, niſi ſit cognitum; ergo ſolum bonum cognitum eſt bonum proprium voluntatis: quare ſicut nihil refert aquæ, vt appetat calorem, quod bonus ſit in ſe calor, quia ſcilicet aquæ non eſt bonus, ita ſimiliter dicendum reſpectu voluntatis circa bonum purè phyſicum nondum cognitum. Ratio autem ob quam bonum ſolum vt cognitum pertineat ad voluntatem, ſignata eſt à me in libris de anima. Iam autem non ita ſe habet verum reſpectu ſcientiæ, ad illud enim prout eſt in ſe tendit ſcientia, vt patet in obiecto materiali, cui aſſentitur, ſiue ſit præſens, ſiue abſens, ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum: Ergo independenter ab omni cauſalitate obiecti poterit illud repræſentare ſcientia. 5

Rurſus conſequentia illa in §. 3. ſuadetur à paritate obiecti præſentis, quod cognoſcitur à Deo immediatè, & directè, quin ab ipſo cauſetur Diuina ſcientia, vti enim modus relationis iuxta Thomiſtas reſpicit immediatè terminum, à quo nullo modo cauſatur, cur non idem licebit reſpectui intentionali in obiectum præſens? cum iam detur determinatus ſcopus, in quem dirigatur. Tunc ſic ergo ſcientia Dei poteſt repræſentare immediatè obiectum purè abſens & futurum (dum tamen eius veritati præſentia obiecti non requiratur.) conſequentia probatur quia ideò intellectus creatus requirit præſentiam obiecti, quia ab hoc aliquid phyſicè accipit complementi, ſi enim nihil phyſicè conducit per ſe obiectum perinde eſt quod exiſtat, vel non exiſtat; ideò poſita ſpecie per accidens eſt exiſtentia phyſica obiecti, quia hoc immediatè per ſe nihil phyſicè præſtat.

Primum antecedens in §. 3. nempe peccatum Petri vt ſit determinatè futurum cras, vel abſolutè, vel conditionatè nihil actu exiſtens hodie requirere, ita mihi videtur ſola ſui explicatione per ſe notum, vt deſperem probationem notiorem afferre: non dico eam futuritionem actu determinatè dari hodie, vel ex parte obiecti iam eſſe in rerum natura aliquid de præſenti, quod cum futuro connectatur, ſed id præciſè intendo, nihil prorſus hodie requiri, vt peccatum non ſit hodie, quin hoc obſteſt quominus detur cras quaſi per accidens, fortuito caſu, (vt maluetis) contingat cras exiſtere. 7

Probatur rectè ſtat peccatum dari hodie quin 8

 aliquid

A paritate probatur.

aliquid phyſicum præſens præceſſerit heri. Ergo dari cras, quin aliquid hodie præſens præcedat. Conſequentia patet, nam heri totum illud contigit. Confirmatur; ſtat nihil præſens dari hodie, licèt peccatum fuerit heri; Ergo licèt peccatum ſit futurum cras. Conſequentia patet, quia non magis pro re futura, quam pro præterita requiritur præſentia in hoc nunc.

9 Dices peccatum hodiernum bene datur, quin cogitemus an fuerit heri, quia bene dantur omnia conſtitutiua, & determinatiua *præſentiæ*; at neque in futuro, neque in præterito dantur nunc ſecluſo omni phyſico conſtitutiua, ſed data vel danda ſunt, quare erit fundamentum, quo cras dicamus, vel heri diximus has denominationes *præteriti, & futuri*; (reſpectiuè loquendo ſicut hodie dico de peccato præſenti eſſe futurum reſpectu heri, præteritum reſpectu cras) at de peccato craſtino non poſſum actu dicere *eſt futurum.* Contra tamen ego præcisè intendo poſſe contingere cras, quod peccatum in re detur, quin detur actu hodie aliquid, ſiue voces quod *futurum ſit* actu: vel melius, *erit*: ſicut quamuis dicas: *eſt carentia: eſt poſſibilitas; habet egeſtatem* perinde eſt, vt ſapienter notauit Auguſtinus tom. 1. lib. de vita beata, longè ante finem libri, perinde inquam eſt ac ſi dicas: *habet, non habere: eſt non eſſe,* &c. Neque res vt non ſit ſimpliciter requirit *eſſe*, ergo vt non ſit nunc, ſed poſtea non requirit *eſſe* nunc, ſed poſtea.

10 Probatur ſecundò idem antecedens in §. 3. effectus vt ſit cras non requirit quod plus ſtrictius, vel verius exiſtat ſua cauſa, quam ipſe effectus, ad cauſandum enim non requiritur in cauſa exiſtentia, niſi coëxiſtens effectui pro inſtanti, pro quo cauſa datura eſt illi exiſtentiam, ſic vt quis donet nunc ſufficit, quod habeat nunc illud, quod donat; at peccatum vt ſit cras nihil de ſua exiſtentia requirit hodie, ergo nec de exiſtentia ſuæ cauſæ; ſi autem nihil de præſenti requirit in cauſa, omnia alia erunt per accidens, vt patet in inſtanti præſentiæ effectus, qui ſolam præſentiam cauſæ requirit. Confirmatur efficaciſſimè, ſi effectus aliquid requirit præſens maximè, & vnicè exiſtentiam ſuæ cauſæ totalis, nam partialis inſufficiens eſt, ſic effectus *actu* requirit cauſam adæquatam *actu*: poſſibilis, poſſibilem adæquatam: futurus, vel præteritus requirit præteritam, vel futuram cauſam adæquatam, vel nullam omnino. Tum ſic, ſed ſtat peccatum verbi gratia Antichriſti eſſe futurum cras, quin hodie detur de præſenti Antichriſtus; Ergo quin detur aliquid de præſenti. Dices effectus craſtinus habet hodie *eſſe futurum.* Ergo pro hoc *eſſe* requiret aliquam cauſam hodie.

Bona confirmatio.

11 Contra *futurum* formaliſſimè eſt non eſſe nunc. Deinde pro hoc *eſſe*, cur non ſufficit quod cauſa ſit futura? Sic enim proportionatam eſſe inuenitur in cauſa, nec dicetur iſta dare quod non habet: Item licet verum ſit quod cauſa non poteſt cauſare niſi vt exiſtens effectum præſentem; at cur requiretur exiſtentia in cauſa, vt cauſet futuritionem effectus.

12 Explicatur finge per poſſibile, vel impoſſibile cauſam nihil exiſtentiæ habere hodie, ſed præcisè poni cras, *quaſi à ſe* quod quidem ſine figmento, licèt non *à ſe* euenit in cauſa adæquata verbi gratia Antichriſto, qui omninò incipit eſſe cras quin aliquid exiſtentiæ habeat hodie, licèt cras non à ſe, ſed à Deo fiet: hic peccatum ſine abſurdo habet eſſe cras. Ergo exiſtentia effectus craſtina nihil præſentiæ requirit per ſe in cauſa hodie. Ergo ſi hoc ſolùm ſignetur nomine *futuri*, quod ſcilicet, cum ante peccatum nihil præcedat hodie præſens adhuc exiſtat cras, negari non poteſt ſiue hæc exiſtentia craſtina reſpectu temporis hodierni ſit per ſe, ſiue per accidens, item ſiue in hodiernum diem refundat denominationem *futuri*, ſiue non.

SECTIO III.

Probatur ſecunda ſententia vera affirmatiua.

Cognitio futurorum in ſeipſis nullam imperfectionem imbibit.

13 NVllius imperfectionis eſſet cognitio, (ſi aliunde non implicet) quæ hodie intentionaliter ſumma claritate, & perſpicuitate haberet repræſentare peccatum Petri vt exiturum ſub conditione, ſeu vt exiſtens pro die craſtino, dato quod in re peccatum cras exiſtat, (ſit per accidens, fortuitoque;) quamuis nihil actu exiſtat phyſice hodie de tali futuritione, at huiuſmodi cognitio non implicat ergo nullius imperfectionis eſt, ergo admittenda in Deo; prima, & ſecunda conſequentia patent, nam omnis cognitio ſine imperfectione in Deo ponenda eſt.

14 Maior præmiſſa probatur, nam quidquid ſit de perfectione cognoſcentis qui temere ad cognoſcendum ducatur nullo fundamento, vel motiuo firmante ipſum, & determinante ad talem cognitionem; huiuſmodi tamen cognitionem in ſe nullius imperfectionis damnare poſſumus, quis enim videns hodie peccatum Petri, damnabit externam præcognitionem dicentem: *peccabit cras*, vel inueniet vllam labem in ſcientia craſtina dicente *heri peccauit*? Confirmatur talis cognitio poteſt eſſe exactiſſima & apprimè quaſi delineans intentionaliter peccatum craſtinum: quemadmodum enim in imagine picturæ materialis poteſt viuidiſſime delineari vultus Petri licet non exiſtat, cur non ſimiliter? ſic videmus non minus viuide delineari, & apparenter repræſentari iridis colores, quam ſi iidem ex parte obiecti realiter exiſterent. Tum ſic, ſed aliunde talis cognitio falſitatis argui nequit, ergo nec vllius imperfectionis.

Falſitati non exponetur.

15 Minor præmiſſa ſuadetur hinc nam per ſe loquendo non implicat cognitio exactiſſima, & clariſſima, quantumuis ex parte motiui cogniti, & obiecti condiſtincti ab ea cognitione nihil actu de præſenti detur in rerum natura; cognitio enim, vt exiſtat, iuxta dicta de pictura materiali, non requirit quod actu de præſenti, exiſtat terminus illius, ſic Deus conſeruare poſſet meam viſionem de papyro hac deſtructâ, in quo caſu mea viſio, non minus clarè, viuidè, & quoad apparentiam euidentem repræſentaret papyrum, quàm ſi papyrus exiſteret à parte rei.

16 Dices, ſaltem eſt imperfectio in cognoſcente, qui irrationabiliter ſine vllo motiuo duceretur quaſi pro libito fingens, & delineans ſibi hanc repræſentationem, (vti cum nos phantaſias voluimus ſpectriſque deludimur) quæ quaſi fortuitò, & caſu vera euaſit nulli fundamento innixa.

17 Reſpondeo: duplex fundamentum eſt ad perfectionem cognitionis, vnum obiectiuum, aliud ſubiectiuum ob determinationem principij cognoſcentis; primum non requiritur actu exiſtens ex parte rei, vt modo vidimus. Secundum etiam datur in intellectu Diuino, neque enim Deus habet eam cognitionem pro libito determinans ſe ad cognoſcendum futurum peccatum, alias exponeretur falſitati, & quod obiectum non contingeret ſicut

ſicut ipſe affirmat. Igitur Diuinus intellectus eſt neceſſitatus, vt non habeat aliam cognitionem, niſi quæ per modum ſigni connectatur cum eo quod peccatum futurum ſit cras, ſicut eius voluntas intendens finem efficaciter connectitur cum huius futuritione, vnde Diuinus intellectus non temere procedit, ſed in ſeipſo fundamentum, & determinationem habet.

SECTIO IV.

Concluditur probatio veræ ſententiæ.

18 *Vrgetur paritas Diuinorũ decretorum pro ſcientia futurorum in ſeipſis.*

TErtia & vltima probatio ſit. Cauſa quæ ſine vlla determinatione, vt pure indifferens ſufficit dare eſſe effectui abſoluto *præſenti*: per ſe etiam ſufficit *conditionato*, iſte enim ſtrictius ſaltem non requirit præſentiam cauſæ, quam, dum effectus eſt abſolutus: tum ſic, ſed Diuina voluntas elicit ſua decreta abſolutè exiſtentia, vt purè indiffe:ens, nam ad primum decretum ſaltem nihil eſt, quod determinet, ne procedamus in infinitum. Ergo ſufficeret ſic ſine aliquo determinatiuo præſenti, vt daret eſſe ſub aliqua conditione, licet de facto nihil præſtet, & conſequenter ſufficeret, vt Diuinus intellectus cognoſceret talia decreta in ſeipſis. Maior probatur primo à paritate in neceſſariis, quia ſolus ignis præſtat de præſenti calorem abſolutè; ſolus ſufficit conditionato calori, etiamſi abſolutè non exiſtat ignis: Ergo ſi principium indifferens ſe ſolo præcisè ponit effectum, etiam dum iſte deficit, cognoſci poteſt ponendus ſub conditione, etiamſi nullum detur de præſenti determinatiuum. Secundò voluntas creata ſi ſola ſine præuia determinatione, ſe determinaret abſolutè, etiam ſub conditione ſic indifferenti poſſet cognoſci ſe determinatura: Ergo voluntas Diuina, quæ vt indifferens, & à nullo prædeterminata ſe abſolutè determinat, cognoſci poſſet ſe determinatura, quantumuis de præſenti nullum attendatur prædeterminatiuum.

19 *Futuritio conditionata abſque decreto probatur ex poſſibilitate rerum.*

Hinc arguitur: non minus pendet volitio creata à creata voluntate, quam decretum Diuinum à Diuina, ſed quantumuis non exiſtat de præſenti creata voluntas, ſi tamen futura *eſſet*; eius volitio, & decretum eſſet futurum. Ergo per impoſſibile ſufficeret futuritioni conditionatæ decreti Diuini, quod eſſet futura Dei voluntas, in quo caſu in ſeipſo cognoſceretur. Confirmatur, peccato, vt ſit poſſibile æquè ſufficit prædeterminatio poſſibilis cauſæ primæ, quam ſecundæ, neque requiritur aliquod decretum in Deo actu exiſtens de præſenti pro hac poſſibilitate. Ergò vt ſit futurum ſimiliter, quemadmodum ſufficit cauſa futura puré ſecunda ſufficeret purè futura prædeterminatio, ſeu decretum cauſæ primæ.

20 *Poſſibilis eſt cognitio creata quoad ſui veritatem nihil de præſenti exigat.*

Tertio. Poteſt dari cognitio hodie, quæ ſecluſo omni titulo cauſalitatis, & præuiæ determinationis connectatur eſſentialiter cum eo, quod eius obiectum, verbi gratia peccatum ſit futurum cras ſiue conditionatè, ſiuè abſolutè. At talis cognitio nullo impediretur, quominus immediatè repræſentaret peccatum futurum, cum ex dictis titulus repræſentandi non requirat præſentiam obiecti, ergo poſſibilis eſt talis ſcientia, & conſequenter admittenda in Deo. Minor & conſequentia patent.

Maior in qua eſt difficultas, probatur primo,
21 quia ſic actio partialis connectitur cum comparſtali, modus relationis prædicamentalis cum termino, vnum punctum indiuiſibile materiæ naturaliter connectitur cum alio, cur ergo repugnabit talem naturam, & excellentiam ponere in ea cognitione titulo veritatis, & infallibilitatis vt connectatur cum ſuo obiecto pro tempore, & modo importato per copulam? quemadmodum Decretum Dei non ſolum connectitur cum obiecto præſenti, ſed etiam cum futuro pro tempore, quod obiectiuè decernit; cur ſimilis connexio inuenta in decreto cum obiecto per modum cauſæ prædeterminantis, non poterit dari in cognitione per modum ſigni? Secundò ſit cognitio, quæ eſſentialiter exigat cauſari, vel determinari à peccato pro tempore importato per copulam, ſicut alij effectus abſolutè indigent cauſa; talis cognitio neceſſario connectetur cum peccato. Tertiò, cur repugnabit ſaltem ponere hanc perfectionem in ipſa potentia intellectiua, vt capax non ſit admittendi in ſe cognitionem, niſi conformandam cum obiecto futuro?

Vltimò arguo: quamuis, vt obiectum determinatè ſit futurum, requiratur aliquid ab æterno de præſenti ſiue ſit actio æterna iuxta diſputationem 50. ſiue etiam decretum Dominicanum: nihilominus hoc poſito ſolum ex parte principij, quin concurrat ex parte obiecti aliquid diſtinctum ab ipſo obiecto futuro iſtud poterit immediatè cognoſci. Ratio eſt quia eſſe futurum in obiecto eſt quid diſtinctum eſt ab ipſo decreto; neque enim ſe habet denominatio *futura* ad rem futuram, ſicut denominatio *cognita* ad rem cognitam, quæ denominatio vt à forma venit à cognitione: alias quando decretum vult obiectum futurum, vellet ſeipſum. Adde, ſicut licet requiratur decretum ad determinandam exiſtentiam rei præſentis, adhuc exiſtentia rei diſtinguitur à decreto, ita dicendum de futuritione, quæ nihil eſt aliud, quam exiſtentia rei pro tempore nondum exiſtente; ergo determinante decreto præcisè ſubiectiue, ſeu ex parte principij poterit ex parte obiecti cognoſci immediate in ſe futurum. Confirmatur à paritate papyri non exiſtentis, quæ videtur immediatè in ſeipſa ſolum determinante ſpecie ſubiectiuè, ex parte principij caſu, quo deſtructa papyro conſeruaretur ſpecies, ergo ſimiliter cognoſci poteſt immediatè *futurum* in ſeipſo determinante decreto præcisé ex parte principij, & ſubiectiuè non obiectiuè.

22 *Futuritio diſtinguitur à decreto.*

Decretum conditionatũ non debet ſe tenere ex parte obiecti.

SECTIO V.

Præcipua obiectio pro ſententia negante ex determinatiuo ſcientiæ mediæ.

SOlum hanc obiectionem expendam, tum quia eſt difficilior, tum etiam quia aliæ expoſitæ 23
ſunt in præcedentibus, vel ſpectant ad materiam de auxiliis. Hoc contrariorum fundamentum contra ſcientiam mediam vt ſic formaliter vim ſuam amittit ſi recolantur, quæ dixi diſp. 50. ſect. 3. cæterum vt cum communi noſtrorum opinione loquar, vt ſentio, præſcindendum eſt ab ea actione determinante, præter quamquod pro declarando determinatiuo ad eam actionem plurimum iuuabit præſens explicatio.

Sic igitur obiicitur; indifferentia, quam habet intellectus ad cognoſcendum vnum obiectum præ 24
alio tollitur ab ipſo obiecto determinante præ oppoſito,

24 *Proponitur difficultas pro*

determinatiuo æterno ſcientia media.

poſito, cum enim indifferentia intellectus non ſit electiua non poteſt ipſe intellectus ſe determinare. Ergo aſſignandum eſt aliquod determinatiuum ex parte obiecti pro intellectu Diuino indifferenti ad affirmandum, vel negandum peccatum futurum in tempore; nam determinatiuum principij operantis ab æterno debet eſſe æternum, ſiquidem principium pro priori debet determinare cum intellectus Dei ab æterno ſit impeditus, ne neget peccatum Antichriſti, & conſequenter ab æterno detur impedimentum negandi, ſeu determinatiuum affirmandi. Ergo peccatum futurum quod ab æterno in ſe ipſo non eſt nec determinat, nec cognoſcitur. Confirmatur, peccatum Petri futurum cras non habet ab æterno eſſe determinatum: ſolum enim ab æterno datur carentia peccati, quæ indifferens eſt, vt peccatum ſit, vel non ſit cras. Ergo ſecundum id quod habet peccatum ab æterno non poteſt determinare; nemo enim dat, quod non habet, ſed nec poteſt determinare ſecundum id quod habet cras, quia hoc nondum eſt, & conſequenter nequit conducere ad operationem phyſicam, & realem, qualis eſt ſcientia. Ergo ex parte futuri, in ſeipſo nihil datur, quod poſſit determinare, vel cognoſci ab æterno.

25 Secundo aliter vrgetur obiectio. Intellectus Diuinus iuxta ſententiam ſocietatis habebit ſcientiam mediam & eius actum eliciet vt agens liberum, iſteque erit liber formaliter. Probatur, quia talis eſt operatio, quæ oritur à principio indifferenti, & nihil habenti præuiæ determinationis, quando elicit talem operationem, quidquid ſit poſtea ne prædetermineteur, ſic noſtra voluntas libere operatur amorem Dei in via, licèt ad eundem prædetermineteur in Patria; at dum intellectus Diuinus ab æterno elicit ſcientiam affirmatiuam, nihil habet prædeterminans: Ergo *&c.* Confirmatur non minus pugnat cum eo quod operatio neceſſaria ſit, carentia prædeterminationis ad vnum, quam cum eo quod ſit libera prædeterminatio ipſa. At iuxta ſocietatis ſcholam operatio non erit libera hodie; ſi hodie prædetermineteur, quantumuis cras perſeueret in prædeterminata. Ergo ſcientiæ non erit neceſſaria ab æterno operatio, ſi pro tunc non adeſt prædeterminatiuum, licet adſit in tempore.

26 Hæc obiectio, ſi introſpiciantur dicta in ſectione præcedenti fine, non tollet, quo minus futura in ſe ipſis cognoſcantur, dum ex parte ſubiecti ſeu intellectus Diuini aliquid determinatiuum aſſignetur, ſed quia hoc nequit eſſe prædeterminans libertatem creatam, aliunde ſi ſit conſequens, vt ſcilicet ideò detur in Deo, quia voluntas peccatura eſt Adhuc vrget obiectio quomodo ex futuritione peccati in tempore oriri poſſit, quod detur in Deo ab æterno talis formalitas, vel prædicatum connexum cum futuro, ob hoc indiget ſpeciali ſolutione.

SECTIO VI.

Aliorum ſolutio proponitur, & reiicitur.

27 PRima aſſerit Diuinum intellectum determinari, verbi gratia ad negandum peccatum Antichriſti, quia datur ab æterno carentia eius: ad affirmandum vero, quando ea carentia non datur, pro quo ſupponit. Primo eo ipſo quod detur in rerum natura forma verbi gratia peccatum in aliqua differentia temporis tolli carentiam illius è rerum natura per totam æternitatem, ſicut eo ipſo quod alicubi exiſtat res, nullibi datur eius carentia. Supponit ſecundo carentias eſſe directè per ſe cognoſcibiles: Hinc erit determinatiuum ſufficiens ad negandum peccatum eo, quod detur eius æterna carentia ad affirmandum verò eo quod talis carentia non exiſtat ab æterno; ſi enim exiſtet peccatum licèt in tempore ex hoc impediret, ne eius carentia in æternitate daretur.

Hæc ſolutio aptius rem explicat, quam ſententiam cuius memini diſput. 50. ſect. 2. adhuc tamen non placent principia, quæ ſupponit. Prima forma, & priuatio formæ ſolum repugnant pro eodem inſtanti, vti aſſenſus, & diſſenſus, quare eo quod peccatum detur in tempore non impedietur carentia ab æterno. Secundo non aliter poteſt cognoſci non dari carentiam peccati ab æterno, niſi videatur ipſum peccatum in ſe, vel exiſtens ab æterno, vel in tempore; quis enim niſi videat Papam Romæ ex eo præciſè quod intueatur Valliſoletum, penetrabit detur nè, vel non Valliſoleti carentia ſubſtantiæ Papæ, ergo determinatiuum obiectiuum pro ſcientia affirmatiua peccati non datur ab æterno. Tertio denique pro cognoſcendo futuro purè conditionato nulla carentia fingi poteſt, ſiquidem æquè datur ſemper carentia eadem abſoluta peccati, ſiue peccatum ſit conditionatè futurum ſiue non. 28

Carentia futuri conditionati nequit eſſe determinatiuum ſcientia media negatiua.

Secundò alij ponunt ab æterno ſtatus quoſdam, qui ſint futuritio conditionata, vel abſoluta, ſicut pro eſſentia in eſſe eſſentiæ datur ab æterno quoddam eſſe diminutum, ita datur pro *fore*, vel *foret*; hoc tamen diſcrimine, quod ſcilicet eſſentia in eſſe eſſentiæ ſit neceſſaria, & incauſabilis, non ita futuritio; pro qua tamen quia non habet *eſſe* ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid non requiritur, quod eius cauſa exiſtat ſimpliciter, ſed quod futura ſit, vel foret. 29

Sed contra quemadmodum cauſa ſic futura ſufficit pro cauſando hoc ſtatu, cur non ſufficiet pro determinanda ſcientia Dei? Minus enim exiſtentiæ, vel ſaltem non plus requiritur in cauſa purè determinatiua maximè ad operationem incauſatam, qualis eſt ſcientia Diuina, quam in cauſa datura, & cauſatura effectum, quantumuis exiſtentem ſolum ſecundum quid. Deinde ſtatus conditionatus non eſt quid vllo modo ex parte obiecti diſtinctum ab exiſtentia, ſed ſolum imbibit & reduplicat ſupra modum tendendi ſcientiæ, quare ſicut abſurde poneretur ex parte obiecti ſtatus diſiunctiuus, cui correſpondeat ly *vel* copulatiuus pro ly *&* cauſalis pro ly *quia*, rationalis pro ly *ergo*, *&c.* Quia ſcilicet hoc ſolum indicat quod de eodem obiecto eos omnes diuerſos tendendi modos habeat intellectus: ita ſimiliter. 30

Reiiciuntur ſtatus conditionati æterni Deo extrinſeci.

Talis ſtatus opus eſt noſtri intellectus non quid à parte rei exiſtens.

Denique iam iſta quam præcedens ſolutio, omniſque alia recurrens ad determinatiuum extrinſecum à Deo diſtinctum reiicitur, quia quantumcunque iſtud fingatur etiam ſimpliciter exiſtens ab æterno, ipſum tamen nullum influxum habet in ſcientiam Dei, non complet intrinſecè Diuinum intellectum, nihil phyſicè præſtat: ſed intellectus Dei per ſe adæquatè non minus completus eſt ad cognoſcendum, quam intellectus creatus cum ſpecie, cauſa ſecunda ſine prima in ſententia Durandi negantis immediatum concurſum cauſæ primæ. Tum ſic ſed cauſa, quæ ſic ſe habet titulo agendi, & operandi, perinde eſt potens, ſiue exiſtat obiectum in re præſens, ſiue non, vt dixi ſæpè de viſione papyri deſtructæ, & dicunt omnes contra Durandum. Ratio eſt clara, quia ſi nihil 31

Omne determinatiuum extrinſecum reiicitur.

nihil phyſicè præſtat; perinde eſt obiectum phyſicè ac ſi non eſſet. Ergo fruſtra fingitur determinatio ab æterno in obiecto creato.

32 *Improbantur conditionati ſtatus Deo identificati.*

Ideò tertio alij volunt ſtatum conditionatum eſſe prędicatum quoddam Dininum identificatum cum Deo, ac proinde ab æterno actu exiſtens & ſufficiens ad determinandam Dei ſcientiam. Sed contra, in primis, cum ſtatus iſte contingens ſit, vt potius exiſtat ipſe, quam oppoſitus, debet aſſignari aliquod determinatiuum ab eodem diſtinſtinctum, de quo redit præcipua difficultas in ſectione præcedenti. Deinde ſicut eſſentia non diſtinguitnr ab exiſtentia, ita de futuritione dicendum, hæc enim eſt exiſtentia, quæ producenda eſt in tempore, quod non verificatur de ſtatu illo. Denique præſcindendo ab hoc prædicato exiſtentia ipſa rei futuræ eſt ſatis cognoſcibilis, vt conſtat à ſect. 2.

SECTIO VII.

Explicatur quomodo ſit intellectus Diuinus determinatus ad cognitionem futurorum in ſeipſis independenter ab omni connexo exiſtente ab æterno.

33 *Proponitur communis ſolutio.*

DVplicem huius rei dabo explicationem. Primam in præſenti iuxta communem ſenſum noſtrorum; ſecundam in ſectione ſequenti. Igitur poſita diſtinctione ſcientiæ, ſeu cognitionis actualis ab intellectu Diuino, producique virtualiter ab hoc vt ab actu primo phyſico intellectionem contingentem: dico intellectum Diuinum determinari ab æterno ad ſcientiam affirmatiuam de peccato cras futuro (ſiue conditionatè, ſiue abſolutè) determinari inquam non intrinſecè, ſed extrinſecè, non per defectum virtutis ad ſcientiam negantem, ſed quaſi per ſubſtractionem materiæ reddita impoſſibili, vel impedita ſcientia negante ex eo præcisè, quod peccatum ſit futurum cras. Sic contingit intentionem efficacem finis diſiunctiuam, & indifferentem ad duo media determinari ad vnum per ſubſtractionem alterius.

Deus quaſi per ſubſtractionem materia negandæ determinatur ad ſcientiam mediam affirmatiuam.

34 Hoc autem in præſenti euenit ex eo præcisè, quod peccatum ſit futurum cras, ſi non adſit modus impediendi eius futuritionem, probatur, tale peccatum etiam vt purè futurum cras eſt impedimentum, ne detur hodie aliquid connexum cum carentia peccati craſtini, id eſt per ſe notum. Implicat enim in terminis dari hodie aliquid connexum cum carentia craſtina, & non dari hanc, ſeu dari peccatum cras: ſed ſcientia Dei, ſi ſit negans, eſt eſſentialiter connexa cum carentia craſtina, vt enim oſtendi ſectione 4. probatione 5. non apparet aliqua repugnantia in eo, quod vna res connectatur cum alia vt futura, ſicut ſæpè datur connexio cum præſenti, & ſicut decretum Dei connectitur cum obiecto futuro, ſiue conditionato, ſiue abſoluto, ea autem connexio maximè neceſſaria eſt pro cognitione falſitatis incapaci; ergo cum in Deo non detur modus auferendi futuritionem peccati ſub conditione cras, ſcientia negans manebit impedita hodie, & conſequenter Deus erit determinatus ad ſcientiam affirmantem.

35 Dices hodie nihil immutatur in rerum natura, ex eo quod peccatum ſit futurum cras, ſed proinde eſt nunc, ac ſi non foret; ergo ſolum impediet cras, non impedit hodie, probatur conſequentia; nam calor craſtinus ſolum impediet frigus cras, non hodie, & cauſa cras futura cras; cauſabit cras; hodie vero de præſenti non cauſat. Reſpondeo, nego conſequentiam in forma reſpectiua, & connexa cum carentia contrarij futuri, tali enim formæ impedimento erit contrarium purè futurum; ſic impedimento eſt decreto efficaci hodierno de effectu craſtino, quod quis cras impediat talem effectum, vt omninò implicet hodie efficax decretum de effectu craſtino, qui impediendus ſit cras; ſimiliter licet calor Valliſoletanus non impediat frigus Romanum, ſi ſubiectum frigidum exiſtat tantum Romæ, at ſi hoc non aliter ſit Romæ quam exiſtendo Valliſoleti, iam impedietur non ſolum hic, ſed etiam Romæ: item, ſi ſit virga hinc protenſa vſque ad Romam, qui eam mouet hic, mouebit & Romæ, ergo cum ſcientia negans connectatur cam carentia peccati futuri, neque aliter exiſtat conditionatè, vel abſolutè cras, quam exiſtendo æternè, id quod impediet cras, impedit etiam ne ſit hodie, nec ab æterno: id quod mouet, & determinat cras, determinat etiam in æternitate ad quam protenditur.

Explicatur diſcrimen inter ignem; craſtinum non cōburentem hodie, & obiectum futurum verificans hodie Diuinam ſcientiam.

36 Hinc ad argumentum ſect. 5. Indifferentia intellectus Diuini tollitur ab æterno, non intrinſecè & effectiuè, ſed per ſubſtractionem materiæ, nempè ſcientiæ negantis; ad quam determinationem non requiritur æterna exiſtentia *determinatiui* pro priori, conſiſtit enim in ipſa quaſi formali impoſſibilitate ſcientiæ, coaleſcenti impoſſibilitate prædicta ex futuritione peccati temporali, quæ licet non poſſit cauſare poſitiuum effectum, bene tamen negatiuum, qualis eſt impoſſibilitas, impedireque exiſtentiam modo dicto, num. præc.

Futurum cōditionatū non tam determinat ſcientiā affirmatiuā, quam carentiam negatiuè.

37 Ad confirmationem huius argumenti in ſect. 5. Peccatum ſecundum id quod habebit cras, vel haberet, determinabit, vel determinaret cras, quæ determinatio inſufficiens ex parte peccati exerceri in præteritum & in actum abſolutè exiſtentem, qualis eſt ſcientia media, ob virtutem tamen, & excellentiam paſſi, vt ita dicam, nempè intellectus Diuini tranſmittitur in totam æternitatem, quemadmodum calor Valliſoletanus agens in paſſum, quod ſimul eſt Romæ non ex propriis, ſed iuuante natura paſſi calefacit Romæ; virga hinc protenſa vſque ad Romam ſi moueatur hic, mouetur Romæ. Igitur intellectus Diuinus, qui naturæ ita immutabilis eſt, vt nihil poſſit in tempore de nouo cognoſcere, nihil poſſit de nouo ſcire, eo quod poſita ſit conditio, quod idem non præſcierit eodem modo conditionatè; eo ipſo quod in tempore, vel poſita iam conditione determinetur ab obiecto, determinabitur etiam æternè ab eodem.

Si ſemel ab obiecto Diuinus intellectus determinetur ab æterno determinabitur.

38 Ad ſecundum ſcientia media, licèt procedat à principio indifferenti intrinſecè adhuc non eſt libera, quia determinatur ab extrinſeco, ita vt ex aliqua ſuppoſitione, quæ non eſt in poteſtate ſui principij, qualis eſt futuritio craſtina, implicet hoc non operari, & opus ſit intercedere alienam libertatem, vt operetur: quod non euenit in voluntate liberè agente. Item vt operatio ſit libera petit excluſionem omnimodam determinatiui: ſi enon ſuſſicit indifferentia in vno comprincipio, ſi non detur in omnibus. Ergo vt ſcientia ſit libera

Scientia media non eſt libera abſolutè.

bera ad æterno requirit quod nullum detur determinatiuum vt ſit ab æterno; at in tempore, vel etiam quando iam eſt poſita conditio datur determinatiuum non ſolum vt ſit tunc in tempore ſcientia ſed vt ſit ab æterno, vtque ſit abſoluta ex parte ſubiecti, licèt ex parte obiecti purè conditionata; nam ſicut decreto efficaci conditionato ex parte obiecti ſufficit vt abſolute exiſtat in ſubiecto, ſi determinet ſub conditione (hoc eſt eo ipſo quod Deus vi decreti determinet ſe ſub conditione, iam decretum vt ſic determinet exiſtit abſolutè in Deo) è contra ſufficit determinationi paſſiuæ ſcientiæ, ſi determinetur ſub conditione, vt iam exiſtat ex parte ſubiecti neceſſario & abſolutè, Ergo neque in hoc ſtatu ſcientia habet indemnem libertatem. Quod inſtatur ſi è Valliſoleto quis me determinaret, vt operarer Madriti. Vndè patet diſcrimen amoris liberi in via, nam prædeterminatio viſionis in patria nihil pro ſtatu viæ cogit.

39 Ad confirmationem huius argumenti ſecundi in ſectione 5. reſpondeo breuiter, ſicut non tollitur libertas amoris, eo quod ab æterno detur prædefinitio, ſi iſta in tempore dependeat ab amore, vt contingit quando dirigitur per ſcientiam mediam; ita è contrà ſtabit neceſſitas, ſi in tempore detur prædeterminatio independenter à ſcientia, quæ cogit ipſam fuiſſe ab æterno.

SECTIO VIII.

Secunda ſolutio, & explicatio.

40 Licèt præcedens ſolutio argumento ſatisfaciat, ſi tamen adhuc dicas non quietari intellectum noſtrum, qui poſſit fieri, vt cauſa diuerſimodè operetur phyſicè, vel phyſicè impediatur, quin vlla detur immutatio phyſica in rebus; Neque in creatis poſſe quid ſimile reperiri, nam quidquid ſit de denominationibus, ac moralibus effectibus, quos ſine aliqua nouitate phyſica concipimus, quia ſcilicet in illis ſæpè ipſum non eſſe exprimitur, vt in denominatione *antiqui*, *præteriti*, *perſeuerantis moraliter*, &c. At non ideo cauſæ phyſicæ diuerſimodè operantur, quia quod non eſt de præſenti, perinde reputatur phyſicè, ac ſi nunquam ſit; alias pro effectibus phyſicis non eſſet per ſe notum requiri exiſtentiam cauſæ: ſi inquam hoc dicas.

41 *Non datur principium virtuale ſcientiæ mediæ.* Pono primo ſcientiam mediam, quantumuis, vt ſic formaliter contingentem, omninò improductam eſſe, non ſolum realiter, ſed etiam virtualiter, ad quam phyſicè loquendo merè paſſiuè ſe habeat intellectus Diuinus, licèt intentionaliter per ipſam operetur ab intrinſeco, neque enim video, cur non poſſit ſtare contingentia ſine vllo principio actiuo virtuali, ſicut ſtat ſine reali: quod quidem mihi neceſſario dicendum eſt, qui omne principium virtuale negaui in tract. de Trinitate.

42 *Scientia media affirmatiua connectitur cum ob iecto futuro in tempore.* Pono ſecundo ſcientiam mediam titulo ſuæ infinitæ perfectionis, qua repugnat falſitati, eſſentialiter connecti cum fututitione peccati; cur enim quemadmodum decretum creãdi mundum connectitur ab æterno cum mundo futuro in tempore, & cauſa exiſtens in vno loco cum effectu exiſtente in alio, vti ſol cum effectibus ſublunaribus; cur inquam, ſimiliter ſcientia exiſtens in vllo inſtanti non poterit connecti cum obiecto futuro in alio ergo ſcientia exiſtens in æternitate connecti poterit cum obiecto futuro in tempore.

Pono tertiò hanc connexionem non eſſe antecedentiæ, nec cauſalitatis, ſed per modum ſigni, eo quod in cognitione Dei quaſi in limpidiſſimo ſpeculo ſtatim appareat non ſolum id quod actu præſens eſt, ſed quod erit: ipſaque ſcientia Diuina ob infinitam perfectionem quaſi oriatur à ſe, & ex ſe ſit imago omnis euentus, haud aliter, quam ſi pullularet, quædam cognitio à ſe, quando futurus foret euentus affirmatus. 43 *Scientia media limpidiſſimum ſpeculum futurorum.*

Hinc ad argumentum talis cognitio, licèt ſit in ſe contingens, atque ita in differens ad eſſe, at cum ſine principio ſit, non eſt opus quærere determinatiuum extrinſecum; quod ſi in tempore determinatur à noſtra operatione futura, id fit, quatenus ab huius libero principio poteſt impediri, nè ita quaſi pullulauerit ab æterno. Vnde argumentum primum, & confirmatio in ſectione 5. falſum ſupponunt ſcilicet, quod intellectus Diuinus determinetur ad agendum ſolum, namque determinatur, quaſi paſſiuè ad recipiendum, vel ad eſſendum nempè vt ſit ſciens res contingentes, quæ determinatio formaliter venit ab ipſa ſcientia, actiuè autem à nullo, ſed ſcientia ipſa commenſuratè ad euentum futurum, à ſe talis contingenter eſt. 44 *Scientia quà à ſe eſt extrinſecum determinatiuũ fruſtra quæritur.*

Ad ſecundum, ſcientia media non eſt formaliter operatio libera, quia ſolum comparatur cum intellectu indifferenti paſſiue, id eſt tali vt nulla attenta in ipſo virtute agendi, quaſi adiaceat illi à ſe ſcientia contingens de peccato futuro, non potens non eſſe ſtante exercitio poteſtatis liberæ alienæ; quod aliter contingit in volitione Dei libera, licet enim hæc etiam ſit ſine principio actiuo, at eius contingentia talis eſt, vt in determinationem venire queat ſine vlla attentione, vel attemperatione ad exercitium liberum alienum, poſſitque eſſe vel non eſſe ceſſante, vel ſtante quouis exercitio poteſtatis liberæ alterius ſuppoſiti. Ad confirmationem: licèt detur ad ſcientiam mediam carentia prædeterminationis, at ipſa ſcientia etiam vt ab æterno exiſtens ſubeſt alienæ poteſtati, quaſi paſſiuè comparatur cum intellectu: indifferentia autem talis inutilis eſt libertati. Aliud argumentum contra ſcientiam mediam formari poteſt ex diſputatione ſequenti, vt notabo ibi ſectione 4. 45 *Scientia media mere paſſiue adiacet Diuino intellectui.*

DISPVTATIO LIV.

De cognitione mediata futuri contingentis conditionati. Vtrùm poſſibile ſit pro ſcientia conditionata aliquod medium diſtinctum ab ipſo futuro affirmato?

Sectio I. *Aliquibus ſuppoſitis quæſtionis ſenſus aperitur*
Sectio II. *Ratio affirmandi.*

SECTIO

SECTIO III. *Ratio negandi.*

SECTIO IV. *Proprium iudicium.*

SECTIO V. *Reſpondetur rationibus negandi in ſect. 3.*

ANimus in præſenti ſolum eſt proponere rationes dubitandi, quæ in Schola ſocietatis vim aliquam habere poſſunt, vt eas latius alij examinent, quos ego poſſim ſequi in tractatu de auxiliis; ſed ne glorientur Thomiſtæ Recentiores difficultatem hanc potius nobis qui defendimus cum æqualibus auxiliis poſſe vnum conſentire, non alium, contrariam eſſe, imprimis oſtendam ex hac maximè efficaciam Prædeterminationis oppugnari vt notabo §. 16. deinde in ſect. 5. latius demonſtro nobis nullatenus oppoſitam eſſe, quantumuis defendatur non poſſe voluntatem creatam præuiſam operaturam ſub vno auxilio pro inſtanti A. præuideri non operaturam ſub alio auxilio omnino ſimili ſoloque numero diſtincto; ideo vt hoc conſtet potius in partem hanc inclino fundamentis, quæ proponam in ſectione 2.

SECTIO I.

Aliquibus ſuppoſitis quæſtionis ſenſus aperitur.

1 QVæſtio hæc licèt à nullo quem ſciam excitetur, examinatione indigna non eſt, quam longam dabo in tract. de auxiliis, vt appareat quatenus ſub æquali auxilio poſſit vnus conuerti & non alius, hic tamen omninò præteriri non debuit, quæ maximè explicat obiectum ſcientiæ mediæ. In qua præſertim locum habet vt dicam, num. 4.

2 *Futurum nequit in ſuis cauſis cognoſci?*

Suppono primo, hęc futura non poſſe cognoſci in ſuis cauſis ſecundum ſe, quia vt ſic iſtæ ſunt indifferentes ad vtrumque; neq; vt prædeterminatis antecedenter, quia talis prædeterminatio non datur iuxta diſput. 52. neque concomitanter, aut conſequenter, quia talis determinatio imbibit ipſum obiectum futurum, de quo ſatis diſputatione præcedenti. Neque item futura hæc cognoſcuntur in carentiis eſſentialiter connexis iuxta diſput. 50. ſect. 2. Neque in cognitione vera, ſiquidem ſcientia vt formaliter talis etiam reflexè comprehenſa medium inſufficiens eſt, vt ducat in notitiam certam ſui obiecti iuxta diſput. 42. ſect. 2. Difficultas eſt an adhuc ſuperſit medium aliquod aliud pro quo.

3 *Pro eodem inſtanti nequit res eſſe futura conditionatè, & non abſolutè.*

Suppono ſecundo, non ſolum non poſſe obiectum eſſe futurum, & non eſſe futurum abſolutè in eodem inſtanti, ſed ſimiliter neque poſſe conditionatè ſub conditione, eadem eſt enim manifeſta contradictio, quod Deus ſciat, *ſi Tyrij vocarentur in inſtanti A. conuerterentur in inſtanti A:* & ſimul ſciat: *non conuertendos in A. licet haberent eandem vocationem.* Dixi eandem, nam ſub diuerſa vocatione, & circumſtantia, quis dubitet poſſe pro eodem inſtanti A. videri conuertendos, & non conuertendos.

4 *Ex diuerſitate conditionum prouenit quod poſſit res eſſe futura & non futura conditionatè; ſecus abſolutè.*

Suppono tertio, hoc eſſe diſcrimen inter futurum abſolutum, & conditionatum, quod primum ex parte rei nunquam poſſit in A. eſſe, & non eſſe; bene tamen ſecundum, ratio eſt, quia hypotheſis poteſt variè cogitari pro eodem inſtanti A. vt ſi cogitetur quod detur hæc conditio, vel quod detur alia. At ſtatus abſolutus vnus pręcisè eſt, quia neceſſum eſt abſolutè dari hanc conditionem, vel non dari, ergo non eſt locus in abſolutis huic varietati, & conſequenter neque huic quæſtioni.

Suppono quarto, conſequenter non ſolum eſſe diſtinctum obiectum euentum futurum ſub conditione diuerſæ ſpeciei, ſed etiam ſub conditione ſolo numero diuerſa: ſicut enim in futuris abſolutis ſola differentia numerica facit diſtinctam veritatem, ita in conditionatis diſtinguet differentiam numericam conditionis, nam veritas conditionata coaleſcit, & ex euentu ipſo conditionato, & ex conditione, ſicut nemo dubitat has veritates eſſe diſtinctas, ſi Petrus vocetur ad contritionem A conteretur; ſi Paulus vocetur in eodem inſtanti eadem vocatione, & ad eandem contritionem A. non conteretur. Vbi ſola eſt differentia numerica conditionis nempè voluntatis Petri, & Pauli. 5

Hinc ſenſus quæſtionis eſt. Vtrùm per ſcientiam conditionatam infallibiliter poſſit Deus ſcire vnum euentum futurum, quin illum in euentu eodem præuideat, ſed ſolum in alio omninò ſimili, ſolóque numero diſtincto, vel ex parte conditionis, vel conditionati, verbi gratia ſcit Deus: *Si Tirij vidiſſent Chriſtum per viſionem A. conuerterentur:* quæro vtrùm hinc iam certus ſit, quod conuerterentur per hanc conuerſionem B. item: *conuerterentur per conuerſionem* A. ſimiliter quæro, an eo ipſo ſciat conuertendos, ſi loco conuerſionis A. paratus eſſet concurſus ad aliam indiuiduationem conuerſionis B. & conſequenter, an in medio diſtincto ab ipſo futuro affirmato poſſit iſte cognoſci? 6

SECTIO II.

Ratio affirmandi.

PRimo, non ſolum opponuntur contradictoria formalia, ſed etiam virtualia, & talia æquiualenter: At Tirios conuerti ſi per viſionem A, vidiſſent Chriſtum Dominum, non conuerti ſi per B. item conuerti per conuerſionem A. non per B. ſaltem æquiualenter ſunt contradictoria; ergo opponuntur, vt nequeat verè cognoſci vnum, & non illud. Maior, & conſequentia patent, Minor non minus conſpicua videtur, quis enim non putet virtualem contradictionem in eo, quod præuideatur quis, ſi occurreret vnum ouum A. illud voliturus in eodem inſtanti, & non voliturus ſi occurret ouum ſimillimum B, quod nullo modo diſcerneret à primo. Minus autem variationis venit ex diſtinctione numerica viſionis de Chriſto in Tyriis, quam ex diſtinctione obiectorum, cum circa idem obiectum viſio varietur. 7

Secundò implicat, quod Deus præſciat: *Si dedero Petro hoc auxilium ex hac intentione miſericordiæ, conuertetur: ſi dedero idem numero auxilium ex alia intentione amicitiæ, non conuertetur.* Ergo ſimiliter implicat quod id præſciat ſub vno auxilio, & non ſub alio eiuſdem prorſus rationis. Antecedens probatur, quia illa circunſtantia extrinſeca eſt, & nihil immutat de auxilio, & principio 8

cipiò operante. Item dum intentio talis Petrum latet omninò diſparatè ſe habet conuerſioni, nec plus refert ad variationem euentus voluntatis, quam ſi dicas: *Si detur auxilium ſaltante Turca, conuerteretur Petrus: ſi detur, non ſaltante Turca, non conuerteretur*; quæ impoſſibilia ſunt: iam conſequentia probatur tum quia ſi loquamur de auxilio extrinſeco, quod conſiſtit in omnipotentia præparata, tale auxilium in ſe diuerſum eſt pro diſtinctione intentionis præparantis cum ex illa conſtituatur; vt ex applicatione, licèt non vt ex influente, tum etiam quia quamuis entitatiuè, & materialiter eo quod auxilium ſit *A.* vel *B.* diſtinguatur, at in ordine ad operantem perinde eſt, ac ſi ſolum variaretur intentio.

9 Tertiò implicat Petrum de facto conteri contritione *A.* ad quam habet paratum concurſum, & non fore conterendum in eodem inſtanti, ſi pararetur concurſus ad contritionem *B.* eiuſdem omninò rationis, & ſpeciei. Ergo Deus in vna veritate conditionata cognoſcit aliam diſtinctam: conſequentia patet: Antecedens probatur. Petrus eſt neceſſitatus quoad indiuiduationem actus, vt de omni agente creato eſt certum, ideo determinatio quoad indiuiduum venit à cauſa prima, Ergo quia Petrus non eſt liber, vt potiùs determinet ſe ad indiuiduum *A.* quam ad *B.* ergo niſi determinatio ſpecialis veniat à Deo implicat quod Petrus ſe determinet ad contritionem *A.* & quod non foret ſe determinaturus ad *B.* ſi pararetur ad illam concurſus: Prima conſequentia probatur, quia ſi ſubeſſet Dominio Petri in ſtatu conditionato ſe determinare ad *A.* & non ad *B.* non eſſet cur in ſtatu abſoluto indigeret determinatione Dei quoad indiuiduationem *A.* præ *B.* Item omnis neceſſitas libertati opponitur; Ergo ſi Petrus eſt neceſſitatus, ne operetur potius *A.* quam B. à ſeipſo, ideò eſt quia ipſe indifferens non eſt ad talem determinationem. Hinc ſecunda conſequentia eſt manifeſta, nam cum diſcretio, & differentia non poſſit venire à Petro reſtat, vt veniat à Deo.

10 Quarto, eo quod Petrus ſit peccaturus ſub *A.* ſtatim concipimus peccaturum ſub *B.* quis enim non putet implicare, quod Deus ex intentione ſalutis Petri prædeſtinati reſpuens auxilium *A.* quia inefficax ad conuerſionem in vltimo inſtanti vitæ, eligat auxilium *B.* eiuſdem omnino ſpeciei; (imo alicui difficile erit Deum ex ſuppoſitione, quod videat prædeſtinatum non operaturum, ſi detur *A.* remiſſum, electurum ipſum Deum pro eodem inſtanti auxilium *B.* æquè remiſſum vel remiſſius,) tum ſic hæc perſuaſio, & neceſſitas non eſt vnde veniat, niſi ex connexione metaphyſica vnius euentus cum alio: nam pone Petrum peccaturum ſub *A.* valdè retrahente à peccato, & moraliter neceſſitante ad non peccandum, tunc niſi ex operandi identitate, vnde iure inferetur hæc neceſſitas procedendi vniformiter ſub *A.* & ſub *B.* Ergo nos ita operamur, quaſi ſi ſub vna ſpecie ſolum daretur vnicum indiuiduum. Ergo quando Deus ſcit, *Si dedero auxilium conuertetur; dicit: conuertetur actu conuerſionis, ad quem concurrero ſiue A, ſiue B.*

***

SECTIO III.

Negatio negandi.

Non minus efficax apparet iuxta ſententiam ſocietatis. Primò quia iuxta illam ſub æqualibus omnino auxiliis poteſt vnus conuerti alius non conuerti, Ergo etiam ſub æquali vnus & idem homo conuerti, & non conuerti: Ergo ſub ſimili omninò, & eiuſdem ſpeciei cum eo, ſub quo præuidetur conuertendus. Prima conſequentia videtur certa in ſchola ſocietatis, licèt enim ſub eodem auxilio non poſſit Petrus conuerti, & non conuerti recte tamen ſub diuerſo licet æquali poteſt præuideri pro eodem inſtanti conuertendus ſi detur hoc; & non conuertendus, ſi detur illud. Secunda conſequentia probatur quia omnimoda æqualitas auxilij, & adiutorij in ordine ad vniformitatem operandi perinde ſe habet, ac omnimoda homogeneitas: quid enim mihi præſtat, ſi adiutorium ſit humanum, vel Angelicum, ſi æqualiter adiuuet, vt maximè patet ex §. præcedenti. 11

Secundò etiamſi Petrus conuertatur ſub auxilio *A*, poteſt non conuerti ſub *B.* omnino ſimili, ergo poteſt Deus ſcire primam veritatem, & non ſecundam, ergo prima non eſt medium infallibile ad ſciendam ſecundam; vtraque conſequentia patet; antecedens autem videtur clarum, nam ex eo quod verus ſit primus euentus ſine ſecundo, nulla ſequitur contradictio, non enim eſt affirmatio, & negatio eiuſdem ſecundum idem. Confirmatur, Auxilium *A*, conſtituit ſaltem ex parte diſtinctum principium à Petro potente cum auxilio *B.* ſed ſine contradictione, vbi datur diuerſum principium licèt inadæquatum, ſtat operari vnum, & non aliud: ergo. 12

Tertio duplex hic euentus: *Si hoc auxilium coniungatur cum voluntate Petri erit efficax; ſi coniungatur cum voluntate Pauli, idem non erit efficax*; iſte, inquam, duplex euentus ſeparabilis eſt; & tamen de auxilio affirmatur, & negatur efficacia ſolum ſub conditione voluntatis adiunctæ numero diſtinctæ. Ergo è contra dicendum eſt ſimiliter de voluntate ipſa, quod variet euentum ex ſola diſtinctione numerica auxilij. Confirmatur eadem voluntas poteſt præſciri operatura, ſi primo creetur in inſtanti *A.* non operatura, ſi in *B*, & tamen inſtans *A*, & *B*, ſolo numero differunt, neque hæc differentia percipitur à voluntate, licet enim voluntas diſcernat, an ſit in primo inſtanti ſuæ creationis, an in ſecundo. At quod primum ſit *A*, vel *B.* non diſcernit, ſed purè materialiter ſe habet, ſicut diſtinctio auxilij *A*, vel *B.* quod enim plus habet vel defatigatur Angelus eo quod creetur primo in inſtanti *A.* quam in *B.* ergo huius diuerſi euentus ſola ratio eſt, quod pro diſtinctis inſtantibus non ſit contradictio, ſed ſimiliter non eſt ſub diſtinctis auxiliis. Ergo ſimiliter. 13

Quarto vnus euentus non eſt cauſa, neque effectus, ſed comparatur cum alio euentu, ac ſi omnino priùs non eſſet, ergo non habet cum ſecundo connexionem In quo quæſo titulo, hæc fundabitur? Ergo neque eſt medium aptum vt in primo cognoſcatur infallibiliter ſecundus. Hæ conſequentiæ patent, antecedens probatur, nam 14

nam primus euentus etiamſi exiſtat abſolutè proindè eſt ad ſecundum ſequentem, ac ſi non fuiſſet. Ergo à fortiori idem dicendum, ſi maneat purè conditionatus; ſic enim minus fundamenti ponit ex parte obiecti. Confirmatur, quia potius hæc eſt natura cauſæ contingentis, vt eo ipſo quod operetur primo minuat certitudinem vt operetur ſecundò, vti accidit in talis luſoriis, ſeu in ludo talorum, qui quod primò reddiderint vnam figuram numeri, ſpecialiter pugnant ſecundò ne eandem reddant, ergo nequiquam poteſt eſſe infallibile fundamentum ſecundi euentûs conditionati euentus primus; alias continuò eſſet fundamentum in infinitum cum omnibus indiuiduis; & ſemper deberemus putare ſub quolibet auxilio illius ſpeciei operaturam voluntatem, quæ ſemel conditionatè præuiſa eſt operans cum vno.

15 Vltimo ſi voluntas creata eſt neceſſitata ad euentum ſecundum ex eo, quod eſſet factura in primo euentu; ergo non erunt duo exercitia diſtincta, ſed vnicum ad ſimiles neceſſitans euentus futuros. Item ergo hic & nunc non eſt ſub eius poteſtate non operari ſub ſecundo euentu eo ipſo quod præuiſa ſit operatura ſub primo; vnde ſi ponatur ſecundus euentus erit neceſſitata independenter ab aliquo, quod modo ſit ſub eius poteſtate; etenim primus euentus hic & nunc non eſt ſub eius poteſtate, ſed foret; niſi dicas futuritionem conditionatam primi euentus pendere à futuritione abſoluta ſecundi, quod ſine fundamento dicetur; cum nec pendeat vt à cauſa immediata, nec mediatè eo, quod præuiſus ſit ſecundus euentus, ſiquidem independenter omninò ab attentione ad hunc ſtat immediatè in ſe primus. Confirmatur vterque euentus eſt liber, neque enim eſt ratio, cur potius adſcribatur libertas vni quam alteri. Ergo adhuc poſito vno poteſt alius deficere ſic, vt duo actus abſoluti ſint libertatis diſtinctæ, requiritur, quod ex ſuppoſitione vnius ſtet alium poſſe deficere.

SECTIO IV.

Proprium iudicium.

16 Ex vtraque ratione dubitandi poſita formari poteſt difficile ad ſpeciem argumentum contra ſcientiam mediam: poteſt contingere, quod Petrus conuertatur, ſi vocaretur hoc auxilio A. & non ſi vocaretur B. diſtincto numericè iuxta ſect. 2. num. 3. ſed huius diuerſitatis nullum fundamentum poteſt aſſignari in futuris ipſis ſecundum ſe iuxta ſententiam ſecundam, ergo recurrendum eſt ad merum placitum Dei volentis prædeterminare in vna hypotheſi, & non in alia; Deus enim, cum indiuidua diſcernat, bene poteſt è duobus ouis, verbi gratia, velle A. & non B. ergo independenter à decreto prædeterminante futura conditionata non ſunt veritatis determinatæ, vt poſſint cognoſci per ſcientiam mediam.

17 *[Di]ſtinctio [n]umerica [a]uxiliorum non immutat modum agendi.* Ego dum plenum iudicium in tractatum de auxiliis differo, modo nego maiorem, ob fundamenta enim in ſectione 2. exiſtimo liberè, & ex propria determinatione euenire non poſſe quod Petrus conuertatur cum auxilio A. non cum B. omninò ſimili, ſi vocaretur in eodem inſtanti; ſed ex ſuppoſitione, quod foret conuertendus in vna hypotheſi, neceſſario fore conuertendum in alia; vnde nullum eſt argumentum in §. præcedenti: ex quo potius contra aduerſarios valide arguo. Nam moraliter ſi non metaphyſicè, eſt impoſſibile quod Petrus conuertatur cum A. & non cum B. at nullum eſſet fundamentum Petrum conuerti cum A. vt conuerteretur cum B. ſi determinatio ſolum veniret à Deo; Deus enim nullam obligationem contrahit, vt prædeterminet ſub B. quia prædeterminaret ſub A. ſed ſicut pro libito prædeterminat Petrum, & non Paulum, ita poſſet A. & non B. vide §. 10. Ergo, &c.

18 *Si eodem modo ſe habeant hypotheſes, eodem mod[o] exiſtet euentus futuritio.* Pro ſolutione rationum negandi in ſectione præcedenti vno verbo dum eas ſigillatim expendo ſect. ſeq. dico exercitium in ratione liberi non diſtingui, niſi vel diſcernatur in actu ſignato à Voluntate diſtincte, vel in actu exercito ipſius libertatis formaliter acceptæ: hoc euenit quoties diſtincta voluntas, vel pro diſtincto inſtanti, conſideratur, vtrumque enim formaliter variat libertarem: illud euenit, quoties diuerſa eſt cognitio, vel diuerſimodè conducunt comprincipia; ſi enim omnis hæc diuerſitas ceſſet alia diſtinctio purè materialis nihil refert voluntatis, quia dum voluntas determinat ad opus hæc numero comprincipia, quantum eſt ex ſe ad omnem ſpeciem ſe determinat, vt perinde ſit dari hoc numero comprincipium, vel aliud, ſicut enim in neceſſariis ſol ex ſe æquè omnia indiuidua lucis determinat neceſſario ita voluntas ea determinat liberè.

SECTIO V.

Reſpondetur rationibus negandi in ſectione tertia.

19 Ad primam rationem in §. 11. libentiſſimè côcedo quod ſub æquali auxilio conuertatur Petrus in inſtanti A. qui tamen præuidetur non conuertendus, ſi loco auxilij talis daretur aliud omninò æquale, vel etiam minoris virtutis: Hæc enim eſt natura libertatis argentiſque contingenter operantis, vt ex vno effectu nulla valeat conſequentia nec paritas (etiam quæ videtur eſſe à fortiori) ad alium; At hoc ita quidem eſt reſpectu effectus & operationis, reſpectu cuius ſe determinat liberè, & electiuè, ſeu diſcretiuè; etenim vt conſtat ex §. 8. Petro operante in inſtanti A. ſaltante Turca, quem non videt, nec diſcernit implicat quod præuideatur non operaturus in A. in hypotheſi quod non ſaltaret Turca; cuius alia ratio non eſt niſi quia quoad hanc circunſtantiam in agente libero nil diſcretionis, vel ſpecialis electionis poteſt eſſe, nec voluntas Petri, quæ eſt principium ſe determinandi aliquo modo immutatur, nec diuerſimodè, diuerſæque virtutis redditur. Iam vero quando auxilium eſt diuerſum, quantumuis æquale vel minus in cauſa eſt diuerſi effectus, & operationis in voluntate noſtra, quæ diuerſitas licet æqualis ſit diſcernitur aliquo pacto à voluntate, quæ pro placito maiorem, vel minorem conatum præſtat ſi tamen pura detur in conatu diſtinctio indiuidualis, & numerica nullo modo diſcernitur à cauſa ſecunda impotente ſe determinare potius ad vnam indiuiduationem, quam ad aliam; hic nemo dicet quod voluntas non ſe determinet quoad ſpeciem actuum licet æqualium cum tamen omnes Authores ſocietatis negent determinationem quoad indiuiduum.

Secunda ratio in §. 12. inſtatur in hoc duplici euentu conuerſionis ſcilicet in A. ſaltante Turca, 20

& conuerſionis in eodem *A*, non ſaltante Turca; hi enim euentus ſeparabiles ſunt abſolutè loquendo ſine contradictione, At non ideo ſeparari poſſunt ab eo qui non diſcernit illam circunſtantiam. Sed hinc dices ideo euentus illos non eſſe ſeparabiles reſpectu mei non diſcernentis Turcæ ſaltum, quia iſte ſaltus ita diſparatus eſt vt non conſtituat, neque immutet principia proxima; ſed iſta adæquatè eadem ratione permaneant. At diſtinctio etiamſi purè numerica auxiliorum, iam immutat principia proxima, ipſaque diuerſa ſeu diſtincta conſtituit, hinc igitur potior eſt ratio vt variari poſſint iſti euentus, quam illi quia iam variatur libertas. Reſpondeo fateor potius immutari Principia proxima ex variatione etiam purè numerica auxiliorum, quam ex variatione ſaltûs Turcæ at hæc immutatio materialiter ſe habet, & per accidens dum à voluntate non diſcernitur. Vere vt ego ſuſtentem aliquod pondus diuerſa principia ſunt, ſi coadiuuet Petrus vel Paulus, at ſi ego neutrum cognoſco amplectorque pondus præciſe quia leuius factum eſt illo adiutorio, quis finget me velle in vno euentu, & non in alio ſuſtentare pondus? Rurſus pone quod ex ſaltu Turcæ moueatur Deus ad dandum auxilium, & hoc eſſe extrinſecum, hoc eſt non conſiſtens in qualitate intrinſece inhærente voluntati creatæ, ſed in ſola omnipotentia præparata ad concurrendum loco talis qualitatis intrinſecæ. Omnipotentia autem vt præparata duo dicit, & entitatem ipſius omnipotentiæ, & vltra decretum applicans talem omnipotentiam ad concurrendum loco qualitatis intrinſecæ. Nunc ſic ſi omnipotentia præparetur ſemper ad concurrendum loco qualitatis eiuſdem, & ad faciendum, quod illa præſtaret vti ſub hac implicat pro eodem inſtanti *A.* fore, & non fore conſenſus, ita & ſub omnipotentia, quantumuis decretum ſic præparatiuum varietur in ſe eo quod moueatur, vel non ex ſaltu Turcæ implicabit variari conſenſum. Vide §. 8. Ex quo patet ad Confirmationem.

21 Ad tertiam Rationem in §. 13. Reſpondeo diſtinctionem quantumuis purè numericam quoad ipſas voluntatis potentias multum referre; ſecus quoad auxilia; quod imprimis concedere debent aduerſarij qui non negabunt ſaltem moraliter impoſſibile quod Petrus conuertatur audiens concionem auditione *A.* & non conuerteretur ſi eandem concionem audiret auditione *B.* & tamen nullatenus eſt impoſſibile, quod Petrus non conuertatur, vel alius homo; imò neceſſarium moraliter eſt quod aliquis homo non conuertatur ex audientibus eandem concionem. Ratio ergo diſcriminis ab omnibus aſſignanda eſt; mihi ea placet, quæ deſumitur ex diuerſo modo quo concurrit voluntas ac reliqua comprincipia, illa ſcilicet vt radix determinationis, & vt principium ab intrinſeco trahens alia omnia, vnde habitibus vtimur dum volumus, auxilium vero influit, quia voluntas influit non è contra. Ergo voluntatis diſtinctio quantumuis numerica rectè poteſt eſſe in cauſa variationis euentûs, ſecus diſtinctio auxiliorum, quæ non diſcernuntur à voluntate, ſed perinde ſe habent, ac ſi eadem numero permanerent. Hoc addo propter diuerſitatem durationis quando non eſt in ordine ad idem inſtans *A.* verbi gratia ſed ad diuerſum. *B.* nam hæ durationes non diſtinguuntur ſolo numero, vt duæ quæ forent ad *A.* ſed quaſi ſpecie ita heterogenea, vt licèt non explicite, implicitè tamen, & quaſi in actu exercito diſcernatur à voluntate, quæ potens eſt multiplicare exercitia libertatis pro multiplicitate, & numero inſtantium; vnde nemo determinationem quoad inſtantia, quod potius operetur voluntas in *A* quam in *B.* reduxit ad cauſam primam; ſecus vero determinationem quoad indiuiduationem effectûs, & conſequenter principiorum ſola indiuiduatione diſtinctorum. Vnde patet ad confirmationem.

Ad quartam in §. 14. reſpondeo: vnus euentus habet connexionem cum alio non titulo cauſæ, effectus, &c. Nec titulo phyſicæ identitatis, ſed identitatis moralis, quemadmodum euentus ſub ſaltu Turcæ habet connexionem cum euentu non ſaltante adhuc turca, vt ſæpè dixi: quia nempè hæc circunſtantia nil refert; ita autem ſe habet moraliter varietas Principiorum ſolo numero diſtinctorum; loquendo autem de varietate quoad indiuiduationem præciſe in ipſis effectibus, ſeu operationibus clarior eſt ratio, quia voluntas creata quantum eſt ex ſe determinat totam ſpeciem. Vnde implicatio eſt quod ex parte ſua potius ad vnam operationem, quam ad aliam omnino ſimilem ſe determinet. Explicatur quando voluntas operatur ita ſe determinat quoad ſpeciem preciſe, attribuiturque Deo determinatio quoad indiuiduum; quaſi voluntas per ſuum conatum poneret rationem ſpeciei, ſeu in illam conaretur, Deus autem à ſe poneret hoc indiuiduum præ illo: tunc ſic, ſed Deus ex ſe non poteſt ponere potius vnum indiuiduum quam aliud, vt patet in peccato, imo licèt poneretur à Deo, voluntati tamen non tribueretur. Ergo cum operari in vno euentu, & non in alio dum eſt titulo libertatis noſtræ, nobis tribuatur implicabit quod voluntas ex ſe operetur ſic difformiter. Conſequentia patet, & minor. Maior probatur tum paritate petitionis verbi gratia cum petimus ſalutem ſolum in ſpeciem conamur; tum etiam quia alias non eſſet cur obligari non poſſet voluntas, vt operaretur vnam indiuiduationem & non aliam, ſi etiam quoad hoc ipſius placito ſubeſt operatio tum denique quia in hoc conſiſtit impotentia, quam habet voluntas, vt ſe determinet quoad indiuiduationem, quod ſcilicet quaſi conſequenter, & per accidens in indiuiduationem tendat per ſe autem in totam ſpeciem. Vnde ad confirmationem in §. 14. Reſpondeo contingentia cauſæ variat euentus quos diſcernit, & in ordine ad quos cauſa libera comparatur vt formaliter talis, ſecus ſe habet hic, quare qui operatur ſub auxilio *A.* operaretur etiam ſub omni alio eiuſdem ſpeciei.

Ad vltimam rationem reſpondeo moraliter loquendo & in ordine ad libertatem noſtram non eſſe ibi duo exercitia libertatis, ſed vnicum, licèt phyſice duo ſint, vt etiam patet in euentibus ſaltationis, vel non ſaltationis Turcæ. Quare non mirum quod ex ſuppoſitione quod Petrus operaturus ſit ſub Auxilio *A.* iam non poſſit non operari ſub *B.* quia ipſum operari ſub *A.* eſt operari ſub *B.* quoad vim electiuam Petri. Quemadmodum eo ipſo quod præuideatur cadere ſub petitionem Petri ſalus *A.* cadet etiam ſalus *B.* eo quod ipſe ſua petitione non diſcernat inter *A.* & inter *B.* & hæc de hac difficultate, in qua ſolum animus fuit difficultandi rationes proponere indicata parte, quæ probabilior apparet quin tamen ei plenè aſſentiar, quouſque alios ipſi aſſentientes ſequar. 23

DISPV

DISPVTATIO LV.

Vtrum ſciat Deus, & Quomodo cognoſcat, ſeu efficiat entia rationis.

SECTIO I. *Quomodo cognoſcat Deus negationes, & priuationes veras exponitur.*
SECTIO II. *Vtrum Deus efficiat vel ſaltem cognoſcat entia rationis: Authorum ſententiæ proponuntur.*
SECTIO III. *Propria ſententia proponitur & probatur.*
SECTIO IV. *Reſpondetur ad ſententias oppoſitas in ſectione ſecunda.*

NON poteſt plene fieri ſatis huic difficultati, niſi probe intelligatur ſua quidditas, & qualiſcumque eſſentia entis rationis tam fundamentalis, quam formalis, de quo dicam late in mea Philoſophia, modo tamen quæ propria iam ſunt Theologici muneris prætermitti non debuerunt.

SECTIO I.

Quomodo cognoſcat Deus negationes, & priuationes veras exponitur.

1 ENs rationis diuidi ſolet in negationem, priuationem, & relationem, vt late explicat P. Suarez diſp. 54. met. ſect. 4. Sed talis diuiſio nondum explicat entia pura ficta, ſeu rationis confingentis de quibus præcipua difficultas eſt tractanda in ſect. ſequentibus, tantum ergo data eſt pro ente rationis quod habet aliquod fundamentum in rebus ipſis, licèt id rationis inuoluat, quod ad modum entis realis concipiatur. Verbi gratia carentia viſus in lapide negatio eſt vera, & ſine fictione inuenta ſuo modo ex parte rei, lapis enim vere caret viſu cum incapacitate ad illum habendum, quæ eſt definitio *Negationis*: Item carentia viſus datur in animali cæco vere, & ſine fictione cum capacitate habendi viſum quæ eſt definitio *priuationis*. Ac denique eſſe genus, ſpeciem, *&c.* vere eueniunt ex parte rei; vere namque Animalitas cognoſcitur cognitione confuſa non penetrante adæquatam quidditatem ſubiecti animalis ex quo ſine vllo figmento apta redditur vt prædicetur de pluribus eſſentiis diuerſis. Et hæ denominationes licet realiter, & ſine figmento inuentæ ex parte rei relationes rationis dicuntur, quæ in ſe ſunt veræ denominationes extrinſecæ reales, quas tamen quia concipimus vt intrinſecas relationes in rebus, ſeu ad modum relationis licèt nulla fictio intercedar relationes rationis vocantur. Vti etiam negatio, ſeu carentia viſus in lapide: Priuatio item ſeu carentia viſus in animali ad modum entis veri poſitiui concipiuntur, ideoque dicuntur entia rationis, ſed cum fundamento in re ad diſtinctionem entium pure fictorum ſine fundamento, de quibus ſectionibus ſequentibus dicetur.

Ens rationis fundamentale diuiditur. Vide qu. 14. art. 9. & 10. per. 8. dub.

2 De relationibus rationis, ſeu de denominationibus extrinſecis nil poteſt eſſe controuerſiæ; cum manifeſtum ſit à Deo cognoſci, cognoſcique in ſe ipſis immediatè; vti enim immediatè in ſeipſa cognoſcit denominationem intrinſecam albi quia ſcilicet cognoſcit albedinem vnitam ſubiecto, ſeu albedinem, & ſubiectum intercedente vnione, à quibus non diſtinguitur *eſſe album*, ſeu denominatio *Albi* ita cognoſcit obiectum, & viſionem à quibus non differt denominatio extrinſeca *viſi* ſeu *eſſe viſum* ſimiliterque *eſſe cognitum* cognitione confuſa, in quo formaliter denominationes generis, ſpeciei, *&c.* Conſiſtunt vt dixi §. præcedenti. Quare de ſcientia harum denominationum nil eſt ſpeciale ſcitu, ſpecialemve continens difficultatem, quam aliarum veritatum, & entium poſitiuorum. Vide Alarcon hic tract. 2. de ſcientia diſputatione 3. cap. 5.

Relatio rationis confunditur cum denominationibus extrinſecis.

3 De carentiis ſiue per modum negationis ſint ſiue per modum priuationis extra controuerſiam etiam eſt cognoſci à Deo in cuius conſpectu omnia ſtant, & vocantur æque ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt. Tota difficultas eſt circa modum, quo cognoſcuntur. Prima ſententia aſſerit eas non aliter cognoſci quam entia realia directè, ſcilicet & immediatè per actum poſitiuè aſſentientem, & affirmantem earum exiſtentiam qualiſcunque hæc ſit in ſeipſis quin opus ſit attendere ad formam poſitiuam, cui opponuntur, vti Deus cognoſcit entitatem caloris in ſeipſa quin opus ſit cognoſcere frigiditatem (cui opponitur) ſaltem in recto nam in obliquo opus eſt vt cognoſcat frigiditatem vt oppoſitam ipſi quo pacto nec cognoſcet tenebras quin dicat eſſe carentiam lucis. Ita ſentit Arr. diſp. 19. de ſcientia Dei num. 36. & 39. Alarcon tract. 2. de ſcientia n. 27. Mouentur quia Deus maximè habet cognitionem quidditatiuam, & diffinitiuam de carentia, verbi gratia, de tenebris, ergo dicet *tenebræ ſunt carentia lucis*, vbi lux cognoſcitur ſolum de obliquo: Confirmatur quælibet veritas eſt à Deo cognoſcibilis vti eſt in ſe: atqui carentia lucis in ſeipſa eſt diſtincta à luce; ergo in ſeipſa à Deo cognoſcetur.

Quomodo cognoſcantur carentiæ à Deo.

4 Secunda ſententia, pro qua ſunt Vaſquez 1. part. d. 61. & 62. Arrubal. diſput. 35. cap. 10. Valentia d. 1. qu. 14. punct. 7. Suar. diſp. 54. Metaph. ſect. 2. aſſerit Deum non cognoſcere carentias poſitiuè, ſeu affirmatiuè ita vt dicat, verbi gratia, *ſunt tenebræ: Petrus eſt cæcus*, ſed per diſſenſum: *non eſt lux: Petrus non habet viſum.* Mouentur quia qui dicit affirmatiuè *eſt* iam apprehendit obiectum per modum entis, qui conceptus repugnat Deo circa carentiam; ſolumque conuenit noſtræ imaginationi vt rectè notat P. Montoya diſput. 17. de ſcientia, ſect. 2. num. 8.

5 Huic ſecundæ ſententiæ ſemper à prima philoſophia adhæſi explicans conceptum *carentiæ*, eiuſque differentiam ab ente poſitiuo in eo quod carentia ex parte obiecti loquendo, & independenter à noſtra imaginatione nullam affirmibilitatem ponat, ſed puram ſuſpenſionem omnis conceptus affirmabilis: quemadmodum in eo præciſè diſcriminatur conceptus diſtinctionis à conceptu identitatis, quod in hac affirmetur vnum de alio; diſtinctio vero vt talis tunc relucear quando affirmari non poteſt, ſed purè negari. Vnde conſequenter cenſeo carentiam in ſe non eſſe cognoſcibilem, ſed per ſpeciem entis poſitiui, non quidem affirmabilis, ſed negabilis etenim reſpectu cognitionis negantis illius ſolius obiecti datur ſpecies propria quòd

Cognoſcuntur per negationem, ſeu diſſenſum.

quod negationi ſubeſt, & ſicut obiectum affirmatum in ſeipſo tangitur, dum affirmatur ita dum negatur: ex quo etiam conſequenter niſi attento primo, & per ſe ente poſitiuo nequit in ſeipſa diſcerni carentia vti nequit cognoſci diſtinctio ab alio niſi *hoc aliud*, & in *hoc alio* cognoſcatur.

6 Ad fundamenta oppoſita pro prima ſententia ante omnia audi Auguſtinum tom. 10. lib. de vita Beata longè antè finem libri loquentem de egeſtate, ſeu carentia rerum: *Neſcio quomodo dicamus habet egeſtatem, tale eſt enim ac ſi locum aliquem, qui lumine careat dicamus habere tenebras, quod nihil eſt aliud, quam lumen non habere non enim tenebræ quaſi veniunt aut recedunt: ſed carere lumine hoc ipſum eſt tenebroſum eſſe; vt carere veſte, hoc eſt eſſe nudum; non enim veſte accedente veluti aliqua res mobilis nuditas fugit. quamobrem vt quod volo explicem ſicut poſſum ita dicitur: habet egeſtatem: quaſi dicatur habet non habere*, iuxta quæ verba reſpondeo Deus non dicit affirmatiuè tenebras eſſe carentiam, ſed præcisè dicit non eſſe lucem. Ad confirmationem reſpondeo carentiam lucis non diſtingui à luce per aliquem conceptum actu poſitum ex parte rei, ſed per puram ſuſpenſionem conceptus; vnde cum non ſit in ſe carentia hinc potius infertur quod non poſſit cognoſci in ſe.

SECTIO II.

Vtrum Deus efficiat, vel ſaltem cognoſcat entia rationis: Authorum ſententiæ proponuntur.

7 *Ens rationis formale definitur.* QVæſtio hæc licèt celebris ſatis inter Recentes Theologos, imò & difficilis mihi tamen plus difficultatis habere videtur in voce, quam in re; ſuppono ex dicendis in opere philoſophico ens rationis propriè illud eſſe, *quod habet ſolum eſſe obiectiuum in intellectu*, hoc eſt quod obiectiuè eſt in intellectu (per quem conceptum conuenit cum ente reali, quod etiam intellectui obiicitur, ſeu cognoſcitur ſicque dicitur eſſe in intellectu intentionaliter, & obiectiuè) at aliunde nullum aliud eſſe habet, quo differt ab ente reali hoc enim in ſe intrinſecè habet eſſe à parte rei. Hoc poſito.

8 Prima ſententia aſſerit Deum facere ens rationis, illudque cognoſcere ita Henriquez in Summa art. 68. qu. 15. Fonſ. 7. Met. cap. 8. qu. 2. ſect. 6. Gillius in præſenti 1. part. de Deo, lib. 2. tract. 6. cap. vlt. Ægidius Luſitanus lib. 5. de Beatitudine qu. 6. art. 10. §. 6. quod etiam tenere videntur qui cenſent Deum efficere diſtinctionem rationis. Molin. 1. part. qu. 28. art. 2. diſput. 5. Torres ibi diſput. 2. dub. 2. Mouentur Authores huius ſententiæ quia ens rationis fit dum cognoſcitur; etenim eo ipſo quod cognoſcatur iam habet eſſe obiectiuum in intellectu ſiquidem in illo eſt aliquo modo intentionaliter; aliunde autem nullum aliud eſſe datur tunc in ente rationis præter hoc eſſe obiectiuum. Ergo ens rationis fit dum cognoſcitur; conſequentia patet ex §. anteced. Tunc ſic, ſed negari non poteſt quod Deus cognoſcat entia rationis vt oſtendet tertia ſententia ergo Deus cognoſcit, & efficit ens rationis.

9 Secunda ſententia ex aduerſo ſentit Deum nec cognoſcere, nec efficere ens rationis ita P. Vaſquez 1. part. diſputat. 118. cap. 4. P. Alarcon 1. part. tract. 2. de ſcientia diſput. 8. cap. 6. numero 2. & 10. Mouetur hæc ſententia quia maximè dedecet Deũ efficere ens rationis vt latè tuetur Suarez diſp. 7. met. ſect. 1. & diſp. 54. ſect. 2. Herice diſp. 8. cap. 1. Arrub. diſput. 34. cap. 5. & 6. Ruiz diſp. 17. de ſcientia ſect. 2. num. 9. Turrianus in ſelec. opuſc. 7. diſp. 4 dub. 7. Et huius ratio eſt quia non fit ens rationis niſi per cognitionem falſam, vel concipientem obiectum per modum alterius, ſeu aliter ac eſt in ſe; Atqui Deo repugnat talis conceptio, ſeu cognoſcere ens rationis ad modum entis realis. Ergo & repugnat efficere ens rationis. Tunc ſic, ſed efficere, & cognoſcere ens rationis idem ſunt ex §. 8. Ergo Deus non efficit, nec cognoſcit ens rationis. 10

Tertia ſententia media aſſerit Deum cognoſcere quidem entia rationis; At non efficere. Ita Suarez diſp. 54. met. ſect. 2. num. 19. Hurtado diſp. 19. met. ſect. 6. & Compton diſp. 16. log. ſect. 6. num. 5. Arriaga diſp. 6. met. ſect. 4. licèt hi duo fateantur à Deo fieri ens rationis ſecundum quid non fingendo, ſed negando, quibus præluxit Albertinus 7. Prin. Philoſoph. coroll. 1. Prima pars concluſionis probatur. Quia Deus cognoſcit comprehenſiue noſtros actus fingentes, Ergo cognoſcit eorum obiecta, quæ ſunt rationis entia. Item dum Deus cognoſcit meum actum de Hircoceruo, & alium de Homine-leone diſcriminat tales actus, totum autem diſcrimen eſt in obiectis fictis, ergo illa cognoſcit. Confirmatur nam rogatus Deus an ſubſtantia ſupernaturalis ſit poſſibilis reſpondere poteſt non eſſe poſſibilem. Ergo illam chymæram cognoſcit. 11

Secunda pars quod ſcilicet adhuc non faciat rationis entia. Probatur Deus non facit errores licèt illos cognoſcat, neque enim fallitur quia cognoſcat nos falli. Ergo neque faciet ens rationis eo quod cognoſcat à nobis fieri. Confirmatur non facit ens rationis, qui illud deſtruit, & qui concipit rem, quæ ita euenit à parte rei; eo namque ipſo tale obiectum non habet purum eſſe in intellectu. Atqui Deus deſtruit noſtra entia rationis dicendo verbi gratia. Hirco-ceruum eſſe impoſſibilem ſicque concipit aliquid, quod ita eſt non ſolum in intellectu diuino, ſed etiam à parte rei; nam à parte rei loquendo licèt non detur Hircoceruus, datur tamen eius impoſſibilitas; vereque ex parte rei ſine vlla fictione Hircoceruus impoſſibilis eſt.

SECTIO III.

Propria ſententia proponitur, & probatur.

12

DEus non cognoſcit formaliter ens rationis, ſed ſolum æquiualenter nullo tamen modo efficit ens rationis. Hæc ſententia triplici concluſione conſtat. Prima quæ difficilior eſt nempe ens rationis vt tale formaliter non cognoſci à Deo, vt probetur ſuppono 1. aliquas veritates eſſe tales vt non dicantur cognoſci quando materialiter, & ſecundum *eſſe* quod habent in ſe cognoſcuntur, niſi imbibant ſpecialem modum tendendi. Sic animalitas non dicitur cognoſci vt diſtincta, ſeu præciſa à rationalitate, dum vtcumque attingitur, ſi non attingatur cognitione confuſâ non penetrante rationalitatem. Item indifferentia, ſeu vacuitas ad eſſendum non dicitur cognoſci, niſi attinguatur per actum *Deus non cognoſcit formaliter ens rationis*

actum in quo inueniatur ly *vel* quare Deus de ſe non cognoſcit diſtinctionem ſeu vacuitatem eſſendi, eo quod non habeat cognitionem ſine determinatione vnius partis, vt petit modus tendendi diſtinctiuus. Similiter Deus non dicitur attingere veritates incomplexas, quia iſtæ vt ſic dicunt modum tendendi carentem affirmatione & negatione, qui modus tendendi Deo non competit §.13. ſuppono 2. ens rationis formaliter tunc dicitur cognoſci, quando attingitur modo ſpeciali tendendi, non vero præciſe ſi inſpiciatur veritas obiecta ſecundum ſe. Probatur id, nam affirmatio, & negatio ſolum differunt ex modo tendendi non autem ex parte obiecti; alias hæ propoſitiones. *Homo eſt leo: Homo non eſt leo*: non eſſent contradictoriæ, ſiquidem non forent de eodem obiecto. Item communiter dicitur quod iudicium ab apprehenſione non differant ex obiecto, ſed ex modo tendendi. Tunc ſic: Sed *Homo*, & *Leo* ſecundum ſe vt per apprehenſionem attinguntur attingi poſſunt ſine ente rationis; vt vero per iudicium affirmatiuum: *Homo eſt leo*, iam attingitur ens rationis. Ergo ens rationis vt denominetur cognitum imbibit modum tendendi.

Ens rationis non cognoſcitur niſi modo tendendi ſpeciali attingatur.

14 Hinc Deus non cognoſcit ens rationis. Deus non cognoſcit ens reale modo tendendi confuſo, inuerſo, & compoſitiuo ſeu affixiuo alterius prædicati quod non habet. Sed ens rationis vt cognitum nihil aliud eſt quam ens reale attactum per iſtum modum tendendi: Ergo Deus non cognoſcet formaliter ens rationis. Conſequentia patet: & maior; nam Deo nulla ratione conuenire queit repræſentare obiectum aliter ac eſt, minor autem probatur ex §. præcedenti. Item, nam quotieſcumque obiectum omni ex parte cognoſcitur vt eſt in ſe, iam tale obiectum ita eſt ex à parte rei, & extra intellectum. Quod autem extra intellectum eſt, non habet totum ſuum eſſe pure obiectiuè vnde neque erit ens rationis iuxta §. 7. Confirmatur Deus non cognoſcit Animalitatem, verbi gratia, vt genus formaliter, ſeu vt vnam prædicabilem de pluribus ſpeciebus, quia ſcilicet Animalitas, vt ſic, dicit præciſionem ab omnibus differentiis, Deus autem non habet modum tendendi præciſiuum; ſed nec habet cognitiuum obiecti aliter ac eſt in ſe. Ergo, nec cognoſcet formaliter e. s rationis.

15 Cognoſcit tamen æquiualenter (quæ eſt ſecunda concluſionis pars) quia cognoſcit cognitionem creatam, ſiue exiſtentem, ſiue poſſibilem tendere modo diſſimili cum obiecto reali; vti cognoſcit apprehenſionem noſtram tendere ſine affirmatione, actum: *homo* tendere confusè quin penetret differentiam; vnde maximè confirmatur hæc 2. pars licet Deus non cognoſcat Naturam vniuerſalem ſine differentiis, neque in mente Diuina ſic præciſa exiſtat: adhuc tamen Deus ſcit æquiualenter quid ſit Naturam vniuerſalem; qualiterque Natura à nobis fiat, & cognoſcatur vniuerſalis. Ergo ſimiliter ſciet quid ſit, & qualiter à nobis fiat ens rationis, licet formaliter non cognoſcat ens rationis.

Æquiualenter cognoſcit Deus ens rationis.

16 Hinc Deus nullo modo efficiet ens rationis, quia in mente Dei non inuenitur aliquid, quod ſi detur à parte rei vt eſt in Diuino intellectu implicet exiſtere vere; quemadmodum non habet puram apprehenſionem, non præſcindit, ac denique non facit ſcientia Dei vniuerſale; quia ſcilicet Natura in mente Dei non eſt ſine differentiis, non eſt ſine aliis formalitatibus, vel indifferens ad eſſe, & non eſſe ergo cum in hac propoſitione quam format ſcientia Dei, *ly homo eſt leo, eſt cognitio diſſimilis naturæ hominis*, nil contineat quod non detur à parte rei. Nam ly: *homo eſt leo* non formatur à ſcientia Dei ſub his terminis; ſed intuitiuè loquendo de cognitione creata; quaſi diceret *hæc cognitio* quæ in ſe ens reale eſt exiſtens à parte rei: Rurſus ly *eſt diſſimilis naturæ hominis* nil fictionis attingit potius quam ſi diceret: *Album eſt diſſimile nigro*; cum inquam hoc ita ſit nullo modo dicendus eſt Deus facere ens rationis.

Nullo modo Deus facit ens rationis.

SECTIO IV.

Reſpondetur ad ſententias oppoſitas in ſectione ſecunda.

Prima ſententia in §. 8. falſa eſt, licet conſequenter loquatur, quia vt conſtat ex §. 14. niſi Deus habeat modum tendendi improprium confuſum, & entis realis ad modum, & per ſpeciem alienam formaliter nondum ſciet ens rationis; cæterum iuxta §. 15. vt Deus æquiualenter ſciat rationis entia opus non eſt, quod in eius mente aliquid alienum, & aliter ac eſt in ſe exiſtat vt vidimus § 16. 17

Ad 2. ſententiam in §. 9. non eſt opus reſpondere cum maximè modo explicato in ſect. præc. pro nobis ſit. 18

Ad 3. in §. 10. Reſpondeo quoad vtramque partem falſam eſſe; quoad primam fateor à Deo cognoſci noſtros actus fingentes: verbi gratia: *Homo eſt leo*. At in ipſis non cognoſcit ſub his terminis, *hominem eſſe leonem*, ſed ſub terminis formalibus; nempe videt imaginem intentionalem noſtram, ſeu modum tendendi improprium, at non videt obiectum improprium, quod non eſt; ſed proprium, ſeu verum hominem, cum quo dicit non habere ſimilitudinem imaginem illam intentionalem; Quemadmodum quando videt meam cognitionem præſcindentem qua ſolum dico: *Animal* non videt Deus ſolam Animalitatem, ſed vlterius videt in ſeipſo Animal rationale, & addit meam imaginem non eſſe adæquatè ei ſimilem, (quia tamen non eſt omnino ſeu poſitiue diſſimilis, ens rationis non facit) quare in mente Dei non eſt Animalitas pura: Item cum videt Picturam *Hirco-cerui* non videt Deus obiectiue *Hirco ceruum* ſub his terminis obiectiuis, ſed ait imaginem non eſſe ſimilem Hirco, vti nigrum non eſt ſimile Albo. Vnde Deus vt comprehendat hanc picturam, vel imaginem intentionalem non eſt opus vt ex parte obiecti aliud ab ente reali, cui diſſimilantur cognoſcat. Ex quo Deus & diſcriminare poteſt hos actus: *Homo leo*: & *Homo ceruus*, quatenus videt diſſimiliter diſſimiles enti reali, vnus per adiunctionem *leonis*; alius *cerui* ad hominem: Item reſpondere poterit Deus ſubſtantiam ſupernaturalem creatam eſſe Chymæram dicendo cognitionem delineantem talem ſubſtantiam diſſimilem eſſe ſubſtantiis realibus, in quo licet æquiualenter exprimatur Chymæra non tamen formaliter. 19

Deus in noſtris actibus fingentibus non cognoſcit ens rationis.

Ad ſecundā partem huius tertiæ ſententiæ, quæ etiam nobis opponitur Reſpondeo Deus non fallitur quando cognoſcit noſtros errores, quia non ſibi perſuadet obiectum aliter, ac eſt in ſe in quo error conſiſtit, at cum ens rationis præciſe dicat 20

 eſſe

eſſe in alicuius mente, id quod nequit eſſe à parte rei iam ſufficienti modo efficiet Deus ens rationes; ſic bene poteſt quis aſſentire exiſtentiæ alicuius cognitionis, quin aſſentiatur eius obiecto; at cognoſcere cognitionem, quin cognoſcat eius obiectum formaliter, vel virtualiter impoſſibile eſt. Ad confirmationem reſpondeo licet ens rationis ſecundum totum eſſe obiectiuum, quod dicit in ea cognitione Diuina, vere eueniat à parte rei; vere namque eſſe Chymæram impoſſibile ex parte rei contingit: At hinc potius arguo, nam ſaltem aliquo pacto eſt in mente Diuina Chymæra, cum tamen in re nullo modo detur extra intellectum; alias Deus de eo quod eſt in eius mente non vere diceret, quod nequit eſſe extra intellectum. Ita fatetur P. Thomas Comptonus Carleton, diſputatione 16. Log. ſectione 4. num. 3. & 4.

Vide aliam celebrem diſputat. An ſcientia Dei ſit cauſa rerum infra ad Art. 8. huius quæſt. 14. per tres dubitat.

TRACTATVS V.

DE VOLVNTATE DEI.

QVANTI referat perfecta notitia huius tractatus inde facilè quiuis colliget, quod Dei voluntati vnicè obtemperandum ſit, ipſa noſtri dux, ipſa operationum noſtrarum rectrix, ipſius ſicut in cœlo, & in terra adimpletio vnicus noſtrarum orationum ſcopus, vt quotidie ex Dominico præcepto in corde inſit, in oreque noſtro ſæpius audiatur: *fiat voluntas tua* cum Deum maximè & vtilius orare docemur. Quæ omnia (imo nulla) ignaris voluntatis Dei euenire non poſſunt. Ob quod merito adeo inſtanter petebat Apoſtolus à Deo vt adimpleret notitia hac Coloſſenſes vt dicat cap. 1. 19. *non ceſſamus pro vobis orantes, & poſtulantes; vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni ſapientia & intellectu ſpirituali.* Id ergo ſæpè nobis orandum eſt vt eiuſdem voluntatis naturam vtcumque ſpeculemur ſi enim nemo ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. *Ita & quæ Dei ſunt nemo cognouit niſi ſpiritus Dei,* vt idem Apoſtolus fatetur 1. Corinth. 2. verſ. 11. non ſolum autem ſecreta cordis Diuini, & eius diſpoſitiones liberæ in particulari nobis latent ſed & generaliter quî poſſint hæ cum Dei immutabilitate componi? quî cum ſumma identitate cum ſcientia ab hac duci, & dirigi, vt cum Diuina ſcientia peccata omnia nouerit, voluntas nullo modo erga ipſas afficiatur. Quî denique cum robuſtiſſima, & infinita potentiâ, quod toties Dei voluntas omnium hominum ſalutem exoptet; nec tamen ipſam nanciſcatur? Hæc omnia in præſenti tractatu Dei ope ſcrutari aggredimur, & prius de exiſtentia, & natura voluntatis Diuinæ quaſi in actu primo, vt poſtea ad eius ſecundos actus deſcendamus.

DISPVTATIO LVI.

An in Deo ſit Voluntas: implicétque intellectiuum non volitiuum.

SECTIO I., *Probatur exiſtentia voluntatis Dei.*

SECTIO II. *De connexione cognoſcitiui cum appetitiuo, ſeu vtrum ſit poſſibilis ſubſtantia cognoſcitiua, & non appetitiua? Authorum ſententiæ proponuntur.*

SECTIO III. *Eligitur prima ſententia, & probatur implicantia intellectiui non volitiui.*

SECTIO IV. *Illuſtratur ratio poſita expeditis obiectionibus, quæ contra ipſam opponi poſſunt.*

SECTIO V. *Iudicium, & ſolutio ſententiarum in ſectione ſecunda, & de earumdem fundamentis.*

QVAMVIS de exiſtentia voluntatis Dei nulla controuerſia ſit nullique in dubium venire poſſit, ratio tamen, qua eam oſtendit S. Thomas ingenij, & acuminis Angelici, vt aſſolet, plena occaſionem præbet celebri iam inter Recentiores Theologos (antiquis enim vel prætermiſſa eſt omninò, vel leuiter ſolum perſtricta) quæſtioni de cónexionè intellectiui cum volitiuo, & vniuerſalius omnis cognoſcitiui cum appetitiuo, quæ connexio inde maximè apparebit probata poſſibilitate, vel repugnantia intellectiui, aut cognoſcitiui puri. Ego autem, vt ex dicendis conſtabit vlterius etiam diſquiram, poſſit-ne dari aliqua cognitio, quæ cum appetitiuo non connectatur, quin quantum de ſe eſt in appetitionem inclinet ex vi obiecti propoſiti, licet aliunde ex aliqua conditione ſpeciali implicet cum actuali appetitione coniungi, vt dicitur in §. 15.

Vide infra quæſt. 19. artic. 1. per. 12. dubit.

SECTIO

SECTIO I.

Probatur exiſtentia voluntatis Dei.

1 *P.Ruiz. Qua ratione credi poſſit per fidem dari in Deo voluntatem.*

EX fide,& naturali ratione adeo manifeſte conſtat in Deo dari voluntatem, vt ſuperuacaneum ſit hanc veritatem probare, quam nec Hæreticorum vllus, aut delirantium Philoſophorum negauit expreſſe, (vt notat P. Didacus Ruiz in præſenti tomo de voluntat. diſp.1. ſect. 1. num.3. de omnibus, quorum opera legit ipſe, quæ autem non legit vir infinitæ pene eruditionis?) Quà vero ratione credi poſſit per fidem veritas hæc non ſine difficultate explicatur, cum enim vt per fidem credatur Deum volitiuum eſſe opus ſit moueri ex illius ſumma authoritate, ſeu quia ſcientiam infallibilem habet qua falli nequeat, & voluntatem ſumme rectam, qua nolit fallere, iam ſupponitur quod credendum erat; probaturque idem per idem vel ignotum per ignotius, qui enim ignoret in Deo dari voluntatem à fortiori negabit illi voluntatem rectam, quam Authoritas ſumma Fidei motiua expoſcit. Sed hanc difficultatem expediui vbi vrgentius expeditione indigebat tract. 2. de eſſentia, & attributis diſp.1. in qua dixi quo pacto credi poſſet per fidem Dei exiſtentia. Hinc ad præſens peti poteſt ſolutio. Dico vrgentius ibi inſtare difficultatem propoſitam, nam abſolutè loquendo perſuadere ſibi aliquis poſſet in Deo eſſe voluntatem, licet prius hanc non prænouiſſet; ſumma namque authoritas, quæ mouere debet fidem diuinam ſatis apprehenditur dum Deus ſit determinatus eſſentialiter ad dicendum verum, vndecumque hoc proueniat, ſiue ex voluntate recta, ſiue ex neceſſitate naturæ, vti lapis ſine voluntate rectà tendit in centrum.

2 Albert. Apud Cart. Albertus in comment. ad lib. de cauſis apud Carthuſ.1.diſt.45.quæſt.1. col.3. tribuit Ariſtoteli, Auerroi, Auicen. Porphyrio, & Theophraſto errorem negantem Deo voluntatem. At hi Authores ſolum negarunt Deo voluntatem cum anxietate, ſeu boni non poſſeſſi, vel cum aliis imperfectionibus quæ ſunt voluntatis noſtræ paſſiones vt ipſe Albertus tandem fatetur paulo inferius. Pacatam vero voluntatem & immobilem complacentiam in ſummo bono, quod Deus in ſe poſſidet nullus negare auſus eſt; qui Deum viuentem, & non merum truncum emortuum agnoſcat; maxime cum bene cogitans de Deo ſtatim omnem perfectionem excogitabilem ſine imperfectione attribuat vt conſtat ex tract. 2. diſput.12. Iam innumeræ ſunt perfectiones quibus priuandus foret Deus ſi voluntate præditus non foret, quæ eſt optima, & maximè à priori probatio huius veritatis, cùm conſtans debeat eſſe de Deo.

Ariſtot. Auer. Auicen. Porphyr. *Solam voluntatē imperfectam; Deo denegarunt.*

3 Primò quod ſit ſummè felix; felicitas autem ſine delectatione, quæ eſt actus voluntatis non datur. Secundò ſupremus Dominus, & maximè liber eligens ſingula prout vult producens has creaturas præ aliis in hoc tempore loco, circunſtantiis eligens. *Electionis verò Principium appetitus 6.* Ethic.cap. 2. Tertio ſummum bonum. Ergo eſt amabile ſumme, quod ab alio habere nequit niſi à ſe. Quarto ſanctus infinite, bonuſque non ſolum obiectiuè, & phyſicè, ſed moraliter; alias non eſſet ſummum bonum, ſiquidem maxima bonitatis portio ipſi deficeret. Quæ bonitas ſine voluntate non datur. His, & aliis quæ multiplicari poſſint omiſſis celebri hac ratione S. Thomæ ſic probatur hæc veritas.

Voluntas ſequitur intellectum. Ergo cum ſicut probatum eſt tract. præcedent. in Deo ſit intellectus, conſequens erit vt ſit etiam voluntas. Antecedens probatur. Quia ad omnem formam, & actum eſſendi ſeu *eſſe* actu ſequitur appetitus proportionatus tali formæ (quia vt ſic bonum eſt illius, cuius forma dicitur) ſed in cognoſcentibus ratione cognitionis accidit quod detur peculiare *eſſe* ſeu forma, & bonum cognoſcenti, ſcilicet intentionale bonum. Ergo dabitur proportionatus appetitus in talem formam, ſeu bonum. Sed appetitus proportionatus bono intentionali,& cognito, ſeu facto tali per cognitionem intellectualem eſt voluntas, tum quia bono phyſico, & in eſſe rei correſpondet appetitus phyſicus, ſeu innatus. Ergo intentionali intentionalis ſeu elicitus; tum etiam quia ſenſitiuo cognoſcenti correſpondet appetitus elicitus ſenſitiuus animalis. Ergo intellectiuo voluntas ſpiritualis. 4 *Probatur in Deo ex intellectu voluntas.*

Dices primo poſſibilem eſſe ſubſtantiam intellectiuam, quæ volitiua non ſit, vt plures cenſent. Ergo non bene ex eo quod Deus ſit cognoſcitiuus probatur etiam volitiuus. Antecedens probatur tum à priori eo quod in hoc nulla appareat repugnantia; tum etiam à paritate, quia non implicat cognitio, quæ inſufficiens ſit ad excitandum amorem, vt ſunt cognitiones matemathicæ de quibus poſtea. Ergo ſimiliter intellectus poterit eſſe ſine voluntate. Ergo & intellectus diuinus. Reſpondeo toto antecedenti conceſſo adhuc nulla eſt iſta vltima conſequentia, quia quidquid ſit de poſſibilitate intellectiui non volitiui; at tale intellectiuum maximè imperfectum foret, & mancum cum bonum maxime ſibi conueniens proſequi nequiret, nec malum fugere, & multo minus bene moraliter operari, obſequique dictamini rationis, quô polleret; hæc autem omnia aliena ſunt ab intellectu vel perfecto vtcumque ne dum perfectiſſimo, qualis eſt diuinus. Ergo ex intellectu diuino optimè concludit S. Thomæ ratio voluntatem; licèt obiter dicat, & inniti videatur generaliter in connexione cognoſcitiui cum appetitiuo, vel intellectiui cum volitiuo, de qua connexione infra dicam. 5 *Obiectio.* *Reſponſio.*

Dices ſecundo rationem S.Thomæ nimium probare, probat enim non ſolum quod ex intellectu ſequatur voluntas, ſed etiam quod ipſe intellectus ſit volitiuus, ſit ipſa voluntas, nam ipſe intellectus fit in actu de nouo per cognitionem; ergo ipſi accidit nouum bonum, talis enim eſt omnis actus eſſendi, ſi quidem ens, & bonum conuertuntur. Ergo ipſe intellectus erit appetitiuus talis boni. Reſpondeo imprimis loquendo de Deo abſurdum nullum eſſe, imo maxime veritati conſentaneum quod intellectus, & voluntas idem omnino ſint realiter, & formaliter, vt ſatis conſtat ex tract. 2. Deinde iſta identitas potentiarum præciſe ex hac ratione non ſequitur niſi inter intellectiuum, & appetitiuum vt *quod* & per modum ſuppoſiti; huic enim eſt, cui bonum apparet tale, vel non; potentiis vero, vt à ſubſtantiis, diſtinctis ſimpliciter, & abſolutè loquendo non attribuuntur operationes, ſed ipſis ſuppoſitis, ideò actiones dicuntur ſuppoſitorum; quod ſi hæc propoſitio ſimpliciter admittitur: *intellectus cognoſcit*, ſic dixit Ariſt. lib.3. Anim. *intellectum fieri omnia* ibi *intellectus* non ſumitur ſolum pro qualitate diſtincta ab anima, & ſubſtantia, ſed de ipſa ſubſtantia, & anima vt 6 *Alia obiectio.* *Solutio.*

adiuta

adiuta per illam qualitatem, quaſi dicatur: *Anima cognoſcit media potentia intellectiua.* Illud namque cognoſcit, quod eſt formaliter amans, cum opus ſit cognitione dirigi illud idem quod ſe ad amandum determinat, identitas autem hæc non ſeruatur inter ipſas potentias iuxta communem opinionem, ſed inter amans & cognoſcens vt *quod*, ideo oſtendam in opere philoſophico licèt potentiæ ſint ab anima diſtinctæ, adhuc animam ipſam immediatè concurrere habereque munus, & realem rationem. Vnde merito vocetur quod ipſa ſit *intellectus,& voluntas.* Adde quod iuxta meam opinionem quam loco citato exponam cum Dûrando

Durandus.

1.diſt.3.qu.4. licèt intellectus diſtinguatur ab anima, ſed non à voluntate. Vnde patet hanc obiectionem nullius abſurdi eſſe contra rationem S. Thomæ. Vtrum autem eius doctrina generaliter accepta vera ſit conſtabit examinata connexione cognoſcitiui cum appetitiuo, de qua ſit.

SECTIO II.

De connexione cognoſcitiui cum appetitiuo, ſeu vtrum ſit poſſibilis ſubſtantia cognoſcitiua, & non appetitiua, Authorum ſententiæ proponuntur.

7

Prima ſententia affirmat identitatem cognoſcitiui cum appetitiuo.

S. Thomas. P. Suarez. P. Molina. P. Valentia. Herice. Granadus. Faſol. Ruiz. Iulius Cæſ. Recupitus. Anaſtaſ. Synaita. Athanaſius. Fulgentius.

PRima & communis ſententia ſupponit impoſſibilem talem ſubſtantiam, vnde prædictam connexionem, ſeu identitatem cognoſcitiui cum appetitiuo putat eſſentialem, & neceſſariam ita cum S. Thoma hic quæſt.19, art. 1. Pater Suarez lib.3. de attribut.poſitiuis, cap.6. Molina, Valentia, Herice, Granado, Faſol. Ruiz, & alij Thomiſtæ omnes in præſenti, ſpecialiter autem,& latiſſimè P. Iulius Cæſar Recupitus lib.2. de diuina voluntate quæſt.1. cap. 3. cuius ſententiæ manifeſtè eſt Athanaſius Synaita in lib. qui inſcribitur, *Via dux*, cap 2. ibi, *Perſpicuum eſt omne illud, quod intellectu præditum eſt, etiam volendi potentia præditum eſſe. Nam voluntas omni rationali naturæ ineſt eſſentialiter*: Sic etiam ſcribit Athanaſius tract. de diffinitionibus column. 4. *Quidquid intelligit conſtat, quod etiam voluntate ducatur.* S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum de duplici prædeſtinat. cap. 18. de anima rationali, ait: *Neque enim ei ineſſe poſſet vllatenus ratio, niſi ei poſſet creatoris ineſſe dilectio.* Ergo quia implicat ſubſtantiam cognoſcitiuam alicuius obiecti, non eſſe appetitiuam, ſeu amatiuam illius: ſed vt rationibus agamus.

8

Prima ratio.

Deus de facto produxit ex omni ordine poſſibili aliquam creaturam.

Primo probatur hæc ſententia, & connexio argumento huic,& aliis materiis communi: talis ſubſtantia de facto creata non eſt; ergo neque eſt poſſibilis. Conſequentia ſuadetur 1. quia Deus de facto produxit omnes ordines ſeu gradus rerum poſſibiles, licèt enim non omnia poſſibilia de facto producta ſint, produxit tamen Deus aliquam creaturam ex omni ordine hoc enim decet vniuerſi pulchritudinem. Sic produxit ſubſtantias purè ſpirituales, purè corporales, & mixtas ex corpore & ſpiritu ordinem Naturæ; gratiæ ſupernaturalis, & ordinem vnionis hypoſtaticæ: Ergo ſiquidem cognoſcitiuum non appetitiuum conſtitueret nouum ordinem, ſi eſſet poſſibile, daretur etiam de facto. Secundò iſta conſequentia ſuadetur: Nullus gradus creaturarum eſt poſſibilis inferior exiſtentibus. At creatura cognoſcitiua, vel intellectiua non volitiua, eſſet inferior homine exiſtente: Nam huic competit dominium, capacitas honoris,&c. quæ maximæ perfectiones ſunt,& illi ſubſtantiæ vtpote non volitiuę non cōpeterent: Ergo ſi non exiſtit non eſt poſſibilis; conſequentia hæc patet, & minor, maior etiam quia omnis creatura appetit innatè eſſe actu eminentioris ordinis,& gradus quem poteſt obtinere, ideo S.Thomas 3. contra Gent. ait Deum condidiſſe naturas

S.Thom.

inferiores vt appareret ſuperiorum eminentia: Ergo appetit ordinata diſpoſitio vniuerſi,vt ſi alius gradus rerum inferior ſit poſſibilis actu exiſtat, vt ſic reſplendeat, verbi gratia, quod homo non eſt infimum intellectiuum: ergo non eſt poſſibilis gradus inferior exiſtentibus.

9

Secunda ratio.

Arist. S. Thom.

Secundo eadem ſententia probatur quælibet natura fertur in bonum ſibi conueniens, & hinc ortum habet appetitus innatus, & generaliter bonum idem eſt, quod amabile ſeu appetibile: bonum eſt quod omnia appetunt Ariſt.1. Ethic.cap.2. S.Thom. 1.part.qu. 5. art. 5. Arqui per cognitionem fit bonum naturæ rationali peculiariter conueniens, ſeu fit bonum tali naturæ, quod ſine cognitione bonum non erat, ſic patet quando mors apprehenditur vt bona, aliaque quæ in re mala ſunt ſæpè cognoſcenti vt bona apparent iamque ipſi bona ſunt: ergo datur in natura ratione cognitionis peculiaris inclinatio, qua antea non mouebatur. At motio ſeu appetitus excitatus ex cognitione non poteſt eſſe innatus, (ſiquidem contingens eſt ſicut cognitio, cum innatus ſit eſſentialis vtpote identificatus cum natura) Ergo eſt elicitus. Confirmatur, omne bonum habet ſibi correſpondentem appetitum: Ergo & bonum purè apparens, ſeu cognitum. At tali bono non correſpondet appetitus innatus, iſte namque ferri non poteſt in figmenta, qualia ſunt bona purè apparentia, & quæ ſolum habent eſſe obiectiuum in intellectu: Sic nemo finget lapidem propendentem in centrum fictum: Ergo correſpondere debet appetitus elicitus, ſeu voluntas.

Tertia ratio. Creatura, quæ bonum deſiderat, gaudium de ipſo repugnare non poteſt.

Tertiò implicat creatura quæ deſideret bonum abſens, & de illo gaudere non poſſit præſenti: hinc ſiquis præſumat poſſeſſionem boni non allaturam ſibi gaudium deſiſtit à deſiderio: & ſic implicat lapidem quietum non eſſe poſſeſſo centro, quod appetit: Ergo implicat creatura deſiderans, & impotens gaudere de poſſeſſo bono. Tunc ſic, ſed ita comparatur cognitio boni, & inclinat in amorem, vt deſiderium in gaudium; ita enim eſt obiectum amoris *bonum cognitum*: ſicut obiectum gaudij bonum deſideratum præſens iam, & poſſeſſum. Vnde cognitio boni neceſſarij parit amorem neceſſarium, vt poſſeſſio illius gaudium: Ergo. Confirmatur, implicat creatura potens aſſentiri præmiſſis, & non concluſioni, potens intendere finem, & non eligere media, & generaliter vbi eſt poſſibilis diſpoſitio, etiam & forma propter quam eſt: Sed cognitio per ſe inclinat in amorem, & ad ipſum diſponit vt apprehenſio ad iudicium, præmiſſæ ad concluſionem, &c. Ergo implicat potens cognoſcere, & impotens amare.

10

Quarta ratio.

Quartò idem probatur de omni cognoſcitiuo quantumuis limitato ad vnum genus cognitionum purè ſpeculatiuarum, & circa veritates purè Mathematicas verſantium adhuc tale cognoſcitiuum per eam cognitionem quaſi poſſidet & tenet obiectum, & veritatem cognitam, verbi gratia: *Duo bis ducta ſunt quatuor*: Ideo intellectus dicitur trahere obiectum ad ſeipſum. Tunc ſic, veritas eſt bonum naturæ rationalis, ipſique maximè congruum.

gnum: Ergo omne cognoſcens ratione cognitionis poſſidet ſpecialiter bonum: Ergo ratione illius poteſt habere delectationem, quæ eſt actus voluntatis, de tali bono. Confirmatur, omne cognoſcens titulo cognitionis ſpecialiter poſſidet bonum aliquod apparens, ſeu quoad apparentiam tale: ergo ratione cognitionis conuenit ipſi appetitus in tale bonum. Conſequentia patet ex ſæpè dicta doctrina quod cuilibet bono debet correſpondere aliqua inclinatio & appetitus illius reſpectu cuius eſt bonum. Tunc ſic, talis appetitus nequit eſſe innatus, tum quia iſte non tendit in bonum præcisè apparens, & intentionale, ſed in phyſicum & reale; tum etiam quia innatus eſſentialis eſt rei appetenti, appetitus autem qui excitatur ex cognitione accidentalis eſt, ſicut ipſa cognitio; reſtat ergo vt ſit elicitus.

11 *Vltima ratio.* Denique hæc ſententia probatur ex abſurdis quæ ſequuntur ex ſubſtantia purè intellectiua, & non volitiua. 1. ſubſtantiam illam poſſe videre Deum, omnis namque intellectus poteſt eleuari ad videndum Deum, nec tamen poſſe illum diligere, ex quo foret beata, cum beatitudo ſita ſit in Dei viſione, & non eſſet beata, cum beatitudo ſine iucunditate, & gaudio non contingat Ariſt. 7. Ethic. ad Eude. (Ariſt.) 2. nil poſſet cognoſcere probabiliter, ſed ſemper euidenter, nam aſſenſus probabilis dependet ab imperio voluntatis. 3. illa ſubſtantia non poſſet manifeſtare aliis ſui cordis ſecreta, cum hoc non fiat niſi verbis à libera voluntate determinatis. 4. poſſet ſibi proponere bona maximè conuenientia, & neceſſaria, nec tamen eadem poſſet amplecti, nec interitum cognitum affectu fugæ proſequi. Vnde foret eſſentialiter manca, & mutila carens neceſſariis ad ſuam conſeruationem potiori iure quam ſi homo produceretur cæcus, vel claudus: Ergo quemadmodum hoc non poteſt homini euenire per ſe niſi ſolum accidentaliter, ita ſolum accidentaliter poteſt ſubſtantia cognoſcens eſſe impotens ad appetendum, non autem per ſe, & eſſentialiter ponenda eſt talis vt præcisè cognoſcitiua ſit. 5. denique quia ſimiliter admitti poſſet ſubſtantia volitiua, & non intellectiua, ſiquidem non minus diſtinguitur voluntas, & ſeparabilis eſt ab intellectu, quam è contra.

12 *Secunda ſententia negat Recentiores cum P. Arriaga. Primum fundamentum deſumitur ex prioritate intellectiui.* Secunda ſententia abſolutè docet non implicare ſubſtantiam cognoſcitiuam, ſeu intellectiuam non volitiuam. Ita aliqui Authores Theologi Recentiores ſentiunt cum P. Arriaga in præſenti & diſput. 2. de anima, ſect. 4. Cuius ſententiæ communia fundamenta ſunt: Primò quia intellectiuum prius eſt ex ſuo conceptu, quam volitiuum ſaluaturque eius operatio, & munus etiam nulla apprehenſa facultate volendi, ſicut ſæpè quis cognoſcit, quin vllum volitionis affectum inferat, vel eliciat. Cum autem *eſſe* ſit propter operari, vbi hoc datur ſine vlla volitione, etiam & ipſe intellectus, ſeu intelligendi potentia, ſine vlla potentia volendi, potentia namque non requiritur niſi propter actum; ex quo patet ſolutio ad communem inſtantiam quæ fit contra hoc fundamentum ex volitiuo, quod licèt diſtinctum, & præſcindibile ab intellectiuo; tamen ſine hoc illud non eſt; patet inquam ſolutio, & diſcrimen ex dictis quia volitio non eſt ſine intellectione, vnde ex conſequenti, nec potentia ad illam ſine potentia ad hanc. At intellectus qui vt operetur non indiget volitione vt quid requiret potentiam ad volendum? Nonne hinc probamus quod anima rationalis exiſtere poſſit ſine corpore quia poteſt operari ſine corpore, quia in operari non pendet à corpore? Ergo ſi intellectus in operando non pendet à voluntate, nec pendebit in eſſendo.

Secundum fundamentum pro intellectiuo non volitiuo ſumitur ex potentiis externis ſenſitiuis, 13 *Secundum ex potentiis externis.* quibus non correſpondent proportionatæ appetitiuæ. Ergo ſicut poteſt multiplicari facultas cognoſcendi, & non appetendi, ita ſimilter dari purum cognoſcitiuum ſine volitiuo. Confirmatur poteſt dari potentia cognoſcitiua materialis ſine appetitiua illi correſpondente. Ergo & ſpiritualis cognoſcitiua (quæ eſt intellectus) ſine ſpirituali appetitiua, (quæ eſt voluntas) conſequentia probatur, quia hic inſtantur præcipua fundamenta, & ratio à priori pro prima ſententia; nam vel dari poteſt cognoſcendi potentia ratione cuius non appareat noua ratio boni, vt in ſenſibus externis; vel non ſemper neceſſe eſt quod nouo generi boni correſpondeat nouum appetendi genus.

Tertium fundamentum: non repugnat cognitio impotens excitare amorem in cognoſcente. 14 *Tertium ex non repugnantia cognitionis impotentis excitare amorem.* Ergo nec repugnat intellectus impotens amare. Conſequentia probatur. Non repugnat intellectus alligatus vni, & determinato generi cognitionum vt patet tum à paritate potentiæ cognoſcitiuæ materialis verbi gratia viſiuæ quæ ſolis cognitionibus circa colorem adſtringitur, tum à paritate potentiæ phyſicæ quæ ſæpè limitata eſt vt ignis ad comburendum. Ergo ſimiliter potentia intentionalis, & cognoſcitiua limitari poteſt ad vnum genus cognitionum. Tunc ſic, ſed intellectus alligatus cognitioni impotenti excitare amorem eſt ipſe impotens ad amandum; ergo. Confirmatur quia eo ipſo quod detur talis cognitio iam benè concipitur ſubſtantia potens ad cognoſcendum cum repugnantia ad amandum. Nam ſubſtantia vt comparatur cum illa cognitione, iam ex hoc ipſo præcisè eſt verè intellectiua vt patet: ſed vt ſic eſt repugnans ad amandum: Ergo non ſolum præciſiuè, ſed etiam poſitiuè poteſt concipi natura cognoſcitiua, ſeu intellectiua, & non volitiua, admiſſa hac cognitione impotente excitare amorem. Hæc conſequentia vrgentior apparebit ſi prædicta cognitio ponatur repræſentare rationem boni, vt infra conſtabit.

Modo antecedens in §. ſuperiori, nempe quod 15 poſſibilis ſit cognitio impotens excitare amorem ſuadetur in cognitione fidei de decreto Dei non concurrendi ad amorem vllum quæ cognitio vtpote eſſentialiter vera repugnat volitioni, cum repugnet diuelli à decreto eſſentialiter incompoſſibili cum volitione creata: dices primò talis cognitio licèt repugnet in indiuiduo volitioni, non tamen quantum eſt ex vi motiui, & ſecundùm ſpeciem, nam ſimilis cognitio mota, ſcilicet ex alia reuelatione Dei cum amore componi poteſt. Sed contra hæc ſecunda cognitio ſimilis omninò non eſt, ſiquidem non repugnat volitioni; in prima ergo cognitione poſita adhuc vrget argumentum: Dicit ſecundo Herice diſp. 11. de voluntate Dei, cap. 3. (Herice.) illam cognitionem non quidem proximè, ſed remotè, & quantum in ſe eſt poſſe excitare affectum volitionis. Sed contra, illa cognitio nec remote poteſt eſſe falſa, non eſt potiùs volitionis quam falſitatis capax, nec potius falſitatis quam chymæræ. Ad chymæram autem nec remotè poteſt. Dices tertio eam veritatem non poſſe credi per fidem ſupernaturalem, tum quia aſſenſus fidei eſſentialiter eſt voluntarius, ſeu ortus ex imperio voluntatis, cum enim euidens non ſit à voluntate

luntate dependet, ſicut aſſenſus probabilis; tum etiam quia opus non eſt vt Deus queat nobis reuelare omnem veritatem, ſic decretum de non concurrendo ad aliquam cognitionem creatam irreuelabile eſt. Sed contra loquamur de cognitione euidenti qua Angelus experiatur ſe nullam habere volitionem, vel de viſione qua Beatus videat ſe impeditum eſſe à volitione, ſeu ſibi negatum concurſum ad volendum. Hic vrget probatio facta.

16 Rurſus oſtenditur poſſibilitas cognitionis non valentis excitare amorem, quando purè ſpeculatiuè tendit, verbi gratia, *duo bis ducta ſunt ſex*: hic actus non poteſt mouere voluntatem, cum non proponat vllam rationem boni. Ita D. Thom. 1. contr. Gent. cap. 71. num. 5. *Intellectus ſpeculatiuus non mouet, nec imaginatio pura abſque æſtimatione boni vel mali.* Ergo ſaltem iſta cognitio repugnat amori. Ergo ſimiliter poſſibilis erit intellectus, cui repugnet voluntas, eadem enim eſt ratio vnius cognitionis ad amorem particularem, quæ in intellectu ad omnes amores, ſeu ad voluntatem.

D. Thom.

17 Quartò ſic arguo pro poſſibilitate intellectiui non volitiui etiamſi cognoſcat obiectum vt bonum. Quia adhuc in hoc intellectiuo tota ratio connexionis cum voluntate præciſè ſumitur ex propenſione, quam debet cognitio boni inferre in tale bonum. At non eſt neceſſe vt ea cognitio apta ſit inferre talem propenſionem: Ergo. Minor probatur tum in illa cognitione fidei quæ poſſet proponere illud decretum Dei de non concurrendo ad vllum amorem vt maximè conueniens, maximum enim bonum, & conueniens eſt naturæ rationali creatæ, quod fiat voluntas Dei: Neque talis cognitio, & reuelatio negari queit, cum enim in re poſſit contingere voluntatem creatam non amare in aliquo inſtanti, cur non poterit hoc tunc reuelari, & videri, ac credi ab eo qui intellectum integrum retinet. Rurſus probatur minor. Deſiderium æquè inclinat in gaudium, ac bonum cognitum in amorem, vnde in inclinatione innata nequit dari appetitus boni cuius poſſeſſio (quæ eſt gaudium innatum) implicat: & tamen ſæpè deſiderium non poteſt inferre gaudium, nec de poſſeſſione apparente, vt patet quando deſiderium eſt circa obiectum impoſſibile cognitum vt tale. Tum denique probatur minor illa, quia cognitio practica de modo faciendi obiectum ex ſe ſufficiens eſt ad excitandam potentiam exequentem, neque ideo implicat ſubſtantia habens tales cognitiones, & carens potentia exequente ſic Angelus cognoſcit modum producendi plantam. Ergo.

Poſtremum fundamentum ex mente Authoris.

18 Tertia ſententia maximè ob hæc vltima argumenta admittit poſſe dari intellectiuum non volitiuum ſi ſolum ſit intellectiuum determinatum; ſecus ſi ſit vniuerſaliter cognoſcitiuum omnis veri qualis eſt intellectus noſter ita ſentiunt aliqui Recentiores Theologi ducti partim ex fundamentis pro prima ſententia, partim ex fundamentis pro hac ſecunda. Nam ſi ſit intellectus determinatus poterit limitari ad ſolas cognitiones ſpeculatiuas ex quo erit ineptus ad excitandum amorem cum non tendat in obiectum, vt bonum. Si verò vniuerſaliter tendat ad omne verum, ſicut ob hanc vniuerſalitatem intellectus noſter fundat apparentiam boni, & hinc appetitum elicitum voluntatis.

Tertia recentiorum ſententia.

SECTIO III.

Eligitur prima ſententia, & probatur implicantia intellectiui non volitiui.

Implicat intellectus non proponens rationem boni cognoſcenti. Sed talis intellectus neceſſario eſt volitiuus. Ergo implicat intellectus, ſeu intellectiuum non volitiuum. Conſequentia manifeſta eſt. Minor propoſitio ſumpta de intellectu ſpecialiter proponente rationem boni, quod ſit tale non ſolum abſolutè, ſed relatiue in ordine, & reſpectu cognoſcentis, per modum conuenientis ipſi clare conſtat ex dictis §. 9. quæ ſic in probationem huius propoſitionis minoris expendo. 19

Prima ſententia eligitur, & probatur.

Implicat cognoſcitiuum non proponens rationem aliquam boni cognoſcenti.

Implicat *Bonum* quod amabile ab aliquo non ſit ſeu appetibile vel innate, vel elicite, non minus, quam implicat *verum* non cognoſcibile, color non viſibilis; neque enim minus Bonum vniuerſaliter loquendo dicit ordinē ad appetitum, quam verum ad intellectum, coloratum ad viſum. Tunc ſic, Bonum quod præciſè eſt tale reſpectu cognoſcentis non eſt appetibile ab alio, alioqui non ſoli cognoſcenti eſſet bonum, ſed etiam illi alteri. Ergo eſt appetibile à cognoſcente. Tunc vltra, hoc bonum quod tale eſt vi cognitionis, ſeu quod ſolum fit conueniens intentionaliter, & vi apparentiæ non eſt terminus appetitus innati tum quia iſte cum phyſicus ſit ſolum tendit ad res in eſſe phyſico, & reali, nec vllo modo immutatur, vel variatur ob apparentiam cognitionis, ſic Corpus humanum inclinat in centrum, licet iſtud apprehendatur, vt malum; tum etiam quia innatus inuariabilis eſt, & conſequenter reſpicit bonum per ſe immutabile, quare non eſt, quod à cognitione procedit: tum denique quod fit tale vi cognitionis perinde ſe habet reſpectu cognoſcentis ſiue in re exiſtat, ſiue non; dum tamen cognitio permaneat, ſic eadem ratione mihi gratus eſt color in iride mere apparens, ac ſi verus color eſſet. Appetitus autem innatus cum verum, & phyſicum munus exerceat, vel patiatur à ſuo bono illius realitatem deſiderat; quare non minus abſurdum eſt dicere quod appetitus innatus tendit ad bonum mere apparens, quam ſi fingeret quod actio ſit ſine vero, & reali termino, ſed ſolum apparenti. Ergo reſtat vt appetitus, qui inclinare debet in bonum, quia cognitum, elicitus ſit. 20

Quod bonum eſt vi cognitionis, appetitum innatum terminare non poteſt.

Iam prima propoſitio Maior in §. 19. nempe quod implicet intellectus non proponens aliquam rationem boni cognoſcenti probatur, communiter ex eo quod implicet intellectus, qui non tendat ſub ratione veri vniuerſaliter, qui cognoſcitiuus non ſit omnis veritatis aſſimabilis. Quale eſt bonum cognoſcenti, ſeu quod aliquid ſit cognoſcenti bonum & conueniens (ſiquidem omni ſubſtantiæ bona eſt ipſius conſeruatio, duratio, &c.) vniuerſalitas autem intellectus vt repugnet intellectus, qui non ſit cognoſcitiuus omnium entium, & veritatum ſuadetur ex ipſa definitione intellectus, *qui definitur potentia omnium cognoſcitiua.* Secundò, quia intellectus neceſſario eſt ſpiritualis & conſequenter eſt liber ab omni materia. Ergo & ab omni limitatione vt cognoſcat hæc tantum obiecta; iſta conſequentia ſuadetur, quia coarctatio ad cognoſcendum venit à materia. Ergo potentia quæ nullam habet materiam ad omnia cognoſcenda ſe extendet ſine vlla limitatione. 21

Probatio inefficax.

Licet

Diſplicet.

Licet iſtæ probationes pro vniuerſalitate intellectus vt omnia cognoſcat non placeant, quia prima petit principium; Secunda illud non ſatis explicat; quamuis enim carere materia corporeâ, ſeu ipſi repugnare quando eſt titulo perfectionis vim cognoſcendi arguat in ſpiritualibus, vt dixi in tract. de ſcient. Dei, non ideo puritas ab omni labe materiæ corporeæ dabit omnem vim cognoſcendi, neque enim vnus Angelus eſt incorporalior altero, quantumuis ſit magis cognoſcitiuus. Nihilominus vniuerſalitas iſta in intellectu probabilior admitti poteſt à paritate voluntatis, quæ limitari cum fundamento nequit vt hanc bonitatem ſibi vt conuenientem propoſitam amet, non vero aliam, ſimiliter propoſitam; item exemplo ipſius intellectus, qui ſi iudicat de hoc obiecto apprehenſo, etiam iudicabit de alio ſimiliter apprehenſo: ly enim *eſt* quod includitur in enunciatione, & homogeneum eſt in omni propoſitione, quid namque refert ſi ſemel apprehendas Angelum dicere *Angelus eſt Angelus*; quam *Deus eſt Deus* poſita huius apprehenſione: item ſub ly *eſt* implicite imbibitur *omne ens* ſeu identitas. Iam apprehenſio, quæ ad iudicium non ordinetur indecens eſt excellentiæ ſpiritualitatis, vnde ſicut omne immateriale quod titulo excellentiæ tale eſt ſeu *ſpirituale* neceſſario eſt *cognoſcitiuum*, (quamuis non implicet immateriale ita imperfectum quod cognoſcitiuum non ſit vt dixi in tract. præced.) ita debet eſſe *iudicatiuum*: alias non erit titulus euehendi gradum ſpiritus ſupra Corpus: vide omnino dicta tractatu præced. diſp. 34. Ergo intellectiuum, quod neceſſario ſonat gradum ſpiritualem debet eſſe iudicatiuum. Ergo ſaltem confuſe attingere rationem communem entis; Etenim ly *eſt* nec apprehendi poteſt, quin rationem eſſendi genericam innuat vt dixi; potentia autem, quæ ſaltem in communi, & confuſe attingit rationem communem eleuari poteſt ad particulares diſcernendas; hinc intellectus noſter probatur eleuabilis ad cognoſcendum, & diſcernendum quidditatiue Deum.

Non poteſt cum fundamento admitti intellectus ad peculiare verum determinatum.

23 Hæc quidem probabiliter dicta ſint de quibus latiùs in opere philoſophico, modo hanc probationem maioris in §. 21. non iudico ſufficientem, tum quia certior debet eſſe connexio intellectûs cum voluntate, quam ſit vniuerſalitas intellectûs ad omnia; vnde quantumuis iſte limitatus fingatur adhuc ſemper inferet appetitum elicitum; tum etiam quia probandum eſt non ſolum de intellectiuo, ſed de omni cognoſcitiuo quod connexum ſit cum appetitiuo; vt patet ex ratione S. Thomæ: Certum autem eſt loquendo de cognoſcitiuo materiali limitatum eſſe ad peculiaria, & determinata obiecta verbi gratia materialia, vel colorata.

S. Thom.

24 Aliter igitur mihi probo maiorem illam in §. 21. nempe implicare cognoſcitiuum, quod non proponat, & repræſentet obiectum vt bonum conueniens cognoſcenti. Implicat quod aliqua cognitio quantumuis ſpeculatiua ſit, non proponat formaliter obiectum vt identificatum cum cognoſcente. Ergo vt coniunctum cognoſcenti, quid enim magis coniunctum, quam quod identificatum eſt. Ergo vt conueniens cognoſcenti, quid enim magis conueniens alteri, quam quod ita coniunctum eſt vt identificatum ſit; ita enim maxime concipitur vt deſeruiens rei conſeruationi, & exiſtentiæ, in quod præcipue res inclinat vt in optimum ſui bonum non ſolum conueniens; ſed neceſſarium omnino. Iam vero quod omnis cognitio quantumuis ſpeculatiua proponat obiectum vt identificatum cum cognoſcente ſuadetur: omnis cognitio eo ipſo quod reddat cognoſcens ſubiectum notificat illi ſeipſam; non quidem clare, & explicite quoad quid eſt, ſed quoad an eſt, *cognitio enim cognoſcentem ipſum latere non poteſt* quid mihi cognoſcenti notius, quam me cognoſcere? Si autem me cognoſco ſemper, & per quamlibet cognitionem, manifeſte implicabit cognitio, quæ non proponat aliquod obiectum, vt identificatum mecum, quid enim magis identificatum mihi, quam ego ipſe?

Specialis probatio ex Auctoris mente.

Quantumuis ſpeculatiua cognitio ſit, non poteſt non, vt boni cognoſcenti obiectum proponere.

Cognitio cognoſcentem latere non poteſt.

Explicatur, & confirmatur argumentum. Omnis cognitio, ſeu omnis cognoſcens eo ipſo quod cognoſcat, cognoſcit ſe ipſum. Ergo poteſt amare ſe ipſum conſequentia patet ex §. 20. & 24. nam quilibet ſibi repræſentatur vt amabilis à ſe, & vt ſibi bonus, *qui enim ſibi nequam eſt cui alij bonus erit?* Eccleſ. 14. v. 5. imo cætera omnia eatenus bona, vel mala proponuntur, quatenus apparent conuenientia, vel diſconuenientia cognoſcenti; vti etiam in phyſicis illud in re eſt bonum, & terminus appetitus innati, quod phyſicè conuenit tali rei. Ergo quaſi maximum, & primum bonum cognoſcenti propoſitum eſt ipſe ſibi; quod etiam perſpicuum eſt ex appetitu innato, qui maxime eſt in conſeruationem ipſius rei innatè appetentis, ſic maxime refugit natura *non eſſe*, vt quælibet res naturaliter exigat conſeruari. Tunc ſic ſed vt ſatis conſtat ex §. 20. bonum quod ſit tale vi cognitionis non poteſt terminare appetitum innatum, ſiquidem per ſe non mouet per ſuam realitatem, ſed ſolum per apparentiam, vt eodem pacto moueret, licèt verè & phyſicè à parte rei non daretur quod innato appetitui improportionatum eſt. Ergo ſi omnis cognoſcens repræſentat ſeipſum poterit etiam ſe amare. 25

Eccleſ. 14. verſ. 5.

Omnis ſe cognoſcens ſe amare poteſt.

Iam vero quod omnis cognoſcens ſeipſum cognoſcat etiam quando dicit hanc veritatem purè ſpeculatiuam, & mathematicam. *Tria bis ducta ſunt ſex*: Probatur, iſte cognoſcit ſe cognoſcere tum quia implicat me cognoſcere obiectum hoc, & ſimul iudicare illud mihi eſſe ignotum, me nihil cognoſcere actu, ſi enim etiam tranſacto hoc iudicio, conſtat mihi me cognouiſſe, vt id negare nequeam à fortiori id negare nequibo quando actu exerceo illud iudicium ergo ſignum eſt me non tantum cognoſcere illam veritatem mathematicam, ſed etiam aliquo modo ipſum exercitium cognoſcendi, etenim id tantum negare non valeo cuius contradictorium affirmo. Tum etiam quia dum cognoui eam veritatem non minus præſto ſum, ſi interroger, vt affirmem me cognouiſſe talem veritatem, quam vt reddam rationem directam de tali veritate. Vnde ſicut ex hac memoria colligitur me cognouiſſe prædictam veritatem, quia memoria non eſt niſi cognitorum, ita ex ſimili memoria colligetur quod me ipſum cognoſcentem cognouerim. Tum denique quia omnis cognitio formaliter, vel confuſe conſignificat tempus, hoc eſt declarat cognoſcenti eius obiectum eſſe actu præſens, præteritum, aut futurum; Ergo vel expreſsè, vel confuſe verbi gratia propoſitio quæ dicit: *Petrus currit*: (idem de aliis cognitionibus) ſupra ſe reflectit, & dicit: *Nunc actu dum cognoſco*; ſiue: *in inſtanti mihi coexiſtenti Petrus currit*; etenim niſi hoc addat cognitio, nihil de præſentia, & actualitate rerum poterit eſſe notum cognoſcenti, obſcurum adhuc manebit ſit ne curſus Petri in hoc *nunc* & præſentialitate vrgente 26

Omnis cognitio reflexa diſcernit inſtans in quo exiſtit.

an in alio *nunc* diſtanti. Nec refert ad diſcernendam præſentialitatem quod determinatè cognoſcat, & dicat in hoc nunc A, quia adhuc obſcurum erit, detur ne tale *nunc* A, & vrgeat proximè, an diſtanter. Ergo neceſſariò cognitio diſcernens præſentialitatem dicit: *in hoc nunc in quo ſum*: ſeu *in inſtanti mihi coexiſtenti*: Ergo qui cognoſcit quantumuis reddat purè ſpeculatiuè cognoſcit ſe cognoſcere: ergo cognoſcit ſeipſum.

SECTIO IV.

Illuſtratur ratio poſita expeditis obiectionibus, quæ contra ipſam opponi poſſunt.

27 *Primum argumentum.* QVæ communes ſunt pro poſſibilitate intellectiui non volitiui exponam ſeq. modo pro maiori illuſtratione doctrinæ ſuperius datæ obiici poteſt primò non eſſe opus vt omnis cognitio ſupra ſe reflectat quia communiter dicitur quod cognitio ſolum ſe cognoſcat in actu exercito, cognoſcere autem in actu exercito nil aliud eſt, quam eſſe exercitium cognitionis, ſeu via, qua cognoſco, quod nullam notitiam dat, vt poſſit quis rationem reddere de ipſa cognitione reflexe; ſicut *diſſenſus* eo quod ſit exercitium diſſentiendi nullo modo ſibi diſſentitur. Odium non dicitur vllo modo ſupra ſe reflectere vt oderit ſeipſum. *Confirmatur primò.* Confirmatur primo aliud eſt diſſentire obiecto, aliud diſſentire reflexe ipſi diſſenſui, vt per ſe patet, ergo ſimiliter aliud eſt cognoſcere obiectum, aliud cognoſcere ipſam cognitionem. *Secundò.* Confirmatur ſecundò, ſæpè opus eſt, vt de nouo quis vtatur peculiari attentione, & conſideratione reflexa, vt cognoſcat ſe cognouiſſe, vt patet in ſcrupuloſis quando anxiantur habuerint-ne dubitationem circa myſteria fidei, vel non. Si autem ipſa cognitio manifeſtaret exiſtentiam ſui, ſimiliter cognitio dubitatiua, ſine alia reflexione ſe manifeſtaret.

28 *Diſſoluitur. Quid intendatur, dum dicitur cognitio ſe exercitè cognoſcere.* Ex hac obiectione magis confirmo meam ſententiam. Nam dum dicitur quod cognitio ſe cognoſcat in actu exercito non intenditur præcisè quod ſit exercitium, & via cognoſcendi, hoc enim habet diſſenſus, quo diſſentio, verbi gratia, Deorum pluralitati, nec tamen ſibi in actu exercito diſſentit, imo potius aſſentitur, qui habet talem diſſenſum: Ergo dum cognitio dicitur ſe in actu exercito cognoſcere, & non in actu ſignato ſolum excluditur quod ſe cognoſcat quoad quid eſt, vel quoad an eſt clarè, & admittitur ſe cognoſcere implicitè, vel confusè ſeipsâ vt per ipſum exercitium cognoſcendi, ideoque in actu exercito. Vnde ſatis patet ad obiectionem. *Reſpondetur ad primam confirmationem.* Ad primam confirmationem conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, quæ nimium probat, probat namque quod cognitio non ſe cognoſcat, neque in actu exercito, & quod nemo poſſit habere notitiam ſuæ cognitionis vllam, niſi per diſtinctam reflexionem; ſiquidem ſui diſſenſus nullum diſſenſum habet per ipſum actum diſſentiendi vt patet. Igitur eſt diſcrimen quod potius meam ſententiam confirmat, nam quia cognitio eſt cognitio ſui, ſeu aſſenſus de ſua exiſtentia nullo modo poteſt ſibi diſſentire, non ſolum per eundem actum, ſed nec per diſtinctum in illo eodem inſtanti, in quo cognitio datur (quantumuis iſta ſit diſſentiua obiecto) hoc autem non impedit nec cogit dicere quod indigeat diſtincta cognitione, vt ſe cognoſcat; imò manifeſtè conuincit oppoſitum, vt conſtat ex dictis. *Ad ſecundam.* Ad ſecundam confirmationem reſpondeo illam anxietatem in ſcrupuloſis non eſſe ſignum, quod cognitio ſiue dubitatiua ſit, ſiue diſſentiens, ſiue aſſentiens ſeipſa non ſe oſtenderit, ſed quod poſtea eius memoria variis cogitationibus deleatur; quare ſcrupuloſus non dubitat quando actualiter illam dubitationem habet, ſed poſtea anxiatur an habuerit. *Vnde procedat anxietas in ſcrupuloſis.*

Obiicitur ſecundo: Amor, ſeu actus amandi nullo modo ſupra ſe reflectit vt ſe amet. Ergo ſimiliter cognitio non erit cognoſcitiua ſui, nec ſe vllo modo cognoſcet. Conſequentia à paritate eſt euidens, etenim omnia ſigna quæ indicant reflexionem in cognitione militant pro amore. Antecedens etiam videtur clarum, nam quando quis amat nil cogitat de ipſo amore, ſed ſolum proponit bonitatem obiecti, (bonitas namque diuina præcisè cognita, bonitas increata præcisè viſa ſufficit imo cogit ad amorem) At nil poteſt eſſe volitum, quin præcognitum: ergo quando amatur obiectum non eſt opus vt ametur ipſe actus amandi. Confirmatur primò gaudium de obiecto non eſt gaudium ſuiipſius, ſiquidem certum hic eſt quod nulla ſit cognitio proportionata vt quis poſſit gaudere de ſuo gaudio, nullaque præcedit cognitio ſufficiens, nam ad gaudendum cognitio proportionata eſt, quæ ſupponit præſens, & poſſeſſum bonum, de quo eſt gaudium, pro illo autem priori, pro quo præcedit in Beato, verbi gratia, cognitio de Deo poſſeſſo de quo gaudendum eſt, nondum ſupponitur habitum ipſum gaudium; & conſequenter non datur præcognitio ſufficiens, vt gaudium ſit reflexe de ſe: Ergo nec amor ſupra ſe reflectit: ergo nec cognitio. Confirmatur ſecundò à contrario, amor quando exercetur ſi experientiæ credamus æquè patet amanti, ac cognitio non latet cognoſcentem; quis enim quando actu amat dubitat an actu amet? At hæc tota manifeſtatio amoris vt actu exiſtentis non fit per ipſum amorem, iſte enim cæcus eſt, nec ſe videre poteſt: Ergo per actum diſtinctum cognitionis conſequentis, & reflectentis ſupra amorem habitum, dixi cognitionis *conſequentis*, nam cognitio præuia quæ proponit obiectum amandum non poteſt iudicium ferre de exiſtentia amoris, qui nondum eſt, maximè quia ſi ſit liber fortè non erit: Ergo ſimiliter cognitio, & notitia qua patet actus cognitionis dum habetur non continget per reflexionem eiuſdem cognitionis ſupra ſeipſam, ſed alterius reflectentis ſupra primam. 29 *Secundum argumentum.*

Etiam obiectio iſta amplius roborat meam ſententiam: Nam manifeſtè voluntas dum ſe determinat ad amplectendum obiectum maximè ad amorem ipſum ſe determinat, non ſolum *vt quo* quatenus eſt exercitium amandi, nam odium eſt exercitium nolendi, nec tamen eſt odium ſuiipſius, ſed quatenus eſt ſaltem in confuſo ad ſe etiam vt ad terminum *ad quem*; tenditque reflectendo ſupra ſe. Ad obiectionem, quæ contra hoc fit: Reſponderi poteſt eo ipſo quod obiectum repræſentetur vt bonum ſaltem in confuſo apprehendi vt amabile; nam vt concipiatur vt bonum non ſufficit cognoſcere quod ipſi nihil deſit; etenim veritates Mathematicæ ſine defectu ſunt, nec tamen vt bonæ repræſentantur: Ergo licèt bonitas increata trahat voluntatem cognita ſemper neceſſariò connotat amorem, quo digna eſt, concipiturque vt amabilis. Deinde licèt ad amandum quaſi in actu ſignato explicitè ipſum amorem opus ſit cognitione, ſecus ad amandum exercitè, & confusè modo explicato. Vnde etiam patet ad pri- 30 *Potius fauet.* *Ad amandum exercitè amorem opus non eſt cognitione.*

mam

mam confirmationem gaudium de obiecto non eſt quidem gaudium explicitum ſui, benè tamen implicitum, confuſum, ſeu exercitè; quod ſentio non ſolum de gaudio, ſed de quolibet amore, odio, vel triſtitia, nam voluntati non diſplicet, ſed potius placet ipſi dolor, licèt diſpliceat materia doloris, pulchrè Aug. 9. Trin. c. 10. *eum, & illa, quæ odimus rectè diſplicent, recteque improbantur, approbatur eorum improbatio*; vti intellectus diſſentitur obiecto falſo, non tamen ipſi diſſenſui. Ad ſecundam confirmationem ſiquis diceret omnem amorem quantumuis cæcum circa obiectum, eſſe tamen ſuiipſius cognitionem non facilè impugnaretur. Si autem hoc paradoxum exiſtimes, dico ſtatim pullulare cognitionem reflexam, qua amor ſe prodat, quæ cognitio fruſtra fingetur per cognoſcenda cognitione habita; nam lux ſpecialiter habet quod non indigeat illuminari per aliam lucem.

31 *Tertium argumentum.* Obiicitur tertiò licèt cognoſcenti ſpirituali, & intellectiuo permittatur iſta reflexio, quia intellectus reflexiuus eſt, at hoc non permittendum cognoſcenti materiali; maximè enim materialitas impedit reflexionem, diſtinguiturque intellectualis vita à ſenſitiua, & materiali, ipſique ſupereminet eo quod ſenſitiua reflectere nequeat ſupra ſuam cognitionem: *Eſt igitur ſupremus, & perfectus gradus vitæ* (ait D. Thom. 4. contr. Gent. cap. 11. paulò poſt init.) *qui eſt ſecundum intellectum: nam intellectus in ſeipſum reflectitur, & ſeipſum intelligere poteſt.* Quid quod vel in ſcientia Dei reflexio ſupra ſeipſam pluribus difficilis ſit vt dico diſput. 38. ſect. 2. de ſcientia Dei: Ergo neutiquam concedenda eſt cognoſcenti non intellectiuo: Ergo generaliter loquendo de omni cognoſcitiuo non eſt neceſſarium, vt appetitiuum ſit. Confirmatur, quia actus materialis reflectit ſupra cognoſcentem: ergo anima hominis dum ſentit ſupra ſe reflectet ex quo fiet vt actus materialis ſaltem in confuſo attingat aliquid ſpirituale. Iſti confirmationi vno verbo dico cognitionem de re ſpirituali non repugnare ſenſioni materiali dum purè eſt in actu exercito, vt hic. Deinde principali obiectioni reſpondeo: intellectus præſtat ſenſui eo quod ille in actu ſignato & explicito directè poteſt tendere ſupra ſuam cognitionem, quod brutis, & materialiter cognoſcentibus non euenit; at implicitè, & confusè negari, cum ipſis concedenda ſit memoria vt patet ex S. Thom. 1. part. qu. 78. art. 4. in corp. Memoria autem eſt cognitorum recordatio, ſeu præcedentis, & præteritæ cognitionis recognitio: Ergo etiam permitti poteſt iſta reflexio ad appetendum ſe ſufficiens.

Materiale cognoſcens ſe implicitè cognoſcit S. Thomas.

32 *Quartum.* Sed hic obiicitur quartò quod iſta reflexio quantumuis admittatur ſit inſufficiens vt cognoſcens hoc pacto ſeipſum ſe amare poſſit: nam non cognoſcit ſe reduplicatiuè, & formaliter vt bonum ſibi; non autem ſufficit ad amorem quod repræſentetur illud, quod bonum eſt, niſi etiam vt bonum formaliter cognoſcatur; quod adeo verum eſt vt ipſæ perfectiones ornantes ſubſtantiam cognoſcentem, ipſique maximè conuenientes, & neceſſariæ vt prædicta ſubſtantia conſeruetur, nondum appareant vt bonæ ſufficienter ad excitandum amorem; quoties namque contigit quod quis ſpernat ſuam perfectionem, & vitam ipſi; ingrata ſit?

Diſſoluitur. Reſpondeo ipſum conceptum *conuenientis ſibi*, conducentis ad ſeipſum, neceſſarij ad ſui conſeruationem eſſe ex terminis rationem boni inclinantis appetitum vbi aliud bonum præponderantius illum in oppoſitum non vincit; vt tanquam primum principium per ſe notum dicat Apoſt. Eph. 5. v. 29. *Nemo vnquam carnem ſuam odio habuit*; vnde vel ipſi qui vitam ſuam ſpernunt id ſit ſub ſpecie alicuius conuenientiæ ſibi, vt adnotat S. Aug. lib. 3. de lib. arbitr. cap. 8. Ergo cum prorſus implicet expreſſius repræſentari bonum conuenientiæ, quam ſit in identitate ſui ſecum, vel fatendum eſt apprehendi aliud bonum oppoſitum magis præponderans, in quo euentu circa hoc arguetur appetitus, vel immediatè in ſeipſum, ſeu in ipſum cognoſcentem proſequendum appetitus inclinabitur.

Cognoſcens ſe materialiter ſe amare poteſt.

33 *Quintum.* Obiicitur 5. admiſſa inclinatione iſta in hoc bonum, at elicitam non eſſe, ſed ſufficere innatam, vnde ex cognoſcitiuo, ſeu intellectiuo non inferetur volitiuum quod elicitum appetitum ſignificat. Quod autem ſufficiat innata inclinatio hinc oſtenditur, quia omnis res ſatis per ſe, & naturaliter inclinata eſt in ſui conſeruationem, refugitque *non eſſe*. Ergo pro bono, quod per hanc cognitionem ſupra ipſum cognoſcentem reflexam datur, alius appetitus ab innato neceſſarius non eſt. Confirmatur appetitus nouus ſolum colligitur ex eo quod detur nouum bonum, ſi enim bonum nouum non eſt ſatis conſtituitur appetibile, ſeu amabile per antiquum appetitum. Tunc ſic, ſed bonum quod apparet titulo cognitionis reflectentis ſupra cognoſcentem, ſola eſt exiſtentia, conſeruatio, & coniunctio cum cognoſcente, quæ terminus eſt appetitùs innati; ergo non petet, nec arguet nouum appetitum ab innato. Confirmatur ſecundò, quia quantumuis concedatur titulo cognitionis dari nouum bonum, (licèt non diſtinctum realiter ab antiquo ad quod tendit appetitus innatus, at nouum id eſt *diſtinctum* formaliter, ſeu nouiter exiſtens) quantumuis inquam hoc concedatur; etiam datur nouus appetitus, ſed innatus, ipſa enim cognitio eſt nouus appetitus innatus in bonum ſuum, ſiquidem omnis res appetit ſuum bonum: Ergo nunquam ex hoc argumento ſatis probatur intellectiuum cum volitiuo connecti.

34 *Appetitus innatus non tendit ad bonum intentionale.* Hæc obiectio ſtatim nullius roboris apparebit ſi conſiderentur, quæ dixi §. 20. licèt bonum phyſicum idem in re ſit cum intentionali, adhuc ad hoc debet dari peculiaris appetitus, quia per ſe loquendo bonum intentionale vt tale à phyſico diſtinguitur, neque realitatem vllam ex parte obiecti requirit, quidquid enim in re ſit dum tamen eodem modo cognoſcatur bonum intentionale perinde ſe habet ad eruendum appetitum, ſicut è contra ſi non cognoſcatur realitas phyſica boni nil motionis auget: Ergo dandus eſt, & arguendus appetitus, qui per ſe realitatem non expoſcat in bono, quod appetit; hoc autem in appetitu innato non inuenitur. Vnde etiam ad confirmationem reſpondeo: exiſtentia & conſeruatio, in quam tendit appetitus innatus cognoſcentis eadem eſt realiter, & verè cum conſeruatione quam appetit elicitus, at diuerſa eſt per ſe, & formaliter loquendo, quatenus eadem ratione moueret, ſi perſiſteret in cognitione, & per impoſſibile deficeret in re. Ad ſecundam confirmationem dico dari quidem titulo cognitionis nouum appetitum innatum, ſed non in bonum cognitum, neque enim cognitio innatè appetit per ſe bonum, quod repræſentat, cum ſolum appetat proprias, & phyſicas perfectiones, & paſſiones, ſicut aliæ res. At in præſenti diſcurſus connexionis intellectiui cum volitiuo procedit ex appetitu, qui ſequitur ad bonum cognitum.

SECTIO V.

Iudicium, & ſolutio ſententiarum in ſectione ſecunda, & de earumdem fundamentis.

35 *Diſplicet. 1. fundamentum pro vera ſententia in ſect. 2.*

PRima vt patet ex huc vſque dictis veriſſima eſt; non tamen firmè fundata communibus fundamentis. Primum pluribus vacillat. Quis enim regulam ſtatuat vt res dicatur vel non conſtituere nouum ordinem? nouus ordo eſt materialis, in materialibus eſt ordo. *Elementorum: mixtorum viuentium.* In viuentibus vegetantium, ſenſitiuorum, rationalium, quælibetque eſſentialis mutatio iure nouus rerum ordo vocari poteſt. Iam quot ſunt ſpecies, imo genera eſſentialia rerum non productarum? Igitur non produxit omnes ordines particulares rerum; Si autem ordines generatim accipias, ſic intellectiuum purum non faciet nouum ordinem, ſed ad ordinem ſubſtantiæ ſpiritualis pertinebit neque refert quod tale intellectiuum ſit inferius homine, non enim ideo producendum eſt. Neque enim natura exigit ne ſit in perfectione infima, alioqui Angelus, qui nunc infimus exiſtit exigeret produci alium inferiorem ne ipſe in gradu Angelico infimus ſit, & à fortiori Deus alium Angelum ſupra ſupremum de facto, exigeret ne exiſtimet quis excellentiam Dei ſolum præſtare illi Angelo, qui nunc ſupremus eſt.

36 *Secundum firmum eſt.*

Secundum fundamentum firmatum ex §. 20. roboris eſt; vt ſcilicet ſicut omne bonum eſt amabile ab aliquo, ita bonum quod præciſe tale eſt cognoſcenti ab illo amabile ſit: alias nunquam, & à nullo eſſet amabile, cum nulli alij bonum ſit.

37 *Tertium debile.*

Tertium fundamentum debilius eſt nam imprimis deſiderium de bono cognito vt impoſſibili implicat quod excitet gaudium. Deinde eſt diſcrimen ne detur potentia deſiderandi ſine potentia gaudendi, bene tamen cognitio ſine amore; quia potentia amandi bonum abſens (ſeu deſiderandi) imbibit etiam potentiam repetendi amorem ſub eadem ratione boni etiam cum præſens fuerit illud obiectum, nam non amittit, imo perficit ſuam bonitatem ob præſentiam: repetitio autem amoris in circunſtantia præſentiæ cognitæ neceſſario eſt gaudium. At potentia amandi diuerſum actum imbibit à potentia cognoſcendi, quare hæc integra intelligitur ſine illa. Vnde licèt in ſubſtantia, quæ ſemel probatur volitiua æquè cognitio boni inclinet ad amorem, ac boni deſiderium ad gaudium, ſed nondum probatur quod ita abſolutè loquendo neceſſum ſit vt cognitio fundet amorem, ſicut actus amoris, & deſiderij fundant gaudium de re præſenti. Ad confirmationem ſimiliter quis dicere poterit. Si clarè non penetrentur præmiſſæ benè poſſe dari potentiam ad præmiſſas, quæ non valeat ad concluſionem: Si autem omnino penetrentur, tunc idem eſſe obiectum concluſionis, & præmiſſarum, eſſeque aſſenſum concluſionis quaſi repetitionem præmiſſarum quæ deficere nequit potentiæ valenti ad primum actum, nam in rebus creatis potentia, & cauſa ad vnum effectum ſemper valet ad alium ſimilem. At amor nunquam eſt ſimilis cognitioni, vt dixi.

38 *Quartum exile eſt.*

Quartum fundamentum in §. 10. exile etiam eſt nam ille modus loquendi, quod per cognitionem intellectus poſſideat, & teneat obiectum cognitum metaphoricus eſt, per quem ſolum intenditur, quod obiectum in cognitione exprimatur, in qua nil boni poſſidetur quando cognitio purè ſpeculatiua eſt, ſed ſolum poſſidetur res, qua cognoſcitur, & quæ nil bonitatis vel conuenientiæ affert cognoſcenti; quid enim mea ſi duo bis ducta ſint quatuor? Quod ſi veritas dicitur bonum cognoſcentis ſermo non eſt de veritate obiectiua, ſed formali, ſeu de cognitione vera, ad quam fateor dari inclinationem in cognoſcente, non elicitam, ſed innatam, qualem habet omnis res, & potentia ad ſuam perfectionem. Ex quo nil concluditur pro appetitu elicito; patetque ſolutio etiam ad confirmationem.

Denique abſurda quæ ex oppoſita ſententia inferuntur, vel nulla ſunt vel Principium petunt. 39 *Abſurda illata nulla.*
Primo illa ſubſtantia admittetur ab aduerſariis incapax perfectæ beatitudinis. Quid inde? ſecundo P. Arriaga diſput. 8. de anim. à num. 32. ſect. 2. putat non implicare intellectum ſine voluntate, qui immediatè libere ſe determinet ad aſſenſus probabiles, Ego qui cenſeo implicare, non autumo abſurdum admittere potentiam cognoſcitiuam ſolius veritatis euidentis, vt patet in ſenſibus externis. Tertiò illa ſubſtantia, vel rationalis non erit, vnde non mirum ſi ſit ſicut muta animantia, vel ſi rationalis eius ſecreta omnibus erunt nota, nam iuxta communem ſententiam ſolo titulo Dominij libertatis cordis ſecreta occulta ſunt. Quarto ſi ſubſtantia illa cognoſcens verſetur ſolum circa veritates mathematicas parum vrgebit imperfectio quæ hic obiicitur. Quinto denique ſubſtantia iuxta omnes potius pendet à cognitione dum vult, quam à volitione dum cognoſcit. Ergo ex hoc patet diſcrimen cur potius ſit intellectiuum non volitiuum quam è conuerſo, diſcrimen autem in hoc fundatur quod obiectum voluntatis ſeu appetitus eliciti non eſt bonum in eſſe rei, ſed bonum apprehenſum, & cognitum; hinc licèt omnia in eſſe rei ſint bona non ideo in ipſa omnia inclinatur appetitus elicitus, non æquè in omnia ſimul datur appetitus elicitus & quidem in nullo alio diſtinguitur appetitus elicitus ab innato, niſi quod ille tendit in bonum cognitum, iſte in bonum phyſicum, ſeu quoad eſſe rei. Ergo ſiquidem nequit ferri potentia vitalis niſi in ſuum obiectum, ita nec dari voluntas ſine bono cognito, bene tamen intellectus ſine volito, & conſequenter ſine voluntate, ſiquidem certum eſt quod obiectum intellectus non eſt verum amatum ſeu volitum.

Secunda ſententia omnino eſt reiicienda vel eo 40 *Reiicitur 1. ratio 2. ſententia.*
ſolum quod ſit contra communem ſine vrgenti ratione. Ad primam nego poſſe apprehendi potentiam cognoſcendi ſine potentia appetendi, quia licèt non dependeat illa ab huius operatione, at inclinat in appetitionem, vt patet ex dictis, ſæpè autem vnum eſt connexum cum alio non per dependentiam ſed per connexionem, ſic intentio efficax connectitur cum electione. Quando autem aliquando à nobis concipitur potentia cognoſcendi ſine vllo ordine ad volitionem tunc iſte conceptus inadæquatus eſt, & non ſatis penetrans quidditatem intellectiui; vt ſi quis cognoſceret rationale ſine ordine ad riſiuum.

Ad ſecundam rationem in §. 13. à paritate ſen- 41 *Exploditur ſecunda.*
ſuum exteriorum varie reſponderi poteſt, primò ex doctrina Recentiorum cum P. Hurtado de Mendoza in diſp. de Anim. eſſe in organis ſenſuum ex- *P. Hurtado.*
ternorum appetitum boni præſentis, nam quando caput dolet, ibi experimur dolorem, & fugam appetitiuam, ſimiliter etiam palatum ipſum ſeu lingua

delectatur

delectatur dulcibus cibis, neque enim hominibus minus euidens eſt guſtum ipſum delectari cibis, quam euidens eſt guſtum ſentire ſapores. Reſpondeo ſecundò ſubſtantiam ſenſitiuam in guſtu, verbi gratia, eſſe per ſe appetitiuam, quia homogenea eſt cum appetitiua interna; non autem implicat cognoſcitiuum eſſe in aliquo ſtatu in quo appetere nequeat, dum aliàs ſecundùm ſe poſſit appetere; vt patet caſu quo Deus negaret concurſum ad appetendum homini cognoſcenti. Reſpondeo tertiò de quidditate cognoſcitiui eſt quod appetere poſſit, ſeu quod habeat aliquam potentiam appetendi bonum quod cognoſcit, non autem opus eſt vt ea potentia ſit identificata, vel formaliter indiſtincta à facultate cognoſcendi; quare ſicut non requiritur, nec ex noſtra ſententia cogimur vt ponamus intellectum ipſum volitiuum eſſe, ſed ſufficit ſi volitiuum ſit ſuppoſitum cognoſcens, vt notaui §.6. ita ſimiliter hic dici poteſt; ſic namque ſemper ſtabit firmum quod omnis cognitio boni deſtinetur ad appetitum elicitum illius. Ad confirmationem permittere poſſumus (quod ad præſens attinet) potentiam intellectiuam, quæ volitiua non ſit, dum per eius cognitiones ordinetur ſuppoſitum ad appetendum.

42 *Improbatur tertia.* Ad tertiam rationem generaliter dico omne cognoſcens quantumuis limitatum ad vnum genus cognitionum neceſſario adhuc appetitiuum eſſe, nec vllam cognitionem eſſe poſſe, quæ potentiam appetendi non connotet ex parte rei, licèt ſine appetitione ſæpe ſit. Id oſtendi maximè à §.24. quare admiſſo actu fidei quo quis credat decretum Dei non concurrendi ad vllam appetitionem, potentia tunc cum illo nil appetet, at valebit appetere, ſiquidem eo ipſo oſtendit bonum amabile à cognoſcente, quare connotatur potentia valens elicere amorem in ſenſu diuiſo illius reuelationis, ſeu actus fidei, quod ſi fingas reuelationem non ſolum eſſe de eo quod actu non appetat, ſed quod appetere nequeat, vel ſi fingas illam potentiam intellectiuam limitatam eſſe vt aliud non cognoſcat niſi prædictam reuelationem; tunc petis manifeſtè principium, quaſi diceres vt probes poſſe dari volitiuum ſine intellectiuo, *poſſe id à Deo reuelari*: prius expedienda eſt aliunde poſſibilitas rei ex parte ſua, quam probetur ea ex Dei reuelatione poſſibili, Deus enim reuelat res quia ita ſe habent, quare qui ſentit rem impoſſibilem, ſentit impoſſibilem reuelationem veram, ſeu diuinam de ipſa, & eodem argumento quo euicerit primam impoſſibilitatem, euincet ſecundam. Sic ego ſatis puto ex argumento poſito ſect. præced. apparere repugnantem illam reuelationem Dei, ſiquidem neceſſariò actus fidei proponit bonitatem conuenientem cognoſcenti pro conuenientia autem cognita neceſſarius eſt appetitus elicitus, ne detur bonum, quod nulla ratione amabile ſit: Ergo repugnat intellectus ſoli illi actui fidei alligatus; licèt alias limitationes ei concedamus, quas etiam non poſſe facilè conuinci dixi §.22. quare ad vltimam replicam pro hac obiectione in §.16. dico illam cognitionem quantumuis ſpeculatiuam, & Mathematicam repræſentare rationem boni non quidem in ipſa veritate Mathematica, ſed in ipſo cognoſcente, quatenus ſpeculatiua eſt amorem dirigere non valet, vt bene ait D. Thomas ibi citatus, at quatenus ſupra cognoſcentem reflectit non eſt purè ſpeculatio cum repræſentet rationem boni. D. Thom.

43 *Diſſoluitur quarta.* Ad quartam rationem dico non probari connexionem, ſeu compoſſibilitatem vnius cum alio ex quauis propenſione elicita, hæc enim ſæpè in impoſſibilia inclinat; ſed ex innata, & naturali, cum enim natura nil ponat fruſtra ex innata propenſione ad aliquem terminum rectè probatur huius poſſibilitas, ſic beatitudo probatur poſſibilis ex appetitu innato ad illam ab Scoto; & è contra quia poſſibilis non eſt naturæ beatitudo viſionis Dei Thomiſtæ negant appetitum ſeu propenſionem innatam, at appetitum ſatis permiſi diſput. 22 de viſione. Iam propenſio quæ datur in bonum licèt in actu ſecundo quando bonum eſt intentionale elicita ſit, at in actu primo innata eſt, innatumque & ingenitum eſt naturæ vt nullum bonum ſit quod appetibile non ſit ſaltem ab aliquo, ſicut omne verum eſt cognoſcibile: Ergo inclinat naturaliter omne cognoſcens in appetitionem elicitam boni intentionalis, licèt fortè actu non appetatur vt contingit in fide cognoſcente decretum Dei de non concurrendo ad amorem: ex quo patet ad primam inſtantiam petitam ab hoc actu fidei. Ad 2. propenſio quæ naſcitur ex deſiderio elicita eſt non innata, ſoli autem deſiderio efficaci debetur gaudium, velleitati non debetur nec apparenter. Ad 3. cognitio illa Angeli eſt quidem ſufficiens ex parte illuſtrationis intellectus, ſed non ideò propendet in opus; ſic etiam cognitio diuina de modo quo fit peccatum non propendet in peccatum faciendum, licèt nullam ignorantiam in cognitione permittat. Scotus. Thomiſtæ.

44 *Tertia ſententia falſa eſt.* Tertia ſententia patet falſa eſſe ex dictis §.42. fine nam intellectus nunquam poteſt ita limitari ad veritates ſpeculatiuas quin ſimul rationem aliquam boni proponat repræſentando ipſum cognoſcenti vt dixi ſæpè, ſed contra hanc reflexionem in qua maximè imò vnicè nititur mea probatio pro hac communi, & vera ſententia ſic ſatis vrgenter argui poteſt.

45 *Vrgens obiectio.* Si Petrus, verbi gratia, quando cognoſcit reflectit ſupra ſe, vt ſeipſum cognoſcat; dicatque ſaltem in confuſo: *Ego cognoſco*: Talis cognitio nec diuinitus poni poterit in Paulo, vt per ipſam Paulus cognoſcat: Atqui benè poteſt Paulus cognoſcere per cognitionem eandem, qua cognouit Petrus: Ergo iſta non eſt reflexiua. Conſequentia patet, & minor admittitur communiter, maximè ſi cognitio conſiſtat in qualitate abſoluta, ſicut enim eadem albedo quæ Petrum reddit album poteſt dealbare Paulum, ita & eadem qualitas cognitionis reddere cognoſcentem vtrumuis; imo dici ſolet quod Angeli mali torqueantur ab igne dum diuinitus ipſis infunditur eadem cognitio, quam anima rationalis habet in corpore dependentem à ſenſione vſtiua, per quam cognitionem dum dæmones experimentaliter percipiunt ignem propriè ab eodem vruntur. De quo in materia de Angelis; iam maior ſuadetur quia eadem cognitio non poteſt mutare obiecta, quæ cognoſcit etiam in confuſo nec dicere diuerſas veritates. Si autem Petrus dum cognoſcit, neceſſariò cognoſcit ſe cognoſcere. Paulus dum vtitur illa cognitione etiam dicet de ſe, *Ego Paulus cognoſco*: neque dicere poteſt quod tunc cognoſcat Petrus: Ergo variat obiecta eadem cognitio.

46 Ob hoc argumentum valdè probabile mihi eſt ſicut iuxta omnes indiuiduatur actio tam ab agente, quam à termino, item ipſa cognitio quantumuis in qualitate abſoluta conſiſtat, alligatur determinato abiecto, ita alligari ſubiecto vt eadem cognitio & forma vitalis non ſit indifferens ad diuerſa ſubiecta afficienda & mutanda, ſicut ea mu-

Solutio. tant accidentia non vitalia,& purè phyſica.Sed hoc omiſſo dico duo eſſe genera obiectorum, & veritatum, quas affirmat cognitio, prima eſt quam dicit in actu ſignato, & explicito, & hanc variare non poteſt, quia per ſeipſum qualitas cognitionis eſt actualis, completaque repræſentatio illius, vnde ſicut eadem actio phyſica non variat terminum quem ſemel habet, ita nec cognitio hanc veritatem: ſecunda veritas eſt quam dicit ſolum in actu exercito ſupra tale, vel tale ſubiectum, ad quod cognoſcendum non eſt determinata per ſeipſam, ſed determinatur ex inhærentia vel vnione cum tali ſubiecto, quemadmodum etiam in phyſicis contingit quod actio amandi procedat ex hac, vel illa cognitione non habet actio per ſeipſam complete, ſed completur ex coniunctione cum hac determinata cognitione. Hinc dico cognitio iſta ſpeculatiua: *Duo ter ducta ſunt ſex* nunquam poteſt non repræſentare hanc determinatam veritatem. Si tamen ſit in Petro in actu exercito notificat Petrum, ſeu cognoſcit Petrus per illam ſe cognoſcere; ſi in Paulo notificat iam Paulum,& non Petrum. Simile quid contingit in cognitione diuina, qua Pater æternus cognoſcit: *Ego ſum Pater* illa enim eadem ſcientia Dei poſita in Filio dicit, Ego ſum Filius, & non ſum Pater; quam particularitatem, & differentiam repræſentandi habet illa ſcientia ex coniunctione ad diuerſa ſuppoſita, per quæ determinatur, & quaſi completur in ratione ſic ſignificantis; vt latiùs dicam in tract. de Trinit. vbi opportunior redibit occaſio verſandi hoc argumentum.

Licèt cognitio variare non poſſit veritatem explicitam, ſecus tamen implicitam.

DISPVTATIO LVII.

An & quomodo voluntas Dei ab eſſentia diſtinguatur?

SECTIO I. *An & quomodo voluntas Dei ab eſſentia diuina diſtinguatur. Authorum ſententiæ proponuntur, & ſoluuntur eorum fundamenta.*

SECTIO II. *Voluntas diuina ex parte obiecti non diſtinguitur ab eſſentia Dei.*

SECTIO III. *Statuuntur duæ aliæ concluſiones pro indiſtinctione voluntatis diuinæ ab eſſentia Dei.*

Vide ſupra diſput.17 & diſput.36.

LICET ſæpè egerim de conſtitutiuo Diuinæ eſſentiæ; materia tamen iſta adeò fæcunda diſcurſibus eſt Theologicique muneris propria, vt non ſufficiat eam generaliter definiuiſſe, de quo plura dixi tract.2. de eſſentia & attributis diſput. 17. per totam: ſed etiam conueniens ſit ſub peculiaribus attributis eam ſic determinari, quod etiam præſtiti tract. præced. de ſcientia Dei; tum quia maximè in perfectione ſcientiæ diuina eſſentia conſtituitur: tum etiam quia communiter quæſtio præſens ad tractatum de ſcientia Dei reduci ſolet, & agitari. Quæ duplex ratio in præſenti etiam mihi motiuo eſt, vt idem de voluntate Dei diſquiram, & quia in hoc tractatu à pluribus diſquiritur; & quia ſpecialem habet difficultatem diuina voluntas, vt ad conſtitutionem diuinæ eſſentiæ admittatur; communiter namque inter ſecundarias Dei perfectiones numeratur; præcipuè ſi non ſolum ex natura rei, ſed ratione loquamur. Statuta exiſtentia voluntatis Dei qualis illa ſit per totum hunc tractatum diſquirendum eſt; hoc autem explicato duplici eius conceptu maximè præſtabitur, ſcilicet qualis ſit in ſe,& vt ad ſubiectum, in quo eſt, comparari poteſt; ſecundò qualiter reſpiciat obiecta, quæ amare, vel odiſſe valet, ſimili modo id examinauimus tract. præced. de ſcientia Dei, ſimillima namque ſunt hæc attributa, licèt in voluntate Dei explicanda plura reſtent ſpecialem difficultatem, imo inſuperabilem fere, ſi de voluntate libera loquamur, continentia; ſpecialia hæc ſolum in præſenti attingam ad præcedentem tractatum Lectorem remittens, vt quæ ibi dicta, & examinata ſunt, legique poſſint hic ſine vtilitate non tranſcribantur: non eſt autem putandum ſcripta reperi, dum eædem quæſtiones, quas de ſcientia expoſui, de voluntate etiam excitantur; nam ſub eadem diſputationis inſcriptione valdè diuerſæ difficultates expediendæ ſunt, & proprietates, quæ in ſcientia facilè admittuntur non ſine magno diſcurſuum ſumptu commodè applicari poſſunt voluntati Diuinæ: plura quæ pro præſenti diſput. dici ſolent omittam, quia ea ſatis conſtare poſſunt ex dictis in tract. de eſſentia, & attrib.

SECTIO I.

An & quomodo voluntas Dei ab eſſentia diuina diſtinguatur. Authorum ſententiæ proponuntur & ſoluuntur.

P. Georgius Hemelman multis intendit probare voluntatem Dei eſſe extra conſtitutiuum formale eſſentiæ diuinæ, tom. 2 in 1. part. tit. 4. ferè per totum, maximè verò per tres priores diſputationes quas per 35. capita diuidit eruditionis omnigenæ fæcundiſſima. At pro iis omnibus facilè ſolutionem inuenies ſi conſulas, quæ dixi diſp. 17. ſect. 6. explicans qualiter nulla perfectio Dei ſimpliciter ſimplex, & neceſſaria ſit, quæ excludi debeat à formali conſtitutiuo Deitatis ſpecialiter autem id oſtendi in volitione ſect. 7. & quidem ſi loquamur de diſtinctione ex natura rei, ſiue formali, ſiue virtuali intrinſeca, certum eſt ex fusè dictis diſput. 15. neutiquam voluntatem, nec volitionem neceſſariam ab eſſentia diuina diſtingui, ſiquidem nulla huiuſmodi diſtinctio intercedere poteſt inter perfectiones Dei neceſſarias (exceptis relatiuis inter ſe.) At admiſſa adhuc diſtinctione hac ſi loquamur ex natura rei voluntas eſt de conſtitutiuo formali, & virtuali intrinſeco eſſentiæ Diuinæ, & loquendo per conceptus noſtros, & ex modo noſtro concipiendi rationis ratiocinatæ cum fundamento in re voluntas neceſſaria (aliter dicendum de libera vt loco citato conſtat) eſt de formaliſſimo conſtitutiuo Deitatis vt probaui ex profeſſo in tract. de eſſentia & attribut. diſput. 17. ſect. 7. 1

P. Hemel.

Sed videamus modo quid alij obiiciant præter dicta loco cit. & obiecta contra noſtram opinionem, in ſola intellectione conſiſtere eſſentiam Dei, ac proinde volitione non conſtitui latè tuetur P. Hemelman innumeros pro hac ſententia Authores referens ſupra tit.4. diſp.1. cap.2. num. 4. ſpeciatim autem volitionem excludunt Suarez diſp. 30. Met. ſect.16. num. 16. Salas 12. tract. 2. diſp. 2. ſect.5. 2

Sententia excludens voluntatem Diuinam à conſtitutiuo formali eſſentia. P. Hemel. P. Suarez.

P. Salas. P. Faſol. P. Herice. P. Alarcon.

ſect.5.num.1. prope finem. Faſol.1. part.quæſt.4. artic. 1. Herize tractatu de volunt. diſputat. 12. capit. 2. & Alarcon quamuis intellectio eſſet de eſſentia Dei, quod ipſe inficiatur, tamen volitionem non debere reputari vt prædicatum eſſentiale, ſed attributale contendit diſp.1.de voluntate cap.6. à num.5.

3 *Prima pro hac ſententia obiectio.* Arguitur ergo pro excludenda, & diſtinguenda voluntate ab eſſentia. Primo. Nulla proprietas eſſentiæ, vel naturæ eſt de formali conſtitutione eſſentiæ; ſed voluntas eſt proprietas eſſentiæ & naturæ diuinæ. Ergo non eſt de illius conſtitutione. Conſequentia legitima eſt. Maior per ſe nota eſt, nam nomine proprietatis ab omnibus concipitur id quod ad eſſentiam conſequitur, ab eſſentia profluit, in ipſaque radicatur, quæ omnia neceſſario important diſtinctionem; ſic proprietas, quæ talis eſt realiter, diſtinguitur realiter ab eſſentia vti calor diſtinguitur ab eſſentia ignis. Iam minor propoſitio, quod voluntas Dei ſit proprietas naturæ diuinæ ſæpius docetur in ſexta Synodo Generali vbi vti definiuntur in Chriſto duæ naturæ; ita & duæ voluntates, vt quæque natura habeat ſuas connaturales proprietates id patet maxime ex Act. 18. in ſerm. acclamatorio ab conſtant. Auguſt. poſt med. *Quemadmodum* (inquit) *duas percipimus naturas; ita duas naturales voluntates, & duas naturales operationes agnoſcimus, neutram enim earum, quæ Chriſti ſunt naturarum, in eius diſpenſatione audemus abſque voluntate, vel abſque operatione pronunciare, ne fortè earum perimentes proprietates, etiam naturas, quarum ſunt proprietates pariter perimamus.* Confirmatur quia vti voluntas humana dicitur proprietas naturæ humanæ, ita & voluntas diuina diuinæ naturæ, vt manifeſtè patet ex verbis citatis; atqui naturæ humanæ non eſt conſtitutiuum voluntas, ſed ſtricta proprietas naturam conſequens. Ergo idem dicendum de voluntate diuina reſpectu diuinæ naturæ.

Opponitur ſexta ſynod. Gen.

Confirmatio.

4 *Solutio.* Reſpondeo nomine proprietatis ſæpè intelligi id quod proprium eſt cuiuſque licèt ad eſſentiam, & non ad paſſionem pertineat; ſic dicitur quod ſit proprietas, id eſt proprium hominis eſſe rationale, licèt rationalitas de formali conceptu quidditatiuo hominis ab omnibus concedatur; & quidem mens Concilij ſolum fuit damnare Monothelitas qui in Chriſto vnam ſolam voluntatem ponebant, parum quoad hoc conducit ſi dicatur voluntas eſſe ſtricta proprietas, an vero formaliter idem cum eſſentia. Deinde hoc omiſſo ad modum loquendi Concilij ſufficit ſi voluntas diuina per ſpecies accidentis, & aduenientis eſſentiæ Dei à nobis concipiatur, licèt non ideo nec ratione noſtra ponenda ſit vt extra eſſentiam quemadmodum eo quod Deus per ſpecies corporis à nobis apprehendatur non ideo dicitur quod *ſit corpus ratione* noſtra. Ad confirmationem licèt Concilium ſimiliter loquatur de voluntate diuina ac de humana non ideo tu ipſe dices ſimiliter vtramque comparari cum natura cuiuſuis vt proprietatem ſtrictam, ſiquidem iuxta communem ſententiam voluntas humana realiter diſtinguitur à ſua natura quod nemo catholice dicet de diuina voluntate reſpectu deitatis.

Quid aliquando nomine proprietatis intelligatur. Explicatur mens Concilij.

Ad confirmationem.

5 *Obiectio ſecunda.* Arguitur ſecundo imago alicuius eſt illa proprie loquendo, quæ aſſimilatur ei ſecũdum differentiam eſſentialem vltimã. Sed homo, & Angelus quatenus intellectiui tantum, & præciſa ratione volitiui ſunt imago ſeu ad imaginem proprie Dei. Ergo vltima quaſi differentia eſſentialis Dei non eſt volitio, ſed ſola intellectio, & conſequenter volitio eſt extra vltimum conſtitutiuum eſſentiæ Dei. Conſequentia patet. Maior imo totus diſcurſus eſt Diui Thomæ 1.part.quæſt.93. art.2. corpore ibi, *manifeſtum eſt autem quod ſimilitudo ſpeciei* (hoc eſt imaginis; ſimilitudo namque ſecundum ſpeciem eſt quam requirit hic S.Thomas ad rationem imaginis) *attenditur ſecundum vltimam differentiam.* Minor propoſitio, quod ſcilicet rationalis creatura ſolum ſecundum vim intellectiuam ſit imago Deitatis docetur à S. Thoma expreſſe quæſt.93. art.6.corp.in ſua prima parte vbi ſtatuens in ſola creatura rationali inueniri præ irrationalibus imaginem Dei, quatenus irrationales excedit, & in eo in quo excedit illas, hæc habet: *Id autem in quo creatura rationalis excedit alias creaturas eſt intellectus, ſiue mens. Vnde relinquitur quod nec in ipſa rationali creatura inuenitur Dei imago, niſi ſecundum mentem. In aliis vero partibus, ſi quas habet rationalis creatura, inuenitur ſimilitudo veſtigij, nempe quæ non eſt per modum imaginis.* Ergo omnis alia facultas, quæ detur in homine præter intellectiuam non eſt in qua homo refert imaginem Dei, & conſequenter ex dictis Dei quidditas non voluntatem, ſed ſolum intellectum imbibit in ſuo conceptu formali. Confirmatur homo qua etiam volitiuus eſt non eſt præciſe imago Dei *vnius*, ſed etiam *Trini* vnde per voluntatem extenditur vt referat imaginem Trinitatis; At Trinitas vt talis non eſt de conſtitutiuo formali eſſentiæ Dei, alias in qualibet perſona non daretur plena diuinitas, ſiquidem non datur tota Trinitas. Ergo per voluntatem aſſimilari non poteſt homo eſſentiæ Dei; & conſequenter iſta non conſiſtit in voluntate formaliter.

D. Thom.

Iſta obiectio nullius roboris eſt tum quia nititur acceptioni, & ſignificationi *imaginis*, quæ varia eſt & ſæpè metaphoris obnoxia; tum etiam quia toti argumento ſatis fiet eo ſolum quod dicas eſſentiam Dei non concipi, nec apprehendi per ſpecies voluntatis, quando comparatiuè Deus ad res creatas concipitur ſicut à nobis in uiá non concipitur per ſpecies proprias *ſpiritus*, cæterum non ideo Deus nec ratione noſtra excludit ſpiritualitatem ergo nec voluntatem. Hinc ad confirmationem concedo in voluntate humana aliquam analogiam ſpeciali quadam acceptione reperiri ad Trinitatem, cæterum argumentum ex ſenſu allegorico parum firmum eſt in præſenti, ni amplius roboretur. 6 *Satisfactio.*

Arguitur tertio præcipue à priori voluntas ſaltem ratione noſtra, & ex modo noſtro concipiendi ſupponit intellectum, fundaturque in illo quatenus perfecte conſtituto; ſicut enim nihil phyſicè realiter oritur ab alio niſi perfecto in ſuo eſſe ſaltem eſſentiali, quia prius eſt eſſe, quam operari, ita dicendum de proceſſione, & ortu per rationem noſtram; tunc ſic, ſed prædicatum quod oritur ab alio vt à radice non pertinet formaliter ad eſſentiam rei, ſed potius ad paſſionem, & attributum, ergo talis eſt voluntas Dei; patet conſequentia. Maior propoſitio negari nequit cum volitiuum fundetur in intellectiuo ex dictis diſp. præced. vnde vt ex ratione à priori quia Deus intelligit, proponitque ſibi obiectum vt conueniens, & bonum, ideo illud amare colligitur. Minor etiam ſuadetur nam quod oritur ab alio vt à radice priori neceſſario ſupponit exiſtentem hanc radicem, nihil enim cauſare poteſt niſi exiſtat. Ergo voluntas diuina ſupponit intellectum Dei vt exiſtentem, & quidem exiſtentem perfecte ſaltem perfectione eſſentiali 7 *Tertia, & urgens obiectio.*

cum enim voluntas diuina ſit perfectiſſima proportionatam debet præſupponere cognitionem. Confirmatur, eſſentia rei metaphyſice loquendo formaliter intelligitur vbi concipitur vltima differentia primaria rei, in qua virtualiter reliqua omnia continentur, eſtque tale prædicatum primarium radix cæterorum: id patet ex communi acceptione *eſſentiæ*, qua primarium conceptum rei exprimimus, item à priori: ſi reliqua prædicata in primo eminenter continentur. Ergo non augent per ſe perfectionem eſſentialem, ſed ornant, quod proprium paſſionum, & attributorum eſt. Denique à poſteriori tam in phyſicis vt calor qui ideo dicitur proprietas ignis, quia ad ipſum conſequitur, & in ipſo radicatur, tum in proprietatibus logicis, ſeu metaphyſicis, ideo verbi gratia riſibilitas quantumuis identificata cum rationali cenſetur huius paſſio logica, & proprietas, quia ratione noſtra *rationale* eſt vltima differentia primaria rei in qua fundatur, & eminenter continetur riſibilitas. Tunc ſic, ſed intellectio diuina vt eſt ratione noſtra prior quam volitio eminenter ipſam continet, ſiquidem eſt illius radix vt dixi, item eſt vltima differentia Deitatis; vltimo enim & omnino differt Deus à creaturis, eo quod intelligatur in perfectiſſimo gradu intellectiuo. Ergo in ſola intellectione pro priori ad volitionem concipitur tota eſſentia metaphyſica Dei, & conſequenter voluntas non eſt de eius conſtitutiuo formali.

8 *Facile ſoluitur.* Hæc obiectio eſt, quæ vrgentius vrget, ea tamen facile ſoluitur ex dictis diſput. 17. ſect. 7. & 8. Eſſentia non eſt quiuis conceptus prior ſiue re, ſiue ratione, niſi ſimul ſit primarius, hoc eſt in quo formaliter, vel eminenter continetur quidquid eſt de principali conſideratione rei, id oſtendi loco citato pluribus inſtantiis, nam eſſentia hominis non conſiſtit ſolum in formalitate *apprehenſiui*, licèt iſta ſit prior quam *diſcurſiua*, rurſus nec in formalitate *cognoſcitiui principiorum*, ſeu præmiſſarum, niſi addatur formalitas *elicitiui concluſionum*, quæ formalitas conſequens eſt ad illam priorem, & in ipſa fundatur, ex ipſaque oritur, ideo namque homo aſſentitur concluſioni, quia aſſenſum præbuit præmiſſis, ſicut ideo amat, quia cognoſcit. Igitur *eſſentia* rei vt talis eſt ille conceptus qui non ſolum eſt prior, ſed etiam primarius in re ita ſcilicet radix cæterorum, vt ſit vltimus, & completus, hoc eſt vltimo diſcriminans, & faciens differre talem rem ab alia, & aliunde completus, & adæquatus, ſeu adæquatè continens, & exprimens formaliter, vel eminenter quidquid eſt in tali re. Hinc ad totam obiectionem vno verbo reſpondeo. Voluntas diuina ratione noſtra radicatur quidem, ſeu fundatur in intellectione vt priori quidem; non tamen vt adæquate continenti totam perfectionem volitionis, nam vel in creatis vbi volitio diſtinguitur realiter ab intellectione; iſta quidem eſt prior quam volitio, at non eſt adæquata cauſa volitionis. Sic etiam potentia elicitiua concluſionis fundatur in potentia cognoſcitiua principiorum, at non ideo eſſentia hominis in iſta potentia ſolum conſiſtit: Vnde voluntas Dei ſupponit intellectionem vt perfectam infinitè in linea intellectionis, ſed non in linea eſſentiæ deitatis. Ex quo etiam patet ad confirmationem.

Eſſentia conceptus non eſt vtcumque in re prior, ſed primarius, & radix cæterorum.

9 *Quarta obiectio.* Replicabis quarto licèt in re ipſa, & ex parte obiecti intellectio diuina non contineat eminenter diuinam volitionem, cum idem in re ſint, (continentia autem vera ſine vera diſtinctione non datur;) At ratione noſtra, & ex modo noſtro concipiendi intellectionem apprehendi poſſe vt ſic eminenter continentem; vti in rationalitate eminenter continetur riſibilitas, quæ à rationalitate non diſtinguitur. Reſpondeo eo ipſo quod verè & cum fundamento in re non poſſit ſtatui continentia eminentialis nec ratione noſtra, ſimiliter nec ratione noſtra cenſenda erit eſſentia Deitatis ſola intellectio, vt notaui in tractatu præcedenti diſputatione 35. nè eſſentia Dei conſiſtat in aliquo actu primo ad intellectionem. Sed hoc omiſſo vt aſſignetur diſcrimen ob quod potius volitio Diuina ſpectet formaliter ad conſtitutionem eſſentiæ Dei quam riſibilitas ad eſſentiam hominis, à qua realiter non diſtinguitur. Reſpondeo nomine & conceptu formali *hominis*, non exprimi aliquid, quod debet imbibere niſi ſolum conceptum primum & completum in vna linea è contra verò per nomen & conceptum *Dei* formaliter exprimitur quod in omni linea perfectionis completionem imbibit ſeu actuationem, id enim formaliſſimè apprehenditur nomine *actus puri*: quando autem ipſe conceptus rei formaliter declarat pluralitatem non ſolum in vna, aut altera formalitate conſtituenda eſt eſſentia talis rei, ſed in complexu comprehendente omnes formalitates quas exprimit. Sic ratio *vniuerſi* non conſiſtit eſſentialiter in ſolo Deo, licèt in ſolo Deo contineatur eminenter totum *vniuerſum* quia ſcilicet ly *vniuerſum* formaliſſime pluralitatem imbibit. Rurſus eſſentia, & ratio *volentis* ſeu *volitiui* non conſiſtit in ſolo intellectu, licèt in intellectu ſolo contineatur eminenter *volitiuum*, quia ſcilicet ratio ipſa *volentis*, & *volitiui*, formaliſſimè exprimit, ipſam volitionis lineam. Ergo cùm *actus purus* formaliſſimè excludat omnem potentiam intrinſecam, ſeu quod idem eſt imbibat actuationem omnis perfectionis cuius capax eſt, ſiquidem vt ſatis conſtat ex diſputatione præcedenti, omne intellectiuum ſeu intelligens ſit capax volendi, vt *actus purus* ſit conſequenter debet imbibere ipſam actuationem volendi.

Conceptus Deitatis formaliter exprimit pluralitatem.

Arguitur quinto Dei eſſentia licèt qua infinitus eſt, vel *Actus purus* vel ſub aliis denominationibus nondum adæquate, & compleiè intelligatur niſi intret ipſe gradus volitiuus, ſeu voluntas, *&c.* Nihilominus vt concipitur directè contrahens rationes communes vel quaſi ſeriem prædicamentalem debere concipi cum ſimplici, & indiuidua differentia; ſed quatenus concipitur vt ſic contrahens rationes, & prædicata communia directè, & non lateraliter; non includit voluntatem. Ergo ſaltem ſic voluntas diuina diſtinguitur ab eſſentia, conſequentia patet. Maior ſuadetur quia differentia contrahens ſeriem prædicamentalem in aliis ſpeciebus infimis ſemper eſt ſimplex verbi gratia rationalitas rugibilitas, *&c.* Item quia alias differentia non eſſet *vnum* per ſe, ſed quaſi per accidens cum ex pluribus partibus, & conceptibus coaleſcat; quorum vnus non ſe habet vt contrahens alium ſed concomitanter cum illo; Tum denique quia genericus conceptus, non eſt compoſitus, ſed incomplexus, & ſimplex verbi gratia ens, ſubſtantia, *&c.* Ergo ſimilis ſimplicitas ponenda eſt in differentia contrahente. Iam minor præmiſſa ſcilicet non includi voluntatem diuinam in differentia contrahente rationes communes ſub quibus Deus eſt, ſuadetur primo, quia ſic diſponenda eſt ſeries harum rationum reſpectu Dei: *ens, ſubſtantia, Spiritus, viuens, intelligentia*; quibus rationibus directè non aduenit, vt per ſe patet, voluntas, 10 *Quinta obiectio.*

ſed

ſed intellectio infinita quemadmodum animali ſeu ſenſitiuo, quæ eſt ratio generica non aduenit appetitus, ſed *rugibile*, aut *diſcurſiuum*. Secundo idem ſuadetur, nam ſine dubio intellectio diuina in Deo eſt ratio differentialis: Ergo ſi hæc differentia debet eſſe ſimplex non debet intrare rationem differendi noua differentia volendi. Confirmatur voluntas, in Deo ſaltem ratione noſtra aduenit ipſi conſtituto iam ſub vltima differentia, aduenit enim intellectioni infinitæ, qua vltimo Deus differt ab aliis; ſed quod aduenit differentiæ vltimæ, ſeu poſt differentiam vltimam ſupponit iam integram ſpeciem eſſentialiter, quid enim eſt ſpecies niſi genus ſub vltima differentia: ergo voluntas diuina non pertinet formaliter ad eſſentiam Dei, ſed aduenit vt quid diſtinctum ab illa.

11 *Solutio.* Reſpondeo poſſe quidem eſſentiam Dei ſub aliquo conceptu apprehendi quin voluntatem imbibat, verbi gratia, ſi vt *Summa intelligentia*, vt *primum principium*, vt *ens à ſe*, &c. At quemadmodum hæc duo vltima prædicata, licet formaliter gradū intellectiuum non includant; non ideo tu ipſe intellectionem excludes à conſtitutione formali eſſentiæ Diuinæ ſimpliciter, & condigne acceptæ, ita ſimiliter dico ego ſub conceptu *intelligentis ſummè* non ſatis exprimi Deitatem vt eſſentialiter completam modo digno *entis infiniti* qualis eſt Deus, quare Deus vt cognitus ſecundum eſſentiam complete talem (quidquid de aliis rationibus ſit) dicit pelagus, ſeu aggregatum omnium perfectionum, non quidem aggregatum per accidens, ſed valde per ſe, ſiquidem perfectiones omnes in ſummam identitatem conueniunt; ſi autem vnio compoſitionis in homine licet plures partes coniungat, vt corpus, & animam vnum per ſe conſtituit, quare perſeitas cum pluralitate conceptuum non dabitur ratione identitatis. Quare differentia propria, & vltima Dei vt adæquata eſt, & Deo digna non eſt ex modo noſtro concipiendi omnino ſimplex, ſed coniuncta cum reliquis Dei perfectionibus, vti etiam in homine contingit, nam rationalitas in plures poteſt formalitates ſubdiuidi ratione noſtra, vt in diſcurſiuum Phyſicè, diſcurſiuum per abſtractionem à materia ſenſibili, ſeu Mathematicè: & Metaphyſicè per abſtractionem à materia intelligibili. Igitur ſic ita diſtribuenda eſt reſpectu Dei quaſi prædicamentalis ſeries, ens, ſubſtantia, ſpiritus, viuens, intelligentia, *Omni perfecta*, ſeu *vndequaque actualis* ſub qua differentia volitio, omniſque alia perfectio continetur. Ad confirmationem reſpondeo volitionem Dei aduenire quidem Deo vt conſtituto per vltimam differentiam *incompletam* in eſſe Deitatis, (licèt completam in eſſe intellectionis) ſed non *completam* vti enim non eſt Deus per ſolam intellectionem completè perfectus, ita non eſt completé infinitus, ſed vlterius perfectibilis, & actuabilis, vnde nondum eſt actus purus.

Differentia propria, & adæquata Dei dicit formaliter pelagus omnium perfectionum.

12 Arguitur ſextò ex myſterio Trinitatis, iuxta quod tertia perſona non procedit per generationem, ſeu in ſimilitudinem naturæ: Tunc ſic, ſed hoc ideo ſolum poteſt contingere quia tertia Perſona non procedit per naturam: Ergo firmiter tenendum eſt tertiam Perſonam per naturam non procedere: At procedit per voluntatem vt fides docet: ergo voluntas non eſt natura. Omnia hæc ſunt manifeſta præter primam propoſitionem minorem, nempe quod vt tertia Perſona non procedat per generationem, opus ſit non procedere per naturam. Hoc autem ſic ſuadetur: Vt ſecunda Perſona ſit genita præ tertia debet habere aliquo modo ſimilitudinem in natura quomodo eam ſimilitudinem non habet tertia Perſona. Iam ſic arguo: ſimilitudo in natura, quæ potior eſt in ſecunda Perſona non ſumitur ſecundùm aliquem conceptum relatiuum, ſeu in natura, vt claudente vel connotante relationem; ſed in natura præcisè ſecundùm conceptum abſolutum naturæ vt tenet communis ſententia lateque defendam in tract. de Trin. At in natura ſecundùm conceptum abſolutum naturæ nulla datur ſimilitudo ſpecialis in ſecunda Perſona præ tertia, niſi quatenus ſecunda procedit per naturā, per quam non procedit tertia dum oritur per voluntatem: Ergo vt tertia Perſona non procedat per generationem opus eſt vt non procedat per naturam. Minor hæc vltima quod ſc. nihil ſpecialius habeat ſecunda Perſona, vt ſit ſimilis in natura abſoluta, niſi quod oriatur & procedat per naturam; probatur quia nihil abſolutum quoad identitatem eſt potius in ſecunda Perſona quam in tertia ſiquidem vtraque formaliſſimè eſt Deus: Ergo ſolum reſtat vt in eſſe principij comparetur natura potius cum ſecunda perſona, quam cum tertia, quia ſcilicet potius natura principiat, ſeu per naturam procedat ſecunda Perſona, quam tertia, ideoque tertia non eſt ita ſimilis in natura.

Huic argumento fieri omnino ſatis non poteſt, niſi explicata doctrina, quam latam dabo in tract. de Trin. vt exponam, quo pacto in Filio ſpecialis detur ſimilitudo in natura quantumuis iſta ſimilitudo non ſumatur, nec ex prædicato relatiuo (in eſſe conuenientiæ phyſicæ, quatenus ſecunda Perſona conueniat ſpecialius cum prima eo quod habeat aliquod prædicatum phyſicum illi commune) nec ſumatur iſta ſimilitudo ex diuerſa principiatione, ſeu proceſſione per naturam abſolutam, & multo minus ex diuerſa identitate cum natura abſoluta, ſiquidem hanc diuerſitatem identitatis damnat catholica fides: ſumitur ergo, vt breuiter hic indicem, quod latius exponam loco citato, quia natura in ſecunda perſona habet prædicatum ſimilitudinis, quod non habet in tertia, ſcil. natura habet ob coniunctionem, & identitatem cum ſecūda perſonalitate relationem ſimilitudinis productæ; relatio enim ſecundæ Perſonę ſpecialius eſt ſimilitudo referens eſſentiam ſui principij, quam tertia perſonalitas: ſiquidem eſt imago formalis vel virtualis, quæ dum identificatur cum natura, ſeu eſſentia ſui principij iam conſtituit ſuppoſitum habens naturam cum prædicato vere producto, & quatenus producto ſimili ſuo principio. Vnde cum duo requirat filius primum habere naturam Patris, ſecundum habere eam naturam cum prædicato ſimilitudinis productæ, ſeu naturam cum ſimilitudine producta finge relationem prædicamentalem conſiſtere in modo ſuperaddito, & tolli modum hunc ab albo. Iſtud nondum erit formaliter ſimile; primum habet ſecunda perſona prout eſt eiuſdem naturæ cum Patre (quod commune eſt Spiritui ſancto) ſecundum habet prout imbibit propriam perſonalitatem quæ eſt ſimilitudo producta (pone maioris claritatis gratia ſecundam relationem eſſe cognitionem formaliter, ſeu relationem ſecundæ perſonæ eſſe formalem repræſentationem) quod non inuenitur in tertia perſona, ſeu Spiritu ſancto ob quod ſecunda perſona potius procedit per generationem, & vt Filius, quam tertia; hæc non ſunt in præſenti latius proſequenda, quæ videri poſſunt loco citato.

13 *Reſponſio.*

Cur 2. pers. Perſona procedat in ſimilitudinem naturæ, cum vtraque per naturam procedat.

SECTIO

SECTIO II.

Voluntas Diuina ex parte obiecti, non diſtinguitur ab eſſentia Dei.

14 VT conſtat ex ſect. præcedenti voluntas Diuina ab Authoribus oppoſitæ ſententiæ iuxta propria eorundem principia de diſtinctione inter perfectiones Diuinas abſolutas iam diſtinguitur ex parte obiecti & ex natura rei ab eſſentia (ſiue *formaliter*, vt tenent Scotiſtæ, ſiue *virtualiter* intrinſece, vt tenent Recentiores Theologi cum Patre Herice diſput. 12. de Voluntate cap. 2.) iuxta primum, & vltimum fundamentum; iam ſaltem diſtinguitur voluntas Diuina ab eſſentia ex parte modi, & per rationem noſtram vt patet iuxta reliqua fundamenta propoſita in eadem ſectione præcedenti.

Scotiſtæ. Recentiores cum P. Herice.

15 Ego autem tria in præſenti exiſtimo certa, quæ breuiter ſtatuam, quia ſatis conſtare poſſunt ex dictis tract. de Eſſentia & attribut. diſp. 15. & tract. de ſcientia diſput. 36. ſect. 2. Dico ergo primo abſolutè loquendo, & ex parte obiecti: voluntas non diſtinguitur, at eſſentia Dei. Probatur: In nullo vero ſenſu ex parte obiecti, ſeu ex natura rei loquendo negari poteſt eſſentia Dei de voluntate, ergo ex parte obiecti loquendo non poteſt negari voluntas de eſſentia inter duos namque terminos ſingulares omnino, ſi nequit A. negari de B. nequibit B. negari de A. Ergo ex parte obiecti loquendo in nullo ſenſu hæc eſt vera: *Voluntas non eſt eſſentia.* Ergo ex parte obiecti eſt eſſentia ergo non diſtinguitur ab eſſentia; omnes hæ conſequentiæ notiſſimæ ſunt. Primum autem antecedens, nempe in nullo vero ſenſu poſſe negari ex parte rei, & independenter ab intellectu eſſentiam Diuinam, ſeu Diuinitatem de voluntate videtur definitum in Concil. Rhemenſi apud Vaſquez 1. part. d. 120. cap. 2. ibi: *in nullo ſenſu catholico negari poteſt, quin Diuinitas ſit relatio, & relatio Diuinitas.* Ex qua definitione à fortiori patet non poſſe negari eſſentiam, ſeu Diuinitatem de voluntate, ſi alicubi enim admittenda foret hæc negatio obiectiua maximè inter Diuinitatem, & relationem: Nec valet ſi dicas negationem hanc, licet ex parte obiecti, non eſſe actu, & ſimpliciter talem, etenim ſolutionem hanc, & ſimiles vrgentiſſime, ni fallor, impugnaui diſp. 15. de eſſentia, & attributis maxime in ſectione 5. Vide illam, ne dicta repetantur.

Negatur omnis diſtinctio obiectiua inter voluntatem, & Diuinã eſſentiam. Prima concluſio. Prima ratio.

In nullo ſenſu negari poteſt ex parte obiecti de eſſentia voluntas.

Conc. Rhem. apud Vaſquez.

16 Dices non negari Diuinitatem de voluntate (ita reſpondent Recentiores Theologi ponentes diſtinctionem virtualem intrinſecam, nam Scotiſtæ iuxta ſuam diſtinctionem formalem id reſpondere nequeunt.) Sed ſolum negari de natura Diuina, ſeu Diuinitate aliquod prædicatum, quod affirmatur de voluntate, vt eſſe principium Spiritus-ſancti, qui vt dicitur in §. 12. ex parte obiecti loquendo independenter ab intellectu non procedit per naturam, procedit autem per voluntatem. Sed contra ergo iam ſaltem formalitas *principij Spiritus-ſancti* negatur ex parte obiecti de Diuinitate, & conſequenter Diuinitas de tali formalitate principij, quod eſt contra Conc. Rhem. iuxta quod de nullo prædicato, ſeu perfectione Diuina poteſt negari Diuinitas. Contra vlterius formalitas *principij Spiritus-ſancti* eſt omnino idem ex parte obiecti formaliter, & virtualiter cum voluntate Diuina. Ergo quidquid negatur de formalitate principij ex parte obiecti negandum etiam eſt eodem modo ex parte obiecti de voluntate Diuina, eſt enim per ſe notum apud hos Authores non poſſe verificari contradictoria de duabus formalitatibus indiſtinctis etiam virtualiter intrinſece, & conſequenter quidquid negatur de vna negari de alia eodem modo ex parte obiecti: Tunc ſic, ſed per te negatur Diuinitas de formalitate principij Spiritus ſancti. Ergo negabitur eodem modo ex parte obiecti de ipſa voluntate.

Obiectio.

Refellitur. Nec de Natura Diuina negari poteſt obiectiuè eſſe principium Spiritus-ſancti.

Rurſus probatur ſecundò hæc indiſtinctio obiectiua, ſeu ex parte rei volũtatis ab eſſentia Diuina. 17
Eſſentia Diuina non diſtinguitur ex parte obiecti independenter ab intellectu nec formaliter nec virtualiter intrinſece ab æternitate, immenſitate, omnipotentia, & aliis attributis ergo nec diſtinguetur à voluntate. Antecedens in confeſſo, eſt in §. 14. apud Theologos Recentiores admittentes, & defendentes diſtinctionem virtualem intrinſecam ſolum inter naturam, & relationem, inter eſſentiam, ſeu intellectionem, & volitionem. Sed ſi negetur (vt ab Scotiſtis negatur indiſtinctio eſſentiæ ab æternitate, verbi gratia, ex parte obiecti) ſuadetur, tum quia negatio obiectiua ſimul cum identitate reali tantæ difficultatis eſt; vt admittenda non ſit, niſi cogente fide, ideo myſterium Trinitatis edocti à fide ſolã fatemur poſſe identificatam filiationem cum naturâ iſtâ communicatâ Paternitati non communicari Paternitati; ſi autem ad hoc ſola fide cogimur à fortiori iſta fides neceſſaria erit, vt detur immediata negatio ex parte obiecti cum reali identitate, ſed eſſentia identificatur cum æternitate, & aliunde fides non cogit ad hanc negationem ex parte obiecti. Ergo non eſt admittenda negatio vlla ſeu diſtinctio obiectiua eſſentiæ ab æternitate, tum etiam rurſus hæc indiſtinctio probatur quia eſſentia per ſeipſam obiectiue loquendo eſt neceſſitata vt ſemper duret; hoc autem, & nil aliud eſt in re æternitas. Firmum ergo maneat præcipuè ſemel expugnata ſententia Scotiſtarum de qua fusè tract. de eſſent. & attribut. nullam dari diſtinctionem obiectiuam eſſentiæ ab æternitate.

Secunda ratio.

Theolog. Recentiores.

Inter ea, quæ idẽ realiter ſunt nequit intercedere obiectiua negatio, ni fides vrgeat.

Iam vero quod hinc ſequitur nec diſtinguendam ex parte obiecti eſſentiam à voluntate, quæ conſequentia præcipuę difficultatis eſt: Probatur 1. quia voluntas non minoris perfectionis, & conſiderationis, ſeu æſtimationis eſt, quam reliqua attributa, ſi ergo iſta identificantur cum eſſentiâ, cur non & volitio? 2. Nullum eſt prædicatum in Deo nullumque attributum ex parte obiecti loquendo, quod non imbibat plures alias perfectiones, ſi enim eſſentia ex parte obiecti non diſtinguitur ab attributis, neque inuenitur vlla diſtinctio obiectiua, niſi inter eſſentiam, & voluntatem, Iam iuſtitia ex parte obiecti erit ſapientia, bonitas, æternitas, &c. Ergo volitio alias etiam perfectiones imbibet; mirum enim eſt quod attributum *volentis* ſit minus perfectum reliquis omnibus, & quod purè includat rationem volendi ſine vlla alia excellentia in Deo cum videamus in creatâ volitione plures alias perfectiones ex parte obiecti identificari cum volitione vt duratio, vbicatio de poſſibili, vel ſaltem quod ſit radix harum paſſionum. Ergo volitio Diuina ſeipſa erit ex parte obiecti æternitas, immenſitas, &c. maximè cum ſeipſa ſit determinata vt ſemper, & vbique ſit non minus, quam eſſentia. Vnde ſicut ob hoc eſſentia ſeipſa eſt æterna, ita & volitio. Tunc ſic, volitio ſeipſa eſt æternitas. 18

Ex eo quòd volitio ſit ſeipſa æternitas, & æternitas virtualiter eſſentia, infertur idẽtitas virtualis volitionis cum eſſentia.

nitas. At æternitas identificatur etiam virtualiter cum eſſentia; Ergo volitio identificatur virtualiter cum eſſentia hæc conſequentia patet ex dictis §.16. quod eſt principium notiſſimum ponentibus & tuentibus diſtinctionem virtualem; quod ſcilicet non poſſit quis identificari cum aliquo, quin identificetur pariter cum omni eo quod eſt ab ipſo virtualiter indiſtinctum, ne de formalitatibus virtualiter intrinſecè indiſtinctis contingant verificari contradictoria.

19 *Reſponſio.* Reſpondebis quatuor eſſe attributorum genera alia, quæ puram imbibunt rationem intelligendi vt eſſe *ſapientem, videntem*, &c. Secundum genus attributorum eſt, quæ puram imbibunt rationem volendi vt *eſſe bonum moraliter, miſericordem, iuſtum*, &c. Tertium genus eſt attributorum, quæ vtramque rationem intelligendi, & volendi includunt, vt *eſſe prouidum, veracem*, &c. Et de his tribus attributorum generibus clare patet cur diſtinguantur vel non à volitione ex parte obiecti. Vlterius autem eſt quartum attributorum genus quod non potius lineam, ſeu rationem intelligendi quam volendi imbibit vt eſſe *æternum, immenſum, omnipotentem*, &c. Et de his attributis reſponderi poteſt non diſtingui ex parte obiecti à voluntate, ſeu à volitione, nec item à natura, & eſſentia (quam in intellectione conſtitutam eſſe ſuppono,) ſed cum vtraque identificari: at non ideo voluntatem, & naturam eſſe idem ex parte obiecti, (ſeu virtualiter intrinſece inter ſe) vel quia dici poteſt primo quod ſicut in Trinitate deficit regula in identitate reali: *Quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe.* Ita hic deficiat eadem regula in identitate virtuali intrinſeca, ſeu ex parte obiecti. Vnde quantumuis eſſentia, & voluntas ſint idem virtualiter intrinſece cum æternitate, non ideo prædicta eſſentia, & voluntas erunt idem inter ſe.

20 *Alia reſponſio.* Vel etiam iuxta ſolutionem in §. præcedenti poſitam, loquendo de hoc quarto genere attributorum dici poteſt quod ſicut non eſt abſurdum admittere plures perfectiones abſolutas in Deo plures inquam *virtualiter*, non *realiter*, ita nec erit abſurdum ponere plures æternitates, immenſitates, *&c.* Pro qualibet Dei perfectione. Cuius ratio eſt, nam omnis formalitas diuina ſeipſa eſt neceſſaria; ſe ipſa eſt neceſſitata ad omnem locum, & tempus in quo formaliſſimè immenſitas, & æternitas conſiſtunt: quare ſecluſo odio vocis (quod odium ideo datur quia *æternitas, & immenſitas* ſimpliciter dictæ ſonant perfectionem qua omnes perfectiones diuinæ redduntur *æternæ*, & *immenſæ* verbi gratia omnes perſonæ, talis autem perfectio non eſt quæuis relatio) ſecluſo inquam odio vocis plures ſunt æternitates, & immenſitates, ex natura rei virtualiter intrinſece, imo, & realiter relatiuæ: nam Filiatio verbi gratia ſe ipſa vt à Deitate diſtincta eſt formaliter neceſſitata ad omne tempus, & locum; eſt ineffabilis, inuiſibilis, *&c.* Sed quia hæc ſolutio ſecunda de hoc quarto genere attributorum admitti nequit de *omnipotentia* vt etiam multiplicetur pro qualibet Dei perfectione, nemo enim admiſit plures omnipotentias, aut dari omnipotentiam relatiuam in Deo quantumuis admittat æternitatem relatiuam. Ob hanc inquam ſpecialem difficultatem circa attributum omnipotentiæ reſponderi poteſt conſequenter ad hanc ſolutionem attributum omnipotentiæ non eſſe numerandum inter attributa quarti generis, ſed reducendum ad ſecundum genus attributorum de quo num. præced. quod ſcilicet pertinet ad lineam voluntatis, ſolemne namque eſt apud Thomiſtas ſtatuere omnipotentiam indiſtinctam à voluntate de quo ego diſp. 61. ſect. 2.

Sed vtraque iſta ſolutio tam, quæ eſt in num. 21 *Refutatur prima.*
præced. quam, quæ eſt in ante præcedenti omnino inſufficiens eſt. Prima quidem quia illud commune principium: *quæ ſunt eadem vni tertio*, &c. Sic intellectum de identitate non ſolum reali, ſed virtuali: *quæ ſunt eadem vni tertio realiter, & virtualiter ſunt eadem inter ſe*: Certiſſimum eſt vnde ſi non obſtante identitate Paternitatis, & Filiationis cum eſſentia Pater, & Filius diſtinguntur inter ſe, ideo contingit iuxta Aduerſarios quia Paternitas verbi gratia diſtinguitur virtualiter ab eſſentia. Et quidem conſequenter ad doctrinam aduerſariorum non poſſe vnam formalitatem identificari cum alia ſecunda quin identificetur cum omni alio indiſtincto etiam virtualiter ab hac ſecunda conſtat ſatis ex dictis in §. 18. Ergo ſi attributum æternitas verbi gratia non diſtinguitur nec realiter, nec virtualiter ex parte obiecti ab eſſentia, voluntas, quæ eſt idem realiter & virtualiter cum æternitate erit etiam omnino indiſtincta realiter, & virtualiter ab eſſentia. Ex quo patet primam ſolutionem in §. ante præced. qui eſt 19. omnino inſufficientem eſſe. Secunda ſolutio in §. 20. etiam *Refutatur ſecunda.* inſufficiens eſt. Primo quia vt oſtendam in tract. *Admittendæ non ſunt in Deo plures æternitates virtualiter diſtinctæ.* de Trinitate neutiquam admittendæ ſunt plures æternitates verbi gratia nec *relatiuæ* ſicut nec tres perfectiones relatiuæ, ſed hoc omiſſo, de quo latius loco citato. Secundo impugnatur data reſponſio præcipue in omnipotentia de hac enim falſo dicitur in ſola voluntate conſtitui, verius enim conſtituenda eſt omnipotentia indiſtincta ab ipſa eſſentia Dei. Cuius ratio à fortiori conſtabit ex dicendis diſput. 70. in qua omnis actus primus, ſeu principium radicale à Deo eſt ſecludendum. Modo *Eſſentia Diuina ſeipſa eſt omnipotentia.* autem breuiter indiſtinctio omnipotentiæ ab eſſentia Dei ſuadetur tum quia creaturæ non minus continentur eminenter in eſſentia Dei, quam in volitione, imo in eſſentia formalius ſiquidem eſſentia Dei formaliter continet omnem perfectionem, aliunde nullo indiget adiutorio, nulloque adminiculo, ſeu potentiâ diſtincta. Ergo ſe ipſa profluet in opus eſſentia Dei, & conſequenter erit potentia immediata, & formalis; Tum etiam ſuadetur eadem indiſtinctio omnipotentiæ, ſeu potentiæ proximæ producendi creaturas ab eſſentia Dei, quia ſolo titulo imperfectionis, & inſufficientiæ entitatis cauſæ diſtinguitur in hac principium radicale, & principale à proximo vti cum Thomiſtis dicunt communiter Authores vt potentiæ diſtinguantur ab anima: ſed eſſentia Dei eſt principium radicale ſaltem reſpectu creaturarum. Ergo ſimul erit proximum, & conſequenter indiſtinctum omnino ab omnipotentia. Ergo ſi ab hac eſt indiſtincta voluntas ex parte obiecti, & independenter ab intellectu noſtro loquendo etiam erit indiſtincta ab eſſentia Dei.

Denique vt alias communes probationes omittam de quibus ſatis in ſuperioribus, tertio ſuadeo voluntatem Dei non diſtingui ab eſſentia ex parte obiecti ex communi modo loquendi ſanctorum, & Patrum, qui dum ſtatuunt in Deo vnam eſſentiam, & eandem in tribus perſonis, ſtatuunt, & quaſi ſub inferunt inde dari eandem voluntatem, eamque vnam eſſe: Ergo quia iſta extra eſſentiam non eſt; neque eſſentia ex parte rei, & obiecti loquendo conſtituenda 22 *Tertia ratio ex communi modo loquendi Patrum.*

tuenda eſt in ſola intellectione; alioqui quidquid eſſet de diuerſitate voluntatis, dum tamen eadem intellectio perſiſteret in tribus Perſonis Diuinis, iſtæ forent eiuſdem naturæ.

SECTIO III.

Statuuntur duæ aliæ concluſiones pro indiſtinctione voluntatis diuinæ ab eſſentia Dei.

23 *Secunda concluſio. Voluntas Dei nec ratione noſtra diſtinguitur ab eſſentia.*

DIco ſecundo iuxta veram ſententiam poſitam in ſect. præcedenti. Voluntas Dei nec ratione noſtra diſtinguitur ab eſſentia fateor diſtingui ab intellectu, vel intellectione diuina; hancque eſſe priorem volitione, imo per intellectionem diuinam vltimo, & infime differre eſſentiam Deitatis à quolibet alio; adhuc tamen eſſentia Dei vt talis nondum concipitur adæquatè conſtituta, niſi ex voluntate ipſa formaliter coaleſcat. Patet concluſio ex dictis ſect. 1. Eſſentia Dei vt talis eſt actus purus, eſtq; actuatio omnis perfectionis, iſte enim eſt conceptus Deo dignus: Sed intellectio vt abſtrahit à voluntate apprehenditur vt vlterius perfectibilis, & in potentia vt perficiatur; dicit namque vt ſatis conſtat ex diſput. præced. ordinem ad volitionem, ſiquidem omne intellectiuum volitiuum eſt: Ergo niſi incluſa voluntate nondum concipitur adæquata eſſentia Dei, & conſequenter voluntas ab eſſentia non diſtinguitur. Confirmatur rectè ſtat quod aliqua eſſentia conſtituatur ex duplici conceptu vltimo differentiali, quorum vnus ſit poſterior, fundeturque in alio. Id patet phyſicè loquendo in eſſentia totius integralis *arboris*, verbi gratia, ex trunco priori, & ramis poſterioribus in illo fundatis; patet etiam Metaphyſicè in eſſentia hominis, in quo potentia ad eliciendum aſſenſum concluſionis pertinet ad vnam eſſentiam cum potentia ad aſſenſum præmiſſarum, ſiquidem ex vtraque potentia coaleſcit rationalitas, quæ eſt eſſentia hominis; & tamen potentia ad concluſioni aſſentiendum fundatur in potentia ad præmiſſas ratione noſtrâ ſicut realiter ipſe aſſenſus concluſionis præmiſſarum aſſenſui nititur: Ergo ſimiliter eſſentia diuina coaleſcere poteſt formaliter (dum aliunde non detur ſpecialis repugnantia) ex conceptu priori, & poſteriori: Ergo & ex voluntate in qua ſolum poſſet obſtare quod ſit conceptus poſterior.

Suadetur primò.

Conceptus intellectionis vt abſtrahit à voluntate, non eſt Deo dignus.

24 *Secundò. De eſſentia actus puri eſt formaliſſimè actus volendi.*

Secundò explicatur, & vrgetur concluſio. Eſſentia *actus puri* formaliter includit voluntatem actualem. Sed eſſentia actus puri eſt formaliter idem ac eſſentia Dei: Ergo eſſentia Dei formaliter includit, indiſtinctaque eſt à voluntate. Conſequentia patet: Minor etiam eſt conſpicua, quia nil aliud eſt actus purus niſi ſolus Deus, eoque maximè excellentia Dei reſplendet diſtincta à creaturis, quod omnes hæ immerſæ ſint in potentialitate, Deus autem ab omni potentia emerſus, & conſequenter actus puriſſimus ſit. Iam maior, quod ſcilicet eſſentia *actûs puri* voluntatem actualem dicat, ſuadetur: Nam actus purus formaliter, & eſſentialiter ſaltem imbibere debet actum intelligendi ſeu intellectionem actualem, nam cum conſtitui debeat in perfectiſſimo gradu vitæ, debet eſſe in intellectiuo, non in potentia vt patet: Ergo in ipſa actuali intellectione: Tunc ſic, ſed intellectio vt talis, (ſi perfectè, & non confusè, & inadæquatè concipiatur, de quo conceptu non eſt curandum, cum ſit ſine fundamento in re) imbibit gradum, ſeu potentiam volendi: Ergo gradus volendi imbibitur in eſſentia *actus puri*: At ſub actu puro nulla eius perfectio poteſt in eſſe potentiæ concipi: Ergo de eſſentia actus puri, & Dei formaliſſimè eſt actus volendi. Id quod verum eſt quantumuis aliæ perfectiones ſimpliciter ſimplices non forent de eſſentia Dei, nam vt conſtat ſpecialius ſub eſſentia Dei connotatur actus volendi, quam alij, ſiquidem intellectio ſpecialius connectitur cum gradu volitiuo, quam cum aliis immenſi, æterni, &c.

25 *Tertiò. Diuina eſſentia ſaltem minus in omni linea, ſaltem in linea radicis vt ſumma debet concipi.*

Tertiò ſuadetur concluſio poſita de indiſtinctione etiam per rationem noſtram voluntatis ab eſſentia diuina ſpecialiter præ aliis perfectionibus. Eſſentia Dei vt talis formaliter à nobis concipitur quatenus in ratione radicis eſt ſummè perfecta, perfectiſſimumque principium in quo aliæ perfectiones fundentur; licèt enim eſſentia Dei non exigat concipi vt ſummam in omni genere, & linea; at ſaltem debet concipi vt ſumma in linea eſſentiæ, ſeu radicis cæterorum. At non intelligitur vt ſic perfecta in *eſſe*, ſeu in linea radicis, niſi concipiatur cum voluntate: Ergo voluntas Dei imbibitur in conceptu *eſſentiæ* Deitatis. Conſequentia patet, & maior, nam vbi in aliqua re plures perfectiones continentur, neceſſum eſt vt ſi non formaliter, ſaltem virtualiter, & eminenter omnes contineantur in aliqua priori, vt in radice realiter, ſi ſit ſermo de conſtitutione eſſentiæ Phyſicæ, vel ratione noſtra ſi ſermo ſit de eſſentia Logica, ſeu Metaphyſica. Minor etiam quod conceptus radicis perfectiſſimæ inducat voluntatem, ſuadetur quia ſicut in eſſe principij, & radicis creaturarum nondum perfectè intelligitur Deus niſi vt agens per intellectum, & voluntatem, vt ſic ne cæco modo, inordinatè, & ſine intentione finis operetur; ita vbi concipitur eſſentia Dei quaſi principiare & obire munus radicis ratione noſtrâ reſpectu aliarum perfectionum, opus eſt vt ex intellectu, & intentione perfectiſſima tales perfectiones procedere intelligantur.

Vt ſic concepta formaliter imbibit voluntatem.

26 *Tertia concluſio. Tametſi volitio ab intellectione obiectiuè diſtinguatur, adhuc eſſentiam formaliter conſtituet.*

Dico tertiò, quod plus confirmat concluſionem præcedentem; Quamuis ab intellectione diuinâ ex natura rei formaliter, ſeu virtualiter intrinſecè differret volitio (quæ diſtinctio nullatenus admittenda, vt conſtabit diſputatione ſequenti) adhuc tamen non diſtingueretur ab eſſentia Dei, ſed iſta intrinſecè conſtitueretur ex intellectione, & volitione eſſentialiter, vt homo ex materia, & forma, vt arbor ex trunco, & ramis, vt animal integrum ex capite, & corde. Suadetur: nam volitio adhuc in hac hypotheſi non eſt quid accidentale, ſed ſubſtantiale non in obliquo, ſed in recto, & ſubſiſtenter ſignificatur nomine *Dei* non minus quam nomine *hominis* ſignificetur ipſa anima rationalis, imò volitio diuina magis per ſe, & ſubſiſtenter ſtat, ſiquidem non aduenit intellectioni tanquam ſubiecto, in quo recipiatur ſicut anima rationalis aduenit materiæ: Ergo volitio in hac hypotheſi pertinet ad ipſam eſſentiam Dei. Probatur hæc conſequentia; nam quidquid in recto clauditur in conceptu alicuius pertinet ad illius eſſentiam, ſiquidem iam non concipitur vt alteri adiacens, neque ob aliam rationem eſſentia aggregati coaleſcentis ex pluribus ſubſtantiis, verbi gratia. eſſentia *Vniuerſi Ternarij* hominum, &c. Ex æquo non vnam tantum, ſed plures ſubſtantias formaliter imbibit: Ergo cum volitio in hac hypotheſi ſit per ſe ſubſiſtens, & omnino ſubſtantialis

formaliter

formaliter imbibetur in eſſentia Dei. Confirmatur quidquid pertinet ad ſubſtantiam rei pertinet ad eius eſſentiam obiectiuè,& realiter loquendo, ſaltem partialiter; nec enim ſtare poteſt integra eſſentia rei vbi deeſt aliquid ſubſtantiale illius quantumuis hoc,quod deficit,ſit minus principale,ideo non datur integra eſſentia hominis deficiente materia prima; integra eſſentia arboris completæ deficiente vel vno ramuſculo. Tunc ſic; ſed volitio in hypotheſi quod diſtingueretur non ſolum ratione, ſed etiam reipſa ab intellectione pertineret ad ſubſtantiam Dei: ergo pertineret ad eſſentiam.

27 Ex quo vt dixi amplius confirmo concluſionem præcedentem de indiſtinctione etiam per rationem volitionis diuinæ ab eſſentia: illud pertinet formaliter ad eſſentiam rei ratione noſtra,quod ad ipſam ſpectaret realiter ſi realiter diſtingueretur: Sed ſi volitio diſtingueretur realiter ab intellectione Diuina pertineret realiter ad Diuinam eſſentiam: ergo volitio ratione noſtra loquendo de facto pertinet ad Diuinam eſſentiam: Conſequentia legitima eſt, minor conſtat ex §. præcedenti. Maior propoſitio ſuadetur,nam modus noſter concipiendi eſt ad ſimilitudinem eorum, quæ in realiter diſtinctis experitur; ſic ea formalitas cenſetur ratione noſtra oriri ab alia, à qua ſi foret realiter diſtincta realiter oriretur; ita eſt vna formalitas ratione noſtra prior altera reſpectu cuius ſi intercederet realis diſtinctio realem prioritatem haberet, verbi gratia, intellectio Diuina eſt prior ratione noſtra, quam volitio ex eo quod ſi inter volitionem & intellectionem diuina realis diſtinctio daretur intellectio realiter præcederet volitionem: Ergo ſimiliter illud prædicatum pertinet formaliter ratione noſtra ad eſſentiam rei,quod ſi realiter diſtingueretur pertineret realiter ad eius eſſentiam: Ergo ſi volitio Diuina caſu quo realiter diſtingueretur ab intellectione (de hoc caſu & in hac hypotheſi loquor non in caſu diſtinctionis realis ab ipſa eſſentia, vt per ſe patet) ſpectaret adhuc realiter ad eſſentiam Dei non obſtante quod eſſet volitio realiter poſterior, realiterque fundata, & quaſi radicata in intellectione, ſimiliter loquendo de facto dicendum eſt volitionem formaliter ratione noſtra, ſeu ex parte modi noſtri concipiendi pertinere ad eſſentiam Dei quantumuis ratione diſtinguatur,& poſterior ſit quam intellectio.

DISPVTATIO LVIII.

An voluntas Dei ab intellectu Diuino diſtinguatur vel ſaltem volitio ipſa actualis ab intellectione; & qualis ſit hæc diſtinctio?

Sectio I. *Status quæſtionis, & Authorum ſententiæ.*

Sectio II. *Primum fundamentum pro diſtinctione ex parte obiecti ex eo quod cognitio dirigens debeat eſſe prior volitione directa per ipſam.*

Sectio III. *Secundum fundamentum pro diſtinctione ex parte obiecti cognitionis dirigentis à volitione ex eo quod cognitio dirigens trahat, & alliciat voluntatem ad amorem.*

Sectio IV. *Tertium fundamentum pro diſtinctione ex parte obiecti cognitionis dirigentis à volitione ex eo quod non ſufficiat cognitio concomitans ad amorem diſtinctum.*

Sectio V. *Quartum fundamentum pro diſtinctione ex parte obiecti cognitionis dirigentis à volitione ex eo quod amor liber à ſua directione diſtinguatur.*

Sectio VI. *Eligitur ſecunda ſententia approbaturque, & probatur indiſtinctio omnis ex parte obiecti volitionis Diuinæ ab intellectione.*

Sectio VII. *Probatur vltimo vera ſententia ex eo quod non ſit neceſſaria diſtinctio ex parte obiecti vt volitio dirigatur ab intellectione.*

Sectio VIII. *Solutio fundamentorum,quæ poſita ſect. 2. pro oppoſita ſunt ſententia.*

Conſtat ex diſp. præced. poſſe diſtingui ex natura rei virtualiter, vel formaliter volitionem Diuinam ab intellectione, & adhuc eſſe indiſtinctam vtramque ab eſſentia Dei,quæ ex duplici conceptu vel quaſi parte coaleſcat,vt hominis eſſentia ex corpore & anima; *Quædam prænotantur.* quare hypotheticè proceſſi etiam caſu quo volitio ab intellectione diſtingueretur. Modo in hac diſput. diſquirenda eſt diſtinctio, quæ intercedit inter intellectionē,& volitionem: & quidem tota diſput. eſt de diſtinctione obiectiua,& independenter à ratione,& noſtro modo concipiendi. Nam per rationem noſtram extra controuerſiam eſt dari diſtinctionē, ſi quę alia cum fundamento in re inter volitionem & intellectionem diuinam; vt ſatis conſtat ex à me dictis pro tuenda diſtinctione rationis ratiocinatæ inter perfectiones diuinas etiam vt Dei proprias & in ſua linea infinitas in tract. de eſſentia & attribut. quod etiam noto hic in §. 4. vt iſta diſtinctione rationis ſuppoſita procedam ad indagandam detur ne alia maior.

SECTIO I.

Status quæſtionis, & Authorum ſententiæ.

Licet diſtinctio ex parte obiecti volitionis ab intellectione ex variis fundamentis probari ſoleat modo tamen pro præſenti quæſt. expendendum ſolùm eſt præcipuum fundamentum,quod ſumi ſolet titulo directionis, quam exercere debet in volitionem intellectio, ea enim directio explicationem ſatis latam deſiderat quæ iuſtum vnius diſput. laborem expoſcat, cum ferè inextricabilis difficultatis ſit cum prædicta directione volitionis ad intellectionem, omnimodam identitatem vtriuſque ex parte obiecti defendere, vt manifeſtè conſtabit intuenti diſput. præſentem. 1

Omittendum igitur eſt primum fundamentum generale ex eo quod ſemper debeat intercedere diſtinctio ex natura rei inter perfectiones Diuinas, quarum ſunt definitiones diuerſæ, de hoc enim fundamento latiſſimè egi in tract. de eſſent. & attrib. Secundò omittendum eſt fundamentū, ex eo quod volitio ſit actus vitalis, de ratione autem vitalis actionis 2

ter, quia prioritas neceſſaria ſimilem, & proportionatam diſtinctionem inuoluit. Antecedens ſuadetur, de ratione directionis eſt præire & dictare quid faciendum ſit antequam fiat ſicut de ratione docentis eſt prius proponere doctrinam, quam alius eam accipiet & exequatur. Sed cognitio dirigit Deum ad habendam volitionem ipſique demonſtrat & quaſi docet obiectum amandum. Ergo neceſſariò præire debet amori, & volitioni tendenti in tale bonum, cognitio quæ ipſum amorem dirigat. Confirmatur directio quatenus directio eſt actiuitatem denotat in rem directam; Vnde ſicut implicat rem aliquam eſſe effectam à ſeipſa, ita implicat eſſe edoctam, ſeu directam. Sed omnis actiuitas imbibit prioritatem: Ergo cognitio titulo directionis debet eſſe prior, & conſequenter diſtincta à volitione.

8 *Reſponſio inefficax.* Si dicas per *dirigere* nil aliud denotari, quam quod cognitio illuſtret obiectum in quod tendit volitio. Contra eſt. Nam pone volitionem creatam quæ ſimul repræſentatiuè tendat in ſuum obiectum quaſi diſparate & concomitanter; cum enim idem actus poſſit reſpicere duo obiecta formalia diſparata, vt ſit idem actus temperantiæ, & Religionis, fidei, & ſcientiæ, cur repugnabit idem qui ſit amor & cognitio eiuſdem obiecti, quod videtur admitti à Ripalda diſpur. 47. de ente ſupernaturali numero 19.. Tum ſic in hoc caſu illa cognitio non dirigit ad talem volitionem, indiget enim talis volitio aliâ diſtinctâ, & præuiâ cognitione quâ dirigatur alioqui etiam in creatis poſſet dari volitio identificata cum cognitione dirigẽte. Ergo dirigere non eſt ſolum illuſtrare obiectum volitum ſed aliquo modo impellere, & cauſare volitionem quod actiuitatem, & prioritatem denotat.

9 Secundo idem fundamentum prioritatis requiſitæ ad directionem cognitionis probatur. Ratione directionis etiam in Deo ex parte obiecti loquendo, & independenter ab intellectu verum eſt commune axioma *nihil volitum quin præcognitum*: ſic dixit Anſelmus in Monologio cap. 48. *palam certè eſt rationem habenti eum (ſcilicet Deum) non idcirco ſui memorem eſſe, aut ſe intelligere, quia ſe amat, ſed ideo ſe amare quia ſui meminit, & ſe intelligit.* Vnde Iuſtinus Martyr. 3. ad Gentes: *Voluntas* (inquit) *in Deo eſt ex ſubſtantia non ſubſtantia ex voluntate* ex quo S. Thom. 1. part. quæſt. 19. art. 1. etiam de voluntate Diuina ſtatuit quod conſequitur intellectum, & generaliter ipſum voluntarium definitur *quod eſt à principio cognoſcente.* Ergo cognitio aliquo modo ex parte obiecti eſt principium; eſtque prior volitione, volitioque in aliquo vero ſenſu independenter à noſtro cogitandi modo eſt à cognitione, & dum dicitur. *Ideò Deus amat quia cognoſcit* vera prioritas, & obiectiua cauſalitas ſignificatur, & non ſolum logica, & in ſubſiſtendi conſequentia, quatenus valet benè, *eſt amor ergo eſt cognitio* non verò è contra, cum plura Deus cognoſcat, quæ non amat vt peccatum; non inquam hic ſolum denotatur cauſalitas logica, ſed vere phyſica, vt à principio, ſiquidem D. Anſelmus reſpectu amoris de ſeipſo ponit in Deo hanc cauſalitatem; at reſpectu ad ipſam eſſentiam Diuinam non habet cognitio prioritatem erga amorem in ſubſiſtendi conſequentia, nam in ordine ad ipſam eſſentiam Dei conuertibiles ſunt amor, & cognitio Diuina.

Anſelm.

Iuſtinus Martyr.

S. Thom.

10 *Alia reſponſio.* Si dicas hanc cauſalem non eſſe quidem in ſubſiſtendi conſequentia, & logicè, ſed etiam phyſicè, non ſolum *in quo* ſed etiam *à quo*. At non ex parte obiecti euenire, ſed ſolum ratione noſtra ſumi hanc cauſalem ex modo noſtro concipiendi Diuinas perfectiones per analogiam ad creaturas. Si inquam hoc dicas, contra eſt, quia ſic ſolum nobis foret vera illa cauſalis: *ideo Deus ſe amat quia ſe intelligit*: non autem foret vera ex parte obiecti loquendo de ipſo Deo in ſe intrinſecè; cum tamen dicat vniuerſaliter D. Anſelmus cuilibet rationem habenti eſſe veram, & manifeſtam cauſalem illam. Deinde ſi liceret cauſalem prædictam ſolam iuxta modum noſtrum concipiendi admittere, eadem licentia poſſet quis dicere volitionem Diuinam non dirigi à cognitione vere, & ex parte rei niſi ſolum iuxta noſtrum modum concipiendi: etenim non magis nobis conſtat directio, quam *Prædirectio*, ſeu præcedentia directionis. Ergo ſi directio ſtatuenda eſt ex parte obiecti, & independenter à noſtro modo concipiendi ita, & præcedentia directionis.

Refellitur.

Volitio Diuina vere, & ex parte obiecti dirigitur à cognitione.

Forte dices etiam ex parte obiecti volitionem eſſe à cognitione Diuina, ſed adhuc bene perſiſtere indiſtinctionem virtualem, imò quia amor indiuiſibiliter eſt idẽ virtualiter cum cognitione; dum ipſe amor Diuinus eſt à ſe etiam erit à cognitione. Sed contra hinc maximè, tertio arguitur, & vrgetur fundamentum poſitum. Speciali ratione Amor debet eſſe à cognitione, quo ipſa cognitio non eſt ab amore; vt enim dicitur *nil volitum, quin præcognitum*, non ita dicitur: *nil cognitum, quin prævolitum.* At ratione huius ſolutionis admiſſa, æqualiter cognitio eſt ab amore, ac eſt cognitio à ſe ipſa, amorque eſt ab ipſo amore. Ergo omnino eſt inſufficiens modus iſte explicandi communem cauſalitatem cognitionis in amorem, qua dicitur amor eſſe à cognitione. Imò ſi non detur vera prioritas in re ipſa ex parte cognitionis; nihil prorſus dari poteſt ratione cuius potius ſit volitio à cognitione, quam è contra. Quid enim eſſe poterit diuerſitatis? ſi nil diuerſitatis eſt inter cognitionem, & amorem? Confirmatur Amor non ſolum debet eſſe à cognitione, ſed à præcognitione; ita enim ſonat axioma: *nil volitum, quin præcognitum*: quod ſi in hoc ſenſu negetur, eadem ratione negari poſſet, quod omne volitum debeat eſſe cognitum, neque enim clarius, vel vrgentiori fundamento nobis conſtat neceſſitas cognitionis ad amandum, quam præcognitionis, ſeu quam cognitio debeat eſſe prior, & præcedens: tunc ſic ſed in amore nil replendet ex parte obiecti ſi ipſe ſit formaliter cognitio, cur dicatur eſſe à *præcognitione*, cur potius volitioni, quam cognitioni conueniat ly *præ*. Ergo, &c. 11

SECTIO III.

Secundum fundamentum pro diſtinctione ex parte obiecti cognitionis dirigentis à volitione ex eo quod cognitio dirigens trahat, & alliciat voluntatem ad amorem.

Hinc ſic arguitur obiectum media ſui cognitione trahit, allicit, mouet voluntatem ad amorem, ſed hoc habere non poſſet, niſi cognitio verè, & ex parte obiecti præcedat, & diſtinguatur. Ergo cognitio dirigens debet ex parte obiecti præcedere, & diſtingui virtualiter intrinſecè ab amore, ſeu volitione. Conſequentia optima eſt. Maior probatur, tum ex communi axiomate, quod *in-* 12

Secundum fundamentum ex eo quod cognitio moueat alliciatque ad Amorem.

tellectio trahat ad ſe obiectum volitio autem trahitur ab obiecto quod non præſtat obiectum, niſi mediâ cognitione; bonitas namque obiecti in eſſe rei accepta, non eſt proportionata appetitui elicito, nec plus ipſi conſonat, quam ſi eſſet malitia, niſi quatenus cognoſcitur; tum etiam probatur eadem maior propoſitio, ſeu allicientia obiecti (media cognitione) ita comparatur bonitas obiecti, vt ametur; ac petitio, ſuaſio, meritum comparantur, vt propter illa verbi gratia amor ſeu volitio præmiantis eliciatur, bonitas enim obiecti, quaſi clamat vt ametur. At petitio, ſuaſio, & meritum verè trahunt, & alliciunt voluntatem, ipſamque determinant: Sicut enim imperium internum (ſeu actus imperans, & petens) vere determinat ad actum imperatum, ſeu volitum, ita & imperium externum, ſeu petitio determinabit. Ergo bonitas obiecti (media quidem cognitione, nam per ſe, & per ſuam entitatem phyſicam nil immutat, aut mouet appetitum elicitum voluntatis) alliciet, trahet, ſeu determinabit, & mouebit voluntatem ad amorem.

13 Nunc probatur minor propoſitio num. præcedenti, quod ſcilicet hæc allicientia motio *&c.* Quam exercet bonitas obiecti mediâ cognitione neceſſariò arguat diſtinctionem intrinſecam ex parte obiecti à volitione, ad quam mouet, & allicit: Probatur inquam, nam complacentia alliciens in amorem efficacem neceſſario diſtinguitur ex parte obiecti à tali amore vt patet in complacentiâ tentationis inclinantis ad conſenſum, quæ à tali conſenſu ex parte obiecti diſtinguitur; rurſus actus imperans neceſſario diſtinguitur ab imperato, petitioque eſt quaſi quoddam meritum à voluntate conferendi præmium petitum; quæ omnes diſtinctiones in aliâ re fundari nequeunt, niſi quod repugnet dari ex parte obiecti veram inclinationem, & allicientiam, ſeu determinationem ſine vera, & obiectiuâ diſtinctione, Ergo cum cognitio Diuina alliciat, & determinet Diuinam voluntatem ad amandum, opus eſt, vt ab ipſo amore diſtinguatur ſaltem virtualiter intrinſecè.

14 Si dicas bonitatem obiecti propriè, & ſtrictè non mouere, & allicere ad amorem ſui, niſi eo præcisè ſenſu, qui neceſſarius eſt vt verum ſit voluntatem propendere in bonitatem cognitam, quod rectè ſtat ſine præcedentia, vt patet in appetitu innato qui etiam propendet in ſuum bonum phyſicum, neque ideò tale bonum debet præſupponi ad ipſum appetitum vt patet quando materia propendet in formam tanquam in ſuum bonum; item patet in ipſo appetitu elicito; etenim non minus bonum cognitum vt exiſtens dicitur inclinare ad gaudium, & ad ipſum mouere & allicere voluntatem quam bonum ſecundum ſe moueat & alliciat ad amorem; & tamen iuxta omnes gaudium, verbi gratia quo Deus ſibi complacet de ipſo ſuo amore, non præſupponit cognitionem de tali amore vt exiſtenti alias procedere deberent diſtinctæ reflexiones in infinitum, nam ſi ad gaudendum de amore requiritur ſpecialis cognitio præuia de tali amore vt exiſtente, ad gaudendum reflexè de hoc gaudio (ſiquidem nihil habet Deus in ſe de quo non gaudeat) requiretur noua cognitio & ſic ſine fine.

15 Suadetur. 2. Si inquam dicas reſponſionem relatam in §. præcedenti, hinc ſecundo vrgetur prædictum fundamentum, quia ſi ſemel explicetur ita allicientia & motio rectè ſtare poſſet, quantumuis cognitio dirigens, & alliciens daretur pro poſteriori; Sicut materia propendet in formas pro poſteriori exiſtentes, & ſicut cognitio eo quod non requirat quod eius obiectum ſit præexiſtens, contenta eſt quantumuis tale obiectum ſit pro poſteriori ad illam; Sic veritas poſſibilium, quæ eſt obiectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ pro poſteriori intelligitur ad talem ſcientiam; ſiquidem iuxta veriorem ſententiam ex omnipotentia Dei directâ, & completâ per infinitam ſcientiam probatur poſſibilitas rerum creatarum. Ergo, ſiquidem manifeſtum eſt quod allicientia iſta cognitionis venire non poſſet ſi cognitio foret pro poſteriori ita nec bene intelligetur exerceri ex parte obiecti niſi cognitio verè ſit diſtincta, & pro priori. Vnde patet nullius argumenti eſſe paritatem appetitionis innatæ; nam reſpectu huius inclinatio non venit ab ipſo bono, ſed ab ipſa eſſentia rei appetentis, quæ per ſe, & ratione ſui inclinata eſt, & applicata ad bonum, quare non indiget aliquo præuio præter ſeipſam ſicut appetitus elicitus. Inſtantia etiam gaudij nulla eſt nam quando bonum eſt indiſtinctum ab ipſo amore, non mirum, quod ſine diſtincta cognitione ametur, quaſi in actu exercito, & ita ſe habet gaudium diuinum, vt de ſeipſo gaudeat, in præſenti autem loquimur etiam reſpectu obiecti, & boni extrinſeci de quo diuerſa eſt ratio, nam cum tale bonum extra nec ſe habeat ad amorem, nihil eſt ratione cuius inclinet voluntatem, niſi media cognitione, vt præmotione.

Tertio ex hoc eodem fundamento ſic argui poteſt. Nequit non ſcientia meritorum præcedere volitionem collatiuam præmij, quoad executionem. Ergo etiam ſcientia bonitatis obiecti debet præcedere volitionem eiuſdem. Conſequentia patet, quia merita ſolum ratione ſuæ bonitatis alliciunt voluntatem, neque in ipſis ſpeciale quid invenitur niſi habere conuenientiam *obſequij*, quod eſt genus quoddam bonitatis. Iam antecedens, quod ſcilicet ſcientia meritorum præcedat volitionem executiuam præmij manifeſtum eſt; licèt enim aliqui teneant intentionem efficacem gloriæ eſſe ante præuiſa abſolutè merita, at nemo id dixit de volitione executiua, ſed omnes ſupponunt volitionem exequutiuam gloriæ eſſe poſt ſcientiam abſolutam meritorum. Neque refert quod volitio collatiua præmij de facto ſit libera, etenim nemo præuiſionem abſolutam meritorum requiſiuit titulo libertatis præmiantis; ſed ob cauſalitatem, quam exercet meritum reſpectu præmij quæ cauſalitas non tolleretur, quantumuis fingeremus Deum neceſſitatum ad præmiandum; ex hac enim neceſſitate ſolum arguetur maior vis & energia cauſalitatis meritorum in præmium. Ergo nulla ratione tollitur ſed à fortiori ponitur, data per impoſſibile hac neceſſitate, cauſalitas meritorum in præmium, & conſequenter cauſalitas cognitionis meritorum in volitionem: nam meritum immediatum ratione ſui non cauſat præmium, nec voluntatem præmiandi vt per ſe patet, reſtat ergo vt cauſet media cognitione. 16 Suadetur. 3.

Quarto diſtinctionem cognitionis allicientis ad volendum præmium (& conſequenter cuiuſuis alterius cognitionis allicientis) præcedentiamque eiuſdem ſic probo. Inſpecta vis meritorum antecedenter, & conſequenter condiſtincte, ad volitionem præmiandi concipitur allicere remuneratorem potius quam ſi darentur opera pure indifferentia, vel diſparata, vel alia res purè ſecundum eſſe phyſi- 17 Suadetur. 4

cum.

cum. Tunc ſic; ſed talis vis meritorum non allicit remuneratorem [vt cognoſcat merita, nam reſpectu mouendi ad cognitionem, ſeu vt apprehenduntur merita vt Valentia ad cognitionem ſui determinare, nihil habent ſpeciale merita præ aliis obiectis purè phyſicis: ergo merita alliciunt vt amentur. At pro illo priori antecedentia non poſſunt mouere in eſſe rei: ergo vt cognita, ergo pro priori illo imbibitur cognitio, quæ antecedere debeat. Explicatur; remunerator pro priori antequam velit præmium intelligitur allectus, & inclinatus meritis. Sed non allicitur niſi per cognitionem, ergo iam Deus vt remuneret eſt pro priori cognoſcens.

18 *Suadetur 5.* Quintò ex eodem fundamento ſic arguitur, merita vt cognita ſuadent & impellunt in volitionem præmij; pone enim quod merita ſint petitiones orationes, &c. quæ in nullo à ſuaſionibus differunt. At nequit exerceri impulſus, & ſuaſio niſi in rem diſtinctam, & pro poſteriori exiſtentem; impulſus enim tendit vt exiſtat res, in quam impellit ac proinde non ſupponit illam exiſtentem, ergo, &c. Explicatur nam ſi petitio vt cognita non deberet eſſe pro priori: ergo nec cognitio præcepti, & imperij, deberet eſſe diſtincta, & pro priori ad actionem imperatam: conſequentia patet; nam petitio ab imperio, & præcepto in nullo differt niſi quod ſit à ſuperiore, vel inferiore: quæ differentia ad præſens non refert. Tunc ſic; ergo ſimiliter poſſet eadem formalitas virtualiter ſubire munera etiam actûs imperantis, & imperati. Conſequentia hæc patet, tum quia cognitio imperij munus exercet actus imperantis; tum etiam quia ſicut actus imperatus ponitur ex vi imperij, ita & amor iſte ex vi huius ſcientiæ.

SECTIO IV.

Tertium fundamentum pro diſtinctione ex parte obiecti cognitionis dirigentis à volitione ex eo quod non ſufficiat cognitio concomitans ad amorem diſtinctum.

19 *Tertium fundamentum, ex eo quod cognitio concomitans ad amorem diſtinctum dirigere non valeat. Suadetur 1.*

SIc ex hoc fundamento argumentum formatur. Si ſufficeret cognitio identificata cum amore ſufficeret etiam cognitio concomitans ad amorem diſtinctum, ſed cognitio ſic concomitans non ſufficit. Ergo nec cognitio identificata. Conſequentia legitima eſt; minor certa apud omnes: maior probatur tum quia, ſi cognitio nec virtualiter diſtinguitur ab amore iam cum illo eſt purè concomitans; tum etiam iam hîc non tenebit axioma *nihil volitum quin præcognitum*; ſed tantum verificaretur *nihil eſſe volitum quin ſit cognitum*: ſicut eueniret in cognitione concomitante, ratione cuius quod volitur cognoſcitur: Ergo ſi ſufficeret cognitio identificata cum amore ſufficeret concomitans vt nullum ſupereſſet argumentum, quo conuinceretur, qui vellet ſufficere puram concomitantiam in cognitione diſtincta.

20 *Reſponſio.* Si dicas: cognitio debet illuſtrare principium ipſum volens, nam de ratione principij volitionis eſt, vt ipſum principium per cognitionem applicetur ad eliciendam volitionem, ad quod requiritur dari cognitionem in ipſo principio volendi; ex quo ſi diſtinguatur cognitio a volitione, iam cognitio debet eſſe pro priori, vt principium dirigat: ſecus eueniet ſi volitio à nullo producatur, *Improbatur.* ſed ſit omnino à ſe, vt contingit in Deo; ideoque poterit identificari cum amore ſine vlla præcedentia. Si hoc inquam dicas contra eſt: nam ſi ponas cognitionem in Deo eſſe diſtinctam virtualiter à volitione, & vtramque formalitatem eſſe omnino à ſe, & comparari purè concomitanter in hoc caſu cognitio Diuina inſufficiens erit dirigere ad volitionem ſiquidem nullo modo volitio eſſet à cognitione: Ergo cognitio requiritur prior reſpectu volitionis non ſolum titulo quod debeat eſſe ex parte principij, vt illud dirigat, ſed ratione ipſius motionis, & directionis, quam in volitionem debet exercere.

Imo hinc ſecundò arguitur poſita probabili ſententia, quam probabo in opere philoſophico, vt ſatis communem quod ſcilicet voluntas poſſit amare per amorem ab ipſa non effectum, ſed infuſum à ſolo Deo: vti putant, qui conſtituunt actum vitalem in qualitate abſoluta: Tunc ſic, adhuc in hac ſententia prærequiritur cognitio prior; adhuc enim in hac ſententia firmum eſt axioma *nihil volitum quin præcognitum*. At non requiritur prioritas cognitionis ex parte principij efficientis volitionem, ſiquidem hic voluntas volitionem non efficit: Ergo quod prærequiratur cognitio prior nec ſufficiat concomitans; non oritur niſi præciſè ex ipſo conceptu volendi prærequirenti ſemper cognitionem præuiam. 21 *Secundò.*

Tertiò ex prædicto fundamento ſic arguitur non ſufficit pro directione cognitionis in amorem coexiſtentia cognitionis, ſeu quod cognitio, & amor eiuſdem obiecti ſimul exiſtant, dari namque poſſunt ſimul cognitio de eodem obiecto circa quod tendit, ſeu quod amat volitio, quin volitio dirigatur à tali cognitione: Ergo ſimiliter etiamſi cognitio Diuina identificetur cum amore de eodem obiecto, non ideo diriget talis cognitio. Antecedens eſt certum, quia directio non conſiſtit in ſolâ coexiſtentiâ amoris, & cognitionis, ſæpè namque contingere poteſt quod exiſtat cognitio de aliquo obiecto, & tamen ea cognitio quaſi diſparata ſe habeat ad amorem (etiamſi iſte ſit de eodem obiecto) qui non ab illa, ſed ab alia cognitione tunc exiſtente procedit, & dirigitur; finge in voluntate vt amet Deum duas cognitiones dari de diuina bonitate, verbi gratia, naturalem, & ſupernaturalem cognitionem; cur non poterit ab hac dirigi, & non ab illâ. Ecce iam datur coexiſtentia amoris cum cognitione naturali de eodem obiecto, nec tamen amor dirigitur à cognitione naturali; ita contingit, quando alliciente bonitate duorum finium incompoſſibilium, verbi gratia, vanitatis, & humilitatis, vt quis velit confiteri eligit confeſſionem extrinſecè motus, & directus ex cognitione bonitatis relucentis in humilitate, non vero ex vanitate. In quo caſu cum æqualis detur coexiſtentia cum amore in vtraque cognitione, volitio confitendi dirigitur, ſeu allicitur ab vna, & non ab alia: Ergo non ſufficit pro directione cognitionis in amorem ſola coexiſtentia vtriuſque. 22 *Tertiò.*

Iam prima conſequentia quod ſcilicet, ſi non ſufficit coexiſtentia non ſufficiat identitas probatur: nam identitas cognitionis cum amore ſecundùm ſe nihil aliud præſtat quam prædicta coexiſtentia; cur enim ſicut poteſt quis cognoſcere aliquam bonitatem & illam ſimul amare habente ſe prædicta cognitione purè concomitanter, non poterit etiam cognitio quantumuis identificata cum amore concomitanter, & purè diſparatè, ſe habere inſufficienterque ad directionem: ita ſcilicet vt amor ille adhuc indigeat noua directione iuxta

dicta §. 8. Tunc ſic. Ergo ſtat cognitionem identificati cum amore circa idem obiectum; quin ideo talis cognitio dirigat ad amorem illum. Ergo nunquam diriget cognitio amorem cum quo identificatur: hæc conſequentia conſpicua eſt: nam effectum, quem ſemel non præſtat identitas, ſeu res vna ex eo quod identificetur cum alia, nunquam præſtare poteſt, cum ſemper inuariabiliter ſe habeat; ſecus continget quando cognitio ſit diſtincta, nam tunc facile à non dirigente in dirigentem, & mouentem variari poſſet, verbi gratia, quatenus cognitio ſortiri poſſit actionem ſpecialem in amorem, qui modus dirigendi conuenire nequit cognitioni identificatæ erga amorem cum quo identificatur. Confirmatur nam ſaltem identitas cognitionis cum amore non plus præſtat in directionem amoris quam præſtet coëxiſtentia cognitionis diſtinctæ præcedentis pro priori ex parte principij ad amorem vt ipſi aduerſarij dicunt in §. 20. At poteſt cognitio præcedete pro priori ad amorem, quin in illum ſibi coëxiſtentem directionem exerceat, & quin hæc coëxiſtentia ſic ſufficiens ſit ad dirigendum vt patet in exemplo adducto in §. 22. vbi qui vult confiteri, verbi gratia, poteſt quando eligit confeſſionem allici pro priori ex cognitione bonitatis, quæ relucet in humilitate, ad quam conducit confeſſio, & rurſus ex cognitione vanitatis ad quam etiam conducit, vt ſcilicet habeatur ab hominibus vt Sanctus, & Virtuoſus. In quo euentu electio, ſeu amor confeſſionis mouetur, ſeu dirigitur ex cognitione humilitatis, non autem ex cognitione vanitatis quantumuis præcedente pro priori vt ſuppono, & neceſſario dicendum eſt, cum amor confeſſionis oriri poſſit, & dirigi ex cognitione vanitatis quod fieri nequiret niſi talis cognitio præcederet pro priori: Ergo iam datur quod dicta cognititio coëxiſtat amori, & quod talis coëxiſtentia ſit pro priori, quin ideo dirigat. Ergo non ſufficit directioni coëxiſtentia cognitionis præcedentis etiam pro priori ex parte principij. Ergo nec ſufficiet identitas. Ergo eo quod cognitio Diuina identificetur cum amore nondum ſatis eſt etiam ſi verſetur circa idem obiectum, vt eum dirigat.

24 Si dicas; quamuis non ſufficiat ad directionem qualiſcumque coëxiſtentia cognitionis cum amore etiam habente idem obiectum, ſufficere tamen ſi cognitio non per accidens coëxiſtat volitioni, ſed ita vt volitio eſſentialiter connectatur cum cognitione, & ita ab ea cognitione ſit, vt à nullo alio tanquam à principio ſtrictius ſit quam ab ea cognitione; quod non habet cognitio creata, quæ vtcumque etiam pro priori coëxiſtit cum volitione creata, vt patet in exemplo allato §. præced. vbi volitio confeſſionis ſtrictius eſt à cognitione de humilitate, quam de vanitate, item id non habet volitio creata quantumuis identificaretur cum cognitione de eodem obiecto, adhuc enim talis volitio ſtrictius procederet à ſua cauſa, quam à tali cognitione ſecum identificata, ob quod ab hac non dirigeretur, ſed prærequireret nouam cognitionem præuiam ex parte principij. At volitio Diuina, & connecteretur eſſentialiter cum cognitione illa proponente ſibi illud obiectum quod amat, ſiquidem daretur identitas cognitionis cum ea volitione; ruſuſque cum volitio omnino incauſata ſit à nullo principio eſſet, ſeu procederet ſtrictius, quam à tali cogintione. Ergo ſufficiens foret prædicta cognitio, vt exerceret munus dirigendi in eam volitionem; ſi inquam hæc dicas.

Ex hac ſolutione qua poteſt & vrgeri quartò 25 Quarta.
poſitum fundamentum. Identitas cognitionis cum volitione creata, ſi poſſibilis admittatur etiam circa idem obiectum, vt poſſibilem indicat Ripalda, Ripald.
diſput. 47. de ente ſupernat. num. 19. comparatur, in ordine ad dirigendum, cognitioni pure concomitanti, & conſequenter eſt inſufficiens directioni, ſicut inſufficiens eſt concomitantia. Ergo idem dicendum eſt de identitate Diuinæ cognitionis cum volitione Diuina. Conſequentia probatur, quia iam illa volitio creata eſſentialiter connectitur cum ea cognitione, item iuxta probabilem ſententiam de qua in §. 20. non requiritur principium, nec actiuitas phyſica ad viuendum intentionaliter, ſed ſine vlla actione cognoſcentis, vel amantis, poteſt quis formaliter cognoſcere, vel amare per actus à ſolo Deo infuſos, vnde amor vt vita intentionalis eſt à nullo principio cognoſcente ſtrictius eſt quam ab ea cognitione; licet enim phyſicè producatur à Deo; at per ſe illa volitio creata non dirigitur à cognitione exiſtente ex parte Dei. Ergo omnino cognitio identificata cum volitione erga idem obiectum in creatis parificanda eſt in ordine ad dirigēdum cum Diuina. Iam vero quod identitas in cognitione creata cum volitione comparetur concomitātiæ, ſuadetur tum quia adhuc talis volitio prærequirit aliā præuiam cognitionem vt fatetur Rip. vbi ſup. & patet ex §. 8. tū etiā quia alioqui ſi talis cognitio plures fines reſpiceret ex directione omnium diceretur haberi volitio, verbi gratia, volitio confitendi de qua §. 24. eſſet ſaltem extrinſece ex directione vanitatis, & humilitatis, &c. Etenim vt volitio dirigatur ex cognitione alicuius finis, dirigatur inquam *extrinſecè* non requiritur, quod talem finem *intrinſecè* amet volitio, ſed ſufficit quod cognitio illius eodem modo, & cum eadem proportione, & connexione comparetur, quo comparetur cognitio finis intrinſeci amati. Ergo volitio illa diceretur dirigi ex omnium finium, quos cognoſcit cognitio; quod neutiquam dicendum eſt; ſiquidem Deus non dicetur moueri ex bonitate creaturarum; licet illas cognoſcat, & amet.

SECTIO V.

Quartum fundamentum pro diſtinctione ex parte obiecti cognitionis dirigentis à volitione ex eo quod amor liber à ſua directione diſtinguatur.

Maximè omnium vrgens eſt fundamentum 26 Quartum fundamentū à paritate amoris liberi Diuini.
deſumptum à paritate amoris liberi Diuini, ſed mirum non eſt poſito arcano omnibus myſterio actuum liberorum Dei adæquatè, & omnino ipſi intrinſecorum, qua poſita opinione ſic arguitur: Cognitio vt exerceat munus dirigendi reſpectu amoris liberi neceſſum eſt vt ex parte obiecti Suadetur. 1.
loquendo & independenter ab intellectu ſit prior, præcedatque talem amorem liberum, quem dirigit, ergo ſimiliter dicendum eſt de cognitione reſpectu amoris neceſſarij. Conſequentia probatur, quia amor liber ſolum differt à neceſſario eo quod poſſit haberi aut non haberi hoc autem per accidens eſt ad præcedentiam: præterea amor liber à neceſſario ſolum differt eo quod ſit electio quædā ſui obiecti præ alio ac proinde ſolū differt eo quod cognitio dirigens amorem liberum non ſolum debeat

debeat proponere rationem boni in obiecto, ſed etiam mali hoc autem nullum diſcrimen eſt vt potius cognitio dirigens amorem liberum debeat eſſe prior,& præcedens quam dirigens ad amorem neceſſarium; ſi enim cognitio vt proponens bonum, quod proſequendum eſt ab amore, non requiritur præuiè præcedens: multominus requiretur ſic præcedens vt proponat malum, quod non amatur. Confirmatur; amor liber maximè requirit prioritatem cognitionis à qua dirigitur, quia talis cognitio mouet, ſuadet, & inclinat voluntatem ad amandum, ſed idem præſtat cognitio dirigens ad amorem neceſſarium. Ergo idem dicendum eſt de vtroque.

27 Iam antecedens primum in §. præced. nempè neceſſarium eſſe vt cognitio exerceat munus dirigendi erga amorem liberum, quod vere, & ex parte obiecti ſit talis cognitio prior, probatur: pro priori ad amorem liberum intelligitur voluntas indifferens ad amandum,& non amandum non quidem indifferentia purè paſſiua, ſeu puri appetitûs innati receptiui,hæc enim indifferentia inſufficiens eſt ad libertatem, ſed indifferentiâ actiuâ, quâ voluntas eſt proxime potens ad amandum, & non amandum, ſeu ad appetitionem elicitam;at indifferentia proxima, ſeu proxima potentia ad appetitionem elicitam conſtituitur ex cognitione,ita vt voluntas non ſit proxime potens ad amandum, niſi quatenus cognoſcens eſt. Ergo cognitio talis debet eſſe pro priori. Confirmatur cognitio dirigens ad amorem liberum non eſt eſſentialiter connexa cum tali amore, ſed vti ex libertate & determinatione voluntatis coniungitur de facto cum amore,ita coniungibilis eſt, & compoſſibilis cum odio: id eſt per ſe notum, alias talis cognitio indifferens non eſſet ſed euertens omnem libertatem. Ergo ſicut ea cognitio ſe habet reſpectu odij,ſi exiſteret, ita & ſe habet de facto reſpectu amoris, quem dirigit de facto: tunc ſic, ſed reſpectu odij ſe haberet pro priori; nam cum à tali odio diſtinguatur,ſiquidem ſeparatur de facto ab illo,& aliunde cognitio diſtincta non ſufficiat ad dirigendum ſi ſit purè concomitans vt conſtat ex ſectione præced. Conſequens eſt vt foret pro priori reſpectu odij ſi illud dirigeret,ergo nunc de facto pro priori erit reſpectu amoris,quem dirigit.

28 *Reſponſio.* Si dicas cognitionem reſpectu actus liberi non debere eſſe priorem à quo, ſeu per modum principij, ſed ſolum prioritate logica, & in ſubſiſtendi conſequentia: quatenus poteſt dari cognitio indifferens ſine amore, & non è contra, quæ prioritas nullam diſtinctionem ex parte obiecti, nec præcedentiam obiectiuam arguit, ſeu nullam præcedentiam, quæ diſtinctionem ex parte rei independentem ab intellectu expoſcat, inducit; nam eſſentia diuina eſt prior in ſubſiſtendi conſequentia verbi gratia reſpectu Filiationis, poteſt namque dari ſine Filiatione eſſentia vt in Patre, non tamen è contra Filiatio alicubi poteſt dari ſine eſſentia. Neque ideo tamen vlla diſtinctio eſt ex parte obiecti immediatè inter eſſentiam, & Filiationem, vt modo ſupponendum eſt ex diſp.15. & ex dicendis in tract. de Trinitate. Ergo ſine vlla diſtinctione immediata cognitionis dirigentis ad amorem liberum intelligi poteſt ſufficiens prioritas directionis cognitionis in talem amorem liberum. *Reijcitur.* Si inquam ita reſpondeas contra eſt quia prioritas in ſubſiſtendi conſequentia, etiam dari poteſt in cognitione pure concomitanti reſpectu amoris, vt patet primo in creatis verbi gratia ſi Angelus ſit neceſſitatus ſemper ad cognitionem ſui, tunc reſpectu Angeli amantis Deum cognitio de ſeipſo eſt purè concomitans, & tamen eſt prior logicè, ſi quidem vt ſuppoſui amor ille de Deo exiſtere non poteſt abſque eo quod Angelus ſe ipſum cognoſcat cognitio vero datur ſæpè quin amet Deum: idem patet in amore Diuino reſpectu cuius ſæpè ſcientia media comparatur concomitanter verbi gratia ſcientia conditionata de peccato futuro ſub conditione talis auxilij, quæ ſcientia poteſt dari abſque volitione collatiua talis auxilij: è contra verò volitio collatiua non poteſt dari abſque media illa ſeu conditionata ſcientia.

Cognitio poteſt eſſe prior logice reſpectu amoris concomitantis.

29 *Secundò.* Deinde ſecundò, ex hoc eodem fundamento ſic arguitur vt præcedentia cognitionis dirigentis debeat eſſe ſimpliciter talis ſeu per modum principij *vt quo* reſpectu amoris liberi. Actus liber vt talis reſpicit principium *à quo* determinetur, vt potius ſit ipſe, quam eius carentia; nam pro priori naturæ ad actum liberum requiritur indifferentia ad talem actum,& ad carentiam illius, implicat enim concipi libertas ſine facultate actiuè ſe determinante, ac proinde ſine prioritate *à quo*. Tunc ſic, ſed in illo priori naturæ, & indifferentiæ proximæ neceſſario inuoluitur cognitio iam; etenim voluntas nondum intelligitur proximè potens quouſque illuſtretur cognitione; alioqui quo pacto poterit vnam partem alij præferre, ſi omnino cæca præexiſtat: Ergo cognitio vt dirigat ad amorem liberum debet præcedere ad ipſum pro priori *à quo*: Ergo idem cenſendum eſt de directione ad amorem neceſſarium. Hæc conſequentia ſuadetur, nam vti vt amet liberè voluntas illuſtrari debet cognitione vtriuſque partis oppoſitæ vti debet ad amorem neceſſarium illuſtrari vnius partis cognitione. Si ergo dum amat liberè cognitio partis vtriuſque præcedit, ad amorem neceſſarium ſaltem præcedet cognitio de vna parte.

30 *Tertiò.* Tertiò vlterius ſic arguitur ex prædicto fundamento; cognitio dirigens ad amorem liberum diſtinguitur ex parte obiecti, & independenter ab intellectu noſtro ab amore libero diuino ad quem dirigit: ergo ſimiliter diſtinguitur ab amore neceſſario. Antecedens videtur per ſe notum, nam cognitio dirigens actum liberum compoſſibilis eſt cum eius carentiâ, ſiquidem ex vi illius poſſet arbitrium omittere,talem amorem; habet enim qui amat liberè potentiam ſimpliciter, & proximam ad actum oppoſitum, & conſequenter habet cognitionem ſufficientem, vt omittat prædictum amorem; habetque cognitionem indifferentem, & compoſſibilem cum carentia amoris. Hanc autem compoſſibilitatem habere non poteſt ipſe amor vt poſſit coniungi cum carentiâ amoris. Ergo cognitio dirigens ad amorem liberum opus eſt vt diſtinguatur ab illo. Iam conſequentia quod ſcilicet ſi cognitio diuina dirigens ad amorem liberum diſtinguitur à tali amore etiam diſtinguendam cognitionem dirigentem ab amore neceſſario probatur, quia cognitio, quæ dirigit ad amorem neceſſarium fit apta vt dirigat etiam ad liberum eo ſolum quod coniungatur cum cognitione repræſentante aliquid mali in obiecto; etenim eo ipſo iam voluntas ita amat vt poſſit non amare vi cognitionis, cognitioque proponit obiectum indifferenter: Ergo iam eadem eſt cognitio dirigens ad amorem liberum,& neceſſarium, & conſequenter ſi diſtinguitur ab amore libero etiam à neceſſario, quæ enim identificatur cum neceſſario nequit amori libero deſeruire,cum nequeat eſſe compoſſi-

bilis cum carentia amoris, qualis compoſſibilitas requiritur in cognitione dirigente amorem liberum. Rurſus totum diſcrimen quo differt amor liber à neceſſario non eſt quoad cognitionem boni quod amat, ſed mali quod odit, ſeu non amat: Ergo ſi etiam à cognitione dirigente ad bonum diſtinguitur amor liber, diſtinguetur ſimiliter neceſſarius.

SECTIO VI.

Eligitur ſecunda ſententia approbaturque, & probatur indiſtinctio omnis ex parte obiecti volitionis Diuinæ ab intellectione.

31 *Secunda ſententia proponitur.*

DIxi *omnis* vt tam diſtinctio formalis, quam virtualis intrinſeca, quæ ex natura rei eueniat, ſeu ex parte obiecti independenter à noſtra operatione intellectûs ſecludatur: cuius ſententiæ ſunt omnes Authores qui nullam diſtinctionem obiectiuam admittunt inter diuinas perfectiones realiter identificatas, quos omnes omnino eſſe præter Scotiſtas, & paucos Recentiores Theologos cum Herice diſp. 12. de voluntate, cap. 2. ſæpius dixi in tract. de eſſentia & attribut. ſpeciatim autem contra hanc diſtinctionem virtualem intrinſecam videatur P. Didacus Alarcon 1. part. tract. 5. de Trin. diſp. 2. c. 7. P. Iulius Cæſar Recupitus to. 1. de Deo lib. 3. qu. 4. c. 16. a num. 88. ſpecialiſſimè autem loquendo in particulari de volitione Dei hanc ſententiam de indiſtinctione obiectiua mordicus ſequitur P. Georgius Hemelman 1. part. tit. 3. diſp. 1. cap. 26. à num. 5. cum ingenioſis Recentioribus, quibus ſatis fauet P. Suar. diſput. 30. Met. ſect. 6. num. 13. & ſeqq.

Alarcon. Iulius Cæſ. Recupitus. Hemelm. cum Recentioribus, quibus fauet Suarez.

32 *Probatur primò.*

Vnde pro hac ſententia mihi eſt prima, & vrgentiſſima probatio ex dictis in tract. de eſſentia & attrib. vbi non ſolum oſtendi non poſſe dari vllam diſtinctionem ex parte obiecti immediatam inter perfectiones diuinas realiter identificatas, ſed nec poſſe in his dari capacitatem ad verificanda vlla prædicata contradictoria intrinſeca niſi detur diſtinctio realis in tertio hoc eſt, niſi tales formalitates inter ſe immediatè realiter identificatæ huiuſmodi ſint vt vna identificetur cum tertio realiter diſtincto ab alio. Tunc ſic, ſed volitio diuina (non loquor modo de libera) cum nullo tertio identificatur realiter diſtincto ab intellectione diuina: Ergo intellectio, & volitio in Deo nullo modo diſtinguntur ex parte obiecti, nec habent capacitatem ad verificanda prædicata contradictoria intrinſeca.

Solùm formalitates illæ diſtinguntur obiectiuè quæ & identificantur inter ſe realiter, & realiter in tertio diſtinguntur.

33 *Secundò probatur ex eo, quod volitio non ſit imperfectior intellectione, & è contra.*

Secundo probatur eadem ſententia quia volitio non debet eſſe ita peioris conditionis quam intellectio diuina, vt cum intellectione diuina identificentur omnino ex parte obiecti omnia attributa, & perfectiones Dei, & è conuerſo cum volitione non identificentur. Sed ſi volitio diſtingueretur ex parte obiecti intrinſecè ab intellectione diuina hoc contingeret. Ergo nullo modo admittenda eſt diſtinctio vlla ex parte obiecti inter intellectionem, & volitionem diuinam. Conſequentia legitima eſt; maior videtur per ſe nota, alias volitio diuina eſſet minus perfecta quam intellectio. Minor, ſuppoſita Aduerſariorum doctrina, non minus clara eſt; docent namque Aduerſarij (loquor de Theologis recentibus reiicientibus diſtinctionem formalem Scotiſtarum, ſolumque adſtruentibus diſtinctionem virtualem intrinſecam, quam ſæpe explicui) docent inquam cum P. Herice 1. part. tract. de ſcientia diſput. 12. num. 24. ſolum dari hanc diſtinctionem ex parte obiecti inter intellectionem, & volitionem, ſi ſermo ſit de perfectionibus abſolutis, & neceſſariis, vnde conſequenter attributa reliqua, & perfectiones diuinæ non conſtituunt nouam tertiam formalitatem diſtinctam virtualiter. Tunc ſic, ſed non identificantur virtualiter cum volitione, alias intellectio maneret imperfecta. Ergo cum intellectione identificantur diſtinguunturque ex parte obiecti à volitione. Ex quo cum intellectio imbibat omnem perfectionem in omni linea verbi gratia æternitatis, immenſitatis, *&c.* Volitio manebit nudata omni perfectione aliam præter in linea volendi. Confirmatur in volitione ipſa formaliter non minus quærunt Theologi perfectiones proprias immutabilitatis, æternitatis, *&c.* Quam de intellectione; ſic loquendo de volitione vt condiſtincta ab intellectione dicunt non poſſe incipere in tempore, & conſequenter non eſſe mutabilem, eſſeque æternam. Tunc ſic, ſed ſi volitio diſtingueretur ab intellectione vt ſic condiſtincta ab illa non poſſet habere has perfectiones; etenim vt condiſtincta ab intellectione diſtinguitur ab æternitate, ſiquidem intellectio eſt æternitas, vt condiſtincta autem ab æternitate volitio æterna non eſt. Ergo volitio non diſtinguitur ab intellectione. Vide omnino pro hoc argumento, quę dixi diſput. pręced. à num. 17. & ſequent. nam ex ibi dictis eius vim & reſponſionum ad ipſum inefficaciam conijcies.

Recentiores cum Herice.

34 *Tertiò ex eo quod Spiritus-ſanctus procedere debeat per naturam completam.*

Tertiò, eandem ſententiam probo: Spiritus-ſanctus debet procedere per naturam integram, ſeu adæquatè & complete talem: Sed ſi voluntas ab intellectione diſtingueretur ex parte obiecti non procederet per naturam ſic adæquatam: Ergo voluntas ſeu volitio ex parte obiecti non diſtinguitur ab intellectione. Conſequentia eſt clara: Minor propoſitio manifeſta; ſi enim voluntas diſtinguitur ab intellectione Spiritus-ſanctus per intellectionem non procederet, ſed per ſolam voluntatem, imò communiter Authores contrarij ideò volunt intellectionem diſtingui à volitione ex parte obiecti, quia ſibi perſuadent vt firmiſſimam veritatem in Theologia Spiritum-ſanctum non procedere per intellectum, etiam ex natura rei independenter à noſtro cogitandi modo: iam ſi Spiritus-ſanctus non procedit per intellectionem, manifeſtum eſt quod non procedit per adæquatam eſſentiam ſeu naturam Dei, ſiquidem in hac formaliſſimè includitur intellectio. Nunc verò prima propoſitio maior, nempe quod Spiritus-ſanctus debeat procedere ex parte rei loquendo per adæquatam naturam, ſeu eſſentiam Dei (non dico quod Spiritus-ſanctus procedat vt connotatum adæquatum eſſentiæ, procedit namque vt connotatum ſolius voluntatis, exprimens præcisè titulo ſui volitiuam fœcunditatem eſſentiæ; ſed dico *ex parte principij*, per quod procedit Spiritus-ſanctus, & quod præcedit in ſpirante non minus, & immediatè, loquendo independenter ab intellectu: inueniri intellectum à voluntate indiſtinctum, ſeu inueniri totam & adæquatam eſſentiam Dei) probatur primò; Quia Spiritus-ſanctus ex vi proceſſionis non oritur minus perfectus, quam Filius; ergo non minus oritur vt Deus, & conſequenter cum adæquata eſſentia Dei, ſicut enim non datur nec intelligitur *vt homo* qui non habet adæquatam eſſentiam hominis, ita non procedet *vt Deus*, qui non

Spiritus-ſanctus vi proceſſionis non oritur imperfectior Filio.

Filius per voluntatem, & intellectum procedit.
Conc. Tol.
Conc. Sirmi.
Cyrillus.
Athan.
Euſeb.
Efrem.
Hilarius.
Auguſtinus.
& alij apud.
P. Ruiz.
Iulian. Anch. Tolet.
Bened. II.
Iacob. Apoſt. relatus à Clem. Rom.

non procedet vt habens integram eſſentiam Dei; Tum ſic, ſed Spiritus-ſanctus id habet ex vi proceſſionis loquendo ex parte rei independenter ab intellectu noſtro quod ſupponit in ſuo principio: Ergo ſupponit integram eſſentiam Dei. Secundò prædicta maior propoſitio probatur nam Filius, non ſolum procedit per intellectum ſed etiam per voluntatem, ſic loquuntur Concilium Toletanum 11. Concilium Sirmienſe in prima Confeſſione Fidei, Cyrillus, Athanaſius, Euſebius, Efrem, Hilarius, Auguſtinus & alij relati & ſatis perpenſi à viro Eruditiſſimo Patre Didaco Ruiz diſput. 93. de Trinitate, ſect. 2. & 4. adeo vt ſit communis modus loquendi apud Patres, *quod filius ſit voluntas, & ex voluntate*, quam propoſitionem acriter defendit Iulianus Archiepiſcopus Toletanus per litteras & Legatos à Concilio Toletano 11. (à quo definita fuerat) miſſos apud Benedictum ſecundum, qui eam propoſitionem tandem approbauit, item Iacobus Apoſtolus relatus à Clemente Romano, lib. 8. conſtitutionum cap. 1 ſæpè dixit filium genitum à Patre per voluntatem: Cuius ratio breuiter eſt, quia ſaltem Filius debet procedere per integram naturam Diuinam vt ſic ſit ſimilis adæquatè in natura Patri; natura autem & eſſentia Dei vt conſtat ex diſput. præcedenti includit etiam voluntatem, ergo voluntas etiam præcedit in Patre vt principium generationis Filij, ita expreſſe tenet Pater Ruiz loco citato, ſect. 2. num. 14 in ſecunda concluſione. Ergo pari ratione Spiritus-ſanctus debet procedere non ſolum per voluntatem ſed etiam per intellectum, ſeu per integram naturam Diuinam. Conſequentia iſta ſuadetur quia non minus eſt ſimpliciter loquendo Filius terminus ſolius intellectus, quam Spiritus-ſanctus ſolius voluntatis; & vti dicitur, Spiritus-ſanctus procedit per voluntatem, ita dicitur Verbum procedit per intellectum. Ergo ſicut hoc in Verbo intelligitur de connotato, & non ex parte principij ita ſimiliter in Spiritu-ſancto.

P. Ruiz.

34
Quartò Ex eo, quod aliqua Dei cognitio, & volitio prædictam diſtinctionem excludant.

Quartò probo indiſtinctionem volitionis Diuinę ab intellectione (nomen volitionis apud me idem ſignificat, quod *voluntas* cum non admittam actum primum, ſed puriſſimum actum ſecundum volendi, ſeu actualem volitionem) ſic igitur arguo: Aliqua volitio Diuina neceſſario eſt indiſtincta ex parte obiecti virtualiter etiam intrinſecè ab intellectione, & è contra aliqua intellectio debet eſſe indiuiſim actus volendi. Ergo idem dicendum eſt de cuiuſuis volitionis indiſtinctione. Conſequentia hæc probatur ne vlla volitio ſit in Deo perfectior, & quaſi oculatior, quam alia, vt contingeret ſi vna ſeipſa foret cognitio ſui obiecti, alia autem per ſe formaliter illud ignoraret. Iam antecedens, nempe indiſtinctio volitionis ab aliqua cognitione probatur in volitione, qua Deus complacet, ſeu amat, gaudetque de ſeipſa, iſta namque identificatur etiam virtualiter cum cognitione ſui, alias daretur proceſſus in infinitum, cum ad gaudendum de hac cognitione nouus actus requireretur, & ſic neceſſario procederetur in infinitum, vt expendi ſectione præcedenti §. vltimo. Quod idem argumentum fit vt cognitio ſit gaudium de ſeipſa vt ex ibi dictis patet. Rurſus idem conſtat ex doctrina quam vt probabilem poſui, tract. præcedenti diſput. 50. in qua dixi eandem ſcientiam ſimplicis intelligentiæ tranſire in *eſſe*, & denominationem ſcientiæ abſolutæ viſionis per id per quod conſtituitur, ſeu redditur abſolutè connexa cum obiecto liberè. Sed per volitionem abſolutam, & efficacem de exiſtentia Angeli, verbi gratia, redditur connexa ſcientia ſimplicis intelligentiæ cum tali obiecto libero, Angelo ſcilicet exiſtente. Ergo per illam formaliſſimè conſtituitur in ratione ſcientiæ abſolutę viſionis.

35
Quintò. Ex eo, quod intellectio Diuina ſeipſa formaliter & virtualiter volitio ſit.

Quinto pro eadem indiſtinctione arguo ſic. Intellectio Diuina ſeipſa formaliter volitio eſt. Ergo è contra volitio ſeipſa formaliter, ſeu etiam virtualiter intrinſecè ex parte obiecti eſt intellectio ergo non diſtinguitur ab intellectione. Conſequentia eſt euidens. Antecedens autem ſuadetur quia ſi intellectio diſtingueretur à volitione ex parte rei & obiecti intellectio innatè inclinaret in volitionem, appetitus autem, & inclinatio innata purè imperfecta eſt in Deo, minuſque decens ipſum, tum quia appetitus innatus vt talis ratione ſui niſi regatur ab alio ſuperiori non operatur, nec tendit in ſuum bonum propter finem ly enim *propter* ſonat modum tendendi proprium, & quaſi reflexionem appetitus intentionalis: vnde ſi lapis dicitur moueri *propter centrum*, ideo eſt quia regitur à prouidentia ſuperiori Dei; tum etiam probatur quod intellectio Dei non habeat purum appetitum innatum in volitionem, ſeu in volitionis elicientiam, nam ſi elicientia, & ortus creaturarum à Deo arguit appetitum elicitum in ſuo principio, quanto magis eum arguet, requiretque ſuum principium eſſe formaliter voluntarium ortus, ſeu proceſſio excellentiſſimi termini qualis eſt volitio Diuina; & ſaltem quis negagit hoc ſpectare ad maiorem perfectionem intellectionis Diuinæ ſic inclinantis in elicientiam volitionis, Confirmatur è conuerſo quia uolitio Diuina imperfecta eſt ſi ſeipſa non ſit intellectio; erit namque formaliter *cæca*, ſeu *ignorans*, catenſque maxima perfectione qualis eſt ſapienter, ſeu ſcienter operari. Ergo vt his omnibus medeamur ſtatuenda eſt volitio indiſtincta ex parte obiecti ab intellectione Diuina, & è contra.

36
Sextò. Ex eo, quod implicet intellectionem Diuinam priorem obiectiuè eſſe volitione.

Sexto ſi detur diſtinctio ex parte obiecti inter intellectionem & volitionem neceſſario intellectio debet eſſe principium, vel ſaltem prior reſpectu volitionis. Id manifeſtum eſt ex ſæpè dictis in ſectionibus præcedentibus in quibus ferè tota ratio probandi diſtinctionem hanc fundatur in eo quod cognitio debeat præcedere volitionem: Tunc ſic ſed prorſus implicat quod intercedat vera ratio principij, vel prioris inter perfectiones Diuinas realiter identificatas, quales ſunt intellectio, & volitio Diuina vt latè oſtendi; Tractatu de eſſentia, & attribut. diſputatione 15. ſectione 11. ſiquidem hac principiatione, & prioritate ex parte rei ſemel admiſſa nullum ſuperit fundamentum contra Sabellianos efficax ad probandam maiorem diſtinctionem, realem inter perſonas Diuinas quam inter intellectionem, & volitionem Diuinam. Ergo omnino tenenda eſt hæc indiſtinctio volitionis ab intellectione.

SECTIO VII.

Probatur vltimò vera ſententia ex eo quod non ſit neceſſaria diſtinctio ex parte obiecti vt volitio dirigatur ab intellectione.

37
Suadetur vltimò.

Probatio hæc eſt maximè propria maximéque conuincens veritatem indiſtinctionis volitionis Diuinæ ab intellectione; nullus namque eſt qui, hanc

ex eo quod non ſit opus diſtinctione obiectiua titulo directionis.

hanc diſtinctionem adſtrueret, ſi capere poſſet quo pacto volitio dirigi valeret ab intellectione omnino indiſtinctâ; ſiquidem vt patet ex rationibus contrariæ ſententiæ illæ omnes vnice nituntur fundamento *directionis*, quam exercet intellectio in volitionem, & ad quam contraria ſententia putat omnino neceſſariam diſtinctionem ex parte obiecti; ex quo manifeſte conſtat nullo valentiori ictu debellandam oppoſitam ſententiam, noſtramque nullo fundamento firmiori adſtruendam, quam ſi probemus neceſſariam nõn eſſe diſtinctionem vllam ex parte obiecti intellectionis à volitione vt iſta ab illa verè dirigatur, quod ſic oſtendo.

39 *Poteſt vnus actus ab alio moueri, à quo tamen in diſtinctus ſit obiecti inde.*

Poteſt vnus actus *allici, moueri, determinarique* ab alio à quo nullo modo ex parte obiecti diſtinguitur; ſed eo ipſo poterit actus volitionis dirigi ab intellectione quin ab hac diſtinguatur vllo modo ex parte obiecti. Ergo vt volitio dirigatur ab intellectione neceſſaria non eſt diſtinctio ex parte obiecti loquendo, & independenter à noſtro cogitandi modo volitionis ab intellectione. In hoc ſyllogiſmo tota res agitur, reſplendetque veritas noſtræ ſententiæ, ideo quælibet propoſitio ſingillatim probanda: Et quidem de conſequentia lis eſſe non poteſt, cum legitimè inferatur manifeſteque ex duabus propoſitionibus præmiſſis deducatur: nam ſi perinde eſt moueri, ac dirigi; ſi primum ſeu motio nullam diſtinctionem ex parte rei requirit, neque illam exiget directio.

40 *Electio medij omnino indiſtincta ab intentione finis dicitur ab ipſa moueri.*

Maior igitur propoſitio ſcilicet poſſe vnum actum allici, moueri, ſeu determinari ab alio, quin ab ipſo diſtinguatur, probatur primo in electione medij, quæ eſſe poteſt omnino indiſtincta à finis intentione vt nullus negat; quis enim negabit actum tendentem in obiectum materiale attingere poſſe ſimul formale; imò fortè repugnat dari electionem ita purè in medium, ſeu obiectum materiale, vt non attingat ſimul bonitatem finis, & obiecti formalis, ne detur actus, qui nullam reſpiciat rationem boni, dum à voluntate oritur; qualis foret electio ſeu amor inciſionis venæ propter ſanitatem, quid enim boni inuenire poteſt voluntas intrinſecè in ſola ſciſſione venæ, ex quo manifeſtè opus eſt vt tangat bonitatem aliquam quòd intrinſecè ſanitatem ipſam attingat: Sed ſaltem quod præſenti ſcopo ſufficit pone quod idem actus electionis indiuiſibiliter amet ſciſſionem venæ propter ſanitatem, ſimulque intendat ſanitatem, eligatque venæ ſciſſionem propter illam, tum ſic in hoc euentu amor ſanitatis cenſetur *allicere, mouere, & determinare* ad amorem ſciſſionis, ſeu quod idem eſt ſanitas medio amore ſuî allicit, mouet, *&c.* Ad amandam ſciſſionem venæ; etenim ideò dicitur quis amarè ſciſſionem *quia amat ſanitatem*, ita vt cauſalis iſta non minus ſimpliciter admittatur quàm illa alia; *ideò amat quia cognoſcit*; item quod attinet ad modum noſtrum concipiendi opus eſt prius concipere quod voluntas ſit affecta circa ſanitatem vt ex hoc affectu, & amore ſanitatis, quaſi prodeat in amorem ſciſſionis venæ; denique ita comparatur voluntas amans ſanitatem, & propter ipſam venæ ſciſſionem, vt ſi amor ſanitatis diſtingueretur ab amore ſciſſionis præcedere deberet amor ſanitatis ex parte principij quæ omnia ſigna ſunt manifeſte oſtendentia quod ſanitas vt amata alliciat, moueat, & determinet ad amorem ſciſſionis venæ vt patet in cognitione, quæ ex his ſignis præciſe colligitur mouere ad amorem, quem dirigit ergo vnus actus rectè poteſt allici, moueri, *&c.* ab alio quantumuis indiſtincto.

Rurſus eadem propoſitio maior oſtenditur ex actibus intellectus verbi gratia in diſcurſu virtuali in quo ſimpliciſſimus actus attingit concluſionem propter præmiſſas vt quando Angelus cognoſcit: *Homo eſt riſibilis quia eſt rationalis*, ſimiliterque nos dicimus ſi fides non ſit formaliter diſcurſiua. *Exiſtit Trinitas quia Deus reuelauit*: In quo aſſenſu ita ſe gerit intellectus vt ideo aſſentiatur Trinitati, quia aſſentitur reuelationi; aſſenſuſque circa reuelationem concipiatur à nobis vt prior & determinans ad aſſenſum de Trinitate; ita vt ſi aſſenſus de reuelatione diſtingueretur ab aſſenſu de Trinitate; vti diſtinguitur in diſcurſu formali, aſſenſus de reuelatione eſſet prior, præcederetque ex parte principij ad aſſenſum de Trinitate vt manifeſte patet in diſcurſu formali in quo aſſenſus præmiſſarum eſt prior quam aſſenſus concluſionis. Sed quid immoror in probanda hac propoſitione maioris, quod ſcilicet ſæpè dicatur vnus actus allici ab alio indiſtincto, hoc enim ſemper euenit in deſyderio, ſeu intentione indiſtincta, & non ſupponente ſimplicem complacentiam priorem, ideo namque quis deſiderat bonum abſens quia illud amat, ſeu allicitur ex eius conplacentia; ſimiliter quando intellectus aſſentitur ſine prænia apprehenſione diſtincta, adhuc dicitur: *ideo aſſentitur tali obiecto quia illi proponitur*, ſeu ipſum apprehendit intellectus ſub ratione veri. Denique quotieſcumque ſiue intellectus, ſiue voluntas tendunt in obiectum materiale propter formale, quantumuis vtrumque obiectum attingatur per actum ſimpliciſſimum, tendentia, ſeu actus tendens in obiectum materiale dicitur eſſe ex tendentia, ſeu ob tendentiam in formale. Certum ergo eſſe debet ſæpe vnum actum dici quod alliciatur moueatur & determinetur ab alio, quantumuis ex parte obiecti indiſtincto; cuius modi dicendi ſenſum, ſeu fundamentum ex parte obiecti explanabo infrà. 41

Aſſenſus fidei circa myſterium reuelatum dicitur moueri à ſeipſo ſeu eſſe ex tendentia reuelationis.

Quiuis actus ſiue intellectus ſiue voluntatis dicitur prout tendens eſt in obiectum, materiale, moueri à ſe ipſo, vt tendens eſt in formale.

Nunc probanda eſt minor propoſitio in §. 39. quod ſcilicet ſi datur hæc allicientia vnius actus in alium indiſtinctum etiam poſſit dari quod cognitio indiſtincta ab amore aliquo dirigat ad talem amorem. Probatur igitur fere ex omnibus fundamentis Aduerſariorum primo & præcipuè iuxta ſectionem 3. in qua maximè probatur diſtinctio cognitionis dirigentis ex eo quod alliciat ad amorem, quem dirigit. Secundo nam diſtinctio cognitionis dirigentis ad amorem fundatur in prioritate, quam denotat hæc cauſalis: *ideo quis amat quia cognoſcit* vt patet ex ſectione 2. Iam vero in allicientia præſenti ſimilis verificatur cauſalitas, ideo namque quis eligit, ſeu amat ſciſſionem venæ quia intendit ſanitatem. Tertio diſtinctio cognitionis dirigentis ex eo probatur quod cognitio purè concomitans inſufficiens ſit vt dirigat amorem diſtinctum vt patet ex ſectione 4. ſimiliter autem vbi intentio finis purè concomitans eſt, inſufficiens eſt ad mouendum ad electionem diſtinctam, nam intentio diſtincta ſe habet tanquam cauſa reſpectu electionis, & conſequenter vt prior & non purè concomitans. Quarto diſtinctio cognitionis dirigentis probatur ab Aduerſariis à paritate cognitionis, quæ dirigit ad amorem liberum quæ cognitio opus eſt vt à tali amore diſtinguatur. Sed ſimiliter intentio quando comparatur cum electione libera vel quia ſuppetunt plura media eligenda inter quæ optio relinquitur arbitrio, vel quia intentio ſolum inefficax eſt inquibus caſibus electio libera relinquitur; ſimiliter inquam talis intentio diſtinguitur ab electione libera. Ergo ſi his non 42

Poſſe cognitionem dirigere ad volitionem omnino indiſtinctam ſuadetur ex aduerſariorum fundamentis.

non obſtantibus allicientia intentionis finis in electione mediorum poteſt aliquando euenire ſine vlla diſtinctione ex parte obiecti ſimiliter cenſendum eſt de directione cognitionis Diuinę vt non debeat diſtingui ab amore Diuino ad quem dirigit; ſiquidem (vt notaui num. 1. huius ſectionis) aſtruenda eſt inter intellectionem, & volitionem Diuinam ſumma indiſtinctio, quæ ſine implicantia ſaluari poſſit.

Abſque vlla diſtinctione obiectiua, obiectiuè vera eſt hac cauſalis. Ideo Deus vult, quia cognoſcit.

43 Secundò principale intentum huius ſectionis: nempè rectè ſtare volitionem dirigi à cognitione indiſtincta probatur nam tota hæc directio maximè reſplendet in eo quod ſtet ex parte obiecti, & independenter ab intellectu noſtro hæc cauſalitas: *ideo Deus amat*, ſeu ideo datur volitio, quia datur cognitio. At ſimilis cauſalitas rectè ſtare poteſt etiam verificata ex parte obiecti ſine vlla diſtinctione intrinſeca, ergo neceſſaria non eſt diſtinctio ex parte obiecti, vt cognitio dirigatur à cognitione. Conſequentia eſt legitima. Maior manifeſta ex fundamentis oppoſitæ ſententiæ. Minor oſtenditur in his cauſalibus: *ideo Deus concurrit phyſicè ad peccatum, quia creata voluntas vult.* Item: *ideò habitus acquiſitus agit, quia agit potentia* non è contra, nam habitibus vtimur dum volumus: ſimiliter *ideò cauſa paſſiua recipit effectum, quia illum actiue agit*; cauſa enim actiua, & efficiens iuxta Ariſtotelem 2. Phyſic. cap. 3. eſt. *Vnde primum principium eſt mutationis, & quietis*; & in moralibus: *ideò quis recipit beneficium quia alius illud confert, non è contra* in quibus omnibus propoſitionibus cauſalibus nulla datur diſtinctio intrinſeca, nec virtualis inter formalitatem cauſantem, & cauſatam, etenim idem indiuiſibilis concurſus, eademque actio quæ editur à voluntate peccante dependet etiam immediatè phyſicè ab omnipotentia concurrente: item eadem actio eſt indiuiſibilis, qua habitus & potentia ſimul influunt: item iuxta communiorem opinionem omnino indiſtincta eſt actio à paſſione in phyſicis, in moralibuſque cauſalitatibus eadem donatio, quæ vt collata cum largitore vocatur collatio, vt comparata cum beneficiario vocatur receptio, ergo ſtare poſſunt hæ propoſitiones cauſales ſine vlla diſtinctione intrinſeca ex parte obiecti: Confirmatur, ſæpè contingere poteſt quod duæ formalitates, ita comparentur inter ſe vt neceſſario vna deberet aliam realiter præcedere, ſi realiter ab iſta alia diſtingueretur, quin hoc obſtet quo minus vtraque formalitas poſſit in vnam & eandem ſimpliciſſimam entitatem intrinſecam conuenire: patet id manifeſtè in exemplis & inſtantiis adductis, nam, verbi gratia, ſi actio quæ eſt à potentia diſtingueretur ab actione, quæ procedit ab habitu ſine dubio actio potentiæ præcederet actionem habitus vt habitum cogeret ad agendum, ſimiliterque influxus cauſæ actiuæ præcederet realiter influxum paſſiuum, ita vt paſſiuus ab actiuo procederet ſi iſti duo influxus realiter diſtinguerentur, ergo ſi adhuc ſine vlla diſtinctione ex parte obiecti intrinſeca poteſt dari fundamentum ad has cauſalitates in eadem ſimplici, & indiuiſibili operatione ita ſimiliter poterit contingere quod volitio dirigatur à cognitione ſeu ſit ex cognitione ſeu denique Deus dicatur velle quia cognoſcit, quin ideo volitio vllo modo diſtinguatur intrinſecè à cognitione.

Propoſitiones cauſales, quæ nullam arguunt diſtinctionem obiectiuam.

Omnis obiectiua diſtinctio realis eſt.

44 Tertio præcipuè probatur in Deo non eſſe neceſſariam diſtinctionem hanc ex parte obiecti volitionis à cognitione dirigente, nam ſi aliqua diſtinctio immediata datur ex parte obiecti intrinſeca huiuſmodi diſtinctio realis erit; neque enim vlla ratione intelligi poteſt diſtinctio obiectiua immediata inter duas formalitates, quin vna negetur aliquo modo de alia independenter ab intellectu noſtro; omnem autem diſtinctionem, quæ euenit in re independenter ab intellectu, realem neceſſario futuram oſtendi latè in tract. de Attrib. Tunc ſic ſed firmum eſt, id docente fide, & ratione naturali volitionem Diuinam non diſtingui realiter à cognitione. Ergo vt ab hac illa dirigatur non requiritur diſtinctio realis inter vtramque intercedens. Confirmatur poſſibilis eſt realis directio, ſeu quod volitio realiter dirigatur ex cognitione bonitatis obiectiuæ, quam amat, ſeu denique poſſibile eſt realiter loquendo. *Deum ideò amare quia cognoſcit*, quin ideo neceſſaria ſit diſtinctio realis cognitionis dirigentis à volitione directa. Ergo ſimiliter neceſſaria non erit vlla diſtinctio virtualis ex parte obiecti, vt volitio virtualiter ſit, & dirigatur à cognitione.

Quo pacto volitio ſit à cognitione virtualiter indiſtincta oſtenditur à priori.

45 Quarto probatur, præbeturque ratio a priori in qua conſiſtit & per quam explicari poteſt quo pacto volitio ſit à cognitione, ſeu detur volitio quia datur cognitio: item detur electio quia datur intentio (ac denique proportionatè loquendo in aliis inſtantiis adductis §. 43. ideo verbi gratia operetur habitus quia operatur potētia voluntatis &c.) præbetur inquam ratio, qua explicari poſſit hoc ſine vlla diſtinctione ex parte obiecti intrinſeca; quatenus ſcilicet licèt vterque actus volitionis, & cognitionis, ſeu intentionis, & electionis omnimodam indiſtinctionem intrinſecam inter ſe habent; at reſpectu huius actûs habentis talem modum tendendi, vt ſimul ſit verbi gratia intentio, & electio, non inuenitur in medio verbi gratia in ſciſſione venæ ſufficiens ratio trahendi, & mouendi, ſeu determinandi voluntatem vt amet talem ſciſſionem venæ, niſi iuuaretur bonitate inuenta in fine ſanitatis; at è conuerſo ſe habet bonitas ipſa ſanitatis, nam quantumuis nil boni reluceret in ſciſſione venæ adhuc amabilis eſſet ſanitas, determinaretque voluntatem ad amorem aliquem ſui propter ſe; dixi ad amorem *aliquem*; quia ad illum eundem amorem particularem, quo voluntas, ita amat ſanitatem, vt ſimul propter illam velit ſciſſionem venæ, certum eſt non poſſe moueri voluntatem, niſi cognoſcat, ipſique proponatur ſciſſio venæ, cum ab hac ſpecificetur, & indiuiduetur hic numero actus voluntatis. At ſaltem id habet ſanitas præ ſciſſione venæ reſpectu voluntatis, vt iſta determinari poſſit, & moueri ſufficienter ex ſola ſanitate, quin hæc in ratione amabilis conſtituatur ex ſciſſione venæ; ſecus è conuerſo. Tunc ſic iſte modus ſe habendi reſpectu ſui obiecti imprimis non arguit diſtinctionem intrinſecam inter actus, vt alius ſit qui ita amat ſciſſionem venæ, & qui amat ſanitatem; vt per ſe patet; Item ſufficiens fundamentum præbet, vt verè & ex parte obiecti intrinſecè dicatur, *ideo amatur ſciſſio, quia amatur ſanitas*, ſeu ideo datur electio, quia datur intentio; quatenus per id præcisè denotatur amabilitatem ſciſſionis pendere à ſanitate, non è contra, quod verè independenter à noſtro cogitandi modo euenit à parte rei. Ergo ſtat modus, quo ſine vlla diſtinctione intrinſeca actuum dicatur dari vnus, quia datur alius.

Idem in electione reſpectu intentionis indiſtinctæ oſtenditur.

Vnde ſpecialiter pro volitione, vt poſſit dirigi à cognitione ſine vlla diſtinctione ſic arguo: vt volitio ſit à cognitione dicaturque; *Deus ideo amat, quia*

quia cognoſcit; allicitur à cognitione ad amandum, &c. ſufficit quod obiectum, & ratio formalis bonitatis obiectiuæ talis ſit, vt non valeret mouere ad amorem, niſi ſimul prædictum obiectum imbiberet rationem cognoſcibilis, & quaſi iuuaretur cognoſcibilitate, vt ratione primaria; è contra autem ſatis moueret Deum ad tendentiam circa huiuſmodi obiectum ſola cognoſcibilitas, quantumvis nihil haberet bonitatis: tunc ſic: Sed iſte modus ſe habendi ita diuerſus circa obiecta per ſe non requirit vllam diſtinctionem intrinſecam inter ipſos actus Diuinos cognitionis dirigentis à volitione directa ergo ſtat modus veræ directionis ſine vlla diſtinctione ex parte obiecti. Conſequẽtia legitima eſt. Maior patet nam eo ipſo quod Deus cum hac diuerſitate ſe habeat circa amabilitatem, & cognoſcibilitatem, iam obiectum qua amabile eſt pendet à cognoſcibilitate, iam cognoſcibitas eſt magis propter ſe, ipſaque eſt ratio attingendi amabilitatem; Quæ omnia neceſſario fundant in modo agendi cauſalitatem vt patet exemplo finis, qui dicitur mouere ad electionem mediorum, vt vere fundamento detur huic cauſali: *ideo quis eligit ſciſſionem venæ, quia amat ſanitatem*, non è contra. Ergo præciſè eo quod Deus ita comparetur potius cum cognoſcibili, quam cum amabili ſufficiens fundamentum præbebit ad hanc cauſalem: *ideo amat quia cognoſcit*: Iam minor propoſitio, quod ſcilicet iſte modus diuerſus ſe habendi reſpectu cognoſcibilitatis, & amabilitatis non requirat vllam diſtinctionem actuum probatur manifeſtè ipſo exemplo intentionis, & electionis, quæ in vnum ſimpliciſſimum intrinſecè actum conueniunt non obſtante hac diuerſitate, qua ad diuerſa obiecta comparantur. Et ratio eſt, quia tota huiuſmodi diuerſitas recte poteſt extrinſecus ſe habere, videlicet ſolum conditionatè ſumpta ex diuerſa conditione obiectorum, vel potentiæ, quæ ſe exerceret per vnum modum tendendi, ſtante ſolum aliqua peculiari ratione ex parte obiecti, non autem ſtante alia niſi coniungeretur cum prima, vt vidimus in obiecto ſciſſionis venæ. Ergo permanente ex parte actuum ſumma indiſtinctione intrinſeca datur locus huiuſcemodi modo diuerſo ſe habendi, & tendendi reſpectu obiectorum.

Diuerſitas in hac cauſali: ideo Deus amat *&c. Extrinſeca tantum eſt.*

47 Iuxta quem modum explicationis patet, & præbetur ratio manifeſta, ratione cuius verum aliquid ſignificetur ex parte rei & independenter à noſtro modo concipiendi quando dicitur quod volitio ſit ex cognitione, quantumuis à cognitione non diſtinguatur: ſicut enim dum dicitur etiam ex parte obiecti: *Electio medij eſt ex intentione finis ita vt è contra intentio finis non ſit ex amore medij* ſolum ſignificatur quod talis amor non habeat eum modum tendendi quo primario reſpiciat medium; non vero ſignificatur quod verè & realiter ſubiectiuè loquendo, & non imbibendo modum tendendi intentionaliter amor medij non ſit etiam in ſe intrinſece ratio habendi amorem circa finem; ſiquidem vterque amor in ſe intrinſecè identificantur omnino. Ita loquendo in noſtro caſu directionis quando dicimus quod cognitio diuina non eſt ab amore idque verum eſſe intendimus ex parte obiecti (quantumuis è contra in aliquo vero ſenſu ex parte rei, & obiecti amor ſit à cognitione) ſolum denotamus illum actum diuinum qui indiuiſibiliter eſt cognitio, & amor non habere talem modum tendendi vt bonitatem reſpiciat tanquam rationem primariam, & independentem, cognoſcibilitatem autem ſeu veritatem reſpiciat vt rationem ſecundariam; iam vero hoc quod à nobis ſignificatur non ſolum per rationem noſtram ſed veriſſime realiter, ſeu ex parte rei contingit nam licèt amor trahat cognitionem, ſed non ad tangendum primario bonitatem, ſed ſecundario quemadmodum amor medij trahit amorem finis non vt amet finem propter medium: vnde tota cauſalitas hic non eſt ſubiectiua, ſed obiectiua hoc eſt non exercetur inter ipſos actus cognitionis, & amoris, qui idem ſimpliciſſimè ſunt, ſed quaſi in obiectis, quatenus vnum eſt primarium, aliud ſecundarium; veritas attingitur ratione ſui; bonitas autem ratione veritatis, ſeu quia vera eſt.

48 Quinto denique vlterius datur ratio à priori, ob quam ſtare poſſit directio volitionis à cognitione indiſtincta ex ipſo titulo, & fundamento ob quod nil eſt volitum, quin præcognitum, & ob quod volitio à cognitione dependet, & illam prærequirit vt in ſuum obiectum tendat volitio. Etenim ideo volitio cognitionem præuiam in ſuum obiectum requirit, quia voluntas in ſe cæca eſt, quia nondum inuenit in obiecto rationem ſufficientem qua moueatur, & in quam tendat: at eo ipſo quod volitio ſeipſa cognitio ſit, & repræſentatio obiecti, iam cæca non eſt, neque in incertum tendit, ſed inuenit in obiecto rationem ſufficientem, ſeu ſibi proportionatam, & formalem à qua ſpecificetur, & moueatur. Ergo talis cognitio nulla indigebit præuia luce cognitionis. Confirmatur primo à paritate appetitus innati, qui ſe ſolo tendit in bonum phyſicum quia ſe ipſo talis appetitus eſt proportionatus cum bono phyſico Ergo ſimiliter dicendum eſt de illa volitione, quæ ſe ſola ſibi proponit ſuum bonum intentionale, ſeu cognitum; Vnde quin alio indigeat non dicetur incognitum amare. Confirmatur ſecundo à paritate cognitionis quæ licèt prærequirat aliam pro priori ex qua oriatur quando in ſe non habet ſufficiens motiuum vt patet in concluſione, quæ prærequirit præmiſſas ex quibus oriatur, nihilominus ſæpe nullam aliam prærequirit quando ſcilicet in ſe habet motiuum ſufficiens vt patet in aſſenſu primorum principiorum, qui ſibi ſine alio præuio aſſenſu vel cognitione ſufficit; ergo ſimiliter dicendum eſt de volitione diuina maximè cum in hac quæcumque difficultas vincenda ſit ne Dei ſimplicitatem offendamus.

Alia ratio à priori concluſionis.

Diuina volitio cum ſe ipſa cognitio ſit, præuia cognitione non indiget.

SECTIO VIII.

Solutio fundamentorum, quæ poſita ſunt à ſectione ſecunda pro oppoſita ſententia.

49 QVamuis per quatuor ſectiones fundamenta hæc iecerint, & propoſuerint, qua in fauorem oppoſitæ ſententiæ potui firmitate; nihilominus ex doctrina data pro vera ſententia in ſect. præcedenti facile poterunt infirmari, & ſolui penitus, ideo omnium ſolutioni hanc ſectionem vnicam opponam, ne longiori ſermone opus ſit dicta iam repetere cum facile quæ obſcure hic fortè dicentur, quia breuius, ducem, & lucem mutuare poſſint ex ſatis fuſa doctrina ſuperius data.

Reſpondetur ad fundamenta oppoſitæ opinionis.

50 Igitur ad primum fundamentum in ſect. 2. ſumptum ex prioritate requiſita ad veram directionem. Reſpondeo eam prioritatem non eſſe *à quo* ſeu vt à principio, & cauſa in actum neque vllam veram ex parte rei actiuitatem ex parte ſubiecti inter ipſos actus includi per directionem; niſi præciſè reddere

Ad primum.

Prioritas intellectionis Diuinæ non eſt à quo, & per modum principij.

dere volitionem ſufficientem vt non tendat in incertum, ſeu vt non operetur citra ſuum obiectum; hoc autem benè præſtat cognitio dum ipſam volitionem in ſe perſpicacem reddit, dum eam oculatam facit, & videntem ſui obiecti, quod nullo melius fit quam dum ipſa volitio eſt ſimul repræſentatio. Eſt tamen neceſſarium ad hoc vt volitio ſit ſufficiens repræſentatio ſui obiecti, nulliuſque alterius præuiæ directionis adiutorio indigeat, quod talis volitio in primis talem modum tendendi habeat in ſuum obiectum vt illud non amaret niſi ſeipſa foret cognitio, ſeu repræſentatio eiuſdem quod non contingetet in ea volitione creata (cuius mentio fit §.8.) quæ ſimul repræſentatiuè tenderet in ſuum obiectum quaſi diſparatè, & concomitanter etenim eo ipſo quod prædicta volitio ſolum ita concomitanter foret repræſentatio conſequenter ponitur cum tali modo tendendi vt per ſe amare poſſet obiectum, quantumuis ſeipſa illud non cognoſceret. Deinde vt volitio ſit ſufficiens repræſentatio ſui obiecti nulla vlteriori præuia cognitione indigens requirit quod eius principium vel actiuum vel paſſiuum ſit in ſeipſo cognoſcens; hoc autem habere non poteſt volitio in creatis etiamſi identificetur cum cognitione, cum non ideo eiuſdem volitionis principium (quod neceſſarium eſt ad volendum creatè) ſiue actiuum, ſiue paſſiuum vt tale eſt, & præcedens repræſentet obiectum. Quæ omnia in Diuina volitione nullo alio præuio principio indigente ſi ſeipſa ſimul cognitio ſit, manifeſtè ceſſant ne neceſſaria ſit præuia cognitio dirigens per quod ſatis conſtat ad ea quæ obiiciuntur num. 7. & 8.

Niſi principium volitionis ſeipſo cognoſcens ſit, ſeipſa volitio repræſentatio ſufficiens non erit.

51 Iam verò quando vrgetur in §.9. & ſequentibus prioritas cognitionis, quam denotat illud axioma: *nihil volitum quin præcognitum*: Item quam denotat cauſalis illa; *ideo Deus amat quia cognoſcit* reſpondendum eſt ſignificari quidem aliquam prioritatem veram ex parte rei independentemque à noſtro cogitandi modo: at prædictam prioritatem non eſſe *à quo*, ſeu per modum principij, ſed quaſi principalitatis, & rationis primariæ, & independentis quatenus obiectum non eſſet amabile niſi eſſet cognoſcibile, è contra autem eius cognoſcibilitas amabilitatem non requirit quemadmodum ſimilis denotatur prioritas & cauſalitas in actu, qui ſimul intendit finem, & eligit medium propter ipſum, verbi gratia, *ideo quis amat ſciſſionem venæ quia amat ſanitatem*, per quam prioritatem, & cauſalitatem ſolum ſignificatur ſciſſionem non eſſe amabilem, niſi dependenter, & coniunctè cum ſanitate è contra verò ſanitatem independenter ab omni alio, & præciſè ratione ſui amabilem eſſe. De quo ſatis multa dixi ſect. præced. ferè per totam. Vnde omnino diſſolutum conſtat primum fundamentum pro oppoſita ſententia in ſect.2. patetque cur potius volitio ſit à cognitione, quam è contra, licèt nulla intercedat ex parte rei diſtinctio inter vtramque.

52 *Ad ſecundum.* *Quo pacto abſque diſtinctione obiectiua in volitionem diuinam moueat cognitio.*

Secundum fundamentum in ſect.3. ſumptum ex eo quod obiectum media cognitione ſui trahat, & alliciat voluntatem, firmius non eſt præcedenti: nam tota iſta tractio, & allicientia, licet aliquando exerceri poſſit per actus diſtinctos, & præuios, & fortè id requiratur, vt ſtricta ratio *trahentis*, *allicientis*, ſeu *petentis* perſiſtat; at in præſenti non eſt opus pro directione cognitionis, vt ſtrictius explicetur, niſi quatenus ratio primaria, & propter ſe attingibilis independenter ab omni alia ſit cognoſcibilitas obiecti modo ſæpiùs explicato; ita intentio, ſeu complacentia in ſanitate dicitur allicere trahere, ſeu mouere ad electionem ſciſſionis venæ, in qua allicientia & motione nihil diſtinctionis intrinſecæ inuenitur, ſed præciſè per allicientiam hanc ſignificatur: quod reſpectu illius actus voluntatis hic & nunc ita comparetur ſciſſio venæ vt nihil bonitatis nec amabilitatis habeat, inſufficienſque ſit ad trahendam voluntatem niſi coniungatur, & quaſi veſtiatur bonitate ſanitatis ſecus autem in ipſa ſanitate contingit, quæ ſecluſo omni reſpectu ad ſciſſionem venæ, & ad huius amabilitatem ſufficiens eſt ratione ſui ad trahendam, & alliciendam voluntatem quæ ideo dicitur moueri ratione ſanitatis, tam vt amet ſanitatem ipſam quam venæ ſciſſionem, ad quod nulla neceſſaria eſt intrinſeca diſtinctio intentionis ab electione, ſeu amoris ſanitatis ab amore ſciſſionis, vt patet ex ſect. præced. Quare allicientia, & motio quam exercet obiectum media cognitione in amorem non eſt comparanda complacentiæ tentationis in conſenſum efficacem; actui imperanti in imperatum, petitioni, & merito in præmium, quando in his caſibus ſtrictè exercetur talis allicientia, quam vt ſic concedo ſæpè fieri per actus diſtinctos: At ſæpè etiam in his caſibus æquiualenter fit per vnum ſimplicem, & indiuiſibilem vt patet quando ex cognitione tentationis, non ſolum quis prorumpit in meram complacentiam, ſed in efficacem conſenſum: quando quis per ſimplicem actum ſe determinat reflexè amando ſuum amorem; tunc enim dicitur quod ideò conſentit tentationi, *quia illa placet*: Ideo amat, ſeu elicit amorem; *quia vult*, licèt nec complacentia à conſenſu, nec volitio ab elicientia amoris differat.

Igitur allicientia obiecti in amorem in hoc ſecundo euentu comparanda eſt motioni, quam exercet complacentia in conſenſum, vel actus imperans in imperatum ſimiliterque modo proportionato diſcurrendum eſt de petitione, & merito; ſecluſo namque peculiari titulo libertatis quâ debet potiri Remunerator in præmiando, ratione cuius præuiſo meriti debet eſſe ſeparabilis à præmio, vt ſtet meriti cognitio, quin connectatur, (& à fortiori quin identificata ſit) cum volitione executiua præmij; ſecluſo inquam hoc titulo, non video cur eodem actu non poſſit repræſentari bonitas coniunctionis meriti cum præmio, & etiam amari talis coniunctio. In quo caſu non ſolum præuiſio meritorum non erit ante volitionem intentiuam præmij, ſed nec ante executiuam. Quare ſicut obiectum mouet, & determinat ad cognitionem per ipſam cognitionem formaliter, quin opus ſit vt aliquis actus præcedat ex parte potentiæ, niſi ſolum obiectum media ſpecie impreſſâ; ita in noſtro caſu bonitas obiecti ſeipſa trahet *cognitionem amantem*. Rurſus ſicut aliquando hæc veritas obiectiua: *homo eſt ſenſitiuus* cognoſcitur ex determinatione alterius; vt quando infertur ex animali; aliquando autem ſeipſa immediatè allicit, & determinat intellectum immediatè, vt quando in ſe videtur ſenſatio; ita ſimiliter euenire poterit, tam in allicientia meriti ad volitionem præmij, quam cuiuſuis bonitatis obiectiuæ vt ametur, quod aliquando immediatè ab ipſo obiecto veniat, non ab obiecto vtcumque accepto, & attacto, ſed ab ipſo mouente ſimul cognitionem, qua appareat, & ſimul ametur vt bonum, modo dicto. 53

Ex quibus totum hoc fundamentum in ſect. 3. ni fallor dirutum manet. Prima inſtantia, quæ affertur in §.12. & 13. à paritate allicientiæ quam cauſat 54

Reſpondetur ad primam inſtantiam.

cauſat ſimplex complacentia, actus imperans, & meritum ſatis explicata eſt in præcedent. 2. inſtantia in §. 15. ex eo quod non ſufficiat cognitio alliciens pro poſteriori nullius conſequentię eſt ad negandam allicientiam, ſeu cognitionem ſufficientem vt alliciat quando identificata eſt; ſiquidem identitas cognitionis cum volitione longè aptior eſt vt eam illuſtret ac dirigat, & conſequenter alliciat vt expendi §. 48. Iam tertia, & quarta inſtantia in §. 16. & 17. à paritate præſcientiæ meritorum nouiſſime repulſa eſt in §. præcedenti. Denique quinta inſtantia, quæ adducitur in §. 18. præcipuè à paritate præcepti, cuius cognitio neceſſario præire debet ante actum, ſeu volitionem præceptam, hæc inquam inſtantia haud difficilius retunditur, quam ea, quæ ſumitur ex præſcientia meritorum, precum, ſeu petitionum quare iuxta doctrinam nuperrime datam in §. præcedenti ſecluſo titulo libertatis, quæ communiter intercedit in elicientia actus præcepti, ratione cuius libertatis opus eſt vt cognitio de præcepto non connectatur (& conſequenter, & à fortiori non identificetur,) cum elicientia actus præcepti ſecluſo inquam hoc libertatis titulo nullam video ſpecialem repugnantiam in eo quod ſimul proponatur conuenientia, ſeu bonitas coniunctionis præcepti cum re præcepta ſimulque, & eodem actu cognitionis proponentis talem bonitatem coniunctionis ea bonitas ametur; ita vt bonitas obiectiua huiuſce coniunctionis ſimul, & indiuiſibiliter trahat, & determinet potentiam ad actum, qui indiuidue ſit cognitio & amor talis bonitatis.

Ad ſecundam. *Ad tertiam, & quartam.* *Ad quintam.*

55 Tertium fundamentum in ſect. 4. conſtructum ex eo quod non ſufficiat directioni cognitio concomitans quando diſtincta eſt ſatis ſolui poteſt ex dictis ſectione præced. §. vltimo ex quo conſtat qualiter cognitio eo quod identificetur cum amore communicet ipſi lucem ſufficientem, vt tendat in proprium obiectum, qualiterque hæc identitas præſtet ne amor cæcus procedat, ſed potius videns ſuum obiectum, certuſque de bonitate quam amplectitur. Quæ munera præſtare nequit cognitio diſtincta in ipſum amorem vt patet: hinc ergo neceſſum eſt vt illuſtrationem, quam (eo quod diſtincta eſt cognitio) exercere nequit in amorem ipſum exerceat in eius principium, & conſequenter, ſi diſtincta ſit cognitio prædicta non adiaceat purè concomitanter, id quod verum eſt, quantumuis volitio, ſeu amor principio careat, ſitque omnino à ſe: quare vt rectè notatur §. 20. quantumuis volitio diuina eſſet à ſe, & ſine vllo principio etiam virtualiter, niſi cum cognitione eſſet omnino identificata; etiam virtualiter: non ſatis dirigeretur quin præſupponeret cognitionem pro priori. Item, vt benè notatur §. 21. volitio infuſa à ſolo Deo creatæ voluntati deberet pro priori ſupponere cognitionem vt ab ea dirigeretur, ſi à tali cognitione volitio infuſa diſtingueretur; nam ſi identificata ponatur cum cognitione volitio illa infuſa aliam priorem cognitionem non prærequiret, ſed ſicut dixi de voluntate diuina ſimiliter de potentia abſoluta contingere poſſet in voluntate creata, vt amaret ſine præuia cognitione dum amor creatus ſeipſo indiuiſibiliter foret cognitio ſui obiecti. Per quod patet ad primam, & ſecundam inſtantiam, quæ affertur in ſect. 4. ad aduerſariis pro firmando hoc tertio fundamento.

Ad tertium. Cur cognitio identificata cum amore apta ſit dirigere, ſecus concomitans diſtincta.

Patet ad primam, & ſecundam inſtantiam.

56 Iam verò quando additur in §. 22. poſſe cognitionem identificatam cum volitione ſe habere reſpectu huius purè concomitanter, quin volitio prędicta dirigatur à tali cognitione, quantumuis verſante circa idem obiectum: quando inquam hoc opponitur ab aduerſariis id ipſis concedo vel potius permitto, ſi fingatur volitio cum tali modo tendendi, vt licèt cognoſcat bonum per ſeipſam eſſentialiter, etiam dependeat ab alia cognitione præuia: at talis non eſt volitio Diuina, neque item talis eſt volitio, quam pono dirigi à cognitione identificata; vnde permitto non ſufficere directioni identitatem quamcumq; cognitionis cum volitione; concedo item (quod indubitatum eſt) identitatem ſemel inſufficientem directioni, ſeu cognitionem identificatam, quę ſemel dirigere non po eſt, nunquam dirigere poſſe, vt benè notatur ibi §. 23. identitas enim inuariabilis eſt: At addo poſſibilem eſſe aliquam identitatem ſufficientem, quando ſcilicet volitio identificata cum cognitione talis conditionis eſt, talemque intrinſecum habet tendendi modum, vt non pendeat eſſentialiter ab alia cognitione præuiâ, huiuſcemodi exiſtimo eſſe Diuinam volitionem, quare ſatis poterit à cognitione ſecum identificata dirigi. Vnde patet ad diſcurſum in §. 23. pateteque quo pacto quantumuis identitas quæcumque cognitionis cum volitione (de quo in §. ſequenti) non ſufficiat directioni, ſufficiat tamen identitas in diuinis. Confirmatio ibidem adducta ſoluitur ſatis ad præſens, ſed quia doctrinam falſam continet, probareque intendit, poſſe ſcilicet dari identitatem cognitionis cum amore circa idem obiectum, quin dirigat, ſed ſe habeat purè concomitanter vt contingit in cognitione diſtinctâ, attendatur, obſecro, doctrina in §. ſequenti.

Ad tertiam.

Licèt non repugnaret volitio ſeipſa bonum cognoſcens, ſimulque à præuia cognitione dependens, talis tamen non eſt Diuina.

Dixi nuper *me permittere* quod detur volitio cum tali modo tendendi vt nondum ſufficienter dirigatur à cognitione identificata, quantumuis verſante circa idem obiectum: At modo abſoluiè loquendo cenſeo id eſſe omnino impoſſibile, ſed neceſſario directam iri eam volitionem ſufficienter cum tali identitate; nam eo ipſo quod volitio ſeipſa ſit cognitio ſui obiecti iam habet ſufficientem lucem, ſufficienterque illuſtratur, vt aliâ illuminatione non indigeat; quemadmodum eo ipſo quod amor ſciſſionis venæ identificetur cum amore, ſeu intentione verſante, circa idem motiuum, & bonitatem ſanitatis, non poteſt non eſſe, & quaſi dirigi ex amore, & intentione ſanitatis. Id quod verum eſt, quantumuis caſu quo intentio diſtinguatur poſſit hæc præcedere pro priori, quin actu dirigat, & moueat. Finge quod quis dum cogitat de eligenda confeſſione habeat duas intentiones, ſeu complacentias duorum finium, ad quos conducit confeſſio, verbi gratia, ad vanitatem & ad humilitatem. In hoc caſu vtraque intentio, & complacentia præcedit pro priori; (ſiquidem ex vi cuiuſuis poſſet moueri voluntas dum eligit confeſſionem, quod fieri nequiret niſi vtraque præcederet pro priori) nihilominus non ideo vtraque mouet, ſed ſola complacentia in humilitate, vt ſuppono: Ergo maiorem vim habet ad mouendum identitas, maiorem inquam non ſolùm, quam pura concomitantia cognitionis diſtinctæ, ſed maiorem quam præcedentia: Ergo ſimiliter dicendum eſt de directione; vt iſta non poſſit non inueniri, quando cognitio, & amor identificantur circa idem obiectum; licèt poſſit non inueniri in cognitione diſtincta quantumuis præcedente. Et ratio eſt quia directio actualis, ſeu in actu ſecundò cognitionis diſtinctæ non ſolum conſiſtit in pręcedentia vtcumque talis cognitionis, ſed vlterius

57 *Abſolutè tamen volitio, quæ ſeipſa cognoſcit, ſeipſa ſufficienter illuſtratur.*

Imò perfectiùs quàm à præuia cognitione.

rius requirit quod talis cognitio habeat actualem influxum; nam cognitio diſtincta cum non illuſtret amorem in genere cauſæ formalis, communicando ſe formaliter per identitatem amori, illuſtrat effectiuè; ſeu influendo in ipſum amorem; vnde ſicut priuari poteſt tali influxu, ita & priuatur actuali directione, quantumuis ipſa prop priori ſit; ſecus contingit in cognitione identificata cum amore, cum huius directio in genere cauſæ formalis exerceatur, quatenus identice redditur illuſtratus amor, quæ illuſtratio deficere nequit hic vt patet. Hinc ſatis diſſoluitur hæc tertia inſtantia.

58 *Ad quartam inſtantiam.* Sed & quarta inſtantia in §. 25. ex dictis facilem ſolutionem habet; dicendum namque eſt ſimiliter de volitione creata, ſicut de Diuina, ſatis ipſam directam eſſe, nulliuſque præuiæ cognitionis indigam, eo ipſo quod cum cognitione verſante circa idem obiectum ſuum identificetur, vt ſatis conſtat ex præcedentibus, vnde voluntas creata redderetur amás, licet nulla priori inſtrueretur cognitione, eo præcisè quod ipſi infunderetur à Deo amor, qui ſeipſo foret cognitio obiecti amati: quare admittenda non eſt ſcientia ibi adducta, quod ſcilicet talis amor alia præuia cognitione indigeat, vel iſta cognitio compareretur etiam quando identificata eſt cognitioni purè concomitanti. Vnde ſi daremus quod volitio confitendi, verbi gratia, identificaretur cum cognitione de vtilitate confeſſionis ad finem vanitatis, item ad finem humilitatis, lucri humani, mortificationis, remiſſionis peccatorum, &c. Si inquam ponamus quod vna volitio ſeipſa ſimul ſit cognitio tot horum finium dicendum foret prædictam volitionem *intrinſecè* moueri, & dirigi ex cognitione bonitatis, quam amat verbi gratia, remiſſionis peccatorum, *extrinſecè* autem quod moueatur ex omnibus aliis finibus, quid refert? Sic etiam Deus quando amat creaturas earum bonitatem cognoſcens mouebitur ex tali bonitate *extrinſecè*, non tamen *intrinſecè*, quia licet illas intrinſece attingat, non tamen propter ipſas; ſed per modum tendendi, qui vltimò intrinſece ſiſtit in Diuina bonitate.

Volitio creata ſi identificetur cognitioni ab illa dirigetur.

59 *Replica.* Replicabis contra hanc doctrinam proximè datam non poſſe ſufficere directioni, & motioni finis extrinſeci quod volitio identificetur cum cognitione repræſentante conducentiam boni amati ad aliquem finem; quare volitio illa confitendi de qua in §. præcedenti neque extrinſecè dirigi debet, & moueri ex fine vanitatis, verbi gratia, eo quod identificetur cum cognitione de conducentia confeſſionis in vanitatem, & huius ratio eſt, quia ſæpè vna cognitio repræſentat conducentiam ad fines incompoſſibiles, vt ibi ad vanitatem, & humilitatem, nequit autem voluntas ſimul operari ob fines incompoſſibiles. *Confirmatio.* Confirmatur, quia alias amor Diuinus conferendi auxilium inefficax diceretur moueri ſaltem extrinſecè ex fine peccati, ſiquidem ſimul cognoſcit tale auxilium valde conducens eſſe vt peccatum exiſtat. *Inſtatur. Et improbatur.* Sed contra hanc totam obiectionem, & replicam manifeſtè militat electio medij, quæ nullo dubitante identificari poteſt cum intentione finis etiam in creatis. Iam rogo quid requiratur, vel ſufficiat vt quando identificatur cum complacentia plurium finium cenſeatur moueri, & quaſi dirigi ex talibus finibus? Quidquid reſpondeas idem à me in præſenti reſponſum accipito. Et quidem de fine, ſeu motione intrinſeca facilis eſt reſponſio; nam ab illo fine mouebitur electio ſeu amor in quem finem habet talem modum tendendi, vt ipſum intrinſecè amet; neque neceſſarium eſt quod omnes fines amet intrinſecè, licèt cognoſcitiuè omnes attingat; quemadmodum licet amor, & odium ſint idem contritionis actus, non tamen amor amat idem, quod odit odium, ſed ſolum ſequitur quod amor Dei eſt odium peccati in homine contrito; ita in præſenti idem indiuiſibilis amor, verbi gratia, de confeſſione cognoſcit tot illos fines intrinſecè, ſed non amat omnes, quia ob talem modum tendendi limitatur, vt ſolum vnius finis remiſſionis peccatorum amor ſit; vnde hic, verbi gratia, amor remiſſionis eſt cognitio vanitatis, ſed non amat vanitatem.

60 *Vt finis extrinſecus moueat, vt bonus cognoſcenti apparere debet.* Hæc quidem ſatis clara ſunt loquendo de motione & directione finis intrinſeci; ſi vero loquamur de fine extrinſeco fateor non ſufficere vtcumque illum cognoſci, vt cenſeatur mouere, niſi ita cognoſcatur, vt appareat, *vt bonus* cognoſcenti, & vt amabilis, alias aptior erit vt cenſeatur amor dirigi ex intentione vitandi talem finem, quam proſequendi. Igitur amor qui ſimul ſit cognitio obiecti amati, item, & plurium aliorum finium ad quos conducit tale obiectum, vt dixi de confeſſione *intrinſecè* quidem mouetur ex fine expiandi per confeſſionem peccata; *intrinſecè* autem ex aliis finibus, ad quos confeſſio vt ſic amata conducit, quantumuis illi fines plures ſint, & inc mpoſſibiles; quia licet repugnet intendere efficaciter fines incompoſſibiles, non tamen efficaciter, vt euenit in hac motione pure extrinſeca, per quod patet ad replicam in §. præcedenti. *Sine repugnantia poteſt voluntas fines ſimul incompoſſibiles inefficaciter amare.* *Ad confirmationem.* Ad confirmationem in Deo amante auxilium inefficax dico non amari ex fine peccati ad quod conducit, quia peccatum non eſt bonum, ſed *odio ſunt Deo impius & impietas eius*, Sap. 14. 9. *Sap. 14. 9.* Similiter etiam cenſeo ſiquis eligat confeſſionem vt oppoſitam vanitati, nec *intrinſecè* moueri tunc ex fine vanitatis, ſiquidem vanitas in hoc caſu non vt amabilis, ſed vt deteſtabilis proponitur. Ex quibus omnibus ſatis deſtructum manet tertium fundamentum pro oppoſita ſententia.

61 *Ad quartum.* Quartum in ſectione 5. non ita facile ſolui poteſt cum dependeat ab ea inſcrutabili quæſtione, & reſolutione de conſtitutiuo actuum liberorum Dei. Nihilominus, quia cenſeo etiam in creatis amorem liberum non poſſe identificari cum cognitione dirigente, licet poſſit neceſſarius, vt dixi §. 58. Hoc aſſigno diſcrimen inter vtrumque amorem, quod ſcilicet voluntas vt amet libere, opus eſt vt per eandem potentiam proximam, per quam amat poſſit non amare, ſeu eius potentia proxima amandi compoſſibilis ſit cum amore, & cum eius carentia; ita vt adhuc in eodem inſtanti, quo actu amat inſideat voluntati potentia proxima non amandi, ſeu odio habendi: quæ proprietates, & conditiones ſunt maximè, & vnicè requiſitæ ad diſcriminandum amorem liberum, à neceſſario, ſeu principium, & agens ex libertate, vel ex neceſſitate, ſic definitur principium liberum, *quod cum omnibus requiſitis ad agendum*; hoc eſt vt potens proximè ad agendum, *poteſt* (vtique *proximè*) *non agere*. Ex quibus manifeſtum eſt cognitionem ad amandum debere eſſe compoſſibilem cum non amore, alioqui in amante non daretur potentia proxima ad non amandum. Etenim potentia proxima ad non amandum conſtituitur ex cognitione compoſſibili cum non amore, & conſequenter ex cognitione diſtincta ab amore; ſiquidem per ſe notum eſt nihil indiſtinctum ab amore compoſſibile eſſe cum non amore:

Licèt amor neceſſarius identificari poſſit cum cognitione dirigente; ſecus liber.

Ergo ſi potentia proxima ad amandum, & non amandum debet eſſe eadem, vti potentia ad non amandum proximè accepta (quo pacto cognitionem imbibit vt dixi) diſtinguitur à non amore etiam diſtinguetur ab amore. Confirmatur cognitio dirigens ad amorem liberum talis eſt, vt ex vi illius voluntas præeligat amorem non amori, ſeu ſe determinet potius ad amandum, quam ad non amandum: Ergo ex vi talis cognitionis poterat non amare: Ergo talis cognitio neceſſariò diſtinguitur ab amore; quis namque cogitet ex vi amoris inclinari voluntatem, & dirigi ad non amandum, ſeu conſtitui potentem ſe determinare ad non amorem. Tunc ſic, ſed per ſe notum eſt nihil horum militare in cognitione dirigente ad amorem neceſſarium: Ergo quantumuis cognitio dirigens ad amorem liberum debeat diſtingui ab illo non ita opus eſt vt dicatur de cognitione reſpectu amoris neceſſarij.

62 Ex his patet nullam eſſe conſequentiam poſitam in §. 26. ad eius probationem ibidem adductam reſpondeo, eo ipſo quod cognitio, quæ dirigit voluntatem ad amorem liberum requiratur prior, ſeu independens & diſtincta à non amore manifeſtè colligi ſimiliter futuram independentem, & diſtinctam ab ipſo amore vt ſatis conſtat ex dictis §. præced. Vnde cognitio dirigens exercitium liberum non ſolum differt à cognitione dirigente ad amorem neceſſarium quatenus comparatur talis cognitio libera cum non amore, ſed etiam quatenus comparatur cum ipſo amore poſitiuo libero; item non ſolum differt cognitio requiſita ad libertatem à cognitione neceſſitante; non inquam ſolum differt quatenus libera proponit malum, ſed etiam quatenus proponit ipſum bonum. Denique vt ſatisfaciam probationi eiuſdem conſequentiæ à diſtinctione amoris liberi ad neceſſarium, de qua §. 29. fine. Non ſolum dicendũ eſt quod reſpectu amoris liberi debeat eſſe prior cognitio mali, ſed etiam debet eſſe prior cognitio boni, ſeu debet eſſe prior cognitio vtriuſque partis contradictoriæ: at non ideo, nec cognitio vnius partis debet præcedere amorem neceſſarium; etenim vt conſtat ex dictis præcedentia etiam vtriuſq; partis boni ſcilicet, & mali reſpectu amoris liberi colligitur ex eo quod debeat præcedere cognitio mali, quod fundamentum nullo modo datur, vt patet pro præcedentia cognitionis repræſentantis rationem boni amandi per amorem neceſſarium.

63 *Ad vltimam inſtantiam.* Vltima inſtantia qua vrgetur hoc quartum fundamentum intenditurque diſtinctio cognitionis ab amore neceſſariò ex eo quod detur diſtinctio cognitionis ab amore libero; Vltima inquam inſtantia, quæ adducitur ſect. 5. fine vt probetur hæc conſequentia ex vno amore ad alium parum inſtat contra doctrinam, & diſcrimen aſſignatum in præcedentibus, ex his namque dicendum eſt non ſemper cognitionem dirigentem ad amorem neceſſarium poſſe reddi aptam vt dirigat ad liberum per præciſam coniunctionem cum cognitione repræſentante rationem mali in obiecto; niſi talis cognitio mali ſit in eodem ſigno cum cognitione boni vt ita in eodem ſigno intelligatur potentia proxima ad vtrumque, qualem imbibit formaliſſimè libertas, hinc ergo cognitio identificata cum amore neceſſario omninò inepta eſt quantumuis coniungatur cum quauis cognitione mali vt dirigat ad amorem liberum, ſiquidem huiuſmodi cognitio mali conſtituens libertatem ſe tenet in ſigno potentiæ proximæ; illa verò cognitio vt pote identificata cum amore neceſſario, ſeu cum actu ſecundo amandi ſe tenet in ſigno effectus: adde (quod euidentiſſimum eſt) cognitionem boni, vt apta ſit per coniunctionem cum cognitione de malo dirigere ad amorem liberum, debere eſſe compoſſibilem cum odio, ſeu cum non amore, nam vt ſæpius dixi cognitio vtriuſque partis, ſeu potentia proxima ad vtrumque debet eſſe compoſſibilis, tam cum amore quam cum carentia amoris: Ergo licèt aliqua cognitio quæ dirigit ad amorem neceſſario, vt contingit in motibus primò primis, poſſit reddi apta ad conſtituendam libertatem per aduentum cognitionis partis oppoſitæ, ſecus dicendum eſt de cognitione, quæ dirigit per identitatem cum amore neceſſario; ſiquidem talis cognitio non eſt compoſſibilis cum carentia amoris. Vnde tandem concluditur cognitionem dirigentem ad amorem liberum ſæpè non ſolum differre quoad propoſitionem mali, quam requirit libertas, ſed etiam quoad ipſam propoſitionem boni, per quod patet ſolutio huius quarti fundamenti oppoſiti, reſolutioque præſentis diſput.

DISPVTATIO LIX.

Vtrum voluntas Dei ſit libera, & per quid conſtituitur eius actus, & exercitium vt liberum?

Sectio I. *Veritas catholica ſtatuitur: connexioque volitiui cum libero examinatur*

Sectio II. *Circa explicandam libertatem Diuinam punctum difficultatis, & varia Theologorum placita proponuntur.*

Sectio III. *Libertas Diuina non eſt ſolum in operando tranſeunter, & ad externos effectus.*

Sectio IV. *Libertas Diuina non ſe exercet adæquatè intrinſecè in volendo: ſeu* velle *liberum Dei non eſt adæquatè intrinſecum ipſi Deo.*

Sectio V. *Libertas Diuina ſe exercet per exercitium; quod, qua liberum eſt formaliter inadæquatè imbibit aliquid creatum, inadæquatéque aliquid increatum, ſeu intrinſecum Deo includit.*

HÆc eſt quæſtio omnium difficillima non ſolum earum, quæ occurrere in præſenti materia de voluntate Dei, ſed etiam omnium, quæ in vniuerſa Theologia inueniuntur, imo quæ vnquam humano intellectu excogitari potuerunt, adeo, vt à pluribus Theologis prædicetur plus ſuperarihumanum captum, captiuandumque eſſe hic, quam in vllo noſtræ fidei myſterio, etiam ineffabili Trinitatis indiuiduæ Sacramento. Et quidem iure ita ſentiunt de hac quæſtione Theologi, qui exercitium libertatis Diuinæ quantumuis contingens & liberum, ex omni parte identificari volunt cum entitate Dei neceſſaria, & indefectibili. In quo vt dicam ſect. 4. manifeſtiſſima contradictio imbibitur, & arduitas, quam

Vide infrà qu. 19. art. 3. per 14 dub. maximè §. 41. & 42. & art. 10. per alias tres dubitationes.

quam nec iuuamine fidei poſſumus ſuperare : fides namque nunquam docuit negationem veram, & à parte rei independenter à noſtro modo concipiendi cuenire, quin aliquid à parte rei deſtruatur: Si autem volitio vt libera, ſit Deo intrinſeca, nil prorſus deſtruitur ex parte rei, & tamen iſta negatio realiter eſt vera : *Deus non habet odium erga humanitatem Chriſti.* Rurſus neque in myſterio Trinitatis contingit aliquid adhuc realiter permanere ſecundum id, quod realiter non eſt; ſi enim de Filiatione negatur eſſe Paternitatem, de illa nequit dici, quod ſit Pater, quantumuis id dicatur de natura identificata cum Filiatione. At in præſenti odium Diuinum de humanitate Chriſti realiter non eſt, & adhuc illud idem realiter permanet. Hęc ita difficilia component, qui tuentur exercitium libertatis Diuinæ adæquatè intrinſecum. Spero tamen ego iuxta dandam explicationem in ſectione 5. non adeò iſta fore difficilia.

SECTIO I.

Veritas Catholica ſtatuitur, connexioque volitiui cum libero examinatur.

1 *Deus liber eſt in ſuis operationibus.* Firmiſſimum principium eſt apud Catholicos Dei voluntatem liberam eſſe, itaque plura velle vt potuerit oppoſitum decernere. Nam & agit libere, Pſalm. 98. *Deus vltionum libere egit.* Et agit ſeu *diuidit ſingulis prout vult* 1. Corinth. 12. Item pro placito *miſeretur cuius vult, & quem vult indurat* Rom. 9. ac vt alia omittam : *Elegit nos ante mundi conſtitutionem*, Epheſ. 1. quæ omnia manifeſte oſtendunt potentiā liberam eligendi, ſeu volendi : *Electio enim* (vt ait Philoſophus 2. Mor. Eud. cap. 10.) *eſt cupiditas* ſeu voluntas *rerum penes nos ſitarum deliberatiua*, hoc eſt indifferens. Quare non ſunt audiendi antiqui Philoſophi (inter quos numerat Scotus 1. diſtinct. 8. quæſt. 1. §. de *intentione iſtorum* Ariſtotelem) qui Deum voluerunt ſemper ex neceſſitate agere. Nec Hæretici (apud Bellarmin. Tom. 3. lib. 3. de Gratia, & liber. arbitr. cap. 15. & 16.) qui Deo negarunt liberum arbitrium. Audiendi inquam hi ſiue Philoſophi, ſiue hæretici non ſunt: nobis enim præ omnibus præſtat noſtra fides, quæ vt ex dictis conſtat toties prædicat Deum operari omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.

2 Huic fidei doctrinæ ratio naturalis euidens fauet, primo à poſteriori ex conſenſu omnium gentium, vt quid enim omnes ad Deum preces funderent, eique pro acceptis beneficiis gratias agerent, ſi eum ex neceſſitate velle, & agere exiſtimarent? *Libertatem Dei gentium omnium conſenſus, Deique à creaturis independentia oſtendit.* Secundò ſi Deus ex neceſſitate agit cur non produxit ab æterno, vel paulò ante tempus conſtitutum hoc vniuerſum? cur produxit hoc indiuiduum, & non aliud? Quomodo contineri poteſt vt non ponat à parte rei omnes creaturas poſſibiles? ex quarum infinito numero mihi euidentiſſimum argumentum eſt ad hominem contra Ariſtotelem, ſi forte nobis aduerſarius eſt (de quo vide Ruiz, tom. de Volunt. diſput. 7. ſect. 5. vbi contra plures Theologos Ariſtotelem, Platonem & Auicennam à tam turpi errore excuſat.) Sic igitur arguo, Angeli, verbi gratia, poſſibiles ſunt infiniti Syncathegorematicè, & non cathegorematicè; ideſt nunquam exiſtunt tot, quin poſſint plures exiſtere, ſic oſtendi in Philoſophia cum Ariſtotele repugnare infinitum in actu. Nunc rogo plures qui non exiſtunt cum poſſint à quo detinentur? Si ex neceſſitate Dei? Ergo Deus non poteſt infinitos; ſi ex placito, eſt ergo Deus liberæ voluntatis, qui poteſt velle; & non vult. Denique eſt ratio à priori euidenter probans libertatem voluntatis Diuinæ qua vtitur S. Thomas in præſenti quæſt. 19. art. 3. ex eo quod Deus omnia amet propter ſe, ſiquidem ſibi ſe ſolo ſufficientiſſimus eſt. Ergo tantum tenetur amare de creaturis, quantum opus eſt, vt ſuam eſſentiam, ſeu ſuum eſſe poſſideat, qui enim amat aliquem finem, id præciſè amare tenetur, quod neceſſarium eſt, vt finem poſſideat, ideo quando ſuppetunt plura media non tenetur quis omnia. At euidentiſſimum eſt *eſſe* Dei à creaturis non pendere, neque has neceſſarias eſſe, vt illud exiſtat. Ergo nec Deus tenebitur neceſſario amare creaturas, vnde eius voluntas libera erit.

Ex his patet audiendos non eſſe Oxamum 1. diſtinct. 43. quæſt. 2. circa primum artic. Gabrielem ibidem quæſt. vnic. artic. 2. aſſerentes Diuinam libertatem non poſſe ratione naturali probari. 3 *Impugnatur Oxam. Gabr.* Etenim ſatis conſtat ex §. præced. ſolo naturali lumine Dei libertatem eſſe manifeſtam non minus, quam Dei exiſtentiam, vel Prouidentiam. Neque obſtat modum quo ſtare poſſit libertas Dei vel cum neceſſitate morali ad optimum; vel præcipuè cum neceſſitate phyſica eſſendi immutabiliter, nobis latere; ſæpè namque aliqua euidentiſſima ſunt, cum tamen modus, quo ſe habeant ſit occultiſſimus, & inexplicabilis, imò & contra veritatem manifeſtam inſuperabiles ſæpè apparent difficultates: Sic euidens eſt compoſitio quantitatis continuæ; nemo tamen penetrauit modum, quo componatur. Item euidens eſt Dei Prouidentia permittens peccata, quis autem non laborauit in ea propugnandā. Dices veritas, quæ latuit Ariſtotelem non poteſt dici nota naturali lumine. *Mens Ariſtotelis.* Reſpondeo : *Sæpè magnorum ingeniorum magni quoque ſunt lapſus*, vt ait axioma, quid inde? Præterea Ariſtoteles in hac materia varius fuit, licet enim 8. Phyſic. tex. 9. & 13. item 2. de cælo, cap. 6. & ſæpè alibi probet motum cæli eſſe æternum, quia Deus ex neceſſitate agit; at etiam in aliis locis libertatem Dei fatetur: ſic enim ait lib. de mundo. Ad Alexandrum concludens circa finem : *Omnia quo vult mouet, arbitratuque ſuo in diuerſis rerum generibus, & naturis verſat.* Vnde merito dixit Scotus 1. diſt. 8. q. 5. *De intentione Ariſtotelis neſcio: ſed nolo ei imponere abſurdiora, quam dicat, vel quā ex dictis eius neceſſariò ſequantur: & volo rationabiliorem intellectum accipere, quam poſſum.*

Aliqui prædictam veritatem probant ex conceptu ipſo volitiui, ex quo putant neceſſario ſequi libertatem, vnde ſicut bene ex intellectu probat S. Thomas voluntatem Dei in hac, quæſt. 19. art. 1. ita ex voluntate probanda eſt libertas. 4 Sic arguit P. Recupitus in præſenti lib. 2. quæſt. 8. cap. 3. num. 10. Omne volitiuum eſt liberum. Sed Deus eſt volitiuus. Ergo liber: minor & conſequentia notæ ſunt. Maiorem probat, quia omne volitiuum eſt intellectiuum. Ergo poteſt proponere voluntati bonum finitum, intellectus namque cum neceſſario ſit vniuerſalis ad omne ens, repræſentare poterit bonum finitum: At bonum finitum non amatur neceſſario. Ergo libere. Ergo omne volitiuum eſt liberū. Hæc tamen probatio licet reſpectu Dei vim habeat, cū eius intellectus proponat plura bona, quæ vim non habent rapiendi, & neceſſitandi eius voluntatem; Cæterum vniuerſaliter connexionem volitiui cum libero non ſatis probat,

bat, cur enim volitiuum non poterit eſſe limitatum ad modum agendi neceſſario, vti appetitiuum materiale: quia videlicet ipſi per intellectum proponitur bonum, licèt finitum ita tamen imperfecte vt feratur voluntas ſicut appetitus materialis brutorum; vel ſaltem ſicut ipſa voluntas in nobis in motibus primo primis, & indeliberatis, ſine vlla libertate, nec ſemiplena fertur, quantumuis bona, quæ ita indeliberate nobis proponuntur finita ſint in re, & in apprehenſione. Secundo illa voluntas erit ſine libertate, licèt cognoſcat perfectè bonum finitum, etiam admixtum malo, ſi ponas eius obiectum eſſe non bonum vtcumque ſed bonum melius, ita vt ſit voluntas neceſſitata ad optimum. Tertio cur voluntas aliqua non poteſt eſſe determinata ad non amandum aliud bonum niſi diuinum clare viſum, vti enim datur limitatio in potentiis ſenſitiuis materialibus, vt oculus verbi gratia, ſit ſolum ad colorem; item lumen gloriæ eſt ſolum ad viſionem Dei, dari etiam poterit ſubſtantia aliqua ſic determinata, talis autem ſubſtantia neceſſario amabit ſuum obiectum vt manifeſtum eſt.

5 Vt his omnibus occurram ſic formo rationem. Omne volitiuum neceſſario eſt intellectiuum *iudicatiuè*, & non purè apprehenſiue. Sed omne intellectiuum ſic neceſſario eſt liberum. Ergo omne volitiuum neceſſario eſt liberum. Conſequentia tenet in *Barbara*. Maior probatur à P. Recupito tom. 2. de Deo lib. 1. quæſt. 38. §. 14. quia apprehenſio ex ſua ratione eſt diſpoſitio ad iudicium & quidem vt ego exiſtimaui in hoc tractatu diſputatione 56. §. 22. ſi talis non ſit, perfectionem ſpiritualitatis non attinget, Spiritus namque ex ſuo conceptu vti petit cognoſcere, ita petit cognoſcere perfectius, quam Brutum; pura autem apprehenſio communis eſt Brutis. Iam minor quod ſcilicèt intellectiuum iudicatiue ſit liberum ſuadetur. Primò quia talis intellectus ſaltem in confuſo attingit rationem communem entis; etenim ly *eſt* quod neceſſario exprimitur in actu iudicij, nec apprehendi poteſt quin rationem eſſendi genericam innuat. Ergo talis intellectus ſaltem diuinitus attingere poteſt quamlibet rationem determinatam entis. Conſequentia iſta probatur, quia iam talis intellectus reſpicit intra ſuam ſphæram ſaltem in confuſo differentias determinatas entis, potentia autem vitalis ſaltem diuinitus eleuari poteſt, vt attingat clarè, & diſtinctè obiectum quod confusè attingit, ideo noſter intellectus probatur eleuabilis ad cognitionem claram Dei, quia illum intra ſuam ſphæram aliquo modo ſaltem confuſo reſpicit. Tunc ſic, ſed eo ipſo quod intellectus ſit potentia vniuerſalis ad attingendum omne ens, & verum, eſt radix in voluntate potentiæ amandi, & potentiæ non amandi; Amandi quidem quia repræſentat rationem conuenientiæ in obiecto; & non amandi quia omnis conuenientia boni creati talis eſt, vt etiam ſit diſconueniens. Ergo poteſt vt diſconueniens proponi, ſeu vt mala cognoſcenti. Ergo vt odibilis, neque enim plus inclinat ad amorem bonum cognitum, quam malum ad odium Ergo talis voluntas erit potens amare, & non amare, ſeu odio habere, in quo formaliter libertas conſiſtit.

Datur eſſentialis connexio inter volitiuum, & liberum.

6 Dices; bene ſit, quod intellectus ita tendens iudicatiue proponere poſſit obiectum vt bonum, & conueniens; item ſæpe etiam vt diſconueniens cognoſcenti non tamen ideo ſubſtantiam ita cognoſcentem fore liberam, nam etiam potentia ſenſitiua bruti plura cognoſcit vt bona ipſi, plura item vt mala, ex quo non ſequitur, quod Brutum habeat libertatem, & ratio eſt, quia licèt ex tali propoſitione cognitionis ſequatur in voluntate, quod ſæpe poſſit elicere amorem, ſæpe etiam odium, non tamen quod ſimul habeat potentiam ad amorem, & odium, prout requirit facultas libera, in qua datur ſimultas poteſtatis ad amandum, & non amandum, ſeu odio habendum. Reſpondeo: intellectus eo ipſo quod ſit iudicatiuus non ſolum poteſt proponere obiectum vt conueniens, & ſeorſim vt diſconueniens, ſed etiam vt ſimul conueniens, & diſconueniens, proponere ſcilicet poteſt in obiecto conuenientiam admixtam cum diſconuenientia. Ratio huius eſt quia ipſe conceptus iudicandi imbibit attingentiam plurium; eſt enim iudicium comparatio duorum extremorum, ſiue vt coniungantur per affirmationem, ſiue vt diſiungantur per negationem, vnde facultas iudicatiua poteſt attingere ſimul plura, & conſequenter attinget conuenientiam, & diſconuenientiam, conſtituetque in voluntate potentiam amandi, & odio habendi, potentiam inquam proximam, & ſimultaneam ad vtrumque, nam ſicut conſtituit potentiam proximam amandi quatenus intellectus proponit conuenientiam, ita conſtituit potentiam proximam non amandi, ſeu odio habendi, quatenus diſconuenientiam propoſuit. Ideo omnes Theologi cum S. Thoma 1. part. quæſt. 83. art. 1. corp. ob hanc potentiam perfectè iudicatiuam, ſeu ex collatione, & comparatione rationis colligunt dari in homine potius liberum arbitrium, quam in brutis, quæ non ex collatione, ſed ex naturali inſtinctu cognoſcunt bonum vel malum. Confirmatur facultas iudicatiua per affirmationem, etiam formaliter vel virtualiter poteſt elicere negationem, ſicut quæ poteſt amare bonum, etiam & odiſſe malum. Si enim verbi gratia, dicit intellectus: *homo eſt rationalis* ſtatim dicit: *homo non eſt irrationalis*: Ergo ſicut ſub *ly eſt* attingit conuenientiam ita ſub ly *non eſt* attingit diſconuenientiam. At facultas quæ per comparationem attingit conuenientiam, & diſconuenientiam in aliquo obiecto eo ipſo eſt potens illud amare, & odio habere, vbi illa conuenientia eſt in genere boni, vt patet ex ſupra dictis. Ergo facultas iudicatiua neceſſario infert & connectitur cum libero arbitrio. Vt generaliter concludit. S. Thom. 1. part. quæſt. 59. art. 3. in corp. *Vndè vbicumque eſt intellectus eſt liberum arbitrium*. Ergo cum omnis ſubſtantia volitiua ſit etiam intellectiua erit etiam liberi arbitrij.

Hinc occurri facile poteſt obiectionibus in §. 4. 7
Patetque in vniuerſum connexio non quidem omnis appetitiui, at omnis volitiui cum libero, implicantiaque vt voluntas ſit alligata ad operandum ex neceſſitate vel ex omnimoda indeliberatione; ſic enim non operaretur ex iudicio, & collatione rationis, quæ in cognoſcitiuo ſpirituali datur vt præſtet materiali cognoſcitiuo. Ad ſecundum reſpondeo vbi *optimum* non eſt infinitæ bonitatis, quæ in eius conſpectu omnem contrariam bonitatem non permittat apparere vt conuenientem, & quæ in ſe contineat omnem bonitatem inuentam in obiecto contrario, nequit neceſſitare ad amorem ſui; cuius ratio eſt quia ſi adhuc in præſenti *optimi* obiectum contrarium appatet vt bonum, & conueniens cognoſcenti. Ergo apparet vt amabile, ſeu ſupponit in cognoſcente potentiam, vt illud amet, & conſequenter potentia ad amandum optimum erit libera; talis

namque

namque eſt, quæ dum amat obiectum poteſt amare oppoſitum. Ad tertium ſatis conſtat ex dictis in tract. de Viſione repugnare ſubſtantiam creatam, quæ connaturaliter poſſit, ne dum ſit determinata ad videndum Deum; ſi autem ſermo ſit de ſubſtantia increata, huius voluntas ſatis conſtat eſſe liberam, cum reſpectu illius obiectum finitum poſſit apparere vt bonum,& conſequenter vt amabile,vt dicam diſp.65.ſect.1. aliunde autem, ſiquidem ab illo independens eſt exiſtentia Dei nullo titulo neceſſitabitur ad eius amorem.

SECTIO II.

Circa explicandam libertatem Diuinam punctum difficultatis, & variæ Theologorum placita proponuntur.

8 TOtum difficultatis punctum conſiſtit in conciliãda contingentia actûs liberi, quam libertas expoſcit, cum neceſſitate quam immutabilitas Dei, & ſumma in exiſtendo tam quoad eius ſubſtantiam, quam quoad omnia eiuſdem prædicata indefectibilitas, fide Catholica, & euidenti ratione naturali firmiſſima firmiſſime ſtatuit. Libertas ex ſuo conceptu formaliſſimè poſtulat ita operari, vt operari non ſit neceſſarium, vt non implicet operationem ſuſpendere, vtque facultas libera non ſit eſſentialiter connexa, & à fortiori nec identificata cum ſuo actu; & conſequenter potentia libera debet eſſe diſtincta, & contingenter coniuncta cum ſuo actu. Hæc autem omnia maximè videntur repugnare immutabilitati Diuinæ; Nam huius actus vtpote vitales ſunt intrinſeci ipſi voluntati, imo voluntas Dei non eſt in potentia ad ſuos actus;neq; enim in Deo datur actus primus volendi phyſicus, & electiuus;ſicut nec intelligendi,ſed voluntas Dei eſt per modum actûs puriſſimi,& actualiſſimi omnẽ excludens potentialitatem. Ergo voluntas Dei non minus eſt neceſſaria in operando, quam in eſſendo, non magis poteſt ſuſpendere ſuam operationem, quam ſuum *eſſe*,& vt ſecum ipſa connectitur, implicatque à ſe diſtingui, ita & à ſuo actu.
9 Ergo voluntas Diuina nequit eſſe libera.

Confirmatur, & explicatur amplius difficultas contra libertatem Dei, ſi Deus haberet libertatem maximè in ſuis volitionibus, & amoribus, quibus libere amat, vel odit creaturas. At volitio Diuina implicare videtur, & repugnare libertati. Ergo & libertas Dei. Maior probatur tum ex dictis ſectione præcedenti, quæ formaliter in ipſis actibus voluntatis oſtendunt libertatem, & quod Deus non ſit neceſſitatus ad amandas creaturas; tum etiamſi amor ipſe, & volitio foret neceſſaria, ex neceſſitate omnia opera Dei euenirent, Deus enim quæcumque voluit fecit, neque eſt qui poſſit reſiſtere eius voluntati; tum vltra libertas Dei ſe exercet ab æterno, *elegit enim nos ante mundi conſtitutionem* Epheſ. 1. ab æterno autem nihil aliud datur niſi voluntas Dei; tum denique *liberum* eſt ſpecies voluntarij, eſt enim formaliter *à principio intrinſeco cum cognitione*, ſiquidem maximè mouetur determinatúrque à ſe,maximéque indiget præuia luce cognitionis, qui vnum præ alio libère operatur: patetque ex iis quæ experimur totam libertatem in velle, & nolle reperiri. Iam minor propoſitio, ſeu difficultas vt ipſa volitio Diuina ſit libera oſtenditur, quia volitio Diuina identificatur cum Deo, tum quia eſt ab æterno nil autem datur ab æterno niſi ſit increatum, & ipſe Deus, tum etiam à paritate ſcientiæ, quæ vt eſt in actu identificatur cum Deo, Deus autem æquè eſt purus actus in ſuâ voluntate, ac in ſua ſcientia; tum denique quia alias Deus non foret ſimpliciſſimus, ſiquidem haberet, viueretque per diſtinctos actus, mutareturque & afficeretur intrinſecè per illos ſicut & nos. Tunc ſic ſed volitio identificata, cum Deo nequit eſſe libera primo, quia volitio libera debet procedere actiuè à principio libero; proceſſio autem, vt contra Sabellianos probatur dicit realem diſtinctionem 2. Saltem eſt poſterior cognitione, vera autem poſterioritas non datur niſi reſpectu diſtincti. 3. Implicat quod ex duabus formalitatibus identificatis vna deficiat, & alia maneat, ſiquidem nullum maius ſignum diſtinctionis eſt, quam ſeparabilitas vnius ab alio: Deus autem cum ſit ens neceſſarium ſemper manet, volitio ſi libera, contingens eſt, & defectibilis 4. Denique nec realiter, & identice dici poteſt liberam eſſe exiſtentiam Dei, ſeu liberum eſſe quod ſit Deus. Sed volitio identificata eſt Deus: Ergo non eſt
libera. 10

Ob hæc prima ſententia ſtatuit firmiſſimè cum fide Catholica voluntatem Dei liberam eſſe, cæterum quomodo id ſit, & ſtare poſſit, eſſe omnino inexplicabile; vti contingit in aliis veritatibus, quas certas eſſe experientia ipſa & ratio naturalis demonſtrat, cæterum quales ſint, & qualiter componi poſſint cum aliis veritatibus non minus euidentibus, certum non eſt; ſic certum eſt ſcientiam futurorum componi cum noſtra libertate, modus tamen huius compoſitionis ita certus non eſt, ſed ſolum probabilis. Certiſſima eſt etiam compoſitio quantitatis continuæ, cæterum qualiter fiat nulla firmâ probabilitate explicari poteſt. Ita ergo hic libertas Diuina certiſſima eſt, modus tamen quo contingat inexplicabilis. Ita ſentit P. Arriaga in præſenti diſputatione 28. fine. Cuius ſententiæ eam videtur conuenientiam afferre, vt Ethnici facilius intellectum ſubmittant credendis myſteriis fidei, quæ ratione naturali nequeunt comprehendere, cum videant veritatem ratione naturali certiſſimam inexplicabilem eſſe. Hæc tamen ſententia omnino deſerenda eſt, cum ipſa contra Theologi munus explicationem myſteriorum fidei non intendat ſed deſerat; dumque difficultatibus ſuccumbit
ea difficiliora reddit. 11

Secunda ſententia aſſerit Deum non eſſe liberum in volendo, ſed in operando ad extra, quatenus ita agit effectus creatos vt poſſet eorum creationem ſuſpendere; haud aliter ac ſi poneremus ignem potentem ignire, & non ignire. Igitur voluntas Dei eſt vniuerſalis complacentia omnium, quæ pro libito ſe determinat in exercitio potentiæ exequentis,quin creſcat, vel immutetur,aliterque Deus in ratione *volentis* ſe habeat circa mundum, quem creauit; ac alium poſſibilem, ſed ſolum in ipſo exercitio creandi formaliter exercet libertatem. Quare Deus, & Diuina voluntas libera eſt, at non libertate immanenti, & vitali, ſed tranſeunte, quatenus voluntas Diuina quæ dicitur cauſa rerum iuxta phraſim D. Thomæ operatur ad extra cum poteſtate non operandi: ita Aureolus in 1. d. 40. art. 1. prop. 1. & 2. & diſp. 47. art. 1. & 2. qui reputatur huius ſententiæ Princeps, & illuſtrator,adeo namque expreſsè, & dilucide eam declarat, vt commentatore non egeat, ſed lectore: legatur præſertim diſt. 47. art. 1. in concluſione ar-

ticuli: *Ex præmiſſis itaque patet.* Hunc authorem ſere omnes ſequuntur in re ex referendis pro quarta ſententia.

12 Tertia ſententia ipſam voluntatem Dei ita intrinſecè liberam defendit, vt eius actus adæquatè intrinſecos ipſi Deo, adæquatéque exiſtentes ab æterno tueatur, quin aliquo intrinſeco connotato indigeant; haud aliter quam contingit in libertate noſtræ voluntatis, quæ priùs in ſe, & per ſuos actus eſt efficaciter *volens*, & determinata ad vnum actum internum, quàm ad extra procedat, ita vt motus exterior procedat ex efficacia interioris, iſteque infallibiliter, & determinatè cum vno connectatur, quin aliter poſſit effectus exterior variari, vel ſuſpendi, niſi pro priori, & condiſtinctè ab ipſo voluntas determinet ſuam indifferentiam tranſiens de volente in nolentem ita Caietan. 1. part. quæſt. 19. art. 2. & 3. Fonſeca 7. met. cap. quæſt. 5. ſect. 4. & 5. Salas 1. 2. tract. 3. diſputat. 1. ſect. 8. ponentes actum liberum Dei in aliquo vero, & intrinſeco prædicato Dei, quod potuit non eſſe in Deo; quam ſententiam ſub variis explicationibus iam communiter ſequuntur recentiores in M.S. cum P. Suar. diſput. 30. met. S. 9. & nouiſſimè P. Ioanne Martinon in præſenti diſput. 14. ſect. 4. §. 29. P. Vvadingo de incarnatione diſput. 1. de modis vbi latè docet quo pacto exemplo actuum liberorum Dei poſſit ſubiectum tranſire ab vna denominatione reali in aliam ſine vlla variatione, vel additione entitatis realis.

13 Quarta ſententia quaſi inter duas præcedentes media actum liberum per quem ſe exercet diuina libertas partim ex intrinſeca volitione Dei, partim ex extrinſeca connotatione effectus creati conſtituit. Ita fere omnes antiqui Theologi, cum Magiſtro 1. diſt. 45. cap. 2. Et S. Thoma hic artic. 3. ad 6. Nominales cum Ocham dum dicũt actum liberum diuinum addere ſupra neceſſarium connotationem vel habitudinem ad effectus creatos, denominationem extrinſecam, vel reſpectum rationis ad creaturas, hæc enim omnia idem ſignificant, & nil aliud denotant, quam actum liberum Dei præter intrinſecam, & neceſſariam eius volitionem compleri etiam ex connotato creato extrinſeco, & contingenti; vt explicat P. Alarcon. diſp. 4. de voluntate cap. 9. cum Vaſquez diſp. 80. cap. 2. & nouiſſimè Hemelman tom. 1. tit. 5. diſput. 2. cap. 5. num. 6. P. Franciſ. Amico diſp. 14. ſect. 3. Recupito tom. 2. de Deo tract. 2. quæſt. 9. cap. 2. Quid ego ſentiam dicam in ſequent. concluſionibus.

SECTIO III.

Libertas diuina non eſt ſolum in operando tranſeunter, & ad externos effectus.

14 *Exercitium diuinæ libertatis nequit eſſe adæquatè extrinſecum.*

Concluſio iſta maximè opponitur ſecundæ ſententiæ in ſuo ſtricto & rigoroſo ſenſu intellecta quidquid ſit de mente Aureoli, quem fateor potius eſſe pro quarta, & vera ſententia, quam pro ſecunda; ſed quidquid de hoc ſit, exercitium libertatis diuinæ non poſſe eſſe adæquatè tranſiens & adæquatè conſiſtens in operatione ad extra probatur primò præcipuè ex modo loquendi ſcripturarum, iſtæ namque ſæpiſſimè, & frequentiſſimè non minus prædicant de Deo volitionem liberam, quam neceſſariam, non minus ſtatuunt in Deo dari amorem gratioſum circa creaturas, ac neceſſarium, & debitum circa diuinam eſſentiam, ac denique non minus exercitium libertatis prædicant per voces deſignantes volitionem, quam exercitium amandi, & beneuolendi. At nullus eſt qui in Deo neget veram & ſtrictam ſine metaphora volitionem neceſſariam, & amorem, quo vere amet Deus ſeipſum; ac denique nemo ita deſipuit, vt exercitium amandi, & amicitiæ non putet eſſe formaliter in volendo. Ergo & exercitium libertatis, amoris gratioſi, ac liberi circa creaturas. Minor & conſequentia patent. Maiorem fere tota ſcriptura ſacra confirmat, neque enim aliunde ex ſacræ ſcripturæ teſtimoniis in Deo dari voluntatem oſtendes, niſi quia datur liberum arbitrium quia videlicet mouetur precibus, punit peccata, ſtipendium cuilibet dat proportionatum meritis, amicitiam gerit cum iuſtis, cum impiis, & iniuſtis inimicitiam, cuius vult miſeretur, & quem uult indurat; diuidit ſingulis prout vult & ſexcenta alia, quæ erudite, & copioſe refert P. Ruiz diſput. 7. ſect. 5. per totam. Ergo ſicut ex iſtis probas voluntatem in Deo, ita & voluntatem contingentem, ſeu gratioſam.

Probatur ſecundo voluntas Dei, qua voluntas eſt, 15
ſeu Deus qua vult, eſt cauſa, fundamentum, & connexio efficax inferens exiſtentiam operationis tranſeuntis, ſeu effectus creati. Ergo Deus in volẽdo formaliter eſt liber. Conſequentia probatur quia volũtas Dei vt efficax, efficaciterque & infallibiliter inferens ſuum obiectum non poteſt eſſe neceſſaria, ſeu neceſſario exiſtens, alias eius obiectum exiſteret neceſſario; quod enim ex neceſſario ſimpliciter, ſequitur neceſſario, opus eſt vt non poſſit non exiſtere. Iam antecedens ſuadetur tum ex illo Pſal. 134. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit.* Matth. 20. *An non licet mihi quod volo facere?* Ioan. 5. *Filius quos vult viuificat* Romanor. 9. *cuius vult miſeretur* 1. cor. 12. *diuidens ſingulis prout vult* (id eſt *pro libero voluntatis arbitrio, non pro neceſſitatis obſequio vt exponit Ambroſius ſecundo de fide* cap. 3.) Ergo in ipſo actu voluntatis Dei in ipſo velle datur connexio cum effectione ad extra, cum viuificatione, cum miſeratione &c. alias manifeſte falſum foret quod eo ipſo quod ſtat velle Deum, ſtet etiam facere; vti denotat ly *omnia quæ voluit fecit.* At id non verificatur in *velle* neceſſario ſiquidem *velle* neceſſarium ſæpius datur reſpectu poſſibilium, quæ tamen non fiunt à Deo ergo. Confirmatur, vt quid maximum & proprium voluntatis diuinæ dicitur: quod non poſſimus Dei voluntati reſiſtere, Deo ſcilicet volenti, ſeu decernenti: Eſther 13. 9. *non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare Iſraël.* Item Geneſ. 50. 19. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Scilicet vt dixit Eſther ſi decreuerit vel quando decreuit. Ergo Deus non ſolum in operando, ſed in ipſo exercitio volendi eſt, efficax, & inſuperabilis, vt non ſtet Deum aliquid velle, & ipſum non euenire. Hæc conſequentia patet tum quia *decernere* eſt formaliter *velle* cum igitur Deus in decernendo efficax ſit, erit in uolendo; tum etiam quia vt patet ex teſtimonio allato Eſtheris voluntas diuina ponitur vt indifferens ad decernendum, & non decernendum, ſiquidem tunc ſolum ponitur, vt inſuperabilis ſcilicet: *Si decreuerit* ergo *decernere* eſt ratio determinandi, ſeu efficiendi inſuperabilem, & connexam voluntatem diuinam, & conſequenter volitio, ſeu decretum Dei vt tale eſt efficax, Ergo liber eſt Deus in decernendo, ſeu in volendo. Confirmatur ſecundo de ipſo *velle* Dei di-

citu

citur quod non ſit ex neceſſitate; nihil communius apud Sanctos Patres, & Theologos Scholaſticos. Anſelmus lib. 2. cur Deus homo cap. 17. ſub initio: *ſicut nulla neceſſitas, aut impoſſibilitas præcedit eius velle; aut nolle, ita neque eius facere, aut non facere.* S. Thomas in præſenti quæſt. 19. art. 3. quærit: *Vtrum quidquid Deus vult ex neceſſitate velit*, & reſpondet, repetitque ſæpè in eo articulo licet ſe velit ex neceſſitate, non tamen alia à ſe. Ergo Deus formaliter loquendo non ſolum in operando non eſt neceſſitatus, ſed neque in volendo. Et conſequenter exercitium liberum eſt non ſolum quoad operari, ſed quoad velle.

16 Tertio probatur è contra ex conditionibus, quæ conueniunt ipſi exercitio libertatis Diuinæ, tales enim ſunt vt hæ conditiones, & proprietates nequeant conuenire, niſi ſit prædictum exercitium formaliter volitio. 1. eſt ex cognitione, vt quando Deus præmiat, punit, vel aſſentitur precibus, quia illas cognoſcit, & exaudit. Motus autem ex cognitione eſt formaliter voluntarius, 2. potius Deus afficitur libere circa opus bonum, quam circa peccatum licet poſitiuum; hæc autem differentia non datur in operatione ad extra & phyſica, ſiquidem phyſicè ad vtrumque concurrit. Ergo in immanenti volitionis, 3. Deus ſe exercet liberè ab æterno, verbi gratia, prædeſtinando, eligendo, diligendo. Hoc autem nequit conuenire ipſi exercitio ad extra. Ergo opus eſt vt imbibat formalem volitionem. Maior probatur ante mundi conſtitutionem, & ante omne opus ad extra: *Elegit nos* Eph. 1. *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Rom. 9. 4. à paritate ſcientiæ contingentis ſeu liberæ, iſta enim nequit conuenire operationi ad extra, quid enim abſurdius, quam vocare creationem mundi actum, & exercitium cognoſcendi? & quod Deus formaliter cognoſcat per effectus creatos. Ergo iam admittendum eſt exercitium contingens ſciendi vt ſcientia formaliter eſt ſic libera, quid ergo diſcriminis eſt vt potius Deus ſit liber in volendo, quam in ſciendo.

17 Quarto quaſi à priori impugnari poteſt hæc ſententia tum ex dictis ſect. 1. quia cognitio perfectè iudicatiua repræſentans in obiecto bonum finitum admixtum malo, principium eſt, & radix libertatis in volendo ſeu potentiæ proximæ amandi, & odio habendi, qualis cognitio datur in Deo circa bona creata: tum etiam ex repugnantia vt potentia non volitiua ſit libera; ſiquidem eo ipſo quod libera ſit ex ſe, & ab intrinſeco quieſcit, & aliquando tendit, & inclinat in opus, inclinatio autem eſt opus appetitus; non innati, ſiquidem libertas vt talis ſæpè quieſcit in re, quæ phyſicè bonum non eſt, vt patet quando quieſcit in ſuſpenſione operis, item dirigitur cognitione, quæ duo non conueniunt appetitui innato. Ergo potentia libera formaliſſimè eſt appetitiua elicite. Ergo quia ipſe actus, & exercitium libertatis eſt appetitio, fruſtra namque requiritur aliqua conditio in potentia niſi propter ſimilem conditionem actus: Sed ſuperſedendum cenſeo ab vlteriori impugnatione ſententiæ huius, quæ forte ſic intellecta nullum Authorem habet; de illaque intelligendæ ſunt cenſuræ Theologorum: dum Fonſeca. 7. Met. cap. 8. quæſt. 5. ſect. 2. dicit: *à cæteris Theologis reiici tanquam parum conſonam Diuinis ſcripturis, & in ſe valde abſurdam.* Suarez d. 30. Met. ſect. 9. num. 4. *iuxta principia fidei nullo modo defendi poſſe.* Siquidem vt conſtat ex dictis. *Electionem: dilectionem: amorem: volitionem*: non explicat niſi per Metaphoram. Contra frequentiſſimum modum loquendi ſcripturarum, & communem acceptionem Sanctorum, & Patrum.

Fundamenta ponendi exercitium liberum adæquatè extrinſecum Deo, adæquatéque conſiſtens in operatione tranſeunte, ad hęc tria capita reduci poſſunt. Primum eſt deſumptum ex ratione dubitandi in ſectione præcedenti, quia liberum vt liberum, ſcilicet in actu ſecundo, & ex parte exercitij) eſt defectibile, & contingens: ſed tota defectibilitas, & contingentia conſiſtit in operatione tranſeunte, & creata. Ergo in hac conſiſtit adæquatè, exercitium libertatis Diuinæ. Secundò, ſi Deus eſſet liber in volendo, & non præcisè in operando tranſeunter, maximè in volendo obiecta creata; etenim circa amandum ſeipſum Deus omnino neceſſitatus eſt: at circa creaturas Deus non ſe exercet volendo, ſeu amando illas; ipſæ namque nullum bonum, neque vtilitatem afferunt Deo. Ergo totum exercitium Dei liberum circa creaturas eſt in operando, non in volendo. Tertiò perfectio Dei eſt independens à creaturis, ita vt Deus ad habendam totam ſuam perfectionem nulla creaturâ indigeat, omnino abſolutus ſit, & ſe ipſo omni alio ſecluſo perfectiſſimus. Sed volitio Dei, ſicut & ſcientia magna perfectio eſt *volentis*, & *ſcientis.* Ergo exercitium libertatis Diuinæ, quod, vt per ſe patet, dari nequit ſine creaturis, non eſt in Deo quoad ipſum velle, ſeu Deus non eſt liber in volendo, ſed in operando tranſeunter. 18

Fundamenta prædicta maiorem continent difficultatem, quam vt poſſint hic breuiter ſolui. Primum maximè ſpectat ad præſentem diſputationem, & vt exponam, dum explicuero propriam, & veram ſententiam, ſatis omni defectibilitati, & contingentiæ, quam dicit exercitium libertatis, occurretur, dum inadæquatè ſolum, & de connotato, quaſi ex parte ſubiecti aliquid extrinſecum connotet Deus in volendo liberè; quare non eſt opus vt exercitium libertatis Diuinæ adæquatè conſiſtat in operatione tranſeunte. Secundum & tertium fundamentum, quibus videtur intendi Deum nullam volitionem habere circa creaturas exiſtentes manifeſtè inſtatur in ſcientia, quam Deo circa creaturas nemo Catholicus, aut prudens auſus eſt negare. Deinde ſpeciatim ſecundum fundamentum examinabo infra, diſputatione 65. dum quæram qualiter Deus amet creaturas. Tertium item fundamentum ſpecialem diſputationem poſtulat, dicant-ne perfectionem actus liberi, vt tales, ſunt enim plures ex Authoribus tuentibus actum liberum eſſe adæquatè Deo intrinſecum identificatumque cum ipſo, qui tamen putant in tali actu vt libero formaliter nullam perfectionem inueniri de quo etiam agam, diſput. 69. 19

Quartum, & præcipuum fundamentum, quod pro ſua ſententia adducunt Aureoliſtæ, vt exercitium libertatis Diuinæ non ſit in volendo, ſed ſolum in operando ad extra, eſt communis ſolutio, in qua conquieſcunt, ad omnia teſtimonia ſcripturæ ſacræ, quæ vel exprimunt in volendo libertatem, ſeu volitionem contingentem, & liberam, vel hanc euidenter inferunt (alia namque pro vera ſententia argumenta fateor non ita euidentia eſſe rationi naturali, vt non debeant cedere difficultati identitatis prædicati liberi cum neceſſario; vt non appareat euidentius ſignum diſtinctionis, quod exercitium liberum ſeparetur ab eſſentia 20

Dei.) Reſpondent ergo hi Authores *velle* Dei quando exprimitur vt liberum, non debere accipi de vera, & ſtricta volitione, ſeu de vero, & ſtricto voluntario, ſed Metaphoricè de libero, ſcilicet *poteſtatiuo*, & dominatiuo; quatenus Deus ita operatur ad extra: impertitur beneficia, &c. vt à nullo neceſſitatus, & determinatus præuiè hæc omnia præſtet; perinde ac noſtra voluntas elicit volitionem aut nolitionem: *Secundum hoc* (inquit Aureol. 1. d 47. art. 1. §. *ex præmiſſis itaque patet*) *Deitas induit rationem voluntarij* (ideſt liberi) *ex illo connotato quod eſt habere omnem actum exteriorem in ſua poteſtate.* Et infra, hinc deducit: *Quidquid Deus extra producit voluntariè producere non actu deſiderij, vel volitionis, ſed quia producit cum quadam dominatione, & poteſtate.* In ſolutionem hanc ideo Doctores iſti ingenioſi alias, & Catholici deuenere, quia putant licitè poſſe teſtimonia ſacra ad metaphoricos ſenſus, & improprios retorqueri, quando pugnant cum euidenti rationis demonſtratione. Quæ autem euidentior, quam non poſſe volitionem intrinſecam Deo eſſe contingentem? quam nihil poſſe in ente neceſſario eſſe non neceſſarium? maximè ſi illi inſit per identitatem, vti requirit ſumma ſimplicitas Dei excludentis omnem compoſitionem.

21 Sed contra: bene ſit quod permittamus Metaphoricos ſenſus, & interpretationes circa modos loquendi, & teſtimonia ſcripturæ, quæ frequentia non ſunt, vel aliis principiis fidei corriguntur, aut denique communis fidelium, & Sanctorum Patrum intellectus Metaphorice tantum accipit, docetque in proprio, & ſtricto ſermonis ſono non eſſe accipiendos: At frequentiſſima ſcripturæ verba communiter, & ſemper intellecta ab Eccleſia in ſua ſtricta ſignificatione, & proprio ſermonis rigore ad improprios ſignificatus conuertere manifeſte eſt totam fidem Catholicam deſtruere; anſamque Hæreticis præbere vt pro libito ſcripturas ſacras intelligant: verbi gratia, verba ſignificantia veram præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia transferant in ſignum præſentiæ moralis per ſpecialem aſſiſtentiam. Diſtinctionem perſonarum in vna eſſentia, in vnitatem vniformitatis, vel aggregationis, *collectiuam ſcilicet, & ſimilitudinariam, quemadmodum dicuntur multi homines vnus populus, & multi fideles vna Eccleſia*, vt hæretice interpretabatur Abbas Ioachim in c. Damnamus. De ſum. Trinit. & fide Catholica. Sicut ergo non obſtante ſumma difficultate myſterij Trinitatis, quæ tanta eſt, vt nulli veniret in mentem eius veritas naturali ductu, niſi vt eam inficiaretur (vt bene notat Suarez ex communi Theologorum lib. 1. de Trinit. cap. 11. num. 10. & 11.) non obſtante inquam hac difficultate omnes Catholice ſtrictam, & rigoroſam diſtinctionem realem cum ſtricta etiam, & propria identitate trium perſonarum ſcilicet in vna eſſentia confitemur ducti ex teſtimoniis ſcripturæ non figuratè intellectis, ſed in proprio ſenſu acceptis ab Eccleſia ita ſimiliter ſentire debemus de volitione libera diuina.

Frequentiſſima ſaltem ſcripturæ teſtimonia circa Dei libertatem ad improprios ſenſus conuerti non decet.

22 Concludo igitur contra Aureolum vt relatus, & adductus eſt pro ſecunda ſententia exercitium libertatis Diuinæ formaliter eſſe in volendo, ipſamque volitionem Diuinam qua talem liberam eſſe; neque ſolum inueniri in Deo volitionem ſimplicis complacentiæ, vt vult Aureolus, ſed etiam efficacem; nam vt conſtat ex ſupra dictis verba ſacræ ſcripturæ perſpicuè ſonant in Deo volitionem ſpecialiorem, quam ſimplicis complacentiæ; Sed ex §. præcedenti, verba ſcripturæ, quæ propriè aliquid ſonant non ſunt transferenda ad metaphoras iuxta regulam Auguſtini 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 11. *Quod perſpicuè ſonat non ad aliud transferendum eſt, quaſi figurate dictum.* Ergo Deus formaliter in volendo eſt liber, neque ſolum habet volitionem neceſſariam ſimplicis complacentiæ; & conſequenter exercitium libertatis Diuinæ non conſiſtet adæquatè in operatione tranſeunte, & exteriori. Confirmatur primo in actu ſcientiæ liberæ, qui nullam, nec metaphoricam admittit explicationem vt conſtituatur adæquatè in operatione tranſeunte; eadem autem eſt ratio difficultatis in ſcientia libera, ac in volitione. Confirmatur ſecundo ex illo Pauli Epheſ. 2. *Propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos Deus, &c.* Quæ verba nulla ratione explicari poſſunt, niſi de volitione Diuina in eſſe volitionis liberæ; tum quia actus neceſſarius ſimplicis complacentiæ non poteſt eſſe *nimius*, cum æquè ſit circa omnia poſſibilia; tum etiam quia operatio tranſiens violentiſſime dicitur charitas, & dilectio; tum denique quia opus ad extra eſt effectus huius nimiæ charitatis, vt denotat ly *propter*. Ergo præter ſimplicem complacentiam, debet in Deo admitti verus conceptus amoris liberi, ſeu ſpecialis, & efficacis, qui non conſiſtat in operatione tranſeunte.

Exercitium Diuinæ libertatis eſt in uolendo, & non ſolum in operando.

SECTIO IV.

Libertas Diuina non ſe exercet adæquatè intrinſecè in volendo, ſeu velle *liberum Dei non eſt adæquatè identificatum ipſi Deo.*

Concluſio hæc adeo euidens eſt, vt ſola indigeat terminorum apprehenſione non probatione: Velle Deum creare mundum, verbi gratia, eſt ſeparabile ab entitate Dei, ſed quod poteſt ſeparari ab aliquo non identificatur adæquatè, ſed diſtinguitur ab illo. Ergo velle Deum creare mundum non identificatur adæquatè cum ipſo Deo, & conſequenter non eſt ipſi adæquatè intrinſecum; Deo namque nihil intrinſecum eſt niſi per identitatem: Conſequentia eſt legitima. Minor propoſitio per ſe nota, nullum enim maius ſignum diſtinctionis quam ſeparabilitas vnius ab alio. Maior includit ipſam definitionem exercitij ſeu volitionis liberæ; iſta namque vt talis poteſt non eſſe, ſed entitas Dei non poteſt non eſſe. Ergo velle liberum poteſt ſeparari ab entitate Dei. Confirmatur, *nolle* creare mundum de facto ſeparatur à Deo; ſed *velle* potuit eodem modo comparari cum Deo. Ergo potuit ſeparari, ſeu eſt ſeparabile, & conſequenter diſtinctum. Conſequentia cum minore manifeſtiſſima eſt. Maior non minus eſt euidens ſimpliciter & abſolutè loquendo, quia eo modo quo Deus *eſt volens*, eademque proprietate *non eſt nolens* alioqui cur potius Diuinum *velle* conſequeretur ſuum effectum, quam *nolle*, deindè quis dicet eadem ratione, & proprietate eſſe Deum amicũ, ſeu amare Iudam, qua amat B. Virginem, vel circa hanc non potius habere proprie, & formaliter amorem, quam odium. Ergo hæc propoſitio veriſſima eſt: *in Deo non eſt nolle creare mundum,* ſeu *Deus eſt, & non eſt nolle.* At *non eſſe* eſt formaliter ſeparari, & deficere, ſicut è contra eſſe eſt formaliſſime 23

Diuina volitio non identificatur adæquatè cum Deo.

maliſſimè exiſtentiam habere. Ergo *nolle* ſeparatur à Deo. Ergo non identificatur adæquatè cum ipſo. Confirmatur ſecundo: *velle* alium mundum vere, & propriè non datur in rerum natura. Ergo Deus actu, & propriè *non eſt velle* alium mundum. Conſequentia eſt euidens ſi enim Deus actu eſſet, ſeu identificaretur cum *velle*. Sicut datur Deus, daretur ly *velle* Ergo Deus diſtinguitur à *velle*. Hæc conſequentia item apud me eſt certiſſima de qua multa dixi in tract. de eſſent. & attrib. diſp. 15. explicans conceptum diſtinctionis realis per ly *hoc non eſt illud*. Iam antecedens per ſe notum eſt, ſi enim daretur *velle* alium mundum, iam alius mundus exiſteret, ſiquidem ideo præciſè exiſtit hic mundus, quia circa illum datur *velle* diuinum, neque Authores contrarij admittere poſſunt dari in Deo potius *velle* circa hunc mundum, quam circa alium, niſi quia de *velle* circa alium mundum aliquid deeſt, ſeu ſeparatur, quod circa hunc mundum adeſt.

24 Huic argumento, quod totam continet difficultatem variæ ſolutiones adhibentur pro varietate ſententiarum, & explicationum, quibus defenditur actus liber Dei adæquatè intrinſecus, quas omnes ad duo capita reuoco, ne in impugnandis aliorum placitis operam perdam, quæ tota adhibenda eſt in præſenti in ſe, & veram ſententiam ab impugnationibus protegendo. Omnes oppoſitæ ſententiæ id vnum intendunt vt ſeparationem, defectum; & contingentiam volitionis liberæ à Deo ſolum ſecundum quid talem defendant, vt ſic volitioné diuinam eſſe ſimpliciter indefectibilem, inſeparabilem, & conſequenter identificatam cum Deo ente neceſſario valeant tueri: Separationem autem hanc eſſe *ſecundum quid* tutantur, vel ex eo quod forma volendi libere, vt condiſtincta à neceſſaria volitione non ſit ſimpliciter *ens* vel quia non ſimpliciter deficit, ſed ſecundum quid.

25 Ex primo capite 1. ſententia ait volitionem diuinam vt liberam nil reale addere ſed ſolum reſpectum rationis ita communiter loquuntur Thom. cum capreolo 1. diſt. 45. quæſt. 1. art. 1. Ferrara 1. contra Gentes cap. 75. & alij innumeri, quos citat Ruicius noſter hic diſput. 11. de voluntate ſect. 3. Vnde ad argumentum §. præcedent. dicunt Deum non mutari realiter, & vere; quia nil reale deeſt. Sed contra 1. quod eſt fundamentum ex parte Dei vt reſultet potius iſte reſpectus rationis, volendi hunc mundum præ alio? de hoc fundamento redit tota quæſt. 2. Deus nullo fingente rationis entia, ſed verè & realiter vult potius, hunc mundum, quam alium. Ergo forma volendi non eſt ens, ſeu reſpectus rationis fictus. Tertio iam forma volendi non eſſet intrinſeca Deo, etenim reſpectus rationis non minus eſt extra Deum, & ſuo modo diſtinctus, quam effectus creati, vel eorum carentiæ.

Velle Dei non eſt reſpectus rationis.

26 Secunda ſententia fatetur volitionem liberam eſſe realem entitatem, & perfectionem non tamen ſimpliciter, ſed cum addito, ſcilicet *liberam*, ſeu *voluntariam*. Ita Caietan. 1. part. quæſt. 19. art. 2. §. *ad hoc poteſt*. Item non intenſiuam; ſed *extenſiuam modificatiuam reſpectiuam*, ſeu *connotatiuam t & modum quendam ſe habendi ad creaturas*. Ita loquuntur Fonſeca 7. met. cap. 8. quæſt. 1. ſect. 4. & 5. ad 3. Salas tract. 3. in 1. 2. diſp. 1. ſect. 8. Putantes nihil ex hoc detrahi infinitæ perfectioni Dei, ſiquidem non ideo deeſt ei aliquid ſimpliciter, ſeu aliqua perfectio. Sed contra primo quidquid ſit de eo quod dicat perfectionem, vel non, volitio; ſi tamen verè deeſt, & ſeparatur à Deo non poterit identificari cum illo; generaliter namque procedit axioma illud tam de ente quam de non ente ſimpliciter, nullum maius diſtinctionis ſignum eſt, quam ſeparabilitas vnius ab alio. Contra ſecundò eo ipſo quod volitio non dicat perfectionem non eſt ponenda identificata cum Deo; alias liceret identificare cum Deo carentias, entia rationis, &c. Et ratio eſt quia prædicata, ſeu attributa Dei non ſolum debent excludere imperfectionem, ſed poſitiuè infinitam perfectionem includere, ſiue diſtinctam, ſiue indiſtinctã ab aliis, ideo omnipotentia infinita eſt in linea potentiæ; ſcientia item viſionis de homine verbi gratia, infinita in linea ſcientiæ, quin illam poſſit aliquid latere de homine exiſtente. Contra tertio verè ex parte rei independenter ab intellectu exiſtit in rerum natura volitio libera. Ergo verè, & abſolutè eſt ens reale; tale enim definitur quod eſt independenter ab intellectu noſtro.

Volitio libera à Deo ſeparabilis realiter ab ipſo diſtingueretur.

27 Tertia ſententia ait nullo modo deficere volitionem ipſam liberam in ſe, ſed in ſuo effectu formali: conſiderat namque ſententia hæc volitionem omnem diuinam neceſſariam in eſſendo, & liberam ſolum in communicando ſuum effectum formalem, ita vt ſicut noſtra voluntas, quia eſt per modum potentiæ exercet ſuam libertatem in genere cauſæ efficientis producendo, vel non producendo volitionem: volitio diuina, quæ eſt actus puriſſimus eadem formaliſſime ob ſuam eminentiam perfectionis ſe exercet libere in genere cauſæ formalis ſine vlla ſui mutatione communicando, vel non communicando effectum formalem volentis: Ita Suar. diſp. 30. metaphyſ. ſect. 9. num. 35. & communiter Recentiores noſtri dicentes volitionem liberam ſolum deficere quoad denominationem (ſeu terminationem, connotationem, habitudinem, effectum formalem in concreto, &c. quæ omnia idem in re ſignificant) non tamen deficere quoad entitatem, ſeu perfectionem. Sed contra ex dictis §. præced. illa denominatio, ſeu effectus formalis verè exiſtit à parte rei independenter ab intellectu Ergo ſi hic verè etiam deficit, & ſeparatur à Deo, diſtinguetur conſequenter realiter ab illo. Secundò hæc denominatio eſt valde imperfecta, cum potuerit non eſſe, Ergo non identificatur cum Deo, Deus enim cum nullo imperfecto poteſt identificari, ſiue ſit ens, & perfectio, ſiue pura denominatio ſine perfectione, multo minus poterit identificari cum hac, cum minùs perfectionis habeat, ſicut non poteſt identificari cum ente rationis, vel cum carentia; maximè cum denominatio verbi gratia, *nolentis mundum* modo ſit nihil, ſiquidem vt talis non eſt ergo ſi poteſt identificari cum Deo, Deus poterit identificari cum nihilo contra tertio hæc *denominatio* quomodocumque vocetur, quidquid fingatur eſſe, ſeparatur à Deo, verificat hanc propoſitionem actu independenter ab intellectu noſtro *Deus non eſt volens* producere alium mundum. Ergo diſtinguitur realiter à tali denominatione: conſequentia patet tum ex ſæpè dictis, quod ſeparabilitas ſit ſignum diſtinctionis; tum etiam quia nulla ratione fieri poteſt quidquid ſit de eſſe *denominatiuo* rationis, vel moralitatis; quin detur diſtinctio realis inter Deum & volitionem. Si hæc propoſitio actu, & ſine addit independenter ab intellectu verificaretur: *Deus producit volitionem*: non minùs eſt autem efficax cauſa diſtinctionis negatio obiectiua, quam productio; & ly *A. non eſt B.* quam *A. producitur à B.*

Eadem difficultas diſtinctionis in denominatione voluntatis reperitur.

contra

contra. 4. entitas, & denominatio, quæ contingit independenter ab intellectu idem omnino ſunt, alioqui liceret omnem variationem rerum in putas denominationes reducere: Ergo ſiquidem denominatio ſeparatur, deficit, variaturque ſimiliter,& entitas Dei.

28 Quarta ſententia, & ſolutio ſumitur non ex debilitate, ſeu improprietate formæ volendi, quæ deficit, quod nimirum ſit ſolum ens ſecundum quid modo explicato, ſed ex ipſo modo deficiendi, quo volitio deficit, & ſeparatur non ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid; vnde neque ſimpliciter debet diſtingui, nam ſolum ſeparabilitas; eo modo, quo ſeparabilitas eſt diſtinctionem arguit. Igitur reſpondet, cenſetque quarta ſententia volitionem liberam ſimpliciter non deficere neque in abſtracto, neque in concreto, ſed realiter permanere, at deficere virtualiter, ſeu ita ſe habere permanendo realiter, ac ſi realiter deficeret. Hinc titulo permanentiæ eſt ſimpliciter ens neceſſarium, identificaturque cum Deo; & rurſus titulo huius defectus verè poteſt ſeruire libertati; ſiquidem ſine dubio ſi realiter eſſet defectibilis, & contingens volitio aptiſſimè exerceretur per illam libertas. Ergo ſit ratione huius contingentiæ, & defectus virtualis, ita ſe habet, ac ſi realiter deficeret non minus ſeruiet liberrati, neque minus realiter Deus erit *non volens alium mundum*; ac ego quando realiter careo volitione. Ita ſentiunt Recentiores; quos bene, & acriter impugnat Alarcon tract. 3. de volunt. diſput. 4. cap.8. Ego etiam impugno. 1. Quia ſic non datur libertas ſimpliciciter, ſed ſolum ſecundum quid, & virtualiter, nam non minus eſt de eſſentia actus liberi contingentia, quam de eſſentia hominis rationalitas, ſed id, de quo ſolum verificatur. virtualis rationalitas, virtualiter ſolum eſſet homo,& perinde ſe haberet, ac ſi eſſet homo, realiter tamen homo non eſſet. Ergo ſimiliter. 2. non minus repugnat Deo contingentia, & defectus phyſicus (abſolutè loquendo) quam moralis, ſed implicat Deo conuenire defectus moralis etiam virtualiter, modo tamen ſufficienti, vt de Deo poſſit realiter prædicari id de cuius eſſentia eſt moraliter deficere, vt *eſſe peccatorem*. Ergo ſimiliter neque eſſe intrinſecè liberum. 3. implicat in terminis volitionem vere non deficere, & tamen, ita ſe habere in veritate deficientiæ, ac ſi realiter deficeret, ſic enim formaliſſime abſorbentur duo contradictoria, ac ſi diceres tenebras ita ſe habere in ordine ad eſſendum lucem; eademque veritate, ac proprietate, ac ſi eſſet ipſa lux; poteſt quidem vna res diſtincta ſe habere ſicut alia in ordine ad aliquem effectum, vel munus extrinſecum in genere cauſæ efficientis, at in ordine ad intrinſecum, & formalem, in ordinéque ad dealbandum, id quod non eſt albedo prorſus chymericum eſt. 4. ſine abſurdo, nec labe immutabilitatis poteſt Deo deficere denominatio volentis ab æterno, ergo ita poterit ipſi deficere in tempore, nam Deus, quia immutabilis eſt ita petit immutationem ab æterno ſicut in tempore, item quaſlibet alias denominationes & munera poterit intrinſece habere in tempore abſque aliquo ſuperaddito. Vt quid, verbi gratia ponitur vnio hypoſtatica diſtincta à Deo? cur non ponitur identificata, ſic enim optime intelligetur Deus intrinſecè vnitus & ſine vlla mutatione, quia nimirum ſolum mutatur virtualiter, & non realiter

Virtualis defectus implicat Deo.

29 Quinta ſolutio; & ſententia cenſet hunc defectum eſſe ſecundum quid; quia ſcilicet volitio libera ſolum deficit ſecundum eſſe *Ad*, non vero ſecundum *In* ex quo deſumitur defectus ſimpliciter; quemadmodum res ſimpliciter *eſt* quoties vere de illa dici queit quod ſit *In rerum natura* ita ſimiliter vt deſit ſimpliciter opus erit vt dici queat non eſt: *in rerum natura*; ita cenſent quidam Complutenſes Recentiores. Sed contra vel ly *Ad* ſumitur vere, & realiter, ſicut eſt à parte rei, vel ſolum pænes conceptus noſtros, quatenus apprehendunt præcisè reſpectum *ad* obiecta præſcindendo à fundamento, vel entitate in qua fundatur ly *Ad.* Si primum? nil ad rem ſiquidem eſſe Deum liberè,vel non eſſe volentem, non ſolum euenit ratione noſtra, ſed vere & à parte rei. Ergo opus eſt vt independenter ab intellectu actus liber ſit defectibilis. Si ſecundum? non poteſt dari ly *Ad* quin identificetur cum *In* etenim *Ad* vt *Ad* non dicit, nec ponit aliquid, res enim non eſt niſi quatenus *in ſe* eſt, & conſequenter imbibit *in* quin aliter explicari poſſit. Vnde ſic arguo ly *Ad* vel identificatur cum Deo? vel non? ſi identificatur etiam qua tale eſt realiter. Ergo non poteſt à Deo ſeparari? ſi non identificatur, ergo reincidit in ſententiam Aureoli.

Sexta ſolutio, & ſententia ait nullum, nec *ſecundum quid* dari defectum volitionis liberæ: Quia volitio libera duas habet exiſtentias, ſeu duo conſtitutiua adæquata, etiam qua realiter loquendo eſt vna numero perfectio ſimpliciſſima; exiſtit enim eadem vt ita dicam per exiſtentiam *volentis*, & per exiſtentiam *nolentis*: Sed quantumuis ponatur Deo deficere hæc exiſtentia A. qua denominatur *volens*, per quam ſufficienter intelligitur exiſtere *volitio*: nihilominus non deficit, ſed potius eo ipſo datur exiſtentia *B* per quam denominatur *nolens*, & quæ ipſa eſt exiſtentia volitionis. Ergo nunquam poteſt deficere volitio. Hæc conſequentia patet, quia implicat rem deficere, vbi permanet eius exiſtentia, & ſufficiens conſtitutiuum adæquatum, vt ipſa ſit. Minor etiam eſt clara, quia eo ipſo quod Deus *non eſt volens*, iam *eſt nolens*. Ergo datur exiſtentia *nolentis*. Ergo ſi iuxta primam propoſitionem volitio exiſtere poteſt duplici exiſtentia *A*. & *B*. nulla ratione dicetur deficere,ſed verè adhuc exiſtet. Iam prima propoſitio ſeu maior probatur, quia non implicat eiuſdem rei dari duas exiſtentias vt patet. 1. è contra, eiuſdem rei datur duplex carentia, alia enim eſt carentia viſûs in lapide, alia in animali; item alia eſt omiſſio neceſſaria actus liberi, alia omiſſio liberi. Ergo poterit etiam eiuſdem rei dari duplex exiſtentia. 2. maximè ſi exiſtentia diſtinguatur ab eſſentia; non eſt cur repugnet concedi rei eidem duplex exiſtentia; ſicut duplex ſubſiſtentia, duplex vbicatio, &c. 3. non repugnat quod eadem res numero inuariata perſeuerat; quantumuis varientur eius conſtitutiua, quia ſcilicet ea ad exiſtendum expoſcit non in eſſe determinato, ſed vage. Sic *Requiſitum* ad videndum idem datur ſiue exiſtat oculus dexter,ſiue ſiniſter. Eadem figura artificialis Cathedræ, verbi gratia, ſiue exiſtat in hoc loco, ſiue in alio, quia ſcilicet licet figura conſtituatur ex vbicatione non petit potius hanc determinatè, quam illam. Item idem eſt numero *Deus* Pater, & *Filius*, quia licèt *Deus* in concreto dicat perſonalitatem, ſed vage ſiue hanc, ſiue illam. Igitur ad præſens ſi conceptus *volitionis* accipiatur vage, accipiaturque vt diſiunctum ex duplici exiſtentia, & conſtitutiuo ita coaleſcet, vt quolibet exiſtente, exiſtat, & permaneat volitio, quin deficere 30

deficere poſſit, niſi deficiente vtroque conſtitutiuo adæquato, ſeu vtraque exiſtentia, qui defectus cum impoſſibilis ſit, fiet vt volitio ſit omnino indefectibilis. Ita Recentiores valliſoletani.

31 In hac ſolutione, & ſententia tria deſidero 1. conſequentiam ad doctrinam communem Recentiorum horum, qui acriter tuentur dari diſtinctionem virtualem inter duas formalitates, quoties de ipſis verificantur contradictoria prædicata. Sed conſtitutiua, ſeu exiſtentiæ illæ volitionis poſſunt deficere, quin perfectio volitionis poſſit deficere: rurſus vt manifeſtiſſimum eſt, deeſt exiſtentia *A.* & non deeſt exiſtentia *B.* Ergo non ſunt vna numero formalitas, ſed duæ, ſaltemque virtualiter perfectio volitionis diſtinguitur ab exiſtentia: vnde nequibit per illam conſtitui. Secunda deſidero veritatem in principio cui præcipuè, imò vnicè innititur, quod nimirum res *determinatè* accepta, (quo pacto ſolum poteſt exiſtere à parte rei) & *adæquatè omnino* nam ſi inadæquatè, iam non loquimur de tota re, ſed de vna parte, quo pacto quid mirum ſi variata hac non varietur pars alia? ſicut deficientibus mundi ſublunaribus partibus, manent incorruptæ cæleſtes) res inquam determinatè, & adæquatè omnino accepta eadem maneat deficiente eius conſtitutiuo. Nam variato conſtitutiuo implicat non variari id quod eſt formaliſſimè conſtitutiuum ipſiſſimum. Ergo ſi ipſum eſt reale, variatur etiam res aliqua, quidquid ſit per accidens ne ſe habeat iſte defectus ad permanentiam rei ſub aliqua denominatione alia hoc enim nil refert ad præſens, & per ſe notum eſt poſſe contingere etiam in creatis (vbi non admittes myſterium libertatis diuinæ) quando ſcilicet tale conſtitutiuum nullius conſiderationis eſt ad eam denominationem, quæ ſolum attenditur penes aliquem effectum extrinſecum, & in ordine ad illum vt quando dicitur non deficere *Requiſitum* ad videndum, licèt deficiat vnus oculus: eſſe *eandem cathedram*, variato vbi, *eundem Deum* variata perſonâ, non quia adæquatè omnino, & determinatè Filius ſit idem numero cum omnibus, quæ faciunt Patrem eſſe *Deum hunc*, ſed quia ly *hic numero Deus* ſtat pro recto ſcilicet Deitate, quæ cum eadem numero maneat, idem numero Deus eſt Filius qui tamen idem Deus non eſſet, ſi vt diſtinguitur à Paternitate, à Deitate etiam diſtingueretur. Vnde potiùs vrgetur non poſſe manere eandem rem variato, eius adæquato conſtitutiuo. Hinc patet nullius veritatis eſſe principium cui innititur iſta ſolutio ſexta, ſi loquamur de conſtitutiuo intrinſeco, nam de accidenti extrinſeco, vt carentia, vel exiſtentia ſi diſtinguatur ab eſſentia nil eſt curandum. Denique deſidero in hac ſexta ſolutione ſufficientiam, vt argumento poſito initio huius ſectionis ſatisfaciat. Nam quidquid ſit permaneat ne eadem volitio, eademque perfectio. At vere deficit, & ſeparatur exiſtentia. *A.* vereque deficit vnum conſtitutiuum. Ergo implicat identificari cum Deo.. Conſequentia patet ex ſæpè dictis, & ex ipſis Recentioribus, nam *hic numero Deus* conſtituitur ex duobus realiter diſtinctis. Vnde integra manet tota præſens difficultas.

Nequit volitio libera vage conſtitui per hanc vel illam perfecti onem.

32 Fundamenta ponendi exercitium libertatis diuinæ adæquatè intrinſecum; & identificatum cum Deo ad tria capita reduci poſſunt 1. deſumitur ex ratione debitandi in §. 9. Volitio Dei vt libera, ſeu Deus in volendo liberè ſe exercet ab æterno: nil autem eſt ab æterno, niſi ipſe Deus. Secunda volitio libera Dei eſt cauſa rerum, ideoque exiſtunt res omnes extra Deum, vel non exiſtunt, quia Deus libere vult. Ergo volitio Dei adæquatè diſtinguitur ab omni ſiue poſitiuo, ſiue negatiuo, quod eſt extra Deum, cauſa enim adæquatè debet diſtingui à ſuo effectu, & conſequenter volitiò libera adæquatè eſt intra Deum. Tertio maximè, quia omnibus rebus condiſtinctis à Deo inuariatis, poteſt Deus iam habere hoc exercitium liberum iam aliud ſicut nos abſque vlla mutatione nec poſitiuâ nec negatiua obiecti poſſumus circa illud diuerſimodè affici liberè, & ipſe Deus pro praxi ad vllam mutationem ad extra per ſcientiam conditionatam cognoſcit hanc veritatem contingentem, ita vt potuerit habere oppoſitam ſcientiam abſque vlla facta in rebus mutatione. Ergo libertas Dei adæquatè eſt conſtituenda intrinſeca ipſi Deo antecedenter ad omne extrinſecum.

Propoſita fundamenta non poſſunt plenè ſolui niſi ex dicendis diſput. ſequenti, quare ad eam lectorem remitto; ſolum in genere dico per illa euidenter probari volitionem liberam, vt talem non poſſe eſſe adæquatè extrinſecam, imo neque inadæquatè ex parte formæ volendi, ſeu volitione ſumpta in abſtracto; at licèt ipſa in concreto ſeu *Deus vt volens* aliquid extrinſecum expoſcat, benè poterunt de libertate diuina, ſeu de exercitio contingenti diuino ea omnia prædicari, quæ hic obiiciuntur, vt apparebit diſp. ſequenti. 33

SECTIO V.

Libertas Diuina ſe exercet per exercitium; quod, qua liberum eſt formaliter inadæquatè imbibit aliquid creatum, inadæquatéque aliquid increatum, ſeu intrinſecum Deo includit.

Concluſio iſta euidenter infertur ex dictis, ſi enim exercitium liberum voluntatis Diuinæ non poteſt eſſe adæquatè extrinſecum, quia opus eſt, vt aliquid intrinſecum Deo includat, vt ſatis dixi ſect. 3. Neque item poteſt eſſe adæquatè intrinſecum, quia opus eſt, vt aliquid diſtinctum à Deo complectatur, eo ipſo opus erit, vt ex aliquo intrinſeco, & ex aliquo extrinſeco coaleſcat; ſeu includat aliquid creatum, & ſimul aliquid increatum: Quam concluſionem ſic confirmo. 34

Diuinum exercitium liberum aliquo extrinſeco conſtituitur.

Omne id quod eſt propriè, & abſolutè defectibile non eſt Deus. ſed exercitium libertatis Diuinæ includit aliquid propriè, & abſolutè defectibile; Ergo aliquid, quod non eſt Deus, & conſequenter eſt creatum poſitiuum vel negatiuum. Conſequentia legitima, & euidens eſt in *Darij*. Minor propoſitio etiam eſt manifeſta, etenim liberum vt liberum definitur, quod poteſt non eſſe; quod enim non poteſt non eſſe, iam non ex libertate, ſed ex neceſſitate eſt. Ergo liberum propriè, & abſolutè tale imbibit poſſe non eſſe propriè, & abſolutè, & conſequenter propriè, & abſolutè defectibile: præterea exercitium libertatis æqualiter ſe habet ad eſſendum, quam ad non eſſendum, hinc facultas libera definitur, quæ poteſt operari, & non operari; ſed exercitium liberum poteſt propriè, & abſolutè eſſe; ergo poteſt propriè, & abſolutè non eſſe: Ergo exercitium libertatis Diuinæ includit aliquid propriè, & abſolutè defectibile, nunc maior propoſitio non minus per ſe nota eſt, quod ſcil. id quod eſt propriè, & abſolutè defectibile nó ſit Deus. 35

Primò quia Deus non poteſt non eſſe nec quoad ſe, nec quoad aliquid ſui, vt eſt per ſe notiſſimum. Secundò quod eſt defectibile, ſeu quod poteſt non eſſe, conſequenter poteſt non eſſe Deus; quod autem poteſt non eſſe Deus, nequaquam, & nunquam eſt Deus, in Diuinis enim idem eſt poſſe eſſe, & eſſe. Tertiò quod non eſt Deus, non eſt Deus, vt ipſa repetitio propoſitionis demonſtrat; ſed quod eſt defectibile per ſe non eſt, & conſequenter per ſe non eſt Deus: Ergo. Confirmatur ita, verè & propriè dicitur de Deo: *non eſt nolens* creare mundum; ſicut propriè dicitur eſt volens: Ergo ſicut ly *eſt* indicat exiſtentiam *volentis* ita ly *non eſt* carentiam, ſeu effectum *nolentis*, & conſequenter carentiam identitatis, ſeu diſtinctionem à *nolente*; ſed non magis identificatur cum Deo velle, quam nolle liberè creare mundum: Ergo velle, ſeu exercitium liberum voluntatis Diuinæ includit aliquid quod non identificatur cum Deo. Confirmatur ſecundò implicat aliquid ſimul eſſe, & non eſſe propriè, & abſolutè. Ergo implicat aliquid poſſe ſimul eſſe, & non eſſe. Conſequentia per ſe nota eſt, ſiquidem implicatoria eſt potentia ad rem implicantem, ſeu chymericam. Tunc ſic, ſed exercitium liberum poteſt non eſſe propriè & abſolutè; item Deus non poteſt non eſſe: Ergo implicat quod aliquid ſimul ſit Deus, & exercitium liberum; ſic enim idem eſſet liberum, & neceſſarium; idem poſſet non eſſe, & non poſſet non eſſe, & conſequenter poſſet ſimul eſſe, & non eſſe. Ergo exercitium libertatis Diuinæ opus eſt, vt imbibat aliquid creatum.

36 Rurſus, opus eſt, vt imbibat aliquid increatum; omne id quod eſt propriè, & abſolutè exercitium viuendi, & volendi reſpectu Dei eſt ipſe Deus: ſed exercitium libertatis Diuinæ includit aliquid, quod propriè & abſolutè eſt exercitium viuendi, & volendi reſpectu Dei: Ergo includit aliquid, quod eſt ipſe Deus, & conſequenter non eſt vllo modo creatum. Conſequentia hæc legitima, & euidens eſt in *Darij*. Minor propoſitio non minus eſt manifeſta tum ex fide toties prædicante libertatem in Deo quoad ipſum exercitium volendi, vt vidimus ſect. 3. tum ex ratione naturali demonſtrante Deum liberè moueri ex perceptione, ſeu cognitione noſtrarum orationum, ſacrificiorum, meritorum, offenſarum, &c. quæ ratio ita clamat apud omnes gentes vt totius cultûs, & religionis in Deum radix ſit promptius perſuadens omnibus etiam ruſticis exiſtentiam Dei, quam vlla alia metaphyſica demonſtratio: eſt autem per ſe notum eſſe exercitium volendi, id quod dirigitur ex cognitione, ſiquidem eo ipſo eſt tendentia non innata, ſed elicita, & in bonum non phyſicum purè, ſed intentionale, appetitus autem in bonum intentionale, ſeu cognitum formaliſſimè eſt actus volendi. Nunc maior propoſitio non eſt minus per ſe nota. nimirum id quod eſt propriè & abſolutè exercitium volendi Deo eſſe Deum ipſum: nam volitio eſt intrinſeca volenti, definitur enim voluntarium, quod *eſt à principio intrinſeco cum cognitione*. Item id adhuc manifeſtius eſt in exercitio ſciendi; quis enim apprehendere poſſit intellectum cognoſcere per aliquid quod non eſt in ipſo; & generaliter omnis actus viuendi eſt à principio intrinſeco. At nihil eſt Deo intrinſecum, niſi ſit ipſe Deus; aliàs compoſitionem admitteret, & inhæſionem; Ergo, &c. Confirmatur primò ex præſcientia abſoluta ſic: id quod eſt antecedenter ad omne creatum, ſeu ab æterno, eſt Deus, fide namque Magiſtra, ipſaque ratione duce nil creatum ab æterno fuit. Sed præſcientia abſoluta Dei fuit antecedenter ad omne creatum, fuitque ſimpliciter ab æterno, vt eadem fides, euidentiorque ratio naturalis demonſtrat, alias Deus quotidie proficeret, ſciretque nouas veritates: Ergo præſcientia abſoluta futurorum, ſeu libera imbibit aliquid Diuinum. Confirmatur fortius in ſcientia conditionata, ea res quæ propriè, & abſolutè ſtare poteſt deficiente omni creatura abſolutè, neceſſario includit aliquid diſtinctum à creatura, ſi enim nihil datur propriè & abſolutè de tali re, quo pacto iſta dicetur abſolutè exiſtere: Ergo datur aliquid abſolutè in re illa, quod non eſt creatura, & conſequenter quod eſt Deus. Tunc ſic, ſed deficiente omni creatura permaneret adhuc in Deo ſcientia conditionata, vti modo habet ſcientiam conditionatam de conuerſione Tyriorum, quæ abſolutè, & ſimpliciter non eſt: Ergo ſcientia conditionata, & conſequenter quilibet alius actus exercitij libertatis Diuinæ includit aliquid, quod eſt ipſe Deus.

Ergo libertas Diuina ſe exercet per exercitium, quod qua liberum eſt formaliter inadæquatè imbibit aliquid creatum, aliquidque increatum, ita vt ex vtroque partim coaleſcat, ſeu ex vno, & alio vt inadæquatis conſtitutiuis integra reſultet eſſentia actûs, ſeu exercitij liberi. An verò conſtitutiuum creatum ſe teneat ex parte ſubiecti, vel ex parte formæ, qualiterque intret in conſtitutionem actuum liberorum, & contingentium Dei operatio ipſa creata, & ad extra ex diſputatione ſequenti conſtabit. 37

DISPVTATIO LX.

Quæ ſint, & quomodo conſtituant exercitium Diuinæ libertatis connotata extrinſeca?

SECTIO I. *Aliorum ſententiæ proponuntur, & reijciuntur.*

SECTIO II. *Proponitur, & explicatur propria ſententia de modo quo connotatum extrinſecum concurrat ad conſtitutionem libertatis; Qualeque aſſignandum ſit?*

SECTIO III. *Conciliatur fides propoſitæ ſententiæ ex maiori eius conuenientia, & conformitate cum aliis veritatibus Theologicis.*

SECTIO IV. *Proponuntur, & diluuntur ſpeciales obiectiones contra hunc modum defendendi libertatem Dei.*

SECTIO V. *Proponuntur communes obiectiones, & earum ſolutio breuiter indicatur, quatenus opponuntur contra noſtram ſententiam.*

NE vna diſputatio ſua longitudine quantumuis neceſſariâ moleſta alicui videatur huius difficultatis adeò magnæ explicationem inter varias diſputationes partiendam duxi, cum & legentium guſtui ſeruiendum ſit; & aliunde ipſorum vtilitati conſulendum, *Vide infrà qu. 19. art. 3. dub. 11.*

conſulendum Parcendum autem eſt prolixitati (ſi prolixitatis nomen meretur explicatio, cui nil eſt quod poſſis demere) ſiquidem præſens controuerſia de conſtitutiuo actuum liberorum non ſolum præcipua eſt in hac materia, & tractatu de voluntate Dei, ſed etiam pluribus aliis veritatibus fidei probè intelligendis omnino neceſſaria, vt noto, ſect.3. quiuiſque facilè notare poterit ſi quæſtiones Theologicas in hac prima parte percurrerit. Vnde à conſilio obiectiones, quæ poſſunt fieri contra meam opinionem ſub titulo quæſtionum hic communium examinato à diſputatione ſequenti vſque ad 69.

SECTIO I.

Aliorum ſententiæ proponuntur, & reiiciuntur.

1 *Quæ ſint connotata?*

CVm ex diſputatione præcedenti conſtat neceſſario aliquod connotatum extrinſecum, & diſtinctum à Deo admitti debere intra conſtitutionem actus liberi, videndum in præſenti eſt, quale hoc ſit, & qualiter concurrat, in quorum neutro Doctores conueniunt, ſed ita diuiſi ſunt, vt fere nullus in aliorum ſenſu conquieſcat, referam ego hic, & impugnabo eos modos dicendi præcisè quæ aliquam lucem tenendæ veritati præſeferant, vt poſtea, ſectione ſequenti propriam ſententiam breuius, & dilucidius exponam, ſatisfaciamque oppoſitis argumentis propoſitis in diſputatione præcedenti, ſect.4. quæ maximè, & vnicè in cauſa ſunt vt ipſorum ictum fugientes varias vias Authores noſtri inuentent.

2 *Effectus ad extra.*

Et imprimis vt determinent qualia ſint hæc connotata. Prima ſententia aſſignat ipſos effectus ad extra, ſeu operationes tranſeuntes, & creatas. Ex quarum connotatione voluntas Diuina dicitur, ipſa liberè & efficaciter *volens*, ſicut è contra ex earumdem carentia, vel ſuſpenſione dicitur *Nolens* liberè, & efficaciter; ita vt ad hanc denominationem *volentis liberè* concurrant duo; & ipſa volitio intrinſeca, & æterna Dei; & connotetur etiam extenſio ad operationes tranſeuntes, & creatas in tempore, quibus talis volitio in ratione liberæ conſtituetur: ita cenſent Authores citati pro quarta ſententia in ſect.2. fine. Sed hæc ſententia (*Reiiciuntur.*) niſi amplius explicetur placere non poteſt. 1. Quia plura Deus liberè decernit, ſpecialiterque amat, & conſequenter ſine neceſſitate, quin tamen circa illa aliquam operationem tranſeuntem exerceat, vt infra dicam. 2. Saltem in ratione *ſcientis*, & *complacentis* denominari poteſt Deus ſciens, & volens liberè, quin vllam mutationem, vel nouitatem ad extra ponat, ſiue negatiuam ſiue poſitiuam, vt dicam de ſcientia media, & volitionibus conditionatis. 3. Quia eadem operatio tranſiens iam poteſt fieri propter hanc intentionem iam propter aliam, ita vt quin eundem effectum, & actionem Deus immutet eam referat iam ad hunc finem, iam ad oppoſitum pro ipſius libito omnino accidentali tali actioni. Ergo volitio libera non completur in ratione talis ex operatione extrinſeca, quã tranſeunter elicit. 4. Alij obiiciunt decretũ Dei vt liberũ eſſe æternum, & vt ſic liberum diſtinctum ab effectu, & operatione tranſeunte, quod nulla ratione competere poteſt operationi ad extra, cum in tempore ſit. De quo infra.

3 Vt his omnibus ſatisfaciat maximè quartæ impugnationi ſecunda ſententia aſſignat pro connotatis non operationes ipſas ſecundum *eſſe* exiſtentiæ ſimpliciter; ſed quoad eſſe futurum; ita vt hoc *eſſe* futuritionis ſit prædicatum aliquod poſitiuum, & diſtinctum à Deo æternumque licet non dicendum ſit *eſſe* ſimpliciter, ſed ſecundum, quid & dimminutè: Quemadmodum enim pro eſſentia in eſſe eſſentiæ datur ab æterno quoddam eſſe diminutum, ita poterit dari pro futuritione ſiue abſoluta, ſiue conditionata; hoc eſt pro *fore*, vel *foret*, hoc tamen notato diſcrimine; quod ſcilicet eſſentia in eſſe eſſentiæ ſit neceſſaria, non ita futuritio, vnde bene poterit complete exercitium libertatis Diuinæ: Nam cum iſta in omni perfectione poſitiua ſimpliciter, in omnique exercitio eſſendi, & volendi infinita ſit nullâ vlteriore indiget entitate, qua in eſſe entis conſtituatur, ſed ſolum in eſſe defectibilis, quæ defectibilitas vndecumque accidat libertati ſufficiet. Ex quo fiet, vt quando Deus ab æterno exercet ſuam libertatem, hoc præſtet liberè ponendo hanc futuritionem; ſic etiam exercet ſe circa obiecta conditionata ponendo nunc futuritionem conditionatam, vel ſuſpendendo illam pro libito; vnde & Deus ab æterno exercet ſuam libertatem cum ab æterno ſit futuritio, item exercet eam libertatem, quantumuis nil ponatur ſimpliciter ad extra, nam futuritio vt purè conditionata non immutat ſimpliciter rerum ſtatum. *Status futuritionis.* Sed contra hanc ſententiam eſt primo, has futuritiones à Deo diſtinctas, & diſtinctas rurſus à rerum præſentiis, & exiſtentiis omnino chymericas eſſe à fortiori ex his quæ in Philoſophia dico contra diſtinctionem eſſentiæ ab exiſtentia, vnde nec Thomiſtæ qui hanc diſtinctionem defendunt illam inficiantur (*Reiiciuntur.*): nihil enim eſt aliud rem eſſe futuram, quam non eſſe nunc, & dari exiſtentiam pro aliqua differentia temporis à qua exiſtentiã refunditur in tempus antecedens denominatio *futuri*, ſicut ab exiſtentia in loco remoto refunditur denominatio *diſtantis*. Contra ſecundo, quia quidquid eſt independenter ab intellectu tranſiens à merà poſſibilitate in actum in nullo diſtinguitur ab ente ſimpliciter, niſi fiat quæſtio de nomine; tales autem ſunt illæ futuritiones. 3. adhuc iſtis admiſſis reſtat difficultas præcipua, nimirum quo pacto volitio vt libera ſit cauſa rerum, nam futuritio mundi, verbi gratia, nec poteſt cauſare mundum, nec complete cauſam, vt cauſet, etenim non ſolum exiſtentia effectus, ſed eſſentia, & futuritio debet diſtingui à ſua cauſa complete, & adæquatè tali. Item vti poteſt Deus libere velle obiecta diuerſa ſine vlla mutatione abſoluta in rebus, ita & ſine vlla conditionata. Ergo ſi propter primum non dependet vt libere velit, nec requirit mutationem abſolutam in creaturis, nec requiret has conditionatas futuritiones.

Ideo tertia ſententia, hæc connotata extrinſeca diſtinguit ab omni *eſſe* creato tam exiſtenti, quam futuro, conſtituitque in quodam ente medio inter reale & rationis, quod ens, vocatur ab Henrique de Villegas contr.10. cap. 3. & 4. *Obiectiuum intentionale*, ita Mayron. 1.d. 39. quæſt. 1. articul. 4. Item *Morale* ita Pater Salazar tract. de Concept. cap. 24. ſect. 3. num. 47. Item ens *complexum* hoc eſt non incomplexè, ſed complexe ſignificabile, quod ſcilicet non per ly *eſt*, ſed per alia verba infiniti modi ſignificatur: vt *velle, cognoſcere reſpicere*, &c. ita Arimin.1.d.45. quæſt. vnica ex quo cum non ſignetur per hoc ens aliquod eſſe, ſed *aliqualiter*, non erit ſimpliciter ens phyſicum; 4 *Entia media;*

quare ſine abſurdo dabitur ab æterno; ſolum namque fide docemur nullum ens creatum phyſicum ab æterno dari. Rurſus ſine vlla phyſica mutatione, facta tantum variatione in iis entibus ſecundum, quid ſtare poterit omnis variatio, & contingentia exercitij liberi diuini. Similiter fingere poſſent Scotiſtę ens *formale* quod ſit medium inter reale, & rationis vt dicunt de ſua diſtinctione media inter realem, & rationis. Sed contra, hæc entia media inter realia, & rationis, manifeſtiſſima figmenta ſunt; ſic enim omnes effectus reales, quos experimur, omnia item entia, quantumuis phyſica poſſemus vocare entia media: Deus vere, & realiter abſque vlla fictione, & independenter à modo noſtro concipiendi: *amat, vult, odit*, &c. Et adhuc hos effectus dicis venire ab hoc ente medio, cur non fingis idem in nobis accidere? Quid quæſo aliud eſt ens reale, & phyſicum niſi quod aptum eſt exiſtere independenter ab intellectu? Si dici verè de aliquo ex parte rei ly *eſt* non demonſtrat exiſtentiam realem? quod erit firmum fundamentum & menſura determinandi quando ens cenſendum ſit phyſicum, & reale? Ergo vt pura figmenta abigenda ſunt entia iſta media inter reale, & rationis.

Figmenta ſunt.

5 Quarto alij hæc connotata extrinſeca putant nil aliud eſſe, quam ſpeciales carentias contingentes, non quidem alicuius operationis, & effectus ad extra, ſic enim licèt nolitio conſtitui poſſet per carentiam creationis mundi verbi gratia at ipſa volitio contradictoria non per carentiam, ſed per poſitiuam exiſtentiam mundi conſtitueretur, ſicque opus foret vt phyſicè effectus creati immutarentur, ad id quod Deus varie ſuam libertatem exerceret, quod præcipuè intendit præcauere hæc ſententia. Igitur carentiæ illæ comparantur, vt oppoſitæ ipſis actibus volitionis, & nolitionis diuinæ; non quia realiter, & verè eos actus excludant ſed quia excludunt virtualiter, quia carentia nolitionis, verbi gratia talis eſt vt ſi nolitio non foret identificata cum æternitate, & cum neceſſitate eſſendi nolitionem deſtrueret, quemadmodum diſtinctio, & productio virtualis intrinſeca, ideo talis dicitur, quia licèt vere, & realiter non diſtinguat, nec producat, at ita ſe habet verbi gratia eſſentia diuina cum Filiatione, vt eam realiter produceret, niſi ob identitatem realem Filiationis cum eſſentia, reali productioni ab eſſentia repugnaret. Sed contra iſte modus deficiendi virtualiter, ſicut & eſſendi, vt nimirum forma, quæ realiter non deeſt, ita ſe habeat, ac ſi deficeret ſatis reiectus eſt diſputat. præced. num. 28. Contra 2. ſiquidem per defectum iſtum nolitionis verè & realiter non deficit nolitio, ſed tantum virtualiter, ipſe non eſt dicendus verus defectus, & vera carentia, ſed tantum virtualis, carentia autem virtualis diſtincta non eſt ab ente poſitiuo, ſicut diſtinctio virtualis eſt indiſtincta ab identitate poſitiua. Tertiò denique implicat in terminis dari carentiam veram, quæ nil excludat, ſeu nullius vere ſit excluſio, ſed coëxiſtat cum eo cuius carentia dicitur: Igitur cum carentia nolitionis coëxiſtat cum nolitione, ſignum eſt non dari verè huius carentiam.

Carentiæ ſpeciales.

Reijciuntur.

6 Quinto vt ego explicem contingentes carentias veroſimilius, pono primo vti eiuſdem rei poſſunt dari plures carentiæ in ſubiecto verbi gratia eiuſdem volitionis liberæ datur in creatis carentia (ſeu omiſſio) libera, & rurſus poſſibilis eſt alia carentia neceſſaria, quando ſcilicet non ex libertate, ſed ex impotentia deficit volitio libera; ita etiam eiuſdem formæ carentia contingens, & carentia neceſſaria impoſſibilitatis, & repugnantiæ poterunt dari verbi gratia ſi præter carentiam repugnantiæ, & implicationis, quam dicit homo vt ſit chymæra diceret nouam carentiam contingentem. Pono ſecundò per ſe loquendo volitionem vt liberam adæquatè identificatam cum Deo, item & adæquatè diſtinctam implicare; in deoque conſequenter dari carentiam per modum repugnantiæ, & impoſſibilitatis ad talem volitionem. Iam Pono tertiò iuxta dicta Deum ex ſe, & ex ſuo libero placito in actu exercito ſuperaddere nouam carentiam contingentem de tali nolitione, vel è contra hanc ſuſpendere ſuperaddendo nouam carentiam contingentem de ſimili volitione Chymætica. Hinc Deus ab æterno redditur *volens libere* prout dicit carentiam, ſeu receſſum ſpecialem à nolitione illa, qui enim afficitur erga aliquod obiectum, ſpecialiter auerſus eſt ab odio, ſeu nolitione omni illius. Deus ex ſe, & eſſentialiter auerſus eſt, & repugnans nolitioni, quæ vt libera identificetur cum ipſa, quam auerſionem, ſeu repugnantiam habet ſemper, & neceſſario cum implicet identificari cum defectibili: At nondum in ipſo ſpecialis auerſio, ſeu receſſus concipitur à nolitione iſta potiùs quam à volitione ſimili, quouſque ſuperaddatur hæc noua carentia, nam primam carentiam repugnantiæ etiam habet reſpectu volitionis defectibilis. Ergo vt dicatur volens, ſeu ſpecialiter auerſus a nolitione opus eſt vt ſuperaddat de nouo aliam carentiam. Et ſic per connotationem ad poſitionem huius, vel illius oppoſitæ carentiæ iam volens, iam nolens liberè intelligetur.

Veroſimilius exponuntur.

Hæc quinta explicatio veroſimilis eſt cum iam aſſignetur forma, cuius vera, & realis excluſio ſit carentia iſta contingens, nempè *volitionis defectibilis*, nec inopinatum ſit quod vna carentia accedat formæ iam ſufficienter excluſæ, ſic namque omiſſioni liberæ ſufficienter excludenti volitionem accedit omiſſio neceſſaria, & gratiæ ſatis excluſæ per vnum peccatum ſuperuenit aliud æquè gratiam excludens Denique vna carentia benè poteſt tolli, quin veniat forma contradictoria, vt quando priuatio tollitur per carentiam per modum negationis, & omiſſio libera per neceſſariam. Ergo Deus ſine abſurdo iam ponet ab æterno vnam carentiam iam aliam; ex quo ab æterno denominabitur *volens libere*. Item vt volens liberè adæquate diſtinguatur ab effectu creato, à quo valde differt illa carentia. Denique nullo in creaturis mutato poterit diuerſimodè exercere ſuam libertatem pro varietate harum carentiarum. Ob hæc veroſimilis eſt hæc explicatio non tamen vera nunquam enim intelligere potui per *carentiam* poni conceptum abſolutum, ſeu abſolutè affirmabilem; neque aliud intelligo per carentiam, quam præcisè *non dari formam*; quare ſine noua entitate, aut mutatione rerum multiplicare carentias illuſio vocum, & imaginationis ſemper mihi viſa eſt concipientis negationes ad modum entium, imo in nullo eas à veris entibus poſitiuis diſtinguentis; ſi enim per ſe, & directè poſſunt poni in rerum natura, ſi abſolutè nulla intellecta mutatione in rebus poſitiuis quid eis deeſt quo minus entia poſitiua cenſeantur? in quo quæſo differunt a veris, & realibus entibus? Ex quo fundamento à fortiori reiicienda eſt quarta cogitatio in §. 5. ſiquidem illa carentia, qua virtualiter deficit nolitio, omnibus formis poſitiuis eadem ratione ſe ſtantibus aduenit, & deficit; multiplicaturque carentia, quæ ſemper terminus connotatiuus

7

Reijcitur adhuc.

notatiuus eſt afficiens per ly *non* aliquem terminum poſitiuum, quin multiplicetur, vel varietur aliquid poſitiuum; quod implicat ex prima rerum apprehenſione: Etenim ſi eiuſdem formæ viſûs datur vna carentia per modum priuationis; alia per modum negationis: iam connotantur diuerſa ſubiecta capacia, vel incapacia: Item ſi omiſſio libera diſtinguitur à neceſſariâ dantur diuerſa principia inductiua illius: ergo in præſenti vbi omnis diuerſitas poſitiua deficit, implicat apprehendere diuerſitatem carentiarum.

8 Et hæc quidem dicta ſunt vt appareat, quam variè aſſignari poſſunt, quæ, & qualia ſint connotata extrinſeca. quæ complent, & inadæquatè conſtituunt exercitium libertatis Diuinæ, ſeu volitionem Dei vt liberam. Circa modum etiam quo ad hanc conſtitutionem concurrunt etiam varietas eſt breuius tamen proponenda.

9 *An hæc connotata conſtituant in recto, an in obliquo.* Primus modus dicendi eſt in volitione libera duo æquè includi vnum ly *velle*, & hoc eſt adæquatè intrinſecum Deo: aliud ly *libere*, & hoc adæquatè conſtituitur, & conſiſtit in extrinſeco connotato. Ita ſentit Vaſquez, Arrubal, Herice, Alarcon, Amicus, & Recupitus in præſenti loco citato diſput. præced. ſect. 2. fine. Sed contra eſt; quia liberum, vt liberum eſt voluntarium formaliter: Ergo ipſum *liberum* includit *velle*, niſi enim abeamus in ſenſus metaphoricos cum Aureolo, *voluntarium* non ſolum accipiendum eſt denominatiuè, & poteſtatiuè, quatenus, qui agit vnum poteſt agere oppoſitum, ſed etiam ita vt includatur formaliter volitio aliquo pacto modo explicando ſect. ſeq. Vnde impugnantur alij modi huic affines: ſecundus ponens in Deo intrinſecam ſolam volitionem neceſſariam ſimplicis complacentiæ, vnde procedant actiones creatæ diuerſæ per ſe ordinatæ in diuerſos fines, per quas Deus dicatur exerceri ob diuerſos fines. Ita maximè P. Arrubal & P. Herice. Tertiò alij volitionem liberam conſtituunt ex actu increato in recto, & ex connotato extrinſeco in obliquo, haud aliter ac ly *album* ex ſubiecto, & albedine conſtituitur; ita vt deficiente termino illo creato volitio intrinſeca Dei neque dicatur, neque reipſa ſit volitio vitalis actualis talis creaturæ; ita P. Alarcon, d. 4. de volunt. cap. 8. num. 3. Denique quartus modus ponit in Deo adæquatè intrinſecam volitionem efficacem, de qualibet creatura, ſed ſub diſtinctione, qua Deus efficaciter dicat: *Volo quod mundus exiſtat, vel non exiſtat* quæ volitio eſt determinata potius de mundo, quam de eius carentia ex connotatione productionis mundi. Ita Granado hic tract. 3. diſput. 5. ſect. 3. num. 19. & ſeqq. P. Hemelman latiſſimè tom. 1. in 1. part. tit. 7. diſput. 3. præcipuè cap. 6. Iſte modus ſpecialiter diſplicet quia Deum non conſtituit formaliter in volendo determinatum; ſed & alij omnes impugnantur quia forma ipſa volendi liberè debet eſſe Deo adæquatè intrinſeca vt iam dico.

SECTIO II.

Proponitur, & explicatur propria ſententia de modo quo connotatum extrinſecum concurrat ad conſtitutionem libertatis; qualeque aſsignandum ſit.

10 *Concluſio.* Mea ſententia ſit volitionem liberam in abſtracto ſumptam eſſe adæquatè Deo intrinſecam, & indefectibilem, vt tamen denominet reddatque Deum *volentem* requirere quaſi ex parte ſubiecti, ſeu naturæ Diuinæ, vt hæc ſit proximè capax denominationis *volentis liberè* modum aliquem creatum ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum. Hæc vt intelligantur ſtatuo ſequentes concluſiones.

Dico primò in Deo neceſſario, & indefectibiliter exiſtere omnem lineam volendi poſſibilem ipſi, ſeu volitionem omnium volibilium; quin vlla ratione in ratione *volentis* formaliter poſſit creſcere vel immutari. Id probatur multipliciter primò ex dictis in ratione intrinſeca, & ſecum identificata immutari non poteſt, ſed ratio volentis vt talis eſt intrinſeca, cum maximè ſit ab intrinſeco, & vitalis ergo in ea creſcere non poteſt. Secundò ſi Deus variari poſſet quoad *velle*, ſeu creſcere, & immutari, etiam poſſet quoad gaudium formaliter, cuilibet namque lineæ amoris correſpondere debet, vel ſaltem poteſt, gaudium proportionatum, & generaliter amor de aliqua re eſt radix gaudij de poſſeſſione illius: Tunc ſic; ſed Deus nequit immutari, ſeu creſcere quoad *gaudium*; Deus enim non ſolum non poteſt creſcere: quoad gloriam ſeu felicitatem eſſentialem, ſed nec quoad accidentalem intrinſecam, quo præſtat Beatitudini creaturarum, Beati in patria creſcere non poſſunt quoad gloriam eſſentialem, at quoad accidentalem intrinſecam, benè creſcunt; cum tamen Deus ſolum creſcere poſſit in gloria extrinſeca, non autem in intrinſeca: Ergo Deus nequit creſcere quoad gaudium intrinſecum, vel immutari vt iam gaudeat intrinſecè iam non gaudeat: conſequentia hæc patet, gloria enim intrinſeca, & felicitas, nil aliud eſt quam gaudium, & delectatio rationalis: Ergo iuxta dicta Deus nequit vlla ratione immutari vel creſcere in ratione volentis. De quo argumento plura dicam infra. Tertiò, ſimiliter ſi Deus creſcere poſſet & immutari in ratione volentis plura vellet, quæ non conſequeretur vt communiter dicunt contrarij Authores de volitione generali ſaluandi omnes homines qua Deus vult ſerio, & quantum eſt ex ſe ſaltem per iſta media determinata quæ adhibet, ſeu per hæc auxilia quæ confert, vult inquam ſalutem omnium hominum quam tamen non conſequitur; talis autem volitio dari nequit quin in volente arguat imperfectionem tum triſtitiæ, hæc enim connaturaliter ſequitur ad deſiderium non impletum, tum etiam quaſi impotentiæ voluntatis contra quam homines agere poſſunt, ſeu cui valent reſiſtere. Quartò ſi Deus ſemper & indefectibiliter non haberet omnem rationem volendi ex ſe, opus foret vt in pluribus volitionibus dependeret à creaturis ſiquidem plures volitiones Diuinæ connecterentur eſſentialiter cum exiſtentia creaturarum, hæc autem connexio manifeſtam arguit dependentiam; ideo namque omnipotentia quantumuis connexa cum poſſibilitate creaturarum ab illis non dependet quia ipſas vt exiſtentes non requirit: ergo è contra ſi volitio aliqua Diuina prout eſt intrinſeca adæquatè & identificata cum Deo eſſentialiter requirit creaturas vt exiſtentes iam ſtrictè dicetur dependere ab illis; quod abſurdum eſt; alias enim verè diceretur *indigens* bono creato (& conſequenter valdè imperfecta contra veram phraſim Auguſtini probantis in Deo nullam eſſe neceſſitatem, ſeu neceſſariam connexionem cum creaturis lib. 83. quæſtionum quæſt. 22. illis verbis: *Vbi nulla indigentia nulla neceſſitas* (hoc eſt nulla neceſſaria connexio &

11 *In Deo neceſſario exiſtit omnis linea volendi poſſibilis.*

& requiſitio alterius ad exiſtendum) *vbi nullus defectus nulla indigentia: nullus autem defectus in Deo: ergo nulla neceſſitas.*

12 Dico 2. (vnde hæc prima concluſio maximè probatur à paritate ſcientiæ.) Deus neceſſario, & indefectibiliter habet cognitionem & ſcientiam omnium ſcibilium, ita vt nullo pacto in ratione ſcientis formaliter poſſit creſcere, vel immutari, etiam quando dicitur habere ſcientiam liberam viſionis, ergo ſimiliter dicendum eſt de volitione. Conſequentia patet, tum quia Deus non minus debet eſſe perfectus & completus ſeu actus purus in volendo quam in ſciendo, tum maximè quia non minus denominatio *videntis* vt ſic contingens apprehenditur reſpectu creaturarum quam denominatio *volentis*. Iam antecedens probatur, quia ſcientia viſionis vt talis ſeu vt contingens eſt, conſtituitque Deum ſimpliciter ſcientem exiſtentium creaturarum; vt ſic inquã ſcientia viſionis nihil addit intra genus notitiæ ſeu in linea formali cognoſcendi ſupra ſcientiam neceſſariam ſimplicis intelligentiæ; neque dantur in Deo duæ repræſentationes formales vna neceſſaria & alia libera; ſed eadem repræſentatio neceſſaria ſimplicis intelligentiæ abſumit & quaſi exhaurit totam lineam cognoſcendi. Id expreſſit S. Thomas quæſt. 3. de veritate quæ eſt de Ideis art. 3. ad 8. per hæc verba *ſimplex notitia dicitur* (hoc eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ) *ad excludendum admixtionem eius, quod eſt extra genus notitiæ ſicut eſt quod addit ſcientia viſionis.* Deinde id ipſum probatur primo ex parte ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ quæ non foret infinita ſi non exhauriret totam lineam cognoſcendi; quemadmodum omnipotentia vt infinita ſit requirit exhaurire ſeu imbibere omnem lineam potentiæ; imo ſimplex intelligentia vt talis imperfecta foret & præciſiua ſiquidem vt ſcientia neceſſaria eſt nunquam attingit obiectum ſicut hoc eſt in ſe, creaturæ namque ſemper in ſe ſunt vel determinatè exiſtentes vel determinatè non exiſtentes, quin detur ex parte obiecti ſtatus medius (qualem requirit ſcientia neceſſaria) poſſibilitatis vt ſic indifferentis ad exiſtentiam vel non exiſtentiam. Secundò probatur idem ex parte ipſius ſcientiæ viſionis quæ nimirum repugnat quod ex parte ſua vt formaliter diſtincta à ſcientia neceſſaria imbibat nouam lineam ſciendi, alioqui ſcientia viſionis vt ſic perfectius penetraret ſuum obiectum quam ſcientia ſimplicis intelligentiæ, nam ne viſio imperfecta ſit obiectum ſuum comprehendit, verbi gratia, mundum exiſtentem, quo adæquat ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; aliunde autem ipſum exercitium exiſtendi ſeu exiſtentiam exercitam mundi affirmat quo præſtat ſcientiæ neceſſariæ ſimplicis intelligentiæ. Tertio huius eſt ratio à priori (quæ proportionate concludit etiam in volitione libera) In ſcientia viſionis duo poſſunt per rationem diſtingui; vnum repræſentandi comprehenſiuè mundum exiſtentem; aliud habere modum tendendi exigentem quod exiſtat mundus, per primum conuenit ſcientia viſionis cum ſimplici intelligentiæ notitia neceſſaria, per ſecundum differt. Iam cur pro ſcientia viſionis vt tali non ſufficiat hæc differentialitas, vt ſcilicet ipſa ſimplex intelligentia contracta ad hanc differentiam dicatur viſio? (hoc eſt vt infra dicam relata ad connotationem extrinſecam (vt quid in Deo multiplicandæ ſunt ſcientiæ potius quam omnipotentiæ.

Deus actu habet cognitionem omnium ſcibilium.

13 Dico: 3. Quamuis detur in Deo volitio efficax mundi in abſtracto; ſeu forma volendi efficaciter mundum, & non ideo facit Deum, ſeu denominat *volentem* in concreto. Hæc concluſio imprimis à poſteriori euidens eſt: nam vt conſtat ex prima concluſione in Deo ſemper, & neceſſario exiſtit forma volendi ſecundum totum id quod pertinet ad lineam volendi: eſſe autem volitionem inefficacem, vel efficacem formaliſſimè ſpectat ad lineam volendi; ſicut ad lineam ſciendi eſſe cognitionem apprehenſiuam vel iudicatiuam: & in nobis ipſis experimur diuerſum conarum appetendi (& conſequenter diuerſum exercitium formale volendi) quando conamur volendo efficaciter, vel inefficaciter. Tunc ſic ſed vt per ſe patet Deus non eſt ſemper & neceſſario volens efficaciter in concreto determinatè exiſtentiam mundi. Ergo rectè ſtat in Deo forma volendi, ſeu volitio in abſtracto, quin communicet ſuum effectum formalem. Deinde huius ratio à priori, & generalis eſt, quod rectè ſtet formam aliquam perfectè communicari ſubiecto, & adhuc ipſi non communicare ſuum effectum formalem ob incapacitatem ſcilicet ſubiecti, vel diſpoſitionis requiſitæ ad talem effectum formalem. Sic intellectio vnita cum lapide non facit eum intelligentem, & volitio creata vnita cum voluntate dum caret cognitione non reddit eam volentem. Tunc ſic ſed ſimiliter Natura Diuina carere poteſt aliqua diſpoſitione vel requiſito, quo indiget vt reddatur capax effectus formalis volentis, vt conſtabit ex concluſione ſequenti. Ergo quantumuis volitio ei communicetur, non neceſſario communicabit ipſi ſuum effectum formalem volentis. Et ſimiliter dicendum de ſcientia reſpectu effectus formalis ſcientis libere, ſeu videntis.

Non tamen denominatur Deus ſciens, aut volens liberè.

In concluſionibus præcedentibus fere nulla difficultas eſt, quæ alicuius aſſenſum rationabiliter poſſit detinere; quoad aſſenſum verò ſequentis concluſionis forſitan aliquis difficilem ſe præbebit ſed immerito cum, vt ſpero viſurus ſit concluſionem hanc ſolum communibus, & in aliis materiis non improbabilibus principiis innitentem; immerito autem quis ſpernet ſententiam, quæ ineffabile actuum liberorum Dei arcanum ſolum ad communes, & in aliis obuiis quæſtionibus paſſim occurrentes difficultates reducit. Igitur quarta, & præcipuè intenta concluſio ſit. Volitio efficax, & determinata de exiſtentia mundi vt comparetur cum natura Diuina tanquam capaci proximè eam denominandi, ſeu vt reddat Deum in concreto volentem liberè, requirit pro diſpoſitione ſe tenente ex parte ſubiecti modum aliquem creatum, vel operationem ad extra per cuius connotationem abſque vllo alio prædictum effectum formalem, aut denominationem communicat. 14

Vt denominetur Deus requirit aliquem modum creatum ex parte ſubiecti.

Probatur hæc quarta concluſio. Primo in denominatione *volentis libere* in concreto ſaltem accepta includitur aliquid realiter defectibile, & realiter productum ne voluntas ſe habeat mere paſſiuè, vt ſatis conſtat ex diſputat. præcedenti: & quidem *Deus* (à parte rei loquendo & independenter à noſtro cogitandi modo) *non eſt volens exiſtentiam alterius mundi* ly autem *non eſt* diſtinctionem, & defectum realem denotat; ſicut: *eſt* exiſtentiam realem, & identitatem: rurſus Deus à ſe & non ab alio tranſit à non volente in volentem, quis enim in cauſa poteſt eſſe, vt veniat hoc nouum *eſſe* volentis niſi ſolus Deus, quod ſignum eſt illud reale huius *eſſe* vere effici, & produci à Deo; & quidem nullus negabit, ſi in denominatione *volentis liberè* imbibitur aliquid realiter *defectibile*, includi etiam realiter 15

realiter *producibile*, neque enim in hoc datur potior imperfectio, quam in illo. Tunc ſic, ſed quod eſt realiter defectibile, & realiter productum eſt formaliſſimè creatura, cum non ſit Deus. Ergo in denominatione volentis in concreto includitur aliquid creatum. At non ex parte formæ, vt conſtat ex concluſione. 1. Ergo ex parte ſubiecti, vel quaſi ſubiecti; quod aliud eſſe non poteſt, quam operatio ad extra, vel modus creatus.

16 Probatur 2. hæc eadem concluſio *velle* vt liberum nihil addit ſupra neceſſarium in linea volitionis, vt patet ex. 1. concluſione, & maximè probatur ex ſecunda à paritate ſcientiæ viſionis, item eſt ratio, quia eo ſolum, quod concipiamus Deum habere aliquod exercitium agendi ab intrinſeco ſine vlla neceſſitate, quantumuis tale exercitium non ſit formaliter volitio iam intelligemus Deum liberè volentem. Quod appoſitiſſimè explicatur hoc exemplo. Pone quod Beatus ex peculiari concurſu Dei nouam actionem libere exerceat in eundem amorem beatificum ipſi neceſſario inhærentem. Tunc proculdubio ab hoc amore denominabitur *liberè amans Deum*. Similiter finge à Deo mihi neceſſario infundi amorem de Petro; aliunde autem mihi concedi facultatem, vt in eum amorem nouam actionem pro meo placito exerceam: Ecce in his caſibus (qui impoſſibiles non ſunt) redditur voluntas liberè volens, cum antea liberè non vellet per ſolum exercitium agendi, quin ipſi addatur, vel adueniat de nouo aliquid, quod formaliter ſit in linea volitionis: Ergo ſimiliter dici poſſet de Deo; & quidem ex hac paritate vt autumo negabit nemo Deum ſufficienter reddi *volentem liberè* eo ſolum quod circa eandem volitionem, quam de omnibus obiectis neceſſariam habet; exerceret actionem virtualem de nouo; ſic enim opus non foret Deum in ratione *volentis*, vel *ſcientis* creſcere quantumuis daremus libertatem Diuinam eſſe adæquatè intrinſecam; quare ſi ponenda foret libertas exercitij Diuini adæquatè intrinſeca Deo; per has actiones, & determinationes non pertinentes formaliter ad lineam volendi, vel ſciendi eſſet explicanda vt dico diſp. 50. de ſcientia, ſect. 3.

17 *Poteſt hic modus ſeu actio non eſſe prior volitione libera.*

Nunc vlterius his poſitis addo Deum etiam denominandum libere volentem ab illa volitione præcedente, quantumuis actio, quam de nouo exercet non eſſet prior tali volitione, & ordinata ad cauſandam prædictam volitionem, ſed potius ab hac actio cauſaretur. Id ſuadetur, tum quia cum iam volitio Diuina præexiſtat, vt quid potius requiret vt det ſuam denominationem quod producatur de nouo, vel non; cur non æquè reſpiciet eam actionem, vt ſibi proportionatam, ſeu proportionantem ſubiectum denominandum *volens*, ſiue tendat actio in volitionem, ſiue tendat à volitione; cum in genere loquendo non minus ex principio, quam ex termino ſpecificetur actio. Præterea etiam in exemplo illo adducto in creatis §. præcedenti ſi amor beatificus influeret etiam vt principium in illam nouam actionem; non ideo minus reſpiceret ipſam vt proportionatam, ſeu proportionantem ſubiectum, ſeu voluntatem Beati denominando volentem. Denique eſt quaſi ratio à priori ad *velle liberum* duo concurrunt, & *velle*, & *libere* agere, ſeu actiuè comparari cum obiecto; Iam ſubiectum vtrumque habet, & *velle* ratione volitionis & liberè agere, ſeu actiuè comparari cum obiecto ratione actionis: Ergo ratione huius actionis iam volitio comparatur cum natura Diuina vt proximè capaci denominationis *volentis*. Confirmatur effectus formalis *volentis liberè* in concreto non minus includit volitionem, quam actionem, imo illam præcipuè: ſed volitio ſufficit poſterior, ſeu producta ab actione: Ergo & actio ſufficiet producta à volitione, ſi tamen ita agat vt poſſit non agere volitio. Confirmatur ſecundo vt volitio denominet naturam liberè volentem non requiritur vt ita velit natura vt poſſit non velle vt patet exemplo amoris beatifici adducti §. præced. neceſſario exiſtentis, & tamen denominantis volentem liberè Beatum, igitur ad hunc effectum formalem ſufficit, quod media actione libera applicetur ſpecialiter volitio naturæ volenti; At media actione quantumuis poſteriori ſubſequentique non autem antecedenter volitionem; iſta volitio cenſetur ſpecialiter applicari, communicari, attribui, ſeu vniri naturæ volenti; ſic ſæpius contingit quod vnio formæ ſit poſterior, & ſubſequens ipſam formam denominantem; vt patet in ſententia philoſophica conſtituente vnionem ſubiectatam in vtroque extremo: Ergo volitio Diuina benè denominaret Deum volentem, ſi in natura Diuina inueniret actionem peculiarem liberam intrinſecam, & identificatam ab æterno cum ipſa natura Diuina.

18 *Benè Deus diſponitur ad effectum volentis per tranſactionem extrinſecam ipſi Deo.*

Iterum addo vlterius Deum benè proportionari, & diſponi ad recipiendum effectum formalem *liberè volentis*, licèt talis actio extrinſeca ſit. Probatur primò in genere; bene ſtat, quod forma aliqua intrinſeca ad communicandum ſuum effectum formalem dependeat à diſpoſitione exiſtente extra eius ſubiectum; ſic volitio requirit cognitionem non in voluntate ſed in intellectu reſidentem. Malitia peccati præteriti, ſeu habitualis non condonationem, vt maculet, requirit; quæ non-condonatio extrinſeca eſt voluntati maculatæ. Secundò ſpecialiter id patet in ipſa volitione libera, iuxta communem ſententiam negantem ipſi eſſentialem libertatem, quæ vt denominet *liberè volentem* potentiam requirit hanc diſponi, & proportionari per præparationem concurſûs indifferentis, quæ præparatis omnino extrinſeca eſt potentiæ tenens ſe ex parte Dei, ſimiliterque malitia moralis actualis, ſeu actûs peccati non denominat voluntatem peccantem, neque iſta concipitur proximè capax huius denominationis niſi prout connotat cognitionem legis, & ruſus concurſum indifferentem ex parte Dei. Tertiò denique finge quod diuinitus eleuetur potentia ad producendam volitionem in ſe non per actionem intrinſecam, vt de facto contingit, ſed per actionem tranſeuntem liberè tamen, & ſine neceſſitate eliciram vti modo elicit abſque vllo neceſſitante voluntas actionem immanentem, quæ in hoc eſt implicatio? vti producitur effectus tranſiens per actionem intrinſecam, & manentem, ſeu ſubiectatam in agente, iuxta communem ſententiam, quæ non in paſſo, ſed in agente ait actionem ſubiectari, cur non è contra euenire poterit vt effectus immanens producatur actione tranſeunte? In hoc caſu voluntas conſtitueretur in ratione capacis denominationis *volentis liberè* ab ea volitione per talem actionem extrinſecam: Ergo ex his omnibus concluditur tandem volitionem efficacem mundi in abſtracto poſſe dependere, & requirere tanquam diſpoſitionem qua reddatur natura Diuina proximè capax effectus formalis volentis actionem qua Deus operatur ad extra, ita vt connotata hac actione volitio illa reddat Deum liberè volentem, & è con-

tra cornotata carentia actionis propoſitionata nolitio reddat Deum nolentem liberè vt enim infra dicam licet volitio vt reddat Deum volentem liberè requirat actionem poſitiuam; nolitio tamen, quæ in re nihil aliud eſt quam volitio de negatione mundi verbi gratia, ſolum requirit vt communicet ſuum effectum formalem negationem, ſeu carentiam mundi.

19 Confirmatur, & explicatur hæc probatio huius quartæ, & præcipuæ concluſionis, à paritate volitionis liberæ creatæ. Volitio creata libera quantumuis exiſtat in voluntate non denominat ipſam volentem, niſi ab ea talis volitio producatur, ſeu niſi connotet productionem ſui: Ergo volitio libera increata non denominabit Deum liberè volentem, niſi talis volitio producat, niſi connotet actionem, quâ ipſa agat, ſeu cauſet. Antecedens à nullo negatur, cum libera voluntas ex ſuo conceptu petat non ſe habere merè paſſiuè. Ideo Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 4. vt definiat dari in nobis libertatem docet nos aliquid agere. Conſequentia ſatis aptè, & congruenter infertur vt ſic quidquid perfectionis conuenit creaturæ *vt producta*, conueniat Creatori *vt producenti*; & ſi volitio libera creata, vt ſufficienter communicetur, communicetque ſuum effectum formalem debet eſſe *producta*, & *acta*; ita volitio libera increata tunc optimè communicabit ſuum effectum formalem, quatenus eſt *producens*, & *agens*: cum enim ex vna parte libertas petat actionem, & ex alia volitio increata præ creatâ non requirat actionem vt producatur ipſa; ſeu hanc actionem, quam imbibit agens liberum non debeat, nec poſſit Deus impendere in ſuam volitionem (ſicut creatura) impendet, ſeu exercebit actionem ipſa volitio libera Diuina circa obiectum volitum. Sicut ergo eadem forma volendi, ſeu volitio creata quantumuis inhæreat, & communicetur voluntati humanæ, eam non denominat deficiente actione, qua producatur, voluntaſque, ſeu natura humana incapax eſt effectus formalis *volentis liberè* ex defectu actionis in volitionem, per quam actionem redditur proximè capax natura humana; ita & Diuina vt ſit proximè capax effectus formalis *volentis liberè* conſtituetur ex actione, ſeu productione; non quidem in volitionem vt in terminum, ſed à volitione vt à principio, ob cuius actionis defectum incapax erit vt à tali volitione quantumuis ipſi identificata recipiat effectum formalem volentis.

20 Denique eſt ratio à priori huius quartæ concluſionis, ob quam nimirum *velle* liberum Diuinum contentum ſit actione poſteriori, & ſubſequente volitionem, nec requirat actionem priorem, quæ productiua ſit ipſius volitionis; Ratio inquam huius eſt, nam volitio ideo in creatis non poteſt ſe habere per modum principij actionis, ſed potius per modum effectûs per actionem producti, quia creata volitio non eſt per ſe ſubſiſtens, non eſt ſubſtantia, ſeu ſuppoſitum volens, & præcognoſcens extrema agendi, & non agendi, vt que t ſe determinare, & diſcernere: Atqui volitio Diuina ſeipſa eſt *ſubſiſtenter volens*, & identificat ſecum ipſam ſubſtantiam, & ſuppoſitum, ſeu naturam volentem: Ergo actio quæ inuoluitur in conceptu volentis liberè non requiretur in Deo prior, & productiua volitionis Diuinæ, ſed ſubſequens, & producta à volitione. Conſequentia & minor manifeſtæ ſunt. Maior autem ſuadetur ſcilicet ideo volitionem in libertate creata requiri per modum effectus actionis liberæ, quia diſtinguitur à ſubſtantia, & ſuppoſito volente, ſeu hoc non eſt ſeipſo *volens* primò, quia actio in volitionem eo ſolum titulo poteſt requiri, vt agens liberum agat voluntariè, vt per illam actionem per modum viæ *velit*, acquiratque ſuppoſitum eſſe volens: Ergo ideo actio requiritur ad libertatem præuia, & producens volitionem, quia ſuppoſitum nondum eſt formaliter ſeipſo *volens* ſecundo potentia, ſeu ſubſtantia volitiua eo quod tendat in volitionem apta eſt vt ſeipſam determinet, vtque producat illam actionem productiuam, quaſi ex proprio libito abſque vlla neceſſitate: Ergo à fortiori id valebit, ſi ſubſtantia, & ſuppoſitum ſit ſeipſo volens, ſitque ipſa volitio, nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Ac denique non minus ſapit naturam volitionis, ſeu voluntarietatem actio ex eo, quod ſpecificetur à volitione vt termino, quam ſi ſpecificetur ab ipſa vt à principio: Sed vbi volitio eſt per ſe ſubſiſtens, ſeu ſuppoſitum ſeipſo *volens* iam comparatur reſpectu actionis vt principium: Ergo vt ſufficiens vt communicet effectum formalem *volentis liberè*. Ergo volitio ideo non poteſt comparari vt principium, ſed potius comparatur vt effectus productionis liberæ, quia diſtinguitur à ſuppoſito. Confirmatur ratio à priori ob quam volitio indiget præuia luce cognitionis eſt diſtinctio volitionis à cognitione, vnde ſi aliqua volitio ſeipſa foret cognitio non indigeret præuia cognitione vt latè oſtendi diſput. 58. ſect. 8. §. 48. Ergo ſimiliter ſi volitio ipſa libera non diſtinguatur à ſuppoſito liberè actiuo non indigebit actione præuia; ſed ſeipſa erit ſufficiens principium actionis liberæ, ratione cuius denominetur ſuppoſitum liberè volens, cum ſit formaliſſimè operans ex voluntate, pro libito, ſeu quia vult, vt iterum dicam ſect. 4. in diſput. 62.

SECTIO III.

Conciliatur fides propoſitæ ſententiæ ex maiori eius conuenientia, & conformitate cum aliis veritatibus Theologiæ.

Qvidquid ad veritatem conſequens eſt implicat falſum eſſe, cum veritas nequeat inniti falſitati, ſicut nec res ſolida, & firma fragili fundamento, cum opus ſit vt illa hoc ruente cadat, & nutante vacillet. Ideo mihi efficaciſſimum argumentum veritatis ſententiæ propoſitæ eſt maxima eiuſdem conuenientia; & conſequentia ad plures veritates Theologicas, quæ ſine noſtro opinandi modo, vel omnino defendi nequeant, vel lumen ſupra omnem naturalem rationem nulla cogente fide expoſcunt, vel denique longè difficilius intelliguntur, vt in hac ſectione conſtabit. Si ergo volitio Diuina vt libera non connotet actionem tranſeuntem, quam producat; ſicut volitio libera non connotet actionem tranſeuntem, quam producat, ſicut volitio libera creata connotat actionem, qua producatur; ſed ponatur actus liber Diuinus adæquatè intrinſecus, & identificatus cum Deo hæ veritates Theologicæ vacillant. 21 *In ſententia contraria non ſtat.*

Prima, immutabilitas Dei vt ſatis conſtat ex diſput. præced. vt ſcilicet Deus poſſit eſſe aliquid, quod non eſt; etenim *Deus non eſt volens* alium mundum, poteſt autem eſſe volens. Vnde conſequenter conſtat aliquo prædicato, de quo poteſt dici, *non eſt*; nam de volente hunc mundum potuit dici *non eſt*, ſicut modo dicitur circa alium mundum. 22 *Immutabilitas Dei.*

mundum. Ergo modo identificatur cum Deo aliquid defectibile & mutabile; hoc autem non eſt minus abſurdum, quam ſi identificaretur aliquid (ſiue dicas quoad terminationem, ſiue quoad denominationem) non æternum, vel non immenſum. Ex quo maximè arguo contra aduerſarios, ſi nihil intrinſecum Deo, ſiue præſcindat à perfectione, ſiue ſit purè denominatiuum, terminatiuum, rationis, *&c.* poteſt eſſe non immenſum, æternum, ſubſtantiale, ſpirituale, *&c.* Ergo nec poterit eſſe non immutabile. Confirmatur æquè titulo immutabilitatis repugnat Deo mutari, abſolutè vti titulo æternitatis in tempore mutari: at implicat vlla ratione, nec purè denominatiuè mutari in tempore per identitatem intrinſecam. Ergo ſimiliter implicabit abſolutè mutari, ſeu conſtare aliqua denominatione de qua abſolutè dici poſſit: *non eſt.*

23 *Actus purus.*

Secunda, quæ ex immutabilitate ſequitur: Deus eſt actus purus; hoc eſt habens in actu quicquid poteſt habere vtique *intrinſece*, & in ſeipſo; nam *extrinſecè*, ſeu ad extra bene ipſi conceditur potentia ad producendas creaturas, ſic etiam in tempore ipſi aduenit eſſe creatorem: At quoad denominationem volentis libere, & efficaciter exiſtentiam mundi non eſt ſemper in actu. Ergo hæc denominatio vt ſic in concreto non eſt intrinſeca.

24 *Relatio inter ſolas perſonas.*

Tertia in Deo nulla eſt relatio verè, & ex parte obiecto loquẽdo niſi in ordine ad proprietates perſonales; ad intraque ſolum inter ipſas perſonas datur relationis oppoſitio. At qui hæc oppoſitio neceſſario admittenda eſt inter cognitionem indifferentem, ſeu ſuppoſitum liberum affectum cognitione indifferenti, & ipſum exercitium libertatis; nam libertas ex ſuo conceptu circa ſuum actum ſe habet actiue. Ergo opus eſt vt in exercitio libero includatur actio extrinſeca. Explicatur in libertate neceſſario includitur actio, ſeu productio ex parte rei independenter à noſtro intellectu. Productio autem nequit verſari circa abſoluta in diuinis, cum neceſſario inuoluat diſtinctionem realem.

25 *Summa libertas Dei.*

Quarta: Deus operatur ſine vlla neceſſitate, ita vt non minus liberè velit hodie productionem Antichriſti, quam voluerit in æternitate. Hoc autem longè facilius intelligitur ſi ipſa productio pro ſuo tempore oriatur à Deo ſine vlla determinatione intrinſeca volitionis potius ad vnam partem, quam ad aliam: nam imprimis ipſa productio erit immediatè libera, quin entitas Dei, ſeu aliquid diuinum ſit neceſſitatum, & eſſentialiter, ac determinatè connexum, & exigens exiſtentiam creaturæ: deinde ipſum decretum Dei non eſſet continuò laudabile, & in conſeruari ſed ſolum quaſi in primo ſui eſſe æternitatis, ſicut homo qui ex ſuppoſitione ſemel habiti decreti heri, hodie illud non poſſet non conſeruare; ita autem ſe habet Deus in ſententia contraria dum ſemel ab æterno elicuit decretum in hac verò noſtra ſententia, quolibet inſtanti eſt in continuo exercitio libertatis, & poteſtate ſuſpendendi actionem ad extra, quam ponit vt per ſe manifeſtum eſt. Ergo libertas Dei compleri debet per aliquid extrinſecum.

26 *Volitio Dei ſit æterna.*

Scientia ſemper ſit de præſenti.

Quinto faciliter in noſtra ſententia redditur ratio ne poſſit Deus incipere velle aliquid in tẽpore, neque aliquam mutationem ſciendi habere quando procedit per ſcientiam de præſenti vel de præterito, aut futuro; cum enim in his omnibus compleatur ex eo quod operatio ad extra connotetur pro aliqua differentia temporis, & prorſus impoſſibile ſit hanc connotationem variari ſiquidem res ex ſuppoſitione quod eſt neceſſe eſt eſſe, conſequenter impoſſibile eſt in tempore immutari *velle*, aut *ſcire* liberum Dei intrinſecè, licèt extrinſecè varias denominationes recipiat, prout à nobis váriè comparantur cum talibus connotatis. Quæ omnia valdè difficiliter componuntur in ſententia contraria, vt in propriis locis patebit & dixi diſput. 48. de ſcient. §. 22. licèt autem ex ibi dictis iſta aliquatenus componantur. At negari nequit hanc compoſitionem ſatis difficilem eſſe.

Sexto difficile eſt quo pacto viſio Beatorum de Deo ſicut eſt in ſe, non videat decreta libera cum Deo identificata. Septimo præſcientia conditionata inefficaciæ non tollat voluntatem ſeriam de ſalute, quis enim facile poſſit apprehendere quod Deus tribuat auxilia ex præuiſione, ſeu pro priori collationis præuidens coniungenda cum peccato, & adhuc pro tunc ſerio intendat vitare peccatum. Octauo non minus difficile explicatu eſt proceſſionem verbi neceſſariam eſſe, & omnino indefectibilem licèt procedat ex cognitione contingenti; Rurſus volitionem liberam liberè elici à ſpiritu ſancto, & tamen Spiritum ſanctum ex volitione libera produci. Quæ omnia, & alia, quæ in ſuis locis notabimus, dum dicamus Deum vt liberè volentem in concreto ex operatione ad extra conſtitui, non autem adæquatè ex ſolis prædicatis diuinis, optimè componuntur; nam videbit quidem Beatus in Deo volitionem in abſtracto de die iudicij, at non ideo ſciet quid abſolutè decernat Deus: cum hoc vtra entitatem Dei requirat connotationem ad extra; Item ſcit quidem Deus quando dat auxilium eius inefficaciam, at pro priori ad dationem nondum eſt in concreto ſic ſciens, cum connotatio nequeat eſſe pro priori. Similiter nec connotatio eſt pro priori ad proceſſionem Verbi, nec principium illius, ideo Verbum non procedit ex cognitione in concreto (quo pacto ſolum eſt contingens) futurorum; idemque dictum pura de proceſſione Spiritus ſancti ab amore libero.

27 *Decreta libera non videantur à Beatis.*

Præſcientia conditionata non impediat voluntatem ſeriam verbum procedere ex ſcientia libera.

Omnia componuntur in ſententia Authoris.

Sed vt alia notanda in ſuis locis omittam vnum reticere non poſſum, quod maximè conſequens eſt ad doctrinam veriſſimam, in ſchola ſocietatis, ſcilicet iuxta hanc ſententiam apprime ſtatui ſcientiam mediam, concludique non poſſe Deum aliter cognoſcere futura ſiue conditionata, ſiue abſoluta, quam in ſeipſis, & in ipſa veritate, obiectiua futurorum. Nam quidquid eſt diſtinctum ab ipſis omnino indifferens eſt, & æquè compoſſibile cum futuritione, ac cum eius carentia; ſiquidem quod à futuritione creata diſtinguitur ens diuinum eſt, & indefectibile, ipſaque entitas Dei formaliter; Deus autem independens eſt, ſeu abſolutus, & inconnexus ab omni contingenti, & defectibili. Tunc ſic ſed quidquid ſic abſolutum eſt nequit eſſe medium aptum vt in ipſo videatur futuritio determinata; eſt enim per ſe notum in medio indifferenti vt indifferenti nil poſſe determinari potius de vno extremo quam de alio. Ergo vt potius determinate appareat vnum extremum, ſeu futuritio ſiue conditionata, ſiue abſoluta effectus liberi opus erit vt ipſa futuritio in ſe immediatè cognoſcatur. Confirmatur iuxta hanc ſententiam de conſtitutiuo actuum liberorum Dei ſcientia conditionata Diuina non cognoſcit euentus conditionatè futuros in aliquo decreto efficaci actu, & abſolutè exiſtenti ex parte ſubiecti Dei, & procedente conditionatè ex parte obiecti: ergo ſcientia Diuina conditionata cognoſcit ſuum obiectum, euentus ſcilicet conditionatè futuros in ſeipſis, quæ ſcien-

28 *Maximè neceſſitas ſcientia media.*

tia

tia formaliſſimè eſt iuxta Scholam ſocietatis, media. Conſequentia euidens eſt iuxta dicta in tractatu præcedenti de ſcientia media: antecedens etiam eſt manifeſtum ex dictis; nam quidquid datur in Deo de præſenti vt condiſtinctum ab ipſis euentibus conditionatè futuris omninò abſolutum eſt, & indifferens, tam ad futuritionem conditionatam, quam ad eius carentiam, & eodem prorſus pacto ſe habet quoad connexionem cum tali futuritione conditionata, ſicut ipſa eſſentia Dei ſecundùm ſe? at in eſſentia Dei ſecundùm ſe, quia ita abſoluta eſt, & inconnexa nequit apparere euentus conditionatè futurus: Ergo neque in tali decreto.

SECTIO IV.

Proponuntur, & diluuntur ſpeciales obiectiones contra hunc modum defendendi libertatem Dei.

29 *Quo noſtra ſententia differat à ſententia Aureoli vt communiter proponitur.*

OBiicitur primò hanc explicationem in nullo differre a ſententia Aureoli impugnata diſp. præced. ſaltem cum moderatione adhibita à Patre Vaſquez, & aſſeclis. Reſpondeo in primis à ſententia Aureoli vt communiter proponitur maximè diſſidere noſtram: Aureolus namque, vt communiter dicitur nullam agnouit vitalitatem in libertate, ſed hanc ita conſtituit in exercitio purè phyſico, & tranſeunte, vt per accidens ſe haberet per ſe loquendo, quod Deus ſubſtantia viuens ſit, & volitiua vtpote qui eadem ratione liberè ſe exerceret, etſi eſſet agens purè phyſicum, ad modum ignis potentis ignire, & non ignire, ſeu ita ignientis vt poſſet ignitionem ſuſpendere. Quæ omnia aliena ſunt à noſtro opinandi modo iuxta quem, vt patet ex ſupra dictis, in ipſo conceptu liberè agendi imbibitur neceſſario facultas viuens, & volitiua, ita vt liberè operari, licèt ex parte actionis formaliter volitio non ſit, ex parte tamen principij, & formæ denominantis volitionem includat. Dixi noſtram ſententiam ab Aureolo differre iuxta modum communem, quo Author iſte acutiſſimus intelligitur, etenim ſi attentè introſpiciatur nobiſcum credo in re conuenire; nam inſtantiam illam, quam ab igne ſine neceſſitate igniente deſumpſit, non quoad omnia libertati Diuinæ accommodauit, ſed præcisè illâ vſus eſt, vt exponeret quo pacto voluntas Diuina ſine vlla neceſſitate volitionis intrinſecæ ad operationes extrinſecas procederet; item quo pacto intelligi poſſet voluntatem liberè agere, quin volitionem vllam produceret; nihilominus ſuppoſuit ſemper principium liberum in Deo volitiuum eſſe, imò ipſum actum puriſſimum volendi, neceſſarium quidem in exiſtendo, liberum autem in cauſando, & denominando, vt ego latè explicui ſect. præced.

30 *An differat noſtra ſententia à ſententia Patris Vaſquez?*

Obiicies tamen ſecundò ſaltem noſtram ſententiam in nullo differre vt dicitur num. præced. à ſententia P. Vaſquez & Aſſeclarum, nam iuxta hos Authores actus liber Diuinus, vt talis ex volitione conſtituitur, hancque velle liberum in recto, & principaliter includit, ita vt velle liberum formaliter ſit in linea volitiua, & ſolum partialiter, & in obliquo ex actione tranſeunte conſtituatur, à quo modo dicendi in nullo videtur differre noſter. Reſpondeo in eo differre quod iuxta meam ſententiam actio ad extra etiam concurrat ad volendum liberè, intrinſeceque conſtituat denominationem *volentis liberè* in concreto, non tamen in abſtracto, neque inadæquatè, & in obliquo, ſed tota volitio libera in abſtracto ſumpta, ſeu tota forma volendi libera adæquatè conſiſtit in ſola volitione intrinſeca Dei, licèt requirat vt communicet ſuum effectum formalem, actionem aliquam ab agente, & volitione diſtinctam; quemadmodum volitio libera creata neque inadæquatè, vt ex obliquo conſtituitur vt ſumpta per modum formæ, & in abſtracto, ex actione, qua producitur, ſed ab hac adæquatè, & omnino diſtinguitur; quantumuis, vt det effectum formalem, actionem ex parte voluntatis, ſeu ſubiecti liberi prærequirat, quia non facit, nec reddit ſubiectum *liberè volens* niſi vt *producta*: ita ergo proportionatè dico de volitione libera Diuina, quæ ſolum denominat Deum liberè volentem vt producens. Quare iuxta meipſum liberum vt liberum ſpecialiter includit *velle*, & totum hoc *velle* adæquatè eſt Deo intrinſecum per modum formæ modo explicato. Si autem velint Sectatores P. Vaſquez me etiam ſibi aggregare gratanter tantum Doctorem Magiſtrum ſubibo.

Obiicies tertiò noſtram ſententiam coincidere 31
cum ſententia PP. Granado, & Hemelman, quos citaui ſect. 1. num. 9. iuxta quam ſententiam, in Deo datur volitio efficax de exiſtentia cuiuſuis rei, diſiunctiua tamen ſecundùm ſe, & quæ redditur, vel tranſit in determinatam per connotationem determinatam rei, vel per connnotationem ad eius carentiam. Reſpondeo etiam ab hac ſententia valde differt mea ſententia prima, quia ſecludit à Deo P. Granado modum tendendi determinatum in volendo, at iſte modus tendendi, & formaliter pertinet ad lineam volendi, ſicut ad lineam ſciendi, *ſcire abſolutè*, vel tantum *diſiunctiuè*, etenim homo ſimpliciter ignorat futura, & tamen ea diſiunctiuè veriſſimè affirmat; item Scriptura ſacra rarò ponit in Deo volitionem diſiunctiuam; quod ſi ponit aliquando, vt quando præcepit ſibi offerri par turturum, vel duos pullos columbarum, à contrario colligitur quod non ſemper diſiunctiuè procedat, ſiquidem ſæpius proponitur vt determinata. Secundò iuxta P.Granado: Deus ſic tenderet: *Volo exiſtentiam mundi, vel non exiſtentiam mundi*, iſte autem modus volendi ex ipſis terminis abſonus eſt, & nec voluntati creatæ permiſſus, ſi prudenter procedat: Quis enim poſt benè perpenſam conuenientiam, & diſconuenientiam obiecti dixit: *exiſtat hoc obiectum, vel non exiſtat?* inter plura, & diuerſa media, ſeu inter varias res ſæpè voluntas prudens diſiunctiuè procedit: *Volo par turturum, aut duos pullos columbarum.* At quis prudenter dicat, *Volo par turturum offerri, vel non offerri par turturum?* Ergo modus iſte volendi in volitione efficaci reiiciendus eſt à Deo. Vti à me reiicitur, qui licèt ponam de vtroque extremo contradictionis volitionem efficacem, at circa vtrumque ſtatuo volitionem determinatè procedere, licèt non ſemper vtroque modo denominet Deum efficaciter volentem, ſed iam vno iam alio pro exiſtentia, vel carentia actionis, quam connotat. Ex quo, & quidquid eſt in linea volitionis eſt intrinſecum Deo; & modus tendendi diſſonus vitatur.

Diuerſa eſt à ſententia Patris Granado.

Obiicies quarto magnam diſſonantiam; quod 32
Deus ſimul habeat affectus efficaces oppoſitos, amorem ſcilicet, & odium, & proportionatè loquendo aſſenſum, & diſſenſum; ex quo fiet tum quod Deus velit efficaciter impoſſibile; tum etiam quod

quod

Et ſi Deus habeat noliſtionem omnium nolibilium, at dum amat, non odio habet.

quod voluntas Dei non impleatur, opus namque eſt aliquam voluntatem ſine effectu volito perſiſtere; tum denique proportionatè loquendo de ſcientia, aliqua ſemper falſificabitur. Quid autem abſurdius? Reſpondeo volitio, & nolitio non opponuntur niſi quando ſunt in ſubiecto capaci effectûs formalis; opponuntur ſcilicet in concreto acceptæ quatenus ſimul faciunt ſubiectum *volens*, & *nolens*, efficaciter idem obiectum, ſed nullam oppoſitionem habent hi affectus in ſubiecto incapaci. Pone volitionem in lapide nullam repugnantiam habebit, vel reſiſtentiam nolitio i. Similiter autem cenſendum eſt etiam quando volitio eſt in ſubiecto alias capaci, ſi tamen hic, & nunc incapax eſt verbi gratia, ſit volitio in voluntate carente cognitione de Petro, benè permittet dari tunc nolitionem; & idem dicendum ſi volitio vt communicet ſuum effectum formalem requirat productionem ab intrinſeco in hoc caſu abſque vlla incompoſſibilitate poteſt Deus volitionem ſimul, & nolitionem infundere voluntati circa eandem rem. Quod autem in hac ſententia dicitur de omni volitione, vt communicet ſuum effectum formalem; dico ego de volitione diuina vt reſpiciat ſuum ſubiectum vt capax effectus formalis *volentis abſolutè & efficaciter*, & ſimiliter *ſcientis* exiſtentiam exercitam creaturæ. Cum autem non detur connotatio ad vtrumque extremum contradictionis conſequenter non dabitur capacitas, nec oppoſitio horum affectuum, fruſtratio, vel falſitas.

33 *Nulla præternaturalitas datur in eo quod nolitio mundi non communicet ſuum effectum meo amanti Dundum.*

Obiicies quinto etiam eſſe diſſonum & abſurdum, quod exiſtat forma in ſubiecto incapaci communicandi ſuum effectum formalem, licèt enim hoc non ſit omnino impoſſibile: aſt eſt præternaturale; abſurdum autem eſt dicere quod Deus ſemper exiſtat modo præternaturali. Reſpondeo quando vna forma ſolum habet vnum effectum formalem, vel ſaltem ad vnum vt præcipuum, & proprium ordinatur, tunc ſolum violenter, & præternaturaliter exiſtere talem formam in ſubiecto, cui non poteſt communicare ſuum effectum formalem, ſic intellectio præternaturaliter poneretur in lapide; volitio item nequit connaturaliter exiſtere in voluntate, quam non præuenit cognitio. At vna forma connaturaliter exiſtit vbi communicat aliquem ſuum effectum formalem, licèt non communicet omnem; ſic ſpecies impreſſa connaturaliter exiſtit in aëre, quem tamen non reddit potentem intelligere, ſeu non fæcundat ad intelligendum, qui eſt effectus formalis ſpeciei; ſenſatio item connaturaliter recipitur in corpore, quod *ſentiens*, non redditur. Ac denique in diuinis generatio paſſiua connaturaliſſimè reſidet per identitatem in natura diuina, quam non reddit generatam. Iam verò ad præſens volitio efficax creandi alium mundum, licèt non reddat Deum volentem efficaciter: at & reddit volentem inefficaciter, & item efficaciter nolentem, qui ſunt etiam proprij effectus formales illius volitionis, hæc enim indiuiſibiliter nolitio etiam eſt, & volitio efficax.

34 Obiicies ſexto implicare quod ſubiectum conſtituatur cognoſcens per ipſum obiectum extrinſecum, quod cognoſcitur, tum quia cognoſcere eſt viuere; implicat autem quem viuere per effectum extrinſecum; tum etiam quia obiectum ipſum non eſt repræſentatio ſui, ſeu tendentia intentionalis in ſeipſum neque in adæquatè; vt patet reſpectu noſtri, qui non reddimur cognoſcentes per obiectum neque inadæquate. Tunc ſic ſed ſi actus liber ſaltem in concreto conſtitueretur ex eius obiecto, ſeu operatione ad extra ſcientia etiam libera in concreto, noſque vt cognoſcentes conſtitueremur per obiectum extrinſecum ergo. Confirmatur Deus in ſeipſo debet habere certitudinem, & ſecuritatem de obiecto futuro; alias ipſe Deus in ſe ita foret incertus de euentu futuro ſicut nos. Ergo in ſe debet habere tendentiam infallibilem de exiſtentia obiecti, ſeu debet eſſe ſciens infallibiliter obiectum determinate eſſe futurum; hoc autem non habebit in ſe ſeu intrinſecè, ſi in ratione talis conſtituitur ex obiecto extrinſeco. Reſpondeo ſcientiam ipſam, & cognitionem in abſtracto non poſſe conſtitui ex obiecto extrinſeco, vt probat obiectio, at in concreto, quemadmodum in communi ſententia effectus formalis *cognoſcentis* coaleſcit ex actione phyſica ab intrinſeco, quæ non eſt in linea cognoſcendi, nec tendentia intentionalis, ſed purè phyſica, cur non ſaltem id admittetur in cognitione libera, vel ex hoc ipſo argumento à poſteriori, quod talis effectus *ſcientis liberè* exiſtentiam mundi realiter deficiat ex ſolo defectu huius actionis ad extra, reliquis omnibus eodem modo modo permanentibus: eſt autem euidens ſignum deficientiæ alicuius conſtitutiui intrinſeci in aliquo compoſito; ſeu quod res aliqua ſit de conſtitutione intrinſeca alicuius compoſiti, quando ex præciſa deficientia talis rei, aliis omnibus eodem modo ſe habentibus, compoſitum deficit. Si enim ſtantibus aliis compoſitum deficit. Ergo compoſitum diſtinguitur ſaltem inadæquatè ab aliis. Ergo res ex cuius defectu præciſo compoſitum deficit erit eius conſtitutiua ſaltem inadæquatè. Ad confirmationem reſpondeo Deum in ſeipſo habere quidem ſecuritatem, & certitudinem de obiecto, qua ſimpliciter quietus, & ſecurus eſt de obiecto futuro infallibiliter, ad hoc autem non eſt opus vt quidquid eſt in hoc effectu formali *ſcientis certò* euentum futurum identificetur cum Deo; ſed ad ſummum quod ſe habet per modum formæ vel recti, ſic in communi ſententia conſtituente veritatem formalem partim extrinſecam denominatione ſumpta ab obiecto adhuc dicitur Deus habere in ſe cognitionem formaliter veram, quia ſcilicet in ſe habet ſcientiam, quæ vera eſt licèt ex connotato extrinſeco. Ita ergo ſimiliter in præſenti Deus certus eſt, ſeu in ſe habet ſcientiam certam, quia habet eam ſcientiam, quæ ex connotatione extrinſeca certa eſt, & ſecura, licet adæquate vt reſidet ex parte Dei certa, ſeu connexa cum obiecto non ſit.

Actio qua Deus conſtitur volens, non conſtituit formam volendi, ſed concretum volentis, vel ſcientis.

Obiicitur ſeptimo ſi ſemel ſcientia ſaltem in concreto, quoad denominationem ſcilicet *ſcientis* poteſt coaleſcere ex obiecto extrinſeco, ſimiliter poſſet contingere in creatis, vt Angelus verbi gratia ſciat ex connotatione euentus futuri, vnde cum non minus connotetur futurus euentus, ſeu comparari poſſit, & componi complexum quoddam ex ſcientia Angelica, & euentu futuro, quam ex diuina, Æquè Angelus, ac Deus cognoſcent euentus futuros, ſeu dicentur in concreto *ſcientes futura*. Confirmatur quia magna laus eſt ſcientiæ diuinæ quod præſciat futura, ſi autem eſſe ſcientem futura ſolum eſt quædam denominatio extrinſeca ſumpta ex eo quod præſciat verbi gratia poſſibile eſſe peccatum Petri cras, ipſumque peccatum in re futurum ſit, nulla ſpecialitas laude digna concipietur in tali ſcientia: & nil aliud tandem erit Deum ſcire futura, quam ipſos euentus futuros in re dandos eſſe, & coextituros ſcientiæ Dei; quod reſpectu ſcientiæ Angelicæ datur; iſta namque 35

Differentiam inter ſcientiam Dei, & Angeli ne iſta conſtituatur ex notato extrinſecè.

que etiam habet in reipſa, vti ponis in Deo entitatem coexticuram futuritioni euentuum. Confirmatur ſecundò ſi euentus non eſſet futurus redderetur falſa ſcientia Dei: Ergo quia Deus non ſolum in abſtracto, ſed etiam in concreto affirmauit euentum futurum; aliàs enim non contingit falſitas, vt ego ipſe notaui §. 32. Ergo *ſciens*, ſeu *affirmans* in concreto diſtinguitur ab ipſo euentu futuro. Hæc conſequentia ſuadetur, nam ſcientia quæ redditur falſa ob defectum obiecti opus eſt vt coexiſtat ipſi defectui etiam vt in concreto affirmans exiſtentiam talis obiecti, nam qui nunquam affirmauit exiſtentiam obiecti, ob huius defectum neutiquam mendax redditur. Confirmatur tertiò quia maxima ſemper viſa eſt difficultas componendi infallibilitatem præſcientiæ Dei cum noſtra libertate, quæ difficultas omnino euaneſcit, ridiculaque redditur ſi Deus *vt præſciens* noſtros actus futuros, ex ipſorum connotatione conſtituitur, & in ſeipſo nil ab æterno intrinſecum habet infallibiliter cum ipſis connexum; ſic enim non potius obſtaret libertati noſtræ ſcientia concomitans, quam præſcientia Dei, cum vtraque æquè ex connotatione extrinſeca conſtituatur; item minus adhuc officeret libertati, quam noſtra viſio, nam iſta vt condiſtincta ab obiecto ſuo connectitur cum illo; ſecus Diuina ſcientia: Denique ſicut in nullius mentem cadere potuit; quod Dei coexiſtentia, ſeu ſimilitudo in exiſtendo cum noſtris actibus, ipſorum libertati inimica foret; ridiculumque eſſet id in dubium reuocare; ita haud aliter ſentiendum de controuerſia celeberrima, difficillimaque concordiæ noſtræ libertatis cum præſcientia Dei; quod nefas eſt cogitare, cum toties Sanctorum Patrum, & ſapientiſſimorum Theologorum torſit ingenia.

36 Huic ſeptimæ obiectioni aliter reſpondendum eſt de poſſibili, aliud de facto: ſed prius vt vtrique ſatisfaciam præmitto, non eſſe ſufficientem quamcumque formam cognoſcendi, vt ſtatim ex ipſa & connotatione obiecti, denominatio *ſcientis* in concreto conſurgat; ſed eſſe neceſſarium, quod ipſa forma cognoſcendi ſpecialis conditionis, & naturę ſit, ſpecialiſſimæque perfectionis, ratione cuius abſumat totam lineam cognoſcendi circa tale obiectum, habeatque talem modum tendendi, vt quantum eſt ex parte ſua in linea cognoſcendi nil plus repræſentationis afferat cognitio in actu exercito affirmans exiſtentiam obiecti, hæc autem perfectio rectè poteſt contineri in aliqua forma cognoſcendi, quin contineatur in alia; quemadmodum ex peculiari natura, & modo tendendi volitionis creatæ efficacis, vel inefficacis contingit quod prima ſi connotet actionem, vel cognitionem denominet in concreto reddatque voluntatem amantem efficaciter, ſecus ſecunda. Hinc igitur cognitio Angelica non denominat Angelum cognoſcentem, ſecus ſcientia diuina Deum. Poteſt autem ſine abſurdo fingi etiam in Angelo circa euentus præſentes aliqua ſcientia tam perfecta, quæ ex ſola connotatione euentuum denominet Angelum ſcientem? Quid refert ſi hoc permittatur Angelo circa euentus præſentes: At non naturaliter circa futuros; ad hanc enim denominationem requiritur coexiſtentia cum futuris, vt dicam, ſect. 3. diſput. quæ nullatenus competit Angelo, ſicut Deo. Ex his facilis eſt ſolutio ad confirmationes §. præced, ad primam. Præſcientia futurorum in Deo, & arguit ſummam perfectionem in linea ſcientiæ; & mirabilem modum exiſtendi ſimul æquè primò, & permanenter in temporibus ſucceſſiuis, quod ſpecialiſſimum Dei eſt, vide diſp. 49. & diſput. ſeq. §. 19. Ad 2. ſi euentus non eſſet futurus redderetur falſa ſcientia Dei, Deuſque qui in concreto affirmaret, mendax foret, at opus eſſet ad hoc quod euentus futurus, qui ſemel connotaretur, deficeret, in quo non doleo dari implicantiam in terminis; nam talis, & tanta eſt in Deo mendaci. Ad tertiam reſpondeo imprimis integram manere difficultatem concordiæ præſcientiæ cum libertate noſtra, quamuis illa compleatur extrinſecè nempe in reuelatione, quæ ex tali præſcientia naſci poteſt, vt de peccato S. Petri, quæ intrinſecè, & eſſentialiter connectebatur cum tali peccato antequam patraretur, vt modo contingit in fide de peccato Antichriſti. Deinde dico quoad rem ipſam præſcientiam Dei perinde ſe habere, vt ſimpliciter dicatur *ab æterno infallibilis*, ac ſi nullo modo compleretur effectus formalis *ſcientis* ex connotatione extrinſeca. Quare ex hac veritate iure ingeritur magna difficultas (quidquid ſit de variis modis quibus explicetur, quos non nego ſemper difficiles etiam eſſe) in concordia præſcientiæ Diuinæ cum noſtra libertate.

Quare Angelus ex connotatione ad effectum non denominatur volens.

Quid de poſſibili in Angelo.

Obiicitur octauo iuxta noſtrum modum explicandi libertatem diuinorum Deus non habebit ſpecialiorem amorem, & complacentiam circa humanitatem Chriſti, quam circa Iudam, neque habebit potius electionem; & amorem circa Iacob, quam circa Eſau, ſed æqualem amorem, item æquale odium habebit circa bonos, ac circa malos. Id probatur clarè ex dictis cum nulla differentia, electio, vel varietas detur in ipſo actu amandi, ſed ſolum in concreto, ſeu in effectu formali amantis. Confirmatur in actu ſcientiæ, ſic namque Deus non habebit potius ſcientiam de exiſtentia mundi, quam de eius carentia. Reſpondeo, licèt ſcientia, & amor non ſit in ſua entitate ſpecialis, eſſe tamen in denominatione vnde eum habere ſcientiam, & habere, vel non habere amorem iuxta communem modum concipiendi ſumatur in concreto, & cum denominatione *amantis*, ſic ſpecialiſſimè amat Deus humanitatem Chriſti Domini, ſpecialiter habet amorem circa Iacobum, quam circa Eſau. Finge in creatis aliquam volitionem, quæ in ſe entitatiuè ſit tendentia æqualis in Petrum & in Paulum; & quod ponatur in voluntate habente cognitionem de Petro, & non de Paulo: talis voluntas ſpecialiter diceretur amare Petrum, cum tamen amor æqualiter ſit in ſe forma amandi reſpectu vtriuſque, ſic ergo ſe habet Deus vbi non connotatur ſpecialis operatio ad extra modo dicto. Independenter autem ab hac connotatione intrinſecè ſe habet Deus etiam in abſtracto diuerſimodè circa bonum, ac circa peccatum, nam iſtud nulla ratione amat, neque eſt illius amor etiam in abſtracto, ſed odium formale, ſecus reſpectu boni, & honeſti. Ad confirmationem ſimiliter dico ſcientiam in ſe æqualiter ſe habere in abſtracto ad vtrumque extremum contradictionis, at in concreto ſpecialiter Deum denominari *ſcientem* exiſtentiam mundi; ideoque non dici quod habeat ſcientiam de carentia mundi; nam iſte modus loquendi ſonat effectum formalem, etiam in concreto: ſicut in exemplo & caſu quo intellectus haberet cognitionem, modo incapaci vt denominaretur *ſciens*, verbi gratia, ſine actione ab intrinſeco, non diceretur ſimpliciter habere ſcientiam. 37

Specialitas Diuini amoris explicatur.

Obiicies nono ſi compleatur ne actus liber 38

Diuinus

Diuinus in concreto ex connotatione extrinſeca, nihilominus hanc connotationem deſumendam non eſſe per ordinem ad effectus, & operationes tranſeuntes ego ipſe dixi ſupra ſect. 1. num. 2. Ergo male meam ſententiam explicui per ordinem ad connotationem horum effectuum ad extra. Reſpondeo me tantum excluſiſſe vt neceſſariam ad actum liberum in concreto connotationem reſpectu illius eiuſdem effectus, ſeu reſpectu operationis circa eundem effectum, quem dicitur Deus amare liberè, nam cenſeo poſſe Deum in ratione amantis liberè ſe habere circa aliquod obiectum, quin circa illud idem aliquid operetur licet neceſſarium ſit quod operetur aliquem modum vel entitatem creatam aliam vt explicabo diſput. 63. in qua oſtendam, quæ mutatio requiratur in creaturis vt Deus denominetur liberè volens. Deinde licet ad denominationem liberam per modum electionis, exercitij abſolutè liberi requiratur mutatio abſoluta in creaturis, at poſſunt dari aliæ denominationes tam ſcientis, quam volentis liberæ libertate contingentiæ, quin neceſſaria ſit mutatio abſoluta in rebus vt oſtendam diſputatione citata in denominationibus ſcientis, & volentis conditionatè.

Non neceſſariò debet fieri mutatio in ipſo effectu producendo.

SECTIO V.

Proponuntur communes obiectiones, & earum ſolutio breuiter indicatur; Quatenus opponuntur contra noſtram ſententiam.

39 PLura ex argumentis communibus, quæ contra Aureolum, & Aureoliſtas fieri ſolent militant etiam contra meum explicandi modum de conſtitutione actuum liberorum Dei, ea tamen ad præſentem diſputationem breuiter ſolum referam, quæ longiori examini in ſequentibus materiam ſuppeditant; quare hic ſufficiet iſta arguendi capita ſolum indicare; prius tamen plene ſoluam obiectiones, quas ad alium locum remittere non licet, ſed deſeruiunt maiori explicationi huius diſputationis.

40 Obiicitur ergo decimo præcipuè modus loquendi frequentiſſimus ſcripturæ ſacræ, iuxta quam non minus ſtatuitur in Deo dari amorem liberum circa creaturas, quam amorem neceſſarium circa ſeipſum: At Deus non ſolum in abſtracto, ſed etiam in concreto adæquatè intrinſecè ſe ſolo conſtituitur in ratione *volentis* ſeipſum. Ergo etiam in concreto ſe ſolo conſtituitur *volens* creaturas. Confirmatur à contrario Deus non ſolum dicitur liber qua volens, & in concreto, ſed ipſa forma volendi, ipſe amor, ipſa prædeſtinatio, & electio dicitur libera iuxta illud Epheſ. 2. 4. *Propter nimiam Charitatem, qua dilexit nos* Deus. Ergo eâdem ratione diſcurrendum eſt de dominatione libera in concreto, & in abſtracto. Reſpondeo: Omnes teneri adhibere aliquod diſcrimen inter *velle* liberum, & neceſſarium; ſiquidem liberum ſaltem denominatiuè poteſt realiter negari de Deo, ſecus *velle* neceſſarium: Ego autem id diſcrimen adhibeo, vt *velle* liberum vltra formam volendi dicat actionem, ſecus *velle* neceſſarium; at per hoc non tollitur, quo minus verè, & propriè ſine metaphora detur *velle* liberum in Deo, non minus ſtrictè, & rigoroſè, ac datur *velle* neceſſarium, ſicut in creatis propriè inuenitur vtrumque velle; quamuis neceſſarium poſſit dari ſine actione ab intrinſeco, ſecus liberum; hocque imbibat actionem, quæ non eſt in linea volendi; quia ſcilicet vtrobique datur forma propria volendi, licet diuerſa requiſita exigat. Ad confirmationem, Abſtractum, & forma ſæpè ponitur pro concreto; vt idem ſit habere charitatem, & amorem, ac *amare* vt notaui num. 37. Hinc ſi amor Dei poneretur in lapide non diſceretur lapis abſolutè habere amorem Dei; quia hoc ſonat, quod *amet Deum*. Et licet forma peccati habitualis, ſeu malitia per modum formæ ſit ipſum *præteriiſſe* peccati, quod indeſtructibile eſt, ſemperque manet nam ad præteritum non datur potentia, nihilominus ſimpliciter ipſa malitia deſtructibilis cenſetur etiam in abſtracto, & per modum formæ ſimpliciter loquendo, quando comparatur cum ſubiecto incapaci; ſic Sanctus Petrus non ſolum non eſt *malus* in concreto, ſed neque in abſtracto in illo reſidet vlla malitia peccati præteriti, quia ſcilicet malitia negationis præteritæ comparatur cum ſubiecto incapaci ratione condonationis. Igitur in præſenti iure cenſetur libera, & contingens, ſeu defectibilis ipſa forma volendi, quia ſcilicet, quamuis quoad identitatem deficere non poſſit, deficit quoad denominationem, ſeu quoad communicandum effectum formalem.

Quare volitio neceſſaria non conſtituatur per connotationē ſecus libera.

Obiicitur vndecimo iuxta hanc meam explicationem totum exercitium libertatis reduci ad actionem ad extra: vnde libertas non erit quoad *velle*, & *non velle*, ſed quoad agere, & non agere. Nam licet quoad denominationem *volendi*, ipſum *velle* ſit contingens, & liberum, at tota hæc contingentia tandem reducitur in contingentiam actionis, qua deficiente præcisè dicitur deficere ipſum *velle*, quin de hoc aliquid aliud deficiat niſi actio ſola. Ergo formalis, & immediata libertas ſolum eſt quoad *agere*; quoad *velle* autem ſolum denominatiuè, & mediatè. Reſpondeo concedo conſequentiam, vt contingit etiam in libertate creata, in qua immediatum, & formale libertatis exercitium in actione, ſeu productione volitionis conſiſtit. Ergo in Deo etiam poni poteſt in productione à volitione; volitione ſcilicet indifferenter ſe habente per modum principij ad producere, & non producere, ſicut volitio creata ad produci, & non produci. Vide §. 16. 41

Deus non id volitione libera, quam libera actione exercetur.

Obiicitur 12. implicare quod aliqua actio ſit formaliter libera, quin etiam ſit formaliter voluntaria, & volitio, ſeu exercitium volendi. Ergo cum hoc conuenire non poſſit actioni purè phyſicæ, & creatæ ponenda eſt intrinſeca Deo actio formaliter libera. Antecedens probatur primo, quia illa actio eſt maximè ab intrinſeco. Ergo vitalis, non autem alia vita, quam volitiua, cùm ſit ex præcognitione. Vnde ſecundo probatur antecedens, quia talis actio eſt motus ab intrinſeco cognoſcente, vt quando Deus confert præmium, quia præuidit merita; voluntarium autem formaliter eſt motus ab intrinſeco vi cognitionis; quod maximè patet quando ob bonum purè intentionale voluntas ad agendū mouetur; nam bonum quod phyſicum non eſt, ſed purè intentionale ſolum mouet ad exercitiū volendi. Tertio vti ex cognoſcitiuo infertur volitiuum; ita ex cognoſcitiuo boni cum admixtione mali volitiuum liberè, ſed in omni cognoſcitiuo datur formalis actio, & exercitium volendi. Ergo in cognoſcitiuo boni, & mali dabitur formale exercitium volendi liberum. Denique ſi ſemel concipi poteſt immediata libertas in actione purè phyſica quæ volitio non ſit, non ſupereſt ratio repugnantiæ ne poſſit dari agens liberum indifferenter ope- 42

rans, & abſque vlla neceſſitate, quod tamen volitiuum non ſit. Vnde verè poſſet poni cum Aureolo ignis, qui poſſet ignire, & non ignire, ſeu ex ſe ſuſpendere cognitionem.

43 *Actio qua conſtituitur Deus volens non eſt formaliter vitalis, nec voluntaria.*

Reſpondeo vtique concedendo dari actionem liberam, quæ non ſit formaliter volitio, licèt poſſit dici voluntaria ſpecificatiuè, quatenus à volitione ſpecificatur, ſicque eſt volitio per modum viæ; hoc communiter admittitur in voluntate libera creata ex qua ad omnes inſtantias, & repugnantias oppoſitas contra meam ſententiam ſolutio ſumi poteſt. Ad primam in qua illa actio dicitur vitalis. Dico eſſe vitalem arguitiuè, quia niſi in ſuppoſito præcedat vita, ita ab intrinſeco, ſeu ex virtute propria, & à ſe operari non poſſet tale ſuppoſitum, ſeu Deus: quemadmodum motus progreſſiuus in animali non poteſt procedere, niſi à ſuppoſito viuente, cum tamen prædictus motus iuxta communem ſententiam formaliter vitalis non ſit. Ad ſecundam repugnantiam, ſeu probationem illius antecedentis, quod ſcilicet repugnet actionem illam liberam non eſſe voluntariam, concedo voluntariam eſſe, ſed per modum viæ à voluntario formali: quemadmodum actio productiua volitionis creatæ ex cognitione procedit, à bonoque pure intentionali mouetur, non quia talis actio ſit voluntaria formaliter, ſeu forma volendi ſed quia eſt via ad volitionem. Ergo ſimiliter iure exigi poteſt cognitio à qua procedat illa actio diuina eo quod ſit actio procedens à volitione modo explicato. Hinc ad tertiam dico ſicut ex intellectiuo boni infertur volitiuum, ita etiam ex intellectiuo boni mixti cum malo inferri volitiuum liberum; ſeruata tamen proportione: nam volitiuum abſolutè ſtare non poteſt ſine forma volendi; at volitiuum vt liberum ſtare poteſt quin addatur noua forma volendi contingens, & libera vt patet exemplo illo adducto in §. 16. in quo ſcilicet homo habens amorem neceſſarium redderetur de nouo amans liberè eo ſolum, quod liberam actionem de nouo exerceret circa talem amorem quantumuis nulla noua forma amandi ipſi adueniret. Ergo ſimiliter. Ad quartam. Ratio à priori ne ſit poſſibile liberum non volitiuum eſt, quia eo ipſo quod ſit liberum neceſſario mouetur ex cognitione, cum neceſſario debeat præuidere vtrumque extremum vt ad vnum præ alio determinetur, determinatio autem ex cognitione, vel in volitionem tendit, vel à volitione procedit, modo apto, vt dicatur quis ideo agere, quia vult; quod libertas requirit, & quod in agente pure phyſico, & non volitiuo, ſicut eſt ignis inueniri non poteſt.

44 Obiicitur 13. non eſſe titulum in ſcientia libera viſionis cur requirat actionem, etiam quoad denominationem in concreto *ſcientis* licèt actio requiratur ad volendum liberè; primo quia *ſcire* non eſt formaliter liberum, ſolum autem titulo libertatis requiritur actio ad *velle* liberum, vnde & in creatis licèt non poſſit dari *volens libere* ſine actione volentis, bene tamen: *ſciens* ſine actione *ſcientis*. Secundo ſcientia viſionis non eſt principium effectus creati, ſed potius poſterior; vt hæc cauſalis ſit vera: *Ideo Deus videt peccatum, quia ipſum peccatum eſt futurum:* non è contra. Si autem Deus vt *videns* peccatum conſtituitur ex connotatione futuritionis peccati, peccatum non eſt vllo modo pro priori ſic; ſiquidem ipſum *videre* includit futuritionem peccati: quemadmodum non poteſt dici de voluntate diuina: *ideo Deus vult producere actum bonum, quia ipſe actus futurus eſt.* Reſpondeo vti dictum de concreto *volentis libere*, quod conſtituatur ex operatione, vel modo aliquo creato, ita dicendum eſt de concreto ſcientis liberè, ſeu *videntis* nam cum hoc etiam ſimpliciter, & abſolutè defectibile ſit opus eſt vt imbibat aliquid defectibile, quod neceſſario erit creatum, ex cuius connotatione ſcientia infinita Dei, quæ in abſtracto, & per modum formæ imbibentis omnem lineam cognoſcendi eſt viſio mundi, & peccati futuri, in concreto denominat Deum *videntem*. At quia iſta actio, quam requirit ſcientia viſionis non comparatur cum tali ſcientia vt cum principio libero determinante, ſed potius determinato, ſecus ac ſe habet volitio diuina, ideo potiùs iſta eſt cauſa rerum, quam ſcientia viſionis: & ob hanc rationem dicitur quod *ideo Deus videt peccatum, quia ipſum futurum eſt*, quemadmodum actio, & concurſus Dei in peccatum commiſſionis, licèt æque immediate ſit à Deo, ac à voluntate creata, & licèt ex eadem actione reddatur Deus, & creatura *producens*; nihilominus ideo Deus agit, & concurrit, quia creatura agit, non è contra, & ſimiliter ideo agit habitus, quia agit potentia non è contra, quia ſcilicet habitibus vtimur dum volumus. Item actio peccati comparatur cum voluntate creata vt cum eligente, & ſe determinante, ſecus cum Deo. Ita ergo ſimiliter licèt Deus vt ſciens conſtituatur ex actione peccaminoſa creata, tamen abſolutè loquendo ſcientia poſterior eſt, diciturque Deus ideo videre peccatum, quia voluntas vult, ſeu quia noſtra voluntas peccatura eſt: Iam verò cum creatio mundi, vel alterius effectus boni comparetur cum Deo vt eligente, vel intendente iure dicitur ideo exiſtit mundus, quia Deus vult non è contra.

Deus libere ſciens per actionem creatam conſtituitur.

Explicatur: ideo Deus ſcit peccatum, quia ipſum peccatum eſt futurum.

45 Aliæ ſunt obiectiones communes, & quidem frequentiores, ſed quia omnino pertinent explicationem aliarum difficultatum in omni ſententia etiam aduerſariorum ſatis celebrium, ideo vt plene eis ſatisfiat, neceſſarium puto pro ſingulis explicandis ſingulas diſputationes inſtituere; hæ autem difficultates reducuntur ad iſta capita. Primum diſput. 61. qualiter voluntas Dei ſit æterna, & immutabilis? Secundum diſput. 62. qualiter ſit cauſa rerum? Tertium diſp. 64. qualis ſit ordo inter diuina decreta? Quartum an voluntas Dei ſemper impleatur? Quintum an in Deo ſit voluntas malorum? de Quarto, & Quinto in tract. de Prædeſti. & de peccatis. Sextum diſput. 66. an ſit Poſſibilium purè? Septimum diſp. 67. an exerceri poſſit abſque aliquo actu per puram omiſſionem: Octauum d. 63. an poſſit exerceri libere ſine vlla mutatione in rebus creatis? Nonum diſp. 69 an vt libera addat aliquam perfectionem ſaltem moralem? Decimum diſputatione 69. an aliquo pacto defendi poſſit in Deo voluntas, libera diuina non ſolum in abſtracto, ſed etiam in concreto omnino, & adæquatè Deo intrinſeca? De quibus omnibus in ſequentibus diſputationibus, quæ variis articulis præſentis quæſtionis 19. ſancti Thomæ correſpondent vt ibi noto.

***

DISPV

DISPVTATIO LXI.

Qualiter voluntas Dei ſit immutabilis, & æterna?

SECTIO I. *Statuitur veritas catholica, & ratio dubitandi proponitur.*

SECTIO II. *Defenditur volitionis liberæ Diuinæ immutabilitas; vt conſtitutæ per connotationem extrinſecam iuxta veram ſententiam.*

SECTIO III. *Reſpondetur rationi dubitandi in ſectione primâ, explicaturque quomodo ſtet voluntatem Dei ab æterno eſſe, quantumuis conſtituatur ex connotatione temporali.*

SECTIO IV. *Proponitur vera ratio repugnantiæ, ne Diuina volitio libera in abſtracto ſumpta incipiat in tempore, etiamſi libertas Dei ſit ipſi adæquatè intrinſeca.*

SECTIO V. *Proponitur neceſſitas, vt aliqua volitio Dei in concreto ſumpta incipiat in tempore de nouo, conſtituaturque ex connotatione extrinſeca in omnium ſententia.*

Vide infrà qu.19.art.7. per 5. dubit.

DISPVTATIO iſta maximè neceſſaria eſt in maiorem explicationem meę ſententiæ de conſtitutione actuum liberorum, vt patebit ſect. ſequenti, examinaturque hic doctrina S. Thomæ in art. 7.

SECTIO I.

Statuitur veritas catholica, & ratio dubitandi proponitur.

1 *Deum immutabilem eſſe probatur ex Scripturis & Patribus.*

EA ſimpliciter eſt voluntatem Dei eſſe Immutabilem. Ita fides docet ex cap. 23. Numerorum *non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur: neque vt Filius hominis, vt mutetur*, Malach. 3. *Ego Dominus, & non mutor*, Prouerb. 19. *Multæ cogitationes in corde viri, voluntas autem Dei in æternum manet.* Et denique Iacobi 1. *Apud Deum non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*, hoc eſt neque vmbra mutationis. Quæ veritas apud catholicos non ſolum firma eſt de immutabilitate Dei quoad ſubſtantiam ſui eſſe, ſed etiam quoad variationem, & mutationem voluntatis. Sic Ambroſius in Pſal. 61. in medio commentarij, ait: *Immobilis dicitur, qui ſeruat immobilem voluntatem, & propoſitum aliquod intentione animi fidelis exequitur. Nam & Dei immobilem voluntatem legis ſicut habes ad Hebreos: In quo amplius Deus oſtendere volens hæredibus repromiſſionis immobilitatem voluntatis ſuæ, interpoſuit iuſiurandum: Rectè ergo immobilis voluntas Dei.*

2 Ex hac eadem veritate inferunt etiam Catholici voluntatem Dei, ſeu eius decretum omnino æternum eſſe, ita vt impoſſibile ſit Deum incipere velle quod prius non voluit, vel deſinere velle, quod prius voluit, verbi gratia, quatenus voluntas Diuina pro ſua libertate ſuſpenſa manſerit ab æterno & in tempore incipiat velle: vel è contra, ab æterno decretum habuerit quod ſuſpendat in tempore. Sic Auguſtinus lib. 12. Confeſſionum, cap. 15. à princip. *Nam dicetis falſa eſſe, quæ mihi veritas voce forti in aurem interiorem dicit de vera æternitate Creatoris, quod nequaquam eius ſubſtantia per tempora varietur, nec eius voluntas extra eius ſubſtantiam ſit? Vnde non eum modo velle hoc, modo velle illud, ſed ſemel, & ſimul, & ſemper velle omnia quæ vult, non iterum, & iterum, neque nunc iſta, nunc illa, nec velle poſtea quod nolebat, aut nolle quod prius volebat: quia talis voluntas mutabilis eſt, & omne mutabile æternum non eſt: Deus autem noſter æternus eſt. Item quod mihi dicitur in aurem interiorem expectatio rerum venturarum fit contuitus cum venerint idemque contuitus fit memoria, cùm præterierint, omnis porro intentio, quæ ita variatur mutabilis eſt, & omne mutabile æternum non eſt. Deus autem noſter æternus eſt: Hæc colligo, atque coniungo, & inuenio Deum meum, Deum æternum non aliqua noua voluntate condidiſſe creaturã, nec ſcientiam eius tranſitoriũ aliquid pati.*

Æternitas autem volitionis propoſita non ſolum intelligenda eſt de volitione in abſtracto; ſed etiam in concreto; nam in Deo non ſolum fuit entitas electionis ab æterno; ſed etiam *elegit* nos ante mundi conſtitutionem Epheſ. 1. ſicut non ſolum fuit in Deo entitas præſcientiæ; ſed *nouit Deus omnia antequam fiant* Daniel 14. & quidem nemo Catholicus audebit negare Deum eſſe ab æterno *prædeſtinantem*, ſicut & *præſcientem*, quæ omnia effectum formalem actus liberi in concreto ſignificant. Confirmatur maximè in præſcientia Dei. Ea proprietate, & rigore ſermonis, quo dicitur Deus modo præſcire peccatum Antichriſti, præſciuit etiam ab æterno; elegitque nos ante mundi conſtitutionem; ſed præſcientia Dei de peccato Antichriſti eſt in concreto; aliàs ſi Deus in concreto non eſſet *præſciens*, & *certus* de peccato Antichriſti; nos qui ex fide certi ſumus ſapientiores eſſemus, quam Deus: Ergo Deus ab æterno fuit in concreto præſciens, ne cum Cicerone ſacrilege faciamus Deum ab æterno ignorantem: Ergo ſcientia libera Diuina etiam in concreto ab æterno fuit, idem dicendum de diuina voluntate. 3 *Non ſolum fuit ab æterno ſcientia libera in Deo, ſed etiam fuit ſciens Deus ab æterno.*

Quare audiendus non eſt Antonius Delphinus vnus ex Patribus Concilij Trident. qui in lib. de rerum euentu pag. 23. defendit Deum poſſe, imo & de facto velle in tempore aliqua prius non volita; hæc enim exiſtimatio manifeſtè opponitur veritati nuper explicatæ vt iure P. Theophilus Reinaudus in Theologia naturali diſtinct. 8. qu. 2. n. 78. cenſeat longè eſſe tantum virum ab hac exiſtimatione: in eam tamen omnino abiere aliqui Nominales cum maiore 1. d. 39. qu. vnic. prop. 4. Rubione, & Gabriel. ibi, & quod mihi mirabilius eſt ita obſcurè loquitur P. Herice diſput. 20. de voluntate Dei, cap. 1. vt videatur aliquibus in eam ſententiam in reipſa coincidere dum §. 7. voluntatem Dei in ratione *efficacis*, ait non eſſe æternam, niſi tantum in ratione *ſufficientis*: Cum autem iuxta ipſum voluntas Dei ſolum in ratione efficacis ſit libera, videtur voluntatem vt liberam æternam negare. 4

Quod negandum eſſe non ſolum de poſſibili, ſed etiam de facto iuxta modum quo actum liberum Diuinum explicauimus diſput. præced. complectum, & inadæquatè conſtitutum ſaltem in concreto ex cum ratione extrinſeca hæc ratio dubitandi 5 *Ratio dubitandi in ſententia Authoris.*

ſuadet. Implicat dari conſtitutum ſine partibus conſtitutiuis, ſiquidem conſtitutum omnino indiſtinctum eſt à partibus conſtituentibus, ſic implicat dari hominem ſine corpore, aut anima. Ergo implicat dari ab æterno conſtitutum aliquod ſi ab æterno non dantur omnes eius partes conſtitutiuæ: ſic implicaret quod ab æterno daretur homo, ſi non daretur Corpus: tunc ſic, ſed iuxta ſententiam à me poſitam in diſp. præced. Actus liber in concreto: verbi gratia, *eligens*, vel *præſciens* conſtituitur ex actione creata, quæ ab æterno non eſt. Ergo neque erit ab æterno, ſed ſolum in tempore concretum, & conſtitutum *eligentis*, & *præſcientis*.

6 Confirmatur multipliciter ratio dubitandi propoſita: primo ſi actio ad extra nullo modo daretur abſolutè etiam deficeret denominatio *Præſcientis* vt patet reſpectu mundi non futuri. Ergo ſi non datur actio creata ab æterno actu ſaltem ab æterno non dabitur actu *Præſciens*, ſed de futuro. Confirmatur ſecundo, quia denominatio *creantis* conſtituitur ex creatione, & hæc ſolum datur in tempore ſolum in tẽpore dicitur Deus *Creans actu*, ab æterno autẽ ſolum de futuro. Ergo, &c. Conſeq. hæc ſuadetur quia concretũ *præſcientis*, vel *volentis* efficaciter ex eiſdem rebus conſtituitur, ac concretum *creantis*. Confirmatur tertio pro priori naturæ quo Deus intelligitur indifferens ad creandum nondum intelligitur *volens* in concreto, alias non eſſet indifferens ſed determinatus, tunc ſic. At non alia ratione Deus nondum eſt determinatè *volens* niſi, quia pro tunc nondum intelligitur actio ad extra; Ergo nec *erit volens* ab æterno, cum ab æterno actio ad extra non ſit. Confirm. 4. quia ſi Deus purè foret *voliturus* quo alio pacto hoc contingeret?

SECTIO II.

Defenditur æternitas, & immutabilitas volitionis liberæ Diuinæ vt conſtitutæ per connotationem extrinſecam iuxta veram ſententiam.

Vt ſtet Diuina immutabilitas, debet actus liber conſtitui per connotationẽ ſupradictam.

7 Ex veritate propoſita in ſectione præcedenti maximè probatur veritas, & ſoliditas noſtræ explicationis circa conſtitutionem actuum liberorum Dei. Nam iuxta meam explicationem promptè, & faciliter redditur ratio ob quam Deus titulo immutabilitatis nequeat in tempore de nouo velle, nequeatque volitio Diuina in tempore incipere, ſimiliterque ſcientia Dei, abſque diſpendio immutabilitatis Diuinæ vt infra patebit. Quæ ratio ab aduerſariis (ſi forte præberi poteſt) non ſine ſumma difficultate præſtabitur. Etenim iuxta ipſos benè cum immutabilitate ab æterno componitur, quod Deus iam ſit volens, iam nolens; Denique omnino idem eſt, ſiue ſit volitio, ſiue non ſit volitio in æternitate. Ergo idem ipſe erit in tempore, ſiue ſit volitio, ſiue non ſit volitio. Conſequentia patet; nam defectibilitas vel mutatio, quæ non obeſt immutabilitati ſecundum ſe acceptæ, neque obeſt immutabilitati in tempore, ſeu impotentiæ vt in tempore mutetur, etiamſi talis mutatio in tempore contingat. Ergo ſi denominatio intrinſeca volentis in tempore arguit mutationem in Deo, ſi ſit de nouo, etiam ſimilis denominatio intrinſeca, ſi ſit mutabilis, & contingens, arguet mutabilitatem in Deo. Ergo vt ſtet communior ratio & fundamentum Theologorum, quod titulo immutabilitatis implicet volitionem Dei incipere in tempore opus eſt vt actus liber Diuinus non conſtituatur adæquatè Deo intrinſecus.

Secundo ex parte æternitatis ſcientiæ Dei, quæ non poteſt in tempore incipere aliter confirmo meam ſententiam, & impugno ſcientiam liberam Dei poſſe eſſe adæquatè intrinſecam, nam ſi ita intrinſeca vt libera, & contingens conſtituatur ſcientia viſionis de peccato Antichriſti verbi gratia opus erit, quod Deus determinetur ad habendam talem ſcientiam in ipſa æternitate in qua peccatum Antichriſti non eſt, ſiquidem vt tenet communis ſententia ſocietatis, ideo Deus præuidet peccatum Antichriſti futurum, quia ipſum futurum eſt, & ex determinatione eiuſdem. Quis autem non difficiliter apprehendat, quo pacto peccatum Antichriſti, quando non eſt poſſit determinare Deum, vt habeat ſcientiam viſionis de illo; & quaſi producere, vel iuuare ad productionem talis ſcientiæ: etenim licet vna res quando non exiſtit conſtituere poſſit aliquam denominationem, & quaſi formaliter ad illam concurrere vt dicam ſectione ſequenti, at non poteſt impedire, vel iuuare quaſi efficienter phyſicam exiſtentiam, & productionem effectus, dum ipſa res phyſice non exiſtit; ſicut enim, licet non requiratur phyſica exiſtentia ad conſtitutionem in genere cauſæ formalis (cæcitas namque, quæ nihil eſt conſtituit formaliter *cæcum*) ad cauſandum tamen, efficienter requiritur exiſtentia. Ergo ad complendam, ſeu iuuandam virtutem cauſandi vt notaui tr. præc. de ſcientia Dei, diſp. 3. ſect. 8. 8

Tertio abſolutè patet veritas meæ ſententiæ, & quam aptè titulus immutabilitatis Diuinæ exigat æternitatem actuum liberorum Dei, ſi conſtituãtur iſti ex connotatione extrinſeca à me explicata. Nam imprimis ſi loquamur de volitione quantumuis efficaci; ſumpta tamen per modum formæ, & in abſtracto, vt ſic omnino neceſſaria eſt, intrinſecaque adæquatè Deo, & conſequenter indefectibilis, & immutabilis. Ergo non magis poteſt incipere in tempore, quam ipſa eſſentia Dei à qua eſt formaliter, & virtualiter indiſtincta volitio, qua Deus libere vult. Tunc ſic ſed vt Deus in tempore inciperet velle in concreto, opus erat vt ipſa volitio in abſtracto ſumpta inciperet in tempore. Ergo vt mutaretur Deus. Conſequentia hæc patet; Minor autem ſubſumpta probatur: vt Deus *velit* in concreto nil aliud requiritur, niſi quod detur futuritio mundi pro aliqua differentia temporis, & quod detur volitionis forma de præſenti; hoc eſt: *velle* in concreto indiſtinctum eſt à volitione efficaci ſumpta in abſtracto, quæ actu detur, & ab exiſtentia mundi quæ detur actu vel de futuro, quæ ſcilicet detur pro aliqua differentia temporis. At exiſtentia mundi vt futura nequit incipere in tempore, eo enim ipſo quod res ſemel eſt futura pro omni duratione antecedenti æquè habet futurum eſſe vt patet. Ergo vt *velle* incipiat in tempore opus eſt vt inciperet in tempore ipſa volitio ſumpta in abſtracto. Confirmatur niſi ſtet per defectum formæ volendi, ſeu volitionis in abſtracto æquè iſta poteſt Deum reddere *volentem* in concreto connotata futuritione effectus creati, ac connotata ipſa exiſtentia talis effectus, vt dicam ſectione ſequenti vbi oſtendam formam volendi poſſe eſſe ita perfectam vt nil aliud petat ex parte ſubiecti ad reddendum ipſum *volens* communicandumque eidem ſuum effectum formalem, niſi 9

Futuritio vt talis nequit incipere in tempore.

quod connotet futuritionem effectus voliti. Tunc ſic ſed futuritio ſi ſemel connotanda eſt, non poteſt non connotari ab æterno? ridiculum namque eſt fingere futuritionem Antichriſti incepiſſe hodie & non heri, quaſi hodie ſolum ſit verum futurum eſſe pro ſua differentia temporis,& non ſemper antecedenter habuerit ſic eſſe futurum. Item implicat omnino quod ſemel habuerit eſſe futurum verè, & quod poſtea non habeat ſic futurum, vel extiturum eſſe,ſeu exiſtere pro ſua differentia temporis; vt per ſe patet, Ergo ſiquidem forma volitionis in abſtracto nequit incipere in tempore neque ipſum *velle* in concreto, ſed neceſſario voluntas Dei omni modo implicat incipere in tempore ſeu quod Deus ab æterno quaſi ſuſpenſus manſerit. & in tempore *velle* incipiat, quin diſpendium patiatur infinita immutabilitas Dei.

10 Dices immutabilitatem, de qua in præſenti agitur, non eſſe in eſſe entis, ſeu phyſicam, ſed moralem, virtutis ſcilicet *conſtantiæ*, Prima namque ſatis adſtructa eſt à Theologis dum cum D. Thoma 1.part.quæſt.9. probatur in Deo attributum immutabilitatis. Igitur quidquid ſit de hac immutabilitate, vel potius hac ſuppoſita ſiue titulo neceſſitatis in eſſendo, ſimplicitatis omnimodæ, aut Actûs puriſſimi. Specialiter in hac quæſt. 19.de voluntate Dei agitur, ſit ne volens, qua volens immutabilis, quæ immutabilitas formaliter indiſtincta eſt à conſtantia, ſeu firmitate in decretis ſemel conceptis, inflexibilitateque qualem voluntas Angeli imitatur. Ita ſentit P. Suarez diſput.30. met. ſect.9. num.51. & 59. Vbi fatetur nil accidere imperfectionis phyſicæ contra immutabilitatis attributum, ex eo quod Deus inciperet velle in tempore, ſed ſolum contra *conſtantiæ* virtutem; eſſet enim quædam animi leuitas, & inconſtantia, ſi deſineret velle, quæ vult vel inciperet denuo, ab æterno remittens in tempus vltimam determinationem ſuæ voluntatis, & retorquebis hinc argumentum: mutabilitas in volendo quæ in tempore reiicitur à Deo, quia eſſet contra immutabilitatem, conceditur ipſi Deo ab æterno. Ergo non reiicitur titulo immutabilitatis phyſicæ, ſed moralis ſeu conſtantiæ. Conſequentia iſta ſuadetur: nam quia titulo immutabilitatis phyſicæ; quod recipiat intrinſecè aliquid de nouo in tempore negatur Deo etiam negatur ab æterno: & è contra quia mutari per denominationem extrinſecam in relatione *Domini*, aut *Creatoris* non mutaret Deum ab æterno, nec mutat in tempore de nouo adueniens.

11 Fateor hic formaliter non agi de phyſica immutabilitate, & in eſſe entis, quæ formaliter adſcribitur Deo titulo attributi immutabilitatis:nihilominus in hanc attributalem immutabilitatem reduci etiam conſtantiam, & firmitatem volitionis diuinæ, ratione cuius non poteſt volitio Dei incipere in tempore, patet clarè ex modo loquendi. S.Auguſtini citati §.2.& aliorum Patrum communiter vt benè expendit. P.Martinon.1.part. diſp.6. num.7. & hanc eſſe ſine dubio omnium ſanctorum Patrum mentem tenet Ruiz tom. de volunt. Dei diſput. 16. ſect.3. num.7. Et quidem, ſi conſtantia voluntatis diuinæ in attributum immutabilitatis non reducatur, nondum ſatis oſtendit, cur Deus in oſtenſionem ſuæ libertatis, ſicut potuit in tempore incipere creationem; hancque cum antecedenter ponere potuerit, nihilominus in hoc tempus reſeruauit; non poſſit etiam reſeruare ſuam volitionem: Etenim conſtantiæ virtus & inflexibilitas voluntatis ſolum petit ne in ordine ad idem inſtans contraria decernat,ne poſt ſemel conceptum decretum de aliqua re ab illo deſiſtat Deus quorum neutrum ſequeretur ſi Deus ſciens, & volens decerneret ab æterno habere nouum decretum in tempore. Addo præcipuè iuxta ſententiam contrariam non ſolum arguitiuè, ſed formaliter poſſe in tempore aduenire nouum prædicatum phyſicum Deo ſine mutatione phyſica: vti enim ſine hac reddi poteſt *volens* intrinſecè ab æterno, itemque vt Aduerſatij putant, etiam in tempore, cur non reddi poſſet in tempore de nouo verbi gratia *vnitus* intrinſecè, ita vt vnio temporalis hypoſtatica adæquatè identificaretur cum Deo, Deoque in tempore adueniret per identitatem hoc nouum prædicatum vnionis, quod ab æterno non habuit. Quod ſi hoc prædicatum nouum implicat Deo in tempore aduenire ſine diſpendio immutabilitatis phyſicæ, neque huic diſpendio ſatis ſit dicendo quod mutatio ſit tantum quoad denominationem purè terminatiuam,&c. Ergo ſimiliter implicabit prædicatum intrinſecum *volentis* in tempore. Ergo & ab æterno æquè enim immutabilitas phyſica excludit potius mutationem ab æterno,quam in tempore.

In ſententia contraria poteſt Deo aduenire in tempore aliquod prædicatum de nouo?

12 Dices ſecundo ego ipſe admitto ſine diſpendio immutabilitatis Dei mutabilitatem, ſeu variationem in Deo in volendo efficaciter ab æterno, futuritionem mundi, verbi gratia, nec tamen eam variationem admitto in tempore: Ergo variatio, quæ componitur cum immutabilitate phyſica Dei ab æterno, non componitur, ſi in tempore contingat. Reſpondeo concedo hanc conſequentiam, quando variatio in volendo venit, & completur à connotatione extrinſeca: ſecus quando variatio eſt adæquatè intrinſeca. Quando completur ex connotatione extrinſeca vt dixi in §.9. *Velle* Deum nil aliud eſt, quam forma volendi mundum, & iſtum exiſtere, ſeu eſſe futurum pro aliqua differentia temporis, cum autem in tempore, ſeu poſt quam ſemel futurus eſt mundus, nequeat non dari futuritio, nequeatque hoc concretum deficere ex parte connotati, conſequens eſt, vt ſi deficiat, defectus veniat ex intrinſeca volitione Dei; vnde & mutabitur Deus è contra vero loquendo ab æterno, quin deficiat volitio Dei, defectus venire poteſt ex eo quod mundus non ſit futurus, vnde poteſt mutatio eſſe purè extrinſeca,quæ nil officit immutabilitati Dei. Iam vero ſi *velle* liberum Dei ſit adæquatè intrinſecum æquè ſemper ſiue in tempore ſiue ab æterno eodem modo, & ex eodem capite deficit. Ergo non eſt ratio cur potius ſi contingat in tempore obſtet immutabilitati Dei, quam ſi ab æterno.

Cur potius volitio libera ab æterno non ſit contra immutabilitatem, ſecus in tempore incipiens.

SECTIO III.

Reſpondetur rationi dubitandi in ſectione prima explicaturque quomodo ſtet voluntatem Dei liberam ab æterno eſſe quantumuis conſtituatur ex connotatione temporali.

13 VT reſpondeam noto: licèt forma non poſſit communicare ſuum effectum formalem phyſicum, & realem, quando ipſa forma non exiſtit phyſicè, & realiter: benè tamen poſſe ad communi-

Forma vt det effectum phyſicum

debet phyſice exiſtere, ſe- cus conditio.

municandum hunc effectum realem requirere diſpoſitionem vel quaſi diſpoſitionem ex parte ſubiecti non realem; ſic amicitia ſupernaturalis, ſeu gratia vt reddat *amicum* requirit carentiam peccati, & eadem gratia vt tanquam forma condonandi intrinſecè reddat hominem *reconciliatum* Deo requirit præteriiſſe peccatum in inſtanti antecedenti. Ex quo ſimiliter non repugnabit quod detur aliqua forma, quæ vt communicet ſuum effectum formalem requirat tanquam diſpoſitionem, vel conditionem, non quidem rem actu exiſtentem, ſed futuram ita vt pro huius futuritione, vel carentia reddat talis forma nunc de præſenti hunc vel alium effectum formalem oppoſitum. Id patet à paritate effectus *reconciliati*, cum non minus diſtet ab actuali præſentia præteritio, quam in peccato requirit forma reconciliandi, ac diſtet futuritio. Quod patet etiam ex aliis denominationibus vel effectibus formalibus, qui dicuntur dari de præſenti verè, & realiter eo ſolum quod de præſenti detur forma connotans futuritionem: ſic propoſitio de obiecto futuro nunc de præſenti dicitur *vera*: nos dicimur *priores* Antichriſto eo quod iſte ſit futurus quemadmodum dicimur *poſteriores* Adamo eo quod iſte præterierit, vereque, & realiter *ſenex* eſt hodie quis ab annis præteritis, qui hodie non dantur, & hic dicitur, *diſtans* quam denominationem vt det hæc præſentia requirit, ſeu connotat vbicationem loci remoti.

14 Noto ſecundo conſequenter poſſe aliquam formam communicare ſuum effectum formalem eo præciſè quod connotatum aliquod vel diſpoſitio ſit de futuro purè, vel purè de præterito, non ſolum abſoluto, ſed etiam conditionato. Id patet tum ex dictis quia non minus diſtat ab exiſtentia præſenti futuritio abſoluta, quam conditionata, cum neutra ſimpliciter ponat aliquid actu in eſſe. Secundò patet in veritate propoſitionis de futuro conditionato. Tertiò in redemptione ſpeciali, & excellenti, qua potitur beata Virgo, eo quod acceperit formam gratiæ in primo ſuæ conceptionis inſtanti per merita Chriſti Domini, gratiam inquam connotantem quod futurum foret peccatum originale ex vi præſentis diſpoſitionis, niſi eam ſpecialiſſimè Chriſtus Dominus præſeruaſſet. Vnde nunc de præſenti Beatiſſima Virgo abſolutè *redempta* dicitur à forma præſenti, cum futuritione conditionata. Quartò denique conſilium aliquod vel finis cenſetur hic, & nunc abſolutè mouere eo quod connotet defectum conditionatè futurum, verbi gratia, tunc cenſemus conſilium Petri induxiſſe Paulum ad quidpiam agendum, non vero conſilium Franciſci, quando conſilium Petri tale fuiſſe cogitamus vt Petro ſolum conſulente opus ageretur à Paulo non acturo conſulentibus licèt aliis: Ergo eo ipſo quod conſilium vel finis ita connotet defectum conditionatum operationis, quod ſcilicet voluntas non operaretur ſi non adſtaret talis finis, iam iſte cenſebitur mouere, & conſequenter in ratione mouentis, ſeu vt communicetur voluntati effectus formalis *mota* à tali fine opus eſt vt connotetur aliquid purè conditionatum.

Conditio poteſt requiri purè de futuro,

15 Noto tertiò dicta in notatis præcedentibus non procedere in quibuſlibet effectibus formalibus, id eſt per ſe notum, neque enim datur actu *album*, eo quod ſola actu exiſtat albedo, licèt futurum ſit ſubiectum: requiritur ergo vt forma ſufficiat, & complecatur ex connotato abſenti, quod vel effectus ipſe formalis, & denominatio imbibat abſentiam: vt eſſe *ſenem* dicit annos præteriiſſe eſſe *diſtantem* hic à loco Romano, non eſſe hic Romam: vel id contingere poteſt ob ſummam perfectionem formæ, quæ ita in ſe completa eſt vt minimam diſpoſitionem, vel connotationem ex parte ſubiecti exigat; cum enim aliquæ formæ tales ſint, vt nullam prorſus diſpoſitionem expectent ſic viſio creata denominat intellectum videntem, ſiue detur obiectum, ſiue non; cur repugnabit alia forma, quæ contenta ſit ad denominandum ſola futuritione modo ſupra explicato?

Hæc eueniūt in aliquibus effectibus formalibus,

Hinc ad rationem dubitandi in ſect. 1. licèt, quod attinet ad ſcientiam abſolutam viſionis facilè reſpondere poſſem iuxta à me dicta, diſput. 48. Deum ratione æternitatis ſimul occupare omnia tempora, vt æquè primò præſens fuerit diei heſterno, & hodierno, toti æternitati, ac noſtro tempori, ſicque phyſicè ſemper ſit coexiſtens actioni temporali, quam connotat; ac proinde ſicut nunquam exiſtit abſens à connotato ita poſſe & debere ſimpliciter dici *præſcientem*: quod ſi non dicitur ſemper *creans* abſolutè ideo eſt quia *creans* dicit coexiſtentiam creantis commenſuratam durationi creationis. Licèt inquam ſic reſpondere poſſim de ſcientia viſionis, nihilominus, quia doctrina iſta non adeò communis eſt, & præcipuè locum non habet in ſcientia conditionata, qua Deus ex connotatione futuritionis conditionatæ dicitur nunc de præſenti; *Præſciens* conditionatam futuritionem, cui tamen nullo modo nunc actu de præſenti coexiſtit. Ob hæc reſpondendum eſt iuxta notata modo præmiſſa. Quemadmodum denominatio, ſeu effectus formalis cadit ſolum ſupra vnum extremum, licèt in re conſtituatur ex alio, vt patet in omnibus relationibus diſquiparantiæ, ſolus generans dicitur *Pater* licèt in obliquo conſtituatur ex Filio. Solus vnus dicitur *dexter* licèt conſtituatur ex ſiniſtro. Solus actus peccati dicitur *malus* licèt conſtituatur ex concurſu indifferenti, vel non condonatione Dei. Rurſus quemadmodum in ſolo intellectu datur veritas, non in obiecto extrinſeco, in ſolo centro terræ datur ſumma diſtantia à cœlo, non in cœlo ipſo, quamuis obiectum externum conſtituat veritatem, & cœlum diſtantiam. Cur ſimiliter non dabitur in æternitate denominatio *præſcientis* licèt in æternitate non ſit futuritio creata, quæ illam denominationem conſtituit? Cur poterit dari denominatio in hoc loco licèt in hoc loco non ſint omnia conſtitutiua, & non poterit dari in hoc tempore, licèt in illo aliquod conſtitutiuum non ſit vt vidimus §. 13. 16

Igitur in forma ad rationem dubitandi in §. 5. dico ab æterno non dari conſtitutum ſecundùm ſe totum, adæquatè, & ex omni parte coaleſcens, nihilominus ſimpliciter dari denominationem *præſcientis*; ſunt enim aliquæ denominationes, quæ permittunt abeſſe, imo exigunt abſentiam alicuius conſtitutiui in obliquo, & per modum diſpoſitionis, vt nuper vidimus; licèt non permittatur in aliis: prioris conditionis eſt denominatio *præſcientis* in Deo; cum enim quoad totam formam & lineam repræſentandi detur ab æterno, quæ ſola in creatis ſufficeret præbere integram denominationem præſcientis non mirum, quod in Deo ſufficiat, licèt non exiſtat ab æterno connotatum, quia hoc ſolum requiritur vt talis denominatio contingens eſſe poſſit. Iam vero denominatio *creantis*, vt conſtat ex §. præcedenti, ſimiliterque ly *homo* neceſſario imbibit ſimultatem partium. Hinc patet ad argumentum in §. 5. ad confirmationes in 17

Deus ab æterno eſt præſciens, licèt non exiſtant ab æterno omnia conſtitutiua præſcientiæ.

nes in §.6. manifeſta etiam eſt ſolutio ad 1. inſtatur in denominatione: *ſenis*; quæ nullo modo datetur, ſi omnino deeſſent anni, & tamen datur etiam quando anni non ſunt præſentes, quæ inſtantia etiam eſt contra alias confirmationes. Igitur futuritio actionis creatæ omnino deeſt, ſi nullo modo datetur actio creata non vero deeſt, vti requirit ly *Præſciens*, etiam ſi non detur actu. Ad 2. patet ex §. præced. Ad 3. ly *Præſciens*, & *volens* detractam requirit futuritionem; hæc autem determinatio bene datur pro priori, ſeu in priori temporis, non vero pro priori naturæ, vt mille inſtantiis patet. Nam homo non eſt *ſenex* vt præſcindit ab annis præteritis, neque ideo tamen vt *ſenex* requirit quod tunc actu exiſtant anni. Rurſus centrum mundi non eſt *diſtans* in loco *A* vt præſcindit à cælo, neque ideo requirit exiſtentiam cæli in loco *A* ſed pro ſua differentia temporis; ita in præſenti requiritur actio vel effectus creatus vt Deus ſit *volens* ab æterno pro ſua differentia temporis. Ad 4. Confirm. conſtabit ex §.19.

18 Obiicies 1. datur in Deo ab æterno decretum de ſe indifferens, vt exiſtat hoc obiectum vel oppoſitum, qualis eſt voluntas præparatiua concurſus indifferentis, vel etiam disiunctiua operationis vel carentiæ operationis. Reſpondeo pro iis & ſimilibus decretis ab æterno, exiſtentibus etiam dari futuritionem determinatam alicuius connotati, non quidem operationis, quam dicitur disiunctiuè, vel indifferenter velle ſed alterius connotati compoſſibilis cum vtroque contradictionis extremo, de quo plura dicam diſputatione 63. ſectione 5.

19 Obiicies 2. ergo ſimiliter cognitio Angelica hodierna de Petro poteſt dici ſcientia de ipſo futuro cras, ob connotationem futuritionis craſtinæ. Vnde concedenda erit Angelo naturalis præſcientia futurorum, cum naturaliter habeat cognitionem connotantem, quod euentus futuri ſint. Reſpondeo vt cognitio ex ſola connotatione obiecti ſufficiat ad denominandam potentiam cognoſcentem, opus eſſe vt in linea cognoſcendi ſit adæquata vt dixi diſputatione præced. §.36. hoc eſt, vt ſit imago, & repræſentatio futuritionis exercitæ; talem autem cognitionem, & imaginem non habet Angelus de futuro vt tali, antequam ſit, ſicut neque habet ſpeciem impreſſam omnino completam cuius rationem do in materia de Angelis, quia in ſpecie impreſſa, & à fortiori in expreſſa ſeu cognitione imaginis, & repræſentationis titulus venit ab obiecto, hoc autem nec per ſe, nec per aliud debet concurrere quando non exiſtit, ob quod naturaliter non poteſt Angelo infundi ſpecies impreſſa completa in abſentia obiecti. Ergo neque expreſſa ſeu cognitio. Hinc cognitio Angelica cum non ſit imago de futuritione non denominabit quantumuis futuritionem connotet. Et idem dicendum eſt quando connotat exiſtentiam ſecretorum cordis, cum neque iſtorum ſit perfecta, & intuitiua imago, vt dicitur in eadem materia de Angelis, vbi huius rei rationem præſtabo.

***

SECTIO IV.

Proponitur vera ratio repugnantiæ, ne Diuina volitio libera in abſtracto ſumpta incipiat in tempore, etiamſi libertas Dei ſit ipſi adæquatè intrinſeca.

NE veritas adeo firma immutabilitatis, & æternitatis decreti liberi Diuini in ambiguo maneat, ſolique vni opinioni nitatur, confirmanda eſt in omnium ſententia, & ſtabiliendum etiam in ſententia aduerſariorum ſtatuentium volitionem liberam Dei, licet Deo adæquatè intrinſecam, eſſe tamen defectibilem ſine defectu immutabilitatis Dei: ſtabiliendum inquam eſt etiam in hac ſententia, non poſſe volitionem liberam Diuinam in tempore incipere, ſeu non poſſe non æternam eſſe: id quod primo patet à paritate immenſitatis. Quia Deus vbique eſt, & immenſus, non poteſt eius volitio, quantumuis libera eſſe in vno loco, & non in alio. Ergo ſimiliter, cum Deus ratione æternitatis ſit in omni tempore, non poterit eius volitio libera eſſe in vno tempore, & non in alio, & conſequenter ab æterno erit. Conſequentia hæc probatur, nam volitio quantumuis libera ideo neceſſario eſt immenſa, quia ipſa volitio identificatur cum forma immenſitatis, & aliunde nullam incapacitatem affert, vt recipiat effectum formalem *immenſæ*, (quo differt ab effectu *neceſſariæ*, nam huius effectus formalis capax non eſt volitio libera, vt patet; vnde licet identificetur cum forma *neceſſitatis* neceſſaria non euadet.) Sed ſimiliter ſi volitio libera identificetur cum Deo, identificatur cum forma æternitatis; & aliunde negari non poteſt in ipſa capacitas, vt ab æterno ſit, Ergo: Confirmatur, Deus quantumuis liber ſit, non poteſt in exercitium ſuæ libertatis, ac pro ſuo placito habere volitionem in hoc loco, & non in illo licet poſſit omnino non habere, ſeu nullibi habere. Ergo neque habere in hoc tempore, & non in illo licet titulo libertatis poſſit omnino non habere, ſeu nunquam habere. 20

Statuitur Diuina immutabilitas in decretis iuxta conſtituentes actu liberum formalitate intrinſeca defectibili, eſtq; diturque repugnantia decreti incipientis in tempore.

Secunda ratio repugnantiæ, vt volitio Dei incipiat in tempore, ſit. Implicat volitio Diuina, quæ non poſſit eſſe ab æterno, ſeu quæ ſit incapax vt ſit æterna. Sed ſi poſſet aliqua volitio incipere in tempore implicaret, ſeu incapax eſſet, vt ab æterno haberetur. Ergo implicat, quod volitio Dei incipiat in tempore. Conſequentia patet. Maior à nullo negatur, licet enim dubitetur, an volitio Diuina poſſit incipere in tempore, nullus tamen reuocauit in dubium poſſe etiam eſſe ab æterno, & certè alioqui, & talis volitio imperfecta foret, & libertas Dei non parum minueretur, cum non poſſet ab æterno habere talem volitionem. Minor quod ſcilicet, ſi volitio inciperet in tempore, non poſſet ab æterno haberi probatur ex hoc principio, quo latius in opere philoſophico oſtendam implicare creaturam ab æterno & in ſumma S.Th. infra quæſt. 10. §. 21

Implicat quòd aliqua res ſit ab æterno, ſi talis ſit res, vt non implicet præcedi à ſua carentia, ſeu ſi ante illam non repugnat eiuſdem carentia præceſſiſſe. Sed eo ipſo quod volitio libera Dei poſſit incipere in tempore iam non repugnat præcedi à ſua carentia. Ergo implicat ea volitio eſſe ab æterno. Conſequentia, & minor manifeſtæ ſunt. 22

Nequit decretum Dei eſſe ab æterno, ſi ipſum poteſt præcedere ſui carentia.

Maior probatur, nam eo ipſo quod carentia ſecundum ſe non repugnet præcedens exiſtentiam rei, quantumuis res exiſtat, non repugnabit quod actu præcedatur à ſua carentia; etenim carentia ſolum repugnat cum exiſtentia, vel ratione eiuſdem inſtantis, vel ratione intrinſecæ, & eſſentialis repugnantiæ, quam exiſtentia rei dicit cum carentia ſecundum ſe. Ergo ſi res non habet intrinſecam repugnantiam cum ſua carentia abſolutè, nec habebit repugnantiam cum carentia antecedenti, ſiquidem eo ipſo iam carentia non eſt in eodem inſtanti. Et conſequenter talis res non erit omnino ab æterno, ſeu excludens omnem ſui carentiam ab æterno. Dices ea carentia eſſet in eodem inſtanti cum re non enim poteſt eſſe antecedenter, cum res illa ſit ab æterno. Sed contra hinc intendo talem rem non poſſe eſſe ab æterno, nam non eſt excogitabilis repugnantia vlla in præcedentia huiuſmodi carentiæ ſi permittatur in infinitum: quo enim pacto excogitari poteſt impoſitum limitem in præcedentia, ſeu antecedentia carentiæ ad rem, ſi res poteſt antecedi in infinitum, ſicut è contra quo pacto poteſt eſſe excogitabilis impoſitus limes in ſubſequentia carentia, vt ſc. poſt aliquã carentiam, iam repugnet ſubſequi res, ſi ſubſequentia carentiæ permittatur in infinitum; alias non implicaret concipi in duratione pœnarum Iudæ aliqua ita ſubſequens vt poſt ipſam non reſtaret alia. Confirmatur, nam rogo quo argumento credis mundum productum ſex mille abhinc annis non fuiſſe productum ab æterno, niſi quia apprehendis nullam eſſe repugnantiam in carentia antecedenti? At in omni ſuppoſitione de mundo idem datur fundamentum non repugnantiæ; ſi enim quod poſt primum illud inſtans initiatiuum mundi reſtent adhuc infinita multiplicanda inſtantia adhuc non impediunt ſua multitudine poſſibilitatem carentiæ antecedentis, cur ſimiliter, non idem dicetur in omni euentu. Ergo vt volitio libera diuina poſſit eſſe ab æterno, opus eſt vt dicat intrinſecam, & eſſentialem repugnantiam, vt præcedatur à ſua carentia. Neque obſtas, ſi opponas carentiam mundi fuiſſe ab æterno, & tamen nulla eſt repugnantia in eo quod ante hanc carentiam detur mundus, & in eo quod carentia à mundo præcedatur. Reſpondeo namque id verum eſſe de hac carentia temporali, & ideo iſta carentia nequit eſſe ab æterno. Iam vero è contra carentia, quæ ſemel eſt ab æterno nequit eſſe in tempore, item nequit præcedi à mundo, vt enim præcederetur deberet mundus eſſe ab æterno quod implicat vt dixi. Sed de hoc plura in Philoſophia.

23 Ex datis rationibus arguitur Deum phyſicè mutabilem eſſe, ſeu mutandum iri, ſi noua volitio inciperet in tempore; ſiquidem eo ipſo talis volitio neque eſſet identificata cum æternitate, nec poſſet haberi ab æterno; vnde neque increata eſſe poſſet, neque infinita, Deus autem neceſſario mutaretur ſi reciperet formam creatam, & finitam. Ergo ex datis rationibus Dei volitio nequit incipere in tempore ſine eo quod arguatur Deus mutabilis. Vt autem immediatè, & formaliter titulo immutabilitatis phyſicæ Dei oſtendatur repugnantia, vt volitio libera diuina (etiam in hac ſententia ſtatuente Deo adæquate intrinſecam libertatem) incipiat in tempore, etiamſi immutabilitati non officiat, quod Deus ab æterno adæquatè intrinſecè ſit liberè *volens*.

Arguo tertio ex dicendis diſput. 69. Ideo Deus modo non *mutatur* per volitionem, quam habet de mundo, nec *diuerſus* foret, quantumuis loco volitionis habuiſſet ab æterno nolitionem quia talis nolitio nullum habet conceptum obiectiuum abſolute affirmabilem diuerſum à volitione, nec licet in alia hypotheſi nolitio abſolutè exiſteret, ſicut modo exiſtit volitio conceptum nouum obiectiuum afferret; nam iſte quaſi tranſitus, & mutatio fieret per identitatem, toto conceptu volitionis redacto in nolitionem, ita vt per identitatem ex conceptu, qui nunc eſt volitio fieret nolitio, volitioque in nolitionem identitatiuè conuerteretur: vti dicam diſputatione citata. Tunc ſic ſed iſte tranſitus per identitatem intelligi nequit, ſi volitio incipiat in tempore. Ergo nec immutabilitas. Minor in qua modo eſt difficultas ſuadetur. Nam ſi volitio incipiat in tempore. Iam nolitio de tali volitione vſque ad illud tempus extitit ab æterno; Deus enim ſuſpendere nequit volitionem liberam, niſi per nolitionem oppoſitam, ſiquidem nequit habere puram omiſſionem. Ergo iam nolitio habet conceptum abſolute affirmabilem diuerſum, & diſtinctum à volitione nam eo ipſo quod aliquis conceptus abſolutè exiſtat iam eſt abſolute affirmabilis; Ergo ſi nolitio, & volitio abſolutè exiſtunt, iam erunt duo conceptus, At implicat vnum conceptum abſolute talem in alium per identitatem conuerti, licet enim vnus conceptus poſſit tranſire in alium per identitatem, dum primus non eſt diſtinctus ſimpliciter, nec ſimpliciter affirmabilis eſt in rerum natura, ſed ſolum ſecundum *quid*. Vti eſſentia Angeli iuxta veriorem ſententiam (quæ vt eſſentia, ſeu in ſtatu eſſentiæ neque eſt ſimpliciter in rerum natura, nec ſimpliciter imbibit diſtinctum conceptum ab exiſtentia) tranſit in identitatem cum exiſtentia. Nihilominus iſta conuerſio identitatiua non eſt permittenda inter conceptus ſimpliciter diſtinctos. Ergo illa nolitio æterna nequiret conuerti in volitionem temporalem. Ergo per iſta aliquid nouum adueniret Deo, & conſequenter phyſicè mutaretur. 24

Quarto denique dici poteſt immutabilitatem Dei lædi ſpecialiter per volitionem, quæ in tempore incipiat; tum quia immutabilitatis perfectio duo dicit, & ſimpliciter aliter ſe habere non poſſe, & non potuiſſe ſe aliter haberi, ſeu eſſe omnino impoſſibile, quod habuerit alia prædicata intrinſeca, quam ea, quæ nunc habet. Iam ex volitione in tempore vtraque perfectio periclitatur. Ergo ſpecialiter læditur immutabilitas. Præterea etiam volitio incipiens in tempore facit de Deo affirmari aliquod prædicatum, quod negabatur ab æterno, ex hoc autem datur quaſi tranſitus à non eſſe ad eſſe, à negatione ad affirmationem, qui apertiſſima mutatio eſt, & ab æterna volitione Dei quantumuis libera non proueniret; ergo immutabilitas Dei ſpecialiter repugnat inceptioni volitionis diuinæ in tempore; inceptioni inquam in abſtracto: Nam inceptio, ſeu nouitas in concreto benè permitti poteſt vt patebit ſectione ſequenti.

***

SECTIO

SECTIO V.

Proponitur neceſſitas vt aliqua volitio Dei in concreto ſumpta incipiat de nouo in tempore; conſtituaturque ex connotatione extrinſeca in omnium ſententia.

26 *Volitio aliqua Dei in concreto ſumpta incipit in tempore.*

HOc eſt ſiue in ſententia ſtatuente denominationem *volentis* liberè vndequaque Deo intrinſecam, ſiue in noſtra ſententia, quæ licèt volendi formam, ſeu volitionem in abſtracto adæquatè cum Deo identificat indefectibiliter, effectũ tamen formalem *volentis*, ſeu volitionem in concreto conſtituit ex connotatione alicuius extrinſeci realiter defectibilis. In vtraque inquam ſententia aliquam ſaltem denominationem *volentis* non fuiſſe ab æterno, ſed in tempore incipere, & ex tempore Deum eſſe ſpecialiter volentem ſic probatur facta prius præmonitione me in hac ſectione ſolum tentatiuè procedere, dum non diſpliceat melius ſentientibus, & intelligentibus veritatem fidei, quam ante omnia firmam volo; quod Dei volitio nequeat incipere in tempore.

27 Igitur ſic arguo: Odium Dei inimicitiæ circa peccatorem, ſeu hoc quod eſt Deum odio habere inimicabili peccatorem non eſt æternum: Ergo Deum ſic *amare*, vel *odio habere* eſt in tempore, non quoad intrinſecum Dei vt docet fides: Ergo quoad extrinſecum connotatum, & conſequenter omnes admittere debent etiam aduerſarij volitionem liberam Dei, licèt non in abſtracto, in concreto tamen poſſe conſtitui ex extrinſeca connotatione. Hæ omnes conſequentiæ manifeſtæ ſunt: Primum antecedens probatur, verbi gratia, reſpectu S. Petri Deus nunc eſt verus amicus: Ergo non ſeruat odium inimicitiæ, ſaltem modo apto vt denominetur Deus in concreto odio habens, & inimicus: non enim eſt verus amicus, qui antiquam inimicitiam ſeruat.

Nunc Deus non eſt odio habens S. Petrum pro illa differentia temporis.

28 Dices, Deus ſeruat odium non pro nunc, ſed pro tempore negationis S. Petri. Sed contra primò ergo Deus eodem modo manet inimicus S. Petri nunc, ac tempore negationis, etenim tunc ſolùm habebat odio pro tempore negationis; hodie per te manet in eodem odio, & eadem ratione, quid ergo eſt ſinceræ amicitiæ ex parte Dei. Secundò in creatis verus amicus non ſolum deponit, & obliuiſcitur iniuriæ pro nunc, ſed & pro tempore antecedenti; Amicuſque ſincerus qui perfectè condonat, ita ſe habet cum iniuriatore, ac ſi nunquam peccaſſet, omnino deponit odium, vt ſignum fictæ condonationis ſit, ſi odium maneat altà mente repoſtum. Tertiò è contra Deus nunquam exercuiſſet veram, & ſinceram amicitiam cum Iuda; cum haberet iam conſilium, & intentionem inferendi illi maximum malum damnationis ex vero odio in futurum: Verus autem amicus nil odiſſe debet in futurum; nil mali ex vero odio facere, aliàs doloſæ amicitiæ arguetur.

29 *Diuerſa ratio eſt de volitione Diuina in concreto, & in abſtracto.*

Dices, eo ipſo quod odium inimicitiæ circa D. Petrũ non ſit in Deo in ordine ad hoc nunc, quod de præſenti, & ſimpliciter eſt, non dicitur abſolutè Deus iam inimicus, neque odio *habere*, ſed *habuiſſe*. Sed contra actus odij ſimpliciter eſt in Deo, & quidem de præſenti, & tamen de præſenti non denominat vllo modo, neque enim ſolum de Deo negatur nunc eſſe inimicum pro nunc, ſed etiam negatur eſſe inimicum nunc pro tempore negationis, aliàs maneret Deus memor iniuriæ. Ergo poteſt in Deo ſtare volitio, quin denominet *volentem*, & conſequenter diuerſa ratione diſcurrendum eſt de volenti in concreto, ac in abſtracto: Ergo Deus vt in concreto inimicus, ſeu actu habens odio non eſt ab æterno, ſed in tempore incipere poteſt, & deſinere eſſe *volens* affectu amicitiæ, vel inimicitiæ prout ſcilicet connotat exiſtentem abſolutè durationem peccati, vel eius carentiam, verbi gratia, duratio B, pro qua Deus amat S. Petrum pœnitentem conſtituit Deum in ratione *amantis* amicabiliter; ſicut è contra duratio A, requiritur vt Deus *oderit* inimicabiliter. Quæ duratio A, cum iam tranſierit ſimpliciter Deus deponit odium, nec perſiſtit in illo.

Obiicies primò amorem amicitiæ, & inimicitiæ eſſe ab æterno in Deo iuxta Rom. 9. *Antequam quidquam boni, aut mali egiſſent, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Ita etiam Auguſt. tract. 110. in Ioan. *Incomprehenſibilis eſt dilectio qua diligit Deus, neque mutabilis. Non enim ex quo ei reconciliati ſumus per ſanguinem Filij eius, cæpit nos diligere, ſed ante mundi conſtitutionem dilexit nos.* Et poſt pauca quæ in eundem ſcopum ſcribit hęc addit ad præſentem appoſitiſſima: *Habebat itaque ille erga nos charitatem, etiam cum inimicitias aduerſum eum exercentes operaremur iniquitatem: & tamen ei veriſſimè dictum eſt. Odiſti Domine omnes, qui operantur iniquitatem. Proinde miro, & Diuino modo, & quando nos oderat diligebat.* Reſpondeo: illa dilectio ab ęterno, de qua Apoſtolus, non eſt ſtrictæ amicitiæ, ſed ſummæ electionis & deſtinationis pro libito Dei ad maxima bona, quæ iam ab ęterno volebat Deus Iacobo, & non Eſau. Ad teſtimonium Auguſtini dico: dilectio Dei eſt immutabilis intrinſecè, & in abſtracto, ſicque non eſt ſicut noſtra; quod ſi velis Auguſtinum loqui de dilectione in concreto, quia dicitur Deus ante mundi conſtitutionem nos *dilexiſſe* quod verbum in concreto dilectionem ſignificat. Reſpondeo non intelligi de dilectione ſtricte amicabili, iſta enim reſpicit, tenditque in perſonam potentem redamare, quales non eramus nos ante mundi conſtitutionem; accipiendus ergo eſt Auguſtinus de dilectione deſtinante nos ad amicitiam perfectam in futurum; quod ipſe Auguſtinus indicat dum dicit hanc dilectionem non incepiſſe: *Ex quo reconciliati ſumus.* Igitur ſentit amorem reconciliatiuum, ſeu amicabilem diuerſo tempore incepiſſe, ac amorem, quo vtcumque *dilexit* nos ante mundi conſtitutionem. Si vero vrgeas alia verba Auguſtini, quæ charitatem, ſeu amicitiam ponunt in Deo etiam quando exercebamus iniquitatem. Reſpondeo Auguſtinum non loqui de charitate prout dicit amorem amicabilem, ſed præciſè prout dicit amorem, quaſi phyſicum noſtri, quatenus ſumus opus eius. Vnde conſequenter ad verba relata addit: *Quando nos oderat diligebat: oderat enim nos, quales ipſe non fecerat. Et quia iniquitas noſtra opus eius non omni ex parte conſumpſerat; nouerat ſimul in vnoquoque noſtrum, & odiſſe quod feceramus, & amare quod fecerat.* Et quidem D. Auguſtinum non loqui de amore amicabili; vel inde certum debet eſſe, quia amorem iſtum non ſolum ſubiectiuè, ſed etiam obiectiuè ſtatuit pro eodem inſtanti; vt Deus erga nos charitatem exerceat etiam pro eodem inſtanti in quo nos peccamus; hoc autem intelligi nequit vt patet de amore amicitiæ, quæ implicat in Deo 30

eſſe

eſſe erga nos pro inſtanti, pro quo ſub peccato ſumus.

31 Obiicies ſecundo Deus ab æterno habet aliquem affectum liberum erga Iudam, quem præuidet peccantem pro tali inſtanti: Sed iſte affectus nequit eſſe amoris amicitiæ, imo nec vllius amoris, ſapient. 14.9. *Odio ſunt Deo impius, & impietas eius.* Ergo iam ab æterno habet Deus erga Iudam odium inimicitiæ; Similiterque habebit amorem amicitiæ pro ſua differentia temporis. Confirmatur, Deus æquè primo ex parte ſua præſens eſt tempori futuro ac præſenti, vt reſpectu Dei nulla præſentialitas accedat eo quod de præſenti intrinſecè, ſit res actu in rerum natura, vel ſolum futura ſit, vt enim dixi in tract. de ſcientia Dei Deus ſemper, & æquè præſens, & coëxiſtens actu eſt creaturis preſentibus intrinſecè, vel futuris, aut præteritis Vnde & eiſdem denominationibus aptus eſt Deus in vno tempore, ac in alio. Sed in tempore peccati Iudæ eſt Deus actus inimicus, eumque *odit* ergo & ab æterno. Confirmatur ſecundo in actu ſcientiæ, quo Deus non ſolum affirmat *in inſtanti. A. exiſtit Iudas* ſed abſolutè & ſimpliciter ſine addito affirmat: *exiſtit* nunc, quæ affirmatio exiſtentiam obiecti ſimpliciter requirit, & à nobis nulla ratione dicitur, niſi exiſtente ſimpliciter, & intrinſecè obiecto in rerum natura; non minùs quam odium, vel amor amicitiæ petit exiſtentiam perſonæ in quam odium, vel amorem amicabilem exercemus. Ergo ſicut illa ſcientia Dei etiam in concreto datur ab æterno, ſimiliter & odium inimicabile in Iudam. Reſpondeo affectum illum quem habet Deus erga Iudam pro inſtanti pro quo præuidet eum ab æterno peccantem non eſſe amoris, at neque eſſe ſimpliciter inimicitiæ, ſed ſimplicis diſplicentiæ, & odij liberi abominationis, quod tamen pro ſua differentia temporis, accedente ſcilicet inſtanti traditionis, & Apoſtaſiæ redditur ſimpliciter odium inimicitiæ, quia redditur odium in perſonam abſolutè inimicam.

32 Ad primam confirmationem fateor Deum iam ex ipſa æternitate eſſe coëxiſtentem, & præſentem futuris temporibus, & rebus omnibus creatis. At non ideo ſubiacet Deus ab æterno; ſeu capax eſt, & aptus omnibus denominationibus, quas habebit in tempore, neque enim ab æterno dicitur *Creator, Redemptor, Homo*, &c. Quia ſcilicet hæ denominationes tales ſunt vt non ſolum imbibant coëxiſtentiam extrinſecam, ſeu ex parte Dei, ſed intrinſecam, & abſolutam exiſtentiam creaturarum; iſtiuſmodi autem ſunt denominationes *habentis amore, vel odio inimicitiæ* creaturam, cum dicant abſolutam potentiam ex parte creaturæ reddendi mutuum amorem, vel odium vel ſaltèm abſolutam dignitatem ad talem amorem, vel odium diuinum, quæ potentia, & dignitas niſi in creatura abſolutè exiſtenti non datur. Ad ſecundam confirmationem dico vt quis abſolutè affirmet de aliqua re: *exiſtit*; ſufficere quod ipſe tali rei coexiſtat: Sicut abſolutè Deus qui eſt valli ſoleti hic etiam poteſt dicere abſolutè: *Mihi loco coexiſtit, ſeu proxima eſt Roma.* Quamuis Roma hic valliſoleti non ſit; Secus contingit in amore amicitiæ vt nuper vidimus. Addo ad hominem contra Aduerſarios, qui negant Deo hanc coexiſtentiam ſimultaneam omnibus temporibus futuris, & præteritis, Nulla ratione explicari ab ipſis poſſe. Quid habeat Deus ratione cuius poſſit nunc affirmare abſolute: *S. Petrus exiſtit*: in qua propoſitione non ſolum affirmat *exiſtit* (de præſens) *collatione facta ad inſtans A.* hoc enim etiam affirmabat ab æterno Deus, nec tamen abſolute dicebat: *exiſtit*: itèm de ipſo inſtanti *A.* vrgeo quo pacto ſciat. *exiſtit*: Vnde dicere queit vnde ſcit iam aduenisse? Si præciſe ſumamus ſcientiam æternam Dei. Ergo opus eſt iuxta aduerſarios; vt Deus in ratione *ſcientis* abſolutè præſentiam actu vrgentem, & non ſolum comparatiuè, conſtituatur ex connotatione præſentialitatis extrinſecæ inſtantis, vel obiecti creati.

Obiicies tertio male Antonium delphinum eſſe 33
reiectum, vt aſſerentem aliquid erroneum, eo quod aſſeruerit Deum poſſe velle in tempore, ſiquidem ſaltem de aliqua volitione id verum eſt iuxta me; Delphinus autem non de omni volitione diuina, ſed de aliqua aſſeruit poſſe eſſe temporalem. Deinde in hac volitione amicitiæ inſtantur fundamenta, quæ arguunt neceſſariam æternitatem volitionis diuinæ, eo quod non poteſt non eſſe *immenſa*, etenim Amicitia non poteſt non eſſe *immenſa*, & tamen poteſt non eſſe *æterna*. Rurſus vel amor ſpecialis amicitiæ in Deo poteſt eſſe ab æterno? vel non poteſt? Si poteſt? Ergo iam aliquid temporale poteſt eſſe ab æterno. Si non poteſt? Ergo non eſt opus vt omnis amor, & volitio diuina apta ſit, vt habeatur ab æterno. Quæ omnia ſunt contra dicta ſect. præcedent. §. 21. & 22. Reſpondeo, ſententia delphini fuit de aliqua volitione in abſtracto. Ego autem omnem volitionem diuinam, quantumuis adæquatè intrinſecam Deo vt liberam ſtatuo non poſſe non eſſe æternam iuxta ſect. 4. Licet in tempore det ſpecialem denominationem *volentis* in concreto. Imo etiam in concreto oſtendi in ſect. 2. non poſſe Deum manere ſuſpenſum, quin aliquid determinatè decernat de futuritione, vel non futuritione cuiuſuis rei, à quo longe eſt Ioannes Antonius Delphinus. Neque in hac mea ſententia inſtantur vel infringuntur fundamenta poſita in ſect 4. pro æternitate volitionis Dei à paritate immenſitatis, quæ neceſſario communicat ſuum effectum formalem diuinæ volitioni, etenim paritas iſta recte ſumitur, quando volitio identificatur cum æternitate, ſeu quando vndequaque volitio eſt æternitati intrinſeca; tunc enim non eſt, vnde impediatur, quin talis volitio æterna euadat, ſicut & immenſa. Iam vero in præſenti eſſe Deum volentem amicabiliter non identificatur vndequaque cum æternitate, quare poterit amicitia non eſſe æterna, quantumuis ſit immenſa, quia quoad effectum formalem æternitatis ſecundum ſe, ſecluſa identitate, non datur contradictio in eo, quod ſit quis amicus in vno tempore, & inimicus in alio, ſemper autem contradictio eſt, ſiquis habeat in vno loco amorem, & in alio odium in eodem inſtanti, quantumuis ipſe duo loca occupet. Deinde conſequenter ad dicta in ſect. 4. exiſtimo amicitiam diuinam in concreto non poſſe eſſe ab æterno ex quo non ſequitur aliquod prædicatum Deo intrinſecum incapax eſſe vt ab æterno habeatur ſiquidem talis amicitia ſic in concreto ſumpta non eſt Deo adæquatè intrinſeca.

Obiicies quarto eo ipſo quod forma volitionis 34
ſit in Deo ab æterno debere etiam eſſe ab æterno effectum formalem volentis in concreto quia vt ſæpè dixi ſect. 2. & 3. volitio Dei tantæ perfectionis eſt in linea volendi quantæ eſt in creatis volitio efficax; neque minus abſumit, imbibitque rationem volendi volitio Dei in abſtracto ſumpta, quam volitio noſtra, vnde ſicut noſtra ſtatim, ac exiſtit, communicat ſuum effectum formalem, ita & illum communicat

communicat volitio efficax Diuina ſpectata ſolum, & connotata futuritione effectus creati, quin huius præſentia vel exiſtentia ab æterno neceſſaria ſit. Quæ omnia ſatis ſupra explicata ſunt. Ergo cum ipſa ſpecialis volitio amicitiæ in abſtracto ſumpta ſit ab æterno, ab æterno etiam denominabit connotata ſolum futuritione ſanctitatis, & iuſtitiæ creatæ. Confirmatur æquè, exiſtit in Deo ab æterno volitio amicitiæ, & volitio mundi. Ergo ſicut iſta denominat Deum volentem mundum, ita & illa volentem amicabiliter. Conſequentia probatur, cum ex parte formæ detur æqualitas, & ex parte ſubiecti æqua diſpoſitio; ſiquidem æqualiter connotatur effectus vtrobique futurus id quod ſpecialiter oſtenditur in creatis: nam ſi in voluntate æquè exiſtat volitio amicitiæ, vel alterius obiecti æqualiter vtraque denominabit volentem. Reſpondeo non quamcumque formam ſufficere ad quemcumque effectum formalem vt eſt per ſe notum; quare licet volitio mundi ab æterno exiſtens ſine mundo ſit adhuc ſufficiens ad reddendum *volentem mundum*, non tamen ad reddendum *amicabiliter volentem*; & ratio eſt quia licet æqualiter volitio ſit forma ad vtrumque effectum formalem; at iſte ex conceptu ſuo diuerſa diſpoſitione indiget in vno caſu, ac in alio, nam cum ſine vlla imperfectione ab æterno poſſit concipi Deus vt actu *volens* & decernens exiſtentiam mundi temporalem; hinc volitio Dei contenta eſt vt effectum formalem ſic *volentis* communicet, dum connotet futuritionem mundi: è contra vero cum diſſonum ſit & contra leges bonæ, & ſynceræ amicitiæ quod Deus dum amat amicabiliter ſit ſimul odio *habens* inimicabili; ipſeque conceptus amicitiæ exigat dari actu bonitatem, & dignitatem in perſona amata, & è contra malitiam, & indignitatem in inimico. Hinc fit vt quantumuis exiſtat in Deo ab æterno forma volendi amicabiliter, vel inimicabiliter adhuc non communicet ſuum effectum formalem.

35 Ex qua doctrina in promptu eſt ſolutio ad quartam obiectionem, fateor in linea volitionis nihil deeſſe amicitiæ Diuinæ, vt denominet Deum ab æterno *amicum*: at deeſt ex parte diſpoſitionis requiſitæ, quam nuper explicui debere eſſe non ſolum ſanctitatem, & dignitatem vtcumque exiſtentem pro ſua differentia temporis; ſed exiſtentem in ſe abſolutè, & ſimpliciter. In volitione creata diuerſa ratio eſt, nam non indiget vlla conditione, vel diſpoſitione obiecti, vnde etiam quando hoc nulla ratione eſt futurum adhuc denominat; vt viſio perſeuerans in oculo eum denominat videntem, etiamſi obiectum omnino deficeret, vt ſi Deus deficiente hac papyro conſeruaret viſionem in potentia viſiua. Ad confirmationem ex modo dictis manifeſtè patet ex antecedenti ibi poſito nullam eſſe conſequentiam ob diſcrimen ſæpius aſſignatum.

***

DISPVTATIO LXII.

Qualiter voluntas Dei ſit cauſa rerum; dicanturque creaturæ produci, quia Deus liberè vult?

SECTIO I. *Senſus quæſtionis.*

SECTIO II. *An voluntas Dei formaliter immediatè per ſeipſam ſit cauſa executiua rerum?*

SECTIO III *Quomodo verè dicantur creaturæ produci, quia Deus liberè vult.*

SECTIO IV. *Explicatur veritas huius cauſalis*: ideo creaturæ producuntur, quia liberè vult.

DISPVTATIO iſta pertinet ad explicationem articuli 4. S. Thomæ, vbi inquirit circa hanc quæſtionem 19. Vtrum voluntas Dei ſit cauſa rerum, ſub quo titulo variæ diſputationes poſſent excitari; vt de voluntate præparatiua concurſus generalis cum cauſis ſecundis, an, & qualis ſit? De voluntate efficaciter præmouente an tollat libertatem voluntatis creatæ; Sed de his & aliis iam communiter aſſignatur alius commodior locus, vt pro dignitate diſputetur, in præſenti autem ſolum explicabo difficultates in diſputationis inſcriptione propoſitas, quæ ex noſtra ſententia de conſtitutione actuum liberorum emanant, vt iam dico. *Vide infra q. 19. art. 4. per. 1. dub.*

SECTIO I.

Senſus quæſtionis.

DVo in præſenti inquiruntur. Primum de modo, quo voluntas Dei ſit cauſa rerum; in quo non eſt quæſtio præſens ſitne neceſſaria voluntas Dei ad cauſandum ad extra; hæc enim veritas adeo firma eſt ex fide Catholica. Sap 11. *Quomodo poſſit aliquid permanere, niſi tu voluiſſes?* Epheſ. 1. *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Item adeo firme ſtabilitur ex ratione naturali apud S. Thomam hic art. 4. vt ſuperflue videatur nouis ratiocinationibus eam firmare. Quare ſolum de modo quo comparetur voluntas Dei vt cauſa rerum? quæſtio præſens mihi eſt; An ſcilicet ſolum vt conditio applicatiua potentiæ exequentis, vt in nobis contingit; an etiam vt verum principium immediatè exequens, & phyſicè concurrens ad effectus creatos ſe ſola abſque alia potentia diſtincta phyſicè factiua concipienda ſit. De qua difficultate agunt Theologi 1. p. qu. 25. art. 1. Sed hic videtur ſufficienter expediri poſſe.

Et quidem loquendo ex parte obiecti certum debet eſſe voluntatem indiſtinctam eſſe ab omnipotentia, & conſequenter eſſe principium immediatè executiuum ad extra, à quo vt à ſua cauſa omnes res creatæ producantur; quod à fortiori

patet ex indiſtinctione quam oſtendi in hoc tract. diſput. 58. volitionis ab intellectione, & generaliter manifeſtum eſt ex dictis à me tract. 2. de eſſentia, & attributis vbi nullam diſtinctionem ex natura rei independenter ab intellectu admiſi inter perfectiones Diuinas abſolutas, & neceſſarias, quis autem negabit omnipotentiam ad perfectiones Dei neceſſarias pertinere. Sed hinc dices: ergo volitio libera ex parte obiecti diſtinguitur ab omnipotentia. Adhuc tamen nego conſequentiam, tum ſi, iuxta meam ſententiam volitio libera Diuina ſecundùm intrinſecum, quod dicit in Deo ſit omnino indefectibilis, & in eſſendo neceſſaria; tum etiam licèt ſit contingens adhuc non eſt diſtinguenda immediatè ab eſſentia Dei, & conſequenter, nec ab omnipotentia; ſed ſolum mediatè & in tertio, vt explico diſput. 69. Quare ex his relinquitur quæſtionem præſentem abſolutè non eſſe de voluntate vt conſideratá ex parte obiecti, ſed ſolum per rationem, & modum noſtrum concipiendi: dixi *abſolutè* nam hypotheticè, ſeu caſu quo permittatur in Diuinis diſtinctio ex natura rei, diſquiri poſſet: An tunc voluntas immediatè per ſeipſam ſit cauſa rerum, quæ hypotheſis definienda eſt ex iis, quæ dicemus abſolutè loquendo per rationem noſtram.

3 Secundum autem quod in præſenti inquiritur & quod maximè ſpectat ad præſentem diſputationem, quam ideo hic attexo vt magis explicetur mea ſententia in diſput. 59. de conſtitutiuo actuum liberorum Dei. Secunda inquam difficultas in præſenti latius examinanda eſt qualiter volitio diuina poſſit eſſe cauſa rerum, an vt neceſſaria eſt; an etiam vt libera? Nam ſi vt neceſſaria cum non connectatur cum exiſtentia creaturarum non erit verum: *omnia quæcumque voluit Dominus fecit.* Si vt libera conſideretur volitio Dei iuxta meam ſententiam in ratione talis conſtituitur ex ipſa effectione creaturarum; vnde dicere: *quæcumque Deus voluit liberè fecit eſſet idem, ac dicere: quæcumque fecit fecit.* Senſus ergo quæſtionis præſentis quoad hanc ſecundam difficultatem eſt quid cauſalitatis habeat voluntas Dei in effectus creatos, titulo cuius creati effectus, ideo dicuntur exiſtere, quia Deus voluit: item an voluntas hæc diuina cauſans ſit neceſſaria an libera.

SECTIO II.

An voluntas Dei formaliter immediatè per ſeipſam ſit cauſa executiua rerum?

4 LOquendo ſcilicet etiam per rationem, & modum noſtrum concipiendi, vel ſi vis ex natura rei, & obiectiuè ſeu ex parte rei loquendo, caſu quo diſtinctio ex natura rei inter Diuinas perfectiones poſſet permitti. Sic voluntatem non eſſe per ſeipſam cauſam exequentem rerum creatarum tenet Durandus 1. diſtinct. 38. quæſt. 1. potentiam exequentem diſtinguens ab intellectu, & voluntate. P. Suarez diſput. 30. Metaph. ſect. 17. num. 45. P. Martinon diſput. 22. de Deo, ſect. 1. num. 2. fauet S. Thomas dum qu. 25. art. 1. ad 4. per hæc verba: *Potentia non ponitur in Deo vt aliquid differens à ſcientia, & voluntate ſecundùm rem, ſed ſolum ſecundùm rationem: in quantum potentia importat rationem principij exequentis id quod voluntas imperat, & ad quod ſcientia dirigit*: quam ſententiam repetit art. 5. ad 1.

Ratio autem pro hac ſententia eſt 1. quia Deus cauſat phyſicè actum peccati, in quem tamen nullum concurſum præſtat, ſed potius ab illo auertit Dei voluntas vt talis, 2. voluntas qua voluntas eſt, æquè tendit in *producibile*, & *creatum*, ac in *improducibile*, & *Diuinum*, nilque phyſicè immutat circa ſuum obiectum, ſed ſolum extrinſecè denominat; non autem comparatur ita potentia exequens cum ſuo termino: Ergo ex diuerſo hoc connotato, & modo agendi ſaltem ratione noſtra diſtingui debet voluntas Diuina à potentia exequente, 3. formaliter loquendo ſtat in Deo concipi potentiam factiuam, ſeu exequentem, licèt non concipiatur voluntas, vt enim præciſè concipiatur Deus vt *ignefactiuus* per accidens eſt voluntas, è contra autem benè concipitur Deus vt omnia volens, licèt ignefactiuus non ſit: Ergo potentia factiua ignis, & ſic aliorum effectuum independens, ſeu diſtincta eſt per rationem noſtram à voluntate. 4. Diuinas perfectiones concipimus ad modum creatarum, vnde in Deo diſtinguimus ratione noſtra, quæ in nobis realiter diſtinguuntur. In nobis autem potentia exequens realiter diſtinguitur à voluntate. 5. eſt ratio à priori; ſola voluntas Dei vt ſic formaliter non continet eminenter omnes creaturas; ad eas enim omnes continendas cum infinitæ ſint, neceſſaria eſt perfectio ſimpliciter infinita, & in omni linea, qualis non concipitur in ſola linea volendi. Tunc ſic, ſed creaturæ non fiunt niſi à principio eas continente, cauſa enim efficiens debet in ſe præcontinere effectum, præcipuè ſi illum omnino adæquatè, independenterque ab alio producit, vt Deus: Ergo creaturæ immediatè vt à principio exequente non fiunt à voluntate. 6. Denique quia non eſt cur potius vis immediatè actiua tribuatur voluntati, quam intellectui, cum iſte ex ſuo conceptu perfectior ſit; aliunde Scriptura ſacra ſæpius verbo, quam voluntati tribuit rationem agendi: Pſalm. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt*, & Pſal. 32. *Verbo Domini cæli firmati ſunt: omnia in ſapientia feciſti*, Pſal. 103. &c.

Contraria ſententia tribuens voluntati immediatam rationem agendi, voluntatemque etiam per rationem noſtram adſtruens indiſtinctam eſſe à potentia exequente defenditur à Thomiſtis communiter cum & apud Molinam 1. part qu. 25. art. 1. diſp. 2. Scoto 1. diſt. 37. qu. 1. Vaſquez diſp. 103. cap. 3. Valentia qu. 19. punct. 6. & quæſt. 25. punct. 1. qui quæſt. illa 19. punct. 6. verſ. *Primum ac præcipuum* fine ait hanc ſententiam ita clarè indicari ab Scriptura ſacra, vt minimè tuto negari poſſit, & verſ. *Quares* reputat etiam ratione euidenti probari. Fundamentum præcipuum eſt quia commendat efficaciam, & excellentiam voluntatis Diuinæ. Si ipſa immediatè per ſe efficiat, & exequatur, quæ vult, ſoloque ſuo nutu omnia producantur, neque indigeat aliena virtute, & inſtrumento, quo vtatur ad obtinendum ea, quæ vult ſicut nos. Confirmat P. Franciſcus Amicus 1. part. d. 17. num. 20. quia omne attributum, & perfectio Dei debet conſtitui cum omni perfectione, quam in ſua linea poſtulat: Ergo potentia vt talis debet conſtitui in ratione proximæ, expeditæ, ac ſufficientis. At Deus non intelligitur potens proximè producere ad extra niſi vt determinatus à ſua voluntate: Ergo. 5

Mea ſententia ſit voluntatem Dei etiam per rationem noſtram implicitè indiſtinctam eſſe à potentia exequente, explicitè autem loquendo, ſeu à conceptu 6

Voluntas Diuina per rationem non

conceptu explicito potentiæ exequentis diſtinctam eſſe. Prima pars indiſtinctionis probatur: illa formalitas implicite includitur in alia, quæ etiam formaliter, & ratione noſtra loquendo eſt de conceptu alterius; ita vt ſi per impoſſibile hæc altera poneretur à parte rei ſecundum eſſe obiectiuum præcisè, quod habet in noſtro modo concipiendi, opus foret vt daretur prima formalitas; verbi gratia animalitas abſolutè diſtinguitur ratione noſtra à rationalitate non ab homine, niſi tantum penes conceptum magis explicitum: nam ipſum *eſſe* obiectiuum *animalis* tale eſt in noſtro modo tendendi vt in illo rationalitas non appareat, neque opus eſt formaliter loquendo rationalitem exiſtere; vt ponatur à parte rei *animal* ſicut eſt in cognitione: etenim eundem conceptum immutatum formaliter applico non rationali, verbi gratia leoni; quod non contingit quando *animal rationale* cõparatur cum homine, in quo etiam ſecundum eſſe modi noſtri concipiendi reſplendet, licèt non tam explicite.

8 Tunc ſic: voluntas Dei etiam ſecundum modum noſtrum concipiendi imbibit potentiam exequentem, ſeu ſufficientem, vt immediatè influat in effectus ad extra. Ergo non diſtinguitur à tali potentia: conſequentia legitima eſt, maior patet ex §. præced. Minor ſuadetur quia voluntas Dei vt talis comparatur vt libera ad creaturas, id enim ſpectat ad lineam perfectam volendi, vt libere amet bonitatem infinitam. Ergo vt actiua, ſeu productiua, ſi quidem libertas ſine immediata actiuitate non datur; non alterius rei niſi effectûs creati cum in ſe ſit volitio Dei neceſſaria, & indefectibilis. Ergo, &c. Confirmatur, volitio libera in creatis eſt formaliter *producta*. Ergo diuina *Producens*. Conſequentia hæc probatur ex dictis in diſput. 10. de conſtitutione libertatis diuinæ, vbi dixi eadem ratione ſe habere ad volitionem liberam Dei *producere*, ſicut ad creatam *produci*. Quæ probatio maximè vrget in ſententia adſtruente inter diuinas perfectiones diſtinctionem ex natura rei; tunc enim quo pacto concipi poſſet libertas, ſi per ſe non ageret volitio? Etenim Potentia exequens ſi diſtinguatur à voluntate non determinatur à ſe, cum hæc determinatio propria ſit agentis liberi, non determinatur à voluntate præuie, & imperatiuè, ſicut in nobis, cum voluntas pro priori ad opus omnipotentiæ, nil efficaciter determinet, aut imperet, ſed omnino indifferenter ſe habet. Siquidem loquor in mea ſententia negante libertatem intrinſecam. Ergo reſtat vt determinetur concomitanter ſicut à noſtra voluntate determinatur Deus ad concurrendum phyſicè in actum peccati, quæ determinatio vt patet concipi non poteſt ſine efficientia immediata in voluntate.

9 In omni ſententia de libertate diuina ſecundo hæc indiſtinctio probatur, Principium exequens principale, & radicale etiam ratione noſtra imbibit, ſeu indiſtinctum eſt à voluntate. Sed à tali principio indiſtincta eſt potentia immediatè executiua etiam ratione noſtra, ergo. Maior probatur nam principium ſaltem principale continere debet omnem perfectionem effectûs, & omnem excellentiam, quam petit modus producendi tales effectus. Sed tum excellentia omnium creaturarum poſſibilium petit infinitam Dei perfectionem, cum nulla ſit, quam creaturæ ſuo modo non participent; tum modus producendi iam in hoc loco, iam in illo, iam nunc, iam poſtea petit ſummam libertatem voluntatis diuinæ. Ergo voluntas Dei nec ratione noſtra diſtinguitur à Principio radicali exequente productionem creaturarum. Quod autem ab hoc nos diſtinguatur ratione noſtra Principium, ſeu potentia proxima, ſuadetur tum quia in principio immediato maximè neceſſaria eſt continentia perfectionis effectûs. Proximum namque eſt id quod vere dat perfectionem, ac proinde debet in ſe præhabere, remotum autem dat denominatiue. Tum etiam diſtinctio Principij proximi à remoto prouenit ex aliqua limitatione, improportione, vel imperfectione vt patet in creatis, quæ non eſt ponenda in Deo; adde quod ex parte principij proximi eſt imperfectio, quod diſtinguatur à remoto alias in ſe nullius erit perfectionis, ſed ſolum obibit munus puri inſtrumenti hoc principium ita proximum à remoto diſtinctum.

10 Dices primo in infinita perfectione Dei, ſub qua continentur omnes creaturæ, non ſolum datur voluntas, ſed etiam intellectio. Ergo ſi in Deo eius eſſentia, & infinita perfectio eſt quæ influit in productionem creaturarum, talis influxus non eſt attribuendus voluntati. Reſponderi poſſet voluntatem ſolam eſſe æqualis perfectionis cum omnibus aliis diuinis perfectionibus, nam quoad æquiualentiam in perfectione, & æſtimatione mutuo inuicem includuntur, vt quælibet Dei perfectio tanti æſtimabilis, quanti omnes ſimul ſit, vt dixi tract. 2. diſput. 18. Quare iure ſola voluntas ſufficiet; ſi autem hoc non admittas formaliter loquendo; Ego ſolum adſtruo voluntatem eſſe indiſtinctam à potentia exequente, ita vt per ſeipſam immediatè ſit cauſa executiua, non autem nego quin etiam immediatè concurrant aliæ Dei perfectiones. Dices ſecundò quamtumuis infinita ſit aliqua perfectio non concipitur vt exequens niſi concipiatur cum relatione principij, & fæcunditatis ad creaturas. Ergo ipſi perfectioni voluntatis ſuperaddendum eſt aliquid per rationem vt ſic principium, & cauſa executiua rerum. Reſpondeo ſuperaddendum eſt voluntati vt ſic concedo conſequentiam, nam qua talis, fateor nil importare formaliter de fæcunditate immediata phyſica, voluntati vt liberæ nego conſequentiam, nam voluntas ita ſumpta imbibit eſſe principiuum actiuum alicuius contingentis. Fateor illud intellectioni aliquid ſuperaddendum vt dicam §. 14.

11 Iam vero ſi loquamur de potentia exequente ſecundum conceptum explicitum fateor per rationem, voluntatem ab illa diſtingui. Nam conceptus explicitus *potentiæ* non exprimit quid ſit potentia, in eſſe rei, ſed ſolum eam apprehendit relate ad terminum productum, ſicut è contra conceptus *voluntatis* etiam *liberæ* non curat referre voluntatem ad terminum productum, ſed ſolum qua eſt *volitum*. Tunc ſic ſed hoc eſt Potentiam exequentem diſtingui ſecundum conceptum explicitum, licèt non ſecundum implicitum. Non quidem ſecundum *implicitum* ſiquidem nil ponitur in obiecto etiam per rationem noſtram per formalitatem *Potentiæ*, quod in ſe non habeat aliquod *eſſe* hoc autem *eſſe* in ſeipſo, ſeu ſecundùm conceptum *in* non poteſt eſſe aliud à voluntate, vt ſupra dictum eſt quantumuis ſecundum eſſe *Ad* aliud connotatum reſpiciat; quod implicitè etiam dicitur à voluntate. Vnde ex hoc habebit quod explicitè ratione diſtinguatur. Ergo, &c. Confirmatur Potentia vt talis ſecundum conceptum explicitum, non autem ſecundum implicitum diſtinguitur à ratione *entis*, *diuini*, *Spiritualis*, &c. Quia ſcilicet

Diſtinguitur tamen per rationem ſecundum conceptum magis explicitum.

potentia, vt potentia quamuis aliter explicetur (nam qua potentia dicit terminum, qua Spiritualis autem à termino producto præſcindit,) At ipſa potentia quantumuis vt ratione diſtincta à quolibet alio imbibit in ſuo conceptu formali eſſe *ens Diuinum Spirituale,&c.* At ita contingit collatione facta ad voluntatem. Ergo ab iſta licet non ſecundum conceptum implicitum, ſecundum explicitum ſaltem diſtinguetur ratione noſtra.

12 Hoc modo explicato intelligendus eſt S. Thomas vt potentia exequens differat à voluntate ſecundum rationem, ſi autem plus velint Authores pro prima ſententia audiendi non ſunt: Nam eorum fundamenta maiorem diſtinctionem non probant. Vt illa ſoluantur nota me non negare diſtinctionem rationis inter voluntatem vt ſic, & potentiam exequentem, ſed ſolum me loqui de voluntate Diuina vt Dei propria non quidem materialiter, vt ſic enim manifeſte includeret omnia attributa; at ſaltem formaliter quatenus in ſua linea includit perfectionem dignam, & debitam Deo, qua voluntas eſt. Quam voluntatem vt ſic cenſeo non ſatis concipi niſi per ſe immediatè ſit cauſa executiua rerum, neque ſatis habere perfectionis in linea volendi, niſi poſſit de tali conceptu volendi prædicari formaliter virtus executiua rerum.

13 Ex his ad primum fundamentum pro prima ſententia. Dum Deus influit in peccatum materialiter, & phyſicè, etiam operatur voluntas Dei non quidem *volendo*, ſed *permittendo* ſe duci, & determinari ad phyſicum concurſum, quod opus, licet non ſit de conceptu voluntatis vt ſic eſt tamen de conceptu perfectæ voluntatis, & Deo dignæ, qua non concurrente executiue phyſicè nil poteſt dari entitatis phyſicæ in creatis, & quæ vti per ſe habet ſe determinare ad actiones proprias, ita habet ſuam vim cohibere, vt queat à nobis determinari, quo ipſa quantum in ipſa eſt non vellet à ſe. De quo plura in diſput. de peccatis, in quibus dicam quo pacto voluntas Dei ſit malorum. Ad 2. Dico voluntatem Dei non ſe habere executiuè ad omnia, ad quæ ſe habet volitiue; imo qua volitiue, & intentionaliter reſpicit obiectum, vt ſic nil præſtat executionis circa ipſum; At quod dico eſt ipſam voluntatem nondum ſatis perfectam habere lineam volitionis, ſi ſimul factiua non ſit, quemadmodum voluntas creata licet in munere volendi præciſè nil actiuitatis oſtentet; at vt completam habeat vim volitiuam, nempe libertatis opus eſt vt actiuitatem includat. Vnde ad præſens ob hæc diuerſa connotata, diuerſumque modum agendi fateor formalitatem exerciti volendi, diſtingui à formalitate exequendi; at non ideo voluntas à potentia exequente diſtinguetur; vt duo attributa, duæque potentiæ conſtituantur in Deo: Sed ſtatuenda eſt vnica, ſcilicet voluntas conſtans hoc duplici prædicato, & formalitate. Quemadmodum dum datur in Deo ſcientia de homine, in tali ſcientia duas formalitalitates ratione noſtra diſtinguere poſſumus, vnam qua Deus ſcit animalitatem, aliam, qua ſcit rationalitatem; neque ideo dicendum eſt quod in Deo dentur duæ cognitiones ratione noſtrà, alioqui Deus ratione noſtra haberet cognitionem confuſam, & præciſiuam animalitatis ſine rationalitate, & ratio eſt, quia ea ſolum perfectio admittenda eſt vt diſtincta in Deo per rationem ab aliaquæ in ſua linea imperfectionem non claudente omnem perfectionem poſſibilem includit, vt latè dixi tract. 2. de Eſſent. & attrib. diſput. 16. ſect. 6. Sic autem non ſe habet voluntas, niſi vltra connotatum volendi dicat etiam effectionem ad extra, vt ſic libertate potiatur.

14 Iuxta nuper dicta ſoluenda ſunt reliqua fundamenta pro iſta prima ſententia. Ad tertium reſpondeo licèt poſſet Deus concipi vt ignefactiuus, quin conciperetur vt *volens*, at non è contra concipietur *volens* perfectè ſcilicet cum libertate, ſine hac potentia, vt dixi: Sæpè autem contingit quod vnum attributum poſſit concipi ſine alio, licet non è contra, ſic voluntas poteſt concipi ſine Prouidentia, ſed non è contra. Ego autem hic ſolum intendo potentiam exequentem in voluntate includi. Addo potentiam ignefactiuam perfectam in linea potentiæ eſſe adæquatam, omninóque independentem in agendo in quo imbibitur Principium exequens debere eſſe infinitæ perfectionis, nec factiuum vnius effectus tantum, ſed omnium ad quod formaliſſimè requiritur imbibi in tali principio omnes perfectiones, & conſequenter voluntatem. Ad 4. non ſufficit quæuis diſtinctio in creatis duorum prædicatorum, vt ſtatim in Deo talia prædicata ratione diſtinguantur, ſi vt ſic diſtincta imperfectionem dicant, vt notaui de cognitione Diuina de animali, quam non dices diſtingui per rationem a cognitione de rationali, vt notaui §. præcedenti. Ad 5. dicet quis: ex §. 10. in ſola voluntate inueniri perfectionem ſufficientem vt influat adæquatè in omnes effectus creatos; ſed quidquid de hoc ſit mihi ſufficit, ſi influat inadæquatè, vt determinans & coinfluens cum aliis perfectionibus, ſic enim iam per ſeipſam eſt cauſa immediate executiua rerum. Vnde ad 6. fateor etiam intellectui immediatè etiam attribui poſſe rerum effectionem; quamuis fateor hoc ſpeciali titulo conuenire voluntati; ſiquidem iſta in ſua linea libertatem imbibit, libertas autem ſine immediata actiuitate non datur, vt ſæpius vidimus.

15 Nunc ad ſecundam ſententiam vniuerſaliter vno verbo reſpondere poſſumus voluntatem Dei non ita exprimere ſuo nomine, & conceptu potentiam exequentem, ſicut eam exprimit ipſa vox, & nomen *omnipotentia*, quod adeo certum eſt vt maiori explicatione non egeat. Quia tamen ego exiſtimo in ſententia explicante libertatem omnino, & adæquate Deo intrinſecam, tunc voluntati ſolum inadequate conuenire vim efficiendi ad extra, & conſequenter inadequatè etiam diſtingui (imò & adæquatè ſi loquamur de actu ipſo volitionis liberæ in actu 2. cum enim iſta volitio vt ſic contingens ſit, & ſine vlla perfectione, nullam perfectionem dare poterit immediatè effectui, nec omnipotentiam, quæ omnino neceſſario Dei ineſt conſtituere.) Quatenus huic exiſtimationi ſe opponit ſecunda ſententia reſpondeo ad eius fundamentum excellentiam, & efficacitatem voluntatis diuinę ratione noſtra loquendo non eſſe commendandam, neque extollendam, niſi intra propriam lineam, alioqui voluntas concipienda foret indiſtincta ratione noſtra ab intellectione, immenſitate, &c. ſiquidem ex his valde cõmendatur. Nunc addo ad efficacitatem Diuinæ volũtatis intra propriam lineam ſolum ſpectare, quod ipſi vt imperanti obediat potentia exequens, ſic enim Deo ſubeſt cum voluerit poſſe, Sap. 12. Ad confirmationem loquendo ratione noſtra potentia exequutiua Dei vt ſit proximè applicata conſtituitur ex conditionibus, & prærequiſitis quæ immediatè per ſe influxum non præſtant.

SECTIO

SECTIO III.

Quomodo verè dicantur creaturæ produci, quia Deus liberè vult?

16 Ratio dubitandi patet ex ſectione prima fine, vt illi ſatisfaciam. Dico primò voluntas Dei vt libera in cauſando, non in eſſendo eſt principium rerum. Hæc concluſio patet ex diſput. 59. & 60. Cum enim voluntas Dei vt cauſa rerum ſit illis prior, ab ipſiſque independens, non poteſt ex eiſdem conſtitui: aliunde autem, vt ſæpius ibi dixi volitio Diuina nullam contingentiam in eſſendo (prout ad libertatem in eſſendo requiritur) habet in ſe antecedenter ad creaturas: Ergo volitio Diuina vt ſic ſolum eſt libera in cauſando.

Explicatur cauſalis, ideò creaturæ producuntur, quia Deus liberè vult.

17 Dico ſecundò hoc ſufficit vt ſimpliciter dicantur res creatæ produci, quia Deus liberè vult. Probatur concluſio à paritate potentiæ noſtræ volitiuæ vt comparatæ cum actione, qua producit terminum volendi, ſeu qualitatem in qua conſiſtit volitio, tunc enim voluntas dicitur influere potiùs in actionem amoris quam odij, *quia vult*; non quatenus ante hanc actionem præcedit aliqua volitio in eſſendo libera, ſed quatenus ſic oritur actio illa à ſuo principio, vt iſtud loco illius poſſet ponere oppoſitam. Hinc ſicut ly *quia vult* in voluntate creatâ eliciente productionem amoris non accipitur in actu ſignato, ſed in actu exercito quatenus, per eam actionem reddit voluntas in volitionem, qua ſit *volens*, ita à fortiori dicendum eſt de voluntate Diuina; tum quia ab ipſa procedit actio creata, non ſolum vt à potentia volendi, ſed vt ab actuali volitione illius; tum etiam per hanc actionem fit Deus *volens* in concreto, vt dixi diſput. 60. quod non habet actio creata reſpectu creatæ volitionis, quam nec volentem conſtituit, nec item talis actio procedit ab actuali volitione.

18 Dices primo dilectio vt libera in eſſendo eſt cauſa rerum, nam incarnatio Verbi proceſſit ex amore ſpecialiſſimo, & conſequenter libero, quo Deus dilexit mundum, vnde Ioannis 3. proponitur Incarnatio ad ponderandum vim amoris, qui talem effectum protulit: Ergo incarnatio eſt diſtincta ab amore illo libero, ſeu ſpeciali, alioqui Ioannis dictum æquiualeret huic: *Sic Deus dilexit mundum, vt eum dilexerit:* ſiquidem actio incarnandi conſtituit iuxta me Deum ſic liberè & ſpecialiter diligentem, ſaltem in concreto. Reſpondeo primò, denominatio *amantis* ſæpè conſtituitur ex connotatione alterius effectus ab eo quem dicitur Deus amare; verbi gratia, per connotationem productionis Petri poteſt Deus conſtitui amans Paulum, cũ iam ſaluetur ſimpliciter dari in denominatione amantis aliquid contingens verè vbi exigit conceptus libertatis. Hinc Dei amor ſpecialiſſimus, & liberrimus erga nos conſtituitur ex connotatione, verbi gratia, creationis mundi, & ita Deus vt ſic liberè diligens diſtinguitur ab Incarnatione. Reſpondeo ſecundò rectè etiam explicari poſſe cauſalem illam, in actu exercito, quaſi diceret Ioannes ex hoc effectu colligi poteſt, quantum erga nos libertas Diuini amoris ſe exercuerit; etenim ſicut ipſum operari liberè perinde eſt in actu exercito ac operari, quia voluntas vult ita operari actionem magnam, erit operari, *quia voluntas vehementer vult.*

19 Dices ſecundò commendatur efficacia voluntatis Diuinæ, quia facit quæcunque vult; quia nullus eſt qui voluntati Dei poſſit reſiſtere, vtique voluntati liberæ, neceſſaria enim ſæpè caret effectu: Ergo voluntas Dei vt libera diſtinguitur ab effectu, alioqui tota præſtantia efficaciæ Diuinæ voluntatis conſiſteret in eo, quod faciat, quæ facit, quod ipſi vt operanti nemo poſſit reſiſtere ne operetur, quæ commendatio ridicula eſt.

Reſpondeo, ſumma commendatio, & præſtantia eſt voluntatis Diuinæ quod in quemcunque effectum poſſit conari, & ſic illud obtinere ſine impedimento, ſecus quam nobis contingit, quibus reſiſti poteſt, non ſolum impediendo effectus externos poſt volitionem, ſed etiam impediendo, ne velimus. Deus autem ſemper expeditus eſt, ſicque facit quæcunque vult, id eſt quæcunque conetur, quin ab vllo diuerti poſſit ab hoc conatu. 20

Hinc concludo, licèt fortè ratione noſtra imperfecta concipiente res Diuinas ad modum creaturarum, voluntas Dei vt efficax & libera in concreto ſit cauſa rerum, at, ex parte obiecti loquendo, ſolam volitionem in abſtracto eſſe veram cauſam efficientem, in concreto autem cauſam formalem ab ipſis rebus indiſtinctam, vti dicitur quod voluntas creata amat *quia vult*; vel elicit actionem hanc potius in amorem quam in odium, quia ipſi placet, Similiter in hac; *Si Deus voluerit faciet mundum* non denotatur diſtinctio volitionis liberæ ab effectu, ſed libertas vt: *Si mihi placet amabo: Si voluntas velit concurret Deus, & ideò Deus concurrit, quia voluntas vult*, vbi nulla ſignificatur diſtinctio. 21

DISPVTATIO LXIII.

Vtrum poſſit Deus velle liberè ſine aliqua mutatione in rebus creatis?

SECTIO I. *Senſus quæſtionis; Ratio dubitandi, & Authorum ſententiæ.*

SECTIO II. *Propria ſententia.*

SECTIO III. *Arguitur contra noſtram ſententiam ex condonatione extrinſeca, diſpenſatione, & præcepto.*

SECTIO IV. *Contra ſolutionem datam aliqua opponuntur.*

SECTIO V. *Arguitur ex libertate volitionis inefficacis, conditionatæ, & diſiunctiuæ.*

DISPVTATIO iſta ad plures materias Theologicas vtilis eſt maximè autem ad probe intelligendam noſtram ſententiam de actibus liberis, contra quos hinc petunt aduerſarij communiter acriora tela; ſed quæ facilè retundi poſſunt. Maximè tamen notanda doctrina huius diſputationis præcipuè quam præſtabo §. 12. & §. 13. continet enim ſpecialiſſimum modum explicandi actus liberos Diuinos; vt Deus aliqua ratione vtatur entitatibus à ſe diſtinctis, quarum totum eſſe ſit determinare Deum ad volendum, vel nolendum, non quidem per modum formæ, ſed determinationis, & quaſi vnionis, pro cuius diuerſitate forma æter-

Vide infra qu. 19. art. 3. dub. 8.

na, & immutabilis volitionis diuinæ iam communicat denominationem *amantis* iam odio habẽtis: vt eadem anima rationalis pro heterogeneitate vnicnum iam facit caput, iam pedes; iam potentiam viſiuam, iam auditiuam quæ inſtantia præ oculis habenda hic.

SECTIO I.

Senſus quæſtionis; ratio dubitandi, & Anthorum ſententiæ.

1 QVærimus de voluntate Dei id quod ſæpè experimur in creata voluntate, poſſit nè exercere peculiares, & liberos affectus amoris, & odij, ſaltem in concreto circa obiectum aliquod, quin aliquid exerceat, vel operetur de nouo, aliquamuè mutationem cauſet ad extra, ſiue poſitiuam, ſiue negatiuam, vt quotidie in nobis contingit, qui ſine vlla mutatione extrinſeca diuerſimode interius afficimur.

2 Ratio dubitandi ſtatim cuilibet occurret iuxta meam ſententiam actus liber Dei ſaltem in concreto debet includere aliquid realiter defectibile, ſed nihil tale eſt ex parte Dei intrinſece, Ergo addi, & immutari debet extrinſecè in rebus creatis, vnde omnes authores, qui negant actum liberum Diuinum eſſe Deo ex omni parte intrinſecum; negant etiam poſſe Deum libere velle ſine mutatione extrinſeca in rebus, ita Aureolus, Vaſquez, Arrubal, Erize, cum Alarcon hic diſputat. 5. cap. 2. num. 2.

3 E contra autem affirmant communiter omnes qui tuentur actus liberos Dei adæquatè intrinſecos, Ita Caietanus ſupra Suarez Zumel, Curiel, Aluarez, cum Patre Ruiz hic diſput. 2. ſect. 2. nam cum de actibus liberis Diuinis diſcurrant condiſtinctè ab omni operatione extrinſeca, ſicut in nobis, non mirum, quod in illis poſſibilem agnoſcant variationem, quin in extrinſecis detur variatio. Imò mirum eſt, quod contrarium tueatur Alberrinus quartò principio philoſophico corollar. 4. quæſt. 4. Theologica, cum alioqui ipſe ſit libertatis intrinſecæ aſſertor.

SECTIO II.

Propria ſententia.

4 *Nequit dari in Deo actus liber libertate electionis ſine mutatione in rebus.*

IMplicat in Deo actus liber libertate electionis ſine abſoluta mutatione in rebus, ſecus libertate ſolius contingentiæ. Prima pars probatur, & explicatur. Actus liber libertate electionis eſt ille, ratione cuius immediatè, & formaliter exercetur libertas, agenſque ex parte ſua præbet fundamentum laudis, vel vituperij. Ergo actu & abſolutè, & non ſolùm conditionatè ponit aliquid contingens, quod potuit non ponere. Conſequentia patet, nam dignitas laudis ſolum fundatur in exiſtentiâ abſolutâ illius, quod potuit non poni; conditionatum namque opus non ſufficit ad laudem; aliàs modo Tyrij laudandi eſſent; qui ſub conditione prædicationis Chriſti egiſſent pœnitentiam. Tum ſic; ſed id, quod potuit non poni debet eſſe creatum. Ergo debet dari mutatio in rebus creatis.

5 Secunda pars probatur, nam conſtat dari abſolutè aliquam denominationem, actu de præſenti in ſubiecto ſolum ob connotationem alicuius futuri ſub conditione vt dixi diſput. 61. §. 13. & 14. in denominationibus, quæ abſolutæ ſunt in ſe ob connotationem conditionatam idemque patet in ſcientia media. Tunc. ſic hæ denominationes, & iſta ſcientia ſunt actu de præſenti, & non neceſſatiæ, alioqui implicarent non dari ſemper. Ergo dari poteſt de præſenti aliquis actus contingens, ſeu liber libertate contingentiæ in Deo, ſine aliqua mutatione abſoluta in rebus.

Secus actus liber libertate contingentiæ ſolius

Dices primo ab æterno actus Dei eſt liber libertate electionis, licèt ab æterno non detur connotatio contingens; Sed connotetur res merè temporalis. Ergo ſimiliter poterit ob meram connotationem euentûs conditionati abſolutè dari actus liber libertate electionis. Reſpondeo negando conſequentiam, quia Deus ab æterno, iam eſt laudabilis, eo quod actu, & abſolutè iam coexiſtit operi temporali, cum ſimul ſit in omnibus temporibus, at non ita coexiſtit euentui conditionato. Deinde laudabilitas ex ſuo conceptu ſpecialiter dicit ſtatum abſolutum, omnium quæ præbent fundamentum laudi, ſpecialius inquam dicit ſtatum abſolutum, quam dicat præſentiam, ecce ob peccatum præteritum eſt quis vituperabilis de præſenti, ob meritum futurum Chriſti Domini præmiabilis, ſecus continget ſi iſta conſiderentur conditionata. Et ratio eſt quia ea, quæ ſunt merè conditionata non ſubſunt ſimpliciter meæ poteſtati, nec ego ſimpliciter poſſum ea vitare, ille autem ſolum beatus eſt, qui non eſt transgreſſus, cum poſſit ſimpliciter transgredi. 6

Dices ſecundò per me ſine aliquo contingenti abſoluto datur abſolutè ſcientia media contingens Ergo ſimiliter dari poterit ita contingens ſine conditionato ob ſolam mutationem poſſibilem in rebus; æquè enim diſtat à ſtatu abſoluto res conditionata ac poſſibilis, imò omnis poſſibilis eſt conditionata ſub aliquâ hypotheſi. Reſpondeo negando conſequentiam, quia niſi recurramus ad contingentiam conditionatam, reſtat ſola, & omnino neceſſaria poſſibilitas, quare non eſt vnde veniat denominatio contingens. Neque omnis mutatio poſſibilis eſt conditionata ſub ea conditione ſub qua dicitur poſſibilis, vt patet in conuerſione Bethſaiditarum ſub prædicatione Chriſti, ſub qua licet potuerit eſſe futura tamen non fuit. Igitur abſolutè, & ad præſens loquendo nullus actus liber poteſt dari in Deo ſine mutatione vel abſoluta, ſi liber libertate electionis, vel conditionata in rebus, ſi liber libertate contingentiæ ſit. 7

SECTIO III.

Arguitur contrà noſtram ſententiam ex condonatione extrinſeca, diſpenſatione, & præcepto.

TRia hæc fiunt in humanis libere, ſine vlla mutatione in rebus extrinſecis. Ergo ſimiliter continget in Deo. Confirmatur verbi gratia, in voluntate condonandi, quæ per ſe nihil intrinſe, cum connotare poteſt incompoſſibile cum peccato, ſi enim aliquid maximè gratiam ſanctificantem iſta autem in primis non opponitur cum veniali, item neceſſaria non eſſet ad tollendum mortale in purâ naturâ. Denique non ſatis opponitur cum reatu pænæ, quem de nouo poteſt condonare Deus liberè 8

Condonatio quo pacto fieri poſſit ſine mutatione rerum.

libere remiſſa culpa vt ſi remitteret homini iuſtificato reatum pœnarum purgatorij, quæ condonatio in ratione talis non conſtituitur per ſublationem actualis pœnæ, poteſt enim pœna non actu infligi, manente tamen adhuc eodem debito ad pœnam. Ergo talis condonatio eſt purè extrinſeca.

9 *Ratio difficultatis ne ſit poſſibilis hæc condonatio extrinſeca.*

In primis ſatis probabile mihi eſt implicare condonationem purè extrinſecam, cur enim ſicut meritum ita ornat merentem, vt tolli nequeat ſine aliquo intrinſeco contrario non idem dicemus de peccato quod non minus tenaciter maculat: Explicatur, non poteſt Deus proibito Petrum, & Paulum diuerſimodè amare, ſi æquale meritum elicuerunt Ergo nec poteſt Deus pro libito odiſſe eum, qui meruit; Ergo nec amare eum, qui peccauit, ſeu condonare, ſine aliquo intrinſeco. Sed de hoc in tract. de iuſtificatione: Modo namque adhuc vrget argumentum. 1. Quando remittitur debitum pœnæ. 2. In diſpenſatione, & præcepto. 3. Denique in aliis denominationibus moralibus quas dat in humanis ſine aliquo intrinſeco incompoſſibili ſola extrinſeca voluntas hominis, vt patet in volitione collatiua Dominij, iuriſdictionis, adoptionis, ſignificationis vocum, &c.

10 Communis ſolutio eſt volitiones has Diuinas compleri per reuelationem, vel intimationem factam ipſi peccatori, vel ſubdito; præceptum namque, vel diſpenſatio ex ſuo conceptu habet nondum ſatis complete intelligi, quouſque legis, vel diſpenſationis notitia habeatur, ad quem modum hi Authores etiam diſcurrunt, vt condonatio Diuina nondum completa cenſeatur, niſi prout connotat notitiam, vel reuelationem de peccato commiſſo. Ita cenſent communiter Authores, qui actus liberos Dei omnino intrinſecos negant. Sed exiſtimo non ſatis ſolui argumentum, nam licet notitia legis, vel diſpenſationis proximè applicent ſubdito legem, vel diſpenſationem ſuperioris; nihilominus iſtæ liberæ intelliguntur, exercitæque à ſuperiori, vt adæquatè condiſtinctæ à tali notitia, id quod clarius cernitur in condonatione, prius namque, quam Deus reuelet, iam condonauit peccatum, imò ideò reuelat quia condonauit. Ergo per hanc reuelationem non bene conſtituitur, nec completur iſta volitio libera.

11 *Condonatio extrinſeca completur per connotationē ad volitionē Chriſti condonatiuam.*

Ego de facto loquendo in maiorem gloriam Chriſti capitis, Angelorum, & hominum admiſſa condonatione, & aliis volitionibus extrinſecis exiſtimo Dei condonationes, diſpenſationes, præcepta compleri per connotationem ad ſimiles volitiones & actus liberos Chriſti Domini; vnde volitio Diuina neceſſaria, vt contingenter connotans futuritionem Diuini concurſus ad volitionem Chriſti condonatiuam denominat Deum non ſolum efficaciter volentem ſic concurrere, ſed etiam condonantem abſolutè peccatum, diſpenſantem, præcipientem, & ſic de aliis denominationibus voluntatis liberæ, quæ fiunt ſine immutatione directa obiectorum, ſupra quæ cadunt.

12 *Si Chriſtus non exiſteret, compleretur actione creata determinante ad effectum volentis.*

Sed loquendo de poſſibili caſu, quo Incarnationis myſterium non exiſteret, adhuc tunc cenſeo poſſe euenire condonationem, verbi gratia, purè extrinſecam, quin aliquid ponat in peccatore. Nihilominus non ideo fiet ſine mutatione abſoluta in rebus. Igitur dico ſaluo meliori iudicio, tunc dandam eſſe quandam entitatem vel modum, quo Deus reddatur volens, & condonans in concreto, & idem proportionatè dici poteſt de diſpenſatione, & præcepto, ſicut enim iuxta communem ſententiam ſit hoc argumentum pro modis diſtinctis; poteſt dari agens, & terminus, quin agens actu agat, voluntas creata, quin actu velit, extrema quin vniantur, corpus quin ſit in hoc loco. Ergo iſti effectus formales addunt aliquem modum, ita ſimiliter arguo. Poteſt dari volitio Dei & peccator quin volitio ſit condonans, ergo condonare, aliquem modum diſtinctum addit, hic modus non eſt forma condonandi, ſeu volendi carentiam, ſeu volitio in abſtracto, quia volitio ſic, cum ſit vitalis, eſt intrinſeca Deo, & ab æterno, eſt tamen modus iſte talis, vt ex eius connotatione conſtituatur Deus actu condonans, ſeu ſpecialiter *volens* carentiam peccati, de qua entitate modali dubitari non poteſt poſſe eſſe omninò extrinſecam peccatori, ſicut extrinſeca eſt mea volitio obiecto volito, etenim modus iſte licet non ſit *volitio* in abſtracto reſpectu Dei, eſt tamen determinatio ad volendum in concreto, & quædam, vt ita dicam, quaſi volitio per quam Deus vult. Quatenus vltimo determinat vt Deus ſit *volens.*

Vti in nobis datur forma volitionis, ita modi creati ſeruiunt Deo ad determinationem cōcreti volentis.

SECTIO IV.

Contra ſolutionem datam aliqua opponuntur.

13 *Explicatur.*

Dices primo inintelligibile eſt, quid ſit modus iſte. Reſpondeo: eſt quædam entitas determinatiua effectus formalis condonandi, ſeu ſpecialiter volendi, ſicut de modo diſtincto ab agente dicis eſſe puram determinationem; cur potius repugnabit entitas modalis inſtituta ad complendum illum effectum formalem condonandi, quin alterius muneris ſit. Item ſicut voluntati creatæ, vt de nouo velit additur nouus modus diſtinctus volitionis nouæ, ita modus iſte eſt quædam quaſi volitio Diuina, ſeu determinatio volendi in concreto modo dicto.

Dices, ille modus, ſi non ineſt peccatori, non poteſt habere repugnantiam cum peccato, nam contraria ſecum pugnant in eodem ſubiecto. Reſpondeo non dari hic pugnam phyſicam ſeu in eſſendo, ſed intentionalem in volendo. Tum: Quia peccatum habituale nihil eſt actu phyſicè. Tum etiam: Quia modus ille non pugnat ratione ſui, & in eſſe entis, ſed tantum intentionaliter pugnat voluntas Diuina, quæ vt connotet modum iſtum facit Deum volentem efficaciter. Deus autem vt ſic intentionaliter repugnat cum carentia ſui obiecti, & conſequenter cum peccato. 14

Hæc actio ſeu modus habet repugnantiam intentionalē cum peccato.

Dices tertio ſi modus iſte non ſit in peccatore nondum aſſignari quid à peccatore tollat, vel ponat volitio condonans. Reſpondeo volitionem condonantem circa peccatorem ſolum ſe habere purè intentionaliter volendo illud idem quod tu aſſignaueris pro obiecto tuę condonationis factæ per volitionem omnino intrinſecam, v. g. ſpecialiter volendo carentiam peccati. Preterea addo ego Deum in ratione ſic volentis conſtitui, & ſuperaddere illum modum creatum, qui datus eſt ad faciendum Deum volentem in concreto de nouo, ſicut nobis datur volitio accidentalis, cum hoc tamen diſcrimine, quod in nobis contingens ſit ipſa volitio, in Deo autem ſolum de nouo connotatur modus ille ad volendum in concreto, ob quod modus ille in linea volendi eſt, licèt non ſit volitio; vnde ſicut voluntas noſtra actiuè ſe habet phy- 15

ſicè circa ſuam actionem volitiuam, purè autem intentionaliter circa obiectum volitum, ita Deus actiuè ſe habet circa illam entitatem modalem, & purè intentionaliter circa obiectum volitum media illa.

16 Dices 4. quod maximè contra P. Vaſquez vrgeri ab aduerſariis Authoribus ait Alarcon diſp. 5. c. 3. num. 1. modus ille complet volitionem Dei de illo liberam, ſeu volitio Dei per ordinem ad connotationem talis modi reddit Deum in concreto volentem prædictum modum, ſicut creatio complet volitionem creandi: Ergo modus iſte non complet volitionem de altero obiecto, ſcil. condonatiuam peccati. Reſpondeo: Modus ille eſt ratio volendi carentiam peccati, ſeu condonandi in concreto, vti actio eſt ratio agendi; vnde ſicut actio & ad ſe, & ad terminum determinat cauſam, ita ſimiliter modus ille complet Deum in ratione volentis, & agentis eundem modum, & etiam complet in ratione *purè volentis*, ſcilicet carentiam peccati.

17 Dices 5. ergo Deus vult per actum diſtinctum, & realiter productum, ſicut & nos. Reſpondeo nego conſequentiam, quia modus iſte non eſt forma volendi Deo, ſed pura determinatio ad volendum in concreto, de hac autem nihil refert eſſe diſtinctam à Deo, etenim omnes Aureoliſtæ complent volitionem Dei per connotationem ad extrinſecam productionem creaturæ. Quod autem ego dicam creaturam hanc eſſe entitatem modalem nullius alterius muneris, niſi vt præciſè determinet ad volendum in concreto, ſicut modus, qui determinat ad agendum, quid abſurdi, aut inconuenientis eſt.

SECTIO V.

Arguitur ex libertate volitionis inefficacis conditionatæ & diſiunctiuæ.

18 His tribus modis poteſt exerceri voluntas Dei, at per nullum ex his ponitur mutatio proportionata in rebus: Nam 1. *inefficax* omni caret effectu. 2. *conditionata*, cum ipſa abſolutè detur ex parte obiecti; nihil tamen abſolutum in rebus creatis connotat. 3. *diſiunctiua* nihil connotat determinatum, cum tamen volitio diſiunctiua in ſe ipſa determinata ſit: Ergo libertas Dei non eſt ſumenda ex connotatione in rebus.

19 In primis plures negant dari in Deo liberè hos affectus: ſed quidquid de hoc ſit, vno verbo reſpondetur ex dictis, vt Deus liberè ſe exerceat per hos modos volendi, neceſſarium eſt vt ipſi correſpondeat aliqua mutatio, non quidem in obiectis volitis inefficaciter, conditionatè, & diſiunctiuè: At in entitate modali ſuperaddita, qua Deus determinatur ad amandum in concreto, ſicut voluntas creata inefficaciter amans liberè, licèt nihil ponat in obiecto inefficaciter volito, ponit tamen in ipſo actu volendi, ipſumque actum habet efficaciter abſolutè & determinatè, licèt obiectiuè ſe habeat inefficaciter, conditionatè, & diſiunctiuè. Si tamen velis hos affectus liberè dari in Deo etiam quando nihil omnino ad extra producit libertatem hanc nego vt conſtat ex dictis; neque authorum argumenta, qui hos affectus liberos admittunt & defendunt, pro ea libertate decertant.

Vide infrà diſp. 73. ſect. 1. §. 2.

Defenditur ſimilis actio in affectu inefficaci, conditionato, & diſiunctiuo.

20 Ex quo fit 1. affectum, quo Deus vult omnium ſalutem poſſe eſſe liberum licèt inefficacem, vt tenent Theologi 1. part. qu. 19. art. 6. Nam talis voluntas non eſt omnino omiſſiua, vnde producere poterit modum, quo Deus determinetur ad volendum inefficaciter. 2. poteſt eſſe libera volitio conditionata ex parte obiecti etiam circa obiecta, quæ nullam habent inter ſe connexionem, vt 4. Reg. 13. liberè Deus ſtatuit: *Si percuſſiſſes ſepties percuſſiſſes Syriam.* Etenim hæc etiam voluntas aliquid ad extra operatur. 3. Idem dico de volitione diſiunctiua decernente, vt offerantur duo turtures, vel duo pulli columbarum. 4. de voluntate præparatiua concurſus indifferentis, etenim licèt hæ voluntates nihil ponant in obiecto directo, non ſunt omninò omiſſiuæ, vnde non cogimur ad negandum poni entitatem modalem, & determinatiuam, qua Deus conſtituatur volens: fit 5. de præfinitione efficaci, quæ talis eſt, vt quidquid ad extra fit cum illa, potuerit etiam ſine illa exiſtere, vt communiter dicitur. Vnde ſine mutatione directa in creaturis habetur, iſta enim & ſimiles volitiones cõſtituendæ ſunt ex entitate modali iam explicata.

Varia volitiones liberæ explicantur.

Addo etiam volitiones has ſæpè etiam eſſe liberas, quantumuis nihil ponant abſolutè ad extra, cur enim v. g. ſicut ex ſola connotatione euentus conditionati infinita ſcientia Dei redditur apta, vt faciat Deum cognoſcentem abſolutè ex parte ſubiecti, & conditionatè ex parte obiecti; non dicemus idem de voluntate, vt etiam caſu quo Deus nihil ad extra creaſſet, ex eo ſolum quod aſſumpturus foret carnem, ſi mundus crearetur, iam dicat: Volo incarnare, ſi mundus creetur. Hæc tamen volitio, licèt abſoluta ex parte ſubiecti, non foret libera libertate electionis, vt dixi ſect. 2. ſed ſola libertate contingentiæ, vt idem dicitur ibi de ſcientia media. Idem modus libertatis caſu, quo Deus omnino nihil creaſſet, fingi poteſt in voluntate inefficaci, diſiunctiua, &c. 21

DISPVTATIO LXIV.

De ordine cauſalitatis, ſeu intentionis, & executionis in voluntrte Diuina, qualiter contingat vndeque ſumendus ſit?

Sectio I. *Senſus quæſtionis, & ratio dubitandi*

Sectio II. *Aliorum iudicia proponuntur, & reijciuntur.*

Sectio III. *Vera ſententia, & explicatio.*

Sectio IV. *Explicatur quo pacto Deus poſſit ex diuerſis finibus ceſſare ab omni productione creata.*

Etiam diſputatio iſta ſeruiet maiori explicationi noſtræ ſententiæ de conſtitutione actuum liberorum Dei per connotata extrinſeca ex difficultate namque præſenti, quæ valdè neceſſaria eſt diſputationibus Theologicis in quibus ſæpè diſtinguuntur ordines, executionis, & intentionis; maximè inſultant Authores contrarij cenſentes hos ordines in noſtra ſententia, ne diſtingui, nec ſatis explicari poſſe vt videbimus ſect. 1. Pertinet diſputatio iſta ad explicandam difficultatem; An voluntatis diuinæ

Vide infra qu 19. art. 3. dub. 12 & 3

uinæ ſit aſſignare aliquam cauſam de qua Theologi 1. part. quæſt. 19. art. 5.

SECTIO I.

Senſus quæſtionis, & ratio dubitandi aperitur.

1 CErtum eſt primò & extra quæſtionem voluntatis Diuinæ ſæpè aſſignari cauſam vel motiuum, ſic propter noſtram ſalutem voluit incarnationem, nos ipſos vt ſalutem conſequamur creauit. Certum eſt mihi ſecundo hanc cauſalitatem non exerceri ex parte obiecti independenter ab intellectu noſtro, inter ipſos actus Diuinos, ita vt intentio noſtræ ſalutis ſit ex natura rei formaliter, vel virtualiter intrinſecè prior actu exequente, ſeu volente executionem incarnationis. Certum eſt tertio hunc ordinem non eſſe ponendum præcisè in ipſis obiectis extrinſecis ſecundum ſe, obiecta enim indifferentia ſunt verbi gratia, vt incarnatio ſit propter noſtram ſalutem, vel è contra noſtra ſalus ſit propter incarnationem.

2 Hinc fit in præſenti totam quæſtionem eſſe in explicando, quid ſpeciale detur in natura, vel ex parte Dei, ratione cuius dicatur Deus potius velle hoc medium ex intentione huius finis, quam è contra: cum eadem incarnatio, & ſalus hominis potuerit eſſe, quin illa ſit propter hanc, ſed potius ſalus hominum ex fine maioris gloriæ Chriſti: cum ſicut incarnatio decreta eſt ex fine ſalutis hominum, potuerit ob alium finem decerni: quid ſpeciale eſt in vno euentu, quam in alio? quid fundamenti eſt diſtinguendi volitionem executiuam huius medij ab intentione talis finis? per quid conſtituitur volitio incarnandi relata ad finem noſtræ ſalutis?

3 Et quidem ſi actus liberè Diuinus eſſet adæquatè Deo intrinſecus, facile foret aſſignare hoc nouum, & ſpeciale, in quo conſiſtat relatio, & ordinatio libera ad finem, conſiſtet nempè in nouo actu Diuino, quo potius ordinaret Deus incarnationem in hunc finem ſalutis, quam in alium, quemadmodum in nobis contingit. At verò, ſi in ipſa volitione Diuinà nulla nouitas eſſe poteſt maxima inſurgit dubitandi ratio in aſſignando capite vnde aſſumenda ſit diuerſitas iſta.

SECTIO II.

Aliorum Iudicia proponuntur, & reiiciuntur.

4 PRima ſententia explicat hanc cauſalitatem, eo quod vnus actus Diuinus ſit obiectiuè prior, & cauſa ſaltem virtualiter intrinſece reſpectu alterius Ita Ruiz diſput. 22. ſect. 3. Martinon diſputat. 14. ſectione 7. Suarez, & alij omnes Recentiores, qui actus liberos Diuinos Deo adæquatè intrinſecos defendunt. Sed reiiciuntur ex dictis. Deinde quantumuis actus Diuinos liberos adæquatè intrinſecos admittant, & defendant, adhuc negandum puto omnem prioritatem, & principium virtuale intrinſecè loquendo immediatè.

Diuina electio vnius propter aliud nequit per prioritatem actuum explicari.

5 Secunda ſententia recurrit ad connexionem, & ordinem, quem habent obiecta inter ſe. Ita Vaſquez 1. part. diſput. 81. cap. 5. & 6. Molina, Zumel, cum Alarcon in præſenti diſput. 5. cap. 6. num. 5. exiſtimante huius ſententiæ debere eſſe omnes, qui actus liberos Dei per connotationem extrinſecam complent. Sed contra quia incarnatio nullam habet connexionem cum noſtra ſalute, ſed vti facta eſt ob noſtram redemptionem, potuit fieri ob alium finem, vt per ſe patet. Hæc dicta ſunt, ſi loquamur de rebus ſecundum ſe, vt loquitur Vaſquez ſi namque res ſumantur vt modificatæ per modos creatos eiſdem ſuperadditos vt ſic, verus erit hic modus explicandi de quo ſect. 3.

Neque per connexionem obiectorum inter ſe.

Tertia ſententia putat hunc ordinem cauſalitatis fundari præcisè in noſtro modo cogitandi, quo cogitamus Deum iam moueri ex hoc fine, iam ex illo, & quia vnam volitionem Diuinam prius; aliam poſterius nos concipimus, ob id actus voluntaris Diuinæ dicuntur alij aliis priores; ſicut columna extrinſecè, & impropriè dicitur *dextera* ab hominis iuxta eam ſtantis dextera. Ita nuper Author Anonimus lib. de Ordine cap. 36. num. 5. & olim Nominales cum Oxamo in 1. diſtinct. 9. quæſt. 3. Sed contrà licet prioritas cauſalitatis vnius actus Diuini in alium ſit ſolum penes cogitationem noſtram, Quia verè & ex parte obiecti, nec virtualiter datur in ſubiecto inter actus Diuinos; At hoc quod eſt Deum ideo amare hoc medium, quia amat finem, & non è contra, verbi gratia incarnationem propter noſtram ſalutem, verè & ex parte obiecti contingit realiter, vt pluribus euidentiſſimè oſtendunt Patres Ruiz, & Martinon ſupra à quibus ſuperſedeo cum manifeſta ſint. 6

Neque per noſtrum modum cogitandi t

Quarta ſententia pro diuerſitate finium variat actiones, ita Arriaga & Herize in præſenti, qui probat hanc variationem, quia nunc productio hominum oritur ex diuerſâ volitione neceſſariâ Dei habente ſe per modum principij, ſcilicet ex complacentia in fine ſupernaturali, alias oriretur ex alia naturali; vnde cum actiones ſpecificentur à ſuis principiis, ex hac diuerſitate diſtinguentur. Sed contra. Primò quia incredibile eſt actionem variari pro finium varietate, vt diuerſa ſit productio pluuiæ, quia Deus mouetur ex oratione, vel quia in ſupplicium, vel quia fine naturæ, &c. Alioqui generatio hominis eſſet intrinſecè ſupernaturalis, cum fiat à principio ſupernaturali. Secundò eadem actio iam poteſt fieri ex hoc fine, iam ex alio, maximè in ſententia, quæ terminum creationis ab actione non diſtinguit, vt Angelum vel animam rationalem. Tertio clarius patet in carentia, quæ ſæpè datur ex diuerſis finibus; hic autem non licet recurrere ad actionem, quæ in carentiam non datur. 7

Actiones non variantur pro diuerſitate finium.

Quinta ſententia Recupiti hic quæſt. 9. num 49. recurrit pro varietate finium vel motiuorum ad varietatem defectus conditionati: Hinc Deus cenſetur voluiſſe conuerſionem Diui Pauli ob orationem Stephani, quia *Si Stephanus non oraſſet* (ait Auguſtinus ſermone primò de Stephano) *Eccleſia Paulum non habuiſſet*: ſi autem ex alio fine vellet conuerſionem Pauli verbi gratia ob conuerſionem gentium, tunc variaretur defectus conditionatus vt ſcilicet, ſi gentes conuertendæ non forent, Eccleſia non habuiſſet Paulum. Ita ſentit Pater Salazar cap. 24. de conceptione §. 3. ſect. 4. numero 72. & 75. & Pater Ripalda diſpur. 67. ſectione 3. de ente ſupernaturali. Sic explicat etiam in nobis cauſalitatem finalem potius ab hoc fine, quam ab alio. 8

Sed contrà. Quia Deum moueri vel non ex hoc fine imbibit ſpecialem laudabilitatem, exercitiumque libertatis electionis ſeu eligentis; imò ſæpè tota 9

Cauſalitas finis nequit

explicari per euentum conditionatum.

laudabilitas operis reducitur in id, quod operans moueatur ex tali fine. Iam verò vt ſatis conſtat, diſput. 63. ſect. 3. hæc laudabilitas ſtare nequit, niſi ſimpliciter ponatur aliquid ſpeciale abſolutum. Præterea latè oſtendo diſput. 19. Phyſicorum ſect. 3. non poſſe conſiſtere cauſalitatem finalem in hoc defectu conditionaro, alioquin ſæpè actus diceretur fieri ex fine honeſto, ex eo quod connotaret peccatum conditionatum, verbi gratia, pone Chriſtum moueri ad actum præceptum gratitudinis de vnione hypoſtaticâ ex peculiari complacentiâ circa bonitatem Diuinam: in hoc caſu iuxta hanc ſententiam Chriſtus diceretur moueri ex tali complacentia, ex eo quod connotaret ſe non eliciturum talem gratitudinem præceptam, & conſequenter peccaturum, ſi ei deeſſet talis complacentia: Ergo hic actus Chriſti vt ſpecialiter honeſtus ob talem complacentiam conſtituitur ex peccato conditionato, ſub hypotheſi, ſcilicet quod abeſſet talis complacentia. Hoc autem prorſus repugnat, nam Chriſtus in hac hypotheſi adhuc foret impeccabilis.

SECTIO III.

Vera ſententia & explicatio.

Explicatur cauſalitas finis per modum ſuperadditũ productioni ſecundum ſe.

10 INtentio quatenus diſtinguitur ab electione diuerſum modum, ſeu entitatem moralem connotat, quam electio, verbi gratia, electio Incarnationis præcisè connotat futuritionem Incarnationis ſecundùm ſe; Intentio verò eam referens in noſtram ſalutem connotat modum quendam quo Deus redditur in concreto *volens* efficaciter eam Incarnationem propter noſtram ſalutem, & vt ſic volens determinatur, vt Incarnationem ipſam producat; vnde talis modus eſt Deo quædam quaſi intentio Incarnationis propter noſtram ſalutem, non quidem vt forma ipſa volendi, & intendendi, ſed vt diſpoſitio determinans ad denominationem *volentis* Incarnationem propter talem finem. Si autem Deus ex alio fine Incarnationem intenderet in ratione ſic *intendentis* conſtitueretur ex alio modo proportionato.

11 Dices Deus vt intendens finem prius concipitur, & condiſtinctè ab executione medij; Imò Deus vt intendens eſt cauſa talis executionis, vt verbi gratia, productio Incarnationis oriatur, & procedat ex intentione ſalutis; Tunc ſic, ſed non procedit modo ſupra poſito: Ergo per illum non conſtituitur Deus intendens ſalutem. Reſpondetur productionem Incarnationis procedere ab illo modo, ſiquidem modus ille eſt determinatio vt Deus producat Incarnationem propter noſtram ſalutem; neque mihi abſurdum eſt dari, poſſe determinationem, vel actionem reflexam in primam actionem, licèt enim primæ actionis non detur actio ſecunda, quando prima eſt vndequaque determinata, non tamen repugnat conceptui actionis, quod in vna linea ſit determinata, nempe vt ſic procedat, indifferens tamen maneat vt ſimul procedat aliter, quæ indifferentia per alium reflexum modum determinabitur.

Talis modus eſt quædam reflexa determinatio mundi.

Quatenus actio productiua mundi ſit capax vlterioris determinationis.

12 Huius ratio eſt; Quia rectè ſtat cum determinatione in vnâ lineâ in differentia in alia; ſic ſubſiſtentiæ modus eſt determinatio ad ſubſiſtendum, durationis ad durandum, hi tamen modi indifferentes ſunt, vt ſic vel ſic ponantur in loco vel producantur: Ergo conceptui actionis ſatis erit, ſi ſe ſolo ſit determinatio, vt oriatur taliter, licèt maneat indifferens vt aliter oriatur ex alio ſcilicet fine, quæ indifferentia tollatur per modum reflexum. Hinc rurſus à priori oſtenditur non repugnantia actionis reflexæ, per quam actio directa producatur, quia ſolum negatur quod ſit neceſſaria actio reflexa in actionem directam, ne ſi vna actio, vt fiat requirat aliam reflexam, à qua potius procedat, ſequatur inde proceſſus in infinitum actionum. Tunc ſic, ſed iſte proceſſus non ſequitur, licèt ponamus hanc actionem reflexam pro varietate finium, vt ſic determinetur, vt procedat eadem actio directa iam ab hoc fine, iam ab illo: Ergo ſine abſurdo admitti poteſt iſta actio reflexa, quam intendo.

Sed quia doctrina hæc de poſſibilitate actionis reflexæ in aliam actionem directam mihi veriſſima eſt, valdeque conducens ad præſens, confirmare eam placet exemplo aliorum modorum, verbi gratia, vnionis, quæ licèt per ſe ſit determinata & vnita cum his extremis: A A tamen admittere poterit nouam, & diſtinctam vnionem, qua aliis extraneis copuletur; ergo ſimiliter actio poterit terminare nouam, & reflexam actionem, qua à præternaturali, ſeu aliena cauſa oriatur. Conſequentia patet, quia ſicut in genere non datur actionis actio, ita neque vnionis vnio: ergo ſicut hoc intelligitur ſolum ad connaturalia extrema vnionis, ita ſentiendum eſt de actione, quæ ſuo modo eſt quaſi vnio agentis cum ſuo effectu. 13

Probatur vnionis vnio.

Iam antecedens, quod præcipuè à me intenditur, oſtenditur primò in vnione continuatiua, verbi gratia, vnius partis aquæ ad aliam, quæ non ſolum copulat vtramque partem, ſed etiam vnionem vnius cum vnione alterius: Neque enim ſolum parte continuatur, ſed etiam ipſa vnio præcedentis partis, ſeu qua materia & forma præcedentis partis erant vnitæ cum alia vnione ſuperuenientis partis continuatur, quod præcipuè cernitur, quando nutritur homo; nam homo per nutritionem non producit nouam partem animæ quæ partes non habet, nec nouam partem materiæ, quæ ſolum per creationem fit, neque vnionem animæ rationalis ad nouas partes, quia anima virtutem non habet ad producendam vnionem ſui cum corpore: Ergo faciet nouam vnionem, non nouæ materiæ præcisè cum præexiſtente, ſic enim non faceret formaliter hominem, vt hominem in ratione totius creſcere (nam homo vt homo reduplicat ſupra vnionem) ſed tantum partem hominis: Ergo ad hoc quod homo vt homo creſcat per nutritionem continuatiuè neceſſarium eſt, vt vnio partis ſuperuenientis copuletur cum vnione partis præexiſtentis: Tunc ſic, non per vnionem antiquam; hæc enim ſolum habet copulare formam cum materia: Ergo per nouam & reflexam. 14

In vnione nutritiua.

Idem antecedens ſecundò intentum patet clarius in vnione hypoſtatica, qua verbum Diuinum non ſolum aſſumpſit partes humanitatis ſecundum ſe, ſed vt vnitas, ipſamque vnionem, quæ inter materiam & formam intercedit, vt notat Suar. tom. 1. in 3. part. diſp. 17. ſect. 3. verſu *primo Quia*: & certè ſaltem de poſſibili nemo negabit, quid quid de facto ſit, cum enim verbum potuerit aſſumere accidentia iuxta plurium ſententiam, quidni modũ hunc ſubſtantialem? imò & vnionem continuatiuam, qua vna pars corporis cum alia copulatur vt ait Cardinalis de Lugo diſput. 12. de incarnatione ſect. 5. num. 62. At illa vnio naturalis non ſeipſa, (cum exiſtere poſſit ſine verbo) Sed medio nouo 15

Hypoſtatica.

modo

modo vnionis vnitur verbo Diuino vt benè vidit Suarez ſupra §. *Et confirmatur* ad finem §. 1. Ergo rectè admitti poteſt vni. nis directæ alia vnio reflexa.

16 Tertiò denique oſtenditur idem antecedens in vbicatione, duratione, & ſi vis relatione, quibus vnio vbicatur, durat, & refertur ad has entitates modales quæ intrinſecæ ſunt ipſi vnioni) vnio ſubſtantialis procedens inter materiam, & formam non vnitur per ſeipſam ſiquidem ſeparabilis eſt vnio ſubſtantialis ab his extremis modalibus. Ergo vt hæc vnio cum prædictis extremis vniatur, indiget noua, & diſtincta vnione, ſiue talis vnio noua identificetur cum modo vbicationis adueniente, ſiue non, hoc enim non tollit quin vnio indigeat aliquando nouo modo vnionis diſtincto vt vniatur ſicut indiget nouo modo diſtincto vbicationis. Idem argumentum fieri poteſt in modo *ſubſiſtentiæ*, qui ſeipſo eſt vnio cum ſubiecto, & tamen hoc non tollit, quin indigeat diſtincta vnione, per quam copuletur cum ſua vbicatione, duratione. *&c.*

Ad modos vnitur vnio ſubſtantialis per aliam vnionem.

17 Ex qua ſententia ſic explicata non ſequuntur abſurda, quæ notaui contra quartam ſententiam in ſectione præcedenti. Primò non ſequitur actionem ipſam productiuam rei variandam ob diuerſitatem finium, iſta enim actio cum per ſe non dependeat ab his finibus, eadem manebit, productio pluuiæ verbi gratia ſiue Deus moueatur ex oratione Eccleſiæ, ſiue aliunde; & conſequenter naturalis manebit hæc productio, generatioque hominum, licèt producantur ex fine ſupernaturali. Quod autem varietur actio reflexa, ſeu modus à me explicatus determinans Deum ad intendendum varios fines, nihil refert, nam perinde hoc eſt ac in nobis variari actus intentionis, ſiquidem modus iſte huius muneris eſt vt dixi initio huius ſection. 2. benè hic poteſt, quantumuis terminus ſit indiſtinctus ab actione creata, fieri ob diuerſos fines, ſiquidem poteſt varias actiones reflexas terminare, vt conſtat ex præcedentibus.

18 Demum Tertium abſurdum, quod vrgentius oppugnat quartam ſententiam in ſectione præcedenti mihi nullatenus opponitur, nec ex mea ſententia ſequitur non poſſe Deum eandem carentiam iam ex hoc fine iam ex illo habere: licèt enim in carentiam illam nihil phyſicè exerceat; at iuxta me exercet phyſicè entitatem quamdam modalem, (ſubiectatam ſiue in eodem ſubiecto, in quo eſt carentia, ſiue in alio) qua conſtituitur Deus volens eam carentiam ob talem finem, determinaturque ad ipſam ſic habendam verbi gratia quando tollit Deus dolorem ob orationem infirmi, tunc Deus conſtituitur volens liberè carentiam doloris ob illum finem quatenus determinatur ab entitate modali, quam in infirmo vel alibi producit: quod ſi tolleret dolorem ex alio fine tunc alio modo ſe haberet Deus, ſeu aliam entitatem modalem produceret, quia determinaretur ad volendum ſic.

SECTIO IV.

Explicatur quo pacto Deus poſſit ex diuerſis finibus ceſſare ab omni productione creata.

19 IN hac hypotheſi maximè vrget præſentis diſputationis difficultas, cui non ſatis occurrere poteſt explicatio à me hucuſque data; ſiquidem nullus modus nullaque creatura producitur: In hoc caſu vti Deus ad creandum poteſt moueri ex diuerſis finibus, ita & ad nihil creandum potuit Deus verbi gratia non creare mundum, quia præſciebat homines peccaturos. Hinc rogant communiter Patres cur creauerit Adamum, quem præſciebat peccaturum. Ergo ſupponunt potuiſſe Deum pro ſuo libito non creare mundum ex eo, quod præſciebat peccaturum, ſeu vt ſic vitaret Adami peccatum.

Hoc poſito ſic arguitur contra datam explicationem in ſectione præcedenti, vt probetur ordinem liberum intentionis, ſeu hoc quod eſt Deum liberè moueri ex tali fine neceſſario debere conſiſtere in aliqua volitione Dei contingenti, & ipſi adæquatè intrinſecâ. Hoc quod eſt moueri Deum ad nihil creandum ex tali fine libero verbi gratia vitandi peccatum futurum Adami non conſiſtit in ipſa omiſſione, ſeu ceſſatione creationis, nam talis omiſſio potuit dari, & non ex tali fine, cur enim Deus non poterit ſic omittere, nullo alio attento, niſi præcisè libito ſuo, & tali gloria Diuina? Rurſus neque conſiſtit prædicta modo libera ob finem vitandi peccatum in entitate modali creata, quam explicui ſectione præcedenti num. vltimo. Nam ſuppono Deum ab omni prorſus creatione ceſſare. Ergo dicendum eſt Ordinem illum liberum intentionis conſiſtere in nouo actu libero Deo ipſi adæquatè intrinſeco, vel negandus eſt ordo intentionis liberæ, ſaltem in hoc caſu. 20

Dices primò moueri Deum liberè ex tali fine ſpeciali ad non creandum conſiſtit in connotatione defectûs conditionati omiſſionis. Quia enim Deus ita ceſſat à creatione præuidens Adamum peccaturum, vt non ceſſaret, ſi non præuideret peccaturum Adamum, hinc manifeſtum eſt ceſſare ob illam præſcientiam: Quemadmodum in ſententia admittente puram omiſſionem liberam in voluntate creata poſſe eſſe propter finem hoc exercitium, & ipſa motio libera omiſſionis propter finem explicatur, quin aliquem actum nouum ponat voluntas creata eo ſolum, quod connotetur defectus conditionatus omiſſionis, hoc eſt, quod voluntas creata ita omittat ex hoc fine, vt non eſſet omiſſura, niſi adſtaret talis finis. Ita Pater Ripalda tomo 1. de Ente ſupernaturali diſput. 70. à num. 59. Item Recupitus in præſenti quæſt. 9. num. 49. Sed ego hanc ſolutionem probare non poſſum, quam latè impugnaui ſectione ſecunda contra quintam ſententiam. 21

Dices ſecundò hanc motionem finis, ſeu intentionem liberam conſiſtere, non quidem in omiſſione quâcunque creandi, ſed in hac omiſſione ſpeciali, quæ per ſuam eſſentiam habet procedere à tali fine determinato. Ita plures recentiores apud Ripaldam diſp. 70. de ente ſupernaturali n. 48. & 62. diuerſificant omiſſiones puras voluntatis creatæ, eo quod ſint ex diuerſis finibus. Igitur Deus quando omittit creationem ex hoc fine connotat hanc numero omiſſionem, quando ex alio, aliam diuerſam. Sed contra in carentiis nunquam eſt admittenda diuerſitas niſi ratione diuerſi entis poſitiui, ratione ſcilicet diuerſæ formæ poſitiuæ, quã priuant, vel diuerſi ſubiecti poſitiui, in quo ſunt, vt notaui ſupra diſput. 6. ſect. 1. verſu. *Hæc explicatio veroſimilis eſt*, ſi enim in rerum natura directè, & per ſe ſine vlla immutatione poſitiua ponitur, vel tollitur carentia; iam talis, carentia non eſt, in nulloque differt ab ente poſitiuo. Tunc ſic. Sed iuxta me nihil poſitiuum creatum nec increatum datur diuerſum 22

diuerſum in Deo eo, quod omittat ex hoc fine, vel illo. Ergo nec carentiæ ſeu omiſſiones erunt diuerſæ.

23 *Per quid conſtituatur cauſalitas finalis volitionis nihil producendi propter finem*

Ideò ego aliter reſpondeo caſu, quo Deus præuidens ſi creetur Adam peccabit, ceſſet ab omni creatione, eo ipſo hæc ceſſatio erit ex fine vitandi peccatum etenim Dei natura, & infinita ſanctitas, volunt vt moueatur eo fine honeſto, ad quem conducit eius exercitium. Dices ergo Deus non erit laudabilis, dum omittit creationem mundi eo, quod moueatur ex tali fine honeſto. Reſpondetur ex ſuppoſitione, quod omittit omninò, tranſeat conſequens, quia ex hac ſuppoſitione non poteſt non ſic moueri. At hoc Patribus non opponitur, qui ſolum quærunt, cur non omiſerit ex illo fine vitandi peccatum: vnde potius tacitè innuunt, quod ſi ceſſaret à creatione, ceſſatio foret ex illo fine vitandi peccatum.

24 Dixi ex ſuppoſitione quod omittit *omninò*, nam poſſet Deus omittere creationem Adami peccaturi, quin moueretur ex fine vitandi peccatum, ſi ſcilicet omiſſio non eſſet omninò pura, ſed productiua moduli creati, quo determinaretur Deus ad non producendum Adamum peccaturum, non quia peccaturum, ſed præcisè ob alium finem ſuæ libertatis, ſeu quo conſtitueretur Deus dicens: *volo non producere Adamum, quem præuideo peccaturum, non quia peccaturus ſit, ſed præcisè ob talem gloriam meam.* At caſu quo Deus purè omninò omiſſiuè ſe habeat omittens etiam modulum hunc creatum, quem poſſet habere, hinc per omiſſionem liberam huius moduli determinatur, ad æquè amplectendos omnes fines, ad quos præcognoſcit conducere eam ceſſationem omnimodam, vnde omiſſio omnimoda foret, etiam ex fine vitandi peccatum præuiſum.

25 Dices: Poteſt dari omiſſio omnimoda, quin ſit ex fine vitandi peccatum Adami, ſi ſcilicet præuideret Deus Adamum licet creetur non peccaturum. Ergo eſſe ex illo fine non conſiſtit præcisè in tali omiſſione. Reſpondeo concedo conſequentiam, quando ſic non præuidetur peccatum futurum, vti omiſſio pura voluntatis creatæ non poteſt eſſe ob finem qui ab illa non dependet. Vrgebis. Ergo Deum liberè omittere ob finem vitandi peccatum, præter ipſam omiſſionem dicit præuiſionem peccati alias futuri, ſi non daretur omiſſio. At hæc præuiſio nihil ponit nouum in rebus, niſi ſolam futuritionem conditionatam peccati, ſi Adam creetur: nam præter connotationem hanc nihil noui euenit in ſcientia neceſſaria Dei, vt iſta denominetur ſic, præuidens peccatum conditionatum. Ergo tandem ad euentum conditionatum poteſt reduci tota libertas, & laudabilitas Dei, quæ relucet dum mouetur ex fine.

26 Hoc vltimum conſequens ſic diſtinguo, ſolus euentus conditionatus auget laudabilitatem; conditionatus, inquam, tenens ſe ex parte principij liberi, ſeu conſtituens libertatem, & cognitionem principij liberi, concedo: tenens ſe vt effectus purè conditionatus agentis liberi nego: Quia id quod vt effectus & exercitium liberum auget laudem debet eſſe ſub mea poteſtate abſoluta, id vero quod auget laudem prout tenens ſe ex parte principij extendit eius facultatem, libertatemque eius, non eſt opus quod ſit ſub mea poteſtate; nam cognitio indifferens eſt minimè ſub mea poteſtate. Igitur euentus conditionatus peccati Adami reſpectu Dei tenet ſe ex parte principij, quatenus redditur Deus ex cuius connotatione cognoſcens futurum peccatum Adami, ſi creetur; & conſequenter aptus vt exerceat libertatem creandi non obſtante peccato Adami, quam libertatem quia exercet negatiuè per ceſſationem, ceſſatio abſolutum exercitium eſt, quod ſpecialiter laude dignum ſit. At euentus conditionatus peccati nulla ratione comparatur vt effectus Dei, vt patet: vnde nunquam inuenitur fundamentum laudis ſine aliquo exercitio ſpeciali abſoluto, neque quis ſit laudabilior ex opere quod conditionaliter ageret, nam licet abſolutè ſit laudabilior eo quod habeat cognitionem de euentu conditionato, hoc ſit quia hinc maiorem libertatem habet, non quia ipſe euentus conditionatus laudi imputetur.

Dices ſecundò, demus quod Deus præſcius peccati Adami omittat creare, in qua omiſſione perſiſteret licet Adam non præſciretur peccaturus; in hoc caſu omiſſio creandi non eſt ob præſcientiam peccati, nemo enim dicitur in ſua operatione, vel omiſſione moueri ex fine; independenter à quo eadem ratione operaretur, ſed caſu quo Deus præſcius peccati omittat: omiſſurus etiam, licèt non præſciret, eſt omiſſio independens à præſcientia. Ergo Deus non moueretur ex tali præſcientia, ſeu vt vitet peccatum, ergo omiſſio quatenus eſt ex tali fine, ſeu prout eſt ex tali fine, aliquid addit non ſolum ex parte præſcientiæ, & principij libertatis, ſed etiam ex parte effectus. 27

Reſpondeo Deum adhuc mouendum nunc de præſenti ex præſcientia talis finis, quamuis ponamus ita omittere, vt eadem omiſſio daretur, licet non eſſet præſcius talis finis, nam tunc quod in caſu non præſcientię adhuc perſiſteret in ea omiſſione, probat libertatem Dei pro ſuo libito poſſe adhuc in omni euentu in ſuo exercitio permanere, licet modo tale exercitium habet ob prædictum finem. Vnde omiſſio in caſu præſcientiæ dependet ab hac non vt à conditione, ſine qua non, ſed vt à ſufficienti, ſic etiam homo mouetur, ſæpè quia præcipitur, licet alias idem opus eliceret, quantumuis non præcipetetur; in quo caſu præceptum eſt finis ſufficiens, licet non vnicus. 28

DIPVTATIO LXV.

Vtrùm Deus amet creaturas poſſibiles?

SECTIO I. *Statuitur Deum verè, & propriè amare creaturas.*

SECTIO II. *Deus amat creaturas poſſibiles; non omnes.*

SECTIO III. *Proponitur, & reiicitur contraria ſententia.*

SECTIO IV. *An poſſit Deus amare peccatum vt poſſibile, ſeu maliciam formalem vt poſſibilem?*

SECTIO V. *Reſpondetur argumentis pro amabilitate peccati vt poſſibis.*

HANC diſput. pręmitto propter ſequentem de amore neceſſario Dei circa poſſibilia. Agunt Theol. de hac difficultate dum 1.p.q.19.ad art.2, quærunt cum S.Thom. An Deus velit aliud à ſe. *Vide infra q. 19. art. 2. per 5. priores dubit.*

SECTIO

SECTIO I.

Statuitur Deum verè & propriè amare creaturas.

1 *Deus propriè creaturas amat.*

CONcluſio hæc licèt iuxta principia fidei & rationis naturalis certa videatur; Deus enim omnia quæcunque voluit, fecit; nihilque ſtare poſſet, niſi Deus voluiſſet, quod maximè patet in ordine gratiæ, in qua ſanctificatio noſtra eſt voluntas Dei, vnde quantumuis fuerint aliqui, qui ſcientiam Deo circa nos negauerint, nullus tamen amorem: nihilominus adhuc contra amorem Dei, qui verè & propriè talis ſit, hæc eſt dubitandi ratio.

2 Amor Dei circa creaturas non poteſt eſſe propter ipſas, ſed nec propter ipſum Deum: Ergo Deus creaturas nullo modo amat. Conſequentia patet: Tum ex Auguſtino 1. de Doctrina Chriſtiana, cap. 31. *Si Deus neque fruitur* (quod eſt amare creaturas propter ipſas) *neque vtitur* (quod eſt ipſas amare vt vtiles, ſeu non propter ipſas, ſed propter ſe) *non inuenio quomodo diligat*. Tum etiam id patet, quia implicat amari bonum, quin vel ametur ſiſtendo in ipſo, vel non ſiſtendo in ipſo; hæc enim extrema ſunt contradictoria, quorum vnum neceſſe eſt verificari. Si in bono creato ſiſtitur, iam amatur propter ſe: ſi non ſiſtitur, opus eſt, vt ſiſtatur in increato, & tunc creatura amabitur propter Deum. Deinde prima pars antecedentis, quod ſcilicet Deus non amet creaturas propter ipſas, ſeu vt obiectum formale veriſſimum eſt, & iuxta communem ſententiam, quia omnia propter ſemetipſum operatur Deus.

3 *Ratio dubitandi ne Deus amet creaturas propter ſeipſum.*

Secunda pars, quod ſcilicet Deus non amet creaturas propter ſeipſum, ſeu vt vtiles ſibi. Probatur primò, quia Dei nihil interſunt creaturæ neque ad ſimpliciter eſſe, neque ad melius, magis, quam conducat meæ ſaluti, quod Turca ſaltet, vel Papa dormiat: Ergo ſicut implicat propter meam ſalutem, amare ſomnum Papæ, ita ſimiliter. Secundò ita medium amatur, vti fini conducit; vnde ſi ſit neceſſarium amatur neceſſario; ſi minus vtile, minus; ſi tandem omninò inutile omninò non amatur: Ergo cum noſtra bonitas nihil Deo det, vel præſter, amabilis ab ipſo non erit. Tertiò ideò creaturæ non amantur neceſſario; quia non afferunt Deo aliquid neceſſarium ad ſuum eſſe. Ita S. Thomas 1. contra Gentes, cap. 81. Ergo cum nec afferant aliquam vtilitatem liberam nec contingentem, nec contingenti amore diligentur. Quartò appetitus innatus non fertur in bonum diſparatum, quod ſcilicet nullo modo ipſi conducit: Ergo neque elicitus.

4 *Duplex genus vtilitatis exponitur.*

Huic tamen rationi facilè occurretur, ſi diſtinguas duplex genus *boni vtilis*. Primum quod vtile eſt amanti, vt ab ipſo accipiat; ſecundum vt ipſi aliquid conferat. Hac ſecunda ratione *vtile* communiter ſumitur, quatenus conducit ad conſequendum bonum meum. Hinc *inutile* mihi cenſetur id, quod nihil commodi mihi affert immediatè aut mediatè, ſtrictiſſiméque amor talis vtilitatis ex mera concupiſcentia eſt; nihilominus prima ratione bonum etiam amatur vt vtile: Etenim omne id dicitur amari, quia vtile, quod non amatur propter ſe, obiectum autem non amatur propter ſe eo ipſo, quod non attingitur abſolutè ſine alio reſpectu ad aliam bonitatem, quam opus ſit præamari: quemadmodum illa veritas, non attingitur vt obiectum formale, & propter ſe, quæ abſolutè omni alio ſecluſo non dat ſufficiens fundamentum, vt cognoſcatur niſi vt coniuncta cum alio obiecto, ob quod myſterium Trinitatis in via non cognoſcitur propter ſe, quia niſi vt reuelatum cognoſci nequit. Tunc ſic, ſed quod ideò præciſè eſt amabile, quia vtile vt ab amante aliquid accipiat, ſeu quia eſt opus, & vt ita dicam factura amantis non attingitur abſolutè, ſed reſpectiuè vt patet: Ergo amatur vt vtile.

Ex his fateor à Deo ſolum amari creaturas propter ſeipſum, ſeu quia vtiles in hoc ſecundo ſenſu, amat enim illas, quia ſunt opera Dei; vnde totus ille amor eſt in Deo, vti qui amans Beltranum (vt ait axioma Hiſpanum) amat eius canem, totus eſt in amore Beltrani. Ad primum dico creaturas nihil conducere Deo, vt accipienti, conducere tamen vt danti, vnde implicabit quod Deus illas amet propter ſe vt accepturum, vel obtenturum aliquid ab ipſis, ſicut implicat quod propter accipiendam ſalutem amem Turcæ ſaltum, benè tamen alio titulo vt Deus det illis talem perfectionem, vel quia ſunt opus ſuum, & opera manuum ſuarum non deſpicit. Vnde patet ad ſecundum, & ad tertium, nam ſic creaturæ non ſolum ſunt vtiles, ſed etiam neceſſariæ, vt in ipſis reſplendeat dominium, liberalitas, miſericordia, & benignitas, &c. Ad quartum appetitus innatus etiam eſt, vt ſe alteris communicet. *Quare hinc potius multò magis pertinet* (verba ſunt S. Thomæ hic quæſtione 19. art. 2. corp.) *Ad voluntatem Diuinam, vt bonum ſuum alijs per ſimilitudinem communicet ſecundum quod potentiale eſt. Sic igitur vult & ſe, & alia, ſed ſe vt finem, alia verò vt ad finem, in quantum condecet Diuinam bonitatem etiam alia ipſam participare.*

5 *Explicatur amicitia Dei cum creaturis, harumque conducentia ad Deum vt dantem, non vt accipientem.*

SECTIO II.

Deus amat creaturas poſſibiles non omnes.

HOc eſt Deus habet aliquem actum voluntatis terminatum ad creaturas quæ in nulla differentia temporis futuræ ſunt. Ita Scotus, Caietanus, Fonſeca, Vaſquez, & alij cum Ruiz diſput. 6. ſect. 2. Hemelman tom. 1. in 1. part. tit. 7. diſp. 1. cap. 2. num. 1. Hæc concluſio ſub his terminis vt exiſtimo, non poteſt ab vllo negari. Quis neget Deum velle vt bene operentur peccatores, ſiquidem male operantes agunt contra voluntatem Dei, ſic voluit Iudæ conuerſionem & omnium ſalutem, quæ tamen conuerſio, & ſalus nunquam erunt. Rurſus Deus pro priori, antequam decernat mundi creationem illa proponebatur, vt præſcindens ab exiſtentia, ſiquidem nulla res creata pro priori ad decretum Dei exiſtentiam habet, & tamen proponebatur creatio vt amabilis; alias non poſſet Deus pro ſigno ſequenti eam amare: ergo creatura etiam, vt præſcindens ab exiſtentia, ſeu vt poſſibilis poteſt à Deo amari. 6

Deinde hoc idem ſic probatur: Creatura pro illo priori eſt amabilis efficaciter, ſeu media intentione, & quaſi deſiderio efficaci, quo Deus ſic decernat liberè: *volo exiſtentiam, ſeu poſſeſſionem mundi*: Ergo etiam creatura eſt amabilis inefficaciter. Conſequentia hæc patet; quia bonitas, quæ eſt amabilis efficaciter, etiam eſt amabilis inefficaciter, quantum eſt ex parte bonitatis, niſi repugnet ex parte potentiæ. Potentia autem cum libera 7

libera ſit ex ſe non repugnet ineſficaciter amare; hoc eſt ita amare ſimplici complacentia, vt adhuc poſſit nolle efficaciter; iam autem amor ſeu volitio, quæ cum nolitione efficaci componitur nequit ipſa eſſe efficax. Tum etiam probatur illa conſequentia, quia omne deſiderium procedere poteſt ex amore ſtricto ſimplici: Ergo ſi creatura pro illo priori eſt amabilis per deſiderium, ſeu intentionem efficacem, etiam erit amabilis per ineſficacem & ſimplicem, quæ cum exiſtentia ſui obiecti non connectitur, & conſequenter poteſt eſſe de re purè poſſibili.

8 Loquendo autem de amore creaturarũ poſſibilium non intentiuo exiſtentiæ vllo modo, ſed qui ſit purè complacens in tali poſſibilitate maior difficultas eſt, adhuc tamen eum Deo conuenire puto, vt de exiſtentia poſſibili poſſit Deus complacere, ſeu habere purum affectum complacentiæ, quin intendat ipſum actu exiſtere, probatur ex dictis. Nam bonitas, quæ excitare poteſt affectum intentiuum ineſficacem, excitare etiam poteſt complacentiam ſimplicem, quantum eſt ex ſe, non enim repugnat placere bonum quod deſideratur; aliunde voluntati, cuius perfectioni non repugnat intentio ſine effectu, repugnare nequit ſimplex complacentia, cui minus obeſt carentia effectus. Ergo ſi exiſtentia poſſibilis intendi poteſt à Deo ineſficaciter, etiam & amari complacentia ſimplici non intendente exercitium exiſtendi.

Deus amat creaturas poſſibiles amore ſimplicis complacentia.

9 Confirmatur: Creatura poſſibilis ſecundum ſe eſt bona, & amabilis affectu non ſolum intentiuo exiſtentiæ, ſed etiam amore ſtricto ſeu puræ complacentiæ præſcindentis ab intentione actualis exiſtentiæ, id patet, tum in nobis cum moroſe delectamur in obiecto ſecundum ſe, quin optemus eius exiſtentiam; Tum etiam quia omne bonum dignum deſiderio ſeu intentione dum abeſt, ſecundum ſe etiam amari poteſt; imò ideo quis deſiderat obiectum abſens, quia ſib gratum eſt. Tunc ſic, ſed potentia quæ poteſt aliquod bonum attingere affectu intentiuo ineſficaci, poteſt etiam & ſimplici complacentia, ſi non detur repugnantia ex parte talis boni, etenim ex parte potentiæ non poteſt inueniri aliquis titulus, cur potius repugnet complacentiæ, quam intentioni ineſficaci, vt etiam patet in nobis. Ergo Diuina voluntas quæ per intentionem efficacem poteſt attingere creaturam poſſibilem, etiam poterit & per amorem ſimplicem ab omni ordine ad exercitium exiſtendi præſcindentem.

10 Ex his quibus probatus eſt actus amoris Dei, circa aliquas creaturas poſſibiles oſtenditur etiam actus odij circa alias (quæ eſt ſecunda pars meæ concluſionis) nempè circa peccatum poſſibile, cuius malitiam formalem commiſſionis ſuppono in poſitiuo conſiſtere; oſtenditur inquam, tum quia ſi iuſtus in inſtanti A. in quo pono non peccare, peccaret, eo ipſo ſubeſſet odio Dei, ageretque contra Dei voluntatem. Ergo ſignum eſt in Deo dari adhuc pro inſtanti A. odium de peccato, cum tamen hoc in nulla differentia temporis exiſtat, ſed in ſtatu puræ poſſibilitatis permaneat: Tum etiam Deus fugit ex ſe exiſtentiam peccati: Ergo quia peccati quidditas ſecundum ſe odibilis eſt Deo, & diſplicens, ſicut enim ideo quis intendit bonum, quia ipſi placet, ita fugit malum quia eſt eidem diſplicens. Sed de hoc plura ſect. 4.

Deus odio habet peccatum poſſibile.

SECTIO III.

Proponitur & reijcitur contraria ſententia.

Deum nullum amorem habere erga creaturas, quæ ſunt purè poſſibiles cenſent Sanctus Bonauentura, Alens. Albert. Gabriel cum Albiz hic diſput. 6. ſectione 2. pluresque Recentiores Thomiſtæ apud Hemel. tom. 1. titul. 7. diſput. 1. cap. 1. numero 7. Quibus fauere videtur Suarez lib. 3. de attributis, cap. 6. num. 10. Arguitur primò, quia in Deo amare eſt velle bonum: at creaturis in ſtatu poſſibili, nihil boni vult, cum enim creatura ſic nihil ſit, ita & nihil boni habet: Ergo neque eas in ſtatu poſſibilitatis amat Deus. Reſpondeo argumentum concludit de amore efficaci, ſecus de ſimplici, & ineſficaci affectu, ideò enim ineſficax eſt, vnde licèt velit bonum exiſtentiæ, non tamen dat tale bonum, quare conceſſa maiori; neganda eſt minor: nam Deus vult ſalutem omnibus, ac proinde ſummum bonum, quod tamen in pluribus eſt purè poſſibile: Addo non omnem amorem velle bonum, vt patet in ſtricto, qui à deſiderio & gaudio, ſeu intentione & delectatione præſcindit. 11

Arguunt ſecundò: Deus circa creaturas purè poſſibiles exercet odium efficax, ſiquidem eis efficaciter negat exiſtentiam, ſeu vult malum non exiſtentiæ; ergo non poteſt habere amorem, ſeu velle bonum. Conſequentia probatur, tum quia imperfectio eſt voluntarij, quod miſceatur inuoluntario oppoſito, vt in naufrago, qui vult ineſficaciter retinere merces, quando illas efficaciter proijcit, ſeu odio habet; tum maximè, quia in creatis nullus habet hos affectus oppoſitos, niſi quis ab extrinſeco coactus; nam vi tempeſtatis habet naufragus odium mercium, quas ex ſe vellet retinere, nemo autem ex ſe odio habet id, quod amat. At Deus ex ſe odit exiſtentiam alterius mundi, & cuiuſque rei merè poſſibilis: Ergo illam amare nequit vllo amore. 12

Reſpondetur: Indecens non eſſe Deo operari inuoluntariè ſecundum quid, nam ipſe ex ſe neminem vult perire, & tamen quaſi cogitur ad damnandos reprobos de quibus vindictam quaſi coactus ſumit iuxta illud Iſaiæ 1. 24. *Heu vindicabor de inimicis meis*, adhuc tamen tunc perfectiori modo ſe habet quam naufragus, iſte enim nullo modo poteſt euadere periculum tempeſtatis cogentis ipſum ad proiectionem mercium. Deus autem facile poteſt vitare hanc coactionem, vel dando auxilia efficacia, vel omnino non creando reprobum. Nihilominus fateor ſine vlla inuoluntarietate, neç ſecundum quid Deum velle malum non exiſtentiæ alteri mundo, nam cum hæc volitio non procedat ex odio alterius mundi ſtrictè loquendo, nec enim idem eſt velle non exiſtentiam ac odiſſe: (alias Deus ex vero odio noluiſſet exiſtentiam Chriſti Domini ab initio, exiſtentiam alterius Chriſti; actuuum honeſtorum purè poſſibilium, (&c.) Ita nec inuoluntaria fiet ex amore ſtricto circa mundum, ſed tantum repugnabit vt fateor amori intendenti exiſtentiam alterius mundi. 13

Amor poſſibilium ſtat cum nolitione exiſtentia.

Argues tertiò Creatura verbi gratia *vt poſſibilis* nihil aliud eſt, quam quod non implicet contradictionem, ſi exiſtat: ſic enim definitur poſſibilitas in eo quod differt à Chymera, ex cuius exiſtentia ſequuntur duo contradictoria, at Deus nequit amare hoc obiectum. Ergo nec creaturas ſecundum eſſe

eſſe poſſibilitatis. Minor probatur, quia talis voluntas eſſet ridicula,& amaret idem per idem;nam perinde eſt *rem non implicare ſi exiſtat*: ac *eſſe poſſibilem, ſi ſit poſſibilis*; ipſa enim exiſtentia formaliter imbibit poſſibilitatem. Reſpondeo Deum circa poſſibilitatem creaturæ non tendere voluntate intentiua poſſibilitatis,quaſi Deus dicat: *volo quod creatura ſit poſſibilis*: hoc enim decretum continet abſurditatem,de qua in argumento: at tendit Deus volitione approbatiua, ſeu amore ſtricto, directè tendente in rem, quam poſſibilem videt, qui amor abſurdus non eſt.

Dum Deus poſſibilia amat, non intendit poſſibilitatem, ſed approbat.

15 Arguitur quartò: Deus non amat omne bonum creatum poſſibile: Ergo nullum. Conſequentia patet; quia omne bonum poſſibile creatum æqualiter comparatur ad Deum. Antecedens probatur, nam Deus non amat hæc bona neceſſaria, nempe quod detur homo, vel non detur: quod ipſe Deus ſit chimera, vel non ſit chimera: quod Angelus ſit homo ſi ſit animal rationale, &c. iſta enim licèt ſint neceſſaria, ſiquidem implicat ita non eſſe; item licèt ſint bona,cum nihil malitiæ contineant, nihilominus nemo prudenter ea amare poteſt; quis enim cordatus dixit, *volo eſſe hominem, vel non eſſe hominem*.Reſpondeo iſta bona etiam amat Deus, non quidem ſub his terminis, qui non cadunt in cognitionem Diuinam, ſunt enim orti ex prauâ noſtrâ cogitatione abſtractiuâ,& per alienas ſpecies; at amat ſub aliis terminis, quibus quidditatiuè cognoſcit rerum eſſentias. Vnde verbi gratia dum ſe amat Deus modo altiori & eminentiori comprehendit,& vult has veritates: *Ego ſum chimera,vel non ſum chimera*: ſi ſum prima cauſa ſum Deus, &c. & idem dicendum de ſimilibus propoſitionibus.

Quomodo Deus amet ſe non eſſe chimeram.

SECTIO IV.

An poſſit Deus amare peccatum vt poſſibile, ſeu malitiam formalem vt poſſibilem.

16 SVppoſito, quod actui malo ſit eſſentialis,& intrinſeca malitia formalis, cenſeo nullo modo, neque vt poſſibilem poſſe amari à Deo: Ita vt indubitatum latè & eruditè oſtendit Pater Georgius Hemelman tom.1. in 1. part. tit.7. diſp. 2. Martinon in præſenti, diſput. 13. à num. 31. putans contrarium fidei Catholicæ opponi, cum toties fides prædicet Deo eſſe odio impium, & impietatem, ipſumque deteſtari iniquitatem; eſt autem contra perfectam auerſionem à peccato, quod quis moroſè delectetur in peccato ſecundùm ſe, quantumuis illius exiſtentiam nolit, & conſequenter reſpiciat illud vt purè poſſibile, vt patet in nobis illicitè admittentibus delectationes moroſas.

Deus odio habet peccatum poſſibile, illudque amare nequit. Vide qu. 19. art. 2. dub. 2

17 Ergo iuxta dicta ſect. 2. ſic arguo: Deus odio habet peccatum vt poſſibile: Ergo ipſum neque vt poſſibile amat.Conſequentia tenet in præſenti materia, nam licèt alias poteſt quis ſaltem ſucceſſiuè amare id quod odio habet: at Deus id quod odit in peccato nunquam poteſt amare: Vnde aduerſarij coti ſunt vt probent peccatum vt poſſibile non poſſe odio haberi. Antecedens igitur ſic probatur: Deo proponitur peccatum, vt malum pro priori ad odium efficax de exiſtentia illius:Ergo vt ſic pro illo priori poteſt odio haberi ſtrictô, ſeu præſcindenti ab eo, quod efficaciter reiiciatur, vel non. Conſequentia hæc patet à paritate amoris ſtricti, qui præcedit ad amorem efficacem. Item ſicut datur amor præſcindens ab intentione efficaci, qui ſit cauſa intendendi obiecti exiſtentiam; ita datur ſimile odium, vt ideò Deus prohibeat, & efficaciter reijciat peccatum,quia ipſi abominabile eſt. Tunc ſic; ſed peccatum pro illo priori eſt in ſtatu poſſibilitatis, eſt enim obiectum ſimplicis intelligentiæ, quæ ſola præcedit ad actus efficaces Dei: Ergo peccatum vt poſſibile poteſt odio haberi.

Arguo ſecundò: Deus non ſolum exercet circa peccatum nolitionem, qua nolit peccati exiſtentiam, ſed verum odium quo oderit; qui affectus valdè differunt. Etenim Deus Chriſti exiſtentiam poteſt nolle cum tamen Chriſtum odiſſe nequeat, ſic ſuos actus liberos non vult; quos tamen non odio habet, vnde proprium eſt iniquitatis eam à Deo odio haberi. Tunc ſic; ſed odium ſupra puram nolitionem nihil aliud addere poteſt niſi diſplicentiam de obiecto ſecundùm ſe etiam præſcindendo ab exiſtentia: Ergo Deus ſic odit iniquitatem. 18

Quid addat odium peccati ſupra ipſius nolitionem.

Denique hinc à priori arguo: Ne poſſit Deus amare peccatum vt poſſibile; amare peccatum poſſibile eſt idem ac complacere in illius exiſtentia ſecundùm ſe tali modo tendendi amoris,vt nec inferat, nec ſupponat exiſtentiam exercitam; ſed talis amor nequit Deo conuenire in peccatum: ergo neque in peccatum poſſibile. Minor, & conſequentia patent quî enim concipi poteſt quod Deus ſibi complaceat, & delectetur, quaſi moroſè in exiſtentia peccati? Maior probatur; Tum quia exiſtentia ſic accepta eſt obiectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ; ſiquidem ſic præſcindit ab eo quod exercitè exiſtat, vel non; ſcientiæ autem intelligentiæ ſolum obiicitur peccatum vt poſſibile, & veritates neceſſariæ. Tum etiam, quia eo quod actus bonus vt ſic acceptus, quin in vlla differentia temporis exiſtat, obiiciatur amori Dei; iam Deus dicitur amare actum bonum poſſibilem: ergo & in præſenti odio habere peccatum poſſibile. 19

Vlterius maior illa propoſitio, quod ſcilicet non aliter ametur peccatum vt poſſibile, quam dum quis in illius exiſtentia ſecundùm ſe complacet. Probatur, quia ſi peccatum vt poſſibile non obiiciatur ſic voluntati, vel reduplicabit, vt poſſibile ſupra omnipotentiam Dei, qua permittente ſit poſſibile peccatum, & ita nihil mirum eſt, quod ametur peccati poſſibilitas; vel reduplicabit ſupra conditionalem hanc,nempe *ſi exiſtat peccatum non imbibet contradictionem*, & conditionalis iſta volibilis non eſt, eſt enim veritas quaſi Mathematica abſtrahens à materia, vt *duo bis ducta ſunt quatuor*, in quo nihil amabile eſt: Ergo ſolum peccatum, vt poſſiblie attingibile eſt à voluntate, quatenus voluntati complacet vel diſplicet exiſtentia peccati ſecundùm ſe modo dicto in §. præcedenti, ſeu quatenus voluntati placet ſubſtractum & materiale poſſibilitatis; non autem formaliter hoc quod eſt *eſſe poſſibile*: vt ſic enim poſſibilitas quatenus condiſtincta ab exiſtentia ſecundùm ſe nihil aliud eſt ex parte obiecti,quam potentia ipſa, ſicut eſſe cognitum formaliter nihil ponit à parte rei niſi cognitionem.

***

SECTIO V.

Reſpondetur argumentis pro amabilitate peccati vt poſsibilis.

21 PAter Herize, tract. de voluntate, diſput. 18 cap. 1. num. 9. aliique pauci Recentiores cum ipſo tuentur peccatum vt poſſibile amari à Deo, quibus fauere videtur Pater Montoya tom. de voluntate Dei, diſputat. 26. ſect. 5. vbi aſſerit Deum amare peccatum *ſecundum quid*, quatenus vult ipſi propriam eſſentiam, & paſſiones ex ſuppoſitione, quod exiſtat. Verum ipſe Pater Montoya merito aduertit ibi num. 2. hanc complacentiam Dei circa peccatum eſſe potius ipſiſſimam peccati diſplicentiam licet quodammodo videatur eſſe complacentia in peccato. Sed quidquid de hoc ſit pro hac ſententia, vt peccatum quatenus poſſibile amari queat à Deo, imò ametur neceſſario, ſic ex ingenioſo Recentiore arguitur 1.

21 Deus neceſſario ſaltem virtualiter amat peccatum vt poſſibile. Ergo nequit illud odiſſe: nemo enim odit id, quod amat neceſſario. Antecedens probatur. Quia Deus neceſſario amat ſuam omnipotentiam; hæc autem eſſentialiter connectitur, ſeu infert peccati poſſibilitatem. Ergo neceſſario etiam ſaltem virtualiter amabit talem poſſibilitatem, qui enim amat cauſam, virtualiter amat effectum neceſſario in illa contentum: ideo qui amat prædeterminationem ad peccatum, in illa amat peccatum. Confirmatur Deus amans ſuam omnipotentiam non poteſt efficaciter odio habere peccatum poſſibile; alias vellet duo contradictoria: Sed effectus, qui reddit voluntatem impotentem odiſſe aliquod obiectum etiam facit virtualiter ſaltem amantem. Ergo.

22 Ob hoc argumentum ne cogatur concedere amorem Deo de peccato poſſibili prolixe ſatis Pater Hemelman tom. 2. in 1. partem fere per totum maximè à titulo 9. diſput. 1. negat connexionem Dei cum poſſibilibus, ſed immerito cum euidenter vrgeatur ipſe in habitu fidei potentis ſcite peccatum, charitatis potentis conteri de illo; voluntatis potentis illud committere. Quare conceſſa connexione nego ob illam Deum nec virtualiter amare peccatum poſſibile. Quia non cogitur ad complacendum de exiſtentia ſecundum ſe peccati vt dixi §. 19. Amor autem ſicut neque odium, dari nequit de obiecto vt abſtracto omnino à materia, ſeu ſine vlla concretione exiſtentiæ ſaltem apprehenſæ. Ad probationem dico, qui amat cauſam non ſemper amat effectum, niſi quoad imputationem, ſic qui peccat non vult damnationem, niſi quatenus ipſe amor peccati æquiualet quoad imputationem damnationis ipſi amori de dãnatione, quod ſi Deus prædeterminans ad peccatum dicitur amare peccatum, ideò eſt quia ex prædeterminatione ſequitur quod ſoli Deo peccatum ſit imputandum: moraliter autem ille dicitur amare peccatum, cui hoc tribuitur. Iam verò quod Deo imputetur peccatum eſſe poſſibile nihil abſurdi eſt. Ad confirmationem Deus non odio habet poſſibilitatem peccati in actu ſignato, quia ſic non eſt obiectum voluntatis, odit tamen in actu exercito, ſeu exiſtentiam ſecundum ſe.

Ex amore ſua eſſentia non cogitur Deus amare peccati poſſibilitatem, licet cum hac eſſentialiter connectatur.

23 Arguitur ſecundò nihil Deus poteſt odiſſe quod eſt neceſſarium, vt ipſe exiſtat, eiuſque perfectiones, quas amat neceſſario; at peccatum ſic poſſibile eſt ſic neceſſarium; cum Deus, eius ſcientia, libertas, miſericordia, &c. cum peccato poſſibili connectantur. Ergo. Reſpondeo maiorem eſſe falſam ſimpliciter & vniuerſaliter loquendo; nam ſtat benè quod quis odio habeat id, quod eſt neceſſarium, vt eius perfectio exiſtat; ſic contritio odit peccatum, & tamen peccaſſe omninò neceſſarium eſt ad veram contritionem. Ex quo fit vt ſolum teneatur quis non odiſſe id, quod eſt neceſſarium, quando hoc alias non ponetur, ſi habeatur odio, vel ponendum eſt ab amante finem, ad quem neceſſarium dicitur. Si verò maior propoſitio accipiatur de illo quod eſt neceſſarium, non vt præſuppoſitum, ſed conſequenter; adhuc eſt neganda maior, vt patet in peccatore, qui amat peccatum & tamen odit damnationem, quæ neceſſario conſequitur ad peccatum.

Deus odit poſſibilitatẽ peccati, licet hæc ſit neceſſaria ad ipſius exiſtentiam.

Arguitur tertio ex hoc exemplo nuper poſito, homo peccans licet aliquo modo odio habeat damnationem, non tamen poteſt ſerio, & ex animo damnationem odiſſe efficaciter, dum peccatum amat. Ergo ſimiliter non poterit Deus ſerio, & ex animo odiſſe peccatum poſſibile cum quo neceſſario connectitur. Reſpondetur negando conſequentiam de odio exiſtentiæ peccati ſecundum ſe, quo pacto ſolum poteſt eſſe obiectum voluntatis vt iam dixi, & quo pacto non eſt terminus connexionis omnipotentiæ, connexio namque petit dari à parte rei terminum vt illi obiicitur: Omnipotentia autem non petit dari exiſtentiam peccati: Iam ſi loquatis de peccato vt poſſibili, niſi reduplicatio fiat ſupra potentiam, qua poſſibile redditur peccatum vt ſic non eſt amabile, cum nullum ſtatum actu ponat ex parte obiecti, ſed ſolum in noſtra cogitatione, hoc quod eſt eſſe poſſibile reduplicatiuè, ſi non loquamur de illo, quod eſt poſſibile materialiter. Igitur poteſt Deus ſerio habere odio peccatum ſecundum ſe, non verò homo damnationem, dum peccat, quia Deus nec peccatum in ſe nec in cauſa neceſſaria amat: at homo amat tranſgreſſionem legis, quæ connectitur cum damnatione. 24

Arguitur quarto nemo prudens vult ſerio non eſſe id quod videt non poſſe non eſſe; Sed peccatum vt poſſibile nequit non eſſe. Ergo vt ſic non habetur odio, ſed amore. Reſpondetur at prudentiſſimè poteſt odio habere, & diſplicere in exiſtentia peccati ſecundum ſe, licet nunquam futuri, quia licèt reduplicatiuè vt præſcindens non poſſit non eſſe, at ſimpliciter eſt contingens; cum illa autem reduplicatione nec odio nec amore habetur à Deo concipiente res, vt ſunt in ſe. Dices: vt ſic præſcindens cognoſcitur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: Ergo vt ſic erit amabile. Reſpondetur ſecundum ſubſtractum huic præciſioni, concedo conſequentiam; at hoc eſt contingens: ſecundum formalem præciſionem, nego conſequentiam, vti enim nihil eſt à parte rei ſic ſed purus modus tendendi cognitionis; ita nec amabile. 25

Arguitur quinto Deus vult vt peccato conueniant eſſentia, paſſioneſque peccati, verbi gratia quod mendacium peccatum ſit, quod opponatur eius voluntati, & legi, quod à nullo licitè ametur, &c. Hæc autem eſt quidditas & eſſentia peccati, Ergo amatur à Deo. Reſpondeo nulla ratione dicendum complacentiam, nec ſecundum quid in peccato Deo conuenire, quia potius mendacium Deo diſplicet, quia eſt contra eius voluntatem. Quis autem dicat hoc idem eſſe motiuum alicuius complacentiæ. 26

complacentiæ. Ratio huius eſt. Quia voluntas Diuina non procedit ex his ſuppoſitionibus, & iſto modo tendendi, ſed potius, vt ſæpè dixi, obiectum ſub his reduplicationibus ab omni malitia & bonitate præſcindit, ſolúmque veritatem purè mathematicam continet vt autem voluntati obiicitur conſideranda eſt in concreto exiſtentia ſecundum ſe mendacij, & ſic maximè diſplicet; *Quia contra legem, quia illicitè amabile, &c.*

27 Arguitur 6. Deus nihil impoſſibile amat, neque enim complacet in exiſtentia ſecundum ſe rei impoſſibilis, alias eius voluntas fruſtraretur, velletque aliquid quod conſequi non poſſet. Ergo è contra nihil poſſibile odit. Conſequentia ſuadetur. Quia odiſſe, ſeu velle non eſſe aliquid poſſibile eſt formaliſſimè velle impoſſibile. Confirmatur Deus nequit velle non eſſe peccatum poſſibile, ſeu non eſſe poſſibilitatem peccati alias, vellet aliquid impoſſibile, cum implicet peccatum non eſſe poſſibile. Ergo non odit poſſibilitatem peccati, etenim odium poſſibilitatis eſt formaliſſimè velle non eſſe poſſibilitatis.

28 Pater Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 6. diſput. 1. ſect. 5. num. 38. ait: Quod Deus poteſt apprehendere vt bonum hominis eſſe Angelum, & illi hoc diligere, ſicut nos vtrumque poſſumus: alios item affectus circa impoſſibile Deo concedunt recentiores, vt quo vult peccatum non præteriiſſe ſi id eſſet poſſibile, vti nos honeſtiſſimè facimus per contritionem. Et Recentiores, contra quos agimus, dicunt amare impoſſibile, non vt exiſtat, ſed vt maneat in ſtatu impoſſibilitatis, quia cum Deus connectatur cum impoſſibilibus, eadem eſt ratio, vt amet impoſſibilia, quam vt poſſibilia.

29 Ego vtrumque amorem iudico indignum Deo primo, vt permodum intentionis velit, quod impoſſibilia exiſtant; nam amor hic inordinatus eſt, & proprius ignorantis quidditates rerum, vt nos per contritionem, ſi facimus ſenſum compoſitum prætetitionis, procedimus. 2. De impoſſibilitate ipſa in actu ſignato complacere Deus non poteſt ob dicta ſectione præcedenti, quæ hic militant, ſed nec de exiſtentia impoſſibili ſecundum ſe, ſi talis exiſtentia ſit per ſe impoſſibilis, vt ait Diuus Thomas primo contra gentes cap. 64. Vaſquez 1. 2. diſputat. 42. cap. 5. num. 25. Quia talis exiſtentia apprehendi non poteſt niſi vt mala, ſeu impotens eſſe quod autem tale eſt amari nequit, vnde virtualiter habetur odio, licet non ſub his terminis impoſſibilibus, ſub aliis tamen æquiualentibus. Ex quo non ſequitur quod in terminis poſſibilibus exiſtentiæ ſecundum ſe non poſſit diſplicere. Dixi de exiſtentia impoſſibili per ſe, namque per accidens ſit impoſſibilis, vt innocentia amiſſa, ſeu non *fuiſſe peccati* bene apprehendi poteſt ſecundum ſe vt bona, vt ſic amari.

Nequit Deus impoſſibilia amare.

30 Ex omnibus dictis hic conſtat. 1. Deum amare creaturas poſſibiles non in actu ſignato reduplicando ſupra præciſam poſſibilitatem, quam habent in ſeipſis (quia poſſibilitas ſic non habet rationem boni, vel mali, ſed abſtrahit à materia, vt dicitur de veritatibus mathematicis) ſed in actu exercitio amando tali amore, quia poſſibilitate, & exercitâ exiſtentiâ præſcindat, licet verſetur, & complaceat in exiſtentia ſecundum ſe. Conſtat 2. etiam vt ſic non complacere in exiſtentia malitiæ peccati, quantumuis illam conſideret ſecundum ſe, quo præſtat bonitas poſſibilis malitiæ poſſibili, & in hoc ſenſu manifeſtum eſt, quod poſſit Deus complacere in bono, quod in nulla differentia temporis exiſtit, ſed non in malo, licet nunquam exiturum prænideatur.

DISPVTATIO LXVI.

Vtrùm amor Dei circa poſſibilia ſit liber an neceſſarius.

SECTIO I. *Deus amat neceſſario creaturas poſſibiles.*

SECTIO II. *Contraria ſententia propoſita reiicitur.*

PROPTER hanc diſputationem præcedens præmiſſa eſt vt ibidem notaui, iſta enim maximè refert explicationi data de conſtitutione actuum liberorum Dei, & ex ſententia ibi à me poſita euidentiſſime infertur; ſi enim circa purè poſſibilia libertatem Deus exerceret etiam dum creaturas omnes reſpicit in ſtatu purè poſſibilitatis, iam exercitium libertatis Dei non conſtitueretur ex aliquo contingenti ad extra. Dixi creaturas *omnes*, nam dum aliquem modum ad extra produceret Deus; bene poſſet per illum determinari in ratione volentis liberè in creato alias creaturas purè poſſibiles pro ſuo placito; conſequenter ad ea quæ dixi diſp. 64. ſect. 5.

Vide infra qu. 9. art. 3 dub.

SECTIO I.

Deus amat neceſſario creaturas poſſibiles.

1 COmmuniter Authores ob rationem nuper datam putant omnem amorem liberum negandum Deo circa poſſibilia, ſi non ſit adæquatè intrinſecus. Ego tamen id non puto, vti enim Deus ſpecialiter amat iuſtificatum nihil ponens in eo intrinſecum per productionem cuiuſdam moduli, qui ſit quaſi volitio temporalis Diuina modo explicato d. 63. ita dici poſſet circa poſſibilia. Nihilominus fateor aliquem amorem circa poſſibilia ſemper eſſe Deo neceſſarium, vt quando nihil ad extra producit. Quam concluſionem omnes Aureoliſtæ defendunt; ſed nè videar neceſſitate conſequentiæ compulſus eam defendere, illam veram ſtatuo, quantumuis actus liber Dei à connotatione extrinſeca non dependeat. Ita cenſent Caïetanus, Fonſeca, Valentia, cum Hemelman 1. part. titul. 7. diſp. 1. cap. 2. Ruiz de Montoya hic diſputat. 6. ſect. 2. num. 1. §. Probatur communiter hæc ſententia, quia Deus neceſſario vult quod eſt neceſſarium, vt ipſe exiſtat, & ſicut, dum ſe comprehendit, cognoſcit omnia poſſibilia, cum quibus connectur, ita cum ſe neceſſario comprehenſiuè amet, amabit eadam poſſibilia. Confirmatur 1. Deus neceſſariò vult ſuam ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſeu ſe ſcire verè omnia poſſibilia. Ergo hæc eſſe verè ſcita. Conſequentia patet. Quia velle obiectum cognoſcere, & velle hoc noſci ſynonima ſunt, Ergo eſſet ſcibilia, ſeu poſſibilia: ab actu enim ad potentiam valet conſequentia. Confirmatur 2. Deus nequit velle, vt aliquid neceſſarium tale non ſit;

Amore neceſſario proſequitur Deus creaturas poſſibiles.

Caiet. Fonſeca. Valentia. Hemelm. P. Ruiz.

ſit; ſed nec poteſt ſe habere purè omiſſiuè ex diſputat. 67. Ergo neceſſario vult *neceſſariam* eſſe tale. Confirmatur tertiò neceſſarium eſt vt Deus habeat liberè volitionem, vel nolitionem exiſtentiæ creaturarum. Sed vterquè affectus amat poſſibilitatem. Ergo de primo patet à fortiori enim amat poſſibilitatem, qui amat exiſtentiam. De ſecundo etiam quia eo ipſo quod nolitio ſit libera, non eſt de impoſſibili, ſed exercitium Dominij non facientis, quod poteſt fieri ergo dum illa nolitio vult ſe talem eſſe, & ſic dominari, vult creaturas poſſibiles eſſe & adhuc non exiſtere.

2 Hæc tamen probatio inſufficiens eſt, cum manifeſte inſtetur in poſſibilitate peccati, quam Deus non amat vt dixi diſp. 65. ſect. 4. Vndè conſtat nihil eſſe bonum, nec amabile, niſi imbibat exiſtentiam ſaltem ſecundum ſe, hoc eſt quamuis nec futura, nec præterita in actu exercito; at ſaltem apprehenſa ſecundum materiale, & ſubſtractum, quod ſubſtat prædicationi exiſtentiæ, etenim ſi ſermo ſit reduplicatiuè, & formaliter de ipſa poſſibilitate, ſeu de hoc quod eſt *rem eſſe poſſibilem* prout condiſtinctè à re ipſa materiali, quæ poſſibilis eſt; vt ſic nihil à Deo diſtinctum eſt amabile, nec talis poſſibilitas datur ex parte obiecti, ſed ſolum in noſtra imaginatione, vt enim diſput. 44. ſect. 3. docui, eſſe rem poſſibilem diſpliciter ſumitur.

3 Primò extrinſecè pro potentiâ Dei ſecundò intrinſecè, & diſtinctè à Deo, & hoc nihil aliud eſt, quam ipſa exiſtentia rei ſecundum ſe, quæ à parte rei poni poteſt, & nunc denominat rem *poſſibilem*, quando non eſt, ſicut ipſa exiſtentia futura Antichriſti verbi gratia, nunc denominat Antichriſtum futurum: quare ſicut implicat amari hoc quod eſt *eſſe futurum*, niſi ametur exiſtentia obiecti pro tali differentia temporis: ita implicabit amare *eſſe poſſibile*, niſi ſimiliter ametur exiſtentia ſecundum ſe, licèt tali amore, qui nec ſupponat, nec inferat exiſtentiam exercitam.

4 *Cur ſcientia comprehenſiua præ amore attingat poſſibilia.*

Hinc ad argumentum Creaturæ poſſibiles, vt condiſtinctæ a Deo, non ſunt neceſſariæ vt Deus exiſtat, imò omnino non ſunt; fateor quod ſi deficeret aliqua poſſibilis, deficeret Deus, non quia conducat ad Deum, ſed quia Deus conducit ad illas, eſtque poſſibilitas omnium inferens earum qualem qualem poſſibilitatem intrinſecam, ſed quod neceſſarium ſolum eſt vt poſſibile, ex eo præciſè amabile non eſt. Vnde licet pertineat ad ſcientiam comprehenſiuam cognoſcere poſſibilia, non tamen ad amorem comprehenſiuum: ſic cognoſci nequit contritio de peccato, niſi cognoſcatur peccatum; poteſt tamen amari illa ſine hoc; ratio eſt quia relatio facit terminum cognoſcibilem, ſed non amabilem, vnde vt perfectè ametur relatio non debet amari terminus, debet tamen cognoſci. Ad primam confirmationem Deus vult peccatum *eſſe ſcitum* vt exiſtens per ſcientiam viſionis, nec tamen vt ſic amatur. Ad ſecunda ſi loquamur de exiſtentia ſecundum ſe illa non eſt neceſſaria, ſi vt poſſibili, nec eſt obiectum amoris, nec odij. Ad tertiò Deus per nolitionem exiſtentiæ nullo modo vult poſſibilitatem materialiter acceptam, ſeu rem poſſibilem, vult tamen liberè ſe dominari, ſeu ſe eſſe liberam, ad quod ſufficit, quod omnipotentia talis ſit, quin poſſibilitas creaturæ ſit in ſe amabilis.

5 His ergo omiſſis hanc concluſionem probo (ſpecialibus argumentis de poſſibilibus bonis, quæ ſuadent proportionate, diſplicentiam eſſe neceſſariam in poſſibilibus peccatis.) Primo Deus poteſt habere de creaturis poſſibilibus ſimplicem complacentiam ſeu amorem ſtrictum, quo ſimpliciter in illis complaceat: hoc ponendum eſt nunc ex diſputatione præcedenti. Tunc ſic: ſed talem complacentiam non poteſt ſuſpendere: Ergo illam habet neceſſario, conſequentia patet; Minor probatur; nam eam complacentiam, non poteſt ſuſpendere per puram omiſſionem: nec per diſplicentiam in creaturis poſſibilibus, quia vel hæc diſplicentia impoſſibilis eſt, cum in creaturis vt ſic nihil mali apparere poſſit, vel ſi ſit poſſibilis, incompoſſibilis non eſt cum complacentia: ſolum enim de eadem re opponuntur affectus efficaces, vt patet dum diſſentimus tentationi nobis adhuc blandienti. Ex quo etiam patet prædictam complacentiam non poſſe ſuſpendi per diſplicentiam reflexam, qua Deus diceret: *volo non complacere.* Tum quia per ſe ex obiecto non opponuntur prædicti effectus vt patet dum volumus non tentari. Tum etiam quia abſolutè loquendo ſtat cum volitione de vno obiecto quantumuis efficaci volitio de eius contradictorio: Ergo cum volitione de non complacendo ſtabit volitio de aliqua complacentia, cur enim potius cum nolitione mundi ſtabit volitio ſimplicis complacentiæ de mundo, quam cum nolitione complacendi, volitio de complacentia.

Per nullum exercitium liberum poteſt Deus ſuſpendere amorem in poſſibilibus.

Dices magnæ imperfectionis eſſe quod Deus nolit complacere, & adhuc complaceat, quod ſi hoc in nobis contingit, oriri id, quia appetitus non eſt nobis perfectè ſubiectus: De nolitione autem mundi diuerſa ratio eſt, cur poſſit cum illa componi complacentia ſimplex de mundo, quia iſta nihil contradictorium vult, non enim intendit vllo modo exiſtentiam mundi. At verò ſi Deus complaceret, dum vult non complacere, ſibi ipſi contradiceret, quod nec in nobis contingit, neque enim quis intendit ex proprio more, niſi coactus à tentatione exiſtentiam illius rei, quam abſolutè vult ex ſe non eſſe. Sed contrà ideo contendo ego non poſſe dari in Deo talem nolitionem, quia alias eſſet fruſtrabilis, cum nunquam ſufficienti modo tendat, quo opponatur ſimplici complacentiæ, quemadmodum nullus diſſenſus ſufficienti modo tendit, quin relinquat apprehenſionem de obiecto oppoſito. Sed quidquid de hac oppoſitione ſit, vrgentiſſimè arguo, ne iſta nolitio complacendi admittatur in Deo, quia omnino implicat quod Deus odio habeat aliquid Diuinum, Ergo & quod reſpuat ſuos actus, ſiquidem ſunt bonitatis infinitæ, & ſaltem abſque vlla malitiâ. Ergo neganda eſt Deo nolitio directa, qua nolit habere actum complacendi. Ergo cum aliundè iſta complacentia ſuſpendi non poſſit per nolitionem boni creatitalis complacentia, omninò ſuſpendi nequibit. 6

Non poteſt ſuſpendi amor poſſibilium per nolitionem complacendi?

Probatur ſecundò omnis fælicitas, & beatitudo Diuina eſt omnino immutabilis, & neceſſaria, ita vt non ſolum non poſſit Deus creſcere in beatitudine eſſentiali & intenſiua, ſed neque in accidentali, & extenſiua, vti cæteri beati creſcunt. Ergo complacentia de poſſibilibus non eſt Deo libera, ſed neceſſaria. Conſequentia hæc probatur: nam creſcente complacentia, vt poſſet creſcere ſi eſſe libera gaudium creſcit, & fælicitas; ſiquidem complacentia naturæ rationalis, & gaudium, ſeu fælicitas pro eodem ſunt. De hoc argumento plura alibi dixi diſput. 60. ſect. 2. ex quibus conſtat Deum non poſſe creſcere nec immutari in ratione *volentis*, ſicut 7

Beatitudo eſſentialis & accidentalis diuina creſcere nequeunt, nec minui.

Neceſſarius amor poſſibilium conſequitur ad propriam ſententiam de actibus Dei liberis.

cut neque in ratione *ſcientis*, id quod verum eſt, quantumuis actus liber vt talis ſit Deo adæquatè, & omnino intrinſecus; tunc enim adhuc complementum, & determinatio complens ſcientiam, vel volitionem in ratione *libera* formaliter non eſſet in linea volendi, ſed ſolum foret quidam nexus, & determinatio purè phyſica, vt dixi diſp. 50. ſect. 4. (licèt Deo intrinſeca.) Vnde ſemper, & immutabiliter exiſtit in Deo quidquid eſt formaliter in linea volendi, quod benè intelligitur ſi ſit in Deo neceſſaria complacentia de Petro ſecundùm ſe, ſic enim ſolum per illum nexum denotabitur volitio efficax, vel nolitio? Si verò in Deo nulla detur complacentia de Petro, ratione cuius Deus de nouo denominetur volens opus erit nouitate in linea volendi: Ergo ne hoc dicamus, quod abſurdum eſt, vt dixi, vbi ſupra, poni debet in Deo neceſſaria complacentia poſſibilium.

8 Probatur tertiò: Deus neceſſario complacet in creatura aliqua ſub conditione: Ergo à fortiori in ipſa vt poſſibili: Ergo & in omnibus. Conſequentia hæc patet, quia in eſſe poſſibiliter comparantur cum Deo omnes creaturæ bonæ. Antecedens igitur ſuadetur, Deus neceſſario diſplicet in eo, quod ſi Petrus exiſtat obligatus ad operandum peccet non operando: Ergo neceſſario placet Deo hæc operatio conditionata, diſplicere enim carentiam eſt placere ipſum opus. Antecedens hoc ſupſumptum ſuadetur; tum quia ſi Petrus hic exiſtens peccet, quin ſuperaddatur Deo alia voluntas iam intelligitur agens contra voluntatem Dei. Tum etiam Deus neceſſariò diſplicet in peccato ſub conditione, nam nec ſub conditione illud permittit, alias ego non efficerem contra voluntatem Dei, ſi dicerem, *volo ſub tali hypotheſi elicere odium Dei.* Ergo Deus neceſſario prohibet peccatum, & odium liberum ſui: Ergo ſimiliter in illo neceſſario diſplicet.

Peccatum conditionatum Deo diſplicet.

9 Probatur quartò: Deo neceſſario placet bonitas creata poſſibilis, verbi gratia, humanitas Chriſti poſſibilis, merita & opera honeſtiſſima Virginis Beatæ: Ergo & omnia poſſibilia: Conſequentia patet, cum æquè omnia bona creata finita ſint. Antecedens ſuadetur; quia Deus neceſſario approbat, iſta bona creata, dicitque bona eſſe; at hæc approbatio includit non ſolam ſcientiam, qua dicat bona iſta eſſe vt amentur, ſed etiam includit complacentiam: Ergo, &c. Maior à nemine negatur. Minor probatur primò, quia hæc approbatio vt minimum excludit diſplicentiam, quis enim dicat, quod Deus diſplicet diſplicentia ſimplici in opere virtutis; ſi autem cum huius ſuitate ſtat Deum non poſſe in illo diſplicere, licèt poſſit nolle eius exiſtentiam, cur non ponemus neceſſariam complacentiam. Secundò hinc à priori, quia ſimplex complacentia, prout diſtinguitur à volitione etiam inefficaci exiſtentiæ, nihil aliud eſt quam actus voluntatis acquieſcens, ſeu aſſentiens intellectui proponenti obiectum eſſe bonum: hæc autem concordia voluntatis cum intellectu maximè Deum decet.

10 Vltimò probatur; quia neceſſitas talis complacentiæ nullam imperfectionem dicit, cur enim potius dedecebit voluntatem, quam intellectum habere aliquem actum neceſſarium; ſiquidem non ideò aliquod diminuitur de dominio Dei ſuper creaturas; nec impedit, quin Deus poſſit de creaturis diſponere, cum nullam oppoſitionem habeat cum nolitione creaturarum: aliunde in ſe magnam dicit perfectionem, ſic enim Diuina voluntas erit

Amor poſſibilium imperfectionis expers, Deum decet.

prima regula bonitatis, & malitiæ, vt illud ſit bonum quod ipſi placet, & malum quod diſplicet: ita in creatis negari nequit perfectiſſimam voluntatem fore, quæ ſemper approbaret bonum. Denique vti multiplicanda non eſt diſtinctio virtualis intrinſeca iuxta aduerſarios, niſi vbi fides cogit, ita nec multiplicandum myſterium libertatis Diuinæ: Ergo complacentia circa creaturas poſſibiles non libera, ſed neceſſaria ponenda eſt.

Imo neceſſario ponendus ne multiplicetur myſterium libertatis Dei, maximè hic cum opus ſit contingentiâ intrinſecâ in Deo.

SECTIO II.

Contraria ſententia proponitur, & reÿcitur.

AMorem poſſibilium eſſe Deo liberum ſentiunt Nominales cum Gabriele 3. diſtinct. 32. quæſt. 1. art. 1. & 1. Recentiores cum Molina, Bannez, Zumel, 1. part. qu. 34. ad 3. Pater Suarez, diſput. 30. Met. ſect. 16. à num. 39. licèt tomo de attributis, lib. 3. cap. 6. num. 10. nobis faueat; Vide hos Authores apud Ruiz diſput. 6. de voluntate, ſect. 1. 11

Nominales. Gabriel. Molina. Bannez. Zumel. Suarez.

Arguunt primò volitio, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri eſt libera, ſiquidem ob illam iubemur Deo gratias agere; at illa verſatur circa purè poſſibilia, verbi gratia, in Iuda: Ergo amor Diuinus circa poſſibilia eſt liber. Reſpondeo concedo totum, nam non intendo omnem amorem Dei circa poſſibilia eſſe neceſſarium, præcipuè quando connectitur cum aliquo creato, qualis eſt hæc volitio, vi cuius dat Deus auxilia ſufficientia; ſed ſolum loquor de amore per modum ſimplicis complacentiæ, ſeu ſimplicis aſſenſûs voluntatis in bonum, vt explicui. 12

Amor poſſibilium circa omnia non exercetur neceſſario.

Arguunt ſecundò: Si Deus haberet aliquem amorem neceſſarium in creaturas poſſibiles maximè ſimplicis complacentiæ, ex qua procedit efficax amor de illarum exiſtentia, at talis complacentia nequit non eſſe Deo libera: Ergo. Minor probatur, quia ratione complacentiæ, quæ Deum mouet ad decernendam efficaciter exiſtentiam mundi fuit ipſe Deus vehementer propenſus, & inclinatus in talem creationem, vt ſtatuit S. Dionyſius, cap. 4. de Diuinis nominibus. Deus autem vti nequit eſſe moraliter neceſſitatus ad producendas creaturas, ita neque vllo pacto ex ſe neceſſario inclinat potius in exiſtentiam mundi, quam in eius carentiam. Confirmatur, quia ſimplex complacentia talis eſt vt ratione illius voluntas quantum eſt ex ſe determinetur in exiſtentiam boni, in quo complacet, ſi ab alio non impediatur, nec poſſit quis pro eodem ſigno diſplicere in eo, in quo complacet. At Deus ex ſe non eſt neceſſitatus pro vllo ſigno, ne reſpuat exiſtentiam creaturarum: Ergo ex ſe non neceſſitatur ad habendam complacentiam de illis. 13

Reſpondeo non omnis affectus inefficax & amor, quo quis ſine effectu inclinat in exiſtentiam rei, eſt æqualis; vt enim experientiâ ipſa in nobis teſtatur, ſæpè remiſsè, ſæpè etiam vehementer complacentiis quibus reſiſtimus (& conſequenter, quæ inefficaces, & ſine effectu ſunt) tentamur; complacentiâ autem in poſſibilibus, quam Deo neceſſariam adſtruimus, omnino ſimplex eſt, nullo modo in exiſtentiam creaturarum inclinans, ſed purè approbans ipſarum bonitatem. Quare ad argumentum dico amorem efficacem non ſemper oriri ex ſolo affectu ſimplici, ſed aliquando ex alio 14

Poteſt ſtare amor poſſibilium, qui in exiſtentiam non inclinet.

præconcepto liberè à Deo, vehementer tamen inclinante ipſum in exiſtentiam rerum, vt ſtatuit Sanctus Dionyſius. Ad confirmationem ſimiliter admitto aliquem affectum inefficacem ſtare non poſſe cum efficaci nolitione pro eodem ſigno, & ſub eiſdem circumſtantiis, vt patet in naufrago proiiciente merces in mare, qui ita complacet in earum retentione ſaluo periculo vitæ, vt iſta complacentia incompoſſibilis ſit cum ea proiectione, & nolitione retinendi, in circumſtantia abſentiæ periculi. Cæterum complacentia Diuina non ita tendit circa poſſibilia, ſed ſimplicius vt dixi.

15 Argunnt 3. Bonitas creata pluribus ſcatet imperfectionibus, ergo nequit neceſſitare voluntatem ad ſui amorem. Antecedens non ſolum verum eſt de exiſtentibus, ſed etiam de poſſibilibus, ſiquidem eaſdem imperfectiones, quas habent creaturæ, dum exiſtunt, habent etiam, dum poſſibiles ſunt, vt de peccato poſſibili docui, diſput. 65. Conſequentia autem probatur. 1. Quia proprium eſt infinitæ bonitatis neceſſitare ad amorem. 2. Quia alias ſimul placeret, & diſpliceret Deo creatura, ſiquidem qua imperfecta eſt placere non poteſt: Vnde Deus ſimul motiuis contrariis ageretur. 3. Quia ideò Deus non rapitur ad amorem efficacem. Quia bonitas creata ſumma non eſt. Ergo ob eandem rationem non rapitur ad inefficacem. 4. Patet à paritate voluntatis creatæ, quæ ideò poteſt non amare creaturas poſſibiles: vnde confirmatur argumentum: voluntas creata plures liberos affectus circa bonitatem creatam poſſibilem habet, vt patet in delectationibus moroſis peccaminoſis: bonitas autem, quæ perfectè cognita poténſque amari à voluntate creata (ſi enim non poſſet amari, non liberè amaretur inefficaciter) non amatur, multò minus neceſſitabit voluntatem Diuinam, quę independentior, & inindigentior eſt.

16 Aliqui negant antecedens huius argumenti, quia putāt nihil neceſſariū, vt neceſſarium eſt poſſe eſſe malum, malum enim eſt quod vitari poteſt, & debet, non autem poteſt vitari quod ineuitabiliter, & neceſſario exiſtit; qualis eſt poſſibilitas rerum: ſed iſta exiſtimatio licet de malo culpæ vera ſit, non tamen de malo phyſico, plura namque ſunt mihi mala, vt mors, quam vitare non poſſum. Deinde licet de malo ſimpliciter tali, hoc eſt, exiſtente, etiam phyſico, verum ſit abſolutè, & ſimpliciter vitari poſſe, hoc eſt, quoad exiſtentiam, nam à Deo ſaltem vitari poteſt omne malum creatum nè exiſtat; ſecus ſentiendum eſt de malo ſecundum quid, & ſolum in eſſe poſſibili, quod non tam actu eſt malum, quam poſſibiliter. Quare, pro hoc malo ſufficit quod poſſit vitari. licet non reduplicatiuè, nè ſit poſſibile; at ſaltem nè id quod eſt poſſibile ſimpliciter & actu ſit.

Malum etiã dici poteſt, quod vitari nequit.

17 Ideò ſimpliciter conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ad eius primam probationem Reſpondeo ſummæ & infinitæ bonitatis eſſe proprium quod extorqueat amorem efficacem, per quem ad eius exiſtentiam ita determinetur amans, vt nequeat ipſius exiſtentiam nolle: ita ſe habet Deus amans ſuam eſſentiam, ſecus dum complacet in poſſibilibus. Ad 2. dici poteſt Deum diſplicere in creatura poſſibili, ſeu placere in eius carentia, nam ſicut ideo amat exiſtentiam mundi, quia in ea placet, ita amat carentiam mundi, quia carentia ipſi placet, bonáque eſt ad oſtendendam ſuam independentiam, neque affectus hi contrarij ſunt, ſed benè compoſſibiles vt patet in creatis. Si autem velis incompoſſibiles eſſe, dico in Deo nullam inueniri diſplicentiam ſimplicem per modum reprobationis de Angelo poſſibili, iſte enim ſecundum ſe nihil mali continet (propriè & poſitiuè, licet non habeat omne bonum, & ideò imperfectus ſit (ob quod entitatiuè diſpliceat, licet diſplicere poſſit hoc quod eſt exiſtere, quæ duo diuerſa ſunt, nam Chriſtus nihil habet quod Deo abſolutè diſpliceat, & in quo poſſit Deus diſplicere ex ſuppoſitione quod exiſtat, licet hoc quod eſt Chriſtum exiſtere diſplicentiam, ſeu nolitionem Diuinam poſſit terminare.

Finita bonitas amari poteſt neceſſario amore inefficaci, infinita vero efficaci.

An Angelus poſſibilis diſpliceat Deo & uti neceſſario amat creaturas poſſibiles, etiã neceſſario amet carentias poſſibiles? Vide infra q. 19. art. 2. dub. 4.

18 Ad probationem tertiam eiuſdem conſequentiæ Reſpondetur plus bonitatis requiri ad extorquendum amorem maiorem, quam minorem; Vnde licet bonitas creata non ametur à Deo neceſſariò amore efficaci, poterit inefficaci minori. Et ratio eſt, quia amor inefficax eſt ſimplex affectus, & quaſi pura approbatio bonitatis poſſibilis, in ordine ad quam bonitas creaturæ poſſibilis nullam improportionem habet, nec impedimentum Diuino bono, ſecus verò reſpectu amoris efficacis. Ad 4. & vltimam probationem. Dico voluntati Diuinæ ob ſummam eius perfectionem conuenire, quod omnia bona approbet, quæ perfectio creatæ voluntati abeſt. Addo ad confirmationem, voluntatem creatam ſi aliunde non impediatur, ob defectum aduertentiæ, ſeu capacitatis ad tot ſimul amplectenda, etiam ferri affectu ſimplici neceſſario in poſſibilia, vt patet dum tentatur delectationibus moroſis, quas tentationes ſolum vitat diuertendo imaginationem, vel intendendo, quando ſunt circa obiecta honeſta: & hinc vituperabilis, vel laudabilis eſt: ex quo potius cum Deus neceſſariò intentiſſimus ſit ad bonum, non poterit non in illo placere.

DIPVTATIO LXVII.

Vtrùm ſit Deo poſſibilis pura omiſſio libera: vbi de libertate contradictionis in Deo.

SECTIO I. *Status quæſtionis, & eius reſolutio iuxta principia propria de conſtitutione actuum liberorum proponitur.*

SECTIO II. *Statuitur impoſſibilis in Deo omiſſio pura libera in omni ſententia de libertate Dei.*

SECTIO III. *Argumenta pro poſſibilitate puræ omiſſionis in Deo proponuntur, & reiiciuntur.*

SECTIO IV. *Vltima obiectio proponitur: vbi an detur in Deo libertas contradictionis?*

ETiam quæſtio hæc pluribus videtur dependens à conſtitutione actuum liberorum Dei ita vt iuxta propriam ſententiam explicatam diſput. 60. teneamur concedere Deo putam omiſſionem liberam nam ſi actus liberi vt Deo intrinſeci non ſunt defectibiles tota defectibilitas, & conſequenter libertas ad connotationem extrinſecam, cum

Vide infra q. 14. a. 3. dub. 4.

cum autem ſæpè connotatum extrinſecum, & à Deo diſtinctum nihil poſitiuum ſit, ſed pura negatio iſta vt ſic libera ſtatuenda erit Deo. Ita putat P. Arriag. diſput. 28. num. 41. Sed quo iure videndum in præſenti.

SECTIO I.

Status quæſtionis, & eius reſolutio iuxta propria principia de conſtitutione actuum liberorum proponitur.

1 SVpponendum eſt primo in præſenti poſſibilem eſſe puram omiſſionem ſaltem in voluntate creatâ; eamque eſſe *liberam, moralem & honeſtam* vel extrinſecè, quatenus procedit ex honeſto fine, vel intrinſecè quatenus illa omiſſio, & carentia eſt per ſe, & eſſentialiter reſpectus ad talem finem honeſtum, ab illoque ſpecificatus, niſi enim omnino ſic honeſta ſupponatur, extrà controuerſiam erit in Deum cadere non poſſe, qui nunquam non eſt laudabilis in exercitio libero ſuæ voluntatis.

2 Suppono ſecundò nomine *omiſſionis puræ* non intelligi carentiam omnis actûs exterioris, ſic enim manifeſtum eſt Deum ab æterno fuiſſe in purâ omiſſione, cum nullum ab æterno habuerit actum exteriorem, imò in tempore etiam hanc puram omiſſionem habebit; nam licet habeat plures actus exteriores, at iſti compoſibiles ſunt cum aliis, quibus caret verbi gratia creatio huius vniuerſi nullam incompoſſibilitatem habet cum creatione alterius mundi, quod ſufficit vt huius carentia dicatur *pura omiſſio*, quemadmodum voluntas dicitur habere puram omiſſionem volitionis, quantumuis alias nolitiones habeat, ſi tamen harum nulla cum primâ incompoſſibilis eſt.

3 Suppono tertio nomine *omiſſionis* hic intelligi carentiam ipſius actus volendi, & volitionis Diuinæ, vtrum ſcilicet poſſit Deus ſe habere purè omiſſiuè, & ſuſpenſiuè ad aliquod bonum, ita vt nec illud amet, nec oderit, ſed careat volitione, quam poteſt habere? Hæc ſuppoſitio patet primo ex ſimili quæſtione qua de creata voluntate inquirimus queatnè eſſe ſub pura omiſſione? Secundò rationes quibus communiter à Deo reiicitur pura omiſſio contrà omiſſionem ſic acceptam pugnant, ſemel namque admiſsâ poſſibili purâ omiſsione in creatis ſpecialem difficultatem non habet in Deo, niſi quia per illam excludatur actus internus Dei. Tertiò nequit dici quis purè omiſsiuè ſe habere in volendo, quando non minus volitionis poſitiuæ habet, & efficacis circa aliquod bonum, quam dum illud poſitiuè cauſat; at Deus ſi ſolum habet carentiam actûs exterioris, eadem ratione ſe habentibus interioribus, æqualiter ſemper eſt ſub volitione poſitiua & efficaci. Ergo vt omiſsio ſit pura debet imbibere carentiam actûs volendi.

4 *In propria ſententia de actibus liberis diuinis indubitata eſt repugnantia puræ omiſſionis liberæ in Deo. Ita.*

Hinc manifeſta eſt concluſio negatiua iuxta meam ſententiam, qua ſtatui nullam volitionem internam Dei eſſe defectibilem, Deumque in lineâ volendi formaliter omninò eſſe immutabilem, quin poſsit non eſſe in infinito actu volendi comprehendenti quidquid volitionis eſt, licèt ob variationem connotati extrinſeco varias denominationes ſortiatur. Ita ſentiunt omnes Authores qui aliquo pacto complent volitionem liberam Diuinam per extrinſeca connotata. Vaſquez 1. part. diſput. 79. num. 18. Erize diſput. 17. cap. 4. Albiz diſput. 6. ſect. 3. Faſolus quæſt. 19. artic. 3. dub. 3. Alarcon cap. 2. diſpût. 4. qui dicunt ſe hoc defendere conſequenter ad ſuam doctrinam de conſtitutione actûs liberi Diuini. *Vaſquez. Herice. Albiz. Alarcon.*

5 Ex Patre Arriaga diſput. 18. §. 41. obiicies iuxta hanc ſententiam omiſsio creationis alterius mundi habetur à Deo vt à principio omninò indifferenti ad creandum, eſtque exercitium non agendi ſine aliquo incompoſsibili cum actione. Ergo Deus per eam omiſsionem formaliſsimè liberè ſe habet (& conſequenter omiſsio ea libera eſt immediatè) ſicut qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus. Confirmatur quidquid ſit de actu poſitiuo, omiſſio tamen pura libera cenſetur eſſe in voluntate, quoties ipſa omittit potens non omittere, ſed ita ſe habet voluntas Dei, dum omittit creationem mundi. Ergo ea omiſsio libera eſt non minus, quam pura omiſsio in creatis, vt per eam Deus interpretatiuè nolit creare. Reſpondetur concedo prædictam omiſsionem eſſe immediatè liberam ea ratione, qua actio eſt libera immediatè; at ſicut ipſa non eſt libera tanquam forma volendi, ita neque omiſsio eſt carentia formæ volendi, ſeu volitionis: quo pacto ſolum negamus Deo poſsibilem puram omiſsionem volendi. Igitur quando Deus non creat mundum, eadem forma, quæ Deum connotata creatione denominabat *volentem* eam creationem, connotata carentia denominat *nolentem* reſpectu creationis, ſeu volentem eam creandi carentiam.

SECTIO II.

Statuitur impoſsibilis in Deo omiſsio libera in omni ſententia de conſtitutione actuum liberorum Dei.

6 *In omni ſententia de actibus liberis repugnat. Ita*

ETiamſi volitio libera Dei ſit vt talis ipſi adæquatè intrinſeca, defectibiliſque ſiue denominatiuè ſiue virtualiter, adhuc non poſſe Deum purè negatiuè ſeu ſuſpenſiuè ſe habere, ita vt nihil actù poſitiuo decernat circa exiſtentiam vel carentiam effectus creati, eſt communiſsima Authorum ſententia ſtatuens Deum ſiuè non operetur phyſicè, ſemper tamen operari intentionaliter, vt circa ipſum non operari phyſicè non minus poſitiuam volitionem exerceat, quam circa ipſam phyſicam operationem; vt contingit in nobis, negata poſsibili pura omiſsione. Ita Suarez, Fonſeca, Salas, & alij cum Ruiz diſput. 8. ſect. 3. §. 2. Carmelitani diſcalceati diſputat. 7. dub. 3. num. 73. licèt defendant actus liberos Dei independentes à connotatione extrinſeca. *Suarez. Fonſeca. Salas. Ruiz. Carmelitani.*

7 Communes probationes non omninò mihi placent. Primò eſt, ne detur in Deo potentia realis ad exercitium ſui: nè viuat per aliquid realiter diſtinctum; nè intrinſecam denominationem ſuſcipiat ab aliquo imperfecto, qualis eſt carentia; ſiquidem abſurdiſsimum foret dicere; quod Deus viuat per formam poſitiuam diſtinctam quantumuis perfectam: Ergo multo magis per carentiam. Reſpondetur, nec potentia eſt, nec vita, ſed interpretatiuè quatenus Deus *purè non volens* habetur pro nolente, quare abſurdum nullum. Secunda nè Deus non ſit infinitè laudabilis, nam laudabilitas menſuratur iuxta excellentiam exercitij liberi, hinc

vt quis mereatur præmium ſupernaturale requiritur actus entitatiuè ſupernaturalis: Ergo ad infinitam laudabilitatem exercitium entitatiuè infinitum, talis autem non eſt pura carentia. Reſpondeo hæc probatio iam impugnat puram omiſſionem etiam creatam honeſtam & meritoriam quare ſpecialiter non probat in Deo. Deinde dico omiſſionem eſſe interpretatiuè infinitam entitatiuè, nam habetur pro nolitione.

8 His ergo probationibus emiſſis, conſeſſaque pro nunc poſſibilitate cuiuſlibet puræ omiſſionis in creaturâ, ſpecialiter neganda eſt in Deo poſſibilis omiſſio pura, quantumuis volitio libera ſit Deo adæquatè intrinſeca, & defectibilis. Ratio prima eſt, quia nullum prædicatum Diuinum poteſt non amari à Deo, vtique amore efficaci, vi cuius quantum eſt ex ſe voluntas Diuina daret exiſtentiam, ſi poſſet, tali prædicato: ergo nequit voluntas Diuina purè omittere. Conſequentia patet, nam vt purè omittat, deberet negare exiſtentiam alicui prædicato Diuino, nempe volitioni, quam poteſt habere. Antecedens probatur, nam omne prædicatum Diuinum eſt bonum infinitum; hoc autem, dum videtur clarè neceſſitat ad amorem efficacem ſui (inefficax etiam debetur bonitati finitæ) vt patet in amore beatifico, & quem habet Deus de ſeipſo. Confirmatur; Beatus neceſſariò amat omne prædicatum Diuinum, vt æquè à quolibet rapiatur, vti æquè ex clarâ intuitione cuiuſlibet, quantumuis liberi beatetur: ergo ſimiliter dicendum de Deo. Conſequentia patet, nam quoad amandum Deum, non ex imperfectione, ſed ex ſummâ perfectione voluntati aduenit neceſſitas.

Omne prædicatum Diuinum neceſſario amatur à Deo.

9 Dices primò: Nolitio libera non dicit perfectionem vllam nedum infinitam. Sed contra: Perſonalitas, licèt non dicat perfectionem formaliter, tamen *concretiuè* cum eſſentiâ neceſſario amatur. Deinde vt non dicat perfectionem opus eſt vt ſolùm deficiat per poſitionem alterius æquiualentis, & conſequenter non per puram omiſſionem, ſed per actum nolitionis. Dices ſecundò: Eo ipſo quod volitio ſit libera, deficere poteſt: ergo non neceſſario amatur. Reſpondeo, vt ſit libera ſufficit quod deficiat formaliter, ſed permanere poteſt in æquiualenti nolitione. Dices tertiò: Ergo iam non omne prædicatum Diuinum æquè amatur à Deo, nam Deus nequit vllo modo non amare hanc determinatam omnipotentiam formaliter. Reſpondetur: tantùm intendo, formaliter loquendo non poſſe non amari, bonum infinitum clarè viſum, nec poſſe voluntatem ſe priuare tanto bono; ſi autem inter bona infinita detur electio, vt ita dicam, neceſſitas dabitur quoad ſpeciem, licèt non quoad indiuiduum, quia per vtriuſuis poſitionem ſemper retinet voluntas bonum infinitum. Iam hîc datur in alio actu libero incompoſſibili ſimiliter bonum infinitum; at nihil datur æquiualens infinitæ bonitati omnipotentiæ. Sic ſi daretur duplex Deitas incompoſſibilis, alterutra neceſſario amaretur à Beato licèt neutra determinatè.

10 Vnde arguo ſecundò: Vt Deus purè omittat volitionem, neceſſarium eſt, vt in ipſa inueniat aliquid mali; ſed quidquid ſit, imbibatne perfectionem formaliter, at nihil mali, vel imperfectionis dicit: ergo omitti nequit. Conſequentia legitima eſt: Maior patet, nam qui purè omittit, amare, interpretatiuè habet nolitionem amandi: ergo licèt non in obiecto, at in exercitio volendi inuenit aliquid mali. Minor probatur, nam volitio diuina nec eſt mala in ſe, vti volitio creata, quæ imperfecta eſt, neque quâ impedit aliquid boni, niſi quatenus eſt impeditiua alicuius actus diuini, pura enim carentia ſui bona eſſe nequit ſi ipſa volitio in ſe mala non eſt: ergo vt poſſit reijci, & omitti, opus eſt vt reijciatur per actum poſitiuæ nolitionis afferentis bonum incompoſſibile cum volitione.

Vt purè omitteretur aliquod Diuinum prædicatum, deberet continere aliquid mali.

Dices primò: Vt quis purè omittat, non eſt opus vt cognoſcat aliquid mali, ſed præciſè quod non appareat ſummum bonum, neque obiectum, neque ipſum exercitium amandi. Reſpondetur: fortè hoc verum eſt, quando quis non cognoſcit reflexè ipſum exercitium, nam voluntas creata eo præciſe quod non cognoſcat ſummum bonum in obiecto, iam non eſt neceſsitata, ac per conſequens poteſt omittere. At Deus, qui reflexè & clariſsimè cognoſcit ſuam volitionem, dum illam omittit, iam poteſt illam nolle: ergo inuenit aliquid mali. Dices ſecundò: ergo à fortiori quando Deus omittit poſitiuè, per nolitionem amandi inuenit rationem mali in ſua volitione. Reſpondetur: Ita eſt de malo reſpectiuè, ſeu impeditiuo bonitatis inuentæ in tali nolitione. Dices tertiò: Etiam volitio eſt mala reſpectiuè, quia impedit bonum omiſſionis, non quidem bonum phyſicum, ſiquidem eſt pura carentia, ſed bonum conuenientiæ ad maiorem, & extenſiorem vſum libertatis. Reſpondetur: hæc maior extenſio nullius bonitatis eſt, vbi in eius oppoſito nulla eſt ratio mali, ſicut abſolutam bonitatem, nec entitatem habet: ergo cum nihil mali ſit in volitione oppoſita, nec erit boni in hac extenſione. 11

Tertiò denique ex variis imperfectionibus, quæ venirent Deo ab omiſsione pura hac reijcitur. Prima quod careret vero gaudio, & felicitate, hæc enim non eſt in omiſsione, ſed in tendentia boni propter ipſum. Secunda minus haberet in ſua entitate, & perfectione ſiquidem prædicatum poſitiuum, quod amittit per nullum aliud compenſat. Tertia poſſet velle per volitionem realiter diſtinctam; tum quia æqualiter comparantur cum principio libero exercitium negatiuum, & poſitiuum: ergo ſi illud ſufficit diſtinctum etiam & hoc; tum etiam quia illa voluntas poteſt omittere volitionem, quæ diſtinguitur à volitione; ergo vel non datur pura omiſsio, vel volitio diſtinguitur. Quarta Spiritus-ſanctus non procederet ex omni exercitio libero, ſiquidem ex carentia procedere nequit; vnde non ita adæquaret voluntatem, ſicut verbum intellectum. 12

Alia repugnantia in purâ omiſſione Diuina.

SECTIO III.

Argumenta pro poſſibilitate puræ omiſsionis in Deo proponuntur, & reijciuntur.

Fetè nullus Theologus eſt, qui in Deo admittat puram omiſsionem, niſi aliquis Recentior apud Torres 2.2. diſput. 1. dub. 5. num. 8. Albertinus qui citatur tom. 1. principio 4 qu. 4. Theologica dub. 2. num. 9. certus non eſt pro hac ſententia, nec Faſolus qu. 14. art. 13. dub. 16. num. 282. Gonzalez diſp. 52. ſect. 2. licèt in hanc partem videantur inclinare. 13

Authores dubij pro purâ omiſſione.

Argues primò: Deus poteſt omittere omnem actum externum, eo quod perfectiſsima gaudeat libertate ad extra: ergo omnem internum quia eſt perfectiſſimum liberum ad intra. Reſpondetur nego conſequentiam, tum quia ad extra poteſt eſſe in 14

Nequit Deus eſſe in purâ potentia ad intra.

purâ

purâ potentiâ, ſed non ad intra: tum etiam quia omnis actus poſitiuus ad extra imperfectus eſt, ergo libertas perfectiſſima non perit quamcumque extentionem; alias Deus peccare poſſet, ſed quam permittat infinita perfectio, quæ ſicut aliquando latior eſt ad extra, quam ad intra, ſiquidem per omnipotentiam attingit peccatum poſitiuum, & non per voluntatem ita aliquando poterit eſſe ſtrictior.

15 Argues 2. quia ſicut nulla bonitas finita determinata neceſſitat Diuinam voluntatem, ita etiam nulla vaga, & disiunctiuè accepta, ideo non ſolum in ſingulari non tenetur velle aliquam creaturam determinatam, ſed nec diſiunctiuè hanc velle. Cuius ratio eſt, quia nec diſiunctum infinitâ gaudet bonitate. Tum ſic ſed nec diſiunctum ex bonitate creata & eius carentia infinita bonitatis eſt: Ergo nec diſiunctiuè tenetur aliquam partem illius velle: Ergo poterit purè ſuſpenſiuè ſe habere. Reſpondeo negata hac vltimâ conſequentia, quia hæc ipſa ſuſpenſio amoris tandem creatâ, quam de eius carentia fit per actum poſitiuum.

16 Argues. 3. Contra hanc ſolutionem, nam determinatè nec in ipſo amore de creatura, neque in eius amoris ſuſpenſione inuenitur infinita bonitas; non quidem in ſuſpenſione, quæ ſolum eſt negatio amoris, & nihil poſitiuum, non item in amore ipſo determinato alioqui teneretur Deus ſemper eſſe in amore de creaturâ: Ergo neque diſiunctiuè tenetur Deus alterutrum amare. Confirmatur Deus nequit directè nolle ſuos actus, cum enim ſint infiniti, vel ſaltem nullius malitiæ eos odio habere nequit ergo ſolum eos indirectè impedir per amorem boni incompoſſibilis, verbi gratia, impedit amorem de exiſtentia Angeli, quatenus amat eius carentiam: Ergo cum ex dictis in. §. præced. Deus nihil creatum teneatur neceſſario amare nec diſiunctiuè, nec tenebitur vllum actum poſitiuum elicere, ſed manere poterit in pura ſuſpenſione, & omiſſione.

17 Reſpondeo in primis, ſi Deus poteſt directè amare ſuſpenſionem ſuorum actuum de quo ſect. ſequent. tunc bene ipſi proponi bonitatem infinitam in diſiuncto ex amore, & eius ſuſpenſione, nam ſuſpenſio non eſt mera carentia amoris, ſed alius actus incompoſſibilis, nec enim volitio Diuina vti noſtra deſinit in nihilum, ſed in contrariam volitionem vt dicam diſput. 70. Iam vero diſiunctum ex vno actu libero Diuino, & eius contrario, ſeu contradictorio infinitæ bonitatis, & perfectionis eſt. Cum ergo Deus volens ſuſpenſionem amoris velit exiſtentiam nolitionis amandi, quæ eſt amori contradictoria; Hinc ſemper trahitur ab infinito bono ſiquidem reiicit vnum infinitum ponendo aliud. Ex quo patet ad obiectionem. Ad confirmationem, ſi omnino negetur Deo pura nolitio ſuorum actuum. Reſpondeo Deus à nulla bonitate creatâ præciſè trahitur neceſſario vi talis bonitatis; at trahitur ab illa vt coniuncta cum bonitate ſumma, quæ relucet in actu ipſo Diuino, verbi gratia, non amat neceſſariò Angelum, nec eius carentiam: at trahitur neceſſario ſi non habet amorem Angeli, ad amandam bonitatem infinitam, quæ relucet in ſuo actu poſitiuo decernente carentiam Angeli.

Deus non necessitatur ad non purè omittendum, dicere ex bonitate creata ſed ex ſuo prædicato infinite bono.

18 Arguitur 4. Ex negata pura omiſſione in Deo ſequi infinitam multitudinem actuum reflectentium, ſemper autem abſurdus eſt proceſſus in infinitum; ſequela probatur, Deus amare poteſt reflexè, ſeu imperare actum ipſum volitionis quem elicitūrus eſt, ſiquidem iſte cognoſcitur vt bonus, & conſequenter amabilis. Tum ſic vel imperat, vel non? Si primum de hoc imperio reflexo redit argumentum, quod debes dicere non imperari reflexè, nè actus omnis Diuinus libertate ſpolietur, cum conſtans ſit libertatem actûs reflexè imperari nullam eſſe. Iam ſi eligas ſecundum, nempè non imperari actum directum volitionis; vlterius vrgeo, vel omittitur imperari actu poſitiuo, vel nullo? Si hoc; Ergo purè omittitur imperium; ſi primum? De hoc actu poſitiuo nolente imperium, rogo ſine fine an imperetur vlterius, cum etiam bonus ſit, vel omittatur poſitiuè? Quo redibit argumentum. Confirmatur in gaudiis reflexis, quæ poſſunt eſſe de amore directo, iſta enim vel procedent in infinitum, vel per aliquam puram omiſſionem impedienda ſunt.

Communiter inſtatur argumentum hoc ex proceſſu, qui ſimiliter ſequitur in infinitum in exercitiis liberis negatiuis omiſſionum, nam omiſſio ipſa amabilis eſt, & imperabilis reflexè. Quando ergo Deus, verbi gratia, amans creationem mundi, omittit imperium talis amoris. Rurſus per aliam omiſſionem ſine fine omittet aliud imperium de tali omiſſione. Quæ inſtantia mihi à Deo vrgens eſt, vt ob illam ſpecialiter purem repugnare in Deo puram omiſſionem. Nam hac admiſſa in Deo opus eſt, vt ſemper Deus ſe exerceat per infinitam ſeriem exercitionum liberorum, quæ ex parte rei diſtincta ſint. At è contra cecidit omiſſione negatâ. Ergo neganda eſt: Conſequentia patet; repugnat enim, vt pono ex Philoſophia, infinitum in actu conceptum diſtinctorum ex parte rei. 19

Noua probatio repugnãtia omiſſionis puræ.

Iam antecedens, admiſſa omnino pura omiſſione, patet. Nam Deus per nullum exercitium ſimplex omittendi ponit impedimentum imperio reflexo de tali exercitio; ſtat enim bene, quod Deus omittat imperium circa amorem, & nihilominus imperet reflexè talem omiſſionem, vel habeat nolitionem imperandi ſic reflexè, vnde vt purè omittat talia imperia requiruntur noua exercitia omittẽdi ſine fine: Eadem infinitudo aliunde patet; nam quotieſcumque Deus purè omittit amorem ſuſpendit infinitos amoris actus, quos elicere poterat, ita vt ſuſpenſio cuiuſlibet indigeat nouo exercitio omittendi, vt alius amor excludatur. Igitur admiſſa omiſſione purâ in Deo neceſſario admittendum eſt non vnicum, ſed infinita actu & ſeparabilia exercitia omittendi. 20

Hæc autem infinitas non datur negata pura omiſſione, nam per ſimplex exercitium, quo Deus dicat: *nolo amare*, vel *nolo vllum imperium*, iam Deus eſt ſufficienter impeditus ab amore, & imperio; implicat enim quod quis vel ſtupidus dicat: *volo habere actum, non volendi vllam volitionem*, ſeu non imperandi; alias voluntas ſibi contradiceret. Neque ſufficit vt quis amet obiectum, quod hoc ſecundum ſe bonum ſit, niſi ſit bonum proportionatum fini, vnde ſicut nequit voluntas amare bonum contrarium fini, quem intendit, ita nec amare reflexè intentionem finis repugnantis tali amori reflexo. Si vrgeas actus ille bonus eſt Deo ergo amabilis ſaltem per aliquem amorem. Reſpondeo amatur ſeipſo in actu exercito, vel per alium actum diſtinctum permodum gaudij vel amoris ſtricti: non eſt autem neceſſe quod ametur omne bonum per intentionem diſtinctam, vt patet in ipſo amore neceſſario, quem habet Deus de ſeipſo. 21

Per vnicum actum reflexum excludit Deus proceſſum infinitũ imperiorum.

Tales actus reflexus eſt amor ſui ipſius.

Hinc ad quattro argumentum Reſpondeo. Deus omittit 22

omittit imperare per actum poſitiuum, quo dicit *nolo vllum actum reflexum*, qui actus cum amet obiectum contradictorium imperio reflexo, & fini per hoc intento, hinc nequit reflexè amari. Dices imperium reflexum eſt cauſa imperati, ſed cauſa nequit impediri per effectum. Ergo talis nolitio nequit impedire imperium reflexum ſui. Reſpondeo benè aliqua res impedit ſui cauſam per incapacitatem ſcilicet vt cauſam habeat, ſic Deus per ſe repugnat cauſæ ſui, & illa nolitio imperio reflexo. Ad confirmationem reſpondeo ſimiliter.

Arguitur quinto Deus dum amat, non tenetur velle obiectum propter omnes fines honeſtos poſſibiles. Tunc ſic; ſed dum omittit relationem ad finem aliquem honeſtum, non procedit poſitiuè; licèt enim non teneatur Deus amare virtutem, tenetur tamen illam non odiſſe, ſicut è contrà licèt non teneatur odiſſe peccatum, tenetur tamen illud non amare. Ergo illa omiſſio amoris eſt omninò pura, abſque aliquo actu poſitiuo. Reſpondeo, aliud eſt *odio habere* obiectum, aliud *nolle* eius exiſtentiam.

Aliud eſt nolle aliud odiſſe.

Deus enim non odit amorem de fine honeſto, at bene poteſt nolle eius exiſtentiam, & nolle exiſtentiam virtutis, è contra autem nec velle poteſt exiſtentiam peccati: ſic iuxta omnes virtutem creatam nolle poteſt directè, ſecus velle exiſtentiam peccati creari: diſcrimen eſt quia peccatum ex ſuo conceptu habet debitum non exiſtendi; at

Deus amat obiectum ob omnes fines cum poſſibiles.

è contrà virtus non debet ſemper exiſtere. Reſpondeo ſecundo Deus dum amat obiectum amat ob omnes fines honeſtos non incompoſſibiles: Vndè nunquam vllo modo odit ſuos actus.

SECTIO IV.

Proponitur vltima obiectio, vbi an detur in Deo libertas contradictionis.

23 VLtimò obiicitur contra ſententiam negantem in Deo puram omiſſionem tolli ab ipſo libertatem contradictionis, & ſolum relinqui libertatem quoad ſpeciem, nempè quoad amorem, & odium; nam licèt Deus non teneatur odiſſe obiectum, quando illud non amat, at odium habet, ſeu nolitionem de actu amoris, quem omittit. Reſpondetur communiter obiectionem hanc nihil ſpeciale proponere pro purâ omiſſione Diuina, cum æque ad eam reſpondere teneantur omnes, qui negant puram omiſſionem in creatis; vnde ſicut negantes puram omiſſionem creatam, adhuc defendunt libertatem contradictionis, eo quod obiectum ipſum directum nec teneatur amare, nec odiſſe voluntas libera, quidquid ſit de actu, qui omittitur; ita ſimiliter in Deo.

24 Sed pro purâ omiſſione in Deo ſic vrgentius argumentum efformo. Deus nequit directè ſuos actus odiſſe: Ergo vt ſuſpendat amorem de Angelo verbi gratia quin oderit Angelum, ſeu nolit eius carentiam opus eſt, vt purè omiſſiuè ſe habeat. Confirmatur, Deus quando non creat Angelum, non tenetur poſſitiuè nolle eius creationem, licet enim creatura vt producatur indigeat decreto Dei, non tamen vt non producatur, ſeu non exiſtat, ſic vt detur effectus eſt neceſſaria cauſa, non tamen neceſſaria eſt vt non detur effectus. Tum ſic; ſed nec Deus poſitiuè odit reflexè volitionem ſuam creandi, cum nihil mali imò infinitum bonum contineat; ergo purè omittit.

Cenſeo Deum non poſſe directè nolle, ſeu reiicere ſuos actus, ſed quoties non amat obiectum ad extra ideo eſſe, quia amat eius carentiam. Quod conſequens eſt ad ſententiam de conſtitutione actuum liberorum Dei per connotata extrinſeca, imo in ſententia contraria defenditur à Patre Montoyca diſp. 8. de voluntate ſect. 3. num. 4. & 5. quod iure & rationabiliter dictum exiſtimo, quantumuis actus liberi Dei ſint ipſi adæquatè intrinſeci. Ratio eſt quia actus Diuinus ratione ſui nihil mali habet, niſi prout impedit dominium Diuinum, ſeu prout eſt in compoſſibilis cum exercitio Dominij ſupremi circa creaturas; actus autem Diuinus non eſt ſic incompoſſibilis, niſi dum amat obiectum contradictorium. Quare Deus dum non creat Angelum poſitiuè ſe habet circa non creationem poſitiuè decernens non creare, licet enim id poſitiuum decretum non petat carentia ipſa creationis, petit tamen perfecta voluntatietas Diuina, & ſumma bonitas actus volitionis creandi, qui directè, & ratione ſui diſplicere non poteſt Deo, niſi quatenus ex parte termini apparet aliquid mali, ſeu imperfecti quod Deus nolit, nempè exiſtentia Angeli. 25

Deus non poteſt nolle directe ſuum actum liberum, ſed ſolum ratione obiecti, quod intendis.

Hinc ad argumentum admitto non eſſe in Deo libertatem contradictionis formalis: quid inde: quando autem obiicis Angelum non indigere decreto Dei, vt non exiſtat, id fateor, ſi loquamur de Angelo ratione ſui, vt pateret caſu quo Deus non exiſteret, in qua hypoteſi nec Angelus, nec vllum decretum poſitiuum daretur. Igitur Angelus vt non exiſtat indiget decreto poſitiuè negante ipſi exiſtentiam, quia aliter deficere à Deo nequit volitio creandi quæ eſſentialiter connectitur cum exiſtentia Angeli, vt per ſe patet, quæ omnia conſtant ex præcedentibus. 26

In Deo non datur formalis libertas contradictionis. Vide infra q. 19. a. 4. dub. 4. 5. 32.

Sed contra hanc doctrinam dices primò poteſt Deus exercere ſuam libertatem ſine vlla mutatione ad extra; hoc autem intelligi nequit niſi directè tollat, & reiiciat ſuos actus verbi gratia cum condonat vult non habere odium circà peccatorem, dum relaxat legem, non dari voluntatem obligantem, *&c.* Ergo reſpondeo nego maiorem ex late dictis diſputat. 63. ſect. 5. Dices ſecundo plura decreta libera non habet Deus circa has res creatas, quæ habere poterat intendendo plures fines, volendo plura conditionata amando intenſius, *&c.* Reſpondeo hoc etiam nego, niſi velit aliquid incompoſibile, neque aliter concipienda eſt in Deo maior intenſio amoris, niſi quatenus plura vel pauciora bona vult. 27

Dices tertio vt Deus nolit obiectum aliquod ſufficit, ſi hoc connectatur cum malo, quantumuis prædictum obiectum in ſe malum non ſit, nam qui odit malum etiam odio habet omne connexum cum tali malo; & opus eſt, vt mihi diſpliceat quidquid mihi malum infert. Tum ſic, ſed actus Diuinus, licet in ſe non malus nec imperfectus connectitur tamen cum exiſtentia creaturæ imperfectæ. Ergo poterit Deo diſplicere. Confirmatur primo Qui odit finem, etiam odit medium efficaciter inferens finem; ſicut è contra finem qui amat, amat etiam medium neceſſarium ad finem: ſed actus Diuinus creandi infert creationem alterius mundi, quam Deus odit. Ergo etiam ipſe actus odio habebitur. Confirmatur ſecundò Bonum eſt Deo non habere volitionem creandi alium mundùm ſiquidem de facto non habet illam ergo poterit velle non habere, ſeu nolle talem volitionis actum. Reſpondeo totum hoc ſolum probat, quod Deus 28

poſſit

poſſit nolle ſuos actus ratione obiecti quod inferunt, ſeu quatenus non vult exiſtentiam alterius mundi, verbi gratia; At directè & ratione ſui præcisè, prout in nobis contingit, non vult Deus ſuſpenſionem ſuorum actuum; vnde non habet puram libertatem contradictionis ſuſpendendo poſitiuè vel negatiuè amorem de obiecto, quin circa ipſum nolitionem exerceat; quod ſolum intendo vt ſemper libertas Dei ſit contrarietatis nec puræ contradictionis.

DISPVTATIO LXVIII.

Qualis ſit amor Dei erga ſeipſum?

SECTIO I. *An ſit neceſſarius vel liber?*
SECTIO II. *An iſte amor ſit ſtrictè talis, vel purum gaudium?*
SECTIO III. *Defenditur quod amor Dei Dei erga ſe non ſit gaudium purum, ſed etiam amor ſtrictus aduerſiſque fundamentis ſatisfit.*
SECTIO IV. *Octo quæſtiunculæ de qualitate amoris Dei.*

Vide qu. 19. art. 3. dub. 5. & 6.

CONTINET præſens diſputatio plures difficultates, quæ excitari, & exponi ſolent ad art. 3. quæſt. 9. S. Thomæ; quæ autem tangitur in ſect. 1. maximè neceſſaria eſt conſequenter ad dicta de conſtitutione actuum liberorum Dei, ſi enim Deus immediatè exerceret libertatem amando ſe, quin aliquid nouum poneret ad extra impoſſibile foret quod actus liber etiam in concreto imbiberet aliquid realiter defectibile, vt noto §. 4. ſed & hac ſententia omiſſa, quantumuis actus liberi ſint Deo adæquatè intrinſeci, nullum tamen adæquatè, & purè erga poſſe à Deo liberè haberi dicam §. 5.

SECTIO I.

An ſit amor Dei neceſſarius, vel liber?

1 *Libertas contingentia omnino neganda eſt amori Dei erga ſe.*

AMorem Dei ita eſſe neceſſarium, vt nequeat Deus omnem amoris actum erga ſe ſuſpendere extra controuerſiam eſſe debet apud Authores Catholicos. Cum enim proceſſio Spiritus-ſancti omnino neceſſaria ſit, & indefectibilis, aliundéque nequeat Spiritus-ſanctus procedere niſi per amorem, conſequens eſt hunc eſſe etiam indefectibilem, vt implicet Deum omnem ſui amoris actum ſuſpendere, vnde non ita liber eſt Deus in amando ſe, vt valeat ab omni amore ſui ceſſare: Quare dum Scotiſtæ, cum Scoto 1. diſtinct. 10. qu. 1. aſſerunt Diuinum amorem eſſe liberum non excludunt hanc neceſſitatem exiſtendi, nec eam tuto excludere poſſunt, ſed ſolum neceſſitatem violentiæ, aut coactionis, vt benè notat P. Ruiz de Montoya diſput. 4. de voluntate, ſect. 2. vnde *liberum* confundunt cum *voluntario*, vt quæſtionem faciant de voce, de re autem loquendo amorem Dei ita eſſe neceſſarium, vt Deus nequeat ab omni amore ſui ceſſare pro ſuo libito, & libertate nemo vt dixi Catholicus dubitare poteſt.

Nihilominus ſtando præcisè lumini naturalis rationis nulla videtur eſſe ſatis efficax pro hac neceſſitate. Primò, quia quod bonitas Diuinæ eſſentiæ ſit infinita, & vt clarè viſa ſufficiens neceſſitare voluntatem alioqui liberam, ſicut pater reſpectu amoris beatifici, non ſatis probat contra libertatem infinitam Dei, quæ bono infinito poterit reſiſtere, vti libertas finita creaturæ finito bono. Secundò, præcipuè quia licèt Deus non poſſit omnem amorem ſui ſuſpendere, adhuc non probatur neceſſitatus, ſed poterit manere liber ad eligendum hunc amoris actum in ſingulari præ illo, per quod fiet ſatis neceſſitati proceſſionis Spiritus-ſancti, quæ ſolum petit aliquem amorem, vt principium ſui vagè, ſicut amor vagè contentus eſt præcognitione, ſiue A, ſiue B, quin vllam cognitionem petat determinatè. Denique rationi naturali maior videtur eſſe perfectio, quod Deus non poſſet ſe non amare, ac aliunde cum hoc ſtet quod liberè ſe amet, vti accidet huic iuxta modum diſcurrendi de neceſſitate ſolum vaga. Vnde ſic benè intelliguntur S. Thomas, Henric. & Scotus dum dicunt apud Montoyam ſupra ſect. 1. amorem Dei: Erga ſeipſum eſſe ſimul liberum, & neceſſarium.

2 *Ratio dubitandi.*

Amor Dei liber & neceſſarius ſimul.

Ex alio capite videtur poſſe concedi in Deo aliquem amorem erga ſe purè liberum, ſaltem vltra primum, & quaſi fundamentalem, quo Deus ſe amet neceſſario. Tum à paritate voluntatis Beatorum, qui vltra amorem neceſſarium beatificum poſſunt alios actus amoris de Deo liberè elicere: tum etiam Deus liberè amat creaturas non ſolum propter ipſas, ſed etiam potiori iure propter ſeipſum; ergo ſeipſum amat per talem amorem liberum; nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Idem patet in amore libero, quo amat Chriſtum Dominum, & in eius meritis vt infinitis complacet; etenim amor ille non ſolum tendit in humanitatem, ſed etiam in Verbum Diuinum, ſine quo non eſt Chriſtus, nec merita infinita ſunt: Tum denique eſt ratio à priori, quia Deus quantumuis ſeipſum amauerit primò adhuc in ſe inuenit rationem boni; ergo inuenit fundamentum ſufficiens, vt repetat amorem ſui, non quidem neceſſario, ſiquidem vt ita dicam, iam eſt ſatisfactum infinitati bonitatis; ergo liberè.

3 *Amor alius Dei de ſe an liber.*

Ob hæc exiſtimo non eſſe ſatis efficaces rationes naturales quæ communiter afferuntur pro neceſſitate amoris Diuini erga ſe. Suppoſita vera ſententia de conſtitutione actuum liberorum Dei per connotationem alicuius extrinſeci realiter defectibilis promptiſſimum eſt amorem Deo erga ſe vnicum ponere, & omnino neceſſarium determinatè, cum Deus in ſeipſo nullam defectibilitatem permittat, & conſequenter omni obiecto creato ſecluſo nullus actus liber eſſe queat in Deo, ſed ne veritatem hanc ſoli huic fundamento innixam adſtruam, eam etiam iuxta alia principia probo.

4 *Inſufficientia rationum quæ afferuntur contra libertatem alicuius Diuini amoris erga ſeipſum.*

Primò, vt Deus non poſſit ſe non amare ſaltem aliquo actu. Deus eſt omnino neceſſitatus ſaltem ad non peccandum, ſed ſi ſe non amaret peccaret: Ergo omnino neceſſitatus, vt ſe amet. Conſequentia patet; maior etiam eſt conſpicua, non ſolum de peccato, ſed etiam de leuiſſima imperfectione; Minor probatur quia ſpectat ad excellentiam Diuinæ bonitatis, quod ſit obligatus, quod illam perfectè comprehendit ad amplexandam, & diligendam ipſam: Si enim homo tenetur aliquando etiam in hac vita Deum amare, eo quod Deus ipſi proponitur vt ſummum bonum, & finis vltimus quantumuis,

5 *Deus eſt neceſſitatus vt ſe amet.*

quantumuis confusè proponatur, multo magis id dicendum eſt de ipſo Deo ſecum coniunctiſſimo, & maximè penetrante quantitatem ſuæ bonitatis, & quidem quis non putabit imprudens, & otioſum exercitium libertatis velle tantum bonitatem non amare.

6 *Deus non eſt indifferens vt ſe amet hoc vel illo amore.* Secundò arguo. Ne Deus ſit vlla ratione liber in amore ſui, ſed omnino neceſſitatus ad hunc amorem determinatum; nullum prædicatum Diuinum poteſt Deus directè, & ratione ſui reiicere, & excludere, ſed ſi hunc determinatum amorem erga ſe non eliceret omninò neceſſario, prædicatum Diuinum directè reiiceret: Ergo amor Dei erga ſe omninò eſt neceſſarius. Conſequentia eſt legitima, probatur maior; Quia vt aliquid reiiciatur, ſeu terminet directè nolitionem, opus eſt vt contineat aliquam rationem mali, quemadmodum enim volitio requirit rationem boni in obiecto, ita nolitio rationem mali, manifeſtum autem eſt nihil mali inueniri in prædicato Diuino, quantumuis libero; fuerunt qui exiſtimarunt actus liberos Dei non dicere perfectionem, nullus tamen imperfectos poſuit. Iam minor propoſitio eſt etiam manifeſta; nam cum nullum obiectum ſit incompoſſibile cum amore, quem poteſt Deus habere de ſeipſo, non aliter poterit talem amorem ſuſpendere, excluderéque voluntas Diuina, niſi directè volendo eius excluſionem, eumque reiiciendo.

7 *Bonitas infinitas clarè nequit abſq; peccato non amari.* Ex prima ratione conſtat ſolutio ad primam rationē dubitandi, nam eo ipſo quòd bonitas infinita clare videatur non poteſt ſine peccato non amari, libertas autem quantumuis infinita, imò quia infinita eſt ad peccandum non ſe extendit. Ad ſecundum difficile reſponderi poteſt, niſi quis vtatur ratione poſita in præcedentibus, iuxta illam autem facilè, nam dum Deus eligit amorem A. præ B. opus eſt, vt directè nolit amorem B. alias enim nihil habet iſte amor, cur ſit incompoſſibilis, & excludatur vi amoris A. cum vterque tendat in idem obiectum & eodem modo. Cum ergo nullum actum Diuinum poſſit Deus directè excludere, opus eſt vt non maneat liber ad B. & toto conatu ſe amet per A. quin vltra alius actus B. poſſibilis ſit. Quod etiam confirmatur à paritate ſcientiæ, quæ vt ſit infinita & comprehenſiua Dei nullam aliam cognitionem de Deo directè, & in ſeipſo cognoſcendo relinquit poſſibilem: Ergo hic nullum amorem alium relinquet amor comprehenſiuus.

8 *Vltra amorē neceſſarium nullus eſt alius liber quo Deus poſſit ſe amare.* Vnde etiam negandus eſt amor liber poſſibilis, quo vnicè, & purè tendat in Deum vltra primum neceſſarium, quo Deus comprehenſiuè ſe amat. Diſcrimen à Beatis manifeſtum eſt; nam hi non comprehendunt Deum per amorem ſicut nec per ſcientiam. Item admitto Deum ſe libere amare de nouo, dum amat ſimul creaturas, ſicut etiam in illis ſe de nouo cognoſcit; at hoc non eſt contra comprehenſionem Diuini amoris, vt patet in ſcientia. Denique licet Deus ſemper etiam primo amatus permaneat bonus non poteſt de nouo amari ſicut nec de nouo cognoſci, per quæ patet ad dicta ſupra.

* * *

SECTIO II.

An iſte amor ſit ſtrictè talis, vel purum gaudium.

Qvæſtio hæc à Recentioribus magni ſit, ab antiquis vix in controuerſiam adducta, & merito cum fere tota vocalis ſit, vt ex dicendis conſtabit. 9 *Vide q. 20. a. 1. dub. 1.* Suppono primo in voluntate tantum tres inueniri poſſe proſecutionis affectus ad quos alij reducuntur *deſiderium* ſcilicet, quo voluntas intendit exiſtentiam boni abſentis; *gaudium*, quo delectatur, & quieſcit in ipſo vt præſenti, & poſſeſſo, & tertium ab his diſtinctum vt illorum cauſam & fontem, *Amorem* ſcilicet ſeu complacentiam de bono ſecundum ſe abſentiâ & præſentiâ præſcindente, qui affectus, vt à deſiderio, & gaudio diſtinguatur amor ſtrictus vocari ſolet.

Suppono 2. affectum Dei erga ſe eſſe proſecutionis, & ita *amoris*, ſumpta hac voce prout ad 10 *Senſus quæſtionis.* omnem affectum *fugæ*, & odij oppoſitum extenditur, cum conſtet Deum non eſſe liberum, nec libertate contradictionis, ne dum contrarietatis in amando ſe, vnde ſolum ſe proſequi poteſt amore, non odio. Quæſtio tamen non procedit de amore ſic latè ſumpto, ſed ſtrictius.

Suppono 3. non dari in Deo deſiderium erga ſe: 11 non probo hanc ſuppoſitionē, quia Deus ſibi abſens non eſt, nam ob hoc de Spiritu-ſancto poſſet dari deſiderium in Patre pro illo priori ante huius proceſſionem; abſentia enim, quæ pro deſiderio requiritur ſufficit præſciſiua, vt patet in deſiderio, quod quis haberet dum peteret gratiam, quam dandam præſciret ſtatim ſi peteret, ſeu deſideraret. Igitur in Deo ideò nequit dari deſiderium, quia nequit dari in Deo conatus ad adquirendum bonū ad quod habendum ex ſe non ſit neceſſitas, (& conſequenter quod virtualiter iam non poſſideat) quale eſt omne bonum Diuinum, & proceſſio Spiritus-Sancti reſpectu Patris: ſecus gratia reſpectu voluntatis illam petentis. Reſpectu ſuorum actuum liberorum poteſt aliqua ratione dici deſiderium affectus ille, quo illos reflexè imperat, & intendit, at non dum eſt propriè deſiderium, cum omninò faciliter ſint ſub eius poteſtate ex ſe.

Suppono 4. Dari in Deo gaudium erga ſe: de 12 hoc nemo dubitat cum Deus delectetur, & quieſcat in poſſeſſione ſui ipſius, qua ſummè beatur. Rurſus mihi extra controuerſiam eſt intrinſecè non diſtingui ab hoc gaudio vllum amorem Dei neceſſarium, nam eam diſtinctionem non agnoſco inter vllas formalitates Dei non diſtinctas realiter ſaltem in tertio. Quæſtio autem adhuc reſtat, quidquid ſit de diſtinctione obiectiua amoris ſtricti à gaudio an verè ſit cōcedendus in Deo erga ſe vterque affectus, ſicut verè conceditur cognitio, & amor quamuis iuxta dicta ſuperius non diſtinguantur ex parte obiecti.

In qua re prima ſententia negat amorem ſtrictum 13 *Amorem ſtrictum negant. Herice. Albiz.* in Deo circa ſuam eſſentiam. Ita Herize diſputat. 13. de voluntate cap. 6. Aluiz diſput. 4. ſect. 3. & 4. mouentur præcipuè. Quia amor ſtrictus tendit in bonum ſecundum ſe præſcindendo ab exiſtentia ſed nullum prædicatum Diuinum proponitur Deo præſcindens ab exiſtentia. Ergo nullum poteſt erecre amorem ſtrictum. Secundò affectus deſiderij non eſt in Deo: Ergo nec amoris ſtricti, æquè enim repugnat Deo proponi eius perfectiones neceſſarias

ceſſatias cum præciſione ab exiſtentia, prout requirit amor, quam cum carentia, ſeu abſentia exiſtentiæ prout requirit deſiderium. Tertiò omnis formalitas, quæ eſt in Deo, cognoſcitur vt poſſeſſa: Ergo non poteſt amari niſi vt talis, ſed affectus in rem vt poſſeſſam eſt purum gaudium, & non amor: Ergo.

14 Præterea hæc prima ſententia probatur quartò: ipſe amor, ſi ſupra ſe reflecteret, non poſſet alio affectu ſe proſequi, quam gaudij; At eſſentia Dei ipſi proponitur vt omnino idem cum amore; ergo. Quintò, in creaturis datur gaudium purum quod nulla ratione eſt amor ſtrictus, at tali gaudio ſimilis eſt amor Dei de ſeipſo: Ergo talis amor Diuinus eſt purum gaudium. Conſequentia patet, & maior ab omnibus admittitur; minor etiam videtur manifeſta; nam tale gaudium creatum, & mouetur ex bono, ſeu tendit in bonum poſſeſſum, quia bonum eſt formaliter, ſiquidem bonum eſt obiectum formale cuiuſuis actus voluntatis, & aliunde amor Diuinus mouetur etiam ex bono poſſeſſo, ſicut creatum gaudium purum: Ergo in nullo differunt gaudium purum creatum, & amor Diuinus de ſeipſo. Denique ſextò, ſcientia qua Deus ſe cognoſcit non eſt ſimplicis intelligentiæ, ſed puræ viſionis, at amor ſtrictus correſpondet ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ: Ergo non datur in Deo reſpectu ſui ſtrictus amor.

15 Secunda ſententia communis affirmat: Ita præter Herice & Aluiz omnes, quos refert & ſequitur Pater Montoya, diſp. 52. de voluntate, ſect. 1. Mouentur præcipuè, quia amor eſt principium omnis affectus proſecutionis, primuſque actus voluntatis: Ergo *in quocunque eſt voluntas*, (verba ſunt S. Thomæ qu. 20. art. 1. corp.) *oportet eſſe amorem, remoto enim primo, remouentur alia. Oſtenſum autem eſt in Deo eſſe voluntatem; vnde neceſſe eſt ponere in Deo amorem.* Antecedens probatur; quia ideo quis gaudet in bono poſſeſſo ſui vel amici, vt ait S. Thomas 1. 2. qu. 23. art. 1. ad 2. quia illud amat; & non è contra; ideò amat, quia gaudet. Secundò hæc ſententia ſuadetur; in via ducti per fidem Deum amamus amore ſtricto, & non ſolo gaudio, nec enim charitas tendit ſolum per modum gaudij, per fidem autem cognoſcimus Deum vt actu exiſtentem, ſeu ſibi poſſeſſum. Tertiò circa creaturas poſsibiles, vt poſsibiles poteſt dari gaudium, quis enim prohibet me gaudere de poſsibilitate vnionis hypoſtaticæ meæ humanitatis cum verbo: circa poſsibilitatem autem in eſſe *talis*, ſemper datur poſſeſsio; nec minus eſt de eſſentia creaturæ eſſe poſsibilem, quam de eſſentia Dei eſſe exiſtentem.

Affirmat communis cum Montoya.

16 Præterea hæc ſecunda ſententia probatur quartò: Deus ſe vult non ſolum vt obiectum *quod*, ſed etiam vt obiectum *cui*; vult enim ſuam bonitatem ſibi. At obiectum *cui* non obijcitur deſiderio, neque gaudio, hi enim affectus tendunt ad bonum reſpectiuè ad aliud, cui ſit bonum. Ipſum verò obiectum *cui*, vt ſic formaliter non amatur reſpectiuè, nec ratione alterius; ergo. Quintò, deſiderium & gaudium procedunt reſpectiuè amando bonum perſonæ, vel in perſona: Ergo amor Diuinus prout non ſolum amat ſe ſibi, ſed amat *integrum ſe*, ſeu vt bonum abſolutum non erit purum gaudium. Sextò, purum gaudium qua tale ſolum tendit, mouetur que ex poſſeſsione, nec vt ſic formaliter mouetur ex conuenientia boni, ſed ex poſſeſſione illius; at amor Diuinus mouetur etiam ex ipſa bonitate: Ergo non eſt purum gaudium. Conſequentia patet, & minor; maior ſuadetur, quia in poſſeſſione boni, qua poſſeſſio eſt, datur ſufficiens motiuum alicuius actus, ſicut datur in bonitate veritatis, qua bonitas eſt: Ergo ſicut pro bonitate veritatis datur ſpecialis actus, qui formaliter non mouetur ex veritate, ſed illam ſupponit attactam per alium actum, ſcilicet per cognitionem, ita ſimiliter pro poſſeſſione boni dabitur ſpecialis actus qui formaliter non moueatur ex bonitate, ſed illam ſupponat attactam per amorem, hic autem actus de poſſeſſione eſt gaudium. Tria hæc vltima fundamenta vel abs re ſunt vt quartum; vel falſa; vt quintum & ſextum; ſed hoc omiſſo perpendenti ſit.

SECTIO III.

Defenditur quod amor Dei erga ſe non ſit gaudium purum, ſed etiam amor ſtrictus; aduerſiſque fundamentis ſatis ſit.

VT conſtat ex ſuppoſitione tertia non eſt quæſtio de diſtinctione amoris ſtricti à gaudio, ſed quæſtio tota eſt, an affectus qui datur in Deo erga ſe ſit gaudium purum, vti noſtrum; an etiam amor ſtrictus, ita vt vtrumque munus habeat verè & propriè, licèt indiſtinctè, quemadmodum volitio in Deo, non eſt ſolum volitio, ſed etiam cognitionis munus verè & propriè habet licèt indiſtinctè. Sic igitur aſſero affectum Dei erga ſe non eſſe gaudium tantum, ſed etiam habere amoris prædicatum verè & ſtrictè, quale habet amor noſter, qui à gaudio diſtinguitur. 17

Deus ſe amat amore ſtricto indiſtincto à gaudio.

Probatur concluſio: Circa bonum cognitum vt poſſeſſum poteſt verſari amor ſtrictus, ſed eo ipſo amor Dei erga ſe eſt amor ſtrictus, & non purum gaudium: Ergo amor Dei erga ſe non eſt gaudium purum, ſed etiam amor ſtrictus. Conſequentia patet, minor facilè ſuadebitur videnti argumenta in oppoſitum, quæ ſolum procedunt eo, quod Dei amor nequeat verſari circa ſe niſi vt exiſtentem & poſſeſſum. 18

Circa bonum poſſeſſum poteſt dari amor ſtrictus.

Maior in qua eſt difficultas, probatur primò nam de bono poſſeſſo in ratione poſſibilis datur amor ſtrictus; & tamen poteſt dari gaudium. Item de peccato præterito de quo datur triſtitia in via datur odium ſtrictum in patria, etenim S. Petrus nequit nunc habere triſtitiam de ſua negatione; odium autem eſt affectus fugæ, & correſpondet amori, ſicut triſtitia correſpondet gaudio. Secundò circa bonum vt abſens poteſt verſari amor ſtrictus: Ergo & circa poſſeſſum. Conſequentia patet: Antecedens probatur; nam circa bonum cognitum, vt abſens verſatur aliquis affectus proſecutionis, qui non mouetur ex illo bono, quia eſt abſens, abſentiam enim boni fugit voluntas, non proſequitur; ergo mouetur ex bono abſenti, quia bonum eſt præciſè; at proſecutio boni quia bonum eſt, eſt amor ſtrictus: Ergo in bonum cognitum vt abſens datur amor ſtrictus, qui vt mixtus cum fuga abſentiæ vocatur deſiderium. Tertiò eo quod bonum cognoſcatur vt poſſeſſum non amittit eſſe bonum, ſed eſt quidem bonum, & vltra bonum poſſeſſum: Ergo amari poterit quia bonum & quia bonum poſſeſſum, quoad primum autem amor ſtrictus eſt. 19

Hinc eſt ratio à priori vt gaudium Dei erga ſe etiam ſit amor ſtrictus: Deus verè mouetur ad amandum ſuam eſſentiam, non ſolum quia *eſt bonum* 20

bonum poſſeſſum, ſed quia eſſe ſic poſſeſſum bonum eſt (quæ duo ſunt valde diuerſa, nam voluntas mouetur ad deſiderandum ſalutem quia eſt bonum abſens, non tamen quia eſſe ſic abſentem bonum eſt) Primus affectus eſt gaudium: Secundus vltrà eſt amor ſtrictus. Ergo in Deo erga ſe non ſolum eſt gaudium, ſed etiam amor. Conſequentia patet, Minor probatur. Tum quia illi duo affectus habent diuerſum modum tendendi: Ergo ſi primus eſt gaudium, ſecundus erit amor: Tum etiam ſecundus affectus, ſolum reduplicat ſuprà bonum, & eſſe poſſeſſum materialiter reſpicit, ſicut materialiter reſpicit eſſe verum actus, qui tangit obiectum, non quia *verum*, ſed quia *verum eſſe bonum* eſt, actus autem, qui formaliter reſpicit ſolum bonum amor ſtrictus eſt.

21 Iam maior propoſitio, nempe quod Deus amet ſuam eſſentiam, & quia eſt bonum poſſeſſum, & quia eſſe ſic poſſeſſum bonum eſt, probatur. Primò quia vtrumque de ſua eſſentia cognoſcit, & vtrumque bonum eſt. Deus autem omnem rationem boni in ſe amat. Secundò Deus non ſolum verè amat ſe, quia æternus, ſed etiam vt immenſus, eo quod vtrumque bonum ſit, licèt vtrumque attributum idem formaliter ſit, & non præſcindatur à Deo. Ergo ſimiliter. Tertiò eſt ratio à priori, quia licet ſcientiæ Dei non permittatur præciſio, neque poſſit Diuina ſcientia cognoſcere vnam formalitatem ſine alia identificata, bene tamen præſcindere valet Diuinus amor, ſic amat Deus medium conducens ad plures fines, vt conducit ad vnum, & non ad alium, & ſi à te eliceretur actus tendens in obiectum honeſtum & in aliud obiectum indifferens, poſſit Deus velle remunerare talem actum quia tendit in obiectum honeſtum, & non quia tendit in indifferens. Ergo ſimiliter, licet Deus cognoſcat impræſcindibiliter de ſua eſſentia & eſſe bonum, & eſſe bonum poſſeſſum poterit moueri quia bonum, & non quia poſſeſſum modo dicto.

22 Ex quibus facillima eſt ſolutio ad rationes pro prima ſententia in ſectione præcedenti. Ad primam. Amor ſtrictus præſcindit ab exiſtentia ex parte ſui, ſeu in ſuo modo tendendi affectiuo formaliter, non autem materialiter, quare aliquando poterit ratione materiæ ferri in bonum cognitum vt exiſtens: ſicut cognitio præſcindit in ſuo modo tendendi à bonitate obiecti, licet aliquando ratione materiæ cognoſcat obiectum vt bonum. Ad ſecundam deſiderium non datur in Deo, quia vt tale poſitiuè requirit abſentiam obiecti, amor autem non requirit præſciſionem obiecti, quamuis ipſe amor tendat præciſiuè. Ad tertiã circa bonum cognitum vt poſſeſſum poteſt dari amor ſtrictus vt ſæpè dixi. Ad quartam idem dico de amore ſuprà ſe reflectente. Ad quintam gaudium noſtrum purum mouetur ex bono, quia *bonum poſſeſſum*: At Deus vltra, quia bonum ſic poſſeſſum bonum eſt. Ad ſextã in ſcientia Dei non poteſt dari præciſio benè tamen in amore directo per illam, quia ſicut non tenetur amare omne quod ſcientia cognoſcit, ita nec modo quo à ſcientia proponitur.

In Deo non datur deſiderium ſui?

In ſcientia Dei non reperitur præciſio, ſecus in amore.

SECTIO IV.

Octo quæſtiunculæ de qualitate amoris Dei.

23 QVæres primò An ſit comprehenſiuus. Reſpondeo eſſe quia tantus eſt quantus bonitati infinitæ debetur. Secundò an ſit poſſibilis in Deo alius amor ſolo numero diſtinctus? Reſpondeo non eſſe, quia per hunc amorem præſentem ſe amat Deus quantum poteſt, nam, vt dixi ſectione prima non poteſt Deus vim amandi ſe ſuſpendere. Tertio an amor Dei de ſe procedat conditionaliter. Vt ſcilicet velit ſibi dare, ſeu cauſare exiſtentiam, ſi hæc cauſatio foret poſſibilis. Reſpondeo negatiuè. In Deum enim non cadunt hæ noſtræ imaginationes ſub his terminis formaliter, ſed ſub aliis eminentiori modo æquiualenter, vt dixi diſputat. 65. Quæres quartò an ſit efficax? Reſpondeo affirmatiuè, quia iſte affectus amoris talis eſt, vt non permittat quod Deus nolit exiſtentiam ſui, affectus autem inefficax eo differt ab efficaci, quod iſte abſolutè cogat ſuſpendere affectum contrarium. Et ob hanc rationem æquiualet prædictus amor conditionali, quo Deus vellet exiſtentiam ſuam producere, ſi producibilis eſſet, quo ſcilicet Deus ita habet in actu exercito, vt ſi non exiſteret ex vi prædicti amoris cogeretur ad dandam ſibi exiſtentiam.

Amor Dei erga ſe comprehenſiuus eſt: ſupra quem alius numero diſtinctus poſſibilis non eſt.

Vide quæſt. 20. art. 1. dub. 2.

Vide quæſt. 20 art. 1. dub. 3.

Amor Dei erga ſe abſolutus, & efficax eſt. Vide quæſt. 20. art. 3. dub. 7.

24 Quæres quinto de obiecto talis amoris an omnia prædicata Diuina etiam relatiua ſint eius obiectum formale. Reſpondeo omnia eſſe motiuum Diuini amoris, ſicut & cognitionis de quo diſp. 71. Quæres ſexto an ſit reflexiuus ſuper ſe, videtur enim eſſe non poſſe, quia nec per alium amorem diſtinctum, nè detur proceſſus in infinitum, nec per ſeipſum formaliter, ſiquidem procedit per modum gaudij, gaudium autem ſupponit cognitionem ſui obiecti vt iam exiſtentis, ex quo contrà præcedentem quæſtionem Deus non amabit omnia prædicata Diuina. Reſpondeo eſſe reflexiuum, & quidem ſine proceſſu in infinitum, quia abſque vlla diſtinctione amorum idem ſimpliciſſimus eſt vnio affectiua ſui, ſicut vnio phyſica vnit ſe: gaudet etiam ille amor de ſe, licèt non ſupponat ſui exiſtentis cognitionem, quia licèt gaudium Diuinum de bono diſtincto petat præcognitionem ſui vt exiſtentis: Secus dicendum de gaudio vt procedit circà ſeipſum iuxta diſput. 56. §. 30. Quæres ſeptimò An amet ſe propter creaturas? videtur enim indecens, quia Deus ſic ſe ordinaret in creaturas. Reſpondeo ſi ſemel amor Dei poteſt amare creaturas propter ipſas, ex illiſque moueri formaliter, etiam poterit ſeipſum propter eaſdem amare, ſicut etiam Diuina ſcientia ſe cognoſcit in creaturis, vt in obiecto formali, neque ideò ordinat ſe ad ipſas vt ad finem ſimpliciter, ſed vt ad finem vtilitatis earundem, quod abſurdum non eſt, ſicut non eſt abſurdum amare creaturas propter ſeipſas vt finem, licèt Deus ſit ſimpliciter omnium finis.

Terminatur ad diuinas relationes vt obiectum formale.

Eſt ſupra ſe reflexiuus.

De amore ſui propter creaturas quid ſentiendum?

25 Quæres octauo an amor Dei prout eſt inter Diuinas perſonas ſit amicitia? Ratio negandi primo. Quia amicitia requirit diſtinctionem voluntatum, requirit enim redamationem. Secundò amicitia eſt mutuus amor. Ergo duplex. Tertio nequit inter Diuinas perſonas dari fidelitas, nec iuſtitia, Ergo nec amicitia, quæ non minus eſt ad alterum. Ita Suarez diſput. 30. Metap. ſect. 16. num. 60. Herice diſput. 14. de volunt. num. 18. Cenſeo tamen dari abſolutè loquendo amicitiam inter Diuinas perſonas. Ratio eſt. Quia vtraque ſe amat non ſolum propter naturam, ſed etiam propter ipſas relationes vt diſtinctas; ſed amor perſonæ diſtinctæ propter ipſam eſt amicitia, cum ſit beneuolentia perſonæ rationalis, Ergo. Ita communiter Authores cum ſancto Thoma 1. diſtinct. 2. quæſt. 4. §. *Sed contrà*. Ruiz diſp. 52. ſect. 4. Ad primum reſpondeo amicitia non requirit amorem, nec voluntatem diſtinctam,

Vide quæſt. 20. art. 1. dub. 6.

Amor inter diuinas Perſonas eſt amicitia. Negant Suarez. Herice. Affirm. S. Thom. Ruiz.

tam, ſed amantem; hinc ſi Petrus, & Paulus ſe amarent beneuolenter per eundem amoris qualitatem poſitam in vtroque dicerentur amici mutuò. Hinc ad 2. Amor mutuus in amicitia, requiritur quatenus opus eſt vt ſint duo amantes ſe mutuò vt patet in inſtantia poſita hoc autem non deficit Diuinis perſonis. Ad 3. fidelitati & iuſtitiæ potius obeſt indiſtinctio naturarum, quam obeſt amicitiæ; quia iſta ſolum reſpicit redamationem, ſeu quod perſona ſit amans, iuſtitia verò vlterius requirit ius, quod non datur ad perſonalitatem, ſed ad naturam.

DIPVTATIO LXIX.

Vtrùm actus liber ſi vt talis ponatur in Deo adæquatè intrinſecus, dicat perfectionem? Vbi ſpecialis ratio proponitur, quâ defendi poſſit adæquatè intrinſecus.

SECTIO I. *Quid alij ſentiant de perfectione actuum liberorum Dei?*

SECTIO II. *Prima concluſio pro vera ſententia: actus liber eſt perfectio.*

SECTIO III. *Secunda concluſio pro vera ſententia actus liber Dei vt talis non eſt perfectio in linea intentionali ſcientiæ, vel amoris.*

SECTIO IV. *Tertia concluſio pro vera ſententia: explicatur perfectio libera compoſita cum indefectibile.*

CONSTAT ex dictis per decem diſputationes præcedentes, quæ ſit vera ſententia circa conſtitutionem actuum liberorum Dei, qualiterque ex eo quod iſti compleantur per connotationem extrinſecam ad nullam opinionem extrinſecam ſequendam cogamur, quæ probabilis; imò probabilior non ſit, etiam data hypotheſi actus liberos Dei cum ipſo adæquatè identificari. Videndum nunc an in hac hypotheſi dicant perfectionem? item an hypotheſis iſta aliqua ratione poſſit ſuſtineri?

SECTIO I.

Quid alij ſentiant de perfectione actuum liberorum Dei?

1 PRima ſententia Caietani, 1. part. quæſt. 19. art. 2. §. *ad hoc poteſt.* Tuetur abſolutè dicere perfectionem nouam ſupra volitionem neceſſariam, quæ tamen perfectio non ſit ſimpliciter talis, ſed cum addito *voluntaria*, & libera: vnde non putat inconueniens, ſi ſit realiter defectibilis. *Neque enim ex hoc ſequitur* (verba ſunt Caietani) *quod Deo potuit deeſſe aliqua perfectio ſcilicet velle alia, ſed quod potuit deeſſe aliqua perfectio voluntaria & omninò libera; hæc enim eſt conditio diminuens rationem perfectionis reſpectu eius, in quo eſt, quoniam ſignificat ſuum oppoſitum non eſſe imperfectionem.* Monetur; actus liber vt liber eſt idem cum Deo: Ergo perfectio; ſed vt liber eſt defectibilis; Ergo vt perfectio eſt defectibilis. Ergo eſt perfectio noua, ſupra perfectionem volitionis neceſſariæ.

Sententia affirmans Caietani.

2 Secunda ſententia conuenit cum Caietano, in eo quod cenſeat volitionem liberam addere nouum conceptum verè & propriè defectibilem ſupra volitionem neceſſariam; diſſentit tamen, quia putat conceptum hunc non eſſe perfectionem. Ita ſoli & plures noſtri Recentiores. (Alij Authores dum volitionem liberam, licet Deo adæquatè intrinſecam defendunt perfectionem non eſſe §. 4. dicunt hoc ex eo, quod cenſeant nullum conceptum addere ſupra neceſſariam) mouentur. Quia quod non præponderat, ſeu magis æſtimabile non eſt, quam eius contradictorium, perfectum non eſt; ideò carentia mundi non eſt perfecta, quia mundo non præponderat in æſtimatione, ideò nihil æſtimatur ad finem medium, cuius poſitio pluris non eſt, quam non poſitio, ergo in eſſe perfectionis nihil eſt, quod non præponderat ſuo non eſſe, nec plus intereſt, quod exiſtat, vel non in rerum natura: 3
Tum ſic, ſed volitio Diuina libera non præponderat ſuo non eſſe, etenim talis volitionis non eſſe; ſeu contradictorium eſt nolitio; cum enim in Deo repugnet pura omiſſio non aliter deerit volitio; quam per aduentum nolitionis, quæ tanti eſt, tantique æſtimatur, quanti volitio: Ergo conceptus, qui additur per volitionem liberam ſupra neceſſariam; non eſt perfectio.

Recentiores

Tertia ſententia ait perfectionem eſſe, ſed omninò indiſtinctam à perfectione volitionis neceſſariæ, ita ſentire debere omnes Authores, qui Caietanum impugnant notat Pater Montoya diſput. 13. de voluntate ſect. 2. num. 21. Mauentur, quia volitio vt libera affert gaudium, & delectationem Deo, ſimiliterque ſcientia libera affert vim cognoſcendi, quæ ex apprehenſione terminorum perfectio eſt non defectibilis, vt omnes tuentur contra Caietanum: Ergo indefectibilis & conſequenter indiſtincta à volitione neceſſaria. 4

P. Month.

In primis antequam meam ſententiam aperiam; reprobanda eſt omninò ſententia Caietani, quæ communiter ab omnibus reiicitur, vt *parum tuta in fide* vt ait Molina hic artic 2. diſput. 1. ob quod nobis eam ſpecialiter damnauit noſter Pater Generalis Picolominius. Et ratio eſt quia omnis perfectio Diuina eſt idem omninò cum Deo, & conſequenter indefectibilis & neceſſaria; ſi autem volitio libera, ita additur ſupra neceſſariam, vt in ſuo eſſe formali poſſit ſimpliciter deficere implicat eſſe idem cum Deo, alias idem ſimul eſſet & non eſſet, negandumque foret ſeparabilitatem eſſe ſignum diſtinctionis. Confirmatur talis actus liber Diuinus in nullo differret à noſtro, ſiquidem Deo abeſſe, & adeſſe poteſt & realiter; aliunde ſi perfectio eſt, erit vera entitas. Ergo in nullo differret à noſtro actu libero; etenim eo quod ſit perfectio libera non differt cum actus noſtri etiam liberi ſint. Sed de hac ſententia fruſtra plura dicam, cum iam pudeat Thomiſtas apud Ioannem de S. Thom. 1. p. qu. 19. diſp. 4. art. 4. illam adſcribi Caietano. 5

Actus liber Deo adæquatè intrinſecus nequit non dicere perfectionem.

SECTIO II.

Prima concluſio pro vera ſententia; Actus liber eſt perfectio.

6 Dico primò, quidquid ſit diſtinguatur necne actus liber vt talis à neceſſario, illum vt ſic formaliter eſſe perfectionem. Probatur primò, quia quidquid exiſtit a parte rei, & independenter ab operatione noſtri intellectus, verè & abſolutè datur in rerum natura, ſubijciturque verbo *eſt* de ſecundo adiacente, vel poteſt ſic ſubijci; tale inquam verè eſt ens reale, hoc enim definitur, quod eſt aptum ad exiſtendum independenter ab intellectu, quod ſi talis conceptus non eſt entis realis definitio, de nullo firmè ſtatui poteſt eſſe ens reale. Iam verò ens eſt bonum, ſeu perfectio tranſcendens conuertibilia ſunt, niſi quæſtio ſit de voce: ſed actus liber Dei, vt talis verè exiſtit à parte rei, &c. Ergo. Confirmatur omnis formalitas cuiuſuis rei quantumuis viliſſimę verè tamen exiſtentis à parte rei vera perfectio eſt ſaltem tranſcendentalis: Ergo à fortiori formalitas Diuina.

Actus Dei liber eſt formaliter perfectio.

7 Secundò idem probatur ex prædicatis conuenientibus tali actui libero: exigit *identificari cum Deo, eſt æternus, immenſus, repugnans imperfectionibus* accidentis, corporis, peccati, &c. Has autem perfectiones quis non amabit in ſuo actu libero, quis non mirabitur actum noſtrum peccaminoſum perfectionem eſſe phyſicam, quia datur à parte rei, & non Diuinum, licèt detur etiam à parte rei? Confirmatur primò, Deus foret imperfectus, ſi purè deficeret actus liber, vt ſi ignoraret futuras res, illa autem perfectio eſt, ob cuius *non eſſe* præciſè conceptum, ni aliunde adueniat, aliud æquiualens bonum ſubiectum imperfectum eſt. Confirmatur ſecundò, actus liber ſaltem in aliquo melior eſt ipſe, quam non ipſe; Melius enim eſt, ſi mihi vniatur actus liber Dei: Quis enim neget melius mihi eſſe amare per actus Diuinos, quam creatos.

8 Tertiò idem probatur ex ipſa perfectione ſumma Dei, qui petit non identificari, niſi cum prædicato perfecto, imò perfecto infinitè in ſua linea, alias cur non identificatur cum carentiâ? cur non cum ente finito creato? hoc enim plus habet perfectionis, quam imperfectionis, & conſequenter pluris æſtimandum eſt, quam res perfectionis nullius, ſi ergo non dedecet identificari cum Deo prædicatum nullius perfectionis, non erit ratio, ne identificentur alia prædicata, quæ perfecta quidem ſunt, licèt non ſummè, vt cognitio abſtractiua, præciſiua, &c. Quare ſemper mihi viſa eſt ſententia, quæ actus liberos Deo adæquatè intrinſecos ideo defendit defectibiles, quia nullius perfectionis ſunt, præter maximam difficultatem identitatis rei contingentis cum neceſſaria aliam nouam, & fortè non minorem adiicere, quod ſcilicet aliquid Diuinum ſit, & ſine perfectione.

9 Dices primò, relationes Diuinæ non dicunt perfectionem licèt identificentur cum Deo. Reſpondeo: non dicunt perfectionem realiter nouam ſupra aliam relationem; at negandum non eſt, quod eſſentia Diuina perfectior ſit eo quod identificetur cum Paternitate, verbi gratia, quam eſſet ſi tantum haberet prædicatum *eſſentiæ*, vti perfectior eſt eſſentia, quod ſit omnipotens, cum hoc tamen diſcrimine, quod Filius licèt non identificetur cum Paternitate, ſit tamen æqualis Patri, quia habet aliquid æquiualens, nihil verò æquiualens datur omnipotentiæ in non omnipotente. Nihilominus cum ſecundùm id per quod Pater diſtinguitur realiter à Filio, non ſit aptus ad exiſtendum non ſunt dicendæ tres perfectiones.

Dices ſecundò: Actus liber vt liber eſt defectibilis; ſed nulla perfectio Dei eſt defectibilis vt dixi contra Caietanum: Ergo actus liber vt liber non eſt perfectio. Reſpondetur primò ob hanc difficultatem quæ mihi ſumma eſt cenſeo actus liberos vt tales non identificari adæquatè cum Deo. Cæterum ſi admittantur identificati, inſto argumentum. Nam non minus quidquid Deus eſt indefectibile eſt, quam quidquid eſt perfectio in Deo. Reſpondeo ſecundò: Perfectio libera non eſt purè & ſimpliciter defectibilis, ſed virtualiter, deficit enim manendo; vnde ſimpliciter Deus non eſt minoris perfectionis. Reſpondeo tertiò: volitio non deficit, quia manet, & conuertitur in nolitionem, iuxta ſect. 4. 10

Ex dictis infertur, falſam eſſe ſecundam ſententiam in ſectione præcedenti; pro ſolutione fundamenti cui innitur, notandum eſt, vt præponderantia ſit ſignum perfectionis comparandum eſſe extremum vnum cum ſuo contradictorio, non qualicunque, aut virtuali, ſed purò & formali, prout præciſè denotatur per *non eſſe*. Quo pacto optima regula perfectionis, vel imperfectionis eſt præponderantia. Eſt enim per ſe notum perfectum non eſſe id, cuius carentia nihil perfectionis tollit, vel minuit in naturâ: at ſi extremum non comparetur cum contradictorio formali, ſeu *non eſſe* ſui, quid refert non præponderantia? Etenim duæ perfectiones æquales ſæpè ſunt incompoſſibiles, & conſequenter vna non præponderat ſuæ oppoſitæ: ſtatuenda ergo primò eſt perfectio, vel imperfectio formæ oppoſitæ, vt non præponderantia tollat perfectionem. 11

Qualiter non præponderantia arguat defectum perfectionis?

Iam ad præſens dico actus liber præponderat ſuo puro non eſſe; Deo enim melius eſt ſcire futura, quam non ſcire, quod autem non præponderet ſcientiæ oppoſitæ arguet perfectionem eſſe æqualem in vtroque actu, ſiquidem vt ſuppleatur defectus vnius ſcientiæ debet venire alia. Adde (quæ mihi potentiſſima inſtantia eſt) vt actus liber Dei abſolutè præponderet ſuo contradictorio, ſitque perfectio, quia vt aliquod extremum perfectio ſit, ſufficit quod alicubi melius ſit ipſum, quam non ipſum, ſicut enim perfectió ſimpliciter ſimplex melior eſt ipſa quam non ipſa vbique, ita vt ſit aliqualis perfectio, ſufficiet quod alicubi melior ſit: ſed ita comparatur actus Dei liber, vt melius ſaltem mihi ſit ſi habeam actum liberum Diuinum, quam ſi non habeam: Ergo habet præponderantiam, & perfectionem. 12

Vnus actus liber præponderat ſui non eſſe.

SECTIO III.

Secunda concluſio pro vera ſententia: Actus liber Dei vt talis non eſt perfectio id linea intentionali ſcientiæ vel amoris.

Dico ſecundò: Actus liber, licèt ſit Deo adæquatè intrinſecus, ſolum addit ſupra neceſſarium quemdam nexum purè phyſicum, determinationem, connexionemque cum obiecto, quam indiſtinctam eſſe ab actione identificanda cum Deo ab æterno 13

Actus liber Deo adæquatè intrinſecus adderet eſſentiæ Di

nius uerum pure phyſicum cum obiecto Deo identificatum.

ab æterno late explicui, & probaui diſput. 50 ſect. 3. quæ actio complet ſcientiam ſimplicis intelligentiæ in ratione ſcientiæ liberæ viſionis; complet item volitionem neceſſariam, in ratione efficacis, & liberi decreti, vel gaudij de creatura, quin per talem actionem formaliter ſuperaddatur noua ſcientia vel amor, vnde in linea ſcientiæ, vel amoris nullam perfectionem dicit.

14 Hæc concluſio conſtat ex ſupradictis diſput. 50. & diſp. 60. ſect. 2. ſcilicet non poſſe Deum creſcere, vel decreſcere in ratione *ſcientis*, vel *volentis*, nè creſcat eius ſapientia, & gaudium intrinſecum; at hoc non ſtat, ſi actus liber, vt talis dicat perfectionem intentionalem, ſcientiæ vel volitionis; ſic enim erit perfectius ſciens, vel volens. Ergo actus liber vt talis ſolum eſt exercitium purè phyſicum, ſeu actio quædam in Deo ab æterno exiſtens, ponenſque terminum creatum à parte rei pro ſua differentia temporis quemadmodum actio creatiua, quæ indiſtincta ponitur iuxta Thomiſtas a volitione Dei æterna, non ideò ponit Angelum ab æterno vide diſp. 50. ſect. 3.

15 Dices cum Tertia ſententia in ſectione 1. Deus eſt liber formaliſſimè in volendo; ſic gaudium eſt in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, & iuſti dum operantur, vt Deo placeant, conantur vt in Deo ſit noua complacentia, & volitio. Denique virtutes morales vt tales, ſunt Deo liberæ, virtus autem ſine volitione non eſt. Ergo per actum liberum formaliter ponitur noua volitio, & conſequenter noua perfectio in linea intentionali. Reſpondeo vt vera ſint omnia, de quibus in antecedenti, Deuſque liberè de nouo gaudeat non eſt neceſſe, vt ei de nouo adueniat aliquid nouum in linea volitionis; ſed ſufficit, ſi adueniat quidem modus, quo diuersè comparetur voluntas ſeu gaudium neceſſarium, & hac ratione dicetur Deus liberè velle obiecta virtutum, liberè complacere, *&c.* Sic quin addatur aliquid in linea volitionis per ſolam actionem liberam, qua Beatus de nouo produceret eundem amorem beatificum neceſſarium, diceretur liberè amare Deum. Videſque quæ dixi diſputat. 60. ſectione 2.

SECTIO IV.

Tertia concluſio pro vera ſententia. Explicatur perfectio libera compoſita cum indefectibilitate.

16 SEntentia Caietani licet fidei diſſona, principiiſque naturalis rationis ſummæ ſimplicitatis, & indefectibilitatis, ſeu immutabilitatis Diuinæ omninò repugnans, ità tamen euidenter videtur inferri ex ipſo conceptu libertatis, vt iure Pater Suarez diſput. 30 Metaph. ſectione nona num. 11. dixeri, hoc eſt: *apparenter eſſe*, veriſſimilem & probabilem nam omnis actus liber vt talis poteſt non eſſe, ſed iſte actus eſt perfectio intrinſeca Deo. Ergo aliqua perfectio intrinſeca Deo potuit non eſſe, ſeu deficere. Maior eſt per ſe nota. Quod enim non poteſt non eſſe neceſſario eſt, & non libere. Minor eſt ipſiſſima ſententia quam ſupponimus. Ex quibus conſequentia Legitima eſt in *Darij*. Syllogiſmus iſte mihi demonſtratiuè manifeſtat actum liberum vt talem non poſſe adæquatè identificari cum Deo.

17 Nihilominus dico tertio Aduerſarij inconſequenter, ne deficiat perfectio in Deo, negant actum liberum eſſe perfectionem, id conſtat ex diſtinctione virtuali ipſis familiariſſima, ratione cuius formalitas *A.* cum ſit idem realiter cum *B.* adhuc independenter ab intellectu non eſt *B.* Ergo ſimiliter perfectio *A.* poterit realiter, & verè exiſtere, licèt verè, & independenter ab intellectu non ſit: etenim ſicut ſe habet *A, non eſt B.* Vt diſtinguantur, ita *A, non eſt* vt deficiat. Ergo ſicut prima propoſitio ſeruat identitatem, ita ſecunda indefectibilitatem, quia ſcilicet hæc deficit manendo, ſicut illa identificatur non eſſendo. Quare miror Authores, qui hunc modum non eſſendi, & deficiendi capiunt, aliquid difficile in actibus liberis Dei explicandis inuenire, & timore defectibilitatis alicuius perfectionis Diuinæ perterritos negaſſe perfectionem actibus liberis Dei, quos ponunt intrinſecos, quaſi minus abſurdum ſit deficere Deo aliquod prædicatum intrinſecum, quam deficere perfectionem, vel non poſſit huius defectui mederi, quia deficit manendo, ſicut illius.

Deinde paulò aliter admiſſò alio principio quod ſolemne eſt apud aduerſarios, nempè contradictorium formale volitionis liberæ Diuinæ eſſe nolitionem, ſic componò perfectionem liberam cum indefectibilitate. Volitio libera non aliter deficit niſi tranſiens in identitatem cum nolitione libera, quæ tunc exiſtat. Sed quod ita deficit ſimpliciter exiſtit, & in exiſtendo eſt neceſſarium, & indefectibile, Ergo ſtat bene volitionem Dei vt liberam eſſe intrinſecam, & indefectibilem. Conſequentia euidens eſt. Minor facile probatur. Nam ſi per impoſſibile non deficeret homo in nihilum, ſed in identitatem cum Angelo, exiſtente Angelo non diceretur homo defeciſſe, quo enim pacto poteſt negari exiſtens, quod identificatur cum exiſtente? Quo pacto poteſt apprehendi deficere id, cuius defectus eſt exiſtentia. 18

Conciliatur perfectio libera cum indefectibilitate Diuina per inſtantiam ex principiis aduerſariorum admittentium diſtinctionem virtualem. Et quod nolitio ſit contradictorium formale volitionis.

Maior, nempè quod volitio non aliter deficiat niſi in nolitionem poſita aduerſariorum doctrina probatur. Res quando deficit tranſit in identitatem cum ſuo contradictorio formali, verbi gratia Angelus cum non Angelo: nam deficere aliud non eſt formaliſſimè, quam redigi, fieri & eſſe nihilum non ſolum prædicatione accidentali, ſed quaſi eſſentiali identitatis, vt ſicut eſſentia ſeipſa per identitatem eſt exiſtens, & quando dicitur *Angelus eſt exiſtens*, non denotatur quod ſit ſubiectum exiſtentiæ, ſed quod ſit exiſtentia ipſa per identitatem, ita proportionatè dum annihilatur; etenim æquè totus Angelus fit nihilum, quando non eſt; ac fit exiſtens, quando eſt. Explicatur eſſentia nihili identificatur cum exiſtentia ipſius nihili; ſicut eſſentia entis poſitiui cum exiſtentia. Ergo ſicut in ente poſitiuo conceptus, qui non eſt aliquid ſimpliciter (ſcilicet eſſentia entis in eſſe eſſentiæ) tranſit in identitatem cum aliquo ſimpliciter, ita in nihilo conceptus, qui non eſt ſimpliciter nihil & conſequenter eſt aliquid (ſcilicet eſſentia nihilitatis in eſſe eſſentiæ nihilitatis) tranſibit in identitatem cum exiſtentia nihili ſeu cum nihilo ſimpliciter. Hæc expendam latè in Philoſophia vt appareat *Nihil* ſeu carentiam non dicere aliquem conceptum diſtinctum abſolutè à forma poſitiua ſcilicet eſſentia nihilitatis. 19

Ex dictis conſtat defectum rei euenire per identitatem cum ſuo contradictorio, vnde in ſenſu identitatis hæc eſt falſa: *Angelus ab æterno non eſt nihil*, Ergo hæc eſt vera: *Angelus eſt nihil*, non quidem quaſi ly *nihil* ſit aliquis conceptus ex parte 20

obiecti abſolutè & cathegorematicè affirmabilis, ſed ſyncathegorematicè, id eſt *Angelus non eſt aliquid ab æterno.* Sic cathegorematicè hæc eſt falſa. *Nihil corrumpit Deum*, ſi nihilitas accipiatur vt conceptus quidam obiectiuus, à quo oriatur corruptiua actio; eſt autem vera ſyncathegorematicè, nempè: *non eſt aliquid corrumpens Deum.* Ergo ſi nolitio eſt contradictorium volitionis Diuinæ, vti de Angelo deficiente dicitur immediatè *Angelus non eſt*, ſeu eſt nihil, ita de volitione dicitur *non eſt ſeu eſt nolitio*, vnde exiſtet in nolitione.

21 Dices. Quid ergo eſt in Deo, cur potius nunc ſit volens quam nolens, ſi nihil diuerſum datur nunc ab eo quod daretur, ſi foret nolens creare mundum. Reſpondeo nunc nolitio conuerſa eſt in volitionem. Tunc autem è contra volitio in nolitionem conuerteretur: verè nunc ſola dantur explicita prædicata volitionis, at in his implicitè manet volitio, quatenus licet dici nequeat nunc ſub his terminis: *eſſentia eſt nolitio*; at nullus conceptus, nec poſſibilis concipitur ex parte rei nunc in nolitione Diuina, qui non exiſtat; nihil enim datur in rerum natura poſſibile aut exiſtens quod non ſit Deus, vel creatura. Ergo nunc non dabitur vllus conceptus nolitionis Diuinæ purè poſſibilis, quidquid ergo poſſibile eſt iam de volitione, quam de nolitione Diuina identicè factum eſt, & conuerſum in puram volitionem exiſtentem; ita vt idem conceptus qui pro priori antequam Deus velit, ſecundum ſe nec erat volitio, nec nolitio, redactus ſit totus in volitionem, ſicut tota eſſentia Angeli facta eſt exiſtentia. Quare licèt volitio hæc comparata cum nolitione nunc ſit diuerſa, quia nolitio hæc nunc eſt de ſubiecto non ſupponente, nec poſſibiliter; at ſi pro priori idem conceptus vti factus eſt volitio fieret nolitio, nihil diuerſum poneret. Quia pro tunc ille conceptus nihil determinatè eſt.

22 Tertio denique indefectibilitas volitionis liberæ ſic valet defendi, ſi dicas quod volitio deficiat reſpectiuè, ſed non abſolutè hoc eſt deficit à nolitione, ſed non ab eſſentia. Explico. Illud deficit ab alio quod non identificatur cum illo. Rurſus illud non identificatur, quod dum exiſtit non eſt illud aliud, ideo exiſtentia in creatis non diſtinguitur ab eſſentia, quia quando exiſtẽtia datur eſt idem cum eſſentia. Tum ſic, ſed volitio, quando exiſtit licet non ſit nolitio eſt tamen eſſentia. Ergo volitio licet deficiat à nolitione, ſed non ab eſſentia, & conſequenter exiſtente eſſentia Dei volitio abſolutè non deficit. Item licet eſſentia, *vt nolens* non identificetur cum volitione, ſpecificatiuè tamen identificatur, cum vtráque eſt idem cum volitione pro ſigno volitionis, licet non pro ſigno nolitionis. Ergo ſpecificatiuè loquendo eſſentia etiam, quando eſt nolens, non diſtinguitur à volitione, ſicut eſſentia etiam quando eſt Pater, non diſtinguitur à Filiatione.

Quatenus poſſet dici volitionem liberam Dei deficere à nolitione, non ab eſſentia ſemel admiſſa diſtinctione virtuali.

23 Explicatur, ſi fingas quod volitio eſt in inſtanti A. tantum, nolitio in B. tunc eſſentia prout in B. non eſt volitio. Ergo abſolutè non eſt volitio. Mala conſequentia: Ergo ſimiliter non deficiet abſolutè, & ſimpliciter ab eſſentia volitio eo quod in ſigno, ſeu hypotheſi nolitionis eſſentia non ſit volitio, quia ſcilicet adhuc eſt volitio in hypotheſi proportionata. Conſulè quæ dixi circa præſentiam futurorum in æternitate diſputat. 48. iuxta quam ſicut Deus titulo ſuæ æternitatis amplectitur omnia tempora, vt iam nunc ſit præſens rei futuræ, ita poterit eſſe iam nunc identificatus cum volitione futura in hypotheſi; quaſi identitas eſſentiæ cum volitione ſit abſoluta ex parte ſubiecti, & conditionata ex parte termini. Ex quo ſicut myſterium Trinitatis facit vnam eſſentiam identificari cum diſtinctis inter ſe, ita libertas faciet identificari cum non coëxiſtentibus inter ſe, & ſicut æternitas facit Deum iam præſentem rei futuræ abſolutè & iuxta Pater Ruiz, diſp. 75. de ſcientia, rei futuræ etiam conditionatæ; (ſentit enim non minus futura conditionata, quam abſoluta habere realem præſentiam in æternitate,) ita immutabilitas Dei faciet iam identificatum cum prædicatis conditionatis.

DISPVTATIO LXX.

Vtrùm detur actus primus volendi, ſeu principium virtuale, & appetitus innatus in Diuina voluntate?

SECTIO I. *Senſus quæſtionis, & Authorum ſententiæ pro actu primo, & principio virtuali.*

SECTIO II. *Nullum datur in Diuina voluntate principium virtuale.*

SECTIO III. *Statuitur in Deo actus primus volendi phyſicus, & appetitus innatus virtualis reſpectu volitionis liberæ.*

SECTIO IV. *Proponitur probabilis ratio vt admittatur in Deo principium virtuale volitionis, titulo Principij mediati realis, ſeu in tertio. Sententiiſque in ſectione 1. reſpondetur.*

HÆc omnia in idem recidunt, nempè actus primus: Principium virtuale, & appetitus innatus voluntatis Diuinæ in volitionem liberam, reſpectu cuius habet ſpecialem difficultatem nam circa volitionem neceſſariam iſta admittenda non ſunt vt dixi diſputat. 57. & diſput. 58. conſtatque etiam ex dictis diſp. 35. Supponendum autem eſt hic actus liberos Dei eſſe omninò, & vndequaque Deo intrinſecos etiam in concreto.

SECTIO I.

Senſus quæſtionis, & Authorum ſententiæ pro actu primo, & principio virtuali.

SVppono ex diſputatione 35. de ſcientia ſect. 3. 1
non dari in Deo reſpectu volitionis neceſſariæ actum primum; nec principium phyſicum etiam ratione noſtrâ producens volitionem, quia nec ratione noſtra eſt potius volitio neceſſaria *producta*, quam ſit *accidens*. vnde ſicut, nec ratione noſtra eſt accidens, ita nec producta, & conſequenter nec voluntas ipſa producens ſeu principium Phyſicum Nihilominus non ſolum ratione noſtra, ſed etiam realis datur actus primus, & principium intentionale volitionis quia verè & à parte rei datur operans

rans intentionaliter, ſeu volens, ſicut ergo ſi verè daretur operans phyſicè, iam daretur phyſicum principium: Ita hic intentionale.

2 Quæſtio ergo eſt reſpectu volitionis liberæ data hypotheſi, quod ſit Deo adæquatè intrinſeca, pone verbi gratia, volitionem liberam, eſſe formalitatem quandam modo realiter identificatam cum Deo, qui tamen talis dominij, & libertatis ſit ſupra illam, vt pro ſuo arbitrio potuerit vti identificauit ſecum modo volitionem, identificare nolitionem, ſeu quaſi exidentificare, & exuere à ſe identitatem prædicati *volentis*, & induere prædicatum *nolentis*, quemadmodum natura Diuina admittit de nouo prædicatum Filiationis, quin ad Filium traducat prædicatum Paternitatis, quod in Patre habet: hoc autem hic diſcrimen eſt, quod ſcilicet quando natura eſt in Filio ſimul retinet in Patre abſolutè Paternitatem, ac hic nullibi retineret abſolutè volitionem, quia volitio abſolutè non eſſet: In hac igitur hypotheſi quæritur an Deus habeat verè ex parte obiecti rationem principij reſpectu volitionis liberæ, non quidem principij realis, cum diſtinctio realis non detur, nec ſolum principij ratione noſtra, cum verè & non ſolum ratione noſtra Deus libertatem exerceat; at ſaltem principij virtualis intrinſeci ea ratione, qua explicari ſolet diſtinctio virtualis intrinſeca.

3 *Affirmant Theologi moderni.*

Prima ſententia inter Recentiores communiſſima admittit hoc principium virtuale. Mouentur primò generaliter ex eo quod non repugnet inueniri hanc principiationem virtualem inter formalitates realiter identificatas, ſic in tractatu de Trinitate dicitur natura principium & radix perſonalitatum. Secundò maximè mouentur ex conceptu libertatis, quæ petit actiuè ſe habere reſpectu ſuorum actuum; ideò voluntas creata definitur à Tridentino aliquid verè agere in ſuos actus, vt libera circa ipſos declaretur, & ratio eſt; quia libertas ex ſuo conceptu petit quod ſe determinet ad ſuum actum: Ergo quod exiſtentia volitionis liberæ tribuatur voluntati: Ergo quod ſit à voluntate, ſeu vi voluntatis: hoc autem formaliſſimè eſt voluntatem comparari vt principium talis actus, ſed non vt principium reale, cum non diſtinguatur realiter: Ergo virtuale intrinſecè.

4 *Negant Herice. Alarcon. Hemelm.*

Secunda ſententia negat tale principium virtuale etiam reſpectu actuum liberorum Dei. Ita aliqui Recentiores cum Herice, diſput. 12. de voluntate, cap. 1. & diſput. 16. cad. 7. Idem à fortiori tenent omnes, qui negant diſtinctionem virtualem intrinſecam ratione cuius vna formalitas independenter ab intellectu poſſit negari immediatè de alia. Ita Alarcon, diſpur. 4. de voluntate, cap. 7. & latiſſimè Pater Hemelman tit. 3. diſpnt. 2. Mouentur primò, quia ſi voluntas eſſet principium actiuum volitionis liberæ in Deo, ſimiliter dici poſſet paſſiuum virtuale, cum reſpectu actus liberi, vt pote vitalis non minus requiratur principium paſſiuum, quam actiuum; & ſicut hoc per ly *virtuale* mundatur ab imperfectione, etiam illud; vnde ſimiliter volitio Diuina foret *accidens virtuale* faciens compoſitionem, &c. Ergo. Secundò, quia implicat dari vera principiatio ex parte rei ſine diſtinctione reali: ex eo namque probant Patres contra Sabellianos diſtinctionem realem filij à patre, quia iſte eſt principium illius.

5 *Alia cogitatio.*

Tertiam ſententiam meditati ſunt alij Recentiores, vt voluntas non ſit verè principium dans eſſe volitioni liberæ Diuinæ, nec virtualiter; ſed iſta volitio ſit omnino à ſe, nihilominus voluntas ſit virtualiter prior ſuo actu prioritate determinatiuâ, & per modum conditionis, qualem habet cognitio in amorem, actus imperans in imperatum, v. enim in creatis cognitio determinat ad amorem, non vt ſit, & producatur amor à cognitione; ſed vt ſit à potentia volitiua; ita in Diuinis vbi omnia prædicata ſunt à ſe cognitio determinabit, vt amor ſit à ſeipſo, & pariformiter voluntas libera determinabit, vt exiſtat actus liber non accipiens *eſſe* de voluntate, ſed à ſeipſo. Sic noſter actus liberè futurus determinat ſcientiam viſionis, non vt ſit ab ipſo ea ſcientia, ſed vt ſit à ſeipſa.

SECTIO II.

Nullum datur in Diuina voluntate principium virtuale immediatum.

Ita ſentio cum ſecunda ſententia. Probatur tunc vna formalitas eſt principium virtuale, quando actu, & ex parte obiecti independenter ab intellectu comparatur cum aliâ exercendo in ipſam omnia, quæ exercet principium reale in ſuum terminum ſecluſa diſtinctione reali: Sed implicat ſecluſa diſtinctione reali inueniri veram principiationem vnius formalitatis in aliam, ergo & principium virtuale. Conſequentia patet: Maior eſt ipſa definitio principij virtualis, ſicut enim diſtinctio virtualis æquiualet reali quoad veram contradictionem, ita hic datur æquiualentia quoad principiationem, vt non minus verè principium virtuale producat ſuum terminum, quam principium reale. 6

In Diuinis non datur principium virtuale immediatum etiam reſpectu actus liberi.

Minor ſcilicet implicare veram principiationem independenter ab intellectu ſine diſtinctione reali; Probatur: Implicat principiatio realis, ſine diſtinctione reali, vt docet fides, ſed principiatio quæ contingit à parte rei verè, & actu independenter ab intellectu eſt realis, quidquid enim eſt à parte rei independenter ab intellectu definitur ens reale: Ergo implicat vera principiatio ſine diſtinctione reali. Confirmatur iuxta mea principia totum argumentum: Implicat principiatio ſine diſtinctione proportionatâ, ſed implicat quod vna formalitas immediatè, & in ſe diſtinguatur virtualiter intrinſecè ab alia: Ergo & implicat, quod vna formalitas realiter improducta producatur virtualiter ab alia cum qua identificatur. 7

Non datur verum principium abſque reali diſtinctione.

Deinde ſic vrgeo commune fundamentum pro hac ſententia, dum Sancti Patres contra Sabellianos, ex eo quod nihil poſſit eſſe principium ſui probant Patrem, qui eſt principium filij ab eo realiter diſtingui, vel id probant. Quia Pater eſt *principium præciſè* ex parte obiecti, & ſic voluntas Diuina nequibit eſſe principium volitionis liberæ; vel id probant, quia eſt *principium reale*, id eſt principium cum reali diſtinctione, & ſic probant idem per idem; quaſi dicerent principium termini realiter diſtincti requirit realem diſtinctionem à termino, etenim ly *reale* iuxta te præciſè addit ſupra principium, quod ſit ad terminum *realiter diſtinctum*; ex quo rogo quid maioris proprietatis in ratione principij habeat Pater, ob quod ſit principium reale, ſeu termini diſtincti realiter præ Diuina voluntate, ſi iſta eſt verum principium volitionis liberæ? item ſi ſemel intelligi poteſt vera principiatio ex parte obiecti, quin ſit termini realiter diſtincti; vnde probas Patrem titulo principij debere comparari cum termino 8

realiter

realiter diſtincto, nonnè perfectior eſt productio ſine diſtinctione reali ſi ſit poſſibilis?

9 Hinc etiam contra tertiam ſententiam, impugnatur prioritas virtualis; iſta enim non minus dicit, ſi vera ſit, diſtinctionem, quam principiatio, cum vtraque formaliter relationem imbibat, neque realiter loquendo minus implicet, quod vna res ſit prior ſeipſa, quam quod ſit ſui ipſius principium. Vnde arguo, ſi prioritas eſſet realis non minus diceret realem diſtinctionem, quam principiatio realis. Ergo ſi principiatio iuxta hos recentiores, etiam ſi ſit virtualis, nequit verſari inter indiſtincta, nec prioritas virtualis. Secundò ideo probatur Pater vt verum principium dans eſſe Filio quia huius *eſſe relatiuum*, ſequitur ad Paternitatem ſeu quia Paternitas eſt pro priori ad Filiationem, quæ pro illo priori non habet, à quo recipiat *eſſe* Filiationis niſi à Patre. Ergo ob hoc argumentum ſi verè volitio libera eſt poſterior, & ex determinatione voluntatis, producetur ab hac vt à principio; vel rogo quid habet Filiatio cur potius dicatur accipere ſuum eſſe à Patre, præ volitione libera à voluntate?

10 Dices volitio libera non habet eſſe, quod accipiat, quia non dicit perfectionem. Contra Filiatio iuxta plures non dicit perfectionem. Deinde hic ſupponimus in volitione libera dari aliquod *eſſe* qualecunque illud ſit. Ideò tu dicis quod ſit à ſe. Quare ergo non dicis ſecundum hoc eſſe procedere à voluntate ſaltem virtualiter, ſiquidem quoad hoc *eſſe* diſtinguitur virtualiter à voluntate iuxta hos Recentiores.

11 Vnde arguo, & ſoluo fundamenta pro tertia ſententia, quia determinatio reſpectu formalitatis ſeu entitatis diſtinctæ neceſſario imbibit vel efficientiam in principio determinante, vel ordinem ad talem efficientiam: ſic licet cognitio in creatis non efficiat volitionem, at eſt conditio complens potentiam effectiuam illius, determinatque potentiam volitiuam vt influat, ſi enim ſic determinare non arguit efficientiam, quo titulo cenſebitur calor produci ex vi actiua ignis, (ex vi inquam actiua ignis *poſitiuè exiſtentis, & cum æquali perfectione*, quod addo propter ſcientiam viſionis, quæ determinatur à peccato futuro, ſicut effectus neceſſarius à carentia impedimenti, à qua non producitur.

12 Tum ſic ſed voluntas Dei quæ eſt principium determinans, reſpectu volitionis liberæ diſtinguitur à tali volitione immediatè virtualiter iuxta hos Recentiores, eſt que perfectior ipſâ. Ergo conſequenter hi Authores, dum admittunt hanc prioritatem virtualem, tenentur admittere etiam virtualem principiationem; Ergo ſicut non debet admitti vera principiatio niſi inter diſtincta realiter, ita nec vera prioritas immediata.

13 Dices pro principiatione virtuali, (& proportionaliè pro prioritate) non requiri ratione illius quod volitio libera ſimpliciter, & abſolutè independenter ab intellectu *fluat, procedat, producatur, ſit poſterior* principio volitiuo, iſta enim prædicata ſi abſolutè, & ſimpliciter verificentur, diſtinctionem realem arguent; ideò Filius probatur diſtinctus realiter à Patre, quia ab illo ſic abſolutè procedit; dicuntur ergo, & verificantur iſta prædicata *ſecundum quid* de volitione libera (ſcilicet cum addito *virtualiter*, ideoque non requiritur diſtinctio realis, ſed virtualis. Contrà: Non minus verè negatur de natura *produci* ob diſtinctionem virtualem à productione paſſiua, ſeu à Filiatione, quam negatur de Paternitate, quæ realiter à Filiatione, diſtinguitur. Ergo ſimiliter ly *producitur* non minus abſolutè affirmabitur de volitione libera, quam de Filiatione diſtincta realiter à Patre. Et rogo per ly *virtualiter* quid aliud tollas, quam realem diſtinctionem, nonnè principium virtuale iuxta te independenter ab intellectu exercet omnia, quæ principium reale in ratione principiantis ſecluſa reali diſtinctione à principiato?

Obiicies ſecundo à paritate diſtinctionis virtualis, licèt de voluntate Diuina nunc actu negetur ex parte obiecti nolitio mundi, non ideò realiter negatur, ſicut nec realiter diſtinguitur: Item ratione defectibilitatis virtualiter licet verè de nolitione dicatur *non eſt*, nihilominus *realiter non deficit*. Ergo ſimiliter licet volitio mundi nunc verè ex parte obiecti dicatur *produci*, non ideò realiter producetur. Reſpondetur fateor nihil poſſe concludi ſemel admiſſis his virtualitatibus, nec aliquid tam abſurdum poſſe excogitari, quod à paritate huius diſtinctionis virtualis probari non valeat, ſi enim formalitas *A. non eſt B.* ex parte obiecti, & tamen identificatur realiter cum *B.* item ſi deficit manendo realiter incorrupta, ſimiliter poterit produci manente improducta realiter ab eo, quo liberabitur à diſtinctione reali, quam exigit productio vera. Cæterum quod erit argumentum ne dicamus Filium verè productum adhuc eſſe realiter improductum: vnde non manebit argumentum pro diſtinctione reali à Patre. 14

Igitur dicendum eſt implicare prorſus diſtinctionem virtualem intrinſecam, ratione cuius immediate negatur in abſtracto formalitas *B.* de formalitate *A*, cum qua identificatur realiter. Quare quantumuis actus liberi fingantur Deo adæquatè intrinſeci nunquam immediatè poteſt de voluntate diuinâ nunc volente mundum dici, *voluntas non eſt volitio mundi*: ex quo ſimiliter negandum eſt principium virtuale intrinſecum, ratione cuius voluntas diuina immediatè producat volitionem liberam, cum qua identificatur. 15

SECTIO III.

Statuitur in Deo actus primus volendi phyſicus, & appetitus innatus virtualis reſpectu volitionis liberæ.

IN hypotheſi quod actus liberi diuini ſint Deo adæquatè intrinſeci voluntas diuina abſolutè non habet nunc volitionem alterius mundi, quam tamen habere poteſt. Id patet iuxta hanc ſententiam, quidquid ſit de modo quo dicatur volitio defectibilis. Tum ſic ſed eo ipſo diuina voluntas comparatur cum tali volitione vt actus primus volendi. Etenim actus primus in aliquo genere definitur, qui non eſt actus ſecundus, ordinatur tamen ad illum in tali genere. Ergo ſaltem reſpectu volitionis, quam nunc abſolutè non habet diuina voluntas dicetur actus primus volendi, non *realis*, ſiquidem licet talis volitio verè non ſit, non tamen comparatur vt actus ſecundus realiter diſtinctus à natura, ſeu voluntate diuina ergo *virtualis* intrinſecè. 16

Ex ſuppoſitione diſtinctionis virtualis datur actus primus phyſicus ad volitionem liberam de facto non exiſtentem.

Ex quo vlterius procedo vt voluntas diuina ſit actus primus reſpectu volitionis liberæ, quam nunc de præſenti ſecum identificat circa hunc mundum voluntas 17

voluntas Diuina comparabilis eſt in aliqua hypotheſi cum hac volitione vt actus primus. Id patet ex numero antecedenti, ſicut enim comparatur cum actu libero omiſſo, comparari potuit cum præſenti: Tum ſic, ſed hoc ſufficit vt etiam nunc cenſeatur Diuina voluntas actus primus virtualis reſpectu volitionis præſentis; ergo nunc datur in Deo actus primus virtualis volendi reſpectu volitionis, quam habet de mundo. Conſequentia patet, & maior: minor probatur nam eo ipſo non eſt de eſſentia voluntatis Diuinæ iſta volitio de mundo, ſiquidem in hypotheſi nolitionis eſt voluntas ſine tali volitione. Illud autem eſt de eſſentia alicuius ſine quo hoc in nulla hypotheſi poteſt inueniri, ideò Paternitas nec realiter eſt de eſſentia naturæ Diuinæ licèt realiter ſit ipſa eſſentia, & natura Diuina, vt dixi diſput. 17. ſect. 2. de eſſentia & attributis, quia natura Diuina in aliquo, ſcilicet in Filio inuenitur ſine Paternitate. Tum ſic, ſed de eſſentia voluntatis Diuinæ eſt ordo ad talem volitionem: Etenim etiam in hypotheſi nolitionis poteſt velle; ergo iuxta dicta etiam reſpectu volitionis de mundo datur in Deo actus primus volendi.

Etiam ad exiſtentem.

18 Ex quo vlterius infero dari in Deo appetitum innatum ad volitionem liberam: circa adſtruendum in Deo appetitum innatum variæ ſunt ſententiæ. Prima eum concedit tantum ad bona externa, ſcilicet ad creaturas, vel Patris in Filium, quia putat non dari ſine ratione principij realis. Ita Arrubal 1. part. diſput. 50. cap. 2. ſecunda ſententia concedit etiam ad bona interna, ita latiſſimè Hemelman hic titul. 2. diſput. 2. & 3. quia appetitus innatus eſt congruentia ad bonum, Deo autem omnia bona congruunt maximè vero propria. Tertia ſententia negat omnem appetitum innatum, ad creaturas quidem quia iſtæ nihil boni Deo afferunt vel referunt. Ad bona increata, quia non diſtinguuntur à Deo; quod ſi Filius diſtinguitur à Patre, at ipſum non perficit, cum in ipſo non recipiatur. Ita loquendo de appetitu innato propriè & ſtrictè tali tenet Ruiz ſatis latè diſput. 1. de voluntate, ſect. 2. à num. 18. ita etiam Machin. hic.

Circa quas datur appetitus innatus.

19 Ego totam hanc quæſtionem exiſtimo de voce inter hos Authores, & iuxta varias acceptiones, quibus vox *appetitus innati* vſurpatur iam ab ipſis concedi vel negari: id tamen mihi certum de re, in natura Diuina reſpectu volitionis liberæ dari ſtrictè, & propriè appetitum innatum, quia comparatur cum tali volitione, vt cum perfectione & bono ſui, item cum diſtinctione, & ſeparatione à tali volitione in aliquo ſtatu & hypotheſi: Ergo talis perfectio volitionis per ſe non habetur à Deo. Ergo per ſe concipi poteſt inclinatio naturalis in Deo, ſeu appetitus innatus ad illam; quod non euenit in natura Diuinâ ad creaturas, quia hæ non ſunt ipſi perfectio, nec ad attributa quia hæc non ſunt diſtincta, nec ad Filiationem, quia iſta licèt in tertio diſtinguatur nunquam tamen de natura negabilis eſt Filiatio, ſicut volitio libera; quod ſi de Paternitate negetur Filiatio, at non eſt in eodem ſuppoſito: volitio verò & negabilis eſt de natura, & aliunde poteſt naturam intrinſecè in eodem ſuppoſito perficere: Ergo propriè & ſtrictè concipi poteſt ex parte obiecti appetitus innatus in natura Diuina ad volitionem liberam.

20 Dices primò: Non minus actus primus phyſicus, & appetitus innatus dicunt diſtinctionem à ſuo termino, quam principium productiuum: Ergo ſi admittitur actus primus verè & ex parte obiecti reſpectu volitionis realiter indiſtinctæ, etiam & principium productiuum. Conſequentia patet, quia præciſè ob defectum diſtinctionis negatur in Deo principium productiuum. Antecedens ſuadetur. Tum quia actus primus non minus dicit relationem ad ſecundum, quam principium ad principiatum. Tum etiam, quia actus primus, quando eſt *realis*, non minus dicit diſtinctionem realem, quam reale principium. Confirmatur actus primus volendi ſaltem dicit principium paſſiuum volendi, ſiquidem eſt potentia ad habendam volitionem: Principium autem paſſiuum non minus petit diſtinctionem, quam actiuum.

Reſpondetur actus primus contentus eſt (proportionatè diſcurre de appetitu innato) diſtinctione mediatâ, & in tertio, ſeu in aliqua hypotheſi, maximè quando coniungi poteſt cum ſeparatione abſoluta, eo enim ipſo reſplendet, quod voluntas Diuina poteſt velle, quin ſit de eius eſſentia ipſum velle actuale, quod identificat. At principium productiuum vlterius requirit, quod det eſſe principiato, hoc autem habere non poteſt voluntas Diuina eo ipſo quod identificatur cum volitione; nam neque principiationem habet, quando comparatur præciſè cum volitione, ſiquidem tunc præſcindit à diſtinctione omni etiam in tertio, neque item quando comparatur cum hoc tertio, ſiquidem quando eſt ſub nolitione in quo caſu datur talis diſtinctio, tunc nullo modo principiat volitionem, quæ tunc non eſt: Ergo licèt detur in Diuina voluntate diſtinctio ſufficiens vt ſit ſtatus primus phyſicus volendi, non tamen vt ſit principium productiuum, vt ſit inquam actus primus *virtualis*: Nam *realis* abſolutè loquendo poſitiuè excludit identitatem omnem cum actu ſecundo. Hinc patet ad obiectionem ſupra poſitam. Ad confirmationem dico, actus primus eſt quidem potentia ad habendam volitionem, ad habendam inquam, vel per identitatem, vel per principiationem paſſiuam, Deus habet per identitatem, ideò contentus eſt diſtinctione in tertio, ſeu in hypotheſi. 21

Dices ſecundò: vt Deo concedatur actus primus volendi ſufficit, quod in aliqua hypotheſi ſit verè ſine volitione: ergo vt cenſeatur principium productiuum dans *eſſe* volitioni ſufficiet, quod in aliqua hypotheſi ſit principium carentiæ liberæ volitionis, ſeu non eſſendi tali volitioni. Conſequentia probatur, nam illi vt principio & cauſæ tribuitur non eſſe volitionis, qui poteſt dare *eſſe* volitioni, *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus.* Tunc ſic, ſed voluntas Diuina eſt verum principium *non amoris*, ſeu carentiæ volitionis de alio mundo, verbi gratia, etenim à voluntate ſola oritur, quod non detur volitio hæc, quin aliunde determinetur *non eſſe* volitionis de alio mundo: Ergo quando exiſtit volitio cenſebitur à voluntate principiari. Confirmatur voluntas eſt principium reale carentiæ volitionis; ergo & eſt virtuale ipſius volitionis. Antecedens patet, nam voluntas reſpectu carentiæ habet realem diſtinctionem, quare cum in cauſa ſit voluntas vt detur talis carentia, nihil deerit voluntati, ne ſit principium reale illius. Conſequentia item patet, nam principium liberum æquè ſe habet ad *eſſe & non eſſe* ſui actus. Ergo licet impediatur principiatio realis ad poſitiuum eſſe volitionis ob identificationem, cum hac ſaltem manebit principiatio virtualis. 22

SECTIO

SECTIO IV.

Proponitur probabilis ratio, vt admittatur in Deo principium virtuale volitionis titulo principij virtualis mediati ſeu in tertio ſententiiſque in ſect.1. reſpondetur.

23 IVxta diſcurſum à me ſuperius poſitum probabiliter ſic defendi poteſt voluntatem Dei eſſe principium virtuale volitionis liberæ, quam ſecum ita identificet pro libito, vt poſſit non identificare. voluntas Diuina iuxta dicta comparabilis eſt cum volitione poſſibili, vt dans ipſi *non eſſe*, ſeu vt principium illius in ratione poſſibilis, non enim aliùnde habet pro tunc volitio (in hypotheſi quod Deus nollet producere hunc mundum) poſſibilitatem, niſi in virtute voluntatis; & conſequenter voluntas Diuina eſt principium volitionis in hac hypotheſi, & ſtatu, *realiter*, & propriè eâ proprietate quâ cauſa dicitur principium reale alterius in *eſſe* poſſibilis. Ergo denominatione deſumpta, & reſpectu habito, ad hunc ſtatum, & hypotheſim poſſibilem, voluntas erit etiam nunc verum principium volitionis, à qua de præſenti non diſtinguitur. Neque ideò infringitur probatio diſtinctionis realis Patris Diuini à Filio contra Sabellianos: nam principiatio ex parte obiecti exerceri nequit, niſi inter diſtincta realiter, vel actu vel in potentia, Filius autem cum ſit eſſentialiter ens, ſi diſtinguendus eſt realiter à Patre, ſemper actu diſtinguetur.

24 Hæc probabiliter dicuntur: nihilominus hinc mihi euidens eſt non poſſe non diſtingui realiter voluntatem à volitione libera, per quam vult; nam eo ipſo quod voluntas ſit principium reale volitionis in hypotheſi, & in *eſſe* poſſibilis, iàm volitio colligitur in ſe non habere vim ſufficientem, vt exiſtat, ſiquidem in ſe eſt poſſibilis præciſe, & exiſtet ex vi, & ſufficientia voluntatis. Ergo voluntas verè, & immediatè producet nunc volitionem. (Et conſequenter diſtinguetur realiter nunc) quid enim aliud eſt eſſe principium producens nunc, quam vi ſua terminum ex ſe inſufficientem inducere ad exiſtentiam? Et rogo quid ſit in Patre, ob quod dicatur immediatè exercere erga Filium rationem principij exigentis diſtinctionem realem, niſi vis, & ſufficientia, vt traducat Filiationem ad exiſtentiam, ad quam inſufficiens eſt Filiatio ſecundum ſe inſpecta; Ergo eo ipſo quod voluntas comparetur cum volitione vt poſſibili ſecundum ſe, & conſequenter vt inſufficiente ex ſe ad exiſtendum, ſeu comparetur voluntas vt principium *non exiſtentia* volitionis opus eſt, quod dum volitionem traducit ad exiſtentiam, exerceat veram principiationem immediatam cum diſtinctione reali.

25 Ad primam ſententiam in ſect.1. Reſpondeo ad primum. Eſſentiam Diuinam non eſſe immediatè principium, radicem vel priorem natura reſpectu perſonalitatum, niſi prioritate in ſubſiſtendi conſequentia valet enim *eſt Pater*. Ergo *Deus*: non tamen è contrà. Deinde reſpectu Filiationis ea ſolum ratione eſt prior, quia eſſentia verè datur pro priori in principio realiter producente, Pater enim pro priori ad productionem Filij eſt Deus. In præſenti autem nos non agimus de prima prioritate. Secundam autem non habet voluntas Dei reſpectu volitionis liberæ, cum iſta omninò improducta realiter ſit. Ad ſecundum fateor libertatem eſſe non poſſe ſine principio actiuo ſui actus ideô reiici libertatem Diuinam adæquatè intrinſecam ob repugnantiam huius principiationis.

Neque ſufficit prioritas per modum conditionis puræ, & determinationis, vt volebat tertia ſententia, Tum quia alias in pura conditione poſſet inueniri libertas, & vis ſe determinandi, quod inintelligibile eſt. Quid enim concipietur præſtari à pura conditione, vt iſta ponat vel ſuſpendat actum, cum conditio nihil aliud præſtet niſi ponere ſeipſum, ipſa autem æquè ſemper exiſtat; Ideò Authores contra Durandum probant immediatum influxum primæ cauſæ vt poſſit ſuſpendere effectus cauſæ ſecundæ. Quia nequit intelligi Dominium ſuſpendendi quin aliquid præſtetur actiuè. Prætereà eo ipſo quod voluntas Dei ſit pro priori ad volitionem in illo priori intelligitur volitio poſſibilis, & per ſe inſufficiens vt exiſtat, alias cur non exiſtit? Ergo dum pro poſteriori tranſit ad exiſtentiam, id non habebit vi ſua, ſed principij; hoc autem eſt ab illo habere eſſe, & produci, vel dic quid aliud exerceat Pater in Filium? 26

Ad ſecundam ſententiam reſpondere opus non eſt, cum pro nobis ſit. Tertia ſententia ſatis reiecta eſt ex dictis ſuprâ in §. præcedenti. 27

DISPVTATIO LXXI.

Vtrum obiectum motiuum formale diuinæ voluntatis ſit ſola eſſentia Dei? An etiam Relationes?

SECTIO I. *Senſus quæſtionis proponitur, & Relationes diuinas eſſe obiectum formale diuinæ voluntatis ſtatuitur.*

SECTIO II. *Sententia excludens relationes ab obiecto formali proponitur, atque reiicitur.*

DE Hac difficultate egi breuiter diſputatione 68. ſectione 4. in quinta quæſtiuncula. Item plura dixi in tractatu de ſcientia diſputatione 37. ſectione 3. quæ huc adduci poſſunt quare non erit opus longa diſputatione. *Vide qu.10. art. 1. dub. 11.*

SECTIO I.

Senſus quæſtionis proponitur, & relationes Diuinas eſſe obiectum formale Diuinæ voluntatis ſtatuitur.

TOt acceptionibus ſubeſt vox *motiui*, & obiecti formalis Diuinæ voluntatis, vt timeam quæſtionem hanc, alias de rê grauiſſimam, à pluribus leuiſſimam fieri de voce ſola. Alij *motiuum* vſurpant pro obiecto mouente, à quo realiter, vel virtualiter amor eſt, ſic autem manifeſtè ſola 1

eſſentia erit motiuum, cum ab ea ſola vt à prima radice amor ſit: alij pro obiecto primario, & principaliori; vnde manifeſtè excluduntur creaturæ: alij pro obiecto ob quod conſequendum cætera amantur vt media, quo pacto eſſentia Diuina non erit obiectum motiuum; Neque enim Deus aliquid vult, vt ſuam Deitatem obtineat: alij pro eodem vſurpantes finem, & obiectum formale diſtinguunt finem *cui* & finem *qui*, illumque, ſoli Deo attribuunt iuxta Iſaiæ 42. *Gloriam meam alteri non dabo*, finem verò *qui* attribuunt creaturæ. Quid enim aliud eſt hæc gloria quam glorificatio creata? Denique alij vtrumque finem creaturæ attribuunt; quia Deus bona creata, & creaturis ipſis vult, cum ſolum in harum vtilitatem cedant, aliunde finis *qui*, nihil aliud eſt, quam bonum illud, quod amatur fini *cui*: iam verò Diuinæ eſſentiæ ſoli attribuunt quod ſit finis *cuius gratia*, & hac ratione vocant eſſentiam vnicum motiuum formale.

2 *Obiectum formale eſt quod ſecluſum ab aliis poteſt amari.*

Ego ſecluſis tot vocum ambagibus firmè cenſeo ex diſp. 37. ſect. 3. id eſſe obiectum motiuum, ſeu obiectum formale actus voluntatis quod ita comparatur cum amore, vt reſpectu illius omni alio præciſo ſeu ignorato ſufficiat ad talem amorem terminandum, quidquid ſit de cauſatione, vel proceſſione amoris ab illo obiecto. Quod autem ita non comparatur in ſe, ſed opus eſt vt veſtiatur bonitate alterius vt amorem terminet, non formale, ſed purè materiale obiectum, verbi gratia, amatur pharmacum, & amatur ſalus, at hæc ſufficit ad terminandum amorem, licèt illud non attingatur, pharmacum verò niſi veſtiretur bonitate ſalutis, niſi in conſecutionem ſalutis conduceret, niſi ſalus in ſe bona, & grata eſſet, neutiquam amorem terminaret. Quis enim amaret pharmacum, niſi ductus amore, vel præ amore ſalutis, ideò iſta eſt obiectum formale, & illud materiale.

3 Hinc quæſtio eſt, an omnia præter eſſentiam Dei comparentur vt inſufficientia excitare amorem voluntatis Diuinæ; vti pharmacum reſpectu voluntatis intendentis ſalutem, & vti obiectum purè indifferens reſpectu Dei, qui nullatenus amaret tale bonum, ſi nihil honeſti per illud intenderet, etenim vbi Deus præciſa bonitate, quam reſpicit in ſua eſſentia, ſeu prout præciſè comparatur, vt cognoſcens alia à ſua eſſentia, in ipſis inuenit quod amet adæquatè vel inadæquatè, certum iam eſt ea obiecta amari ratione ſui ipſorum, ſiquidem vt ſic non eſt aliud bonum propter quod Deus amet illa, neque ob alium titulum nunc cum ſua eſſentia comparatur, vt motiuo, niſi quia in ipſa ſic inuenit ſufficientem rationem, quam amet.

4 *Relationes Diuinæ ſunt obiectum formale Diuinæ voluntatis.* Ruiz. Aluiz.

In hoc ſenſu vt certum ſtatuo, relationes Diuinas eſſe obiectum formale motiuum Diuinæ voluntatis. Ita Pater Ruiz latè diſput. 5. ſect. 3. Aluiz diſput. 2. ſect. 1. num. 16. Probatur, Diuina voluntas ita comparatur cum Paternitate, verbi gratia, vt non ſit opus, quod manuducatur à bonitate eſſentiæ, ſeu quod eſſentia formaliter, vel virtualiter prius ametur, vt ametur Paternitas; ſed iſta immediatè, & in ſe præciſè conſiderata & comparata ſic cum voluntate Diuina, digna eſt, vt ametur: Ergo eſt eius obiectum formale. Conſequentia patet ex dictis hic. Antecedens ſuadetur: Paternitas in ſe talis eſt vt Pater velit eſſe Paternitatem, non quidem vt ita ſit Deus, etenim Filius habet eſſe Deum nec habet eſſe Paternitatem: Ergo præciſè eſt amabilis à Deo Paternitas ratione ſui, ſeu inſpecta ſecundùm id quod habet in ſe. Confirmatur: Paternitas in ſeipſa etiam vt condiſtincta formaliter ratione noſtra ab eſſentia eſt perfectio, qua indiget Pater, licèt enim relatio non multiplicet realiter perfectionem, in ſe tamen non minus eſt perfectio, quā omnipotentia: Ergo ratione ſui eſt bona Patri, ſeu digna quę ratione ſui ametur à Patre. Conſequentia probatur, tum quia res vt eſt bona, eſt amabilis; tum etiam quia nequit eſſe indecens, vt ametur à Deo perfectio aliqua ob ſeipſam, ſi ratione ſui eſt phyſicè neceſſaria amanti, vt ita Deus quaſi pendeat in amare ab obiecto à quo pendet in eſſe.

Secundò item probatur Paternitas in ſe inſpecta idem fundamendum dat, vt ametur à Patre ratione ſui, ſeu tanquam obiectum formale quod dat ipſa eſſentia: ſed eſſentia eſt obiectum formale: Ergo Paternitas. Maior probatur, Paternitas vt talis formaliter in ſe eſt entitas Diuina infinitè perfecta, qua ſummè indiget Pater, neque in alio differt ab eſſentia, niſi in eo quod iſta ſit communis, illa propria Patris, & amor non eſt à Paternitate, ſicut ab eſſentia. At nihil horum obſtat, ne Paternitas ſit motiuum amoris: tum quia, vt patet ex dictis, ratio *motiui* non requirit quod amor ſit, vel cauſetur à motiuo. Tum etiam quia potius bonum proprium eſt vnicuique amabile: Ergo ſicut eſſentia in ſe inſpecta præciſè apparet Deo amabilis ratione ſui, ita & relationes. 5

SECTIO II.

Sententia excludens relationes ab obiecto formali, proponitur, & reÿcitur.

Tenent eam omnes Thomiſtæ hic, Scotiſtæ cum Smiſing, tract. 3. diſput. 3. quæſt. 2. Noſtri plures cum Hemelman, tit. 5. diſp. 1. cap. 2. Alarcon diſp. 2. cap. 1. Mouentur à paritate ſcientiæ Diuinæ, cuius motiuum eſt ſola eſſentia. Reſpondeo, licèt motiuum ſcientiæ debeat eſſe pro priori & dare eſſe ſcientiæ, quia ab obiecto & potentia paritur notitia, & ideo relatio quæ eſt poſterior nequeat eſſe motiuum, amor tamen non ita accipit eſſe, ſed potius dat ſuo obiecto formali, vt patet exemplo finis creati. Deinde idem negaui in ſcientia, diſp. 37. ſect. 3. 6 Thomiſtæ. Scotiſtæ. Hemelman. Alarcon.

Mouentur ſecundò: Ratio vltimi finis ſolum conſiſtit in eſſentia, ſicut enim vnus eſt Deus, ita & vnus eſt vltimus finis; ſed Diuina voluntas, vtpote perfectiſſima omnia operatur propter vltimum finem, & iſte ſolus eſt eius motiuum; ergo ſola eſſentia, non verò relationes ſunt obiectum formale. Reſpondeo etiam relatio ſpectat ad rationem vltimi finis, qui eſt trinus, & vnus, ſicut Deus: Ergo potius hinc debet Diuina voluntas moueri formaliter etiam ex relationibus. Non enim mouetur præciſè ex Deitate, ſed ex Deo in concreto. Deus autem ſic licèt in vnaquaque perſona dicat vnam tantum relationem, verè tamen tres expoſcit, vt trinus ſit. 7

Mouentur tertiò ſola eſſentia ſufficit Diuinæ voluntati, eamque omnino ſatiat, & beat. Ergo ſola eſt motiuum. Conſequentia Patet, quia voluntas in omni eo quieſcit, delectatur, & beatur, quod amat ratione ſui, & vt obiectum formale. Antecedens probatur. Primo quia eo perſona Diuina beatur, quo eſt Deus, Deus autem eſt ſola eſſentia, non verò relationes. Secundò: 8

A paritate

Aparitate Beatitudinis creatæ quæ in viſione & amore eſſentiæ ſolius conſiſtit ſufficienter. Reſpondeo nego antecedens ad primam probationem licèt Pater non ſit Deus Filiatione, quam identificet in ſe, vt tamen Deus ſit exigit eſſentiam quæ ſit Filius, ergo beatitudo etiam exiget amare filiationem. Ad ſecundum beatitudo Dei non debet eſſe qualiſcunque, ſed perfectiſſima, & comprehenſiua, ad hanc autem ſic ſpectant relationes ratione ſui. Dices Pater pro priori originis eſt perfectè beatus: Sed pro illo priori non poſſidet, nec beatur Filiatione, Ergo iſta non pertinet ad obiectum beatificum. Pater Vaſquez 1.part.diſput.48. num.18.iuncta 1.2. diſput.13. num.8. & 9. Videtur negare maiorem. Sed ego nego minorem. Quia Pater iam pro illo priori videt, & gaudet de Filiatione exiſtente pro poſteriori.

Pater vt ſit Deus exigit eſſe Pater.

Deus pro priori ad relationes poteſt in ipſis gaudere.

9 Mouentur quarto Actus liberi Diuini non ſunt obiectum formale Diuinæ voluntatis: Ergo nec relationes: conſequentia patet, Nam actus liberi non ſunt minoris perfectionis (pono eos adæquatè intrinſecos) quam relationes vt conſtat ex diſputatione 69. Antecedens probatur. Nullum obiectum formale poteſt deficere Diuinæ voluntati, alias minueretur eius gaudium, & delectatio: hæc enim licet non deficiat ob defectum obiecti materialis, quia cum materiale non ametur propter ſe, æquè contentus eſt amans, ſiue detur ſiue non obiectum materiale; è conuerſo autem euenit ſi deficiat formale. Tum ſic. Sed actus liber vt talis poteſt deficere, Ergo nequit amari à Deo vt obiectum formale. Reſpondeo actus vt liber, eſt obiectum formale, non quia vt exiſtens formaliter ametur terminato amore, qui talis ſit in linea amoris, in ipſam exiſtentiam exercitam & contingentem, ſed in quidditatem actus liberi, ſecundum ſe quæ vt ſic deficere non poteſt, amor autem talis ex connexione cum quodam nexu, & determinatione, (qui nexus, & determinatio eſt extra lineam amoris) dicitur gaudium & delectatio de exiſtenti. Hanc ſolutionem, vt intelligas omnino vide quæ dixi diſputat.69. ſect.3.

Amor actus liberi intrinſeci Deo terminatur ad eſſentiam.

DISPVTATIO LXXII.

Vtrum aliquid creatum poſſit eſſe obiectum formale diuinæ voluntatis.

Sectio I. *Authorum ſententiæ.*

Sectio II *Nequit bonum creatum eſſe obiectum formale diuinæ voluntatis.*

Sectio III. *Reſpondetur ſententiis contrariis, & explicatur, qualiter Deus velit vnum propter aliud.*

Statvto iam in diſputatione præcedenti quod ſit motiuum inter bona increata, videndum eſt poſſit ne etiam habere rationem obiecti motiui creata bonitas reſpectu voluntatis diuinæ; ſicut habet creata veritas reſpectu diuinæ ſcientiæ vt dixi diſput. 40.

Vide infra qu.19.art.5. ter.8.dub.

SECTIO I.

Authorum ſententia.

Prima negat. Ita à fortiori Authores citati ſuperius & alij plurimi cum Hemel.titulo 5. diſput.2. cap.6.num.5. Mouentur primo Prouerb.16. *vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus,* vbi aſſignatur vnicus finis operationum Dei. Secũdo obiectum formale eſt quies, & Centrum voluntatis, cum enim voluntas illud amat ratione ſui, non progreditur vltrà, & conſequenter ſiſtit, & quieſcit in illo. Tum ſic ſed in bonitate finitâ creaturæ nequit requieſcere Diuina voluntas. Ergo nihil creatum reſpicit vt obiectum formale. Maior & conſequentia patent. Minor probatur. Bonitas creata omnino præcontinetur in ſola Diuina eſſentia. Ergo per ſuam eſſentiam ſolam poſſidet iam Deus quidquid boni eſt in creatura, & conſequenter creata bonitas ſupponit iam Diuinam voluntatem omninò quietam, Ergo nequit illi nouam quietem, & voluptatem afferre, quod enim omninò quietum, & in ſuo centro eſt, nequit ad nouum centrum moueri. Tertio probatur ex perfectione morali, quia alias Deus non operaretur perfectiſſimè, vbi enim purè non mouetur actus ex Diuina bonitate à perfectione deflectit, vt patet in nobis, in quibus perfectior eſt actus, qui ſolum habet Deum pro obiecto formali, quam qui ſimul habet creaturam, ſed de hac ſententia plura ſectione ſequenti. 1

Negant Hemelman cum aliis.

Secunda ſententia omninò contraria aſſerit non poſſe Deum amare creaturas aliter quam propter ipſas, ſeu propter obiectum formale creatum. Mouetur primo quia in his quæ volumus propter finem tantum amamus finem, *Qui enim vult ſumere potionem amaram, nihil in ea vult niſi ſanitatem,* vt ait Sanctus Thomas hic, quæſtione 19. articulo 2. ad ſecundum. At Deus non ſe amat iterum, dum diligit creaturas, ſiquidem iam omninò, & comprehenſiuè ſe amauit. Ergo creaturas ſolum amat propter ſe ipſas. Confirmatur; qui amat medium propter finem obtento fine phyſico, nihil amat in medio, nec de illo curat: Ergo ſimiliter, qui amat obiectum in gratiam finis, ſeu vt obtineat affectiuè finem, fine ſic obtento nihil curat de affectu circa tale obiectum: Ergo cum Deus ſummè erga ſe afficiatur fruſtra propter ſeipſum amabit creaturas ſed ſolum propter ſe ipſas. Secundò huc ſpectant, quæ ſupra dixi diſp.65.ſect.1. non poſſe Deum appetere propter finem alicuius naturæ id quo ſiue abſente ſiue præſente æquè bene ſe habet talis natura, ſed ſiue adſint, ſiue deſint creaturæ, Deus æquè bene ſe habet, non ſolum phyſicè, ſed etiam moraliter, & affectiuè ergo nequit amare creaturas propter ſe ipſum. 2

Affirmant neceſſario Aly.

Tertia ſententia media concedit creaturas poſſe amari propter Deum; addit tamen poſſe etiam amari propter ſeipſas vt propter formale obiectum ſiue adæquatum intrinſecum, vt tenent Herize hic diſputatione 18. cap.2. num. 14. Arriaga diſput.26. ſect. 4. ſiue inadæquatum, ita vt Deus ſimul amet creaturas & propter ipſas & propter ſeipſum vt tenet Pater Hurtado diſput. 121. de charitate. Aluiz diſput.8. de voluntate ſectione 2. mouentur primò obiectum formale voluntatis Diuinæ eſt Dei gloria, & oſtenſio attributorum, ſic 3

Affirmant licet non neceſſario. Hence. Arriaga. Hurtado. Albiz.

omnia

omnia fiunt in gloriam Dei, Iſaiæ 43. *Omnem qui inuocat nomen meum in gloriam meam vocaui eum.* Sed hæc gloria nihil aliud eſt, quam creata glorificatio, & laudes, quibus exaltamus Deum: Ergo iam aliquid creatum eſt obiectum formale Diuinæ voluntatis.

4 Eadem ſententia mouetur primò à paritate ſcientiæ quæ licet infinita ſit adhuc immediatè terminatur ad veritatem creatam tanquam ad obiectum formale, vt patet in ſententia Societatis iuxta quam futura libera in ſeipſis, & non in aliquo medio cognoſcantur à Deo: Ergo ſimiliter dicendum eſt de voluntate. Conſequentia probatur; Tum quia creaturæ non minus ſunt in ſe bonæ, quam veræ: Ergo ſicut ab infinita ſcientia quamuis infinita eo quod ſit comprehenſiua, cognoſcitur omnis veritas vt eſt, ita & amabitur omnis bonitas à Diuina voluntate. Tum etiam quia ſcientia Dei licet infinita non debet moueri ex ſola ſumma veritate: Ergo neque voluntas ex ſola ſumma bonitate. Tum denique, quia in linea ſcientiæ permittitur inæqualitas; etenim formaliter loquendo minus perfecta eſt ſcientia, quæ mouetur ex veritate creata: Ergo in obiecto formali Diuinæ voluntatis, etiam dabitur inæqualitas. Confirmatur, perfectiones phyſicæ in Deo ſunt inæquales formaliter, nec enim omnia attributa formaliter ſunt æqualis perfectionis: Ergo idem dicendum de perfectione morali actuum Diuinorum.

5 Tertiò, in bonitate creata, etiam ſecluſo per hypotheſim impoſſibilem, quod Deus ſeipſum amet, inuenitur ſufficiens fundamentum ad excitandam Diuinam voluntatem: Ergo bonitas creata poteſt eſſe obiectum formale voluntatis Diuinæ. Patet conſequentia ex ſupradictis diſput. 71. ſect. 1. circa notionem obiecti formalis. Antecedens probatur, quia adhuc Deus in hac hypotheſi poſſet præmiare merita, punire peccata, creare mundum, &c. Quis hoc neget? iſta autem ſine voluntate non fiunt. Confirmatur, ſi voluntas Dei conferatur cum malitia mendacij, in hoc inuenit rationem diſplicentiæ, ſiquidem intrinſecè, & ſecundùm ſe eſt turpe: Ergo mendacium ratione ſui mouet, vt reijciatur à Deo: Ergo vt ametur eius carentia.

6 Quartò odium Diuinum, qua odium eſt non mouetur ex obiecto formali increato: Ergo creato: Ergo iam aliquid creatum eſt obiectum formale alicuius actûs voluntatis Diuinæ, ſcilicet actus odij, imò & amoris; nam odium de peccato eſt amor de eius carentia. Antecedens probatur, quia odium mouetur ex ratione mali, nihil autem mali inuenitur in Deo. Dices Deum ex complacentia ſui deteſtari mala; vnde ſemper moueri ratione ſuiipſius. Contra, tum quia loquor de affectu odij, vt odium eſt, ſic enim nihil boni tangit. Tum etiam quia peccatum non ſolum eſt malum Deo, ſed etiam intrinſecè, & in ſeipſo: Ergo ratione ſui præcisè odibile eſt. Tum demum malum vt malum aliquem excitat affectum non amoris, qui nequit tendere ſub ratione mali: Ergo odij puri. Confirmatur, ita ſe habet malum reſpectu voluntatis, vti falſum reſpectu intellectus; ſed intellectus mouetur ex falſo, vt ex obiecto formali ad diſſenſum: Ergo voluntas ex malo ad odium. Tum ſic: ſed malum ſolum inuenitur in creaturis: Ergo hæ poſſunt eſſe obiectum formale voluntatis Diuinæ.

7 Quintò, quo maior eſt bonitas creaturæ, eo plus amatur à Deo, ideò Deus plus amat iuſtiores: ſed ad id non mouet ſola bonitas Diuina, quę æqualiter ſe habet ad omnia creata Iob 22. n. 3. *Quid prodeſt Deo ſi iuſtus fueris, aut quid conferes ſi immaculata fueris vita tua?* Igitur mouet etiam bonitas creata ratione ſui. Confirmatur, ſæpè proponimus bona creata, vt moueamus Diuinam voluntatem, vt dum merita Sanctorum proponimus Deo: Ergo Deus mouetur ex illis. Conſequentia patet; tum quia fruſtra precaremur Deum ob merita Sanctorum, ſi ex illis moueri non poſſet. Tum etiam quia Eccleſia profitente propter nos homines & propter noſtram ſalutem Deus deſcendit de cœlis.

Sexto præcipuè arguitur ex virtute amicitiæ (& 8
ſic de aliis moralibus) quæ ſtrictè concedenda eſt Deo erga homines: ſed hoc ſtare non poteſt, niſi amet homines iuſtos propter ipſos: Ergo voluntas Diuina moueri poteſt ex bonitate creata. Conſequentia patet, & minor, nam de ratione amicitiæ ſtrictæ eſt velle bonum amico propter ipſum: Maior notiſſima eſt in Scriptura ſacra, quæ non ſtrictius ſuadet in Deo voluntatem, quam amicitiam erga homines, imò ex eo quod ſcriptura prædicet in Deo actus virtutum moralium amicitiæ, miſericordiæ, liberalitatis, &c. Colligimus in Deo dari voluntatem, ſeu amorem propriè loquendo: Ergo & amicitiam. Confirmatur, ſi Deus non moueatur ex bonitate creata eius actus erunt æqualis honeſtatis, ſiquidem reſpiciunt æquale imò idem motiuum, honeſtas autem ex motiuo ſumitur; ſed nulla virtus moralis eſt, vbi omnes actus ſunt æquè honeſti, virtus enim ſicut & vitium ſtare non poteſt cum neceſſitate ad æqualia: Ergo Deus moueri debet ex bonitate creata, in qua ſolum datur inæqualitas.

SECTIO II.

Nequit bonum creatum eſſe obiectum formale Diuinæ voluntatis.

Ita ſentio cum prima ſententia, probatur pri- 9
mò: Bonitas creata talis eſt, vt à Deo amari non poſſit niſi propter ſeipſum; ſed eo ipſo talis bonitas non eſt obiectum formale: Ergo bonitas creata nequit eſſe obiectum formale Diuinæ voluntatis. Conſequentia patet, & minor, etenim eo ipſo quod non niſi propter aliud amari queat creatura, iam in ſe non habet ſufficientem bonitatem, vnde ametur ratione ſui, ſicut reſpectu ſcientiæ veritas illa nequit eſſe obiectum formale, nec ratione ſui cognoſci, quæ non niſi in alio medio poteſt aſſenſum terminare.

Bonum creatum non eſt obiectum creatum Diuina voluntatis.

Maior loquendo de bonitate creatâ poſſibili, ne- 10
ſcio qua conſequentia negari poſſit ab aſtruentibus amorem Dei circa poſſibilia neceſſarium eſſe: nam nemine inficiante creatura poſſibilis amabilis eſt propter Deum, & ipſa bonitas relatiua ad Deum numeranda eſt inter bonitates poſſibiles, & neceſſarias: Ergo ſi nequit Deus non amare bonitates poſſibiles, amabit etiam neceſſario bonitatem hanc, & nequibit ſuſpendere amorem de creatura poſſibili propter ſeipſum. Hæc conſequentia adeò nota eſt iuxta dicta de amore neceſſario circa poſſibilia diſpur. 66. vt ſolo indigeat inſpectore eius diſputationis. Ex quo vlterius procedo, & concludo cum amor Diuinus vt libet circa creaturam exiſtentem nihil addat in linea amoris, quantumuis actus liberi ſint Deo adæ-

quatè intrinſeci ex diſput. 69. ſect. 3. Concludo inquam abſolutè nullam bonitatem creatam amari à Deo niſi propter ſeipſum.

11 Dices cum Patre Hurtado diſ.121. de charitate, ſect.6. creaturas amari quidem à Deo propter ſeipſum: at amari etiam propter ipſas, benè enim dari poſſunt eiuſdem amoris duo obiecta formalia, ſic creaturæ poſſibiles,& cognoſcuntur immediatè in ſeipſis, & ſimul in eſſentia Diuina. Sed contra: Quia dum Author iſte conatur ſatisfacere perfectioni Dei,vt omnes actus Diuini ſint perfectiſſimi iuxta primam ſententiam, & proprietati amicitiæ, qua amet amicos iuſtos propter ipſos iuxta tertiam ſententiam, vtrique repugnat: Primæ quidem, quia perfectio actus vt ſit ſumma, petit ne vllo modo afficiatur, niſi circa motiuum ſummum, ſicut honeſtas affectus petit, ne vllo modo moueatur ex obiecto turpi,& Deus nec partialiter poteſt moueri ex fine indifferenti, ſine dubioque minus perfectus eſt noſter actus, qui ſimul habet motiuum creatum, quam qui purè habet Deum: Neque item iſte author ſatisfacit, rigori amicitiæ iuxta tertiam ſententiam, ſtricta enim, & bona amicitia petit, vt quis nihil proprij commodi reſpiciat, ſed purè ſit propter amicum.

Diuinus amor non terminatur ad Diuinam, creatamque bonitatem vt ad duplex motiuum adæquatum.

12 Præterea eo ipſo quod aliquod bonum tale ſit, vt non poſſit amari niſi propter aliud, iam amittit rationem obiecti formalis, & non amatur ratione ſui, licèt enim demus bonum aliquod amari propter ſe, & propter aliud, quando alias eſt amabile ratione ſui tale bonum, vt potio dulcis, quæ amatur ob ſanitatem; at ſi tale ſit bonum, vt nequeat amari, niſi propter aliud, eo ipſo vt amabile ſit opus eſt veſtiri bonitate finis, quod proprium eſt obiecti materialis purè: Ergo ſi creaturæ amari à Deo nequeant niſi propter ſeipſum, & relatè ad ipſum, ſeu quia ſunt opus ipſius, non erunt obiectum vllo modo formale: Nec exemplum ſcientiæ aliquid prodeſt, ſtat namque benè vnum obiectum cognoſci relatè ad aliud, ſeu quia eſt opus alterius, quin ideò cognoſcatur in alio, vt patet quando in ſeipſis cognoſcimus creaturas eſſe opus Dei: ſecus euenit in amore, iſte enim eo ipſo quod non moueatur ex bono niſi vt conuenienti, ſeu relatè ad aliud, iam deficit à ratione formalis obiecti tale bonum.

12 Secundò, aliter arguo bonitas creata nequit amari à Deo niſi vt conueniens ipſi Deo: Ergo nequit amari ſimpliciter loquendo ratione ſui, & vt obiectum formale. Conſequentia patet, quia res quæ amabilis non eſt, niſi vt *conueniens* mihi, eo ipſo probatur non habere bonitatem in ſe niſi veſtiatur bonitate mei, vnde ſimpliciter non erit obiectum formale. Antecedens probatur: Nam bonitas creata non eſt amabilis à Deo niſi vt honeſta, honeſtas autem formaliter, vel virtualiter ſumitur ex conformitate vel conuenientia cum natura rationali, ſeu cum eius vltimo fine Deo; licèt enim ad rectè operandum non ſit opus attendere explicitè ad hanc conuenientiam, ideoque ſæpè nos operamur rectè ſine attentione ad Deum; Cæterum implicitè ſaltem hinc honeſtas deſumitur, & quidem negari nequit valdè commendari excellentiam ſanctitatis Diuinæ, ſi Deus ſit prima regula honeſtatis, vt tantum honeſtatis, vel turpitudinis habeat obiectum, quantum accedit, vel recedit à Deo. Quare Deus qui non poteſt non moueri ex honeſtate explicitè comprehenſa, ex tali conuenientia mouebitur.

Omnis honeſtas deſumitur per acceſſum, vel receſſum ab vltimo fine.

13 Tertiò arguo: Obiectum creatum ſi ſecundùm ſe conſideretur ſecluſo omni reſpectu ad Deum, nempè quod ſit opus Dei; Deo conforme, in quo bonitas Diuina reſplendet, &c. inſufficiens eſt vt ametur à Deo: Ergo non eſt obiectum formale Diuinæ voluntatis, hoc enim debet habere in ſe rationem, vnde ametur ſecluſo omni reſpectu ad aliud diſtinctum, ſeu omni alio per impoſſibile ignorato. Antecedens probatur; tum quia commendat perfectionem amantis non moueri niſi ex magno bono; obiectum autem creatum ſine reſpectu dicto vile eſt apud Deum, vti ſtercora apud hominem prudentem qualis erat mundus apud æſtimationem S. Pauli. Tum etiam, quia obiectum creatum, vt ſic nequit conferre Deo ſpeciale gaudium, (alias ipſi deberet Deus aliquid ſuæ felicitatis, & beatitudinis, quæ à gaudio rationali indiſtincta eſt; ergo non amatur ratione ſui, quod enim ratione ſui amatur, poſſeſſum gaudium parit.

Vnde vrgetur ratio in §.1. nequit beatitudo Dei conſiſtere in bono creato, ſed ſi bonum creatum poſſet amari, ratione ſui, ſeu vt obiectum formale, hoc contingeret: Ergo bonum creatum non poteſt amari ratione ſui, ſeu vt obiectum formale. Maior loquendo de beatitudine intrinſecâ, etiam ſecundùm quid, & extenſiua probatur; Tum quia aliàs Deus ſibi non omninò ſufficeret (loquor non de ſufficientia effectiuâ. ſed ſatiatiua, ſeu obiectiua, hæc enim eſt, quæ præſtatur à bono, vt bono, & quâ ſpecialiter Deus dicitur ſibi ſufficere) ſiquidem creſceret ex bono extra ſe, ita vt implicantibus creaturis, licèt per impoſſibile totus Deus exiſteret, at non eſſet æquè contentus, ac modo: Tum etiam, quia non minus eſt de eſſentia Dei, quod ſe ſolo ſit perfectè beatus, quam quod immutabiliter, & ſine diminutione ſit beatus, quin poſſit creſcere vel minui, quoad gloriam intrinſecam: ſed abſurdum eſt quod in hac licèt extenſiua & ſecundùm quid creſcat ex diſput.66. ſect. 1. Ergo etiam abſurdum eſt beatitudinem Dei non conſiſtere in ſolo Deo, ſeu conſiſtere in alio extra Deum. 13

Quod autem beatitudo Dei & gloria intrinſeca aliqua ratione conſiſteret in bono creato, ſi hoc amaretur ratione ſui probatur. Nam tunc Deus conciperet ſpecialem complacentiam, & gaudium ex creatura, quod non conciperet ex ſe ſolo, ſeu quod quod non ineſſet Deo, ſi creatura deficeret; implicat enim eſſe ratione ſui motiuum gaudij id boni, quod apud volentē non plus æſtimatur, quàm eius carentia, quo ſiue abſente, ſiue præſente æquè contenta eſt voluntas, ſiquidem in eo diſtinguitur bonum quod eſt obiectum formale à materiali, quod materiale vti poſſeſſum non parit gaudium cæteris æqualiter ſe habentibus circa obiectum formale, ſic neque amiſſum gaudium diminuit, ſecus euenit in ipſo obiecto formali: Tum ſic, ſed gaudium, beatitudo, & gloria intrinſeca pro eodem accipiuntur, ideò dicuntur beati creſcere in gloria accidentali, quia creſcunt in ſpecialibus gaudiis, & complacentiis: Ergo ſi beatitudo Dei nequit vlla ratione ex creaturis creſcere intrinſecè vel minui, nec gaudium, ſeu amor tendet in ipſas vt in obiectum formale. 14

***

SECTIO

SECTIO III.

Reſpondetur ſententiis contrariis, & explicatur qualiter Deus velit vnum propter aliud.

15 Secunda ſententia (quæ vt conſtat à fortiori ex dictis falſa eſt) poſtulat, vt explicemus, quo pacto dicatur Deus amare vnum propter aliud. Communis explicatio eſt Deum non velle vnum propter aliud, ſed præſciſè velle quod vnum ſit propter aliud; quia ly *propter* ſignificat cauſalitatem, hæc autem exerceri nequit inter ipſos actus Diuinos, vult ergo Deus vt concludit S. Thomas hic art. 5. corp. *Hoc eſſe propter hoc ſed non propter hoc vult hoc.* Alij è contra ly *propter* explicant ex parte actus, vt vna voluntas inferat ſaltem virtualiter volitionem alterius vti vnus actus intellectus infert alium actum, ſeu cognitionem alterius obiecti, ideoque admittitur in Deo diſcurſus virtualis. Ratio eſt, quia in ipſis rebus volitis non datur aliquid ſpeciale ratione cuius A. potius ſit propter B. quam è contra, cur enim ſicut Incarnatio fuit propter noſtram ſalutem, ſalus è contra non potuit eſſe propter exaltationem Incarnationis? Ergo ly *propter* denotat cauſalitatem ex parte actûs, verbi gratia, quod volitio ſaluils inferat volitionem Incarnationis. Hinc efficaciter argui poteſt pro ſecundâ ſententia in ſect. 1. vt Deus nequeat amare creaturas propter ſeipſum, quia ly *propter*, nec ſatis explicatur ex parte obiecti, neque item ex parte actûs, vt conſtat ex nuper dictis.

16 *Quid ſit vnum amari à Deo propter aliud.* Ego cenſeo vnum amari propter aliud, ſeu quia amatur aliud non ex eo, quod detur cauſalitas ex parte obiecti, cum ſæpè cauſa ametur, quia amatur effectus, aut ex parte actûs, cum ſæpè eodem actu indiuiſibili etiam virtualiter amemus obiectum materiale propter formale, ſed ex eo quod obiectum aliquod ita comparetur cum voluntate, vt in ſe non habeat rationem ſufficientem, qua excitet amorem niſi veſtiatur bonitate alterius. Hæc latè explicui diſput. 58. ſect. 7. quæ omnino videnda.

17 Ex his conſtat verè & ſtrictè dici quod *Deus amet creaturas propter ſeipſum* contra ſecundam ſententiam in ſect. 1. neque communis ſententia cum S. Thom. hoc negauit, ſed ſolam ſtrictam cauſalitatem, qua independenter ab intellectu noſtro amor finis in Deo cauſaret amorem mediorũ (quæ cauſalitas nec virtualis admittenda eſt in Deo ex d. 70. ſect. 2. diſcurſus autem virtualis qui admittitur in Deo non petit hanc cauſalitatem vt conſtat in Angelo) vel etiam ſolum negat communis ſententia, quod vna bonitas creata ratione ſui abſolute moueat, vt ametur altera, licèt enim Deus amet Incarnationem propter nos, at nos ipſos amat propter ſuam gloriam; Quare reſpectu huius amoris Diuini gloria Dei amabilis eſt omni alio ſecluſo; ſalus verò noſtra ſecluſa Incarnatione, Incarnatio deniq; vt amabilis ſit hic & nunc opus eſt, vt veſtiatur conuenientiâ non ſolius gloriæ Dei, ſed etiam ſalutis noſtræ.

18 Igitur ſtatuto Deum amare creaturas propter ſe iuxta explicationem datam, non quidem propter ſe obtinendum effectiuè vel affectiuè, ſed quia ſunt aliquid ipſius & Deus opera manuum ſuarum non deſpicit. Ad primum pro ſecunda ſententiâ reſpondeo, qui amat finem nihil motiuè vult niſi finem, at verè etiam amat medium (non motiuè) alias illud non poneret, Deus autem nouo modo ſe amat, dum vult creaturas quo non ſe amauerat, dum præciſè comparabatur ſecum. Ad confirmationem patet ex dictis. Iam ad 2. dixi d. 65. ſect. 1.

Tertia ſententia ſatis reiecta eſt in ſectione præcedenti. Ad primum reſpondeo dum amat Deus ſuam gloriam creatam, quia gloria ſua eſt iam illam ad ſe ordinat; ſic qui operatur in maiorem gloriam Dei operatur ex charitate. 19

Ad ſecundum eiuſdem ſcientiæ, & æquè ſapiens eſt qui cognoſcit mundum, quando exiſtit, ac qui cognoſcit mundi carentiam, quando exiſtit; Item ſcientiæ nihil referr, dum quis ſciat veritatem aliquam ſcire illam ſeipſa vel in alio. Non euenit ita in gaudio; tum quia hoc minuitur deficiente motiuo, vt omnino implicet, quod mundus ſit motiuum gaudij reſpectu gaudentis æquè in mundo, & in carentia mundi: nullius namque æſtimationis eſt res, quæ non pluris æſtimatur, quam eius carentia. Deinde inæqualiter gaudet quis de bono in quo complacet ratione eiuſdem vel ratione alterius. Hinc ergo ſcientia Dei ſine imperfectione poteſt terminari ad creaturas propter ipſas, ſecus amor. 20

Ad tertium fundamentum pro hac tertia ſententia reſpondeo: in hypotheſi in qua Deus non amaret ſe ſibique gratus non eſſet, nihil amare poſſet, quia tunc nihil poſſet vt conueniens vltimo fini diligere, ſic circa obiectum indifferens nihil decernere poſſet, ſi ei deficerent omnia motiua honeſta. Ad confirmationem idem dico de malitia mendacij, hæc enim tota eſt per oppoſitionem ad vltimum finem, quam oppoſitionem, quia eſſentialiter imbibit mendacium dicitur intrinſecè malum. 21

Ad quartum dico, malum vt malum morale dicit ordinem ad bonum cui opponitur. Implicat autem, quod quis oderit obiectum, quia opponitur vltimo fini, quin diligat hunc, vti amicus dum odit malum amici amicum diligit. Ad confirmationem ſimiliter dico falſum vt falſum non eſſe primarium obiectum intellectus; nec dari diſſenſum, niſi aſſentiendo alicui veritati. Deinde quidquid ſit de falſo & de malo phyſico, ſecus ſentiendum eſt de malo morali, hoc enim opus eſt vt referatur ad vltimum finem, quæ relatio vel pro bono morali requiritur. 22

Ad quintum fateor eo plus amari creaturam, quo melior eſt, id autem euenit, vt in amico, qui plus diligit ſuo amico meliora bona, licèt autem creatura melior, vel iuſtior nihil conferat Deo. at cum verè in ipſo plus reſplendeat excellentia Dei, pluſque ipſa Deo conueniat, plus etiam placet ob hos titulos, qui propter Deum ſunt, vt qui gaudet magis in opere, vel bono meliori amici, quia opus melius ipſius eſt. Ad confirmationem Deus mouetur ex meis meritis, quia dona ipſius ſunt, & effectus noſtri, qui opus eius ſumus ob quam rationem voluit nos redimere, ne periret opus eius. 23

Sextum argumentum petit ſequentes diſputationes ex quibus patebit vera eius ſolutio, ſtatuenturque virtutes morales in Deo. 24

DISPVTATIO LXXIII.

Dantur in Deo virtutes morales titulo obiecti, ſeu mouetur Deus ex obiecto formali virtutum moralium.

SECTIO I. *Ratio dubitandi, & Authorum ſententiæ proponuntur, & reijciuntur.*
SECTIO II. *Propria ſententia.*
SECTIO III. *Aliqua obijciuntur, & ſoluuntur.*

DVPLICEM difficultatem opponit ſextum argumentum in diſput. præced. §. vlt. pro tertia ſententia tuente bonitatem creatam poſſe amari à Deo propter ſeipſas; contra virtutes morales Dei. Primam ex parte obiecti quia non mouebitur Deus ex obiecto formali harum virtutum. Secundam ex parte actus, quia erunt omnes æquales. De prima difficultate nunc, de ſecunda diſputatione ſequ.

SECTIO I.

Ratio dubitandi, & Authorum ſententiæ proponuntur, & reijciuntur.

1 *Ratio dubitandi. Vide qu. 10. art. 1 dub. 6.* CVm virtuti non ſufficiat honeſta agere, niſi honeſtè, id eſt propter ipſam ſeu ex fine, & motiuo cuiuſuis virtutis, ſi Deus ex nullo alio motiuo niſi ſuæ bonitatis operatur ex diſput. 72. non habebit virtutem aliam, niſi charitatis ſui; ſicut in nobis contingit quando eleemoſynam, verbi gratia, eligimus non ob bonum virtutis miſericordiæ, ſed propter Deum, quod clarius cernitur in amicitia, cuius motiuum debet eſſe bonitas amici non amantis.

2 *Non licet negare Deo virtutes morales.* Ob hanc rationem prima ſententia negat Deo propriè, & formaliter virtutes morales conuenire, ſed tantum eminenter. Ita Smiſing tom. 1. tract. 3. diſput. 3. qu. 2. Sed contra eſt communis Doctorum de Deo prædicans omnes has virtutes *miſericordiæ, iuſtitiæ, fidelitatis*, &c. præcipuè autem in Scriptura ſacra ita commendatur *amicitia* Dei cum iuſtis, etſi liceat ad ſenſum improprium hanc reducere poſſemus etiam voluntatem Dei ſolum metaphoricè admittere, cum ex nullo effectu frequentius prædicetur in ſacris Bibliis, quam ex amicitia erga iuſtos.

3 Secunda ſententia admittit in Deo amicitiam moralem, quia lex amicitiæ ſolum prohibet, ne totus amor non cedat in vtilitatem amati, ne amans quærat ſuam vtilitatem, amor autem Diuinus licèt amet creaturas propter ſeipſum vt finem amoris: at eſt propter ipſas vt finem adæquatum vtilitatis, non enim amat Deus iuſtos propter ſuam vtilitatem, ſed ipſorum. Confirmatur amicitiæ lex iubet amare amicum vti ipſius pluris intereſt, vti ipſe rationabiliter vult diligi, neque enim amicus eſt, qui amico vult turpia; homo autem iuſtus, ſi ratione ducatur plus appetit diligi propter Deum vt finem amoris, quam propter ſe. Sed contra primo, ſic Deus quando vult exiſtentiam peccatorum amabit eos vt amicos, ſiquidem non amat ſeipſum vt finem vtilitatis. Secundò amabit æquè bonum indifferens ac honeſtum, cum æquè nullius vtilitatem quærat. Tertiò, dum ego amo proximum propter Deum ſecundùm ſe amor iſte non eſt amicitiæ in proximum, licèt Deus ſecundùm ſe nihil vtilitatis accipiat; proximus autem rationabiliter ſic diligi maximè appetit.

Tertia ſententia vt tueatur in Deo amicitiam moralem, ait amorem Diuinum intrinſecè ſolum tendere in bonitatem creatam, licèt extrinſecè referatur in Deum, ſicque vltimo ſit propter Deum. Ita Pater Ripalda in opere de charitate. Addit Pater Hurtado diſput. 121. de charitate amari à Deo bonitatem creatam, ſimul propter ipſam, & propter Deum. Sed neutro modo fit ſatis Diuinæ perfectioni, quæ petit vnicè moueri ex bono infinito, ex diſput. 72. & vti eius honeſtati non ſufficit extrinſecè, & vltimo referri amorem Diuinum in Deum, ſi intrinſecè tangeret bonum indifferens, ita nec ſufficiet ſi bonum honeſtum, quod tangit, finitum ſit. 4

SECTIO II.

Propria ſententia.

EGo vt reſpondeam ſuppono primò honeſtatem ſpecialem virtutis non deſtrui, eo quod amatur quia conueniens ſuo vltimo fini, ſeu naturæ rationali: patet id, quia hæc conuenientia eſt prima regula moralitatis, quæ licèt fortè non debeat ſemper explicitè attingi, at ſaltem vt aliquod opus virtuoſum ſit, attingi debet ſecundùm eam rationem, quæ nata eſt comparari, vt conueniens cum natura rationali, ex quo à fortiori participabit honeſtatem virtutis ille, qui formaliter, & expreſsè mouetur ex tali conuenientia, tunc enim habebit eam virtutem ſpecialiſſimè, ſicut qui obedit ex motiuo expreſſo ſe conformandi cum voluntate ſuperioris. 5

Suppono ſecundò, id diſcrimen eſſe quando amo obiectum vt conueniens alteri, vel vt conueniens mihi, quod primum non ſtet, niſi amicum præamem in actu ſignato; vnde præcognoſcendus eſt amicus vt bonus virtuoſus, &c. alias nihil amabitur vt ipſi conueniens: Secundum autem id non requirat, nos enim amamus licèt iniquiſſimos, indignoſque amore, vnde & quin nos præamemus, ſimiliter diligemus vt nobis conuenientia. Ratio eſt, quia in actu exercito ipſe amor eo quod tendat in bonum, quia mihi conueniens, iam eſt amor mei: ſicut enim nemo poteſt velle obiectum, quia ſibi diſconueniens, & per ſe repugnat directo odio ſui: ita amor omnis eo ipſo quod reſpectum aliquem habeat ad me, iam eo ipſo eſt amor mei. 6

Suppono tertiò: Deo nullum eſſe bonum amabile, niſi quia honeſtum, id nullus inficiabitur; obiectum enim licèt aliàs bonum phyſicum, deſpicitur à Deo multò magis, quam à nobis deſpiciatur palea, etiamſi brutis gratus cibus ſit, honeſtum autem non concipitur à Deo, niſi expreſſa relatione facta ad vltimum finem, ſeu niſi expreſsè repræſentando illud vt conueniens ſibi tanquam primæ regulæ honeſtatis; iuxta diſp. præc. ſect. 2. in 2. arg. 7 *Quidquid Deus amat eſt honeſtum.*

Hinc

Deus exercet virtutes morales.

7 Hinc Deus exercet virtutem amicitiæ erga iuſtos, quia amat eos propter ipſorum bonitatem, vt conuenientem cum natura rationali, ſeu cum vltimo fine, neque ideo in tali bonitate, qua creata eſt, collocat Deus ſuum gaudium, vel prædicta bonitas pertinet ratione ſui præcisè ad beandum, vel felicitandum Deum; ſicut enim qui amat bonum vt conueniens amico, dum iſti æquè placeat, æquè contentus eſt, ſiue adſit bonum illud; ita dicendum Deum ſe ſolo æquè contentum eſſe, ac cum creaturis, ſi eas ſolum amat vt ſibi conuenientes.

SECTIO III.

Aliqua obiiciuntur, & ſoluuntur contra veram ſententiam.

8 OBiicies primò Ergo Deus exercet amicitiam erga peccatores, etenim amat eos propter eorum bonitatem, vt conuenientem naturæ rationali, ſiquidem & peccatores amat, dum eos vult exiſtere, nihil enim ſubſtantiale exiſtit niſi volente Deo, & aliunde velle non poteſt niſi propter motiuum honeſtum. Reſpondeo, Peccatores non habent bonitatem conuenientem, ſed potius diſconuenientem, & oppoſitionem cum natura rationali; vnde Deo odio ſunt impius, & impietas, nequitque Deus vt ipſis placeat aliquid vllo modo velle, ſicut vult complacentiam ſuorum amicorum, quia conueniens eſt naturæ rationali: Deus ergo quando vult exiſtentiam peccatoris, amat peccatorem, vt pharmacum curandæ ſaluti iuſtorum.

9 Obiicies ſecundò Deus amat obiectum Indifferens vt conueniens ſibi, Ergo ſi actus Diuini ſunt honeſti, quia ſic amant obiectum honeſtum, ita erunt indifferentes ab indifferentia obiecti. Reſpondeo obiectum indifferens non eſt conueniens naturæ rationali, vt tali, ſeu vltimo fini, vt regulæ honeſtatis, ideò enim dicitur indifferens, quia ſecundum ſe non habet conuenientiam, nec diſconuenientiam ad naturam rationalem, vt primam regulam honeſtatis, licèt poſſit habere conuenientiam Phyſicam mediatam verbi gratia. Herba eſt conueniens cibus cui, ouis autem homini iuſto, qui in ſe conueniens eſt naturæ rationali.

10 Obiicies tertio Amicitia noſtra moralis diſtinguitur à charitate, moueturque à bonitate creata amici, vt obiecto formali, licet illam amet vt conuenientem vel conformem vltimo naturæ rationali neque ideo dicor amare proximum propter Deum, eo quod amem bonitatem proximi vt conformem ſuo vltimo fini. Ergo ſimiliter amicitia, qua Deus amat iuſtos ob bonitatem ipſorum non dicetur eſſe propter Deum vt obiectum formale, quantumuis eam bonitatem amet vt conformem ſuo vltimo fini. Reſpondeo nego conſequentiam, eſt enim magnum diſcrimen hic valdè notandum, quando amo obiectum relate ad alteram perſonam, vel relate ad me; vt primum ſtare poſſit, quin amem obiectum vt formaliter conueniens alteri, quia ſcilicet hunc alterum nondum concipio vt bonum, & dignum amore ratione ſui; ſic amare poſſum imaginem vt conformem exemplari, quod malum eſt, & mihi diſplicens ratione ſui. At non ità euenit cum amo obiectum relate ad me. Cum enim ego mihi ratione mei bonus ſim, eo ipſo quod amem obiectum relatè ad me, ſeu quia aliquo modo ad me pertinet per modum conformitatis, hæc ipſa ratio eſt formaliſſima ratio conuenientiæ meæ, cum ſit conformitas cum bono meo, & conſequenter amor ipſe obiecti vt mihi conformis eſt amor mei. Cum ergò vltimus finis nobis extraneus ſit, ſeu à nobis diſtinctus, ſecus à Deo, ideo nos poſſumus amare bonitatem creatam, vt conformem vltimo fini, quin amemus formaliter, vt conuenientem Deo, ſeu quin talis conformitas appareat vt conuenientia formalis alicui bono ratione ſui, ſecus dicendum de Deo, qui eſt ipſe vltimus finis.

Obiicies quarto Amor, quo amamus Deum vt nobis conformem ſeu conuenientem, non eſt amicitia erga Deum, non enim eſt charitas, ſed ſpes: Ergo ſimiliter amor Diuinus non erit amicitia erga nos, ſi nos amat ſic vt conformes, & conuenientes ſibi. Reſpondeo, nego conſequentiam, quia Deus amat nos vt conuenientes ſibi quâ vltimò fini, & vt primæ regulæ ipſius amicitiæ honeſtæ moralis, ſecus quando nos amamus Deum nobis. Quare ſicut qui amat proximum propter eius bonitatem intrinſecam, quia iſta conformis eſt cum vltimo fine, non ideo deficit, imò proficit in ſtrictiſſimo conceptu amicitiæ moralis honeſtæ, ſecus dum amat proximum ſibi; Ita ſimiliter ſed de his plura dicam in tractatu de charitate. 11

DIPVTATIO LXXIV.

Vtrum Deus ſit neceſſitatus ad actus æquales, & optimos, & quomodo cum hac neceſſitate ſtet laudabilitas actuum diuinorum?

SECTIO I. *Senſus quæſtionis, & Authorum ſententiæ.*

SECTIO II. *Propria ſententia proponitur, & reſpondetur aduerſis.*

SECTIO III. *Quomodo ſtet laudabilitas actuum diuinorum cum neceſſitate ad æqualia.*

HÆc eſt ſecunda difficultas cuius ſolutionem petit argumentum ſextum pro ſententia negante eſſentiam Dei eſſe vnicum, & adæquatum motiuum diuinæ voluntatis de qua diſputatione 72. ſectione 1. §. 3.

SECTIO I.

Senſus quæſtionis, & Authorum ſententia.

NOn eſt quæſtio de entitatiua æqualitate, ſic enim quilibet actus liber eſt æquè perfectus 1 in Deo neque de optimo ex parte obiecti ſecundum ſe conſiderati, de quo late agitur in materia de Incarnatione, vbi ex eo quod Incarnatio ſit optimum

Senſus quæſtionis.

optimum obiectum quæritur an Deus teneatur ad incarnandum, noſque in hoc ſenſu aliquid dicemus in ſequenti de prouidentia & prædeſtinatione. Quæſtio ergo præſens eſt de optimo in genere moris, ita vt quilibet actus moralis Dei non poſſit non eſſe ſummè honeſtus, & laudabilis, & ſic Deus ſit neceſſitatus ad actus æquales.

2 *Sententia affirm.* Card. Lugo. Prima ſententia affirmat. Ita Cardinalis de Lugo diſput. 2. de Incarnatione ſect. 4. Mouetur primò ne Deo deficiat ſumma perfectio in genere moris, ſicut non deficit in genere Phyſico. Secundò Deus nequit elicere actum minus honeſtum alio. Ergo omnes ſunt honeſtiſſimi, & æquales. Conſequentia patet, ſi enim non omnes forent æquales, neceſſario vnus eſſet minus honeſtus quam alius. Antecedens probatur, Tum quia actus minus honeſtus imperfectus eſt moraliter, vt patet in nobis Deuſque foret imperfectus phyſicè, ſi non haberet omnem perfectionem poſſibilem phyſicè. Tum etiam gloriari poſſet creatura verbi gratia Beata virgo quod ipſa operabatur actum honeſtatis ſummæ ſibi poſſibilem, ſecus verò Deus. Tertio Dum creatura diligit ſummè Deum, non poteſt propter ipſum ſic dilectum non elicere actum honeſtiſſimum; Ergo nec Deus, ſiquidem ſummè ſe amat.

3 *Negant omnem perf.* *Recentiores.* Secunda ſententia ait actus liberos Dei formaliter, & vt tales nihil bonitatis moralis habere ratione ſui, ſed ſolum ab eſſentia quemadmodum nullam habent perfectionem phyſicam ratione ſui. Ita Recentiores. Mouentur quia Deo deficere nequit vlla perfectio moralis ſicut nec Phyſica: ſed actus liber, vt liber eſt defectibilis Deo: Ergo nequit ratione ſui dicere vllam fperectionem moralem.

4 *Negant æqual.* Herice. Bernal Arriaga. Ripald. Tertia ſententia ait bonitatem quidem moralem ineſſe actibus liberis Dei, ſed inæqualem, vnde negat Deum eſſe neceſſitatum ad actum optimum & honeſtiſſimum. Ita Herice hic diſp. 20. §. 31. Arriaga diſput. 26. Bernal diſput. 3. de incarnatione à num. 12. Ripalda tom. 2. de ſupernaturalitate diſput. 74. ſect. 3. Mouentur primò, quia perfectiones neceſſariæ & Phyſicæ ſunt inæquales ſic vnum attributum eſt perfectius formaliter alio, eſſentia perfectior attributis, intellectio nolitione *&c.* Ergo ſimiliter perfectiones liberæ, & morales poterunt inæquales eſſe. Secundo actus morales Dei ſumunt perfectionem in ordine ab obiectum, ideò ſi Deus vellet mendacium peccaret, actuſque Diuini diuerſæ honeſtatis ſunt, quibus obiecta diuerſa reſpiciunt; ſed poteſt Deus amare obiecta inæqualis honeſtatis, Ergo & habere actus inæqualiter honeſtos, ſeu non honeſtiſſimos, & optimos. Tertio maximè probatur hæc ſententia, quia alias Deus nullius laudis moralis dignus foret in ſuis actibus, laus enim non datur neceſſitato ad faciendum, & operanti minimum, quod poteſt: ſed ſi Deus non poſſet non elicere actum æquè honeſtum, & optimum, iam quoad hoc eſſet neceſſitatus, operanſque optimum operaretur minimum, quod poteſt. Ergo non foret laude dignus, cum tamen de Deo meritiſſimè dicatur laudandus, quia maior omni laude, nec laudare ſufficis.

* * *

SECTIO II.

Propria ſententia proponitur, & aduerſis reſpondetur.

Sentio cum prima ſententia Deum eſſe neceſſitatum ad actum honeſtiſſimum, & optimum. Probatur primò Deus per quemlibet actum liberum exercet omnes virtutes in ſummo gradu: Ergo quilibet actus Diuinus eſt optimus. Conſequentia patet. Antecedens probatur; nam volitio Diuina neceſſaria eſt amor omnis volibilis honeſte, & ex omni motiuo honeſto, eo ſolum non reddens & denominans in concreto Deum ſic libere volentem ratione ſui quia nondum connotat, ſeu accedit ipſi exercitium liberum, & contingens; etenim Deo neceſſario ineſt quidquid poſſibile eſt ipſi in linea volendi, quin in hoc pati poſſit variationem; & quantumuis libertas ſit in concreto adæquatè intrinſeca Deo, idem ſentiendum eſt; Vnde conſequenter per actum liberum nihil accedit Deo, quo obiecta honeſtiora, vel honeſtius amet, niſi purum exercitium phyſicum libertatis. Tum ſic; ſed æquè per quemlibet actum liberum formaliter vt talem æquè Deus exercet omnes virtutes in ſummo gradu. Confirmatur perfectio honeſtatis formaliſſimè eſt in linea volendi; ſed Deus ſemper habet actum in ſummo gradu volendi, quin poſſit in illo creſcere. Ergo neque in honeſtate. 5 *Deus neceſſitatus eſt ad actum honeſtiſſimũ*

Hinc probatur ſecundò nullum actum liberum Dei poſſe eſſe minus perfectum moraliter, quam alium. Actus liber Diuinus vt talis non differt ab alio niſi penes connexionem, vel nexum cum externo; id patet tum quia ad libertatem Dei ſufficit quod detur contingentia quoad hãc connexionem: Tum etiam quia quidquid eſt volitionis, & affectus formaliter ſatis communicatur terminationi liberæ per identitatem, cum volitione neceſſaria, ſicut ſatis communicatur cuilibet perſonalitati eſſe Deum per identitatem cum deitate. Ergo non eſt opus vt terminatio libera addat aliquid in linea affectus. Tum ſic ſed volitio libera non eſt minus perfecta eo quod careat effectu, ſeu connexione cum effectu dum æqualis ſit quoad affectum; ſic volitio elargiendi eleemoſynam poteſt eſſe æquè perfecta in paupere, ac in Diuite. Ergo nullus actus liber Dei eſt minus perfectus, quam alius, & conſequenter omnis eſt optimus. 6 *Omnes actus diuini ſunt æquales.*

Probatur tertio nequit realiter & abſolutè negari de Deo ſumma perfectio moralis, ſed ſi non eſſet neceſſitatus ad optimum actum moralem poſſet negari; Ergo neceſſitatus eſt; conſequentia patet. Maior probatur; tum à paritate perfectionis phyſicæ, quæ licet negetur in gradu ſummo de alia verbi gratia de volitione ſumma perfectio intellectionis, non tamen negatur de Deo; imo de volitione non negatur realiter æqualis perfectio intellectionis, ſed ſolum ſecundum quid, & virtualiter. Tum etiam, quia Deus debet eſſe ſummè perfectus. Ergo debet habere omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, talis autem eſt ſumma perfectio moralis quis enim neget melius eſſe illam habere quã non habere. Iam minor quod ſcilicet ſumma perfectio negaretur realiter de Deo, ſi non foret neceſſitatus ad optimum actum liberum, patet; Nam verbi gratia velle producere alium mundum perfectiorem realiter & abſolutè negatur de Deo. 7

Hinc

8 Hinc patet veram eſſe primam ſententiam. Secunda etiam vera eſt ſi probè intelligatur iuxta dicta §.5. Tertia tamen eſt omninò falſa vt mirer alicui placuiſſe dicere de Deo, quod poſſint ipſi honeſtiora ſuaderi, conſiliumque dari, vt honeſtius operetur, vti contingeret, ſi aliquando operaretur minus honeſte. Ad primum reſpondeo eſſe manifeſtum diſcrimen inter perfectiones liberas, & neceſſarias, vt hæ poſſint eſſe inæquales, ſecus liberæ; nam non ideò deficiet Deo ſumma perfectio cum indefectibilis ſit vt pote neceſſaria, cum autem liberum, vt liberum poſſit deficere ſi aliqua perfectio libera eſſet maior, iam Deo poſſet deficere realiter maior perfectio. Vnde potius arguo vt ſicut nequit dici realiter de Deo, quod non ſit ipſe ſumme perfectus phyſicè, ita nec moraliter. Ad ſecundum concedo actus Diuinos perfectionem ſumere per connotationem ad obiectum perfectius *perfectius*, inquam amatum, ſed non productum: effici enim per accidens eſt ad virtutem, quæ in affectu conſiſtit; iam verò ex §. 5. nequit Deus honeſtiora, nec honeſtius amare, quam de facto amat. Tertium argumentum exponetur in ſectione ſequenti.

SECTIO III.

Quomodo ſtet laudabilitas actuum Diuinorum cum neceſſitate ad æqualia?

9 *Vrgetur amplius ratio dubitandi.* RAtio dubitandi poſita eſt in tertio argumento pro tertia ſententia, quam vlterius vrgeo primo à paritate tum neceſſitatis ad actus æquè turpes, quæ omnem vituperabilitatem tollit; tum neceſſitatis ad conferendum vnum argenteum vagè Petro Pauperi ex pluribus argenteis omnino æqualibus, in quo caſu Petrus non æſtimabit largitorem. Tum denique neceſſitatis vagè ad diſtinctos actus in indiuiduo, nihil enim meretur, qui eligit *A* præ *B*. ſecundo maximè vrgeo. Deus non eſt moraliter laudabilis eo quod non peccet: Ergo neque eo quod non omittat actum optimum: in hac enim ſententia Deus peccaret ſi omitteret optimum, ſiquidem imperfectè ageret. Ergo Deus non eſt laudabilis eo quod faciat actum optimum. Conſequentia hæc patet, quia non omittere actum eſt formaliſſime facere actum. Dices ſed non tenetur Deus ad optimum *A*. Contra nec tenetur Deus ad non peccandum per *A*, nihilominus ſimpliciter non laudatur eo quod non peccet; Ille enim laudatur moraliter, qui potuit transgredi & non eſt transgreſſus. Quis laudabit ſubſtantiam impeccabilem laudabilitate digna præmio, eo quod non peccet.

10 *Deus laudabilis eſt in exercitio virtutum in ſpecie ſumptarum.* De hac quæſtione agitur in tractatu de merito. In quo quæritur communiter, obſtetnè laudabilitati Dignæ præmio neceſſitas ad actus æquales, Quidquid tamen de nobis ſit; Dico primò Deus ſimpliciter, & abſolutè laudabilis eſt ſic moraliter, dum miſeretur verbi gratia, laudabilis inquam in linea miſericordiæ probatur, quia in ea linea non eſt neceſſitas ad æqualia, licèt enim etiamſi eligens oppoſitum operaretur æquè honeſte, quia ſcilicet informaretur etiam omni virtute, non tamen operaretur æqualiter intra lineam miſericordiæ, ſi puniret, cùm exercitium miſerendi præ punitione compleat miſericordiam. Ergo in linea miſericordiæ ſic completæ erit laudabilis, quia vult miſereri, potens nolle. Patet conſequentia. Nam licèt quis ſit neceſſitatus ad dandum argenteum Petro, vel Paulo æquè Pauperi, tamen laudabilis eſt à Petro, dignuſque præmio ab ipſo cui dat: Ergo ſimiliter Deus quaſi laudabilis eſt à virtute miſericordiæ eo quod ipſius potius, quam alterius ſequatur honeſtatem.

11 *Et etiam in genere.* Dico ſecundo loquendo non ſolum de ſpecie determinata verbi gratia, Miſericordiæ, ſed in genere de honeſtate, Deus ſpecialiter laudabilis eſt, eo quod faciat actum tantæ honeſtatis, ſeu honeſtatis ſummæ, quidquid ſit de nobis neceſſitatis ad æqualia. Ratio & diſcrimen eſt: quia Deus quando elicit actum, quo vult miſericordiam, eo ipſo vult obiectum melius ſuo oppoſito, & quod iuxta omnes præponderat ſuo contradictorio hic & nunc nulli enim eſt honeſte amabilis pro nunc ſaltem efficaciter carentia miſericordiæ: Sed laudabilitati actus ſufficit eius obiectum præponderare contradictorio hic & nunc. Ergo Deus hic & nunc laudabilis eſt ſic moraliter ratione talis actus ſummè honeſti. Conſequentia patet, & maior, quia illud obiectum eſt pro nunc conformius voluntati Diuinæ, cuius conformitas præferenda eſt omni alteri bono; ſic melior eſt obedientia, quam victima. Minor probatur ex humanis vbi ideò neceſſitas ad æqualia impedit laudem præmij, quia amat obiectum æquè bonum ac eius oppoſitum. Confirmatur, neceſſitas conſequens, quam voluntas facit non obſtat libertati, ſed in Deo neceſſitas vt actus ſit optimus eſt conſequens, & non pro priori, actus enim Dei debet eſſe optimus non quia poteſt elici, ſed quia actu elicitur à voluntate Diuina, ex quo habet tendere in obiectum maximè conforme Deo informatique à volitione neceſſaria ſummè honeſta, quam honeſtatem nondum habet actus, dum non ſit actualiter à voluntate. Ergo neceſſitas ad optimum in Deo non obſtat laudabilitati. *Æqualitas diuinorum actuum eſt æqualitas ex ſuppoſitione quod eliciatur: quæ non obeſt laudi:*

12 *Laudabilitas Diuinorum actuum non prouenit ex obiecto, ſed modo tendendi in illud.* Ad rationem dubitandi reſpondeo neceſſitatem hanc Dei ad æqualia non eſſe ex obiecto ſecundum ſe; in hoc enim datur inæqualitas ſaltem ſpecificè vt conſtat ex prima concluſione, æqualitas ergo venit ab ipſo modo tendendi actus Diuini, ſeu à conditione ſubiecti operantis ſemper ex ſummo affectu ad omnes virtutes, æqualitas autem, quæ venit à conditione actus, vel ſubiecti operantis *non requiritur* vt pariat laudem quod ſit euitabilis, ſic dignitas Chriſti, licet neceſſaria non obſtat merito, nec excellentia ſpecialis ſupernaturalitatis in eo, qui eſſet neceſſitatus ad eliciendos actus ſemper ſupernaturales, cui tota excellentia ſupernaturalis imputaretur, eo ipſo quod obiecta vt condiſtincta ab actu forent inæqualia, quantumuis per ipſum actum æqualia redderentur.

13 Alia argumenta quæ ponuntur pro tertia ſententia in §.9. Leuioris ponderis, & efficaciæ ſunt ad primum ex neceſſitate ad actus æque turpes eſt diſcrimen quia peccatum imbibit obligationem omittendi (bonitas autem non menſuratur per obligationem) implicat autem obligatio omittendi hic, nam cum aliter omitti nequeat vnum, quam faciendo aliud, eſſet obligatio faciendo aliud turpe quod implicat. Ad ſecundum largitionis Argenti. *A*. præ *B*. Reſpondeo: menſura hic eſt vtilitas, quæ nulla eſt in *A*. Ad tertium ex neceſſitate vaga in nobis dedi diſcrimen §.11. Ad quartũ ex neceſſitate Dei ne peccet eſt diſcrimen quia in ipſis obiectis malis omnino antecedenter ad exercitium Dei datur neceſſitas ſi loquamur in genere, in indiuiduo autem etiam eſt Deus laudabilis per hunc actum,

actum, quo excludit peccatum. Addo denique à me non intendi quod in genere Deus ſit laudabilis eo quod non facit actum minorem optimo.

DIPVTATIO LXXV.

De voluntate conditionata, & diſiunctiua.

SECTIO I. *An dentur in Deo decreta conditionata Authorum ſententiæ.*

SECTIO II. *Propria ſententia.*

SECTIO III. *Argumentis oppoſitis ſatisfit.*

SECTIO IV. *De decretis diſiunctiuis iudicia Theologorum.*

SECTIO V. *Proprium iudicium de decretis diſiunctiuis.*

SECTIO VI. *Satisfit oppoſitis argumentis pro decretis diſiunctiuis.*

HÆ duæ difficultates maioris controuerſiæ ſunt, & huius tractatus propriæ, ideò eas hic agitari placuit omiſſis aliis differentiis, variiſque modis tendendi Diuinarum volitionum, quia vel alio ſpectant, vel ſatis exponentur in ſequenti indice ad quæſtiones S. Thomæ.

SECTIO I.

An dentur in Deo decreta conditionata Authorum ſententiæ.

1 *Dari circa omnia vt ſint cognoſcibilia cenſent* Thomiſtæ.

QVæſtio eſt de decretis conditionatis ex parte obiecti abſolutè autem & actu exiſtentibus in ſubiecto vt explicui diſput. 52. ſect. 1. & qu. 14. de ſcientia à §. 130. in qua prima ſententia affirmat talia decreta dari in Deo vniuerſaliter circa omnia volibilia conditionatè futura, ita vt nullam veritatem conditionatam cognoſcat Deus circa quam iam non habeat actu volitionem ſicut, & ſcientiam de futuritione ſub tali conditione, ſeu conditionata. Ita iam omnes Thomiſtæ Recentiores quos retuli quæſt. 14. art. 13. dub. 16. Mouentur quia alias nequit habere Deus firmum fundamentum, quo certo cognoſcat quid eueniet in ſtatu conditionato, niſi iam habeat decretum prædeterminans in quo euentus hos cognoſcat. Vide diſput. 52. per totam.

2 *Omnino implicare tenēt* Alarcon. Henriquez. Vaſquez. Molina. Mendoza.

Secunda ſententia è diametro oppoſita putat omnino impoſſibilia talia decreta, vt implicet Deum vnquam aliquid velle niſi per voluntatem abſolutam tam ex parte ſubiecti, quam ex parte obiecti, Ita latè tuetur Alarcon, diſput. 5. de voluntate, cap. 8. num. 6. referens Henriquez, tom. 1. lib. de vlt. fine hom. cap. 4. num. 2. & 3. Vaſquez 1. part. d. 67. cap. 4. num. 21. & d. 83. cap. 4. n. 21. & primâ ſecundæ d. 42. cap. 3. & 4. Molin. 1. part. quæſt. 14. art. 13. d. 15. 17. & 18. Mendoza Auguſtinian. Quodlib. quæſt. 7. Schol. quæſt. 5. concluſ. 5. num. 13. Mouetur ſpecialiter in Deo. Primò, quia nequit Deus habere hæc decreta conditionaliter tendentia circa ea obiecta quæ abſolutè vult, vt quid enim duplicato decernet idem obiectum, & quaſi immaturè, & anticipato decernet, quæ poſtea ſpectans omnes circumſtantias abſolutè decernere poteſt, neque ipſa abſolutè decreturus eſt? Tunc ſic, ſed neque Deus poteſt decernere conditionaliter, ea quæ nunquam erunt, quia ſcilicet nunquam ponetur conditio; nam circa hæc tandem admittenda eſt noua volitio abſoluta etiam ex parte obiecti, quando ponatur conditio, dum enim Dei voluntas ſic affecta eſt vt dicat: *Volo dare gloriam Iudæ, ſi decedat in gratia.* Si poneretur conditio deceſsûs in gratia, iam abſolutè diceret, *volo gloriam*, non quidem per voluntatem antiquam conditionatam, nam affectus conditionaliter tendens, licèt poſita conditione tranſeat in abſolutum *effectiuè*, non tamen *affectiuè*, ſed ſemper ipſe remanet cum ſuo modo tendendi conditionato; vti ſcientia media ſemper conditionaliter tendit quantumuis exiſtat conditio. Iam verò talis volitio abſoluta, quæ erit poſita conditione ſufficiens eſt ad exiſtentiam gloriæ: ſuperfluè ergo & inutiliter Deus iam hic otiosè formabit decreta conditionata.

Quia inutilia.

Secundò mouentur hinc, quia quidquid teſtimonia Scripturæ, & Patrum dicunt pro voluntate conditionata ex parte obiecti ſatis intelligi poteſt, dum futura ſit volitio in hypotheſi, ſitque conditionata ex parte ſubiecti, quin actu in Deo exiſtat: Eo ſcil. quod volitio foret, licèt hic, & nunc non ſit. Sic pacta, promiſſiones, affectus, quibus Deus dicitur velle gloriam, verbi gratia, ſi decedant iuſti in gratia, non eſt opus vt de præſenti ponant vllam volitionem efficacem in Deo circa gloriam, ſed ſolam ſimplicem complacentiam in gloriam, ita tamen perſecutiuam illius, vt & cogat de præſenti ad ponenda auxilia ſufficientia ad deceſſum in gratia, & commutanda eſſet in aliam efficacem de gloria, vbi adſtaret deceſſus in gratia. Hoc aſſumptum patet tum quia iam verè, & benè faciet Deus ea pacta, & promiſſiones dum affectus, & volitio huius genij, & naturæ iam explicatæ inueniantur in ipſo. Tum etiam quia nemo non horrebit admittere de præſenti decretum quo Deus dicat, *Volo damnare Beatam Virginem ſi dedecedat in mortali*, & tamen certum eſt, quod etiam Beatiſſima Virgo cadat ſub pactum illud vniuerſale damnandi omnes decedentes in mortali.

3 *Quia ad veritatem promiſſionum non neceſſaria.*

4 *Quia impoſſibilia.*

Tertiò, quia Deus nequit amare conditionaliter obiectum impoſſibile: verbi gratia, *Si chimera decedat in gratia volo eam ſaluare: ſi exiſtat volo eam prædeſtinare.* At hic, & nunc omnia obiecta purè conditionata ſunt impoſſibilia. Nam hic, & nunc vel Deus habet decretum de non exiſtentia conditionis, vt quando non vult producere Petrum poſſibilem, qui ſaluandus eſſet, ſi produceretur; vel habet ſcientiam de carentia conditionis, qualem habet de carentiâ pœnitentiæ Iudæ, quæ pœnitentia ſi daretur, ei danda eſſet gloria. Iam verò ex ſuppoſitione decreti efficacis, vel ſcientiæ Diuinæ de carentia conditionis impoſſibile eſt quod conditionatum exiſtat non minus, quam ſaluatio chymæræ. Confirmatur nam ſaltem imprudens eſt volitio conditionata actu concepta ſub conditione impoſſibili, impoſſibili inquam, licèt non ſimpliciter, ſaltem ex ſuppoſitione; vt ſi quis videns Petrum ſedere dicat: *Dabo tibi baculum, ſi nunquam ſederis:* vel ſimul ipſe volens, & decernens ſtare dicat: *Dabo tibi baculum, ſi ego non ſtem:* Ergo à fortiori erit imprudens decretum conditionaliter tendens in Deo, cuius ſcientia eſt certiſſima,

certiſſima, & efficaciſſimum decretum de non poſitione conditionis.

5 *Ex conceptu libertatis.*

Quartò ſpecialiter mouentur eo quod in Deo nequeat admitti nouum decretum liberum ſine aliqua mutatione ad extra, licèt enim libertas *contingentiæ* nullum connotatum abſolutè exiſtens requirat, vt patet in ſcientia media; at libertas *electionis* qualis inuenitur in decretis conditionalibus Dei, quæ libera ſunt *electiue*, (vt docent communiter Authores in voluntate, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri) ſtare nequit, quin actu, & abſolutè detur mutatio in rebus, vt explicui diſputatione 63. ſect. 2. Tunc ſic ſed pro his decretis conditionalibus nullum eſt connotatum ad extra, vt pateret, ſi Deus nihil ad extra produxiſſet, in quo caſu adhuc Deus haberet tale decretum. *Volo incarnare ſi Adam creetur, & peccet.* Præterea etiam modo; ſi enim aliquod connotatum extrinſecum concurreret maxime Reuelatio, vel promiſſio, hæ autem inſufficientes ſunt; nam ſtare poteſt, quod Deus reuelet, ſeu promittat gloriam ſub conditione deceſſus in gratia; & tamen actu non eſſe in Deo talem voluntatem, eo ipſo enim quod talis volitio futura ſit ſub illa hypotheſi, licèt iam actu non detur, vera eſſet reuelatio, & promiſſio præſens. Ergo in Deo nequit admitti decretum tendens conditionaliter; hoc enim cum nil ponat in eſſe ſtare poteſt ſine vllo connotato extrinſeco, maxime quod proportionatum ſit.

6 *Ex implicantia voluntatis conditionaliter tendentis.*

Quinto generaliter ne admittatur in voluntate quantumuis creatâ vllum decretum conditionatum arguit P. Vaſquez ſupra. Nequit voluntas actu velle, niſi quod proponitur vt actu bonum; hoc eſt, nequit actu velle rem *ſub conditione quod ſit bona.* Ergo nec velle actu conditionaliter ſic *Volo gloriam Iudæ ſi decedat in gratia.* Antecedens patet nam intellectus nequit actu cognoſcere, niſi quod actu ipſi apparet ſub ratione veri. Oculus niſi colorem actu. Ergo nec voluntas poterit actu amare, niſi quod actu ipſi *vt bonum* apparet, eo ſolum quod apparere poſſit, ſeu appareret vt bonum, & ratio eſt quia pro hoc bono ſufficit volitio, quæ foret, ſi quidem tunc foret obiectum formale voluntatis quale *eſt bonum*. Vnde ſicut nequit voluntas rendere actu quando ſolum hypothetice eſt eius obiectum, vti actu non eſt *cognitum* ſed foret, ita nec rendere actu in obiectum, quod ſolum hypothetice bonum eſt. Iam conſequentia probatur; Nam gloria (hic & nunc reſpectu Dei non aliter eam decreturi niſi vt coronam) Deo non eſt bona niſi ſub conditione, & vt coniuncta cum bona morte, quæ conſtituit gloriam in eſſe bonæ, & conuenientis Deo, ergo velle ſub ea conditione eſt velle, ſi ſit bona. Ergo ſicut hoc implicat, etiam & illud. Confirmatur non poſſum in ſummo caloris æſtu dicere: *Volo calorem ſi mihi eſſet conueniens*: ſed *vellem*, ſi eſſet conueniens, ſi ſcilicet eſſem frigidus hiemis tempore. At gloria reprobo non eſt actu conueniens Deo, non eſt actu bona, ſolum enim eſt bona vt coniuncta cum perſeuerantia, ſicut ſolum eſt bonus calor frigido. Ergo non eſt actu amabilis à Deo, niſi quando Deus inueniatur in hypotheſi perſeuerantiæ Iudæ; vti ſolum amatur calor ab eo, qui eſt in circunſtantia frigoris.

7 *Quia nequit dicere ly ſi.*

Sexto denique argui poteſt. Quia ſi voluntas actu poſſet tendere in bonum conditionatum maxime per affectum, ſeu actum ſic tendentem: *Volo gloriam ſi Iudas decedat in gratia.* At hic actus non eſt voluntatis, ſed intellectus tum quia huic ſoli pertinet explicare, & quaſi dicere & proponere ly *ſi* Iudas, *&c.* Quæ videtur eſſe quædam ſimplex locutio; Tum etiam quia voluntas conditionem illam *ſi Iudas*, &c. Nec odit, nec amat, nec ſibi eam proponit ſub aliqua ratione *boni* voluntas autem nullum actum habet qui non ſit amoris, vel odij. Huic ſententiæ acceſſit Author quidem Anonymus libro de ordine cap. 21. P. Granad. diſp. 2. de volunt. Dei.

Iam tertia ſententia inter vtramque præcedentem media tuetur in Deo poſſibilia pluraque de facto dari decreta conditionalia ex parte obiecti, quæ ſcilicet includuntur in promiſſionibus, pactis, & comminationibus, aliiſque affectibus diuinis, qui pertinent ad regimen vniuerſi quale eſt decretum quod includitur in voluntate generali, qua Deus vult omnes homines etiam præſcitos ſaluare, Addit tamen hæc ſententia non eſſe Deo neceſſaria decreta hæc circa conditionata omnia; Imo nec dari de facto circa plurimas complexiones pure conditionatas, quæ excogitari poſſunt non pertinentes vllo modo ad regimen huius vniuerſi; quas iam actu velle de præſenti etiam conditionatè inutile putat otioſum, & ſtultum, quare omnino negandum Deo. Ita Suarez tom. 1. Prolegom. 2. de Gratia cap. 8. Arrubal. 1. part. diſp. 45. cap. 4. Ruiz latiſſimè diſputat. 71. de ſcient. ſect. 5. & ſequent. Martinon diſput. 14. de Deo ſect. 9. num. 83. Prima pars huius ſententiæ maxime probatur ex voluntate, quæ actu & proprie datur in Deo, etiam circa reprobos, vt & ipſi ſalutem conſequantur, de qua plura in ſequenti Indice ad quæſt. S. Thomæ quæſt. 19. art. 6. dub. 6. Hæc enim circa ſalutem non poteſt eſſe abſoluta, cum in reprobis non impleatur, aliunde neque eſt inefficax ſiquidem de ſalute cogeret Deum ad dandam ſalutem, ſi ponerentur merita eſt ergo conditionata. De ſecunda parte, nempe non dari in Deo decreta pure conditionalia præcipua controuerſia eſt hic, quam probat hæc tertia ſententia.

8 *Aliqua affirmant, & alia negant.* Suarez. Arrubal. Ruiz. Martinon.

9

Primo quia tale decretum eſſet inutile indignumque homine prudente. *Volo ſi creem alium mundum quod habeat grandiores muſcas. Si Petrus poſſibilis petat nuces eas illi dare.* Iſta enim ſic decernere, & iam apud ſe gubernare puerile, & ſtultum videtur, & hominis otioſi. Secundo Deo tolleretur libertas in decretis abſolutis, nam ſi Deus prius, quam concipiat decretum abſolutum, iam apud ſe efficaciter decreuit. *Volo incarnare ſi Adam peccauerit* volitio abſoluta incarnandi poſita tali conditione ſequetur neceſſario. Nec valet ſi dicas Deum non procedere conditionaliter circa ea quæ abſolute decreturus eſt; tum quia ſaltem decretum de incarnatione Spiritus ſancti caſu, quo daretur alius mundus, neceſſarium erit, ſiquidem iam ponis in Deo tale decretum: *Volo incarnationem Spiritus ſancti ſi detur alius mundus*, Deinde etiam nunc pro priori ad ſcientiam de Adamo propoſitum fuit Deo vt conueniens incarnare, cognouitque per ſcientiam conditionatam An incarnaturus eſſet. Ergo iam voluit vt haberet certam ſcientiam de hac veritate incarnare, ex quo peſſum ibit libertas decreti abſoluti. Vide quæ dixi diſput. 52. ſect. 5.

10

Tertio quia Deus à ſe reiicit conditionem efficaciter, item ex ſe abſolute efficaciter decernit quod non exiſtat incarnatio Spiritus ſancti, neque alius mundus ſub quo futura eſt, fruſtra autem ſtatuit quis

quis conditionati futuritionem ſub conditione, quam ipſe ex ſe reijcit, ſiquidem talis volitio nullius effectus, neque vtilitatis eſt. Vti voluntas conditionata ſaluandi omnes ſi perſeuerauerint; hæc enim bene vtilis eſt quia oſtentat animum, & propenſionem Dei ex ſe in omnium ſalutem. At: *Volo incarnationem Spiritus-ſancti ſi creem alium mundum.* Ad quid vtile eſt ſiquidem Deus abſolutè alium mundum non vult? Quartò è contra inutile eſt decretum conditionatum de re quam decernit abſolutè, verbi gratia, vt dicat Deus: *Volo creationem Michaëlis ſi producam mundum*: Vt quid enim hac ambage vtetur cum breui compendio per decretum abſolutum poſſit vtrumque determinare? Iam verò ſi ſemel Deus circa omnem veritatem conditionatam vtitur conditionato decreto etiam eo vtetur pro priori ad decretum abſolutum ne pro illo priori ad decretum abſolutum ne pro illo priori maneat ſuſpenſus, vel ignorans euentum conditionatum: vt dixi §. 9. fine. Cui ſententiæ vt probabiliori adſtipulatur. P. Arriaga d. 25. de voluntate §. 15.

SECTIO II.

Propria ſententia proponitur, & explicatur, Varijs concluſionibus.

11 *Dantur in Deo decreta conditionata ex parte obiecti.* Dico primò dantur in Deo de facto decreta conditionata ex parte obiecti. Probatur datur in Deo affectus, ex vi cuius Deus eſt modo de præſenti determinatus iam ad ponendum aliquem effectum, non *abſolutè*, ſed ſub aliqua conditione. Id patet in voluntate ſaluandi Iudam, ſi perſeueraret in gratia, patet etiam in aliis affectibus ſimilibus, quibus Deus ſe oſtendit propenſum in conditionatum, vt ſic nos moueat in poſitionem conditionis: & quidem ſic contingit in humanis in pactis, & promiſſionibus conditionatis, quas licèt poſſimus facere nil actu volentes de re promiſſa, at communiter, iam hinc in illam nos propenſos oſtendimus vt ſic alios ad conditionem excitemus, in quo volendi modo nil imperfectionis apparet. Sed de hoc fruſtra plura dicam cum ab aduerſariis admittatur vt conſtat ex §. 3. neque vllus negare poterit actu in voluntate Dei peculiarem inueniri affectum circa ſalutem Iudæ, ex vi cuius diſpoſitionis, & affectûs, quo afficitur Deus iam determinatus ſit ad dandam gloriam, vel per eam volitionem, vel per aliam ſi præuideat deceſſum in gratia.

12 Tunc ſic, ſed talis voluntas eſt conditionata. Huius enim nomine ſolum intelligimus volitionem, vi cuius volens eſt de præſentis ſic determinatus ad obiectum; etenim eo ipſo iam Deus habet, verbi gratia, circa ſalutem Iudæ aliquam inclinationem, ſeu connexionem, non innatam cum ſit libera: Ergo *elicitam.* Non item abſolutam: Ergo *conditionatam*: appetitus autem elicitus conditionatus nil aliud formaliter eſt, quam volitio conditionata. Præterea talis voluntas cogit Deum ad ponenda auxilia ex fine ſalutis tanquam media, per quæ Deus conſequatur gloriam Iudæ: Ergo illa vult ſalutem ſi Iuda reſpondeat auxiliis; non enim ſerio petit quis aliquam diligentiam ab aliquo ex fine adhibendi poſtea præmium, verbi gratia, niſi iam habeat animum ponendi præmium, ſi alius diligens ſit in ponendis meritis: Ergo in Deo admittendus eſt animus, ſeu propenſio elicita, & volitio de præſenti ponendi gloriam ſub conditione meritorum.

13 *Vniuerſaliter circa omnia.* Dico ſecundò, dantur in Deo circa quamcumque rem, quam ipſe voliturus eſt ſub aliqua hypotheſi decreta conditionata ex parte obiecti, etiam ſi nil ſpectent ad regimen huius vniuerſi, verbi gratia, iam nunc decernit quid facturus eſſet, ſi produceret alium mundum. Probatur: Deus dum ſibi proponit quid ipſe facturus, & voliturus ſit ſub hac hypotheſi non ſe habet purè omiſſiuè circa volitionem tunc futuram, vt patet, cum Deo pura omiſſio repugnet; Rurſus nec habet decretum, quo dicat: *Nolo modo determinare aliquid de eo quod tunc ſim facturus, vel voliturus*: tum quia ſi tale decretum habet ſine imperfectione cur non, & directum habebit, tum etiam quia nequit Deus directè à ſe reiicere aliquod decretum ſibi poſſibile, hoc enim eſſet reijcere bonum in quo nil mali apparet, quale eſt decretum illud: vt in ſimili dixi negans Deo libertatem directam contradictionis ſupra diſput. 67. §. 25. tum denique quia eſt contra perfectionem voluntarij manere ſic ſuſpenſum, ſolumque indirectè, non autem directè determinare actum bonum qualis eſt volitio de incarnatione Spiritus-ſancti futura, vel non futura ſub hypotheſi creationis alterius mundi: Ergo Deus non poteſt non iam hinc de præſenti determinare voluntariè Incarnationem futuram, vel non futuram Spiritus-ſancti ſub hypotheſi.

14 Probatur ſecundò eadem concluſio à priori nam ad perfectionem voluntatis ſpectat quod nil honeſtum etiam finitum neceſſarium ſit, quod ipſi non placeat vt dixi diſput. 65. Ergo & quod nil tranſeat à poſſibilitate in exiſtentiam contingentem, quin ipſi placeat efficaciter (ſi vt ſic amabile ſit quod addo propter conditionatum liberum cauſæ ſecundæ repugnans omni prædeterminationi, ſiue abſolutæ, ſiue conditionatæ.) At futuritio Incarnationis Spiritus ſancti ſub ea hypotheſi tranſit in exiſtentiam, nec manet purè poſſibilis: Ergo iam amatur, ideoque vt directè volenti imputanda eſt. Confirmatur, ex parte ipſius infinitæ libertatis Diuinæ, ad quam etiam ſpectat quod circa quodcumque obiectum ſe exerceat directè, & electiuè dum ab ipſo ſolo pendet; hinc nequit Deus manere indeterminatus ab æterno, & quaſi remittens vltimam reſolutionem, & determinationem ſui actus ad tempus, in quo de nouo habeat volitionem, quam non præhabuerit ab æterno: Ergo nec poteſt ſic ſe habere circa obiectum futurum ſub conditione. Sed iam vnico actu, & exercitio adæquato ſuę libertatis liberè determinabit tam quæ *abſolutè*, quam quæ *conditionatè* facturus eſt, vti determinat iam tam quæ de præſenti, quam de futuro eſt operaturus.

15 *Non dantur decreta conditionata ex parte ſubiecti.* Dico tertiò (quæ noua probatio eſt concluſionis præcedentis) nequit Deus habere decreta vlla conditionata ex parte ſubiecti; hoc eſt nequit Deus iam actu non habere omnia decreta, quæ in aliqua hypotheſi habiturus eſt, licèt careat pluribus (eâ ratione, qua iuxta ſententiam explicantem actus liberos adæquatè intrinſecos per formalitates virtualiter defectibiles, ea carentia poteſt contingere) purè poſſibilibus, quorum nempe decreta contradictoria habet; vt dixi diſput. 52. §. 31. Ratio huius eſt, quia exercitium libertatis Diuinæ debet poni quantæ extenſionis poſſit ſine

offenſione

offenſio[illegible] diuini Dominij, & perfectionis. Ergo determinans, iam omnia futura tam abſoluta, quam conditionata. Sed poſita hac ſic extenſa, & illimitata volitione diuina, opus non eſt quod ipſi adueniat in aliqua hypotheſi nouæ volitionis actus quo poſita creatione alterius mundi v. g. dicat; *Volo incarnationem Spiritus ſancti*. Sed ipſa volitio quæ conditionare nunc procedit. *Volo incarnationem ſi creem alium mundum*, per ſolam concomitantiam volitionis creandi, cum qua identificatur, redditur abſoluta de incarnatione; qui

15 enim vult conditionatum ſimul volens per eandem volitionem exiſtentiam conditionis, eo ipſo tale obiectum conditionatum, non conditionaliter ſolum, ſed abſolutè vult. Ergo Deus ſine nouo actu abſoluto de incarnatione iſtam abſolute decernet in ea hypotheſi. Ergo actus volitionis conditionatus purè ex parte ſubiecti, actus ſcilicet, qui non ſit, ſed foret admittendus non eſt. Vide quæ dixi tractatu 4. de ſcientia diſputatione 52. ſectione 6.

16 Confirmatur maxime iuxta mea principia de conſtitutione actuum liberorum Dei tract. 5. de volunt. diſput. 60. §. 11. & 12. Vbi ſæpius dixi Deum non poſſe creſcere in linea volendi, iuxta quæ non ſolum non eſt admittenda noua volitio abſoluta ex parte obiecti, & conditionata ex parte ſubiecti condiſtinctè à volitionibus actu de præſenti exiſtentibus in Deo, ſed neque noua ſcientia viſionis abſolutæ; iſta enim, quæ daretur de incarnatione Spiritus ſancti nil adderet formaliter in linea ſcientiæ ſupra ſcientiam mediam; imo nec ſupra ſcientiam ſimplicis intelligentiæ vt dicendum cenſui. diſput. 50. ſect. 6. quantumuis actus liberi diuini Deo adæquatè intrinſeci conſtituantur.

SECTIO III.

Argumentis oppoſitis ſatisfit.

17 PRima ſententia in §. 1. mihi non diſplicet, eius tamen argumentum, quo mouentur Thomiſtæ Authores multis titulis inutile, & nociuum videtur, vt latè oſtendi diſput. 52. per totam, & quæſtione 14. §. 131. & ſequentibus. Neque eo ipſi niſi valde inconſequenter vti poſſunt, vt ſpe-

18 cialiter noto ea quæſtione 14. §. 140. & ſequentibus.

Deus nunc non habet decreta conditionata circa ea quæ ſolus determinaturus eſt.

Secunda ſententia falſa eſt vt conſtat ex tota ſectione præcedent. Ad primum argumentum in §. 2. Reſpondeo ea quæ abſolutè decernuntur à Deo eſſe in duplici differentia, vel quæ pendent à libero arbitrio creato eiuſque determinatione, vt à conditione, vel quæ à ſolo Deo. Hæc decreta non permittunt conditionalia, hic enim militat, quod fruſtra Deus anticipate replicabit decreta vt conditionaliter decernat, quod æquè primo poterat decernere abſolutè. Loquendo vero de prioribus decretis abſolutis, cum iſta dependeant à voluntate creatà vt à ponente conditionem, Deus non inutiliter, ſed prudentiſſimè ex ſe conditionate decernet. verbi gratia, *ſalutem ſi homo voluerit perſeuerare*, vt iam à ſe oſtentet animum, & propenſionem ſaluandi homines, qui affectus cum ſit independens, (& antecedenter) ab omni conditione, & determinatione creata indifferens eſt vt homo ponat, vel non ponat conditionem. Ergo etiam eſt indifferens, vt exiſtat vel non decretum abſolutum tribuendi gloriam, & conſequenter non inutiliter admittetur in Deo, quantumuis poſtea Deus iterum concipiat decretum abſolutum. Vt ſcilicet iam Deus ex ſe & pro priori ad omnem conditionem perſeuerantiæ noſtræ ſit determinatus affectiuè ad decernendam abſolutè gloriam, caſu quo præuideatur ea perſeuerantia. Quare loquendo de his decretis conditionatis admittenda ſunt in Deo circa plura obiecta, quæ abſolute erunt vt circa gloriam S. Petri. 19

Decretum conditionatum in Deo tranſit affectiuè in abſolutum, ſecus in creatis.

Sed neque ſuperflua, & inutilia ſunt huiuſmodi decreta circa gloriam Iudæ, quæ nunquam erit fateor poſita perſeuerantia Iudæ, iam dandum fore in Deo decretum abſolutum, at hoc licèt ſufficeret exiſtentiæ gloriæ non tamen oſtenſioni affectus quem de præſenti Deus habet (vt dixi §. 11.) ſi adæquatè differat, & excludat de præſenti affectum & volitionem conditionatam. Igitur ſi adueniret perſeuerantia Iudæ, iam hæc eadem volitio conditionata per aduentum conditionis, ſeu per volitionem ponendi talem perſeuerantiam tranſiret in abſolutam non ſolum *effectiuè*, ſed etiam *affectiuè*, licèt enim volitio purè conditionata non tranſeat in abſolutam affectiuè, quando ipſa diſtinguitur à volitione conditionis aduenientis, vti in humanis contingit; ſecus ſi ipſa volitio prior conditionata tranſit in identitatem cum volitione noua ponente conditionem, vt dixi hic §. 15. & conſtat ex 20 diſputatione 52. ſectione 6. per quod ſatis patet ad primum argumentum pro ſecunda ſententia in §. 2.

Ad ſecundum reſpondeo licet vt ſtet veritas quaſi ſpeculatiua Pacti, & Promiſſionis ſufficiat volitio conditionata ex parte ſubiecti; at vt ſtet modo practico arguere debet in Deo de præſenti talem affectum, ex vi cuius neceſſitatus iam ſit ad dandam gloriam ſi ponatur deceſſus in gratia; vt & ipſi aduerſarij fatentur in §. 3. hic autem, eſt formaliſſimè affectus conditionatus; nam talis affectus ipſe eſt qui cogit Deum ad volitionem abſolutam gloriæ vbi ponitur conditio. Ergo talis affectus coexiſtet volitioni ponendi abſolute, nequit enim vnus affectus cogere ad alium, niſi illi coexiſtat cum ſit quaſi cauſa, vel applicatio ad illius exiſtentiam vt expendi diſput. 52. ſect. 5. §. 28. Iam vero affectus qui modo datur in Deo, & poſita conditione vi ſua affectiua infert volitionem abſolutam formaliſſimè conditionatus appellandus eſt vt dixi §. 12. Ad abſurdum autem, quod obiicitur in hac voluntate præſenti: *Volo damnare B. Virginem ſi decedat ſine gratia*. Forte quis dicet implicare in terminis conditionem, nam per ſe dignitas Matris dicit Prædeſtinatam eſſe, vnde in tali conditionali non minor erit repugnantia, quam in iſta *Volo damnare B. Virginem ſi vt prædeſtinata decedat ſine gratia*. Deinde cum per veritatem huius pacti damnandi non ſit opus vt Deus oſtentet animum, ſeu propenſionem in mortem peccatoris, ſicut in vitam hic facile negabit quis volitionem actu de præſenti etiam conditionalem in Deo, quam fatemur de ſalute. Ego ſimpliciter reſpondeo vbi in conditionali non inuoluitur contradictio, ſed obiectum manet honeſtum ſemper actu amari à Deo.

An Deus habeat hanc volitionem: Volo damnare B. V. ſi decedat in mortali?

21 Ad tertium in §. 4. Concedo illud rectè procedere de conditionali per ſe impoſſibili, ſecus quando non procedit ſub conditione ſic per ſe impoſſibili, nec ex ſuppoſitione quod ſit impoſſibilis, & ita ſe habet

Conditionalis de impoſſibili quando repugnet Deo?

habet Deus quando decernit gloriam ſub conditione perſeuerantiæ Iudæ,nam & concipit hoc decretum, antequam videat perſeueret,vel ne; Deinde poſſet id decretum habere etiam poſtquam vidit carentiam perſeuerantiæ, neque enim quia ſcientia faciat compoſitionem, ideò voluntas eam faciet,vt dicat: *Volo gloriam ſi ex ſuppoſitione quod non perſeuerat perſeueret*; ſed in modo tendendi voluntaris præſcindit, ſpecificatiuè ſumens perſeuerantiam, quo pacto impoſſibilis non eſt, licèt per accidens facta fuerit impoſſibilis. Confirmatio multum probat, negat enim ſerium pactum, & promiſſionem conditionalem; ſiquidem in humanis illæ promiſſiones vt imprudentes reiicerentur. Igitur in Deo imprudentes non ſunt huiuſmodi volitiones conditionatæ iſtæ enim dupliciter haberi poſſunt, vel vt principium promittendi, & erigendi animum promiſſarij ad obtinendum finem promiſſum, & tunc non habentur poſt præuiſum, verbi gratia, deceſſum in mortali, cum enim natura promiſſionis talis, ſit relinquere in manu promiſſarij gloriam, irriſoria, & inutilis foret talis promiſſio, ideoque in humanis reiicitur: Habet ergo Deus ea decreta conditionalia antecedenter ad præuiſionem conditionis. Rurſus alia decreta conditionalia habet non per modum promiſſionis ad alterum, ſed ſimplicis propoſiti apud ſe faciendi aliquid, caſu quo, aliter res diſponeret, verbi gratia, vult non producere alium mundum ſine incarnatione Spiritus-ſancti, quæ voluntas benè componitur cum decreto abſoluto: de non producendo mundo alio.

22 Ad quartum argumentum in §. 5. licèt Deus nil ad extra produxiſſet adhuc poſſet habere decreta purè conditionalia ex parte obiecti, quæ tamen ipſi ſolum eſſent libera libertate contingentiæ, licèt non libertate electionis iuxta diſput. 63. ſect. 1. de ſcientia media; etenim etiam poteſt dari in Deo ſimilis actus voluntatis, qui ſit liber ſola libertate contingentiæ, vt dixi quæſt. 14. nu. 158. Si verò Deus ponendus ſit liber libertate electionis in decretis conditionalibus, qualis eſt voluntas conditionata de ſalute omnium iuxta dicenda qu. 19. art. 6. §. 85. tunc tale decretum in ratione ſic *liberi* conſtituetur non ex connotatione reuelationis, vel promiſſionis, quæ ſtare poſſunt ſimpliciter, quantumuis actu non daretur in Deo de præſenti decretum, ſed ex connotatione cuiuſdam actionis determinatiuæ creatæ per ſe ordinatæ ad denominationem volentis vt pluribus explicui diſputatione 63. per totam maximè in ſectione quinta.

23 Ad quintum argumentum in §. 6. pluribus reſpondetur in Philoſophia, quæ potius hic erant ſupponenda, ex dicendis,ergo ibi dico voluntatem tendentem purè conditionatè ferri in rationem *boni* ad hoc autem ſicut non eſt opus quod bonitas actu exiſtat, amatur enim bonitas *poſſibilis*, ſolumque actûs gaudij proprium eſt tendere in bonum vt præſens; ita à fortiori poterit amari bonitas futura conditionatè; imo ex bonitate futura ſub conditione mediorum mouetur quis ad eligenda media, ſed ſicut non ſub qualibet conditione obiectum proponitur vt bonum, ideo nequit quis amare pharmacum ſub conditione quod ſaluti noceret: Ita etiam nequit quis amare obiectum ſub conditione quod *eſſet bonum*; ſi talis bonitas ſit repugnans ipſi qualitati, & conditioni obiecti; vt ſi dicas: *Volo peccatum ſi eſſet licitum. Pharmacum amarum ſi eſſet dulce*: benè tamen ſub conditione bonitatis ipſi non repugnantis: vt *Volo peccatum ſi eſſet delectabile*. Pharmacum *ſi ſit vtile ſaluti*. Hinc etiam ſub conditione quod *eſſet cognitum* peccatum, poſſum illud amare; non quidem præciſa omni cognitione de peccato, tunc enim omnino deficeret obiectum voluntatis, quod eſt *cognitum*, ſed præciſa cognitione de actuali bonitate delectabili; nam qui dicit: *Volo peccatum ſi eſſet delectabile*: Perinde eſt ac dicere, *ſi eſſet cognitum vt delectabile*.

Ex dictis in hoc §. præced. Reſpondeo vtique poſſe obiectum amari ſub conditione quod ſit bonum modo nuper explicato, nam per hunc affectum licèt efficaciter non conetur in exiſtentiam talis obiecti, quod actu non præuidetur vt bonum exiſtens, neque item vt bonum futurum ſi exiſtat in his circumſtantiis præſentibus; at apparet vt bonum poſſibile in aliis circumſtantiis, verbi gratia, proponitur eſus carnis in Quadrageſima vt actu malus; at ſimul proponitur vt bonus ſecundùm ſe in circumſtantia Paſchæ, tunc amare eſum carnis ſub conditione quod ſit bonus, nil aliud eſt quam complacere in eſum carnis Paſchali poſſibili, tali tamen affectu vt huius vi iam determinatus ſit ad amandum talem eſum ſi Paſchæ tempus vrgeret, qui affectus in bonum fertur actu non de præſenti exiſtens, ſed de poſſibili. Vt talem affectum dari de facto in Deo circa ſalutem omnium ipſi aduerſarij fateri tenentur iuxta dicta §. 11. Quare tunc voluntas non tendit actu in bonum eo quod apparere poſſit vt bonum, ſed quia actu apparet licèt vt poſſibile, eſt enim voluntati neceſſaria cognitio actu exiſtens in voluntate, bonum tamen ſufficit cognoſci vt poſſibile: Nam quamuis conditiones, quæ requiruntur ex parte potentiæ debeant actu exiſtere, ſic ad volendum requiritur voluntas actu, & actu concurſus Dei; ideoque etiam cognitio actu exiſtens, quæ aliter, niſi per ſuam phyſicam præſentiam non iuuat ad volitionem: At ex parte obiecti non ita requiritur præſentia, ſic intellectus tendit in rem non exiſtentem, voluntas ne in bonum abſens præ oculo corporeo, qui ſolum fertur in obiectum, vt præſens, per quod patet ad confirmationem. 24

Ad ſextum argumentum in §. 7. Reſpondeo; licèt volitio conditionata tangat ſolum gloriam; eamque ſolum *volitam* denominet, eam tamen tangit tali modo, vt petat explicari cum dependentia ab illa conditione deceſsûs in gratia: *ſi decedat in gratia*, per quæ verba non tam explicatur quid tangat volitio, quam modus quo tangit: ſicut quando dico, vel amo diſiunctiuè *Panem, & vinum*: &, *Volo proximum propter Deum*: per ly *&* ac ly *propter* quod neceſſario apponendum eſt, non ſignificatur aliquid obiectiuum, ſed modus tendendi pecialis, qui iuxta aduerſarios in re admittitur, dum ponitur talis affectus in gloriam, vt iam vi illius ſit Deus determinatus ad volendam gloriæ executionem in caſu deceſsûs in gratia. Hinc communiter dici ſolet poſſe hunc actum in viro Religioſo eſſe peccatum: *Si non eſſem Religioſus inimicum occiderem*. Qui actus niſi denotaret affectum præſentem in homicidium ſine peccato eſſet vt patet; vnde in caſu dicto in quo certum eſt dari actu peccatum dicere deberemus de Religioſo illo. *Non peccat adhuc; ſed peccaret*. Tunc ſic hæc volitio quæ datur de præſenti de occiſione non eſt 26

abſoluta

abſoluta vt patet cum actu non ponat occiſionem ergo conditionata.

26 Tertia ſententia quoad primam partem vera eſt, quoad ſecundam vero in §. 9. non placet. Ad primum eius fundamentum reſpondeo tale decretum non eſſe otioſum, ſed omnino neceſſarium ne Deus ſuſpenſus maneat, nam ſaltem Deus dicere debet. *Nolo habere nunc aliquod decretum, ſeu nil decernere de creaturis quas producturus eſſem in alio mundo.* Quid autem maioris vtilitatis eſt vti hoc decreto, quam alio. Igitur illa veritas vtiliter decernitur à Deo non ex exigentia effectus, ſed ſuæ infinitæ perfectionis ne maneat ſuſpenſus, contingatque aliquid non malum in creaturis quod non ſit Deo directè voluntatium, ſicut ob hanc rationem iam ab æterno decernit id quod non erit vſque ad tempus. Ad ſecundum in eodem §. 9. Reſpondeo eam obiectionem æquè militare contra aduerſarios, ne volitio abſoluta, gloriæ ſit libera, cum ad eam ſit iam Deus determinatus decreto generalis volitionis de ſalute. Ego autem dico non dari quidem actum nouum abſolutum de gloria cōdiſtinctum à conditionato, at ipſum conditionatum tranſire in abſolutum etiam affectiue, vt dixi diſputatione 52. ſectione 6. Vnde nunquam tollitur libertas immediata in decretis abſolutis Dei vide hic §. 15.

Decretum conditionatum non tollit libertatem abſoluti.

27 Ad tertium argumentum pro hac tertia ſententia conſtat ex §. præcedent. vtilitas vt iam Deus decernat cum quibus circunſtantiis, & perfectionibus faceret alium mundum caſu quo eum crearet; neque opponuntur inter ſe nolle conditionem, & adhuc velle conditionatum conditionate. Sic dicit quis. *Nolo peccare ſed ſi peccaturus eſſem potius eligerem veniale, quam mortale.* Vnde licet ea volitio inutilis ſit per modum *promiſſionis*, non tamen per modum *propoſiti* vt dixi hic §. 21. Ad quartum, Reſpondeo non dari in Deo decretum conditionatum de iis rebus, quas ipſe ſolus abſolute decernit, quidquid enim ſit de ſcientia, quæ poteſt conſiderari in Deo conditionata pro priori creationis mundi, quia Deus iam ſciat: *Si crëem creabo Michaëlem.* At decretum conditionatum non eſt cur pro tunc fingatur; ſiquidem æque primo prorumpit Deus in abſolutum, quo ſimul dicit *exiſtat Mundus cum Michaele*, quare nulla ſuſpenſio datur, (qualis admittenda foret, ſi Deus mundum non creaſſet, & nil determinaſſet de Michaële ſub conditione; ſiquidem quantumuis Michaël abſolute non crearetur, at eius creatio futura ſub conditione, ſuſpenſa eſſet.) Igitur modo pro priori ad creationem mundi poterit Deus conditionatè ſcire creationem Michaëlis in ſeipſa cum ſcientia conditionata nullo indigeat decreto vt medio, at voluntas diuina nil decernit de creatione Michaëlis niſi per decretum abſolutum: Quare argumentum à paritate, vel neceſſitate ſcientiæ nullum eſt.

Cur non dentur in Deo conditionata decreta circa res quas ſolus abſolute determinat?

***

SECTIO IV.

De decretis diſiunctiuis. Iudicia Theologorum.

De ſcientia diſiunctiua, qua directè; & abſolute Deus diſiunctiue procedat agam infra quæſtio. decima quarta §. octuageſimo ſeptimo. Eam negans, adhuc tamen ſpecialis difficultas eſt de volitione diſiunctiua, plures enim modi tendendi, qui negantur Dei ſcientiæ, volitioni conceduntur; ſic ſcientia Dei præſcindere nequit vnam formalitatem ab alia, bene tamen voluntas vt amet medium quia vtile in vnum finem & non in alium, quia honeſtum, & non quia conducens in aliquid indifferens. Hinc Deus qui in actu creato ſimul tendente in obiectum bonum, & in indifferens nequit præſcindere vnam tendentiam ab alia cognoſcitiue, poteſt tamen moueri ex vna, & non ex alia. Ita igitur quidquid ſit de ſcientia diſiunctiva, quæritur hic. An Deus poſſit velle diſiunctiuè *Par turturum, aut duos pullos columbarum.* 28

Prima ſententia negat ita obiter Albertin. tomo primo quæſtione tertia Theolog. fine in tertio Coroll. ex quarto principio Philoſophico Aluarez de Auxil. libro ſecundo diſputatione decimo tertio numero quarto, & ex profeſſo Alarcon tractatu quarto de Prædeſt. capite ſeptimo §. ſecundo à numero trigeſimo ſexto, pro ſe citans Suarez latiſſimè impugnantem hæc decreta vaga, & diſiunctiua opuſc. tertio de auxil. capite 17. numero ſecundo, & decimo quarto, libro primo de Prædeſt. capite decimo tertio, & libro tertio capite decimo. Mouentur primo à paritate ſcientiæ, quæ imperfecta eſt, ſi tendat diſiunctiuè. Secundo quia tandem Deus habiturus eſt volitionem determinatam, ſiquidem omne bonum Deus amare tenetur vt eſt à parte rei, nil autem à parte rei exiſtit niſi in eſſe determinato. Ergo ſuperflue habebit decretum hoc diſiunctiuum. Tertio quia ſaltem maioris perfectionis eſt non manere quaſi ſuſpenſam diuinam voluntatem, & indeterminatam, hoc enim etiam in humanis imperfectionis cuiuſdam eſt, non determinare aliquam partem, ſed quaſi in biuio manere ſuſpenſum, & quaſi confuſum; *Volo bellum vel pacem. Lucem, vel tenebras*, &c. Quarto quia Deus rectè poteſt amare rem connexam cum aliquo diſiuncto, quin tamen nec diſiunctiuè tendat in terminum talis connexionis. Ergo nulla eſt neceſſitas ponendi in Deo volitionem diſiunctiuam, conſequentia probatur, quia hic maximè vrget neceſſitas admittendi in Deo volitionem diſiunctiuam vt videbimus §. trigeſimo primo. Antecedens patet in arbitrio creato ſub præcepto. Tale arbitrium eſſentialiter connectitur diſiunctiue cum peccato; nec tamen Deus amat nec diſiunctiuè peccatum. 29

Negant Albertinus. Aluarez. Alarcon. Suarez.

Secunda ſententia admittit volitionem diſiunctiuam ita Granados prima parte Controu. tertia tractatu tertio diſputatione quinta ſectione tertia à numero decimo nono, Pater Ruiz diſputatione vndecima de voluntat. ſectione octaua numero ſecundo & ſectione decima, & de Prouident. diſputatione octaua ſectione quarta, Lugo diſputatione ſeptima de Incarnation. numero trigeſimo nono. Arriaga diſputatione ſeptima Logicæ numero 30

Affirmant Granado. Ruiz. Arriaga. Hemelman

numero ſexageſimo ſexto. Georgius Hemelm. tomo primo, in primam partem, titulo ſeptimo, d. tertia, per totam latiſſimè. Mouetur primò, quia Deus præcipit diſiunctiuè, Leuitic. quinto, numero ſeptimo. *Offerat duos turtures, vel duos pullos collumbarum.* Deus autem velle poteſt quod præcipit, Tertullian. in exhortatione ad caſtitatem, capite ſecundo. *Vtique ea, quæ vetat non vult, & à quibus offenditur; ſicut & quæ vult præcipit, accipit, & æterna mente diſponit.* Mouentur ſecundò, quia Deus efficaciter amat ſuam eſſentiam, quæ vage connectitur cum mundo, vel carentia mundi, ſed qui amat aliquem finem eſſentialiter connexum cum alio non poteſt non virtualiter amare alium, ideo Deus amans prædeterminationem amat actum prædeterminatum: Ergo Deus amat diſiunctum illud ex eſſe, vel non eſſe mundi. Tertiò, Deus neceſſario amat omnes veritates neceſſarias, ſaltem honeſtas ex diſputatione ſexageſima quinta, ſed honeſtum eſt diſiunctum illud, aliunde autem omnino neceſſarium: Ergo amatur à Deo.

32 *Ruizij argumenta.* Quartò ſpecialiter arguit Pater Ruiz, diſputatione octaua de Prouidentia, ſectione quarta: Quia Deus virtutem, quam tribuit cauſis maximè eam appetit propter effectus, ad quos eſt talis virtus; ſic voluit ſolem propter lucem, ignem propter calorem; ſed in pluribus cauſis poſuit virtutem ac effectum diſiunctiuum, verbi gratia, in voluntate ad volitionem, vel nolitionem, in collectione cauſarum indifferentium ad aliquem effectum vage: Ergo Deus vage & diſiunctiuè vult tales effectus. Quintò arguit, quia Deus vult res vt ſunt in ſe; at ita eſt vt vage ſolum, & diſiunctiuè verum ſit. *Mundus neceſſario exiſtit, vel non exiſtit. Aliquis oculus requiritur* ad videndum, & nullus determinatè, &c. Ergo Deus amabit hæc diſiuncta quin vllum extremum velit determinatè eſſe requiſitum, verbi gratia. Sextò denique qui amat efficaciter finem, ad cuius conſecutionem ſuppetunt plura media, ita neceſſitatur ad eligenda media, vt nullum determinatè velit, diſiunctiuè autem aliquod. Atqui Deus plures fines ita vult: Ergo & media diſiunctiuè.

SECTIO V.

De decretis diſiunctiuis proprium iudicium.

33 *Nulla volitio neceſſaria Dei eſt diſiunctiua.* Dico primò: Deus non tenetur neceſſario habere decreta diſiunctiua, ſeu nulla bonitas neceſſaria amatur à Deo diſiunctiuè. Concluſio hæc eſt contra ſecundam ſententiam iuxta ſecundum & tertium fundamentum; vbi Deus probatur neceſſitatus ad amandum diſiunctum ex *eſſe* & *non eſſe mundi.* Probatur dicta concluſio, quia neceſſitas huius diſiuncti vt talis eſt plenè amatur per volitionem determinatè, & non diſiunctiuè tendentem: Ergo non eſt ponenda volitio diſiunctiua. Conſequentia probatur; nam ſuperfluè explicabitur per volitionem diſiunctiuam, ea quæ vt determinata ſatis intelligitur; hæc enim ex ſuo conceptu, dum id patiatur obiectum, perfectior eſt, ſi vna ſola ſit ponenda, præterquam quod non alio titulo ponitur decretum diſiunctiuum, niſi quia non ſatis concipitur amari diſiunctum illud, niſi volitio diſiunctiuè procedat. Iam antecedens probatur ſi Deus dicat: *Nolo dari medium inter* eſſe, *&* non eſſe. Vel ſi Deus lucem, verbi gratia, eſſe contingentem velit, tollique per tenebras, aut denique ſe eſſe eſſentialiter connexum cum lucè poſſibili contingenter exiſtenti, qui enim vult lucem eſſe entitatis contingentis ſatis per id vult eſſe, vel *non eſſe* illius. Confirmatur, neceſſitas huius diſiuncti: *Deus eſt aut non eſt* ſatis amatur dum amatur neceſſariò ipſe Deus, quia ſcilicet ratione vnius entitatis neceſſariæ Dei tale diſiunctum eſt neceſſarium; ſed etiam ratione vnius entitatis mundi poſſibilis contingentis, eſt verum diſiunctum. *Mundus exiſtit vel non exiſtit*, etenim eſſe mundum contingentem eſt poſſe exiſtere, & poſſe non exiſtere, in quo illa diſiunctio contingit: Ergo ſatis amabitur diſiunctum illud dum ametur mundus vt entitas contingens.

Probatur idem ſecundò: Nam voluntas directè diſiunctiua imprudenter datur, vt exiſtat res, in eo, pro cuius libito æquè primo ſine vlla dependentia, vel ſubordinatione, aut attemperatione ad alium determinatur talis res: ſed in omni diſiuncto neceſſariò, (quod ſolum, neceſſariò poteſt diſiunctiuè amari à Deo) Deus ex ſe determinat vnam partem: Ergo imprudenter & inutiliter procedet diſiunctiuè. Conſequentia patet; Minor etiam, nam diſiunctum directum non verificatur, niſi ratione vnius partis determinatæ, verbi gratia, eſſe mundum, vel non eſſe mundum (Quid enim nullam partem determinatam includit, vt quando dicitur; *Aliquis oculus requiritur ad videndum* non eſt directum diſiunctum, ſeu in eſſendo, ſed in munere rationis noſtræ, quæ vtitur termino *requiritur* pro eo quod à parte rei, & determinatè euenit, nempe quemlibet oculum eſſe ſufficientem adæquatè ad videndum, & viſionem ab alia potentia præter viſiuam fieri non poſſe.) Iam verò exiſtentia, vel non exiſtentia mundi à ſolo Deo determinatur æquè primo, non enim manet quaſi ſuſpenſus vt velit dari diſiunctum ex eſſe, & non eſſe mundi antequam determinet aliquam partem diſiuncti. Maior, ſeu imprudentia talis volitionis directè diſiunctiuæ patet; nam diſiunctiua volitio ſuſpenſiua eſt; non datur autem locus ſuſpenſioni, vbi æquè primo determinatio inſurgit. Iam enim vna pars determinatè reijcitur: Ergo non debet, non diſiunctiuè amari; ſicut nec diſiunctiuè amat Deus ſuam non exiſtentiam, quia neceſſitatus eſt vt exiſtentiam ſui determinatè amet. Confirmatur, nam vt dixi diſputatione ſexageſima, §. trigeſimo primo, licèt inter plures res poſitiuas contingentes diſiunctio decreti permittatur, ſecus inter rem, & eius contradictorium: Placet *turtur, aut columba*, bene: At placet *turturem dari, vel non dari* otioſum eſt. 34

Dico ſecundò pro libertate ſua Deus vti poteſt decretis formaliter diſiunctiuis. Probatur primò iuxta dicta §. vigeſimo octauo, licèt Deus teneatur cognoſcere rem ſicut eſt in ſe non tamen tenetur eam ſicut eſt in ſe amare, ſed poteſt attingere vnam formalitatem ſine alia: Ergo & rationem communem vage ſine particulari determinatè. 35

Volitio libera poteſt eſſe in Deo diſiunctiua.

terminatè. Secundò, patet id in Deo intendenti efficaciter finem per vnum è duobus mediis determinandis pro placito voluntatis creatæ, verbi gratia, ſi Deus efficaciter intendat ſuccurrere peregrino (iuxta Deuteron. 14. numero vigeſimo primo.) per panem gratis datum, vel pretio. Tunc pro illo priori intentionis *diſiunctiuè* ſe habet voluntas Diuina, quin aliquod medium determinet. Tertiò, idem patet in voluntate promittente electioni creatæ vnum è duobus donis, in his enim caſibus nequit ex ſe Deus velle vnum præ alio, alioqui libertatem tolleret, neque optionem nobis daret. Denique Deus quando præcipit diſiunctiuè vnum è duobus diſiunctiuè exoptat, ſiquidem verè, & ex animo vult ne ſit peccatum pro priori ad ſcientiam viſionis de exercitio noſtro: qui autem deſiderat ne detur peccatum in eo cui præceptum eſt diſiunctiuè vt eliciat actum charitatis, aut miſericordiæ vnum è duobus actibus diſiunctiuè deſiderat.

36 Et huius ratio à priori eſt conſequenter ad ea, quæ dixi §. vndecimo: Nunc actu datur in Deo affectus directè tendens in aliquod obiectum, vi cuius eſt Deus determinatus ad ponendum tale obiectum non abſolutè determinatè, ſed indeterminatè. Sed talis affectus iure dicitur diſiunctiuus: Ergo datur in Deo decretum diſiunctiuum. Conſequentia patet, & minor tum iuxta ea, quæ in nobis contingunt, neque enim alio titulo noſtra decreta dicuntur diſiunctiua; tum etiam à paritate ſcientiæ, quæ in Deo foret diſiunctiua ſi directè ſic in ſua obiecta tenderet, vt noto, quæſtione quadrageſima quarta §. octuageſimo ſexto. Iam maior probatur: Nam directè in Deo datur affectus pro priori ad determinationem noſtræ voluntatis, quo vult ſpecialiter, dum præcipit: *Elice actum charitatis, aut miſericordiæ*, actum charitatis præ Religione, ſiquidem pro illo priori compoſſibilis in Deo eſt nolitio Religionis. Item non vult ſic ſpecialiter *determinatè* charitatem, nam tali voluntati omninò fit ſatis per actum miſericordiæ: Ergo ſolum indeterminatè obiectiuè ſic affectus eſt, obiectiuè inquam, nam ex parte ſubiecti, & actus determinationem habet.

SECTIO VI.

Satisfit oppoſitis argumentis pro decretis diſiunctiuis.

37 AD argumenta pro prima ſententia in §. vigeſimo nono facilè reſpondetur. Ad primum ſatis conſtat diſcrimen inter voluntatem, & intellectum ex §. vigeſimo octauo. Ad ſecundum reſpondeo licèt Deus pro poſteriori habiturus ſit decretum determinatum, at pro priori non poſſe eſſe ſic determinatum, imò neceſſariò requiri, quod indeterminatè, & diſiunctiuè, ac ſuſpenſiuè procedat, vt relinquat libertatem creatam, à qua vult quaſi pendere in determinatione ad vnam partem, ſed non ex obligatione, ſed ex benignitate, liberoque ipſius placito: ideoque nullius imperfectionis eſt diſiunctio iſta ſicut in nobis, quod patet: Ad tertium quod inſtantiam manifeſtam habet in voluntate inefficaci, qua vult Deus ita ſalutem omnium, vt ſæpè finem intentum non obtineat vt dico quæſtione decima nona à §. ſexageſimo nono. Iam quartum argumentum mihi non officit, non enim probo voluntatem diſiunctiuam ex voluntate efficaciter amante connexionem vagam, vt iam dico.

Igitur vt ſoluam argumenta pro ſecunda ſententia in §. trigeſimo. Noto rectè poſſe amari connexionem vagam cum termino, quin ametur talis terminus nec vage; cuius probationi ſatis erat inſtantia adducta de amore peccati in §. vigeſimo nono fine; etenim neque in creatis dicitur quis amare diſiunctiuè peccatum, eo quod velit finem, qui per peccatum obtineri poteſt, ſi tamen etiam poſſit per medium licitum, verbi gratia, nullo modo dicitur Dominus velle, vel præcipere peccatum diſiunctiuè, eo quod det famulo pecunias connexas, cum vſu licito, vel illicito. Nonne peccaret Dominus ſi oſtenderet famulo ſe velle vſum licitum, vel illicitum? Ego determinatè teneor non furari: Ergo ſi vage dicam: *Volo furari, vel orare*, peccarem. At non pecco ſi me conſtituam in neceſſitate orandi, vel furandi: Ergo valde diuerſum eſt velle neceſſariam connexionem vagam peccati, ac velle peccatum vage. Et huius ratio eſt, quia tunc ſolum amare connexionem eſt amare terminum, quando cogit ad amandum ſic terminum, vel ſaltem cogit ad non odio habendum terminum, quî enim dici poteſt amare virtualiter rem, ille qui odit formaliter talem rem? At rectè ſtat amare connexionem vagam cum peccato, & hoc odio habere, & determinatè, ac abſolutè reijcere, quantum eſt in ſe. Vt patet in humanis in Prælato prohibente ex odio actionem peccaminoſam, tunc enim prohibitionem vult prohibitio autem eſſentialiter connectitur vage cum peccato: Ergo, &c. 38

Qui amat cauſam vage connexam cum termino non tenetur amare terminum nec vage.

Hinc ad argumenta pro ſecunda ſententia facilis eſt ſolutio, & quidem primum fundamentum ſolum probat volitionem liberam diſiunctiuam, ſiquidem præceptum liberum eſt. Vnde fauet meæ ſecundæ concluſioni in §. trigeſimo quinto. Ad ſecundum patet ex §. præcedenti diſcrimen de prædeterminatione eſt, quod iſta connectatur determinatè, & a ſolo Deo. Ad tertium dico diſiunctum illud ex parte termini non dari in eſſe diſiuncti, ſed in vna parte determinata contingenti; datur autem ex parte cauſæ, & connexionis; at ob id non ſunt amanda, nec vage extrema, ſeu termini talis connexionis, vt nuper dixi. 39

Ad alia argumenta in §. trigeſimo ſecundo, Reſpondeo ad quartum fortè Deum in volitione cauſatum velle etiam actus bonos, cum quibus diſiunctiuè connectuntur; at non titulo præciſo connexionis, vt patet reſpectu peccati; ſed titulo honeſtatis ipſius termini per ſe amabilis, etiam pro priori illo, quod ſuſpenſiuè ſe habet ad determinationem effectuum. Vnde neque amore neceſſario teneatur amare diſiunctum ex mundo, verbi gratia, & carentia mundi; neque multò minus actiones peccaminoſas, vt tanquam omninò certum hoc ſupponit ipſe Ruiz diſputatione illa octaua, de Prouidentia, ſectione quinta, numero quarto. Reſpondeo ad quintum 40

quintum in ipſis terminis diſiuncti directè loquendo nunquam inueniri diſiunctionem, vt dico quæſtione decima quarta, §. octuageſimo octauo fine, ſed datur in Deo vage connexo cum mundo, vel datur in viſione vage connexa cum aliquo oculo ad videndum. Iam ad ſextum ſatis conſtat ex dictis: Neque quælibet determinatio præſens ad habendum diſiunctiuè affectum aliquem: ſeu ad volendum diſiunctiuè eſt ſignum diſtinctionis actu exiſtentis ex parte ſubiecti, niſi quando cogimur admittere pro aliquo ſigno affectum de præſenti directè tendentem in extrema talis diſiuncti in ſeipſis, quod hic neceſſum non eſt, quantumuis Deus amet finem ad quem ſuppetunt plura media, niſi hæc & honeſta ſint, & earum determinatio non pendeat à ſolo Deo; alioqui inutiliter Deus diſiunctiuè procedet in iis, quæ ſolus determinat nullius determinationem expectans quaſi ſuſpenſus, vt in ſimili dixi ſupra ſect. 3. §. 18. & 27.

INDEX,

SEV

ACCVRATA EXPLICATIO OMNIVM QVÆSTIONVM ET ARTICVLORVM SANCTI THOMÆ,

SVO ORDINE PER INDICEM DEMONSTRATO

à quæſtione prima vſque ad vigeſimam primam incluſiue in varias dubitationes diuiſa;

VBI,

Si quæ ſupererunt difficultates, quæ in hiſce quinque tractatibus, quia minus ipſæ celebres, non ſunt explicatæ, diligenti operâ iuxta ſeriem cuiuſcumque quæſtionis, & articuli ſigillatim illuſtrantur, & exponuntur; & quæ tractatæ erant, locupleti iterum eruditione exornantur.

QVÆSTIO I.

De ſacra Doctrina qualis ſit, & ad quæ ſe extendat?

DE quæſtionis huius materia, agunt fere omnes Theologi antiqui in Prologo ante primum librum ſententiarum, vbi etiam Angelicus præceptor; egi ego etiam latè per totum tractatum primum Procemialem in vndecim diſputationes diuiſum, in quibus fere omnia attigi, omneſque difficultates explicui, quæ communiter excitari ſolent in decem articulos huius quæſtionis primæ S. Thomæ, vt deſcendendo ad ſingulos adnotabo, adiiciens inſuper quidquid mearum diſputationum ordo, moſque ea redigendi ad vnius anni curriculi ſcholaſticum penſum meis auditoribus imponendum prolixius exponere non patiebatur.

ARTICVLVS I.

Vtrum ſit neceſſarium præter phyſicas diſciplinas, aliam doctrinam habere?

DE hac difficultate agit etiam S. Thomas quæſtione 1. Prologi ad lib. ſententiarum art. 1. & 1. contra gentes cap. 4. & 6. & agendo de neceſſitate Fidei in 2.2. quæſt. 2. art. 3. & 4. & quæſt. 14. de veritate art. 11. Ego articulum hunc expoſui hîc tract. 1. diſput. 2. Vbi ſtatui Theologiam eſſe ſimpliciter neceſſariam ad ſalutem non ſolùm in vniuerſa Eccleſia, ſed etiam in ſingulis fidelium. Et hæc quidem de neceſſitate medij, vltra quam ſect. 4. eiuſdẽ diſp. ſecundæ ſtatui neceſſariam etiam eſſe neceſſitate præcepti: imo independenter à fine ſalutis, ſeu à neceſſitate reſpectiua abſolutè, & quaſi in eſſendo ex ſuppoſitione conſuetæ prouidentiæ Dei dixi §. 4. neceſſariam eſſe Theologiam. 1 *Theologia ſimpliciter neceſſaria.*

2 *Quid ſignificetur nomine Theologia.* Circa hunc primum articulum S. Thomæ vlterius quæri ſolet primo, quid ſignificetur hic nomine *ſacra doctrina*, per quam P. Vaſquez hic in explicatione textus num.8. §. *At dicet aliquis*, intelligit habitum primorum principiorum Theologiæ, id eſt, articulorum Fidei, adquiſitum quidem (vt ſic diſtinguatur à Fide infuſa & in concluſiones ex his articulis deductas influentem. Caietanus hic. § *ad hoc dicendum* ſacram doctrinam intelligit hic facultatem quandam, & habitum abſtrahentem tam à Fide diuina, quam à Theologia. Sed de hac difficultate ego egi diſput. 1. & nomine *Sacræ doctrinæ* Theologiam noſtram accipio, ſicque acceptam eſſe à S. Thomâ, mihi omnino perſuadeo, vt illius facultatis neceſſitatem proponat, quam ſibi proponit explicandam. Quid autem *ipſa Theologia* ſignificet, ſiue ſtricte, ſiue latius accepta explico primâ diſput. per totam.

3 *An probetur neceſſitas Theol. ex Fidei neceſſitate?* Dubitatur ſecundo an Theologiæ neceſſitas recte probetur ex Fidei neceſſitate? S. Thomas ex Fidei neceſſitate neceſſariam eſſe ſacram doctrinam, ſeu Theologiam probat, ſiquidem ideo ſacram doctrinam requirit: vt homo conſequatur ſuum finem ſupernaturalem; hæc autem conſequutio ſine præcognitione talis finis contingere nequit. Ergo cum præcognitio finis & beatitudinis humanæ ſit ex ſupernaturali Fide vt oſtendit ipſe S. Thomas ex illo Iſaiæ. 64. *Oculus non vidit Deus, abſque te, quæ præparaſti diligentibus te*, dum colligitur neceſſitas Theologiæ ex neceſſitate talis præcognitionis perinde eſt ac probari ex neceſſitate Fidei. Nihilominus aliqui authores antiqui apud Ioannem de Neapoli in opere variarum quæſtionum quæſt. 17. puncto 1. imò & recentiores cum Caietano hic art. 1. verſu *ad hoc dicendum* ad medium expreſsè negant ex neceſſitate Fidei Theologiam colligi neceſſariam. *Nec ſequitur quod Theologia* (inquit Caiet. ſupra,) *vt diſtinguitur contra fidem ſit neceſſaria, ſed quod Theologia vt abſtrahit à fide, & ſcientia ſit neceſſaria ad ſalutem.* Ego tamen ſimpliciter loquendo ex natura rei ſeu connaturali modo quo homines peruenire poſſunt ad habendam fidem, quando hæc in adultis contingit exiſtimo fidem haberi non poſſe niſi præcedente diſcurſu, ſeu actu aliquo Theologiæ, vnde conſequenter iuxta connaturalem prouidentiam ex neceſſitate fidei oſtendo Theologiæ neceſſitatem diſputatione ſecunda ſectione 3.

4 *An ſit vtilis Scholaſtica Theol.* Dubit. tertia de Theologiæ ſcholaſticæ vtilitate plurima plurimi hic, & ad Prolog. lib. ſentent. at pauciſſima ſunt quæ Scholaſticæ diſputationi ſeruire poſſint, quare de ea breuiter ego diſput. 2. ſectione 5.

5 *An ſit neceſſaria etiam ad veritates naturales certo addiſcendas?* Dubit. quarta v. Theologia neceſſaria ſit non ſolum ad veritates ſupernaturales, ſed etiam ad naturales ſine errore addiſcendas? Et quidem ſi ſermo ſit de cognitione veritatum naturalium, quæ ad ſalutem conducat, cum iſta opus ſit vt ſit ſupernaturalis Fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, conſequenter Theologia, quæ ad gignendam fidem omnino requiritur ex §. 3. Etiam neceſſaria erit; In præſenti tamen difficultas non eſt de cognitione vt conducenti ad ſalutem, ſed quomodocumque certa, & erroris experte: an haberi poſſit de veritatibus naturalibus independenter à Theologia, & ab vlla reuelatione diuina? Affirmat ſimpliciter loquendo Caietanus §. *Antequam probentur* Valentia Ripa Zumel. & Ioſeph. Auguſt. difficul. 3. num. 24. quia veritatibus naturalibus ſaris commenſuratum eſt naturale Lumen, neque ſatis prouidiſſet naturæ Author ſi pro eis addiſcendis, lumen ſufficiens non daret è contra P. Vaſquez diſput. 1. Bannes Faſol. dub. 5. num. 18. Mouentur continua experientia, qua docemur omnes philoſophos etiam circa veritates naturales errauiſſe, licet enim aliqui fateantur Animum rationalem eſſe negabant liberum, fatebantur quidem Deum liberum, ſed negabant præſcium futurorum, &c. Item lapſus naturæ humanæ plures ipſi imperfectiones adduxit, abſtulitque etiam facultatem ad plura naturalia, ad quæ natura integra valeret. Ergo maxime infirmauit lumen naturalis rationis, vt ſine diuina inſpiratione, & reuelatione ſaltem omnes, & ſingulas veritates naturales certo comprehendere non poſſet.

Affirmant. Caiet. Valentia. Ripald. Zumel. Ioſeph. Aug

Negant. Vaſquez. Bannez. Faſol.

6 *Simpliciter neceſſaria non eſt.* Ego dico primo ſimpliciter loquendo independenter à reuelatione, & per actus purè naturales ſciri certo poſſunt veritates naturales; ratio eſt quia (niſi per accidens) vbi motiuum, & ratio cognoſcendi naturalis eſt, non apparet cur ſit ſupra vires naturæ, & ſupernaturale quoad ſubſtantiam cognoſcere perfecte, imo comprehendere tales veritates, ſic Angelis debetur cognitio euidens obiectorum naturalium; neque P. Vaſquez opponitur, qui ſolum loquitur de natura lapſa, & vt de facto per peccatum infirmata eſt. Dico ſecundo Humana natura ſine lumine ſupernaturali certo ſcire poteſt ſimpliciter aliquam veritatem; non tamen omnem etiam naturalem. Prima pars euidens eſt circa veritates; quæ dicuntur per ſe notæ. Secunda etiam probatur circa alias nunquam ſatis huc vſque à Philoſophis etiam ſapientiſſimis explicatas, quin pluribus difficultatibus maneant obnoxiæ, qualis eſt compoſitio continuæ quantitatis, concordia præſcientiæ Dei cum noſtra libertate, libertatis diuinæ cum immutabilitate, &c. Quod autem in naturalibus nunquam euenit ſignum eſt euenire non poſſe.

Ad aliquam veritatem ſecus ad omnem.

7 *Eſt neceſſaria fidei reuelatio ad habendam omnimodam certitudinem etiam circa notiſſimam veritatem.* Addo ſingulariter & dico tertio nullius veritatis quantumuis obuiæ, & per ſe noſcibilis poteſt dari cognitio omnino, & vndequaque certa ita vt omnem formidinem oppoſi æ falſitatis excludat, ſine reuelatione Fidei. Probatur illa cognitio cenſenda eſt vndequaque certa, quæ ita tollit omnem ambigendi locum, vt incompoſſibilis ſit ex modo tendendi cum omni ambiguitate, & formidine intellectus, quâ quis poſſit dicere forte fallor: *ſcientia etenim* (id eſt cognitio certa omnino verba ſunt Auguſtini lib. 1. contr. Acedemic. cap. 7.) *Non ſolum comprehenſis, ſed ita comprehenſis rebus conſtat vt neque in ea quiſquam errare, neque quibuſlibet aduerſantibus impulſus nutare debeat*, & Ariſt. primo Poſter. cap. 2. *Scire vnamquamque rem ſimpliciter arbitramur, cum Fieri non poſſe, vt res aliter ſe habeat, cognoſcere arbitramur.* Tunc ſic ſed nullius veritatis naturalis independenter à reuelatione Fidei poteſt dari naturalis cognitio, cum qua incompoſſibilis ſit nutatio, & formido, in intelligente non ſolum homine, ſed etiam Angelo. Ergo reuelatio fidei, & conſequenter Theologia ad præcauendos ita certò errores, ſeu ad habendam cognitionem ita certam neceſſaria eſt.

8 Minor propoſitio prædicta probatur poſito eo eo quod latius dicam in tractat. de Trinitate nempe myſterium hoc ita eſſe reconditum à naturali lumine, vt nihil huic appareat firmius, quam impoſſibilitas vnitatis cum Trinitate identificatæ, nullumque ſiue obiectum proponatur quoad aſſenſum difficilius,

ficilius, magiſque ſuperans aſſentiendi vires, quam Trinitas cum vnitate cōiuncta; ita vt quoad apparentiā ſi ſibi relinquatur intellectus æque inclinet vt affirmet *vnum nequit eſſe idem cum tribus*, ac *duo nequeunt eſſe idem cum quinque*. Ergo cum prima affirmatio & aſſenſus lucente fide comperietur falſus, ab hacque intellectus diſcere poſſit ſe deceptum fuiſſe; hinc diſcet claritati nulli quantumuis magnæ ſibi propoſitæ omnino fidere. Ergo nullius veritatis aſſenſus ita firmus, & ſtabilis erit ſecluſa reuelatione, cum quo componi nequeat formido, & nutatio. Conſequentia iſta probatur. Nam nullus aſſenſus datur, cum quo non ſit compoſſibilis aſſenſus de myſterio Trinitatis. At eo ipſo quis formidare poterit naturaliter de omni alia veritate quantumuis clara; qui enim expertus eſt ſe deceptum fuiſſe in re alias vt clariſſima propoſita ſibi, iure poterit exiſtimare quod non implicet ſub ſimili claritate deceptio, quæ exiſtimatio formidoloſa eſt, & contra firmitatem, quam ſcientia requirit. Ergo nullus eſt aſſenſus naturalis omnino certus ſine fidei reuelatione fateor prudenter omnē formidinem excludi à tali actu naturali; imò intellectui ſolo lumine naturę vtenti non poſſe accedere talem nutandi modū; At aſſenſus ille naturalis ex ſe cum incompoſſibilis non ſit cum fide de Trinitate, nec incōpoſſibilis erit cum formidine expoſita; cui etiam reuelatio medetur, nam cum dirigatur dictis Dei aſſenſus fidei ex ſuo modo tendendi incompoſſibilis eſt cum omni alio, qui directè, vel indirectè formidinem incutiat. Neque huic meæ concluſioni ſic expoſitæ opponitur Caiet. in §. 5. quia ſatis commenſuratur lumen naturæ dum naturales veritates ſine formidine ſimpliciter tali proponit.

9 *An finis vltimi conſecutio, ſeu viſio ſit supernat.*

Dubit. 5. cum Caietano hic §. *Circà hanc partem eſt aduertendum*. Num finis vltimus animæ noſtræ, ſit naturalis nobis, ſupernaturaliter tamen conſequendus, vel ſit ſupernaturalis: hoc affirmat Caietanus loco citato. Illud Scotus 1. qu. Prolog. Ego affirmo eſſe entitate ſupernaturalem diſputatione 27. ſectione 2. naturaliter tamen cognoſcibilem diſput. 22. ſectione 2. imperfectè tamen, & non quidditatiue.

10 *An beatitudo lumine naturali cognoſcatur ſita in viſione claraDei.*

Dubit. 6. cum P. Molina hic diſput. 3. Vtrum lumine naturali poſſimus cognoſcere, ſupremam noſtram felicitatem in viſione Diuinæ eſſentiæ poſitam eſſe. Negat ipſe Molina ſupra eum Thomiſtis, & Scotiſtis. Ex illo Iſai. 64. *Oculus non vidit, &c.* Item in idem Paul. 1. Corinth. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, &c* Nihilominus ſatis probabiliter affirmandum eſt, ſi ſermo ſit de felicitate, ſeu beatitudine noſtra perfecta, hanc enim non poſſe conſiſtere niſi in viſione immediata, & quidditatiua Dei oſtendi, diſput. 22. ſect. 2. Vnde etiam probaui ratione naturali probari poſſe quod ſit poſſibilis; Vnde teſtimonia Iſaiæ, & D. Pauli intelligenda ſunt de cognitione perfecta, & quidditatiua, quam formare non poteſt naturalis ratio, vel etiam de cognitione demonſtrante exiſtentiam talis viſionis, cum enim iſta naturalis non ſit, pendeatque ex ſolo placito, & gratia Dei abſque vllo debito, vel iure creaturarum, ex nullo medio naturalis exigentiæ cognoſci poteſt exiſtere.

11 *An ſit ad viſionem appetitus innatus.*

Dubit. 7. etiam ſolet propter Scotum ſupra citatum ſtatuentem quod in nobis ſit naturalis propenſio in vltimum finem, ex quo videtur etiam quidditatiue eſſe naturaliter cognoſcibilem huius conſecutionem, in quam natura propendet, ne dicamus aliquam inclinationem nobis datam ab Authore naturæ eſſe fruſtra: huius inquam Scoticæ exiſtimationis occaſione dubitari ſolet detur ne appetitus innatus ad viſionem *Dei* de quo ego ſatis egi, diſp. 22. ſect. 4. ſtatuique (de quo latius 1. 2. in tract. de Gratia auxiliante, & ſupernaturalitate (*ſupernaturale* non ſolum eſſe ſupra vires actiuas, ſed etiam ſupra paſſiuas naturales. Ita diſp. 19. ſect. 1. §. 4. Quare dum dixit Auguſt. lib. de Prædeſt. Sanct. *Poſſe habere fidem* (ſupernaturalem) *natura eſt hominum: habere autem gratia fidelium.* Notanter poſuit *natura* non autem dixit: *naturale eſt homini*: ideſt quamuis ipſi naturæ hominum non competat aptitudo, ſeu potentia paſſiua proxima innate ad fidem, conuenit tamen præ natura Leonina, quod remotam habeat aptitudinem, & proportionem, ſeu capacitatem ſubiecti, qua eleuari poſſit ad credendum, recipereque effectum formalem fidei, & charitatis, quem natura leonis, nec eleuata reciperet, ſicut nec lapis intellectionem recipiens *intelligens* redderetur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ſacra doctrina ſit ſcientia.

12 *An ſacra doctrina ſit ſcientia.*

Agit S. Thomas de hac difficultate quæſt. 1. Prologi ſentent. articul. 3. quæſtiunc 2. ſuper Boet. de Trinitate quæſt. 2. art. 2. Ego in meis diſputationibus nil dixi, quia iam ſub controuerſia Scholaſticâ Theologis non proponitur: hic breuiter notatu digna illis proponam.

13 *Negant eſſe ſcientiam.* Gillius. Scotus. Smiſing. Durandus. Caietanus. Molina. Vaſquez. Valentia. Tann.

Negant abſolutè, & ſimpliciter Theologiam eſſe ſcientiam P. Gillius in præſenti lib. 1. tract. 4. cap. 6. num. 8. referens plures ex antiquis & ipſum D. Thomam. Scotiſtæ cum Scoto 3. diſput. 24. & in Prologo quæſt. 3. quæſtiunc. 4. laterali. Smiſing. hîc quæſt. 3. num. 85. Durandus quæſt. 1 Prologi. Caietanus hoc ar. 2. §. *ad euidentiam*. Molina, Vaſquez, Valentia, Tannerus ibi. Mouentur hi omnes quia ſcientia abſolutè & propriè dicta procedit ex euidentibus iuxtà Ariſtotelem 1. Poſter. cap. 2. fine, *eum, qui ſimpliciter eſt ſcientiam conſequutus, nunquam ab ea perſuaſione vlla dimoueri oportet, & ita immutabilis eſt, vt ab ea labi non poſſit* Iſteque eſt communis conceptus, quem de ſcientia formamus. At concluſio Theologica non eſt ita immutabilis & neceſſaria intellectui, quin eius principium negari poſſit, vt cernere eſt in Hæretico negante præmiſſam Fidei; ergo Theologia non eſt propriè ſcientia.

14 *Affirmant abſolutè.* Argentin. Cano. Faſolus. Zumel. Granadus. Fr. Ioan. de S. Thom. Okam. Henriquez.

Affirmant abſolutè & ſimpliciter Argentinas, quæſt. 1. Prologi art. 1. §. *his præmiſſis*. Cano de locis Theologicis cap. 2. Faſolus hoc art. 2. dubit. 14. Zumel, Granados, Fr. Ioan. de S. Thoma hîc. Oxam quæſt. 3. Prologi. Henricus in art. 7. ſummæ & art. 13. qu. 6. Mouentur, quia de ratione ſcientiæ per ſe non eſt euidentia; ſed certitudo, tota namque ratio requirendi euidentiam in ſcientiis naturalibus oritur ex eo quod aliter obtineri nequeat certitudo veritatis; hanc enim maximè quærit intellectus vt firmus in veritate ſit & à deceptione reddatur immunis. Ergo cum Theologia abſque euidentia certitudinem omnem obtineat, non minus erit ſcientia, quam alia naturalis. Confirmatur ex Oxamo ſupra, q. 3. Princ. litt. R. Gabr. q. 7. litt C. Quia ſcientia maxime procedit circa conſequentias & hinc ſuam ſpeciem deſumit; actus namque principiorum pertinent ad habitum à ſcientia diſtinctum. At Theologia circa ſuas concluſiones infe-

rendas euidentiſſimè procedit. Licet enim obſcurum ſit Chriſtum eſſe hominem, at euidenter infertur eſſe riſibilem Ergo ob hanc euidentiam præcipuè adiunctam omnimodæ certitudini principiorum Theologia propriè, & ſimpliciter ſcientia dicenda eſt.

15 *Negant prout in nobis Aliqui* Thomiſtæ. Caietan. §. Ad euidentiam huius difficultatis ſcito duo.

Tertia ſententia media ob argumenta primæ ſententiæ negat Theologiam prout in via, & in nobis. Sic ſcientiam eſſe. At dicit eſſe ſimpliciter ſcientiam ita cenſent cum Caiet. aliqui Thomiſtæ Dominicani. Mouentur quia licet noſtra Theologia non pariat euidentiam in via, tamen ſub eiſdem terminis ſi applicentur ſubiecto recte diſpoſito euidentiam generat, vt patet in Beatorum Theologia hoc autem ſufficit ad ſcientiam. Sic mathematica Scientia eſt licet poſita in ruſtico euidentem demonſtrationem non generet, quia ſi in homine ingenuo ponatur demonſtrationem generabit.

16 *Affirmant ſubalternam Cæteri* Thomiſtæ.

Quarta ſententia pro qua ſunt communiter Dominicani, quos refert Pater Faſolus dubitatione 14. ſupra citata tuetur Theologiam eſſe ſcientiam non ſimpliciter, & abſolutè, ſed cum addito nempe *ſubalternam*, vel *ſubalternatam*. Mouentur ex natura, & conditione ſcientiæ ſubalternæ, cui ſufficit, ſi euidentiam habeat ſuorum principiorum in lumine ſuperioris ſcientiæ, quin ipſa ſcientia ſubalterna teneatur ſua principia demonſtrare dum ab alia, cui ſubalternatur demonſtrentur. At principia Theologiæ noſtræ demonſtrantur, & euidentia ſunt per lumen, & Theologiam Beatorum. Ergo cenſenda eſt ſcientia ſubalterna.

17 *Theologia abſolute non eſt ſcientia, nec ſubalterna.*

Ego hic exiſtimo primo Theologiam ſimpliciter ſcientiam non eſſe formaliter loquendo, & iuxta vſum & acceptionem communem huius vocis *ſcientia* ſcientia enim (vt dixit Auguſtinus citatus ſupra §. 7.) nutationi locum non dat, ex neceſſitate ſcilicet, & vi motiua obiecti: hinc licèt plures cognitiones de obiectis neceſſariis veræ ſint neceſſario, cum ab eis deficere veritas non poſſit; quia tamen intellectus noſter circa talia obiecta omnino firmus non eſt, quin propoſitioni ipſorum diſſentiri poſſit, ſcientifici non ſunt. Ergo ſimiliter dicendum de Theologia iuxta §. 13. Confirmatur primo in habitu Fidei, qui etiamſi diſcurſiuus ſit, non eſt ſcientia; & tamen procedit ex principiis omnino certis; ſolum obſcuris in via, euidentibuſque in lumine Theologico Beatorum. Conſequentia patet tum quia ob has conditiones Theologia dicitur ab Aduerſariis ſcientia iuxta §§. 14. & 15. Tum etiam quia obſcuritati concluſionis non minus obeſt obſcuritas vnius præmiſſæ, quam vtriuſque, ſicut, & falſitati concluſionis ſufficit falſitas vnius præmiſſæ, quia ſcilicet concluſio nititur vtrique præmiſſæ copulatiuè; copulatiuè, autem non minus obſcuratur ex ineuidentia vnius cathegoricæ, quam vtriuſque, hinc eſt ſimpliciter obſcura *Deus eſt Trinus, & Vnus*: item *homo eſt riſibilis*, & *Chriſtus eſt homo*. Addo fidem, quando diſcurrit, vti vna præmiſſa euidenti: *quidquid Deus dicit eſt verum*: (quod eſt euidentiſſimum) *ſed dicit dari Trinitatem*, Ergo *hoc eſt verum*. (Vnde ſecundo confirmatur mea ſententia, nam nemo dicet concluſionem prædictam eſſe ſcientificam, ſeu Trinitatem in via eſſe obiectum ſcibile, & tamen cognoſcitur per principia non minus certa, aut euidentia per ſcientiam Beatorum quam concluſio Theologica.

18 Dico tamen ſecundo vt morem geram communi modo loquendi Thomiſtarum Theologiam aliquo modo eſſe *ſcientiam ſubalternam*: ratio eſt quia licèt hic, & nunc, vt ſumus in via principium Fidei, quo vtitur Theologus non cognoſcatur per habitum euidentem; ſed obſcurum; at hic habitus per ſe ordinatur ad clarum, & euidentem; ſed obſcurum; fides enim per ſe diſponit Theologum ad habendam euidentiam per lumen gloriæ de eodem principio, & articulo, quem credit in via ergo ſicut ſcientia propriè ſubalterna eſt illa quæ ſua principia aſſumit ſolum vt credita ab ipſa, licèt demonſtrata à ſuperiori ſcientia ſubalternante, ita aliquo modo ſcientia ſubalterna appellari poterit, cuius principia obſcure tantum ab ipſa credita vt ſic ordinata ſunt, vt demonſtrentur tandem per ſuperiorem ſcientiam luminis gloriæ. Si contra hæc opponas ea quæ dixi §. præcedenti pro prima concluſione, reſpondebo fidem diſcurſiuam non diſtingui à Theologia; item abſurdum non eſſe quod Trinitas in via ſit obiectum ſcibile ſubalterne & impropriè.

Sed ſolum ſecundum quid.

Hinc ad ſententias relatas à §. 13. reſpondeo primam pro nobis eſſe. Secundam in §. 14. falſam eſſe & contra communem *ſcientiæ* acceptionem, quæ ſemper euidentiam connotat ideo S. Thom. hìc recurrit ad ſubalternationem Beatorum vt principia Theologiæ noſtræ habeant euidentiam ſaltem in alio; neque vllus dixit fidem demonſtratiuè immediatè procedere; vti habitus naturalis principiorum erga propoſitionem per ſe notam, eo quod principia Fidei non minus immediatè nota ſint quam naturalia per ſe nota: igitur falſo ob ſolam certitudinem præmiſſarum vocatur Theologia ſcientia. Et multo minus ob euidentiam conſequentiæ, ſeu illationis, nam illatio poteſt eſſe euidentiſſima licèt propoſitio concluſionis non ſolum obſcura ſit, ſed etiam falſa verbi gratia, *Omnis homo eſt Angelus Chriſtus eſt homo ergo Chriſtus eſt Angelus*. Tertia ſententia in §. 15. nihil concludit de Theologia prout in nobis de qua hic diſputamus, nam abſtrahendo à ſubiectis etiam Trinitatis exiſtentia eſt per ſe nota, cum ſit ſumme vera, euidentiſſimeque cognita à Deo. Quarta ſententia in §. 16. ſolum probat Theologiam eſſe ſcientiam ſubalternam impropriè, vt latius conſtabit dubitatione ſequenti. 19

Iudicium de aliorum ſententiis.

Dub. ſecundo vtrum Theologia ſubalternetur ſcientiæ Dei aut Beatorum? Suppono ex dicendis in Philoſophia cum P. Gregor. de Valentia in præſenti diſput. 1. quæſt. 1. part. 3. §. 2. verſ. *Secunda quæſtio*: Caietano art. 2. 5. *Circa hanc diſtinctionem*, vno hoc ſcientiam *ſubalternam* diſtingui à *ſubalternante*, quod illius principia ignota ſint *ſubalternæ* ipſi, & ineuidentia per ſe ſine continuatione & auxilio *ſubalternantis*, à qua ſola docentur & demonſtrantur. Probatur aſſumptum. Nam hoc vno præciſe poſito in aliqua facultate iam iſta erit ſcientia *ſubalterna*; Rurſus hoc ablato ſubalternatio ceſſat: Primo in hoc vno conſiſtit ſubalternatio ſcientiarum. Conſequentia patet, & antecedens quoad primam partem: Nam qui talem facultatem habet, iam ſimpliciter cognoſcit eius concluſiones euidenter: quatenus nempe reducuntur hæ in principia, quæ ipſi ſcientiæ euidentia ſunt lumine *ſubalternantis*. Sed concluſio euidens parit ſcientiam, Ergo talis facultas erit ſcientia: at non ſine auxilio, & concurſu ſubalternantis, cum huius ratione euidentiam habeat, quæ maximè eſt de conceptu ſcientiæ: Ergo prædicta facultas non eſt ſcientia ratione ſui, ſed vt *ſubalterna*. Hinc ſecunda pars prædicti antecedentis probatur, quia ſi facultas 20

V: Theologia ſubalternetur ſcientiæ Dei & Beat.

Definitur quæ ſit ſcientia ſubalterna.

cultas aliqua independenter ab alia ſibiipſi eui-
denter probet ſua principia, iam ratione ſui faciet
diſcurſus euidentes: Vbi autem facultas aliqua
poteſt euidenter diſcurrere intra proprios limites,
jam eſt ratione ſui ſcientia, & conſequenter defi-
cit à ratione ſubalternæ.

Addo principia ſcientiæ ſubalternæ debere eſſe
21 ignota illi *omnino*: Tum quia non ſufficit probari
ab alia ſcientia, ſi alias ab ipſa *ſubalterna* demon-
ſtrabilia ſunt, alioqui omnes ſcientiæ ſubalterna-
rentur Metaphyſicæ, ſiquidem principia omnia
demonſtrat: ſic propoſitio adhuc per ſe nota &
immediata, ſi ſit per ſe clara, licèt alioqui poſſit
ex medio demonſtrari, cum omnis propoſitio, quã-
tumuis per ſe nota ſemper poſſit probari ex aliis:
Tum etiam quia non facit ſubalternationem quod
vni parti ſcientiæ ignota ſint principia; ſi tamen
per aliam partem demonſtrentur; ita ſecundus &
tertius ſyllogiſmus, verbi gratia, de tertia paſſione
non facit ſcientiam ſubalternam, quia licèt in ſe
jmmediatè obſcuri ſint, at clareſcunt, & demon-
ſtrantur per primum ſyllogiſmum eiuſdem ſcien-
tiæ. Addo præterea principia ſcientiæ ſubalternæ
debere reddi euidentia per continuationem ad
ſubalternantem, neque ſufficere quod principia
ſubalternatæ alteri ſcientiæ euidentia ſint, ſi ſubal-
terna non exiſtat in odem ſubiecto cum ſubalter-
nante: ideo nemo dicet exiſtentiam Dei ſcientificè
cognoſci à ruſtico, quia ſcilicet licèt diſcurſu ru-
ſtici ſecundùm ſe euidenter probari poſſint per
ſcientiam Metaphyſicam, at ruſticus Metaphyſi-
cus non eſt. His ſuppoſitis.

Prima ſententia communis Thomiſtis tuetur
22 Theologiam eſſe ſcientiam ſubalternam eo quod
ſubalternetur ſcientiæ Beatorum. Ratio eſt, quia
Theologia noſtra ex parte ſui apta eſt coniungi
cum ſcientia Beatorum, imo de facto illi coniun-
gitur in animabus Beatis, quæ in via Theologiam
adquiſierunt quam ibi etiam retinent iuxta dictum
Hieronymi in epiſt. ad Paulin. *diſcamus in terris
quorum doctrina perſeueret in cœlis*: Ergo ex ſe
noſtra Theologia per continuationem cum illa
euidentia rationem ſcientiæ ſubalternæ adquiret.
Mouentur ſecundò ex S. Thoma opuſc. ſuper Boët.
de Trinit. quæſt. 2. art. 2. ad 5. *Dicendum quod
etiam in ſcientiis humanitùs traditis ſunt quadam
principia in quibuſdam earum, quæ non ſunt omni-
bus nota, ſed oportet ea præſupponere à ſuperioribus
ſcientiis ſicut in ſcientiis ſubalternatis ſupponuntur,
& creduntur aliqua à ſuperioribus ſcientiis ſubal-
ternantibus: & huiuſmodi non ſunt per ſe nota niſi
ſuperioribus ſcientiis. Et hoc modo ſe habent arti-
culi fidei qui ſunt principia huius ſcientiæ ad cogni-
tionem Diuinam, quia ea quæ ſunt per ſe nota in
ſcientia quam Deus habet de ſeipſo ſupponuntur in
ſcientia noſtra, & ei creditur ea indicanti nobis per
ſuos nuncios.* Ergo iuxta S. Thomam ſcientia ſu-
balterna ſolum petit quod continuetur cum eui-
dentia ſubalternantis, quatenus accipit ſua prin-
cipia vt credita, ſeu credendo talia principia ſubal-
ternanti cui huiuſmodi principia euidentia ſint:
Ergo cum Theologia noſtra procedat ex principiis
creditis per fidem habitam illi, cui nota ſunt talia
principia ratione illius euidentiæ ſcientia ſubal-
terna dicetur: Neque tamen omnis concluſio pro-
babilis ideo dicenda erit ſcientia ſubalterna, quia
eius principia euidentia ſunt ſcientiæ Dei, nam
Deus talia principia non nobis proponit cre-
denda.

Prima ſententia, affirmat quia ſubalternatur ſcientiæ Beatorum.

23 Secunda ſententia ob hoc ſecundum fundamen-
tum putat Theologiam noſtram ſubalternari ſcien-
tiæ ipſius Dei, quam ſcilicet Deus habet de ſeipſo:
Ita Fr. Ioan. de S. Thoma, quæſt. 1. diſput. 2. art. 5.
verſ. *Ad ſecundum*. Ratio huius eſt, quia princi-
pia Theologiæ, ideo nobis credita ſunt; quia ſunt
euidentia ipſi Deo; neque ſi in lumine Diuino
hanc euidentiam non haberent, quirent tantæ
certitudinis in nobis eſſe: Ergo ab euidentiâ aſſen-
ſus principiorum deriuatur.

Vel ſcientiæ Dei.
Fr. Ioan de S. Thom.

Tertia ſententia addit Theologiam etiam ſubal- 24
ternari ſcientiis naturalibus. Ita Mairon. qu. 21.
Prologi ad 7. Ratio pro hac ſententia eſt primò,
quia concluſio Theologica non minus pendet à
principio naturali, quam à principio fidei, aliunde
illud immediatè euidens eſt: Ergo à fortiori ex
huius euidentia, quæ immediata eſt poterit Theo-
logia dici ſubalterna, cum talis ſit ob præmiſſam
fidei, quæ ſolum mediatè in lumine ſcil. Beato eui-
dens eſt. Secundò concluſio Theologica, *Chriſtus
eſt riſibilis* pendet à præmiſſâ: *homo eſt admira-
tiuus*: quæ in ſcientiis naturalibus demonſtratur
vt concluſio; illi autem ſcientiæ ſubalternatur alia,
cuius concluſiones aſſumit pro principiis ex quibus
ſuas proprias concluſiones concludat.

Scientiæ naturali.
Mairon.

Dico ergo primo: Theologia ſimpliciter & pro- 25
priè loquendo nulli ſcientiæ nec beatæ, nec natu-
rali ſubalternatur per modum ſcientiæ ſubalter-
næ. Probatio eſt clara ex dictis: Nam nulla ſcien-
tia communicat nobis Theologis euidẽtiam Theo-
logicæ concluſionis; Beata quidem quia nobis non
continuatur, nec habetur in via: Naturalis autem
licèt fortè continuetur; at inſufficiens eſt ad tri-
buendam euidentiam, nil namque refert pro eui-
dentia concluſionis quod vnum principium ſit eui-
dens niſi euidentia in vtroque ſit vt notaui §. 17.
Ergo ſaltem per modum ſcientiæ Theologia nulli
ſubalternatur.

Simpliciter Theologia non eſt ſcientia ſubalter.

Obiicies Theologiam etiam per modum ſcientiæ 26
ſubalternari naturali. Nam Theologia eſſet ſcientia
ſubalterna illi facultati, quæ euidens redderet prin
cipium fidei, licèt talis facultas nil dicere de prin-
cipio naturali: Ergo è contra ſubalternabitur na-
turali ſcientiæ demonſtranti principium, ſeu præ-
miſſam naturalem licèt non demonſtret princi-
pium fidei. Reſpondeo: nego conſequentiam, diſ-
crimen eſt, quia cum nil deſit Theologiæ ad ha-
bendam plenam euidentiam ſui obiecti, & con-
cluſionis niſi claritas circa principium fidei, fa-
cultas, quæ hoc euidens redderet homini comple-
tè, & abſolutè faceret Theologicam concluſionem
euidentem, verbi gratia, ſi euidens fiat: quod
Chriſtus eſt homo, cum aliàs euidens ſit omnem
hominem eſſe riſibilem, omninò euidens erit
Chriſtum riſibilem eſſe: Cum ergo vnde venit
alicui facultati euidentia communicata ſuæ con-
cluſioni, inde veniat quod ſit ſcientia ſubalterna;
iure Theologia ſubalternaretur facultati clarifi-
canti principium fidei, ſecus clarificanti ſolum
principium naturale, quia adhuc cum huius cla-
ritate ex parte fidei obſcuritas manet.

Obiicies ſecundo Theologiam plures habere 27
concluſiones ex principiis demonſtrabilibus per
ſcientias naturales: id patet primo quando credit
Dei exiſtentiam, quæ euidenter demonſtratur à
Metaphyſica. Ergo huic ſubalternatur. Ita OKam
quæſt. 1. Prolog. litt. M. ſecundo dum docet vſu-
ram eſſe peccatum, quia eſt lucrum vltra ſortem,
quòd principium demonſtratur à Philoſophia mo-
rali. Ergo huic ſubalternatur. Ita obiiciunt Vaſ-
quez diſput. 7. cap. 5. Granados diſput. 6. num. 8.

Theologia non ſubalternatur ſcientiæ naturali ſpeculatiuæ, nec practicæ.

Reſpondeo

Reſpondeo Theologiam dupliciter diſcurrere vel vtendo principiis pure naturalibus ad maiorem firmitatem, vel explicationem, aut confirmationem veritatum Fidei, & ſic ſæpè procedit vt ſcientia non ſolum *ſubalterna*, ſed *ſubalternans*; includit enim ſic ipſam Metaphyſicam. At in præſenti non loquimur de ea in hac acceptione, ſed prout habet diſcurſus vtendo vna præmiſſa Fidei. Vnde nil concludit OKam. Secundo diſcurrit Theologia vtens quidem vna præmiſſa Fidei. Sed quæ ſimul euidenter demonſtrabilis eſt per ſcientias naturales, vt cum ex eo quod *omnis homo mortalis ſit*, vt Fides docet, infert eius materiam informari poſſe formâ cadauericâ, quæ concluſio ſtricte quidem Theologica eſt, licet illud principium Fidei demonſtretur in Philoſophia; At non ideo ſubalternatur Philoſophiæ, quia non aſſumit Theologiá principium illud, vt creditum à naturali ſcientia, ſed vt creditum per fidem, alias non procederet vt ſtricta Theologia, per quod patet ad obiectionem Patris Vaſquez.

Aliquo modo ſubalternatur ſcientia Dei & Beatorum, ſed huic propriùs.

28 Dico ſecundò: Theologia aliquo modo ſubalternatur ſcientiæ Dei, Beatorum, & naturali: propriùs tamen ſcientiæ Beatorum. Prima pars probatur; nam concluſio Theologica vtitur principiis vt *notis* per ſcientiam Dei; vt *noſcendis* per ſcientiam Beatorum, vt dixi §. 18. Item ſaltem quoad vnum principium pendet à ſcientiis naturalibus, ex quibus illud ſumit; Ergo ob hos titulos poterit cenſeri Theologia ſubalternata his ſcientiis. Secunda pars etiam probatur, nam concluſio Theologica nullam habet continuationem, ſeu coniunctionem cum ſcientia Dei, ſed differt ab ipſa ex parte ſubiecti, ſiquidem Theologia in nobis eſt; ſcientia vero illa in ſolo Deo: rurſus, licet à ſcientiis naturalibus, quarum vno principio vtitur, non differat ex parte ſubiecti, imò ſæpe continuetur, ſeu coniungatur concluſio Theologica cum his ſcientiis; aſt naturales ſcientiæ non præſtant ſufficientia principia, vi quorum concluſio Theologica deduci poſſit. Iam verò ſcientia Beatorum, & per ſe coniungi poteſt cum concluſione Theologicâ, vt dixi ex Hieronymo §. 22. & aliunde ſufficiens eſt, ſufficienterque præſtat omnia principia, ex quibus deducitur concluſio Theologica; Ergo propriùs iſta ſubalternatur ſcientiæ Beatorum, quam aliis. Non negabo tamen Theologiam comparari penes excedens, & exceſſum in ratione ſubalternatæ cum qualibet ex iis tribus ſcientiis: nam reſpectu ſcientiarum naturalium ſpecialem habet continuationem de facto præ ſcientia Dei & Beatorum, reſpectu ſcientiæ Dei habet aſſumere principium *creditum*, quia notum eſt à ſcientia Dei, quod non habet reſpectu ſcientiæ Beatorum. Denique reſpectu ſcientiæ Beatorum, & habet continuari, ſeu coniungi poſſe concluſionem Theologicam cum tali ſcientia, quo differt à ſcientia Dei, & habet omnimodam euidentiam ob talem continuationem cum ſcientia Beatorum, quo differt à ſcientiis naturalibus.

29 Hinc ad ſententias relatas à §. 22. Ad primam reſpondeo probari ſubalternationem Theologiæ ſecundùm quid ſcientiæ Beatorum, ſed non ſimpliciter & per modum ſcientiæ, prout iſta conſideratur in nobis vt extra patriam exiſtentibus, vt ſatis conſtat ex nuper dictis. Per quod etiam patet ad ſecundam ſententiam in §. 23. Denique ſententia tertia in §. 24. non plus probat, neque eius obiecta alia indigent ſolutione, quàm ea, quæ præſtatur à §. 27. & ſequentibus.

Dubio tertio vtrum puro viatori diuina ſaltem virtute communicari poſſit euidens cognitio articulorum Fidei? De qua dubitatione agit Mol. hic diſput. 4. P. Faſol. hic dubitatione 8. Sed proprius locus huius difficultatis explicandæ eſt 2. 2. art. 4. & 5. in quæſt. 1. vbi inquiritur an obiectum fidei poſſit eſſe aliquid viſum, vel ſcitum de quo ego latè agam tract. de Fide. Singulariter putauit Henric. quodlib. 8. quæſt. 14. & quodlib. 12. quæſtione 2. dari de facto in Proceribus Eccleſiæ quoddam lumen euidens medium inter lumen Fidei, & lumen gloriæ, quo etiam difficillimi Fidei articuli euidenter appareant; Sed hanc ſententiam experientia ipſa improbat; quare ſuppoſito de facto non dari in nobis ſcientiam de articulis Fidei; item fidem ipſam non remanere in Patria vt dicetur 1. 2. quæſt. 67. art. 3. ſuppoſita etiam, vel omiſſa dubitatione de compoſitione Fidei cum viſione de potentia abſoluta, de quo tract. de fide. De Theologia ipſa ſit alia dubitatio. 30

Vtrum puro viatori diuina ſaltem virtute communicari poſſit euidens cognitio articulorum Fidei?

Dubit. quartò v. noſtra Theologia perſeueret in Beatis, quatenus ſcilicet eadem concluſio, quæ in via procedebat ex principio obſcuro fidei, procedat modo ex euidenti viſionis beatæ. Affirmant plures Thomiſtæ cum Caietan. hic quæſt. 1. art. 2. §. *Quoad ſecundum*. Bannes dub. 3. Henriquez lib. vlt. huius cap. 1. Scotus quæſt. 3. Prologi quæſt. 4. Tannerus hic diſput. 1. quæſt. 2. dub. 3. num. 8. verſ. *tertius* & meo iudicio. Mouentur primò vt ſic melius ſaluetur ſubalternatio concluſionis Theologicæ cum ſcientia Beatorum, dum continuatur, ſeu coniungitur cum tali, ſcientia in eodem intellectu. Secundò, vt ſtet dictum Hieronymi epiſt. 103. ad Paulinum: *Diſcamus in terris, quæ nobiſcum perſeuerent in cælis.* Ergo concluſio Theologica, quam hic habemus, cum in cælis non deducatur ex principio Fidei, quæ ibi non eſt, perſeuerabit ex eodem vt cognito euidenter per lumen viſionis. Tertio à paritate amoris Dei, qui idem omnino, qui fuerat in via directus à fide manet in patria ex viſione. Quartò eſt mihi ratio à priori, quia concluſio, licèt per ſe pendeat à præmiſſis obiectiuis, hoc eſt, ſtare non poſſit; niſi ducatur ex obiecto motiuo præmiſſarum; at non pendet per ſe ab his præmiſſis formalibus; hoc eſt, non dependet ab eo quod obiectum præmiſſarum repræſentetur per hunc actum, vel per illum; quemadmodum, vt amem Petrum, per ſe requiritur cognitio de Petro, at amori nihil refert, quod Petrus repræſentetur per hanc cognitionem, vel per illam. Tunc ſic: ſed pro concluſione Theologica idem motiuum obiectiuum præmiſſarum, quod in via cognitum fuit per actum Fidei, cognoſcitur in patria per actum viſionis: Ergo permanere poterit eadem concluſio. 31

Vtrum noſtra Theologia perſeueret in Beatis.

Affirmant. Caietan. Bannez. Heriquez. Tanner. Scotus.

Secunda ſententia negat, ita Heruæus, Capreolus, Gabriel, Catherinus. Valentia, Rada, Molina, Fonſeca, cum & apud Faſol. hîc quæſt. 1. articul. 2. dubitat. 8. num. 41. Mouentur 1. ex 1. Corinth. 13. *Cum autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.* Vbi S. Paulus à patria excludit cognitionem imperfectam, ſed cognitio Theologiæ noſtræ imperfecta eſt: ergo non dabitur in patria. Mouentur 2. quia concluſio probabilis, quantumuis ſit vera, diſtinguitur ab euidenti, ſeu ſcientificâ, etiam de eodem obiecto, hinc ſcientia & fides de eodem obiecto maximè diſtinguntur: atqui concluſio ſolum à diuerſitate præmiſſarum formalium, quod ſcilicet euidentes ſint, vel ineuidentes, habet quod ſit probabilis (ſeu fidei) vel ſcientifica: Ergo 32

Negant Heruæus. Capreol. Gabriel. Cather. Valentia. Rada. Molina. Fonſeca. Faſol.

concluſio

concluſio noſtra, quæ deducitur ex præmiſſa ineuidenti fidei, nequit deduci ex euidente viſione. Conſequentia patet. Antecedens eſt clara, etenim ſi obiectum præmiſſarum cognoſcatur euidenter, iam concluſio hinc euidens dicetur, & è contra ineuidens, ſi præmiſſæ ineuidentes ſint, verbi gratia, hæc concluſio: *potentiæ diſtinguntur ab anima*, probabilis eſt deducta ex hoc principio: *Subſtantia creata non eſt immediatè operatiua*, vti à nobis per ſe cognoſcitur tale principium. Rurſus eadem concluſio euidens, & ſcientifica foret ei, qui euidenter cognoſceret prædictum principium, ſciretque omnino clarè nullam creatam ſubſtantiam poſſe immediatè operari. Mouentur 3. quia in Beatis non datur locus diſcurſui: Ergo nec concluſio Theologiæ noſtræ poteſt deduci ex viſione Beatâ. Conſequentia eſt manifeſta. Antecedens probatur, quia viſio beata in ſuo modo tendendi longè præſtat modo cognoſcendi Angelorum; ſed iſti ſunt incapaces diſcurſûs: Ergo & à fortiori ſcientia Beatorum.

33 *Affirmandū de potentia abſoluta.* Ego primæ ſententiæ abſolutè adhæreo; non quia putem connaturaliter loquendo poſſe concluſionem deductam ex præmiſſis obſcuris coniungi hatum loco cum præmiſſis euidentibus; tanta namque præmiſſarum diuerſitas nequit non concluſionem inferre diuerſo modo tendendi, dum connaturaliter, & modo proportionato, concluſio elicitur; ſed quia nullam video repugnantiam, ob quam de potentia abſoluta non poſſint præmiſſæ euidentes dum procedunt ex eodem motiuo, cum præmiſſis obſcuris, harum loco ſubſtitui ad inferendam eandem concluſionem. Poteſt eadem concluſio Theologica, quæ in viro catholico procedit ex præmiſſa ſupernaturali fidei infuſæ in hæretico permanere, & procedere ex præmiſſa naturali fidei acquiſitæ, etiam ex natura rei, cur ergo non poterit de potentia abſoluta vinci diuerſitas præmiſſarum etiam quoad euidentiam, ſi intercedat potentia abſoluta Dei, dum tamen præmiſſæ tam euidentes, quam obſcuræ procedant ex eodem motiuo. Addo ſemper motiuum vtrarumque præmiſſarum debere eſſe omninò idem, quia vt notaui §. 31. in vltimo argumento concluſio per ſe, & eſſentialiter perdet ab eodē motiuo obiectiuo; ſicut etiam amor ab eadem bonitate obiectiua, (ſic vel ſic per talem ſcil. cognitionem, vel per aliam propoſitam) neque enim quia ad amandum Petrum mouetur ex bonitate Dei præcipientis, ideo poterit moueri ex bonitate intrinſeca ipſius Petri.

34 *Secus de potentia ordinariâ.* Iuxta quam doctrinam compono vtramque ſententiam ſupra relatam, vt ſecunda negans procedat ex natura rei inſpecta connaturalitate concluſionis Theologicæ, ſi enim diſcurrere ex euidentibus, vel ex probabilibus diſcriminat habitus ipſos quis enim non diſtinxit habitum ſcientiæ ab habitu opinionis, à fortiori diſcriminabit actus ipſos. Rurſus concluſio Theologica in ſe intrinſecè obſcura non eſt, niſi pro qualitate præmiſſarum, de quibus oritur, & conſequenter euidens poteſt eſſe, ſcientificaque ſi oriatur à præmiſſis euidentibus. Ergo ſi oriatur ab illis permanere poteſt in patria. Conſequentia patet, nulla namque cognitio dedecet Beatos, niſi obſcura, imperfecta, ſeu ex parte vt loquitur S. Paulus 1. Corinth. 13. Antecedens etiam clarum eſt vt oſtendi §. 32. in 2. argum. tunc ſic ſed concluſio Theologica viæ poteſt in patria oriri à præmiſſis euidentibus. Ergo poteſt eadem manere in patria. Minor probatur: nam in patria ſeu in Beatis poſſunt diſponi præmiſſæ euidentes, quæ procedant ex eodem motiuo, ac procedebant obſcuræ in via, verbi gratia, cognoſcat per viſionem Beatus *Deum eſſe primam veritatem*, ſeu quidquid dicat veraciter dicere; Rurſuſque addat; & videat quod *Deus dicit talem veritatem* determinatam; hinc poterit inferre: Ergo talis veritas exiſtit, motus, quia Deus dicit ſeu reuelat eam veritatem, quod eſt motiuum præmiſſæ fidei in via. At iuxta dicta in §. præcedenti eadem concluſio poteſt perſeuerare quæ ex præmiſſis obſcuris deducta fuit, dum ſubſtituantur aliæ euidentes ex eodem motiuo. Ergo in Beatis poteſt manere eadem concluſio Theologica quæ habita fuit à nobis in via.

Ad aliorum ſententias prout mihi opponi poſſunt facile reſpondeo. Ad primam in §. 31. Reſpondeo. Ad primum dico de facto dari ſubalternationem, quia de facto concluſio Theologica ex prouidentia Dei illuminante cognitiones viæ quâ fieri poteſt, manet in patria, redditurque ſcientifica, quæ hic fuerat obſcura. Per quod patet ad 2. explicaturque dictum Hyeronimi. Ad tertium ſimiliter cenſeo de amore, qui in via elicitur directus à cognitione obſcura fidei non poſſe eundem connaturaliter manere in patria abſolutè, tamen fortè manet, ſi dicamus libertatem non eſſe eſſentialem actui, ſed eundem amorem liberum poſſe tranſire in neceſſarium; rurſuſque ſi ſupponamus etiam nimis feruidum, & intenſum eſſe amorem alicuius ſancti Viatoris feruore & intentione digna ſtatus beatifici; his enim ſuppoſitis congruum mihi eſt, vt ex ſupernaturali prouidentia Dei amor idem, qui fuit in via perſeueret in patria. Quartum argumentum, quod in eodem §. formaui ſolum procedit connaturaliter loquendo. 35

Argumenta pro ſecunda ſententia in §. 32. noſtræ concluſioni non opponuntur. Ad primum ex prima Corinth. 13. fateor in patria euacuari imperfectionem concluſionis Theologicæ, etenim hæc, quæ obſcura fuit in via in patria redditur euidens, & ſcientifica vt dixi §. 34. Ad ſecundum fateor etiam concluſionem deductam ex præmiſſa ineuidenti, ſeu probabili, probabilem tantum eſſe, & addo concluſionem probabilem eſſentialiter non differre ab euidenti vt ſatis conſtat ex §. 34. Ad tertium dico in Beatis poſſe dari diſcurſum, etenim qui clarè intuetur Deum poſſe creare Angelum Gabrielem, quin intueatur poſſe creare Michaëlem facile poteſt colligere per diſcurſum, poſſe id, ſi viſioni illi accedat alia cognitio, qua intellectus iudicet virtutem, quæ poteſt creare Gabrielem poſſe creare Michaëlem, & omnem creaturam non implicantem contradictionem. Et ita ſentiunt Vaſquez, hic diſput. 4. cap. 4. Molina art. 1. diſput. 1. poſt primam concluſionem. Tannerus diſput. 1. qu. 2. dub. 3. aſſert. 5. Scotus qu. 3. Prologi quæſtiuncula 4. Imo addit P. Ripalda tom. 1. de ente ſupernaturali diſput. 55. num. 58. & ſequentibus per ipſum lumen gloriæ poſſe formari diſcurſus à Beato. Sed quidquid de hoc ſit ſaltem diſcurſum aliquem euidentem poſſe Beatis permitti ſatis conſtat ex dictis hic, & in §. 34. De Angelis eſt diuerſa ratio, ne poſſint diſcurrere circa naturalia, quia cum ex natura rei limitari nequeat vtpote debita virtus cognoſcitiua Angeli ſtatim in principio naturali comprehendit omnes concluſiones, virtus autem cognoſcitiua ſupernaturalium cum gratioſa ſit poteſt 36

inadæquatè

inadæquatè principium aliquod proponere, & ſic dare locum diſcurſui.

37 Dub. quintò, an in hæreticis poſſit perſeuerare Theologia. Affirmat Pater Vaſquez in præſenti defendens concluſionem Theologicam per ſe ſolum pendere à fide acquiſita. Negat communis ſententia cum Faſolo hic art.2. dub. 9. Bannez, dub. 1. ad ſecundùm Valentia qu. 1. punct. 5. qu. 1. ad quartum Gillius, lib. 1. tract. 2. cap. 7. num. 4. Nauerrete controuerſ. 3. §. 1. Molina infra art. 3. diſput. 2. §. *Intelliges* 2. Ego ſic vtroſque Authores compono, vt Theologia perfecta, quæ eſt in nobis Catholicis hoc eſt, quoad perfectionem formalium præmiſſarum non poſſit manere, nec inueniri in hæreticis, ſecus Theologia vt præciſè inſpecta ex parte obiectiuarum præmiſſarum. Prima pars patet, quia vna ex præmiſſis formalibus viri Catholici pertinet ad fidem infuſam, quæ non eſt in hæretico. Secunda pars etiam patet; nam idem obiectum præmiſſarum vt deſeruiens ad eundem concluſionis actum poteſt cognoſci iam per actum naturalem, iam per ſupernaturalem, iam per fidem infuſam, iam per acquiſitam, cum actus ſupernaturalis à naturali non differat ex obiecto formali vt ſæpius dico maximè diſput. 3. Confirmatur concluſio Theologica eſt naturalis, vt dixi diſput. 6. ſed eo ipſo non eſt cur repugnet manere in hæretico: Ergo actus concluſionis Theologicæ poteſt idem qui fuit in viro Catholico, in hæretico permanere Sed & hac dubitatione, vide diſp. 6. maximè in ſect. 4. & hic art. 3. §. 59.

An in hæreticis poſſit perſeuerare Theologia? Affirmat Vaſquez. Negant Faſol. Valentia. Bannez. Gillius. Nauarrete. Molina.

38 Dub. ſextò; an Theologia procedat ex aliqua præmiſſa reuelatá per fidem Diuinam? Affirmat cum communi Faſol. hic dubit. 3. num. 17. cenſens diſcurſum Theologicum neceſſario debere procedere ex aliqua præmiſſa reuelata per fidem Diuinam. Negat Vaſquez diſput. 1. num. 9. putans ſufficere præmiſſam hanc eſſe fidei acquiſitæ. Negant item Aureol. Durandus & Toletanus, quia putant apud Faſol. ſupra diſcurſum Theologicum poſſe conſtare vtrâque præmiſsâ naturali, dum tamen vt conditio præſupponatur fidei articulus.

An Theologia procedat ex aliqua præmiſſa reuelata per fidem Diuinam? Affirmat Faſol. cum cõmuni. Negant Vaſquez. Aureol. Durand. Toletan.

39 Ego exiſtimo omnes has ſententias veras eſſe iuxta varios ſtatus, qui conſiderari poſſunt in Theologia. Sententia Faſoli vera eſt de Theologia non obiectiuè, accepta, ſed formaliter, ſeu ex parte actus vt dixi diſput. 1. num. 1. item quoad ſtatum perfectum illius, vt ſic enim actus concluſionis perfectæ Theologicæ deducitur ex præmiſſâ fidei infuſæ. Ruſus ſecunda ſententia Patris Vaſquez vera eſt etiam de concluſione Theologica quoad ſtatum imperfectum, ſic enim eadem concluſio, quæ datur in Catholico ex præmiſſa fidei infuſæ permanere poteſt in hæretico, & deduci ex fide acquiſita vt dixi hic dub. 5. & ratio clara eſt; nam quoad apparentiam hæreticus, quando aſſentitur putat ſe duci ex reuelatione Diuina in præmiſſis ſicut Catholicus; neque enim ſacramentario hæretico, verbi gratia, occurrit circa Trinitatem credendam alia ratio motiua, niſi ſola reuelatio Dei; quare tota differentia non quoad apparentiam motiui, ſed ex diuerſa excellentia principij deriuatur; quæ diuerſitas per accidens ſe habet diuerſitati concluſionis formalis: quemadmodum dum quoad apparētiam dum obiectum appareat vt bonum nihil refert quod in re bonum ſit, vel non. Denique ſententia Aureoli, & Durandi vera etiam eſt ſi procedat de Theologia in latâ ſignificatione, pro quo omninò, vide tract. 1. diſputatione 1. per totam.

40 Dub. 7. An Theologia vti poſſit duplici præmiſſa reuelata ratio dubitandi eſt, quia concluſio deducta ex duplici reuelatá videtur formaliſſimè ad habitum fidei pertinere, maximè ſi iſta diſcurſiua permittatur. Sed de dubitatione hac vide diſp. 7. per totam.

An Theologia poſſit procedere ex duplici præmiſſa reuelata?

41 Dub. 8. An Theologia procedere poſſit ex vna præmiſſa reuelata, & alia naturaliter euidenti: ſub qua dubitatione non ſolum inquiritur, poſſit-ne talis concluſio elici ab habitu Theologico? Sed etiam an ita Theologica ſit ea concluſio obiectiua vt per fidem credi non poſſit? Pro qua dubit. vide diſput. 8. per totam.

An poſſit procedere ex vnâ præmiſſâ reuelatâ, & ex alia euidenti naturaliter?

42 Dub. 9. An Theologia procedere poſſit ex vna præmiſsâ reuelata & alia probabili. P. Faſolus hic dub. 6. acriter idem negat à num. 34. putans contrariam ſententiam eſſe communem, & per ſe notam ex apprehenſione terminorum, quia ſicut nomine Metaphyſicæ intelligitur habitus certus vtēs vtraque præmiſſa euidenti ita à fortiori hanc certitudinem petet habitus Theologiæ. Nihilominus Aureolus apud Maiorem quæſt. 4. Prologi §. *Tertio patet* Palacios q. 6. Durandus qu. 1. num. 14. & ſequentibus dicunt habitum propriè Theologicum eſſe opinatiuum, & procedere ex probabilibus. Ego ſententiam Faſoli abſolutè veram exiſtimo, ſi loquatur de concluſione, & diſcurſu perfecto Theologiæ, vt fateor loquendum eſſe, quando de aliqua facultate inquiritur, ſit ne ſcientifica, ſeu ſcientia; tunc enim non inquiritur de omni diſcurſu, qui fieri ſolet in tali facultate; alioqui, nec Metaphyſica ſcientia eſſet; cum plures eius concluſiones ſub opinione ſint; inquiritur ergo ſolum de diſcurſu perfecto talis facultatis. Iam verò abſque dubio Theologia vt perfectè accepta diſcurſus formare poteſt, qui nullo modo conſtent præmiſſa probabili, vt patet in hoc *omnis homo eſt riſibilis; Chriſtus eſt homo: ergo Chriſtus eſt riſibilis.* Nihilominus, ſi intendat Faſolus nullum diſcurſum pertinere ad Theologum, ſi intercedat præmiſſa probabilis ſine dubio fallitur niſi iniuriosè velit impertinenter à Theologis agitari veritates ferè omnes ſcholaſticæ cum ſub opinione ſint.

An poſſit Theologia procedere ex vna præmiſſa reuelata & altera probabili? Negat Faſol. Affirmant Aureol. Palac. Durand.

43 Addo ſpeciali ratione poſſe concluſionem Theologicam deduci ex præmiſſa probabili (etiam loquendo de Theologia in ſtatu perfecto) qua non poteſt concluſio eſſe ſcientifica, ſi deducatur ex præmiſſa probabili. Ratio mihi eſt, quia poteſt concluſio Theologica eſſe omninò certa, imò ſupernaturalis, quantumuis deducatur ex præmiſſa probabili; ſed pro perfectione concluſionis Theologicæ ſufficit iſta certitudo: Ergo concluſio Theologica poteſt eſſe perfecta quantumuis deducatur ex præmiſſa probabili. Conſequentia patet: Minor etiam facilè probatur nam eo differt Theologia ab aliis ſcientiis naturalibus, quod iſtæ requirant euidentiam, Theologia verò contenta eſt ſola certitudine, licèt obſcurâ. Maiorem autem latè probaui diſput. 3. per totam. Si dicas concluſionem non poſſe eſſe euidentem, ſi vel vna præmiſſa ſit ineuidens, incerta, ſeu probabilis: Ergo nec poteſt eſſe concluſio certa, ſi vna præmiſſa incerta ſit. Reſpondeo nego conſequentiam quia euidentia præciſè ſumitur ex claritate obiecti motiui, non autem ex conditione, vel modo tendendi principij effectiui, ſeu eliciuui cognitionis, ſecus certitudo, ſtat enim benè proponi obiectum debiliter, & ſecundum ſe ex modo proponendi obnoxium falſitati, nihilominus ob excellentiam principij,

cipij, & habitus concurrentis euadere actum omnino firmum, vt latè oſtendi illa diſputat. 3. ſect. 2. Quis autem dicat actum poſſe eſſe euidentem immediatè ſi eius motiuum obſcurum ſit? Ergo ſimiliter poterit conclusio ratione principij obtinere certitudinem, etiamſi deducatur ex vna præmiſſa probabili; licèt nequeat obtinere euidentiam, qualem requirit conclusio naturalis vt perfecta ſit, ſeu perfectè pertinens ad ſcientiam naturalem.

44 *An poſſit oriri ex præmiſſa naturali probabili conclusio ſupernaturalis?*

Dub. 10. (Specialiter occaſione præcedentis dubit.) An conclusio ſupernaturalis poſſit deduci ex præmiſſa naturali probabili de quo integram vide diſput. 3. quàm ſingulariter ego nullo Authore duce inſtitui, ideoque (licet forte partem affirmantem, quam defendo non malè audituram exiſtimem, tamen) & meliori iudicio ſubmitto, & ſolum vt tentatiuè, & præcisè ſtando rationi accipi exopto.

45 *An poſſit conclusio Theologica deduci ex vna præmiſſa Fidei, & alia falſa. Negant Conink. Hurtado. Torres. Bannes. Affirmant Ripald. Card. Lugo.*

Dub. 11. Vtrum poſſit conclusio Theologica deduci ex vna præmiſſa fidei, & alia falsâ. Comuniter abſque vlla diſtinctione negant Authores poſſibilem eſſe talem conclusionem, tum quia conclusio Theologica debet eſſe certa, & virtualiter reuelata; tum etiam quia præmiſſa fidei, nec in conſortio præmiſſæ naturalis poteſt influere in conclusionem falſam qualis eſſet illa tunc; ita P. Coninhc. diſput. 10. De actibus ſupernaturalibus dub. 4. P. Hurtado diſput. 19. de fide ſect. 4. P. Torres, & Bannez ibidem. Ego tamen dico primo conclusio illa, licet falſa poteſt deduci ex vna præmiſſa fidei, & alia naturali falſa: Eritque Theologica. Primam partem defendi cum Ripald. diſputat. 4. num. 3. ſecundam partem quod ſcilicet Theologica ſit probant, quæ dixi hic §. 42. vt conclusio Theologica poſſit eſſe opinatiua, & probabilis; quare conſequenter non repugnabit quod falſa ſit. Ergo nec quod deducatur ex vna præmiſſa falſa; tunc autem conclusio Theologica non erit virtualiter reuelata neque id opus eſt, quod ſcilicet conclusio omnis Theologica reuelata ſit, & certa; niſi loquendo de Theologia ſecundum ſtatum perfectum vt dixi hic §. 41. Dico 2. talis conclusio non erit ſupernaturalis ſi oriatur ex vna præmiſſa falſa ita dixi diſp. 5. ſect. 2. nu. 6. contra Cardin. de Lugo diſp. 4. de fide §. 103. inclinantem in ſupernaturalitatem prædictæ conclusionis. Sed cum ea conclusio ſit falſa ex natura rei nullatenus admittenda eſt ſupernaturalis vt dixi diſp. 4. ſect. 1. maximè à n. 2.

46 *An conclusio ſupernaturalis poſſit Diuinitus eſſe falſa.*

Dub. 12. Occaſione præcedentis dubitationis an conclusio Theologica ſupernaturalis poſſit eſſe falſa ſaltem de potentia Dei abſoluta, quæ dubitatio communis eſt ad omnem cognitionem ſupernaturalem, examinarique ſolet in tr. de fide; Ego vero eam latè diſcutio diſput. 4. per totam præbens generalem doctrinam ne vlla cognitio ſupernaturalis poſſit reddi falſa etiam inſpecta abſolutè Dei potentia.

47 *An poſſit eſſe ſupernaturalis etſi dependeat ab vna præmiſſa naturali?*

Dub. 13. An conclusio Theologica poſſit eſſe ſupernaturalis quantumuis per ſe, & vt formalis conclusio dependet à præmiſſa naturali: Mea ſententia eſt Diuinitus, & inſpecta abſoluta potentia Dei poſſe conclusionem permanere ſupernaturalem, quantumuis non ſolum vna præmiſſa, ſed, & vtraque naturalis ſit, id ſatis, & à fortiori conſtat ex dictis tract. 1. diſput. 3. Si vero ex natura rei, & de facto loquendum ſit ea conclusio erit purè naturalis vt dicam dub. 15. ex qua, & ex diſput. 6. conſtabit quid alij ſentiant.

48 *An poſſit eſſe naturalis quamuis dependeat ab vna præmiſſa ſupernaturali.*

Dub. 14. An conclusio Theologica poſſit è contra eſſe naturalis, quantumuis oriatur à præmiſſa ſupernaturali. Mea ſententia eſt ſi per ſe, & eſſentialiter non pendeat ea conclusio à præmiſſa ſupernaturali, naturalem eſſe: ſi vero eſſentialiter, & per ſe dependeat à tali præmiſſa ſupernaturali adhuc non implicare, quod talis conclusio Theologica naturalis ſit; quia poteſt effectus aliquis adæquatè contineri intra vires effectiuas naturæ, & conſequenter naturalis eſſe, quantumuis, vt cauſetur à natura, per ſe, & eſſentialiter dependeat tanquam à conditione ab aliquo prærequiſito ſupernaturali, vt latè explico, & defendo diſput. 5. per totam.

49 *An theologia de facto ſit ſupernaturalis, & infuſa.*

Dub. 15. An Theologia de facto ſit ſupernaturalis, & infuſa, de qua dubitatione egi diſput. 6. per totam, vbi Authores pro vtraque parte tam affirmante, quam negante retuli, nominatimque relatos cum ſuis citationibus inuenies apud Faſol. hic dub. 13. à num. 71. Ego vero tam de Theologica actuali, quàm de habituali cenſeo omnino naturalem eſſe vt ibi ex profeſſo probo.

50 *An ſit omnino certa.*

Dub. 16. An Theologia ſit omnino certa? Reſpondeo ſi loquamur de Theologia ſecundum ſtatum perfectum abſolutè certam eſſe, non tamen ſummæ certitudinis, de qua dubitatione 4. §. 7. hæc enim ſumma certitudo propria eſt ſolius fidei ſupernaturalis à qua differt conclusio Theologica vt patet ex dub. præced. eſt tamen vt dixi abſolutè certa ſiquidem dum perfecta eſt vti nequit præmiſſa vlla probabili vt dixi dub. 9. quo autem pacto Theologia ſuperet certitudinem ſcientias naturales conſtabit ex art. 5.

51 *An diſtinguatur ab habitu fidei?*

Dub. 17. An Theologia diſtinguatur ab habitu fidei: de hac dub. loquendo de Theologia quoad conclusionem ex vna præmiſſa reuelata, & alia naturali euidenti affirmatiuam partem defendo diſp. 8. & 9. per totas; affirmo item prædictam diſtinctionem quantumuis Theologia vtatur duplici præmiſſa reuelata diſputat. 7. per totam. Sed de hac dubitatione iterum redibit ſermo art. ſequenti.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſacra doctrina ſit vna ſcientia?

52 *An ſacra doctrina ſit ſcientia?*

AGit S. Thom. de hac difficultate quæſt. 1. Prologi ferè in omnibus articulis, ſed præcipue art. 1. Ego in meis diſputationibus ſub his terminis nihil dixi, quia ſub his potius dubitatio hæc ex principiis logicis, quam Theologicis eſt determinanda. Nihilominus plura tam ad vnitatem, quam ad diſtinctionem Theologiæ ab aliis ſcientiis dixi diſp. 7. 8. & 9. Nunc autem loquendo ſub terminis propoſitis.

53 *Negant. Durandus. Molina. Granadus. Vaſquez. Martinon.*

Dub. 1. An, & quomodo ſit vna. Prima ſententia eſt ſub *Theologia* plures ſcientias particulares comprehendi vti ſub *Philoſophia* plures ſcientiæ naturales ſunt. Ita Durand. quæſt. 4. Prologi num. 5. Molina hic diſputatione 3. fine Granad. tract. 1. diſput. 8. Vaſquez diſput. 7. cap. 5. Martinon diſput. 1. ſect. 4. num. 54. Probatur primo ex Auguſtino, Epiſt. 3. ad Voluſianum in cuius fine loquens de Theologia: *inuenitur hic* (inquit) *Phyſica, quoniam omnes omnium rerum cauſæ in Deo ſunt. Hic Ethica quoniam vita bona, & honeſta non aliunde formatur, quam cum ea, quæ diligenda ſunt, diliguntur.* Secundo arguit Durand. quia Theologia agit de Deo, & creatura iam ex probabilibus, iam ex euidentibus ergo ſicut iſta arguunt diuerſas ſcientias naturales, ita & Theologicas. Tertio arguit Molina

vt Theologia diſtincta ſcientia ſit prout diſcurrit ex duplici reuelatâ, vel ex vna reuelatâ, & alia naturali; nam in hoc caſu mouetur ex diuerſa ratione formali. Quarto arguit Vaſquez quia Theologia complectitur diſcurſus morales, & purè ſpeculatiuos ergo ſub ſe comprehendit ſcientiam moralem, & Scholaſticam diſtinctam ſicut in naturalibus vt dixit Auguſtinus. Quinto arguit Martinon quia reuelatio, ex qua mouetur Theologia non eſt vna ſpecie; reuelatio enim, cum dicat ordinem eſſentialem ad obiectum ſpecie diſſidet pro huius diuerſitate. At ſcientia diuerſificatur pro diuerſitate motiui, Ergo, &c. Sexto Theologia vtitur multiplici abſtractione à materia, nam abſtrahit ab omni materia cum agit de Angelis: à materia ſenſibili; cum agit de numero, & menſura ex reuelatis in ſancta ſcriptura: à materia ſingulari; dum de homine tractat; item ſæpe nec abſtrahit à ſingulari, vt cum de Chriſto Domino, & aliis ſingularibus diſputationem inſtituit. Ergo iuxta hos varios abſtrahendi modos multiplex erit Theologia, ſicut & Philoſophia.

54 *Affirmant.* S. Thom. Albert. Ægid. Scot. Aureol. Ricardus. Heruæus. Baccon. Capreol. Carthuſ. Conrad. Caietanus.

Secunda ſententia tuetur Theologiam eſſe vnam ſcientiam ſpecie atoma ita S. Thom. hic Albertus 1. diſtinct. 1. art. 3. & in ſum. tract. 1. quæſtione 3. memb. 2. Ægidius in Prologo 2. part. quæſtione 3. Scotus quæſt. 5. in impugnatione ſextæ opinionis in Henriq. in ſum. art. 6. quæſt. 3. Aureolus quæſt. 3. art. 1. opinione 7. Ricardus quæſt. 3. Heruæus quæſt. 5. Baccon. quæſt. 4. art. 4. Capreol. quæſt. 4. art. 1. concluſ. 4. Cartuſian. quæſt. 3. Conrad. in procemio 1. 2. Caiet. hic 1. part. quæſt. 1. artic. 3. cum omnibus Thomiſtis. Mouentur ex eo quod licet ſub Theologia tot, & tam diuerſa obiecta comprehendantur; at omnia illa attinguntur, quia conueniunt ſub eadem ratione formali cognoſcibilitatis per reuelationem virtualem; quemadmodum habitus Fidei cognoſcit omnia ſua obiecta, quia reuelata ſunt, ſeu quia cognoſcibilia per reuelationem formalem. Ergo ſicut ex vnitate huius rationis formalis in eſſe cognoſcibilis habitus Fidei eſt vnus, ita & Theologia erit vna ſcientia. Hoc eſt fundamentum commune Thomiſtarum cum Caietano hic reducentium vnitatem Theologiæ ad vnitatem rationis formalis obiecti vt obiectum eſt non autem vt res eſt. Cui ſatis fauet hic S. Thom. licet quæſt. 1. prologi art. 2. etiam probet vnitatem Theologiæ ex attributione ad vnam rationem obiecti vt res eſt, ſeu in eſſe rei ſcilicet ad Deum quatenus omnia de quibus agit Theologia ad Deum referuntur.

55 Ego huic ſententiæ ſubſcribo, ſed vt clarius occurratur oppoſitis fundamentis ſic eam probo. Theologia in omnibus ſuis actibus eundem ſeruat tendendi modum ſecluſa diuerſitate, quæ poſſit in puram diuerſitatem ſpecierum reduci, ſed ſcientia eſt omnino ſimplex vbi ſic idem eſt tendendi modus. Ergo Theologia eſt vna ſimplex ſcientia. Conſequentia patet. Maior probatur: nam Theologia vt talis eſt, ſemper elicit ſuum aſſenſum ex motiuo obſcurè reuelato, ſiue enim vtatur duplici præmiſſa Fidei, ſiue vna tantum, & alia euidenti ſemper obſcurè procedet ad elicientiam concluſionis; neque enim minus obſcurum eſt modo abſolute Chriſtum eſſe riſibilem etiam ſi ſit euidens *Omnem hominem riſibilem eſſe*, quam ſi ſolum per reuelationem conſtaret, *& hominem riſibilem eſſe, & Chriſtum eſſe hominem vt patet* ex §. 17. ſublata autem, vel præciſa, & non attenta hac diuerſitate modi tendendi, omnis noua difficultas, quæ ſuboriri poteſt eo quod Theologia verſetur in hac materia vel illa reduci poteſt in ſolam diuerſitatem ſpecierum. Quid enim maioris difficultatis eſt diſcurrere ex principiis, quæ proponuntur in materia de viſione, vel quæ proponuntur in materia de prædeſtinatione niſi præciſè quod dentur tales vel tales ſpecies principiorum? Nonne eadem Metaphyſica ad diuerſas veritates ſe extendit, & ex diuerſo formali motiuo verbi gratia ex repugnantia proceſſus in infinitum cauſarum colligit exiſtentiam cauſæ primæ; & ex eo quod nemo dat quod non habet colligit cauſam adæquatam debere eſſe perfectiorem ſuo effectu, quæ veritates valde diuerſæ ſunt, & ex diuerſo motiuo: adhuc tamen ad vnam ſcientiam metaphyſicam pertinent, quia ſcilicet modus tendendi per abſtractionem ab omni materia, qui ſolus difficultatem ſpecialem ingerit non vincibilem per ſolas ſpecies eiuſdem rationis in omnibus his diſcurſibus metaphyſicis eſt? Ergo ſimiliter dicendum pro vnitate Theologiæ. Confirmatur qui in vna materia Theologiæ ſe exercuit ad alias etiam materias Theologicas promptus eſt ſicut, qui in præciſionibus, & abſtractionibus ab omni materia ſe exercuit, didicitque ſine ductu ſenſuum diſcurrere in aliquo genere promptus eſt ad aliud, quantumuis diuerſum ex parte obiecti ergo ſicut ob hanc rationem vna ſcientia eſt metaphyſica, ita & Theologia. Vide tractatum 1. diſput. 9. ſect. 2. à §. 7.

Obiicies contra hanc rationem iuxta eam om- 56
nes ſcientias naturales coaleſcere in vnum ſimplicem habitum, & ſcientiam: nam omnes ſcientiæ naturales habent ſimilem modum tendendi ſcilicet concludendi ex euidentibus. Ergo ſi conuenientia concludendi ex obſcuris facit Theologiam eſſe ſcientiam ſimplicem, ita & faciet quod Philoſophia naturalis ſimplex ſcientia ſit, eo quod detur conuenientia concludendi ex euidentibus. Confirmatur maximè ex opinionibus, quæ omnes, quantumuis diuerſæ pertinebunt ad eundem habitum ſimplicem opinatiuum, cum ſemper concludant ex obſcuris ſicut Theologia. Reſpondeo nego abſolute conſequentiam, diſcrimen adhuc eſt, ne Phyloſophia ſit vna ſimplex ſcientia, ſicut Theologia, ſed habitus metaphyſicus verbi gratia diſtinguatur à mathematico, quia metaphyſica non ſtat præciſè pro habitu inclinante ad concluſiones, ſed etiam pro imbibente facilitatem, & facultatem circa principia: cum enim per ſe hæc ad nullam ſcientiam pertineant, ſi ſolitarie accipiantur, niſi coniuncta cum habitu illatiuo concluſionum ex ipſis totum coniunctum fert nomen Methaphyſicæ, & conſequenter habitus diſcurſiuus Methaphyſicus diſtinguitur à Mathematico, non ita contingit in habitu Theologico, qui quoniam ſupponit principia per ſe ſpectantia ad alias facultates ad habitum ſcilicet Fidei, & naturalis ſcientiæ, ſolum ſumitur Theologia penes id quod addit ſupra tales facultates; hoc autem vt ſic nullam multiplicitatem requirit.

Aliter vt appareat diſcrimen Philoſophiæ natu- 57
ralis, & opinionis à Theologia, vt illæ includant diſtinctos habitus, ſecus Theologia reſpondeo, & noto duplicem eſſe difficultatem in diſcurſu titulo cuius admittendus eſt nouus habitus diſcurſiuus. Prima eſt ex eo quod diſcurratur, & inferatur concluſio

cluſio ex materia nimis remotâ à ſenſibus, & hæc vrget pro ſcientiis, vel opinionibus naturalibus. Secunda difficultas proprium habitum expoſcens eſt pro inferenda concluſione ex motiuo obſcuro, neque enim minorem difficultatem afferr modus diſcurrendi ex obſcuris, quam ex remotis à ſenſibus, cum obſcura etiam ab intellectu remotionem habeant. Iam Theologiæ habitus ſolum requiritur pro vincenda hac difficultate. (nam prima ſatis vincibilis eſt per habitus ſcientiarum, vel opinionum naturalium) cum ergo vniformis ſit in omnibus Theologiæ diſcurſibus difficultas diſcurrendi ex obſcuris. Theologia manebit ſimplex; ſecus ſcientia, vel opinio naturalis, quæ ſecundùm primam difficultatem abſtrahendi magnam diuerſitatem habent, licèt in diſcurrendo ex euidentibus, vel obſcuris vniformitatem ſeruent. Ex quibus manifeſtè patet cur potius dentur varij habitus ſcientiæ, & opinionis naturalis, ſecus verò Theologiæ.

58 Replicabis: Ergo licèt Theologia ſit vna ſcientia, & habitus, quando ſupponit naturales habitus vincentes difficultatem abſtractionis à materia; at ſaltem non erit vna, quando procedit, quin hos habitus ſupponat, tunc enim opus erit vt Theologia multiplicetur, ſicut Philoſophia naturalis. Reſpondeo, tunc opus eſſe vt in Theologiâ multiplicentur habitus; at non ideò per ſe loquendo Theologia ſuam vnitatem atomam amittet; quia ipſi per accidens eſt hæc multiplicitas, neque tunc procedit vt condiſtincta à ſcientiis naturalibus; quo pacto in præſenti vſurpatur; loquimur enim cum S. Thoma, de ſcientia, quæ neceſſaria eſt *præter Philoſophicas diſciplinas*, & quatenus facilitatem tribuit non conſequibilem exercitio luminis naturalis intellectûs.

59 Ex his facilè occurri poteſt fundamentis pro prima ſententia in §.53. Ad primum ex verbis Auguſtini reſpondeo in Theologia inueniri quidem habitum Phyſicæ ex parte principij; ſicut & inuenitur habitus fidei, quoad vnam præmiſſam, quam ex fide ſumit; at loquendo propriè de habitu Theologico prout circa concluſiones verſatur, erit Phyſica æquiualenter, quia tangit veritates phyſicas, at ex diuerſo motiuo nempe reuelatione virtuali, quod ſi rurſus diuerſo motiuo vtitur ipſa Theologia prout ſe extendit ad veritates ethicas: adhuc dicendum eſt quod non variatur habitus Theologicus, cum detur idem modus tendendi iuxta §.55. Ad ſecundum Durandi hinc patet Theologiam diuerſam non eſſe eo quod de Deo agat, vel de creatura. Sed neque eſt diuerſa dum agit probabiliter, vel omnino certo, nam quoad apparentiam concluſio Theologica ſemper eodem modo proponitur, nec petit potius oriri ex præmiſſa ſupernaturali fidei infuſæ, quam acquiſitæ, eo autem ipſo quod oriatur ex fide acquiſita ex probabilibus procedit. Quare audiendus non eſt P. Molina hic qu.1. art.3. diſput.1. initio qui tanquam principium per ſe notum ſupponit habitum Theologiæ ex probabilibus non eſſe eundem cum habitu concluſionis certæ, licèt enim ipſe conſequenter hoc aſſerat cenſens eundem habitũ Theologiæ non manere in hæretico; at contrarium cenſent plures cum Vaſquez diſput. 1. §. 9. & diſp. 4. cap.8. num. 24. Maior qu. 4. Prolog. §. *ex dictis ſequuntur*. Gabriel, qu. 7. Prolog. notat. 2.

60 Reliqua fundamenta pro eadem primâ ſententiâ breuius ſoluuntur. Ad tertium Theologia diſcurrens ex duplici reuelatâ, vel ex vna tantum eundem habet tendendi modum diſcurrendi ex obſcuris vt dixi §. 55. Ad quartum idem habitus poteſt eſſe ſimul practicus, & ſpeculatiuus vt dicam ad art. 4. neque quia cognoſcat veritatem practicam opus eſt vt procedat Theologia diuerſo diſcurrendi modo; vt enim concludit ex *homo eſt riſibilis, Chriſtus eſt homo; ergo riſibilis*, pari facilitate, vel difficultate ex *peccatum eſt confitendum: Homicidium eſt peccatum*. Infert *ergo eſt confitendum*. Ad quintum do reuelationes entitatiuè eſſe ſpecie diuerſas; at non ideo variatur modus mouendi; ſicut neque qui mouetur ex teſtimonio ſcripto curat quod ſcriptura ſit formata characteribus aureis, vel atris. Ad ſextum, ratio ob quam diuerſus abſtrahendi modus potius variet ſcientias naturales, quam Theologicas patet ſatis ex §. 57.

Dub. 2. qualiter abſtractio à materia concurrat ad diſtinctionem ſcientiarum. Thomiſtæ cum Caietano in præſenti art. 3. §. *Ad euidentiam* triplicem conſiderant in obiecto vniuerſali intellectus (quo pacto pertinet ad conſiderationem ſcientiarum, quæ ſemper ſunt de vniuerſalibus) abſtractionem à materia. Prima eſt à materia ſingulari; ſed non à ſenſibili, vt ſi cognoſcam hominem vt ſic; homo enim eſt materia ſenſibilis, licèt vt ſic *ſingularis* non ſit. Secunda etiam à ſenſibili, ſed non ab intelligibili; ſic ratio *trianguli* non cognoſcitur affecta aliquo accidenti perceptibili per ſenſus, verbi gratia, calore, vel colore; adhuc tamen triangulus in ſuo conceptu *materialis* eſt. Tertia abſtractio eſt ab omni materia etiam intelligibili: ſic Angelus vel ſubſtantia vt ſic omnino in ſuo conceptu abſtrahunt à materia. Hinc iuxta hanc abſtractionem tres diſtingunt ſcientias, Phyſicam, Mathematicam, Metaphyſicam: Ita Thomiſtæ omnes, quos refert Didacus Maſius in Logica ſect. 1. qu. 2. Procemiali. 61

Qualiter abſtractio à materia concurrat ad diſtinctionem ſcientiarum?

Secunda ſententia putat abſtractionem à materia impertinenter ſe habere ad diſtinctionem ſcientiarum; ita latiſſimè P. Petrus Hurt. de Mendoza, diſp. 1. Metaphyſicæ, ſect. 6. in noua Editione maximè à §. 166. vbi pro ſe citat P. Suar. Molinam, Vaſq. Conimb. & alios. Mouetur quia ſub eadem ſcientia cadunt plura obiecta diuerſè abſtrahentia à materia; ſic ad Metaphyſicam pertinet *ens* quod ſolum abſtrahit per rationem à materia; Angelus, qui etiam realiter; Deus qui non ſolum à materia corporea, ſed etiam ab omni potentialitate abſtractus eſt. Mouentur ſecundò, quia e contra ſub eadem abſtractione dantur diuerſæ ſcientiæ; ſic actus voluntatis, & intellectus ſimiliter abſtrahunt, tamen illi à Philoſophia morali, iſti à naturali, vel dialectica conſiderantur. Tertiò, quia non eſt cur potius ſpecialius conducat ad diſtinctionem ſcientiarum abſtractio à formalitate materiali quam ab aliis formalitatibus. 62

Ego ſto Thomiſtarum opinioni congruè intellectæ. Moueor primò, quia ſententia hæc maximum fundamentum habet iuxta Ariſtotelem 6. Met. text. 2. vbi communiter Philoſophi, & S. Thomas vt ait Suar. diſput. 1. Met. ſect. 2. num. 6. & rurſus S. Thom. 1. Poſter. lect. 41. *Diſtinguuntur*, inquit, *genera ſcibilium ſecundùm diuerſum modum cognoſcendi: ſicut alio modo cognoſcuntur ea, quæ definiuntur cum materia, & ea, quæ ſine materia*. Moueor ſecundò, quia nulla difficultas apprehendi poteſt in modo tendendi cognitionis ſeclusâ diuerſitate abſtractionis in obiecto, quæ non ſit vincibilis per ſpecies: at habitus ſcientifici ſolum ſunt 63

diſtinguendi pro diuerſa difficultate, quæ non eſt vincibilis per ſpecies vt dixi §. 55. Ergo diſtinctio ſcientiarum ſolum ſumitur ex diuerſa abſtractione. 3. vt conſtabit §. ſequenti maior vel minor abſtractio à materiâ ſecundum ſe parit minorem, vel maiorem difficultatem cognoſcendi; cum enim noſter intellectus ſit ſenſibus immerſus, quo obiecta fuerint iſtis, & conſequenter materię propinquiora, eo facilius percipientur quantumuis illa obiecta diuerſa ſint entitatiuè; ita qui ſe exercuit in que præciſionibus, & reflexionibus abſque dubio promptior eſt ad diſcurrendum ſic ſubtiliter, & abſtractè in qualibet materia, quam is, qui his præciſionibus aſſuetus non eſt. Tunc ſic ſed pro vincendâ difficultate, quæ venit ex modo tendendi, & non præcisè ob defectum ſpecierum conſtituendus eſt nouus habitus in intellectu, ergo horum diſtinctio ſumitur ex diuerſa abſtractione à materia.

64 Nunc vt hæc melius intelligantur, appareatque qualiter ſumenda ſit abſtractio pro diſtinctione ſcientiarum; obſeruandus eſt quadruplex cognoſcendi modus. Primus eſt intuitiuus ſenſibus proportionatus, & pro hoc licet forte ſit habitus indicatiuus, nulla tamen eſt ſcientia, tum quia ſæpè eſt de obiecto contingenti; tum etiam quia intuitio opponitur diſcurſui; cum videat rem in ſeipſa, & hinc Angelis negamus diſcurſum, tum denique intuitio noſtra cum pendeat à ſenſibus nihil percipit vniuerſale; diſcurſus autem, ſeu ſcientia ex puris particularibus nihil concludit; hoc igitur primo modo cognoſcendi omiſſo, qui à nullâ materiâ abſtrahit, ſcientiæque inutilis eſt. Secundus modus cognoſcendi nititur quidem in obiecto ſenſûs, procedit tamen per diſcurſum, nam res ſenſatas apprehendit in vniuerſali, ſeu abſtrahendo à materia ſingulari, & ex principio ſic apprehenſo varias veritates cognoſcit. Tertius modus iam non nititur exterioribus ſenſibus immediatè, ſed peculiaribus combinationibus, & comparationibus, quas facit ſenſus communis ex rebus ſenſatis per exteriores vt cum apprehenditur ęqualitas, & inæqualitas diſtantia, & indiſtantia, &c. ex quibus peculiares veritates cognoſcũtur, ſed difficilius vtpote ex motiuo à ſenſibus externis remotiori. Quartus denique modus nec his obiectis, ſic à materia pendentibus, & per ſenſum internum perceptibilibus nititur, ſed mouetur ex motiuo nullam poſitiuè inuoluente materiam vel apto vt per aliquem ſenſum percipiatur qui modus tendendi difficillimus eſt, vtpote ab omni materia, & ſenſu remotiſſimus.

65 Ex quibus conſtat peculiares difficultates induci iuxta diuerſum modum, quo procedit cognitio abſtrahens à materia: aliunde difficultates hæ vinci non poſſunt per ſpecies, ergo requirunt plures, & diſtinctos habitus, ſeu ſcientias, quæ ſcientiæ vt minimum tres erunt, cum tres diuerſæ difficultates appareant iuxta numerum præcedentem in maiori vel minori abſtractione; poterunt autem ſubdiuidi in plures prout aliquod abſtractionis genus intra ſe continet ſpeciales difficultates in modo procedendi, ſic Mathematica continet Arithmeticam, & Geometricam, &c.

66 Pro ſoluendis argumentis oppoſitis pro ſecunda ſententia ſic intellige primam Thomiſticam, vt ſcientiæ diſtinguantur pro diuerſâ abſtractione à materia ſenſibili; non quidem ex parte rei cognitæ; ſed ex parte *motiui* cognoſcendi. Sic idem Deus pertinet ad phyſicum dum probatur eius exiſtentia ex eo quod *omne quod mouetur ab alio mouetur*, quæ ratio ſenſibilis eſt. Ad Metaphyſicum quia *omne quod cauſatur ab alio cauſatur*, quæ ratio in ſuo conceptu ab omni materia ſenſibili abſtrahit. Hinc ad primum argumentum pro 1. ſententia in §. 62. Reſpondeo omnia illa obiecta æqualiter abſtrahere à materia ſenſibili ex parte motiui, cui innititur modus tendendi metaphyſicus. Sic cœlum licet in ſe ſingulare pertinet ad ſcientiam, quia ſcilicet illius ſingularitas, ſicut, & Dei, infertur innitendo ſenſibus cum abſtractione à ſingulari; quare licet res demonſtrata non ſit vniuerſalis; modus tamen tendendi in illam vniuerſalis eſt; niſi enim ex aliquo principio communi non colligitur cæli, aut Dei exiſtentia. Ad ſecundũ. Actus intellectus, & voluntatis ſpeculatiue conſiderati ad eandem ſcientia de anima pertinent, hic autem agimus de diſtinctione ſcientiarum ſpeculatiuarum; ſcientiæ enim practicæ ex alio capite diſtinguendæ ſunt vt ex fine per ſe expetibili, qui diuerſus eſt, in actibus intellectus ſcilicet modus ſciendi, in actibus vero voluntatis virtutis honeſtas. Ad 3. Satis conſtat ex dictis §. 13. Cur abſtractio à formalitate materiali potius variet ſcientias, quam abſtractio ab aliis formalitatibus.

Dub. 3. An, & qualiter *rem eſſe à Deo reuelatam* conſtituat rationem formalem obiecti Theologiæ. 67 Prima ſententia putat rem eſſe à Deo reuelatam non ſe habere ex parte obiecti motiui, ſed ſolum extrinſecè quaſi ex parte principij efficientis vel infundentis eo modo, quo intellectus agens eſt ratio adquirendi ſcientias, & Magiſtri doctrina ingerit ſcientiarum notitiam diſcipulo. Vnde ſicut vnitas intellectus agentis; vnitas præceptoris docentis ſcientias naturales diſcipulos; vnita itē Dei infundentis ſcientias omnes Adamo, verbi gratia, Mathematicam, & Metaphyſicam, non dat vnitatem ſpecificam, & atomam ſcientiæ vnius, ita ſimiliter nec participabit hinc Theologia vnitatem. Ita Albertus in primo lib. ſummæ, Aureolus apud Capreolum quæſt. 3. Prologi contra quartam concluſionem. Pro qua ſententia arguitur rem eſſe à Deo reuelatam eſt motiuum Fidei: Ergo non eſt motiuum Theologiæ, quæ eſt habitus à Fide diſtinctus, vt conſtat ex §. 51.

Qualiter rem eſſe reuelatam conſtituat rationem obiecti Theologiæ?

68 Secunda ſententia, in qua Thomiſtæ omnes in re conueniunt, veraque eſt, ſtatuit, rem eſſe à Deo reuelatam comparari vt obiectum motiuum reſpectu Theologiæ, rem, inquam, reuelatam virtualiter, quatenus, ſcilicet Theologia mouetur ex aliquo motiuo obiectiuo reuelationē includente, vt applicato tamen, & coniuncto per aliquod principium naturale: tale enim motiuum eſt, quo vtitur Theologia, quando concludit Chriſtum eſſe riſibilem, quia rationale eſt riſibile, & Chriſtus eſt rationalis, quæ cauſalitas obiectiue mouet, ſiquidem ſe habet vt medium obiectiuum in demonſtratione; aliunde non includit puram reuelationem formalem, cum reuelatum non ſit, *quod rationale eſt riſibile*; adhuc tamen reuelationem implicitè, & virtualiter imbibit, virtualiter namque reuelabit Deus Chriſtum eſſe riſibilem, dum reuelauit eſſe rationalem, in quo includitur eſſe riſibilem.

69 Hinc concluditur aduerſus primam ſententiam rem eſſe à Deo reuelatam non ſe habere purè ex parte principij extrinſeci infundentis, ſeu efficientis, & miniſtrantis ſpecies, ſicut ſe habet intellectus agens miniſtrans rerum ſpecies, vel ipſe Deus, ſi reuelaret

reuelaret Mathematicam & Metaphyſicam, iſta enim vnitas rationis formalis ſic acceptæ per accidens omnino eſt & inutilis ad ſcientiæ vnitatem, vt benè probat argumentum Aureoli. At Theologia ly *eſſe à Deo rem reuelatam*, vtitur pro ratione obiectiua ita vt dicat ipſe verbi gratia Chriſtum eſſe riſibilem, quia quidquid Deus dicit, etiam virtualiter, verum eſt, & Deus virtualiter dicit Chriſtum eſſe riſibilem, dum ſcilicet reuelat eſſe hominem, quod perinde eſt iuxta rationem naturalem, ac eſſe riſibilem: ex quo patet ad argumentum pro prima ſententia. Motiuum Fidei eſt reuelatio formalis; Theologiæ verò reuelatio ſolùm virtualis, ex quo ſatis diſtingui poteſt Theologia à Fide; maxime accedente modo tendendi diuerſo habitus Fidei & Theologiæ, vt oſtendi diſputatione 8. & 9.

70 *An Theologia ſit ſimplex qualitas?* *Affirmant* Caietan. Valentia. Vaſquez. Salas. *Negant* Suarez. *Noſtri Recent.*

Dub. quarto an ex hac vnitate rationis formalis non ſolùm participet Theologia vnitatem in eſſe habitus ſcientifici, ſeu ſcientiæ, ſed etiam in eſſe ſimplicis qualitatis. Prima ſententia Thomiſtarum communis tuetur eſſe ſimplicem qualitatem; ita ſupponit Caietanus hic, & Valentia quæſt. 1. puncto 3. §. 3. verſ. *Tertia quæſtio erat* ex S. Thoma 1. 2. quæſt. 51. art. 4. Qui omnes mouentur ad hanc ſimplicitatem adſtruendam ex vnitate prædictæ rationis formalis. Secunda ſententia communis inter noſtros maxime recentiores cum Suarez diſputat. 44. Metaphyſicæ ſect. 11. generaliter negat vnitatem ſcientiarum eſſe ſimplicis qualitatis, ſed conſtitui ex pluribus habitibus, tum quia contingit in vna ſcientia eſſe quem facilem verbi gratia, ad actus circa prædeſtinationem, & non circa Trinitatem, ſi in illis & non in iis ſe exercuit; Tum etiam ſecundo quia ratio formalis motiua ad diſcurrendum in materia de Trinitate vt minimum ſpecie diſſidet à ratione formali circa prædeſtinationem, habitus autem multiplicantur pro diuerſitate ſpecificâ rationum formalium; quantumuis iſtæ conueniant ſub eadem ratione genericâ. Confirmatur: habitus diſtinguuntur pro diuerſitate actuum, à quibus generantur ſunt, enim habitus ſimiles actibus, in quibus geniti ſunt: ſed actus circa prædeſtinationem & Trinitatem ſpecie diſſident: Ergo & habitus.

71 Ego iuxta dicta §. 55. exiſtimo Theologiam eſſe qualitatem habitualem omnino ſimplicem & indiuiſibilem: ita cum Thomiſtis ſentiunt ex noſtris Vaſquez, 1. 2. diſp. 80. cap. 3. Valentia 1. 2. diſput. 4. quæſt. 6. puncto 3. Salas tomo 2. tractat. 18. diſp. 5. num. 8. & alij apud Auerſam quæſt. 49. Metaphyſ. ſect. 7. Moueor, quia ſimplex qualitas facilitare poteſt ad quemlibet aſſenſum, quantumuis diuerſum ex obiecto formali, ſi ſeruet eundem tendendi modum, requiſita ſolum pro vincendâ ſpeciali difficultate alicuius obiecti formalis diuerſitate præciſâ ſpecierum. At in omnibus veritatibus, quibus per diſcurſum aſſentitur Theologia, ita ſeruat eundem tendendi modum, vt ſpecialis difficultas, quæ forte occurrat, ſatis vincatur per ſpecies: Ergo ſufficiet pro vniuerſa Theologia vnus habitus qualitatis ſimplicis. Vide in hoc articulo dubitationem primam, & ſecundam.

72 Hinc patet Thomiſtarum ſententiam veram eſſe intellectam de vna ratione formali ſub quâ, ſeu ſub vno modo tendendi, vt nuper explicui, & loquitur Caietanus in hoc articulo verſu, *Pro euidentia reſponſionum.* Pro ſecunda ſententia, quæ nobis opponitur reſpondeo ad primum facilitatem ad vnum obiectum præ alio cognoſcendum in vna ſcientia contingere ſæpe ex ſolo defectu ſpecierum, quare non arguere nouum habitum, qui ſolum ponendus eſt pro ea difficultate vincendâ, quam vincere poſſumus per exercitium actuum, difficultas autem quæ venit ob defectum ſpecierum nullo exercitio vincitur, vt ſatis conſtat ex §. 55. Quod ſi ſub vna ſcientia difficultas non naſcatur ex ſolo defectu ſpecierum, talis ſcientia, non vna ſpecie, ſed genere plures ſcientiæ ſpecies continente, erit. Alioqui niſi ex hoc capite, vel ſimplicitate habitus ſcientias diuidamus poſſemus in vnam atomæ ſpeciei ſcientiam omnem philoſophiam coniungere vt voluit Anton. Mirand. lib. 13. de Euerſ. ſing. cert. ſect. 6. & 7. Ægid. lib. 1. met. quæſt. 22. Ad ſecundum reſpondeo rationem motiuam, *qua* eſſe quidem ſpecie diuerſam in diſcurſibus Theologiæ; ſecus rationem *ſub qua* prout iſta reduplicat ſupra modum tendendi, vt ſæpe explicui. Ad Confirmationem Habitus eſt ſimilis actibus à quibus genitus eſt ex ratione hac formali *ſub qua* de alia autem diuerſitate ſpecifica actuum non curat; ſicut, non curat fides humana aſſentiens ob teſtimonium ſcriptum Ariſtotelis verbi gratia quod tale teſtimonium litteris rubeis, vel nigris ſcriptum ſit.

Dubit. quintò. An ita Theologia ſit vna ſcientia, vt ſpecialem habitum conſtituat à Fide, & naturali ſcientia diſtinctum? Sed de hac dubitatione nil opus eſt ſuperaddere iis que late dixi diſp. 7. 8. & 9. Vbi dixi licèt concluſio, quæ deducitur ex duplici præmiſſa reuelatâ poſſit credi per Fidem infuſam; at ipſam vt formaliter deductam cognoſci per habitum Theologiæ à fide diſtinctum ita diſputat. 7. Item licet veritas deducta ex vna præmiſſa naturali euidenti poſſit a fortiori cognoſci per habitum ſpecialem Theologiæ; at poſſe etiam credi per fidem aliquando. Ita diſputatione 8. Denique habitum Theologiæ non ſolum à fide, ſed ab habitu naturalis ſcientiæ diſtinctum, & ſpecialem eſſe, ita diſp. 9. 73 *An conſtituat habitum diſtinctum à fide & ſcientia naturali?*

Dubit. ſextò An Theologia, vel etiam fides verſetur circa concluſionem deductam ex vna præmiſſa Fidei, & alia naturali euidenti ſolum moraliter? Reſpondeo talis concluſio ſæpe non eſt ſtrictè Theologica, nam concluſio ſtrictè Theologica debet eſſe omnino certa: Sed concluſio pendens ab vna præmiſſa ſolum moraliter certa ſæpe non eſt omnino certa, ſed ſolum moraliter non ergo illa eſt ſtrictè, & perfecte Theologica conſequentia patet, & Maior ex §. 42. Minor apparet v. g. ſi ſic concludat Theologia: *Omnis qui eſt ordinatus in vitam æternam eſt homo* (de facto, & in ſtatu viæ) *Sed aliquis homo currit* (quæ propoſitio ſolum eſt moraliter certa, non metaphyſice) Ergo *aliquis ordinatus in vitam æternam currit.* Tunc iſta concluſio non eſt ita certa vt repugnet eſſe falſa. Addo tamen prædictam concluſionem dependentem ab vna præmiſſa moraliter certa poſſe credi per fidem infuſam; ſic de fide eſt hunc numero hominem D. Innocentium X. eſſe verum, & legitimum Papam vt dixi diſputatione octaua ſectione quinta. 74 *An verſetur circa concluſionem ductam ex vna præmiſſa moraliter euidenti?*

* * *

ARTICVLVS IV.

Vtrum ſacra doctrina ſit ſcientia practica?

75 *An ſacra doctrina ſit ſcientia practica.* AGit S. Thom. de difficultate in hoc articulo contenta quæſt. 1. Prolog. ſent. art. 3. Ego in meis diſputationibus eam ſub controuerſiam non attuli, quia ſub eam communiter non adducitur in Scholis niſi apud Philoſophos, imò apud Logicos, totaque eſt de modo loquendi, qui apud Authores varius eſt.

76 *Purè practica.* Scotus. Prima ſententia tuetur eſſe omnino practicam ita Scotus quæſt. 4. Prol. §. *ad quæſtionem igitur*, & omnes alij veri Scoti ſectatores, vt ait Rada 1. part. controuerſ. 3. art. 4. Mouentur quia totus finis Theologiæ eſt opus, non enim reuelatur ſacra doctrina, vt ſimus *auditores*, vel ſpeculatores tantum, ſed *vt factores*, non vt ſubtiliter diſputemus, ſed vt rectè operemur. Secunda, quia Deus qui eſt vltimus finis Theologiæ eſt prima regula operandi benè.

77 *Purè ſpecul.* Henriquez. Secunda ſententia tuetur eſſe omnino ſpeculatiuam: Ita Henriquez 1. part. Sum. art. 8. quæſt. 3. Mouetur primo, quia ſcientia practica eſt, cuius finis eſt veritas, ſeu ſiſtere in veritatis cognitione, Theologia autem purè ſiſtit, & ordinatur ad Dei cognitionem in ænigmate pro hoc ſtatu, ſicut in patria ſiſtitur in viſione facie ad faciem. 2. finis Theologiæ, cum ſit Deus, non eſt opus ſeu obiectum factibile.

78 *Simul pract. & ſpec.* Caietan. Thomiſtæ. Tertia ſententia tuetur eſſe ſimul ſpeculatiuam & practicam: ita Thomiſtæ cum Caietano hic: Mouentur quia ſæpè agit de rebus ſpeculabilibus vt de Deo trino, Creatore, Saluatore, &c. in quibus nil operationis, ſed meræ ſpeculationis reſpicit Theologia intrinſecè loquendo, (quod autem extrinſecè ad opus ordinetur nil refert; ſic enim homo ſpiritualis, vel Metaphyſicam facultatem debet addiſcere ex fine rectè operandi) Rurſus ſæpè agit de vltimo fine, de actibus humanis, de virtutibus, vitiis, &c. concludens propoſitiones non minus practicas, quam moralis Philoſophia.

79 *Nec pract. nec ſpec.* Ægid. Argent. Tolet. Richard. Quarta ſententia cenſet habitum Theologicum neque eſſe practicum, nec ſpeculatiuum, ſed *purè affectiuum* à practico eſt ſpeculatiuo diſtinctum: Ita Ægid. 4. part. Prolog. quæſt. vnic. Argent. quæſt. 4. Prol. art. Tolet. quæſt. 10. art. 2. Richard. 4. diſt. 49. art. 1. quæſt. 8. ad finem corpor. Mouentur, quia finis Theologiæ eſt dilectio, ſeu affectio, ſic enim finis totius legis dilectio dicitur; ergo ſicut habitus, cuius finis eſt veritas dicitur ſpeculatiuus, cuius finis eſt opus practicus, ita cuius finis eſt affectio dicitur *affectiuus.* Confirmatur Theologia facilè inſtitui poteſt vt tota deſeruiat in perfectam cognitionem de modo habendi charitatem ſupernaturalem: Ergo eius finis erit charitas: Ergo ex hoc fine tota Theologia iure ſumet ſuam denominationem, vt ſit practica, vel ſpeculatiua, &c. totum hoc conſtabit ex mea ſententia §. ſeq. Tunc ſic, ſed habitus Theologiæ ſic acceptæ non eſt *ſpeculatiuus*, vt patet, cum non ſiſtat in mera conſideratione; neque item *practicus.* Nam cognitio practica debet eſſe talis, vt ex vi illius poſſit voluntas determinari ad opus, qualiter determinari nequit ex cognitione Theologica; hæc enim naturalis eſt ex §. 49. naturalis autem cognitio dirigere non valet, ſeu mouere, & determinate voluntatem ad actum charitatis ſupernaturalis. Ergo reſtat Theologiæ habitum eſſe purè affectiuum, quin ſit practicus, neque ſpeculatiuus. 80

Poteſt eſſe purè practica, & purè ſpeculatiua. Ego dico primò, Theologiæ habitus poteſt eſſe purè ſpeculatiuus, & poteſt etiam eſſe purè practicus. Probatur, ille habitus purè practicus dicitur (verbi gratia, idem enim accidit in ſpeculatiuo) qui tandem habet pro fine opus, licèt plures habeat cognitiones ſpeculatiuas: ſed Theologia iſta inſtitui poteſt in opus: Ergo poteſt eſſe purè practica. Conſequentia patet: Maior probatur, tum ex medicinâ, quæ purè dicitur practica, quia ordinatur ad opus, licèt ſpeculetur naturam medicamentorum; tum ex vno ſyllogiſmo, quo concluditur concluſio operis faciendi, qui practicus dicitur, licèt conſtet aliqua præmiſsâ ſpeculatiua: quis negabit hunc ſyllogiſmum eſſe purè practicum in ſcientia, ſeu arte ædificandi. *Pro fundamento ædificij ponenda eſt res dura & ſolida; ſed lapis durus eſt: Ergo lapis eſt ponendus pro fundamento.* Vbi ſecunda præmiſſa purè ſpeculatiua eſt: idem patet in ſimplici cognitione, quæ repræſentaret modum faciendi domum, ſimùlque comprehendendo illam diceret vltimo præcisè *fac domum* iſta cognitio ſimpliciter diceretur purè practica, alias nulla foret ſic practica; & tamen plura repræſentaret ſpeculatiuè, ſiquidem comprehendit quidditatem domus: Ergo ſicut ſimplex cognitio, vel diſcurſus purè practicus dicitur, eo quod tandem habeat pro fine opus, idem dicendum erit de habitu ſcientiæ totalis, & integræ. Nunc probatur minor, quod ſcilicet poſſit diſponi Theologia vt tota habeat pro fine opus, verbi gratia, effectionem legis, & obtentionem ſalutis, etenim omnes cognitiones, quas de Deo habet, de Chriſto, de creaturis, &c. bene ſeruire poſſunt in maiorem comprehenſionem *ſalutis*, vt ſic appareat quæ ſit eius cauſa factiua, meritoria, impetratoria, quantus exceſſus illius ſupra alias creaturas, &c. Hoc idem euenire pateſt vt Theologia ſit purè ſpeculatiua, nam omnia, quæ tractat congruentiſſimè poſſunt diſponi in meliorem cognitionem de Deo: Ergo Theologia per ſe loquendo æquè poteſt cognoſci per habitum purè practicum, ac purè ſpeculatiuum.

81 *De facto eſt omnino ſpeculatiua.* Dico ſecundò, Theologia (abſolutè loquendo, & prout nunc diſpoſita eſt) ſimpliciter, & omnino eſt ſpeculatiua. Probatur ita diſpoſita eſt, vti de facto de ea ordine ſcientifico agitur, vt omnes eius cognitiones in optimam, & perfectiſſimam de Deo notitiam, qua datur in via, referantur, ipſique vt fini deſeruiant: Ergo Theologia eſt ſimpliciter ſpeculatiua. Conſequentia patet ex §. præced. ſicut enim vna cognitio, quæ ſecundùm ſe eſt ſpeculatiua, vt componit aliam totalem facit ſcientiam practicam iuxta ſyllogiſmum artis ædificatoriæ in §. præced. ita è contra. Iam antecedens patebit inſpicienti totam ſummam S. Thomæ, imò & omnium Theologorum in Scholis diſputationes, omnes enim quantumuis practicæ in ſe, aſt vt coniunctæ cum aliis vel declarant naturam Dei in ſe, vel attributa, *Bonitatis*, quæ nil coinquinatum admittit, *Omnipotentiæ*, quæ omnia condidit: *Excellentiæ beandi*, quæ ſola ſatiat ſupremum appetitum naturæ rationalis, &c. Confirmatur ex dictis ſupra tract. 1. diſput. 10. ſect. 1. vt de facto ſolus Deus ſit obiectum attributionis, ſeu ſubiectum Theologiæ, licèt alia poſſint per ſe loquendo in ſubiectum Theologiæ diſponi.

Hinc

82 Hinc ad aliorum ſententias reſpondeo: Ad primam Scoti pro determinando habitu alicuius facultatis ſit-ne practicus non eſſe attendendum nec ad finem operantis, neque item ad ſufficientiam, quam habent eius cognitiones, vt ex ipſis deducantur principia regulantia operationes; alias Metaphyſica eſſet practica, imò ſcientia Dei, qua ſeipſum contemplatur, nam etiam reſpectu ſui eſt Deus ſibi prima moralitatis regula. Theologia autem ſolum ex fine extrinſeco, vt Metaphyſica, vel etiam vt ſcientia Dei opus reſpicit, & ad regulandas operationes rectas iuuat. Secunda ſententia Henrici Fauet meæ ſecundæ concluſioni de facto, alias de poſſibili cur non ſufficeret proportioni huius vitæ cum Patria perfectam cognitionem Dei, quæ ibi habebitur, hic in via vt obtinendam cognoſci? ex quo deſcendatur ad dictancta media, quibus conſequamur eam viſionem, præmittaturque notitia Maieſtatis obiecti, quod in patria eſt poſſidendum vnde totus Deus non ſecundùm ſe ſpeculatiuè, ſed practicè vt poſſidendus eſſet finis Theologiæ? Ad tertiam fateor in Theologia plures contineri cognitiones practicas, & plures ſpeculatiuas: at hoc non ſufficit vt habitus deficiat à ratione purè ſpeculatiui, vt dixi §.81. & dicam dubit. ſequent. Ad quartam ſententiam dico nomine *operis*, quod eſt finis notitiæ practicæ intelligi quodcumque obiectum factibile, ſiue ſit effectio externa, ſiue ſit affectio interna, vt patet in Philoſophia morali, quæ practicè verſatur circa dirigendos affectus voluntatis: Ad confirmationem ego cenſeo cognitionem adhuc fore practicam, licèt nequeat determinare efficaciter ad opus ob defectum potentiæ factiuæ, vt dicam dubit. 5. vnde cognitio naturalis practica poteſt dici etiam quando reſpicit charitatem ſupernaturalem, quod ſi nolis vocare practicam abſolutè, voca abſolutè ſpeculatiuam, & ſecundùm quid, ſeu ex modo tendendi practicam.

83 *An potius ſit ſpeculatiua, quàm practica?*

Dubit. 2. An Theologia ſit potius ſpeculatiua, quam practica? Prima ſententia tuetur principalius eſſe ſpeculatiuam, licèt ſecundùm quid practica, quia eius principale obiectum, & motiuum eſt Deus ſecundùm ſe, creaturas autem operabiles ſecundario reſpicit: Ergo ſicut ob hoc Dei ſcientia eſt principalius ſpeculatiua ita ſimiliter: ita Thomiſtæ, & noſtri communiter cum Tannero hic diſput. 1. quæſt. 4. dubit. 3. num. 3.

Potius ſpeculatiua. Thomiſtæ. Tanner.

Secunda ſententia licèt Theologiam admittat ſpeculatiuam cenſet præcipuè practicam. S. Bonau. quæſt. 3. Prol. Richard. quæſt. 4. Gregor. quæſt. 5. art. vlt. quia cum tota hæc vita ordinetur ad conſequendam aliam, & poſſidendam ſi rectè inſtituatur Theologia tendet in Deum vt conſequibilem, & conſiderabit modum ponendi media ad talem finem.

Potius practica. S. Bonau. Ricard. Gregor.

Æquè vtroque modo. Amicus.

Tertia ſententia ex æquo facit Theologiam ſpeculatiuam, & practicam, ita P. Franciſcus Amico hic diſp. 1. §. 109. Mouetur quia Deus eſt ſubiectum Theologiæ æquè vt principium, ac finis conſequendus, primus titulus pertinet ad ſpeculationem ſecundus autem ad praxim. Confirmat quia æquè ſpectat ad Theologiam poſitiua, Moralis, ac Scholaſtica; licèt autem iſta ſit ex maiori parte ſpeculatiua; At Moralis etiam eſt practica; quoad poſitiuam autem æquè verſantur cognitiones ſpeculatiuæ, ac practicæ, vt patet in legalibus, ſapientialibus, ſuaſionibus prophetarum, & Chriſti Domini prædicatione.

84 *Rarè eſt habitus ſpeculatiuus.*

Ego quartam ſententiam ſtatuo, vt quoad actus æquè reſperſa ſit Theologia ſpeculatiuis, ac practicis; Quoad habitum autem neutiquam dici queat practica, & ſpeculatiua ſimul: ſe ſolum ſpeculatiua vt dixi §. 81. Prima pars facilè probatur; nam nullus actus aſſignabitur ſpeculatiuus in Theologia, cui non poſſit alius æquè bonus practicus aſſignari, vt benè id monſtrauit tertia ſententia. Secundam partem ſic probo nullus habitus vnius ſcientiæ poteſt eſſe ſimul practicus & ſpeculatiuus: Sed Theologia eſt vna per ſe ſcientia ergo nequit eius habitus eſſe ſimul practicus; & ſpeculatiuus. Conſequentia legitima eſt; minor certa eſt ex artic. præced.

85 Maior vt probetur duo præmittenda ſunt primò iuxta §. 81. licèt vna ſimplex cognitio ſit ſpeculatiua ſolitariè accepta, tamen vt compoſitam, ſeu coniunctam cum aliis ita poſſe practicam dici, vt cognitio compoſita, ſeu coaleſcens ex omnibus nequaquam ſpeculatiua, ſed purè practica ſit appellanda, verbi gratia, cognitio quæ ſerutatur naturam rei, cauſas, effectus, exiſtentiam, &c. in re ſpeculatiua eſt, ſi tamen aſſumatur & coniungatur tanquam pars ſcientiæ, quæ per ſe *opus* intendit, & per ſe totum illud de re operanda ſcrutatur, vt conſultius, & ſapientiùs opus exequatur; Iam illa prior cognitio aliàs ſpeculatiua vnum totum purè practicum conſtituit, vt patet in ſyllogiſmo adducto §.80. & in vna cognitione ſimplici, quæ comprehenderet naturam, & proprietates rei, & ſimul dictaret illam eſſe producendam ſic vel ſic; Ergo ſicut hæc cognitio, quæ comparata cum vno obiecto abſolutè tendit ſpeculatiuè, quia tandem totum id præſtat, vt penitiùs declaret tale opus obiectum eſſe faciendum eſt ſimpliciter omninoque practica per modum ſcientiæ ſimplicis, & indiuiſibilis, ita proportionatè integer diſcurſus, ſeu ſcientia vt totalis erit omnino practica, quantumuis conſtet cognitionibus pluribus ſpeculatiuis ſecundùm ſe, ſi tamen omnes vt coniunctæ ſolùm deſeruiunt obiecto, quod vt factibile proponitur. Similiterque ſentiendum eſt vt cognitio, & ſcientia proportionatè cenſeatur omnino ſpeculatiua, quantumuis conſtet plurimis cognitionibus practicis.

86 Præmitto ſecundò, omnes cognitiones ſcientiæ vt faciant per ſe vnitatem, ita diſponendas eſſe vt diſponantur in vnam perfectiſſimam, completam, & quaſi comprehenſiuam notitiam vnius ſubiecti talis ſcientiæ, quia ſcilicet vel conſiderant eius partes conſtitutiuas, effectus, cauſas, paſſiones, &c. quæ ad maiorem ipſius cognoſcibilitatem ſpectant iuxta medium, quo vtitur talis ſcientia. Quare ſicut Angelus vno actu comprehendit obiectum naturale, verbi gratia, hominem, ita ſcientia de homine variis diſcurſibus intendit adæquare cognoſcibilitatem hominis, ſeu illum comprehendere iuxta modum tendendi, & medium, quo vtitur; Ergo ſimiliter Theologia vt procedit per modum vnius per ſe ſcientiæ intendet cognoſcere Deum quantum cognoſcibilis eſt ex vi ſui motiui, & modi tendendi: Ergo omnes cognitiones particulares Theologiæ coaleſcent in vnam quaſi comprehenſionem de Deo, qualis dari poteſt in hac vita. Tunc ſic, ſed comprehenſio ſimplex de Deo, quæ omnia iſta penetraret non eſſet practica, & ſpeculatiua: Ergo nec ſcientia Theologiæ vt totalis, & vna integra per ſe ſcientia ſumitur. Conſequentia iſta patet ex dictis nuper: Minor vltima ſubſumpta; nam talis comprehenſio eſt ſimpliciter de obiecto non operabili, & vt tali cognito: ſiquidem Deus vt conſideratur à Theologo non attingitur vt con-

ſequibilis, ſed vt eſt ſecundùm ſe. Addo ſi Deus cognoſceretur vt conſequibilis, & tandem collectio omnium cognitionum Theologicarum componeret vnam cognitionem quaſi comprehenſiuam de Deo vt fine conſequibili, eo ipſo talem cognitionem ita perfectam non dicendam vllo modo ſpeculatiuam, quia ſimpliciter tota ordinatur in opus hæc autem ordinatio facit totam cognitionem purè practicam, quantumuis plura ſpeculetur, vt dixi §. 85.

87 Dixi Theologiam vt *per ſe vnam* non poſſe dici practicam & ſpeculatiuam ſimul; nam ſi habitus intellectus non procedat per modum ſcientiæ, & cum ordinatione ad penetrandum vnum ſubiectum, ſed plura diſparata; vti ex his poteſt vnum cognoſci vt operabile; aliud vt non operabile, ita & cognitio omnium poterit varias denominationes ſortiri; ſic cognitio quæ ſimul dicat, *Deus eſt trinus, peccata ſunt confitenda*, erit æquè ſpeculatiua, ac practica: ergo fides Diuina vt concurrit ad tales actus dicetur ſpeculatiua, & practica. Quando autem omnes cognitiones quaſi vnam componunt de vno ſubiecto, vt in ſcientia benè ordinata contingit, tunc neque talis collectio vt concipitur per modum vnius poteſt eſſe mixtim practica, & ſpeculatiua, cum neceſſario tale ſubiectum cognoſcatur vt operabile tandem, & ſic cognitio coaleſcens ex omnibus erit practica purè, vel non cognoſcatur vt operabile, & ſic erit pure ſpeculatiua. At inter hos contradictorios tendendi modos medium non datur; ergo idem dicendum eſt de habitu.

88 Hinc ad oppoſitas ſententias in §. 83. Reſpondeo: Ad primam ſententiam Dei eſſe quidem ſpeculatiuam, & practicam, quia licèt ſit vna ex parte ſubiecti ſimpliciſſima, & non reſpicit ſua obiecta cum coordinatione ad vnum, ſeu eo titulo præcisè quod in vnius comprehenſionem conducant, ſed abſolutè titulo quod cognoſcibilia ſint, etiamſi nullam connexionem haberent, vt ſe gerit noſter intellectus, qui ſimul eſt practicus & ſpeculatiuus, vt dixi de fide in §. præced. ex quo patet diſparitas ad præſens. Ad 2. conſtat ex §. 81. Deum non conſiderari, vt conſequibilem à Theologia, quod ſi iſte foret finis Theologiæ hinc potius tota dicenda foret purè practica, vt conſtat ex §. 85. Ad 3. ſententiam dico Theologiam non futuram vnam per ſe ſcientiam, ſi ex æquo intenderet cognitionem Dei ſecundùm ſe, ſeu vt principium, & ſimul vt finem, conſequendum, quod ſi adhuc velis vnam eſſe, quia conſideratio Dei vt finis ordinatur in meliorem notitiam excellentiæ, & attributorum Dei vt explicui §. 81. tunc Theologia non erit practica, ſed purè ſpeculatiua. Ad confirmationem imprimis cenſeo Theologiam poſitiuam non diſponi modo ſcientifico, quare nil mirum quod ſimul ſit practica, & ſpeculatiua iuxta §. 87. Moralis autem licèt fortè diſponatur, non tamen ita vt faciat ſcientiam per ſe vnam cum Scholaſtica, quare nunquam vna ſcientia erit ſimul ſpeculatiua, & practica. Si verò omnes has Theologiæ partes in vnam per ſe conueniant, dicam eſſe ſpeculatiuam ob iam dicta.

89 *An poſſit eſſe formaliter ſpeculatiua, & practica, an ſolum eminenter?*

Dubit. 3. An Theologia poſſit eſſe formaliter ſpeculatiua, & practica, an ſolum eminenter? Prima ſententia ait: *Eminenter*, quia quod in pluribus inuenitur diſperſum non poteſt in vnum indiuiſibile conuenire niſi eminenter, ſic creatæ perfectiones eminenter continentur in Deo, ſenſus externi eminenter in interno. At eſſe practicum, & ſpeculatiuum non cadit in vnam ſcientiam naturalem: Ergo ſi inuenitur in Theologia erit ſolum eminenter. Ita Caietan. hic §. *Circa prædicta*, Bannez dub. vnico, §. *his poſitis*. Secunda ſententia ait: Formaliter quia habitus dicitur practicus *formaliter* eo quod eliciat actus formaliter *practicos & ſpeculatiuus, quia ſpeculatiuos*. Vt patet in naturalibus: Ergo ſicut intellectus quia vtroſque elicit eſt formaliter practicus, & ſpeculatiuus. Ita Theologia, ita Molina hoc art. 4. diſp. 2. n. vlt.

Caiet. Bannez. Formaliter. Molina.

Ego dico 1. contra Caiet. Idem habitus poteſt eſſe ſimul formaliter ſpeculatiuus, & practicus. Ratio eſt, quia hæ differentiæ, & conceptus ſatis intelliguntur eo quod habitus faciat actus practicos, vel ſpeculatiuos, neque opus eſt vt vnus conceptus dicat excluſionem alterius. Sed quoties differentiæ, quæ alias reperiuntur diſperſæ in pluribus, tales ſunt, benè poſſunt conuenire in vnum; ſic Deus eſt ſimul formaliter intellectus, & voluntas, productiuus frigoris, & caloris. Anima factiua ſenſionis, & cognitionis, & ſenſus internus formaliter percipit colorem, & ſonum, &c. Ergo cum iuxta Caietanum Theologia per ſe producat actus practicos, & ſpeculatiuos erit formaliter ſpeculatiua, & practica. Minor, & conſequentia patent. Maior etiam in quæſtione de voce ſine cauſa negabitur; aliàs intellectus noſter negandus eſſet formaliter practicus, & ſpeculatiuus, Deus formaliter intellectiuus, productiuus caloris, &c. Hinc habitus fidei eſt ſimul practicus, & ſpeculatiuus. Dico tamen 2. nullus habitus ſcientiæ, ac per conſequens, nec Theologiæ poteſt eſſe ſimul practicus, & ſpeculatiuus, quia licèt eliciat, verbi gratia, actus practicos, at illos non vt finem proprium, nec ex fine operis producit vt dixi à §. 85. quare ob hunc titulum eminenter ſolum vel æquiualenter habitus ſcientificus Theologiæ erit practicus, at formaliter ſpeculatiuus. 90

De facto eſt ſpeculatiua formaliter & practica eminenter.

Ad oppoſitas ſententias reſpondeo: Ad primam nego fundamentum Caiet. ex §. præced. & patet falſum eſſe in habitu fidei dicentes, *Deus eſt Trinus: peccata ſunt confitenda*. Quæ nullo titulo poteſt deficere à ratione formaliter *practici* potius quam à ratione *productiui* aſſenſus practici ſi enim hæc ratio ſic productiui, quantumuis inueniatur in aliis diſtinctis diſperſa, adhuc inuenitur formaliter in fide cur non, & ratio *practici*? licèt non *practici tantum*, ſeu practicum ſic limitatum, & inferius: Sic Deus eminenter eſt intellectiuum creatum, adhuc tamen formaliter participat intellectiuum, vt ſic. Ad ſecundam ſententiam reſpondeo: Philoſophia moralis non ideo eſt practica, quia eliciat actus practicos, ſic enim etiam diceretur ſpeculatiua, dum elicit ſpeculationes de natura virtutis; ſed quia eius finis vltimus eſt opus, quod non inuenitur in Theologia vt ſatis conſtat ex §. 85. & ſequent. Quare iure Theologia quæ eſt habitus ſpeculatiuus poteſt dici practicus eminenter, quatenus licèt non ſit practica elicit tamen actus practicos. 91

Dubit. 4. An poſſit cognitio dici practica etiam vt verſatur reflexè habetque pro obiecto alium actum intellectus? Negat prima ſententia, quia putat opus, quod eſt finis notitiæ practicæ, ſeu *praxis* (ſic vocatur obiectum cognitionis practicæ) debere eſſe alterius potentiæ ab intellectu; aliàs *intellectus non fiet practicus extenſione*, vt fert axioma, & tandem ſiſtet in cognitione, ſeu ſpeculatione veritatis. Ita Scotus quæſt. 4. Prolog. quæſtiunc. 2. Sententia ſecunda oppoſitum cenſet cum Molin. hic diſp. 1. §. *contraria pars*, quia actus 92

An poſſit cognitio dici practica, quia verſatur circa alium actum intellectus?

Negat Scotus. Affirmat Molina.

actus intellectus æque poteſt proponi vt factibilis, item dirigi ex eius præcognitione reflexa, imperarique honeſte à voluntate, vt patet in voluntate determinante virtutem ſtudioſitatis, in prudentia eius modum, circunſtantiam, &c. Dictante non minus ac dum verſatur circa opera externa. Cui ſententiæ ego ſubſcribo, vt latius oſtendam ad proœmium dialecticæ, & patet eo quod iſta per modum artis poſſit tendere circa modum conſtruendi ſyllogiſmum; itemque verſari per imperium practice practicum; *fac hoc: forma ſic in prima figura ſyllogiſmum* perfectum, *&c.* Fundamentum Scoti nullum eſt: Nam etiam hic intellectus extenſione fit practicus, nempe extendendo ſe ad effectionem cognitionis, cuius factibilitatem reflexe conſiderat; & ideo etiam non ſiſtit in mera contemplatione veritatis, quæ ipſi obiicitur, ſiquidem Syllogiſmi naturam verbi gratia non ſolum contemplatur, ſed etiam facit.

93 *An praxis debeat eſſe opus operabile à cognoſcente? Affirmat* Molina.

Dubit. quintò An Praxis debeat eſſe opus operabile ab ipſo cognoſcente? Prima ſententia negat nam Praxis abſolute non eſt quod operabile non eſt ſic Deus in ſe, Chymæra, vel rerum eſſentiæ nequeunt practice cognoſci. Ergo nec praxis erit reſpectu alicuius cognoſcentis quod ab ipſo cognoſcente operabile non eſt. Conſequentia probatur tum à paritate peccati, quod non cognoſcitur practice à Deo, quia ab ipſo fieri nequit, licet alias ſit factibile; tum à priori, quia ſi Praxis non ſit à cognoſcente ſimpliciter fieri nequibit vi cognitionis practicæ; cum iſta non iuuet, nec dirigat niſi ſubiectum, in quo eſt ita Molina hic diſputat. 1. §. *ex dictis intelliges.* Nihilominus ſecunda ſententia oppoſita affirmat. Nam notitia proponens modum ſaltandi non ideo deficit à ratione practicæ, quod homo ſaltare nolit, vel claudus fiat. Ita Gregor. quæſt. 5. Prolog. art. 2.

Negat Gregor.

94 *Negandum eſt.*

Ego licèt vt cognitio ſit omnino, & perfecte practica, & quaſi in actu ſecundo aſſentiar primæ ſententiæ, cæterum vt practica ſit quaſi in actu primo & ex ſe cenſeo non requirere obiectum in re operabile à cognoſcente, ſi tamen proponat illud, ac ſi eſſet operabile. Prima pars per ſe patet: ſecunda primò à poſteriori in imperio *fac hoc*, quod quis per errorem formaret de re impoſſibili, quod tamen non ideo ſpeculatiuum diceretur. Secundo à paritate notitiæ ſpeculatiuæ quæ talis eſt licèt in re non reſpiciat veritatem, ſed tantum in apparentia, Ergo ſimiliter cognitio practica dicetur, quæ quoad apparentiam procedit modo operabili. Tertia à priori notitia illa practica dicetur, quæ ex vi lucis, & inſtructionis ſufficienter dirigit intellectum ad opus, ſi per impotentiam virtutis factiuæ non ſtet, abſurdum enim eſt conſtitui notitiam in ratione practicæ per id quod eſt extra lineam cognoſcendi; alias ſimiliter dicere poteras quod cognitio non ſit practica, quando voluntas non vult operari. Tunc ſic ſed ſæpè circa obiectum non operabile ſtare poteſt perfectiſſima notitia dictans eius operationem, puta, quia quis erroneè ſibi perſuadet poſſe tangere cælum; & dicit: *Tange digito cælum.* Ergo: confirmatur cognitio erronea non minus ſufficit ad obligandum ad opus, quam vera. Ergo ſimiliter non minus erit practica. Conſequentia patet à paritate directionis moralis, & phyſicæ.

95 Ex his patet veram eſſe ſententiam ſecundam Gregorij. Ad primam Molinæ. Reſpondeo Deum, & Chymæram ſi proponantur ſub hac ratione non poſſe modo operabili, ſeu vt operabilia apparenter proponi, ſi autem ita quis ſit ſtupidus vt circa hæc procedat per *fac hoc*, vel modo alio operabili practica erit talis cognitio, ſed erronea. Peccatum autem nec ſic eſt practicum reſpectu Dei, quia non repræſentatur vt ab ipſo factibile, licet repræſentet Deus modum, quo poſſit fieri à creatura; requiritur autem ad notitiam practicam quod procedat apparenter modo operabili, ideſt modo ſufficienti vt ſi per impotentiam phyſicæ, & executiuæ potentiæ non ſtet, ex directione talis cognitionis fieri poſſit opus, non autem requiritur quod cognitio actu dirigat, ſed quod per ipſam non ſtet quo minus dirigat ſubiectum in quo exiſtit; & hoc euenit quantumuis deficiat virtus in potentia executiua ad exequendum opus.

ARTICVLVS V.

Vtrum Sacra doctrina ſit dignior aliis ſcientiis?

Agit S. Thomas de difficultate in hoc articul. contenta ſolum obiter 1. 2. quæſt. 67. art. 5. ad 3. & quæſt. 1. Prolog. art. 1. Nunquam tamen de ea ex profeſſo, niſi in hoc artic. diſquirit. Neque ego in meis diſputationibus aliquid expreſſe dixi comparando Theologiam cum aliis ſcientiis, licet ex iis quæ dixi diſputat. 2. de neceſſitate Theologiæ, & diſput. 3. & ſequentibus de eius ſupernaturalitate, & veritate ſatis eius excellentia colligi poſſit quanta autem iſta ſit comparatiue conſtabit hinc. 96

Dubitat. primo An Theologia ſit certior ſcientiis naturalibus. Prima ſententia Affirmat ita Thomiſtæ hic. Scotiſtæ cum Scoto quæſt. 4. Prolog. ad 4. Principale §. *Ad tertiam probationem* Mouentur quia principia Theologiæ nituntur in teſtimonio Dei, quo nil certius eſſe poteſt. Secunda ſententia negat, ita Durand. quæſt. 6. Prolog. num. 24. S. Bonauent. 3. diſtinct. 23. art. 1. Ægid. 2. diſt. 1. 1. part. art. 5. ad 2. OKam quæſt. 3. Prolog. Mouentur quia aliæ ſcientiæ, ita ſunt certæ vt ſecluſo piæ voluntatis affectu adhuc præ obiecti firmitate circa illarum obiecta nutare nequeat intellectus. Confirmatur Theologia non eſt certior principiis naturalibus. Ergo nec naturalibus ſcientiis, conſequentia patet, quia certitudinem Theologiæ maximam ex certitudine principiorum deducit S. Thomas. Antecedens probatur nam ad ſcientias naturales concurrunt Principia, & per ſe nota: *vt quodlibet eſt, vel non eſt: ens infinitum eſt ſummè verax*, & ſimilia quibus ipſa fides nititur. Ergo firmior hæc eſſe nequit, quam illorum veritas, vt nec firmior domus, quam eius fundamentum. Confirmatur ſecundo maximè quando concluſio Theologica infertur ex vna præmiſſa naturali nam concluſio certior eſſe non poteſt, quam præmiſſa, ex qua deducitur; præcipuè namque quoad certitudinem; *concluſio ſequitur debiliorem partem.*

97 *An Theologia ſit certior ſcientiis naturalibus?* Thomiſtæ. Scotiſtæ. *Affirmant.*

Negant Durand. S. Bonauent. Ægid. Okam.

Ego vt reſpondeam præmitto primo certitudinem ſumi poſſe primò pro immutabilitate obiecti ſic certior eſt exiſtentia cæli, quam alicuius rei ſublunaris, certiſſima autem exiſtentia Dei, quæ nulla ratione poteſt deficere. Et quidem quoad hanc certitudinem Theologia inferior eſt ſcientiis naturalibus, cum iſtæ ſint de rebus neceſſariis Theologia vero de contingentibus, puta de riſibilitate Chriſti, ſeu de incarnatione. Præmitto ſecundam certitudinem ex parte ſubiecti: quatenus cognoſcens, ita adhæret veritati, vt ab illis nulla ratione dimoueri

98 *Varia certitudines.*

Qua præſtet aliis Theologia?

dimoueri queat, vllamve dubitationem admittere. Et quod hanc certitudinem ita excedit fides, & conſequenter Theologia vt in fidem reducitur: vt dicat Aug. 7. Confeſſ. cap. 10. *Facilius dubitarem me viuere, quam eſſe vera, quæ audiui.* Præmitto tertiam certitudinem ex parte notitiæ, ſeu aſſenſus, quatenus iſte ex modo tendendi, quidquid ſit de firmitate ex parte obiecti, & quidquid ſit de adhæſione ex parte ſubiecti, ita firmus procedit, & infallibilis prædictus aſſenſus, vt omninò repugnet falsò ſubeſſe, ſic actus ſupernaturalis certiſſimus erit, quantumuis de obiecto contingenti, & quantumuis ab intellectu nutante eliciatur, & hæc certitudo, eſt quæ maximè conducit ad excellentiam, & dignitatem ſcientiæ; cum enim maximè intendat ſcientia veritatem, eò ſcientia erit præſtantior, quo plus cum veritate connectitur, falſitatique repugnat. At ſola iſta tertia certitudo ſtare nequit ſine veritate ex propriâ ſua ratione; etenim cum certitudine ex parte obiecti ſtat cognitionem ſimpliciter eſſe incertam, & purè probabilem, vt quando quis putat potentias diſtingui ab anima; item certitudo adhæſionis ſæpè datur cum falſitate, vt quando hæreticus tenaciter exiſtimat Deum non eſſe Trinum. Igitur præſtantia quoad hanc tertiam certitudinem ſcientiam aliquam digniorem facit.

Theologia dignior.

99 Hinc dico primò: Theologia eſt dignior ſcientiis naturalibus certitudine ſuorum principiorum. Probatur Theologia præ ſcientiis naturalibus vtitur aliquo principio, & præmiſſa ita firma, vt ex proprio modo tendendi, & intrinſeco talis præmiſſa repugnet falſitati, talis eſt præmiſſa fidei infuſæ, qua ſæpè vtitur Theologia: at nullum principium, vt deſeruit ſcientiis naturalibus eſt ita firmum ex modo proprio intrinſeco tendendi; licèt enim hoc principium, verbi gratia, *totum eſt maius ſua parte*: ex parte obiecti certiſſimum ſit: at ex modo, quo apparet intellectui ſecluſa neceſſitate ex parte obiecti cum falſitate non repugnat; modus enim tendendi non eſt diſſimilis aliis propoſitionibus, quæ ex apprehenſione terminorum manifeſtæ apparent; adhuc tamen falſæ ſunt, verbi gratia, *quæ ſunt eadem vni tertio realiter ſunt eadem inter ſe*: Ergo Theologia certitudine alicuius præmiſſæ valde ſuperat ſcientias naturales. Imò nulla ſcientia naturalis abſolutè, & omnimodè certa eſt quin de ipſius veritate poſſit intellectus formidare, vt dixi §. 7. & dicam in tract. de fide ad quæſt. 1. 2. 2. S. Tho. Hinc patet Theologiam, dum ſupernaturalis eſt eſſe certiorem.

Theologia ſi ſit habitus naturalis non eſt certior ſcientiis naturalibus.

100 Dico ſecundò: Theol. naturalis non eſt ſimpliciter certior ſcientiis naturalibus, eſt tamen certior *ſecundum quid.* Prima pars probatur, quia Theologiæ vt talis certitudo ſolum menſuranda eſt ſecundùm certitudinem concluſionis ad quam concurrit; ſicut ſcientiæ certitudo vel probabilitas mēſuratur. Tunc ſic; ſed concluſio Theologica ſimpliciter loquendo non eſt certior, concluſionibus naturalibus ergo nec Theologia. Conſequentia patet, & maior: minor ſuadetur, nam concluſio Theologica non habet certitudinem ex parte notitiæ, ſeu ex proprio modo tendendi potius quam concluſio ſcientiæ naturalis, cum Theologia vt dixi §. 49. naturalis etiam ſit; Rurſus, nec habet maiorem certitudinem titulo obiecti, obiectum enim concluſionis non nititur veritati ſolius præmiſſæ fidei, ſed quantumuis vtraque præmiſſa reuelata ſit vlterius nititur alij principio naturali vt dixi tract. 1. diſput. 10. ſect. 4. Ergo tale obiectum, ſeu talis obiecti notitia vt firma ſit copulatiuè requirit non ſolum firmitatem fidei, ſed etiam principij naturalis: Ergo abſolutè talis concluſio ex parte obiecti non eſt certior, quam ſit principium naturale, ſeu non eſt certior, quam ſi niteretur puris principiis naturalibus: Conſequentiæ iſtæ apparent quoad menſurandam veritatem concluſionis; quæ vt vera ſit non minus requirit veritatem vtriuſque præmiſſæ, quam vnius; hinc non minus iſtæ præmiſſæ: *Omnis homo eſt lapis: Petrus eſt homo* inferunt concluſionem falſam, quam iſtæ *omnis homo eſt lapis, ſed equus eſt homo*: Ergo. Idem patet in propoſitione copulatiua, *homo eſt rationalis, & hinnibilis.* Et huius ratio à priori eſt, quia tam concluſio, quam propoſitio copulatiua reſpiciunt coniunctionem vnius veritatis cum alia; coniunctio autem æquè deſtruitur per defectum vnius partis, ac per defectum vtriuſque: Ergo Theologia ſimpliciter non eſt certior ſcientiis naturalibus. Omitto certitudinem ex parte ſubiecti etiam non eſſe maiorem in linea ſcientiæ, licèt ſit in linea affectus; quamuis enim pia affectio voluntatis in obſequium fidei potius adhæreat concluſioni Theologicæ, quam concluſioni ex ſcientiis naturalibus. At veritas ſcientię naturalis independenter ab omni pia affectione præ euidentia certitudinis impedit formidinem intellectus, ſecus concluſio Theologica; imò iſta ſine abſurdo permittere poteſt nutationem voluntatis, quia ſcilicet quis timet falſitatem in principio naturali.

Non ſolum Theologia eſt certior quando eſt ſupernaturalis, ſed etiam quando naturalis.

Probatur ſecunda pars concluſionis, nempe quod Theologia aliquo pacto, & ſecundùm quid ſit certior, etiam quoad concluſionem ſcientiis naturalibus; quia ſcilicet minus eſt expoſita falſitati, & ex paucioribus capitibus vacillare poteſt eius veritas; Nam licèt quoad præmiſſam, vel principium naturale quod includit, & cui innititur æqualis ſit, ſuperat tamen, & eminet quoad aliud fidei, verbi gratia, Pone duorum hominum teſtimonium, quorum vnus cæteris paribus præſtet ſapientia, alius nec ſapientia, nec honeſtate virtutis veracitatis; in hoc caſu teſtimonium primi certius dicetur, ſeu dignius fide, licèt abſolutè neutrius teſtificatio certa ſimpliciter ſit, quia primus licèt non defectu ſcientiæ, defectu tamen bonæ voluntatis poteſt mentiri: Ergo cum ſimpliciter concluſio Theologica collata cum naturalibus ſcientificis ex vno capite æqualis ſit, emineat tamen ex alio, hinc certior aliquo pacto dici poteſt. 101

Ex his ad ſententias oppoſitas reſpondeo: Ad primam ſupernaturalem Theologiam, vel prout fidei nititur certiorem eſſe ſcientiis naturalibus, vt modo dixi. Ad ſecundã, Theologia præſtat aliis ſciẽtiis ſi attendatur principio fidei, cui nititur, quoad certitudinem affectûs, ſeu adhæſionis, quæ nullam formidinem permittit, adhæſio verò quam parit euidentia obiecti rectè cum formidine aliqua componi poteſt, vt dixi §. 99. Item quoad certitudinem ex parte notitiæ, & modi tendendi talis præmiſſæ quæ ſæpè eſt fidei ſupernaturalis. Ad duas confirmationes ſatis patet ex dictis in §. præced. 102

An ſit certior ſcientiis reliquis ſupernaturalibus?

Dubit. 2. An Theologia ſit certior ſcientiis, vel habitibus intellectualibus ſupernaturalibus: & loquimur de Theologia qua eſt habitus ſupernaturalis, nam qua naturalis à fortiori patet ex dubit. præced. Cum non ſit certior ſcientiis naturalibus. P. Gillius lib. 1. de prœmialibus Theologiæ, tract. 6. cap. 4. num. 2. putat Theologiam noſtram, quantumuis ſupernaturalem infimum locum tenere inter omnes habitus ſupernaturales intellectiuos, 103

ctiuos, quia hi verbi gratia, fides, prudentia infuſa vel alia Spiritus ſancti dona omnino pendent à ſolo lumine ſupernaturali; Theologia vero etiam nititur humanæ rationi, ſeu principio naturali.

104 *Perfectior eſt.* Ego circa hanc quæſtionem quæ à paucis Theologis agitatur cenſeo primo de poſſibili loquendo Theologiam perfectiorem eſſe habitu Fidei; item omni alio obſcuro, qui in via infunditur vt ſapientia, ſcientia, intellectus, prudentia, conſilium, ad quos habitus reduci poſſunt omnes habitus, qui in via intellectui infuſi ſunt. Probatur quia Theologia poteſt diſponi ita vt diſcurrat ex præmiſſis vel cognitis per viſionem beatam iuxta §.36. vel innitentibus reuelationi viſæ, ſicut enim ex viſione teſtimonij humani poteſt formari diſcurſus, vt ſi audias *omnis hiſpanus eſt catholicus Philippus quartus eſt hiſpanus*; Ergo. Similiter idem continget viſo teſtimonio Dei: Tum ſic hic diſcurſus Theologicus cum æqualis ſit cum fide ex parte certitudinis notitiæ ſupernaturalis ſuperat fidem, & alios actus obſcuros euidentia motiui. Ergo Theologia ſic diſpoſita abſolutè certior eſt habitibus ſupernaturalibus obſcuris, obſcuris inquam nam euidentibus verbi gratia, lumine gloriæ non eſt vnde certior ſit.

105 *Non eſt æquè certa ac fides.* Dico ſecundo Theologia de facto licèt ſupernaturalis non eſt æquè certa, ac Fides, iſta enim præter ſummam certitudinem ex parte notitiæ, qua æqualis eſt Theologiæ ſupernaturali, habet etiam certitudinem ex parte motiui, quod reſpectu Fidei ſummè connectitur cum obiecto materiali credito, ad quod ſolum mouet fidem reuelatio diuina; motiuum autem Theologiæ non eſt ſola reuelatio Dei, ſed etiam ratio naturalis licèt attracta per actum ſupernaturalem; ſuppono habitum ſupernaturalem poſſe moueri ex motiuo naturali, ſæpè namque probaui in meis diſputationibus vt patet ex tract. 1. diſputat. 3. habitum ſupernaturalem non differre à naturali ex parte motiui Ergo titulo motiui Theologia quantumuis ſupernaturalis non eſt æquè certa ac fides.

106 *Secus collata cum aliis habitib. ſuper.* Dico tertio Theologia certior eſt aliis habitibus infuſis à fide diſtinctis ratio eſt quia præter certitudinem æqualem ex parte notitiæ ſuperat Theologia ex certitudine rationis formalis obiectiuæ, hæc enim in Theologia eſt partialiter reuelatio diuina; in aliis autem ſupernaturalibus habitibus poteſt eſſe ratio obiectiua purè naturalis vt patet in prudentia infuſa de quo vide Ripal. tom. 1. de ente ſupernaturali diſput. 61.

107 Ex quibus patet fundamentum P. Gillij in §.105. nullum eſſe ſi loquamur de poſſibili; imo de facto lumen ex parte principij in Theologia (admiſſa hac ſupernaturali) ſupernaturale omnino eſt, ſicut in fide de facto tamen loquendo lumen obiectiuum, ſeu motiuum ex parte obiecti, licet inæquale ſit comparatione Fidei, non tamen comparatione aliorum habituum ſupernaturalium obſcurorum Ergo Theologia licèt non ſit certior fide erit tamen certior aliis habitibus ſupernaturalibus vt ſupra dixi.

108 *An titulo certitudinis ſit nobilior reliquis ſcientiis ſimpliciter loquendo? Thomiſtæ. Affirmant* Dubit. tertiò An Theologia eo quod ſit dignior titulo certitudinis, ſimpliciter dignior cenſenda ſit ſcientiis naturalibus. Prima ſententia communis Thomiſtarum hic affirmat, quia certitudo eſt attributum excellentius magiſque neceſſarium omnibus aliis in ſcientia. Secunda ſententia negat ita videtur ſentire Dur. quæſt. 6. Prol. num. 24. Ratio eſt primo quia euidentia non datur in Theologia ob quod ſimpliciter deficit à ratione ſcientiæ vt dixi ad art. 2. inter habitus autem intellectuales dignior eſt ſcientia iuxta 6. Ethic. cap. 3. Item ſecundò Theologia plura principia ſumit à Met. Metaphyſica autem nullum à Theologia. *Durand. Negat.*

Ego ſentio cum communi ſententia; quia euidentia maximè propter certitudinem quæritur. Ideo apud omnes cognitiones mathematicæ licet à clariſſima ſenſuum euidentia abſtractæ perfectiores ſunt, & cognitio abſtractiua intellectûs melior eſt, quam euidentia oculorum, quia minus falſitati expoſita. Hinc licet obiecti nobilitas euehet dignitatem ſcientiæ, quiuis tamen meliorem dicet cognitionem certam de formica, quam incertam de Deo. Ergo Theologia ob excellentiam certitudinis maioris ſimpliciter dignior eſt ſcientiis naturalibus quantumuis euidentibus. *Noli mirari* (inquit Gerſon part. 3. lib. de conſol. Theol. lib. 1. proſa 2.) *ſi Theologia philoſophiæ præficitur, quoniam ſicut naturam gratia ſicut ancillam Dominâ; & diſcipulam magiſtra: ſicut tempus æternitas: ſicut ratiocinationem intelligentia; ſicut viſibilia ea, quæ non videntur: ſic Theologia Philoſophiam exuperat quam non abiicit, ſed in obſequium ſumit.* 109 *Affirmat Author.*

Hinc patet ad fundamenta pro ſecunda ſententia. Ad primum ſcientia eſt quidem dignior aliis cognitionibus naturalibus, quia non habent vnde hauriant certitudinem, ſecus Theologia ſupernaturalis (de naturali non loquor, quam dixi certiorem non eſſe ſcientiis naturalibus) Ergo licet iſta Theologia non ſit ſcientia adhuc ob ſuam certitudinem dignior erit. Ad ſecundum reſpondeo Theologiam non emendicare à Metaphyſico principia naturalia; ipſa enim Theologia intra propriam ſphæram, & vt quid proprium illius lumen rationis naturalis claudit, vti includit etiam lumen Fidei; quare ſicut ſcientia naturalis includit *intellectum*, ſeu habitum principiorum, quin dicatur ex alienis, vel vt ſub alterna diſcurrere Metaphyſica, ita & Theologia non eſt dicenda ſubalterna Metaphyſicæ, quando vtitur eius principiis, quia hæc eadem ſubiacent Theologo. Qua ratione Auguſtinum accipio epiſt. 3. ad voluſia. Paulo ante finem dum de ſcientia ſcripturarum ait quod in ea inuenitur: *Phyſica, quoniam omnes omnium naturarum cauſæ in Deo creatore ſunt. Hic ethica, quoniam vita bona, & honeſta non aliunde formatur, quam cum ea, quæ diligenda ſunt diliguntur, hoc eſt Deus, & proximus: Hic logica quoniam veritas, lumenque animæ rationalis non niſi Deus eſt.* 110

Dubit. quarto An ex aliis capitibus dignior ſit Theologia ſcientiis naturalibus? Reſpondeo affirmatiue primò ex dignitate, & nobilitate ſubiecti, quod Deus eſt, licèt enim Deus ſit ſubiectum Metaphyſicæ, non tamen vt cognoſcibilis, qua author naturalis, & ſupernaturalis, vt in Theologia, qua Trinus, qua incarnatus, prædeſtinans, &c. Secundo ex arduitate, & ſummâ abſtractione non ſolum ab omni materiâ corporeâ, ſed ab omni quæ intellectui videtur naturaliter ſuadibilis vt patet in Myſterio Trinitatis, & in aliis ſupernaturalibus. Tertio ab vniuerſalitate, nil enim eſt ſiue naturale, ſiue ſupernaturale, quod cadere nequeat ſub ſphæram Theologiæ, omnia enim reuelabilia ſunt de poſſibili, imo & ad reuelata de facto conducunt; Theologia autem de omnibus agit, quibus Fides ſaluberrima *gigni poteſt, nutriri, defendi roborari*, vt ait Auguſtinus decimo quarto de Trinit. cap. 1. 111 *An ex aliis capitibus ſit nobilior ſcientiis naturalibus?*

Dubit.

112 Dubit. quintò an vt practica ſit dignior ſpeculatiuis ſcientiis? Suppono Theologiam, ſi vt practica diſponatur, multum excedere ſcientias practicas; ſi quidem habet pro fine opus excellentiſſimum, ad quod omnia alia ordinari debent: Si Ciuilis eſt dignior Militari, quia illa intendit pacem, ad quam ordinatur Bellum, quod reſpicit ſcientia militaris: à fortiori ſcientia, quæ intendit Pacem, ſummam beatitudinis nobiliſſima erit omnium aliarum, quæ paci huic ſeruire debent. Ideo ſolum dubito de Theologia practica etiam vt comparata cum ſpeculatiuis; quam comparationem non fecit S. Thomas, merito autem fieri poteſt; deberque etiam vt ſic cenſeri Theologia dignior ſcientiis naturalibus; quia adhuc vt ſic Theologia, & abſtractiſſimè procedit, & vniuerſaliſſime, & ſi ſit ſupernaturalis, certiſſime. Nec refert quod viſio beata immediate non fiat, ſeu habeatur ex directione Theologica, (immediatè enim efficitur à lumine gloriæ,) nam ſaltem ex Theologicâ directione habetur quæ, & qualiter media ſint ordinanda vt viſio obtineatur; ex quo ſimpliciter Theologia vt practica participabit excellentiam finis viſionis, quia agit de mediis vt media ſunt ad viſionem; Sic ciuilis habet pro fine pacem, quatenus agit de mediis, vt media ſunt ad pacem. Ita ſentit P. Hieronym. Faſol. hic 1. part. quæſt. 1. art. 5. num. 25. & 20.

An vt practica ſit dignior ſcientiis ſpeculatiuis?

ARTICVLVS VI.

Vtrum hæc doctrina ſit Sapientia?

113 Agit S. Thomas de hac difficultate 1. quæſt. Prolog. art. 3. in corpore, obiter tamen, & non ex profeſſo, quo pacto etiam meminit. 1. contr. Gent. cap. 4. fine. Ego verò nihil inueni Scholarum diſputatione dignum pro meis diſputationibus; ea vero circa quæ hic communiter dubitari ſolet breuiter ponam, ſed cum S. Thomas hic, & locis citatis dicat Theologiam eſſe maxime ſapientiam inter omnes ſapientias humanas, non tantum in aliquo genere, ſed ſimpliciter, prius iudico explicandam ſapientiæ ſimplicer talis eſſentiam & conditiones. Ergo dubit. primò quid ſit ſapientia ſimpliciter talis, hoc eſt, non ſolum, qua quis dicitur ſapiens logicus, vel Phyſicus, aut Mathematicus, ſed ſimpliciter *ſapiens*. Ad hanc ſapientiam ſex conditiones communiter requiruntur. Prima vt verſetur circa omnia. Secunda modo abſtractiſſimo à ſenſibus. Tertia certiſſimè. Quarta vt ſit aptiſſima ad docendum. Quinta per ſe ſit expetibilis. Sexta vt aliis præſit. de quibus conditionibus latè agit P. Suarez diſput. 1. Metaphyſ. ſect. 6. à numero 6. vt ſtatuat Metaphyſicam eſſe ſimpliciter naturalem. Sic definitur ab Augaſtino 14. de Trinit. cap. 1. *Sapientia eſt rerum diuinarum, atque humanarum ſcientia.* Ego ex S. Thoma in præſenti vt hæ omnes conditiones includantur ſic definio. Sapientia eſt *ſcientia ex altiſſima cauſa reliquarum principia iudicans*; hoc eſt ex principio firmiſſimo & nobiliſſimo ita perfecte diſcurrens, vt ſit regula, & norma probandi, & approbandi reliquas omnes veritates, & principia aliarum ſcientiarum naturalium; ex quo facile reliquæ omnes conditiones deduci poſſunt, primo namque erit *circa omnia*, alias non poſſet de omnium principiis iudicare. Secundò *abſtractiſſime* cum motiua cauſa, ex qua mouetur minime à ſenſibus dependeat, ſed ſupra illos ſit. Tertiò *certiſſimè*, ideo à ſenſuum deceptione adeò diſtat. Quarto ſi de omnibus iudicat *altiſſima erit ad docendum* quintò dum his dotibus gaudet *ſcitu digniſſima erit*, & ſexto aliis *præſidebit*.

Quid ſit ſapientia?

Definitio Auguſtini.

Ex S. Tho.

Dubit. ſecundò an Theologia ſit ſapientia? Prima ſententia negat ita Durand. quæſt. 1. Prolog. num. 54. & 55. Mouetur primò quia non procedit ex cauſis altiſſimis, & maxime à priori; nam cum verſetur ex reuelatione procedit potius à poſteriori; quod autem verſetur circa cauſam altiſſimam in eſſendo, nil refert, nam ſcientia vt talis ſolum nobilitatur ex motiuo; ſic Phyſica inferior eſt quam facultas Mathematica, licet hæc non ſit circa Deum vt illa. Secundo Theologia cum pendeat à principiis aliarum ſcientiarum, (dum vtitur vnâ præmiſſa naturali) non poteſt de illis iudicare, cum nulla facultas probet ſua principia. Secunda ſententia affirmat. Ita S. Thomas, & omnes eius interpretes hic. Alenſiſ. 1. part. quæſt. 1. num. 1. Albert. in Prolog. ſumm. & tract. 1. quæſt. 1. S. Bonauent. quæſt. 3. Prolog. Ægid. 2. part. Prolog. quæſtione 1. Henriq. art. 6. ſumm. quæſt. 2. Richard. quæſt. 5. ad 3. Scotus quæſt. 3. Prolog. §. *ex dictis patet*. Theodot. Smiſing. quæſt. 4. Procem in tom. 1. de Deo: mouentur quia vt patet ex articul. præcedenti dub. 1. Agit certiſſime ex dubit. quarta vniuerſaliſſime de rebus abſtractiſſimis; Et ſimpliciter dignior reliquis omnibus eſt; aliunde autem reliquarum facultatum principia regulat vt dicam §. ſequenti. 114

An Theologia ſit ſapientia? Negat Durandus.

Affirmant S. Thom. Bonauent. Alens. Albert. Ægid. Henriq. Richard. Scotus. Smiſing.

Igitur ego ſto huic communi ſententiæ tum ob dignitatem Theologiæ expoſitam art. præcedent. Tum maximè quia Theologiæ proprium eſt præ omnibus aliis naturalibus ſcientiis tanquam firma regula probare tam poſitiuè, quam negatiuè aliarum facultatum principia. Sic probat verbi gratia, principium mathematicum 12. duodecies ducta eſſe 144. quia numerus ſignatorum in capit. 7. Apocalip. hanc veritatem arguit. Item principium Metaphyſicum: *quæ ſunt eadem vni tertio realiter ſunt idem realiter inter ſe*, Falſum eſſe vniuerſim quia veritati. ſſ Trinitatis opponitur. Et ſic reliqua omnia principia approbat, vel reprobat prout veritati, quam ex Fide colligit opponuntur vel congruunt. Id autem à nulla facultate præſtatur, niſi à Theologia; non quidem à naturali ſcientia; cum hæc non ſit firma regula vt patet in illo principio metaphyſico: non item à fide infuſa: licèt enim iſta ſit firma regula ita vt quod ipſi congruit non poſſit non eſſe verum, & quod opponitur falſum; at fides non facit comparationem in actu ſignato nec per modum diſcurſus infert veritatem vel falſitatem principiorum naturalium ſcientiarum; hoc autem requiritur vt per modum habitus diſcurſiui ſcientifici regulet veritatem aliarum facultatum, ſeu ferat iudicium approbatiuum vel reprobatiuum de illarum principiis, Ergo Theologia maximè præeſt aliis ſcientiis; vnde cum aliunde de rebus altiſſimis agat iure ſimpliciter ſapientia inter omnes humanas facultates etiam ſupernaturales (dum ipſa ſupernaturaliter procedat; alias enim ſolum comparanda eſt cum naturalibus) dicenda eſt. 115

Probatur.

Ad argumenta Durandi reſpondeo Theologiam ideo procedere ex altiſſima cauſa, quia eius præcipuum motiuum, & fundamentum, dum nititur reuelationi diuinæ, reducitur in lumen diuinæ ſapientiæ, ſeu in primam veritatem, ideo enim credimus, quæ Deus reuelat; quia ipſe prima veritas eſt, 116

eſt, ſeu prima radix, fons, & cauſa eſt aliarum veritatum. Ad ſecundum id ſpeciale habet Theologia præ aliis facultatibus, vt ipſa prima principia naturalia, quæ ſumit probare poſſit, non quidem ex neceſſitate: Sed quaſi ſuperabundanter idem principium quo vtitur vt præmiſſa in vno diſcurſu aliquando probat, & approbat tanquam concluſionem in alio diſcurſu verbi gratia, *Omnis homo eſt mortalis, ſed Chriſtus eſt homo, ergo Chriſtus eſt mortalis.* Maiorem propoſitionem naturalem ſic per modum concluſionis quis inferre poteſt, & probare Chriſtus Dominus ſubiit communes paſſiones aliorum hominum, ſeu quod *Chriſtus habuit vt homo; habent etiam cæteri omnes homines; ſed Chriſtus eſt mortalis.* ergo, *omnis homo eſt mortalis.*

ARTICVLVS VII.

Vtrum Deus ſit ſubiectum huius ſcientiæ.

117 *An Deus ſit eius ſubiectum?*

Agit S. Thomas de hac difficultate quæſt. 1. Prolog. art. 4. Vbi licèt videatur diuerſa ſentire, quæ in præſenti determinat: aſſerit enim *Deum* non eſſe ſimpliciter ſubiectum huius ſcientiæ, ſed tantum obiectum principale, ſubiectum autem eſſe *ens diuinum cognoſcibile per inſpirationem*; at ibi vel loquitur de ſubiecto attributionis prout conuertitur cum adæquato, vt Caietanus exponit hic, vel loquitur de ſubiecto Theologiæ iuxta diſpoſitionem, quam in ſuis libris obſeruat Magiſter. Cenſeo enim eiuſdem facultatis attingentis eadem obiecta ſecundum variam diſpoſitionem, & Methodum, quam ſeruat iam poſſe vnum iam aliud ſubiectum aſſignari, ſic contingit in eodem ſimplici Syllogiſmo expoſitorio verbi gratia, *Hic homo eſt Rex Hiſpaniæ: Philippus eſt hic homo: Ergo Philippus eſt Rex Hiſpaniæ,* quæ eædem cognitiones diſponi poſſunt vt inferant aliam concluſionem v.g. *Philippus eſt hic homo; ſed Philippus eſt Rex Hiſpaniæ. Ergo hic homo eſt Rex Hiſpaniæ.*

118 *1. Sentent. ponit. Actum meritoriũ.* Durand.

Ego ſatis egi de hac difficultate, & expoſui meam mentem diſput. 10. per totam; vbi in ſect. prima §. 5. breuiter attigi quatuor præcipuas ſententias, ad quas reduci poſſunt omnes, qui aliud à Deo ſecundum ſe aſſignant pro ſubiecto attributionis: Et quidem vt excludatur Deus à ratione ſubiecti propoſui ibi rationes dubitandi & ſolui, vt vero ponatur *actus meritorius* mouetur Durandus quæſt. 5. Prol. num. 21. quia ſubiectum ſcientiæ idem eſt cum ſubiecto principiorum eius, ſed ſubiectum Principiorum Theologiæ, eſt actus meritorius. Ergo: minor probatur. Nam Fidei, & ſcripturarum doctrina teſte Apoſtolo. ſecundæ Tim. tertio, *Diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iuſtitia vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Reſpondeo imprimis non ſolo principio Fidei vtitur Theologia, ſed etiam naturali, ex hoc autem contingit variari ſubiectum ſcientiæ. Sic hæc præmiſſa: *Omnis homo eſt rationalis*, ad diuerſam concluſionem conducit iuxta qualitatem ſecundę præmiſſæ, quæ illi adiungitur; nam ſi addas; ſed *omne rationale eſt admiratiuum*, concludes hominem eſſe admiratiuum, ſi vero addas; ſed *leo non eſt homo*, iam de leone concludes non eſſe rationalem. Præterea Reſpondeo Apoſtolus loquitur de ſubiecto, ſeu fine extrinſeco, quem debet intendere, & in quem obtinendum inſpiratur ſacra Doctrina; nos autem hic agimus de fine & ſubiecto intrinſeco: cuius quaſi comprehenſionem, ſeu adæquatam notitiam componunt omnes particulares actus ſcientiæ.

Secunda ſententia cenſens ſubiectum Theologiæ eſſe Chriſtum Dominum cum S. Bonauent. quæſt. 1. Prolog. Hugo victorin. in Prolog. ſuæ ſum. de Sacram. cap. 2. Okam. quæſt. 3. Prolog. Gabri. quæſt. 9. Alexandr. 1. part. quæſt. 1. membr. 3. Caſſiod. init. Pſalm. Mouetur, quia plura quæ Theologia diſputat non conueniunt Deo in ſe, ſed quatenus indutus eſt Carne, vt patet ex materia de incarnatione, & ex materia de virtutibus; vnde prima ſecundæ. Item ſecunda, ſecundæ ac etiam ipſa tertia pars non Deo ſecundum ſe, ſed vt aſſumenti naturam humanam congruè adaptantur. Si autem prima pars tota eſt Deo, non ob id aliena erit à Chriſto, qui etiam Deus eſt. Reſpondeo hoc fundamentum probat omnia obiecta quæ ſub Theologiam cadunt poſſe tali methodo, & ordine cognoſci, vt in Chriſtum, vt ſubiectum referrentur; at non, ita factum eſt, plura namque in Theologia tractantur ſine vlla mentione, vel ordinatione ad Chriſtum, & quin ob titulum conuenientiæ, & conducentiæ ad meliorem notitiam de Chriſto à Theologo aſſumantur. Imo Theologus proprium tractatum inſtituit de Chriſto Domino, tanquam partem ſui operis vt patet ex tertia parte ſum. S. Thomæ, in qua Chriſtus Dominus plenè, & quantum cognoſcibilis eſt proponitur, ita vt ſi noua paſſio, aut excellentia de Chriſto reuelaretur ad eum tractatum deberet ſpectare non ad alios. Licet autem, quæ de Chriſto vt homine agit non conueniant Deo ſecundum ſe vt partes, vel proprietates; continent tamen vt effectus, de quibus non minus pertinet ad ſcientiam tractare, cum iſta detur ad cognoſcendum adæquate ſuum ſubiectum, quantum hoc cognoſcibile eſt ſub lumine, vel medio, quo ſcientia vtitur: Cognitio vero effectûs ſpectat ad plenam cognoſcibilitatem cauſæ. 119 *2. Sentent. Chriſtum.* S. Bonauent. Hugo. Okam. Gabriel. Alexand. Caſſiod.

Tertia ſententia, quam ſequi videtur, S. Thomas vt dixi §. 117. & ſequitur P. Franciſcus Amicus in 1. tom. ſui curſus Theolog. diſput. 1. ſect. 7. num. 136. cenſet eſſe *ens diuinum cognoſcibile per inſpirationem*, vel reuelationem. Mouetur quia Metaphyſica quia eſt ſcientia ſuprema naturali lumine agens de omni ente, habet pro ſubiecto *ens*, vt naturaliter cognoſcibile. Ergo & Theologia, quæ etiam ſuprema ſcientia eſt, vniuerſaliſſima, & maxime ſapientia, vt conſtat ex art. 5. & 6. Reſpicit pro ſubiecto *ens*, vt cognoſcibile lumine Fidei. Reſpondeo metaphyſica non reſpicit *ens* pro ſubiecto ſed *Deum* vt aliqui ſentiunt, quos refert Albert. in princ. Metaphyſ. & P. Petr. Hurtad. diſp. 1. Proœm. metaph. Sed quidquid de hoc ſit dignitas Theologiæ ſpecialius id expoſcit, etiam aliunde eius vniuerſalitas non ideo limitetur, ſiquidem quidquid exiſtit vel Deus ſit, vel effectus Dei: Quare licet poſſint omnes cognitiones Theologiæ de facto ita diſponi vt in *ens* diuinum reducantur; melius cum S. Thoma diſponentur in perfectam cognitionem Dei; vt ſpeciali titulo patebit §. 127. 120 *3 Sentent. ens diuinum* S. Thomas: Franciſcus Amicus.

Quarta ſententia ponit *Res, & ſigna*. Ita Magiſt. ſent. lib. 1. init. Scot. quæſt. 3. Prolog. in reſp. ad 1. quæſt. Lateral. Okam. quæſt. 3. Gabriel. quæſt. 9. Mouetur quia quod obiicitur Theologiæ, & Sacræ ſcripturæ, vel conſideratur vt eſt in ſe præciſe; & ſic dicitur: *Res* vel vt aſſumitur ad figurandum, vel ſignificandum aliquid aliud, quo pacto *Signum* dicitur. Ergo Res, & ſigna ſunt ſubiectum huius ſcientiæ. 121 *4. Sentent. Res & ſigna.* Magiſter. Scotus. Okam. Gabr.

ſcientiæ. Sed contra hoc non eſt tam aſſignare ſubiectum vnicum Theologiæ, quam collectionem omnium, vt notauit S. Thom. quæſt. 1. Prolog. art. 4. verſ. *Prima eſt quod quæcumque.* Quare ſic Theologia non aſſumitur vt eſt de facto reducta ad Methodum ſcientificam, quo pacto hic diſcurrendum eſt; nam de poſſibili fateor iam hoc ſubiectum, iam illud poſſe ſortiri, vt dixi tract. 1. diſput. 10. ſect. 5. concluſ. 3. & 4.

122 Dubit. ſecundo An, & qualiter in ſubiecto ſcientiæ debeant contineri omnes ſcientiæ veritates? Scotus quæſtione tertiâ Prologi aſſerit, ſubiectum ſcientiæ virtute continere debere omnes veritates, quæ per habitum ſcientiæ de tali ſubiecto ſciri poſſunt; nam ſcientia, vt vna ſit, non debet extendi ad indagandas paſſiones, ſeu attributa, & veritates, quæ dentur in pluribus ſubiectis, ſed in vno tantum; at ſubiectum vti continet omnes ſuas paſſiones ita continet mediatè, vel immediatè omnes veritates, quæ in prædictis paſſionibus continentur. Ergo de primo ad vltimum ſubiectum continet omnes veritates ſcientiæ. Secunda ſententia tenet oppoſitum. Ita Thomiſtæ cum Caietano in hoc articulo ſeptimo, verſu. *Circa propoſitionem aſſumptam.* Mouentur, quia ſæpè ſcientia non ſolum agit de vno ſubiecto ſingulari, vel de ratione genericâ; ſed etiam de pluribus ſpeciebus diſparatis ſecundum propria earum. Sic Arithmetica ita agit de numero, vt deſcendat ad ſpeciem binarij, ternarij, *&c.* Non ſolum ſecundum communia binarij verbi gratia, ſed etiam ſecundum propria. At propria, ſeu proprietates binarij non continentur in ternario, neque in *numero* vt ſic, vt patet. Ergo non eſt opus, vt omnes veritates ſcientiæ contineantur in eius ſubiecto.

Qualiter in ſubiecto ſcientiæ debeant contineri omnes veritates ſcientiæ? Affirmant Scotus.

Negant Thomiſtæ.

123 Ego ſentio primò cum Scoto, in ſubiecto ſcientiæ, vt ſubiectum eſt, per ſe contineri omnes veritates ſcientiæ. Ratio eſt, quia ſcientia nihil cognoſcit, niſi per ſe conducens in meliorem notitiam ſui ſubiecti, vel vt aſſequatur quantum fieri poſſit perfectam cognitionem de ſuo obiecto: At omnis veritas conducens ad adæquatam cognitionem obiecti in illo continentur. Ergo & omnis veritas ſcientiæ. Conſequentia patet. Maior etiam? ſic ſubiectum comparatur ad ſcientiam per attributionem, ſicut obiectum ſubeſt potentiæ per prædicationem, vnde quemadmodum nil obiicitur viſui, quod non ſit coloratum, ita nec ſcientiæ, quod non referatur ad eius ſubiectum; & quidem ſi plenam cognitionem habeat ſcientia de ſuo ſubiecto extra rem aget dum aliud inquirit; ideo dicitur quod ſcientia ſolum inquirit proprietates, cauſas effectus, *&c.* Sui ſubiecti, & quidem ſi ita non eſt, vt vna ſcientia ſolum agat de his attributis ſui ſubiecti, non eſt cur tale vnum ſubiectum potius dicatur ad talem ſcientiam pertinere, & de illo agere, quam de alio; imo ſcientia *vna* non erit, ſed quædam ſylua variæ lectionis. Tunc ſic ſed per ſe loquendo omnia iſta conducentia ad adæquatam cognitionem de ſubiecto ſunt contenta in illo; ſunt enim in illo cognoſcibilia, ſiquidem perfecta comprehenſio de aliqua re in illa cognoſcit omnia ipſius connotata, ſic in comprehenſione Dei cognoſcuntur omnes creaturæ. Ergo per ſe omnes veritates ſcientiæ ſufficienter ſunt cognoſcibiles in ſuo ſubiecto, ſeu hoc in ſe ſufficiens medium eſt ad habendas omnes cognitiones, quas ſcientia intendit.

Affirmandum eſt de ſcientia per ſe vna ex parte obiecti.

124 Dico ſecundò Nihilominus non eſt opus omnes veritates vnius ſcientiæ ita limitari ad vnum per ſe ſubiectum, vt non ſe extendant ad particulares ſpecies ſecundum propria earum. Ita ſentio contra Scotum, qui diuidit habitus ſcientiæ pro diuerſitate ſpecierum, & rationum formalium, vt alia ſit ſcientia de Animali, alia de rationali; Item alia de homine, alia de leone, *&c.* Imo addunt Nominales cum Molina hoc art. 7. diſput. 2. habitus ſcientiæ diſtinguendos pro diuerſitate concluſionum. Sed tam hi, quam Scotus reiiciuntur; tum præcipuè ſi intendunt ſcientias ſimpliciter in ratione ſcientiæ diſtingui, id enim manifeſte eſt contra diuiſionem, & methodum omnium ſcientiarum, nulla enim eſt ſi habeat pro ſubiecto rationem communem, quæ non deſcendat ad propria ſpecierum illius vt patet in Phyſica, & Metaphyſica. Præterea neque opus eſt vt detur diſtinctio in ratione habitus, nam ſufficiens eſt ſimplex qualitas dum ſeruet eundem tendendi modum, vt adiuta his, vel illis ſpeciebus intentionalibus ad actus circa diuerſa obiecta facilitet. vt ſatis dixi §. 55. Igitur ſubiectum vnius ſcientiæ aliquando poteſt eſſe tale vt ſit ratio communis non ſolum ſecundum communia ſed etiam ſecundum propria ſpecierum contentarum ſub illa ratione communi; & in ſubiecto vt vt ſic accepto benè dantur, & continentur omnes veritates ſcientiæ modo explicato §. præced.

Secus de. *vna ſolum ex parte habitus.*

Hinc ad oppoſitas ſententias reſpondeo. Ad primam Scotiſtarum in ſubiecto ſic conſiderato benè contineri omnes veritates ſcientiæ vt nuper dixi. At ſubiectum vt ſic ex pluribus conſtare alias diſparatis; neque ideo ſcientia conſtabit ex pluribus habitibus vtcumque aggregatis, vel cenſenda eſt quædam ſylua, vel farrago variæ lectionis, nam omnia adunantur iuxta vniformem modum procedendi per talem, vel talem abſtractionem modo à me explicato §. 70. Ad ſecundam Thomiſtarum fateor ſub vna ſcientia tractari varias ſpecies ſecundum propria earum: at tunc non ratio communis vt ſic abſtracta, ſed vt aggregat ſeu colligit omnes ſpecies tales habebit rationem ſubiecti, hoc eſt, non ratio communis & vniuerſalis vt ſumatur prout eſt totum actuale præciſum ab omnibus inferioribus, ſed etiam vt eſt totum potentiale includens aliquo modo inferiora, quæ conueniunt in *eſſe* ſcibili, ſeu circa quæ eſt idem modus tendendi cognitionum. Talis autem ratio, & ſubiectum, ſic acceptum virtualiter continet omnes veritates ſcientiæ modo explicato. 125

Dubit. tertio An in ſubiecto Theologiæ includantur, & quomodo omnes veritates ſcientiæ? S. Thomas in præſenti art. 7. in Corpore tuetur Deum eſſe ſubiectum Theologiæ, quia Principiorum Theologiæ ſubiectum eſt Deus, idem autem eſt ſubiectum Principiorum & totius ſcientiæ, cum tota ſcientia virtute contineatur in Principiis: Sed vt notat Caietanus hic quidquid continetur in Principiis continetur etiam in ſubiecto Principiorum, hæc enim ex ſuo ſubiecto ſumuntur, & in illo continentur. Ergo de primo ad vltimum in ſubiecto Theologiæ includuntur omnes veritates Theologiæ. In contrarium autem eſt. Primò quia ſubiectum Theologiæ vt vidimus eſt Deus; At plura conſiderat Theologia ſecundum propria ipſorum, & ſine vllo reſpectu ad Deum; ſic agit de natura Angelorum ſecundum ſe, non minus, quam Philoſophus agit de natura hominis, quin Dei meminerit. Secundo Theologia non ſolum vtitur præmiſſa Fidei (quæ quia nititur reuelationi diuinæ, poteſt dici eſſe 126

An in ſubiecto Theologiæ includantur, & quomodo omnes veritates ſcientiæ?

eſſe principium à Deo datum, in ipſoque contentum) ſed etiam vtitur præmiſſa naturali ſumpta ex effectibus naturalibus, quos expetitur, vel ex aliis creatis motiuis, quin ea principia naturalia potius ſumat ex Deo, quam aliæ naturales ſcientiæ.

127 *Probatur includi.* Nihilominus cenſeo in Deo ſpecialiſſimè & propriiſſime contineri omnes veritates Theologiæ; Vnde maxime ob hunc titulum *Deus* præ omnibus aliis obiectis ſtatuendus eſt ſimpliciter Theologiæ ſubiectum: Nam licet permitti poſſit quod vna ſcientia habeat pro ſubiecto attributionis non ſolum aliquam rationem ſimplicem, ſed etiam compoſitam, hoc eſt rationem communem vt eſt totum poteſtatiuum includens aliquo modo inferiora, vt dixi §.125. & patet in ſcientiis naturalibus licèt inquam hoc ita ſit, nihilominus negari nequit ad perfectam vnitatem ſcientiæ maximè ſpectare, quod ſolum agat de vno ſubiecto ſimplici, quin deſcendat ad alia principia, quæ non continentur in ipſo, vt ſimplex eſt; vt ex Ariſt. oſtendit S.Thom. primo Poſt. lect.41. Ad med. *Oſtendit qualia* dum exponit dictum Philoſophi: *Et partes, aut paſſiones eorum ſunt per ſe* vbi aſſerit ſcientiam de *triangulo* non habere pro ſubiecto *Iſochelem, æquilaterum*, aut aliam ſpeciem trianguli. Tunc ſic ſed in nulla ratione ſimplici, ſed in ſolo Deo continentur omnes veritates Theologiæ. Ergo ſolus Deus aptiſſimè conſtituendus eſt Theologiæ ſubiectum. Minor probatur, nam iuxta ea, quibus Theologia de facto deſeruire poteſt omnia cadunt ſub eius ſphæram, quæ reuelabilia ſunt; at reuelabilia omnia in nullo continentur ſingulari, niſi in ſolo Deo, qui continet omnia poſſibilia, omneſque veritates. Ergo.

Vnde ad præſens dico in ſubiecto Theologiæ contineri omnes veritates Theologiæ, non quidem
128 quia Theologia immediatè ex ipſo Deo, vel per ipſum vt medium moueatur ad omnia ſua obiecta cognoſcenda; ſed quia nil cognoſcit, quod non ſit cognoſcibile, & in ratione cognoſcibilis contineatur in Deo, neque aliquid cogniſcit, quod non deſeruiat ad meliorē cognitionem de Deo, ſeu quod non ſit neceſſarium ad habendam adæquatam, & quaſi comprehenſiuam cognitionem de Deo quantū permittitur ex vi luminis naturalis, & fidei, quo vtitur. Ex quibus patet ad totam rationem dubit. in §.126.

Dub. quarto An ſola Reuelatio ſit obiectum for-
129 *An eius obiectum formale motiuum ſit ſola reuelatio?* male motiuum Theologiæ. An etiam veritas naturali lucè cognoſcibilis? Sub hoc dubitationis titulo inquiritur quod ſit obiectum formale, quô tanquam motiuo obiectiuo ratione ſui cognito vtitur Theologia, vt ex illo procedat ad inferendas ſuas concluſiones, & cognoſcenda obiecta alia, quæ ſunt purè materialia. De quo ego latè egi diſput.11. ſect.4. per totam vbi determinaui rationem formalem adæquatam *qua* ſcitur ratione ſui.

Dubit. quintò, Quod ſit obiectum formale *quo*
130 *Quod ſit eius obiectum formale quo?* ſeu ratio formaliſſima *ſub qua* Theologia conſiderat omnia ſua obiecta non loquimur de obiecto motiuo, quod ratione ſui cognitum, eſt ratio cognoſcendi alia propter ipſum, ſicque dicitur ratio *qua* ſeu propter quam de quo egi dubit. præced.
Senſus dubitationis. loquimur ergo hic de quadam conditione obiectiua quæ licèt in ſe formaliter non cognoſcatur comitetur tamen ſemper obiecta Theologiæ quemadmodum *abſtractio* dicitur ratio formalis *ſub qua* ſcientiæ naturalis, quia licèt non agat naturalis ſcientia de tali abſtractione, at nullum obiectum ad ſcientiam pertinet, quod non abſtrahat à materia ſingulari, vel ſenſibili. Similiter *obſcuritas* eſt ratio formaliſſima *ſub qua* fidei, quia licet fides nec credat obſcuritatem, nec propter ipſam moueatur ad credendum; At nullum myſterium proponitur Fidei credendum quod obſcurum non ſit. Ita Ergo in hac dubitatione quærimus detur ne ſimilis ratio formaliſſima *ſub qua* in Theologia, & qualis ſit.

Prima ſententia ponit *finitatem virtualem* ſeu eſſe Deum finite intelligibilem. Ita Argent. quæſt.1. 131
Prol. Toletan. quæſt.6. Capreol. quæſt.4. art.2. Mouentur quia nil conſiderat Theologia, quod non condūcat ad Deum ſic cognoſcendum. Secunda ſententia. *Cognoſcibilitatem per habitum diuinum.* Ita Molina hac quæſt.1. art.3. diſp.2. Mouetur quia ratio formaliſſima potentiarum eſt proportionata attingibilitas per ipſas. Sic intellectus tendit ſub ratione *intelligibilis*, viſus ſub ratione viſibilis, & vniuerſim ſciētia ſub ratione ſcibilis: Ergo Theologia ſub ratione Theologicabili vt ita dicam, ſeu cognoſcibili per habitum ſupernaturalem. Tertia ſententia *Abſtractionem ab omni potentialitate.* Ita aliqui Thomiſtæ cum Bannes hic art.3. concluſ. 8. Mouentur quia ſcientiæ diſtinguuntur penes diuerſam rationem formalem *ſub qua* titulo diuerſæ abſtractionis à materia vel ſolum ſingulari, vt Phyſica, vel etiam ſenſibili, vt Mathematica vel denique intelligibili vt Metaphyſica. Ergo Theologiæ abſtractio erit à materia etiam logica, ſeu ab omni potentialitate etiam logica qualiter abſtrahit Deus, qui eſt purus actus, & conſequenter iſta abſtractio congrue aſſignabitur ratio formaliſſima *ſub qua*.

1. Sentent. ponit finitatem Argent. Tolet. Capreol.

2. Sentent. Cognoſcib. per lum. ſi. Molina.

3. Sentent. abſtr. ab omni pot. Bannez.

Ego abſolute cenſeo aſſignandam eſſe pro ratio- 132
ne formali ſub qua Theologiæ abſtractionem non quidem à materia, vel potentialitate ſiue logica, ſiue phyſicâ, vt dixit tertia ſententia nuper relata; de qua §. ſequenti, ſed abſtractionem ab omni euidentia (loquor de noſtra Theologia.) Probatur; Omnia, quæ conſiderat Theologia, participant abſtractionem iſtam, aliunde ea communis non eſt obiectis aliarum facultatum: Ergo iure habere poteſt ſeu aſſignari vt ratio formalis ſub qua Theologiæ. Antecedens probatur, nam ſi de Theologia ſtrictè accepta loquamur, ſemper verſatur circa concluſiones dependentes ab vna ſaltem præmiſſa Fidei, & conſequenter obſcuras, vt dixi §. 100. aliunde obſcuritas hęc ſeu abſtractio ab euidentia non competit ſcientiarum naturalium habitibus, vt patet; nec item ſupernaturalibus verbi gratia, Fidei, iſta enim licet abſtrahat ab euidentiâ, non tamen per modum diſcurſus, ſeu modo ſcientifico, qualiter modo loquimur. Hinc rectè probatur hanc abſtractionem eſſe rationem *ſub qua* Theologiæ, nam vt aliqua ſit ratio formalis *ſub qua* habitus diſcurſiui, nihil aliud requiritur, niſi quod ſe teneat ex parte obiectorum; quæ conſiderat, & per ipſam ab omni alio habitu diſtinguatur vt patet ex his, quæ communiter dicuntur de abſtractione diſtinguente ſcientias iuxta §. 61. Confirmatur titulo huius abſtractionis Theologia requirit particularem habitum, & diſtinctum ab omnibus aliis habitibus, eo ſcilicet quod talis abſtractio imbibit peculiarem difficultatem in modo renden i, titulo cuius difficultatis vincendæ neceſſa. ius eſt habitus ab ſpeciebus diſtinctus. Atqui ea abſtractio iure aſſignatur pro ratione formali ſub qua habitus diſcurſiui, Ergo ita cenſendum eſt de Theologia. De toto hoc argumento vide dicta articulo ſecundo dubitatione prima & ſecunda.

Ad ſententias oppoſitas reſpondeo. Ad primam 133
nimis obſcurè procedere, ſic enim omnis ſcientia

reſpicit finitatem virtualem entis, & Metaphyſica ſpecialiter Deum vt finitè intelligibilem. Deinde hæc conducentia obiectorum ad Deum cognoſcendum nihil conducit ad exprimendum modum tendendi habitus, (ac proinde non diſtinguit habitus diſcurſiuos, vt requiritur ad rationem ſub qua alicuius facultatis,) etenim æquè conducit obiectum ad cognitionem Dei, ſiue cognoſcatur cælum verbi gratia hoc modo vel illo, ex hoc motiuo facili, vel ex alio difficili, & ſubtili. Ad ſecundam ſententiam reſpondeo per illam non declarari rationem formalem *ſub qua* ex parte obiecti, ſeu obiectiuam: vnde æquè inexplicatam manere præſentem dubitationem vt ſi quæreres quæ ſit ratio formalis Metaphyſicæ? reſponderes, Metaphyſicam tendere ſub ratione Metaphyſicali. Prius ergo determinanda eſt ex parte obiecti ratio *ſub qua* quaſi intrinſeca, ſeu intrinſecè conuenienti ipſis obiectis quæ denominatione ſumpta à potentiis, vel habitibus dicuntur viſibilia vel intelligibilia: item Metaphyſicalia, vel Theologicalia. Ad tertiam, quam præter Thomiſtas cum ſuo Bannez tuetur etiam P. Fonſ.6. Metaphyſicæ cap.1.diſput 6.ſect.4. Reſpondeo abſtractionem explicandam eſſe, vt ego eam explicui numero præcedenti, alias de pluribus agit Theologia, quæ nullo modo abſtrahunt à materia vt de Chriſto Domino, *&c.*

134 *Quod ſit eius obiectum adæquatum?* Dubit. ſextò quod ſit obiectum adæquatum Theologiæ, de ſubiecto iam conſtitit dubit. prima ſeu de obiecto *quod*, de obiecto formali adæquato, ſeu ratione *qua* dixi dubit.4. de ratione *ſub qua* dubitatione præcedenti obiectum autem materiale minus principale (nam primarium cum ſubiecto conuertitur,) eſt quidquid propter formale cognoſci poteſt, hoc eſt vel propter duas reuelatas, vel etiam ob vnam præmiſſam naturalem, & aliam ſupernaturalem; vnde nulla veritas eſt, quæ ſub ſphæra, & motiuo Theologiæ cadere non poſſit, generaliterque obiectum adæquatum Theologiæ definiri poteſt: *veritas omnis ex propoſitione reuelata cognoſcibilis.*

ARTICVLVS VIII.

Vtrum hæc doctrina ſit argumentatiua?

135 DE hac difficultate agit S. Thomas quæſt. 1. Prolog. art.5. Vbi examinat modum procedendi huius doctrinæ qualiter artificialis ſit; in Opuſcul.70. ſuper Boët. de Trinit. quæſt. 5. art. 3. aliqua item primo contr. gent.cap.3.& 8.& iterum expreſſe in ſecundo reſcripto in lib. ſent. ad Annibal. quæſt.3. Prolog.art.1. in præſenti autem articulo 8. ait quod licèt ſacta doctrina, ſicut aliæ ſcientiæ ad ſua principia probanda non argumentetur: contra tamen negantes illa procedit, vel ex conceſſis illos redarguendo, vel eorum apparentes quæſtiones diſſoluendo, ex principiis tamen ad concluſiones argumentatur. Circa quæ nil dixi in meis diſputationibus, eſt enim per ſe notum ipſa experientia, quod Theologia argumentatiua ſit; imo ex eo diſtinguitur ab habitu fidei. Nihilominus vt hoc clarius conſtet.

136 *An ſit ſcientia adhæſiua: Aureol. eſſe declarat.* Dubit. primò an Theologia ſit *adhæſiua* hoc eſt eliciens actum aſſentientem ſuo obiecto, vel ſolum *declaratiua*: hoc eſt eliciens præciſè declarationem terminorum veritatum Fidei, ipſoſque exponens. Aureol. quæſt. 1. Prolog.art.3. prop. 2. & 3. tenet hoc ſecundum, & ideo negat Theologiam argumentatiuam, ſeu eliciuiuam aſſenſus in concluſionem deductam ex præmiſſa fidei, quia Theologiæ muneris eſt *facere aliquid* (verba ſunt Aureoli) *imaginari melius per intellectum abſque adhæſione*, ſeu aſſenſu. Monetur quia concluſionis aſſenſus Theologicus vt pote naturalis, & à fide diſtinctus aliunde obſcurus eſſet opinatiuus, & probabilis, in naturalibus namque omnis actus qui non eſt euidens eſt opinio; & non ſcientia; hoc autem eſt contra dignitatem Theologiæ. Confirmatur ex D. Dionyſ.caput. 1. de diu. nom. *Nulla ratione* (inquit) *præſumendum eſt aliquid deſuper ſubſtantiali, ſecretiſſimaque deitate aut dicere, aut cogitare præter illa, quæ nobis ſacra eloquia tradiderunt.*

Sentiendum eſt cum communi ſententia Theologiam eſſe adhæſiuam, ſeu argumentatiuam patet id ex §.115. fine: item à priori ex vna præmiſſa naturali, & alia reuelata inferri poteſt concluſio, ſi enim ex præmiſſa Fidei humanæ concluſio infertur, cur non ex diuina? Talis autem concluſio (in qua argumentatio conſiſtit) ad aliam facultatem, quam Theologiam non ſpectat, & quidem talem facultatem ſolam hic intelligimus nomine *Theologiæ*, niſi quæſtio reducatur ad voces. Confirmatur ex pluribus diſcurſibus, qui inueniuntur in Sacris litt. ex vna præmiſſa fidei. Matth. 22. 32. arguitur Abraham viuere, quia dicitur Deus Abraham; Deus autem non eſt mortuorum. Meſſiam non eſſe purum hominem ibi. verſ. 43. Quia Dauid. vocat eum Dominum. Ergo ſimiliter nos poſſumus vti in diſcurſum premiſſa fidei, qui diſcurſiuus non eſt fidei, nec naturalis ſcientia vt ſæpe dixi ſupra. 137 *Probatur adhæſiua.*

Ad fundamentum Aureoli reſpondeo Theologia excludet incertitudinem opinionis ſaltem dum per actum ſupernaturalem tendit iuxta dicta §.97. Deinde licèt ſit purè naturalis habet certitudinem ſcientiæ, vt dicam dubitat. ſequenti. Ad confirmationem dico S. Dionyſium ſolum intendere ex nobis nullos addendos articulos fidei. At non ideo prohibet declarare, confirmare, & defendere eos, qui à ſacris eloquiis traduntur; quod ſine argumentatione non fit. Vnde concedo Aureolo habitum Theologiæ eſſe *declaratiuum*, at id præſtare firmè non poteſt intellectus humanus niſi diſcurrendo, & argumentando. 138

Dubit. ſecundò an Theologia ſit habitus opinionis ita ſentit. Aureol. ob fundamentum in §. 116. ſentit item Vaſquez diſput. 5. num.4 & 5. alios antiquos referens. Quia Theologia per ſe non nititur propoſitionibus fidei vt creditis fide diuina, ſed acquiſitâ tantum, vel etiam vt cognitis ratione naturali, in eo manet in Hæretico vt dixi §.57. Ergo cum aliunde obſcure procedat non eſt cur non ſit pura opinio. Confirmatur omnis habitus naturalis diſcurſiuus vel eſt ſcientia, vel opinio vt conſtat ex Ariſt.6. Ethic.cap.3. ſed Theologia eſt habitus naturalis ex §. 49. & non ſcientia ex §. 13. Ergo opinio, & ita etiam ſentit P. Adamus Tannerus diſputatione 1. in 1. part. quæſtione 2. dubio 2. numero 6. 139 *An ſit habitus opinionis? Affirm. Aureol. Vaſquez. Tanner.*

Ego ſentio Theologiam ſtrictè, & in ſtatu perfecto acceptam neque eſſe opinionem, nec ſcientiam, eſſe tamen habitum medium qui propria voce Ariſtoteli, & Philoſophis ignota *Theologia* dicatur. Ratio eſt quia Theologia quando perfectè exercetur, quantumuis naturalis ſit cum nitatur præmiſſæ euidenti, & alia ſupernaturalis Fidei certiſſimæ, ipſa etiam certa eſt; ergo licèt defectu euidentiæ non ſit ſcientia, titulo certitudinis præmiſſæ, cui [illegible] nititur, 140 *Nec eſt opinio, nec ſcientia.*

nititur, opinionem excedet; accedetque maximè ad ſcientiam cum habitus opinarius, & ſcientificus penes aſſixionem ad verum diſtetant ideo Ariſt. 6. Ethic. cap. 3. Scientiam poſuit inter virtutes intellectuales. *Quia illa anima verum dicit: opinione fieri poteſt vt mentiatur.* Ergo cum nequeat fieri vt Theologia innitens præmiſſæ fidei diuinæ, & rationis euidentis mentiatur *opinio* non erit. Locutus ſum de Theologia in ſtatu perfecto, nam communius etiam in viro Catholico non nititur præmiſſæ Fidei diuinæ, neque enim ſemper in ipſo feruore diſputationis apprehendimus motiuum diuinæ reuelationis, cum promptiora ſint, & magis obuia alia motiua, vel credibilitatis intrinſecæ, vel propoſitionis Eccleſiæ, &c. Theologia autem tunc non habet vnde euehatur ſupra alios habitus opinatiuos.

141 Hinc ſatis patet ad contrariam ſententiam. Ad Aureolum ſatis dixi dubit. præced. Ad fundamentum P. Vaſquez reſpondeo ſæpè etiam Theologiam niti præmiſſæ Fidei diuinæ, licèt non per ſe, ex hoc autem iam habet peculiarem excellentiam præ opinione, nam iſta nunquam nititur præmiſſis certis. Si vero comparetur Theologia, quando in Hæretico, vel in Catholico non vtitur præmiſſa fidei infuſæ prout in hoc ſtatu erit habitus opinatiuus vt dixi. Ad confirmationem reſpondeo Ariſtotelem diuiſiſſe habitus purè naturales, & naturalibus præmiſſis innitentes, vt ſic autem, qui non eſt ſcientificus eſt opinatiuus. At in nobis Theologia eſt habitus medius vt iam dixi §. præcedenti.

142 *Quibus principijs vtatur? Aliqui 10. vel etiam 20. aſſignãt.*

Dubit. tertiò quæ, & quot ſint Principia, ſeu loci, quibus Theologia vtitur ad arguendum. Communiter aſſignantur decem. Primus authoritas ſacræ ſcripturæ. Secundus traditiones Eccleſiæ. Tertius Authoritas Concilij Generalis. Quartus definitio ſummi Pontificis. Quintus authoritas Concilij Prouincialis à ſede Apoſtolica approbati. Sextus Authoritas omnium ſanctorum Patrum. Septimus Authoritas Concilij Prouincialis etiam non approbati. Octauus Authoritas, omnium Scholaſticorum. Nonus ratio naturalis. Decimus Authoritas vnius aut plurium illuſtrium Philoſophorum, de his locis integrum edidit volumen Melchior Cano; quod de *locis Theologicis* inſcripſit. Hunc numerũ ſequuntur Molina, Vaſquez, Zumel, Bannes in hoc articulo. Alij ſolum ſeptem locos numerant cum P. Valentia hic quæſt. 1. punct. 5. Alij addunt eſſe duodecim cum P. Gillio lib. 1. tract. 7. cap. 1. num. vlt. Alij etiam viginti cum P. Tannero diſp. 1. quæſt. 5. dub. 1. num. 3. Ego vt breuius id explicem loquendo de Theologia vt ſtrictè, & perfectè tali duo tantum in ea agnoſce locorum genera, Authoritatem diuinam, & rationem euidentem naturalem; ſed vt de Theologia latiori ſignificatu agamus, & ſub ratione naturali quodcumque ſuadibile argumentum includatur addi poteſt authoritas humana Eccleſiæ, & authoritas Philoſophorum. Vnde quatuor omnino erunt loci Theologici. Primus reuelatio diuina. Secundus Ratio naturalis. Tertius Authoritas humana Eccleſiæ, Quartus Authoritas prophana, ſeu Philoſophorum quorum quatuor locorum tantum meminit S. Thomas hic.

Duo, vel ad ſummum 4. omnino ſunt.

143 *Quomodo ſit vtatur.*

Dubitat. quarta quomodo vtatur Theologia his locis. Reſpondeo reuelatione diuina vtitur Theologia *ex neceſſitate* ita S. Thomas hic ad ſecundũ tum quia Theologia ſemper reſoluenda eſt in propoſitionem fidei vt perfectè procedat; tum etiam quia eo præcisè diſtinguitur à ſcientiis naturalibus, quod tali reuelationi nitatur. At vt propoſitio reuelata deſeruiat Theologiæ certæ, opus eſt vt certo, & explorate proponatur vt ſic reuelata, ſi enim ſub opinione ſit an pertineat ad fidem, ſolum Theologiam opinatiuam efficiet; ſicut non facit ſcientiam, ſed opinionem principium de quo controuerſia eſt, ſit ne euidens. Item ſenſus reuelationis præcisè allegoricus, niſi in litteralem reducatur non facit principium certum, & ex neceſſitate admittendum. Ita S. Hieronym. in cap. 13. Matth. poſt quandam myſticam expoſitionem ſubiungit. *Prius quidem ſenſus: ſed nunquam parabola, & dubia ænigmatum intelligentia poteſt ad authoritatem dogmatum proficere*, & Auguſt. epiſt. 48. contra Vincentium Donatiſtã: *Quis non impudentiſſime nitatur aliquid in Allegoria poſitum pro ſe interpretari, niſi habeat, & manifeſta teſtimonia, quorum lumine illuſtrentur obſcura.* Sub Reuelatione diuina continentur. Primo ſacrarum ſcripturarum oracula. Secundò Eccleſiæ traditiones. Tertio definitiones Pontificum. Quartò Priuatæ reuelationes, quæ ita credibiles euidenter proponuntur, vt ei debeatur aſſenſus per habitum fidei diuinæ.

Reuelatio diuina quomodo diſponenda.

Ratio naturalis ſi euidens ſit etiam deſeruit Theologiæ ex neceſſitate quatenus nullus diſcurſus Theologicus eſt, quantumuis vtatur duplici præmiſſa reuelata, qui non nitatur alicui principio naturali, ſcilicet bonitatis formæ vt dixi diſput. 7 ſectione 2. talis tamen ratio naturalis vt deſeruiat Theologiæ perfectæ debet eſſe euidens non ſolum quoad apparentiam, ſed etiam verum quoad rem ipſam; ſi enim vtrumque non concurrat inſufficiens erit vt deſeruat Theologiæ ita perfectæ: ſic inſufficiens eſt hoc principium naturale: *Quæ ſunt eadem vni tertio reali ſunt idem inter ſe realiter*; licèt euidens ſit quoad apparentiam, quia verum non eſt, è contrà autem licet verum ſit, quod potentiæ diſtinguantur ab anima verbi gratia, quia tamen hoc euidens non eſt, non ſufficit vt Theologia perfecta concludat animam Chriſti habere, potentias diſtinctas. Sub ratione naturali ſi loquamur de Theologia late accepta vt comprehendenti diſcurſus opinatiuos claudi poteſt inductio. Exemplum, congruentia, & alij communium argumentorum fontes de quibus Rethores, & logici; omnibus enim his vtitur Theologia in ſuis argumentationibus. 144

Ratio natur.

Auctoritas humana Eccleſiæ ſolum ſpectat ad Theologiam ſic latè acceptam, ſi quidem non excedit probabilitatem, quantumcumque magna ſit, ſi tamen vt purè humana vſurpetur, qualiter vſurpari poteſt aliquando authoritas Concilij generalis vel etiam ſummi Pontificis dum loquitur vt homo non autem vt Pontifex è Cathedra diffinit. Ad hunc locum reducit P. Chriſtophorus Gilius lib. 1. tract. 7. cap. 10. authoritatem Angelorum, & aliorum Beatorum; ſed non benè quia horum teſtificatio probabilitatem excedit, cum certum ſit in ſtatu beatitudinis non poſſe falſum teſtificari. 145

Author. Eccleſiæ humana.

Authoritas prophana ſeu philoſophorum comprehendit ſub ſe quodlibet humanum teſtimonium quod aſſenſum humanæ fidei mouere poſſit, & ab authoritate Eccleſiaſtica differat; locus autem hic conducit, tum euidenter ad arguendum ad hominem contra gentiles, qui admittunt indubitanter Philoſophorum dicta ſic Paulus Act. 17. adducit 146

Prophana.

dictum Arati: *Ipſius enim & genus ſumus.* Vt Athenienſes, qui Arato fidebant, fidem quoque Paulo adhiberent conducit etiam probabiliter, quatenus Philoſophi præſumuntur vera dicere quæ ſi des licet certitudinem non attingat, ſuadit ilem tamen aſſenſum, ſeu probabilem inducit; vt enim rectè Diuus Auguſtinus lib. de vera Religione cap. 24. *Nec authoritatem ratio penitus deſerit cum conſideratur cui ſit credendum*, vnde authoritas humana Theologiæ deſeruit æquiualenter pro ratione naturali probabili.

147 Dubit. quintò An locus iſte à ratione naturali ductus deſeruiat Theologiæ vt proprius? An verò vt extraneus? Sanctus Thomas in præſenti videtur ſentire Theologiam arguere ex ratione naturali, vt ex principio extraneo, ſiquidem aſſerit Theologiam arguentem ex authoritate Philoſophorum, (quæ rationi naturali probabili æquiualet vt dixi §. præcedenti) arguere ex extraneis. Caietanus in præſenti verſu. *Sed dubium hic occurrit non diſſimulandum* cenſet Theologiam procedentem ex rationibus naturalibus ad Diuina procedere ex propriis, licet non principaliter, at miniſterialiter, mouetur quia non eſt cenſendum abſolutè extraneum principium illud, cui tot diſputationes Theologicæ nituntur; at vt videnti totam hanc ſummam ſancti Thomæ plurimæ eius quæſtiones ex ratione naturali confirmantur. Ergo naturale principium non eſt cenſendum abſolutè extraneum.

An ratio naturalis ſit proprium, vel extraneum eius principium.

148 Ego loquendo de ratione naturali, quæ procedat ex intrinſecis, & ab authoritate condiſtinguatur cenſeo illam eſſe proprium & non extraneum principium Theologiæ, quamuis non præcipuum, & perfectius, hoc enim ſolum propoſitioni reuelatæ per fidem Diuinam eſt tribuendum. Ratio eſt quia Theologia per ſe loquendo innititur vni præmiſſæ naturali, ita vt proprium habitum non conſtitueret Theologia, ſi ſoli Fidei Diuinæ niteretur; atqui facultas diſcurſiua vt proprium locum & principium reſpicit illud, ex quo per ſe dependet. Ergo ratio naturalis intrinſeca Theologiæ deſeruit vt locus non extraneus, ſed intrinſecus, ſeu proprius. (Locutus ſum de ratione per ſe tali, ſeu procedente intrinſecus, & non præcisè ob Authoritatem extrinſecam de qua ſtatim) Deinde hoc idem patet ex dictis §. 112. Vbi dixi Theologiam omnia motiua, & principia naturalia aliarum ſcientiarum reſpicere vt materiam propriam ſeu ex quibus intrinſecè conſtetur, non minus quam ex fide licèt non æquè principaliter, imò non minus quam ipſæ ſcientiæ naturales, licet iſtæ adæquatè ſolis principiis nitantur. Theologia verò quaſi ex lumine Fidei, & naturalis rationis conflatur, verbi gratia hoc principium Philoſophicum, *homo eſt rationalis*, æquè proprium eſt Theologiæ ac Philoſophiæ, huic quidem ſi iungatur cum hoc alio ſed *omne rationale eſt riſibile*, Ergo *homo eſt riſibilis*? Theologiæ vero ſi coniungatur cum hoc Fidei articulo, *Sed Chriſtus eſt homo*, Ergo *Chriſtus eſt riſibilis*. Addo nihilominus authoritatem Philoſophorum vt purè talem non eſſe proprium locum Theologię ſed extraneum, quia ea authoritate potius vtitur Theologia, vt arguat ad hominem, quam abſolutè, etenim cum dicta Philoſophorum præcisè vt dicta ipſorum ſunt nihili ducat Theologia. nulliuſque æſtimationis apud Catholicos ſint, vt pote quæ plurimis ſæpè miſcentur erroribus, alij vſui deſeruire per ſe nequeunt niſi argumento ad hominem.

Proprium eſt.

149 Hinc facilis patet ſolutio ad dubitationem in §. 127. Iuxta mentem ſancti Thomæ dico illum loqui de authoritate Philoſophorum vt purè tali modo nuper explicata, quo pacto concedo ſolum per accidens & quaſi locum extraneum deſeruire Theologiæ; ſi tamen accipiatur illa authoritas, vt rationi naturali æquiualet in ipſaque fundatur, vt dixit D. Auguſtinus citatus §. 126. Quatenus ſecundum ſe rationabile eſt, & quaſi ex intrinſecis ſuadibile quod ab homine docto pronuntiatur; ſic eadem ratione deſeruiet Theologiæ talis authoritas ſicut deſeruit ratio probabilis, quæ licèt falſitati expoſita ſit, tamen pluribus diſcurſibus Theologiæ aptatur. Theologiæ inquam non in ſtatu perfecto cui ſolum ſeruit ratio euidens. Vndè concludendum eſt authoritatem philoſophorum ſic acceptam extraneam non eſſe Theologo! Adhuc tamen Eccleſiaſtica authoritas ſpeciali ratione propria eſt, & non extranea, quia non ſolum qua rationi intrinſecæ æquiualet vt authoritas Philoſophorum, ſed etiam qua pura authoritas eſt pluris eſt æſtimanda, habeturque à Theologo licet non vt principium infallibile, vt probabile tamen, quod ſæpè vt verum ſupponit quando ex teſtificatione graui deſcendit licet humana verbi gratia, Concilij, Patrum, Theologorum, *&c.* Abſolutè tamen loquendo ſemper ratio naturalis non eſt ita proprium principium Theologiæ ſicut reuelatio Diuina, non ſolum, quatenus iſta principalior eſt, ſed quia Theologus vt talis nunquam vtitur vtràque præmiſſa naturali. Vtitur tamen ſæpè vtraque reuelatâ, vt patet ex dictis à me tract. 1. diſput. 7. in qua dixi poſſe ad Theologiam pertinere concluſionem deductam ex duplici reuelata.

Dubitat. ſexto An Theologia vtatur his principiis vel locis ſolum ad deducendas concluſiones ex reuelatis, an vero etiam directè ad probandas ipſas veritates reuelatas. Primum tenet Pater Faſolus quæſt. 1. art. 2. num. 10. & videtur de mente ſancti Thomæ hic artic. 8. corpore: *Sicut aliæ ſcientiæ* (inquit) *non argumentantur ad ſua principia probanda, ſed ex principiis argumentantur ad oſtendendum alia in ipſis ſcientiis, ita hæc doctrina non argumentatur ad ſua principia probanda quæ ſunt articuli fidei, ſed ex eis procedit ad aliquid oſtendendum.* Et huius ratio eſt. Nam Theologia ſtrictè accepta vtitur vna præmiſſa reuelata. Ergo eandem probare non poteſt niſi probet idem per idem. In contrarium autem eſt quod videamus ferè omnes Theologorum libros, vt inquit Caietanus hic §. *Sed dubium.* Plenos rationibus quibus probantur veritates reuelatæ. Ergo *aut hi* (inquit) *non tradunt Theologiam, aut in extraneis nimis morati ſunt.* 150

An eis vtatur ad deducendas concluſiones, an etiam ad probandas reuelatas?

Ego dico primo ſub probatione Theologiæ non cadunt omnes veritates reuelatæ *collectiuè.* Cum enim Theologia ſupponat in præmiſſis aliquam reuelatam ſi omnes ſimul reuelatas probaret, argueret idem per idem; nihilominus Theologia benè probat vnam reuelatam per aliam ſic Apoſtolus primo Corinthiorum 15. Ex reſurrectione Chriſti argumentatur ad articulum Fidei noſtræ Reſurrectionis probandum. Dico ſecundo ſi ſumatur Theologia in latiori ſignificatione, qua vtitur rationibus purè naturalibus ſæpè, imo ſemper probat omnes veritates Fidei etiam collectiuè acceptas; non ideò tamen dum in his probationibus detinentur Theologorum libri in extraneis nimis morati ſunt, vt obiicitur apud Caietanum. Quia munus Theologi propriiſſimum eſt vt inquit Auguſtinus 14. de Trinitat. cap. 1. fidem *ipſam gignere* (vtique 151

Non collectiuè ſed diuiſiuè.

Quando collectiuè.

(vtique diſpoſitiuè) *nutrire, defendere, roborare*.

152 *An poſſit euidenter ſoluere argumenta contra fidem.* Dubit. ſeptimò An Theologia poſſit euidenter ſoluere argumenta contra fidem. Prima ſententia affirmat non ſolum negatiuè, ſed etiam poſitiuè euidenter demonſtrando directè ipſam veritatem quantumuis altiſſimam Trinitatis poſſe ſolui omnia argumenta quæ contra ipſam obiiciuntur ab infidelibus; ita ſentiunt Franciſcus marchia, & Henriques citati §. 30. Dum defendunt Theologiam ita eſſe ſtrictè ſcientiam, vt euidentia etiam circa articulos fidei potiatur. Secunda ſententia abſolutè etiam tuetur ſolui poſſe *euidenter* à Theologo argumenta contra Fidem non quidem poſitiuè conuincendo euidenter falſitatem, ſed negatiuè conuincendo euidenter argumenta contra fidem non eſſe conuincentia; ita ſanctus Thomas hic dum ait in fine corporis: *Manifeſtum eſt. Probationes quæ contra fidem inducuntur non eſſe demonſtrationes, ſed ſolubilia argumenta pro eadem enim eſt manifeſtum ac euidens.* Ita etiam Caietanus, Valentia & Vaſquez hic vtentes diſtinctione ſolutionis euidentis poſitiuè, & negatiuè.

153 *Extrinſecè, non intrinſecè* Ego alia diſtinctione vtor vt cenſeam non ſolùm contra primam ſententiam non poſſe per euidentiam poſitiuam ſolui argumenta infidelium, conſtat enim ipſa experientia, imo docente ipſa fide Catholica nullam dari in nobis euidentiam de myſterio Trinitatis: ſed etiam cenſeam ſi attendatur ad intrinſeca principia rei nec poſſe per euidentiam negatiuam ſolui argumenta infidelium. Oſtendam namque latè ad tractatum de Trinitate hoc myſterium ita obſcurè nobis proponi ſecluſa fide, vt rationi naturali præcisè propoſitum improbabile ſemper appareret. Ergo neutiquam poteſt ratio naturalis ſoluere euidenter, ſi ex intrinſecis procedat argumenta contrà Trinitatem; imo nec probabiliter. Cum inquam hoc ego cenſeam alia diſtinctione ſic vtor, vt Theologus euidenter poſſit ſoluere omnia argumenta infidelium euidentia ſumpta ab extrinſeco non ab intrinſeco hoc eſt ſi ab infideli obiiciatur contra Trinitatem non poſſe vnam rem identificari cum Tribus ſicut non poteſt cum quatuor. Theologus inſpecta intrinſeca natura rei reſpondere nequibit; reſpondebit tamen euidenter, quatenus demonſtrat myſteria fidei eſſe euidenter credibilia vt dicitur in materia de fide.

154 Ex his patet ad opinandi modos in §. 152. Prima ſententia Henrici falſa eſt, imò damnata ſi accipiatur de euidentia naturali, de fide namque eſt non poſſe per rationem naturalem cognoſci Trinitatem, vt oſtendit Pater Valentia 1. part. ad tract. de Trinitat. quæſt. 6. puncto 1. initio. Secunda ſententia Caietani etiam eſt falſa ſi non recurrat pro euidentia ſolutionis ad principium extrinſecum de quo §. præcedenti, & ratio eſt quam adducit Durandus quæſt. 1. Prologi num. 42. Quia *per idem & eodem modo conſtat de falſitate propoſitionis affirmatiuæ, & de veritate negatiuæ ſibi oppoſitæ, quia eadem eſt cauſa vtriuſque, ſed de veritate huius negatiuæ ſcilicet, quod in diuinis non diſtinguitur natura diſtinctione ſuppoſitorum, nec è conuerſo non poteſt clare conſtare, & ſcientifice, ſed ſolum per fidem quæ hoc ponit: Ergo de falſitate affirmatiuæ ſibi oppoſitæ, ſcilicet quod ſemper diſtinguatur natura, vbicunque diſtinguuntur ſuppoſita, non poteſt conſtare clarè, & ſcientificè, ſed ſolum per fidem quæ hoc ponit.* Igitur accipienda eſt euidentia ſolutionis modo explicato.

155 Dub. octauò An Theologia in ſuis argumentationibus vtatur ſola reuelatione vt motiuo? An etiam ratione naturali? De hac dubitatione dixi diſput. 10. ſect. 4. Dixi etiam in hoc articulo §. 129. Vbi oſtendi rationem naturalem propriè & ſtrictè habere conceptum motiui intrinſeci reſpectu Theologiæ. *An vtatur ſola reuelatione vt motiuo?*

156 *An aliqua Theologia argumentatiua ſit* Dubit. nonò an non ſolum Theologia noſtra, ſed etiam Dei, & beatorum argumentatiua ſit. Sed quoad Theologiam beatorum dicam ad quæſt. 12. ſancti Thomæ vbi exponitur. An viſio beata ſit, vel poſſit eſſe diſcurſiua? de quo etiam aliquid dixi hic §. 36. Quoad Theologiam Dei dicam ad quæſtionem 14. Vbi quæritur, an ſcientia Dei poſſit eſſe diſcurſiua. Quæri etiam idem poteſt de ſcientia per ſe infuſa de quo ad tractatum de ſcientia Chriſti Imò & de fide etiam inquiritur ſit ne diſcurſiua? de quo ſuo loco.

ARTICVLVS IX.

Vtrum ſacra ſcriptura debeat vti methaphoris?

Pluribus in locis agit ſanctus Thomas de hac difficultate, vt quæſt. 1. Prologi articul. 5. Tertio contra gent. cap. 110. Trinit. art. 4. quodlibet. 4. quæſt. 1. opuſcul. 60. cap. 11. fin. ex profeſſo tamen ſolum agit hic, & primo ſentent. diſtinct. 34. quæſt. 3. art. 1. & 2. & in prim. ſcripto ſuper lib. ſententiarum ad Annibaldum lib. 1. diſtinct. 34. quæſt. 2. Ex quibus omnibus locis hæc concluſio deducitur iuxta doctoris Angelici mentem quod ſcilicet maximè conueniens ſit vti metaphoris, & corporalibus ſimilitudinibus, vt Diuina exponantur in Sacra ſcriptura vt ſic aptius proponatur cunctis hominibus. Conuenientiæ autem plurimæ afferri poſſunt, prima ex Auguſtino lib. contra mendacium cap. 10. Vt inde multi ſpirituales ſenſus ad ædificationem fidelium eliciantur. Secunda, vt altiſſima fidei myſteria melius ſimplicibus proponantur, longiuſque ab infidelium irriſione diſtent vt ait ſanctus Thomas in 1. diſt. 34. quæſt. 3. art. 1. in corp. Tertia ad exercenda Fidelium ingenia, ita Hieron. epiſt. 22. ad Euſtochium Gregor. Homil. 10. in Ezechiel. Quarta, vt ſcripturæ intelligentiam aſſiduè poſtulemus à Deo. Ita orig. Homil. 7. in Ezechiel. Theoph. in cap. 13. Math. His tamen omiſſis quæ facilè quis inuenire poteſt. 157

Dubit. primò An Sacra doctrina vtatur metaphoris ex neceſſitate vel quia id nobis neceſſarium eſt; an ſolum quia vtile. Sanctus Thomas apertè ſentit ſtylum metaphoricum ſacræ ſcripturæ nobis vtiliorem, & conuenientiorem eſſe, non autem abſolute neceſſarium; ita in hoc articulo 9. ait: Reſpondeo dicendum. *Quod conueniens eſt ſacra ſcriptura Diuina, & ſpiritualia ſub ſimilitudine corporalium tradere*; & ratio eſt, quia finis ſalutis, vel fidei nullam connexionem habet cum his metaphoris, vt patet; Theologia autem vt dixi diſp. 2. eo ſolùm titulo poteſt eſſe abſolutè neceſſaria, Quod ad ſalutem vel ad fidem neceſſaria ſit. In hanc ſententiam ſancti Thomæ venit etiam Caietanus, dum in hoc articulo §. *In reſponſione ad primum dubium*, inquit vſum Metaphoræ ſolum eſſe neceſſarium *propter melius conſequendum finem*. Secunda ſententia poteſt eſſe, quæ affirmet ſimpliciter neceſſarium eſſe nobis proponi ſacram ſcripturam ſub metaphoris, ita videtur ſentire ſanctus Thomas, dum ideò aſſerit conuenire quod ſacra ſcriptura vtatur metaphoris, quia connaturale eſt homini, vt per ſenſibilia ad intelligibilia veniat. 158 *An ſacra doctrina metaphoris ex neceſſitate vtatur?*

Arqui ſimpliciter neceſſarium eſt nobis ad ſpiritualia cognoſcenda vti ſenſibilibus, cum nihil ſit in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu. Ergo neceſſarium omninò eſt, vt intelligamus ſcripturas, quod nobis per ſenſibilia explicentur, & conſequenter per metaphoras. Secundò eſt ratio, quia nihil poſſumus cognoſcere de Deo, imò nec de vlla re ſpirituali niſi per ſpecies alienas & improprias Arqui metaphora nihil aliud eſt, quam ſignificare rem impropriè, ſeu per ſignificationem impropriam ideò dum Chriſtus vocatur, Agnus, Leo, Petra, lapis angularis, &c. Huiuſmodi, cenſentur ſignificari metaphoricè; Ergo nihil cognoſcere poſſumus de Deo niſi metaphoricè. Tum ſic, ſed ſcriptura nobis proponit plura de Deo. Ergo omninò neceſſarium eſt, vt vtatur metaphoris.

159 *Negatiua pars probatur.* Ego cenſeo omnino ſtandum eſſe primæ ſententiæ, quam ipſa experientia demonſtrat, cur enim Deus, ſecluſis conuenientiis, de quibus in §. 137. non poſſet ſe ſatis explicare in ſcripturis, quin appellaret Chriſtum verbi gratia *agnum*, & ſpiritus ignem vrentem, ſed ſuis propriis nominibus, quæ aliis ab ipſis non competunt, vel eiſdem propriè, & formaliter conueniunt, vt ſi de Chriſto diceret mitiſſimum eſſe, nec aperire os ſuum contra eius crucifixores; Angelos ſeu Spiritus veloces eſſe, & efficaces ad exequenda Diuina mandata. Confirmatur. Quia eædem veritates, quas in vno loco proponit ſcriptura metaphoricè in alio explicat ſub proprio ſignificatu, vt quando Chriſtus Dominus Matth. 11. 29. proponit ſe mitem vt ab ipſo mites eſſe diſcamus, igitur ſecluſis conuenientiis rectè poſſet tota ſcriptura abſque vlla metaphora nobis proponi; non tamen poteſt hic & nunc, vt propoſita eſt exponi ſine metaphoris ſcriptura Sacra, quis enim in ſenſu proprio intelligit Chriſtum agnum eſſe. Igitur omnino neceſſarium eſt, vt Chriſtum intelligamus agnum non per proprietatem, ſed per ſimilitudinem, igitur hoc modo expoſitor ſacræ ſcripturæ omnino neceſſarium eſt vt ſub metaphoris eam exponat; ſed de hac neceſſitate vſus metaphorici quæſtio præſens non eſt, ſed ſolum de neceſſitate vt ipſa ſcriptura metaphoris vtatur, de quibus neceſſarias non eſſe ſatis conſtat.

160 *Metaphora circa ſpiritualia neceſſaria eſt vt apprehenſa, ſed non vt affirmata* Hinc ſatis patet. Primam ſententiam in §. 158. veram eſſe ſi excludat metaphoras, vt neceſſarias quatenus affirmatæ, non quatenus apprehenſæ ſunt vt iam dicam. Ad ſecundam ſententiam reſpondeo ad primum ex S. Thom. licèt omnino neceſſarium ſit homini dum eſt in corpore prius percipere ſenſibilia; non ideo eis vti ſemper per metaphoram, nam in ſcripturis plura corporea proponuntur, quibus conſequenter propriiſſimè conueniunt ſenſibilia. Quando autem ſcriptura loquitur de Deo etiam loqui poteſt, ſæpius que loquitur in ſenſu proprio, quis enim neget propriiſſimè Deo conuenire eſſe ens: *Ego ſum, qui ſum* Exod. 3. 14. eſſe bonum: *Nemo bonus niſi ſolus Deus* Luc. 18. 19. eſſe Patrem: *Ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra.* Epheſ. 15. Igitur vt ad ſecundum fundamentum pro ſecunda ſententia reſpondeam, concedo Deum, reſque omnes ſpirituales proponi per ſpecies alienas, & improprias; at non ideo nomina ſunt impropria, quia licèt apprehendantur à nobis, dum ſumus in corpore per ſpecies rerum corporearum, at non affirmamus de ſpiritibus ipſas res corporeas, imo eas excludimus; quare affirmatio, ſeu enuntiatio propriè conuenit ſpiritibus, licèt apprehenſiones præcedentes non ſint propriæ: ſic apprehendimus Angelum ad modum, ſeu per ſpeciem iuuenis; at non enuntiamus de Angelo iuuenem eſſe, ſed potius dicimus iuuenem non eſſe; non eſſe autem iuuenem propriiſſimè conuenit Angelo. Nunc vero metaphora vt talis ſit, non ſolum petit apprehenſionem impropriam, ſed rurſus exigit rem alienam, ſeu impropriam ita apprehenſam affirmari de obiecto, cui propriè non conuenit vt ſi de Angelo diceres eſſe iuuenem de Chriſto eſſe agnum per quod ſatis patet ad §. 138.

Dub. ſecundò An ſub ſpecie rerum ſpiritualium poſſint explicari res materiales. Ratio dubitandi quia S. Thom. vt probet dari metaphoras in ſcriptura id oſtendit quia ſub ſimilitudine rerum corporalium explicantur ſacræ veritates ergo ſentit vſum metaphorę in ſcriptura non dari quando res explicatur ſub ſimilitudine ſpiritualium. In contrarium autem eſt quia in ſcriptura etiam res corporeæ appellantur nominibus ſoli ſpiritui propriè conuenientibus ſic homines dij appellantur: ego dixi dij eſtis vos Pſalm. 81. & Moyſes conſtituitur Deus Pharaonis cap. 27. Exod. v. 1. Non minus autem metaphoricè conuenit corpori, eſſe ſpiritum, quam ſpiritui eſſe corpus ergo rectè ſub ſpecie rerum ſpiritualium poteſt aliquid dici de corpore. 161 *An ſub ſpecie ſpiritualium poſſint materialia explicari*

Ego dico primo abſolutè poſſe metaphoricè aliquid enuntiari ſub ſpecie, ſeu ſimilitudine rerum ſpiritualium. Ratio clara eſt; quia ſenſus metaphoricus datur vbicumque aliquid improprium de altero affirmatur, ſeu enuntiatur. Atqui poteſt Angelus verbi gratia qui apprehendit res ſpirituales illas applicare rei corporeæ, cui impropriè applicantur, vt patet ergo poteſt dari metaphora ſub ſpecie rerum ſpiritualium. Conſequentia patet: maior eſt ipſa definitio metaphoræ. Minor probatur quia in rebus ſpiritualibus ſunt plures proprietates, & attributa quibus conueniunt cum corpore verbi gratia moueri velociter, poteſtatem, ſeu dominium exercere circa alios, &c. Ergo ob has proprietates poterit corpus appellari ſub nomine *Spiritus* ſicut è contra ſpiritus dicuntur *ignis vrens* vel flamma, quia habent aliquam proprietatem, ratione cuius conueniant cum igne. Dico ſecundo in ſcriptura omnis metaphora tandem fit ſub ſpecie, ſeu ſimilitudine rerum corporearum. Ratio eſt quia ſacra ſcriptura nihil proponit niſi hominibus exiſtentibus intra corpus vt ſic autem homines nihil percipiunt niſi ſub ſpecie rerum corporearum, adeo vt ipſam rem ſpiritualem per ſpeciem corporis percipiant. 162 *Reſpondetur affirmatiuè.*

Hinc ad obiectam rationem dubitandi in §. 141. reſpondeo homines metaphoricè *Deos* vocari; nihilominus ipſum nomen *Dei* ſemper apprehendi à nobis ſub ſpecie rei corporeæ, neque enim rem ſpiritualē quid diratiuè percipere poſſumus dum anima eſt intra corpus; igitur nomen ipſum Dei licèt *apprehenſiuè* vt ita dicam ſit alienum à Deo, ſeu apprehendatur per ſpecies alienas corporis, at *enuntiatiuè*, ſeu affirmatiuè ſoli Deo propriè conuenit, hominique ſolum per affirmationem impropriam, & metaphoricam: per quod ſatis patet ad præſentem dubitationem, & alias, quæ excitari poſſunt circa hunc articulum nonum Præcipuè ſi conſulas dicenda in articulum ſequentem. 163

* * *

ARTI-

ARTICVLVS X.

Vtrùm ſacra ſcriptura ſub vna littera habeat plures ſenſus.

164 DE hac difficultate plura ego dixi, tract.1. diſp. 11. per totam, agit, item S. Thom. pluribus in locis, vt quæſt.4. de potentia art.1. 4.diſt.11.qu.1. art.2. quæſtiuncula 1.ad 3.in cap.4. ad Galat. lect. 6. ſed ex profeſſo ſolum in hoc art. 10: & in quodlib.7. quæſt.6. art.12. & 13. qui ſunt 14.15. & 16. prædicti quodlibeti ſeptimi. Quæ autem ſit mens S.Thomæ tam in hoc 10. quam in præcedenti articulo expoſui in principio meæ diſputationis 11. citatæ nunc.

Qualiter ſit proprium ſcriptura ſacra ſub vna littera plures ſenſus continere?

165 Dub. primò qualiter ſit proprium Dei, ſeu ſacrarum ſcripturarum ſub vna littera plures ſenſus continere. De qua difficultate dixi diſput. 11. ſectione 1. §.3. Ex quo conſequenter ſentiendum eſt cum S. Thom. in aliis ſcripturis, quæ Deo authore non fiunt non poſſe diſtingui, ſeu contineri hanc pluralitatem ſenſuum ita Angelicus Præceptor quodlib.7. quæſt.6. in articulo tertio, qui numeratur 16. illius quodlibeti Statuens in nulla ſcientia humana induſtria inuenta propriè loquendo poſſe inueniri niſi literalem ſenſum. Vide etiam dub. 3. num.169. infra.

An ſit de fide ſub vna littera plures ſenſus contineri?

166 Dub. ſecundò an ſit de fide ſub vna litera inueniri plures ſenſus in Sacra ſcriptura de quo ego diſputatione 11. num.1. Vbi ex P. Gilio partem affirmatiuam defendi Molina diſputatione 4. Valentia & Alij.

An ſcriptura ſacra admittat reſtrictionem mentalem.

167 Dub. tertiò an verba ſacræ ſcripturæ admittant reſtrictionem mentalem, hoc eſt taliter ſignificare exterius, vt aliter verificari nequeant, niſi quatenus externa ſignificatio ſeu externa verba vnam propoſitionem integram faciant, cùm ſenſu interno ſeu cum interna mente Dei loquentis. Ratio affirmandi eſt. Primò quia in hac reſtrictione mentali ſtat verba ſacræ ſcripturæ libera eſſe à mendacio, infallibiliſque veritatis. Ergo non obſtante ſumma veritate, quam tribuere debemus ſacræ ſcripturæ, admittere poſſumus reſtrictionem prædictam. Secundò præcipuè probatur ex Ioanne 7. verſu 8. Vbi Chriſtus Dominus dixit ſe non aſcenſurum ad diem feſtum, reſtringendo mentaliter de *aſcenſu manifeſto*. Ergo ſimiliter idem licebit dicere in aliis ſcripturæ verbis è contra eſt ratio negandi. Primò quia reſtrictio purè mentalis falſitatem redolet, ſecundò quia ſi verba Sacræ ſcripturæ permitterent reſtrictionem mentalem, non eſſemus ſecuri de veritate, quę per ipſa nobis ſignificatur, ſed poſſemus dubitare, an verbi gratia, quando Chriſtus dixit per verba conſecrationis hoc eſt corpus meum, hæc verba mente reſtrinxerit: *metaphoricè quoad effectum gratiæ*, &c. Hanc dubitationem excito propter dicta diſput 4.ſect.3.in qua inquiro licet ne Deo loqui amphibologicè per reſtrictionem mentalem, aſſeroque id non licere iuxta quæ in præſenti.

Omnino vide diſput. 4. ſect.3.

168 Dico, verba ſcripturæ non poſſe admittere reſtrictionem mentalem. Quod ſi à paritate eorum quæ dico diſput. 4. citata ſect.3. num.15. deſumpto argumento ex ſygillo confeſſionis neceſſario ſeruando dicas, ſicut Deus poteſt immutare ſignificationem externam ſeu ponere nouam ſignificationem verbis externis, quibus Sacerdos negat peccatum à ſe auditum in confeſſione, ita ſimiliter poſſe imponere nouam ſignificationem verbis Sacræ ſcripturæ, ita vt ly *hoc eſt corpus meum* verbi gratia, non ſignificet id quod verba latina communiter denotant, ſed quaſi nouo idiomate à Deo Principe linguarum formato: *Hic exiſtit corpus meum*. Vnde nihil firmum, ſed æquè ambigua manebunt omnia quæ ſunt in ſcriptura ſacra, haud ſecus ac ſi permitteretur reſtrictio mentalis. Si inquam hoc dicas & obiicies. Reſpondeo quoad pariendam ambiguitatem in audiente æqualiter quidem ſe habere hanc immutationem ſeu innouationem ſignificationis externæ, ac mentalem reſtrictionem. Ego tamen non repugno ex hoc titulo reſtrictioni mentali; ſed quia repugnat ipſa veritati locutionis cum alio, vt oſtendo diſput. illa quarta num. 14. latiùſque oſtendam ad tractatum de fide. Quid autem dicendum ſit ad abſurdum inſecuritatis, ſeu ambiguitatis verborum ſcripturæ dicam numero ſequenti.

Igitur ad rationes dubitandi in §.147. reſpondeo ad primam pro parte affirmante reſtrictionem purè mentalem non eſſe liberam à mendacio, vt enim à mendacio immunitas detur, opus eſt vt verba ipſa externa, & perceptibilia ab audiente ſignificent conformiter cum obiecto; licèt forſan ipſe audiens non penetret ſignificationem talium verborum, vt explicui diſp.citata. Ex quo etiam patet ad ſecundam rationem affirmandi; nam Chriſtus Dominus vt primus Dominus, & Princeps linguarum potuit benè immutare ſignificationem illorum verborum externorum: *non aſcendam* vt iam ipſa aliam ſignificationem haberent circa aſcenſum manifeſtum: Dixi Chriſtum Dominũ potuiſſe non dico in illis verbis hoc de facto præſtitiſſe, etenim verba illa iuxta circumſtantias tunc occurrentes, mentemque ipſam audientium non accipiebantur ab his, niſi de aſcenſu manifeſto. Hinc ad rationes quæ adducuntur pro parte negante, ſi per ipſas intendatur non poſſe immutari à Deo ſignificationem communem verborum ſcripturæ ſacræ. Reſpondeo ad primam nihil mendacij, vel falſitatis dari in hac immutatione verborum ſi fiat authoritate publica, nempè vel ipſius Reipublicæ, vel authoris Reipublicæ; ideo nemo damnabit mendacij hominem loquentem græcè coram ignaris Græci idiomatis; vel vtentem verbis æquiuocis, & vocibus ambiguis, igitur dum Deus vt author Reipublicæ rationalis ſic immutat communem ſignificationem verborum nullius mendacij, vel falſitatis reus erit. Non tamen licebit hæc immutatio cuilibet alteri loquenti, ipſe enim authoritatem publicam ad hanc immutationem non habet, vnde etiam ſcies nouum titulum ratione cuius ſit proprium ſolius Dei ſub vna locutione claudere plures ſenſus. Ad ſecundam rationem pro parte eadem negante, quæ plus vrgere videtur reſpondeo in primis negari non poſſe in ſcriptura ſacra aliqua verba ita obſcura eſſe, vt ſi ſecundum ſe præciſè audiantur abſque vlla expoſitione vel interpretatione Eccleſię, ipſis nullus priuatus fidelis niti poſſit; nihilominus intercedente Eccleſię, auctoritate & expoſitione eorum verborum, iam de legitima eorundem ſignificatione certiſſimi ſumus. Cur ergo nequibit aliquis idem dicere in præſenti. Deinde abſolutè dico verba ſacræ ſcripturæ nunquam ſignificare aliter quam iuxta vſum communem, niſi in alio loco eadem ſcriptura Sacra, vel ſeipſam exponat, vel exponatur ab Eccleſia, vt patet ex dictis à ſancto Thomâ

Vide dub. 1. in §.165.

169

in hoc articulo decimo ad primum vnde nulli ambiguitati locus datur.

170 *Quotuplex ſit ſcriptura ſenſus.*

Dubit. quarto quotuplex ſit ſenſus ſacræ ſcripturæ; de hac dubitatione egi diſput. 11. citata explicans, ſeu diuidens ſenſus litterales in §. 9. & ſequentibus, ſenſus ſpirituales, ſeu myſticos in §. 16. & ſequentibus circa quos aliqua minutiora licèt notatu digna ibidem legere poteris. Vide etiam dicenda in dubitatione 7.

171 *An ſcriptores ſacri vſu fuerint ſcriptura per accommodationem?*

Dubitatur quinto An ſcriptores ſacri, vel etiam Sancti Patres vſi fuerint ſacra ſcriptura per accommodationem? An ſenſus accommodatitius, vt talis diſtinguatur à literali, & myſtico dixi diſputat. 11. num. 5. & ſequentibus, de quo vide latè Patrem Vaſquez in præſenti diſput. 14.

172 *An plures ſenſus litterales ſub vna littera contineantur*

Dubit. ſexto An poſſint ſub vna littera dari plures ſenſus litterales. De qua dubitatione egi latè diſputat. illa vndecima num. 12. & ſequentibus, & numero 16.

Quot ſint ſenſus myſtici.

Dubit. ſeptimo Qui & quot ſint ſenſus ſpirituales, ſeu myſtici, de hac difficult. egi. diſputat. 11. ſect. 3. per totam, in qua præter ſenſum litteralem, alios tres ſpirituales ſub litera Sacræ ſcripturæ con-

173 tineri oſtendi, circa quos hæc notanda occurrunt Primo hanc multiplicitatem ſenſuum non ſolùm apud recentes Theologos in vſu eſſe, ſed etiam apud antiquos traditam, vt patet ex Caſſiano collat. 14. cap. 8. in hæc verba; *Prædictæ quatuor figuræ* (hoc eſt quadruplex ſenſus literalis, allegoricus, tropologicus, & anagogicus.) *In vnum ita ſi volumus confluunt, vt vna atque eadem Hieruſalem poſſit intelligi ſecundum Hiſtoriam Ciuitas Iudæorum; ſecundum allegoriam Eccleſia Chriſti, ſecundum Anagogem, Ciuitas Dei illa cæleſtis, quæ eſt mater omnium noſtrum ſecundum Tropologiam anima hominis quæ frequenter hoc nomine, aut patitur, aut laudatur à Domino.* Noto ſecundò ſenſum Tropologicum ſeu moralem non eſſe qui vt cunque mores noſtros inſtruit per ſignificationem immediatam literæ, vt cum dicitur non occides, non mæchaberis, *&c.* Talis enim ſenſus non eſt ſpiritualis ſed literalis, Igitur ſenſus Tropologicus, & ſpiritualis vt talis eſt ille, qui inſtruit mores noſtros non per literam ſignificantem, ſed per figuram rei ſignificatæ. Ita ſapienter adnotat ſanctus Thomas quodlibeto 7. art. 15. ad tertium. *Moralis ſenſus* (ait) *non dicitur omnis ſenſus per quem mores inſtruuntur*, Sed *per quem inſtructio morum ſumitur ex ſimilitudine aliquarum rerum geſtarum, ſic enim moralis ſenſus eſt pars ſpiritualis, ſeu Tropologicus, Quod nunquam eſt idem ſenſus moralis & litteralis.* Noto tertiò non eſſe opus quod ſemper plures ſenſus hi inueniantur ſub eadem litera Sacræ ſcripturæ; ſed quandoque ſolum gaudet tribus, quandoque duobus, quandoque vno tantum, vt notat etiam ſanctus Thomas. Quodlib. 7. art. 15. ad 5. Caſſianus collat. 8. cap. 3. & patet ex illo Deutr. 6. & Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum*, quæ litera non habet niſi vnum ſenſum. Noto quartò interdum omnes ſenſus ſpirituales ſub vno nomine allegoriæ à Patribus ſignificari vt patet ex Baſilio Hom. 9. Examer. Auguſt. lib. de vtilitate credendi cap. 3. lib. de Geneſi ad literam cap. 2. Hieronym. in caput. 4. Amos.

174 *Quomodo ſit Theologia vtatur.*

Dubit. octauò quomodo Theologia vtatur ad arguendum his ſenſibus de qua dubitatione egi latè ſect. 4. per totam. Quare hic tam ab hac quam ab aliis dubitationibus, quæ in præſenti à non nullis excitantur ſuperſedendum cenſeo. Nam eas propriùs ſpectare ad ſacræ ſcripturæ poſitiuos interpretes manifeſtè patet. Quare qui voluerit ſcire regulas apprimè neceſſarias ad ſacrarum ſcripturarum intelligentiam adeat noſtrum Patrem Alfonſum Salmeron tom. 1. ſuorum operum maximè prolegomeno 7. 9. 19. Cardinalem Bellarminum lib 3. de verbi Dei interpretatione, Caſtrum lib. 1. aduerſus hæres. cap. 3. Ex Authoribus Scholaſticis videri etiam poſſunt præcipui Molina, Caietan, Bannes. Vaſquez, Faſolus, Gillius in præſenti driedo lib. 2. de Sacr. ſcript. cap. 2. Cather. in opuſcul. de Clabiuus ſcripturæ cap. de variis ſenſibus. Sixtus ſenen. lib. 3. Biblioth. ſanctæ à principio. Pagninus in Iſagoge cap. 18. Michaël. de Medina lib. 6. de recta in Deum fide cap. 25.

QVÆSTIO II.

De Deo. An ſit Deus?

ARTICVLVS I.

Vtrùm Deum eſſe ſit per ſe notum?

Agit de hac difficultate S. Thomas non ſolùm in hoc articulo, ſed etiam in primum ſententiarum diſtinct. 3. quæſt. 1. artic. 2. & in ſecundò ſcripto ad Annibaldum quæſt. 1. artic. 2. & 1. contrà gentes cap. 10. & 11. quæſt. 10. de veritate art. 12. agunt item cum ſancto Thoma in hoc articulo Caietanus Bannez, Gonzalez. Nazarius. Pater Molina, Arrubal, Vaſquez, Faſol. Item Pater Gilius 1. part. lib. 1. tract. 8. cap. 3. Pater Tannerus diſput. 2. quæſt. 1. dub. 2. Pater Suarez lib. 1. cap. 1. num. 7. Granados controuerſia 1. tract. 1. diſput. 1. ſect. 1. & 2. Item Scotus 1. diſtinct. 2. quæſt. 2. Faber diſput. 14. Gregorius quæſt. 1. art. 1. Quæ ſit mens ſancti Thomæ explicui tract. 2. diſput. 12. in proœmio, in qua diſputatione egi latè de præſenti difficultate, & ferè per totum meum tractatum ſecundum expoſui præſentem quæſtionem. 1

Quid ſit propoſitio per ſe nota. 2

Dubit. primò quid ſit propoſitio per ſe nota, & an rectè diuidatur in per ſe notam quoad ſe, & in per ſe notam quoad nos? De hac dubitatione egi diſput. 12. ſect. 1. per totam Ex qua colligere licèt propoſitionem per ſe notam eam cenſendam eſſe in qua prædicatum eſt de ratione formali ſubiecti, etiam qando abſtractiuè, & ex vi terminorum percipitur. Hinc propoſitio nota quoad ſe dicenda eſt illa in qua non ſolum prædicatum identificatur cum ſubiecto, ſic enim Trinitas perſonarum, vel etiam poſſibilitas vnionis Hypoſtaticæ eſſet per ſe nota, ſimiliterque omnis propoſitio in materia neceſſaria foret quoad ſe per ſe nota, ſiquidem in his omnibus prædicatum identificatur cum ſubiecto. Igitur propoſitio per ſe nota quoad ſe cenſenda eſt illa, in qua non ſolum prædicatum identificatur ex parte rei cum ſubiecto, ſed etiam apparet ita identificatum intellectui alicui creato, vt operanti propriis viribus, ſeu vt cognoſcenti naturaliter ex apprehenſione abſtractiua terminorum. Propoſitio autem per ſe nota, etiam quoad nos, vlterius addit, quod etiam intellectui humano appareat prædicatum formaliter indiſtinctum à ſubiecto. Vnde hæc propoſitio *vnio hypoſtatica eſt poſſibilis* licèt fortè

in aliquo ſenſu poſſit dici per ſe nota quoad ſe reſpectu ſcilicet intellectus adiuti lumine ſupernaturali, at ſimpliciter, nec quoad ſe dicenda eſt per ſe nota, ſi nullus intellectus creatus valeat ei poſſibilitatiex apprehenſione terminorum aſſentire, hæc alia propoſitio *homo eſt riſibilis* quoad ſe dicenda eſt per ſe nota. Quia intellectus Angelicus nullo pacto diſtinguit prædicatum à ſubiecto, ſeu riſibilitatem ab homine, non eſt tamen ea propoſitio per ſe nota quoad nos, ſiquidem nos eam riſibilitatem ab homine ratione noſtra diſtinguimus. Denique *homo eſt homo, totum eſt maius ſua parte*, & ſimiles etiam quoad nos ſunt per ſe notæ, quia nec nos diſtinguimus per rationem prædicatum à ſubiecto.

3 *An ſit per ſe notum Deum exiſtere?* Dubit. ſecundo principaliter an ſit per ſe notum Deum exiſtere? de qua dubitatione egi latè diſputat. 12. ſect. 2. & 3. per totam; & quidem partem abſolutè affirmantem, præter authores citatos ibi num. 11. ſentire videntur, Gregorius Nazianzenus oratione 24. ibi, *ac de Patre quidem quid dicere neceſſe eſt, cui vno conſenſu omnibus naturalibus animi notionibus edocti atque imbuti parent*, quæ verba ideò dicta exiſtimat Helias Cretenſis, *Quia naturaliter nobis hæc cognitio inſita eſt, nempe Deum eſſe.* Damaſcenus primo de fide cap. 1. *Nemo eſt mortalium cui non hoc adeò naturaliter inſitum ſit, vt Deum eſſe perſpectum habeat.* Ireneus lib. 2. capit. 5. *Ratio mentibus infixa mouet, & reuelat quoniam eſt vnus Deus omnium Dominus.* Cyprianus in tract. de vanitate Idolorum: *Summa* agerait. *Delicti eſt nolle eum agnoſcere, quem ignorare non poſſis* nimirum Deum quam ſententiam ad verbum mutuatus eſt cyprianus ex Tertulliano in Apolog. cap. 16. Clemens Alexandrinus in oratione exhortatoria ad gentes, & Ambroſ. lib. 1. contra gentes affirmant eſſe hominibus naturaliter inſitam notionem Dei. Denique Auguſt. tract. 106. in Ioannem. *Hæc eſt* (ait) *Virtus vera Diuinitatis, vt creaturæ rationali, iam ratione vtenti non omnino ac penitus poſſit abſcondi.* Denique Cicero primo de natura Deorum loquens de Epicuro, *Solus* inquit *vidit primùm eſſe Deos: quod in omnium animis eorum notiones impreſſiſſet ipſa natura; Quæ eſt enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat ſine doctrina anticipationem quandam Deorum: quum τιρόληψιν appellat Epicurus id eſt anticipatam animo rei quandam informationem, ſine qua nec intelligi quidquam, nec quæri, nec diſputari poſſit.*

4 E contra partem abſolutè negantem à fortiori tuentur, qui negant abſolutè Deum exiſtere, de quibus art. 3. Item qui negant poſſe propoſitionem per ſe notam quoad ſe dare, quin ſit etiam nota quoad nos de quibus diſput. 12. §. 13. Cum enim quoad nos negandum ſit eſſe per ſe notum Deum exiſtere, vt latè oſtendi cum Sancto Thoma ea diſputat. 12. §. 15. & ſequentibus, conſequenter etiam negandum erit Deum exiſtere eſſe per ſe notum.

5 Mea ſententia latè expoſita, & propugnata diſput. 12. ſect. 3. per totam eſt hanc propoſitionem *Deus eſt* exercitè, & de ſecundò adiacente ſumpto ly *eſt*, nullo modo eſſe per ſe notam vlli intellectui creato; quantumuis adiuto, vel eleuato per auxilium ſupernaturale extra ſtatum viſionis beatæ, per quam ſolam immediatè noſci poteſt, ſeu nota eſt. vnde fit ſimpliciter illam propoſitionem *Deus eſt* non eſſe per ſe notam, nec quoad ſe, ſiquidem naturaliter per nullum intellectum creatum cognoſci poteſt, quod requirit propoſitio per ſe nota, quoad ſe iuxta dicta hic dub. præcedenti; nihilominus aliqua ratione poteſt dici per ſe nota quoad ſe. Tum quia ipſum *eſſe* exercitè acceptum eſt de quidditate ipſius Dei, ita vt nunquam quidditatiuè Deus cognoſci poſſit, niſi de ipſo exercitè dicatur ipſa exiſtentia. Tum etiam. Quia licèt non *naturaliter* (prout requirit propoſitio, quæ ſimpliciter ſit per ſe nota quoad ſe) at *ſupernaturaliter* poſſibilis eſt cognitio quidditatiua creata neceſſaria, & non accidentalis repræſentans Deum eo pacto quo ſemper & neceſſario ſe habet ex parte obiecti, quæ cognitio exercitè prædicet de Deo exiſtentiam, qualis cognitio eſt viſio beata, & qualis inueniri non poteſt prædicans exercitè exiſtentiam de veritate aliqua creata, vt oſtendo diſp. 12. §. 24.

Hinc facilem ſolutionem habere poſſunt aliqua, quæ obieci prædicta diſput. 12. §. 16. ne hæc propoſitio: *Deus eſt* dicatur vllo modo per ſe nota *quoad ſe*. Primo *Angelus eſt* non eſt propoſitio per ſe nota quoad ſe; & tamen nobis per ſe immediatè patere poteſt ſaltem in ſtatu ſeparationis. Reſpondeo illa propoſitio eſt accidentalis, non autem neceſſaria, nam *eſſe* eſt per accidens, & contingens in omni obiecto creato. Obiicies ſecundo *Trinitas eſt*: non eſt per ſe notum, nec *quoad ſe* tamen videnti Trinitatem ſicut eſt in ſe per propoſitionem neceſſariam prædicatur exiſtentia. Reſpondeo neceſſario quidem prædicatur exiſtentia exercita, ſed non quæ ſit de quidditate trium perſonarum, nam exiſtentia indiſtincta eſt ab eſſentia, ſeu natura, hæc autem non eſt de quidditate & formali conceptu perſonarum, vt dicam ad tract. de Trinitate; Quod ſi vrgeas Tertio ipſam naturam vt *fæcundam* non eſſe per ſe notum quod exiſtat, nec quoad ſe. Reſpondeo naturam vt ſic *fæcundam*, ſeu vt *radicem, principium, fontem, exigentem*, & alia id genus quæ dici poſſunt de natura reſpectu perſonalitatum de obliquo conſtitui ex ipſis perſonalitatibus, conſtitui inquam ex parte rei loquendo quidquid ſit de modo noſtro concipiendi, licèt enim in rebus realiter diſtinctis exigentia diſtinguatur ex natura rei, à termino exacto, ſecus in rebus realiter indiſtinctis, in quibus exigentia eſt idem cum poſſeſſione, & cum termino, ſiquidem non diſtinguitur à termino; vnde ſtrictè, & propriè loquendo ex parte rei, nulla formalitas habet rationem principij reſpectu alterius formalitatis cum qua realiter identificatur, vt conſtat ex dictis diſput. 15. ſect. 4. & ſect. 21. Igitur cum dictum ſit exiſtentiam non eſſe ex parte rei de conceptu Trinitatis ſeu trium perſonalitatum, neque erit de quidditatiuo conceptu naturæ vt fæcundæ, ſeu vt radicis, *&c.* Obiicies quartò ex §. 16. diſput. 12. citatæ vt è contra propoſitio *Deus eſt* ſit etiam per ſe nota quoad nos, nam vt propoſitio ſit per ſe nota non eſt opus vt eius termini quidditatiuè percipiantur, etenim *Deus eſt Deus* non eſt minus per ſe nota quoad nos, quàm *homo eſt homo*, cum tamen de Deo quidditatiuum conceptum non habeamus. Tum ſic ſed ſi propoſitio vt ſit per ſe nota non requirat conceptum quidditatiuum rectè poterit propoſitio *Deus eſt* eſſe nobis per ſe nota. Ergo abſolutè iſta propoſitio eſt per ſe nota quoad nos. Reſpondeo concedendo *Deus eſt Deus* eſſe propoſitionem per ſe notam, at iſta propoſitio aliquo pacto quidditatiua eſt non quidem, quoad terminum Deus, ſed quoad vim, ſeu æquiualentiam huic propoſitioni; *quod eſt*: ſiue quodlibet eſt vel non eſt, de qua veritate quidditatiuum conceptum habemus 6 *Bona doctrina.*

mus vt explicui diſput.12. §. 20. & 21. Similiter reſponderi poteſt ad aliam propoſitionem, ſi *Deus exiſtat colendus eſt*, quæ cum nihil abſolutè affirmet de Deo non eſt opus vt Deum ſub proprio conceptu & quidditatiuo repræſentet, nam in rigore loquendo non eſt per ſe nota quoad terminum Deus, ſed quoad debitum cultus, ſi Deus ſit qualis communiter apprehenditur ſignatus per hanc vocem *Deus*.

7 *An ſit per ſe notum Deum eſſe poſſibilem?*

Denique abſolutè obiici poteſt pro parte affirmante eſſe propoſitionem per ſe notam etiam quoad nos ly *Deus eſt, Deus eſt poſſibilis* eſt propoſitio per ſe nota etiam quoad nos; eſt inquam per ſe nota non ſolùm hypotheticè, ſeu de ſubiecto non ſupponente vt dicunt, ſed ſimpliciter, & abſolutè per ſe notum eſt ſaltem Angelis, vel aliis intelligentiis creatis, extra viſionem beatam, Deum poſſibilem eſſe. Ergo & Deum exiſtere conſequentia patet, nam per ſe notiſſimum eſt Deum non poſſe manere ſub pura poſſibilitate, nam in æternis idem eſt eſſe ac poſſe eſſe. Ergo qui de Deo poteſt cognoſcere eſſe poſſibilem ita & cognoſcere eſſe exiſtentem; Antecedens probatur, nam de obiecto creato per ſe nota eſt ſeu immediatè cognoſcibilis ſaltem ab Angelis poſſibilitas talis obiecti, vt enim dixi tract.4. de ſcientia Dei diſput.44. ſect.2. poſſibilitas hominis verbi gratia, cognoſci poteſt immediatè in ſe ipſa, & ita Chriſtus Dominus per ſcientiam infuſam creaturas poſſibiles in ſe ipſis immediatè cognoſcebat, quin vteretur medio ab ipſis diſtincto. Ergo humanitati Chriſti per ſe notum erat hominem eſſe poſſibilem. Ergo ſimiliter Angelus poterit habere immediatam cognitionem, qua cognoſcat hominem eſſe poſſibilem. Ergo abſoluta poſſibilitas hominis eſt per ſe nota Angelo. Ergo ſimiliter erit per ſe nota abſolutè poſſibilitas Dei. Hæc vltima conſequentia probatur. Quia non eſt cur ſit magis recondita intellectui creato veritas creata, quam veritas Diuina, hoc argumentum maximè vrget vt dicamus, quod ſenſerunt aliqui limitantes opinionem relatam in §.3. vt propoſitio *Deus eſt* ſit per ſe nota, licèt non omnino quoad nos ſaltem quoad ſapientes, vel Angelos, vt tenent aliqui cum Ægidio in 1. diſtinct.3. quæſt.2. & Mayrono in 1. diſtinct.2. quæſtione 2. Nihilominus hæc etiam limitatio neganda eſt, & dicendum iuxta dictam diſput. 12. ſect. 5. nec poſſibilitatem, nec exiſtentiam Dei exercitè poſſe cognoſci immediatè, niſi per viſionem beatam: diſcrimen, vt potiùs poſſibilitas hominis ſit per ſe nota quam poſſibilitas Dei, quod petit tota obiectio præſens, deſumendum eſt ex diuerſa ratione, qua comparatur cum Deo poſſibilitas exercita, ac cum homine. Poſſibilitas namque Dei vt ſupponit obiectio includit exercitam exiſtentiam, Ergo non poteſt cognoſci niſi cognoſcendo ſimul exiſtentiam exercitam, Ergo niſi formando propoſitionem *de eſt* ſecundo adiacente, & conſequenter per cognitionem intuitiuam, talis namque eſt cognitio immediata *de eſt* Secundo adiacente quæ omnia non contingunt in poſſibilitate hominis, Ergo iſta cognoſci poteſt quidditatiuè, & immediatè licèt non intuitiuè, quamuis id euenire non poſſit reſpectu poſſibilitatis Dei, quæ quia altior, non mirum, ſi plus præteruolet creatum intellectum, quoad cognitionem claram ſui, quamuis magis obuia ſit quoad cognitionem mediatam, & aliqualem; ſic mirabitur nemo Catholicus ſi Deus inuiſibilis ſit naturaliter, imò & ſupernaturaliter incomprehenſibilis ab intellectu creato, à quo re

Cur potiùs ſit per ſe nota poſſibilitas hominis, quam Dei.

aliæ creatæ, videntur & comprehenduntur.

Dub. Tertiò An ſit per ſe notum exiſtere aliquod 8
ens *neceſſarium* de qua dubitatione egi ſect. 4. per totam. Cui dubitandi rationi anſam præbuit argumentum Anſelmi (cuius meminit ſanctus Thomas in hoc artic. argumento ſecundo) in proſologio cap.13. *Si enim* (inquit) *id quo maius cogitari nequit poteſt cogitari non eſſe, id ipſum, quo maius cogitari nequit, non eſt id quo maius cogitari nequit, ſic ergo verè eſt aliquid quo maius cogitari non poteſt, vt nec excogitari poſſit non eſſe.* Vide dictam diſput.12. num.30. & iuxta ibi dicta colliges ſolum eſſe per ſe notum quod exiſtat ly *neceſſarium* vel *verum*, vt abſtrahit á poſitiuo & negatiuo.

An ſit per ſe notum exiſtere ens neceſſarium?

Dub. quartò An ſub aliquo alio prædicato ſit per 9
ſe notum Deum exiſtere, nempè ſub prædicatis: *improducti: independentis à cauſa prima: vltimi finis: entis omnibus aliis præeminentis?* Sed de hac dubitatione ſatis dixi diſput. 12. ſect. 5. per totam. Vide etiam dubit. 6.

An Deum exiſtere ſit per ſe notum ſub aliquo prædicato?

Dubitatur quintò. An Deum eſſe ſit propoſitio 10
per ſe probabilis? De hoc egi diſput. 12. num. 17. Vbi partem negantem defendit Vaſquez 1. part. diſput.19. num.10. Affirmantem tuetur P. Leſſius lib. de Prouid. Numinis cap.2. num. 13. Martinon hic diſput.2. num.62. Cui ego loco citato aſſenſum præbui, modoque etiam aſſentior, ſic enim melius intelliguntur Patres, & Authores citati §. 5. dum dicunt cum Damaſceno lib. 1. de fide cap. 1. naturaliter nobis inſitam eſſe cognitionem de Deo, quod benè admitti, & explicari poteſt licèt non euidenter per ſe nota ſit nobis exiſtentia Dei, ſi tamen ſit probabiliter per ſe nota.

An ſit propoſitio per ſe probabilis Deum exiſtere? Negat. Vaſquez. Affirmat Leſſius. Martinon.

Dub. ſextò An ſit exiſtentia Dei per ſe nota ſub 11
aliquo conceptu, qui in re ſit proprius Dei, licèt quoad nos vt proprius Dei non concipiatur? Duplicem conceptum formare poſſumus de Deo, Primum, qui euidente rapparet Deo ſoli conuenire; vel quia formaliter exprimit Deitatem, vel quia exprimit attributum, ex quo deitas euidenter demonſtratur vt dixi dub.4. de prædicato, *Improducti independentis*, &c. Secundum conceptum formamus de Deo, ipſi quidem ſoli conuenientem, vt eſſe *vltimum* finem, *quietem*, ſeu beatitudinem completam, & perfectam noſtræ voluntatis; & de hoc prædicato procedit præſens dubitatio, in qua negandum videtur iuxta ſupra dicta ſi enim per ſe notum eſt prædicatum aliquod proprium Dei, iam ſimpliciter ipſe Deus erit per ſe notus vt patet ſi per ſe nota eſſet exiſtentia *entis neceſſarij*. Nihilominus cenſeo plura prædicata, quæ in re Deo ſoli conueniunt eſſe per ſe nota id patet à poſteriori in prædicato *ſufficientis adæquatè vt detur aliqua veritas*, ſiue poſitiua, ſiue negatiua, cum enim per ſe euidens ſit dari talem veritatem à fortiori per ſe notum erit dari principium adæquatè ſufficiens vt ſit talis veritas; prædicatum autem ſic *ſufficientis adæquatè* nulli creaturæ conuenit, ſed ſoli Deo, qui eſt prima cauſa independenter ab omni alio ſibi ſufficiens. Similiter nobis per ſe nota eſt *ſufficientia vt mundus exiſtat*; nihil enim notiùs, quam nihil exiſtere ſine ſufficientia ad exiſtendum prima autem radix, & ſufficientia vt exiſtat mundus eſt Deus. Idem patet in prædicato *malum eſt fugiendum* bonum eſt amandum, & ſimilibus, quæ ſemper implicitè imbibunt diuinitatem, cui ſoli opponitur malum, & in qua ſola poſſideri poteſt omne bonum. Deinde huius eſt ratio à priori, quia non obſtante euidentia horum prædicatorum ſtat euidens non eſſe talia prædicata Deo conuenire, Ergo

An Deum exiſtere ſit per ſe notum ſub aliquo conceptu proprio Dei quoad ſe, licèt non quoad nos?

ſtat ſimpliciter Deum non eſſe per ſe notum, parui enim refert vt ego dicar cognoſcere aliquam rem quod cognoſcam prædicatum verè illi conueniens, ſi non cognoſco ſic illi conuenire, vt patet quando video hominem à longè venientem, quem ſimpliciter eſſe hominem ignoro, licèt animalitatem videam, quæ in re illi ſoli conuenit. Hinc ad rationem pro parte negante facilis eſt ſolutio nam prædicata de quibus in dub. 4. quale eſt illud *entis neceſſarij* per ſe notum eſt ſoli Deo conuenire, ex quo ſi tale prædicatum per ſe euidens foret, per ſe etiam eſſet nota Dei exiſtentia.

12 *An Deum eſſe ſemper, & neceſſario ſit primum cognitum?*

Dub. ſeptimo An Deum eſſe ita ſemper, & neceſſario cognoſcatur vt ſit primum cognitum? De hoc egi diſput. 12. §. 17. vbi etiam dixi licèt Deus ſit veritas neceſſaria in eſſendo, non tamen in cognoſci. E conuerſo dubitat. S. Thom. ſit ne Deus ita remotus ab intellectu noſtro vt nequeat vllo modo cognoſci ab intellectu creato, ſed de hoc infra ad quæſtionem 12. art. 52.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deum eſſe ſit demonſtrabile?

13 DE hac difficultate agit S. Thom. 1. contra Gentes cap. 12. & quæſt. 7. de potentia art. 3. & opuſc. 3. cap. 4. de qua ego etiam egi diſp. 13. ſect. 1. in cuius diſputat. proœmio quæ ſit mens S. Thomæ expoſui.

14 *An exiſtentiam Dei eſſe demonſtrabilem ſit de fide? Affirmant.* Martinon. S. Thomas. Nazianz. Athanaſius. Auguſt. Clem. Rom. Theophil. Tertull. Arnobius. Palud. Oroſius. Theod. Smiſing.

Dubitatur primo, & principaliter hic An non ſolum ſit demonſtrabilis per naturalem rationem exiſtentia Dei, ſed etiam de fide ſit ipſam ſic demonſtrabilem eſſe? Affirmat P. Ioannes Martinon tom. 1. in 1. partem diſput. 2. ſect. 1. num 4. & 5. S. Thomas 1. contra Gentes cap. 12. paulo poſt principium dum in primo argumento contrariam opinionem *errorem* vocat, pro qua ſententia affirmante adduxi diſput. 13. num. 3. duo celeberrima ſacræ ſcripturæ teſtimonia ex Rom. 1. & ſapientiæ 13. item maximè huius partis affirmantis confirmat communis Patrum conſenſus de quo dubitare non licet vt à fortiori patet ex dictis art. præc. §. 3. Nazianzenus oration. ſecunda de Theologia poſt principium; *nobis non poteſt non eſſe manifeſtum id quod, & condidit vniuerſa, & condita monet, & conſeruat. Adeoque prorſus hebetis eſſe hominem iudicij neceſſe eſt, qui non ſponte ſua, naturaliumque demonſtrationum veſtigiis inhærens eo progrediatur.* Nempe vt cognoſcat formatorem mundi vti viſam citharam euidenter cognoſcit non potuiſſe ſine citharædo conſtrui quo exemplo citharæ vſus fuit etiam Athan. oratione contra Idola quatuor foliis ante finem pag. 31. Auguſt. lib. 11. de Ciuit. Dei c. 4. *Mundus ipſe ordinatiſſima ſua mutabilitate, & mobilitate & viſibilium omnium pulcherrima ſpecie quodammodo tacitus, & factum ſe eſſe, & non niſi à Deo ineffabiliter, atque inuiſibiliter magno, & ineffabiliter atque inuiſibiliter pulchro fieri ſe potuiſſe proclamat.* Clemens Rom. lib. 8. recognitionum, *quis eſt exigui ſaltem ſenſus, qui cum cernat domum omnia, quæ ad vſus neceſſaria ſunt habentem, cuius camerã in ſphæræ gyrum videat collectam eamque vario ſplendore, & diuerſis imaginibus depictam, luminaribus præcipuis, & maximis adornatam: quis inquam eſt, qui huiuſmodi fabricam videns non ſtatim pronunciet à ſapientiſſimo & potentiſſimo artifice conſtructam? Et ita quis inuenietur inſipiens cum cæli opus inſpiciat, ſplendorem ſolis cernat, ac lunæ, aſtrorum curſus, & ſpecies & vias certis rationibus, & temporibus videat, definiat, non tam à ſapiente hac artifice, & rationabili, quam ab ipſa ſapientia, & ratione clamet effecta.* Nyſſenus lib. de Beatitudinibus ad ſecund. paulo poſt principium. *Opinio de numine Diuino naturaliter quidem inſita eſt omnibus hominibus.* Theophilactus in caput. 1. Epiſtolæ ad Romanos. *Veritas ſiue quæ de Deo eſt cognitio mortalibus ab initio eſt inſita.* Tertullianus in lib. Apolog. aduerſus gentes cap. 17. lib. de ſpectacul. cap. 2. poſt principium. *Nemo negat, quia nemo ignorat, quod vltrò natura ſuggerit Deum eſſe vniuerſitatis conditorem.* Arnobius lib. 1. aduerſus gentes non multum ante medium. *Quiſquam nè eſt hominum, qui non cum iſtius Principis notione diem primæ natiuitatis intrauerit? Cui non ſit ingenitum, non affixum, imo ipſis penè in genitalibus matris non impreſſum, non inſitum, eſſe Regem ac Dominum cunctorum, quæcunque ſunt moderatorem?* Paulus Oroſius lib. 6. Hyſtoriarum Aduerſus Paganos cap. 1. initio: *Deum quilibet hominum contemnere ad tempus poteſt, neſcire in totum non poteſt.* Ex quibus omnibus concludi videtur ad fidei dogma pertinere non ſolum eſſe Deum, quod eſt primum principium fidei, ſed etiam Deum ſic eſſe demonſtrari poſſe, vt ego dixi ſaltem de morali demonſtratione ſectione 6. Cui ſententiæ cum hac moderatione adhæret celebris Scotiſta Theodorus Smiſing. tom. 1. tract 1. diſput. 1. quæſt. 4. num. 62. Nihilominus contra hanc ſententiam obiici poteſt Auguſt. lib. 2. de Ciuit. Dei cap. 7. Vbi ait Philoſophos ſolum Diuinitus adiutos cognouiſſe Deum. Proſper. lib. 2. de vocatione gentium cap. 17. *Tam acerbo ait humana natura vulnere ſauciata eſt, vt ad cognitionem Dei neminem ſpontanea contemplatio valeat erudire, niſi obumbrationem cordis vera lux diſcuſſerit.* Damaſc. lib. 1. de fide Orthodoxa cap. 2. *Fieri nequit vt præterea, quæ Diuinitus à ſacroſanctis veteris, & noui teſtamenti oraculis patefacta & explanata ſunt, quidquam de Deo loquamur, aut etiam omninò cogitemus.* Hæc tamen facile intelliguntur, & concordantur cum vera ſententia, ſi exponantur de cognitione *Salutari*, vel etiam, quæ omnis erroris expers ſit. Quare omnino reijciendi ſunt qui rationem naturalem nil valere pro demonſtranda exiſtentia Dei exiſtimant, hi autem ex Catholicis bona fide ſunt aliqui à me citati diſput. 13. num. 2. Ex hæreticis autem impudenter Caluinus lib. 1. inſtitut. cap. 2. ſect. 2. rationes quibus Scholaſtici vſi ſunt ad probandum Deum eſſe vocat *frigidas ſpeculationes*, & cap. 5. ſect. 9. *Speculationes inanes.*

Dub. ſecundò An exiſtentia Dei ſit demonſtrabilis à priori, vel ſolum à poſteriori. Prima ſententia 15 *An exiſtentia Dei ſit demonſtrabilis? Negant* Thomiſtæ.
communis negat cum ſancto Thoma in hoc articulo 2. aſſerente Deum ſolùm per effectus poſſe naturaliter cognoſci. Probatur maximè hæc ſententia ex dictis in dubitatione præcedenti, ex qua conſtat nos vnicè venire in notitiam Dei per creaturas iuxta illud Pauli Rom. 1. *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*: Sic etiam Dyoniſius cap. 7. de Diuinis nominibus: *Veraciter* (ait) *dicemus nos Deum non ex ipſius natura cognoſcere, id namque ignotum eſt, omnemque ſuperat rationem ac ſenſum; ſed ex creaturarum omnium ordinatiſſima diſpoſitione.* Beda in Pſalm. 52. *Sicut ventorum ſubſtantia nullatenus cernitur, ſed tamen eiuſmodi ventos aliquo modo exiſtere per immenſos flatus & commotionem intelligitur: Sic Diuina ſubſtantia, licèt inuiſibilis, tamen ex immenſa virtute, & po-*

teſtate, quam in omnem creaturam exercet conſtantiſſima fide valet cognoſci. Secunda ſententia affirmat, licet non reſpectu noſtri abſolutè tamen & ſecundum ſe ita Scotiſtæ cum Scoto 1. diſt. 2. quæſt. 2. §. *ex his ad quæſtionem* & quæſt. 1. in principio. Mouetur. Quia Beati intuitiuè, imo & Angeli abſtractiuè iuxta ipſum Scotum formant conceptum quidditatiuum & definitiuum Dei. At probatio ex definitione rei maximè eſt à priori. Ergò Deus à priori demonſtrari poteſt. Confirmatur ex Sancto Thom. art. præcedenti. *Deus eſt* eſt propoſitio per ſe nota ſecundum ſe ſed probatio ex terminis per ſe notis eſt maximè à priori Ergò & probatio Dei.

Affirmant Scotiſtæ.

16 Ego Cenſeo exiſtentiam Dei ſimpliciter ſolum probari à poſteriori aliquo tamen pacto, ſeu ſecundum quid, ſeu ex aliqua ſuppoſitione probari à priori. Prima pars de probatione demonſtratiua quoad nos à nullo negatur, qui iuxta articulum præcedentem tuetur exiſtentiam Dei non eſſe per ſe notam experientia ipſa id teſtificante, etenim cum Deus nullam cauſam habeat, ſi aliunde ex apprehenſione terminorum notus non ſit nullo titulo demonſtrationi à priori patere poteſt, vt conſtat ex demonſtratione *propter quid* (quæ eſt demonſtratio à priori) quam exponit Ariſt. 1. poſteriorum cap. 2. Tum ſic ſed ſi loquamur de ipſo Deo ſecundum ſe ſeu quoad ſe nec etiam poteſt patere locus Demonſtrationi à priori circà ipſius exiſtentiam; etenim cui Deus eſt per ſe notus, ideo per ſe notus dicitur quia ipſa exiſtentia nota eſt, vt dixi art. præced. §. 7. ſi autem exiſtentia ipſa per ſe nota eſt non probatur per aliud, & conſequenter ſtrictè, & ſimpliciter non demonſtratur à priori. Secunda pars meæ concluſionis nempe exiſtentiam Dei aliquo pacto probari à priori patet tùm ex §. 11. vbi dixi *Deum eſſe* aliquo pacto eſſe per ſe notum nobis, quod autem per ſe notum eſt, licet non ſtrictè *ſecundum quid* tamen cenſetur demonſtrabile à priori; tùm etiam ſuppoſita ex creaturis exiſtentia alicuius entis neceſſarij inde à priori demonſtratur tale ens debere eſſe *infinitum*, *immutabile*, *æternum*, *&c.* vt patebit infra, ſatiſque oſtendi diſp. 13. ſec. 5. ergo demonſtratur Deum exiſtere, ſeu tale ens neceſſarium eſſe Deum; conſequentia hæc probatur; nam exiſtere ens neceſſarium præciſè, ſi non conſtet tale ens eſſe infinitum nondum manifeſtat eſſe Deum vt patet ex his, qui negantes Deum eſſe, inficiari nequeunt naturam, ſeu, proceſſum cauſarum neceſſarium eſſe.

Dei exiſtentia probatur abſolute à priori, ex aliqua tamen ſuppoſit. à poſteri.

17 Hinc conſtat qualiter iudicandum ſit de ſententiis in §. 15. Prima S. Thomæ vera eſt loquendo de demonſtratione Dei ſub nomine *entis neceſſarij*, ſeu de prima cognitione Dei vt Authoris naturæ. Secunda ſententia Scoti falſa eſt loquendo de ſtricta demonſtratione à priori etiam reſpectu illorũ, quibus eſt per ſe nota exiſtentia Dei; etenim etiam his neganda eſt demonſtratio, quæ ſtrictè procedat à priori circa exiſtentiam Dei, quod enim quis videt non dicitur à priori colligere, ſeu per dicurſum à priori probare, quem diſcurſum demonſtratio ſtrictè accepta includit; ex quo patet ad Scoti fundamentum, & eius confirmationem.

ARTICVLVS III.

An Deus ſit.

18 DE hac difficultate agit D. Thom. 1. diſt. 8. quæſt. 1. art. 1. & eadem diſt. quæſt. 1. & art. in 2. ſcripto ad Annibaldum, & 1. contra Gentes cap. 12. & ſequentibus opuſc. 3. cap. 13. de q. 1. de veritate art. 4. & 7. item q. 1. de potentia art. 4. & 7. de qua difficultate egi ego late diſputatione 13. à ſectione 2. in qua mentem S. Thomæ explicui. Nunc præter ibi dicta ſequentes dubitationes excitari poſſunt.

19 Dubitatur 1. An ſufficienter demonſtretur exiſtentia Dei titulo motùs ſeu eò quod *omne quod mouetur ab alio mouetur*, quo medio demonſtrandi vſus eſt Ariſtoteles 8. Phyſic. cap. 4. 8. 10. & 12. Methap. cap. 3. item latiſſimè Sanctus Thomas hic, & 1. contra gentes cap. 13. imò communiter S. Patres Eccleſiæ, vt ſaltem ob eorum reuerentiam defendi debeat hæc demonſtrandi via, vt notat Pater Hieronymus, Faſol. in preſenti dubitatione 7. num. 32. Ideò prima ſententia Thomiſtarum hanc viam demonſtrandi vt ſufficientem admittit vt concludatur primus motor immobilis; Sed cum videant hoc axioma non valere in motu locali, Siquidem, grauia, & leuia in ſuum centrum localiter mouentur; Viuentia item per motum progreſſiuum; Item non valere de motu productiuo, ſeu perfectiuo, nam eſſentia à ſe producit ſuas proprietates; aqua reducit ſe ab intrinſeco ad priſtinam frigiditatem, voluntas item, libera ab intrinſeco ſe determinat ad producendum ſuum motum liberum amandi; Cum inquam hæc videant huius ſententiæ Authores ſic explicant Axiomà prædictum, vt illud reducant in dependentiam, quam habent cauſæ ſecundæ in operari à prima; nam omne quod mouetur neceſſario eſt imperfectum, & potentiale, quod autem tale eſt neceſſariò alteri Superiori cauſæ ſubordinatur, quæ cauſa rurſus ſi mouetur eadem ratione ſubordinabitur alteri ſine fine. Ergo cum iſte proceſſus vitandus ſit aſſignandus erit primus motor immobilis. Secundo. Idem axioma explicat Sapientiſſimus, & accutiſſimus meus Magiſter Pater Antonius Perez, in Concluſionibus Theologicis Romæ editis Anno 1648. num. 12. Quià nihil poteſt à ſe ſolo moueri ad actum perfectiuum ſui, qualis eſt omnis motus reſpectu mobilis; vnde ſic arguit. Mobile, per motum adquirit gradum aliquem perfectionis; quem prius non habebat; Sed nemo dat quod non habet. Ergo tale mobile ab alio accipiet gradum perfectionis; Cui conſonat Pater Ioſeph Auguſt. difficultate Prima. Super hunc articulum num. 21. cenſens Omne id quod mouetur ſaltem partialiter ab alio moueri, ità vt nihil poſſit eſſe principium adæquatum ſui motûs, quia ſi mouetur non eſt ens à ſe, Ergò vt contra Durandum probatur nec in operari erit à ſe ſaltem adæquatè. Tertiò Bannez in præſenti explicat de motione propter finem, vt ita *omne quod mouetur ab alio fine moueatur*, quia finis vel rurſus mouetur, vel non: ſi mouetur procedimus in infinitum: ſi non mouetur, iam peruenitur ad primum motorem finaliter, qui propter alium finem à ſe diſtinctum non mouetur. Quarto. Denique alij Thomiſtæ cum Ioann. de S. Thoma in præſenti diſp. 3. art. 2. verſ. *Prima explicatio eſt*, & ſequentibus explicant de omni motu: ſiue locali ſiue productiuo, ita vt omne quod mouetur per hunc motum: ſi moueatur per ſe, & non per accidens ab alio realiter diſtincto moueatur, vt lapis à baculo, baculus ab impulſu, impulſus ab appetitu, appetitus à cognitione, cognitio ab ſpecie, ſpecies ab obiecto obiectum à generante, cui attribuitur virtus miſſiua ſpecierum, Sicut virtus grauitandi tribuitur generanti corporis grauis, virtus productiua ſeu refugeratiua frigiditatis priſtinæ in aqua tribuitur

An ſufficienter demonſtretur exiſtentia dei ex motu?

Affirmant Thomiſtæ.

Antonius Perez. Ioſeph. Auguſt.

Bannez.

Ioan. de S. Thoma.

tribuitur cauſæ, quæ aquam generauit, quæ cauſa generans vel mouebit immota, & ſic erit motor primus vel rurſus mouebitur & ſimiliter motus talis tribuetur alteri ab ipſo ſuppoſito, quod mouetur.

20 Secunda ſententia Scotiſtarum cum Smiſingo tom. 1. de Deo tract. 1. diſput. 1. quæſt. 6. num. 77. negat ex præciſo titulo motùs non ſatis demonſtrari exiſtentiam Dei in quam ſententiam inclinat Suar. diſput. 29. Metaphyſicæ ſect. 1. Arriaga in præſenti diſputatione 2. ſect. 4. ſubſect. 1. Quod ego etiam ſentio; dum aliter non explicetur axioma illud vt ex ſolutione ad explicationes datas in §. præcedent. conſtabit. Prima arguitiuè procedit non autem formaliter præciſè ex motu, vt neceſſarium ſit dicere omne quod mouetur infinitæ perfectionis non eſt, ac proinde cauſam ſuperiorem ſupponit: quod principium plura intermiſcet ad hoc vt concludat, quæ independentia ſunt à motu. Secunda explicatio Patris Antonij Perez multum demonſtrare intendit; ſcilicet euidens eſſe quod in cauſa ſecunda non ſit virtus adæquata ad producendum effectum, niſi dependenter à concurſu cauſæ primæ, quod eſt contra id, quod communiter ſupponunt Theologi contra Durandum, nempe eius ſententiam negantem concurſum immediatum cauſæ primæ ad omnes effectus cauſarum ſecundarum, non poſſe euidenter falſitatis conuinci, quando tales effectus non ſuperant perfectionem cauſarum ſecundarum; alias ſi liceret recurrere ad cauſam primam vt ſuppleat imperfectionem cauſarum cur non poſſet accidens ſine concurſu ſubſtantiæ aliam ſubſtantiam producere? Iam vero cauſa ſecunda verbi gratia, ignis longè perfectior eſt calore, quem in ſe producit ergo ſtando præciſè demonſtrationi naturali non eſt cur non poſſit independenter à cauſa prima ſe ipſum perficere, calorem producendo. Confirmatur ſpecialiter ignis poteſt ſe perficere per calorem, quam materia per formam ſubſtantialem eo ſcilicet, quòd iſta ſuperet perfectionem materiæ vt ſe ſola acturæ, nam vt acta partialiter adiuuante Deo nullo pacto impeditur à perfectione formæ ergo cum potius igni in calorem quam materiæ in formam tribuatur motus productiuus, ſignum eſt motum ſe perficiendi per calorem non eſſe ſupra perfectionem, & virtutem ignis. Tertia explicatio Magiſtri Bannez motum accipit metaphoricè non propriè, in quo ſenſu procedit præſens dubitatio. Quarta explicatio minus placet, nam primo motus grauium & leuium inutiliter tribuitur generanti, cum ſæpè non exiſtat cauſa generans; hic autem quærimus primum motorem exiſtentem. Secundo Angelus, & anima ſeparata mouentur per ſe; recurrere namque ad obiectum, quod mittat ſpecies mouentes ad cognitionem, quæ moueat voluntatem imperantem localem motum, hic non ſufficit, tum quia Angeli non ſumunt ſpecies à rebus obiectis; Tum etiam quia obiecta non dicuntur moueri quando producunt ſpecies. Tertio tandem hic primus motor immobilis ſi præciſè ſit primus in linea mouendi localiter nullius vel paruæ perfectionis eſt. Ego vt his occurram.

Scotiſtæ. Negant. Smiſing. Suarez Arriaga.

Soluitur explicatio Thomiſtar.

P. Ant. Perez.

Magiſtri Bannez. Ioannes S. Thom.

21 Sic hoc axioma explico vt *Omne quod mouetur ſecundum ſe totum velut quod vel vt quo, hoc eſt tanquam ratio, qua aliquid moueatur neceſſariò ſit ab alio mouente.* Ratio huius eſt. Quia implicat mouere, niſi mouens ſit in actu aliquo; Et rurſus implicat moueri, niſi ſit in potentia ad motum, ſeu actum, per quem dicitur moueri, ideò motus definitur: *actus in potentia, prout in potentia*; vndè implicat vnam & eandem rem *eſſe ſimul in actu ſecundum idem, ſed ſolum ſecundum diuerſa*, verba ſunt ſancti Thomæ hic apprimè id explicantis in re quæ eſt actu calida, quæ non poteſt ſimul eſſe calida in potentia, (eſſe enim in *potentia* calidam contradicit & excludit actum caloris) licèt ſit in potentia frigida, ſimiliter igitur vt occurram omnibus inſtantiis in §§. præcedentibus, grauia, & leuia, viuentia, voluntas libera, &c. Dum ſe mouent, in potentia quidem ſunt ad motum ſeu actum, quem producunt, at ipſa in ſe in alio actu ſunt, verbi gratia terra grauis, & leuis ignis in actu ſubſtantiali formæ terræ, & ignis, viuentia in actu vitæ ſimiliter etiam cauſa æquiuoca omnis in actu eminentiali reſpectu ſui effectus, Ex quibus clarum eſt quod *omne quod mouetur* hoc eſt adquirit motum per quem adæquatè moueri cenſeatur, *diſtinguendum ſit à mouente in actu*; ſeu ab actu motionis, vt tali formaliter, & conſequenter deueniendum ſit ad primum motorem ſimpliciter talem, qui Deus erit, vt per hanc deductionem patet in ipſis viuentibus verbi gratia, in quibus difficilius videtur concludere hoc axioma iuxta aliorum explicationes: Si mouetur viuens per motum ſeu actum progreſſiuum. Ergo ipſum viuens, vel eſt primum mouens, vel mouetur ab alio; Si dicas hoc ſecundum: procedet argumentum ſine fine: Si verò dicas primum. Ergo viuens erit à ſe ipſo, (vndè manifeſte concluditur quod ſit Deus) Probo conſequentiam, vt viuens ſe moueat opus eſt vt ipſum ſit in aliquo actu ſeu motu iuxta dicta per quem vel exercetur ipſum viuens præciſè, & ſic tale viuens à nullo alio erit, ſed præciſè à ſe vt intendo; vel per talem actum ſeu motum, (qui opus eſt inueniri in ipſo viuente, vt ſe moueat per motum progreſſiuum, ſiquidem vt dixi nuper nihil poteſt ſe mouere, niſi ſit in aliquo actu, vel formali, vel eminentiali) exercetur aliquid aliud diſtinctum à viuente tali, & ſic iam per productionem, ſeu poſitionem talis viuentis, eius cauſa cenſebitur mouere; Ergo viuens prædictum ſi non ſit à ſeipſo non erit primum mouens.

Quod mouetur ſecundum ſe totum ab alio mouetur.

Dices per hanc explicationem Deum etiam moueri, etenim ſi ipſum viuens in ſe habet rationem motus, ſeu ratione ſui eſt motus per huius productionem exerceri cenſetur Deus, vt per motum. Ergo Deus mouetur per illum; exerceri enim per motum moueri eſt. Vndè non deuenitur ad primum motorem immobilem. Reſpondeo Deus licèt ſe exerceat per motum, hoc eſt per actum viuentis creati, quod producit, non ideo tamen mouetur paſſiuè, ſed præciſè mouet. Quia licèt aliquo modo in potentia ſit ad aliquam effectionem, at in ſe intrinſecè non mouetur, quia nec intrinſecè mutatur, nec intrinſecè eſt paſſiuus motus, cum non ſit actus, per quem exerceatur aliqua res à tali actu diſtincta. Dices ſecundò. Tandem hanc explicationem reduci ad viam efficientiæ. Reſpondeo in re ita eſſe; at viam hanc ratione motûs ſic clarius concludi, vti id præſtitit Maximus apud Euthymium, cuius verba tranſcripſit, & emendauit Pater Dyoniſius Petauius tom. 1. de Theolog. Dogmatibus lib. 3. num. 10. Sic; *Nil eorum quæ ſunt à ſe ipſo agitur; quod autem à ſe ipſo non agitur cauſa non caret: quod autem cauſa non caret, nec eſt immobile. Quod vero immobile non eſt omnino propter cauſam aliquam mouetur; eo ipſo quod naturaliter mouetur* 22

tur, à cauſa actum, & impulſum habet, propter quam, & ad quam motum facit. Nam nihil eorum quæ mouentur ſine cauſa moueri natura ſua poteſt. Porro naturalis motus omnis principium, eſt eorum ortus: quæ mouentur; principium autem ortus eorum quæ mouentur eſt Deus, tanquam author, & Conditor. Adde omnia fundamenta metaphyſica, & ſpeculatiua tandem reduci ad hanc viam efficientiæ, vt ex rationibus S. Thomæ in hoc articulo conſtabit; vndè non mirum *ſi omne quod mouetur ab alio mouetur*, vt rectè concludat in viam efficientiæ dirigamus, dum in obſeruantiam huius axiomatis illud ſub propriis terminis explicetur, vt dixi, vide §. 24.

23 *An ex efficientia?* Dubitatur ſecundo An rectè demonſtretur exiſtentia Dei via efficientiæ; qua vſus eſt ſanctus Thomas in hoc articulo ſecundo loco; & ego eam latiſſimè explicui diſput. 13. ſect. 2. & tribus ſequentibus, in qua reduci omnes alias exiſtimo vt non ſolùm moraliter, ſed etiam metaphyſicè omnes aliæ viæ, & rationes demonſtratiuæ ſint, vt noto diſputat. citata §. 35. fine; Modo audi idem argumentum à ſancto Ioanne Damaſceno in 1. lib. de fide Orthodoxa. *Omnia quæcunque ſunt vel creata ſunt, vel increata. Quod ſi creata ſunt omnino ſunt mutabilia. Quorum enim eſſe à mutatione capit hæc mutationi planè ſubiecta erunt, ſiue corrumpantur, ſiue voluntate mutentur. Sin increata ſunt ex conſequentiæ ratione prorſus immutabilia ſunt. Nam quorum eſſe contrarium eſt, iis certo modo eſſe contraria ratione conuenit; quæ ſunt proprietates. Quis igitur non aſſentietur omnia quæ ſunt non modo quæ ſub ſenſus noſtros cadunt, verumetiam & Angelos variari, atque mutari, ac multis modis moueri, atque conuerti,* &c. Item *itaquè cum ſint mutabilia, planè erunt creata. Si creata ſunt; prorſus ab aliquo condita ſunt. Oportet autem conditorem increatum eſſe. Nam ſi etiam ille creatus eſt; omninò ab aliquo creatus eſt: donec ad increatum aliquid procedendo perueniatur. Increatus ergo conditor planè eſt, & immutabilis. Hoc verò quid aliud poteſt eſſe quam Deus?* Vlterius audi Theodorum cognomine Abucaram Damaſceni diſcipulum, expendens ipſius in tertio Dialogo argumentum huius formæ. *Hominum* (inquit) *certus eſt numerus. Fingamus illos eſſe centum. Non poſſunt omnes illi eſſe geniti quippè ab inuicem propagati ſunt. Itaque genealogiam retrò percurrens noſtra mens planè vnum in aliquem incidit ingenitum. Non enim fieri poteſt, vt cum ad primum peruenerimus; dicamus ipſum ab alio eſſe genitum quandoquidem etiam ille ab altero eſſet genitus; donec in primo quopiam ingenito mentem noſtram defixerimus. Igitur neceſſe eſt iſtum vel ex terra editum eſſe, vel vt ſtirpes: vel eſſe æternum, vel ab opifice aliquo factum. Atqui ſi ex terra pullulaſſet: adhuc vſque in hodiernum diem alios terra procrearet; ſicut fit in genere arborum, & herbarum; At quia hoc fieri non videmus, manifeſtum eſt neque primum germinaſſe. Sed nec æternus erat. Si enim principio caruiſſet, eſſetque æternus, nunquã mortuus fuiſſet, neque interiiſſet. Quod enim principium non habet neque finem habet. Relinquitur igitur, vt factus fuerit, quod autem factũ eſt, auctorem habet. Eſt igitur creator, & auctor hominum Deus.*

24 *Via motus reducitur ad efficientiam.* In hanc viam efficientiæ reduci poteſt, vt dixi diſputatione præcedenti demonſtratio quæ communiter fit ex eo quod *omne quod mouetur ab alio mouetur* dum hoc axioma intelligatur de eo quod ſecundum ſe totum mouetur, etenim vt contingat rem aliquam ſecundum ſe totam moueri opus eſt, vt in ſe nullum actum habeat, alioqui ſecundum hunc actum non dicetur moueri, ſiquidem vt conſtat ex §. 21. implicat. Quod res moueatur ſecundum id quod eſt in actu. Ergo ſi res ſecundum ſe tota mouetur, opus erit, vt in ſe nullum actum habeat, vel ſaltem illum non habeat à ſe, nam licèt habeat actum ſi tamen talis actus ab alio procedat, ſeu ab alia cauſa fiat, iam talis cauſa dicetur motor, ſeu mouens talem actum, ſiquidem reducit illum de non eſſe ad eſſe, quemadmodum ignis dum calefacit lignum dicitur illum mouere, quia traducit de non calido in calidum, Ergo implicat aliquid ſecundum ſe totum moueri, quin ab alio moueatur, eo quod implicet aliquid quod non eſt à ſe exiſtere in actu, quin ab alio efficiatur: Vnde vel res nullo modo mouebit vel ſi mouet, ita vt ſecundum ſe totam moueatur opus erit quod actus per quem mouet ab alio ſit qui moueat vel ratione cuius dicatur moueri talis res iuxta dicta §. 21. Ex quo patet vim huius demonſtrationis deſumptæ ex motu tandem reduci ad viam efficientiæ, ſeu demonſtrationis cauſæ cauſantis incauſatæ quæ demonſtratio ſic iuxta dicta in diſput. 13. citata vrgeri poteſt.

Primo à paritate cauſæ ſubiectiuæ, ſeu materialis: id quod cauſatur materialiter, ita ab alio cauſatur, vt neceſſario detur, & arguatur vnum ens materialiter cauſans, in quo vltimo ſiſtendum ſit: Ergo ſimiliter dicendum eſt de re cauſatà efficienter: conſequentia patet, quia non minus eſt de conceptu cauſati efficienter eſſe ab alio quam de cauſato materialiter. Antecedens ſuadetur in accidente verbi gratia, quod ita cauſatur materialiter, ſeu inhæret alteri ſenſatio eſt in potentia, potentia in quantitate, quantitas in ſubſtantia, vt tandem iſta debeat eſſe per ſe exiſtens, quin ab alio cauſetur materialiter: Neque concipi poteſt vlla ſeries quantumuis infinita accidentium, qua ita ſit vnum in alio, & hoc in alio, &c. Vt tandem ſine vllo ſubiecto ſubſtantiali primo, ſeu incauſato materialiter dentur accidentia, ſicut enim implicat dari vnum accidens ſine ſubſtantia, ita & quælibet accidentium multitudo, alias minus indigeret ſubiecto accidens, eo quod multiplicetur, quod non minus eſt abſurdum, quam ſi diceres eo minus indigere baſi ſuſtentante aliquod pondus, quo maius, & grauius eſt. 25 *In ſubiectis nequit dari proceſſus in infinitum, quin ſit vnũ incauſatum.*

Secundo vrgetur non poteſt dari cauſa inſtrumentalis ſine principali, actio ſine agente, quod nomine, & vi propria talem actionem eliciat, rurſus non poteſt dari actio ita tendens in terminum productum, vt ipſe terminus ſit etiam via ad alium deturque vna actio in aliam actionem ſecundam, & iſta in tertiam, quin tandem ſit vnus vltimus terminus, in quo ſiſtant omnes actiones; neque vlterius progrediantur. Ergo non poteſt dari effectus cauſatus, quin arguatur cauſa aliqua prima, & incauſata. Antecedens eſt per ſe notum quis enim apprehendat *agere*, quin tandem ſit ab aliquo, & circa aliquid? Cui non repugnabit inſtrumentum, quod ſit ab alio inſtrumento, & hoc ab alio, &c. Similiterque actio, quæ ſit ab alia actione, &c. Quin apprehendat cuius tandem ſit inſtrumentum & actio: item quod actio agat puram actionem, quæ agat aliam actionem alterius, &c. Quin tandem appareat quid tandem ſit illud quod per tot actiones quaſi aquæductus procedit. Iam conſequentia manifeſta videtur, nam omnino cauſa cauſata eſt quaſi inſtrumentum, & actio media qua fit effectus; principalis autem eſt incauſata. Rurſus non eſt cur potius conceptus cauſantis petat quod 26 *Neque in inſtrumentis vt ſint, ſine Principali.*

cauſet

cauſet terminum cauſatum in cauſantem vlterius, quam quod conceptus *cauſati* petat cauſari à principio cauſante incauſato quemadmodum contingit in actione non minus exigente terminum, quam cauſam agentem: Ergo ſicut primum etiam ſecundum concedendum eſt.

27 *Nec quo in conſeruari.* Tertio euidens eſt dari aliquod ens à ſe in conſeruari ſed ens quod vi ſua, & ex ſufficientia ſui eſſe, quaſi à ſe conſeruatur poteſt etiam à ſe primo eſſe ergo, &c. Maior, & conſequentia patent ipſis Atheis. Minor ſuadetur quia idem ponitur per conſeruationem, ac per primam productionem, ſolumque eſt differentia inter vtramque penes ſtatum inſtantis antecedentis, non penes ipſum inſtans, in quo res conſeruatur de præſenti. Si ergo in hoc in quo nil eſt pro priori de re conſeruata, nilque iuuat cauſa, quæ fuit in inſtanti antecedenti adhuc valet res ſeipſam conſeruare; etiam poterit ſeipſam primo ſiſtere in eſſe. Suadetur conſequentia nam ad exiſtentiam de præſenti nil confert quod fuit in inſtanti antecedenti magis quam quod erit in inſtanti ſequenti: præteritum enim vt tale ſicut, & futurum comparatur ad præſens, quaſi non fuerit nec futurum ſit.

28 *Etiam admiſſo poſſibili proceſſu in infinitum.* Quarto iſte proceſſus entium productorum, quæ de facto exiſtunt non poteſt ſibi ſufficere, vt primo ſit, Ergo datur ens incauſatum à quo alia procedant: antecedens probatur primò quia ſi ſibi ſufficeret ad exiſtendum primo iam proceſſus vt talis eſſet à ſe: ergo dabitur aliquod ens, ſiue determinatum, ſiue vagum ſimplex vel collectiuum quod incauſatum ſit. Cur igitur id repugnabit enti determinato. Secundo ille proceſſus à ſe nec eſt infinitæ perfectionis vt patet, ſiquidem non conſtat animali rationali immortali intellectus capaciſſimi aliiſque creaturis perfectiſſimis, quæ excogitari poſſunt, ſed neque ille proceſſus poteſt eſſe finitæ perfectionis, ſi ſit à ſe, quia quod à nullo principio eſt non habet vnde limitetur, etenim licèt demus naturam hominis huius limitationis eſſe vt tantum contineat *animal rationale*: cur ſicut hæc perfectio ex ſe erupit, non id concedetur perfectiori ſpeciei in infinitum? Ac conſequenter dabitur modo exiſtens omnis perfectio non implicans contradictionem.

29 Denique ſi iſte proceſſus quantumuis vt ſic improductus, & à nullo extrinſeco determinatus poteſt ex ſe limitari quoad perfectionem (vt limitatum eſſe experimur) cur non etiam quoad durationem, vt ex nunc incipiat aliquod ens vel talis proceſſus entium pullulare, & erumpere à ſei ſo. Vnde in dies poſſemus ſperare nouas ſpecies rerum à ſe. Hoc autem, & ridiculum eſt, & impoſſibile; ſi enim res illæ poſſent oriri de nouo ex ſeipſis ſine alio præexiſtente, & in ſua multitudine infinita haberent principium ſufficiens exiſtendi vnde determinarentur vt potius eſſent quam non eſſent cur exiſterent hoc inſtanti, potius quam alio? Cur ſtatim de præſenti non erumpunt omnia: ſed de his iam non plura quæ ſolum voce non mente negari ab aliquo poſſunt.

30 *An ſit proceſſus infinitus in cauſis poſſibilis?* Dubit. tertiò An ſit poſſibilis proceſſus in infinitum in cauſis ſaltem per accidens, & non per ſe ſubordinatis. Affirmant tale proceſſum in infinitum non implicare plures Doctores catholici cum S. Thoma 1. part. quæſt. 46. art. 2. patetque à paritate proceſſus in infinitum, qui foret à parte poſt ſi mundus conſeruaretur in æternum; item à parte ante in generationibus hominum, quas admiſit ab æterno Ariſtoteles, neque negauit S. Thom. poſſibiles vbi ſupra. Denique in durationibus æternis quæ præfuerunt infinitæ à parte ante vna poſt aliam, & hæc rurſus ab alia ſine fine. Quo proceſſu in infinitum vtuntur Atheiſtæ ad eludendam demonſtrationem factam dubitatione præcedenti vt ſcilicet detur iſta creatura, & effectus ab vna cauſa, hæc cauſa rurſus ab alia ſecunda, & ſecunda à tertia ſine fine, ex quo quodlibet ens erit cauſatum ab alio omnino independenti à primo (vt ſupponit proceſſus iſte) quin detur vnum ens incauſatum.

Ego vel ob hoc fundamentum ne detur vlla anſa Atheiſtis vt aliqua ratione infirment demonſtrationem factam dub. præcedent. omnino cenſeo repugnare proceſſum in infinitum in cauſis efficientibus vt patet ex repugnantia proceſſus vnius actionis vel inſtrumenti ab alio, & vnius cauſæ vel actionis in aliam ſine fine, repugnantiaque proceſſus iſtius in conſeruari vt conſtat ex dub. præced. Denique nemo eſt, qui non putet implicare quod omnis cognitio prærequirat volitionem, quia ſcilicet ad hanc volitionem prærequiritur rurſus alia cognitio vnde daretur proceſſus ſine fine; quem omnes vt abſurdum inferunt. Ergo ſimiliter ſentiendum eſt de quolibet alio proceſſu in infinitum poſſibili. Ratio repugnantiæ proceſſus in infinitum in cauſis à fortiori patet ex his quibus in philoſophia oſtendi repugnare infinitum in actu, ſeu cathegorematicè, etenim ad cauſandum requiritur neceſſario, quod detur talis infinitus proceſſus infinitæ cauſæ in actu ſint vel fuerint quod conceptui infiniti non minus repugnat. Deinde ſpecialiter repugnantia infiniti proceſſus in cauſis oſtenditur quia vel illæ infinitæ cauſæ eſſent ſimul in eodem inſtanti vel ſucceſſiue fuiſſent ab æterno. Simul tem vel ipſi Athei negant alias vt expendi §. 19. poſſent nouæ ſpecies rerum per infinitum proceſſum ſe producentium pullulare in hoc inſtanti. Quid enim obſtaret ſiquidem iſte infinitus proceſſus ſufficit vt ex ſe exiſtant res infinitæ cauſatæ ſimul, quid inquam obſtaret ne hæ res in dies nouæ erumpant ſic ex ſe ipſis? Iam infinitum proceſſum ſucceſſiuum ab æterno nego quæſt. 10. art. 3. dub. 3. quia ſucceſſiuum ex ſuo conceptu dicit prius, & poſterius; nequit autem exiſtere poſterius ab æterno alias daretur aliquid prius æterno à parte ante quod implicat ſicut implicat dari aliquid poſterius æterno à parte poſt, ne dicamus videri à Deo in pœnis Iudæ quantumuis æternis aliquam durationem vltra omnes illas. Vide quæſt. 10. art. 3. dub. 3.

Ad inſtantias adductas pro poſſibilitate huius proceſſus reſpondeo ad primam ſi mundus conſeruaretur in æternum non daretur actu ſed in potentia proceſſus infinitus, clarum autem diſcrimen eſt vt implicet potius proceſſus infinitus in actu, quam in potentia. Ad ſecundam generationes hominum ſucceſſiuè non potuerunt eſſe ab æterno vt dixi §. præcedent. Ad tertiam durationes æternitatis à parte ante nil prorſus ſunt ſed ſolum imaginariæ, & in potentia; quare in actu non præfuerunt vere. 32 Hæc dicta ſint iuxta veriorem ſententiam de proceſſu in infinitum in cauſis nihilominus quia non adeo euidens eſt huius proceſſus repugnantia, quin ea ab aliquibus negetur iuxta dicta §. 10. Vt inconcuſſa maneat demonſtratio de exiſtentia Dei ſit ſequens dubitatio.

33 *An eo admiſſo demonſtretur exiſtentia Dei.* Dub. quartò An etiam admiſſo proceſſu in infinitum cauſatum demonſtretur exiſtentia Dei. Prima

ſententia vel potius error Atheorum negat. Mouetur primo quia in proceſſu in infinitum non valet argumentum à diſtributiuo ad collectiuum. Ergo licèt de quolibet ente ſit verum cauſari ab alio non tamen de omni proceſſu, & conſequenter, non erit opus deuenire ad vnam cauſam incauſatam. Antecedens probatur nam poſt quamlibet durationem eſt verum fore aliam in æternitate non poteſt omnem. Item ſi ab æterno proceſſiſſent infinitæ generationes hominum ante quamlibet foret alia non ante omnem & in communi ſententia negante poſſibilem creaturam omnium perfectiſſimam, quælibet creatura diſtributiuè exceditur in perfectione ab alia non tamen omnis. Ergo ſicut non obſtante quod hæc propoſitio ſit notiſſima *omne quod eſt poſterius vel prius vel exceditur eſt poſterius vel prius vel exceditur ab alio*, quin apprehendi poſſit verbi gratia, exceſſus mutuus vel quod res à ſeipſa excedatur; nihilominus adhuc non arguitur quod detur iſte exceſſus ad totam collectionem, ſeu quod ſit vna creatura excedens non exceſſa ab alia; Ita ſimiliter. Mouentur Athei ſecundo: quia aliquæ ſunt denominationes, quæ conueniunt parti vt tali, ſeu vt ſingulari, huiuſmodi autem denominationes nec toti, nec collectioni aptari poſſunt: ſicut neque è contra denominationes, quæ ex natura ſua ſunt collectiuæ parti adaptari queunt ſic licèt de quolibet Apoſtolo in ſingulari verificetur diſtributiuè diſtingui adæquatè ab alio; non tamen de omnibus ſimul ſumptis: & è conuerſo licèt omnes ſint duodecim; non tamen quilibet. Aliæ denominationes benè verificantur tam diſtributiuè quam collectiuè omnes Apoſtolos eſſe ſanctos ex quo valet conſequentia ad quemlibet in ſingulari. Tertio denique Athei aliter ex hoc proceſſu argumentum efformant nempè ipſum collectiuè acceptum, & ſecundum ſe totum neque eſſe productum neque improductum: quia ly *totum* vel *omne* & quilibet alius terminus collectiuus applicatus infinito eſt de ſubiecto non ſupponente, nam vt ait Ariſt. 3. Phyſic. cap. 7. tex. 63 & 64. infinitum non poteſt conſtrui cum *omni* nec cum toto, & ratio eſt quia *totum* dicitur, cuius nil eſt extra; hoc autem pugnat cum infinito.

34 *Demonſtratur.* Nihilominus omnino tenendum eſt exiſtentiam Dei demonſtrari poſſe adhuc admiſſo proceſſu cauſatum in infinitum licèt, vt verum fatear, communiter Authores potiùs ſupponunt hunc proceſſum repugnantem, ſaltem in cauſis per ſe ſubordinatis, quam eo admiſſo vlterius procedant ad demonſtrandam exiſtentiam Dei, ego tamen vt modo ſtatui admiſſo adhuc hoc proceſſu demonſtraui exiſtentiam Dei diſp. 13. ſect. 3. & 4. Iterumque eam ſequentibus demonſtro.

35 Primo quantumuis detur proceſſus in infinitum cauſarum, niſi detur cauſa prima, ſeu cauſa incauſata neceſſario datur in rerum natura *inſufficientia* ad exiſtendum, ergo non dabitur rerum exiſtentia. Conſequentia patet à negatione potentiæ ad negationem actus. Antecedens probatur in calore verbi gratia ante aduentum cauſæ datur inſufficientia ad exiſtendum, ſed quælibet cauſa quæ ſuperaddatur in infinitum ſecluſa prima eandem inſufficientiam relinquit; ergo, &c. Conſequentia, & maior parent. Minor ſuadetur in calore datur inſufficientia *vt vnum* ſed quælibet cauſa ſecunda eſſentialiter connectitur cum inſufficientia vt vnum, cauſa enim cauſata ex conceptu ſuo formaliſſimè dicit inſufficientiam ad ſe, & conſequenter *vt vnum* Ergo relinquit eandem inſufficientiam, quæ erat ante vt vnum ratione caloris; etenim licèt inſufficientia non ſit eadem materialiter ſcilicet ratione eiuſdem caloris, eſt tamen eadem formaliter nempè *vt vnum*: nam vt antea id quod dabatur in rerum natura indigebat vt veniret vna cauſa ita & nunc. Confirmatur: implicat perire ſufficientiam ad exiſtendum ſi non aliter pereat res niſi per aduentum alterius. Quis enim non ſtatim apprehendat non defecturos homines ſi vt vnus deficiat opus ſit venire alium in infinitum ergo ſimiliter implicat perire inſufficientiam (ſeu dari ſufficientiam ad exiſtendum ſine qua non datur exiſtentia) ſi vna inſufficientia non aliter deeſt niſi, per aduentum alterius inſufficientiæ in infinitum.

Secundo hæc omnia explicantur in inſufficientia, quam habet calor vt exiſtat ſine ſubiecto, quæ inſufficientia numquam deeſt, etiam per proceſſum in infinitum, niſi adſit primum ſubiectum: item iſti inſufficientiæ non ſatis prouidetur per aduentum alterius indigentis etiam ſubiecto verbi gratia quantitatis in qua recipiatur calor, quia ſcilicet ipſa quantitas etiam affert inſufficientiam, ſeu indigentiam ſubiecto. Iam verò vt per ſe patet non minus indiget alia cauſante, quam accidens alio ſubiecto. Rurſus idem explicari poteſt in corpore medio diaphano non habente lucem à ſe ſed ab alio quod quantumuis multiplicetur in infinitum non ſufficiet illuminare, niſi veniamus ad vnam primam radicem, & quaſi fontem, qui à ſe habeat lucem: ſic in vanum multiplicantur aquæductus ſi non detur primus, & viuus fons vndè dimanent aquæ quæ traducantur. Ergo cum omne eſſe creaturarum, ſeu cauſæ cauſatæ, ſit traductitium, ſiſtendum eſt, & neceſſario deueniendum ad ens à ſe, quod ſit primus fons totius *eſſe*. 36

Tertio ſic arguo quidquid perfectionis vel imperfectionis eſſentialis conuenit rei ſecundum ſe in numero finito tale eſt vt non poſſit immutari vel ſuppleri quantumuis res multiplicetur per infinitum proceſſum. Sed rei productæ in numero finito conuenit eſſentialiter eſſe ſibi inſufficientem ad exiſtendum, & indigere cauſa improducta, & diſtincta à tali numero ergo idem conueniet ipſi vt quantumuis cauſæ cauſatæ multiplicentur ſine fine exigat cauſam ſic improductam, & diſtinctam à tali proceſſu quæ cauſa conſequenter erit omnino incauſata; conſequentia patet, & minor nec ab Atheis negatur niſi velint negare prima principia. Maior propoſitio euidentiſſimè oſtenditur exemplis ſequentibus. Primò quia res mortua non habet principium ſe mouendi extra centrum niſi à viuente moueatur, idem euenit quamuis detur infinitus proceſſus rerum mortuarum, neque enim ob hunc proceſſum vnus lapis verbi gratia, poterit moueri ab alio ſurſum, & iſte ab alio ſine fine abſque auxilio extrinſeci motoris viuentis; alias poſſet dari motus ab intrinſeco ſine vita ita autem quælibet creatura eſt inſufficiens vt in ſe habeat principium eſſendi ſicut lapis principium ſe mouendi ſurſum; idem patet in proceſſu infinito lapidum qui totus eſt durus, & impotens manere ſuſpenſus extra centrum. Secundò vti in numero finito nequit res nunc in tempore incipere eſſe ex ſe abſque cauſa diſtincta, ita nec poteſt nunc in tempore ſic incipere beneficio huius proceſſus quantumuis infiniti; alias facile poſſet iuxta ſententiam Ariſtotelis fingi quod in quantitate palmari ignis verbi gratia detur ſufficientia ad exiſtendum abſque agente extrinſeco per 37

id

id quod vna pars producatur ab alia, & hæc ab alia per infinitum proceſſum. Item ſimiliter contingere poſſet quod ex nunc nouæ rerum ſeries in infinitum pullularent; Ergo proceſſus infinitus nil iuuat. Tertio ens impotens ad producendum per proceſſum in infinitum impotentium non redditur potens? Quis enim apprehendat quod ſi vnus lapis non poteſt ſine impulſu mouere alium ſurſum poſſint infiniti, ſi vna lampas extincta per ſe non poteſt accendere aliam, id poſſint infinitæ ſimiliter extinctæ, ſi vna carentia non poteſt producere aliquid poſitiuum poſſint infinitæ carentiæ; etenim per multitudinem non habentium implicat venire virtus ad dandum; Ergo ſimiliter ens impotens ad exiſtendum à ſe, ſeu indigens extrinſeco cauſante quando eſt in numero finito, nec per proceſſum infinitum impotentium valebit à ſe exiſtere. Denique vti in numero finito debet dari cognitio quæ tandem non procedat à volitione, inſtrumentum quod vltimo non ſit ab alio inſtrumento: effectus, qui non conſeruetur ab alio effectu: actio quæ non ſit in aliam actionem vltimo, vti inquam hæc contingunt in numero finito, ita tollendæ huic imperfectioni vel conditioni naturali nil prodeſt proceſſus in infinitum: neque enim verbi gratia quia volitiones præcedant cognitionem ſine fine ideo voluntas ſe mouebit ſine cognitione præuia quod neceſſario dicendum foret ſi quæcumque cognitio à volitione procederet. Item quantumuis impulſus multiplicetur in infinitum non ideo vnus lapis verbi gratia impelletur ab alio ſurſum, & iſte ab alio, quin detur primum mouens, & principium impulſus Ergo, *&c.*

37 Ad inſtantias, & argumenta, quæ obieci in §.33. ſatis ex profeſſo ſatisfactum eſt diſp.13.ſect.3. ideo in præſenti lectorem remitto ad ſect.3. diſputationis citatæ.

38 *An demonſtretur ratione contingentiæ rerum? Affirmo cum S. Thom. Scotus. Durand.*

Dub. quintò An ſufficienter demonſtretur Deum eſſe ex via contingentiæ. Hac via vſus eſt S.Thom. in hoc art. Item Scotus in metr. de primo principio cap.3. concluſ.1. Durand. in 1. diſtinct. 3. quæſt.1. cuius ego non memini in meis diſputationibus, cum omnino ſufficiens, & euidentiſſima ſit demonſtratio propoſita dub. præced. nihilominus hanc viam contingentiæ ſic in præſenti explico, & ſufficientem exiſtimo; vt Dei exiſtentia demonſtrata cenſeatur. Non exiſtunt de facto omnia entia poſſibilia, ſed plura non ſunt, quæ exiſtere poſſunt. Sicque hæc, quæ de facto ſunt in rerum natura contingenter exiſtunt. Ergo datur aliquod ens incauſatum è cuius voluntate pendeat, quod poſſibilia aliqua nondum exiſtant; alia vero, quæ de facto dantur exiſtant. Antecedens probatur, nam quo fundamento dicetur implicare contradictionem cælum magis vel minus extenſum, magis vel minus lucidum, *&c.* Homines acriores ingenij, ſolem in alio ſitu vel tantillum minori celeritate moueri. Iam conſequentia ſuadetur ſiquidem non eſſet cur illa entia non pullulauerint æquè primo ac iſta quæ de facto dantur niſi quia ab aliquo potente producere illa retardarentur? Rurſus vt hæc præ illis extiterint opus eſt recurrere ad aliquem vtrorumque Authorem, & conſequenter incauſatum. Hac ratione exiſtimo formandam demonſtrationem de exiſtentia Dei via contingentiæ vt diſtinguatur aliquo pacto à demonſtratione ſuperiori ex via efficientiæ; alioqui ſi formetur demonſtratio ex eo quod in contingentibus non poſſit dari proceſſus in infinitum; ſed neceſſario deueniendum ſit ad vnum æternum, & omnino Neceſſarium, quod cæterorum contingentiam determinet, traducatque de non eſſe ad eſſe, eo quod omne id quod eſt de ſe indifferens ad eſſe, & non eſſe, cum de ſe non habeat *eſſe* opus ſit quod tale eſſe ab alio participet; ſi inquam ſic formetur demonſtratio in nullo differet vt vim habeat à via efficientiæ poſita in dubio præcedenti.

Audi in hoc argumentum S. Edmundum Cantuarienſem Epiſcopum in ſpeculo Eccleſiæ cap. 27. *Quilibet homo benè poteſt videre in ſe. quod ipſe eſt, quod habet eſſe, & quod non ſemper fuit, & ex hoc benè ſcit quod initium aliquando habuit. Tunc ſequitur quod aliud tempus erat in quo ipſe non fuit. Sed quando non fuit tunc nullo modo ſe ipſum facere potuit. Hoc enim vides homo in omni creatura Nam qualibet die vides aliquas creaturas tranſire, & aliquas venire; & quia omnes res ſunt, & à ſeipſis non ſunt. Ideo oportet neceſſariò quod vna res ſit qua dat omnibus eſſe; hoc eſt à qua omnia ſunt. Et ex hoc conuincitur neceſſario quod ille per quem omnia ſunt eſt ſine principio, quia ſi haberet principium oportet quod haberet ex alio.* Idem argumentum latè proſequitur Ricardus Victorinus lib. 1. de Trinit. cap.6. & ſequentibus. 39 S Edmund. Richard. Victorinus.

40 *An ratione eminentiæ? Affirmant* S. Thom. Magiſter. S Bonauent. Ægid. Durand. Scotus. Abulen. S. Anſelm.

Dub. ſextò An Deum eſſe demonſtretur ex via eminentiæ: hæc eſt quarta via Diui Thom. qua vtitur ad demonſtrandam exiſtentiam Dei in hoc art. eadem vtitur Magiſter in 1. diſtinct. 3. Vbi S. Bonauent. ratione 3. Ægidius quæſt. 3. Dur. quæſt. 1. Scotus diſtinct. 2. quæſt. 2. & metr. de primo principio cap.3. concluſ. 21. Abulenſis in cap.5. Mathæi. Item Anſelmus in Monologio cap. 1. & ſequentibus maximè autem cap. 14. in hunc modum concludens; *Cum naturarum aliæ aliis ſint meliores, nihilominus perſuadet ratio, aliquam in eis ſic ſupereminere, vt non habeat ſe ſuperiorem. Si enim huius graduum diſtinctio ſic eſt infinita, vt nullus ſit ibi gradus ſuperior quo ſuperior alius non inueniatur, ad hoc ratio deducitur, vt ipſarum multitudo naturarum nullo fine claudatur. Hoc autem nemo non putat abſurdum niſi qui nimis eſt abſurdus. Eſt igitur ex neceſſitate aliqua natura, quæ ſic eſt alicui vel aliquibus ſuperior vt nulla ſit cui ordinetur inferior.* Hæc via demonſtrandi ſic ſcholaſtice formatur. Datur in entibus bonum, & melius, ergo datur optimum, nam ſicut magis, & minus menſuratur à maximo ita bonum, & melius ab optimo; melius ab optimo; melius enim dicitur quod appropinquat ad optimum. Optimum autem ens eſt Deus.

41 *Quomodo formandæ?*

Hæc tamen via vt ſic explicata non ſatis demonſtratiua eſt, vt oſtendit Aureolus in 1. diſtinct. 3. benè enim poteſt aliquod ens eſſe optimum, quin ſit cæterorum cauſa, & principium vt albedo eſt color optimus: item qui diceret nullum aliud ens dari niſi hoc vniuerſum viſibile, homo eſſet ens optimum, nec tamen ideo eſſet Deus, cum non foret cæterorum principium. Igitur vt via iſta concludat coniungenda eſt cum via efficientiæ de qua dubio 2. Sic: poſſibiles ſunt præter exiſtentes aliæ creaturæ perfectiores, & perfectiores ſine fine: Ergo datur aliquod principium à quo poſſint produci, & conſequenter in quo eminenter inueniatur earum omnium perfectio. Antecedens patet ex dictis §.38. conſequentia probatur quia tales ſpecies non ſunt producibiles ex ſeipſis; cum nihil eſſe poſſit cauſa ſui ipſius: neque ab ſpeciebus imperfectioribus, quæ de facto ſunt: cauſa enim non eſt inferior effectu. Secundo idem conſtat ex dictis diſputatione 13. ſect.5.

42 *An ex vniuerſi gubernatione?* Dub. ſeptimò An Deum eſſe demonſtretur ſufficienter ex gubernatione rerum, hac via quinto loco vtitur S. Thom. in pręſenti, & primò contra Gentes cap. 13. quam viam etiam ego attigi diſp. 13. cit. num. 33. & ſequenti; quæ demonſtrandi via vt omnino metaphyſicè concludat iuuari debet ex dictis dub. 2. Quidquid enim ſit de perfectiſſima rerum gubernatione, ſi ſecludas indigentiam rerum vt ab alio primo cauſentur poſſet proteruè Atheus reſpondere à ſeipſis omnes res ſic naturaliter cum hoc ordine diſpoſitas exiſtere. Non nego tamen intellectum ingenuum ſatis conuictum iri ipſo conſpectu gubernationis vniuerſi maximè cæleſtis, in quo vt notat Theodoretus *nictationes ſcintillantium ſyderum nutus quidam ſunt teſtantium* Deum eſſe vnde Mercurius in Pymandro *aduerte*, inquit, *mundi, & ordinis eius ornatum: aduerte prouidentiam ex iis agnoſces percipieſque Deum.* Lege Chryſoſtom. in Pſal. 13. vbi pluribus exemplis hoc proſequitur, ſed maximè iſta notanda. *Dixit*, inquit, *inſipiens non eſt Deus Non eſt fundamentum: & quomodo ſtat ædificium? Non eſt ædificator: & quomodo domus facta eſt? Non eſt architectus; & vrbem condidit? Non eſt muſicus: & quomodo in mundi lyra apparet concentus? Non eſt auriga: & quomodo elementorum quatuor currus agitur? Non eſt aurifex: & quis veluti diſcum aureum in menſa ſolem in cælo poſuit? Non eſt qui ferat lampadem: & quis tibi veluti lampadem argenteam dedit lunam in nocte? Non eſt qui faciat ſolus magna lumina: & quis accenſos lychnos tibi in cælo poſuit? Si non eſt Deus quid facis in iis quæ Dei ſunt? In domo Dei manes; & domum Dei inficiaris?*

43 *An ex ratione morali? Maxime conuincitur.* Dub. octauò An demonſtretur exiſtentia Dei ex ratione morali. Pluribus formatur à Patre Leſſio toto lib. de prouidentia Numinis, à Theodoro Smiſingo tract. 1. diſp. 1. q. 6. à n. 98. mihi præ omnibus ad homines contra Atheiſtas, & Politicos iſte prudens diſcurſus patentiſſimus eſt vt tantum non manibus attrectetur. Non poteſt eſſe falſa ea perſuaſio, quæ conuenientiſſima eſt bonæ gubernationi reipublicæ, morum honeſtati, & exequendis iis quæ prima rationis ſyntheréſis facienda dictat omnino neceſſaria: Sed talis eſt perſuaſio de exiſtentia Dei. Ergo non poteſt eſſe falſa, & conſequenter eſt veriſſima. Conſequentia patet. Maior etiam eſt per ſe nota quid enim abſurdius, quam bonum rationis falſo inniti, indigereque mendacio, ac turpiſſimo errore illud ad quod recta ratio inclinat, ac denique ſine ſumma falſitate, & dementia non poſſe rationalem rempublicam conſeruari; è contra autem ſummam ſapientiam, & veram de Deo perſuaſionem qua Atheiſtæ putant Deum non eſſe ad omne flagitium viam aperire, eamque virtuti obſtruere. Minor ipſis Politicis eſt decantatiſſima, & experientia in eiſdem ſatis docet quod enim eſſet frænum mortalibus ne irent effrænes in occulta crimina? Si poſſent dicere nemo nos videt. Præterea huic demonſtrationi maximè fauet auctoritas, & conſenſus ſapientum vt enim ait Seneca epiſt. 118. *Multum dare ſolemus præſumptioni omnium hominum, magnumque eſt apud nos veritatis argumentum aliquid ab omnibus videri* ideo ſit ſequens dubitatio.

44 *An ex conſenſu totius humani generis? Negarunt Deum,* Dub. nono An Deum eſſe demonſtretur ex conſenſu totius humani generis. Ratio negandi deſumitur ex aliquibus antiquis, qui Deum eſſe negarunt teſte Lactantio lib. de ira Dei cap. 9. *de Diagora eſt apertè promulgata ſententia, Diagora* (inquit Athanaſ. oratione pro Chriſtian.) *Nullum planè ſtare Deum*: inter Atheos, etiam numeratur Bion teſte Laertio libro 4. Doletus teſte Prateolo verſ. Athei. Plinius lib. 2. cap. 1. Lucretius lib. 5. de Selio ita Martialis: *Nullos eſſe Deos inane cælum affirmat Selius.* Populos integros addit ex Theophraſto Porphyrius lib. 2. de abſtinentia. *Callaicis* inquit Strabo cap. 3. Geogra. *Deum nullum eſſe quidam aiunt.* De inſulis Braſiliæ idem refert Mol. Imo hæretici noſtri temporis maximè politici cum ſuo Macchiauello omnes in Atheiſmum eunt teſte Leſſio cap. 2. de prouidentia. Angliam non tam circumfuſo occeano, quam infuſo per hæreſim atheiſmo fluctuantem deſcribit Andreas Philopater. Idem de Polonia reſtatur Reſcius lib. de atheiſmis cap. 9. apud quem cap. 6. ipſe Molinæus impius hæreſiarcha facit Calbin Atheorum Principem, & teſte Bouerio tom. 1. demonſtratione 1. artic. 2. liber editus eſt Cracouiæ inſcriptus *Simonis* religio ita rem totam concludens: *ede, bibe, lude: iam Deus figmentum eſt.* Diagoras. Bion. Doletus. Plini. Lucret. Selius. Populi. Call. Aut. Braſil. Noui Hær. Angiicani Poloni. Caluinus. Simon.

45 *Simpliciter omnes Populi in Dei exiſtentiam conſentiunt* Nihilominus contrarium omnino ſtatuendum eſt, dicendumque ſimpliciter omnes populos in hanc veritatem conſentire. *Quales ſint dij varium eſt* (inquit Tull. lib. 2. de natura Deorum) *eſſe nemo negat.* Plutarchus lib. contra Colotem cap. 18. *Peregrinantibus*, inquit, *multa occurrunt ſine inanibus vrbes, nunquam tamen extat vrbs, aut oppidum, quibus nullus ſit Deus talis vrbs à nemine vnquam viſa, nec videri poteſt, potiuſque conſpicienda ſine ſole vrbs, quam ſine Deo. Vnde Tul.* lib. 2. de natura Deorum, *de Deo*, inquit, *qui dubitat haud ſane intelligo, cur non, idem ſol ſit, an nullus ſit dubitare poſſit* ideo iure Pſal. 18. *Deus in ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Item maximus Tyrius Philoſophus Platonicus in prima diſſertatione ait mortales omnes tum Politicos tum Barbaros, etſi in pleriſque diſſideant, quæ ad mores, & inſtituta pertinent, atque etiam in Deorum formis, & appellationibus, eorumque cultu; tamen *vnam eos habere per vniuerſum terrarum orbem conſenſu omnium conſtitutam legem, ac rationem; vnum eſſe Deum Regem omnium apparentem.* Idem late dixit ſimplicius in cap. 38. Eſchir. *Omnes*, inquit, *homines tam Barbari, quam Græci tum infinito ſuperiori tempore, tum nunc alij aliis rationibus Deum eſſe cenſent.* Vnde hæc conficitur demonſtratio quidquid omni intellectui repræſentatur vt verum, firmiſſimè vt verum tenendum eſt. Sed Deum eſſe omnibus repræſentatur vt verum. Ergo vt verum firmiſſimè tenendum eſt. Conſequentia patet. Minor conſtat ex nuper dictis. Maiorem monſtrauit Seneca citatus §. 43. fine, item Nemeſius cap. 44. de homine *in repentinis*, inquit, *& timoribus ſine electione antequam aliquid conſideremus Dei nomen innocamus; quidquid autem naturaliter quamque rem inſequitur, in eo tanta vis eſt ad demonſtrationem vt contradici non poſſit.* Idem adnotat Tertul. in Apolog. cap. 12. confirmaturque, quia non aliunde certi ſumus de primis principiis verbi gratia, *quodlibet eſt vel non eſt*, niſi quia eius termini apprehenduntur apud omnes vt per ſe notæ. Tullius. Plutarc. Max. Tyr. Simplicius. Seneca. Tertull.

46 Ad Authores oppoſitos in §. 34. reſpondeo cum Auguſtino ſerm. de verbis Domini *pauci* inquit *inueniuntur tantæ impietatis, vt impleatur in eis quod ſcriptum eſt, dixit ſtultus in corde ſuo: non eſt Deus. Inſania iſta paucorum eſt ſicut enim magna pietas paucorum eſt, ita & magna impietas nihilominus paucorum eſt.* Pauci autem, & inſipientes pro nihilo, & pro nullis habendi benè Anſel. in Proſologio cap. 3. *Dixit*, inquit, *inſipiens non eſt Deus; ideo dixit quia ſtultus*

ſtultus, & inſipiens. Imo vt iterum Auguſt. in Pſal. 13 dixit. *In corde ſuo, quia nemo hoc audet dicere, etiamſi auſus ſit cogitare.* Ergo nullatenus cenſenda eſt infirmata demonſtratio ob dictum aliquorum inſipientium, ſtultorum, vitiis, & paſſionibus ſtupentium, & forte in excuſationem enormium criminum, vitæque deperditiſſimæ verbis negantium verum Deum, quem prius factis ipſis inficiabantur fatente ipſis inuitis interno naturalis rationis lumine ſine Numine eſſe non poſſe. Nullatenus inquam infirmatur demonſtratio quam tot, & tanti teſtes confirmant pulchre Chryſoſt. in Pſal. 13. *Quomodo* inquit, *omnis lingua Deum nominat? Falluntur ergo omnes hominum myriades, quæ Deum eſſe dicunt: & ſolus inſipiens reputat verum dicere qui ſolus ita mentitur? & quicumque quidem vel ſeptem teſtimonia vult in teſtamentis auertere per conſenſum reprobatur, & reiicitur: publicam autem mundi linguam ſolum inſipiens vult euertere.*

Pulchra verba Chryſ.

47 Dubit. decimo Quomodo poſſit fide diuina credi exiſtentia Dei S. Thom. art. 2. huius quæſtionis ad primum ait: *Deum eſſe, & alia huiuſmodi, quæ per rationem naturalem nota poſſunt eſſe de Deo vt dicitur Rom. 1. non ſunt articuli fidei ſed præambula ad articulos. Sic enim fides præſupponit cognitionem naturalem ſicut gratia naturam.* Quo autem ſenſu hæc intelligenda ſint explicui diſp. 13. ſect. 6. modo autem in huius rei maiorem explicationem ſequentia notanda ſunt.

Quomodo poſſit fide diuina exiſtentia Dei, credi:

Quæſtionem hic non eſſe quo pacto queat fides operari circa exiſtentiam Dei euidenter cognitam, cum aliunde fides ſit de non ſcitis; de hac enim difficultate agam ad 2. 2. quæſt. 1. art. 5. Examinans oppoſitionem fidei cum ſcientia. Rurſus non eſſe hic quæſtionem de aliquo actu ſecundo Fidei, etenim, qui alias ſciat Deum loqui ſummè veraciter facile imo neceſſario aſſentietur eidem teſtificanti ſuam exiſtentiam, nam tunc formaliter aut virtualiter has præmiſſas admittit intellectus *quidquid Deus dicit ita eſt*: item: *dicit ſe exiſtere*: Ex quibus intellectus cogitur vt dicat: *Ergo Deus exiſtit*; qui aſſenſus Fidei eſt infuſæ, & ex motiuo Fidei infuſæ ducitur. Quæſtio ergo eſt quo pacto poſſit quis primo cognoſcere ex motiuo Fidei exiſtentiam Dei ductus ſcilicet præciſè ex dicto, & reuelatione ipſius Dei, ſeu quia Deus dicit, nam cum *dicere* non ſit niſi perſonæ exiſtentis cognoſcetur hic idem per idem, & motiuum non erit clarius, imo erit obſcurius obiecto credito: à fortiori enim negabit Deum loqui qui negauerit Deum eſſe: Ergo quandoquidem motiuum debet eſſe diſtinctum, & clarius quam veritas obiecti materialis non poterit intellectus aſſentiri exiſtentiæ Dei ob motiuum Fidei, ſeu quia Deus dicit: ne circulum committat, & cognoſcat ignotum per ignotius.

Senſus quæſtionis.

48 Propter hanc rationem: prima ſententia aſſerit exiſtentiam Dei primo non attingi per fidem ſed præſupponi ad fidem præcognitam iam per naturale lumen, ſicut exiſtentia loquentis non creditur per fidem humanam. Ita Altiſiodorenſis, & alij apud Lugo infra. Sed contra quia fides infuſa reſolui debet in fundamentum firmius, quam ſit naturale lumen, fides autem infuſa reſoluitur in exiſtentiam Dei ſiquidem ex ſupra dictis Dei exiſtentia includitur ſaltem implicitè in motiuo fidei nempe in eo quod Deus ſit reuelans. Secunda ſententia ait attingi quidem per fidem, ſed non vt rem creditam propter reuelationem ſed vt rationem credendi, & propter ſe; nam cum myſteria fidei credantur propter reuelationem opus eſt vt ipſa reuelatio cognoſcatur propter ſe vt primum principium, & conſequenter exiſtentia Dei, quæ in reuelatione includitur ita Lugo Card. diſput. 1. de fide à §. 82. Petrus Hurt. diſput. 7. à §. 90. Sed contra quia fides nullum aſſenſum elicere poteſt niſi ex proprio motiuo: motiuum autem fidei eſt quia Deus reuelauit vt patet in fide humana. Ideo Tertia ſententia ait benè poſſe credi exiſtentiam Dei ob teſtimonium eiuſdem, vti homo latens ſub teſtimonio ſe prodit, & ſignat ſe eſſe. Sic Ioann. 4. Chriſtus Dominus dixit diſcipulis dubitantibus: *Ego ſum* Tobiæ 12. Raphaël ſua teſtificatione perſuaſit ſe eſſe Angelum ita cenſent Suarez diſputat. 3. de fide ſect. 6. Martinon hic 1. part. diſput. 2. Sed contra quia in his non operatur pura teſtimonij auctoritas vt requirit fides, ſed vel connexio naturalis inter vocem auditam, & prolatorem, vel aliquid ſimile.

49 Quæſtio hæc tangit difficultatem de reſolutione fidei, ſeu quod ſit primum motiuum, & ratio in quam reſoluitur aſſenſus fidei, dum credit Deum loqui in qua loqutione, vt dixi imbibitur quod Deus exiſtat, quare ex tractandis fuſius in materia de fide; modo breuiter dico exiſtentiam Dei poſſe primo ita proponi vt primus aſſenſus de illa ſit vt in veritatem reuelatam, ſeu quia ipſe Deus dicit, & reuelat. Imo non aliter purus aſſenſus de exiſtentia Dei vel de eius reuelatione erit aſſenſus fidei infuſæ. Quæ concluſio bipartita eſt. Prima pars nempe *poſſe exiſtentiam Dei ſic primo cognoſci vt reuelatam* probatur; nam fidelis ruſticus non aliunde habet notitiam de Deo, niſi quatenus audit à Parocho Deum id dicere cui veritati non credit quia Parochus id proponit, alias ruſticus non haberet fidem diuinam, ſed humanam, nec item credit quia ipſe ruſticus vel infans per diſcurſum naturalem notitiam acquiſierit; hæc enim notitia adultorum eſt, & ſapientium; Ergo reſtat vt ruſticus credat exiſtentiam Dei ob motiuum quod ipſi à Parocho proponitur, quia ſcilicet Deus qui nec fallere, nec falli poteſt id dicit. Secunda pars nempè non fore aſſenſum fidei eum, qui purè & ſeorſim tendit ad exiſtentiam Dei, vel etiam ad exiſtentiam reuelationis propter ſe, & non propter reflexam teſtificationem de ipſa probatur ex fide humana ad quam licèt pertineat credere res dicta non tamen eſt actus fidei, qui aſſentitur ipſius dicti, & teſtificationis exiſtentiæ ſpecialiter autem ſuadetur in diuina, & Theologia fide, nam aſſenſus, qui ſolum fertur in reuelationem, ſeu teſtificationem Dei nobis notificatam, cum hæc purè creata ſit nihil diuinum talis aſſenſus attingit. Præterea certitudo fidei infuſæ talis eſt, vt ſi aſſenſus fidei falſus foret Deus arqueretur mendax, vnde qui tali aſſenſui contradicit mendacem facit Deum. At ſi aſſenſus fidei purè feratur in exiſtentiam Dei, aut reuelationis, eius contradictio vel falſitas non argueret fallaciam, & mendacium in Deo, ex eo namque quod Deus per impoſſibile non exiſteret, vel nihil reuelaſſet neutiquam mendax foret vt per ſe patet ergo, &c.

Exiſtentia Dei primo attingitur per fidem vt reuelata.

50 Iam vero vt appareat quo pacto poſſet quis primo duci ad aſſentiendum Deum eſſe, & loqui, *quia ipſe Deus id dicit* ſic exiſtimo fidem Theologicam, & infuſam procedere. In primis rationis naturalis lumen dictat: *Quod mihi proponitur ab Eccleſia verum eſt*, item: *Mihi proponitur ab Eccleſia Deum loqui.* Ex quibus veritatibus licèt naturalibus, actu-

Explicatur reſolutio fidei.

que

que naturali propoſitis ſatis determinatus eſt intellectus noſter vt aſſentiatur : *exiſtit Dei loquutio ſeu reuelatio*: Quia ſenſus ſi intrinſece reflectat ſupra auctoritatem humanam eccleſiæ non erit fidei infuſæ, ſi autem ſolum intrinſecè ſiſtat aſſentiendo præciſè reuelationem illam eſſe diuinam, quin intrinſecè aliud attingat quam dictum diuinum iam aſſenſus poterit eſſe fidei infuſæ. Nec refert quod in illis terminis obiectis : *Exiſtit reuelatio diuina* : Intrinſecè nil veritatis, & ſuadibilitatis appareat (quoad apparentiam namque, æquè obſcuræ ſunt iſtæ, ac illæ: *ſtellæ ſunt pares* :) non inquam obſtat nam licèt termini obſcuri nequeant ſe ſolis terminare, & extorquere aſſenſum ab intellectu, ſi alij termini clariores inclinantes ad ipſos non præcedant, ſecus quando præcedunt quantumuis hi termini præeuntes non terminent intrinſecè aſſenſum poſteriorem etenim intellectus non requirit veritatem ſuadibilem pro quolibet ſuo aſſenſu, ſed ſolum pro illo qui valeat per ſe ſolus ſubſiſtere vt patet in aſſenſu circa concluſionem, quæ per ſe concluſio ſit eſſentialiter pendens à præmiſſis, qui aſſenſus ſiquidem non attingit intrinſece præmiſſas, conſequenter, nec attinget intrinſecè motiuum ſuadibile vt in logica dixi. Hoc rurſus apparet in iudicio ſi non ſit ſimplex qualitas, cuius vna pars verbi gratia, quando iudico ; *ſtellæ ſunt pares quia Angelus dicit* ly. *ſtellæ ſunt pares* ; ſi ſeorſim accipiatur veritatem ſuadibilem non continet, niſi ex luce, & conſortio alterius partis *Angelus dicit*; Ergo ſicut hic intellectus poteſt elicere aliquam partem actûs in veritatem obſcuram, dum illuminetur per aliam compartem, ita in noſtro caſu dum illuminetur, & per ſe pendeat purè extrinſecè à præuia propoſitione Eccleſiæ vt à conditione per ſe de quo plura ad tract. de fide. Ergo cum aſſenſus fidei per ſe pendeat à propoſitione Eccleſiæ, quin valeat ſolus perſiſtere benè poterit intrinſecè attingere præciſè hos terminos, *exiſtit reuelatio Dei*, quantumuis ipſi obſcuri ſint.

51 Ex quo ſimiliter cum Eccleſia proponat per Parrochum hic, & nunc Dei reuelationem, non vtcumque, ſed vt teſtificantem reflexè ſe exiſtere (hoc enim eſt diſcrimen inter exiſtentiam reuelationis, & aliorum myſteriorum, quod illa reflexè de ſeipſa loquatur, vnde ita proponitur exiſtens vt ſimul proponatur reflexè teſtificans ſuam exiſtentiam) vti propoſitio Eccleſiæ ſuadet, & determinat intellectum vt fide diuina credat : *Deus dicit*: ita determinat vt credat *Deus dicit ſe dicere*. Et ideo verum eſſe id quod Deus dicit, quia ipſe Deus dicit *ſe dicere* vnde tandem fier, vt fides infuſa aſſentiatur Deum exiſtere, & loqui non ſolum vt motiuum, & rationem credendi, ſed vt rem reuelatam, & credendam, neque enim eſt cur minoris efficaciæ ſint motiua extrinſeca, ſeu propoſitio Eccleſiæ vt attingantur termini obſcuri propter ſe dicendo *exiſtit reuelatio diuina*, quam vt attingantur ſimul vt ratio intrinſeca motiua ſic : *Exiſtit reuelatio diuina quia ipſa teſtificatur ſe exiſtere.*

52 Quod aliter contingit in aliis myſteriis à teſtificatione diſtinctis, vel etiam in ipſa reuelatione, ſi poneremus quod Deus nil reuelaſſet de ſua reuelatione reflexè vel loquamur de aſſenſu fidei qui directe fertur in myſterium, verbi gratia, in incarnationem quia Deus eam reuelauit, qui aſſenſus ita tangit reuelationem vt puram rationem credendi vt non attingat vt rem creditam quaſi dicat : *Deus incarnauit, quia ipſe dixit, & reuelauit ſe id dicere*: etenim ita aſſenſus iſte hanc veritatem reſpicit vt per accidens ipſi ſit, quod Deus alias diſtinctas à myſterio incarnationis reuelauerit ; Ergo & quod reuelauerit ſuæ reuelationis exiſtentiam, & conſequenter hæc in hoc caſu ſolum attingetur vt pura ratio credendi. Vnde non volo per actum fidei non poſſe attingi reuelationem vel exiſtentiam Dei, quin reflexè attingatur vt reuelata : Cæterum ſentio non fore actum fidei, qui præciſè in exiſtentiam Dei vel reuelationis ſic immediatè ferretur, ſed opus eſſe vt vlterius progrediatur fides ad myſterium reuelatum vt patet in fide humana, cuius aſſenſus licèt vltimo reſoluatur in exiſtentiam teſtificationis propter ſe attactam, cæterum ſi in illa ſiſtat, nec vlterius credat rem dictam propter tale teſtimonium, iam aſſenſus iſte ab humana fide non elicietur ; alias quilibet aſſenſus de exiſtentia vel locutione teſtificantis eliceretur à fide humana. Perfectio tamen fidei diuinæ præ humana expoſcit quod aſſenſus infuſus reſoluatur in ipſam reuelationem vltimo, quin hæc cognoſcatur propter aliud vt in humanis contingit.

Ex quibus ad rationem dubitandi in §. 47. reſpondeo licet motiuum ſit æquè obſcurum, ac obiectum creditum, at præeunte luce extrinſeca propoſitionis Eccleſiæ, benè poteſt determinare intellectum vt iudicet Deum eſſe & loqui, quia ipſe Deus reflexe dicit ſe eſſe, & loqui, cui aſſenſui ſuadibilitatem præſtat Eccleſiæ propoſitio ; licèt per eiuſmodi aſſenſum fidei infuſæ non attingatur intrinſecè vti ſol etiam non viſus illuminat colorem, & reddit viſibilem, nec opus eſt motiuum aſſentiendi eſſe magis clarum, ſeu ſuadibilius ſemper niſi quando independet ab extrinſeca luce. 53

Dub. vndecimo & vltimo An ita ſit omnibus demonſtrabilis exiſtentia Dei vt nemo poſſit de ea habere ignorantiam inuincibilem de qua dubitatione latè egi dubit. 13. ſect. 7. per totam. 54 *An eius inuincibilis ignorantia poſſit dari?*

QVÆSTIO III.

De Dei ſimplicitate.

STATVTO ſemel de Deo. An ſit ; reſtat inquirendum quid ſit, vti in via nobis patere poteſt tam lumine fidei, quam naturalis rationis, quod præſtat S. Thomas ab hac quæſtione fere per omnes alias ſequentes in tota prima parte ſuæ ſummæ maxime vſque ad quæſtionem 46. licèt enim Angelicus Præceptor præmittat in principio huius quæſt. 3. de Deo non tam ſciri *quid ſit*, ſed *quid non* ſit ; ideoque non tam explicari ab ipſo quo modo ſit Deus, quam quomodo non ſit. In hac tamen explicatione, iam nobis innoteſcit vt datur in via quæ ſit quidditas Dei ; ſeu quid ſit ipſe Deus. De quo ego egi latiſſimè in primo mearum diſputationum tractatu ad diſputatione 14. Vſque ad 18. incluſiuè, maxime autem diſputatione 17. in qua expono quod ſit formale Dei conſtitutiuum ? 1

ARTI

ARTICVLVS I.

Vtrùm Deus ſit Corpus.

2 DE hac difficultate agit S. Thomas 1. contra Gent.cap.26.& lib.2. cap.3.& lib.4. cap.11.& opuſc.3. cap.16.& 17. In præſenti autem articulo ideo probat Deum non eſſe corpus eo quod ſit Primum mouens immotum. Secundo Primum ens. Tertio Nobiliſſimum omnium, impoſſibile autem eſt aliquid horum corpori conuenire.

3 *An Deus ſit corpus? Affirmarant* Anaximen. Anaxag. Pithagor. Stoici. Epicurei. Antropomorph. Tertull. Hilarius *Explicatur.*

Dubit. primò circa veritatem præſentis articuli, quam plures negarũt, vt de Anaximene ait Tullius quinto de natura Deorum de Anaxagora Ariſ. 4. Phyſ. tex.57. de Pithagora Auguſtinus epiſt.56. de Stoicis origenes lib.1.contra Celſum de Epiſcureis Sixtus Empiricus lib.5. Pyrron cap.24. Negarunt etiam Hæretici Anothropomorphitæ ſiue Audiani vt refert Caſſianus collatione 10. cap. 2. Auguſt. libr. de Hæreſib.num.50. Item Tertullianus vt refert Auguſtin.lib.10.de Geneſi ad litteram cap.25. Imo Hilarius vt refert Claudianus Mamertus lib.3. de ſtatu animarum iuxta dictum Hilarij can. 5. in Matth. *Nihil eſt; quod non in ſubſtantia ſua, & creatione corporeum ſit; nam, & animarum ſpecies, ſiue obtinentium corpora, ſiue corporibus exulantium, corpoream tamen naturæ ſuæ ſubſtantiam ſortiuntur.* Ex quibus ſimiliter ſubſtantia Dei dici valebit corporea.

4 Sed vt ab Hilario incipiam nomen *corpus* in alia acceptione vſurpat quam nos, numerandus enim eſt cum his de quibus Auguſtinus lib.10. de Geneſi ad litteram *timent de Deo credere quod corpus non ſit, quia timent Deum credere nihil eſſe.* Audi item eundem Auguſtinum apud P. Dionyſium Petauium tom.1. de Theologicis dogmaticis cap.1. num. 15. *Incorpoream quoque eſſe animam, etſi difficile tardioribus perſuaderi poteſt, mihi tamen fateor eſſe perſuaſum. Sed ne verbi controuerſiam vel ſuperfluo faciam, vel merito patiar, quoniam cum de re conſtat non eſt opus certare de nomine; ſi corpus eſt omnis ſubſtantia, vel eſſentia; vel ſi quid aptius nuncupatur, id quod aliquo modo eſt in ſeipſo: corpus eſt anima. Item ſi eam ſolam incorpoream placet appellare naturam, quæ ſummè incommunicabilis, & vbique tota eſt, corpus eſt anima: quoniam tale aliquid ipſa non eſt. Porro ſi corpus non eſt niſi quod per loci ſpatium aliqua longitudine, latitudine, ita ſiſtitur vel mouetur vt maiore ſui parte maiorem locum occupet. & breuiore, breuiorem, minuſque ſit in parte quam in toto, non eſt corpus anima.* Ex quibus conſtat nullos Antiquos vel Sanctos Patres, imo nec ſapientes Philoſophos opponi poſſe contra veritatem huius articuli cum nomen *corporis*, tam varie vſurpari poſcit: ſic etiam Tertullianus lib. contra Praxeam cap.7. dixit: *Quis negabit Deum corpus eſſe, etſi ſpiritus eſt*, & ante illum Cicero lib. academicarum quæſtionum protulit quod, *Nullo corpore ſit, id intelligi quale ſit vix poſſe.* Iam de Hæreticis parum curandum; alij enim in intelligendis ſcripturis *Pueri* vt ait Auguſt. nimium *Simplices*, vt ait Theodoretus *Fatui* vt ait Origines occaſionem erroris ceperunt ex iis ſcripturæ locis, in quibus Deo humana membra tribuuntur Pſal. 33. *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum* vide P. Iulium Cæſarem Recupitum lib. 2. de eſſentia Dei quæſt.12.cap.1. num.1.verſ. *Secundum fundamentum ſumitur*; & vt tam citatum teſtimonium ſacræ ſcripturæ quam alia ſimilia rectè intelligas præ oculis habe regulam S.Gregorij Papæ Prol.in cantica: *Humanæ conuerſationis verba audientes, quaſi extra humanitatem eſſe debemus, ne ſi humaniter quæ audiuimus capiamus, nihil diuinitus de hoc ſentire poſſimus.*

In rei ipſa nullus Patrum fuit in hoc errore.

Probatur Deus non eſſe corpus.

Igitur omnino tenenda eſt vt veritas catholica Deum non eſſe corpus, nec vllo modo corporeum in proprio ſenſu huius vocis qua opponitur *corpus* ſpiritui, & rei immateriali. Patet id Ioann.4. *Spiritus eſt Deus* Corinth. 3. *Dominus autem ſpiritus* eſt; quæ verba de ſpiritu propriè tali, & corpori oppoſito intelliguntur ab Eccleſia ita manifeſte vt probatione non egeat. Ratio naturalis pro hac veritate facilis eſt, licèt non tam clarè conuincens, quam ſint demonſtrationes poſitæ in quæſt. præced. pro exiſtentia Dei. Prima deſumitur ex aliis attributis, Deus enim eſt intime præſens, & penetratus nobiſcum, totus in toto, & totus in qualibet parte, nullo ſenſu corporeo perceptibilis; hæc autem omnia conuenire nequeunt niſi ſpiritui, & quidem ſi quæſtio non ſit de voce nomine *ſpiritus* intelligimus penetrabilem ſubſtantiam, inuiſibilem, expertem trinæ dimenſionis, &c. Secunda ratio à priori deſumitur ex eo quod ad excellentiam Dei ſpectet eſſe ſupra corpus; tum quia perfectio intelligendi qualis requiritur in ſupremo Gubernatore non datur intra corpus, ſiquidem eo creſcit vis intelligendi quo immaterialitas creſcit, tum etiam quia perfectiora attributa conſequuntur ſpiritualitatem, quam corporeitatem. Tertia ratio eſt à poſteriori ex effectibus ſpiritualibus verbi gratia, ex ſpiritualitate Angeli, & animæ rationalis, nam opus eſt vt horum perfectio in prima cauſa contineatur.

Dubit. ſecundò An viuens ſit nobilius non viuente ex toto genere ita vt implicet aliqua ſubſtantia non viuens, quæ ſit æqualis perfectionis cum viuente. Ratio dubitandi deſumitur primo, quia quod eſt in genere perfectiori poteſt ex aliis circumſtantiis ita decreſcere, vt ſuperetur a re inferioris generis ſic in moralibus actus charitatis poteſt eſſe minus meritorius, quam actus aliquis heroicus fortitudinis, ſic etiam in Phyſicis res ſupernaturalis eſt imperfectior naturali verbi gratia accidens ſupernaturale collatum cum ſubſtantia ſupernaturali angelica. Secundo quia alias formica eſſet nobilior corpore cæleſti, quod communiter tenetur non viuere. Ob hæc argumenta negabit aliquis, nec fortè improbabiliter. 6

An viuens ſit nobilius non viuente toto genere?

Ego tamen ſub diſtinctione reſpondeo viuens ſenſitiuum ex toto genere eſſe perfectius non viuenti: ſecus viuens *vegetatiuum* pure. Ratio prioris eſt quia viuens ſenſitiuum eſt bonum propter ſe capaxque gaudij, & fælicitatis, licèt imperfectæ: hinc quoddam genus crudelitatis, imo peccati vt vult Leſſius lib.2. de Iuſtitia, & iure cap.9. num.2. eſt viuentibus ſenſitiuis directe nocere, vitamque adimere; nemo tamen ita deſipiet, vt cenſeat aliquid culpæ eſſe arborem ſuccidere, quo eius vegetandi vita deſtruitur. At illud bonum quod aliqua ratione eſt propter ſe, ſeu in ſe habet rationem boni nobilius eſt, quam id quod in ſe, ſeu ratione ſui bonum non eſt: rurſus bonum, cui ratione ſui debitum eſt aliquod quaſi obſequium, ſeu habet ius aliquod indemnitatis nobilius eſt omni alio ente nullius iuris, & dignitatis, cui obſequium tale præſtetur vt per ſe patet: Ergo viuens ſenſitiuum ex toto genere eſt perfectius non viuente. Secunda pars de viuente purè vegetatiuo probatur; 7

Omne viuens cognoſcitiuum eſt perfectius non viuente ſecus purè vegetatiuum.

tum quia in hoc non apparet tantus titulus excellentiæ eo quod ab intrinſeco creſcat, vt non poſſit compenſari per alias perfectiones verbi gratia quod ſit lucidum ab intrinſeco,incorruptibile, *&c.*

8 Hinc ad rationes dubitandi in §. 6. reſpondeo ſi intendant viuens ſenſitiuum non eſſe perfectius non viuente. Ad primum nullam excellentiam vel perfectionem poſſe inueniri in non cognoſcitiuo, ratione cuius æquale ſit cognoſcitiuo ſeu viuenti ſenſitiuo, nam vt dixi num. præced. non cognoſcitiuum non eſt ſibi bonum,ſed aliis cognoſcentibus, quare nec eſt æſtimabile per ſe ; & hinc licèt gratia ſanctificans aliis poſſidentibus melior ſit,quam brutum vel etiam Angelus, non tamen in ſe melior eſt ; quemadmodum bonum vtile non præſtat bono propter ſe, ſeu honeſto, & delectabili ; vnde ſimpliciter foret eligibilius eſſe brutum, quam eſſe gratiam ſanctificantem, licèt longè præſtabilius ſit hanc poſſidere quam illud. Ad ſecundum Caietanus in præſenti cenſet cælum eſſe corpus viuum ita verſ. *Ad hoc dicitur quod corpus* : Sed hoc omiſſo quod mihi nequaquam probatur de vita ſenſitiua, vt dicam in Philoſophia abſolutè cenſeo formicam eſſe nobiliorem cælo ob rationem dictam, & iuxta Ariſtotelem 16. de animalibus, quod randem fatetur ipſe Caietanus in fine huius articuli.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Deo ſit compoſitio formæ, & materiæ.

9 DE hac difficultate agit etiam S. Thom. 1. contra Gentes cap. 17. & 36. & opuſc. 3. cap. 9. in præſenti autem concludit in Deo non dari prædictam compoſitionem primo eo quod Deus ſit actus purus. Secundò quia eſt primum bonum. Tertio quia eſt primum agens ſimpliciter, vnde quod ſit pura forma per ſe ſubſiſtens independenter ab omni materia infertur. Articulus iſte ſupra præcedentem peculiarem addit difficultatem, nam vt ſentit Auicebron de quo plura dicam in materia de Angelis poſſibilis eſt ſubſtantia incorporea conſtans ex materia ſubſtantiali ſpirituali, ſeu conſtans ex ſubiecto ſpirituali, & forma,ideo vt materia etiam iſta à Deo excludatur.

10

Quibus rationibus demonſtretur Deum non componi ex vlla materia ? Deum eſſe Animam mundi putarunt. Thales mileſius varro. Plinius.

Dubitatur primo quibus rationibus demonſtretur in Deo non eſſe compoſitionem ex materia vlla, quantumuis incorporea, & ſpirituali. Compoſitionem hanc tribuerunt Deo Philoſophi aliqui fingentes Deum eſſe animam mundi, atque adeò mundum ipſum eum eiuſmodi ſua forma & animâ eſſe Deum ; ita Thales Mileſius apud Euſebium lib. 4. de Præparatione Euangelica cap. 16. Marcus varro apud, Auguſtinum 7. de Ciuitat. Dei cap. 6. Atque idem ſenſit Plinius lib. 1. naturalis hiſtoriæ cap. 1. Sed contra eſt Catholica fides definiens Deum eſſe omnino ſimplicem in cap. *firmiter* de ſum. Trin. & fide Cathol. Ratio item naturalis, quia materia, quæcumque ſit, ſummè imperfecta eſt, cum in ſe ſit pura potentia omnis perfectionis ſimpliciter talis excluſiua : Ergo manifeſtè dedecet Deum ſummè perfectum componi ex materia, quantumuis ipſi aliæ compoſitiones permitterentur. Confirmatur, quia materia eſt prior forma ; nequit autem eſſe prius quod imperfectius eſt, niſi virtute alicuius perfectioris, à quo habeat eſſe. Denique tam pro excludenda hac compoſitione, quam aliis imperfectis præ oculis habendum eſt generale principium pro excellentia Dei ne admittatur in ipſo, niſi id quo melius cogitari non poteſt,dum in tali cogitatione manifeſta implicatio non appareat hic autem vt quid perfectius cogitatur excluſio materiæ, & aliunde in hac cogitatione implicatio non apparet.

11

An ſit poſſibilis compoſitio ex materia ſpirituali ? Negat Suar. Vaſquez. Thomiſtæ.

Dubitatur ſecundò An poſſibilis ſit compoſitio ex materia ſpirituali Prima ſententia negat. Ita Suarez diſput. 13. ſect. 14. num. 14. Vaſquez prima parte quæſt. 50. ad art. 2. Vbi communiter Thomiſtæ cum S. Thoma. Mouentur, quia nomine *materia* intelligitur res quantitatiua,& corporea ; vnde res materialis vt ab ſpirituali diſtinguitur definitur per dependentiam à materia. Secunda ſententia affirmat ita plures qui de facto tuentur Angelos quantumuis ſpirituales omnino materia conſtare ita Alenſis 2. part. quæſt. 44. membr. 2. S. Bonauent. 2. diſtinct. 3. art. 1. quæſt. 1. & ſequentibus, Richardus 2. diſtinct. 3. art. 1. quæſt. 2. Aureolus ibi Auguſtinus lib. 1. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ cap. 1. ait : *Deum ex materia informi cunctarum rerum viſibilium, & inuiſibilium ſpecies multiformes diuiſiſſe* : Ita etiam 12. confeſ. cap. 10. & 11. Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 3. *Licet quædam creaturæ* (ait) *reſpectu noſtri materia vacare dicantur, tamen quidquid eſt aliud à Deo craſſum eſt, & materia conſtat.* Ita etiam inter Recentiores tenet Onna quæſtione 3. Phyſicorum in 2. part. articulo 6. Arriaga.

Affirmat. Alenſis. S. Bonauent. Ricard. Aureol. S. Auguſt. S. Damaſc. Onna. Arriaga.

Approbatur, & probatur.

Cui ſententiæ ego etiam ſubſcribo,quia nullum inuenio titulum repugnantiæ, ob quem potius in rebus corporalibus admitti poſſit ſubiectum ſubſtantiarum mutationum, & non poſſit etiam admitti in rebus purè ſpiritualibus, præcipuè cum conceptus ſpiritualitatis rectè ſtet quod ſpiritus ſe habeat per modum ſubiecti vt patet tum à poſteriori in Angelo, qui eſt ſubiectum accidentium ſpiritualium verbi gratia potentiarum vel actuum vitalium, tum etiam à priori quia *dependere rem vel non dependere à ſenſibili*, per quem conceptum ſatis explicatur ratio ſpiritualitatis per accidens ſe habet vt ſit ſubiectum ſubſtantiale. Vnde ad primam ſententiam negantem reſpondeo ad materialitatem non ſufficere dependentiam à materia vtcumque, niſi ſit à materia ſenſibili vt latius explicabo in tract. de Angelis ; quare ſi res dependeat à materia inſenſibili adhuc poterit eſſe ſpiritualis.

12

Potentia ſubſtantialis quæ nec ſit corporea neque incorporea.

Imo addo poſſe dari materiam, quæ ſecundum ſe nec ſit ſpiritualis,nec corporea, ſed talis cōditionis vt per actum vel formam condiſtinctam *corporalis* reddatur vel *ſpiritualis*. Huic cogitationi quā ſolum non improbabilem defendo ſtādo rationi ſatis fauent Authores citati §. antec. pro 2. ſententia, dum ſignificant de facto materiam corporalis, & ſpiritualis creaturæ eſſe eiuſdem ſpeciei, iuxta quos hæc materia ex ſe non eſt quantitatiua, ſed ad id determinatur iuxta exigentiam formæ vel corporeæ in ſe, vel dependentis quoad aliquas operationes à quantitate ; vnde dum fuerit materia ſub forma, quæ nullam habeat operationem dependentem à quantitate, materia etiam independens erit, iureque à forma *ſpiritualis* dicetur, ſicut è contra per formam corporeitatis iuxta Scotiſtas *corporea* redditur.

13

An poſſibile ſit corpus ex materia ſpirituali ? Non apparet impoſſibile.

Dub. 3. An è contra poſſibile ſit corpus quod non conſtet materia corporea, ſed ſpirituali; ſicut enim datur forma ſpiritualis informans materiam corpoream, cur è contra poſſibilis non erit aliqua forma corporea, quæ informet potentiam ſubſtantialem ſpiritualem præcipue cum talis potentia, ſeu materia

materia poſſibilis ſir vt dixi diſp.præced. Cogitatio ira non facile poteſt impugnari, licet, & ipſa, nec veritatis conuinci poſſit.

14 Dub. 4. An poſſibile ſit corpus materia carens tam ſpirituali, quam materiali, quod ſcilicet ſit purus actus completus, & ſimplex, ſeu expers compoſitionis ex materia, & forma; ſicut in eſſe ſpirituali datur actus completus expers ſubjecti ſubſtantialis, qualis eſt Angelus iuxta veram ſententiam: negat Hurt.diſp.1.de cælo ſequutus Suarezium, & alios. Mouetur quia tale corpus eſſet materiale, ergo conſtaret materia, & conſequenter potentia ſubſtantiali, nihilominus partem affirmantem amplector cum P. Arriaga diſp.5. Phyſicorum. Moueor tum à paritate ſpiritus completi ſimplicis; tum etiam quia nulli veniret in mentem compoſitio ex potentia ſubſtantiali, niſi daretur mutatio ſubſtantialis. Vnde vnicum argumentum probandi quod detur materia prima in rerum natura deſumitur ex tranſmutatione formarum ſubſtantiarum, ratione cuius cogimur admittere vnum ſubjectum commune ſubſtantiale, quod vocamus materiam primam: Ergo cum non ſit impoſſibile corpus incapax tranſmutationis ſubſtantialis, nec erit impoſſibile quod ſit ſimplex omnis materiæ ſubſtantialis expers; quale exiſtimant eſſe de facto corpus cæleſte Commentator. 1. de Cœlo comm. 20. Iandunus de ſubſtan. orb. q. 1. Zimara Theorem. 107. Thienis 1.Phyſic. q. 21. Durand. & Gabriel in 2.diſt. 12. vbi etiam D. Thom. in eandem ſententiam inclinauit q. 1. art. 1. Suar. 1. Met. diſp.13. ſect.10.num.8.

An poſſibile ſit corpus omnis materiæ expers.

Negat Suarez. Hurtad.

Affirmo cum Arriga.

Cōmentat. Iandun. Zimara. Thien. Durand. Gabriel. S. Thom.

ARTICVLVS III.

Vtrum ſit idem Deus quod ſua eſſentia vel natura?

15 DE hac difficultate agit S. Thom. 2. contra Gentes cap. 41. & 45. & opuſc. 3. cap. 10. in præſenti autem ex eo probat Deum idem eſſe quod ſua eſſentia vel natura, quia non eſt compoſitus ex materia, & forma de cuius rationis vi dub. 3. ſed prius circa difficultatem huius articuli.

16 Dub. 1. An in Deo diſtinguatur ſuppoſitum à natura hoc eſt an ſuppoſitum addat aliquid diſtinctum in Deo ab eius eſſentia vel natura ita vt aliud ſit id quod habet deitatem ab ipſa deitate; ſeu aliud ſit *Deus* in concreto à *deitate* in abſtracto; quæ omnia perinde ſunt ac ſi vno verbo quæratur an in Deo diſtinguatur ſubſiſtantia à natura; etenim ſubſiſtentia, & natura, ſeu complexum ex natura, & ſubſiſtentia eſt formaliſſimè *ſuppoſitum, concretum, Deus*, ſeu *Id quod habet deitatem*; vnde ſi ſubſiſtentia non diſtinguatur in Deo ab eius eſſentia vel natura iam Deus idem erit quod ſua eſſentia vel natura; de qua dubitatione quid ſentiendum ſit iuxta fidem tam de identitate huius abſtracti *Deitas*, quā de aliis omnibus diuinis attributis cū ſuis concretis plurima dixi, vt excluderem omnem diſtinctionem tam realem quam formalem ex natura rei, imo, & virtualem ex natura rei, ſeu virtualem intrinſecam, in tract. 2. mearum diſputationum diſp. 14. & 15. per 29. ſectiones ſtatuens diſput. 16. ſolam interuenire poſſe diſtinctionem rationis vt iterum notabo ad art. 7. Nunc autem ſpecialiter pro indiſtinctione Dei ab eius natura vel eſſentia notanda ſunt aliqua teſtimonia Patrum. Hilarius lib.8. de Trinitate multo poſt medium: *non humano*

An in Deo diſtinguatur ſuppoſitum à natura.

Senſus quæſtionis.

Neganda eſt diſtinctio hæc

Hilarius.

modo ex compoſitis Deus eſt, vt in eo aliud ſit, quod ab eo habetur, aliud ſit ipſe qui habeat; ſed totum quod eſt vita eſt, natura ſcilicet perfecta, & abſoluta & infinita. Auguſtinus 11. de Ciuitate cap. 10. *ideo ſimplex dicitur, quoniam quod habet hoc eſt; ſicut dicitur viuens habendo vitam, & eadem vita ipſe eſt. Propter hoc igitur natura dicitur ſimplex, cui non aliud ſit habens; aliud quod habet.* Proſper contra Collatorem cap.27. virtus Deus eſt *cui non aliud eſt habere virtutem, quam eſſe virtutem.* Cyrillus Alexan. lib. 1. Theſauri cap. 8. circa finem. *Non eſt aliud natura Dei aliud ipſe Deus, ſimplex enim atque incompoſitus eſt.* Bernardus lib. 5. de conſideratione paulo ante medium *Non eſt ergo in Deo, niſi Deus; quid (inquiunt) negas Deum habere diuinitatem? non: ſed quod habet hoc eſt.* Vnde ad præſens optima eſt doctrina Riccardi lib. 2. de Trinit. cap. 13. circa medium: *dicimus Deum ſapientiam habere, & videtur enunciatio æquiuoca eſſe, ſed de Deo non dicitur niſi abuſiue, nec minor abuſio videtur, quam ſi Abraham non ſi homo eſſe, ſed hominem habere diceretur.* Conſequenter etiam S. Anſel. in Monol. c. 15. circa medium *ſumma natura non propriè dicitur iuſta quia habet iuſtitiam; ſed exiſtit iuſtitia; cum dicitur iuſta propriè intelligitur exiſtens iuſtitia.* Præterea eſt etiam ratio ne id quod habet deitatem diſtinguatur à deitate habita, ſeu ne deitas diſtinguatur ab eo in quo eſt, quia vt arguit Bernardus ſectione 80. in cantica contra Gilbertum iam in Deo daretur aliquid quod eſſet inferius deitate ſiquidem nihil, quod realitèr deitas non eſt æqualis perfectionis eſt cū deitate. Confirmatur ſuppoſitum ſolum addit ſupra naturam quaſi fulcrúm quoddam, ſeu complementum naturæ; at deitas vtpote ſummè perfecta nullo indiget vlteriori complemento: ergo nec ſubſiſtentia diſtincta, ergo ſe ipſa ſubſiſtens, ergo conſequenter eſt idem cum ſuppoſito.

Auguſtin. Proſper. Cyrill. Alex. Bernard. Richard. Anſelm.

Dub. 2. An natura diuina ſecundū abſolutū quod dicit condiſtinctum à tribus ſubſiſtentiis relatiuis imbibat propriam ſubſiſtentiam communem, licet realiter identificatam tali cum natura. Sed de hac dubitatione late agam tom. ſequenti tract. de Trinit. vbi in Deo latè defendam nullam eſſe ſubſiſtentiam abſolutam, ſed tres tantum relatiuas interim vide P. Didacum Ruiz de Montoya diſp. 34. de Trinitate à ſect. 5. ſtatuentem noſtram concluſionem manifeſtè eſſe de mente Patrum. 17

An in Deo detur ſubſiſtentia abſoluta:

Dub. 3. An poſſibilis ſit ſubſtantia creata in qua ſuppoſitum ſit idem cum natura, ſeu quæ non addat ſubſiſtentiam realiter diſtinctam naturæ. Ratio affirmandi ſumitur ex D. Thom. hic aſſumente tanquam principium per ſe notum ſuppoſitum ſolum differre à natura in his quæ conſtant, ſeu componuntur ex materia, & forma. Tum ſic ſed poſſibilis eſt ſubſtantia creata expers compoſitionis ex materia, & forma ergo, & expers compoſitionis ex natura, & ſuppoſito. Secundo quia non eſt cur ſuperet conceptum creaturæ eſſe liberam ab hac compoſitione ex natura, & ſuppoſito, ſeu ſubſiſtentia, cum ab aliis compoſitionibus poſſit eſſe immunis. Cur arguet infinitam perfectionem quod eſſentia identificetur cum ſubſiſtentia; cùm eam infinitatem non arguat ſubſtantia, quæ idenficetur cum ſuis potentiis, cum præſentia locali, ſimiliterque cum aliis perfectionibus. 18

Non datur.

An poſſibilis creata ſubſtantia identificata cum ſubſtantia?

Nihilominus communis ſententia, cui adhæreo ſtatuit proprium Dei eſſe, ita vt nulli alteri ſubſtantiæ poſſit conuenire habere identitatem cum ſuppoſito, ſeu quod in ipſo ſit idem natura, & ſuppoſi- 19

Non, ita ſtatio. cum Thomiſt.

Capreol. S. Thom. Suarez Valentia.

tum ita Thomiſtæ cum Capreolo 1.diſtinct.4.quæſtione 2. arr. 1. concl.4. Item ipſe D. Thom.quodlib.2.quæſt.2. art.2. & 3. part.quæſt.17.art.1. Pater Suar.diſput.34. met.ſect.3. num.12. & ſequentibus P. Valentia hic diſputat.1. quæſt.3.punct.3. §. *ſed hæc argumentatio* fine & 3.part.quæſt.4. Ratio eſt primo vt omnis ſubſtantia creata ſit ſubſtantialiter incompleta, ſicut etiam eſt accidentaliter vlterius complebilis ſeu perfectibilis. Secundo vt liceat dominio Dei per ſe ipſum formaliter complere, & perficere ſubſtantiam creatam, hoc autem intrinſecum complementum aliter exercere nequit, niſi aſſumendo hypoſtatice naturam creatam, ac proinde ſuppoſitando talem naturam loco ſubſiſtentiæ creatæ; Ergo ſicut ex hoc argumento probamus diſtinctionem ſubſiſtentiæ creatæ à natura humana, ita ſentiendum eſt de qualibet alia natura creata poſſibili.

20 Hinc facile reſpondetur ad rationes oppoſitas in §.18. Prima ſi vt iacet admittatur nimium probat, ſiquidem iuxta ipſam nulla ſubſtantia materialis,& conſequenter nec Angelus haberet compoſitionem ex natura, & ſubſiſtentia,vnde nec potuiſſet eorum natura aſſumi hypoſtatice à Deo contra id quod aſſerit ipſe D. Thom.in 3. diſtinct.2. Item indicat Paulus Heb.2. Dicens *nuſquam Angelos apprehendit* quibus verbis commendatur peculiaris beneficentia Dei,quia ſumpſit hypoſtatice ſemẽ Abrahæ, & non naturam angelicam licèt potuerit. Deinde illud principium quod ſcilicet *ſuppoſitum ſolum diſtinguatur à natura in rebus his quæ componuntur ex materia.* Ego ita intelligo vt non intelligatur de materia per modum *ſubiecti receptiui* . *ſeu paſſiui* , ſed per modum *ſuſtentaculi* ſeu habentis in ſe talem naturam ,quod enim eſt per modum ſuſtentaculi, & *habentis* , cum concipiatur tamquam id, in quo eſt natura , iam concipitur per modum materiæ. Ad ſecundam rationem negandi reſpondeo per excluſionem ex natura & ſuppoſito in ſubſtantia creata impediri ſubiectionem vt aſſumatur hypoſtatice à Deo , perficiaturque vlterius per coniunctionem intrinſecam cum ipſo Deo quod non benè congruit finitæ perfectioni creaturæ ; per excluſionem autem aliarum compoſitionum accidentalium non ita creatura arguitur ſummæ perfectionis, quæ vlterius perfici nequeat. Vnde potius retorqueo argumentum ; ſi daretur ſubſtantia creata , quæ per ſuam eſſentiam repugnaret perfici vlterius accidentaliter eſſet infinita. Ergo ſimiliter ſi repugnaret ſubſtantialiter perfici.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in Deo ſit idem eſſentia, & eſſe?

21 AGit de hac difficultate S. Thom. in 1. diſt. 8. quæſt.1. art.1. & 1. contra Gentes cap.22. & 25. & lib.2.cap.51. & lib.4. cap.11. & quæſt.7.de pœnitentia art.2. & quodlib.3.quæſt.3. & opuſc.3. cap.11.& 12.& 109. In hoc autem præſenti art. 4. ideo defendit in Deo eſſe idem eſſentiam,& eſſe.Primo quia Deus eſt primum efficiens. Secundo quia eſt actus purus. Tertio quia eſt ens ſimpliciter primum.

22 *An in Deo ſit idem eſſentia & eſſe?*

Dubitatur primo circa hanc difficultatem quibus rationibus probetur eſſentiam Dei eſſe indiſtinctam ab exiſtentia , & in primis ſupponendum eſt maximè ex communi locutione Patrum exiſtentiam prædicari vt primum , & eſſentiale prædicatum Dei ſic exponentes illud exod. 3. Ego *ſum qui ſum qui eſt miſit me ad vos* vt latè dixi tract. 2. diſput.17.ſect.3. à num.12. vide Lippomanum in catena in illud caput.3. Exod. vbi ad hoc propoſitum multos Patres refert, quibus adde Hilarium apud Patrem Petauium lib.1. de Eccleſiaſticis dogmatibus cap.6.num.6. *Ego ſum , qui ſum:non enim aliud proprium magis Deo,quam eſſe intelligitur , quia id ipſum quod eſt,neque deſinentis eſt aliquando, neque cepti ; ſed id quod cum incorruptæ beatitudinis poteſtate perpetuum eſt, non potuit , aut poterit aliquando non eſſe : quia diuinum omne neque abolitioni,neque exordio ob noxium eſt. Et cum in nullo à ſe Dei deſit æternitas, digne hoc ſolum, quod eſſet ad proteſtationem incorruptæ ſuæ æternitatis oſtendit* Hieronymus in caput.3. ad Epheſios : loquitur in exodo Dominus *: Ego ſum qui ſum : numquid ſolus Deus erat,& cæteri non erant ? vtique erant , & quomodo nomen commune ſubſtantiæ ſibi proprium vendicat Deus ? Illa vt diximus cauſa quia cætera vt ſint Dei ſumpſere beneficio : Deus vero , qui ſemper eſt , nec habet aliunde principium , & ipſe ſui origo eſt, ſuæque cauſa ſubſtantiæ, non poteſt intelligi aliunde habere quod ſubſiſtit.* Clemens Alex.1.pædago cap.8. *eſſe ideo* ait *propriè dici de Deo quoniam illum exprimit qui re vera ſolus eſt ; qui erat, & eſt , & erit : quibus ſignificandis temporibus vnum nomen impoſitum eſt, qui eſt.* De quo fusè diſſerit etiam Auguſtinus tract.38. in Ioannem , & iterum tom. 6. in tract. proprio ſuper illa verba. *Ego ſum qui ſum* : & tract. in Pſal.121. *Quid eſt quod eſt ? quod æternum eſt nam quod ſemper aliter ; atque aliter eſt, non eſt quia non manet* : Philo Iudæus etiam dixit in tract. de deterioris inuaſione cap.5. *Quoniam & Deus ſolus in eſſe ſtat. Ideo neceſſario de ſe ipſo dicet ego ſum qui ſum : tanquam ea quæ poſt ſe ſunt, re uera non ſint ſed opinione tenus ſubſiſtere videantur.* Sed omiſſis auctoritatibus, Patrumque , & Philoſophorum dictis quæ innumera congerit ſumma eruditione Pater Dionyſius Petauius tom. 1. citato de Eccleſiaſticis dogmatibus cap.6.per totum P.Iulius Cæſar Recupitus lib. 2. de eſſentia Dei quæſt. 19.cap.2.

Eſſe eſt prædicatum maximè proprium Dei vide infra quæſt. 13.5. 41.

Lippoman. Hilarius. Hieronym. Clem. Alex. Auguſtinus. Philo. P.Dyoni. Petau. P.Cæſar Recup.

23 *Probatur vniuerſaliter de omni ente.*

Probatio ducta à ratione naturali facillima eſt iuxta meam ſententiam, cum ego non diſtinguam eſſentiam ab exiſtentia in vllo ente poſitiuo, quantumuis creato, vt latè oſtendam in meo opere philoſophico, breuiterque ſic probatur: nullus conceptus datur in Petro exiſtente verbi gratia,qui per ſeipſum,& ſuammet realitatem vt condiſtinctus à quolibet alio non ſit exiſtens. Ergo exiſtentia non diſtinguitur ab eſſentia. Antecedens in quo ſolo poteſt eſſe difficultas probatur,vel conceptus eſſentiæ , qui inuenitur in Petro exiſtente per ſemetipſum eſt negatiuus conceptus vel poſitiuus ? Si Primum ergo negatio *exiſtit* realiter à parte rei, *producitur datur*,abſolutè,& ſimpliciter,*&c.* Iſta enim omnia verificantur de eſſentia Petri; quod ſi ita eſt in nullo differt negatio ab ente reali ; quid enim quæſo eſt eſſe ens reale quam dari abſolutè à parte rei ? Si vero dicas eſſentiam in Petro per ſemet ipſam eſſe conceptum poſitiuum. Ergo eſſentia Petri in ſe erit exiſtens, vel dic quæſo quid ſpecialius habeat exiſtentia vt dicatur exiſtens præ tali eſſentia ? Quid addit ? Addes primo: *eſſe extra cauſas* : contra Deus non eſt extra cauſas , & tamen exiſtit. Addes ſecundo : *eſſe ſimpliciter, & non ſolum diminute, & poſſibiliter* : contra ſi eſſentia datur actu, verè, & poſitiuè ex parte obiecti, quid ei deficit ne dicatur eſſe ſimpliciter ſicut exiſtentia. Addes tertio

Poſſe

poſſe exercere munus phyſicum immediate per ſe, quod non conuenit eſſentiæ in eſſe eſſentiæ. Contra prius eſt rem exiſtere in ſe, quam conſiderari in ordine ad alia, cauſalitas enim eſt ſignum exiſtentiæ, non vero eſt ipſa formalis, & intrinſeca exiſtentia. Iam de hoc intrinſeco, & poſitiuo conceptu eſſentiæ rogo cur non dicatur exiſtentia? item quid deficit illi, ſiquidem actu eſt à parte rei, ne exerceat munera phyſica ſicur exiſtentia.

24 *Quid habeat Deus ob quod ſpecialiter repugnet ipſi diſtinctio eſſentiæ & exiſtentiæ.*

Dubitatur 2. Quid habeat Deus ob quod ſpecialiter exiſtentia identificetur cum eſſentia in ipſo; dicaturque eſſentialiter *exiſtens*, quam creatura, vt conſtat ex autoritatibus citatis in §. antepræced; cũ aliunde etiam in creaturâ identificetur exiſtentia cum eſſentia vnde non minus exiſtentia eſt de eſſentia hominis quam animal rationale vt conſtat ex §. præced. P. Suarez diſp. 21. Met.ſect. 6. num. 14. reſpondet ideo exiſtentiam exercitam non eſſe de eſſentia creaturæ, quia creatura non habet à ſe *eſſe* ſeu exiſtere; ſicut Deus, ſed ab alio, ſed contra quia ſi ly *ab alio* ſumatur in genere cauſæ efficientis etiam homo verbi gratia ab alio habet eſſe *animal rationale*, tamen hoc dicitur ipſi eſſentialiter conuenire. Alij dicunt quia in creatura ſaltem ratione diſtinguitur exiſtentia ab eſſentia; ſolum autem eſt de eſſentia rei id quod nec ratione ab illa diſtinguitur. Iam vero eſſentia Dei nec ratione diſtinguitur ab eſſentiâ. Sed contra, tum quia ſub lite eſt hæc diſtinctio rationis, in creaturâ eam negat Petrus Hurtado diſp. 8. Met. §. 72. in Deo è contra eam ponit P. Arriaga 1. p. diſp. 2. num. 67. deinde non ſolum ratione noſtra, ſed nec realiter ſimpliciter recte audit qui dicit *hominem eſſentiatialiter exiſtere*.

25 *explicatur*

Cenſeo hanc dubitationem pertinere ſolum ad modum loquendi circa vocem *exiſtentia*. Si ſumatur in actu ſignato, & abſtracto eſſentialiter comparatur cum creaturâ; nam ſicut homo poſſibilis eſſentialiter eſt Animal poſſibile, ita eſt Animal potens exiſtere, ſeu exiſtentia poſſibilis Animalis; neq; aliquid aliud in re ſignificatur per *animal poſſibile*; ſimiliter etiam homo exiſtens, & in actu eſt ipſa exiſtentia in actu. Nihilominus loquendo de exiſtentia, ſeu *eſſe* in actu exercito, ſeu *de eſt* ſecundo adjacente non dicitur quod ſit de eſſentia hominis; per quod id preciſe in re denotatur poſſe cognoſci hominem, & prædicari de ipſo poſſibilitatem, darique phyſicam potentiam vt ſit, quin tamen actu vere, & realiter exiſtat; Quod reſpectu Dei non euenit, nunquam enim datur à parte rei ſtatus, & fundamentum affirmandi *poſſe eſſe* Deum, quin detur de ſecundo adjacente ipſum *eſſe* Dei. In quo ſenſu non ſolum ratione noſtrâ, ſed realiter, & vere ex parte objecti *exiſtere* non eſt de eſſentia creaturæ; hoc eſt iſta non eſt realiter indefectibilis, realiter contingere poteſt, & ſæpe contingit quod non ſit in ſe, in quo euẽtu adhuc exiſtet in potentia, poſſibilis eſt; quod quia ſolum intelligimus nomine *eſſentia*, & è contra nomine *exiſtentia* ipſum *eſſe* de ſecundo adjacẽte, ſeu ſtatum in quo res in ſe exiſtit; ideo creatura non dicitur eſſentialiter exiſtens, quamuis exiſtentiá in actu ſignato, & in propoſitione de *eſt* tertio adjacente ſibi identificet; & hac ratione verum eſt quod communiter dicitur ſolum Deum eſſe *ens per eſſentiam ſeu* in ſolo ipſo eſſe idem eſſentiam, & eſſe vt ait D. Thomas 3. contr. Gent. cap. 66. fine; quia ſola eius eſſentia talis eſt vt ex parte rei non permittat ſtatum in quo realiter non ſit; ſicut creatura.

26 *An ratione*

Dubit. 3. An ſaltem ratione eſſentia Dei diſtinguatur ab exiſtentia, ſicque ſit in Deo compoſitio rationis ex *eſſe* & eſſentia. Affirmat Arriaga. 1. p. d. 2. n. 67. P. Salas tom. 1. in. 1. 2. tract. 2. diſp. 3. num. 32. aſſerens exiſtentiam Dei non minus diſtingui ratione ratiocinata ab eſſentiâ, quam amor ab intellectione: fauet. S. Thom. 1. diſt. 19. qu. 2. art. 1. ad 1. *Eſſentia diuina ſecundum intellectum eſt prius, quam eſſe ſuum* art. 2. corp. fine *eſſe diuinum eſt idem cum eo; cuius eſt actus: ſed differt tantum ratione*. Idem ſentit Granado hic diſput. 2. Ratio eſt quia licet non poſſim negare de Deo eſſe, nec ratione noſtra; Sicut nec omnipotentiam; at bene poſſum dicere *eſſe poſſibilem*; quin dicam, & exprimam formaliter, licet virtualiter, & arguitiuè ſequatur, *eſſe exiſtentem* ſic omnes apprehendunt vocem *Dei* & eius ſignificatum; & tamen dubitant plures de exiſtentia Dei. Ergo ab exiſtentiâ diſtinguetur eſſentia, ſicut diſtinguitur ab omnipotentia.

diſtinguatur eſſentia diuina ab exiſtentia.
Affirmat Arriaga. Salas. S. Thomas. Granado.

Secunda ſententia communis negat hanc diſtinctionem ita Suarez hic lib. 1. de eſſentia Dei cap. 2. num. 5. putans hanc ſententiam eſſe omnino veram, & fidei conſentaneam. P. Faſolus in hoc art. 4. dub. 2. num. 7. Mouentur tum quia Primarius conceptus Dei eſt ipſum *eſſe* vnde dicitur *Qui eſt*, tum etiam quia ſi exiſtentia diſtingueretur ab eſſentia ratione, oporteret quod ab illa dimanaret; nil autem etiam ex modo concipiendi noſtro poteſt apprehendi dimanare ab alio, niſi iam præexiſtenti. Recte enimm inquit Bernard. 5. lib. de conſider. ante med. *à ſe cepit nihil, niſi forte quis putauerit quod non erat, dare ſibi potuiſſe vt eſſe inciperet, aut fuiſſe aliquid ante quam eſſet*.

Negat omnino Suarez. Faſol.

27 *Approbatur ſententia negans.*

Ego in præſenti cenſeo cum hac ſecunda ſententia, ratio eſt quia licet ex parte modi noſtri concipiendi apprehendere poſſimus Deum ſub ratione apti ad exiſtendum, quin ipſam exiſtentiam exprimamus in ipſo tamen conceptu *Dei* implicite imbibitur exiſtentia ipſa exercita; non minus quam definitio in definito, ſiquidem ex parte rei nihil datur in Deo proprium ipſius, quod differat à creatura, niſi imbibat ipſum exiſtere in actu exercito, vt autem detur diſtinctio rationis ratiocinatæ, ſeu maior, quam eſt ea, quæ intercedit inter definitum, & definitionem opus eſt vt non imbibatur ratione noſtra implicita vna formalitas, vt eſt propriè in obiecto ab alia vt conſtat ex dictis à me diſput. 16. ſect. 5. & 6. ex qua diſputatione conſtat poſſe quidem exiſtentiam ab eſſentia etiam in Deo diſtingui ratione raciocinata tanquam gradus ſuperior ab inferiori, non autem tanquam formalitas propria Dei in quo ſenſu procedit hæc dubitatio, nam de diſtinctione vt gradus inferioris à ſuperiori dubitari non poteſt; vt conſtat ex diſp. 16. num. 12. Igitur loquendo de eſſentia Dei vt propria ipſius nullo pacto diſtinguitur ratione ratiocinata ab exiſtentia vt etiam conſtat ex dictis diſp. 16. ſect. 5. num. 36. 28

cum Aureol. Hurtado. Caiet. Bannez. Zumel. Ripald. Gonzalez. Nazar. Molina. Vaſquez. Arrubal. Valentia. Granad. Ianner. Martinon.

Ad contrariam ſententiam reſpondeo ad autoritatem D. Thom. Angelicum Præceptorem loqui de eſſentia non vt Dei propria, diſtinctaque ab eſſentia creaturæ, ſed vt eſt ratio communis quod nobis non opponitur vt patet ex §. præced. Ad rationem reſpondeo ſimiliter, prædicari de Deo poſſibilitatem vt ſic quin ſub conceptu *poſſibilis* concipiamus adhuc exiſtentiam, at hoc ideo euenit quia poſſibilitatem apprehendimus vt gradum ſuperiorẽ; ſecus ſe habet apprehenſio omnipotentiæ nam omnipotentia concipi poteſt vt Dei propria, & infinita in eſſe potentiæ, quin aliquid dicat de linea intellectionis v. g. ex quo ſimpliciter diſtinguitur ratione noſtra omnipotentia ab intellectio-

ne, potius quam eſſentia ab exiſtentia; ſi dicas etiam eſſentiam concipi vt Dei propriam, & infinitam eo quod imbibat perfectionem infinitam, vel ſit connexa cum exiſtentia neceſſaria & incauſata, quamtumuis talis eſſentia nihil in ſe dicat de linea exiſtentiæ: ſi hoc dicas reſpondeo in hac infinita perfectione, & connexione cum exiſtentia reſplendere formaliter ſaltem implicite ipſam exiſtentiam exercitam qui enim apprehendi poteſt infinitæ perfectionis quod non eſt in rerum natura? ſi addas plus dici de Deo quando dicitur *exiſtens*, quam quando dicitur poſſibilis. Reſpondeo *quando dicitur poſſibilis vt ſic* concedo *poſſibis vt Deus*, ſeu *Deus poſſibilis* nego. Quare ſolum ex ignorantia poteſt quis apprehendere Deum & non apprehendere exiſtentem. Quod idem ſenſit Aurelius de indiſtinctione eſſentiæ ab eſſentia in creaturis 1. diſt.8.quæſt.1.art.4.propoſitione 3. & quæſt.4. art. 2. §. *eſt ergo* P. Petrus Hutt. de Mendoza diſput.8. Met.§.72. quam ſententiam ego etiam defendam in opere Philoſophico. Modo in fauorem meæ ſententiæ Caiet. Bannez, Zumel, Nazarius, Ripa, Gonzalez, Molina, Vazq. Arrubal. hic 1. part. quæſt. 3.art.4. Valentia diſput. 1. quæſt. 3. punct. 4. Granadus 1. part. tract.2.controuer.1.diſput.2. Tannerus diſput. 2. quæſt. 1. dub. 5. Ioannes Martinon diſput.2.ſect,7.

ARTICVLVS V.

Vtrum Deus ſit in genere aliquo?

DE hac difficultate agit S. Thom. in 1. diſt. 8. quæſt.4.art.2.& diſt.29.quæſt.4.art.2. & turſus 1. diſt.8.ad Anibaldum quæſt.3. art.2.& 1.contra Gentes cap.17.& 25.& quæſt.7. de potentia art. 3.& opuſc.3.cap.12.& opuſc.42.cap.3,& 5. In præſenti autem articulo quinto Deum non eſſe in genere aliquo aſſerit, & probat quia cum Deus ſit actus purus, neque in eſſe ab eſſentia diſtinguatur ac cuiuſcumque generis principium ſit, non poteſt eſſe nec directè, nec reductiuè in genere aliquo.

An Deus ſit in aliquo prædicamẽto. Communis Negat Trigoſius. Faſol.cũ 24. Magiſtr. S.Thoma. Scot. Okam. Durand. Schol.Oxon. Ioſeph.Aug. Arrub. Valentia. Tanner. Granad. Molina. Vaſquez. Fonſeca. Suarez. S.Auguſtin. Cyril. Alex. S.Bernard.

30 Dub.1. An Deus ſit in prædicamento. ſeu in genere aliquo (quod pro eodem ſumunt Theologi in præſenti) directiuè & propriè. Prima ſententia negans communiſſima eſt adeo vt Trigoſius hic dub. vnico concluſ. 4. dicat contrariam eſſe periculoſam in fide pro qua ſententia negante numerat P. Faſolus, hic dub.2.num. 3. vigintiquatuor Autores Scholaſticos ex omnibus ſcholis cum Magiſtro in 1. diſt. 8. cum S. Thoma locis citatis §. præced. cum ſcoto in 1.diſt.8.quæſt. 3. cum Okamo quæſt. 1. littera l.dicto 3.cum Durando in 2. diſt.3. quæſt. 1. vnde ſchola Oxonienſis teſte Bacchonio 1.diſt.8. qu. vnica art. 2. §. 1. inter alios articulos condemnauit vt erroneum hunc articulum 15. *quod cauſa prima ſit in genere, & non extra genus*: adde etiam pro eadem ſententia ex Recentioribus noſtris Ioſephum Auguſtinum, Arrubalem, Valentiam, Tannerum, Granadum, Faſolum, Molinam, Vaſquez in præſenti Fonſecam 5. Met. cap. 8. quæſt. 1. Suar. diſput.30.Met.ſect. 4. num. 28. & quod plus eſt S. Auguſtinum de cognitione veræ vitæ cap. 3. *Ab his omnibus* (prædicamentis) *proprietas ſummæ eſſentiæ euidenti ratione penitus excluditur* Cirillum Alexandrinum Dialo 2. de Trinitate pag. mihi 426. *genus in Deo vllum nominare alienum a recta ratione eſt*, & 1. de Trinitate: *omnino ſub genere, & ſpecifica differentia diuinitas non eſt*. Bernardum epiſt. ad Patres de Monte Dei: *ipſe eſt ſumma ſubſtantia non ſubiecta prædicamentis.* Nihilominus de hac ſententia ingenue fatetur Ochamus intio dicti 3. citati *difficile probari poſſe, & ſe illam perſuadere magis per viam narrationis quam per viam probationis.* Vnde argumenta quæ à ratione ſumuntur hic debilia ſunt, quæ latè à Patre Vaſquez impugnantur hic diſput. 22. cap. 3. ipſe vero ſic arguit Deus nec continetur ſub genere vel ſub prædicamento tanquam ſpecies, nec tanquam indiuiduum, non quidem tanquam ſpecies, cum non contineat ſub ſe plures Deos; non item tanquam indiuiduum nam indiuiduũ vt tale in ratione ſpeciei cum aliis conuenit, Deus autem cũ nullo conuenit in ratione Dei: tũ ſic ſed omne quod continetur ſub genere vel eſt ſpecies vel indiuiduum ergo, &c. Hoc tamen argumentũ non conuincit facile enim poteſt reſponderi Deum eſſe ſpeciem ſubjicibilem, licet non prædicabilem vt iuxta Thomiſtas natura Michaëlis immultiplicabilis eſt ſub genere, & prædicamento ſubſtantiæ.

Secundo pro hac ſententia negante arguitur communiter eo quod Deo, & creaturis nulla eſt ratio vniuoca genus autem, & prædicamentum vniuocationem requirit iuxta Ariſt. 4. Topic.cap.6. *de omnibus genus vniuoce prædicatur.* Ob quod communiter conceptus *entis* excluditur à ratione generis ex eodem Ariſtotele 3. Met. text. 10. ita arguit Faſolus hic quæſt. 3. art. 5. dub. 1. & 2. Sed contra primo non repugnat ratio vniuoca Deo cum creaturis vt oſtendam in opere Philoſophico. Deinde ratio perſonæ diuinæ vniuoca erit cum non compareturcum creaturis, vnde ex hoc capite poſſet Deus contineri ſub genere. Tertio igitur ob hæc arguit Suar. independenter à ratione vniuocationis diſput.30, Met. ſect. 4. num. 32. in Deo non poteſt dari propria differentia ergo nec genus conſequentia patet, antecedens probatur nam differentia deitatis vt talis formaliter vel eſt finita vel infinita, ſi primum non poterit determinare, ſeu conſtituere genus in ratione infiniti quod enim infinitatem in ſe non habet, nequit eſſe ratio infinitandi alteri, & conſequenter nec deificandi, Deus namque formaliſſime qua talis infinitus eſt iam vero ſi deitas, vt talis, & vt differentia entis infiniti, & increati infinita eſt eo ipſo formaliter imbibet omnem perfectionem eſſendi. Ergo omne prædicatum, quin aliquod ſit nec ratione noſtra deitatem, ſeu differentiam deitatis. Ergo non reſtat prædicatum aliquod in Deo, quod genericum ſit & commune etiam creaturis. Confirmatur quia vel genus vt condiſtinctum à differentia eſt infinite perfectum, vel non: Si primum? eſt Deus ac proinde differentia nihil addit extra ipſum. Si ſecundum? vel differentia, quæ ipſi additur eſt infinite perfecta, & ſic erit integra eſſentia Dei; vel finite vnde ex additione ipſius non infinitabitur genus; quia finitum ex additione finiri nequit infinitari. Sed hæc ratio non conuincit; nam dicam ſiue genus ſolũ, ſiue ſolam differentiam præſcindere à finito, & infinito, ex coniunctione autem generis cum differentia euadere infinitum poſitiuè; Quod argumentum poteſt proportionate formari in omnibus prædicatis genericis etiam in rebus creatis.

31

32 Ideo eſt ſecunda ſententia quæ plane fatetur ſine abſurdo vllo Deum eſſe ſub genere, & ſub prædicamento ita ex antiquis ſentiunt Rubion. 1. diſt.8. quæſt. 1.art.1.& art.3. Bacchon. diſt. 9. quæſt. vnic. Holcoth. quæſt.6 concl.3. Arimin. 1. diſt.8. quæſt,3. art. 2. Marſil. quæſt. 12. art. 2. Maior. quæſt. 2. Gabriel.

Affirmat Rubion. Baccon. Holcoth. Arim. Marſil. Maior.

Gabr. Arriaga. Recupit. Damaſcen. Aureol. Aug.

Gabriel quæſt. 1. & 2. & ex Modernis P. Arriaga hic diſp. 2. num. 73. & P. Iulius Cæſar Recupitus lib. 2. de eſſentia Dei quæſt. 8. cap. 3. num. 17. fatetur totam hanc quæſtionem eſſe de nomine cum in re ab hac ſententia non dicatur Deum eſſe ſub genere, quaſi ſubiectum, vel limitatum ad genus particulare; ſed præciſe quatenus propriè in Deo inueniuntur aliqua prædicata, quæ etiam propriè dicuntur de creatura. Et hoc eſt præcipuum fundamentum huius ſententiæ ſecundæ affirmantis, quia negari nequit aliqua prædicata dici de Deo, quæ ſecundum ſuam rationem abſtractam dicuntur etiam de creaturis, vt eſſe ens, ſubſtantiam, viuentem, ſpiritum, &c. Neque enim quia dicas hic dari aliquam ſubſtantiam rectè inde inferes dari potius Deum quam creaturam; hoc autem facit quod Angelus, vel ſubſtantia creata ſupernaturalis, quantumuis ignota Philoſophis, & ſupra omnem naturam dicatur tamen eſſe ſub prædicamento. Ergo ſimiliter ſentiendum ſecluſis vocibus de Deo. Confirmatur ex Damaſc. cap. 7. inſtitut. vbi ait Deum contineri ſub genere *Spiritus: Genere autem ſummo continetur* (ait) *hac corporis expers eſſentia vt Deus, Angelus, anima*, &c. Item communis doctrina ſanctorum eſt vt ait Aureol. 1. diſtinct. 8. part. 4. Deo attribui duo prædicamenta ita Auguſt. 5. de Trinit. cap. 3. & lib. 7. cap. 4. Vnde S. Thom. 1. part. quæſtione 28. art. 2. ad 1. *Dicuntur*, inquit, *duo tantum eſſe prædicamenta in diuinis.* Subſtantiæ ſcilicet, & relationis.

33 *Eſt quoad nos ſub prædicamento, ſed non quoad ſe.*

Ego cenſeo Deum verè ſimpliciter, & quoad ſe non eſſe ſub genere, eſſe tamen ſecundum quid, & quoad nos. Huius ſententiæ videtur eſſe Caiet. in hoc art. 5. verſu vltimo vbi prædicata communia Deo, & creaturis ſolum vult quoad nos eſſe priora ſeu habere prioritatem genericam. Item P. Hieronymus Faſolus hic dub. 1. num. 2. ponit Deum ſub genere analogo, & ita licèt non ſimpliciter ſaltem ſecundum quid ſub prædicamento. Mihi hac ratione probatur prima pars concluſionis nempè Deum quoad ſe non eſſe ſub genere. Nihil propriè, & quidditatiuè prædicabile de Deo poteſt dici de creaturis, vel è contra nullus conceptus conueniens creaturis quidditatiuè & propriè poteſt applicari, ſeu dici de Deo, ergo ex parte obiecti loquendo in Deo non datur ratio generica. Conſequentia probatur, & maximè explicatur huius rationis vis ex illis prædicatis, quæ vocamus genericа inter ipſas creaturas verbi gratia, *animal* eſt genus homini, & leoni quia ita formamus conceptum de animali vt eundem immutatum applicemus tam homini quam leoni ita vt in ipſo homine nihil inueniatur ratione cuius animalitas non poſſit diſtingui à qualibet alia formalitate, & vt ſic participate quidditatiuè, & propriè conceptum, quem formamus de animali; ſimiliter ratio *entis* vt propriè, & quidditatiuè talis applicari poteſt tam homini, quam leoni, tam accidenti, quam ſubſtantiæ creatæ. Ergo ſi hoc non habeat ratio ſubſtantiæ vel entis reſpectu Dei, & creaturarum non erit dicenda generica. Iam antecedens probatur primo ex Patribus, qui communiter dicunt Deum non eſſe naturam, ſed *ſupernaturam*, non ſubſtantiam, ſed *ſuperſubſtantiam.* Quod egregiè Boëtius in lib. de Trinitate, & vnitate Dei explicat poſtquam decem prædicamenta percenſuit ſic: *At hac cum quis in diuinam verterit prædicationem cuncta mutantur, quæ prædicari poſſunt. Nam ſubſtantia in illo non eſt verè ſubſtantia, ſed vltra ſubſtantiam; cum dicimus, Deus. ſubſtantiam quidem ſignificare videmur; ſed eam quæ ſit vltra ſubſtantiam.* Maximus apud Dioniſium Petauium tom. 1. Theologicorum dogmatum lib. 2. cap. 5. num. 1. fine poſtquam numerauit prædicata, quæ de Deo dicuntur ait per ea exprimi appellationes indicantes quæ circa Deum ſunt; *Nihil autem eorum, quæ ſecundum ſubſtantiam, aut naturam Dei ſunt exprimi.* Ergo ſubſtantia, quæ inuenitur in Deo alterius generis, & rationis eſt cum ſubſtantia creata ac proinde Deus in ſe non conuenit in ratione ſubſtantiæ cum creatura. Secundo prædictum antecedens probatur, quia omne prædicatum diuinum per ſe eſt exiſtens, creata autem prædicata per ſe non exiſtunt Ergo conceptus quidditatiuus cuiuſuis prædicati diuini longè diuerſus eſt, quam poſſit creaturis applicari, quarum prædicata per ſe quidditatiuè concipiuntur, quin exiſtant. Tertiò ea ratio, & conceptus, qui talis eſt vt in vno per ſe, & ſimpliciter ſit alterius rationis, quam in alio nequit habere rationem generis reſpectu vtriuſque; ſic ratio lucis vel luminis non eſt genus ad lumen ſpirituale, & lumen corporale, quia longè diuerſo titulo vocamus vnum lumen, quam aliud; ſed etiam Deus in ſe ipſo longe altiorem modum eſſendi habet, quam creatura, ergo.

Ex his ſatis patet Deum quoad ſe non eſſe ſub prædicamento, quatenus nullum conceptum quidditatiuum formare poſſumus conuenientem Deo, & creaturis. Nunc vero ſaltem quoad nos Deum poſſe conſtitui ſub genere (quæ eſt ſecunda pars concluſionis in §. præcedenti) probatur facile, nam licèt non quidditatiuum, confuſum tamen aliquem conceptum facimus verbi gratia, ſub ratione *entis* vel ſubſtantiæ, quem Deo propriè, & ſine metaphora applicamus quidquid ſit quod illum apprehendamus per ſpecies extraneas, & improprias, ergo talis conceptus quoad nos iure dicetur genus. 34

Per quæ in concordiam venire poſſunt ſententiæ poſitæ in principio huius dubitationis. Nam prima ſatis intelligitur dum Deus in ſe non ſit ſub prædicamento. Secunda autem in §. 32. ſolum probat Deum quoad nos, & quoad noſtrum conceptum confuſum vniuocari cum creaturis, ſeu conſtitui ſub ratione vnius generis; at cum nullum conceptum habeamus quidditatiuum de Deo nihil, vt in ipſo eſt conuenientiam eſſendi habet cum creaturis, maximè ſi loquamur de conuenientia per ſe cum Deus quidditatiuè concipi nequeat quoad vllum prædicatum ſine exiſtentia exercita, ſecus creatura vt patet quando eſt obiectum ſimplicis intelligentiæ. Sed de hoc latius in opere philoſophico, in quo examinabo an detur ratio vniuoca Deo, & creaturis, & iterum quæſtione 13. numero 18. 35

Dub. ſecundò An Deus ſaltem reductiuè ſit ſub prædicamento. Prima ſententia negat pro qua ſunt omnes Authores, quos citaui §. 30. Qui ex eo mouentur, quia id dicitur reductiuè pertinere ad prædicamentum, quod vel eſt principium, & pars illius, quod per ſe, & complete ad prædicamentum pertinet vt punctum, quod eſt principium, ſeu pars quantitatis continuæ, & vnitas quantitatis diſcretæ, ideoque punctum, & vnitas *reductiue* ſunt ſub prædicamento quantitatis, ſub quo directè ſunt quantitas continua, & quantitas diſcreta: ſed Deus non eſt principium intrinſecum, ſeu pars alicuius pertinentis directè ad prædicamentum ergo nec reductiuè ad prædicamentum pertinet. Si dicas verbum 36

An ſaltem reductiue ſit ſub prædicamento?

Probatur.

bum diuinum eſſe quaſi partem, ſeu conſtitutiuum intrinſecum ſubſtantiæ completæ, ſeu ſuppoſiti Chriſti directe contenti ſub prædicamento ſubſtantiæ: reſpondetur verbum non eſſe partem, quia non eſt natura ſua ordinatum ad talem conſtitutionem. Alio item modo aliquid eſt reductiuè ſub prædicamento vt omnis priuatio, quæ reducitur ad genus ſui habitus vt cæcitas ad prædicamenrum qualitatis, & annihilatio, ſeu carentia ſubſtantiæ ad ſubſtantiæ prædicamentum, quo pacto euidentius eſt Deum non poſſe reduci ad prædicamentum.

37 *Affirmandum eſt.* Nihilominus ſaltem reductiuè, & impropriè Deum ad prædicamentum reduci poſſe conſtat ex dictis à me dub. præced. Si enim quia Punctum eſt pars quantitatis, licèt quantitas non ſit, ſub genere quantitatis ponitur, cur non ſufficiet vt Deus ponatur ſub genere ſubſtantiæ, à nobis Deum vt verè ſubſtantiam prædicari, confundique ſub vno conceptu cum ſubſtantiis creatis (quo pacto non confunditur cum corpore, licèt per ſpecies corporis concipiatur; non enim prædicamus de ipſo *eſſe corpus*) Adde Deo propriè conuenire vnitatem modo ſufficienti vt faciat quantitatem diſcretam, ſeu numerum eo pacto quo iſte inuenitur in ſubſtantiis ſpiritualibus, quamuis non eo pacto quo numerus conuenit rebus corporeis ob quod dixit Clemens Alexandrinus libro 5. ſtromat. pag. 428. *Deum neque genus eſſe neque differentiam, neque ſpeciem, neque indiuiduum, neque numerum.* Ergo hoc titulo reductiue ſaltem erit Deus in prædicamento.

38 *An in Deo ſit compoſitio ex genere, & differentia? Negat communis.* Cyrill. Alex. Dub. tertio An in Deo admittenda ſit compoſitio, ex genere, & differentia. Aliqui vehementer auerſantur hanc compoſitionem vt expendit. Arriaga 1. part. diſp. 2. num. 73. ne ſimpliciter Deum compoſitum faciant quibuſcum à fortiori conueniunt, qui negarunt dub. 1. Deum eſſe ſub genere; ſpecialiter autem quidquid de hoc ſit compoſitionem hanc ex differentia negauit Cyrillus Alexandrinus 31. Theſauri pag. 262. *Videmus* ait *id omne, quod differentiam recipit eſſe compoſitum non ſimplex. Quare cum ſimplex minimeque compoſitus Deus omnium confeſſione non poteſt ingenitum*(idem quod de hac differentia *ingeniti* dixi dicendum eſſe de aliis iuxta mentem Cyrilli ex eius ratione adducta conſtat) *illius eſſe differentia.* Sed vt benè notauit P. Arriaga ſupra, non eſt cur terrorem incutiat vox *differentiæ*, quæ à Cyrillo, & aliis Patribus ideo excluditur, ne in Perſonis diuinis apprehendatur differentia naturarum; ne item in Deo ponatur conceptus differentialis realiter diſtinctus à generico. Vnde ego ea ratione qua admiſi in Deo eſſe genus, admitto etiam differentiam, & ex vtraque ratione generica, differentialique, conſtitui, ſeu coaleſcere ratione noſtra integram, & completam eſſentiam Dei; an vero ideo dicenda ſit ratione noſtra compoſita eſſentia Dei conſtabit ex art. 7.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in Deo ſint aliqua accidentia.

39 AGit de hac difficultate S. Thom. in 1. diſt. 8. quæſt. 4. artic. 3. & 1. contra Gentes cap. 23. & 31. & quæſt. 7. de potentia art. 4. & opuſc. 3. capit. 13. 23. 57. 65. & 66. in præſenti autem artic. 6. ex eo probat in Deo nulla eſſe accidentia. Primo quia cum ſit actus purus non eſt in potentia ad accidentia. Secundo cum ſit ipſum eſſe, nihil aliud ſibi adiunctum habere poteſt. Tertio cum ſimpliciter ſit primum ens non poteſt in illo eſſe aliquid per accidens. Hinc

Dub. primo An attributa diuina vel diuinæ perfectiones ſint accidentia. Non quærimus in præſenti. An diſtinguantur realiter inter ſe vel ab eſſentia; de hac enim diſtinctione late agemus art. ſequenti, ſed an ſpecialiter repugnent quod ſint accidentia, poſſet enim aliquis cogitare quod ſint ſubſtantialia per quod licèt opponeretur dictis articul. 2. & dicendis art. 7. non tamen formaliter opponeretur doctrinæ huius articuli ſexti. Prima ſententia vel potius impiiſſimus error Mahometanorum quos refert S. Thom. 1. contra Gentes cap. 23. fine admittit in Deo diſpoſitiones, ſeu accidentia realia. Mouentur primo *quia ſubſtantia nulli eſt accidens* iuxta dictum Philoſophi 1. Phyſic. tex. 27. Sed ſapientia, & alia attributa ſunt accidentia in nobis; Ergo in Deo non ſunt ſubſtantia. Secundo quod abeſt, & adeſt ſine corruptione ſubiecti eſt accidens; ſed volitio libera in Deo adeſt, & potuit abeſſe ſine corruptione Dei: Ergo eſt illi accidens. Tertio quod non eſt de eſſentia rei eſt illi accidens: ſed Paternitas non eſt de eſſentia Dei, ſiquidem in Filio eſt integra eſſentia Dei, & non eſt Paternitas: Ergo eſt accidẽs eſſentiæ. Quarto omnis denominatio realis aduenit ab aliqua forma proportionata; ſed ſunt in Deo plures denominationes accidentales, vt eſſe *Dominum, Creatorem,* &c. Ergo & ſunt plures accidentales formæ, ſeu accidentia in Deo. Quinto quia ſicut in genere ſubſtantiæ datur ſubſtantia prima radix cæterarum, ita debet dari primum accidens à quo alia accidentia dimanent tanquam à prima radice. 40 *An diuinæ perfectiones ſint accidentia?* *Mahometani affirmant*

Secunda ſententia docens lumine rationis, & fidei tenetur in Deo nulla eſſe accidentia ita vt omnia attributa per ſe, & ſubſtantialiter exiſtant ita Ioannes Cypariſſiotus poſt multos Patres pro hac veritate relatos decade 9. cap. 8. concludit: *Ex quibus ſit manifeſtum quod in Trinitate. quæ ſupra ſubſtantiam eſt, omne quod per ſe non eſt ſubſtantia, & per ſe non exiſtit, eiectum, & excluſum eſt; ſi quid vero eſt in ea, ſubſtantia eſt, & per ſe exiſtens.* Apud quem Cyrillus: ibi: *Non quia in nobis ſapientia, & ſcientia non exiſtit per ſe; idcirco ſapientia quæ ineſt in Deo idem incommodi patietur vt non exiſtat per ſe,* & Athanaſius apud eundem Cypariſſiotum decade 10. cap. 1. initio blaſphemum vocat qui exiſtimat Deum eſſe compoſitum ex ſubſtantia, & accidenti. Auguſtinus 6. de Trinitar. cap. 5. *Nefas eſt dicere, vt ſubſiſtat, & ſubſit Deus bonitati ſuæ; atque illa bonitas non ſubſtantia ſit, vel potius eſſentia, neque ipſe Deus ſit bonitas ſua, ſed in illo ſit tanquam in ſubiecto.* Bernard. tract. de diligendo Deo circa finem 6. *& hic talis: Nemo tamen me æſtimet charitatem hic accipere qualitatem vel aliquod accidens; alioqui in Deo dicerem (quod abſit) eſſe aliquid quod Deus non eſt; ſed ſubſtantiam illam diuinam.* Eandem veritatem definit Leo 1. epiſt. 93 ad Turibium cap. 5. dicens: *Solus Deus nullius participationis eſt indigens, de quo quidquid digne vtcumque ſentitur non qualitas eſt, ſed eſſentia: incommutabili enim nihil accedit.* ac denique Maximus in centur. 4. de Charit. cap. 8. *Caue,* inquit, *ne habitus, & habilitates requiras in ſimplici. infinitaque ſubſtantia S. Trinitatis. ne eam creaturarum inſtar compoſitam facias: quod abſurdum ſit, ac nefarium in Deo cogitare.* 41 *Negant ratio, & fides.* Cypariſſiot. Cyrill. Athan. Auguſt. Bernard. Leo. Maximus.

Rationes pro hac ſententia ex naturali lumine claræ 42

claræ ſunt. Prima quod Deus non eſſet omnino ſim, lex, nam accidens nequit identificari cum ſubſtantia, quod eſt contra Concil. Lateranenſe in cap. *firmiter* de ſumma Trinitate, & fide Catholica. Secunda quia in Deo daretur aliquid cauſatum; omne enim accidens ab alio cauſatur, ſaltem materialiter eſſe enim *Accidentis eſt ineſſe, ſeu materialiter cauſari.* Tertia quia daretur in Deo aliquid, quod non eſſet Deus, ſiquidem à diuina eſſentia realiter diſtingueretur, ob quod accidentia, quæ ſunt in homine homo non ſunt. Quarta quia Deus per ſuam eſſentiam *eſt infinitè perfectus; eſt omnia, ſeu nullo alio* indigens. Ergò perfici vlterius nequit per vllum accidens, quod enim res habet per ſuam eſſentiam habere nequit per aliud diſtinctum, vel ſaltem ſuperfluè ipſi tale diſtinctum tribuetur; vti ſuperfluè pones in anima potentias diſtinctas ſi anima per ſe ipſam potentia ſit, ſeu potentias identificet: nihil autem ſuperfluum poteſt Deo ineſſe.

43 Ad argumentum in §. 40. Reſpondeo ad primum ſapientia licet in nobis ſit accidens ex ſuo conceptu accidens non eſt, quare licet noſtra ſapientia ſit accidens, non tamen diuina: dictum Philoſophi intelligo de eo, quod in ſuo conceptu eſt accidens, vel de eo quod ſemel eſt accidens, ſic autem ſapientia creata, quæ eſt accidens, nulli eſt ſubſtantia; ſapientia autem diuina nunquam eſt accidens. Ad ſecundum volitio libera in abſtracto nequit abeſſe, ſecundum id autem, ſecundum quod poteſt abeſſe non ineſt intrinſecè in Deo, vt late explico diſput. 60. ſect. 2. Deinde qui dicunt volitionem liberam etiam in concreto eſſe adæquate intrinſecam Deo, addunt conſequenter non deeſſe *entitatiue* ſed vel *denominatiue* vt retuli diſput. 59. ſect. 4. vel conditionate vt explicui diſput. 69. ſect. 4. Ad tertium Paternitas idem eſt cum eſſentia Dei, id tamen mirabile vt quaſi tranſeat ad filium ſecundum omnia prædicata, quæ habet Pater præter *eſſe Patrem* ob quod Paternitas non poteſt eſſe accidens, cum maneat identificata cum eſſentia, licet nec dicatur ſimpliciter de conceptu eſſentiæ; quæ omnia componit fides Trinitatis vt explico diſput. 15. ſect. 21. & diſput. 17. ſect. 2. Ad quartum reſpondeo denominationes accidentales *Domini*, *Creatoris*, &c Eſſe quidem reales non tamen intrinſecas, ſed denominatione extrinſeca ſumpta ex extrinſeco termino creato. Ad vltimum reſpõdeo primam cauſam, & radicem accidentium eſſe ſubſtantiam, vnde non oportet quod in genere accidentis detur aliquod primum accidens à ſe; ſic calor non venit ab aliquo primo calore, ſed à ſubſtantia ignis verbi gratia.

44 *An Deus poſſit pro ſuo libito accipere accidẽs creatum.* Dub. 2. An Deus licet non neceſſario, & ex indigentia, pro ſuo tamen placito poſſit recipere aliquod accidens creatum, illudque materialiter cauſare vti poteſt pro placito cauſare efficienter. Ratio dubitandi eſt 1. quia rationes, quæ excludunt à Deo accidens totæ ſunt pro excludendo accidenti ex neceſſitate vt perpendenti eas in §. 42. conſtabit. 2. quia vti Deus vnitus fuit intrinſecè cum ſubſtantia etiam potuit cum accidẽti aſſumens ſcilic. naturã accidentis ſicut aſſumpſit humanitatem vt dicetur in tract. de Incarnatione. 3. Quia Deo non repugnat obire munus cauſæ materialis quoad ſuſtẽtationẽ accidentium vt latè tuetur P. Fonſeca 7. Met. cap. 7. q. 3. ſect. 4. *Peculiaris opinio Fonſeca.* Nihil autem aliud requiri, videtur vt dicantur accidentia recipi, & ineſſe Deo: neque valet ſi dicas vltra hanc cauſalitatem, ſeu ſuſtentationem requiri quod cauſa materialis ordinetur, ſeu exigat tale accidens, ab illoque perficiatur. Nam diuinitus quantitas poteſt inhærere, & recipi in Angelo neque tamen Angelus perficitur ab ea quantitate, redditurue *quantus.*

Nihilominus certum omnino eſt nullum accidens poſſe Deo inhærere non ſolum eo quod nequeat ipſum intrinſecè denominare verbi gratia intellectio creata *intelligentem*, vel albedo *album* multo namque magis repugnat Deo intelligere per intellectionem creatam, quam Angelo reddi *quantum* per quantitatem. Igitur ſecluſa etiam hac denominatione Deus peculiarem repugnantiam habet vt ſit ſubiectum accidentium. Ratio huius eſt quia ſubiectum vt tale dicit ita vniri cum forma vt illam habeat, vel ad exercendum aliquod munus, quo reddatur perfectius, ſeu æſtimabilius tale ſubiectum, vel quo reddatur imperfectius, vel improportionatum, & violentum: concurrens nimirum materialiter non ex ſe, ſed quaſi coactum ab alio: cum enim ſuſtentatio, ſeu cauſalitas materialis vt talis condiſtincta ab efficiente purè recipiat ſuum effectum, ſeu formam, quam materialiter cauſat, & recipit; ſi non habeat proportionem, ſeu exigentiam ad talem formam conſequens eſt vt eam recipiat præternaturaliter, & quaſi violentè: Ergo vel ab ipſa perficietur, vel defœdabitur vt patet in omni cauſalitate materiali quam experimur verbi gratia aqua perficitur à frigiditate, vel violentiam patitur à calore: tunc ſic ſed vtrumque Deo repugnat, ergo & quod recipiat accidentia. Confirmatur cauſa materialis vt talis comparatur vt accipiens id, quod ex ſe non habet, nec formaliter, nec eminenter; quod enim præhabet effectum ſaltem eminenter in ſuo modo cauſandi non ſe habet vt *accipiens*, ſed vt *dans* ſic pauper quia ſe habet vt accipiens diuitias non debet illas continere, ſed diues, qui eas donat: tum ſic ſed repugnat quod Deus comparetur intrinſecè ad effectum modo non præhabenti eius perfectionem, & nobilitatem, ergo repugnat, quod illum materialiter cauſet, ſeu recipiat. 45 *Non poteſt.*

Ad rationes dubitandi in §. 44. reſpondeo ad primum quidquid ſit de rationibus in §. 42. ſatis tamen rejici inhæſionem accidentis etiam voluntariam à Deo ex §. præced. Ad. 2. licet Deus aſſumeret naturam accidẽtis adhuc accidẽs non inhæreret Deo, nec reciperetur in ipſo, ſed tale accidens tunc per ſe ſubſiſteret *creatum*, & ſine vlla cauſa materiali cum in illud exercere nequeat Deus aliam cauſationem, quam purè efficientem ob rationes dictas §. præced. quo autem pacto cum hoc ſtet Deum eſſe intrinſecè *vnitum* cum tali accidenti difficultas eſt communis cum ea, de qua agitur in materia de Incarnatione, vt explicetur, quo pacto verbum non ſit ſubiectum vnionis quantumuis dicatur intrinſecè *vnitum*, cuius ratio breuiter eſt quia ſecluſo omni titulo intentionali, ſecluſoque conceptu *Immenſitatis, efficientiæ*, &c. Vi cuiuſdam nexus realis, & phyſici adæquate ſubiectati in humanitate Deus eſt intimè præſens humanitati. Sed de his plura in tract. de Incarnatione. Ad. 3. Reſpondeo cauſalitatem materialem non concedi à Patre Fonſeca ſecundum quod dicit receptionem, ſeu ſubiectionem accidentibus; ſed quatenus præciſè dicit ſuſtentationem, licet extrinſecam quã accidentia conſeruentur ſine ſubiecto intrinſeco vt in Euchariſtia, hic autem agimus de ſuſtentatione intrinſeca, ratione cuius Deus ſubſtet accidentibus per intrinſecam receptionem; quod non fit niſi ſubiectum intrinſecè perficiatur, vel deterioretur; vnde Angelus ſi reciperet quantitatem, quamuis non fieret 46

quantus eo quod non eſt capax huius denominationis, deterioraretur tamen, ſeu inficeretur à tali accidenti.

47 Dub. 3. An ſaltem ratione noſtra poſſit admitti in Deo aliquod accidens: ſtatutum eſt diffic. præced. nullũ eſſe accidens reale in Deo; adhuc tamen ſunt qui putant poſſe admitti in Deo accidens virtuale ex parte obiecti intrinſece: ita aliqui recentiores, quorum ſuppreſſo nomine meminit P. Alarcon. tract.3.de voluntate diſput. 4. cap.7. num. 20. Et ſaltem dari accidens ratione noſtra ſupponit P. Arriaga 1.part.diſput.2. num. 73. Vnde attributa poterunt dici, licet non realiter, virtualiter, & ratione noſtra accidentalia, cuius ratio eſt, quia attributa ſunt extra conceptum eſſentiæ ergo iure ratione noſtra cenſeri poſſunt accidentalia. Confirmatur maximè in relationibus diuinis, quæ etiam ex parte obiecti ſunt extra eſſentiam, ſiquidem non ſunt de eſſentia Dei. Ergo ipſi vt iam cõſtitutæ in ratione eſſentiæ accidunt. Ergo licet non realiter ob realem identitatem cum eſſentia, at ratione noſtra, & formaliter ſecundum proprium conceptum accidentia erunt: ita in terminis tuentur aliqui, quos ſuppreſſo nomine refert P. Faſolus 1.part. quæſt.3. art.6.num.4.

An ſolum ratione noſtra in Deo accidens reperiatur.

Affirmat Arriaga.

48 Ego cum eodem Faſolo ſupra, & P. Recupito lib. 5. de vnitate Dei quæſt. 18. num.14. abſolute cenſeo, nec ratione noſtra poſſe admitti in Deo accidens; id patet 1. de attributis, quæ omnia ſunt de conceptu formali eſſentiæ, ita vt eſſentia Dei æque ex omnibus conſtituatur etiam ratione noſtra vt late oſtendi diſput. 17. ſect.6. Probatur 2. de relationibus diuinis, & de ipſis attributis, quamtumuis ab eſſentia ratione diſtinguantur, nam adhuc vt ſubſiſtentia per ſe concipiuntur nihilque in ipſis concipit intellectus noſter, ratione cuius eiſdem tribuat denominationem *accidentis*, quod enim attributa verbi gratia concipiamus ad modum accidentium, ſeu per ſpecies accidentium non ſufficit vt dicantur accidentia ratione noſtra: ſic nullus dicet Deum eſſe *corpus* ratione noſtra, quamtumuis per ſpecies *corporis* apprehendatur: Ergo vt attributa dicerentur ratione noſtra accidentia, opus erat, quod in ipſis attributis reperiretur prædicatum aliquod accidentis proprium. At hoc non datur, nec ratione noſtra, ergo ſicut immenſitas v. g. non eſt ratione, noſtra corpus licet ad modum corporis latiſſime apprehendatur, ita neque erit ratione noſtra *accidens*. Vide dicta in tract. 4. de ſcientia Dei diſput.35. ſect.2. & 4. vbi nego in Deo inueniri actum primum, & radicem attributorum etiam ratione noſtra, ergo attributa, nec ratione noſtra erunt accidentia, de conceptu namque accidentis eſt in alio primo radicari.

Negandum cum Faſol. Recup.

49 Hinc ad oppoſitum opinandi modũ reſpondeo attributa, & relationes licet ratione noſtra ſint extra eſſentiam, at eſſe extra illam vt res ſubſiſtentes, ſeu per ſe ſtantes, nec aliter recte nec cum fundamento in re concipi poſſe, eo autem ipſo nec ratione noſtra erunt accidentia licet poſſint dici *accidentalia*, quo nomine vocantur etiam res, quæ ſubſtantiæ ſunt; ſi tamen extra eſſentiam concipiantur, ſic eſſe *veſtitum* ſubſtantia eſt licet accidentale eſt homini. Dices ex hoc titulo poſſe attributa vocari ratione noſtra *accidentia*. Reſpondeo hoc pertinere ad quæſtionem de voce, nec in re ſufficere vt ratione noſtra detur accidens ſicut nec realiter eſt accidens *veſtitus* licet ſit accidentalis. Dices 2. attributa ſunt diſtincta ratione ſeu ratione *plura* licet realiter ſint vnũ. Ergo ſimiliter poterũt dici ratione noſtra *accidens*, licet realiter ſint ſubſtantia; nec enim minus ſimplicitas Dei eſt ſumma, & infinita, quam ſubſtantialitas, ergo ſi illa permittit in perfectionibus abſolutis *diſtinctionem rationis* ita, & hæc *accidens rationis*. Reſpondeo diſtinctio rationis nihil dicit diſtinctionis in obiecto, ſed puram denominationem extrinſecam deſumptum à diſtinctione cognitionum noſtrarum, quibus poſſumus cognoſcere inadæquatè obiectum; vnde cum in cognoſci ſeparetur vna formalitas ab alia dicitur in cognoſci, ſeu ratione noſtra ſeparari, & conſequenter diſtingui. Iam vero hoc, quod eſt eſſe, vel denominari formalitatem aliquam objecti *accidens* eſt munus intrinſecum in ipſo obiecto nullatenus deſumptum ex natura vel modo cognitionis: ſicut enim eo quod iſta ſit ſpiritualis vel creata, obiectũ non dicitur *ſpirituale* vel *creatum ratione noſtra* ita neq; dicetur ratione noſtra *accidẽs* eo quod cognitio ſit accidens; niſi intrinſece in ſe obiectum habeat aliquid proprium accidentis. Dices vltimo dicatur accidens ratione noſtra, quia attributum vt ait Cyrillus 11. Theſauri *accidentium modo concipimus*. Reſpondeo iam quæſtio eſt de voce, & mala quemadmodum Deus non eſt ratione noſtra corpus licet ad modum corporis à nobis concipiatur.

Dub. 4. An in tẽpore poſſit aduenire Deo aliquod prædicatum adæquatè intrinſecum, quod non præfuerit ab æterno? De prædicato *volitionis liberæ* quamtumuis Deo adæquatè intrinſeco affirmauit Antonius Delphinus vnus è Patribus Concilij Tridentini lib. de rerum euentu pag. 23. de quo plura egi diſput. 61. ſect. 4 Vbi partem negantem adhuc in ſententia conſtituente actus liberos Dei ipſi adæquatè intrinſecos late defendi; modo tamen addo de prædicato *vnionis hypoſtaticæ* verbi gratia non poſſe conuinci; quod neque incipere in tempore cum enim iuxta hanc ſententiam cum neceſſitate eſſendi in Deo ſtet contingentia quoad denominationem, cur etiam cum æternitate eſſendi non ſtabit temporalitas quoad denominationem. Rurſus ſi quæ eſt inconſtantia moralis in eo quod incipiat Deus velle in tempore, ſeu incipiat habere nouam volitionem in tempore, quam non habuit ab æterno, talis inconſtantia non reſplendet in eo quod incipiat eſſe vnitum in tempore, ergo iuxta hanc ſententiam conuinci nequibit qui tueatur prædicatum *vniti* identificari de nouo cum Deo in tempore. Ideo ego hanc ſententiam auerſor, & latè impugno diſput.61. 50

An in tempore poſſit Deo aduenire aliquod prædicatũ intrinſecum?

Negandũ eſt

ARTICVLVS VII.

Vtrum Deus ſit omnino ſimplex?

De hac difficultate agit S. Thom. in 1. diſtinct. 8. quæſt.4. art.1. Et ad Annibaldũ eadem diſt. 8. quæſt. 3. artic. 1. & 1. contra Gentes cap. 16. & 18. & quæſt. 7. de potentia art. 1. & opuſc. 3. cap. 9. & 21. & de cauſis lectione 21. in præſenti autem art. 7. ideo ſtatuit Deum eſſe omnino ſimplicem. Primo quia ex præcedentibus articulis omnis compoſitio, quæ excogitari poteſt excluſa eſt. Secundo quia eſt primum ens. Tertio prima cauſa. Quarto actus purus, 5. ipſum *eſſe*. 51

Dub. 1. circa hanc veritatem articuli An attributa, & perfectiones abſolutæ diuinæ diſtinguantur inter ſe, vel ab eſſẽtia diſtinctione reali vel formali vel ſaltem virtuali intrinſeca, & ex natura rei, ſed de hac dubitatione egi ego latiſſimè veritatem fidei & alias 52

An diuina attributa diſtinguantur inter ſe, & ab eſſentia

Negat ex natura rei. Baſil. Bellarm. Canc.Rhem Mentoya. Recup, Petau.

ipſi congruentes defendens tract. 1. diſput. 14. & 15. in quibus omnem diſtinctionem ex natura rei etiam virtualem impugnaui per 29. ſectiones, quare eis nihil modo addere opus eſt, cum non obſtante diſtinctione perſonarum inter ſe Deum omnino ſimplicem eſſe, perſonalitateſque diuinas cum eſſentia compoſitionem non facere definitum ſit in Concil. Lateranenſe ſub Inn. 3. relato in c. 1. de ſumma Trinit. in principio ibi *Pater, Filius, & Spiritus ſanctus vna eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omnino*. Sic Baſil. l. 1. contra Eunom aliquanto ante finem *ſimplex omnino, & inco mpoſitus, & penitus liber ab omni compoſitione* dicitur Deus, Bernardus lib. 5. de conſideratione circa medium *non eſt compoſitus Deus, merum ſimplex eſt*. Vnde definitum eſt contra Gilbertum Porretanum in concilio Rhemenſi ſub Eug. 3. *Credimus Deum non niſi ſapientia, quæ eſt ipſe Deus ſapientem eſſe non niſi æternitate, quæ eſt ipſe Deus æternum eſſe*, &c. De qua veritate paſſim inuenies innumera Patrum teſtimonia exquiſitiora tamen vide apud P. Didacum Ruiz de Montoya diſp. 8. de ſcientia ſect. 3. & 4. & diſput. 11. de Trinitate per totam P. Iulium Cæſarem Recupitum lib. 3. de attributis in communi quæſt. 4. cap. 2. P. Dionyſium Petauium tom. 1. de Theologicis dogmatibus vbi lib. 2. ferè per totum Patrum præcipuè antiquorum catenam nectit huic veritati ſuffragantium.

53 *An in Deo ſit compoſitio rationis? Affirmat.* S Bonauentur. Ferrara. Suarez. Gillius. Faſol. Recupitus. Arriaga.

Dub. ſecundò An in Deo admittenda ſit rationis compoſitio ita vt licèt realiter ſit omnino ſimplex compoſitionem tamen rationis admittat. Prima ſententia affirmat ita S. Bonauentura 1. diſt. 34. art. 1. quæſt. 1. Ferrara 1. contra Gentes cap. 18. Suarez diſput. 30. Met. ſect. 4. à num. 18. P. Gillius lib. 2. tract. 4. cap. 14. num. 4. Faſol. 1. part. quæſt. 3. art. 7. dub. 4. num. 14. Cæſar Recupitus lib. 5. de vnitate Dei quæſt. 17. num. 4. P. Arriaga diſp. 2. de Deo vt vno num. 73. P. Mattiron diſput. 4. num. 4. Tribuiturque D. Thom. 1. diſt. 24. quæſt. 1. art. 2. ad 4. & diſtinct. 25. quæſt. vnica art. 1. ad 2. Mouentur quia non obſtante ſumma ſimplicitate Dei ſummaque vnitate, adhuc admittitur inter attributa diſtinctio, ſeu pluralitas per rationem: Ergo ſimiliter admitti poterit rationis compoſitio. Confirmatur quia compoſitio nihil aliud eſt, quàm plurium partium ſimultanea poſitio, maximè dum hæ partes intrinſece coniunguntur, ideo communiter impugnatur diſtinctio ex natura rei inter attributa, quia redderent Deum compoſitum ex natura rei: Ergo diſtinctio rationis faciet compoſitionem rationis.

54 Negandum cum Aureol. Mayron. Soncin. Capreol. Granad.

Secunda ſententia, cui ego adhæreo negat Deo compoſitionem rationis. Ita Aureolus 1. diſtinct. 1. quæſt. 1. art. 2. vbi *Deus* inquit *poteſt dici multiplex; non tamen compoſitus ſecundum rationem; quia illæ rationes non componuntur ad vnitatem in Deo, nec in intellectu*. Mayton quæſt. 7. art. 1. tertia parte articuli Soncinas 12. Met. quæſt. 25. ad 3. Capreolus 1. diſtinct. 2. quæſt. 3. ad 4. Granadus 1. part. tract. 2. diſput. 3. Mouentur communiter hi Authores quia perfectiones diuinæ implicite continentur in eſſentia, nequit autem fieri compoſitio, niſi vna pars ſit extra aliam. Sed contra hoc eſt quia vt late oſtendi tract. 1. diſput. 16. licèt attributa non diſtinguantur ab eſſentia, diſtinguntur tamen ratione noſtra adæquata inter ſe. Ideo mihi verius probatur hæc ſententia, quia *compoſitio* non venit à noſtro cogitandi modo, ſicut *diſtinctio*, ſed debet inueniri ex parte obiecti ratione alicuius prædicati proprij *compoſitionis*, ſeu rei compoſitæ ad modum quo id explicui de prædicato *accidentis* vel *corporis* in §. 49. In quo maximè differt *compoſitio rationis* à diſtinctione rationis, per *diſtinctionem* namque non concipimus diſtinctionem in obiecto, ſed ſolum ſignificamus quod concipiamus vnam formalitatem non intellecta alia, ita vt ly *non* cadat ſupra intellectionem noſtram, non ſupra aliam formalitatem, vt ſenſus ſit non quidem quod concipiamus vnam formalitatem habere negationem, & diſtinctionem ab altera, ſed ſolum quod nos non concipimus per vnam intellectionem, quod concipimus per aliam vnde obiectum, quod realiter non eſt *vnum, & alind* denominatur *vnum*, & *alind* intentionaliter, quia vna, & alia intellectione percipitur. Hoc autem modo non poſſumus explicare compoſitionem rationis ita vt compoſitio teneat ſe ſolum ex parte intellectionis, ſicut diximus de diſtinctione; quia intellectio non dicitur componere in ordine ad aliam intellectionem, ſed ſolum in ordine ad ipſas res intellectas, & ratione diſtinctas, quaſi in obiecto conſideraт vnitas quod nullatenus in obiecto euenit vnde ſimpliciter neganda eſt *compoſitio* in Deo etiam ratione noſtra.

Hinc conſtat facilis ſolutio ad fundamentum contrariæ ſententiæ in §. 53. conſtat namque tum diſcrimen inter compoſitionem rationis, & diſtinctionem rationis, tum etiam nos non ponere in ipſo obiecto aliquam diſtinctionem, prout hæc denotat aliud, quam ſummam perfectionem obiecti, quæ omnino, & adæquatè concipi nequit à nobis per vnicam cognitionem, ſimile autem fundamentum dari nequit ad compoſitionem rationis vt explicui §. præcedent. Ad confirmationem Theodorus Smiſing. tom. 1. de Deo tract. 2. diſp. 2. quæſt. 2. num. 55. cenſet ex formalitatibus diuinis licèt ex natura rei diſtinctis non fieri compoſitionem ex natura rei, quia ſcilicet vna non additur vt complementum alteri; ſed ſingulæ completæ ſunt, & infinite perfectæ ita vt ſi realiter diſtinguerentur non minus per ſe ſubſiſterent, quam tres perſonæ diuinæ, Ergo ſicut iſtæ licet realiter diſtinctæ non faciunt compoſitionem realem ita nec formalitates quantumuis diſtinctæ ex natura rei faciunt compoſitionem ex natura rei. Sed in primis iſte Author non vitat odium, quod concipiunt omnes contra diſtinctionem ex natura rei eo quod opponatur ſummæ ſimplicitati Dei, nam iſta non ſolum excludit compoſitionem, ſed etiam pluralitatem in abſolutis ergo ſicut reiicienda eſt compoſitio licèt ex natura rei formalis, ità & pluralitas, quæ non ſit inter relatiua vide meam diſput. 14. num. 38. Deinde eſt diſcrimen vt Trinitas perſonarum non faciat compoſitionem, quia non vniuntur inter ſe, nec vnum tertium componunt ſicut attributa, quæ diſtinguerentur ex natura rei, quam rationem attigit S. Thom. in 1. diſt. 8. quæſt. 4. art. 1. Ad vltimum & omnino tenenda eſt contra Petrum Dalliaco quæſtione 5. art. 1. tuentem quod eſſentia diuina non eſt ſimpliciter *ſimplex* quoniam admittit pluralitatem perſonarum. Sed his omiſſis concedo diſtinctionem ex natura rei ſufficere compoſitioni ex natura rei, ſecus diſtinctionem rationis compoſitioni rationis, quia prima diſtinctio eſt in obiecto; ſecus ſecunda. 55

Cur Trinitas perſonarum non faciat compoſitionem vide §. 63. Petri Alliaci dictum reiicitur.

Dub. tertiò An Deus ſit ita omnino ſimplex vt non admittat diſtinctionem rationis. Reſpondeo neceſſario admittendam talem diſtinctionem vt defendo diſp. 16. per totam licet ea diſtinctio nequeat fieri per cognitionem intuitiuam vel viſionem beatam vt defendi diſp. 31. ſect. 3. 56

An Deus admittat diſtinctionem rationis?

Dub.

57 *An realis ſimplicitas ſit incommunicabilis creaturæ? Affirmat* S.Thom. Suarez

Dub. quarto An ſimplicitas realis ſit ita Dei propria vt nulli creaturæ queat communicari. Prima ſententia affirmat eſſe ita propriam Dei. S.Thom. 1. ſententiarum diſtinct. 8. quæſt. 5. art. 1. & eadem diſtinct. 8. quæſt. 4. art. 1. P. Suarez diſput. 33. Met. ſect. 1. num. 8. Mouentur primo quia omnis creatura ſaltem conſtat eſſentia, & exiſtentia. Hæc autem aliquo modo diſtinguuntur quatenus à parte rei dari poteſt ſtatus, in quo non perſiſtat exiſtentia exercita. Secundò talis creatura ſi eſt ſubſtantia compoſitionem ſubſiſtentiæ admittet vt dixi §. 18. Si accidens ſaltem admittet compoſitionem cum ſubſtantia. Tertio quia tale ens non eſt *neceſſarium*, Ergo admittet compoſitionem durationis diſtinctæ. Quarto non eſt *immenſum*. Ergo componetur cum modo vbicationis. Secunda ſententia poteſt eſſe, quæ admittat entitatem creatam ſimplicem omnino quia poſſet eſſe eſſentialiter alligata loco, & tempori, ex quo nullo modo durationis, nec vbicationis indigeret: rurſus talis ſubſtantia conſtitueretur ſubſiſtens per negationem vnionis ad extraneum ſuppoſitum iuxta modum quo explicat quidditatem ſubſiſtentiæ creatæ Scotus, vnde nullum modum poſitiuum haberet; cum quo faceret compoſitionem, hæc enim omnia non videntur repugnare conceptui creaturæ cum ſter ſubiectio, & dependentia ad Deum, & quod talis creatura non ſit neceſſaria in exiſtendo, poſſeque Deum habere dominium vt producat vel non producat in hoc inſtanti, & loco, quin ideo eſſentia ab exiſtentia exercita poſitiuè diſtinguatur vt generaliter oſtendam in opere philoſophico, nunquam in creatura diſtingui eſſentiam ab exiſtentia, quantumuis indifferens ſit ad eſſe, & non eſſe.

58 *Negandum de ſimplici ex natura rei.*

Ego quantumuis ob hæc fundamenta quæ poſui pro ſecunda ſententia putem poſſibilem eſſe ſubſtantiam creatam omnino ſimplicem ex natura rei, hoc eſt nulla alia entitate diſtincta indigentem ex natura rei, ita vt natura ſua ad nullam compoſitionem ordinetur; nihilominus non ita erit ſimplex vt per potentiam obedientialem in compoſitionem venire nequeat; nam primo aſſumi poterit hypoſtatice à Deo vt dixi num. 19. In quo caſu vnionem hypoſtaticam talis ſubſtantia recipiet, & conſequenter cum illa compoſitionem faciet; ſecundo ſiquidem talis ſubſtantia limitata eſt, vlterius à Deo perfici poterit, & conſequenter nouas perfectiones recipere intrinſecè per illaſque ornari, & componi. Dices non implicat creatura, quæ nullius effectus ſit actiua ergo, & quæ nullius ſit receptiua totum hoc patet à fortiori in perſonalitatibus diuinis quæ vt tales actiuæ non ſunt. Reſpondeo primo nego antecedens nam in qualibet creatura datur potentia obedientialis actiua, vt alibi oſtendam licet talis creatura non ſit connaturaliter actiua: in Perſonalitatibus vero diuinis diuerſa eſt ratio, nihil enim eis poteſt competere obedientialiter, quod non competat connaturaliter cum nulli ſubiectæ ſint, iam vero ipſis non eſt opus vt conueniat actiuitas propria, cum ſatis ſit ipſis ad agendum ad extra omnipotentia communis. Reſpondeo ſecundo limitationi creaturæ aptius congruere quod poſſit ſemper vlterius recipere, quam quod poſſit vlterius dare proprium namque eſt pauperis, ſeu rei imperfectæ recipere vt quo imperfectior ſit, ſit aptior ad recipiendum non vero ad dandũ. Sic ait Bern. ſerm. 80 in cant. Aug. 1. Ciu. 10. ſolum Deũ eſſe ſimplicẽ.

59 Dub. quinto An ſimplicitas ſit perfectio ſimpliciter. Prima ſententia affirmat quia vnitas in Deo eſt magna perfectio, ſed ſimplicitas ſe habet ad modum vnitatis ergo. Secundò non eſſe ſimplicem eſſet imperfectio in Deo ergo quia careret aliqua perfectione. Ergo eſſe ſimplicem eſt perfectio; vbi enim negatio eſt cauſa adæquata negationis conſequens eſt vt affirmatio ſit cauſa affirmationis. Ita Henriq. in ſumm. art. 28. q. 1. Scot. 1. diſt. 8. quæſt. 1. ad primum S. Bonau. 1. diſt. 8. art. 3. quæſt. 2. ad. 1. Tuentes ſimplicitatem eſſe attributum poſitiuum.

An ſimplicitas ſit perfectio ſimpliciter? Affirmat Henriquez. Scotus. S.Bonauent.

Secunda ſententia, cui adhæreo aſſerit ſimplicitatem licet ex parte fundamenti dicat perfectionem, at vt ſic formaliter reduplicare ſupra negationem, quæ perfectio non eſt: Ita Aureolus 1. diſtinct. 8. quæſt. 3. art. 2. Mayron quæſt. 7. art. 1. Caietanus, de ente, & eſſentia cap. 2. Suarez lib. 1. de eſſentia Dei cap. 4. Molina, Bannez, Zumel, Nazario cum, & apud Faſolum in hoc artic. 7. dub. 3. Moueor quia ſimplicitas ſupra rem, quæ ſimplex denominatur ſatis intelligitur, ſuperaddita ſolum negatione compoſitionis, & partium. Secundo ita ſe habet vnitas ſicut ſimplicitas, hoc tantum diſcrimine, quod illa dicatur contra multitudinem; hæc contra compoſitionem. Tum ſic ſed vnitas nihil addit poſitiuum niſi negationem multitudinis ergo ſimplicitas ſolum habet negationem compoſitionis. Ex quo ſimpliciter dicitur perfectio negatiua, quatenus nempe ratione huius negationis pluribus imperfectionibus liberatur, & ideo cæteris paribus melius eſt eſſe ſimplicem, quam compoſitum: quod ſi forma licet ſimplicior compoſito illo perfectior non ſit ex eo eſt quia cum illa ſimplicitate non coniungit perfectiones poſitiuas Compoſiti vt eſſe completum, ſubſiſtens, &c. Quas ſi cum ſua ſimplicitate coniungeret compoſitum ſuperaret. Ob id ergo Deus ratione ſimplicitatis eſt maximè perfectus quia cum illa coniungit quidquid perfectionis eſt in creaturis eminentiori modo.

60 *Negandum cum.* Aureol. Mairon. Caietan. Suarez. Molina. Bannez. Zumel. Nazar. Faſol.

Ex his facile ſoluuntur argumenta pro prima ſententia in §. Ad primum dico vnitatem eſſe attributum negatiuum, quod pro formali dicit negationem quæ in ſe nullius perfectionis eſt; licèt in fundamento magnam perfectionem arguat. Hinc 61
patet ad ſecundum eſſe ſimplicem ſummam perfectionem eſſe ex parte ſcilicet fundamenti, quod ideo compoſitionem excludit, quia ſibi ſolum, & abſque alio ſufficit.

Dubit. ſextò An Deus conſtituatur ex partibus integrantibus hoc eſt non ſe habentibus, vt potentia, & actu, ſed licet ſubſtantialibus, & per modum actus, pertinentibus tamen ad integritatem naturæ diuinæ vt partes integrantes in corpore verbi gratia in viuente manus, & pedes; in accidente gradus intenſionis, &c. Quam dubitationem hic conſtituo, quia ſub his terminis non eſt propoſita à S.Thoma, pertinet autem ſine dubio ad perfectam ſimplicitatem intrinſecam, de qua in hoc articul. 7. agitur. Aliqui partem negatiuam, quæ de fide eſt defendunt, quia Deus ex art. 1. non eſt corpus, perinde autem eſt corpore carere, ac carere partibus integrantibus, quæ quantitatiuæ dicuntur, & propriæ rei materialis. Sed contra eſt quia ſicut poteſt dari res materialis ſine partibus integrantibus vt patet in formis viuentium materialium perfectorum, ita è contra *Spiritus* poterit conſtare partibus: præterea gratia licet ſpiritualis dum intenditur, integratur per varios gradus. Alij addunt quia Deus eſſet corruptibilis ex Naz. Orat. 2. de Theol. *Vbi compoſitio ibi pugna principium eſt: pugna autem diſſidij; diſſidium ſolutionis; ſolutio vero nullo modo in Deum cadit.* Ergo Deus non poteſt componi ex partibus integrantibus. Sed etiam eſt

62 *An Deus conſtituatur ex partibus integrantibus?*

eſt inſufficiens ratio iſta. Nam Nazianzenus loquitur de compoſitione ex materia, & forma contrarium habente, iſta vero compoſitio ex partibus integrantibus non eſt talis: quare ſi fieret per vnionem poſſet iſta poni incorruptibilis; vel etiam poſſet fieri compoſitio ſine vnione mediâ, ſed ſolum per eſſentialem alligationem vnius partis cum alia per intimam concluſionem, vti Perſonalitates diuinæ ſe ipſis ſunt ab inuicem inſeparabiles.

63 Sed vt ab hoc exemplo incipiam imprimis non eſt dicenda Trinitas compoſita, vide Ruiz diſp. 58. de Trinitate nec conſtare ex tribus Perſonalitatibus, vt ex partibus integrantibus quia nec coniunguntur per intrinſecam vnionem; aliunde quælibet per ſe integra eſt non completibilis per aliam, vt exigitur ad rationem compoſitionis vt dixi §. 55. ob quod etiam abſolute rejicienda eſt hæc compoſitio, quæ in Deo fingitur ex partibus integrantibus, quia nihil poteſt eſſe in Deo, quod Deus non ſit infinitum, & omnino completum; quod ſi fingas quamlibet partem eſſe infinitam, & completam, vt quid iam indigebit aliâ comparte cur in ſola vna, quam vocas *partem* non conſiſtet tota eſſentia Dei? deinde eſt ratio à priori, quia nihil eſt diſtinguendum in Deo, niſi cogente euidenti ratione, & neceſſitate muneris. At hoc ſolum eſt quoad *produci*. Ergo ſola illa prædicata inter quæ verſatur relatio, ſeu oppoſitio producentis, & producti ſunt diſtinguenda. Vnde in abſolutis omnimoda ſimplicitas eſt.

Ratio negandi.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Deus in compoſitionem aliorum veniat?

64 AGit de hac difficultate S. Thomas 1. diſt. 8. quæſt. 3. art. 2. & 1. con. Gent. cap. 17. 27. & 28. & quæſt. 21. de verit. art. 6. & quæſt. 16. de Malo art. 12. & opuſc. 3. cap. 17. & 18. In præſenti autem artic. 8. ideo ait Deum non poſſe venire in compoſitionem aliorum, neque vt Materiam neque vt formam omnium rerum, ſeu vt animam mundi, vt quidam falſo exiſtimarunt. Primo quia eſt prima cauſa efficiens. Secundo quia ei conuenit primo, & per ſe agere. Tertio quia eſt primum ens, quæ munia non permittunt vt aliquo modo Deus veniat in compoſitionem cum aliis.

65 Dubit. An Deus ex ſuo placito poſſit obire munus partis componentis in compoſito ſubſtantiali nempe per modum Materiæ primæ, vel formæ? Ex neceſſitate Deum ad nihil aliud componendum ordinari eſt per ſe notum ob ſummam perfectionem, & independentiam deitatis. At pro libito ſuo eſt ratio dubitandi. Prima vt Deus ſit prima cauſa in omni genere, poſſitque ſe ſolo præſtare, quidquid fit mediis cauſis ſecundis. Secunda quia Deus de facto conſtituit vnum per ſe ſuppoſitum in Chriſto, non quidem ſuppoſitum ſimplex, ſed compoſitum per vnionem cum humanitate. Tertia hinc vti per vnionem cum ſubſiſtentia Verbi poteſt reddi creatura ſubſiſtens, cur ſimiliter non poterit per ſimilem vnionem reddi *viuens*, ſeu animari, compleri ſubſtantialiter, &c. Ergo obire poterit Deus rationem formæ ſubſtantialis, & animæ & conſequenter vt talis veniet in compoſitionem; & ita ſentit Ioann. de Ripa apud Capreol. 3. diſt. 5. qu. 2. art. 2. initio dicens: *Quod diuina eſſentia poteſt eſſe realiter forma creaturæ intrinſeca* & in tertio argumento: *de facto diuina eſſentia eſt vnita Animæ Chriſti, & Carni, & humanitati, & toti communicans eſſe vt forma intrinſeca*

An Deus poſſit obire munus partis in compoſito ſubſtantiali?

Ratio dubitandi.

Affirmat Ripa.

66 Duæ ſub hac dubitatione examinari difficultates poſſunt: Prima An Deus vti facit vnum ſuppoſitum per ſe in Chriſto, redditque eius humanitatem *ſubſiſtentem* per vnionem intrinſecam; ſiue hæc contingat eo quod vniatur per modum formæ intrinſecæ, ſiue per modum puri termini, poſſit ſimili, & proportionata vnione complere materiam primam, *viuificare* ſubſtantialiter Corpus organiſatum; aut etiam communicare naturæ creatæ alias denominationes *intelligentis, immenſæ, durantis*, &c. Aut è contra recipere denominationes vt intelligat per intellectionem creatam, compleatur in ratione *ſubſiſtentis, durantis*, &c. Sed de hac prima difficultate agam late in tract. de Incarnatione, in quo à paritate vnionis hypoſtaticæ, & quaſi compoſitionis ſuppoſitalis de iis omnibus agitur.

Quæ ſit propria difficultas hic.

67 Secunda difficultas propria huius loci, & dubitationis non ſolū quærit munus denominandi vtcumque, ſed etiam ſtrictam rationem ſubiecti, vel formæ intrinſecæ, quam exerceat Deus licet non ex neceſſitate, vel ordinatione connaturali, tamen ex proprio libito, & vnione miraculoſa per modum ſubiecti, aut formæ intrinſecæ vti Deus vnitus fuit intrinſece per modum termini. In quo ſenſu omnino negandum eſt Deum poſſe in compoſitionem venire. Ita omnes Theologi tanquam certum ſupponunt in hoc articulo 8. Videantur Faſolus dubit. 2. num. 6. Recupitus lib. 5. de vnitate Dei q. 19. num. 7. Gillius lib. 2. tract. 4. num. 12. Cuius rei mihi ratio eſt ne Deus poſſit vniri per modum *ſubiecti* quia implicat quod Deus comparetur vt pure recipiens vt dixi reſpectu formæ accidentalis in §. 45. Eadem autem ratio eſt reſpectu formæ ſubſtantialis: Iam per modum *formæ intrinſecæ* nihil in alio recipitur niſi id quod tale eſt vt eius productio vel *eſſe* vel quoad entitatem, vel quoad aliquam operationem indigeat tali ſubiecto, vt patet in formis eductis, quarum productio à ſubiecto dependet, & in creatis vt anima rationalis, licet actio non dependeat à ſubiecto, neque ipſa anima in ſuo *eſſe* dependet tamen in operari; Neque explicari poteſt maxime in formis perfectis, & completis, in quo alio conſiſtere poſſit munus *formæ* reſpectu alicuius totius, ſeu compoſiti, quam in hac dependentia. At Deus nec pro ſuo libito poteſt ſe conſtituere ita dependentem à creatura; vt Phyſice ſit impotens operari ſine vnione cum illa. Ergo neque poterit obire munus formæ.

Ratio nõ Deus poſſit venire in compoſitionẽ intrinſecam vt pars.

ita cõmunis
Faſol.
Recupit.
Gillius.

68 Ad argumenta in §. 65. Reſpondeo ad primum Deus poteſt in genere cauſæ intrinſecæ, & effectiuæ ſe ſolo præſtare, quod facit mediis cauſis ſecundis; non tamen in genere cauſæ intrinſecæ; ſic non poteſt facere *album* ſine albedine. Ad 2. Deus in Chriſto conſtituit compoſitum ſuppoſiti, at non proprie compoſitionem facit, quatenus nec conſtituit vt pars per ſe ordinata ad talem compoſitionem; neque aliunde obit munus ſubiecti, aut formæ ob rationem ſupra dictam §. 67. Sed ſolius *termini* intrinſeci. Si autem velis adhuc dici ex verbo, & humanitate reſultare vnum compoſitum; *nam ſicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo, ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus.* Dicam locutionem eſſe impropriam quoad vocem *compoſitionis*, quia hæc vt talis conſtituitur ex potentia, & actu, ſubiecto, & forma. Ad 3. conſtat quid dicendum ſit iuxta §. 66.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

De Dei perfectione.

DIGET ſub hac quæſtione includi poſſint ea quæ à me dicuntur in tractatu 2. de attributis Dei maxime diſput. 18. Nam ratio perfectionis non tam videtur ſpeciale Dei attributum, quam generalis ratio attributi; quod perinde eſt ac perfectio in Deo vt conſtat ex ibi dictis ſect. 1. vnde agere de attributis Dei, & de perfectionibus diuinis perinde eſt; vt ſub hoc nomine apprimé præſtitit P. Leonardus Leſſius in tractatu de perfect. diuin. per 14. libros. Nihilominus hic D. Thomas *Perfectionem* Dei vt ſpeciale attributum examinat præuium ad bonitatem vt ex proæm. huius quæſt. 4. conſtat de qua ego breuius agam, quàm de præcedentibus, cum pauca ſint, quæ in meis diſputationibus longè lateque non examinem.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus ſit perfectus?

1 DE hac difficultate agit S. Thomas 1. contra Gent. cap. 28. & quæſt. 2. de veritat. artic. 3. 13. In præſenti autem articulo, ideo ait Deum eſſe perfectiſſimum, quia eſt actiuum principium primum. Et quidem Deum eſſe non ſolum perfectum, ſed infinite perfectum, adeò vt omnis perfectio nullam imperfectionem inuoluens ipſi concedi debeat eſt prima veritas, & principium per ſe notiſſimum tam in ſupernaturali, quam in naturali Theologia, vt nullus vnquam id negauerit mediocris intelligentiæ Philoſophus quod ſi Deo plures imperfectiones tribuerint antiqui hoc ſub ſpecie perfectionis contigit. Quare concluſio extra omne dubium eſt Deum nempe ita eſſe perfectum vt nihil quod excogitari poteſt perfectionis ei deſit non ſolum in genere, ſed abſolute: ſic Deus Exodi. 33. dicitur *omne bonum.* Rom. 8. v. vltimo *ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Ambroſ. 3. de off. cap. 2. *Deus iuſtus per omnia, ſapiens ſuper omnia, perfectus in omnibus.* Dionyſ. cap. 5. de diu. nomin. *non quidem hoc eſt; hoc autem non eſt: ſed omnia eſt omnium cauſa.*

2 Dubit. 1. Qua potiſſimum ratione probetur hæc Dei perfectio. Varias vide apud Suarez diſput. 30. Met. ſect. 1. Ioannem Martinon diſput. 4. ſect. 2. Dionyſium Petauium lib. 6. cap. 7. Mihi prima & firmiſſima placet ex D. Thoma. Quia Deus eſt primum Principium actiuum, à quo ſunt omnes perfectiones. Ergo in ſe debet eas præhabere, nemo enim dat quod non habet. Confirmatur omnis perfectio excogitabilis vel creata eſt vel increata; ſi *increata* erit Deus qui ſolus increatus eſt; ſi vero creata erit à Deo collata, & producta. Secunda ratio ſit ex ipſo conceptu *increati*, & *improducti* ex quo

Qua præcipua ratione probatur Dei perfectio.

Probatur ex ratione Principij primi.

& improducti.

appatet nullum titulum ſupereſſe ratione cuius Deus limitetur; cur enim, vel vnde coarctaretur Dei perfectio vt eſſet tanta, & non paululum maior ſi interminis ipſis non inuoluit implicationem. Ergo opus eſt vt Deus ſit ens omnino illimitatum continens perfectionem omnem, quæ excogitari poteſt ſine imperfectione, & implicatione. Hoc autem formaliſſime eſt eſſe infinite, & ſumme perfectum; ſed de infinitate hac agemus iterum cum D. Thoma infrà quæſt. 7.

Dubit. 2. An exiſtentia ſit perfectior quam eſſentia. Rationem dubitandi præbuit S. Thomas hic ad. 3. Vbi ex eo quod Deus ſit ſuum *eſſe* infert eſſe ſumme perfectum: item quia exiſtentia ſe habet ad eſſentiam vt actus ad potentiam; actus autem perfectior eſt quam potentia. In contrarium autem eſt nam vel eſſentia & exiſtentia diſtinguuntur, vel non: Si primū exiſtentia erit accidens, vel ſaltem modus; eſſentia vero ſubſtantia abſoluta, iſta autem perfectior eſt modali. Si ſecundum nulla poteſt eſſe comparatio, cum hæc ſolum verſetur inter diſtincta. Neque verum eſt quod actus ſemper ſit perfectior, quam potentia illi correſpondens: etenim ſubſtātia comparatur vt potentia ſed accidentia neque ideo eſt illis imperfectior ſed longè perfectione ſuperat. Vnde hanc ſententiam tuetur Soncin. 4. Met. quæſt. 13. Molina hic diſp. 2. aſſerens contrarium eſſe creditu difficillimum, nec vlli rationi efficaci initi. Scot. 4. d. 1. quæſt. 1. Valentia part. 1. circa principium Zumel. 3

An eſſentia ſit perfectior quā eſſentia.

Negat Soncinas. Molina. Scotus. Valentia. Zumel.

4 Ego dico exiſtentiam longe perfectiorem eſſe, quam eſſentiam, prout hæc concipitur vt pure eſſentia, quoad hunc enim ſtatum facienda eſt comparatio, alias ſiue eſſentia diſtinguatur ab exiſtentia, ſiue non, niſi concipiatur in ſtatu puræ eſſentiæ ſemper exiſtentiam imbibet. Tunc ſic eſſentia in eſſe eſſentiæ ſimpliciter eſt nihil, ſimpliciter nullam perfectionem habet, licet habere poſſit; ſed longè perfectius eſt habere perfectionem (quod ſonat *exiſtentia* vtique exercita) quam illam non habere; vt nulla ſit comparatio, vt ſi ratione *albi* comparem album cum *non albo*, ergo perfectior eſt exiſtentia. Vnde ſi aliquid ſit ipſum *exiſtere* omnium formaliter, vel eminenter; qualis eſt Deus conſequenter erit perfectiſſimus. Confirmatur omnis eſſentia vt eſſentia eſt poteſt non eſſe; indifferenſque eſt ad eſſe, & non eſſe: quam indifferentiam non habet ipſa exiſtentia exercita; in nobis quidem, quia nomen *exiſtentiæ* non damus niſi rei quando exiſtit; in Deo etiam quia quomodocumque concipiatur ſemper imbibit ipſum *eſſe* de ſecundo adiacente, ſummamque determinationem vt ſemper exiſtat. Tunc ſic ſed vel tantilla perfectio, quæ non poteſt non eſſe, longè melior eſt ſummâ etiam perfectione, quæ deficere poteſt ſaltem per ſe loquendo. Ergo.

5 Ad argumenta in contrarium in § 3. Reſpondeo nos non loqui de exiſtentia, vt modus eſt diſtinctus ab eſſentia actuali, ſic enim imperfectior erit illa, cum in eſſentia ſic iam inueniatur intrinſecus actus quo intrinſece non eſt pure poſſibilis; de exiſtentia igitur loquor vt actus eſt ſubſtantialiter diſtinguens rem à mera poſſibilitate; quo autem pacto capi hoc poſſit, quin intrinſece identificetur cum entitate non eſt huius loci nec comparationis, in qua tantum comparo terminos *exiſtentiæ exercitæ*; & pure *eſſentiæ* ſecundum proprium ſtatum quicumque iſta ſit ab exiſtentia diſtractus. Quare licet non omnis actus ſit perfectior potentiâ realiter ab illo in eſſe exiſtentiæ diſtincta, vt quando accidens

cum

cum ſubſtantia comparatur, ſecus accidens quando comparatur cum ſua puta potentia vt tali, ſic melius eſt eſſe album, quam pura poſſibilitas albi. Ergo, & melius eſt *eſſe* hominem, quam *poſſe* eſſe hominem, ſeu actus hominis, quam poſſibilitas vt ab actu omni diſtinguitur. Cogita in homine exiſtẽte duos conceptus vnum, qui intrinſecè, & in ſe eſt *nihil* actu ſeu potentia vt ſit homo, meraque poſſibilitas; alium, qui eſt intrinſecè animal rationale ſeu qui eſt ſecundum ſua prædicata actu, & verè eſſe hominem; quis primum comparabilem cum hoc quoad perfectionem apprehendat? Quis non huic ſtatim deferat totum conceptum perfectionis illi verò nullum? Si autem dicas eſſentiam etiam in ſe eſſe aliquid à parte rei iam non comparas eſſentiam puram, & vt omnino diſtinctam cum exiſtentia; ſiquidem vt ſic aliquid actus habet, & in ſe diſcernitur ab ſtatu, quem habuit ab æterno.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Deo ſint perfectiones omnium rerum?

6 *Senſus quæſtionis.* DE hac difficultate agit S. Thomas 1. contra Gentes cap. 28. & lib. 2. cap. 2. & opuſc. 3. cap. 21. & 22. 28. & 33. in præſenti autem articulo ideo probat in Deo contineri perfectiones omnium rerum. Primo quia eſt cauſa effectiua omnium. Secundo quia eſt ipſum *eſſe* per ſe ſubſiſtens. Pro intelligentia huius articuli noto vt hoc quæſitum diſtinguatur ab eo quod quæritur in art. primo præcedenti, in præcedenti art. quæſitum fuiſſe de perfectione Dei in eſſe Dei, hoc eſt, vtrum Deus ſit in eſſe completo, ſeu in ſtatu perfecto deitatis ita vt non ſit in potentia ad ſtatum perfectum ad modum quo puer eſt in potentia ad ſtatum perfectum *hominis*, ſed ſit actu in ſtatu perfecto *Dei*, vti vir eſt in ſtatu perfecto hominis. In præſenti autem articulo ſecundo vlterius quæritur an poſito quod Deus ſit perfectus in eſſe Dei, in hoc eſſe includantur perfectiones omnium rerum. Et quidem includi ſatis à me probatum eſt num. 1. & 3. cum de prima perfectione in eſſe Dei dubitari non poſſet, ſiquidem cum Deus omnino incauſatus ſit, neceſſatio omnia prædicata in actu habeat, nullumque in potentia, & conſequenter omnino perfectus ſit in eſſe Dei; à quo enim in eſſe deitatis creſceret? Solum ergo reſtat.

7 *Quomodo contineantur in Deo perfectiones omnium rerum?* Dubit. primo quomodo contineantur perfectiones omnium rerum in Deo circa quam dubitationem omnes ſupponunt non inueniri formaliter, ſed tantum eminentiori modo: certum namque eſt in Deo debere contineri perfectionem ignis, cum tota ignis perfectio à Deo dimanet, & communicetur; aliunde autem certum debet eſſe Deum non eſſe formaliter ignem; ex quo præſens dubitatio eſt, quo pacto in Deo contineantur perfectiones creatæ; quid ſignificetur cum communiter dicitur perfectiones creatas eſſe in Deo eminenter. P. Suarez *Quid ſit contineri eminenter? P. Suarez.* diſp. 30. Met. ſect. 1. ait contineri *eminenter* vel virtualiter perfectiones creatas in Deo, nihil aliud eſſe quam Deum eſſe ſuperioris ordinis & perfectionis, qua poſſit cauſare omnes alias. Sed contra tum quia committitur hic circulus nam vt probetur quod Deus poteſt cauſare omnia id probatur, quia omnia continet: poſtea autem hæc continentia probatur, quia omnia producit: contra etiam quia peccatum non eſt eminenter in Deo, & tamen quid quid perfectionis phyſicæ eſt in peccato profluit à Deo. Contra denique quia ignis *B.* verbi gratia, *P. Arriaga.* non eſt formaliter in igne *A*, neque enim identificatur vel prædicabilis eſt de *A.* Ergo continetur eminenter in *A*; & tamen ignis, *A.* non eſt ſuperioris ordinis, & perfectionis. P. Arriaga 1. part. diſput. 2. num. 50. cum communi ſententia explicat creaturas contineri eminenter in Deo; quia in Deo reperitur omnis creaturarum perfectio ſecluſis imperfectionibus. Sed contra quia in Angelo inuenitur tota perfectio intellectiua hominis, ſine imperfectione diſcurſus, neque ideo dicitur intellectus hominis eſſe eminenter in Angelo.

8 *Vera explicatio bipartita.* Ego dupliciter dico poſſe aliquid eminenter contineri in alio primo quatenus poteſt præſtare entitas continens quidquid præſtat entitas contenta eminenter, ſic anima rationalis eminenter continet animam ſenſitiuam corpoream, quia licèt ipſa corporea non ſit, elicit tamen ſenſiones materiales non minus quam anima corporea, ſed tunc ly *eminenter* perinde eſt ac virtualiter, ſeu æquiualenter, niſi quando entitas continens ſuperiori modo, & perfectiori præſtat effectus, quos imperfectiori modo facit entitas contenta, ſic anima rationalis comparata ad perceptionem ſpiritualem, ſeu intellectionem coloris iure dicitur eminenter ſenſitiua quia excellentiori modo, quam per ſenſionem colorem percipit. Secundo modo continetur eminenter vnum in alio, quando cum non conueniat vniuoce cum illo poteſt tamen eſſe cauſa principalis illius ſic omnes dicunt effectum non contineri formaliter, ſed eminenter in cauſa æquiuoca verbi gratia, calor in alio calore continetur formaliter: in igne vero non formaliter, ſed eminenter, quia ſcilicet ignis non eſt eiuſdem ſpeciei atomæ. Ex quo diſces non benè explicari à P. Arriaga citato §. præcedent. ſequuto Gabrielem 1. diſtinct. 36. quæſt. 1. concluſ. 2. non inquam benè explicari continentiam eminentem per id quod entitas *continens* habeat perfectionem *contentæ* ſine eius imperfectione, nam ignis continet eminenter perfectionem caloris, neque ideò liber eſt ab huius imperfectionibus.

9 Ex quibus fit explicationem Patris Suarez non omnino placere nam iuxta primum à me dictum §. præcedent. quantumuis Deus non produceret ignem verbi gratia, diceretur eminenter ignis eo quod calorem poſſet producere, non minus quam ignis. Fit ſecundo Deum titulo cauſæ iure dici continere eminenter perfectiones creaturarum, & quoad hoc patet ſententia Patris Suarez neque committit circulum, nam Deum eſſe cauſam æquiuocam omnium non probatur eo quod contineat omnia eminenter, ſed quia debet dari prima cauſa vt dixi quæſt. 2. art. 3. & hæc debet eſſe vnica vt dicam quæſt. 11. art. 3. Peccatum phyſice loquendo ſi conſiſtat in poſitiuo eminenter continetur in Deo tamen vt peccatum eſt non continetur quia vt ſic formaliter nihil perfectionis, neque entitatis dicit ob quod blaſpheme audit: *Deus eſt eminenter peccatum* vel peccator. Denique ignis *B.* non continetur eminenter in *A*, quia formaliter eſt in ipſo ſpecifice, licet non numerice per quod fit ſatis obiectionibus, quas oppoſui contra P. Suarez in §. 7. Fit tertio plures perfectiones creaturarum eſſe in Deo formaliter, & eminenter verbi gratia Deus eſt formaliter *Intelligens* propriè enim & ſine metaphora dicitur de Deo eſſe *intelligentem*. Rurſus eſſe *intelligentem creatũ* habet eminenter, tum quia licet intellectio creata non inuenitur in Deo, inuenitur tamen

tamen perfectiori modo percipere quidquid percipit intellectio creata, tum etiam per modum cauſæ æquiuocè cauſare poteſt creatam intelligentiam.

10 Dubit. 2. Quid ſit perfectio ſimpliciter ſimplex? vt conſtat ex ſupra dictis Deus licet contineat omnes perfectiones omnium rerum non tamen omnes continet formaliter, ſed tantum aliquas vt eſſe *intelligentem viuentem ſubſtantiam, &c.* Hinc ortum habuit commune dictum vt Deus debeat habere omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem: Ideo hic inquiro quid ſit perfectio ſimpliciter ſimplex. Gabriel. 1. diſt. 2. quæſt. 2. ait eſſe illam, quæ nullam includit imperfectionem contrà tamen eſt quia habere filium naturalem non includit imperfectionem, & tamen non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex cum non conueniat filio ipſi diuino in quo habitat plenitudo perfectionum ſimpliciter ſimplicium. Ideo eſt communis definitio Anſelmi cap. 14. Monolog. & cap.5. Proſologij. *Quæ melior ipſa, quam non ipſa, aut qualibet alia incompatibilis cum ipſa cuilibet enti vt ens eſt.* Sed contra adhuc nam ratio *perſonæ* non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, cum non ſit perſonalitas de eſſentia Deitatis vt dico diſp.17. ſect.1. & 8. & tamen melius eſt in quolibet ente *eſſe perſonam*, quam non eſſe perſonam. Deinde certum adhuc non eſt (licet plures id ſequantur cum Scoto quodlib.5. art.2. 1. ſent. diſtinct. 2. poſt quæſtionem quintam §. *ad primam quæſtionem dico:* verſu *hoc etiam arguitur.* Suar. 3. de Trinitate cap. 10. num. 4. & ipſe Gabriel Primo diſtinct. 7. qu. 3. art. 3. ob quod ad hominem contra ipſum eius explicationem impugnaui) certum inquam non eſt relationes diuinas non eſſe perfectiones ſimpliciter ſimplices id enim affirmant Val. in controuerſiis lib. 2. de Trinit. c. 12. Vaſq. 1. part. diſp. 122. cap. 4. 6. & 7. Arriaga diſput. 49. ſect. 3. ſubſect. 3. Ruiz de Montoya diſput. 30. de Trinit. ſect. 9. Ergo vt his ſententiis locus detur definienda eſt perfectio ſimpliciter ſimplex ita vt poſſit conuenire Paternitati verbi gratia quæ tamen non eſt melior, quam non ipſa neque enim eſt melior filiatione diuina ipſi oppoſita.

Vera explicatio.

11 Ideo ego vt ab his præſcindam vtens definitione Anſelmi vt apud Theologos receptiſſima dico perfectionem ſimpliciter ſimplicem eſſe eam, *quæ melior eſt ipſa in eſſentia rei, quam non ipſa.* Ex quo perfectiones creatæ non ſunt vt tales ſimpliciter ſimplices, cum eſſentia diuina melior ſit eo quod non identificet illas ſecum: rurſus omnipotentia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex cuilibet enim eſt melius eſſe omnipotentem, quam non eſſe omnipotentem. Denique ipſa Paternitas poteſt dici perfectio ſimpliciter ſimplex, quia licet non ſit melius Filio identificari cum Paternitate, at melius eſt ipſi Filio habere eſſentiam identificatam cum Paternitate, ſeu quod idem eſt melior eſt in eſſentia Filij Paternitas, quam non Paternitas. Ergo ex hoc titulo erit Paternitas perfectio ſimpliciter ſimplex.

12 Vnde 1. Sententia Gabrielis ſi ſic intelligatur vera eſt; item & ſecunda ex definitione Anſelmi. Ad rationes oppoſitas reſpondeo: vt omnis perfectio ſimpliciter ſimplex ſit de eſſentia Dei ſufficit quod eſſentia Dei etiam prout eſt in Filio petat identificari cum Paternitate diſtincta ab ipſo Filio, Filius enim eo ipſo quod petat habere eandem numero eſſentiam Patris petit conſequenter habere talem eſſentiam, quæ paternitatem identificet; quamuis quia non identificat in quolibet ſuppoſito non dicatur perſonalitas de eſſentia Dei, iuxta dicta à me diſp.17. ſect. 2. & 8.

An perfectior ſit Deus cum creatura, quã Deus ſolus. Affirmat Durand. Arriaga. Negant. S. Thomas. S Bonau. S.Aug. Trigoſ. Carthus.

Dub.3. An plus perfectionis inſit in Deo ſimul 13 cum creatura, quam in Deo ſolo. Prima ſententia affirmat ita Dur. in 1. dict. 43. quæſt. 3. Mouetur quia Deus, & creatura ſunt plura entia, quam Deus ſolum, ergo plura bona, ergo plus bonitatis, ſeu perfectionis continet hoc complexum quam Deus ſolus; idem ſentit. Arr. diſpur. 27. de voluntate Dei num. 77. dicens eſſe melius extenſiuè licet non intenſiuè. Contraria ſententia communis eſt ita S. Thom. 3. diſt. 6. quæſt. 2. art. 3. ad primum, & quæſt. 5. de malo art. 1. ad quartum S. Bonau. in 1. diſt. 2. art. 1. quæſt. 1. Aug. 6. de Trin. cap. 8. vbi inquit. *cum creatura adhæreſcit creatori illa fit maior non ille.* Vnde opinio Durandi cenſetur à Trigoſio 1. part. qu. 2. art. 3. dub. 5. *Periculoſa* à Carthuſiano 1. diſt. 44. qu. 1. *rudis.* Mouentur quia Deus ſolus eſt infinitus; creatura autem ſolum addit bonum finitum: finitum autem additum infinito non facit maius. Sed hæc ratio non placet: nam reſponderet Durandus non facit maius materialiter, intenſiuè, ſic enim; nec infinitum additum alteri infinito facit maius, nullum enim infinitum eſt maius alio formaliter loquendo, ſed *materialiter,* ſeu extenſiuè vt loquitur ipſe Durandus.

Quod ſit melius extenſiuè ex aggregato pluriũ.

Nihilominus ſto communi ſententiæ maxime 14 cum tota controuerſia hic ſit de modo loquendi vt rectè aduertit Ceſar Recupitus lib.4. de Infinitate Dei quæſt.6. num.1. nam negari nequit in aggregato ex Deo & creatura plura dari bona quam in Deo ſolo: *nemo enim* (inquit Dur. ſupra num.6.) *ſanæ mentis poteſt concipere quod duo non ſint plura vno:* an vero ideo aggregatum dicendum ſit *melius* ad ſolam vocem videtur pertinere. Ratio mihi eſt ne vtamur hac voce *melius,* ſeu ne dicatur aggregatum illud *melius* Deo ſolo eſt, quia ex additione vnius nunquam reſultat aliquid melius, quando res addita talis conditionis eſt, vt non efficeret quid melius ſi identificaretur cum altera, cui additur, id patet in creatis quia intellectio facit quid melius coniuncta cum potentia, melius quid faceret ſi identificaretur cum illa; è contra quia carentia viſûs facit quid peius com animali, faceret etiã peius ſi idẽtificaretur ſuo modo cum ipſo, ſimiliterque in diuinis aggregatum ex duplici perſona non facit quid melius, quia Filiatio identificata cum Paternitate non efficeret quid melius, ſeu quod Paternitas foret melior. Tum ſic ſed ſi creatura identificaretur cum Deo Deus non eſſet melior vt patet, ergo tale aggregatum non eſt melius. Hinc apparet cur aggregatum ex immenſitate & æternitate ſit melius, nam hæc identificata ſimpliciter conſtituunt ſubiectum melioris, & maioris perfectionis.

Ad ſententiam oppoſitam Durandi reſpondeo in 16 illo aggregato dari plura bona, ſed non plus bonitatis; hoc enim ſonat bonitatem vt coniunctam, & coadunatam per identitatem eſſe meliorem, quod hic non euenit vt conſtat ex §. præced. Nec valet diſtinctio illa de meliori *extenſiuè*, licet non intenſiuè nam ly *melius* importat quamdam intenſionem, & dum additur *extenſiuè* deſtruitur ſignificatum ſubiecti; ſicut ſi diceres quod duo quanta faciunt maius, *ſed intenſiuè*; ſicut enim maioritas, vt ita dicam, quantitatis non importat intenſionem, ſed extenſionem, ita melioritas non importat extenſionem, ſed intenſionem. Quare ſi nomine *melioris extenſiuè* velis præciſe dari plura bona non damno rem, ſed ſolum modum loquendi. 15

An perfectio...

Dub. 4. An perfectiones diuinæ ſint formaliter plures,

plures, aut etiam virtualiter ex natura rei. Reſpondeo non eſſe plures ex natura rei vllo modo; eſſe tamen plures ratione noſtra. Primum conſtat ex diſp. 14. & 15. Secundum ex diſp. 16. in quibus de hoc latiſſime.

diuinæ ſint formaliter, vel virtualiter plures.

17 Dub. 5. An perfectiones attributales dentur in Deo ratione noſtra diſtinctæ ab eſſentia. Reſpondeo proprie, & ſtricte loquendo nulla eſt perfectio attributalis, ſed omnes perfectiones abſolutæ ſunt eſſentiales, ſeu de eſſentia Dei etiam ratione noſtra, in ipſaque includuntur formaliter, ſicut rationalitas includitur in eſſentia hominis, è contra autem eſſen tia Dei, licet inadæquatè includatur in quolibet attributo, vt totum in parte, non tamen adæquatè ratione noſtra loquendo, ita dixi diſp. 17. ſect. 6. & diſp. 18. ſect. 1.

An perfectiones attributales ſint in Deo ratione noſtra diſtinctæ ab eſſentia.

18 Dub. 6. An vna perfectio diuina abſoluta ſit de conceptu formali alterius de hac dubitatione vide diſput. 18. ſect. 2. 3. & 4.

An vna perfectio ſit de conceptu alterius.

19 Dub. 7. An perfectiones diuinæ vt ratione diſtinctæ ſint æquales etiam per rationem ſiue conferatur vna cum alia ſeorſim, ſiue cum omnibus ſimul ſumptis de hac dubit. vide diſp. 18. ſect. 4.

An perfectiones diuinæ ſint æquales.

20 Dub. 8. Quot ſint perfectiones diuinæ ratione noſtra. An finitæ vel infinitæ quoad numerum de qua dub. vide diſp. 18. citatam ſect. 5.

Quot ſint perfectiones diuinæ ratione noſtra.

ARTICVLVS III.

Vtrum Aliqua creatura poſſit eſſe ſimilis Deo?

21 DE hac difficultate agit S. Thom. in 2. diſt. 3. quæſt. 2. art. 1. & 1. contra Gentes cap. 29. & lib. 2. cap. 2. & quæſt. 2. de veritate art. 12. & quæſt. 7. de potentia art. 7. in præſenti autem articulo ait: quod cum Deus ſit vniuerſale agens, & principium totius *eſſe*, non contentum in aliqua ſpecie vel genere, creaturæ ei ſimiles ſunt non ſecundum eandem ſpecificam, aut genericam rationem, ſed ſecundum aliqualem analogiam.

22 Dub. 1. Quo pacto poſſit eſſe creatura Deo ſimilis. Ratio dubitandi eſt quia nullā poteſt eſſe ſimilitudo vbi diſſimilitudo infinita intercedit; Vt enim ait S. Thom. 1. p. quæſt. 2. art. 3. In primo argumento *ſi vnum contrariorum fuerit infinitum totaliter deſtruet aliud*, ergo cum diſſimilitudo, ſit contraria ſimilitudini, ſi diſſimilitudo fuerit infinita nullam patietur ſimilitudinem. Quod autem diſſimilitudo ſit infinita probatur 1. Quia inter Deum & creaturam eſt infinita diſtantia, non quidem loci, ſed diuerſitatis naturæ ita D. Thom. 1. p. quæſt. 8. art. 1. ad 3. hæc ait: *dicuntur tamen res diſtare à Deo per diſſimilitudinem naturæ vel gratiæ* 2. Quia eſſentia Dei infinite ſuperat creaturam, ſicque infinite eſt illi inæqualis inæqualitas autem eſt diſſimilitudo. Præterea pro repugnantia ſimilitudinis inter creaturam, & Deum argui poteſt quia inter eſſe, & non eſſe nulla poteſt dari ſimilitudo, ergo nec inter creaturam, & Deum, non enim minus diſtat Deus à creatura, ſiquidem diſtat infinitè. Denique inter Deum, & creaturam nulla ratio eſt ſimpliciter vniuoca ſaltem quoad ſe vt dixi qu. 3. §. 30. ſimilitudo autem vniuocationem petit.

An creatura ſit Deo ſimilis.

23 Nihilominus omnino tenendum eſt creaturam eſſe ſimilem Deo. Primò in eſſe naturali iuxta illud Geneſ. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Secundò in eſſe ſupernaturali per gratiam per quam ſumus diuinæ conſortes naturæ 2. Petri 1. 4. Tertio in eſſe gloriæ, ſeu ſecundum ſpeciem expreſſam in eſſe intentionali vt explicui tract. 3. diſp. 23. ſect. 2. iuxta illud 1. Ioann. 3. *cum apparuerit ſimiles ei erimus quoniam videbimus eum ſicuti eſt.*

Ad argumenta poſita reſpondeo vnum contra- 24
riorum tunc eſſe deſtructiuum ſui oppoſiti, quando tale contrarium eſt in ſummo gradu, quo maior excogitari nequeat; ſic autem non comparatur diſſimilitudinis gradus, qui intercedit inter Deum, & creaturam, neque item gradus diſtantiæ aut inæqualitatis, nam ſine dubio magis diſtat à Deo pura nihilitas, quam diſtet ens, quantumuis viliſſimum: hoc enim aliquantulum accedit ad Deum; ex quo patet ſolutio ad primam rationem. Item ad ſecundum, nam inter *eſſe*, & *non eſſe* eſt ſumma diſſimilitudo, quæ excogitari poteſt; cum nihil prorſus ſit fundamenti in carentia pura, quo conueniat cum ente, ſiquidem de carentia nullum prædicatum eſt affirmabile; non enim poteſt de carentia dici ly *eſt*, ſed præciſe dicendum *non eſt* vnde tantam habet oppoſitionem, vt implicet ſimul dari in rerum natura ens, & carentia ei oppoſita; non autem repugnat dari ſimul vnum ens quantumuis infinitum, & aliud ens poſitiuum ei oppoſitum. Ergo non datur tanta diſſimilitudo inter Deum, & creaturam, quanta inter *eſſe*, *& non eſſe*. Ad vltimum reſpondeo inter Deum, & creaturam dari vniuocam rationem quoad nos vt dixi qu. præced. §. 34. imo non purè *quoad nos*; Etenim nos ſæpe etiam formamus conceptum vniuocum hoc eſt quin poſſimus diſtinguere inter ens reale, & rationis (ita euenit quando quærimus an repugnet *ſubſtantia ſupernaturalis creata*, vbi conceptus correſpondens voci huic non diſcernit ſit ne realis vel rationis cum dubitetur an realis ſit) in quo caſu adhuc non dices talem conceptum quoad ſe dicere æqualem diſtantiam cum ea, quæ inuenitur inter Deum, & creaturā: igitur creatura etiam quoad ſe conuenientiam aliquam habet cum Deo, licet non ſimpliciter hoc eſt quoad modum eſſendi, quem habet ipſa ratio communis in Deo vt explicui qu. præced. §. 33. ob quod ſæpius in Scriptura dicitur nullū eſſe ſimilem Deo. Reg. 8. *non eſt ſimilis tui Deus in cælo deſuper, & ſuper terrā deorſum* Pſal. 82. *Deus quis ſimilis erit tibi*: Sed non ideo neganda eſt ſimilitudo aliqua ſed tantum dicendum cum Concil. Lateranenſi in cap. *damnamus* de ſumma Trinitate ſint: *inter creatorem, & creaturam non poteſt tanta ſimilitudo notari, quin inter eos maior ſit diſſimilitudo notanda.*

An Deus ſit creaturæ ſimilis.

Dub. 2. An è contra Deus ſit ſimilis creaturæ. 25
Ratio dubitandi eſt primo quia relatio ſimilitudinis eſt *æquiparantiæ* vt ait Scotus, ergo æque datur ex parte vtriuſque extremi: Secundo quia ratio entis, & ſubſtantiæ, quæ inuenitur in Deo æqualem conuenientiam habet cum prædicato ſubſtantiæ, quod eſt in creatura, quam habeat tale prædicatum creaturæ cum ipſo Deo. Sed contra eſt autoritas Dionyſii cap. 9. de diuinis nominibus dicentis: *Theologi Deum, qui omnia ſuperat, nulli ſimilem eſſe aſſerunt*, quem ſequitur S. Thom. hic ad quartum vbi ex S. Dionyſio ait: *In his, quæ vnius ordinis ſunt recipitur mutua ſimilitudo: non autem in cauſa, & cauſato. Dicimus enim quod imago ſit ſimilis homini, & non è conuerſo.* Iuxta quæ verba aliqui cum Caiet. hic volunt nunquam dari ſimilitudinem mutuam inter cauſam, & effectum ita Bannez, Nazarius, & alij Thomiſtæ. Noſtri Autores cum Molina, Vaſq. Valentia, & Faſolo hic id cenſent verum de cauſa æquiuoca tùm quia hæc ſola non eſt eiuſdem ordinis cum effectu quo pacto

Inter cauſā & effectum an detur ſimilitudo.
Negat
Affirmat
Bannez.
Nazianz.
Molina.
Vaſquez.
Valentia.
Faſol.

loqui

loquitur S. Thom. cum Dionyſio; tùm etiam ignis A producens omnimodam ſimilitudinem habet ſiquidem eſt eiuſdem ſpeciei.

26 *Cauſa ſecunda præ prima per ſe eſt ſimilis ſuo effectui.* Ego ob hanc rationem rejicio explicationem Thomiſtarum, nec admito explicationem Molinæ quoad cauſam æquiuocam quamcumque, nam ſpecialiter dicitur cauſa æquiuoca creata eſſe ſimilis genericè verbi gratia ſol metallo, quod producit ſimilis eſt in ratione ſubſtantiæ, quo pacto Deus non eſt ſimilis creaturæ; igitur alio ſpecialiori titulo Deus, ſeu cauſa prima non eſt ſimilis ſuo effectui; nempe quia Deus per ſe, & eſſentialiter præſupponitur ad creaturam, & ita eſt independens ab illa, vt eius exiſtentiam non requirat: Ergo in ſuo eſſe non habet aſſimilari creaturæ; ſimilitudo namque non ſtat, niſi inuoluatur exiſtentia termini ſimilitudinis, vel connexio cum tali termino ex quo apparet, cur potius creatura ſit ſimilis Deo: nam illum eſſentialiter præſupponit, cum illo connectitur, ita vt per ſuum ipſum *eſſe* eſſentialiter petat aſſimilationem cum Deo, nec ſine tali aſſimilatione exiſtere poſſit. *Cur exemplar non dicatur ſimile ſuæ imagini?* Hinc etiam apparet ratio ob quam exemplar non dicitur ſimile ſuæ imagini, ſed è contra, etenim imago per ſe ſupponit cauſam exemplarem, & ab illa præexiſtenti dependet; ſecus vero exemplar ab imagine. Apparet rurſus ratio ob quam ſpeciali titulo cauſa vt cauſa non aſſimilatur effectui, ſicut è contra effectus aſſimilatur cauſæ; nam cauſa vt talis ſemper eſt pro priori non ſupponens effectum, ac per conſequens, nec aſſimilationem cum illo è contra autem effectus vt talis præſupponit exiſtentem cauſam.

27 Hinc facilè apparet ſolutio ad rationes dubitandi oppoſitas in §. 25. Ad 1. in primis non omnis relatio ſimilitudinis eſt æquiparantiæ, nam ſimilitudo per æquiualentiam poteſt eſſe non mutua verbi gratia aurum æquiualenter eſt ſimilis argento, non è contra: cognitio intentionaliter eſt ſimilis obiecto, obiectum tamen nullam habet ſimilitudinem intentionalem. Ad præſens dico Deum non debere dici ſimilem creaturæ ob rationem dictam §. præced. propriè loquendo, licet materialiter, & impropriè id permitti poſſit, prout ſimilitudo præciſe denotat conuenientiam vtcumque in aliquo prædicato communi; quin ſumatur ab alio, vel aliud ſupponat.

QVÆSTIO V.

De Bono in communi.

QVÆSTIO hæc tota philoſophica eſt, nihilque ſpeciale de Deo explicat, licet optimo iure à S. Thoma præmittatur vt quæſt. 6. agat ſpecialiter de bonitate Dei. Ego breuiter attingens (quæ Theologo ſeruire poſſunt non omittens) Philpſophica, ea latius tractanda ad meas diſputationes Philoſophicas remittam.

ARTICVLVS I.

Vtrum Bonum differat ſecundum rem ab ente.

DE hac difficultate agit S. Thom. in 1. diſt. 8. quæſt. 8. art. 3. & quæſt. 21. de veritate art. 1. In præſenti autem articulo ait bonum, & ens idem eſſe ſecundum rem, diſtingui tamen ab inuicem ſecundum rationem; quia bonum dicit rationem appetibilis, quam non dicit ens. 1

Dub. 1. In quo conſiſtat formaliter ratio boni. Prima ſententia Durandi 2. diſtinct. 34. num. 21. quem ſequitur Faſolus quæſt. 5. art. 1. dub. 2. num. 9. conſtituit bonitatem in relatione conuenientiæ. Mouetur quia bonum eſt, quod omnia appetunt ex 1. Ethicorum tex. 5. nihil autem appetit aliud niſi vt conueniens ſibi. Secunda ſententia explicat bonum per relationem rationis, quatenus ſcilicet nihil deeſt enti vt ſit tale ita Suar. diſp. 10. Met. ſect. 1. Mouetur quia ſic bonum conuertitur cum ente, & omne ens bonum eſt, cum neceſſario eo ipſo quod ens ſit, nihil ipſi poſſit deeſſe, vt ſit tale; bonitas autem conuenientiæ ſæpe deficit enti, nam calor verbi gratia licet ſit conueniens igni, diſconuenit tamen aquæ. Ergo non eſſet potius bonum paſſio entis, quam malum. Tertia ſententia explicat bonum per id quod ſit appetibile: ita communiter iuxta illud Ethicorum: ***bonum eſt quod omnia appetunt***, & S. Thom. hic: ***ratio boni in hoc conſiſtit quod aliquid ſit appetibile.*** Mouetur quia bonum vt bonum hic diſtinguitur *à Perfecto* vnde D. Thom. quæſtionem diſtinctam inſtituit de perfectione Dei, ac de eius bonitate. At Perfectum definitur, cui nihil deeſt ad ſuum eſſe, ergo bonum aliter eſt definiendum. 2 *In quo conſiſtat ratio boni. In relatione conuenientiæ* Durand. Faſol. *In relat. rationis;* Suarez. *In rat. appeti.* S. Thom. *cum cõmuni.*

Mihi nondum hæc definitio placet niſi amplius explicetur, nam appetitus (vtique proſequutionis) dicitur, quod non poſſit tendere niſi ſub ratione boni, ergo ſi bonum eſt idem quod appetibile manifeſtus erit circulus vitioſus, & petitio principij. Igitur definitio bonum ***quod appetibile eſt congruenter à ſe ipſo***, ſiue appetitu elicito, ſiue innato. Hæc definitio non committit circulum, nec iuxta eam præcluditur locus quæſtioni, An appetitus poſſit tendere in malum: nam tale malum, licet appetibile, non poteſt appeti congruenter, & ſecundum rectam rationem. Deinde ſic bonum formaliter differt *à Perfecto*, cum hoc non explicetur per ordinem ad appetitum. Vlterius res non deficit à ratione boni eo quod alicui non ſit conueniens, nam hæc conuenientia ſolum dat bonitatem extrinſecam; bonitas autem intrinſeca rei præciſe reſpicit bonum eſſe conueniens ſibi ipſi *intrinſecè*, hoc eſt, ea conuenientia facit rem aliquam bonam eſſe, ratione cuius res à ſe ipſa eſt appetibilis ſiue elicite, ſiue innate. Ita videtur ſentire P. Mol. hic diſput. vnica, & Enriq. 1. part. ſummæ art. 41. quæſt. 1. Dices cum Faſolo hic dub. 4. num. 14. bonitas, eſt quid reale, & à parte rei, ſed ad ſeipſum nequit dari cõuenientia, hæc enim cùm relatiua ſit petit diſtinctionem realem. Reſpondeo conuenientia iſta non eſt realiter relatiua, ſed præciſe, licet à nobis explicetur relatiuè, denotat ex parte obiecti dari tale fundamentum, vt quiuis prudenter iudicaret rem appetendam fore à ſe ipſa, ſi appetitiua foret, quo pacto dici ſolet, quod omnis res naturaliter refugit non eſſe, hoc autem à parte rei euenit, & ſine vlla fictione. 3 *Bonum eſt quod appetibile eſt congruenter à ſe ipſo.* ita Molina. Henriq.

Dub. 2.

4 *Quo pacto differat bonũ ab ente.* Dub. 2. Quo pacto differat bonum ſic explicatum ab ente. Reſpondeo cum S. Thom. hic non differt realiter, nam ipſa ratio entis per ſe talis eſt vt maxime appeteretur à ſe ipſa ſi appetitiua foret vt patet ex §. præced. *Differt ratione.* Reſpondeo 2. differt ratione noſtra, nam ratio entis, qua ens eſt, præciſe dicit concipi in ordine ad exiſtentiam, quin vllo modo referatur ad appetitum ſecus ſe habet ratio boni vt patet ex §. præced. ad diſtinctionem autem rationis ſufficit, quod res ſit diuerſimodè conceptibilis. Dices ipſa carentia ſibi bona eſt, ſed carentia diſtinguitur realiter ab ente, ergo & bonum. Reſpondeo nego maiorem, ſeu vt melius dicam nego ſuppoſitum, nam carentia non eſt. nec de ipſa affirmabile, *eſt eſſe*, & conſequenter, nec appetitus, quod ſi aliquis appetitus datur circa ipſam quaſi intrinſecus. (Iſte enim appetitus intrinſecus eſt, in ordine ad quem ſumitur bonitas; extrinſecus namque appetitus quaſi per accidens ſe habet) potius refugit carentiam cum omnis res fugiat non eſſe, vti appetit eſſe.

ARTICVLVS II.

Vtrum Bonum ſecundum rationem ſit prius quam ens?

5 DE hac difficultate agit S.Thom. in 1. diſt. 18. quæſt.1.art.3.& 3. contra Gentes cap. 20. & quæſt.20. de veritate art.3.& 3. Dionyſ. cap. 1. in præſenti autem art.2.ideo ait ens eſſe prius ratione, quam bonum, quia prius cadit in conceptione intellectus quà ens eſt.

6 *An bonũ ſit poſterius ente* Dub.1. Quo titulo ens ſit prius quam bonum vt aſſerit S. Thom. qui non ſolum ſtatuit, vt conſtat ex §. præced. bonum non eſſe prius ente, hoc enim erat per ſe notum ideoque præcipue inſiſtit in prioritate entis ad bonum. *Non: loquẽdo de Perfecto.* Reſpondeo loquendo de bono prout præciſe dicit Perfectum, non eſſe prius, nec poſterius quam ens, nam formaliſſimè concipitur *Perfectum* in eſſe entitatiuo illud, cui non deeſt eſſe entitatiuum, & conſequenter Perfectum nullum titulum habet poſterioritatis ad rationem entis, vnde etiam ex hoc diſces bonum de quo hic S. Thom. condiſtinctum eſſe à Perfecto, nec explicandum eſſe per id, *cui nihil deeſt*.

7 *Si vero bonũ ſtricte.* Sed loquendo ſimpliciter de bono de quo in præſenti ſecundum acceptionem explicatam in §. 3. in qua, vt ibi dixi diſtinguitur ratione ab ente. Dico eſſe etiam ratione noſtra tale bonum poſterius ente: ratio eſt quia prius eſt ratione noſtra res in ordine ad ſe, quam in ordine ad aliud, ſeu in ſuo eſſe abſoluto, quam in eſſe relatiuo: at res ſub conceptu entis concipitur abſolute in ſe; ſub conceptu *boni* relate ad id, à quo appetibilis ſit modo explicato in §. 3. Ergo prius eſt in re aliqua ens, quam bonum. Secundo res vt bona reſpicit appetitum, vt vero in ſe habet eſſe affirmabile, vel negabile connotat intellectum, ergo vti prior eſt intellectus, quam voluntas; etiam prius ratione noſtra concipietur res, vt obiectum intellectus, ſeu vt ens, quam vt obiectum voluntatis, ſeu vt bonum. Hinc.

8 *An ens formaliter ſit obiectũ intellectus.* Dub.2. An ens vt ens ſit obiectum intellectus? Ratio dubitandi hic eſt propter dictum S. Thomæ aſſerentis hic in corpore quod ens eſt *propriũ obiectum intellectus*, ex 9. Met. tex. 20. vnde probauimus §. præced. cum S.Thom. ens eſſe prius, quam bonum. In contrarium autem eſt primo, quia verum dici ſolet obiectum intellectus. Secundo quia intellectus etiam cognoſcit non entia, & priuationes. Reſpondeo intellectus ex parte obiecti reſpicit ens vt ens, ſed quod per connotationem ad modum tendendi ipſius intellectus *verum* vocatur, ſic dici ſolet *ens* eſſe obiectum materiale intellectus, ſed attingi ſub ratione formali veri: etenim cum intellectus reddat rationem de ente vt ente, non poteſt negari quin attingat ens vt ens; vocatur autem *verum* tale ens per ordinem ad intellectum, quod idem eſt ac cognoſcibile; quia tamen prius eſt cognoſcibile in ordine ad ſuum eſſe, quam in ordine ad aliud, ſeu ad appetitum alterius, ideo ſub ratione entis eſt obiectum prius, quam ſub ratione boni; bonitaſque cenſetur paſſio entis. Ex quibus patet ad primam rationem in contrarium. Ad ſecundam priuationes, & negationes etiam à nobis apprehenduntur ſub ratione alicuius entis nimirum, tanquam quædam entia rationis. Vnde & qui volunt ipſum *non eſſe* ſcilicet, qui ſe interimunt quoddam bonum ſibi proponunt in ipſo *non eſſe* recte enim Aug.lib.3. de libero arbitrio cap. 8. *abſurde dicitur mallem non eſſe, quam miſer eſſe, qui enim dicit mallem hoc, quam illud, aliquid eligit. Non eſſe autem non eſt aliquid*. Ita reſpondet Val. hic quæſt.5.punct.1.verſ.ad 3. reſpondeo. Sed facilius videtur reſpondendum priuationes formaliter non attingi, ſed ſemper concipi ab intellectu ens vt ens, vel affirmando & tunc ponit *ens* ex parte obiecti; vel negando tale ens ex quo reſultat priuatio.

ARTICVLVS III.

Vtrum omne ens ſit bonum.

DE hac difficultate agit S.Thom.1.contra Gentes cap.73.& 40.& quæſt.21. de veritate art.2. & 5. In præſenti autem art.3. probat omne ens debere eſſe bonum quia eo ipſo quod ſit in actu iam habet perfectionem; perfectio autem fundat appetibilitatem, ſeu bonum. 9 *An omne ens ſit bonum.* *Ratio dubitandi.*

Dub. 1. Qualiter omne ens ſit bonum. Ratio dubitandi. Primo quia entia Mathematica non ſunt bona 4. Met. tex.4. item. Secundo relationes non dicunt perfectionem. Tertio actio peccaminoſa ſi intrinſece talis ſit non ſolum eſt mala moraliter, ſed etiam Phyſice. Quarto plura entia æqualem habent conuenientiam, ac diſconuenientiam, ergo ſicut calor eſt bonus igni ita, & malus aquæ. Sed contra hæc pro veraque concluſione S.Thomæ eſt veritas fidei ſtatuens contra Manichæos, & Priſcillianiſtas nullam rem eſſe natura ſua malam: ita definitum eſt in Concil. Lateranenſi in cap. *firmiter* de ſumma Trinitate. Et 1. Timothei 4. *omnis creatura bona eſt* ſic Ariſt. 1. Ethicorum cap.7. dixit *bonum æque diuidi, ac ens*, & Boëtius lib. Hebdom.cap.2. Aug.lib.83. qq. quæſt.24. *omne quod eſt in quantum eſt bonum eſt*. Cuius veritatis mihi conſtat ratio ex §. 3. nam omne quod eſt appetit ſui eſſe vti refugit non eſſe, ergo eſt appetibile, & conſequenter bonum. 10

Vt autem reſpondeam rationi dubitandi in §. præced. Dico. Primo non omni rei competit eſſe bonam moraliter; patet id, quia non omnia efficiuntur conformia rationi rectæ. Dico. Secundo nec omnia ſunt bona bonitate *conuenientiæ* ſimpliciter loquendo, nam vno Deo excepto nullum ens eſt, quod alicui non ſit incommodum, quin ipſi aliquid commodi impertiatur. Dico. Tertio nullum 11

eſt ens, quod reſpectu alicuius non habeat bonitatem conuenientiæ, id patet nam quidquid excogitari poteſt vel factiuum eſt alicuius vel oſtenſiuum virtutis illius, vel ſaltem manifeſtatiuum potentiæ diuinæ.

12 *Soluitur.* His poſitis ad rationes dubitandi adductas in §. 10. Reſpondeo ad primum entia mathematica vt talia poſitiua non ſunt, nec aliquid entitatis realis, & phyſicæ ſecundum ſe imbibunt. Quid enim entitatis dicitur in hac veritate? *Duo bis ducta ſunt quatuor?* Ad ſecundum idem dico de relationibus, prout præcisè connotant combinationes, menſurationes, & alia ſimilia, quæ mathematica ſunt: ſi autem ſermo ſit de aliis relationibus, hæ ex parte fundamenti bonitatem ſicut & entitatem dicunt, vt autem dicit relatio conceptum *ad* perfectionem non dicit quia *ad* vt *ad* in nullo ſubiecto eſt, item relatio vt relatio prædicamentalis non dicit nouam & diſtinctam bonitatem, ſed nil mirum cum non dicat diſtinctam entitatem. Quid autem dicendum ſit de relationibus diuinis conſtabit ex tract. de Trinitate. Ad tertium reſpondeo actionem peccaminoſam quantumuis intrinſece malam moraliter, phyſicè tamen eſſe bonam vt pote abſolute appetibilem intrinſece à ſeipſa ſicut cætera entia. Ad quartum non loquor de conuenientia, vel diſconuenientia extrinſeca vt conſtat ex §. 4. Sic autem intrinſece omnis res ſibi purè conueniens eſt.

ARTICVLVS IV.

Vtrum bonum habeat rationem cauſæ finalis?

13 DE hac difficultate agit S. Thom. in 2. diſtinct. 38. lit. 3. & 1. contra Gentes cap. 40. fine, & lib. 3. cap. 16. 17. & 19. & quæſt. 2. de veritate art. 1. In præſenti autem articulo ideo probat bonum habere rationem cauſæ finalis, quia habet rationem *appetibilis*.

14 *An bonum conuertatur cum cauſa finali?* Dubit. primò An bonum neceſſario, & conuertibiliter habeat rationem cauſæ finalis. Ratio dubitandi eſt; quia bonum vt dixi ſupra conuertitur cum ente, ſeu cum appetibili ab ipſo ente: At poteſt quis non appetere ſeipſum propter ſe, ſeu gratia ſui, (in quo conſiſtit ratio cauſæ finalis) vt patet in homine iuſto amante ſe propter Deum Ergo: ſecundo nominales cum Okamo 3. diſtinct. quæſt. 13 dub. 3. è contra cenſent poſſe aliquid habere rationem cauſæ finalis, quin bonum ſit, quia ſcilicet poteſt voluntas pro ſuo placito amare malum, quia malum.

15 *Probatur conuerti.* Dicendum, tamen eſt Bonum conuerti cum cauſa finali modo proportionato, nempe reſpectu cuius Bonum eſt, & reſpectu cuius eſt cauſa finalis. Ratio eſt, quia bonum vt tale eſt quod appeti poteſt ratione ſui, non dicit quod actu appetatur, ſed quod *poſſit appeti*. At hoc ipſum eſt eſſe cauſam finalem, quod ſcilicet poſſit finalizare, ſeu mouere, in cauſa namque non definimus ipſum exercitium cauſandi, ſed aptitudinem. Ergo bonum, & cauſa finalis conuertuntur. Conſequentia patet, & minor: Maior item ex dictis in §. 3. Ad rationes oppoſitas. Reſpondeo ad primum Homo iuſtus poteſt ſeipſum propter ſe appetere & hoc ſufficit, licèt aliquando non ſe appetat gratia ſui. Ad ſecundum neganda eſt ſententia Nominalium, de quo 1. 2. quæſtione 8. artic. 1. Vide interim Suarez diſput. 23. Met. ſect. 5. num. 3. & commune axioma: *Nemo intendens ad malum operatur*, vt etiam dixit Auguſt. citatus §. 8. Deinde ſaltem loquendo de appetitu innato malum nequit ab hoc attingi.

16 *An bonum, & cauſa finalis ſint idem etiam ratione noſtra?* Dubit. ſecundo An Bonum, & cauſa finalis non ſolum realiter, ſed etiam ratione noſtra idem ſint. Ratio dubitandi eſt quia cauſa finalis formaliſſime eſt idem quod *appetibile*: At in hoc etiam formaliter etiam per noſtram rationem conſiſtit ratio boni, ergo. In contrarium autem eſt tum contrariæ definitiones: Nam *Bonum eſt quod omnia appetunt.* Finis autem 2. Phyſic. tex. 29. & 31. *Cuius gratia aliquid fit*; Tum etiam poteſt aliquid eſſe Bonum *actu*, neque ideo actu finalizat, ſeu mouet, vt aliquid fiat eius gratia.

17 *Probatur eſſe idem implicitè, licèt non explicitè.* Reſpondeo: Bonum & cauſa finalis ſunt idem conuertibiliter etiam ratione noſtra *implicita*, licèt non explicita. Ratio eſt quia ipſa ratio Boni etiam vt ſubeſt noſtris conceptibus talis eſt, vt de illa ſit formaliter prædicabilis ratio cauſæ finalis; dicimus enim de illa ſic aptam eſſe vt moueat appetitum: Hoc autem eſt formaliter ratione noſtra implicita imbibi vnam formalitatem in alia, vt explico diſp. 31. ſect. 2. & patet in homine, qui ideo nec ratione noſtra diſtinguitur à rationalitate, licèt iſta per propriam definitionem magis explicetur. Iam vero ex hoc eodem exemplo conſtat cauſam finalem ratione explicita diſtingui à Bono, quia aliter explicatur; per quod patet ad rationem in contrarium. Neque refert quod *Bonum actu*, non cauſet *actu* finaliter: nam vt dixi §. 15. Bonum non comparatur cum cauſa finali in actu ſecundo, ſed in actu primo ſic autem quod eſt Bonum actu, actu etiam habet aptitudinem vt finalizet, ſeu moueat.

ARTICVLVS V.

Vtrum ratio boni conſiſtat in modo, ſpecie & ordine?

18 DE Hac difficultate agit S. Thomas quæſt. 21. de veritate artic. 6. in præſenti autem articulo partem affirmatiuam probat, quia cum Bonum omne ſit per ſuam formam, quam principiorum commenſuratio præcedit, & quam ſequitur inclinatio, vel ad opus, vel ad finem, conſiſtit in *modo* id eſt Principiorum exigit debitam proportionem: *ſpecie* id eſt *forma*, per quam eſt: *& ordine* id eſt exigit ordinationem ad aliquid, ad quod inclinatur ex natura ſua.

19 *An omne bonum conſiſtat in modo, ſpecie, & ordine? Explicatur affirmatiuè de Bono increato, & creato.* Dubit. An omne bonum conſiſtat in modo, ſpecie, & ordine? S. Thomas in præſenti iuxta explicationem in §. præcedenti ſolum loquitur de Bono creato, ſiquidem hoc ſolum poteſt habere commenſurationem cum ſuo Principio, ſecus Bonum increatum, quod Principio caret. Sic dicitur Deus feciſſe omnia in numero, pondere, & menſura ſapient. 11. At ſi aliter explicemus *modum* facile poterunt hæc tria applicari omni Bono. Quare dico cum Bonum dicitur conſiſtere in *modo, ſpecie, & ordine*; ſi hæc intelligantur de pulchritudine, & ordine accidentali, ſeu compoſitionis, & conſonantiæ, ſic licèt de facto omnia entia talem bonitatem habeant, vt faciant cum aliis talem conſonantiam vel quaſi harmoniam; at de poſſibili id opus non eſt; vt patet ſi Deus non ſit neceſſitatus ad optimum: Iam ſi Bonum imbibat hæc tria vt explicantur à S. Thoma ſolum ea conueniunt Bono creato. Denique ſi hæc tria ſumantur magis intrinſece, & eſſentialiter; nulla res eſt, quæ non habeat *modum* eſſendi ſibi eſſentialem, vt ſubſtantia, vel vt accidens

dens. Item *ſpeciem* id eſt eſſentiam talis ſpeciei, & & naturæ, & *Ordinem* ad proprium finem, ſeù conuenientiam ſui *eſſe* vt explicui §. 3.

ARTICVLVS VI.

Vtrum conuenienter diuidatur Bonum per Honeſtum, Vtile, & delectabile?

20 DE hac difficultate agit S. Tom. hic 1. 2. p. q. 99. art. 5. & ſecunda ſecundæ quæſt. 145. art. 3. & & 2. diſt. 21. quæſt. 1. art. 2. & 1. Ethicorum cap. 6. ante medium, in præſenti autem articulo hanc diuiſionem ideo approbat non ſolum de bono humano, ſed etiam de bono vt ſic; quia bonum abſolutè eſt terminus motûs appetitiui, & vt terminans ſecundum quid vt medium, per quod tenditur in aliud & ſic vocatur *vtile*, & vt vltimum terminans ſic bonum dicitur *honeſtum*: & vt terminans motum appetitus vt quieſcentis in re deſiderata, & ſic dicitur *delectabile*.

21 *An bonũ vtile, honeſtum, & delectabile in eandẽ rem concurrant?* Dub. 1. An hæc omnia bona non ſolum poſſint ſed etiam debeant in eandem rem bonam concurrere. Ratio dubitandi eſt quia vtile vt tale *non habet in ſe vnde deſideretur: è contra honeſtum dicitur quod habet in ſe vnde deſideretur*, vt ait S. Thom, in præſenti art. 6. ad ſecundum, tunc ſic, ſed implicat quod eadem res habeat in ſe, & ſimul non habeat, vnde deſideretur, ergo implicat quod idem bonum ſit vtile, & honeſtum. Ideo communis ſententia aſſerit non poſſe quidem idem bonum appeti in actu ſecundo vt vtile & vt honeſtum, ſeu delectabile, nam vtile vt vtile non amatur propter ſe, ſed propter aliud; honeſtum autem propter ſe amatur; iam vero manifeſtè implicat quod eadem res ametur propter ſe, & ſimul non ametur propter ſe. Nihilominus nulla res eſt, quæ quaſi in actu primo non ſit apta, vt ab aliquo appetitu ametur, tùm quia, conueniens, ſeu vtilis eſt alteri; tum etiam quia bona eſt in ſe. Ratio eſt quia vt dixi §. 11. nulla res eſt quæ non ſit conueniens alteri, ergo amabilis vt talis, ſeu vt vtilis. Rurſus ex §. 3. omnis res eſt in ſe ipſa bona, ergo amabilis propter ſe.

22 *Probatur concurrere.* Ego ob rationem nuper dictam cenſeo hanc ſententiam communem veram eſſe; ita Valentiá hic quæſt. 5. punct. 2. Ver. *ad quam dubitationem*; licet addat ſecundum rectam rationem aliqua bona eſſe, quæ nunquam poſſunt amari vt vtilia, ſeu propter aliud, ſed ſemper propter ſe vt Deus; imo alia nunquam rectè amantur propter ſe vt bona indifferentia; neque item ſiue propter ſe, ſiue propter aliud nunquam amari debet peccatum: ſed loquendo de amabilitate, ſeu appetibilitate vtcumque Addo idem obiectum poſſe ſimul in actu ſecundo, & per eandem appetitionem ſimul appeti proptet ſe, & propter aliud, & conſequenter tam vt *vtile*, quam *vt honeſtum* id oſtendo exemplo ſcientiæ diſput. 44. ſect. 4. verſ. *ad tertium*. Quia ly *propter aliud* non negat amari etiam propter, nec ſumitur negatiue, niſi quando ſermo eſt de *vtili* pure tali vt condiſtincto ab honeſto, de quo loquitur S. Thom. in hoc art. 6. in reſponſ. ad. 2.

23 *An hæc bona ratione noſtra diſtinguantur. Ratio dubitandi.* Dub. 2. An hæc bona licet non diſtinguantur realiter vt dictum eſt dubit. præcedent. ſaltem diſtinguantur formaliter. Ratio negandi eſt Primo quia medium, vt medium poteſt amari propter ſe, propter conducentiam ſcilicicet intrinſecam, quæ relucet in ipſo medio; ſic amat quis eſſe vtilem, ſeu aptum ad dignitates, quin tamen ipſas dignitates amet; & Deus præintendens pœnitentiam ante præuiſum abſolute peccatum eligit auxilium quia vtile ad peccatum, quin vlla ratione in peccatum afficiatur. Secundo. Honeſtum vt *Honeſtum* non poteſt diſtingui à *delectabili*, niſi vt ſpecies à genere; quia omne id quod amatur propter ſe eſt formaliter delectabile, ſeu afferr delectationem, vt poſſeſſum; ſed honeſtum amatur propter ſe, ergo eſt formaliter delectabile. Nec valet ſi dicas cum P. Faſolo hic art. 6. §. 2. *Honeſtum* licet pariat delectationem, non tamen amari propter delectationem, in eoque diſtingui à *delectabili*. Non inquam valet; quia nec delectabile amatur propter delectationem conſequentem, alias non diceretur amari ratione ſui, ſed ratione alterius, vnde appeteretur vt *vtile*. Si autem dicas in eo diſtingui *ab vtili* quia amatur propter delectabilitatem intrinſecam; etiam *honeſtum* ſic eſt delectabile, & opera virtutis *dulciora ſuper mel, & fauum* Pſ. 18. Si dicas *delectabile* ſumi pro *turpi* quo pacto opponitur honeſto. Contra eſt quia ſic non omne bonum eſſet realiter delectabile, vt patet; imo nullum quod eſt honeſtum poſſet ſimul eſſe ſic delectabile.

Nihilominus dicendum eſt formaliter, & ratione noſtra hæc tria bona diſtingui; ſic dixit S. Thom. hic ad 2. *Quod licet hæc diuiſio boni non ſit per oppoſitas res, eſt tamen per oppoſitas rationes.* Ita ſumitur ex Auguſt. lib. 83. qq. quæſt. 30. initio. Ambr. lib. 1. de off. cap. 9. Ariſt. 2. Ethic. cap. 3. Hoc autem nullo melius probatur, quam ſui explicatione. *Vtile* dicitur, quod refertur ad aliud, quin ex modo, quo attingitur æſtimetur bonitas illius, niſi vt veſtita bonitate alterius vt dico diſp. 71. ſect. 1. *honeſtum* in ſe habet bonitatem, vnde ametur, quin opus ſit conſiderare illam vt allaturam delectationem. *Delectabile* autem in ſe bonitatem habet, ſed concipitur intrinſe vt quies conformeque delectationi, & non ſolum vt conforme rationi rectæ, vti *honeſtum*. Quibus conſtat bona hæc formaliter attingi diuerſo modo. 24 *Probatur diſtinguiu.*

Vnde, quæ in contrarium opponuntur §. 23. ſoluuntur facile. Ad primam dico ſi medium, vt ſic ametur non appeti vt purè medium, ſed potius vt finis, & propter ſe intrinſece, licet extrinſeca relatio attendenda ſit *cognoſcitiue* non tamen *affectiue* vt latius explicabo ad tract. de Prædeſtinat. tom. ſequenti: ad ſecundum ſatis conſtat ex §. præced. quó pacto *delectabile* accipiendum ſit vt ab honeſto vt tali formaliter differat, quin ideo *Turpe* ſit. Sed de doctrina huius artic. plura dicam in meis diſputationibus de vltim. fine, & actib. human. 25

QVÆSTIO VI.

De Bonitate Dei.

IN faciliorem intelligentiam huius quæſtionis tota præcedens præmiſſa eſt á S. Thoma: circa quam nihil ſpecialis controuerſiæ eſt apud ſcolas Theologicás, ideo nullam de illa inſtitui in meis ſelectis diſputationibus.

ARTICVLVS I.

Vtrum eſſe bonum Deo conueniat?

1 DE hac difficultate agit S. Thomas 1. contra Gent. cap.37.& quæſt.21. de verit.art.1.ad 1. In præſenti autem artic. ideo probat hanc veritatem, quia Deus cum ſit prima cauſa eſt etiam appetibilis, & conſequenter bonus cum ratio boni in appetibilitate conſiſtat ex quæſt. præced.

2 *Quotupliciter Deus ſit bonus? Perfectionis vtilitatis. Delectab. Honeſt. S. Moral,*

Dubitat. 1. Quotupliciter Deus ſit *bonus*. Deum bonum eſſe ſub dubitatione cadere non poteſt: *Nam cum Deo nihil melius excogitari queat* (inquit Boëtius Proſa.10.lib.3.de Conſolat.) *Id quo melius nihil eſt, bonum eſſe quis dubitat?* Solum ergo explicationis gratia dubitationem inſtituo quotupliciter Deo conueniat eſſe Bonum? Reſpondeo Deo conuenit Bonitas integritatis,ſeu perfectionis, vt ſatis conſtat ex quæſt.4. Item Bonitas vtilitatis, & conuenientiæ; maxime namque omnibus expedit quod Deus exiſtat, cum ſine ipſo, nec fieri nec conſeruari valeant. Hinc continet omnem bonitatem appetibilitatis,cum honeſtiſſimè ametur propter ſe, delectabiliter, & etiam propter nos quidquid dicat Valentia citat. quæſt.præcedent.§. 22.ſi enim ipſe propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis; cur nequibit rectè propter eandem ſalutem à nobis amari. Denique Deus habet in ſe aliam bonitatem, nempe moralem,quæ conſiſtit in ſanctitate, oppoſitioneque cum peccato, cuius participatione nos omnes etiam ſancti ſumus vt dicam ad 1.2.tract.de iuſtificatione.Quare irridenda eſt Manichæor. inſania diſtinguens vnum Deum Bonum, alium Deum Malum vt refert S. Auguſt. hæreſ.46. Venerandaque potius eſt Doctrina ſaluatoris Matth.17.& Luc. 18.*Nemo Bonus niſi ſolus Deus.*

3 *An dicendus ſit bonus, vel bonum?*

Dub. ſecundo An Deus dicendus ſit *Bonus* adiectiue, vel potius *Bonum* ſubſtantiue? Huic dubitationi occaſionem præbet Proclus lib.2.in Timæum pag 109. ibi. *Qui bonus dicitur quadantenus eſt bonus, At ipſummet bonum non certi generis eſt ſed abſolute bonum; Non enim idem eſt ipſummet Bonum, & Bonus. Nam illud ipſum per ſeſe non participatur: Sed ab omnibus exceptum eſt,iſte autem eo bonus eſt, quod illius eſt Particeps.* Reſpondeo hæc plus ad Rethorum morem, quam ad Scholæ rigorem dicta ſunt, nam vt conſtabit art.4. licèt effectiue omnia bona participent bonitatem à Deo,non tamen ipſe eſt intrinſeca forma, qua creaturæ ſunt bonæ; ſi autem vti Deus dicitur ipſum *eſſe* velis vocare Deum ipſum *Bonum*, quia per eſſentiam Bonus eſt, ſic diſſidium erit de voce,vel ſi dicas Deum etiam ſubſtantiue eſſe Bonum, quia eſt Bonum per ſe ſubſiſtens.

Explicatur.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus ſit ſummum Bonum.

4 DE hac difficultate agit S.Thomas ex profeſſo. Primo contra Gent. cap.41.obiter autem cap.74.95.& 101. Item lib. 3. cap. 17. & alibi. In præſenti autem artic. 2. probat Deum eſſe ſumme Bonum,quia cum ſit cauſa cæterorum omnium bonorum, non vniuoca id eſt eiuſdem ſpeciei, ſed æquiuoca id eſt nobilioris naturæ continet eminenter, & modo excellentiſſimo eorum omnium perfectiones.

Dubit. primo An Deus ſit ſummum bonum non ſolum *intenſiue*, ſed etiam *extinſiuè*, eſſe *intenſiue* ſatis conſtat ex dictis quæſt. 4. art. 1. & 2. ſiquidem continet omnium rerum bonitatem, & perfectionem quin habeat vnde limitetur de bonitate extenſiua duplex poteſt eſſe dubitatio. Prima eo quod nihil ſit perfectius Deo etiam extenſiuè, de quo dub. ſequent. Secunda eo quod nihil in Deo ſit, nullaque formalitas, quæ non ſit bona; vnde vndequaque Deus bonus erit. Ratio dubitandi eſt primo ob relationes diuinas. Secundo ob actus liberos, qui licèt intrinſeci Deo vt ſic perfectionem non dicunt. Tertio quia bonitas eſt peculiare attributum vt ſapientia, immenſitas, *&c.* Sed hæc attribnta diſtinguuntur inter ſe ratione noſtra vt dixi diſp.18.ſect.3. Vnde non omnis perfectio diuina eſt ſapientia formaliter,& ratione noſtra ergo nec omnis eſt bonitas. 5

An Deus ſit ſummum bonum etiam extenſiue?

An omnis formalitas Dei ſit ratione ſui bona & perfectio.

Dicendum eſt Deum vndequaque eſſe bonum etiam formaliter, ſicque eſſe ſummum bonum etiam *extenſiue* modo explicato §. præcedent. ita expreſſe Auguſt.lib.8. de Trinitate toto cap. 3. vbi poſtquam plura bona creata meminit, quæ amari ſolent addit: *Amandus eſt Deus, non hoc, & illud bonum, ſed ipſum Bonum,& quid hoc niſi Deus? Non bonus animus, aut bonus Angelus,*&c. *Sed bonum bonum. Cum audio Animus bonus duo quædam intelligo: aliud quo animus eſt aliud quo Bonus,* & poſt pauca *ſed enim Deus non eſt aliud aliquid quam ipſum bonum; ac per hoc etiam ſummum bonum*, & in enarratione Pſal.26.*Quale bonum? Omnis boni bonum vnde omne bonum, cui non addatur quid ſit ipſum bonum. Dicitur enim bonus homo,& bonus ager, & bona domus, & bonum animal, & bona arbor,& bonum corpus. & bona anima adiunxiſti quoties dixiſti bonum eſt. Bonum ſimplex ipſum bonum, quo cuncta ſunt bona, ipſum bonum ex quo cuncta ſunt bona.* Ratio huius eſt quia omnis formalitas diuina in ſua linea perfecta eſt, & formaliter loquendo conuenientiſſima ſummeque appetibilis: at in hoc conſiſtit ratio formalis boni vt patet ex quæſt. præcedent. Ergo omnis formalitas diuina imbibit bonitatem, imbibit inquam ratione noſtra implicita licèt non explicita vt dixi quæſt. præced. §.16. Confirmatur omnis formalitas diuina etiam ratione noſtra eſt ens poſitiuum, & reale, ſed de omni ente eſt prædicabilis ratio boni formaliter, & ratione noſtra cum bonitas ſit paſſio formalis entis ergo,*&c.* 5

Probatur pars affirmatiua.

Vnde ad rationes oppoſitas in §.5.Reſpondeo ad primam relationes diuinas formaliter vt tales dicere perfectionem, & bonitatem, licèt non ſint dicendæ tres perfectiones reales vt cum P. Vaſquez latè oſtendam tom. ſequent. tract.de Trinitate.Ad ſecundam actus liber ſi vt talis ponatur Deo adæquatè intrinſecus perfectionem etiam formaliter dicit vt oſtendi tract.5. de voluntate Dei diſput.69. Ad tertium reſpondeo bonitatem tranſcendentalem de qua hic non eſſe ſpeciale attributum,quare nec diſtingui ratione noſtra ab aliis attributis. 6

Dubit. ſecundo An Deus ita extenſiue ſit ſummum bonum vt Deus ſimul cum creatura non ſit maius bonum, quam Deus ſolus? de quo egi quæſtione 4. à num.13. Sententiam negatiuam præter Durandum, & Arriagam ibi citatos tuetur etiam Suarez 1. part. lib.1. de eſſentia Dei cap.5. num. 3. aſſerens Chriſtum licèt non intenſiue poſſe tamen dici perfectiorem extenſiue quam verbum. Quod ſic 7

An Deus & creatura non ſit melius quid, quam ſolus? Negat Durand. Arriaga. Suarez.

ſic probatur quia eſſe *rationale creatum* eſt aliqua perfectio, ſeu bonitas formaliter, ſed hanc bonitatem habet Chriſtus ſupra; ſeu condiſtincte, & præter bonitatem diuinam, quam etiam habet, Ergo habet plus bonitatis, ſeu eſt maius quid in ratione bonitatis, quam Deus ſolus. Conſequentia euidens videtur ex notiſſimo principio quod totum eſt maius ſua parte, Deus autem comparatur vt pars, ſeu inadæquatum conſtitutiuum reſpectu Chriſti, qui quaſi coaleſcit ex Deo, & humanitate, nam ſicut *anima rationalis, & caro vnus eſt homo; ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.* Confirmatur quia Deus cum humanitate poteſt præſtare plura, ad quæ non valet ſe ſolo quales ſunt actus vitales creati. At ad maiorem perfectionem ſpectat incrementum potentiæ ergo Deus ſic eſt perfectior ſe ſolo. Confirmatur ſecundo ne Deus ſolus ſit ſummum bonum. Nam id quod eſt ſummum non ſolum debet non excedi ab alio, ſed etiam petit eſſe ſupra omne aliud, Deus autem ſolus ſaltem vt ſic non eſt maius, quam aggregatum ex Deo, & creatura.

8 Sed huic dubitationi plenè ſatisfeci, eamque quoad rem, & vocem explicui quæſt. 4. num. 14. Vide etiam P. Faſolum in præſenti art. 2. à num. 5. Modo ex à me dictis loco citato reſpondeo totum eſſe maius ſua parte in ea ratione in qua pars concurrit ad tale totum, non vero in alia verbi gratia, totum ex aqua, & calore vel ex voluntate, & peccato poſitiuo eſt quidem maius in entitate; non tamen in perfectione, quia peccatum non concurrit ad totum per modum perficientis; ita Ergo ſimiliter Chriſtus, ſeu aggregatum ex Deo, & creatura non coaleſcit ex hac vt perficienti formaliter tale totum, reddenteque illud melioris conditionis ob rationem dictam quæſt. 4. §. 14. Ad primam confirmationem, cum effectus illi titulo perfectionis non ſint extra ſphæram omnipotentiæ, non minuit perfectionem Dei, quod ſe ſolo nequeat illos producere, qui ſolum ob ſuam imperfectionem ſunt alligati creaturæ, vt vnio & alij modi ſunt alligati ſuis ſubiectis. Ad ſecundam confirmationem ratio *ſummi boni* ſolum petit vt excedat omne aliud bonum diſtinctum ab ipſo.

Affirmatiua probatur.

ARTICVLVS III.

Vtrum eſſe Bonum per eſſentiam ſit proprium Dei?

9 De hac difficultate agit S. Thomas 1. contr. Gent. cap. 39. & 40. & opuſc. 2. cap. 109. & ſequenr. Vbi Theologiæ compendium inſtituit, & quæſt. 21. de Verit. art. 5. In præſenti autem art. 3. ideo probat proprium Dei eſſe, quod ſit Bonus per eſſentiam, quia ſolus omnimodam perfectionem habet, eſſendi quidem quia eſt ſuum *eſſe*; in aliis prædicatis, quia quæ in nobis ſunt accidentia in Deo ſunt eſſentialia: in ordinatione ad finem, quia ipſe ſolus eſt vltimus finis omnium, cum tamen à reliquis deficiat ratio vltimi finis.

10 Dubit. primo in quo ſenſu Dei ſit proprium eſſe bonum per eſſentiam. Ratio dubitandi, eſt, quia Bonum, & ens conuertuntur; ſed per eſſentiam ſuam creaturæ ſunt entia. Ergo Bona. Reſpondeo pluribus titulis eſſe proprium Dei quod ſit bonus per eſſentiam. Primò quia ſolus per ſe eſt, ſeu à ſe, & non ab alio. Ergo etiam in ipſa bonitate entis ſpecialiter eſt per ſuam eſſentiam Bonus. Secundò quidquid bonitatis habet Deus habet per identitatem cum ſua eſſentia, vt patet ex eius ſimplicitate. Creatura autem pluribus additamentis indiget vt ſimpliciter ſit bona, & perfecta. Tertio ipſa, bonitas, ſi quæ eſt cum creatura identificata, talis eſt vt poſſit ab alio tolli ſicut, & entitas ipſa; ſecus contingit in Deo. Quartò Deus ſibi ſolus bonus eſt, & ſufficiens per ſuam eſſentiam tam in ratione entis, quam in ratione finis, ſeu quaſi finalis cauſæ. Ergo cum iſta nil aliud ſit quam Bonum ex quæſt. 5. art. 4. Deo proprium erit eſſe ſic Bonum per ſuam eſſentiam. Ad rationem dubitandi dico creaturas non eſſe per ſuam eſſentiam entia ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid, ſi quidem eſſentia creaturæ vt talis eſt, non potius habeat *exiſtere*, quod eſt ſimpliciter *eſſe*; quam *non exiſtere* quod eſt ſimpliciter *non eſſe*. Sed de hoc plura dub. ſequenti.

In quo ſenſu eſt proprium Dei eſſe bonũ per eſſentiam?

11 Dubit. ſecundo An creaturæ ſint bonæ præcisè ratione exiſtentiæ; an etiam ratione eſſentiæ etiam vt condiſtinctæ ab exiſtentia. Prima ſententia ſtat præcisè pro exiſtentia. Ita Caiet. Bannez, Nazarius, Zumel hic. Mouentur quia eſſentiam creaturæ nulla res appetit, ſed exiſtentiam, bonum autem eſt *appetibile*; Si dicas per ſimplicem intelligentiam repræſentari creaturas, vt bonas ſiquidē proponuntur vt amabiles, & tamē non repræſentari vt exiſtentes. Reſpondeo repræſentari vt bonas poſſibiliter, hinc amantur vt tranſeant ad exiſtentiam, ſeu vt exiſtentes ſint, quare quod appetitur non eſt eſſentia in eſſe eſſentiæ. Secunda ſententia cenſet creaturam adhuc in eſſe eſſentiæ eſſe bonam. Ita Valentia hic quæſt. 6. puncto 2. verſ. *Mihi vero ſententia.* Mouetur quia de ipſis eſſentiis rerum dicitur bonas eſſe ſic primo ad Timotheum quarto *Omnis creatura bona eſt.* Auguſt. lib. de duabus animabus contra Manicheos cap. 5. & lib. de natura boni contra eoſdem cap. 1. *Omnis natura in quantum natura bonum eſt.* Sic Geneſ. 1. *quæ fecit Deus ſunt valde bona.* Tunc ſic, ſed creatura etiam ſecundum eſſentiam eſt creatura, eſt natura, eſt facta à Deo; nihil enim eſt præter Deum, quod factum non ſit, & creatum. Confirmatur vna eſſentia creaturæ eſt melior alia; *creatura* (inquit Nacian. apud Valentiam ſupra) *alia aliis dignitate præſtant, prout qualibet Deum propinquius attingit*, non poteſt autem eſſe melius, niſi quod bonum eſt. Confirmatur ſecundo quia ens, & bonum conuertuntur creatura autem per ſuam eſſentiam ens eſt.

An creatura etiam ratione eſſentiæ ſint bonæ? Stant pro exiſtentia. Caiet. Bannez. Nazar. Zumel.

Pro eſſentia Valentia.

12 Circa hanc dubitationem vide quæ dixi quæſt. 4. §. 4. iuxta quæ modo dico eſſentiam creaturæ in eſſe eſſentiæ non eſſe bonam ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid; nam eſſentia ſecundum intrinſeca quæ habet, & ſecum identificata, ſi fingatur diſtincta ab omni actu, & exiſtentia nihil eſt eſſentialiter, & ſolum denominatiue ſimpliciter eſt ens. Sed omne ens vti eſt ens, ita eſt bonum. Ergo ſimpliciter eſſentia non eſt bona. Confirmatur eſſentia in eſſe eſſentiæ ſolum eſt poſſibiliter, & ea bonitate bona, quam habet ab æterno; etenim eo quod in tempore fiat exiſtens per exiſtentiam ſuperadditam, non ideo fit alterius conditionis in eſſe eſſentiæ, quam fuit ab æterno: Sed ab æterno non fuit bona niſi tantum ſecundum quid & in potentia. Ergo ſimiliter.

In eſſe eſſentia creaturæ ſolum eſt bona ſecundum quid.

13 Ad rationes oppoſitas in §. 11. vno verbo reſpondeo eis probari eſſentiam non diſtingui ab exiſtentia, & talem eſſentiam ſolum eſſe bonam quandiu eſt actu, & exercite exiſtens. Vide Deus de

creaturis

creaturis, quas fecit dixit eſſe *valde bonas*: Quod ſi vna eſſentia dicitur *melior* alia terminus eſt abuſiuus, pro eo quod poſſit *eſſe melior* quo patet ad 1. Confirmationem. Ad 2. Confirm. dico ſimpliciter ſolum per exiſtentiam eſſe creaturam bonam, *quia actu*; at per eſſentiam ſolum in potentia; & conſequenter ſecundum quid.

ARTICVLVS IV.

Vtrum omnia ſint bona bonitate diuina?

14 DE hac difficultate agit S. Thomas 1. contr. Gentes cap.41.& quæſt.1. de veritate artic.4. In pſenti autem articulo ſtatuit omnia quidem eſſe bona bonitate diuina extrinſecè, & cauſaliter; bonitatibus vero propriis formaliter.

15 *An res aliqua dicatur bona à bonitate diuina?* Dub.1.An res aliqua dicatur bona etiam formaliter à bonitate diuina. Ratio dubitandi eſt, quia aliquæ denominationes, relatiuæ ſcilicet, quæ ab extrinſeco ſumuntur vt denominatio dextræ in columna deſumitur à dextro latere animalis. Sed ratio boni, ſeu conuenientis eſt relatiua, ergo poterit ſumi ab extrinſeco. 2. Patet in denominatione analoga, ſic medicina dicitur ſana à ſanitate animalis. 3. Quia eſſentia creaturæ in eſſe eſſentiæ, ſeu poſſibilis nihil dicit actu in ſe, ſed in cauſa, & in potentia. Sed res eô eſt bona quô eſt in actu vt dixi art. præced. Ergo eſſentia creaturæ eſt bona etiam formaliter per bonitatem Dei, qui eſt prima cauſa. 4. Quia res eô eſt bona quô eſt per ſe appetibilis, *Ratio affirmandi.* at bona creata non ſunt per ſe appetibilia ſaltem reſpectu ſupremi appetitus diuini niſi ex coniunctione cum bonitate diuina vt dixi diſp.72. ſect. 1. Ergo ſolum per bonitatem diuinam, ſeu per coniunctionem cum bonitate diuina ſunt bona.

16 *Impugnatur.* Nihilominus certum eſt in rebus creatis inueniri propriam, & intrinſecam bonitatem, ſicut & entitatem, quidquid namque ſit, amentur honeſte, vel ne ratione ſui, adhuc tamen ſibi ipſi conuenire extra dubium eſt pro ſtatu exiſtentiæ; Quare dico creaturas ratione ſui, & à propria entitate bonas eſſe, quando exiſtunt; quando vero non exiſtunt proprie loquendo, nec à ſe, nec ab alio denominationem *boni* recipere poſſunt, cum non entis nullæ ſint proprietates.

17 *Soluitur.* Hinc ad Primum dico rationem boni in re non eſſe relatiuam, vt dixi §.3.in quæſt.5. præterquamquod omnis denominatio relatiua ab alio ſumitur, licet ad aliud ſit, vt patet in Paternitate diuina. Ad ſecundum id verum eſt de analogo improprio, ſecus de proprio, proprie autem creatura eſt bona, ſicut & eſt ens. Ad tertium fateor creaturam in eſſe eſſentiæ condiſtinctè ab exiſtentia, & actualitate omni non eſſe bonam, vt dixi hic §.12. Sed addo neque ab entitate, & bonitate Dei dici tunc bonam; niſi ipſum exiſtere in cauſa, & eminenter dicas aliquo modo & ſenſu poſſe vocari exiſtentiam, & bonitatem; & tunc hæc qualis qualis ſupra creaturam cadere poteſt tota eſt à Deo, fateor, imo tota eſt Deus. Ad quartum ad bonum non requiritur quod ſit appetibile ab alio, ſed à ſe vt dixi quæſt. 5. §. 3. hoc autem habent creaturæ.

* * *

QVÆSTIO VII.

De Infinitate Dei.

ETIAM hæc quæſtio conſulto prætermiſſa à me eſt in meis diſputationibus, licet enim aliqua ſatis difficilia contineat, vt dixerit Ariſtoteles 3. Phyſic. tex 65. Infinitum non eſſe *iucundum*, *neque ſcibile*. Iſta tamen iam vt pure Philoſophica habentur.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus ſit infinitus.

DE hac difficultate agit S. Thomas ex profeſſo. 1. contra Gent.cap.43. & opuſc. 2. Quod eſt compendium Theologiæ art. 18. 19. & 20. Et loquendo de infinitate Potentiæ quæſt. 1. de Potent. art.2.& 1. diſtinct.43.quæſt.1. artic. 1. In præſenti autem artic.1. Ideo probat Deum infinitum eſſe quia eſſe Dei in nullo eſt receptum cum ſit ipſe ſuum eſſe ſubſiſtens. 1

Dubit. 1. Quid ſit eſſe infinitum ſecundum eſſentiam 1. Thomiſtæ cum Caiet. hic Ferrar. 1. contra Gent. cap. 43. explicant per irreceptibilitatem in materia, & ſic intelligunt S. Thomam, quod Deus *ſit infinitus* eo quod ſit ipſum *eſſe* in nullo receptum. Sed contra nam Angelus irreceptus eſt omnique ſubiecto caret. Vide Scotum 1. diſtinct. 2. quæſt. 1. latè impugnantem hunc infinitatis conceptum. 2. Scotus ſupra §. *oſtenſo propoſito* per continentiam omnium in eſſe intelligibili, ſeu cognitionem omnium. Sed contra quia in Chriſto datur ſcientia infinitorum, nec tamen iſta eſt infinita ſecundum eſſentiam. 3. per *eſſe à ſe*. Sicut enim eſſe ab alio formaliter dicit finitatem, ita eſſe à ſe infinitatem: ita Vaſq. hic diſput.25.cap.5. Sed contra licet ex independentia poſſit per legitimum diſcurſum inferri infinitas; at formaliter non exprimit eam infinitatem, vt pateret ſi mundus; vel materia prima, vt finxerunt Philoſophi eſſet à ſe; præterea non quo res eſt à paucioribus dependens eo eſt perfectior: Materia enim pendet à ſolo Deo, & ſubiecto caret, forma vero vlterius à cauſa ſecunda efficiente, & materiali, neque ideo eſt iſta imperfectior. 4. P. Suarez lib.2.de Attribut.cap.1.explicat infinitatem ſecundum eſſentiam, quia non habeat res ſic infinita aliam ſupra ſe perfectiorem; ideo creatura eſt finita, quia alia perfectior dari poteſt. Sed contra bene quod finitati ſecundum eſſentiam ſufficiat habere ſuperiorem, ſicut & eſſe dependentem ab alio, quia in hoc reſplendet imperfectio, quæ cum infinitate perfectionis non ſtat. At non ideo ſtatim apparet res infinitæ perfectionis, quod hac imperfectione careat; vt patet ſi fingas mundum eſſe à ſe, vel nullum ens eſſe perfectius mundo vide quæ dico diſput.11.ſect.1. 2 *Quid ſit infinitum ſecundum eſſentiam. Iuxta aliorum mentem.*

Ego explico infinitatem per eſſentiam per *continentiam omnis perfectionis ſine imperfectione* omnis inquam & infinitæ ſaltem ſecundum intenſionem; licet enim aliqua potentia poſſet producere omnes creaturas 3 *Iuxta veritatem.*

creaturas poſſibiles, ſi per impoſſibile, hæ forent tantum centum, talis potentia non foret infinita *extenſiue*. Ergo ſimiliter, neque *intenſiue*, ſi in aliqua creatura limitata ſiſteret. Ergo neque etiam erit infinita in perfectione, quantumuis contineat omnem perfectionem, ſi iſta non ſit infinita ſecundum intenſionem, hoc eſt tantæ perfectionis, vt quantumuis in infinitum vt maior, & perfectior, ac perfectior concipiatur, nondum exhauriri poſſit. Patet hæc conſequentia, quia id quod requiritur in linea potentiæ vt infinita ſit, ita & in linea perfectionis eſſentiæ vt iſta ad infinitatem creſcat. Conceptus iſte infinitatis probatur tum ex communi omnium conceptione, qui eo exiſtimant Deum infinitum eſſe, quia eſt id, quo melius cogitari non poteſt iuxta Anſel. in Proſologio cap. 2. Tum etiam exemplo ipſius potentiæ, quæ infinita concipitur, quando in eſſe potentiæ continet omnem perfectionem poſſibilem, creaturaſque in infinitum perfectiores, & perfectiores producere valet. Vnde Henriquez in ſumm. art. 44. quæſt. 1. fine corporis ait: *Infinitas nihil eſt aliud, quam cuiuſdam ſpiritualis magnitudinis immenſitas in infinitum ſpiritualiter protenſa infinitos gradus magnitudinum perfectionis continens vt ſicut corpus infinitum* (proſequitur idem Author) *continet in ſe corporaliter quantitatem corporis pedalis, bipedalis, & ſic in infinitum: ſic eſſentia infinita continet in ſe ſpiritualiter quantitatem eſſendi gradus inanimati, vegetabilis, ſenſibilis rationalis, intellectualis, & ſic in infinitum ponendo infinitos gradus creaturarum poſſibiles.*

Henriquez. definitio.

4 Dubit. ſecundo principaliter An Deus ſit infinitus ſecundum eſſentiam. Fuerunt aliqui qui hoc negarunt, etiam è Chriſtianis, dicentes Deum eſſe infinitum nobis ſolum quia eſt à nobis incomprehenſibilis vt refert S. Bonauent. in 1. diſtinct. 43. quæſt. 1. Item alij conceſſerunt Deum eſſe infinitum, quoad potentiam negarunt quoad eſſentiam, cuius erroris meminit S. Thom. 1. diſtinct. 43. quæſtione 1. art. 1. Ratio eſt primum quia ſi Deus foret infinitus in omni genere tolleretur omne ens finitum, nihil enim aliud eſt præter infinitum. Secundum quia Deus eſt in eſſe determinato, & ſingulari ergo habet determinationem, & finem. Hæc & alia, quæ dici poſſent æquiuoca ſunt, nulliuſque ponderis ad negandum hoc primum fidei dogma, & naturalis rationis, qualis eſt infinitas Dei in ſenſu explicato dub. præcedent. Ad primam, reſpondeo Deum non eſſe infinitum in omni genere formaliter, ſed eminenter vt dixi quæſt. 4. art. 2. Vnde permittere poterit alia entia cum imperfectionibus, quas ipſe non habet. Ad ſecundam ſimiliter dico eſſe Dei eſſe determinatum formaliter, & realiter cum ſit vnum ens ſingulariſſimum, & ſimpliciſſimum, at eminenter continet infinitas perfectiones realiter diſtinctas; imo ipſe Deus ſua ſimplicitate continet infinitas perfectiones formales hoc eſt tot perfectiones poſſunt dici de Deo formaliter vt poſſint plures, & plures ſine fine prædicari.

An Deus ſit infinitus ſecundum eſſentiam? Qui negarint.

Veritas Catholica.

5 Igitur Deum eſſe infinitum de fide eſt Pſalm. 144. *Magnitudinis eius non eſt finis* Pſal. 146. *Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus*, Baruch: *magnus eſt, & non habet finem cap. firmiter* de ſumma Trinitate & fide Catholica: *magnus eſt ſuper omnem magnitudinem* Nyſſenus oratione prima in id Geneſeos *Faciamus hominem*: *Magnum cogita, & huic magno plus etiam, atque etiam adde, quam cogitaſti: atque ita exple cogitationem tuam, neque vnquam, quæ infinita ſunt capies, nec magnitudine concluditur, nec finibus cohibetur.* Nazianzenus oratione ſecunda in Paſcha non longe à principio Deum vocat *pelagus quoddam eſſentiæ immenſum, & interminatum* Auguſtinus libro de ſpeculo, capite. 33. fine. *Confiteor te vnum Deum in magnitudine infinitum*, circa quæ aduerte, regula eiuſdem Auguſt. lib. 6. de Trinit. cap. 8. *In his quæ non mole magna ſunt* idem *eſt maius eſſe, quod melius eſſe.* Denique *Deum eſſe infinitum* (inquit Theodoretus in Epitome diuinorum decretorum in cap de principio circa medium) *Non circunſcribi poſſe, aut quoad ſubſtantiam, aut quoad potentiam, & ex veteri, & ex nouo teſtamento didicimus.* Eadem veritas probatur ratione naturali ex dictis dub. præcedent. Deus talis eſt, vt quo maiorem, & maiorem perfectionem in ipſo cogitemus eo maior, & maior reſtet in infinitum, ita vt nequeat nec à nobis, nec à Deo cum vlla perfectione finita quamtumuis creſcat in infinitum comparari, & dici, quod tantum habeat perfectionis, & non amplius: at hoc eſt eſſe infinitum ſecundum eſſentiam ex §. 3. Ergo Deus eſt ſic infinitus. Dices cum Authoribus apud S. Bonauent. ſupra, Deum quoad nos infinitum eſſe, quia nunquam in eo tantam perfectionem poſſumus concipere, quin adhuc maior reſtet: Ergo cum non reſtet maior, quam ea, quæ cognoſcitur ab ipſo Deo (Deus enim rectè ſcit non eſſe in ſua eſſentia vllam aliam perfectionem vltra eam, quam cognoſcit) Deus reſpectu ſui finitus erit. Reſpondeo cum ſcientia Dei ſit infinita, non minuit infinitatem eſſentiæ quod ab illa comprehendatur ſic dicit Auguſtin. 12. de Ciuitate Dei cap. 18. *Quamuis infinitorum numerorum nullus ſit numerus, non tamen eſt incomprehenſibilis ei, cuius ſcientia non eſt numerus.* Deinde nec Deus comparando eſſentiam diuinam cum perfectione aliqua finita poteſt peruenire ad limitandam Dei perfectionem vt dixi.

Ratione naturali. Probatur.

Vnde immerito dixit Nyphus non poſſe probari hanc veritatem ratione efficaci quod etiam prius dixerat Ochamus in Centilogio concluſ. 3. Imo Aliacus 1. ſentent. quæſt. 13. art. 1. & art. 3. puncto. 1. §. *Ego autem dico* addit eſſe probabilius, quapropter Bannez hic concluſione 2. Zumel quæſt. vnica, Trigoſius 1. part. quæſt. 5. art. 2. dub. 1. concluſ. 2. merito dicunt falſiſſimam, ac temerariam eſſe ſententiam Auguſtini Nyphi citati in quæſt. de infinitate primi Motoris. Sed ego idem dico de Ianduno 12. Met. q. 15. Vbi in fine ita concludit. *Hoc non poteſt demonſtrari naturaliter; nec conuinci ex ſenſatis; ſed eſt ſimpliciter ſine omni demonſtratione naturali credendum, & firmiter tenendum.* 6

Improbantur Niphus. Ocam. Aliacus. Ianduu.

Dubit. tertiò quo pacto infinitas ſit de conceptu Dei? vide diſput. 17. ſect. 6. 7

ARTICVLVS I.

Vtrum aliquid aliud, quam Deus, poſſit eſſe infinitum per eſſentiam.

DE hac difficultate agit S. Thomas 1. diſtinct. 43. quæſtione 1. art. 2. loquendo de omnipotentia, & loquendo de infinitate ſimpliciter 1. par. quæſt. 50. art. 2. ad 4. obiter. In præſenti autem art. 2. conſequenter ad præcedentem ait nullam creaturam poſſe eſſe infinitam ſimpliciter, quia eius eſſe eſt receptum, ſeu limitatum, & contractum ad naturam determinatam. 8

Dubit. primò An creatura poſſit eſſe infinita per eſſentiam, ſaltem in aliquo genere determinato; 9 quod

An creatura poſſit eſſe infinita ſecundum eſſentiã ſaltem in aliquo genere.

Ratio dubitandi.

quod enim non poſſit eſſe infinita in omni genere eo modo quo Deus patet cum careat maximâ perfectione *indepẽdentiæ*, & neceſſitatis eſſendi; Adhuc tamen videtur poſſe dici infinitam creaturam per eſſentiam vt ſi detur aliqua creatura, quæ eſſentialiter ſit cognoſcitiua infinitorum, vel aliquis calor infinitus in intenſione, ſic etiam viſio beata infinita aliquo modo eſt eo quod quidditatiue repreſentet obiectum infinitum; aliunde autem hæc infinitas conuenit ipſi per ſuam eſſentiam. Confirmatur infinitas, quæ negatur, creaturæ per eſſentiam videtur concedi per accidens, ſeu accidentaliter; ſolum namque ly *per eſſentiam* appropriatur Deo. Atqui omne id quod conuenit vni creaturæ per accidens, poteſt alteri ſuperiori conuenire per identitatem, ſic virtus productiua caloris, quæ conuenit per aliquid diſtinctum igni; ſoli conuenit per ſuam eſſentiam. Ergo aliqua creatura poterit eſſe ita perfecta vt habeat infinitatem per eſſentiam. Confirmatur infinitas per eſſentiam ponitur vt vnum ex attributis Dei. Ergo continet omnes perfectiones. Ergo quantumuis detur ſine perfectione *independentiæ*; vel *neceſſitatis* eſſendi quo pacto dabitur in creatura, inueniri poterit. Ergo creatura poteſt eſſe infinita per eſſentiam.

Defenditur veritas contraria.

9 Contraria tamen veritas eſt omnino certa ni quæſtio ſit de nomine: *Solus* Deus (inquit Cyporſiſſ. decad. 10. cap. 10.) *eſt eſſentia infinitus* ratio eſt quia ex §. 3. infinitum ſecundum eſſentiam ita petit habere omnem perfectionem, vt nulla limitatio, nec contractio ei adhibere poſſit, ſicque dixit S. Thomas eius eſſe requiri quod ſit irreceptum; hoc eſt nulla perfectione determinata coarctatum vt etiam reperit art. ſeq. initio ſtatuens quantumuis detur corpus infinitum ſecundum magnitudinem, non fore infinitum ſecundum eſſentiam, quia eſſentia ſua eſſet determinata ad aliquam ſpeciem.

10 Quare ad rationes oppoſitas reſpondeo primo ſecundum quid bene poſſe dici aliquam eſſentiam infinitam, ita de Angelo id dixit S. Thomas hic, & verum erit de qualibet ſpecie, quæ infinitas alias perfectione ſuperat. Addo ſecundo nec in vno genere dicendum creaturam infinitam *per eſſentiam* ſicut non dicitur ſapiens, nec bona per eſſentiam, quia ſcil. neq; eſt ens per eſſentiam; ſed quaſi per accidens, ſeu contingenter habet ſuum eſſe vide q. 6. §. 10. hinc ad primam cõfirmationem licet concedam omnia, quæ vni veniunt per vnionem accidentalem, alij poſſe conuenire per identitatem, adhuc per eſſentiam non dicetur conuenire, quia hoc ſonat, vltra identitatem; indefectibilitatem, ſeu neceſſitatem eſſendi: præter quam quod humanitas Chriſti Domini infinitatur aliquo pacto per vnionem ad verbũm, neque ideo bonum hoc infinitum poteſt alicui creaturæ per identitatem aduenire. Ad ſecundam cõfirmationem cenſeo infinitatem non eſſe attributum Dei ſpeciale ex parte fundamenti, nam formaliſſime nil eſt aliud eſt, quam *Pelagus perfectionis* vt dixit Nazianz. citatus §. 5. & ego explicui diſput. 17. ſect. 6. & 7. licet qua infinitas formaliter attingatur à nobis ſpeciali ratione per connotationem ad carentiam finis, ſeu ad perfectiones plures, & plures: ſicut in omnipotentia non eſt àttributum ſpeciale eſſe infinitam. Præterquamquod perfectio *independentiæ*, & neceſſitatis eſſendi ſpecialiſſime requiritur pro infinitate ſecundum eſſentiam, quantumuis aliæ perfectiones abeſſe permitterentur ab infinito ſecundum eſſentiam, vt conſtat initio huius §.

An ſit poſſibilis creatura perfectiſſima.

11 Dubit. 2. An ſaltem poſſibilis ſit creatura, quæ in eſſe creaturæ ſit infinita ſimpliciter, & ſic per eſſentiam, quatenus continet omnes perfectiones poſſibiles creatas? Ratio affirmandi eſt quia talis creatura non erit infinita ſimpliciter, nec ſicut Deus, quandoquidem foret Deo inferior, & ab illo dependens. Item collectio ex omnibus creaturis eſt ſic infinita, & continens omnes perfectiones creatas, & adhuc eſt infra Deum. Ergo ſimiliter poſſet dici de vna creatura continente eminenter omnes perfectiones creatas: dixi eminenter, quia formaliter plures incompoſſibiles ſunt vt aſſenſus, & diſſenſus: amor, & odium, &c. P. Arriaga diſput. 13. Phyſicorum, & hic 1. part. diſput. 2. ſect. 4. num. 31. acerrime tuetur creaturam omnium perfectiſſimam poſſibilem eſſe; de qua iure, & conſequenter dici poterit, quod contineat eminenter cæterarum perfectiones. Ita Durand. Aureol. Baccon. 1. diſtinct. 44. Henr. quodl. 5.

Affirmat Arriaga. Aureol. Baccon. Henriq.

Ego exiſtimo omnino repugnare creaturam infinitam etiam in genere creato continentem omnes perfectiones poſſibiles; item & creaturam omnium perfectiſſimam; ita communis omnium Theologorum cum S. Thoma quæſt. 1. de potentia art. 2. ad 9. & quæſt. 20. de Ver. à. 6. cap. & 1. diſtinct. 44. quæſt. 1. art. 3. Suarez diſput. 30. Met. ſect. 17. num. 19. Faſol. hic 1. part. quæſt. 7. art. 3. & 4. dub. 11 num. 13. Hurtado diſput. 13. Phyſ. ſect. 3. Ouiedo d. 14. Phyſ. part. 7. num. 1. Comptono Carleton. diſput. 46. Phyſ. ſect. 8. & P. Franciſcus Picolomini. Societ. noſtræ Generalis Præpoſitus in Epiſtol. ad Prouincias miſſa pagin. 27. num. 15. Moueor ego aliis prætermiſſis de quibus in ſeqq. articulis, quia Deus poteſt producere creaturam perfectiorem ſine fine eo quod nulla ſit inter quam, & Deum non ſit infinita diſtantia; ſed quantumuis fingatur creatura ſuprema, opus eſt vt inter illam, & Deum ſit diſtantia infinita. Ergo ſemper Deus poterit aliam perfectiorem producere. Confirmatur implicat creatura, quæ non diſtet infinite à Deo, ſed diſtare infinite formaliſſime imbibit, poſſe, quin accedat perfectio ad diuinitatem vlterius creſcere. Ergo implicat creatura ſupra quã non ſit poſſibilis alia ſolũ conſequentia legitima eſt. Maior de fide, & actioni naturali notiſſima. Minor tunc ſolũ probatione indiget, quando ſpecialem rationem afferas titulo cuius poſſibilis ſit Angelus Superior Michaële, quin accedat ad Deum; niſi quia Michaël infinite diſtat à Deo. Non ne ſi diſtat Petrus à Paulo centum leucis eo ipſo poterit Franciſcus Minus diſtare, ſeu proximior eſſe Paulo, quin adhuc ad locum Petri accedat? quia ſcilicet diſtantia illa admittit magis, & minus. Ergo ſimiliter hic. 12

Neganda eſt cum S. Thom. Suarez Faſol. Hurtado. Ouiedo. Compton. Pilomini.

Argumenta propoſita pro contraria ſententia ipſe P. Arriaga apud Carleton ſupra fatetur eſſe fallacia. Nam probant eſſe numerum finitorum maximum, eſſe inſtans æternitatis Primum vltra quod vel ante quod non extitit Deus; ſeu vltimum poſt quod non exiſtet. Igitur illa creatura foret infra Deum infinite, vt petit conceptus creaturæ; & non infinite, quandoquidem non permitteret aliam Paulo meliorem infra Deum. Ad confirmationem de collectione reſpondeo eſſe de ſubiecto non ſupponente; nam in infinito, in quo ſemper aliquid eſt extra implicat quod exiſtat, & determinetur ſimul, & collectiue, vt iterum dicam articulis ſequentibus maxime autem quæſt. 14. art. 12. dub. 2. 13

***

ARTI

ARTICVLVS III.

Vtrum poßit aliquid eſſe infinitum actu ſecundum magnitudinem.

14 AGit de hac difficultate S. Thomas quæſt. 1. de veritate art. 2. & quodlib. 9. art. 1. & quodlib. 2. artic. 2. In præſenti autem articulo tertio ideo aſſerit repugnare infinitum, ſiue naturale, ſiue Mathematicum, quia ſicut quodlibet corpus habet formam determinatam, ita & determinatam quantitatem & hæc (qua conſtituitur corpus Mathematicum) determinatam figuram, quæ determinationes non ſtant cum infinito, neque item corpus illud poſſet moueri localiter, vt petit corpus naturale; quod conſtat Principio motûs vide Ioſeph. Auguſt hic à num. 35.

15 *An poſita poſſibilitate infiniti in actu ſit ſpecialis difficultas in infinito ſecundum magnitudinem?*

Dubit. primo An poſita poſſibilitate infiniti in actu, ſit ſpecialis difficultas de infinitate ſecundum magnitudinem, hoc eſt ſecundum extenſionem continuam quantitatis; in præſenti namque nomine *magnitudinis* hæc quantitas intelligitur. Ratio dubitandi eſt, quia quantumuis admittatur infinitum, admittendum non eſt quod totum non ſit maius ſua parte; hoc enim eſt principium per ſe notiſſimum tunc ſic, ſed ſpecialiſſime in quantitate extenſionis hoc falſificatur; quidquid ſit de aliis infinitis ergo ſpecialiſſime repugnat infinitum ſecundum extenſionem. Maior etiam in materia de infinito, licet negetur à Conimbricenſibus lib. 3. Phyſic. cap. 8. quæſt. 2. art. 4. §. *Pro explicatione* acriter tamen defenditur à Patre Carleton diſput. 46. Phyſic ſect. 6. num. 3. fine inquiens: *ſatius eſſet millies negare infinitum, quam ex illius conceſſione in eas anguſtias redigi, vt cogatur quis principio tam manifeſto, ipſoque lumine naturæ noto refragari.* Minor etiam probatur quia in aliis infinitis proprie non datur totum, & pars ſicut in extenſione. Secundo id patet in extenſione ſucceſſiua, quis enim quantumuis admittat poſſe dari actu infinitos homines, admittet poſſe dari actu durationem infinitam æternitatis à parte poſt, ſeu poſſe determinari durationem aliquam actu exiſtentem vel futuram, de qua dicatur ad hanc peruenient tormenta, quæ paſſurus eſt Iudas, verbi gratia, ita vt dum peruenerit infinitam durationem tranſegerit: etenim ſi hoc eſſet poſſibile, poſſibile etiam eſſet Iudam plenè ſatisfeciſſe ſuæ damnationi æternæ; æternitas namque damnationis nihil aliud petit niſi quod Iudas per æternam durationem tormenta ſuſtineat. Hoc autem abſurdiſſimum eſt nam poſt durationem illam infinitam, quæ determinari poſſit reſtarent aliæ vlteriores; ſiquidem in vno infinito plura infinita ſunt, Ergo videret Deus aliquod inſtans in quo Iudæ tormenta ceſſaſſent.

16 *Reſpondetur negatiue vide §. 18.*

Nihilominus dicendum eſt licèt ſenſibilius vt ita dicam appareat repugnantia infiniti in actu quoad extenſionem, quam quoad alia in re tamen admiſſo ſemel vno infinito vel quoad multitudinem vel quoad intenſionem graduum diſtinctorum euidenter argui admittendum etiam infinitum ſecundum extenſionem vt latè oſtendam in meo opere philoſophico vide ad primam rationem dico etiam in aliis infinitis inueniri ſuo modo totum, & pars verbi gratia, in infinito multitudinis, ſeu quoad numerum vnitas erit pars talis infiniti. Ad ſecundo in durationibus pœnarum Iudæ numeraliter acceptis, idem omnino fieri poteſt argumentum vt perpendenti conſtabit. Vide §. 18. & 26.

17 *An admitti poſſit infinitum actu ſecundum magnitudinem extenſionis comparatiuæ?*

Dubit. ſecundo An admitti poſſit infinitum actu ſecundum magnitudinem, non extenſionis quantitatiuæ abſolutæ, ſed comparatiuæ. Ratio difficultatis eſt; quia in hac quantitate etiam datur infinitas actu, & cathegorematicè exiſtens, imo videtur quod in tali infinitate comparatiua includatur etiam abſoluta verbi gratia, ſit quantitas aliqua, quæ excedat alias in infinitum maiores, & maiores; ſeu qua ſint aliæ minores, & minores in infinitum; etenim eo ipſo prima quantitas excedet maiores, & maiores infinitas, Ergo ipſa erit conſequenter maior, & maior in infinitum. Reſpondeo infinitum comparatiuum dupliciter contingere primo per æquiualentiam in perfectione; ſecundo per continentiam formalem correſpondentem infinitis. Primum infinitum poſſibile eſt. & de facto datur; ſic Angelus excedit infinitas ſpecies, quæ poſſibiles ſunt imperfectiores, & imperfectiores ſine fine; ſecundum tamen poſſibile non eſt, nam ad hoc opus eſt exiſtentia alicuius actu in ea ratione, in qua actu eſſe nequit; hoc eſt quod actu ſint omnia prædicata, & quoad poſitionem in actu finiantur, in ea ratione in qua finem non habent verbi gratia, vt fingatur quantitas, quæ comparari poſſit cum aliis infinitis minoribus, & minoribus opus eſt vt habeat actu infinita puncta, hoc autem impoſſibile eſt vt ex argumentis contra infinitum in actu, & categorematicum fiunt, conſtabit in meo opere Philoſophico. Ex quo conſequenter nego in vlla quantitate continua dari infinitas partes proportionales, ſeu eſſe diuiſibilem in infinitum. vt in Philoſophia late oſtendam contra Ariſtotelem ex hoc eodem argumento.

Poteſt æquiualenter ſed non formaliter.

18 *Differentia inter infinitum quoad intenſionem & quoad extenſionem.*

Modo ex dictis addo, & noto pro dubitatione præcedent. ſpecialem repugnantiam dari in infinito quoad extenſionem, quod non datur quoad intenſionem; nam in ordine intenſionis bene dicitur quod res ſit infinita quoad intenſionem, eo quod alia imperfectior, & imperfectior ſine fine ſit poſſibilis; at quoad extenſionem requirit infinitas iſta comparatiua, quod actu habeat infinitas partes, vt iam vidimus quare in aliquo ſenſu ſpecialis eſt repugnantia vt infinitas quoad extenſionem, quam quoad intenſionem inueniatur.

ARTICVLVS IV.

Vtrum poßit eſſe infinitum in rebus ſecundum multitudinem?

19 DE hac difficultate agit S. Thomas quæſt. 2. de veritate art 10, & quodlibet 9. art. 1. & quodlibet 12. art. 2. Vbi hoc infinitum negat poſſibile. quod tamen in quæſt. citat. de veritate problematice ſoluens vtriuſque partis fundamenta propoſuerat. In præſenti vero articulo omnino inficiatur multitudinem infinitam actu, ſiue per ſe, ſiue per accidens quia omnem multitudinem oportet eſſe in aliqua ſpecie multitudinis: ſpecies autem multitudinis ſunt, ſicut ſpecies numerorum, ſeu ſecundum numerorum ſpecies, quæ nequit eſſe infinita, cum quilibet numerus ſit multitudo facta per vnum.

20 *An infinitum multitudinis ſit*

Dubit. primo An hoc infinitum ſit poſſibile ſaltem de potentia abſoluta. Prima ſententia affirmat iia Okam 2. diſtinct. 13. quæſt. vnica, & quodlib. 2. quæſt. 5. Gregor. 2. diſtinct. 15. quæſt. 6. Ga-

Poſſibile diminitus. *Affirmat* Okam. Gregor. Gabr. Vaſquez, Hurtado. Arriaga. Ouiedo. Carlet. Faſol.

briel. 1. diſtinct.43. art.4. fine Vaſquez 1. part. diſput.26. cap.2. & 3. Hurt. diſput. 13. Phyſicorum, Arriag. Ouiedo, & Carleton. ibi Faſol.1.part.quæſtione 7 art.4. dub. 12. num.73. Mouentur quia in tali infinito nulla apparet implicatio, & aliunde ſuadibilis redditur à paritate infinitarum *Negationum, Poſſibilium* : *obiectorum* in mente Dei, *& durationum*, quæ imaginari poſſunt in æternitate à parte ante, hæc enim omnia vt ſic non ſunt in potentia ſed actu cum tamen infinita ſint.

21 *Negat* S.Thoma. Caiet. Bannez. Zumel. Nauarr. Nazar. Ioan. de S. Thom. S.Bonauent. Durand. Capreol. Aureol. Valent. Alberti. Ferrara. Conimb. Rub. Murcia Soto. Tolet. Ouiedo.

Secunda ſententia negat ita S.Thom. hic quem ſequuntur Caiet. Bannez, Zumel, Nauarrete, Nazario, & Ioannes de S.Thom. ibi S. Bonau. 1. diſt. 43. art. 1. quæſt. 3. Durand. ibi quæſt. 2. Capreolus ibi qu.1. Aureolus ibi quæſt. 1. art. 1. & ſequentibus Maior quæſt. 10. Scotus in 2. quæſt. 3. Suar. diſput. 30. Met. ſect. 17. num. 16. & tom.1. in 3 part. diſput. 22. ſect.1. Valentia in 1. part. diſput. 1. quæſt. 7. punct.3. §. *Mihi vero* Albertinus tom.2. de Prædicamento quantitatis diſput.4. quæſt.4. & ſequentibus Ferrara 1. contra Gentes cap. 81. Tannero 1. part. diſput. 2. quæſt. 4. dub.2. num.4. Conimb.3. Phyſic. cap.8. quæſt.2. art. 3. Rub. 3. phyſic. tract. 2. quæſt. 3. num, 85. Murcia 3. Phyſic. d.2. quæſt. 5. vbi Sotus, Toletus item P. Ouiedo controuerſia 14. Phyſic. punct.4. num. 1. Mouentur ex variis rationibus implicantiæ, quarum ſingulas refert, & expendit latiſſimè P. Faſol. ſupra quæſt.7. à. 4. dub. 12. de quibus ego in meo opere Philoſophico, ex quo hanc ſententiam, quam veram cenſeo ſic probo. Vide A.A. apud Faſol. dub. 12. num. 1. & 4.

22 *Probatur.* Non poteſt Deus actu ponere à parte rei omnia indiuidua, de quorum quolibet conceptu ſit præcontinere aliud vlterius producendum. Ergo non poteſt actu ponere infinitum, conſequentia patet 1. quia hic vincendum eſt quod Deus nequeat producere actu omnia, *quæ cognoſcit*; omnia *quæ poteſt*, omnia, *quæ non exiſtunt*, &c. Secundo quia omnia indiuidua cuiuſlibet ſpeciei hunc conceptũ habent, vt quo plures ſunt calores verbi gratia ſit maior potentia ad calefaciendum. Tertiò nomine infiniti id concipimus *cuius aliquid ſemper eſt extra*, hoc eſt, quod ſemper affert aliquid plus ponendum, ideoque poni poteſt inexhauribiliter vt ſine fine reſtet ponendum ſemper vltra. Iam antecedens eſt per ſe notiſſimum, quia vel tunc poſſet produci aliud indiuiduum præter producta; vel non: ſi primum? Ergo non ſunt omnia actu poſita: ſi ſecundum? Ergo indiuidua illa non præcontinent aliud producendum contra hypoteſim.

23 Ad fundamentum in §.21. reſpondeo ſatis apparere repugnantiam ex §. præcedenti ad inſtantias *dico negationes, poſſibilia*, item *& obiecta* nil ponere à parte rei, nil ponere ex parte ſua infinitatis actualis. quare neque opus erit, quod ita determinationem habeant & collectionem; vt iterum dicam ad quæſt. 14. explicans qualiter Deus dici poſſit actu, & cathegorematice cognoſcere infinita.

24 *An illo infinito admiſſo, admitti etiã poſſit produci omnia poſſibilia.* Dubit.2. An caſu quo non implicet infinitum in actu ſecundum multitudinem; admitti etiam poſſit, quod non repugnet actu dari ex parte rei omnia poſſibilia? Prima ſententia negat adhuc poſſe produci in actu omnia. Ita S. Thomas. Alenſis. Albertus. Henric. Heruæus. Capreol. Suarez tom. 1.m. 3. part. diſput. 32. ſect. col. 6. *ait eſſe abſurdiſſimum Dei potentiam, ita eſſe exhauſtam, vt amplius non poſſit producere, vel ſimpliciter, vel in aliquo ordine*: Ex his autem, qui abſolute defendunt infinitum in actu, adhuc hanc ſententiam defendunt

Negant S. Thom. Alenſis. Henriquez. Heruæus. Capreol.

Suarez. OKam. Gregor. Gabriel. Argentin. Holcoth. Faſol.

Okam. Greg. Gabriel. Argent. Holcoth. quos omnes ſequitur, & refert Faſol. 1. part. quæſt. 7. artic. 4. dub. 15. num, 2. & 3. mouetur. Quia ideo modo poſt finitas creaturas poteſt Deus aliam ſuperaddere, quia adhuc datur infinita diſtantia entitatis, & participabilitatis diuinæ ab illa re creata; ſed adhuc infinita eſt diſtantia inter Deum, & omnem numerum creatum, quantumuis infinitum. Ergo. Secunda affirmat poſſe omnia ſimul, & collectiue ita Vaſquez 1. part diſput. 26, cap. 3. à num. 16. Hurtado, Arriaga, Carleton citati §. 20. Mouentur quia hic eodem modo militant inſtantiæ de Omnitate negationum, poſſibilium, & obiectorum in mente Dei; nam Deus verbi gratia ſcit omnes creaturas, & ſe diſtare infinite ab omnibus, nec tamen poteſt addere aliam creaturam poſſibilem ſupra omnes. Ergo ſimiliter.

Affirmat Vaſquez. Hurtad. Arriaga. Carlet.

25 *Probatur ſententia affirmatiua.* Ego ſto huic ſecundæ ſententiæ, ſi admittatur infinitum in actu. Nam tota excellentia omnipotentiæ Dei, tota *inexhauribilitas*, vt ita dicam, totaque diſtantia præciſe perit, quod tanta ſit maior, & maior ſine fine, & vt in conceptu formali creaturæ implicet in terminis inueniri conceptum *animalis rationalis repugnantis*, non minus, quam inueniri hominem, qui non ſit animal rationale. Ergo ſi ſemel vna infinitas exhauritur, ſi ſemel vni potentiæ infinitæ ponitur ſuus terminus adæquatus, etiam qua infinita eſt idem dicetur hic. Confirmatur nemo dicet pro æternitate pœnarum Iudæ aliud requiri, quam quod durent per infinitam durationem ergo poſita in actu infinita duratione, non cogimur ad dicendum reſtare adhuc plures durationes. Ad fundamentum pro prima ſententia reſpondeo ſolum probare quod nequeat dari infinitum in actu; etenim inter Deum, & Angelum verbi gratia ſolum datur infinita diſtantia; ſi autem hæc omnis tranſitur, quid mirum quod Deus aliud inter ſe & Angelum nequeat producere; cum iam produxerit diſtantiam infinitam per productionem Angelorum magis, & magis ſine fine Deo accedentium.

25 *An ſi ſit poſſibile infinitum in actu, poſſit ex natura rei produci.* Dubit.3. An ſi poſſibile ſit infinitum in actu de potentia abſoluta, ſit etiam ex natura rei, ſeu ſine vllo miraculo poſſibile: ratio negandi eſt communis Authorum mens, qui dum ſolum quærunt in ordine ad potentiam abſolutam, videntur ſupponere ſaltem eſſe non poſſe ex natura rei: deinde ſaltem de facto certum eſt nullum dari infinitum in actu, huius autem ratio alia eſſe non poteſt, niſi impoſſibilitas de potentia ordinaria. P. Ioſeph. Auguſtinus 1. part. quæſt.7. artic.4. diff.3. num. 35. videtur indicare eamdem eſſe difficultatem quoad potentiam ordinariam & abſolutam. Et ego quidem ita ſentio loquẽdo de infinito quoad multitudinem faciendo à ſolo Deo verbi gratia ſtando præciſe rationi, ſi ſemel non implicet infinitum in actu non video cur nequeat dici Angelos creatos fuiſſe in numero infinito; (cæterum id nullatenus dicendum eſt tum quia omnia creata ſunt in certo numero, pondere, & menſura Sap. 11. tum etiam quia infinitum omnino implicat in actu vt ſupra dixi:) Addidi tamen, & limitaui de infinito *ſecundum multitudinem* quia ſecundum extenſionem quantitatis nequiret Deus aliter ponere infinitum niſi penetrando quantitatem ſiquidem ſpatium locale huius vniuerſi limitatum eſt, penetratio autem nequit naturaliter contingere. Dixi etiam de infinito faciendo à ſolo Deo; nã ab agente creato ex natura rei fieri nequit; ſiquidem hoc finitæ virtutis eſt iuxta ea omnia, quæ experimur.

Affirmo cum P. Ioſeph. Aug.

De infinito ſecundum multitudinem.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VIII.

De exiſtentia Dei in rebus?

QVÆSTIO hæc explicat attributum immenſitatis circa quod nil, vel parum eſt diſputationis Theologicæ, quod autem philoſophicum eſt parum etiam laboris in præſenti expoſcit cum commodius, & fuſius in opere philoſophico attingendum ſit.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus ſit in omnibus rebus?

1 DE hac difficultate agit S. Thom. in 1. diſt. 37. quæſt. 1. artic. 1. & 3. contra Gentes cap. 68. in præſenti autem articulo 1. ideo aſſerit Deum eſſe intimè, in rebus omnibus quia eſt agens coniunctum ei, in quod immediatè agit, ſuaque virtute illud contingens: oportet enim mouens, & motum eſſe ſimul. Vide etiam Scriptum ad Annib. hic. quæſt. 2. art. 1.

2 *An ſit de Fide Deum eſſe in rebus omnibus? Affirmandum eſt.*

Dub. primo Quam certa ſit hæc veritas. Reſpondeo eſſe de fide. Hierem. 23. *Cælum, & terram ego impleo.* Sap. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum,* in quem locum Ricardus de ſancto victore ſerm. de miſſione Spiritus ſancti *Si,* inquit, *eſt vbique terrarum, quanto magis vbique cælorum? Erit igitur vbique locorum* Pſalm. 138. *Si aſcendero in cælum tu illic es; ſi deſcendero in infernum ades.* Athanaſ. in ſymbolo *immenſus Pater, immenſus Filius.* &c. Vnde non probatur Cyrilli opinio de veteribus Patriarchis, quod immenſitatem Dei non intellexerint vt latè id oſtendit P. Dionyſius Petauius tom. 1. Theologicorum dogmatum cap. 7. Solide demonſtrans dumtaxat Iudeorum vulgus hac inſcitia laboraſſe: vide apud prędictum Authorem catenam ex innumeris ſcripturæ Patrum, Theologorum, & Philoſophorum teſtimoniis eruditiſſime contextam.

3 *Plotin. Athanaſius.*

Dico ſecundò veritatem hanc etiam eſſe ratione naturali euidentem: ſic Plotinus Henriquez, 6. libro. 5. capite. 1. ait *hanc eſſe communem animi conceptionem, & omnes naturali inſtinctu ita ſentire.* Athanaſius, oratione contra Idola dicit *rationem, & famam obtinuiſſe Deum poſſe exiſtere vbique.* Ratio eſt quia eſſe in omnibus rebus perfectio ſimpliciter ſimplex, vnde quo perfectior eſt ſubſtantia eo eſt in pluribus rebus ergo Deus infinitæ perfectionis erit in omnibus. Secundo dum Deus non eſſet in aliqua re, vel ita non eſſet, vt poſſet, ſeu haberet potentiam ad eſſendum in loco talis rei vel non haberet? Si hoc ſecundum magna imperfectio eſt, quæ nec Angelo conceditur; ſi primum. Ergo Deus mutari poteſt, ſiquidem vt eſſet præſens in re, cui etiam exiſtenti aberat in nullo, fieret mutatio niſi in ipſo Deo. Quare immerito dixit Baſſol. 1. diſtinct. 37. quæſt. vn. artic. 1. Smiſing. tom. 1. tract. 2. diſputatione 5. quæſtione 1. num. 15. non poſſe veritatem hanc naturaliter demonſtrari.

Dubit. ſecundò An ſatis probetur exiſtentia Dei ſeu præſentia in omnibus rebus ex operatione eiuſdem in omnes res. Prima ſententia affirmat ita ex antiquis S. Thomas hic Caietan Sylueſt. Xanell. Ferrara. Altiſſiodorens. Alenſis, Henriq. Albertus. Ægid. Riccard. Aureolus; Durandus; Argentinas Capreolus, Soncinas; Palatios, Hiſpalenſis, cum & apud Patrem Faſolum, 1. part. quæſt. 8. art. 1. dub. 2. num. 12. Molina, ibi diſput. 2. addens parum eſſe in fide tutam contrariam ſententiam. Nam Paul. Act. 17. perſuadet præſentiam Dei in creaturis ex ipſorum influxu: *Non longe abeſt ab vnoquoque noſtrum in ipſo enim viuimus mouemur, & ſumus,* ita ſentit etiam Suarez tom. 1. in 3. part. diſput. 31. ſectione 7. Granado hic tract. 3. diſputat. 2. ſect. 5. num. 43. & clariſſime Anaſtaſ. Synaita lib. 2. de rectis fid. cath dogm. *Quiduis* inquit, *operis, nemo ſi abſens eſt, operatur. Deus igitur, cum nullo non tempore quiduis eorum, quæ fiunt, efficiat, cunctaquè moderetur, ac diſpenſet ſua iugi conſeruatione neceſſe eſt fateri Deum in omnibus ineſſe.* Mouentur ea ratione, quod res vbi non eſt phyſice perinde reputanda eſt in ordine ad illum locum, ac ſi non exiſteret in rerum natura, vel quod non eſt in hoc tempore; quod ſi cauſæ ſecundæ agunt in loco vbi intimæ non ſunt, ideo eſt quia earum abſentia ſuppletur per immenſitatem primæ cauſæ cooperantis, neque enim æqualis præſentia requiritur in agente ſecundum ſe totum; etenim magnus ignis dum ſecundum vnam partem attingat paſſum iam aget etiam ſecundum remotiſſimas. 4

An hæc exiſtentia ſatis probatur ex Diuina operatione in omnes res? Affirmant S. Thom. Caietan. Syln. Xanel. Ferrara. Altiſſiod. Alenſis. Henr. Albert. Ægid. Ricar. Aureol. Durand. Argent. Capreol. Soncin. Palat. Hiſpal. Faſol. Molina. Suarez Granad. Anaſt.

Secunda ſententia negat ſufficientem hanc probationem ad præſentiam phyſicam, imo putat quo agens eſt perfectius eo poſſe in diſtantius operari, vnde eo commendanda eſt potentia Dei. quod ageret in infinite diſtans, ſi diſtantiam hanc pateretur immenſitas. Ita Scotus 1. diſtinct. 37. quæſt. vnic. Mayron. OKam, Rubien Baſſol. Gabriel. Lychet, Bargius, Aquila, Viguerius apud Faſolum. Valentia quæſt. 8. part. 1. Zumel. 1. part. quæſt. 8. art. 1. quæſtione 1. concluſ. 4. Vaſquez, diſput. 28. cap. 3. Rada contr. 28. art. 2. Trigoſius quæſt. 6. artic. 2. diſputat. 2. concluſ. 1. Albertin. Prædic. vbi Coroll. 7. à num. 6. & in ſua Philoſophia Auerſa quæſt. 14. Smiſing. diſput. 5. quæſt. 1. citat. in §. 3. fine. Mouentur quia videmus agentia, quo perfectiora ſunt eo minori indigere approximatione ad paſſum, ſiue agant per medium ſiue non; Ergo Deus, qui infinitæ virtutis hoc præſtabit cęteris agentibus, vt in paſſum infinite diſtans quantumuis nil per medium agat influere poſſit. Confirmatur ex creatione, nam Agens quod habet virtutem agendi ſine vlla diſpoſitione paſſi, ſed ex puro nihilo à fortiori non indiget proportione approximationis. 5

Negant. Scotus. Mayron. Okam. Rubien. Baſſol. Gab. Lichet. Barg. Aquil. Viguer. Valentia. Zumel. Vaſq. Rada. Trigoſius. Alb. Auerſ. Smiſing.

Mea ſententia ſit de qua in Philoſophia latius (quidquid ſit de agentibus creatis poſſint ne agere indiſtans) Agens primum, & perfectiſſimum arguitur intimè præſens eo quod agat in aliquem effectum, non quidem vt ita dicam titulo *cauſæ,* ſed titulo *effectus,* cuius ſumma dependentia à Deo petit vt ſicut conſeruari nequit ſine Deo coëxiſtente, ita nec ſine Deo intime præſenti; quo maior namque apprehenditur ex parte creaturæ indigentia Dei, eo talis apprehenſio congruentior eſt conceptui creaturæ; Vnde in Deo viuimus mouemur, & ſumus. Contra quam rationem non opponuntur, quæ pro ſententiis ſupra relatis poſui vt patet, ideo eorum ſolutionem ſingillatim omitto. 6

Affirmandũ eſt titulo effectus: Et negandum titulo perfecti modi agendi in cauſa prima

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus ſit vbique.

7 De hac difficultate agit S. Thomas locis citatis in §.1. In præſenti autem articulo.2. ait Deum eſſe omnibus locis, non ſolum dando illis *eſſe*, quod habent, & virtutem locatiuam, ſed etiam illa replendo intime ſuâ ſubſtantiâ, quare cum in articulo præcedenti probatus ſit Deus eſſe in omnibus rebus titulo rerum, modo vlterior explicatur perfectio immenſitatis vt iam dico.

8 *An Deus ſit in locis imaginariis.*

Dubitat.1. An Deus ſit in locis non ſolum realibus, ſed etiam imaginariis? ex dictis dubitatione. 2. in art. præced. iuxta §. 6. conſtat requiri quæſtionem hanc, diſtinctamque eſſe à præcedenti, in illa namque Deus erat in locis, quia realibus, ſeu quia rebus, eo quod vtpote effectus creati vti dependent à Deo in fieri, & conſeruari, requirant etiam eum præſentem; iam vero hic vlterius inquirimus, An quantumuis nullæ res ſint, nec loci reales, Deus tamen ſit vbique, & in omni loco, quem imaginamur eſſe in illo quaſi vacuo, quod maneret deſtructis rebus. Suppono, de quo late in Philoſophia locum imaginarium eſſe ſpatium illud, quod apprehendimus dari independenter ab omni corpore, verbi gratia quod maneret inter cælum, & terram, licet media corpora annihilarentur, quod dabatur antequam mundus fieret, & in quo poſitus eſt, & ratione cuius homo ſtans ſupra Empyreum magis diſtat ab illo capite quam pedibus. Hinc fit 1. ſpatium imaginarium non eſſe ens reale; nam nil reale, & extra Deum fuit ante mundi creationem. Fit 2. Contra Vaſq. 1. part. diſput. 29. cap. 3. non eſſe ens rationis, nam verè, & ſine fictione caput in illo homine diſtat loco à pedibus. 3. Contra Albertinum tom. 2. in prædicamento vniuerſali quæſt. 2. non eſſe quid medium inter ens reale, & rationis, nam implicat tale medium præſertim neceſſario exiſtens, quale admittit ſpatium illud. 4. Contra Mol. 1. part. quæſt. 8. art. 1. diſput. 3. non eſſe negationem corporis realis, vt aptam illo repleri. Probatur quia etiamſi repugnaret corpus in re daretur diſtantia, & indiſtantia in ſpiritibus finitis, quidquid ſit an apprehendatur à nobis per ſpeciem corporis: Ergo daretur ſpatium imaginarium, & conſequenter hoc non conſiſtet in non repugnantia corporis, ſeu in negatione apta repleri corpore vnde 5. ſpatium imaginarium nihil aliud eſt quam *carentia ſuperficiei realis corporis continentis, immobilis ad ſimilitudinem extenſionis realis concepta.*

Explicatur ſpatium imaginarium.

9 Nunc ergo his ſuppoſitis in præſenti dubitatione prima ſententia affirmat Deum eſſe in ſpatiis imaginariis ita Arrubal, Becanus, Gammachæus, Molina, Zumel, & Martinon hic, Suar. diſput. 30. Met. ſect. 7. num. 30. Fonſeca 5. Met. cap. 15. quæſt. 9. ſect. 4. Valent. 1. part. quæſt. 8. punct. 1. Leſſius de perfectionibus diuinis lib. 2. cap. 2. Rynaud. d. 7. qu. 1. art. 6. Albertino in prædicamento *vbi* quæſt. 2. Gill. lib. 2. de Deo tract. 9. cap. 2. Soto lib. 4. Phyſic. quæſt. 2. Hurt. diſput. 14. Phyſic. ſect. 4. Arriaga ibi diſput. 14. num. 69. Carleton diſput. 33. Phyſic. ſect. 4. maior 1. diſt. 37. quæſt. 2. Quam ſententiam eruditiſſimè oſtendit P. Dionyſius Petauius tom. 1. de Theol. dogm. lib. 3. cap. 9. & 10. eam ego approbo, & probo primo ex ſcriptura *excelſior cælo eſt* Iob. 11. de quo canit Eccleſia, *quem totus non capit orbis* iuxta illud *cæli cælorum te capere non poſſunt.* Secundo ex innumeris Patribus, quos affert P. Petauius ſupra audi Aug. 11. de ciuitate cap. 5. Vbi contra nonnullos arguens ſic ait: *an forte ſubſtantiam Dei vbique totam à tantis locorum extra mundum ſpatiis abſentem dicturi ſumus, & in vno tantum atque in comparatione ipſius infinitatis tam exiguo loco, in quo mundus eſt occupatam? Non opinor eos in hac vaniloquia progreſſuros.* Tertio ratione, quâ etiam vtitur S. Aug. ſupra: Deus ſi creaſſet hunc mundum, vel alium ſupra cælum empyreum ipſi foret intime præſens. Ergo modo etiam eſt in ſpatio illo; nequit enim quis eſſe præſens alicui rei eô præciſe, quod producatur talis res in vno ſpatio, niſi iam ſit quis in tali ſpatio; ideo ego tali mundo non eſſem præſens. Quarto ponatur mundus ille diſtans ab hoc, Deus erit in vtroque. Ergo in ſpatio medio, ſeu diſtantia imaginaria; implicat enim Deum eſſe quaſi diuiſum in extremis, quin ſit in medio. Quinto per Aſcenſionem Chriſti Deus non eſt in ſpatio nouo, in quo non fuit, ſed iam eſt ſupra empyreum, ergo & ante fuit in illo ſpatio imaginario. Denique antequam mundus fieret Deus erat actu, non in tempore reali, ergo in imaginario ergo ſimiliter eſt in ſpatio vel loco imaginario.

Affirmo ego cum Arrubal. Becan. Gammach. Molina. Zumel. Martinon. Suarez. Fonſeca. Valentia. Leſſius. Raynaud. Albert. Gillius. Soto. Hurt. Arriag. Carleton. Maior. Dion. Petau.

Secunda ſententia negat ita Scotus 1. quæſt. 17. 10
S. Bonauent. 1. diſt. 37. in 1. parte diſtinctionis art. 2. quæſt. 2. Vaſq. 1. part. diſp. 29. cap. 2. & ſequentibus, Granad. quæſt. 5. diſt. 3. ſect. 2. Tanner. diſt. 2. quæſt. 2. dub. 4. Mæratius diſp. 3. ſect. 1. Moncæus diſp. 1. cap. 2. Mouentur 1. Implicat Deum exiſtere in ente rationis, ergo & in carentia, æque enim inſubſiſtens eſt, vt ita dicam carentia vt in ipſa aliquid ſit. Ergo nec in ſpatio imaginario, quod ens rationis vel carentia eſt. Primo, Non eſt fingendum quod Deus exiſtat in tali ſpatio, quaſi innitendo vel adhærendo illi, ſed tantum quatenus Deus indiſtans eſt, foretque ab omni corpore, quod crearetur extra cælum empyreum; ſicut modo indiſtans eſt ab hoc mundo. Mouentur 2. quia Deus communiter dicitur ante mundum creatum non fuiſſe in loco, nec niſi in ſeipſo. Vide Petauium ſupra ergo non fuit in loco imaginario ante mundum. Secundo, Concedo conſequentiam ſi nomine *loci imaginarij* intelligas aliquid reale; ſecus ſi præciſe indiſtantiam à corpore poſſibili, vt ſupra explicui, Mouentur 3. quia Deus non eſt extra tempus reale; neque enim in æternitate aliquam ſucceſſionem poſſumus imaginari, in qua conſiſtit tempus, ſed omnimodam ſimultaneitatem, ſeu quod æternitas ſit tota ſimul: ergo ſimiliter dicendum eſt quod Deus non ſit extra locum realem, ſed in ſua immenſitate indiuiſibili. Tertio, Nego antecedens, nam licet æternitas Dei ſit ſine ſucceſſione intrinſeca, ſitque ſine ſucceſſione ſimul amplectens omnia tempora extrinſeca, & imaginaria; ipſa tamen tempora extrinſeca ſucceſſionem dicunt; quemadmodum, & ſucceſſio datur nunc in tempore reali, licet ſine ſucceſſione totum ſimul occupetur ab æternitate, vt dicam ad quæſt. 10. Mouentur 4. quia ſpatium imaginarium non eſt in alio ſpacio, ſed in ſeipſo quaſi ſubſiſtens. Cur ergo non idem dicemus de Deo quod ſit etiam in ſe ipſo. Reſpondeo ſi quæſtio fiat de voce *in* quaſi ſpacium ſit aliquod fulcrum, cui innitatur Deitas fateor Deum non eſſe in ſpaciis imaginariis. at de hoc non eſt quæſtio ſed quod Deus ſit extra loca realia quod negari non poteſt ex §. 12.

Negant Scotus. Bonau. Vaſquez. Granad. Tanner. Mærat. Moncæ.

Tertia ſententia ait Deum eſſe quidem in ſpatiis 11
ſupra, & extra mundum non tamen eſſe in ſpatiis imaginariis ita P. Hieronymus Faſol hic 1. part. quæſt.

3. Sent. media. Faſol.

Faſol. Qui re eſt pro prima.

quæſt. 8. art. 1. dub. 3. & 4. ſed hæc ſententia totam quæſtionem facit de modo loquendi, quod in cauſa eſt vt iam P. Faſolus citetur pro prima ſententia à P. Martinon. diſputat. 5. num. 25. iuxta ea quæ ipſe Foſol. dicit dub. 4. iam vero pro ſecundâ à Patre Carleton. diſputat. 33. Phyſicorum ſect. 4. num. 1 Sed in re ſeclusis vocibus eſt pro ſententia affirmante, cum nil aliud affirmantes intendamus, niſi quod Deus ratione immenſitatis, & intrinſecæ præſentiæ ſit indiſtans à loco vbi nullum eſt corpus actu.

12 Dubit. ſecundo, An eſſe ſic vbique ſit perfectio ſimpliciter ſimplex? Difficultatem hanc à nullo vidi in controuerſiam adductam niſi à P. Martinon. 1. part. diſput. 5. ſect. 4. num. 19. & ſequent. vbi partem negatiuam amplectitur loquendo de immenſitate actuali, ſeu extenſione actuali, & diffuſione omni ex parte infinita, per quam apta eſt complete ex parte ſui reſpondere omnibus ſpatiis realibus in infinitum creabilibus. Ratio eſt quia Perfectio ſimpliciter ſimplex melior eſt quam non ipſa; at extenſio illa non eſt melior, ſiquidem Deo vt correſpondenti huic determinato loco non eſt melior, imo eſt impoſſibilis illa totalis, & adæquata diffuſio. Ergo non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Confirmatur Deo in quolibet loco conuenit omnis perfectio ſimpliciter ſimplex, at non conuenit formaliter illa diffuſio. Ergo. Idem proportionate dicit de æternitate, Ego ſentio non ſolum immenſitatem radicalem, ſed etiam formalem, & actualem eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem, quia etiam hic in hoc loco determinato talis eſt; Deus, vt minus perfectus conciperetur, ſi ex parte ſui formaliter non haberet eſſe alibi; hoc autem ſufficit vt etiam hic formaliter dicatur habere actualem diffuſionem ad alibi exiſtendum, licèt ex parte modi noſtri concipiendi nondum apprehendatur illa diffuſio; ſic ſcientia Dei vt diffuſa ad omnia obiecta eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quia licèt non concipiatur à nobis ſic diffuſa, qua præciſè comparatur ad Angelum, at ex parte obiecti ſcientia de Angelo petit diffundi ad omnia. Ad argumentum igitur reſpondeo ex parte Dei ſpecificatiuè, dum eſt in hoc loco dari diffuſionem ad omnia, licet non reduplicatiue, quod pertinet ad noſtrum cogitandi modum. Ad confirmationem dico ſimiliter quod Deo in quolibet loco determinato conueniat eſſe in alio, non per coniunctionem locorum extrinſecorum, ſed per coniunctionem actualis quaſi extenſionis intrinſecæ Deo.

An eſſe vbique ſit perfectio ſimpliciter ſimplex?

Negat P. Martinon.

Affirmandum eſt.

13 Dubit. tertiò, An Deus ſit vbique ſecundum ſe totum? Non quæro ſolum formaliter, & ratione noſtra, ſeu ex modo noſtro apprehendendi quo pacto dici poſſet extenſionem actualem immenſitatis correſpondentis Romæ non eſſe in Hiſpania; quæro igitur ex parte obiecti, An licet non eſſentia diuina, neque aliquod prædicatum abſolutum, poſſit tamen aliquod decretum liberum eſſe in vno loco, & non in alio, vti dici ſolet de Æternitate. Ratio dubitandi eſſe poteſt prima; quia non implicat, quod aliqua volitio ſaltem quoad aliquam denominationem ſit ſimpliciter in hoc tempore, & non in alio, ſic Deus, ſimpliciter tempore negationis fuit inimicus ſancti Petri, at modo ſimpliciter inimicus non eſt, nilque in Deo eſt priſtinæ inimicitiæ, neque enim hanc habet quaſi tectam; vide meam diſputat. 61. ſect. 5. Item Deo in vno tempore conuenit *eſſe vnitum* intrinſece Humanitati, & non antea: ſimiliterque in vno loco, & non alibi, neque enim datur vnio hypoſtatica, (quantumuis hæc conſiſteret, vt aliqui ingenioſi Theologi putant in aliquo actu volitionis liberæ) Ergo ſimiliter dici poteſt de actu libero; conſequentia maxime patet iuxta opinationem illorum Theologorum.

An Deus ſit vbique ſecundum ſe totum?

14 Omnino tamen dicendum eſt repugnare quod volitio Dei exiſtat hic in vno loco, & non in alio. Ratio eſt quia non poteſt vna formalitas identificari cum alia omnino, & adæquate, quin communicet ipſi omnia prædicata, quæ habet realiter, & ex parte obiecti, ſaltem quæ cum conceptu talis formalitatis non repugnant id latè oſtendi diſp. 15. ſect. 14. in tract. de eſſentia, & attribut. Quod ſi obiicias actum liberum diuinum identificari adæquatè cum attributo indefectibilitatis, neque tamen eſſe indefectibilis imprimis ob hoc argumentum cenſeo actus liberos non eſſe vndequaque Deo intrinſecos vide diſput. 60. ſect. 2. Deinde ideo addidi hic me loqui de prædicatis, quæ cum conceptu talis formalitatis non repugnant, cum libertate autem pugnat indefectibilitas, Secus æternitas, vel immenſitas. Ergo iſta non eſt neganda vlli prædicato adæquatè identificato cum Deo, quantumuis libero.

15 Ad rationes dubitandi Reſpondeo nec per extrinſecam denominationem *volentis* poſſe Deum in vno loco eſſe amicum & in alio inimicum, licet hoc liceat in tempore; quemadmodum ego poſſum eſſe inimicus Petri in vno tempore, & non in alio, ſecus in vno loco habere odium, in alioque amorem. Vide eam diſputat. 61. ſect. 5. §. penult. Ad ſecundam Prædicatum *vniti* licet dicatur intrinſecum, non tamen ſit per identitatem quod ſi fieret per decretum, ſeu actum liberum vt finxerunt illi Theologi vnio eſſet *vbique* licet denominatio in loco determinato, quia notat coëxiſtentiam vtriuſque extremi, quæ non eſt vbique; denominatio autem *volentis* cum in ſuo conceptu præſcindat à coëxiſtentia obiecti voliti, ſtatim & vbique dat ſuam denominationem; quemadmodum quantumuis creatio conſiſtat in ſola volitione diuina ab æterno denominatur *volens*, & tamen vſque ad præfinitum ſibi tempus Deus non dicitur *Creans*.

ARTICVLVS III.

Vtrum Deus ſit vbique per eſſentiam, Præſentiam, & Potentiam.

16 DE hac difficultate agit S. Thomas 1. diſt. 37. quæſt. 1. artic. 2. & in alio ſcripto vt hic. In præſenti autem articul. 3. ait Deum eſſe *vbique per eſſentiam*; quia illius ſubſtantia eſt intime in omnibus locis: *per præſentiam*, quia omnia cognoſcit: & *per potentiam*, quia operatur quidquid vſpiam extra ipſum exiſtit.

17 Dub. primo, Quid ſit exiſtere Deum in rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam. De hac dubitatione agunt interpretes S. Thomæ in hoc articulo, & quæſt. 22. art. 3. quæſt. 104. art. 1. & 2. quæſtione 105. art. 5. Montepiloſus 2. part. diſput. 7. artic. 1. & ſequent. Suarez, lib. 1. de auxiliis cap. 4. & diſput. 22. Metaph. ſect. 1. Aluarez, lib. 3. de auxiliis diſput. 1. Molina in concordia quæſt. 14. articulo 13. diſput. 25. & 26. Auerſ. tom. 1. Philoſophiæ à pag. 426. Ruiz, tom. de prouident. diſput. 5. ſectione 11. & 12. Hurt. Dionyſ. Phyſic. Arriag. & Carleton ibi Antiqui Theologi cum Magiſtro 1. diſtinct. 37. Vbi Durandus 1. part. quæſtionis, Gabriel. quæſt. vnica art. 2. Ratio dubitandi eſt quia eſſe

Quid ſit exiſtere Dei in rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam?

S. Thomas. Montepilos. Suarez. Aluarez. Molina. Auerſa. Ruiz. Hurt. Arriaga.

Carleton. Magiſtr. Gabriel. Durand. eſſe in rebus per *eſſentiam* videtur eſſe idem, ac eſſe per potentiam ſic D. Thom. in præſenti articulo in fine corporis concludit: Deus *eſt in omnibus per eſſentiam, in quantum adeſt omnibus vt cauſa eſſendi.* Secundo *eſſe per præſentiam* confunditur cum ipſo *eſſe per eſſentiam,* nam *eſſe per eſſentiam* dicitur aliquis *in eo loco in quo eius ſubſtantia habetur,* vt inquit etiam D. Thom. ſupra: at præſentia formaliſſime eſt, quæ conſtituit rem locatam in loco, in quo, eius ſubſtantia habetur; Ergo perinde eſt *eſſe per præſentiam, ac eſſe per eſſentiam.* Tertio contra omnes hos modos eſt, quia vna res creata, quantumuis ſit intime in eodem loco cum alia nondum dicitur eſſe *in* illa: quis enim dicat nos eſſe in Deo, quantumuis ſimus in eodem loco, imo nec materia dicitur eſſe *in* forma, quantumuis intimè penetretur cum illa. Quid ergo ſpeciale eſt in Deo, ratione cuius dicatur eſſe *in* omnibus rebus, eo quod intime penetretur cum illis. Quarto, iſti modi exiſtendi in rebus fundantur in immenſitate, ſeu pertinent ad attributum immenſitatis; vnde dum explicatur à S. Thom. immenſitatis perfectio in quæſt. præſenti proponuntur iſti tres modi, quibus in omnibus rebus exiſtit. Atqui eſſe in rebus *per præſentiam, & potentiam,* vt à modo exiſtendi in rebus *per eſſentiam* diſtinguitur, ad alia attributa pertinet, ad omnipotentiam ſcilicet *eſſe per potentiam* quatenus eſt omnium cauſa: *ad ſcientiam* etiam quatenus omnia præſentia ſunt oculis eius; Ergo male hi tres modi diſtinguuntur.

18 *Applicantur & explicantur hi modi præſentiæ iuxta attribut. immenſ.* Reſpondeo licèt in quæſtione de modo loquendi recedendum non ſit à communi vſurpatione harum vocum explicata §.16. cæterum vt eas applicemus attributo *immenſitatis* ſic eas explico: vt Deus ſit *per eſſentiam* in rebus, quatenus intimè ſecundum ſuam ſubſtantiam illis adeſt, eas præcontinens & circumſcribens: quæ præcontinentia explicatur *per potentiam* à qua vt intimè penetrata cum creaturis petunt ipſæ creaturæ pendere vt explicui §. 6. circumſcriptio etiam id eſt circumſpectio, ſeu comprehenſio ex omni parte explicatur per *præſentiam* quæ non ſolum expoſcit creaturas conſpici à Deo vtcumque; etenim Deus poſſibilia etiam conſpicit in quibus tamen non dicitur eſſe *per præſentiam,* petit igitur modus exiſtendi *per præſentiam* intentionaliter præhabere creaturas in eodem loco coexiſtentes phyſicè.

19 Ex quibus ad rationes dubitandi facilis eſt ſolutio. Ad primam eſſe per modum cauſæ cum immediatione ſuppoſiti, & cauſalitate exigente intimam penetrationem Principij cum effectu duo imbibit & eſſe *per eſſentiam, & per potentiam* in re ipſa, at ex modo explicandi nondum explicat actualem cauſationem, ſed vim ſolum cauſandi ita dixit D. Thomas adeſt vt *cauſa eſſendi,* id eſt vt præcontinens eſſentias rerum, non vero vt *actu cauſans.* Hoc enim habet per potentiam. Ad ſecundam Præſentia hic non ſumitur pro intima penetratione, quamuis illam ſupponat, ſed præcisè dicit vim intuitiuam ſic dicitur cognitio intuitiua tendere in obiectum vt præſens, & præſentes vocamus, qui in conſpectu noſtro ſunt, licèt nobiſcum non penetrati. Ad Tertiam vna res creata non dicitur eſſe *in* alia, ſed cum alia, quantumuis ſit intime in eodem loco, quia ly *in* dicit præcontinentiam, ideo Deus eſt *in* creatura non è contra. Ad quartam iam expoſitum eſt quo pacto hi modi eſſendi in rebus pertineant ad perfectionem attributi immenſitatis. Vide §. 18. licet obiter etiā alia etiam attributa conſignificent.

Dubit. ſecundo, Quibus aliis modis Deus ſit in rebus? Reſpondeo multi poſſunt excogitari verbi gratia, vt quod ſit tanquam cognitum in cognoſcente & tanquam deſideratum in deſiderante: Per illapſum ſpeciei in Beatis, Per circum-inceſſionem in diuinis perſonis, Per vnionem hypoſtaticam in Chriſto Domino, per gratiam in iuſtis. Per concomitantiam ſpecierum in Euchariſtia, & in communicantibus, & plura id genus, quæ excogitari poſſunt. At ad præſens non pertinent, nam ad immenſitatem Dei non ſpectant cum non neceſſario, & reſpectu omnium Deo conueniat iſta præſentia. 20 *Quibus aliis modis Deus ſit in rebus.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum eſſe vbique ſit proprium Dei?

De hac difficultate agit S. Thomas etiam 1. diſtinct. 37. quæſt. 2. art. 2. & in eodem loco in ſcripto alio ad Annib. Item tertio contr. Gent. cap. 68. & quodlib. 11. quæſt. 1. art. 2. In præſenti autem artic. 4. Ideo ait eſſe proprium Dei quod ſit vbique primo, & per ſe, hoc eſt ſecundum ſe totum & non ſolum ex aliqua ſuppoſitione quod loca plura non dentur, ſed quantumuis hæc, & res multiplicentur in infinitum; quia omnia iſta neceſſario haberent eſſe per ipſum Deum, qui eſſet Principium neceſſarium omnium, quod nequit conuenire vlli creaturæ. 21

Dubit. primo, An creatura aliqua ſaltem per potentiam obedientialem poſſit poni, & locari à Deo vbique: ſuppono quod nequeat eſſe vbique ea ratione qua Deus, & ea neceſſitate, hoc enim ſatis probat S. Thomas §. præcedent. & ex dictis quæſt. 6. art. 3, conſtat neque eſſe vel in vno loco conuenire creaturæ per ſuam eſſentiam, ſicut neque per ſuam eſſentiam eſt bona. Non item quæro poſſitne eſſe vbique connaturaliter, quia ſi ſemel non repugnauerit creaturam vbique produci facile argui licet vt neque repugnet, quæ connaturaliter habeat hanc perfectionem; cum non ideo ens independens, & neceſſarium ſit. Videndum eſt ergo quid repugnet ſaltem de potentia abſoluta? 22 *An creatura poſſit diuinitus poni vbique?* *Senſus quæſtionis?*

Prima ſententia negat, ita videntur ſupponere Theologi in præſenti; & probatur ex dictis quia ſi ſemel non eſt contra conceptum creaturæ, poni actu vbique, non eſſet ratio ob quam non poſſet dari aliqua ita perfecta, vt connaturaliter peteret replere omnia loca. Hoc autem ita abſurdum eſt vt dicat P. Valent. 1. part. quæſt. 8. part. 4. verſ. *Secundo iſto modo* certum eſſe ex fide non poſſe alicui creaturæ cōpetere præſentiam in omnibus locis. Secundo quia talis creatura eſſet ſaltem virtualiter infinita ſecundū extenſionē, nam tam verſus orientē, quam verſus occidentē protenderetur in infinitū; quod autem hanc infinitatē extenſionis, haberet per ſimplicēm entitatem non ideo minuit infinitatem extenſionis cū adhuc in hac infinitate poſſent formari argumenta, quæ cōmuniter, ſaltem præcipua formari ſolent contra infinitum in actu quoad extenſionem. Ergo ſicut hoc repugnat ita & illa creatura. Tertio arguitur à paritate æternitatis, quæ neque diuinitus poteſt communicari creaturæ, vt ab æterno ſit. 23 *Negat communit.*

Nihilominus ſecunda ſentent. affirmat, ita ipſe Valentia ſupra. Scot. 4. diſtinct. 10. quæſt. 2. artic. 3. Roffenſ. lib. 5. de ver. Euchar. cap. 33. Sotus 4. Phyſ. quæſt. 2. articul. 3. Gabriel. 1. diſtinct. 37. art. 3. dub. 2. 24 *Affirmat Valentia. Scotus. Roffens.*

Sotus. Gabriel. Arriag. Ioſeph. Aug.

dub.2.concluſ.1.& 2.Arriaga diſp.14.Phyſ.ſect.6.n. 101.P. Ioſeph. Auguſt. 1. part.quæſt. 8. art. 4.fine Mouentur. 1. Generali argumento & paritate carentiarum, poſſibilium, *&c.* De quibus quæſt. 7. §.20.quæ ſunt in omnibus locis. 2. Quia per cognitionem ſimplicem poteſt creatura actu cognoſcere infinita obiecta, quantumuis id repugnet per infinitos actus cognitionis. Ergo ſimiliter quantumuis repugnet infinitum in actu, nihilominus per ſimplicem vbicationem poterit res conſtitui in infinitis locis. 3. Quia ipſum ſpatium imaginarium, ſeu ipſe locus ſe extendit ad occupandum quidquid eſt immenſitatis diuinæ, ita vt hæc non protendatur,vt ita dicam, vltra tale ſpatium. Ergo ſimiliter hæc extenſio communicare poterit creaturæ; cur enim dari nequibit perfectio, ſeu attributum enti poſitiuo, quod datur negatiuo, & imaginario. 4. Atqui poteſt quia modus vbicationis, ſeu præſentiæ localis diſtinctus ideo conceditur rebus creatis, vt potius ſint in hoc determinato loco, quam in alio; nam cum corpus poſſit exiſtere alicubi, & non hic, vt potius ſit hic, quam alibi indiget ſpeciali modo diſtincto. Tunc ſic ſed ſaltem de potentia abſoluta poteſt conſeruari abſque vllo modo vbicationis diſtincto; vt affirmat Vaſquez 1. part.diſput. 188. num. 25. & 27. Mæzac. diſput.29.ſect.1.num.6.Moncæus diſput.1.cap. 8. Arriaga diſput. 14. Phyſ. ſect. 4. Ouiedo contr. 15.Phyſ. part. 7. Ergo tunc corpus illud cum nullo limite circumſcribatur, cum non ſit ratio vt potius ſit hic, quam alibi,erit vbique.

Poteſt res creata abſolui ab omni loco iuxta PP. Vaſquez. Mæzac. Moncæu. Arriag. Ouiedo.

25 *Poteſt creatura poni in infinitis locis, ſed non in omnibus poſſibil.*

Ego exiſtimo poſſe creaturam obedientialiter (vel etiam connaturaliter ſi loquamur de aliqua nimis perfecta vt ait P. Arriaga ſupra) poni in infinitis locis,non tamen in omnibus poſſibilibus,ſeu, imaginariis; ſicque non fore vbique: primam partem defendo à paritate ſcientiæ infinitorum, quæ ſi admittatur, de quo 3. parte,neſcio quo diſcrimine negari poſſit infinitas vbicationis: Deinde in hac infinitate non militant argumenta contra extenſionem poſitam per partes, ſeu ex partibus finitis coaleſcentem; tota namque huius infinitatis compoſitæ repugnantia fundatur in eo quod nequeat infinitum conſtare ex exceſſu, ſeu ex partibus ſe excedentibus per exceſſum finitum; nam ratio *infiniti* petit omnimodam repugnantiam vt à finito exhauriatur, & ſic fine carere, vt prorſus finem non habeat finitorum,quæ ratio hic non militat, (de qua latius in meo opere Philoſophico) cum nil finitum detur; ſic implicat quod vna res per partes, & quaſi per diſtinctos gradus excedat infinitas creaturas minores, & minores, quia hinc fieret quod actu darentur partes in infinitum; At quod detur res ſimplex ſuperans infinitas alias non repugnat vt patet ex quæſt.7.§.17. Ergo ſimiliter & ab huius paritate etiam dari poterit aliqua vbicatio, infra quam dari poſſint aliæ minores, & minores in infinitum. Quod de facto admittunt plures in compoſitione continuæ quantitatis tuentes puncta groſſa, ſeu inflata, hoc eſt occupantia per ſuam entitatem indiuiſibilem tale ſpatium, vt ſit aliud minus, & minus in infinitum. Secundam partem meæ concluſionis probo. 1. paritate ſcientiæ creatæ, quæ licet ſit infinitorum, non tamen poteſt eſſe optima in cognoſcendo; ſed hoc Deo tribuitur ſoli. Ergo cum excellentia vbicationis conſiſtat in eo quod ſit in omnibus locis, neque enim vt de ſcientia poſſumus cogitare eſſe de omnibus, nec tamen eſſe tam bonam quam alia, ita licet diſcurrere de vbicatione, nam ad eundem locum non datur magis; vel minus vbicari ergo ne creaturæ tribuamus perfectiſſimam vbicationem, & æqualem Deo, ne dicamus quod Deus nihil proprium ſibi reſeruat in attributo immenſitatis negandum eſt creaturam poſſe eleuari vt ſit vbique. Secundo idem patet à paritate perfectionis, quæ poteſt communicari creaturæ vt infinite ſuperet alias non tamen vt ſit omnium perfectiſſima. Tertio à paritate æternitatis,licet enim poſſit creatura aliqua produci in duratione infinite antecedenti hanc noſtram durationem temporalem; non tamen poteſt vlla creatura ita in anteriori duratione producta fuiſſe vt implicaret ante ipſam alia præcedere vt colligi poteſt ex dictis à me tract.4.d. 61.ſect. 4. quia ſcilicet ſpectat ad perfectionem Dei nullam eſſe excogitabilem durationem, ante quam ipſe Deus non præexiſtat, & poſſit aliquem alium effectum ponere:vnde confirmatur quia ad perfectionem Dei ſpectat quod ipſe præemineat loco cuilibet creaturæ: Ergo licet permittatur quod creatura ſit in infinitis locis adhuc tamen Deus erit in vlterioribus.

Hinc ad rationes oppoſitas pro prima ſententia. 26
Reſpondeo talem creaturam non eſſe vbique, ſicut Deus, neque argui ex illa infinitum actu quoad extenſionem, vt neque arguitur ex immenſitate Dei: nec item argui quod creatura poſſit eſſe ab æterno; quod totum ſatis conſtat ex §. præced.

Ad rationes oppoſitas pro ſecunda ſententia in 27
§.17.prout intendunt creaturam poſſe poni in omnibus locis poſſibilibus. Reſpondeo ad primam nullum eſſe argumentum ex carentiis, vel poſſibilibus, cum ſimpliciter vti non ſunt: ita neque habent eſſe in loco. Ad 2. ex eadem paritate ſcientiæ ego ſatis probaui meam concluſionem in §.2.5. Ad 3. Spatium imaginarium nil eſt actu ex parte rei; facilius autem permittuntur aliqua prædicata enti negatiuo, quam poſitiuo, quia in hoc neceſſariò arguerent perfectionem,ſecus in illo; ſic *eſſe improductum* conuenit carentiæ, non autem poteſt conuenire vlli enti extra Deum,*&c.*ad4.tale corpus potius dicendum eſſet quod nullibi daretur, quam quod vbiq; vt etiam loquuntur Authores ibi citati. Ego autem ob id abſurdum puto non poſſe rem creatam exiſtere ſine omni modo vbicationis determinatæ diſtincto.

QVÆSTIO IX.

De Dei Immutabilitate.

EGI plura, quæ ad præſentem quæſtionem ſpectant diſput. 61. de voluntate Dei; alia item dicam quæſtione ſequenti, cætera huius loci propria in ſeqq. exponam.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus ſit omnino Immutabilis.

1 AGit de hac difficultate S. Thomas 1. diſtinct. 8.quæſt.3. art.1. & in ſcripto ad Annibaldum quæſt. 2. artic. 1. & opuſc. 3. cap. 4. In præſenti autem artic. ideo probat Deum eſſe omnino immutabi

mutabilem 1. Quia eſt primum ens, & actus puriſſimus abſque permixtione alienius potentiæ. 2. Quia eſt omnino ſimplex, incapax omnis compoſitionis cum aliquo quod acquirat per mutationem. 3. Quia cum ſit infinitus continens omnem perfectionem non poteſt ad aliquid ſe extendere vt acquirat aliquid de nouo quod non præhabebat.

2 *An Deus ſit immutabilis in omni genere.* Dub. 1. An Deus ſit immutabilis in omni genere. Concluſio affirmatiua eſt de fide. Malach. 3. *ego Deus, & non mutor* Iacob. 1. *apud quem non eſt tranſmutatio nec viciſſitudinis obumbratio*, hoc eſt nec vmbra mutationis, ſic definitur in cap. firmiter: *vnus ſolus eſt verus Deus, æternus, Immenſus, & incommutabilis* pulchre Dionyſ. cap. 9. de diuinis nominibus *idem ſuperſubſtantialiter, æternum eſt, inuertibile, in ſe ipſo manens, ſemper ſecundum eadem, & eodem ſe habens modo, omnibus eodem modo præſens, ipſumque ſecundum ſeipſum in ſeipſo firmiter, & intemerate in pulcherrimis excellentis identitatis finibus collocatum, immutabile, caſui minime obnoxium, forte, & conſtans, inuariabile, impermixtum, immateriale, ſimpliciſſimum, nullius egens, quod augeri, minuique non poſſit.* Vnde Plato lib. 2. de repub. apud Euſeb. lib. 13. de præpar. Euan. cap. 3. ait ſtatuendam eſſe legem: *ne cui liceat mutabilem aliquo modo Deum appellare.*

3 *Probatur.* Huius veritatis probatio clare colligitur ex variis attributis, & perfectionibus diuinis, ratione quarum omnis mutabilitas, quæ poteſt excogitari à Deo reiicitur omnino. Prima ſecundum eſſentiam quâ poteſt res eſſe, & non eſſe reiicitur eo quod Deus ſit *ens neceſſarium*. Secunda ſecundum locum quia res eſt vbi antea non erat reiicitur ex *immenſitate* Dei. Tertia quâ habet vel amittit aliquod accidens, quod antea non habebat; reiicitur ex ſumma *ſimplicitate* Dei, ratione cuius accidentia non habet, ex ſumma perfectione, ratione cuius nullam nouam perfectionem admittere poteſt cum omnem præhabeat, nec amittere cum ſecum indiuiſibiliter identificet. Quarta mutabilitas cogitari poteſt in re aliqua quia cognoſcit aliquam veritatem, quam antea non cognoſcebat, & hæc reiicitur ratione infinitæ *ſcientiæ*. Quinta quia retractet volitionem ſemel habitam, ſeu habitæ iam pœniteat, & hæc reiicitur ratione perfectiſſimæ conſtantiæ vnde Auguſt. lib. 12. confeſ. cap. 15. ex immutabilitate Dei infert *non eum modo velle hoc, modo velle illud, ſed ſemel, & ſimul, & ſemper velle omnia, quæ vult: non iterum, & iterum: neque nunc iſta nunc illa, neque velle poſtea, quod nolebat, aut nolle, quod prius volebat quia talis voluntas mutabilis eſt.* Vide plura in hanc rem apud P. Gil. lib. 2. tract. 8. cap. 8. & Didacum Ruiz de Montoya diſp. 16. de voluntate ſect. 1.

4 Contra hanc veritatem obiicitur. Deus tranſit à non creatore in creatorem, à coexiſtente in non coexiſtentem. Reſpondeo hæ ſunt denominationes purè extrinſecæ? quare nihil immutant in ipſo Deo. 2. Obiicit. Deus tranſit à non vnito hypoſtatice in vnitum intrinſecè. Reſpondeo nec vnio hæc intrinſece mutat ipſum Deum vt innui quæſt. 3. §. 46. & Latius dicam in tract. de Incarnatione. Obiic. 3. Deus intrinſece potuit eſſe *nolens* creare mundum ſicut modo, *eſt volens*, ergo intrinſece, & in ſe ipſo non eſt immutabilis omnino, ſaltem quoad hoc prædicatum liberum. Reſpondebit aliquis cum Leſſio de perfectionibus diuinis lib. 2. cap. 2. adhuc Deum non mutari, quia ad hoc opus erat; quod cum Deus non habuiſſet ſemel volitionem poſtea de non volente tranſiret in volentem, *Cur ratione volitionis libera licet adæquate intrinſeca Deus nō mutetur.* eſt enim mutatio tranſitus de non eſſe ad eſſe, Deus autem licet loco volitionis potuiſſet habere nolitionem nunquam tamen ad actum liberum, quem ſemel non habuit tranſit, ideo Aug. citatus §. præced. eô quod Deus non poſſit non eſſe Æternus, infert non eſſe mutabilem. Sed contra licet ſtricte accipiendo mutationem per eam denotetur tranſitus de *non eſſe ad eſſe*; nihilominus perfectio immutabilitatis diuinæ, vt ab æternitate diſtinguitur, quamcunque variationem, etiam de poſſibili excludit vt non potuerit Deus in aliquo euentu poni cum aliis perfectionibus, quas de facto habet. Quis enim non putet eſſe contra immmutabilitatem Dei ſi potuiſſet dari ſine omnipotentia, iam enim diuerſus eſſet, & conſequenter valde mutatus ab ea perfectione, quam de facto habet. Ob hæc ego vt veriſſimum cenſeo non poſſe actus liberos vt liberi ſunt & contingentes cum Deo adæquate identificari vt late oſtendi tract. 5. de volunt. diſp. 59. & ſeq.

Dub. 2. An ſine aliqua mutabilitate etiam late accepta, & non ſtricta modo explicato poſſit aliqua ratione defendi quod actus liberi, etiam vt ſic liberi, & contingentes ſint cum Deo adæquatè identificati? de hoc vide meam diſputat. 69. præcipue ſect. 4. 5 *An abſque mutabilitate poſſint defendi actus liberi Deo intrinſeci.*

ARTICVLVS II.

Vtrum eſſe immutabile ſit proprium Dei?

DE hac difficultate agit S. Thomas in 1. diſt. 8. quæſt. 3. artic. 1. & 2. & in alio ſcripto ad Ann. quæſt. 2. art. 2. & 1. contr. Gent. cap. 13. & ſeqq. & opuſc. 3. cap. 4. 16. 17. In præſenti autem ideo ait, quod ſit proprium Dei eſſe immutabile, cætera autem mutabilia eſſe, tum quia poſſunt mutari de non eſſe ad eſſe per potentiam creatoris, & conſeruatoris Primi; tum etiam quia poſſunt per propriam potentiam paſſiuam recipere plura accidentia, & perfectiones, ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales, quas non habent. 6

Dubit. 1. An immutabilitas quoad *eſſe* ſit propria Dei? Reſpondeo: affirmatiua concluſio ſimpliciter eſt de fide ita Molina hic diſput. 1. §. *concluſio eſt.* Ex Timoth. 6. *Qui ſolus habet immortalitatem* id eſt immutabilitatem in eſſendo ſine contingentia. Ratio autem clara eſt quia omnia alia in exiſtendo pendent à potentia creatoris, qui pro ſuo placito mutat ipſas de non eſſe ad eſſe. 7 *An immutabilitas quoad eſſe ſit propria Dei. ita eſt de fide.*

Dices. 1. carentia, ſeu ens negatiuum poteſt eſſe omnino immutabile, neque enim eſt excogitabilis mutatio quæ eueniat in Chymæra. Ergo iam non eſt proprium Dei immutabile eſſe. Reſpondeo nego conſequentiam, quia chymæra *non eſt*, vnde immutabilitas in ipſa eſt quaſi de ſubiecto non ſupponente, vide quæ dixi quæſt. 8. §. 27. dices. 2. Poſſibilis eſt actus fidei qui producatur ab æterno, & aliunde de ſe ipſo dicat: *Ego nunquam mutabor*, ſeu *ego nunquam deſtruar* talis actus vtpote eſſentialiter verus; eſſentialiter etiam eſt indefectibilis, & conſequenter immutabilis quoad eſſe vt late explico diſput. 33. ſect. 3. ſaltem ne ſemel productus deſtrui poſſit; aliunde talis actus non mutatur in prima ſui productione ſiquidem nunquam ſtricte mutatus fuit de non eſſe ad eſſe, ſed ſemper, & ab æterno extitit, vt ſuppono, ergo abſolute talis actus eſt omnino immutabilis. Iam vero actum prædictum eſſe poſſibilem affirmat Ripal. tom. 1. de ſupernaturalitate diſput. 59. num. 7. prope finem, & 8

P. Marti

P.Martinon hic diſputat. 5. de Deo num. 10. Reſpondeo ſimpliciter actum prædictum eſſe mutabilem, quia ad mutabilitatem ſimpliciter ſufficit quod aliquid ita ſit vt potuerit non eſſe licèt ex ſuppoſitione quod ſit ponatur ab æterno inuariabiliter vt notaui §.4. Adde talem actum mihi non eſſe poſſibilem vt late oſtendi diſputat. 33. ſect. 5. & ſequent.

9 *An immutabilitas per modum potentiæ paſſiuæ ſit propria Dei?* Dubit. ſecundò, An immutabilitas etiam per modum potentiæ paſſiuæ ſit propria ſolius Dei? Reſpondeo poſſibilem eſſe creaturam, qua ex natura rei ſic mutari non poſſit; nihilominus in ordine ad potentiam abſolutam, ſeu per potentiam obedientialem paſſiuam omnes creaturæ mutabiles ſunt vt dixi quæſt. 3. num. 57.

QVÆSTIO X.

De Dei Æternitate?

De materia huius quæſtionis plura dicam in meis diſputationibus philoſophicis quæ purè philoſophica ſunt, quæ autem Theologica, & Dei propria plura attigi tractatu 4. de ſcientia Dei diſputatione 48. quæ vero in maiorem eorum explicationem reſtant hic apponam.

ARTICVLVS I.

Vtrum conuenienter definiatur æternitas, quod eſt interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio?

1 De hac difficultate agit S. Thomas in 1. diſt. 8. quæſt. 2. art. 1. & diſtinct. 19. quæſt. 2. art. 1. & in alio ſe ipſo ad Anibaldum eadem diſtinct. 19. quæſt. 2. artic. 1. in præſenti autem art. 1. Ideo approbat hanc definitionem æternitatis, quia hæc vt talis debet differre à tempore, illique opponi ergo ſicut proprium eſt temporis conſtare termino, & ſucceſſione, è contra æternitas erit tota ſimul, & interminabilis.

2 *An æternitas ſimul, vel ſucceſſiue temporibus coëxiſtat?* Dubit. primò, An æternitas ita ſit ſimul vt ſolum per ſimplicem entitatem temporibus ſucceſſiuis coëxiſtat paulatim, An vero ita vt ſimul, & actu occupet futura, & ſucceſſiua tempora, quaſi vno ictu non minus occupans præterita tempora, & futura, quam præſentia? De hoc latiſſime egi tract. 3. de ſcientia Dei diſputat. 48. per totam maxime ſectione 4. *Explicatur ſimultas.* Vbi hanc ſimultaneam occupationem æternitatis vt ſcilicet res æterna entitatiuè præſens ſit temporibus futuris, non minus, quam præſentibus ex pluribus Patrum teſtimoniis, & coniecturis defendi; quam iterum confirmo primo quia ſcientiam de futuris in Deo eo quod æterna ſit nolunt Patres vocare *praſcientiam*, ſed ita dicunt ſcientiam diuinam comparari ad futura ſicut ſcientia noſtra comparatur ad præſentia vt patet ex diſp. 38. citata §. 23. Item ſecundo hæc præſentia æternitatis fundamentum eſt vt potius Deus quam Angelus cognoſcat futura vt expreſſe fatetur S. Thomas 1. part. quæſt. 57. art. 3. cuius verba refero diſput. 49. §. 15. Item tertiò hinc Angelus ſi eſſet æternus cognoſceret ſtatim futura non minus quam præſentia, ita vt ratio à priori cognoſcendi futura (ratio inquam non minus ſufficiens, quam phyſica præſentia) ſit æternitas. Nihil autem prodeſſet æternitas, ſi iam phyſice, & entitatiue non conſtitueret rem æternam coëxiſtentem temporibus futuris. Quartò Beda lib. variar. quæſt. 13. inter medium, & finem ait: *Quæ ſunt apud nos præterita vel futura à conſpectu Dei nunquam tranſeunt, ſed ſemper præſentia ſunt*; hoc autem non conueniret ſoli Deo æterno, niſi titulo æternitatis foret phyſice in futuris; nam intentionaliter etiam creatura præſentia habet ſuo conſpectui quæ præterita vel futura ſunt. 5. Anſel. in Mon cap. 21. poſtquam dixerat: *Quomodo eſt aliquid totum ſimul in omnibus temporibus ſi, ipſa tempora ſimul non ſunt*: addit: *ſi vero ſeparatim, & diſtinctè totus* (ſcilicet Deus æternus) *eſt in ſingulis temporibus; quemadmodum aliquis homo totus eſt heri, & hodie, & cras: proprie dicitur, quia fuit, & eſt, & erit ergo Dei ætas, quæ nihil aliud eſt, quam eius æternitas, non eſt tota ſimul ſed eſt partibus extenſa per temporis partes.*

Contraria ſententia communiter videtur ſupponi à noſtris Authoribus dum negant futura eſſe coexiſtentia æternitati, ipſique præſentia vt notaui diſput. 48. num. 3. ſpecialiter autem hanc ſententiam contrariam explicans ſimultatem æternitatis tuetur P. Ioann. Martinon diſp. 6. num. 37. & P. Recupitus lib. 4. de infinitate Dei quæſt. 17. num. 10. verſ. *Reſpondeo æternitatem* vbi ſimultatem æternitatis dicit eſſe intrinſecam, & aptitudinalem, non autem actualem in omnibus temporibus; eo ſcilicet quod Deus habeat tale *eſſe*, quod implicet intrinſece ſucceſſiuò variari, neceſſarioque determinatum ſit vt omni tempori exiſtenti coexiſtat, exiſtenti inquam quando aduenerit eius differentia: *Quoniam ſummam eſſentiam totam* (inquit Anſel. cap. 22. Mon. ad medium exponens æternitatem, & immenſitatem Dei) *ineuitabilis neceſſitas exigit nulli loco, vel tempori deeſſe neceſſe eſt eam ſimul totam omnibus, & ſingulis locis, & temporibus præſentem eſſe.* Pro qua ſententia ſunt etiam loco citato Scotiſtæ, Nominales, & Durandiſtæ: imo Thomiſtæ qui nolunt alia ratione defendere coexiſtentiam futurorum in æternitate, niſi quia futura in ſeipſis intrinſecè ſpectata iam ſunt coexiſtentia æternitati pro ſua differentia temporis. Sed hanc ſententiam, & eorum fundamenta ſatis reieci diſputat. 48. citata. Verba autem Anſelmi mihi non opponuntur, nec enim negat Deum actu eſſe in omnibus temporibus, ſed hanc præſentiam actualem ait procedere ex ineuitabili neceſſitate eſſendi, quod ego fateor. Alia dicam artic. ſequent.

3 *Eam negant P. Martinon. P. Recupitus Scotiſtæ. Nominales. Thomiſtæ.*

An in æternitate includatur ratio menſuræ? Dub. ſecundò an in æternitate includatur ratio *Menſuræ* ex Ariſt. 10. Metaph. tract. 2. *Menſura eſt id, quo quantum cognoſcimus*: Sic addit ipſe text. 5. *Cognoſcimus quanti ſumus, eo quod toties nobis cubitalis menſura admota eſt.* Hinc Prima ſententia negat Æternitatem poſſe aſſumi pro Menſura; nam collatione illius cum Permanens ſit ſeu tota ſimul non poteſt concipi de re quod ſit tantæ, vel tantæ durationis. Confirmatur menſura debet eſſe eiuſdem generis cum Menſurato; ſic aliquid inextenſum ratione ſui præſcindendo ab extenſo, nequit eſſe menſura extenſionis, quis namque cognoſcet, An homo ſit quantitatis Biulnaris, ſi præciſe illum comparet cum Angelo. Ergo nec ſi comparet cum Æternitate cognoſcere poterit quantæ durationis ſit res, cum æque res durans vnico die coexiſtat toti æternitati;

Negat Vaſquez Smiſing. Nominales. Okam. Durand.

æternitati, ac ſi duret per mille annos. Id ſentit Vaſquez 1. part. diſput. 32. cap. 6. num. 19. Smiſing. tom. 1. tract. 2. diſput. 4. quæſt. 1. num. 10. Reſpectu durationum creatarum. Imo & reſpectu diuinæ exiſtentiæ idem ſentiunt Nominales cum OKamo, & Durando apud Recupitum libro 4. de Deo quæſtione 18.

5 *Affirmandum eſt cum. S. Thoma Recup, Gillio. Albert.*

Ego cum Recupito, Gillio, Alberto, Soncinate, & S. Thoma apud ipſum cenſeo Æternitatem poſſe aſſumi vt Menſuram, quia licet in ſeipſa formaliter permanens ſit, at occupat actu prius, & poſterius; quare quantumuis, qui ſolum durat vno die coexiſtat toti æternitati ex parte æternitatis, cum indiuiſibilis ſit; non tamen toti ſucceſſioni, quam de facto occupat; coexiſtit quidem actu toti, ſed non totaliter; ſiquidem non eſt in eo tempore quod tangit æternitas, Quam dubitationem exiſtimo ſpecialem eſſe confirmationem meæ ſententiæ in §. 2. Si enim Deus hodie præciſe eſt in hoc præſenti die non erit cur nunc actu non dicatur iſte dies æqualis, & æque Durans, ac æternitas Dei. At vero in mea ſententia optime intelligitur quod Æternitas ſit Menſura ſuperexcedens ad noſtras durationes, quia actu plura attingit, quam nos; ſicut immenſitas plura ſpatia occupat; infinitaſque perfectionis perfectiones plures. Vnde patet ad primam ſententiam in §. præcedent.

6 *An æternitas ſit ſpeciale attributum ab immutabilitate diſtinctum? Affirmat Suarez. Recup. Martinon. S. Thom.*

Dub. tertio An Æternitas ſit ſpeciale attributum ab immutabilitate diſtinctum. Prima ſententia, & communis affirmat. Ita Suarez, 2. metaph. diſputatione 50. ſect. 4. num 14. Recupitus lib. 4. quæſtione 18. cap 1. verſ. ſexta via eſt, Martinon hic diſput. 6. num. 33. S. Thomas 1. part. quæſt. 10. artic. 2. corp. *Reſpondeo dicendum quod ratio æternitatis conſequitur immutabilitatem, ſicut ratio temporis conſequitur motum.* Vbi etiam omnes eius interpretes. Hanc autem diſtinctionem explicat P. Martinon ſupra; quia immutabilitas dicit negationem variationis, quoad perfectionem, Æternitas vero variationis quoad *eſſe*. Sed contra eſt quia Æternitas non ſolum dicit permanentiam quoad *eſſe*, ſed etiam quoad omnes perfectiones, quas afficit. Ergo Deum eſſe vndequaque æternum, idem erit ac eſſe immutabilem. Ideo P. Suarez lib. 2. de Attrib. negat. cap. 4. num. 1. fatetur hæc duo attributa difficile poſſe diſtingui.

7 *Diſtinguuntur. Nec eſſendi immu. ta. Ætern.*

Quia tamen ex communi ſuppoſitione Theologorum diſtinguenda ſunt, conſtituendumque Attributum æternitatis vt ſpecialis perfectio ſupra alias, hoc ego præſto conſequenter ad dicta in §. 2. vt *neceſſitas eſſendi*, vt ſic formaliter dicat quod nil contingens ſit in Deo, nullaque perfectio, non ſolum, quæ amittenda vnquam ſit, ſed neque quæ amitti vnquam, vel non eſſe potuerit. Vlterius autem addat immutabilitas nullam varietatem poſſe Deo accidere, neque aliquam perfectionem ſemel habitam amitti, vel habendam non ſtatim poſſideri, huic enim variationi maxime reſiſtit immutabilitas, quæ dicit repugnantiam tranſitus de *non eſſe* ad *eſſe* in quo ſtricta mutatio conſiſtit. Denique his omnibus addit *Æternitas*, quod iſtas omnes perfectiones actu habeat Deus coexiſtentes omnibus temporibus ſicque ſit tota ſimul.

8 *Leſſij cogitatio:*

Vnde reiicitur P. Leſſius lib. 4. de Perfection. diu cap. 1. num. 3. Dum explicat ſpecialitatem æternitatis, eo quod ſit tota ſimul, non quidem quoad occupationem temporum modo à me explicato §. 2 Sed quoad poſſeſſionem ſimultaneam omnium perfectionem, quas Deus habiturus eſt, vt ita dicam, omnibus temporibus, iam in primo, & vnico momento hæc omnia poſſideat, quin opus ſit vt ſucceſſiue veniant ipſi nouæ cogitationes, vel gaudia; ſed ſtatim quidquid habiturus eſt actu poſſideat. Reiicitur inquam Leſſij cogitatio; nam hæc ſimultanea poſſeſſio ad immutabilitatem pertinet; ſpecialitas autem æternitatis vlterius petit vt ſi per impoſſibile fingamus Deum nunc à ſuo eſſe deſiſtere, iam verificaretur de ipſo, fuiſſe vt ita dicam, & occupaſſe omnia tempora futura non minus quam ſi, vt ita eſt, in æternum viuat.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus ſit æternus.

De hac difficultate agit S. Thomas in 2. diſtinct. 2. artic. 1. in corpore 1. contra Gentes cap. 15. & quæſt. 3. de potentia art. 17. in argumento 23. & opuſc. 3. cap. 5. & ſequent. in præſenti autem articulo ideo probat Deum eſſe æternum quia immutabilis eſt. 9

Dubit. primo, An Deus ratione æternitatis ſimul occupet omnia tempora Reſpondeo affirmatiuè vt ſatis conſtat ex artic. præced. dub. 1. Vnde præclare Plato in tim. ait: *Errore quodam duci homines in loquendo, qui partes illas temporis erat, & erit, in æternam ſubſtantiam imprudenter transferunt. Dicimus enim de illa erat, eſt, & erit. Sed illi reuera ſolum eſt competit; at erat, & erit ad generationem, quæ in tempore procedit referri conuenit. Motus enim ſunt. Quod autem ſemper eodem modo ſe habet immobiliter, neque vetuſtius, neque recentius eſſe vnquam oportet: neque nunc fuiſſe, neque deinceps fore,* &c. Quæ maximè conſonant dictis à diſput. 48. audi item Gregorium magnum lib. 20. moralium cap. 23. *In illo enim nec præterita, nec futura reperiri queunt. ſed cuncta mutabilia immutabiliter durant: & quæ in ſe ipſis ſimul exiſtere non poſſunt illi ſimul omnia aſſiſtunt, nihilque in illo præterit, quod tranſit: quia in æternitate eius modo quodam incomprehenſibili* (nota hanc vocem vt intelligas ſimultatem æternitatis Dei ad omnia tempora, non *eſſe intentionalem*, (in hac enim quid difficultatis eſt, vt dicatur *incomprehenſibilis*) quæ formaliter non pertinet ad æternitatem, ſed ad ſcientiam; phyſica ergo, & entitatiua eſt hæc ſimultas vt explicui diſp. 48.) *cuncta volumina ſeculorum manens, currentia ſtant.* 10 *An Deus ratione æternitatis occupet ſimul omnia tempora?*

Dub. ſecundo An veritas iſta euidens ſit ratione naturali: Reſpondeo affirmatiuè *Deum enim æternum eſſe* (ait Boëtius lib. 1. de conſolatione proſ. vlt. initio) *cunctorum ratione legentium commune indicium eſt.* Probatur autem communiter ex immutabilitate tanquam ex fundamento proximo, ſi enim nihil poteſt *nouum* circa diuinum *eſſe* contingere; ſi immutabiliter concipiendus eſt Deus: Ergo non aliter eſt de præſenti, ac fuerit vel futurus fuerit in aliis temporibus, quod formaliſſimè eſt eſſe æternum. Vnde addo ego pro dictis de ſimultaneitate entitatiua ad omnia tempora. Deus immutabilis eſt, & eodem modo ſe habens, quin aliquid amittat vel admittat: Ergo æquè occupat inſtantia præſentia, ac futura, vel præterita, licet non realia, At imaginaria: conſequentia hæc probatur, non enim diceretur Deus immutabilis, quoad locum: ſi non occuparet actu omnia ſpatia imaginaria, & ſi occuparet nunc aliquod ſpatium, quod 11 *An Deum eſſe æternum ſit ratione naturali euidens?*

vere

vere ipſe non occupauerat : Ergo ſimiliter vt immobilis ſit ſecundum duratiǫnem debet æque actu occupare omnia inſtantia imaginatia.

An Deus ratione æternitatis conſtituatur aptus cognoſcere futura contingentia?

12 Dub. 3. An Deus ratione æternitatis conſtituatur aptus cognoſcere futura contingentia? Reſpondeo affirmatiue, quia æternitas vt ſupra dixi æque conſtituit Deum phyſice coexiſtentem temporibus futuris, ac inſtans præſens conſtituit nos coexiſtentes rebus præſentibus. Addo tamen per ſe loquendo æternitatem hanc non eſſe Deo neceſſariam ad cognoſcenda futura ; de quo plura dixi diſp.49.

ARTICVLVS III.

Vtrum eſſe Æternum ſit proprium Dei.

13 DE hac difficultate agit S. Thomas 1. diſtin. 8. quæſt. 2. art.2.& diſtinct.19. quæſt.1.art.1.& diſt.49. quæſt.art.2.quæſtiuncul. 3. Et primo contr. Gentes cap.15. In præſenti autem articulo 3. ideo ait ſimpliciter ſolum Deum eſſe æternum, quia ſolus immutabilis eſt ; nihilominus aliquo modo ſecundum quid poteſt aliqua creatura dici æterna, ſcilicet à parte poſt vel : quia omnino non poſſit naturaliter deſinere vt Angeli, vel quia non facile vt terra, quæ in æternum ſtat.

An ſit poſſibilis creatura aliqua eſſentialiter æterna à parte ante, vel à parte poſt ex ſuppoſitione primæ exiſtentia.

14 Dubi.1.An ſit poſſibilis aliqua creatura, quæ ſemel producta eſſentialiter ſit indeſtructibilis. Vel etiam, quæ nequeat produci niſi ab æterno? de hac quæſtione, & difficultate egi diſput.33. Agamque in tr. de Ang.

An poſſit produci creat. ab æterno? Negat omnino S.Bonau. Albert. Henriq. Valentia. Tanner. Recup. Petau. Tolet. Murcia. Auerſa.

15 Dubit.2. An potuerit produci aliqua creatura ab æterno? Prima ſententia omnino negat ita S. Bonau.1.diſt.1.art. 1.quæſt.2. Albert. ſum part.2.t.1. quæſt.2. m. 2.& 1. diſt. 44. art. 1. Henric.quodl. 1. quæſt. 7. Leſſius lib.de Perf. diuin. cap. 2. Valent. 1. diſput.3. quæſt.3.part. 2.Tann.diſput.6. quæſt.1. dub.3.num.11.Recupitus lib. 4. de Infinit. Dei qu. 19. P. Dionyſ.Petauius lib.3. de Theolog. dogmat. cap. 5. & 6.ad mentem Patrum clariſſime demonſtrans neceſſario amplectendam hanc ſententiam, quam ex Philoſophis defendunt Tolet.8.Phyſ.d.1. quæſt.2.Murcia 8. Phyſ. d.1.quæſt.3.Auerſa 1.Met. quæſt.31.ſect.8. & 9. Mouentur præciſe vt proprium ſit Dei eſſe æternum : *Quis alius Deus cenſus, quam æternitas?* (ait Tertull. aduerſ. Hermog. cap.4.) *Quis alius æternitatis ſtatus, quem ſemper fuiſſe, & futurum eſſe ex prærogatiua nullius initij, & nullius finis. Hoc ſi Dei eſt proprium, ſolius Dei erit, cuius eſt proprium: quia ſi, & aliis adſcribitur iam non erit Dei proprium, ſed commune cum eo, cui adſcribitur* cui ſententiæ à Deo aliqui adhærent vt non dubitem opinionem contrariam cenſurare apud Recupitum lib.de infin.Dei qu.19, num.2. fine.

Affirmat S.Thom. Durand. Suarez. Vaſquez. Molina. Conimb. Hurt. Ouiedo. Arriag. Carlet.

16 Secunda ſententia tamen affirmat ita S. Thom. 1.part.quæſt.46.art.2.Durand.2.diſtinct.1. quæſt.2. Suarez d.20.Met.ſect.6.Vaſquez 1.part.diſput. 177. cap.5.Molina hic quæſt. 10. a. 3. & ex Philoſoph. Conimbr. Hurtado, Arriaga, Ouiedo, apud Carleton. d.39. Phyſ.ſect. 1.num. 3. Mouentur quia Deus quando genuit filium fuit æque potens, ac nunc. Ergo ſicut nunc potuit producere Angelum, ita & ab æterno; Confirmatur quia cauſa maxime prima non indiget tempore vt expedita ſit vt patet in ſole producente lucem. Ergo ſtatim poterit Angelum Deus producere ſibi coæuum & conſequenter æternum.

Negat tantum in ſucceſſiuis Durand. Suarez. Hurtado. Carleton.

17 Tertia ſententia diſtinguit vt licet affirmet circa creaturas permanentes, neget tamen quoad ſucceſſiuas ita Durandus, Suarez, Hurtado, & Carleton ſupra licet iſte procedat cum limitatione dicit namque ſupra ſect. 4. num.6. tale ſucceſſiuum potuiſſe produci ab æterno dum vna illius pars, quæ formaliter correſpondet æternitati non fuerit formaliter ſucceſſiua, ſed ſolum virtualiter, formaliter vero permanens, ne dicatur in ipſa æternitate dari prius, & poſterius. Mouentur hi authores pro repugnantia ſucceſſiui ab æterno, ne detur ab æterno aliquid poſterius ; ſicut implicat in æternitate à parte poſt inueniri aliquid *prius*, ſeu poſt quod ſit aliud *poſterius* ; & nihilominus tale prius dicatur : hinc à tempore hoc per integram æternitatem diſtare ; in quo magnum reperiri abſurdum oſtendi quæſt.7.§.15.

Deus nequit producere creaturam ſibi coæternam.

18 Mea ſententia ſit implicare creaturam tam permanentem, quam ſucceſſiuam productam ab æterno, ſeu quam Deus non excederet duratione, ſeu antequam repugnaret dari non eſſe talis creaturæ; ita enim eſt de eſſentia creaturæ non repugnare cum non eſſe priori, ac ſimpliciter poſſe non eſſe vt patet ex iis quæ dico diſput 62. ſect. 4. & eſt conforme modo loquendi Patrum qui dicunt eſſe de conceptu creaturæ fieri *ex eo quod adhuc non eſt vel aliquando non fuit* Auguſt.lib.contr. fælic. Arriag.cap. 7.Athan.diſput.2.contr.Arrian. pag. 158. *Tametſi Deus poſſit ſemper facere, at res creatæ æternæ eſſe non poſſunt. Quippe ex non extantibus ſunt, & non erant antequam fierent.* Baſil lib. 2. contr. Eunom.pag.55. *Nos autem eiuſdem inſaniæ eſſe putamus tum creaturæ æternitatem adſcribere ; tum creaturæ Dominum hoc teſtimonio priuare.* Ergo Deus ſemper debet eminere duratione ſupra omnes creaturas.

Neque vllo modo diſtantem infinite ab hoc nunc.

19 Addo præterea non poſſe vllam creaturam, ita produci (ſiue illa permanens ſit, ſiue ſucceſſiua) in anteriori tempore collatione facta ad inſtans præſens, vt per infinitum temporis ſpatium diſtet. Ab hoc inſtanti, hoc eſt, non ſolum non poteſt produci creatura ab æterno occupando totum ſpatium temporis poſſibile, ſeu totam æternitatem à parte ante, ſed nec poteſt occupare infinitum ſpatium. Hæc concluſio intelligetur ex dictis quæſt. 7. §. 25. & explicatur à contrario : nam Angelus diſtat in perfectione per infinitam diſtantiam ab homine; non tamen per omnem diſtantiam perfectionis poſſibilis. Sed ex hoc ipſo, & ex dictis qu. 10. §. 25. argues poteſt res vna diſtare ab alia infinite quoad perfectionem, vel quoad locum, quin ideo diſtet omni loco poſſibili : Ergo ſimiliter poteſt diſtare duratione infinita à parte ante, quin diſtet omni duratione poſſibili. Reſpondeo nego conſequentiam, quia diſtantia quoad perfectionem, vel quoad locum non requirit quod actu poſſint poni omnes res, ſeu diſtantiæ minores, quæ poſſunt intercedere inter vnam perfectionem determinatam, & aliam infinite diſtantem, ſed ideo infinita dicitur diſtantia hæc perfectionis verbi gratia quia poſſunt aliæ minores, & minores in infinitum ſyncathegorematicè interponi : Diſtantia vero durationis, quæ infinita eſt à parte ante iam dicit actu poſitas eſſe formaliter vel virtualiter infinitas diſtantias dum peruenitur ad hoc præſens inſtans ; vt autem dixi qu. 8. §. 17. permitti non poteſt infinita magnitudo, quæ ex partibus finitis per numerum infinitum multiplicatis coaleſcat. Sed de hoc plura infra ad quæſtionem 46.huius primæ partis ; ſolutio autem ſententiarum in §.15. & 16. provt nobis opponuntur ex ratione ſpecialis repugnantiæ ne creatura creatori

creatori coexiſtat coæua iuxtà §. 18. cônſtat; ſpecialiter namque repugnat effectui creato eſſe coæuum ſuo primo principio; *Nonnulli aiunt* (inquit S. Maxim. cent. 4. Theolog.) *exiſtere ſimul cum Deo ex æternitate creaturas, quod quidem ferri non poteſt quomodo enim ſunt creaturæ ſi coæternæ ſunt creatori.*

20 *An poſſibilis creatura quæ petat ab æterno produci, ex ſuppoſitione quod aliqua poſſit produci & æterno?*

Dub. ſecundò An dato quod aliqua creatura potuerit produci ab æterno, poſſibilis etiàm ſit creatura, quæ petat ſic ab æterno produci? Non quæro an talis poſſit eſſe quæ ex ſuppoſitione quod producenda ſit, petat non aliter produci, quam ab æterno ſic enim actus fidei; vel etiam naturalis eiuſden qui fieret ab Angelo ſemel producto ab æterno, & cognoſceret ſe ab æterno exiſtere ſi producendus foret talis actus neceſſario exigeret iuxta plures produci ab æterno, quemadmodum cognitio, qua ego cognoſco me exiſtere in inſtanti *A* implicat produci, & non in *A*. Nec item quæro An talis creatura petat abſolute, & eſſentialiter produci, hoc enim conſtat eſſe falſum: cum Deus illam non produxerit ab æterno. Quæſtio ergo eſt. An ſaltam connaturaliter petat abſolute talis creatura ſuam productionem, vt ipſius naturæ violentia fiat ſi non producatur, vti violentia fiet naturæ Angeli ſi ſemel productus deſtruatur? Prima ſententia affirmat

Affirmat P. Henao

ita eruditiſſimus Pater Gabriel de Henao lib. 3. ſuæ empyreologiæ exercitatione 12. ſect. 7. num. 67. & ſequentibus mouetur quia talis creatura ſufficienter diſtingueretur ab æternitate Dei, cum Deus ratione æternitatis petat eſſentialiter eſſe ab æterno; ſecus illa creatura, quæ ſolum petet connaturaliter.

21 *Negandum eſt alicui creaturæ debei primum eſſe.* Amico. Franc. Alfon. Mart. Arriaga.

Ego tamen exiſtimo nulli creaturæ ſecundam ſe inſpectæ deberi primam productionem, ratio eſt quia Deus quoad primam creationem rerum omnino liberaliter proceſſit, & conſequenter abſque vllo debito; hinc S. Athanaſ. oratione 1. contra Arrianos S. Hieronymus epiſt. ad Epheſ. S. Damaſc, lib. 1. cap. 8. docent creationem rerum eſſe opus gratiæ, & meræ voluntaris diuinæ: item communiter Patres, & Theologi ad ſolam voluntatem Dei recurrunt dum quærunt cur creauerit hos Angelos præ illis cur hoc vniuerſum in hoc inſtanti, potius quam in antecedenti, *&c.* Poſſent autem reſpondere quia id exigebant hi effectus. Tertio abſurde dicetur quod Deus præternaturaliter ſe geſſerit quando creauit hunc mundum, & non alium, quando exiſtebat ante omne tempus nihil producendo quis enim apprehendat Deum tunc miraculosè & quaſi contra naturas, & debitum rerum egiſſe non producendo illam creaturam, vti miraculoſe producendo cum igne Babilonico calorem. Quarto non eſt cui faciat violentiam Deus, ſeu non eſt inclinatio, contra quam agat Deus non producendo talem creaturam, non quidem contra inclinationem ipſius creaturæ, quæ nec fuit nec erit *non entis* autem nullæ ſunt proprietates, nec exigentiæ: non item contra inclinationem ipſius Dei; Deus enim nequit ſecum ſe gerere non connaturaliſſime, nequitue ſuæ inclinationi reſiſtere. Ita ſentiunt P. Recupitus lib. 4. de infinitate Dei quæſt. 19. maxime à num. 6. P. Franciſcus Amico tom. in 1. part. diſput. 7. ſect. 3. num. 39. P. Franciſcus Alphonſus diſput. 18. phyſicorum ſect. 1. num. 14. P. Martinon 1. part. diſp. 36. ſect. 5. num. 47. P. Arriaga tom. 2. in 1. part. diſput. 28 ſect 2. ſub ſect. 2. num. 17. Nicolaus Yſambertо hic 1. part. ad quæſtione 10. diſputatione vnica articul. 7.

22 Ad fundamentum propoſitæ ſententiæ in §. 20, Reſpondeo non ſtatim concedendam quamlibet perfectionem in creatura, quantumuis non attingat perfectionem Dei, ſic perfectio *independentiæ*, nec quoad vnum effectum, & limitato modo concedenda eſt creaturæ, quantumuis non ideo attingat ſummam independentiam, quam habet Deus in ordine ad omnes effectus. Rurſus creatura, quantumuis eſſentialiter poteret ſuam durationem ab æterno; ſi tamen in tempore eſſet deſtructibilis, nondum eſſet æterna, ſicut Deus, neque ideo tamen tribues creaturæ eſſentialem exigentiam vt ab æterno producatur, quia ſcilicet vel hæc limitata æternitas eſt ſupra conditionem creaturæ, derogatque ſummæ perfectioni creatoris: ita Ergo ſimiliter in præſenti.

Dub. quartô An, & quo pacto eſſe æternum ſit proprium Dei. Ratio dubitandi eſt. Quia æternitas ſolum dicit entitatem permanentem non actu, ſed aptitudine, & immutabilitate ſui, eſſe neceſſitatam ad coexiſtendum omnibus temporibus. 23 *An & quo pacto eſſe æternum ſit proprium Dei:*

At talis neceſſitas optime poteſt communicari creaturæ; vt ſi admittatur actus fidei de ſe dicens ſe æternum duraturum, iſte enim per ſuam eſſentiam, vti eſt eſſentialiter verus ita eſt determinatus ſeu neceſſitatus, vt ſine vlla mutatione intrinſeca ſui omnibus temporibus, quando accedant, coexiſtat. Ergo talis actus etiam dicetur habere æternitatem ſicut Deus, non quidem à ſe, ſed ab alio, non neceſſario ipſi inhærentem, ſed ex placito Dei. Reſpondeo eſſe æternum eſt proprium Dei, quia ſolius Dei eſt proprium non ſolum aptitudine, ſed actu eſſe coexiſtentem, & præſentem entitatiue temporibus futuris, vt ſæpe dixi §. 10. quam concluſionem ex hac veritate apud omnes recepta iterum confirmo; nam vt quid ſpecialiſſimum Deo conueniens, & vt quid mirabile ſoli infinitati æternitatis Dei tribuendum proponitur quod Deus ratione æternitatis ſit in temporibus, quæ nondum ſunt, quodque æternitas Dei ſit tota ſimul. At ſi ſermo ſolum foret de ſimultate intrinſeca, & quoad *eſſe* intrinſecum Dei, ita præcisè vt in eo negaretur variatio; & ita vt preciſe denotaretur Deum per eandem entitatem, qua coexiſtit tempori præterito, coexiſtat futuro: tota iſta ſimultas nullius myſterij eſſet, inueniretur que ſæpe in creatura vt patet in primo in illo actu fidei. Secundo in Angelo creato ab æterno. Tertio in qualibet re permanenti, quantumuis corruptibili, iſta enim per ſuam ſimplicem, & immutatam entitatem, verbi gratia, homo ſimul coexiſtit durationi heſternæ, hodiernæ, & craſtinæ. Ergo eſſe æternum ideo eſt ſpecialiſſime Dei proprium, requiritque eius infinitam perfectionem, quia in ſuo conceptu formali, vt ab aliis attributis diſtinguitur æternitas eſt actu occupans omnia tempora.

ARTICVLVS IV.

Vtrum æternitas differat à tempore?

24 De hac difficultate agit S. Thom 1. diſtinct. 10. quæſt. 2. art. 1. & 2. diſtinct. 2. quæſt. 1. art. 1. & quodlib. 5. quæſt. 4. & quodlib. 10. quæſt. 2. & 3. De potentia artic. 14. In præſenti autem artic. 4. ait S. Thomas: Differt æternitas à tempore, quod ea eſt tota ſimul, tempus vero ſucceſſiuum eſt; non autem differunt quod æternitas principio, & fine careat, tempus verò non: niſi quoad menſurata, vel in potentia intelligendo, ea ſic differre.

Dubit.

25 Dubit. primo An differentia Æternitatis à tempore ſit quoad ſucceſſionem ; & quomodo : Communis ſententia tuetur eſſe quidem quoad ſucceſſionem, ſiquidem ita fert definitio æternitatis. At dicit hanc ſucceſſionem ſic eſſe explicandam, vt tempus conſtet ex pluribus partibus, vel motibus qui ſucceſſiue fiunt vnus poſt alium, At æternitas intrinſecè omnes partes ſui ſimul, & coexiſtentes includat, quin in re, quę ęternitare menſuraturdetur varietas motuum, ſeu operationum ita Authores citati §. 3. & §. 8. Ego tamen ſimultaneitatem vlterius explico per occupationem, & coexiſtentiam omnium partium, non ſolum inter ſe, ſed intrinſecè, ſed etiam extrinſece vt late oſtendi §. 2. quod hinc confirmo, nam alias differentia æternitatis ab inſtanti temporis nulla eſſet, cum in inſtanti non detur ſucceſſio, ſi autem dicas in eo differre quod inſtans non poteſt idem coexiſtere variis ſucceſſionibus temporis, vti æternitas contra eſt primo quia quoad vim intrinſecam durandi pro ſua differentia, & actu æque duraret *Inſtans*, ac æternitas, & hæc ſolum præcelleret quoad potentiam vlterius durandi. Secundo quilibet Motus realis ſecundum quod dicit *entitatis*, etiam poſſet idem per plures ſucceſſiones conſeruari. Vnde ſi quoad actum æquatur Æternitati quoad potentiam autem æquabilis eſt, intrinſecè ab æternitate non differet niſi quaſi per accidens eo quod non conſeruetur motus. Tertio iuxta dicta §. 8. Æternitas ab immutabilitate differt, quantumuis in ea fundetur. Ergo ſtatuenda eſt cum ſimultaneitate, quæ aliquid addat ſupra immutabilitatem, ac proinde intrinſece, & actu addat correſpondentiam ſeu quaſi comprehenſionem omnium ſucceſſiuorum.

An differentia æternitatis à tempore ſit per ſucceſſionem, & quomodo?

26 Dubit. ſecundo An Æternitas duret in tempore ſeu coexiſtat tempori? Aureol. 1. diſtinct. 35. quæſt. vnic. artic. 1. propoſ. 1. & 2. Negat, fauet Anſelmus in Proſol. cap. 19. *De Æternitate tua nil præterit, vt iam non ſit, neque aliquid futurum eſt, quaſi nondum ſit: Non ergo fuiſti heri, aut eris cras. Sed heri, hodie, & cras es: immo nec heri, nec hodie, nec cras: ſed ſimpliciter es ſupra omne tempus.* Ratio eſt Hinc Æternitas eſt tota præſens, vocaturque *inſtans præſens.* Sed quod præſens eſt non poteſt coexiſtere ſeu eſſe in præterito, aut futuro. Ergo Æternitas non durat in tempore: reſpondeo abſolute dicendum æternitatem in tempore eſſe, imo in omnibus temporibus ſimul modo ſæpius explicato, *Nihil enim videtur repugnantius* (ait & probat late Anſelm. eo cap. 19. Proſol.) *quam vt quod veriſſimè, & ſumme eſt, id nunquam ſit.* Vnde in fine concludit. *Ergo neceſſe eſt vt ſit ſemper id eſt in omni tempore.* Quod bene explicat Richard. de S. Victor lib. 2. de Trinit. cap. 23. *Sicut in omni loco eſt præſentialiter, in nullo localiter, ſic in omni tempore eſt æternaliter, in nullo temporaliter: Sicut enim per loca non diſtenditur, qui ſumme ſimplex, & incompoſitus eſt; ſic nec per tempora variatur, qui æternus, & incommutabilis eſt.* Quo autem pacto iſta componantur cum præſentialitate æternitatis ſatis conſtat ex dictis §. præcedent. & aliis §. 2. & ſequentibus.

An æternitas duret in tempore, vel coexiſtat tempori? Negat Aureol. Anſelm.

27 Dubit. tertiò An tempus non ſolum extrinſecè ſed etiam intrinſecam ſucceſſionem dicat in rebus creatis, ſeu aliquam intrinſecam ſucceſſionem addat entitatibus creatis? Hinc maxime apparet differentia æternitatis à tempore, quod iſtud ſuperaddat aliquem modum intrinſecæ ſucceſſionis, & durationis ſupra entitatem rei in tempore duranti, quæ dubitatio cum ea coincidit, qua ſub aliis terminis in Philoſophia quęritur an duratio conſiſtat in modo diſtincto à re durante, & tempore; de qua late in meo opere Philoſophico, nunc autem breuiter.

An duratio diſtinguatur à re durante.

Prima ſententia affirmat durationem temporis eſſe intrinſecè ſucceſſiuam, conſiſtereque in ipſa exiſtentia rei, quæ in ſeipſa eſt fluida ita vt pro diuerſis inſtantibus correſpondeat eſſentiæ rei diuerſa pars exiſtentiæ: ita aliqui Recentiores cum Patre Molina 1. part. quæſt. 13. art. 4. diſputat. 1. §. *his ita conſtitutis.* Mouentur primò quia poteſt dari exiſtentia *hodie* quin detur, non ſolum duratio, ſed nec ipſa exiſtentia in ſe *cras*: Ergo exiſtentia hodierna, & craſtina diſtinguuntur vt eſſentialiter ſucceſſiuæ. Secundo quia eo iudicamus rem diutius durare, quo diutius exiſtit. 28

Negat ſaciens exiſtentiam rei intrinſece ſucceſſiuam Molina.

Secunda ſententia aſſerit exiſtentiam rei permanentis eſſe etiam permanentem, at vt duret in hoc inſtanti determinato indigere modo diſtincto ſucceſſiuo durationis ita S. Bonauent. in 2. diſputat. 2. part. 1. art. 1. quæſt. 1. Salas 1. 2. diſtinct. 2. ſect. 12. num. 122. Conimb. in cap. 2. tath. Ariſt. quæſt. 3. art. 1. & lib. 4. phyſic. cap. 14. quæſt. 2. art. 2. Rubio lib. 10. de prædicam. quæſt. vnica num. 18. Murcia 4. Phyſic. diſput. 3. quæſt. 4. §. Dico tertio. Arriag. diſp. 15. Phyſic. num. 5. Compton diſput. 38. phyſic. ſect. 1. Mouentur primo quia res eſt indifferens vt exiſtat in hoc inſtanti, vel in illo: Ergo vt determinetur potius ad hoc inſtans, indigebit modo diſtincto determinante, ſicut indiget modo diſtincto vbicationis, vt exiſtat in hoc loco potius, quam in alio. Secundo poteſt dari *durare hodie*; quin detur *durare cras*: Ergo non eſt idem vtrumque: Ergo ſi non diſtincta ex parte rei durantis, nec temporis; nam ſuppono vtrumque tempus extitiſſe, opus erit vt detur diſtinctio ex parte tertiæ entitatis à re durante, & tempore diſtinctæ realiter. 29

Affirmat S. Bonauent. Salas. Conimb. Rubio. Murcia. Arriag. Compton.

Tertia ſententia aſſerit exiſtentiam rei permanentis eſſe etiam permanentem conſtitui autem durantem ſe ipſa ſine modo diſtincto per ſolam connotationem ad diuerſa tempora extrinſeca. Ita Scotus in 2. diſtinct. 2. quæſt. 2. Oxamus, & Gabriel ibidem quæſt. 11. Valentia 1. part. quæſt. 10. puncto 1. §. *quod ad*; Faſolus ibi art. 1. dub. 2. num. 16. Gillius lib. 2. tract. 1. cap. 5. & 6. Vaſquez 1. part. diſput. 33. cap. 4. Suar. diſp. 50. Metaph. ſect. 3. num. 5. Pererius lib. 12. Phyſic. cap. 5. concluſ. 3. Toletus de prædic. cap. 10. ſect. 2. Hurt. diſput. 17. metaph. ſect. 3. num. 37. Ouiedo contr. 16. Phyſic. part. 1. num. 16. Mouentur primo quia vt res permanens coexiſtat rei ſucceſſiuæ ſufficit mutatio, & ſucceſſio ex parte termini, ſic arbor fixa in ripa fluminis coexiſtit variis aquis labentibus ſola ſucceſſione poſita ex parte aquarum: Ergo eadem res coexiſtet variis temporibus; quin in ſe habeat ſucceſſionem, ſed ſolum hæc ſucceſſio detur ex parte temporum. Secundo à paritate æternitatis, quæ ſine vllo modo ſuperaddito, iam coexiſtit huic tempori, iam illi. Ergo ſimiliter dicendum de duratione creata. 30

Negat Scotus. Oxam. Gabriel. Valentia. Faſol. Gillius. Pererius. Tolet. Hurt. Ouiedo.

Ego ſto pro hac ſententia quam late explicabo in Philoſophia, modo autem ex ibi dicendis ſic probo ſi Antichriſtus verbi gratia, in ratione Durantis conſtituitur non præciſè per ſuam entitatem, ſed per modum durationis, *A.* eo ipſo quod talis modus deficeret, licet nulla carentia entitatis Antichriſti daretur, ſed in ſe intrinſece immutatus entitatiue maneret. Iam Antichriſtus diceretur *non eſſe in inſtanti A.* Tunc ſic ſed nullatenus dicendum eſt è rerum natura ſolum deficere ab Antichriſto modum durationis *A.* in ſe autem, & entitatiue 31

Probatur vt verat

nil defectibilitatis pati, ſed æque vere in ſe exiſtere, ac exiſtet pro ſua differentia temporis. Ergo Antichriſtus in ratiône durantis in A. non imbibit modum ſuperadditū ſuæ exiſtentiæ: conſequentia patet. Maior etiam eſt manifeſta; quia complexum abſolute deficit eo ſolum, quod deficiat forma, ſic Petrus tam dicitur *non eſſe Romæ*, eo ſolum quod careat vbicatione romana, *non eſſe albus*, præciſe eo quod careat albedine. Minor autem probatur quia alias Antichriſtus in ſe ipſo non minus ſubſtantialiter daretur in rerum natura, ac S. Petrus; imo non minus in ſe daretur ab æterno, quam in ſua téporis differentia exiſtet; tunc enim ſolam addet entitatulam accidentalem durationis. Ergo ſubſtantialiter, & in ſe ipſo Antichriſtus omneſque creaturæ vere in ſe exiſtunt ab æterno, & ſemper non minus propriè, quam Deus ſublata ſolum accidentali, & ſuperaddita hac formula, & modo; quod quis Catholicus patienter audiat, cum pluribus diſſonet creaturas vel ſecundum eſſe diminutum, ſeu ſtatum eſſentiæ ab æterno dari, quid dicerent de eſſe ſimpliciter exiſtētiæ veræ & ſubſtantialis? vide alia diſput. 48. §. 13.

32 Igitur Antichriſtus in ratione durantis conſtituitur præciſe per ſuam entitatem. Conſequentia hæc probatur; nam per id præciſe conſtituitur res in ratione talis, quo non deficiente nequit talis denominatio deficere: ſi enim opus eſt quod deficiat entitas *A* vt deficiat aliqua denominatio. Ergo præciſe intellecta *A* non deficit. Ergo ſtat ſufficienter talis denominatio conſtituta per *A*. Quamuis enim hoc argumentum ſit fallax: *deficiente corpore, deficit homo. Ergo homo eſt præciſe corpus*. At ſi è contra eſſet verum dum non deficit corpus, quamuis reliqua omnia deficiant nequit homo deficere; verum etiam foret quod corpus præciſe imbibit totam eſſentiam hominis. Sed ex §. præced. ſi non deficit ipſa entitas Antichriſti; quantumuis omnes alij modi ſuperadditi deficiant, nequit Antichriſtus dici non exiſtens in *a*. Ergo Antichriſtus in ratione exiſtentis in *a*, ſatis conſtituitur per ſuam præciſam entitatem.

33 *Notanda doctrina pro tollenda indifferentia ad durandū.* Sed quia vt opponitur in §. 29. poteſt dari entitas Antichriſti quin duret, & exiſtat in *a*. Sciendum eſt carentiam quaſi ſubſtantialem Antichriſti ſecundum ſuam entitatem, non eſſe omnino ſimplicem, ſed diuiſibilem in plures, quaſi partes pro pluralitate inſtantium; hinc fit vt quamuis exiſtat Antichriſtus in B. ibique tollat ſui carentiam, adhuc in *a*. & ab æterno detur vera carentia entitatis Antichriſti, ideoque entitas Antichriſti in B. non dicitur exiſtere in *a*. quia hic datur eius carentia; vnde dicetur Antichriſtus plus, vel minus durare, in hoc inſtanti priori, vel in poſteriori prout plures, vel pauciores carentias, has priores, vel illas poſteriores reliquerit. Vti enim *eſſe*, & *non eſſe* Angeli ſecundum ſe (inſpecti hi termini) faciunt ſucceſſionem; vt res, quæ vtrique coexiſteret plus duraret, quam quæ vni ſoli verbi gratia ly termino *eſſe*, ita quo pluties concipitur in Angelo verbi gratia viciſſitudo eſſendi, & non eſſendi in actu, vel in potentia, eo plus durat Angelus correſpondens tali viciſſitudini, & dicitur durare potius in B. quam in A, quando eius carentia B, non eſt in rerum natura, datur verò carentia A.

34 Hinc ad Primam ſententiam in §. 28. exiſtentia non diſtinguitur ab eſſentia, vnde dum hæc eſt permanens nequit illa dici ſucceſſiua ad primum fundamentum fateor poſſe dari durationem, & exiſtentiam hodie, quin ipſa exiſtentia detur cras in ſe ipſa vt dixi §. 31. at ad hoc ſufficit quod carentia ipſius rei ſit diſtincta, ob cuius impeditionē; quin addatur noua exiſtentia rei, hæc dicitur cras exiſtere: ad Secundam ſæpe ipſum *exiſtere* ſumitur pro *durare*; ſic etiam dicimus eſſe magnæ, vel paruæ exiſtentiæ res, quæ ad plura loca ſe extendit, quo ſolum volumus dicere exiſtentiam ſubiici maiori, vel minori durationi, aut vbicationi.

Ad Secundam ſent. in §. 29. Reſpondeo durationem rei permanentis in actu nullam ſucceſſionem importare; ſed in potentia connotat mutationem proxime poſſibilem, ſeu imminentem, quia ſcilicet Angelus verbi gratia præciſe vt exiſtat ſolam dicit ſui entitatem, at vt intelligatur durare per correſpondentiam ad ſecundum inſtans connotat nouam ſubiectionem diuinæ potentiæ, ratione cuius, quantumuis habuerit *eſſe* poteſt in ſenſu compoſito illius annihilari à Deo, (quod fieri non poteſt pro eodem inſtanti in quo habet *eſſe*) quam potentiam dum connotat Angelus non exercitam intelligitur durare. Sic vnus Angelus intelligitur plus durare quam alius ſi Michaël exiſtat, non exiſtente Gabriele, iſte vero non exiſtat ſine illo. Vbi Michaël dum non exiſtebat Gabriel connotabat ſubiectionem diuinæ potentiæ vt ipſum annihilaret. Nunc ad 1. Reſpondeo indifferentiam hanc, cum ſit ad excludendam rei carentiam, non indigere modo diſtincto poſitiuo, iſte enim ſolum tollit ſui carentiam; non rei; imo ſunt qui putent apud Compton. diſput. 34. Phyſic. ſect. 2. indifferentiam loci non indigere vt determinetur modo poſitiuo, quia etiam carentia rei diuiſibilis eſt pro varietate loci, vt per exiſtentiam Petri Romæ nondum tollatur quod vere detur carentia ipſius ſubſtantiæ Petri Matriti, quam diuiſibilitatem ipſe Compton. admittit diſp. 18. Logicæ ſect. 9. At manifeſte vt conſtat ex §. 31. dicendū eſt quod Petrus ex eò quòd exiſtat in inſtanti B. non tollat ſui carētiam ab *A*. Ergo, ſiquidem vt duret in *a*. ſufficit intelligere ablatam eſſe carentiam *a*. Et formaliſſime per exiſtentiam rei tollatur eius carentia. Res dicetur determinari vt potius duret in *a*, quam in B. prout huius, vel illius carentiam permittit. Permittit autem, ſeu impedit vt duret in B. per ſui ipſius entitatem connotantem, quod carentia B. ſit poſſibilis, & in re ipſa non detur. Ad 2. Reſpondeo hinc *durare cras* ſupra *durare hodie* addere nouum quid, non poſitiuum, ſed negatiuum; non actu ſed poſſibile proxime hoc eſt addit nouam carentiam eſſendi proxime poſſibilem, ſed impeditam. 35

Ad tertiam ſententiam in §. 30. Reſpondeo illam veram eſſe quoad excluſionem modi poſitiui, ſi tamen velit durationem rei permanentis creatæ nullam prorſus mutationem connotare etiam modo explicato §. præced. falſa eſt, vt optime explicat P. Vaſquez in præſenti d. 33. cap. 4. à num. 23. breuiterque inſinuauit S. Thom. hic art. 5. ad tertium concludens: *vnde cum eſſe, & non eſſe Angeli ſubſit diuinæ potentiæ abſolute conſiderando poteſt Deus facere quod eſſe Angeli non ſit futurum*. Neque iuuat prima inſtantia deſumpta ex arbore immobili coexiſtenti variis partibus aquæ labentis, nam ſimiliter dico talem arborem connotare permanentiam in ſuo eſſe, quod eſt idem ac connotare ſui carentiam imminentem & impeditam. Secunda inſtantia ex æternitate nulla eſt; nam æternitas præterquam quod exiſtit tota ſimultaneè occupando omnia tempora vt ſæpius dixi, adhuc eo ſolum quod eſſentialiter ſit indefectibilis, exiſtatque neceſſario iam omni indifferentia caret præter eam, quæ tolli poteſt per aduentum temporis extrinſeci: ſiquidem implicat exiſtere inſtans hodiernum, quin 36

in

in illo duret Deus: quod aliter contingit in creatura; poteſt namque Angelus verbi gratia eſſe futurus, eſſeque futurum inſtans craſtinum, quin Angelus habeat eſſe futurum in craſtino. Sed de his plura in Philoſophia.

ARTICVLVS V.

De differentia æui, & temporis.

37 DE hac difficultate agit S. Thom. locis citatis in art. 4. præced. in præſenti autem art. 5. aſſerit id differre à tempore tanquam quid medium inter æternitatem & tempus aliquid de vtroque participans, nam cum tempus formaliter habeat actu prius, & poſterius; æternitas autem nec habeat, nec poſſit habere: Æuum, quod mediat inter vtrumque non habet in ſe prius, & poſterius, ſed ei coniungi poſſunt.

38 *An æuum ſit ſucceſſiuum.* Dub. 1. An Æuum ſit ſucceſſiuum hoc eſt an duratio rei permanentis ſucceſſionem intrinſecam imbibat? Hanc dubitationem hic excitant communiter Authores, ego vero de illa ſatis artic. præced. dub. vlt. quapropter hic nihil addendum.

39 *An æui differat à tempore?* Dub. 2. An Æuum differat à tempore per potentiam habendi, ſeu coniungendi ſecum ſucceſſionem in operando. Ita videtur hic ſentire S. Thom. quem defendit Faſolus hic quæſt. 10. art. 5. dub. 3. & quidem ita eſt loquendo de facto; nam omnia æuiterna, quæ ſunt proprie talia vt cælum, & Angelus licet in ſuo eſſe ſubſtantiali ſucceſſionem non habeant; habent in ſuis operationibus, cælum quidem quoad motum localem; Angelus vero tùm in motibus localibus; tùm etiam in affectibus. Sed hoc idem per accidens eſt ad explicandam quidditatem Æui vt condiſtincti ab æternitate, & tempore: nam ſi ponamus Angelum verbi gratia immutabilem eſſe in ſuis operationibus, adhuc non menſurabitur æternitate, ſed Æuo: ſiquidem ſucceſſionem habet in potentia, tum quia habuit ſuum *eſſe* ſubſtantiale poſt *non eſſe*: tum etiam quia per potentiam poſſet annihilari, ſeu habere *non eſſe* poſtquam ſemel *eſſe* habuit. Qua propter.

40 *Æuum actu non dicit in ſuo eſſe ſucceſſionem. Henric. Fonſeca.* Cenſeo cum Enric. quodl. 5. q. 13. initio corporis Fonſeca 5. met. cap. 13. q. 1. 2. ſect. 2. §. *atque eſt* ſucceſſionem operandi, cui adiungitur Æuum eſſe ipſi per accidens in eo autem conſiſtere propriam quidditatem, & differentiam Æui, quod in ſuo eſſe ſubſtantiali, non habeat ſucceſſionem; ſeu prius & poſterius actualiter vt tempus; habeat tamen prius, & poſterius in potentia, quia poteſt in ſuo eſſe deſtrui, ſeu habere eſſe, & non eſſe, quæ formaliſſimè faciunt ſucceſſionem, & qua ſucceſſione etiam vt poſſibili caret æternitas.

ARTICVLVS VI.

Vtrum ſit vnum Æuum tantum?

41 DE hac difficultate agit S. Thom. in 2. diſt. 2. q. 1. art. 2. In præſenti autem articulo 6. aſſerit licet aliquo ſenſu ſit Æuum tam multiplex ſit quam ſunt multæ res æuiternæ; magis tamen vere, & propriè eſſe vnicum Æuum, durationem ſcilicet primi æuiterni, quô aliorum durationes menſurantur.

42 *An præciſa multiplicitate æuiternorum poſſit æuum in ratione durationis æuiternæ formaliter diſtingui?* Dub. 1. An præciſa multiplicitate æuiternorum poſſit Æuum in ratione durationis æuiternæ formaliter diſtingui? Ratio negandi eſt, quia tempus eſt vnicum; licet varij ſint motus, in quibus inuenitur ſucceſſio temporalis, & qui pro menſura durationis temporalis aſſumi poſſent, ſic non ſolum aſſumitur motus cæleſtis, ſed etiam motus horologij rotati. Ergo ſimiliter licet varia ſint æuiterna, vnum tantum erit Æuum. Ratio autem affirmandi deſumitur ex eo quod præſcindendo à rebus æuiternis adhuc in linea durationis diuerſum quid eſt *durare permanenter* per plures annos, *ac durare per continuam* ſucceſſionem vt motus cæleſtis: Ergo prima duratio non erit tempus, ſicut motus cæli: Ergo erit Æuum, non Angelicum, quod caret fine: Ergo conſtituit nouam ſpeciem Æui. Confirmatur ratio affirmandi; ſi ponas Angelum ab æterno creatum, iſte enim careret non ſolum fine, ſed etiam principio, vnde valde differret ab Æuo, quod nunc datur.

Cenſeo Æuum eſſe vnicum per ſe, & formaliter ſi præſcindamus à ſubiectis æuiternis, nam Æuum quâ tale penes differentiam intrinſecam, & eſſentialem in linea durationis conſtituitur per id quod actu non habeat ſucceſſionem, ſed in potentia modo explicato §. 30. At quoad hoc omnes durationes æuiternorum conueniunt, ergo Æuum in ratione durationis non eſt multiplex, ſed ſolum vnicum. Hoc quidem dicendum eſt per ſe loquendo, & ex differentia intrinſeca in linea durationis, quia tamen iam uſus obtinuit vt omnem durationem, quantumuis permanentem, ſi tamen aliquando finem habeat, ſiue *non eſſe* poſt *eſſe*, licet non continuè vt motus cæli, *temporalem*, & non *æuiternam* appellamus, ideo ad rationem affirmandi nobis oppoſitam concedo rem permanentem, ſi tamen tandem finem habeat, non eſſe æuiternam, neque participare ſimpliciter æuiternitatem, at computandam eſſe eius durationem inter temporales non continuas, ſeu quæ ſunt in continuo motu priori, & poſteriori, ſed temporis diſcreti. Ad confirmationem poſſet duratio illius Angeli reduci ad æternitatem, vt S. Thomas cenſet de duratione viſionis beatæ quare nunquam Æuum eſt multiplex. 43

44 *An omnis duratio adæquate diuidatur in æternitatem, tempus, & æuum.* Dubit. 2. An omnis duratio adæquate diuidatur in æternitatem, tempus, & Æuum? P. Martinon diſp. 6. de Deo num. 31. Addit durationem rerum corruptibilium permanentium; nam hæc neque eſt æuiterna, aliunde immerito menſurabitur tempore cum ſucceſſionem non imbibat, ſed exiſtat ſimul, licet non ſemper, ſaltem aliquo ſpatio correſpondente pluribus temporibus. Reſpondeo duratio per ſe ſolum triplex eſt aſſignanda 1. Quæ actu conſiſtit in ſucceſſione vt tempus 2. nullam dicit actu ſucceſſionem; ſed in potentia vt Æuum. 3. Neque in actu, neque in potentia, vt æternitas; quæ membra ita adæquate diuidunt modos durandi, vt aliud quadruplex materialiter ſe habeat verbi gratia vt in ſecundo membro, quod res permanens dum excludat actu ſucceſſionem, illam ſine fine excludat, vel ſine principio; alias diuerſum modum durandi fingere, & multiplicare deberemus pro adamante vel pro ſtuppa, pro re plus, vel minus durante. Vnde ad P. Martinon reſpondeo res permanentes corruptibiles in rigore loquendo facile, reduci poſſe ad ſecundum membrum durandi; Nihilominus vt communi modo loquendi vtamur iuxta §. præcedentem res corruptibiles temporales ſunt, quia non ſolum in potentia, ſed actu poſtquam ſunt, poſterioritatem, ſeu ſucceſſionem ſentiunt in ſuo eſſe.

45 *An poſſibile ſit æuũ quod ſimul finita* Dubit. 3. An poſſibile ſit aliquod Æuum, quod ita duret totum ſimul, vt quemadmodum æternitas ſimul occupat omnia tempora poſſibilia, & imaginaria, ita ipſum occupet ſimul tempora finita. Ita

ta ita videntur ſentire quia eâdem ratione de æuo diſcurrũt vt ſit totum ſimul, ſicut de æternitate,ego tamen hác ſimultatem omnino nego, eſt enim proprijſſimum Dei quod actu exiſtat, & occupet præſens, & futurum; ſicut etiam eſt Dei proprium vt connaturaliter futura libera cognoſcat; vt dixi tr. 4. de ſcientia Dei diſp. 49. Imo nego creaturæ ſimultatem, qua excludat ſucceſſionem etiam in potentia; conſtat enim ex dictis diſput. 33. implicare creaturam, quæ non ſubiiciatur potentiæ Dei, qua deſtrui poſſit poſtquam extitit.

tempora occupat.

QVÆSTIO XI.

De Vnitate Dei.

HÆc quæſt. facile diſſolui poteſt ex iis,quæ dixi pro exiſtentia Dei q.2. quidquid enim demõſtrat exiſtẽtiam Dei, eius etiam vnitatem oſtendit.

ARTICVLVS I.

Vtrum Vnum addat aliquid ſupra ens?

1 DE hac difficultate agit S.Tho.ex profeſſo præciſe hic & 3. Met.lect.12. obiter autem in hac 1.p.q.30.art.3.corp.& 1. diſt.24.q.1.art.3.corp. In præſenti autem art.1.ait vnum nil reale addere ſupra ens, ſed tantum negationem diuiſionis.

2 Dub.1. An vnum addat ſupra ens aliquid poſitiuum an ſolum negatiuum. Prima ſententia addit poſitiuum, ita Scotiſtæ cum Scoto 2. d.3. q.2.§. ad argumentum Bonauent.1.diſt. 24.art.1.q.1.Alenſis 1.p.q.13.n.1. & 2. Albert. in ſumma tract. 6. q. 24. membro 2. & 3. Smiſing. tract.3. de Deo d.1. n.3. Vaſq.1.p.d.128.cap.1.Petrus Hurt.diſp. 4.met. ſect. 2.n.15.& 29.Mouentur 1.in Deo vnum dicit perfectionem: Ergo aliquid poſitiuum, negatio enim, ſeu nihil non poteſt dicere perfectionem; Tunc ſic *ſed vnum* formaliter non eſt ens, alioqui identice prædicaretur de ente, & nequiret eſſe eius paſſio. 2. Quia eſſe vnum formaliter *eſt non eſſe diuiſum*, connotatq; vt ſic carentiam diuiſionis, ſed carentia diuiſionis eſt aliquid poſitiuũ, eſt enim negatio negationis:nam diuiſio eſt negatio,tum quia ita ait D. Thom. hic art.2. ad 4. tum etiam quia eatenus apprehendimus diuiſionem, quatenus apprehendimus *hoc non eſſe illud*: Ergo cum negatio negationis ſit aliquid poſitiuum,conſequens eſt vt *vnum* quod addit negationem diuiſionis dicatur addere ali quid poſitiuum. 3. Quia in vnitate compoſitionis, vnitas eſt quid poſitiuum,ſcilicet vnio: Ergo etiam in vnitate ſimplicitatis vnitas dicet poſitiuam perfectionem conſiſtentem in quadam rei integritate, quæ eſt altior, & eminentior perfectio,quam vnio; quamuis à nobis propter ſuam ſimplicitatem per negationem explicetur. 4. Negatio non accipit magis, & minus: at vnitas accipit magis & minus vnde ait D.Thom.quod Deus eſt maxime vnus:Ergo vnitas eſt aliquid poſitiuum. 5. Quia ſpecies vnitatis conſiſtunt ſemper in poſitiuo, vnitas *compoſitionis* in vnione, *continuationis* in puncto, *vniuerſalis* fundatur in ſimilitudine poſitiua, completurque per actum poſitiuum intellectus. Ergo *vnum vt* ſic conſiſtit in poſitiuo.

An vnum addat ſupra ens aliquid poſitiuum? Pro poſitiuo ſtant. Scotus, S. Bonau. Alenſis. Albert. Smiſing. Vaſquez Hurt.

3 Secunda ſententia conſtituit vnitatem in negatione. Ita S.Thom. hic præſertim ad 1.vbi ait opinionem in §. præced. quam tribuit Auicenæ eſſe *manifeſte falſam*; ita etiam ſentiunt recentiores Thomiſtæ. Cum quibus Suar. Val.Gill.quos citat & ſequitur Faſolus in præſenti art.dub. 5. num.12. Mouentur quia vnitas eſt indiuiſio. Ergo carentia diuiſionis: ergo vnum vt ſic per negationem debet explicari. Antecedens probatur ex Ariſt. 5. met. tex. 11. *vniuerſaliter quotcumque non habent diuiſionem, quatenus non habent, catenus vnum dicuntur: vt puta ſi prout homo non habet diuiſionem vnus eſt homo.* Secundo eſt ratio quia vnitas eſt paſſio entis: ergo non poteſt importare formaliter rationem poſitiuam. Antecedens patet ex 4. met. tex. 3. Conſequentia probatur, quia paſſio debet addere aliquid ad id, cuius eſt paſſio, ad *ens* autem nil poſitiuum addi poteſt cum ſub ente omne poſitiuum includatur.

Pro negatiuo ſtant. S. Thomas Suarez Valentia Gillius. Faſol.

4 Mea ſententia ſit *vnum* eſſe formaliter aliquid poſitiuum non diſtinctum, ſed indiſtinctum ab ente. explicari tamen à nobis modo negatiuo. Huius ſententiæ reipſa ſunt omnes Autores, licet voce diſcrepent. Et in primis eſſe quid poſitiuum probatur ex §.2. ſiquidem negatio negationis formaliter competit ipſi enti poſitiuo,lux enim per ſuam eſſentiam formaliter,eſt excluſio tenebrarum.Deinde hoc poſitiuum non diſtingui ab ente patet, quia ens formaliſſimè vt præſcindens à quolibet alio ſuperaddito habet non eſſe tale aliud ſuperadditum; vt per ſe patet, ſed non eſſe aliud eſt eſſe vnum: ergo vnitas non addit aliud poſitiuum ſupra ens. Confirmatur, nam hoc ipſum ſuperadditum ideo eſt *vnum* quia diſtinguitur ab alio, ſe ipſo; ſed ens etiam ſe ipſo diſtinguitur ab omni alio ſuperaddito? Ergo etiam ſe ipſo erit vnum. Denique hoc poſitiuum, quod includitur in vnitate debere explicari modo negatiuo patet: nam dum de aliquo conceptu non apprehendimus excludere pluralitatem, ſeu *eſſe indiuiſum*, nondum intelligimus eſſe vnum verbi gratia ſi apprehendas hominem nondum determinando includat-ne, vel excludat diuiſionem in plures homines, nondum etiam determinabis ſit ne homo *vnus*,ergo vnum concipitur vt tale dum modo negatiuo explicatur per negationem diuiſionis.

Eſt formaliter quid poſitiuum, licet explicetur negatiue.

5 Hinc ad 1. ſententiam pro vt intendit poſitiuum diſtinctum reſpondeo: vnitas in Deo dicit perfectionem ſpecialem vti explicui de ſimplicitate q.3. num.59. at ad id non eſt opus quod dicat aliquid diſtinctum, ſed ſufficit, quod diuerſimode explicetur.Ad 2.Probat ex §.præced. Vnum eſſe quid poſitiuum explicatum modo negatiuo. Ad 3. Vnitas compoſitionis fundamentaliter per poſitiuum explicatur,ſcilicet per vnionem; at formaliter nondum apprehenditur, quouſque talis vnio excludat extrema non vnita. Ad 4. In vnitate formaliter non dari magis, & minus, niſi fundamentaliter, vt explicabo ad art. 4. denique ad 5. eodem modo, ac ad 3. reſpondendum eſt, quidquid concipitur poſitiui in illis vnitatibus nondum exprimere rationem *vnius* quouſque per negationem ſeu modum tendendi negatiuum, ſeu excluſiuum aliorum explicentur. Iam vero ſecunda ſententia in §.3.nobiſcum eſt, qui nil poſitiuum diſtinctum admittimus: illud autem negatiuum quod connotatur in vnitate nequit ad ipſum conceptum intrinſecum *vnius* pertinere, alias non eſſet paſſio entis, neque enim entis realis, & veri poteſt eſſe paſſio res ficta, ſeu nihil.

6 Dub.2. An vnitas ex parte formæ & in abſtracto ſumpta dicat negationem?in hac re fere ſunt eædem ſententiæ,

An vnitas

in abſtracto dicat negationem? Affirmat Recupitus. Fonſeca. *Negant* Thomiſtæ. Faſol.

ſententiæ, quæ de conceptu *vnius* in concreto accepti P. Recupitus lib. 5. de vnitat. Dei quæſt. 2. n. 5. affirmat: vnde tenet hanc prædicationem eſſe falſam pro formali, & in abſtracto: *Deus eſt vnitas*. Ita etiam Fonſeca 4. metaph. cap. 2. quæſt. 5. ſect. 5. At Negant communiter Thomiſtæ apud Suarez diſp. 4. met. ſect. 2. n. 3. exiſtimantes vnitatem etiam pro formali non dicere negationem ſolam, ſed ſub negatione entitatem ipſam, cuius ſententiæ eſſe videtur P. Faſol. in præſenti dub. 8. num. 28. quia ſi vnitas puram negationem diceret non poſſet eſſe paſſio entis realis, vt notaui §. præcedent. fine. Ego cenſeo vnitatem adæquate etiam pro formali includere poſitiuum, ex hoc eodem fundamento, nam paſſio entis realis vndequaque debet eſſe realis; confirmatur quia expulſio tenebrarum etiam pro formali, & in abſtracto nil aliud eſt, quam ipſa lux poſitiua; vti è contra expulſio lucis ex omni parte quid negatiuum eſt, & pura carentia lucis. At ſic ſe habet vnitas vt ſit negatio, & expulſio carentiæ, & negationis entis realis, qualis negatio relucet in diuiſione, quam expellit vnitas. Ergo iſta etiam pro formali poſitiua eſt, quantumuis modo negatiuo explicetur; quare Deus non ſolum eſt vnus ſed ipſa vnitas, ſicut eſt immenſus, ipſaque immenſitas; omnia namque concreta quæ de Deo dicuntur, etiam in abſtracto verificantur; Quod ſpeciatim expreſſit conc. Rhemenſe ſub Eug. 3. relatum apud Vaſquez tom. 2. in 1. part. diſp. 120. cap. 2. numero. 10. initio: *Credimus non niſi ea ſapientia, quæ eſt ipſe Deus, ſapientem eſſe, non niſi magnitudine, quæ eſt ipſe Deus magnum eſſe, non niſi ea æternitate, quæ eſt ipſe Deus, æternum eſſe: non niſi ea vnitate vnum quæ eſt ipſe id eſt ſeipſo ſapientem, magnum, æternum, vnum Deum*, &c. Quibus verbis patet eodem modo loqui de vnitate, ac reliquis attributis, imo ſpeciatim prædicat identitatem cum vnitate in abſtracto. Implicat ergo vnitatem ſic conſtitui ſeu conſiſtere intrinſecè in carentia, licet carentiam connoter, modoque negatiuo explicetur iuxta §. quintum.

ARTICVLVS II.

Vtrum vnum, & multa opponantur.

7 DE hac difficultate agit S. Thom. in 1. diſt. 24. quæſt. 1. art. 3. & 4. item 10. metaph. ſect. 4. in præſenti autem articulo aſſerit vnum, & multa opponi non eodem modo, ſed quatenus vnum vt principium numeri opponitur multis, tanquam menſura menſurato: item alio modo vnum vt conuertitur cum ente opponitur multitudini tanquam priuatio vt indiuiſum diuiſo.

8 *An vnum, & multa opponantur contradictoriè?*

Dubit. primo An vnum, & multa opponantur contradictoriè. Ratio dubitandi eſt quia multitudo componitur ex vnitatibus, nullum autem contradictorium componitur ex alio. Reſpondeo vnum in ea ratione in qua eſt vnum contradictorie opponi; id patet? nam vnum in ea ratione, qua eſt vnum conſtituitur tale per excluſionem cæterorum vt patet, nam vnum vt tale eſt quaſi *vnicum*, ſaltem in ſeipſo, vnicum autem excludit cætera: at excluſio opponitur contradictorie cum forma, quam excludit: ergo vnum vt tale opponitur contradictorie cum multis. Item illa opponuntur contradictorie, quæ immediate opponuntur, ita ſcilicet, vt ſi alterum affirmes: alterum debeas negare: at ſic ſe habent vnum, & multa; ſi enim affirmes de aliquo aggregato continere plures homines, neceſſe eſt vt neges in eo dari vnum hominem tantum, è contra autem ſi dicas eſſe vnum hominem, affirmare nequi, eſſe plures. Ad rationem dubitandi reſpondeo multitudinem non componi ex vnitatibus vnis, vt ita dicam, ſeu ſolis, ſed multiplicatis: oppoſitio autem contradictoria de qua hic, non intercedit inter vnum materialiter acceptum, ſed formaliter vt vnum, ſeu vnicum: alias opponútur, vt includens, & incluſum.

Dubit. ſecundo An ſicut multitudo coaleſcit ex vnitatibus materialiter acceptis vt dixi §. præced. ita è contra vnum coaleſcat ex multis. Reſpondeo ſi ſermo ſit de multis ſub diuerſa ratione ab illa ſub qua dicuntur *vnum* ſic manifeſte vnum coaleſcit ex multis vt vnus populus, vna domus, *&c.* Si vero ſermo ſit de multis ſub eadem ratione videbitur alicui affirmandum propter vnitatem *vniuerſalis*, nam verbi gratia, vna natura hominis plures homines comprehendit, quorum ſinguli participant integram naturam hominis. Nihilominus dicendum eſt ſub vnitate nunquam includi *multa* ſub eadem ratione, ſeu in eodem genere vnitatis, in quo habent multiplicitatem, ſeu multitudinem; nam natura hominis ſpecifice, & vniuerſaliter accepta ſolum per intellectum eſt vna, & tunc in intellectu nil aperit multitudinis, licèt apta ſit multiplicari amittendo tamen vnitatem. 9 *An vnum coaleſcat ex multis, ſicut multitudo ex vnitatibus materialiter acceptis?*

ARTICVLVS III.

Vtrum Deus ſit vnus.

DE hac difficultate agit S. Thom. 1. part. quæſt. 103. art. 3. ſtatuens rerum Principium debere eſſe vnum & 1. diſtinct. 2. art. 1. & in ſimili diſtinctione ad Annibal dum quæſt. 1. art. 1. & primo contra Gentes cap. 42. & quæſt. 3. de potentia art. 6. & opuſc. 3. cap. 15. & 12. metaph. ad finem. In præſenti autem articulo ideo probat Deum eſſe vnum primo quia eſt ſumme ſimplex. Secundo quia infinitæ ſimpliciter perfectionis. Tertio quia cauſa ordinis totius vniuerſi, qui ad vnum reduci debet. 10

11 *An Deum eſſe vnum ſit articulus fidei?* Hæretici Gnoſtici Manich. Marcion. Tritheit.

Dub. primo An Deum eſſe vnum ſit articulus fidei. Gnoſtici hæretici putarunt duos Deos eſſe, vnum bonum, & alterum malum, ita etiam Manichæi. Marcioniſtę teſte Irenæo lib. 1. de hæreſibus cap. 28. & 29. & Auguſtino lib. de hæreſibus cap. 21. & Theodoreto lib. 1. hæret fabul. Tres eſſe Deos docuerunt Tritheitæ occaſione ſumpta ex myſterio Trinitatis ita aliqui Antiqui apud Theodoretum ſupra cap. 18. & alij Moderni apud Bellarminum lib. 1. de Chriſto cap. 2. Sed contra hos omnes ita expreſſe, & crebro ſunt teſtimonia ſcripturæ conciliorum, & Patrum vt ſit Dei vnitas primum, & maximum totius noſtræ fidei chriſtianæ fundamentum ſicut, & primum verbum in ſymbolo profeſſionis fidei: *credo in vnum Deum* vnde ſuperfluum eſt referre alia ſacræ ſcripturæ verba, videantur quæ erudite congerit Bellarminus lib. 1. de Chriſto cap. 3. P. Dyoniſ. Petauius tom. 1. de Theolog. dogm. lib. 2. cap. 8. P. Iul. Cæſ. Recup. l. 5. de vnitate Dei quæſt. 3. adiiciens etiam in hanc veritatem conſenſum omnium ſapientium vbi ſupra quęſt. 12. Euguibnus lib. 3. de perenni Philoſophia cap. 13. & ſequentibus Cyrill. Alex. lib. 1. contra Iulia. cap. 9. Euſebius de præparatione Euangelica, Lactantius lib. 1. de diuin. inſt. cap. 5. Arnob. 3. contra Gent. Tertul. Apolog. cap. 10. & ſequent. Auguſt. lib. 4. de ciuitate Dei Iuſtin. lib. de monarch. vbi fere omnes antiquos ſapientes refert pro hac veritate.

Contra quos Prima fides Cath. apud. Petau. Recup. Engub. Cyril. Alex. Euſeb. Lactant. Tertull. Auguſtinus. Iuſtin.

12 *An ratione naturali demonſtretur Dei vnitas.* *Negant* Okam. Gabriel. Alliac. Mayron. Baſſol. *Affirmant* Thomiſtæ. Scotiſtæ. Durand.

Dub. 2. An ratione naturali demonſtretur Dei vnitas. Okham. & Gabriel in 1.diſt. 2. negant ratione naturali poſſe demonſtrari hanc veritatem, niſi ſolum probabiliter ita etiam Alliac q.3. art. 1. concluſ.1. Mayron q.1.conc.5.Baſſol.q.3 art.3.Mouentur tùm eo quod tot gentes in falſitatem pluralitatis Deorum conſpirarint; tum etiam quia ſecluſa fide non eſt potior ratio conuincens repugnantiam plurium Deorum, quam plurium perſonarum diuinarum. Contraria opinio recepta eſt ab omnibus Theologis ita Thomiſtæ cum S.Thom. hic, Scotiſtæ cum Scoto in 1.diſt.2. q.3. Durandus q.1. Mouentur variis rationibus, quas quiſque in huius veritatis probationem demonſtratiuas cenſet non conuincentes ſunt vt patebit ex §.ſequenti.

13 *Quatuor rationes nondū conuincētes.*

Arg.1.ex Suar. diſp.29.ſect.2.n.7.quia connexio, & Ordo totius vniuerſi, proportionataque gubernatio melius concipitur, ſi ab vno tantum ſit. Ita Ariſt. concludit lib. 12. Met. *entia nolunt male gubernari, non eſt bonum pluralitas principatuum, vnus ergo princeps.* Sed contra hoc ad ſummum conuincit vnicum eſſe Deum gubernatorem huius vniuerſi, ſed quid contra fingentem plures eſſe mundos à propriis Diis conditos, & gubernatos. Arg.2.Soncinas apud Suar.ſupra quia *eſſe* conuenit *per ſe primo* enti improducto, at quod per ſe primo vni conuenit non poteſt aliis conuenire, niſi ratione illius: Ergo non poſſunt eſſe duo improducta. Sed contra maior petit principium Arg. 3. ex S.Thom.4.contra Gentes cap.47. ſi darentur duo entia neceſſaria quodlibet determinatè acceptum conſtaret ex ratione communi *entis neceſſarij* & differentiali *talis entis;* hæc autem compoſitio repugnat enti diuino. Sed contra quia hæc compoſitio eſt ſolum rationis, & inſtatur in conceptu communi perſonæ, & talis perſonæ in Trinitate. Arg.4.ex Vaſq.hic n.4.quia ſi eſſet alius Deus vel vnum exiſteret dependenter ab alio, vnde eſſet imperfectus, & non Deus vel independenter, & ſic vnus Deus non eſſet omnipotens, cum non poſſet alium deſtruere. Sed contra Pater eſt omnipotens licet non poſſit deſtruere Filium.

1. Ratio ex infinita. Perfectione.

His ergo, & aliis rationibus minus efficacibus omiſſis ego communem opinionem ſequens cenſeo poſſe demonſtrari vnitatem Dei, ſeu Deum eſſe vnicum, non plures. Ratio præcipua eſt, quia Deus non eſſet ſumme perfectus, niſi vnicus eſſet: ſiquidem non contineret omnem perfectionem poſſibilem, nec formaliter: ſiquidem ſecuni non identificaret eſſentiam alterius Dei (quò occurro communi inſtantiæ deſumptæ ex diſtinctione perſonarum, licet enim Filius non identificet paternitatem, identificat tamen eſſentiam Patris;) nec item haberet vnus Deus perfectionem alterius eminenter, ſiquidem non cótineret vt virtus productiua eſſentiam alterius Dei alias iſte imperfectior eſſet Deo producente. Tunc ſic, ſed Deus concipi debet vt ſummè & infinite perfectus habens omnem perfectionem poſſibilem: Ergo Deus debet eſſe vnicus. Confirmatur hæc ratio quia in eo quod Deus ſit vnicus nulla eſt contradictio, ſeu implicatio aliunde commendat Dei perfectionem non habere eſſentiam ſibi æqualem, ergo cum Deus ſit *quò melius cogitari non poſſit* cenſendus eſt vnicus.

14 *2. Ne ſit numerus infinitus Deorum.*

2. Eſt ratio quia ſi ſemel permittitur Deorū multiplicatio nó eſt cur potius ſiſtat pluralitas in determinato numero, quā procedat ſine fine: cū enim in terminis non ſit potior ratio de duobus Diis quam de tribus, cur non erunt quatuor, & nó quinque ſine fine; infinitum autem Deorum numerum nullus ita deſipuit vt enim admitteret licet Heſiodus in ſua Theogonia triginta millia Deorū agnouerit vt refert P.Recup.lib.5.de vnitate Dei q.9. n. 1. Neque valet inſtantia de Trinitate perſonarum, vbi admittimus has plures eſſe non tamen vltra tres, nam in primis cum Myſterium Trinitatis non ſit notum naturæ lumini, quidquid difficultatis ab illo venit contra aliquam veritatem non infringit huius demonſtrationem. Deinde in Trinitate cum non plurificetur eſſentia, ſpecialis ratio eſt ne perſonæ plures ſint quam tres: cum in natura intellectuali duo tantum ſint modi procedendi ad intra: vnde vna perſona erit à qua procedat ſecunda per intellectum, & tertia per voluntatem. A prima, & ſecunda procedens.

30. Millia eorum ſin. Dis Heſiodus.

15 *3. Ne ſint diſcordes.*

Tertia ratio demonſtrandi vnitatem Dei deſumitur communiter ex eo quod ſi plures eſſent diſcordes haberent voluntates, vnde vel res fieret contra voluntatem vnius Dei altero volente vt verum habeat illud: *ſæpe premente Deo fert Deus alter opem:* & ſic vnus Deus eſſet imperfectus; vel adhuc res non fieret, & ſic iſte alter imperfectus, & imbecillis foret. Optime Athan. oratione contra Idola aliquanto poſt initium: *ſi concedas vt nolente altero, alter tamen, & exiſtere poſſit; æqua in ambobus poteſtas, & imbecillitas fuerit. Par quidem in eo poteſtas quod alter alterius voluntatem vincat, eo ipſo quod altero inuito eſſe poſſit. Par item imbecillitas amborum in hoc eſt quod nolentibus ipſis ea quæ nolint, euenient.* Item Xenophanes vt habetur 1.lib.Mythologiæ cap.7. neceſſariæ forent rixæ inter tales Deos: *ſi plures eſſent,* inquit *ſint Dij neceſſe eſt eos eſſe vel pari, vel impari potentia, ſi ſint quidem impares quo pacto debiliores ſint Dij ipſe videris, ſin omnes pares exiſtunt, & nolens alium volentem impedit, res iam neque fieri, neque non fieri poterit: quod non poteſt ſine riſu intelligi: multa igitur odia, & pugnæ multæ, & aſſiduæ inter Deos intercedent.*

16 *4. Vnus ſufficit.*

Quarta ratio ſit quia vnicus Deus ſufficiens eſt dum ſit infinite perfectus ad effectionem omnium, conſeruationem, & gubernationem, omniaque alia munera attributa, & proprietates, quas Deo quaſi à priori tribuimus vel ex creaturis colligimus, aut coniectamus; nullum enim ſignum adduci poteſt, vel effectus, qui pluralitatem Deorum requirat: ergo vnus ſolum Deus, vnicuſque admittendus eſt: antecedens eſt per ſe notum; conſequentia autem probatur quia ipſo naturæ lumine dictante nihil in re tam graui decidendum eſt ſine fundamento, vnde nullus admitteret Trinitatem perſonarum, niſi maximum fundamentum diuinæ fidei eam doceret. Confirmatur nam è contra pluralitas Deorum pluribus abſurdis obnoxia eſt tum Deorum inter ſe ob diſſenſionem voluntatum ex §. præd. tùm etiam ipſarum creaturarum non tribuentium vni Deo ſummum cultum, poſſet enim iam creatura vni Deo adhærere, iam alteri vt optime hic dici poſſet prima Corinth.1.12. *Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephe.* Quid autem abſurdius?

17 *5. Quod nulla demōſtratio ſit pro pluralitate.*

Vltima ratio, & demonſtratio, quæ licet videatur negatiua me tamen moraliter, & prudenter rem conſiderando omnino conuincit deſumitur, ex eo quod naturale lumen efficax, & clarum indicium, & argumentum pluralitatis Deorum oſtenderet; ſi talis pluralitas poſſibilis foret. Qui enim apprehendi poteſt, quod natura deficiat in declaranda veritate adeo neceſſaria, cum tanti momenti ſit ſecundum Deum vel ſpernere vel venerari: cum natura adeo clarum dederit teſtimonium de exiſtentia Dei, vt iſti debitus cultus redderetur, cur non æque plures eſſe Deos demonſtraret, cum omnes eſſent æquales, omnibuſque vtpote ſic æqualibus æqualis cultus deberetur? Ergo cum natura non ſolum non doceat,

doceat. ſed reſiſtat potius Deorum pluralitati (etenim negabit nemo rationes hucuſque poſitas ſaltem probabiliorem reddere Dei vnitatem) prædicta pluralitas neutiquam admittenda eſt, ſed vt euidenter impoſſibilis reicienda.

18 Ad argumenta pro contraria ſententia Nominalium facilis patet reſponſio. Ad 1. de conſenſu Gentium in pluralitatem Deorum reſpondeo potius omnium Gentium, & Sectarum ſapientes in vnitatem Dei conſpiraſſe. Legatur P. Iul. Cæſ. Recup. lib.5. de vnitate Dei q.12. mirâ eruditione demonſtrans omnes antiquarum Sectarum Magiſtros in hac fuiſſe ſententia, ſolumque contra illam vel ignorans Vulgus, vel affectatam ignorantiam in aſſentationem Principum fuiſſe. Ad 2. fundamentum deſumptum ex pluralitate perſonarum in Trinitate conſtat ſatis ex §. 14. nihil obeſſe poſſe demonſtrationi præſentis veritatis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Deus ſit maximè vnus?

19 DE hac difficultate agit S.Thom. 1.p q.18. art. 3. corpore & q. 39. art. 3. corpore & cauſis 1. 21. In præſenti autem articulo 4. ideo probat Deum eſſe maxime vnum quia eſt maxime ens maximéque indiuiſus.

20 Dub. 1. An ſit poſſibilis res creata, quæ ſit vna ſeu vnica; quæ ſcilicet implicet multiplicari? Thomiſtæ communiter cenſent naturam Angeli eſſe immultiplicabilem intra eandem ſpeciem vnde Michaël verbi gratia erit vnicus in ſua ſpecie. Sed de hac ſententia, & eius fundamentis ad tractatum de Angelis. 2. Alij recentiores cenſent modum durationis *A.* ſi diſtiguatur à re durante eſſe eſſentialiter vnicum, & multiplicabilem; cum enim ſit alligatus eſſentialiter tempori, ſeu inſtanti *A.* iam circa illam ſpeciem durationis A. Deus non poteſt exercere, niſi vnum libitum, vel enim determinat quod exiſtat modus A. vel illum excludit pro Inſtanti A. ſi excludit pro A? Iam neque talis modus, neque alius homogeneus, ſeu ſimilis poterit vnquam exiſtere, ſiquidem alligatus eſſentialiter eſt vt exiſtat in A. Si vero determinet ad inſtans A. iam omnis alius modus A. non poterit exiſtere; non quidem poſt primum A. ſiquidem eo ipſo quod homogeneus ſit, ſit alligatus tantum ad inſtans A. non item in eodem inſtanti: A. nam abſurde admitterur poſſibilis aliquis modus ſolum ad exercendum munus inutile, & ſuperfluum; tale autem eſt ſi poſtquam Petrus verbi gratia durat in inſtanti. A. per vnum modum, addatur alius modus durationis omnino ſimilis ad durandum in inſtanti. A. vnde confirmatur quod non ſit poſſibilis niſi vnicus modus durationis. A. Talis modus præciſe admittitur poſſibilis vt res durans determinetur ad durandum in inſtanti. A. Verbi gratia, ſed ad hoc munus vnicus tantum modus A. eſt neceſſarius. Ergo vnicus ſolum admittendus eſt: conſequentia patet, & maior ex dictis q.10. §.29. minor etiam eſt clara, ex ſuperiori argumento, ex quo conſtat diſcrimen de aliis modis verbi gratia vnionis, licet enim etiam modus vnionis vnicus ſufficiat ad vniendum; at cum res ſemel vnita poſſit deſtrui, & iterum ipſi communicari vnio, iam adueniet modus diſtinctus. Modus vero durationis A. nequit vlla ratione aduenire poſt inſtans. A. Confirmatur ſecundo nam indiuiduationis multiplicitas, licet non ſumatur à materia; ſumitur tamen à circunſtantiis; nulla autem circunſtantia eſt poſſibilis potius pro. 1. modo durationis A, quam pro ſecundo.

An poſſibilis res creata quæ ſit vnica multiplicationis incapax. Affirmat Thom.

Nihilominus cenſeo nullam creatam entitatem poſſe eſſe vnicam, & immultiplicabilem intra propriâ ſpeciem: ratio eſt quia nequit negari vlla entitas poſſibilis, niſi in eius poſſibilitate aliqua appareat repugnantia: At eo ipſo quod in aliqua ſpecie admittatur in creatis aliquod indiuiduũ poſſibile, nequit aſſignari implicantia in alio omnino ſimili; non quidem ex prædicatis ipſi intrinſecis, & eſſentialibus, vt patet; non item in ipſa ratione multitudinis & pluralitatis numericæ; ſi enim tot rationes (de quibus in art. præcedenti) niſi attenderemus ad infinitam perfectionem deitatis nondum ſatis conuincerent huius vnitatem, quo fundamento fingetur talis vnitas in re creata? Confirmatur implicat ſpecies creata, quæ multiplicetur in duo indiuidua, & non poſſit in tria, quatuor, &c. Sine fine. Ergo ſimiliter poſito ſemel vno indiuiduo creato non implicabit dari aliud ſolo numero diſtincto. 21

Negandum eſt.

Hinc ad Argumenta in §. 20. Ad 1. Cenſeo ſub eadem ſpecie poſſe multiplicari Angeli naturam, vt dicam in tract. de Angel. tom. ſeq. Ad 2. idem dico de modo durationis A. licet enim ille ſemel ſit inuentus vt poſſibilis titulo determinationis, & huic ſufficiat vnicus ad A. At eo ipſo quod vnus implicationem non inuoluat, neque implicabit alius omnino ſimilis vt iam poſſit Deus eligere inter plures hos modos iuxta ipſius placitum, vel etiam ponere duos modos ſimul durationis in A. vti enim poteſt idem effectus duplici actione produci quantumuis ſuperfluat, ita, & poterit duplici modo durationis homogeneo durare in inſtanti A. Ex quo patet ad primam confirmationem. Ad ſecundam dico: durationem, & quamlibet aliam entitatem indiuiduari ex propriis prædicatis intrinſecis, vnde ſub eiſdem circunſtantiis poterunt dari duo modi durationis A ſolum numero diſtincti. 22

Replicabis ſi actus liberi diuini ſint Deo adæquatè intrinſeci implicant duo actus omnino ſimiles, & ſolum numero diſtincti; quantumuis ſimpliciter loquendo in hac ſententia inter actus diuinos non implicet pluralitas, ſed ſuo modo per diſtinctionem formalem, aut virtualem ex natura rei ita actus liberi diuini plurificentur, ſicut res creatæ: Ergo ſimiliter dicendum de aliqua entitate creata, quæ ita vnica eſſentialiter ſit vt afferat repugnantiam cuiuſcunque ſolo numero diſtinctæ. Antecedens ab omnibus conceditur; nam in primis ſimul exiſtere nequeunt in Deo duo actus omnino ſimiles, vt dixi diſp.45. ſect. 4. Sed nec ſucceſſiue, cum nequeat Deus habere nouum actum in tempore vt dixi diſp.61. ſect.4. nec denique in ſenſu diuiſo, ita ſcilicet vt modo habeat v. gratia vnum actum volitionis mundi, & maneat poſſibilis alius ſolo numero diſtinctus ab hoc; etenim Deus quolibet actu abſumit perfectionem illius ſpeciei, & quaſi parit effectum, & partum adæquatum in illo ordine. Iam conſequentia de entitate creata probatur quia non apparet ratio, ob quam repugnet quod aliqua entitas creata abſumat totam perfectionem ſuæ ſpeciei, cum enim adhuc tota ſpecies finita ſit nondum erit infinitæ perfectionis indiuiduum, in quo tota ſpecies contineatur. Reſpondeo negando conſequentiam tum quia perfectio volitionis liberæ diuinæ perit ne quando exerceretur maneat alius purè poſſibilis vt dixi diſp. 68. ſect. 1. n.5. & 6. eò quod non eſſet modus ſuſpendendi talem actum poſſibilem vt ibi dico; tum etiam quia myſterium 23

An actus liberi diuini multiplicari poſſint ſolo numero 1.

 diſtin

myſterium diſtinctionis actuum liberorum non eſt extendendum cum adeo difficile ſit; vnde ſolum poſita volitione manere debet poſſibilis volitio oppoſita vt explico diſp.69.ſect.4. Hæc autem non militant in rebus creatis.

24 *An & qualiter Deus ſit maxime vnus?*

Dub.2. An & qualiter Deus ſit maximè vnus. Thomiſtæ communiter probant hanc propoſitionem, vel ex eo quod Deo maximè conueniat *eſſe ens* vel *eſſe indiuiſum* maximè. Sed contra quia primus titulus ſumitur materialiter, & per accidens etenim licet equus ſit perfectior ſole in ratione entis, non ideo eſt perfectior in ratione vnius. Secundus titulus confundit vnitatem cum ſimplicitate; cum tamen ad præſens valde differant, nec enim minus eſt vnus, ſeu vnicus ſol, quam luna, licet ille vtpote maior plures partes habeat.

25 *Eſt maxime vnus, quia ita vnicus vt non admittat conſortium Deorum, nec numero, nec ſpecie.*

Igitur hanc veritatem Deum ſcilicet eſſe maximè vnũ, quam omnes Patres, & Scholáſtici admittunt. Bernard. lib.5. de conſideratione ad Eug. *eſt tam ſimplex*, inquit, *Deus quam vnus: eſt autem vnus quomodo aliud nihil, etſi dici poteſt vniſſimus eſt.* Hanc inquam veritatem probo, quia ſolus Deus eſt *vnus & vnicus* vt conſtat ex dub. præced. repugnans ſcilicet pluralitati Deorum, non ſolum diſtinctorum ſolo numero, ſed etiam ſpecie, & genere vnde nihil meretur nomen Dei præter ipſum. Imo non ſolum eſt *vnicus*, & immultiplicabilis numero, ſed etiam ita differt à quolibet alio ente poſſibili vt per ſummam, & maximam, infinitamque diſtantiam diſcriminetur, quod aliter contingit in rebus creatis, quantumuis forent eſſentialiter vnæ ſeu vnicæ; & immultiplicabilis: nam natura Michaëlis v.g. licet non ſit multiplicabílis in plures Michaëles eſt tamen multiplicabilis in plures Angelos, ſeu ſimpliciter dantur plures naturæ Angelicæ.

QVÆSTIO XII.

Quomodo Deus à nobis cognoſcatur.

HVIC quæſtioni, eiuſque difficultatibus explicandis deſeruient omnia, quæ dixi tract.3. per quindecim diſputationes, ideo licet plures, & graues in præſenti difficultates excitentur breuiter tamen illis ſatisfaciam remiſſo lectore ad diſputationes ſupra dictas.

ARTICVLVS I.

Vtrum aliquis intellectus creatus poſſit Deum videre per eſſentiam?

DE hac difficultate pluribus in locis agit S.Tho. ſed præcipue 3. contra Gent. cap.54. & 57. & quæſt.8. de verit.art.1. Quodlib.7. art.2. & opuſc.1. cap.104. In præſenti autem articulo primo id probat, quia hominis beatitudo in Dei viſione conſiſtit; item appetitus naturæ videndi cauſam viſo effectu non poteſt eſſe fruſtra.

2 *An ſit de fide exiſtentia viſionis Dei.*

Dub.1. An ſit de fide exiſtentia viſionis Dei. Reſpondeo affirmatiue, vt late oſtendi diſp.22.ſect.1.

3 *An ratione naturali poſſit probari.*

Dubit.2. An ratione naturali poſſit probari? Reſpondeo exiſtentiam probari non poſſe: ita diſp.22. §.4. Poſſibilitatem ſatis probari: ita ibi ſect.2. imo & demonſtrari ratione naturali. Ita ſect.3.

Dubit.3. An ex appetitu, quem homines habent ad videndam cauſam viſo effectu, item & ad perfectam beatitudinem, ſatis probari poſſit huius viſionis poſſibilitas; ſiquidem in hac conſiſtit perfecta beatitudo, per illamque videtur vt in ſe eſt cauſa huius vniuerſi? Suppono in nobis licet non detur appetitus innatus ad talem viſionem vt dicam dub.4. At dari elicitum naturaliter, valdeque ingenitum eſſe naturæ hominum vt deſiderent videre Deum & ſcire ſicuti eſt quidditatem ſupremi artificis huius vniuerſi, vt dicam dubit.4. modo præſens dubitatio eſt probetur-ne ſufficienter ex eo quod nobis naturaliter inſitus ſit hic appetitus elicitus, talem viſionem eſſe poſſibilem? Neque enim vt ait Aug.lib.4.contr.Iulian.cap.3.longe poſt init. *Omnes homines naturali inſtinctu immortales, & beati eſſe vellemus, niſi eſſe poſſemus.* Vnde 1. Sententia Thomiſtarum hic affirmat, Vaſq. in Comment. huius art.1. Ferrar.3.contr.Gent.cap.51. Medina 1.2.q.3.art.8. Faſol.1.p.q.12.art.1. dub.1. à n.5. Recup.lib.6.de verit.q.1.cap.3. à n.16. Quia appetitus ita communis, quem Natura dat omnibus, & ſapientibus non debet eſſe circa impoſſibile. Confirmat. P. Recupitus ſupra quia appetitus elicitus adeò frequens in omnibus ſignum eſt appetitus innati in ipſa potentia præexiſtentis ante elicitum, & quod iſte oriatur ex innata inclinatione; neque enim aliunde colligimus in homine verbi gratia innatum appetitum propriæ excellentiæ, niſi ex frequenti elicito, quem experimur. Tunc ſic ſed inclinatio Naturæ, & appetitus innatus non debet eſſe ad impoſſibile. Ergo hinc recte probatur poſſibilitas viſionis. 4

An ex appetitu videndi cauſam viſo effectu probetur poſſibilitas viſionis Dei.

Affirmant Thomiſtæ. Vaſquez Ferrara. Medin. Faſol. Recup.

Secunda opinio ſentit non ſatis probari ex hoc argumento poſſibilitatem viſionis, ſed tantum congruenter, & aliquâ veriſimilitudine, ita Suarez, Bannez, Caietan. & alij quos refert, & ſequitur P. Salas 1.2.tract.2.diſp.12.ſect.4. P. Martinon diſp.8. de Deo ſect.1.§.9. quia appetitus elicitus ſæpe afficitur in bonum purè apparens, & impoſſibile, ita late P.Arriaga diſp.4. à n.2. 5

Negant alij Thomiſt. Suarez. Bannez. Caiet. Salas. Martinon. Arriaga.

Ego exiſtimo cum P. Faſol.ſupra hanc rationem eſſe probabilem, licet non omnino conuincentem vt in ſimili dixi diſp.22. ſect.2.§.14. Nam licet natura ſimpliciter non habeat appetitum innatum in ipſam viſionem immediate; at appetitum habere in ipſam elicientiam, ſeu appetitionem elicitam ipſa experientia ſatis docet. Aliunde non apparet appetitum ſic innate ab omnibus elicitum deceptum fuiſſe, in aliquidque impoſſibile tendere. Ergo immerito negabitur eſſe ſignum aliquale licet non omnino conuincens huius poſſibilitatis talem appetitum. Et huc faciunt argumenta in §.4. hic pro prima ſententia. Alia quæ poſſunt opponi contra meam concluſionem ſoluam dub.ſeq. 6

Affirmo probabilem rationem.

Dubit.4. An detur in natura appetitus innatus in viſionem? Reſpondeo ſimpliciter negatiue ita diſp.22.ſect.4. Sed obiicies hinc ex §. ſequenti datur naturalis appetitus elicitus, qui arguat poſſibilem viſionem. Ergo, & innatus. Reſpondeo innatus quidem eſt in talem elicitum; cæterum cum ſimpliciter, & phyſice innatus non ſit, ita vt phyſicum ius habeat natura, ipſique debeatur phyſice viſio ipſa; hinc in ipſam viſionem innatus non eſt; ſed hæc eſt ſupra omnem exigentiam phyſicam naturæ, ideoque ſupernaturalis quoad ſubſtantiam; Quamuis commune illud deſiderium, & appetitus elicitus ſignum ſit quod ex gratia, & liberalitate creatoris poſſit nobis obuenire donum viſionis, ſicut, & donum remiſſionis peccatorum mortalium. licet ſupra omne meritum & debitum noſtrum ſit. Obii. 7

An detur appetitus innatus ad viſionem.

2.Omnis

2. Omnis res quantumuis ſit corruptibilis naturaliter appetit ſui conſeruationem, refugitque ſemper ſui annihilationẽ, ſeu corruptionem; Atqui *non eſſe* eſt obiectum naturaliter ineuitabile. Ergo appetitus innatus refugit obiectũ naturaliter ineuitabile, ſeu appetit quod eſt naturaliter impoſſibile. Reſpõdeo natura corruptibilis non appetit innate immortalitatem cathegorematicè infinitam; ſed præciſe quaſi pro inſtanti ſequẽti; iſta autem ſic non eſt naturaliter impoſſibilis: quo differt ab appetitu innato animæ rationalis quę in totam æternitate fertur.

8 *An & qualis detur in natura appetitus elicitus ad viſionem.*

Dubit. 5. An detur in natura appetitus elicitus; An effic. x, vel ſolum inefficax? Reſpondeo eſſe efficacem affectiue licet non effectiue, vide diſp. 22. ſect. 5.

Quid & qualis ſit hac viſio?

Dub. 6. Quid, & qualis ſit hæc viſio. An iudicatiua diſcurſiua, *&c.* Sed de his in tr. de beatit. Vbi D. Thomas 1. 2. qu. 3.

ARTICVLVS II.

Vtrum Eſſentia Dei ab intellectu creato per aliquam ſimilitudinem videatur?

9 DE hac difficultate agit S. Thomas in 4. diſtin. 49. q. 2. art. 1. & in alio ſcripto ad Annib. ead. diſt. 49. q. vnic. art. 2. & qu. 8. de verit. art. 1. & quodlibet 7. art. & 3. contr Gent. c. 49. opuſc. 3. cap. 105. In præſenti autem art. 2. cenſet non dari ſimilitudinem ex parte rei viſæ, quæ eſſentiam repræſentet, quia ſuperior non videtur per ſpecies inferiores, Item nulla creatura poteſt repræſentare eſſentiam Dei, alioqui etiam eſſet viſio ænigmatica: Ex parte tamen intellectus videntis eſt aliqua ſimilitudo, quia intellectus creatus eſt aliqua ſimilitudo creata Dei.

10 *An poſſibilis ſimilitudo in qua eſſentia diuina videatur.*

Dubitat. 1. An ſit poſſibilis ſimilitudo *in qua* eſſentia diuina videatur? Reſpondeo negatiue de quo late in diſp. 23. ſect. 3. & 5.

11 *An in viſione beatã detur verbum.*

Dubit. 2. An in viſione beata detur Verbum ſeu ſpecies expreſſa, & ſimilitudo *quã*. Reſpondeo affirmatiuè vt aliud euenire non poſſit ita in diſp. 23. ſect. 2. & 4.

12 *An in omni cognitione neceſſario formetur verbum.*

Dub. 3. An neceſſum ſit in omni cognitione formati Verbum, & quod ſit huius munus? Id late ſpeciali doctrina explicui diſp. 23. ſect. 5.

13 *An de facto detur ſpecies impreſſa Dei.*

Dub. 4. An detur de facto ſpecies impreſſa ad videndum Deum. Reſpondeo ſi ſemel poſſibilis admittatur non eſt improbabile dari de facto, nec poſſe aliter intellectum eleuari ad videndum Deum; abſolute tamen neque in tali caſu admittenda eſt de facto ſpecies, ita diſp. 24. per totam.

14 *An de potentia abſoluta ſit poſſibilis. Affirmans plures cum* Martinon.

Dubit. 5. An ſaltem de potentia abſoluta poſſibilis ſit ſpecies impreſſa. Prima ſententia affirmat pro qua plures retuli ſect. 1. §. 1. in diſp. 25. qui etiam videri poſſunt apud P. Ioan. Martinonem eiuſdem ſententiæ Sectatorem diſp. 8. de Deo ſect. 3. n. 29. Nihilominus contraria ſententia mihi omnino placet, quamuis enim pene apud nos extincta fuerit, vt loquitur P. Herize. 1. p. diſp. 40. cap. 6. n. 53. iam nouorum argumentorum efficaciã, & ſpiritu reuixit. Pro hac ſententia negante manifeſte eſt S. Tho. vt ingenue fatetur P. Suar. lib. 2. de Attrib. cap. 13. & diſp. 30. Met. ſect. 11. n. 27. Quare nouo titulo ſequens Angelicum præceptorem lubens adhæreo huic ſententiæ, quam late, & ſpecialiter probo diſp. 25. maxime in ſect. 2. & 3. quarum doctrinam, & ſpeciale fundamentum pro impoſſibilitate ſpeciei impreſſæ iam olim in vniuerſitate compoſt ellana meis diſcipulis dictaueram in Philoſophia anno ſcilicet 1642. quod poſtea vidi propoſitum à P. Ioanne Martinon Burdegalenſi anno ſcilicet 1644. in ſuis diſputationibus de Deo diſp. 8. ſect. 5. n. 32. & ſeq. proponit autem illud ſibi ſequenti oppoſitam ſententiam, ſed non ſatis diſſoluit; totus namque eſt in probando viſionem, quæ fit per ſpeciem intuitiuam non manere tam viuidam in abſentia obiecti realis, quam in eius preſentia; quod certe contra experientiam eſt vt late oſtendo diſp. 25. ſect. 2. quis enim non ſibi videtur videre tam viuide colores in iride, quam videat ſimiles dum realiter exiſtunt? Præterquam quod ego in ſect. 3. eam rationem nouo modo confirmo firmiori omnibus his ictibus; quare non puto neceſſarium in his amplius retundendis immorari: Vide plures ex noſtris pro hac ſentẽtia ſupra Granad. Arrub. Tanner. Recupit. Ioſeph. Aug. quibus adde P. Franciſcum de Lugo 1. p. q. 12. d. 20. c. 4. Eminentiſſ. eius fratrem Cardin. de Lugo in M.S. de Anim. diſp. 3. ſect. 1. memb. 5.

Negandum eſt cum. S. Thoma. Granad. Arrubal. Tann. Recup. Ioſeph. Aug. Franciſc. Lugo. Card. Ioan. de Lugo.

Dubit. 6. An ſit poſſibilis ſpecies abſtractiua, & quidditatiua Dei? Reſpondeo poſſibilem eſſe ſpeciem immediatam, & propriam Dei, quæ nullius extranei obiecti ſit; at adhuc non fore ſtricte quidditatiuam de hoc late diſp. 26. per totam. 15 *An ſit poſſibilis ſpecies abſtractiua & quidditatiua Dei.*

ARTICVLVS III.

Vtrum Eſſentia Dei videri poſſit oculis corporalibus.

DE hac difficultate agit S. Th. in 4. diſt. 49. q. 2. art. 2. In præſenti autem art. 3. Negat poſſe Deum videri oculis corporalibus, quia incorporeus eſt ipſe, & ſpiritualis, proindeque obiectum improportionatum actui potentiæ corporeæ. 16

Dubit. 1. An ſal. em de potentia abſoluta poſſint eleuari ſenſus de facto exiſtentes ad videndum Deum, vel aliquid ſpirituale? Reſpondeo negatiue ita diſp. 21. ſect. 1. 2. & 3. Contra quam obiicies ſenſus de facto exiſtentes attingere poſſunt in confuſo obiectum ſpirituale; id patet in communi ſententia, quam poſui diſp. 56. ſect. 3. & 4. nempe omnem cognitionem etiam ſenſitiuam reflectere ſupra cognoſcentem. Vnde anima rationalis per ſuas ſenſiones etiam percipit ſe cognoſcere, & conſequenter cum ſpiritualis ſit, ſaltem in confuſo attinget obiectum ſpirituale. Tunc ſic ſed potentia cognoſcitiua poteſt diuinitus eleuari ad attigendum clare, & intuitiue id obiectum, quod naturaliter vtcumque attingit; ex hoc enim fundemento probatur intellectus humanus eleuabilis ad videndum Deũ. Ergo & oculus corporeus. Reſpondeo ſphæram, & obiectum potentiæ in actu exercito non poſſe extendi ad actum ſignatum, eſt enim iſte diuerſus modus tendendi adeo vt putem amorem v. g. eſſe cognitionem ſui in actu exercito, ſiquidem ſe ipſo patet amanti, quis autem ideo putabit poſſe voluntatem eleuari ad cognoſcendũ in actu ſignato. Ratio huius eſt quia cognoſcere in actu exercito non fit vi directa repræſentationis actus, ſed quaſi coaleſcit ex actu, & ex ſubſtantia ipſius cognoſcentis; hinc ſi viſio corporalis hominis ponatur in leone repreſentabit leoni per illam ipſum leonem cognoſcere; ſicut ſi cognitio Petri in me ponatur per illam experimentaliter, & in actu exercito ſciam me cognoſcere. Ergo hinc taxanda non eſt ſphæra obiectiua potentiæ quare non valet argumentum, vt oculus ſit eleuabilis, ſicut intellectus.

17 *An de potentia abſoluta ſenſus exiſtẽtes poſſint videre Deũ. Ratio dubitandi ſpecialis.*

Soluitur.

Dubit. ſecundò An ſaltem poſſit eleuari oculus corporeus 18 *An oculus*

corporeus poſſit eleuari ad videndũ Deum viſione ſpirituali.
Affirmat Salas.
Negant Recupitus. Præp.Hen.

corporeus vt attingat Deum per viſionem ſpiritualem. Affirmauit P. Salas tomo 1. in 1. 2. tract. 2. diſput.5. ſect.1.§.5. Quia ſic incorporeitas Dei attingetur per actionem proportionatam; aliunde improportio potentiæ non requiritur ad agendum obedientialiter. Negandum tamen eſt cum communi ſententia; Hic enim militant argumenta poſita diſput.21.§.4. & ſequent. vt ex profeſſo oſtendit P. Cæſar Recupitus lib.6. de Deo quæſt.11. per totam P. Prepoſitus 1. part. quæſt.12.art.3.num.34. P.Gabriel de Henao parte 2. ſuæ Empyreolog.lib.8. exercit.28.ſect.2.

19 *An ſit poſſibilis ſenſus aliquis qui poſſit eleuari ad videndũ Deum?*
Affirmatiua pars probatur ſub diſtinctione.

Dubit. tertiò An Poſſibilis ſit aliquis ſenſus ſeu potentia materialis eleuabilis ad videndum Deum? dupliciter poteſt dubitatio hæc excitari. Primo vt quæratur ſenſus iſte ſeu potentia materialis, quæ diuinitus communicetur corpori naturaliter incapaci illius vt ſi communicaretur Beatis in Patria: Secundo vt quæratur an ſit poſſibilis aliqua ſubſtantia corporea cui connaturalis ſit Potentia hæc materialis, qui modi licèt communiter confunduntur; at maxime diuerſi ſunt nam iſte ſecundus ſtando rationi negari non debet vt dixi diſp.21.ſect.5. At Primo modo nullatenus admittenda eſt poſſibilis talis potentia; vti enim nec diuinitus poteſt communicari facultas ad viuendum ſubſtantiæ ſecundum ſe non viuenti, ita nec poteſt diuinitus habere nouam facultatem viuendi ſubſtantia, quæ in illo genere viuens non eſt; hinc leoni verbi gratia, nec diuinitus poteſt communicari potentia intellectiua, nec Angelo potentia ſenſitiua vt notaui diſp. 21.§.41.fine. Ego quidem ſic ſentio.

20 *Negant* Recupit. Gaſp. Hurt. P.Hurtado. Tellez. Compton. Æg.Luſit. Machin. Auerſa. Felice. Smiſing. Thom. Pius Durullæus. Vvigers. Martinon. Ribas. Franc.Lugo. Prepoſit. Faſol. Herice. Albert. Suarez. Raynaud. Petau.

Alij tamen non diſtinguentes generatim dicunt repugnare potentiam materialem ſpiritualium perceptiuam, & quæ ex conſequenti eleuari diuinitus poſſit ad videndum Deum. Ita Recupi.lib.6.de Deo quæſt.12. Gaſpar.Hurt.tract. de attrib.Dei diſp.10. diff.11. Petrus Hurt. diſp.17. de Anima ſect.1. §.5. Tellez part.1.Phil.diſp.4 ſect.3.num.7.P.Compton. diſp.15.de Anima ſect.2.num.12. Ægid.Luſit. tom. 1.de Beat.lib.4.quæſt.5.ar.3.§.2.num.18.Machin.1. part.quæſt.12.diſp.14.ſect.1. Auerſa ibidem ſect. 1. Felice tract.de viſione cap.2.diff.1.num. 7. Smiſing. t.1.tr.2.diſp.6.quæſt.2.n.18.Thoma pio 1.part.q.12. art.3.dub.vnic.Durulleo in Dialecticothea lib.2.c.2. Vvigers 1.part.quæſt.12.art.3.num.19.P.Martinon diſp.7. de Deo num.16.Ribas tom.1.ſum.Theolog. tr.3.diſp.1.c.1.num.6. Franciſcus de Lugo diſp. 24. de Deo vno cap.1.Prepoſitus 1.part.quæſt.12.ar.3. num.25.Faſol.ibi. Herize 1.part. diſp. 43. num. 38. Albertino Princip.1. Philoſ.Suarez lib.2.de Attrib. Dei cap.6.num.6. Quam opinionem illuſtri eruditione Eccleſiaſtica, & prophana illuſtrant Raynaudus in Theolog. Naturali diſt.5. quæſt.2. art. 1. Petauius tom.1. Theolog.dogmat lib.7.cap.2.

21 *Affirmant* Drexell. Iauell. Sainct. Arriaga. Ouiedo. Franc.Alfon. Ioſeph.Aug.

Nihilominus ſunt aliqui Recentiores qui abſolute affirment poſſibilem ſenſum, qui poſſit eleuari ad videndum Deum, poſſeque diuinitus communicari corporibus Beatorum; imo de facto communicandum eſſe ita ob authoritatem Auguſtini P. Hierem.Drexelius lib.2. de cælo cap.15.§.4.per totum. Iauellus. in 8. part. Chriſtianæ Philoſophiæ tr.3.cap.3. §. *de tertio clarum eſt*. Claud.de ſainctes repit.4.de Euchar.pag.mihi 154.P. Arriaga diſp. 5. de Anima ſect.2.num.19.& tom.1. in 1.part.diſp.6. ſect.1. num.6. Ouiedo contr.4. de Anim. punct. §. Franciſcus Alfonſus diſp.9.de Anima ſect.8.P.Ioſeph Aug.1.p.q.12.art.3.num.3.

22 Ego iuxta dicta §.19. cenſeo ſtando præciſe rationi admitti poſſe potentiam hanc materialem: cæterum illam communicari non poſſe Beatis. Neque contra hanc concluſionem aliquid, quod ſolutione ſpeciali indigeat adduci poteſt præter dicta diſp.21. cit.ſect.5.

ARTICVLVS IV.

Vtrum aliquis intellectus creatus per ſua naturalia diuinam eſſentiam videre poſſit.

De hac difficultate agit S.Thomas 4.diſtinct.49. quæſt.2.art.6.& quæſt.8.de veritate art.3.& 3. 23
contr.Gent.cap.50. in præſenti autem artic. 4. Ideo probat partem negatiuam, quia modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi. Ergo cum Deus excedat modum eſſendi omnis creaturę, vt pote qui eſt ſuum eſſe per ſe ſubſiſtens, etiam excedit modum connaturalem cognoſcendi.

Dubit. primò An poſſibilis ſit viſio aliqua Dei pure naturalis, & quæ ſit ratio huius impoſſibilitatis. Reſpondeo eſſe omnino impoſſibilem, ne virtus cognoſcendi ſit maior, quam comprehenſiua, ſeu quæ ſufficeret ad comprehendendum ipſum cognoſcentem ita latè diſp.27. per totam. 24

An ſit poſſibilis viſio Dei pure naturalis?

Dub. ſecundò An ſit poſſibilis ſubſtantia ſupernaturalis creata, cui ex conſequenti connaturalis ſit viſio Dei, quantumuis ſimpliciter quoad ſubſtantiam ſit ſupernaturalis? Reſpondeo negatiue vt conſtat ex diſp.20. per totam. 25

An ſit poſſibilis ſubſtantia ſupernaturalis?

Dub. tertiò In quo conſiſtat conceptus ſupernaturalitatis. De hac dubitatione, quæ communiter hic excitatur vt appareat in quo conſiſtat viſionem eſſe ſupernaturalem latè egi diſp.19. per totam. 26

In quo conſiſtat conceptus ſupernaturalitatis?

ARTICVLVS V.

Vtrum intellectus creatus ad videndum Dei eſſentiam indigeat aliquo lumine creato?

De hac difficultate agit S.Thom.3.contra Gentes cap.51. & ſequentibus,& opuſc.3.cap.105. 27
In præſenti autem art.5. probat indigentiam huius luminis, quia intellectus creatus eget diſpoſitione ſupernaturali eo quod diuina eſſentia naturam cuiuſque intellectus creati excedat.

Dub. primò An tale lumen exiſtat de facto, & quanta certitudine conſtet eſſe ponendum. De hoc egi diſp.28.ſect.1.& quidem ponendum eſſe certum eſt vt ex ibi dictis conſtat: cuius autem muneris ſit tale lumen non ſatis conſtat ex Fidei principiis vt late oſtendit P.Dionyſius Petauius tom.1.de Theol. dogm. lib.7. cap. 8. per totum ſatis indicans lumen illud eſſe ipſam diuinam eſſentiam. 28

An exiſtat lumen creatum ad viſionem Dei, & qua certitudine ponendum ſit?

Dub. ſecundò An lumen gloriæ diſtinguatur ab ſpecie impreſſa. Prima ſententia affirmat diſtingui ita communis ſententia Theologorum ſupponit cum P. Recupito lib.6. de Deo quæſt. 16. num.11. Martinon diſp.6. ſect.2. & ego diſp.28.ſect.1.2.§.2. Secunda ſententia negat ita Vaſquez,1.par.diſp.43. cap.6.& 7.& alij quos refero diſp.24.ſect.1.Quibus adde P. Dionyſ. Petau. cit. §. præced. Quia lumen hoc dicitur ipſa eſſentia diuina. Sed non poteſt intelligi de ipſa eſſentia in ſe, & in ſuo eſſe phyſico accepta, alias enim non daretur lumen creatum. Ergo ſaltem intentionaliter, & in ſua ſpecie, nam ſpecies nomen obiecti habet vt dicatur quod ratione illius obiectum ſit in potentia ipſa, conſequentia patet & minor. Maior autem probatur ex Aug. in Pſ.35. *In lumine tuo videbimus lumen.* Lumen hoc ait eſſe Chriſtum. Ita etiam lib. Solilo.cap. 36. ibi 29

An lumen gloriæ diſtinguatur ab ſpecie impreſſa?
Affirmat. Commun. Recup. Martinon.
Negat Vaſquez. Petauius. S. Auguſt. Orig.

Tues

Cyrill. Plotinus.

tu es quippe lumen in cuius lumine videbimus lumen. Orig. lib. 1. de Princ. cap. 1. cum Cyrill. lib. 1. in Ioan. *Quid enim aliud lumen dicendum eſt Dei, in quo quis videt lumen, niſi virtus Dei per quam quis illuminatur, vel veritatem rerum omnium peruidet, vel ipſum Deum cognoſcit, qui veritas appellatur?* Singularis eſt Plotini locus ad preſens Enn. 5. lib. 3. c. 17. *Hic verus eſt animi finis lumen illud attingere, & per ipſum ipſum intueri, non alterius inquam lumine contueri, ſed per ipſummet per quod, & videt. Per quod enim illuminata eſt, id ipſum eſt, quod videre oportet. Neque enim ſolem per alind lumen adſpicimus.* Confirmatur ex ipſamet voce *luminis*, vel lucis, quæ potius ex parte obiecti ſe habet, quam ex parte potentiæ.

30 Nihilominus ſententiæ à me poſitæ ſtandum eſt vt lumen ſolum obeat rationem habitùs complétis potentiam naturalem aliàs inſufficientem, ſicut ſimilis habitus datur in voluntate. Hoc explicui loco citato d. 24. §. 3. Ad rationem obiectam à Petauio reſpondeo ipſam eſſentiam diuinam concurrere quidem obiectiuè, at vlterius alind adiutorium neceſſariũ eſſe potentiæ, quod licet forte Analogice ſolum mereatur nomen *luminis*, vt cum corporeo lumine comparatur; at iam apud Theologos nomine luminis intelligitur & de re id unum conſtat ex ſupra dictis non eſſe confundendum cum ſpecie impreſsâ. Ex quibus etiam conſtat ad confirmationem. Vide Suar. lib. 2. de Attr. c. 15. n. 14.

31 *An lumen concurrat ſolum vt diſpoſitio ad viſionem, an etiam effectiue.*

Dub. 3. An lumen concurrat ſolum vt diſpoſitio ad viſionem, an etiam vt virtus immediate actiua; hoc eſt An in ſola natura exiſtat adæquata ratio agendi, & influendi phyſice in viſionem requiſito ſolum lumine vt pura diſpoſitione, & conditione, vti ſola voluntas eſt ratio adæquata agendi volitionem, quin in hanc influat cognitio, quæ præciſe requiritur per modum conditionis, ſeu diſpoſitionis ad volendum. Reſpondeo negatiuè iuxta diſp. 28. ſect. 2. n. 7. & 8. in quibus de hac re egi breuiter, ſed ſufficienter pro præſenti materia, cum locus proprius huic difficultati aſſignetur in tract. de gratia vel ſupernaturalitate. Vide Recupitum lib. 6. de Deo quæſt. 17.

32 *An concurrat paſſiue recipiendo viſionem.* *Affirmant* Carmelitæ. Cabrera. *Negant* Recup. Martin. Arriaga. Auerſa.

Dub. 4. An lumen gloriæ concurrat paſſiue recipiendo in ſe viſionem. Prima ſententia affirmat ita Salmanticenſes Diſcalceati hic Cabrera 3. p. q. 9. ar. 2. diſp. 8. concl. 2. & alij apud Salas t. 1. in 1. 2. diſp. 5. ſect. 3. & 4. Secunda ſententia negat ita Recup. lib. 6. de Deo q. 16. n. 9. Martin. d. 8. de Deo ſect. 2. fine P. Arr. diſp. 7. de viſione ſect. 4. Cum quibus ego cenſeo lumen nec totaliter, nec partialiter concurrere paſſiue recipiendo viſionem ita dixi diſp. 28. ſect. 2. à n. 9. ita Auerſa q. 12. ſect. 21. §. *dico primo.*

33 *An lumen diſponat intellectum vt eſſentia diuina ipſi vniatur per modum ſpeciei.* *Negant* Palat. Salas. Faſol. *Affirmant* Thomiſt. Caiet. Capreol. Ferrara. Auerſ. Zumel.

Dub. 5. An lumen diſponat intellectum vt eſſentia diuina vniatur illi per modum ſpeciei. Prima ſententia negat ita Palatius in 4. diſt. 49. diſp. 1. Salas tract. 2. diſp. 5. ſect. 3. Faſolus 1. p. q. 12. art. 5. dub. 3. Mouentur quia diſpoſitio non datur niſi ad vnionem phyſicam, vel receptionem formæ ad quam diſponit; ſed intellectus noſter nec recipit, nec vnitur phyſice cum natura diuina ergo non diſponitur per lumen ad hanc vnionem. Secunda ſententia affirmat ita Thomiſtæ communiter hic cum Caiet. Capreolo in 4. diſt. 49. q. 4. art. 1. Ferrara 3. contra Gentes c. 53. Mouentur autoritate S. Thomæ hic & loco citato contra Gentes, & clarius q. 8. de veritate art. 3. corpore vbi cum dixiſſet eſſentiam diuinam vniri intellectui quodammodo vt formam intelligibilem: addit *oportet etiam in intellectu eſſe aliquam diſpoſitionem, per quam efficiatur perfectibilis tali forma, quæ eſt diuina eſſentia: quod eſt aliquod intelligibile lumen gloriæ.* Vnde Thomiſtæ quamdam fingunt vnionem non quidem phyſicam vt verbi cum humanitate; nec item purè extrinſecam, ſed quaſi mediam, quâ intellectus noſter vniatur cum eſſentia diuina vt forma quam vnionem vocat Zumel. 1. p. q. 12. a. 2. d. 3. ad 5. *ineffabilem* (vt noto diſp. 24. ſect. 3. num. 17.) Ita Auerſa hic ſect. 18 §. *dico tamen* 2. late.

34 Ego tamen iuxta d. 24. ſect. 3. num. 18. cenſeo cum Suar. lib. 2. de attributis negatiuis c. 15. n. 1. Herize. d. 43. c. 2. Recup. lib. 6. de Deo q. 16. n. 6. §. *Probatur dictum* hanc vnionem nihil aliud eſſe, quam intellectui beatifico deberi quod eſſentia diuina concurrat per modum obiecti; in quo concurſu, quia eſſentia diuina ſe habet per modum ſpeciei vocatur etiã ſeu comparatur quaſi forma, ex quo cum omne id, quod diſponit ad coniunctionem cum forma vocetur diſpoſitio, ex conſequenti lumen quô conſtituitur intellectus Beati proportionatus, & exigens talem coniunctionem cum eſſentiâ diuinâ, ſeu concurſum illius obiectiuum, & per modum ſpeciei; congruè poterit vocari prædictũ lumen diſpoſitio.

Vera explicatio huius vnionis diuinæ eſſentiæ cum intellectu.

35 *An ſit tota ratio agẽdi.* *Negant* Molina. Suarez. Vaſquez. Valent. Fonſeca. Becanus. Arrubal. Tanner. Albert. Torres. Ruiz. Coninx. Faſol. Heriz. Ioſeph. S. Aug. Martinon. Arriaga. Ripald. Auerſa.

Dub. 6. An lumen gloriæ ſit tota ratio agendi? Hoc eſt An viſio adæquatè efficiatur a lumine An vero ſolum inadæquate, concurrente etiam immediate potentia naturali cum conſortio luminis; ita vt productio viſionis æquè immediate abſolutè fluat à potentia, ac ab ipſo lumine; vti æque immediate actio creata procedit à cauſa ſecunda, ac à prima. Prima ſententia ait lumen non eſſe totam rationem agendi ita omnes Societ. Autores. Molin. hic d. 2. §. *Quidquid autem ſit* & art. 6. d. 2. §. *Ex his duabus ſententiis.* Suar. 1. p. lib. 2. de viſione c. 9. lib. 6. de gratia cap. 5. Vaſq. 1. p. d. 43. c. 4. Val. hic punct. 3. Fonſeca 9. Met. cap. 2. qu. 4. ſect. 4. Salas tract. 2. d. 5. ſect. 3. Becan. 1. p. tract. 1. cap. 9. q. 4. Arrub. diſp. 19. cap. 5. Tann. q. 6. dub. 4. Albertinus 1. Princ. Philoſ. quæſt. 1. Theol. n. 19. Torres 2. 2. diſp. 38. dub. 2. Ruiz de Prouidentia d. 36. ſect. 2. & 3. Coninx. 2. 2. d. 5. dub. 5. Faſol. hic 1. p. q. 12. art. 5. dub. 7. Heric. d. 45. cap. 13. Gran. d. 6. ſect. 4. Ioſep. Aug hic art. 5. difficult. 2. n. 35. Martinon. d. 8. de Deo ſect. 2. Arriag. diſp. 7. de viſione ſect. 2. Ripal. t. 1. de Ente ſupernaturali diſp. 30. per totam vbi ſect. 20. plures Autores tam antiquos, quam recentes ex exteris ſcholis refert, maxime in §. 102. quibus addo Auerſam qu. 12. ſect. 20. §. *deinde.*

36 *Affirmant* Sotus. Aluarez. Cabrer. Nazar. Læl. Zec. Ioan. de S. Thom.

Secunda ſententia oppoſitum cenſet ita Primus Sotus 4. diſt. 49. q. 3. art. 2. prope finem, Aluar. diſp. 64. de auxiliis & diſp. 85. Cabrera t. 1. in 3. p. q. 1. art. 2. diſp. 4. §. 4. concluſ. 2. & diſp. 9. §. 5. concluſ. 3. Nazar. 1. p. q. 12. art. 5. controuerſia 2. §. *Tertio aduertendum* Lælius Zechus de cognitione Dei concluſ. 3. art. 3. Ioann. de S. Thom. in præſenti diſp. 14. art. 2.

37 *Defenditur Sent. Neg.*

Ego circa hanc difficultatem, quæ grauiſſima eſt, & maxime controuerſa inter Autores Dominicanos, & noſtros, quibus ex profeſſo aſſentitur ex benedictina familia Illuſtriſſimus Epiſcopus Vrgelitanus M. Antonius Perez in ſua Laurea Salmãtina cert. 6. ſchol. c. 10, Breuiter dixi meam mentem diſp. 28 ſect. 3. per totam dum iterum ex inſtituto agam de hac difficultate, quæ communis eſt omnibus effectibus ſupernaturalibus, ad quos eleuatur naturalis potentia in tract. de ſupernaturalitate, gratia. Vide Palumbum 1. p. q. 12. in doctr. ſchol. ad art. 6. §. *dicto ſexto.*

38 *An poſſibile ſit auxilium extrinſecum.*

Dub. 7. An ſine lumine intrinſeco poſſit intellectus eleuari ad eliciendam viſionem per auxilium pure extrinſecum? Hæc difficultas etiam celebris eſt poſt præcedentem inter ſcholam Dominicam, & noſtram. Prima, & omnium noſtrorum ſententia

affirmat

Affirmat. Molina. Valent. Suar. Vaſquez. Salas. Albert. Becan. Albert. Heriz. Turria. Tannero. Faſol. Granad. Ruiz Auerſa. Scot. Durand. Gabr. Palar. Zumel. Trigoſ. Arriag. Angl. Lorca. Ripald. Ioan. Vinc, Ægid.Luſi.Recup. Ioſeph. Aug. Martin. Arriag.S.Thom.

Affirmat ita Molina,Valent. Suar, Vaſq. Salas, Albert. Bec. Arrub. Heric.Turr.Tanner, Faſol.Gran. Rus item Scotiſtæ cum Scoto in 4.diſt.49. q. 11. cum Durando quæſt.2. num. 21. Nominales cum Gabriele in 1. diſt.1.q.2.Supplem.q.2. arr.3. Palatius 4.diſt.49.putatione 1. §. *Hæc ſunt argumenta* aſſerens nullum priſcorum Theologorum oppoſitum ſenſiſſe. Item ex Thomiſtis, Zumel,Trigoſius, Aragon Angles, lorca, Ripa Ioannes Vincentius, quos omnes referi, & ſequitur,totamque hanc difficultatem apprimè examinat P.Ripal.tom.1.de ente ſupern.diſp.34, num.13. Quibus Authoribus addo Ægidium Luſitanum tom.2.de Beatitudine lib. 9.quæſt.6. art. vnico §.1. Recupitum lib. 6. de Deo quæſt. 18. Ioſephum Aug hic difficult. 3. Martinon diſp.8. de Deo ſec. 2. Arriagam diſpur.7. de viſione ſec.1.ſubſ.2. Aneiſam q.12. de viſione ſect.16.§. *Secundus modus*. Imo S.Thom.4.diſtinct.49. quæſt.2. ar.7.ibi:*poteſt miraculosè fieri*,&c.Vt refero diſp.28. citata ſect.4.num.40.

Negant Bannez. Ledeſm. Nauarre. Aluarez. Albel, Sotus.

39 Secunda ſententia Thomiſtarum Recentiorum ex dominicana familia negat ita Bannez 1.p.q.12.ar.5. dub.3. §. *nobis igitur placet* Ledeſma de diuina perfectione q.8. pag.593. Nauarret.tom.1.controu.39. §.1.Aluarez de auxiliis diſp.67.Albel.1.p.diſput.27. ſect.3.Nazar.1.p.q.12.art.5. controu.2. Sotus, qui prius contrariæ opinioni affirmanti deinde huic ſententiæ neganti ſuffragium tulit.4.diſt.49.quæſt. 2.art.4. §. *Caiet.quidem*.

Standum pro affirmante.

40 Ego ſententiæ affirmanti omnino adhæſi diſp.28. ſect.4.& 5. per totam. De qua iterum latius, & ex profeſſo agam in tractatu de ſupernaturalitate & gratia.

An poſſibile ſit auxilium extrinſecum ad viſionem quæ per intrinſecum producta eſt.

41 Dub.octauò An intellectus eleuari poſſit ad eliciendam viſionem eandem per auxilium extrinſecum, quam elicuit per intrinſecum lumen. Negat P.Rip.diſp.34. de ente ſupernaturali num.46. Sed ego adhuc in hac hypotheſi omnino affirmo, exiſtimoque non implicare eandem viſionem factam per lumen, & auxilium intrinſecum fieri per extrinſecum,quantumuis talis viſio ſit modus in actione conſiſtens, quod generaliter cenſeo de omni actione ſupernaturali. Ita late explicui, & defendi diſp.28.ſect.5.per totam.

ARTICVLVS VI.

Vtrum videntium eſſentiam Dei vnus alio perfectius videat?

42 DE hac difficultate agit S.Thom.4.diſt.49. q.2. art.4.& 3. contra Gentes cap. 56. in præſenti autem art.6.affirmat quia cum videntium diuinam eſſentiam vnus alio maiori gloriæ lumine illuſtretur,perfectius etiam vnus alio ipſam videbit.

An viſio ſit præciſe inæqualis ex inæqualitate luminis. *Affirmant* Ioan. de S. Thom. Suarez. Vaſquez. Salas. Henriquez. Valentia. Faſol. Arrub. Becan.

43 Dubitar.primò. An viſio ſit inæqualis præcisè ex inæqualitate luminis. Reſpondeo ex inæqualitate potentiæ naturalis poteſt deſumi inæqualitas viſionis,non tamen deſumitur de facto de quo late egi diſp.29.per totam. Pro prima ſententia tuente non poſſe deſumi inæqualitatem viſionum ex inæqualitate naturæ ſub æquali lumine ſunt communiter omnes Thomiſtæ recentes, quine ſequatur hæc inæqualitas, quam putant abſurdam negant naturæ immediatum influxum in actus ſupernaturales. Vide Ioann.de S.Thoma hic diſp.15.art.6.fine pag.mihi 486.Imo pro eadem ſententia ſunt ex noſtra Soc. Suar. Vaſq.Salaz, Henriq. Val. Faſol. Arrub.Bec. Gran. apud Ripal. diſp. 37. de ente ſupernaturali numero 2. quibus adde Auerſam. quæſtione 12. de viſione ſectione 12. §. *Aſſerendum*. Granado. Auerſa.

Negant Scot. Caiet. Ægid. Luſit. Molina. Heriz. *Et pro. ſtat. via.* Leſſius. Connine. Petau. Martinon.

44 Secunda ſententia inæqualitatem viſionum ſumit etiam ex inæquali natura ita Scotus 3. diſt. 13. quæſt.3.& diſt.14.quæſt.14. & in 4.diſtinct.50.q.4. & ſequent.Caiet.3.p.q.10.arr.4. ad 2. Philippus Faber.3.diſt.34 cap.2.Ægid. Luſitanus quæſt.11.ar.3. Mol.1.p.q.12. art.6. diſp. 2. Herice hic diſput. 49. num.60. Sunt & alij qui pro inæqualitate potentiæ naturalis putant actus ſupernaturalis in via euadere inæquales, ſecus in Patria ita Leſſius de diuin. perf. lib.12.num.80. Coninch de ſupernaturalitate diſput.5. dub.6. concluſ. 3. Vide Petauium lib. 7. de Eccl.dogmat.cap.10.num.5.

Quid ego ſentiam, & quæ ſint fundamenta pro vtraque ſententia dixi diſp. 29. Cui adde pro mea 45
ſententia P.Ioann. Mart. diſp.8.de Deo ſect.8.n.61.

An diuerſitas viſionum ex diuerſitate naturarum prouenire poſſit? *Negant* Scotus. Durand. Thomiſtæ Mina. Salas. Connine. Suarez. Vaſquez, Faſol. Granad. Arrub. Valent.

46 Dub. ſecundò An ſi non inæqualitas, ſaltem diuerſitas ſpecifica viſionum poſſit venire ex diuerſitate naturæ? Prima ſententia negat ita Scotus 4. diſt.49.quæſt.5 art.2.§. *His non obſtantibus* Durandus quæſt.6. num.5. Thomiſtæ recentes communiter hic,& ex noſtris Molina hic diſput.5.Suar.lib.2. de viſione cap.19.num.4. Vaſq.diſp.47.cap.5.Faſol. num.9. Granad.diſp.8 Arrubal.diſp.22. Salas 1. 2. tract.2.diſp.3.ſect.9. Valent.1.2. diſputat.1.quæſt.1. punct.3,Coninch de ſupernaturalitate diſp.5.

Affirmant Heric. Ægid. Luſit.Maior. Palud. Angl. Ripald.

47 Secunda ſententia affirmat ita Herice 1.par.diſp. 49.ca.4. Ægid.Luſitanus lib. 11. de Beatitudine q.5. art.3.§.15.num.16.Maior 4.diſtinct.49.quæſt.11.in 20.argumento Paludanus quæſt.1.art.1. Angles in florib. ad lib.2. diſt.1.diffic. 17.dub.4. referens Scotum in 2. diſt.1.quæſt.5. ad 1. quibus adde Ripal. diſp.36.de ente ſupernat.ſect. 3. Si viſio ſupernaturalis ſit indiſtincta ab actione qua producitur.

Affirmatur diuerſitas Phyſica etiam in actibus negatur Theolog.

48 Ego phyſice loquendo exiſtimo actiones diuerſas eſſe ſpecifice ſecus loquendo Theologice loquendo Theologice probatur ex dictis diſputat.29. ſect.3.num.19. loquendo autem phyſice,etiam probatur ex dictis ibi num. 20. ſiquidem actio productiua viſionis ab intellectu humano habet eſſentialem dependentiam ab humano intellectu, quam non habet productio viſionis ab intellectu angelico. Iam vero ſi loquamur de ipſo actu viſionis probabilius mihi eſt viſionem eſſe diuerſam in ſpecie phyſica quãtumuis ab actione diſtinguatur, imo quantumuis non producatur immediate à potentia naturali, ſed ſolum pendeat à lumine tanquam ab adæquata ratione agendi. Probatur nam adhuc viſio dum fit in Angelo talis eſt vt per illam cognoſcat Angelus ſe cognoſcere vt late oſtendi de omni cognitione tract.5.diſp.56.ſect 3.§.14.& ſequent.Tunc ſic ſed viſio, quæ repræſentat Angelum per illam eſſe cognoſcentem, ſeu videntem non poteſt alteri videnti deſeruire,vt tanquam valde probabile oſtendi diſp.56. citata num.46. Ergo viſio angelica eſſentialiter differt ab humana. Hæc quidem probabiliter dicta ſint nam vt explicui ea diſp.56.num.46 recte poteſt eadem cognitio pluribus cognoſcentibus deſeruire, licet per eam quilibet cognoſcat ſe cognoſcere:

Actio non ſolum à termino, ſed etiam ab agente ſpecificatur.

49 Dices quod eſt fundamentum vnicum Thomiſtarum omnis diuerſitas ſpecifica affert inæqualitatem ſed per me ex §. ex diuerſitate naturæ non venit inæqualitas in actionem ſupernaturalem Ergo nec diuerſitas. Reſpondeo : Maior eſt falſa poſſunt enim aliqua eſſe diuerſa in ſpecie licèt æqualia vti perſonæ diuinæ etiam quoad relationes ſunt æquales licet diuerſæ,& omnibus notiſſimum eſt albedinem eſſe diuerſam à nigredine nec tamen quis facile dixerit

dixerit vtêr color ſit peſectior alterô. Dices ſecundo Actiones ſpecificantur à termino. Sed vt probabile admiſi §. præcedenti terminus viſionis poteſt eſſe idem quin diuerſificetur ex diuerſitate Naturæ. Ergo & actiones. Reſpondeo licet Theologicè, vel magis principaliter actiones ſolum ſpecificentur à termino, ſic actio dum ſit in calorem eadem ratione cenſetur in ſpecie calefactionis ſiue fiat à ſole, ſiue ab igne, è contra autem licet ſit ab eodem ſole, ſi tamen ſit in frigus, iam ea actio eſt alterius rationes ſcilicet *frigefactio*, & ſi in lucem *illuminatio*: Cæterum phyſice loquendo neganda non eſt diuerſitas ſpecifica etiam in eundem terminum, ſi tamen agentia ſint diuerſa; ſiquidem iam talibus actionibus conuenit eſſentialiter diuerſa dependentia à diuerſo agente; ſic diuerſa eſt cognitio quantumuis tendat in idem obiectum ſi per ſe pendeat à viribus ſupernaturalibus. Ergo ſimiliter dicendum eſt de actione, licet ſit in eundem terminum, ſi tamen pendeat à ſupernaturali virtute; iam enim actio erit eſſentialiter ſupernaturalis, ſicut cognitio illa ſupernaturalis dicitur. Ergo pariter actio eſſentialiter pendens ab intellectu humano, vtpote eſſentialiter humana differet ab actione eſſentialiter Angelica.

50 Dubitat. tertio An inæqualitas viſionis quæ datur de facto ex inæquali lumine ſit ſpecifica, vel tantum numerica, ſeu intenſiua ſecundum magis, & minus? Reſpondeo phyſice loquendo eſſe ſpecificam, licet non Theologicè de quo egi diſputatione vigeſima nona, ſectione tertia à §. decimo octauo: dices: inæqualitas viſionis venit de facto ab inæqualitate luminis ex §. quadrageſimo tertio. Sed luminis diuerſitas eſt ſolum intenſiua, non autem ſpecifica, nec phyſice. Ergo in viſionem nulla alia diuerſitas, & inæqualitas venire poteſt, niſi intenſiua. Reſpondeo primò, probabile eſſe intenſionem luminis afferre diuerſitatem ſpecificam, ſi ſcilicet conſtituatur ex gradibus heterogeneis: deinde plures gradus vniti poſſunt effectum etiam diuerſum in ſpecie, quando cauſa eſt æquiuoca, vt lumen comparatur ad viſionem; fateor à pluribus gradibus caloris non poſſe fieri effectum alterius naturæ perfectionis calore, quia ſcilicet eſt cauſa vniuoca. At cum vnus gradus luminis ſit cauſa æquiuoca ex coniunctione cum alio gradu luminis extendi poterit ad effectum viſionis eſſentialiter diuerſæ à viſione, quam ſolus producit.

An inæqualitas viſionis exiſtentis, ſit ſpecifica, vel numerica & intenſiua.

Cauſa æquiuoca magis intenſa poteſt ad diuerſos ſpecie effectus, ſecus vniuoca.

ARTICVLVS VII.

Vtrum videntes Deum per eſſentiam ipſum comprehendant.

51 De hac difficultate agit S. Thomas in quarto diſtinctione quadrageſima nona, quæſtione 1. art. 3. contra Gentes, cap. 53. quæſtione 8. de Veritate art. 2. In præſenti autem art. ait cum lumen gloriæ quô beati perfuſi diuinam intuentur eſſentiam, infinitum non ſit impoſſibile eſt, quemquam creatum intellectum illam comprehendere, & ipſam cognoſcere quantum cognoſcibilis eſt.

Dubit. 1. Quanam ratione & quam certo probetur Deum eſſe incomprehenſibilem? De dubitatione hac eruditiſſime agit P. Dionyſius Petauius tom. 1. de Theol. dogm. lib. 7. cap. 3. & 4. Quid ego ſentiam, & qua ratione explicanda ſit Dei incomprehenſibilitas dixi diſputatione 30. ſect. 1. & 2. vide latiſſimè de hac re P. Didacum Ruiz diſputat. 6. de ſcientia per totam maxime ſect. 2. Martinon diſputat. 8. de Deo. ſect. 5. & ſequent. qui cum communi ſententia tuetur de fide eſſe quod Deus ſit incomprehenſibilis omni creaturæ etiam creabili quibuſcunque gratiæ auxiliis adiutæ, idque eſſe definitum à Concilio Lateranenſi capite Firmiter de ſumma Trinitate, quia Concilium loquens de comprehenſione iuxta mentem Magiſtri, & Scholaſticorum ait *credimus, & confitemur cum Petro* (ſcilicet Lombardo ſententiarum magiſtro) *quod vna quadam res eſt incomprehenſibilis quidem, & ineffabilis Pater Filius, & Spiritus Sanctus*, &c. Vbi æqualiter aſſerit Deum eſſe *incomprehenſibilem*, ac *immutabilem*; hoc autem ſecundum omnino competit Deo: ergo: & primum confirmatur nam Concilium loquitur ad mentem Patrum, Patres autem nec de potentia abſoluta permittunt comprehenſionem, etiam per auxilia gratiæ. Auguſtin. in quæſt. de Trinitate quæ habetur tom. 3. *videri*, inquit, *poteſt Deus per dona gratiæ ſiue ab Angelis ſiue ab animabus Sanctorum; plenam vero diuinitatis naturam nec Angelus quidem, nec Sanctus aliquis perfecte videre poterit: ideo incomprehenſibilis dicitur Deus.* Item Sermone 38. de Verbis Domini: *ſi comprehendis non eſt Deus*, &c. *Attingere aliquantum mente Deum magna Beatitudo eſt comprehendere autem omnino impoſſibile.* Vbi excludit etiam poſſibilitatem comprehenſionis per auxilium gratiæ, ſiquidem poſſibilitatem, quam permittit beatitudini; negat comprehenſioni, certum autem eſt beatudinem ſolum poſſibilem eſſe per gratiam. Vnde Tertullian. in Apolog. cap. 17. *Deus incomprehenſibilis eſt, etſi per gratiam repræſentetur.* Ob quæ in aliquo ſenſu ſcholaſtico Deum eſſe incomprehenſibilem pertinere ad dogma fidei aſſerunt Soto in 4. diſput. 49. quæſtion. 3. art. 1. Molin. 1. part. quæſt. 12. art. 7. Suar. tom. 1. in 3. part. diſp. 29. ſect. 2. Recupitus lib. 6. de Deo quæſt. 40. num. 2. Granad. hic diſputat. 12. ſect. 2. num. 13. Ioſephus Aug. hic art. 7. difficult. 2. num. 4. vbi notat licet in aliquo ſenſu rigoroſo ſit de fide Deum eſſe incomprehenſibilem ab intellectu creato etiam de potentia abſoluta; non tamen eſſe de fide qualis ſit iſte rigoroſus ſenſus.

52 *Quanam ratione, & quâ certo probetur diuina incomprehenſibilitas.*
Petau.
Ruiz.
Martin.
Conc. Later.
S. Auguſt.
Tertull.

Deum eſſe incomprehenſib. in ſens. Schol. Affirmant de fide.
Soto.
Molina.
Soarez
Recup.
Granad.
Ioſeph. Aug.

Vnde non mirum quod P. Vaſquez hic diſputatione 52. capite 2. Mæratius diſputatione 20. ſectione 2. dixerint temerarium quidem eſſe negare Deum eſſe incomprehenſibilem in ſenſu proprio, non tamen eſſe de fide cum enim, detur locus tam variæ acceptioni comprehenſionis, & nulla determinate definita ſit, quæ apud Scholaſticos viget; licet ob horum communem authoritatem temerarium ſit permittere quod Deus ſit proprie comprehenſibilis; eſt modum hunc vel illum propriæ comprehenſionis ſcholaſticæ non ita eſt per 53

Negant Vaſquez. Mæratius.

 fidem

fidem determinatum clare vt conſtituat incomprehenſibilitatem Dei in ſenſu ſcholaſtico; vt fide definitum, licet ſine temeritate non negetur.

54 *An ex cognitione omniũ poſſibilium in Deo ſequatur huius comprehenſio. Quoad modos. Affirmand. cum. Matt. Petau. S. Thoma*

Dubit. ſecundo An ex cognitione omnium poſſibilium in Deo ſequatur comprehenſio. Negant Scotiſtæ. Affirmant noſtri communiter & omnes Thomiſtæ. Quos refero diſputatione 30. ſectione 3. quibus adde Ioannem Marrinon diſputatione 8. de Deo ſectione 5. Dionyſium Petauium tom. 1. de Theolog. dogmat. libro 7. cap. 3. & 4. maxime à num. 9. Ego diſputatione 30. ſectione 3. dico omnia poſſibilia poſſe cognoſci, ſeu videri in Deo quin comprehendatur; non tamen omnes modos, ſeu omnia quæ ſunt intelligibilia de ipſo. *Aliud enim eſt ſcire omnes res* (verba ſunt S. Thomæ quæſtione 8. de Veritat. articulo 4. ad 1.) *aliud autem ſcire omnia intelligibilia de rebus. Satis enim probabile videtur, quod omnes videntes Deum per eſſentiam omnes creaturas cognoſcant ſecundum ſpecies ſuas ad minus.* Sed de his plura loco citato.

55 *An aliquod ſaltem diuinum attributum poſſit comprehendi à creatura?*

Dubit. tertio. An licet non totus Deus, ſaltem aliquod attributum Dei poſſit comprehendi à creatura. Affirmare videtur Caietan. 1. part. quæſtione 12. articulo octauo, ſine vt Chriſtus Dominus comprehendat ſcientiam viſionis, quia videt omnia, quæ in illa continentur. At omnino negandum eſt vt oſtendo diſputatione trigeſima, §. ſeptimo.

56 *An proprium ſit Deitatis eſſe incomprehenſibilem?*

Dubitat. quarto An proprium ſit deitatis eſſe incomprehenſibilem. Negat Suarez tom. 1. in 3. partem diſputat. 27. ſectione 3. fine Albert. tom. 1. Princip. Philoſoph. Primo quæſtione 4. Theolog. numero 30. maxime propter vnionem Hypoſtaticam, quam putant non ſatis comprehendi, niſi comprehendatur eius terminus, cum à toto illo ſpecificetur, ſed terminus ideſt verbum comprehendi non poteſt. Ergo neque vnio. Sed contra quia ſic nulla res, nec actio naturalis poſſet comprehendi, cum ſpecificetur, & ordinem tranſcendentalem dicat ad Deum: igitur ad comprehenſionem rei ſolum requiritur quod attingatur terminus qualiter explicatur, ſeu indicatur in ipſa perfectione termini vt expoſui diſputatione 30. §. 11. Sic autem, bene comprehendi poteſt vnio hypoſtatica vt ibidem dico §. 9. Secundo vrgentius argui, poteſt ex actu fidei, qui de ſe affirmaret *ego non comprehendar.* Iſte enim incapax eſt comprehendi, ſicut, & falſificari. Sed imprimis hoc argumentum probat etiam dari entitatem creatam eſſentialiter inuiſibilem; vt ſi ponas per eum actum dici: *Ego non videbor.* Deinde hoc, & ſimilia argumenta, quæ ex huiuſmodi reflexionibus fidei ſumuntur ſatis late diſcuſſi, & reiecti diſputatione 33.

Negant Suarez Albertin.

Affirmandum eſt.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum videntes Deum per eſſentiam omnia in Deo videant?

57 DE hac difficultate agit S. Thomas 4. diſtinctione 49. quæſtione 2. articulo 5. & quæſtione 2. de veritat. articulo 4. & 3. contra Gentes capite 54. & 57. In præſenti autem articulo 8. Reſpondet negatiue, tum quia Angeli purgantur à Superioribus; Item non vident, quæ Deus poteſt facere, non contingentia, nec cogitationes cordis, ſecus comprehenderent Deum. Item quo quis eſt beatior eo plura videt in Deo.

58 *An de facto videatur vnum attributum vel perſona diuina ſine alia?*

Dubit. primo An de facto videatur vnum attributum vel vna Perſona ſine alia. Reſpondeo negatiue vt patet ex diſputatione 31. ſectione 1. cui addo etiam de facto non videri omnia decreta libera, non inquam videri explicite vt explico ibi ſect. 7.

59 *An ſaltem poſſit hoc de potentia abſoluta euenire in attributis?*

Dubitat. ſecundo An loquendo de poſſibili, & de potentia abſoluta poſſit dari viſio præciſiua ex parte obiecti, vel ſaltem ex parte modi tendendi repræſentans vnum attributum ſine alio. Reſpondeo negatiue vt conſtat ex diſputatione decima tertia ſectione 2. & 3. vide Petauium. ſupr.

60 *An etiam in Perſonis?*

Dubit. tertio An ſaltem vna perſona videri poſſit ſine alia? Reſpondeo negatiue vt dixi late diſputatione trigeſima prima ſectione 4. & duabus ſequentibus contra Martinon diſputatione 8. num. 74.

61 *An decretum vnum liberum poſſit ſine alio videri?*

Dubitat. quarto An decretum vnum liberum poſſit videri ſine alio. De hoc vide diſputationem 81. ſectione 7. item P. Ioann. Martinon diſputatione 8. ſectione 9. num. 82. vbi clare oſtendit ſimpliciter à Beatis ignorari plura decreta Dei, ſic Matt. vigeſimo quarto & Marc. decimo tertio Angelis ignotus eſt iudicij dies ergo, & decretum Dei de illo.

62 *An in Deo viſo vt in medio videri poſſint creaturæ?*

Dubit. quinto An in Deo viſo vt in medio videri poſſint creaturæ? De hoc ago hic tractatu de viſione diſputatione 32. ſect. 1. & in tract. de ſcientia Dei diſputat. 41. & duabus ſequentibus in quibus late explico quod prædicatum ſufficiens ſit, An ſcientia, verbum, voluntas. An ſola omnipotentia, & quid ſi iſta non connectatur cum poſſibilibus de qua connexione ibi latè per totam diſputationem 41. Cui ſententiæ fauet diſtinctio illa Auguſtini de cognitione matutina, & veſpertina, Angelorum, vt per hunc videant Angeli creaturas in ſeipſis, per matutinam vero videant eas in verbo ita lib. 4. de Gen. ad litr. cap. 22. & ſequent. quia ſcilicet vt ait lib. 11. de ciuitat. cap. 7. & 29. *Cognitio creaturæ in ſeipſa* (ait cap. 7.) *decoloratior eſt, quam cum in Dei ſapientia cognoſcitur, velut in arte per quam facta eſt.*

63 *An & quæ Creaturæ neceſſario videantur in Deo: Affirmare de omnibus videntur. Baſil. Greg. P. Alb. Flac. Auguſt.*

Dubit. ſexto An, & quæ creaturæ neceſſario videantur in Deo. Videri omnes affirmare videntur Baſilius libro 1. de vera virginit. pag. 741. *Et quid ſingula commemoro Angelorum innumerabiles multitudines, cumque iis ſanctos Patrum ſpiritus. Nullus enim eorum eſt, qui non vbique proſpiciat: cum ipſe quidem corporis oculis non conſpectus incorporeo tamen viſu ad notitiam vniuerſa complectatur.* Greg. Papa hom. 40. *Qui creatoris ſui claritatem vident, nihil in Creatura agitur, quod videre non poſſint.* Albinus Flaccus lib. de diuin. offic. cap. de celebrar. Miſſæ in Bibliot. P. P. *Nec dubitandum eſt fidelium petitiones à iuſtorum Spiritibus ſciri: quia qui intus Dei claritatem vident, non eſt credendum, quia ſit aliquid foris, quod ignorent.* Author ſpeculi apud Auguſtin. cap. 72. tom. 9. oper. Auguſtin. *Quid nos tunc latere poterit, quando tu Deus noſter vita viuentium, cauſa cauſarum, Forma formarum informata te nobis clara viſione inſinuabis?*

bis? Sed his ſit ſatis dum loquamur de facto, & ſecundum potentiam ordinariam; imo ſic non de creaturis poſſibilibus ſed exiſtentibus ſpectantibuſque ad ſtatum cuiuſque iuxta decr. 13. in Concil. Sennonens. *Beatis peruium eſt diuinitatis ſpeculum in quo quidquid illorum interſit illuceſcat.*

Negant de poſſib. S. Thom. Scotus. Rich. Palud. OKam. Anton. Faſol. Sotus. Bann. Molin. Zumel. Suarez. Nazar. Nauarr. Salas. Arrub. Durand. Martin. Auerſa.

64 Cæterum loquendo de poſſibili poſſe videri eſſentiam nulla viſa creatura, affirmant ex antiquis S. Thom. Scotus, Richar. Palud. Okam, Argent. Capreol. Bernard. de Gannaco. Sonzin. Maior. Palacios, Gabr. Antonin. Marſilius apud Faſol. in hoc articulo 8. dubit. 19. num. 101. Sotus 4. diſputatione 49. quæſtione 3. concluſione 3. Bannes hic articulo 7. dubio 1. ad 6. Valent. hic, part. 6. quæſtione 3. aſſert. 2. Molina, diſputat. 5. membr. 1. §. *dubium.* Zumel art. 7. diſp. 2. & articulo 8. concluſ. 5. Suarez 1. part. lib. 2. cap. 26. num. 9. Nazar. hic contr. 2. Nauarrete contr. 43. concluſ. 12. Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 2. diſputatione 4. numero 22. Arrubal hic diſputatione 26. cap. 6. Durand. 4. diſputatione 49. quæſtione 3. Martinon hic diſputatione 8. num. 85. Auerſa hic quæſtione 12. ſectione 26. Nihilominus addunt iſti Authores cum, & apud Faſolum ſupra §. 83. viſo Deo neceſſario videndas creaturas in communi ſub conceptu entis creabilis, & poſſibilis. Sed ego hoc etiam nego cum Herize diſputatione 51. de viſione cap. 4. vt dico diſputatione 32. ſectione 2. num. 7. cui addo bonam inſtantiam. Nam poteſt clare videri intuitiue color ſicut eſt in ſe, quin tamen cognoſcatur vt dependens, appareatque cauſa à qua fit; non minus autem connectitur effectus cum cauſa, quam iſta cum effectu. Ergo vt poteſt iſte videri, & non vt *producibilis*, ita & cauſa quin videatur abſolute vt *productiua.*

An poſſint videri omnes poſſibiles. Affirmant Magiſt. B. Fulgent. Albert. Gabriel. Abulenſ. Vaſquez. Valentia

65 Dubit. ſeptimò An Beati poſſint in Deo videre omnes creaturas poſſibiles? Prima ſententia affirmat ita Mag. 3. diſt. 14. paulo poſt. princ. eam viſionem tribuens animæ Chriſti B. fulgentius in reſponſione ad 3. quæſtione Ferrandi col. 2. & 3. aſſerens *animæ Chriſti plenam totius diuinitatis in eſſe notitiam*, Gabriel. 3. diſtinctione 14. quæſtione vn. articulo 2. concluſ. 1. Albert. 3. diſtinctione 14. articulo 1. & 2. Abulenſ. in 17. Matt. quæſt. 114. ad. 3. Eandem ſententiam probabilem putat Vaſquez diſputatione 49. cap. 2. §. *porro* Valent. hic part. 6. quæſtiunc. 2. Secunda tamen ſententia communis negat adeo vt aliqui apud Suarez hic lib. 2. capite 26. numero 12. oppoſitam affirmantem damnent vt parum tutam in fide; quia exiſtimant talem viſionem fore comprehenſiuam Dei. Quid ego ſentiam conſtat ex diſp. 32. §. 10.

Vnde oriatur quod hæ potius quam aliæ creaturæ videantur.

66 Dubitat. 8. Vnde oriatur quod hæ potius creaturæ, quam aliæ videantur in Deo? *effectiuè* provenire ex diuerſitate luminis exigentis quod eſſentia concurrat per modum obiecti, & ſpeciei ad has, vel ad illas creaturas dixi diſputatione 32. num. 7. & patet à paritate intellectus, qui quo perfectior eſt eo eſt aptior vt ipſi debeatur vniuerſalior ſpecies; & tandem determinatur vt hanc creaturam, vel obiectum potius quam aliud repræſentet pro diuerſa ſpecie, quæ ipſi adiungitur.

Quæſtio eſt an veniat ex maiori intenſione viſionis videre plures. Affirmant S. Thoma. Capreol. Sotus. Faſol. Fonſeca. Bannez. Beccan. Nauarret. Valent. Zumel. Molina. Vaſquez. Suarez. Palat.

67 Reſtat quæſtio de determinatione formali an ſola maior, vel minor intenſio viſionis ſufficiat vt vna, vel plures creaturæ videantur? Ad ſolam maiorem intenſionem viſionis id reducit communis ſententia. Ita S. Thomas, Capreol. Sotus cum Faſolo hic articul. 8. dub. 21. Fonſeca 2. Met. capite 2. quæſtione 2. ſectione 4. ad 1. Bannez hic concl. 5. Becanus cap. 9. quæſtione 13. num. 18. Nauarrete articul. 10. §. 3. concl. 4. Valentia part. 6. quæſtione 2. aſſert. 2. Zumel concl. 4. Molina diſputatione 5. §. *Sotus vero* Vaſquez diſputatione 50. numero 27. vocans contrarium commentitium. Suarez tom. 1. in 3. partem diſputatione 26. §. *Ex his ergo* & hic capit. 26. à numero 20. Palatios 4. diſtinctione 49. diſputatione 2. col. fine. *Neque poſſum* (ait reducendo, & explicando maiorem intenſionem viſionis per extenſionem ad creaturas) *aſſequi quid ſit limpidius videre, niſi plura videre.* Mouentur hinc. 1. Quia quo cauſa magis, & perfectius cognoſcitur plures cognoſcuntur effectus in ipſa, ſed magis, & perfectius cognoſci pertinet ad perfectionem intenſionis ergo. 2. Ex ſola intenſione luminis corporei prouenit quod oculus corporeus plus aperiat in obiecto. Ergo ſolo titulo intenſionis viſio plus de Deo pluresque in ipſo creaturas reſpicit. 3. Viſio vbi eſt infinitæ perfectionis vt diuina reſpicit infinitas creaturas. Ergo quo perfectior finita eſt reſpicit plures.

Negant ad maiorem intenſionem opus eſſe videre plures, Granad. Martinon. Auerſa. Arriaga.

68 Secunda ſententia oppoſita aſſerit poſſe viſionem creſcere in intenſione, licet non in extenſione, & è contra vnde extendi ad plures creaturas non venit ex intenſione. Ita Granados hic Martinon diſputatione 8. numero 66. Auerſa quæſtione 12. ſectione 26. §. *dico ſecundo.* Arriaga diſputatione 12. numero 11. Mouentur 1. quia homo Priuatus iuſtior habebit intenſiorem viſionem, quam Papa minus iuſtus; & tamen iſte plures videbit creaturas cum videat omnes, quæ illius interſunt ex §. 63. Item 2. idem effectus phyſicus poteſt terminare fortiorem actionem, ſeu conatum. Ergo vti datur intenſio agendi, quin agat plures effectus; ita & videndi, quin videat plures. 3. Eſt ratio à priori, quia gradus intenſionis ſunt ſimiles, & eiuſdem rationis. Ergo ſi primus videt Petrum verbi gratia in Deo. Secundus eundem Petrum; non autem Paulum reſpiciet. Vnde 4. Non dicitur quis videre clarius Petrum, eo quod videat ſimul Paulum. Ergo maior claritas, ſeu intenſio nil ſeruit, vt viſio plures creaturas videat. 5. Nam eandem prorſus veritatem Deus, & perfectius cognoſcit, quam ego. Ergo circa idem ſine vlla extenſione ſtat intenſio, & maior claritas viſionis. 6. Quia in aliis qualitatibus videmus aliud eſſe intendi; aliud autem extendi verbi gratia in calore ſtat primum, ſine ſecundo. Ergo & viſio ſine extenſione ad plures creaturas poterit eſſe intenſior, & clarior de Deo. 7. Nam cognitio intuitiua eſt clarior quam abſtractiua; euidens quam probabilis, &c. Et tamen ex parte obiecti non plus extenſiue cognoſcit vna cognitio quam alia. Ergo ſine vlla extenſione ex parte obiecti poteſt intelligi intenſio viſionis, ſeu maior, & minor claritas cognitionis.

Implicat maior claritas ſi viſio non videt nouam formalitatẽ in obiecto.

69 Cenſeo viſionem non poſſe eſſe clariorem, ſeu perfectiorem in cognoſcendo reſpectu obiecti, niſi in ipſo nouam formalitatem vel prædicatum intrinſecum, vel extrinſecum apperiat. In hac concluſione conuenio cum prima ſententia. Ratio eſt primo quia viſio dicitur clarior eo quod

plura aperiat in obiecto, eo ſcilicet quod penitius penetrat quidditatem obiecti; ſic nemo negare poterit ſaltem cæteris paribus, quod melius cognoſcat hominem, qui attingit rationalitatem, & animalitatem, quam qui ſolum animalitatem. Ergo melius attinget Deum qui videt in ipſo plures creaturas? tunc ſic ſed pro exceſſu maioris, vel minoris claritatis non eſt opus ſpecialiori perfectione, quam hac extenſiuâ. Ergo per illam ſemper explicanda eſt maior intenſio, & claritas cognitionis: Secundo arguo nam cognitio eo eſt clarior circa obiectum, quo in illa magis propriè, magis diſtinctè exprimuntur, & quaſi delineantur prædicata obiecti, vt patet in imagine meteriali picturæ. At vbi prædicata obiecti exprimuntur vt ſunt in ſe ipſis, non aliter poterit dari in proprietate augmentum, niſi quatenus plura prædicata in tali imagine exprimuntur. Ergo imago cognitionis repræſentantis obiectum ſicut eſt in ſe, ſeu intuitiuè videntis ſolum poteſt creſcere quoad plura, vel pauciora prædicata. Ergo hinc ſolum datur maior claritas.

70 *Non eſt opus videre plures effectus.*

Hinc infero. 1. Viſionem cauſæ poſſe dici clariorem pure circa idem, quin aliquo modo extenſiue creſcat circa diuerſos effectus. Probatur nam licet effectus plures non aperiantur in cauſa; at poteſt in iſta nouum prædicatum, nouaue perfectio aperiri verbi gratia quod cauſa ſit perfectior tali re vt Angelus homine, quem non producit, vel imperfectior Archangelo; ſimilior, vel diſſimilior aliis ſubſtantiis poſſibilibus, ex quibus combinationibus; & comparationibus diſtinctius, & clarius cognoſcitur entitas Angeli; & tamen nullus eius effectus aperitur. Ergo maior claritas viſionis non petit quod plures creaturæ videantur in Deo. Infero. 2. & contra dum plures creaturæ videntur in Deo viſio clarior eſt, patet quia tunc neceſſario plura prædicata aperiuntur in Deo verbi gratia quod ipſe ſit Potens, ſeu *productiuus Petri* dum in Deo Petrus cognoſcitur: Angeli; dum Angelus in Deo videtur. Infero. 3. Maiorem claritatem viſionis non eſſe ipſi accidentalem, ſeu per additionem gradus ad gradum vt contingit in aliis qualitatibus mortuis verbi gratia caloris, frigiditatis, *&c.* Sed eſſe ipſi eſſentialem, conuenientemque per identitatem ratione talis intrinſeci reſpectus, & perfectionis indiuiſibilis, qua conſtituitur repræſentatio huius obiecti. Id generatim mihi verum eſt de omni intenſione cognitionis vt oſtendo in Philoſophia cum Salas tract. 2. d. 1. numero 20. & diſputatione 2. num. 80. vti enim cognitio diuina concipitur ſummæ claritatis ex ſola perfectione eſſentiali; ita ſimiliter dicendum de omni cognitione; neque enim quia quis habeat plures cognitiones de eodem obiecto, ideo clarius illud cognoſcet: ſimiliter etiam in actibus voluntatis eſſe magis, vel minus efficacem non eſt ipſis accidentale, ſed extrinſeco modo tendendi. Similiter ergo in præſenti cognitio indiuiſibilis intuitiua Dei dicitur clarior, quatenus ipſa indiuiſibiliter plura aperit de obiecto: Si autem tibi placeat dicere ex pluribus viſionibus plura, & diuerſa prædicata, & creaturas videntibus in Deo coaleſcere vnam clariorem, quæſtio erit de nomine; certe ibi non eſt propriè gradualis intenſio, cum quælibet viſio completa ſit, cum aliâque non vniatur.

Pura intenſio gradualis non auget claritatem, nec datur in actu vitali.

Ex quibus ad ſententias ſupra poſitas Reſpondeo ad primam in §. 67. eam veram eſſe ſi tamen duo addat. 1. Hanc intenſionem claritatis non eſſe gradualem neceſſariò, ſed ſæpe indiuiſibilem, & eſſentialem perfectioni talis viſionis. 2. Si forte diuiſibilis ſit coaleſcens ex pluribus actibus viſionis, hos diſſimiles, & heterogeneos eſſe, quæ duo conſtant ex §. præced. illatione. 3. Iam verò in hoc ſenſu fundamenta pro hac ſententia mihi fauent. 71

72 *Homo priuatus iuſtior quo pacto habeat perfectiorem viſionem licet non videat plures creaturas.*

Ad ſecundam ſententiam in §. 68. quæ maximè dictis à me in §. 69. opponitur Reſpondeo ad. 1. Priuatus iuſtior habet perfectiorem viſionem; tum quia plura prædicata aperit in diuinâ eſſentiâ licet non relata ad creaturas; poteſt enim viſio eſſe perfectior, quamuis in cauſa non aperiat plures effectus vt dixi §. 70. illat. 1. licet cæteris paribus, quo plures videntur creaturæ clarior ſit viſio. Tum etiam quia Priuatus plures reſpiciet creaturas poſſibiles, licet non exiſtentes, eo quod creaturas pauciores, quas videt, non ſolum videat quoad an eſt, ſed comprehenſiue, penetratis, & comprehenſis omnibus rationibus, quæ ad eas pertinent, ad quod opus eſt plurima alia eſt penetrare. Ita Ioan. de S. Thoma hic diſputatione 15. articulo 6. §. Qui vero Gonſalez hic diſputatione 31. ſectione 1. numero 20. Nauarrete controuerſ. 43. Ad 2. Argumentum Reſpondeo vt in eſſe phyſico eſt vnde creſcat conatus actionis, quin plures effectus phyſice attingat, ita dico de viſione per id, quod plures formalitates de eodem obiecto explicet; ſi vero vrgeas actionem phyſicam non ſolum eſſe de eodem effectu, ſed etiam de iiſdem formalitatibus: dico vti perfectionem in linea phyſica addis, ita ego pono diuerſam claritatem in cognitione eo quod ſit fidei, vel viſionis etiam circa eaſdem formalitates; aſt vbi claritas cognitionis eſt in genere intuitiuo & de obiecto ſicuti eſt iam non habet vnde creſcat niſi ex eo quod plus in obiecto attingatur. Ad. 3. Nego gradus intenſionis eſſe ſimiles in actibus vitalibus ex §. 71. Ad. 4. Vt videre plura faciat intenſio debet aliqua ratione verſari viſio circa idem indiuiſibile. At 5. Deus ideo videt clarius eandem veritatem, quam ego, quia cum pluribus comparat taxatque verbi gratia ſummam diſtantiam, quam habet entitas creata verbi gratia collata ſecum quare ſemper aperit plura prædicata ſaltem extrinſeca in re cognita. Ad. 6. Etiam in viſione aliud eſt extendi, aliud intendi; quando ſcilicet verſatur circa plura obiecta formalia diſparata; vel quando circa idem, ſic videre Petrum, & Paulum ſolum facit viſionem extenſiorem at de ipſo Petro videre quod rationale ſit, & quod admiratiuum, *&c.* Intenſiorem facit viſionem; vnde cum quò plures videntur creatura in Deo eo plura prædicata aperiantur in ipſo Deo, hinc Deus perfectius, & clârius ſeu intenſius videtur. Ad. 7. Reſpondeo in aliis cognitionibus, quæ non ſunt propriæ de obiecto recte poteſt creſcere claritas, at vbi iam cognitio eſt de obiecto in ſe immediate viſo, iam non eſt in quo claritas creſcere poſſit, ſi nil nouum aperiat in obiecto, vt dixi §. 60. Adde cognitionem abſtractiuam, vel etiam fidei cum per alienas ſpecies procedant ſemper ſaltem de obliquo aliquid ſpeciale, & diuerſum repreſentare.

Ioan. de S.Thoma. Gonſal. Nauarret.

Dubit. 9. An cognitio creaturarum in Deo ſit 73 *An cognitio*

quiddi

quidditatiua ? Ratio dubitandi eſt, quia cognitio quidditatiua eſt *rei ſicut eſt* in ſe, ob quod Deus nequit cognoſci quidditatiue in creatura; vnde cum neque è contra Deus *ſit ſicut creatura*; neque iſta in Deo apparebit ſicuti eſt, & conſequenter nec quidditatiuè? Sed de hoc egi diſp. 32. ſect. 4.

creaturarum in Deo ſit quidditatiua.

74 Dubitat. decimo quo modo videri poſſint in Deo creaturæ exiſtentes maxime in ſententia negante actus liberos Dei adæquatè intrinſecos ? Sed de hoc egi diſputatione trigeſima ſecunda, ſectione tertia.

Quo modo videri poſſint in Deo creaturæ exiſtentes.

74 Dubit. vndecimo An viſio videat ſuam æternam durationem ? De hoc egi diſputatione trigeſima tertia, latiſſimè.

An viſio videat ſuam æternam durationem.

ARTICVLVS IX.

Vtrum ea quæ videntur in Deo à videntibus diuinam eſſentiam per aliquas ſimilitudines videantur?

75 DE hac difficultate agit S. Thomas quæſtione. 8. de Veritate articulo 5. In præſenti autem articulo 9. negat has ſimilitudines, ſed ſicut Beati vident diuinam eſſentiam per ſe ipſam vnitam per modum ſpeciei, ita & vident in ipſa creaturas ſicut per eandem ſpeciem videtur ſpeculum, & res quæ apparent in ſpeculo.

76 Dubit. primo An eſſentia diuina obire poſſit vt medium incognitum munus ſpeciei impreſſæ ad videndas creaturas & in quo differat quando comparatur vt medium cognitum ſeu *in quo* & incognitum ſeu *quo* de hoc egi diſp. 32. ſect. 3. n. 16. & 17.

An eſſentia diuina obire poſſit vt medium incognitum munus ſpeciei ad videndas creaturas.

77 Dubit. ſecundo Qualiter Deus ſit, & dicatur ſpeculum, vt in ipſo videantur creaturæ? De hoc egi diſputatione 32. §. 5. & iterum Latius à §. 15.

Qualiter Deus dicatur ſpeculum creaturarũ.

78 Dubit. tertio An ſpeculum, & res quæ videtur in ſpeculo eadem ſpecie videantur. Ita affirmare videtur S. Thomas hic in arg. *ſed contra* quem ſecuntur Thomiſtæ cum Nazario hic ex qua paritate infert quod creaturæ ſine ſpeciali, & diſtinctâ ſpecie videantur, quia videntur in Deo vt in ſpeculo. Et contra autem ſine dubio ſpecies ſpeculi manifeſtè diſtinguitur ab ſpecie rerum apparentium in ſpeculo, nam ſpeculi ſpecie immutata iſtæ res poſſunt accedere, vel recedere. Ego fateor, hoc ſecundum quod conuincit experientia; cæterum aſſero ſpeciem rei ſe habere quaſi ſecundariò ad videndam rem, ita vt in ſpeculo videri nequeat res niſi concurrente primo, & directè ſpecie ſpeculi vt dixi diſputatione 32. §. 16. quod non niſi videretur videri nequiret res à tergo, ideo ergo ſpecies ſpeculi non quidem ſimplex, ſed compoſita ex ſuperuenientе ſpecie rei reflexâ in ſpeculo cenſetur concurrere. Hinc à paritate ſpecies ipſa, qua videtur Deus iuuabit ad videndas creaturas cum autem aliunde ſpecies Dei ſe ſola ſufficiat, neque indigeat additamento vel modificatione acceptâ à rebus, ſicut ſpecies ſpeculi; hinc nulla à rebus ſpecies diſtincta ſumenda erit. Vide P. Ioſeph Auguſtiuum 1. part. quæſtione 12. articulo 9. diff. vnic. num. 2. niſi velis hoc explicare vt ego diſp. 32. §. 16.

An res & ſpeculum eadem ſpecie videantur.

Quo ſenſu ſpeculum, & res videantur eadem ſpecie.

Dubit. quarto An D. Paulus habuerit ſpeciem propriam diuinæ eſſentiæ poſt raptum, dum illius recordabatur? De hoc egi diſputatione 26. maxime ſectione 4. 79

An D. Paulus poſt raptum habuerit ſpeciem propriam Dei?

ARTICVLVS X.

Vtrum videntes Deum per eſſentiam ſimul videant omnia, quæ in ipſo vident?

DE hac difficultate agit S. Thom. 3. contra Gent. cap. 58. & 59. In præſenti autem articulo 10. Affirmat S. Thomas omnia ſimul videri, quia videntur per vnam, & eandem ſpeciem; in naturalibus namque ideo non omnia videntur ſimul, quia ſpecies non eſt vna omnium. 80

Dubit. primò An viſio ipſa beata, ita inuariabilis ſit, vt non deficiat, nec ſucceſſionem admittat; poſſitve Beatus in dies videre in verbo plures creaturas? ad explicandam hanc dubitationem videndi ſunt varij modi quibus poni poteſt ſucceſſio in actu viſionis. Primo ex parte actûs vt vnus actus viſionis ſuccedat poſt alium, & ita contra communem Theologorum hanc ſucceſſionem negantem, ſentit vt probabile Adam 2. diſputatione 1. quæſtione 8. articulo 2. cuius ratio eſſe poteſt quia implicat quod vnus actus affirmet ſe eſſe præſentem in inſtanti. *A.* & poſtea in *B.* affirmet ſe non eſſe in *A.* ſed in *B.* Atqui Beatus quando eſt in *A.* affirmat & ſe eſſe in *A.* poſtea in *B.* Ergo per diuerſas viſiones. Secundò ſucceſſio eſt per aduentum nouarum viſionum, quibus Beatus qui primo vidit vnam creaturam, ſtante huius viſione incipiat videre aliam; quod fieri poteſt vel quia eadem qualitas viſionis, quæ ſecundum ſe ſolum tangit obiectum formale extenditur per peculiarem attentionem vitalem ad nouum obiectum materiale vt ait Scotus 3. diſtinctione 14. quæſtione 2. vel quia viſioni accreſcunt noui gradus, vel partes, quibus videat nouas creaturas, vt explicui §. 70. fine. Quæ ſententia moueri poteſt; quia Beati omnia quæ vident in verbo cognoſcunt vt ſatis colligitur ex §. 63. & expresè dixit Auguſtin. lib. 13. confeſſion. cap. 15. *Vident faciem tuam ſemper, & ibi legunt ſine ſyllabis temporum quid velit æterna voluntas tua.* Gregor. libro 12. Moral. cap. 13. & libro 4. Dialog. cap. 33. Bernard. libro 5. de conſider. cap. 4. Tunc ſic ſed à principio non cognoſcunt plura vt aperte colligitur ex quodam certamine inter Angelos dan. 10. quod ſignum fuit non fuiſſe adhuc illis Angelis perſpectam voluntatem Dei. Item modo neſciunt diem iudicij, nec orationes eo die ad ſe fundendas; ſiquidem de *Die illa, & hora nemo ſcit neque Angeli cælorum.* Matth. 24. 36. Ergo ſucceſſiue illis Beatis aduenit noua extenſio explicata viſionis. Ita ſentit Auerſa 1. part. quæſtione 12. ſectione 29. verſ. *Deinde pro ſecunda*, Molina 1. parte quæſtione 12. art. 8. diſputat. 6. §. *vt tamen verum.* 81

Qualiter viſio beata inuariabilis ſit?

1. Succeſſio ex parte actus. Adam.

2. Ex parte obiecti. Scotus. Auerſa. Molina.

S. Aug. Gregor. S. Bernard.

Secunda ſententia tuetur viſionem eſſe omnino immutabilem, vt nec augeri poſſit nec minui, ſiue 82

Negant om.

ſiue intenſiue, ſiue extenſiue vnde quando; pro temporum ſucceſſione aliqua noua Beati cognoſcunt ea non vident in verbo formaliter, ſed cauſaliter; quatenus vi ſtatus, & perfectionis viſionis Beatæ debetur illis peculiaris cognitio, vel illuſtratio eorum, quæ extra Patriam contingunt, talis autem illuſtratio eſt peculiaris cognitio obiectorum in ſe ipſis. Ita docet P. Faſol. hic quæſtione 12. art. 8. dub. 22. §. 129. & art. 10. § 3. Caietan. 3. part. quæſtione 10. art. 2. contra id quod dixerat 2. 1. quæſtione 83. articulo 4. ad 2. Durandus 4. diſtinctione 45. quæſtione 4 articul. 2. Sotus 4. d. 49. quæſtione 3. articulo 3. concluſ. 8.

nem ſucc. Faſol. Caiet. Durand. Sotus.

Mea ſententia his concluſionibus declaratur.

83 Dico primo Beati per ipſius viſionis beatificæ nouam intenſionem, ſeu per nouas viſionis beatificæ partes nequeunt in dies videre nouas creaturas. Probatur: nequeũt Beati creſcere in beatitudine eſſentiali, nam ſtatim ab initio pro qualitate meritorum recipiunt totam mercedem, viſio autem eſt tota merces. Atqui Beatus quo plures videt creaturas in verbo eo perfectiorem viſionem, & præmium eſſentialem habet iuxta dicta art. 8. §. 66. Ergo nequit in dies nouas creaturas reſpicere, ſed quidquid in verbo viſurus eſt per viſionem beatam ſtatim à principio, & ſimul ea videt.

Beati per nouos viſionis gradus non vident nouas creaturas ſucceſſiuè.

84 Dico ſecundo eadem viſio nequit pro diuerſa attentione Beati iam plures, iam pauciores creaturas reſpicere: patet hæc concluſio ex dictis quia Beatitudo qua talis ideo creſcit, quia plures creaturas videt, ex eo enim fit quod perfectius penetret naturam diuinam, cum nequeat quis in cauſa videre plures effectus, niſi magis penetret, & perfectius cognoſcat ipſam cauſam vt dixi §. 72. Si ergo quidquid ſit de additione qualitatis viſionis, iam Beatus poteſt creſcere quoad videndas plures creaturas; creſcet etiam impenetratione eſſentia diuinæ, & conſequenter in mercede eſſentiali. Deinde ſpecialiter impugnatur; quia prorſus implicat vt idem actus viſionis immutatus iam cognoſcat plus, iamminus, vt bene demonſtrat Ripalda tom. 1. de ente ſuper. diſputatione 47. num. 9. contra Scot. 1. diſtinctione 1. quæſtione 2. articulo 2. §. *Modus ponendi*, Fabrum diſputatione 11. cap. 4. Id probatur tum quia cum actus cognitionis nil aliud ſit, quam actualis repræſentatio, ſi iam datur noua repræſentatio, iam dabitur nouus actus; neque enim habemus aliud fundamentum, quo credamus intellectui ſuperaddi nouum actum cognitionis, quando de nouo ſcit, quod ignorauerat, niſi quia additur noua repræſentatio. Tum etiam patet ex phyſicis vbi implicat quod vna actio extendatur ad producendum nouum effectum. Ergo hic viſio ſine noua viſione non ſe extendet ad nouum obiectum: Tum denique arguo ad hominem nam Scotiſtæ dicunt viſionem de obiecto formali pro voluntate Beati volentis attendere ad tale obiectum materiale, iam illud repræſentare. At nequit velle attendere ad hoc obiectum, quin illud iam præcognoſcat, ſi quidem nil volitum, quin præcognitum. Ergo viſio eadem nequit extendi ad repreſentanda noua obiecta.

Nec pro diuerſa attentione.

Idem actus viſionis nequit ſe extendere ad noua obiecta.

85 Dico tertio in viſione Beata nulla admittenda eſt ſucceſſio, nec mutabilitas. Ratio eſt quia ſi danda eſſet maxime propter nouitatem obiectorum, quæ in dies videant in verbo. At hæc nouitas admittenda non eſt vt conſtat ex §. 83. Ergo Maior probatur ex communi fundamento; Ad illud autem ſpeciale, quod adduxi pro Adamo in. §81. Fateor per viſionem repræſentari obiectum iam vt præſens, iam vt futurum; item de ſe ipſa affirmare iam eſſe in inſtanti A. iam in B præſentem; cæterum hæc varietas ſolum ſumenda eſt per extrinſecam denominationem; vt plures autumant, qui differenias temporis *præſentis, vel futuri* non dicunt conſiſtere in intrinſeco, & eſſentiali modo tendendi de præſenti vel ſi dicas (quod verius autumo iuxta ea quæ late explico diſput. 48. 4. per viſionem non ſolum exprimi præſentialitatem relatiuam, vt Beatus præciſſe dicat. *Antichriſtus peccat pro inſtanti* B, ſed abſolute dum actu Beatus eſt in B, Antichriſtus peccat actu de præſenti tunc facile quis cogitare poteſt quod Beatus in ratione ſic affirmantis conſtituatur ex parte actus, & ſubiectiue ex ipſo actuali inſtanti B. ad modum, quo ſentio de cognitione, quod poſita in Petro per eam ſciat Petrus ſe cognoſcere; poſita vero in Paulo de ſe ipſo ſciat Paulus quod ipſe Paulus per ipſam cognoſcat. Vnde nunquam erit opus quod actus viſionis varietur. Si vero vrgeas hinc contra dicta in §. præcedenti. Poteſt eadem viſio, quin ipſi addatur nouus actus viſionis variari in ratione *affirmantis*, vt iam affirmet de obiecto eſſe abſolute *præſens*, iam vero eſſe abſens, ſeu *futurum* ſolum per connotationem inſtantis B. actu ex parte rei præſentis, vel etiam pro connotatione ſubiecti iuxta dicta. Ergo ſimiliter poterit idem actus viſionis iam repreſentare has creaturas iam alias diſtinctas. Si hoc dicas diſcrimen aſſigno. Quod ſtatus futuritionis, vel præſentiæ exercitæ non includat nouam veritatem ex parte obiecti condiſtinctam à quidditate, ſeu poſſibilitate rei; vnde cognitio quæ perfecte penetrat quidditatem obiecti quin ipſi ſuperaddatur aliquid de linea cognitionis, ſed ſuperaddita præciſe connexione, determinatione, vel nexu aliquo phyſico iam poterit tendere de præſenti in tale obiectum; ex diſputatione 50. ſectione 3. ſecus ſe habet cognitio vt de nouo repræſentet quidditatem noui obiecti, vt expendo diſputatione 66. ſectione 1. §. 8. fine in amore, qui licet vt ſit per modum gaudij de eodem obiecto non requirat aliquid ſuperadditum in linea amoris, ſecus vt extendatur ad amandum nouum, & diſtinctum obiectum. Cum ergo noua creatura ſit nouum obiectum pro ea repræſentanda non ſufficiet antiqua viſio.

Quo pacto eadem viſio cognoſcat ſucceſſiue noua inſtantia ſuæ durationis ſine mutatione ſui.

Dico tandem quarto. Beati licet plura, quæ ſucceſſu temporis euenient cognoſcant ſtatim à principio in Verbo pure per modum medij *in quo*, & obiectiui; At de nouo proceſſu temporis alias nouas viſiones de his rebus habent in Verbo vt in ſpeculo. Prima pars huius concluſionis patet exemplo ſcientiæ viſionis, qua Deus ab æterno videt preces ad ſe fundendas in tempore: cur igitur euenire non poterit in Beato circa aliquas; non tamen circa omnes vt dicitur in §. 81. circa finem; & patet in viſione de illo determinato die Iudicij. Ad hæc tamen Beatus cui iſte dies, vel alia veritas de nouo pro placito Dei reueletur illam videbit in Verbo, vt in ſpeculo. Quæ eſt ſecunda pars huius concluſionis; id tamen fiet modo explicato diſputatione trigeſima ſecunda 86

Beati ſucceſſu temporis habent nouas viſiones in Verbo vt in ſpeculo, ſed non vt in medio in quo.

cunda ſectione tertia §. 18. ex quo nullatenus ſit vt ideo beatus melius videat eſſentiam diuinam, vt patet ex dictis ibidem, ac proinde nec creſcat in beatitudine eſſentiali.

87 *Niſi reſpectu eiuſdem obiecti, quod præuidit vt poſſibile.*

Ex quibus concluſionibus facile tota dubitatio exponitur pateteque quomodo nil videant beati, & non in Verbo; aliunde in beatitudine ſubſtantiali non creſcant. Quod ſi vt stricte intelligantur Patrum locutiones æqualiter loquentium de omnibus veritatibus aſſerentiumque omnes videri in Verbo à beatis; vnde ſicut de aliquibus fateor quod cognoſcantur in Verbo vt in medio obiectiuo *in quo* fatendum etiam idem velis de omnibus etiam de die iudicij, & aliis, de quibus §. præced. Si inquam hoc velis adhuc neceſſe non erit vt veniat ſucceſſiue noua viſio, ſed ſolum noua determinatio, nexus, vel connotatio pure phyſica, ratione cuius antiqua viſio, quæ non repræſentabat diem iudicij, niſi ſolum vt poſſibilem, videat ipſum vt exiſtentem iam; vt explico diſputatione 32. §. 14. quo pacto intelligi poſſet ſententia Scoti de extenſione viſionis, ſi præciſe eam poneret ad cognoſcendam de nouo exiſtentiam eiuſdem obiecti materialis, quod præcognouit vt poſſibile; vt iam dico.

88 *An beati ſine noua viſione nouas creaturas in die poſſint cognoſcere. Affirmat Scotus. Petrus Faber.*

Dubitat. 2. An Beati ſine noua viſione poſſint tamen ſucceſſiue repræſentare nouas creaturas exiſtentes verbi gratia preces, quas ad eos fundimus ſucceſſu temporis; diem iudicij, *&c.* Affirmat abſolute Scotus 1. diſtinct. 1. quæſtione 2. a. 2. §. *Modus ponendi.* Petrus Faber diſputatione 11. capite 4. Quia eadem cognitio ſine vlla ſui mutatione poteſt extendi ad repræſentanda noua obiecta materialia, dum ſit ſub eodem formali. Sed contra tum ex dictis §. 84. tum etiam, quia nequeunt plura obiecta materialia, & effectus aperiri in cauſa, quin iſta vt obiectum formale eſt perfectius penetretur verbi gratia vt videatur in Deo Angelus Deus cognoſci debet vt productiuus *Angeli*; & vltra vt productiuus *hominis*, vt homo in Deo videatur. Ergo cum ſaltem nequeat nouo modo attingi obiectum formale ſine nouo actu viſionis hic intercedere debet. Mea ſententia eſt. Vt viſio repræſentet de nouo eam creaturam vt exiſtentem, quam præuidit vt poſſibilem, opus non eſt nouo actu viſionis, ſed ſolum nouâ terminatione, vel nexu pure phyſico. Vti Deus per eandem ſcientiam ſimplicis intelligentiæ addita ſolum terminatione libera (quam pone intrinſecam adæquate Deo) redditur abſolute *videns* exiſtentias rerum, ob quod ſemper eſſentia diuina eſt ipſi adæquatum motiuum obiectiuum *in qua* videat creaturas exiſtentes vt dixi diſputatione 37. ſect. 4. §. 26. & 27. Nihilominus vt videat creaturam nouam exiſtentem, quam non præuidit quidditatiue poſſibilem nouo actu viſionis indiget. Ratio eſt quia cum circa talem creaturam, & obiectum ſecundum ſe non habeat aliquid repræſentationis, neque ſit imago nec repræſentatio vllo modo reſpectu illius opus erit, vt in ratione imaginis varietur; & non ſolum modificetur ſeu determinetur ad hunc modum tendendi ſic, vel ſic connexum: Neque enim alius titulus eſt, ob quem ſimpliciter ad cognoſcendam nouam veritatem noua imago, & repræſentatio neceſſaria ſit: tunc ſic ſed imago intentionalis vt talis eſt noua cognitio, ſeu in linea intentionali.

Impugnatur quoad nouā creaturam, quam neque vt poſſibilem præuidit.

Ergo ad repræſentandam creaturam exiſtentem, cuius quidditatem non præuidit beatus nouo viſionis actu indigebit modo explicato in dubit. præcedenti, qui ſcilicet ſit in Verbo pure vt in ſpeculo ex §. 86.

89 *An eadem viſio poſſit reflectere ſupra ſuam æternam durationem.*

Dubitat. 3. An viſio eadem reflectere poſſit ſupra ſuam æternam durationem; & quomodo ſalua eius deſtructibilitate pro ſupremo dominio, & libito Dei ſtet eius eſſentialis veritas? de hoc egi diſputatione 33. per totas octo ſectiones.

ARTICVLVS XI.

Vtrum aliquis in hac vita poſſit videre Deum per eſſentiam?

90 De hac difficultate agit S. Thomas 4. diſtinct. 49. quæſtione 2. articulo 7. & quæſtione 10. de veritate articulo 11. Et quodlibet 1. quæſt. 1. articul. 1. & 3. contra Gentes capite 45. In præſenti autem articulo 11. Probat non poſſe, quia habet homo intellectum in via nimis immerſum in materia, ad hanc autem viſionem requiritur maxima abſtractio à materia, & phantaſmatibus, ſiquidem, & alias ſpirituales operationes minus excellentes efficimus tunc quando magis ſumus à ſenſibus abſtracti, vt patet in reuelationibus, quæ in ſomnis contingat.

91 *Quæ & quanta ſit impoſſibilitas videndi Deum dū ſumus in hac vita.*

Dubitat. 1. Quæ, & quanta ſit impoſſibilitas videndi Deum dum ſumus in hac vita? Ratio dubitandi eſt, quia vel ſermo eſt de impoſſibilitate viribus naturæ, & de hac ſatis in articul. 4. vel de viribus etiam eleuationis per potentiam ſupernaturalem & contra hanc eſt viſio quæ fuit in Chriſto in hac vita, deinde quæ erit in beatis poſt reſurrectionem Corporis. Quare poſſe intellectum noſtrum etiam in corpore videre Deum eſt de fide, vt docet Recupitus libro 6. quæſtione 15. numero 2. ex beatis; poſſe autem etiam in hac vita mortali eſt fere de fide à paritate Chriſti, quem in hac vita vidiſſe clare Deum licet non ſit dogma fidei expreſſum vt notat Suar. tom. primo in tertiam, part. diſp. 25. ſectione prima. §. *ſed quæres*, eſt tamen ita fidei proximum, vt oppoſitum ſit erroneum vt ait Suarez ſupra.

92 *Cur potius impoſſibilis ſit connaturaliter videre Deum in Corpore dum ſumus in via, quam poſt reſurrectionem Beatorum.*

Reſpondeo igitur licet omnino impoſſibile non ſit videre Deum in Corpore mortali, aſt præter commune miraculum videndi Deum eſſe hic aliquod ſpecialius. Ratio eſt quia intellectus in hoc mortali corpore non ſolum habet impedimentum ad intuendum Deum eo quod ſit actus purus, ſed etiam eo quod ſit ſubſtantia inſenſibilis; cum enim nil cognoſcere poſſit niſi per conuerſionem ad Phantaſmata, neque alio modo quam per ſenſus obtineat ſpecies rerum, nequit naturaliter aliquid ſpirituale per ſpecies proprias cognoſcere. Dices hanc ſpecialem etiam difficultatem vrgere in beatis, vnde iſti non minus habent impedimenti. Id nego, nam cum anima beati ſemel fuerit extra corpus, iam fuit in ſtatu minoris repugnantiæ ad ſpecies proprias rei ſpiritualis, & vt eleuaretur, ad videndum

dum Deum; ſemel autem infuſa viſio ex ſuppoſitione huius miraculi connaturaliter ad eius naturam debet conſeruari. Si obiicias animam Chriſti, quæ dum primo creata fuit in corpore habuit viſionem Dei. Reſpondeo omnia hæc priuilegia fuiſſe maxime connaturaliter debita vnioni Hypoſtaticæ, vnde & eius ſtatus fuit comprehenſoris, & ipſi collatæ ſpecies quidditatiuæ rerum ſpiritualium non minus, quam ſi extra corpus ageret.

An B. Virgo viderit eſſentiam diuinã, & quando.
Affirmant abſolute.
Albert. Gerſon. Carthus. S. Bonauent. S. Bernardin. Lincon. S. Antoni. Raulin. Richel. Caſſal. Villanou. Medin. Bannez. Faſol. Peſant. Suarez. Henriq. Moral. Salas. Æg. Luſit. Lorca. Spinell. Salaz. Cæſ. Recup. Vaſquez. Granad. Smiſing. Rupert.
Negant Molina. Petau.

93 Dubit. ſecundò An Beatæ Virgini fuerit conceſſa viſio beatifica; & quando? Fuiſſe conceſſam nemo negat, qui illam alicui Sanctorum, vt Moyſi, & Paulo concedunt: Imo plures qui aliis Sanctis negant eam concedunt B. Virgini vt docet Faſol. hic articulo 11. dubio 8. numer. 42. Abſolute autem eam affirmant Albertus, Gerſon Carthuſ. Bonauent. S. Bernard. Senen. Lincon. Antonin. Raulin. Richel, Caſſàl. Villanoua, Medina, Bannez, Faſol. Peſantius, Suarez, Henriquez Morales, Salas, Ægid. Luſit. Lorca. Spinell. Salazar. de Concep. Virginit. cap. 32. argument. 7. quas late refert, & ſequitur eruditiſſime P. Iulius Cæſar Recupitus libro 6. de Veritar. Dei quæſtione 14. capite 1. à numero 1. Idem ſentiunt Vaſquez hic diſputatione 58. capire 2. Granad. tractatu 7. diſputatione 1. numero 15. Smiſing. tractatu 2. diſputatione 6. quæſtione 9. numer. 300. caſu quo hoc conceſſum fuerit Paulo vel Moyſi ita Rupert. libro 3. in cantic. circa med. ibi. *Si quiſpiam dixit, & teſte Deo, vel conſcio, non mentiens dixit, raptum ſe fuiſſe in Paradiſum ſiue vſque ad tertium cælum, ita vt neſciat ſiue in corpore, ſiue extra corpus raptus fuerit, & audiuiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui: Quantò magis tu Regina cælorum per ſæpe cæleſtibus interfuiſti*, &c. Sunt tamen qui abſolute velint nulli omnino Sanctorum viſionem claram Dei obtigiſſe ita Molina 1. parte quæſtione 12. articulo 11. diſputatione 2. id probans argumentis æque vrgentibus in viſione B. Virginis. Quod antiquorum teſtimoniis confirmat ſatis Petauius libro 7. Theolog. dogmat. cap. 12. per totum. Ego tamen primæ ſententiæ ſto exiſtimans nullum priuilegium negandum Beatæ Virgini, quod ipſi cum aliquo fundamento ſine damno ſenſus Scripturæ, & Eccleſiæ concedere poſſimus. Quare hoc licet aliis non concedatur Beatæ Virgini eſt concedendum.

Affirmandum eſt. Sed non pro ſemper.

94 Loquendo autem de tempore, quo conceſſa eſt viſio B. Virgini. Imprimis quod talis viſio permanenter fuerit in B. Virgine omnino negat Suarez hic libro 2. cap. 30. num. 12. & ſupponunt Authores in §. præcedenti, dum determinant tempus in quo data fuit hæc viſio vnde P. Recupitus cenſet id eſſe extra controuerſiam ex communi conſenſu Eccleſiæ. Ita libro 6. de Deo quæſtione 14. cap. 2. numer. 11. Iam vero aliqui concedunt hanc viſionem B. Virgini pro primo ſuæ conceptionis inſtanti. Ita late Salazar. lib. de concept. argument. 7. cap. 32. numer. 54. Vbi ait ita ſenſiſſe Suarium, S. Bernard. de Sena tom. 2. Sermon. 51. artic. 1. cap. 2. vbi dicit B. Virginem *in prima Sanctificatione intellexiſſe perfecte naturam increatam diuinalem.* Gerſon Alph. 88. litt. Z. de aliis temporibus antecedentibus, & conſequentibus ad Incarnationem Chriſti Domini: Videatur P. Iulius Cæſar Recupitus nuper citatus toto capite ſecundo, cum quo cenſeo ſi Moyſi conceſſa fuit viſio, fuiſſe etiam B. Virgini in primo conceptionis inſtanti, at probabilius videri primo omnium fuiſſe viſionem Chriſto conceſſam, vt ſic primus intrauerit in Paradiſum non ſolum materialem, ſed maxime formalem, quæ conſiſtit in viſione Dei. Igitur poſt incarnationem, vel in ipſo puncto incarnationis Chriſtus vt primogenitus mortuorum fuit in vita viſionis, poſtea autem Beata Virgo. Non nego tamen cum P. Suarez facile, & piè dici poſſe oppoſitum vt ea ſit prærogatiua Chriſti vt primus ſit mortuorum, qui nunquam moriturus ſurrexit in corpore, intrauit etiam premanenter in vitam æternam; at Beata Virgo, ſolum tranſeunter, vt dixi initio huius. §.

Quid de aliis Sanctis ſentiendum.
Negandum eſt cum Recup. Molin. Vaſquez. Suarez. Granad.

95 Dubit. tertiò De aliis ſanctis de Moyſe, & Paulo innumeri ſunt qui affirment; maxime autem Auguſtin. & S. Thomas cum quibus eos latiſſime referens ſentit P. Faſol. hic dub. 3. & ſequentib. à §. 12. Negat tamen cum non minori Patrum, & Scholaſticorum numero, & eruditione P. Recupitus lib. 6. de Deo quæſtione 14. capit. 3. & 4. & 5. Molina 1. part. quæſtione 12. artic. 11. diſputatione 6. Vaſquez ibi diſputatione 55. cap. 2. Suarez lib. 2. de viſione cap. 30. Granad. tractatu 7. diſputatione 1. num. 9. & alij plurimi apud Recupitum ſupra. Mouentur pro Moyſe quia ipſe dixit Exod. 33. illam regulam generalem. *Non videbit me homo, & viuet.* Item Ioannes primo ponens diſcrimen inter Moyſen, & Chriſtum: *Lex per Moſen data eſt; gratia, & veritas per Ieſum. Chriſtum facta eſt*: Statim ſubdit: *Deum nemo vidit vnquam* excipiens ſolum Chriſtum. Vt iterum dicit capir. 6. ipſe Ioannes. Pro Paulo ſimiliter eſt. 1. ad Timoth. 6. *Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt* quod profecto non diceret ſi ipſe vidiſſet. Quare hæc ſententia mihi ſolidiori fundamento, & veroſimiliori niti videtur.

Quid de aliis concedatur Moyſi, & D. Paulo.

96 Dubit. quartò An ſi viſionis priuilegium concedatur Moyſi, & Paulo poſſit ad alios extendi. Aliqui extendunt ad Adamum Iobum, Iſaiam, S. Petrum S. Ioann. Euangeliſtam, S. Ioſeph, S. Stephanum, S. Hieronymum, S. Auguſtinum, S Benedictum, S. Franciſcum, (ego libenter extenderem ad Sanctiſſimum Parentem, & Patriarcham S. Ignatium de Loyola; de quo id affirmant D. Sanctius de Auila Epiſcopus Abulenſis, P. Didacus, Aluarez de Paz, Concil. Tarraconenſe ann. 1602. Sub Clem. 8. apud Noremberg in eius vita cap. 3. & ipſe S. in quodam memoriali apud Euſebium ibi ait: *mihi manifeſta fuit ipſa eſſentia diuina, ipſum diuinum eſſe: Rurſus: cognoui, ſenſi vidi (Dominus ſcit) me videndo Patrem moueri ad amandam totam Trinitatem*) Nihilominus ab his omnibus extenſionibus, quarum fundamenta vide apud Recup. lib. 6. qu. 14. cap. 4. & 5. abſtineo; hæc enim fundamenta non videntur adeo expreſſa, vt cogant contra legem vniuerſalem toties expoſitam in S. Scriptura. Vnde aſſerere de aliquo præter Deiparam, Moyſen, & Paulum quod intra ſtatum viæ Deum viderit temerarium

Negandum cum Bannez. Zumel. Trigoſ. Recup.

metarium putant Bannes 1.part.quæſt.12. artic. 11. concluſ. 2. Zumel hic Trigoſius 1.part. quæſtione 7. articulo 3.dubio 1. concluſ.4. quibus ſatis inclinat Recupitus libro 6. de Deo quæſtione 14. num. 45. Licet id excuſent ab hac cenſura Salas 1.2. tractatu 2. diſputatione 10. ſectione 4. Faſol.1.part.quæſtione 12.artic.11. num.39. Sed quidquid de hoc ſit placet dictum Suarij 1.part. tractatu 1. libro 2.capit. 30. num. 18. *non eſſe tam facile huiuſmodi diſpenſationes aſſerendas, aut extendendas.*

ARTICVLVS XII.

Vtrum per rationem naturalem Deum in hac vita cognoſcere poſſimus?

97 DE hac difficultate agit S. Thomas 1. diſtinct. 2. quæſtione 1.art. 3. & Boet. Trinit.quæſt. 1. articulo 2. In præſenti autem articulo 12. Hanc concluſionem probat quia per effectus cognoſcitur cauſa quoad An eſt.

198 *An Deus in via cognoſcatur euidenter quoad an eſt.*

Dubitat. primò An Deus cognoſcatur in via euidenter quoad an eſt. De hoc egi latiſſimè diſputatione 13. & cum S. Thom. art. 2. & 3. in quæſtione 2.

99 *An naturaliter poſſit cognoſci quidditatiue licet non ſtrictè.*

Senſus quæſtionis.

Dub. ſecundò An naturaliter cognoſci poſſit Deus quiddatiuè, licet non ſtrictè quidditatiue, talis enim cognitio cum intuitiua conuertitur vt dixi diſputatione 26. ſectione 4. Neque item latiſſime vſurpata voce *quidditatiua*, cognitionis, ſic enim cognitio quidditatiua vſurpatur ſæpe pro cognitione quoad prædicata eſſentialia rei, quæ attingitur, licet per alienas ſpecies quidditas rei; quæ cognitio manifeſte datur in nobis, verè namque de Deo dicimus plura ipſi propriè, & vere conuenientia; vt notat Durand. 1. diſtinctione 2. parte 1. quæſtione 2. Fonſeca 2. metaph. capite 1. quæſtione 2. Suarez diſputatione 30. metaph. ſectione 12. Auerſa 1.parte quæſtione 12. ſectione 2. dubitatio ergo eſt de cognitione per immediatas ſpecies nullis alienis præeuntibus vel adiuuantibus?

100 *Affirmat Scotus.*

Sed Negandum eſt.

Eam cognitionem nobis eſſe in via ſaltem naturaliter impoſſibilem experientia ipſa docet. At poſſe concedi naturaliter Angelo, vel alicui intellectui naturali poſſibili aſſirmant Scotus cum plurimis citatis diſputatione 26. §.10. eamque de facto Angelis concedit. Alij vero relati diſputatione 26. §. 1. Negant quia putant omnem quidditatiuam eſſe intuitiuam. Ego licet id non putem ibi ſectione 4. exiſtimo tamen non poſſe dari ſpeciem propriam de Deo niſi, quæ ſaltem ex natura rei intuitiuam ſupponat, ſeu rememoratiua ſit Dei viſi vt dixi diſputatione 26. ſectione 3. At talis cognitio eo ipſo non erit naturalis vt patet.

101 *An in effectibus creatis poſſit cognoſci, licet non quidditatiuè tota quidditas Dei?*

Dubit. tertiò An in effectibus creatis cognoſci poſſit licèt non quidditatiuè; tota tamen, & integra quidditas Dei. S. Thomas negat in præſenti articulo 12. quia cum effectus non adæquent totam virtutem Dei indicare nequeunt niſi inadæquatè eius virtutem, quatenus neceſſaria eſt ad præcontinendos tales effectus. Confirmatur ex communi Theologorum, ideo dicentium non poſſe in effectibus naturalibus cognoſci Trinitatis myſterium. Ego cenſeo à nobis non poſſe cognoſci in vno effectu creato totam virtutem, & perfectionem Dei, ſecus ab ipſo Deo: Ratio huius eſt quia quælibet creatura in re ipſa æquè tranſcendentaliter refertur ad vnum prædicatum Dei, ac ad aliud, neque enim in ordine phyſico datur præciſio, vnde ſine dubio creaturæ ita ſpecificantur ab omnibus prædicatis Dei, vt forent in ſe diuerſæ, ſi Deus non foret tantæ perfectionis, vti calefactio quæ oritur à ſole diuerſa eſſet, ſi ſol non foret illuminatiuus. Tunc ſic, ſed ordo tranſcendentalis eſt ſufficiens medium *in quo* cognoſcatur eius terminus. Ergo cognoſci poſſunt omnia prædicata Dei in qualibet creatura non tamen cognoſcentur à nobis, quibus ipſa limitatio effectus, & modus eſſendi determinatus illius occultat hunc ordinem; quemadmodum, licet cognitio: *Homo eſt animal* ex parte obiecti (vt tenent qui negant præciſiones obiectiuas) ſit cognitio de rationali, & æquè ad hoc referatur, ac ad *Animal* nihilominus non eſt nobis ſufficiens medium vt in ipſa cognoſcamus dum eam reflexe comprehendimus *rationale* quia ſcilicet ex modo tendendi intentionali illud non exprimit. Iam vero reſpectu infinitæ ſcientiæ Dei hoc non erit impedimentum vt noto diſputatione 39. num. 8. & forte reſpectu alicuius cognitionis ſupernaturalis.

Cognoſcitur à Deo, ſed non à nobis.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum per gratiam habeatur aliter cognitio Dei, quam ea, quæ habetur per rationem naturalem?

DE hac quæſtione, & difficultate agit S.Thoma 1. diſtinctione 3. quæſtione 1. articul. 4. 102
& quæſtione 10. de veritate artic. vltim. & Boët. Trinit. quæſtione 1. artic. 4. In præſenti autem artic.13. Probat per gratiam nobis ineſſe perfectiorem cognitionem de Deo; & quia certior per lumen fidei, & quia expreſſior mouente Deo phantaſmata, & in eis formante ſimilitudines expreſſiores.

203 *An cognitio quæ habetur per gratiam poſſit eſſe quidditatiua in via.*

Dubitat. primò An cognitio quæ habetur per gratiam poſſit eſſe quidditatiua de Deo in via. R. de hoc egi late diſp. 26.

104 *Quantus ſit exceſſus cognitionis gratiæ ſupra cognitionem naturalem de Deo.*

Dub. ſecundò Quantus ſit exceſſus cognitionis gratiæ ſupra cognitionem naturalem de Deo. R. egi de hoc quæſtione 1. articulo 1. dubio 4. Item ead. quæſt. 1. toto art. 5.

QVÆSTIO XIII.

De Nominibus Dei.

SVB hac quæſtione agunt Theologi de Dei *ineffabilitate* hoc enim attributum maxime conſtabit explicando qualiter

qualiter Deum nominare poſſimus. · In præſenti autem, ſi aliquid ſcholaſticâ diſputatione dignum occurrit communiter Theologi illud remittunt ad materiam de viſione, quos ego imitabor; quapropter nullum tractatum de hac quæſtione inſtitui in meis diſputationibus, vti ipſi nullum ſpecialem inſtituunt.

ARTICVLVS I.

Vtrum aliquod nomen Deo conueniat?

1 DE hac difficultate agit S. Thomas 1. diſtin. 22. quæſtione 1. articulo 1. & in alio Scripto ad Annibal. Ibidem. In præſenti autem art. 1. affirmat, quia ſicut res cognoſcimus, etiam, & nominare poſſumus.

An & quomodo Deus ſit ineffabilis.
Eſt in aliquo ſenſu proprio iuxta fidem.

2 Dubit. 1. An, & quomodo Deus ſit ineffabilis, ſeu innominabilis. Reſpondeo de fide eſt Deum aliquo modo proprio eſſe *ineffabilem*. Ita definit Conc. Later. Cap. firmiter de ſum. Trin. *Vnus eſt Deus æternus, immenſus, omnipotens, immutabilis, incomprehenſibilis, & ineffabilis.* Id autem non eſt intelligendum, quaſi nullo modo proprio poſſit nominari; ſed quia nunquam ſatis poteſt nominari; & Deus eſt maior omni laude, licet inerrabilis dicatur; vt enim dixit Leo Papa. ſerm. 11. de Paſſione Domini: *ipſa materia ex eo quod eſt ineffabilis fandi tribuit facultatem, nec poteſt deficere, quod dicatur, dum non poteſt ſatis eſſe quod dicitur*: ſic Gregor. Naz. Orat. de fide aliquanto poſt med. *Certe hoc eſt Deus, quod cum dicitur non poteſt dici.* Vnde acute Auguſt. lib. 1. de doctr. Chriſtiana cap. 6. *Ne ineffabilis quidem dicendus eſt Deus, quia & hoc cum dicitur aliquid dicitur; & fit neſcio qua pugna verborum: quoniam ſi illud eſt ineffabile, quod dici non poteſt; non eſt ineffabile, quod vel ineffabile dici poteſt.* Igitur Deus eſt *ineffabilis* in hoc ſenſu, qui propriiſſimus eſt, quod nullo nomine ſatis eius perfectiones exprimantur, quin vlteriores nominandæ teſtent.

Leo Papa.
Greg. Naz.
Auguſt.

An aliquo nomine ſignificari poſſit Deus ſicuti eſt quidditatiue.
Affirmo etiã comprehenſiue.
Licet non propriè ex §. 5. & 6.

3 Dub. 2. An aliquo nomine ſignificari poſſit Deus *ſicuti eſt* & quidditatiue tali ſcilicet nomine, quod natum ſit excitare cognitionem quidditatiuam, & propriam de ipſo Deo, licet ob incapacitatem audientis eam non excitet. Reſpondeo ſimpliciter affirmatiue, ita vt poſſibile etiam ſit nomen ſignificans Deum *comprehenſiue* ita expreſſe ait Martinon diſputatione 8. de Deo ſect. 11. numero 92. & res eſt clara nam ſiue dicas. 1. Cum Vaſquez hic diſputatione 57. Nominis ſignificationem præciſe ſumi ſecundum cognitionem audientis. Vel ſumi. 2. Secundum menſuram imponentis. Vt ait Suarez hic: Aut denique. 3. Ex vtraque menſura determinandam ſignificationem; ſemper hoc nomen *Deus* Deo, ſignificabit comprehenſiue. Beatis quidditatiue; nobis autem abſtractiue & confuſe provt auditur à Deo, vel imponitur à Deo, vel ab ipſo imponitur, & auditur. Et quidem de hoc dubium eſſe non poteſt.

An nomen Deus pro vt à nobis imponitur ſignificet Deũ quidditatiue.
Affirmant Vaſquez. Molina. Scot. Gabr.
Negant S. Thom. Suarez. Martinon. Recup. Auerſa. Faſol.

4 Dubitat. 3. An nomen *Deus* provt à nobis imponitur cenſendum ſit ſignificare Deum in ſe ſicuti eſt quidditatiue, vel etiam comprehenſiue vt comparatur cum ipſo Deo vt audiente. Affirmat Vaſquez, Molina hic Scotus & Gabriel 1. diſtinctione 22. quia vocum ſignificatio non eſt ſumenda iuxta menſuram cognitionis imponentis: aliàs vox *Romæ*. Ab eam non videnti prolata non ſignificaret melius audienti, qui illam vidiſſet, deinde vt ait D. Thomas hic *vox homo* quidditatiue repræſentat hominem, & tamen qui illam adinuenit quidditatem hominem non agnouit. Negat tamen communis ſententia cum S. Thoma hic & lib. 1. contr. Gent. capite 31. ſiue Suarez hic lib. 2. capite 31. numero 13. Martinon diſputatione 8. numero 96. Recupitus libr. 6. quæſt. 41. capite 1. Auerſa 1. parte quæſt. 13. ſectione 2. vt dico 2. & plurimi alij cum Faſol. 1. parte quæſtione 13. a. 1. dub. 1. Mouentur quia voces non ſolum ſignificant res ſecundum ſe, ſed etiam conceptus loquentis; at in viatoribus nequit dari conceptus quidditatiuus. Ergo nec vox quidditatiue ſignificans. Sed de his fundamentis latius agam in opere Philoſophico.

Probatur in via.

Modo rem Theologice definiens exiſtimo à 5
nulla creatura poſſe imponi nomen comprehenſiuum Dei. Ratio eſt quia ſic melius ſaluatur modus loquendi Conciliorum, & Patrum, quod Deus ſit ſimpliciter *ineffabilis* & quod nullum ſit nomen ſatis Deum ſignificans. De quo vide Faſol. & Recupitum ſupra audi eos ex ore Nazianz. Orat. 2. de Theol. Paulo poſt init: *Deum vt intelligas difficile ſane eſt, ſed vt verbis eundem, exprimas, hoc vero nulla ratione fieri poteſt.* Si autem nomen *Deus* prolatum ab homine per ſe ſignificat Deo ipſi comprehenſiue, iam ſatis & omnino *effabilis eſt Deus, ſatis laudabilis*, ſatis *enarrabilis*; etenim quod nos non penetremus vim alicuius vocabuli, vel idiomatis, non ideo tollit eius ſignificationem, ſi verè in ſe intrinſece ſignificat, deinde eſt ratio. Nam voces non ſignificant niſi ex placito imponentis ergo nequeunt per ſe ſignificare niſi iuxta cognitionem imponentis, ſed imponens non poteſt velle niſi pro menſura ſuæ cognitionis; Ergo ex hac metienda eſt ſignificatio. Ergo cum in viatoribus per ſe nequeat accidere cognitio quidditatiua de Deo; ita nec vox quæ ita ſignificet. Confirmatur quia iuxta omnes diuerſæ ſignificationis eſt vox *Animal & Rationale* non quidem ex parte obiecti vt patet; ex conſequenter non ex parte illius notitiæ quam ex vi vocis poteſt audiens acquirere ergo præcisè ob menſuram cognitionis imponentis.

Hinc fit primo nec poſſe à viatore imponi no- 6
men quidditatiuum Deo, poſſe tamen à Beatis, etenim horum cognitio eſt quidditatiua, non illius ita Faſol. 1. par. quæſt. 13. art. 1. dub. 3. fit. 2 Nomen comprehenſiue ſignificans proprie non dari. Probatur quia iuxta dicta ſupra tale nomen imponi ſolum poſſet à Deo. At a Deo non poteſt non quidem vt loqueretur cum creatura cum iſta ſit incapax audiendi, & percipiendi ſic comprehenſiue Deum, non item ad ſe, Deus enim verbis externis ad ſe ipſum non loquitur, & ita ſentit Henricus in ſumm. art. 73. quæſt. 9. Auerſa quæſtione 13. ſect. 2. verſu *dico primo* fit. Tertio ſolutio ad argumentum pro prima ſententia affirmante in §. 4. Illam ſignificationem eſſe impro-

priam

priam. Deinde reddit diſcrimen Auerſa ſupra quia illa notitia clara de vrbe Romæ excitari poteſt à Ciue Romano, eo quod audiat vocem *Roma*. At viſio quidditatiua à nulla voce poteſt excitari, ſed omnino per ſupernaturalem gratiam infunditur. Vnde addit Auerſa nec à Beatis poſſe imponi nomen quidditatiue ſignificans: ſiquidem nunquam vi vocis cognitio quidditatiua excitatur. At exiſtimo ratione ſtatus in Beatis etiam excitari cognitionem quidditatiuam de Deo, quando noſtras preces audiunt quibus ipſos precamur *vt nobis obtineant aliquid à Deo*. Quarum precum ipſi notitiam habent in verbo vt dixi quæſtione duodecima ſecunda §. 86. Nec tamen ly *à Deo* confuſe percipiunt.

Negatur in Patria.

ARTICVLVS II.

Vtrum aliquod nomen dicatur de Deo ſubſtantialiter?

7 DE hac difficultate agit S. Thomas quæſt. 7. de Potent. artic. 4. & 5. & 1. diſt. 2. art. 2. & 1. contra Gent. cap. 51. In præſenti autem artic. 2. id affirmat de ſignificatione imperfecta, ſicut creatura imperfecte Deum repræſentat, & non ſicuti eſt in ſe.

8 Dubit. primò An nomen aliquod dicatur de Deo abſolutè, & affirmatiue denotando veram perfectionem, quæ in ipſo eſt? Reſpondeo tale eſſe nomen *viuentis ſubſtantia*, & ſimilia licet pro vt ſunt in creaturis proprie non adaptentur Deo vt dixi quæſtione tertia, numero trigeſimo tertio.

An nomen aliquod dicatur de Deo abſolutè denotando perfectionem, quæ in ipſo eſt?

9 Dubit. ſecundò An de Deo aliquod nomen dicatur accidentaliter hoc eſt ſignificans perfectionem aliquam Deo intrinſecam per modum accidentis oppoſiti ſubſtantiæ ſaltem ratione noſtra. Reſpondeo de hoc egi quæſt. 3. art. 6. dub. 3.

An dicatur aliquod nomen, accidentaliter de Deo?

ARTICVLVS III.

Vtrum aliquod nomen dicatur de Deo propriè?

10 DE hac difficultate agit S. Thomas 1. diſt. 8. quæſt. 4. art. 3. & diſtinct. 22. quæſt. vnic. articulo 2. & ibidem in alio Scripr. ad Annib. & 1. contr. Gent. cop. 30. In præſenti autem artic. 3. partem affirmantem probat, quia plura dicuntur de Deo non metaphorice, ſed proprie quoad rem ſignificatam, licet non quoad modum ſignificandi, quia perfectiones creaturarum ſunt perfectiori modo in Deo.

11 Dubit. primò An quando ſumus in corpore ſemper dicamus aliquid de Deo impropriè; & quo ſenſu dicamur vti ſpeciebus impropriis R. de hoc egi quæſtione prima, articulo nono, dubio primo.

An quando ſumus in corpore ſemper dicamus aliquid de Deo impropriè?

12 Dubit. ſecundò An nomen aliquod ita ſit proprium Dei vt nequeat aliis conuenire. Affirmare videtur ſine diſtinctione communis ſententia, vt patet in hoc nomine *Deus omnipotens ens à ſe*, &c. Ego ſic diſtinguo vt licet vox quæ applicatur Deo etiam incomplexè accepta ſit omnino Dei propria, & nulli alij communis vt patet in voce *Deus*. At in mente nulla ſit ita propria, niſi appropriettur per compoſitionem cum alia. Ratio huius eſt quia de Deo non habemus ſpecies proprias vt eſt in ſe, ſed vtimur alienis. Ergo opus eſt vt ratione ſui non ſint alligatæ ſoli Deo alias propriæ omnino eſſent. Explicatur in nomine *ens à ſe* ly *ens* quod commune eſt: & ly *à ſe* dum coniunguntur ſit verum quid Dei proprium; Sic vox *improductum*. Omnipotens, quod coaleſcit ex conceptu *potentia*, & omnitate, ſeu vniuerſalitate termini, quo iam ſoli Deo conuenit. Et quidem in mente ita ſe habet *ly Deus* quæ vox licet incomplexa ſit in mente tamen præſupponit conceptum *entis à ſe*, primæ cauſæ, vel cauſæ cauſarum, neque alium conceptum facimus ſub hac voce vt dixi tractatu ſecundo, diſputatione primo, ſectione primo.

An nomen aliquod ita ſit proprium Dei, vt nequeat aliis conuenire?

Nego in mente incomplexa.

ARTICVLVS IV.

Vtrum nomina dicta de Deo ſint nomina Synonyma?

DE hac difficultate agit. S. Thomas quæſt. 7. de Potentia art. 6. & 1. contra Gent. cap. 35. In præſenti autem art. 4 Probat nomina dicta de Deo non eſſe ſynonima, quia ſignificant ſub diuerſis conceptibus licet eandem rem. 13

14 Dubit. primo An diuerſa nomina in Deo ſignificent diuerſas formalitates diſtinctas ex natura rei, vel ſolum ex parte modi & rationis ratiocinatæ. R. de his egi latiſſime diſputatione 14. & 15.

Quas formalitates diuerſa nomina Dei ſignificent, & quomodo?

15 Dubitat. ſecundò An nomina etiam vt Dei propria ſignificent in Deo vt non ſynonima? Hoc eſt an perfectiones etiam vt Dei propriæ diſtinguantur in Deo ratione ratiocinata: De hoc egi late tota diſputatione decima ſexta, maxime ſectione quinta.

An diſtinguantur in Deo perfectiones ratione ratiocinata?

16 Dubit. tertio An nomina quæ dicuntur de Deo ſynonyma ſint reſpectu Dei, & Beatorum? de Beatis parua difficultas eſt, cum enim hi etiam diuerſos forment conceptus de Deo, ſaltem vt explicitos vt dixi diſp. 31. ipſis nomina diuerſorum attributorum non erunt ſynomina; vti nobis *animal rationale*, licet ſolum penes conceptum magis explicitum diſtinguatur ab *homo* adhuc non eſt, terminus ſinonymus cum iſto. De Deo autem eſt ratio dubitandi, qui nullam omnino diſtinctionem facit, niſi de relatiuis inter ſe. Ergo loquendo de aliis nominibus idem apud Deum ſignificabit *Iuſtitia & miſericordia* & conſequenter iſta nomina ſignificant ſynonimè. E contra autem eſt quia Deus diuerſimode audit noſtras preces quando imploramus eius *miſericordiam*, & quando *Iuſtitiam*. Reſpondeo ſimpliciter hæc nomina Deo ſynonima ſunt, cognoſcit tamen ea nobis ſynonima non eſſe, & diuerſum conceptum formalem à nobis fieri, ſeu diuerſimode concipi miſericordiam, & iuſtitiam; hinc audiens nos implorare *miſericordiam* cognoſcit nos confugere ad idem, ac dum imploramus *iuſtitiam*, ſed & peti à nobis diuerſos effectus, & cognoſci per diuerſas cognitiones. Quod idem ſentit Molina hic dicendum reſpectu Beatorum, apud quos nomina omnium

An nomina quæ dicuntur de Deo ſynonima ſint reſpectu Dei, & creaturum?

Deo ſynonima.

Secus Beatis contra Molinam.

omnium attributorum diuinorum ſunt vnum nomen iuxta illud Zachariæ 14. *In die illa erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum.* Sed imprimis Zacharias loquitur de euerſione Idolorum, & conuerſione Gentium ad verum Deum; deinde licet poſſit idem nomen pluribus attributis ſeruire; Aſt & diſtincta & hæc 20. nima eſſe poſſunt, vt dixi hic.

ARTICVLVS V.

Vtrum quæ de Deo dicuntur, & creaturis vniuoce dicantur de ipſis?

17 De hac difficultate agit S. Thomas, quæſtione 7. de Potentia articulo 6. & Opuſc. 3. cap.27. & 1. contra Gent. cap. 31. & ſequentib. In præſenti autem art.5.ait non dici *vniuoce*, quia non ſecundum eandem rationem nec *pure æquiuoce*, quia nihil poſſet demonſtrari de Deo ex creaturis, ſed analogice per proportionem effectus ad cauſam.

18 *An ſaltem quoad nos detur nomen vniuocum Deo, & creaturis:*

Dubit. primò An ſaltem quoad nos detur aliquod nomen vniuocum Deo, & creaturis? R. de hoc egi quæſt.3.art.5.dub.1. Agamque latius in opere Philoſophico.

19 *An omnia quæ dentur in Deo dicunturque de creaturis æqualiter dicantur analogice:*

Dub.ſecundò An omnia quæ dantur in Deo dicunturque de Creaturis æqualiter dicantur analogice. Reſpondeo quantumuis omnia nomina ſint analoga non tamen æqualiter. Nam aliqua ſunt quæ abſolute, & proprie conueniunt creaturis; licet collatione facta cum Deo ipſi ſpecialiſſime conueniant. Ideoque analogice dicantur de Deo, & creaturis. Id patet in nomine *ſapientia* proprie enim,& abſolute eſt *ſapiens* homo aliter ac dicitur *Deus* iuxta illud.*Ego dixi dij eſtis conſtitui te Deum Pharaonis.* Igitur *ſapientia* aliter dicitur analogice,quaſi ſolum ſecundum quid & comparatiue. *Deus* vero nomen eſt ſimpliciter analogum, quod abſolute negandum eſt de homine.

ARTICVLVS VI.

Vtrum nomina per prius dicantur de creaturis quam de Deo.

20 De hac difficultate agit S. Thomas 1. contr. Gentes cap.34. In præſenti autem artic. 6. ait nomina, quæ metaphorice de Deo dicuntur cum ſimilitudinem eius ad creaturas ſignificent, de ipſis creaturis prius dici: nomina verò Deo,& creaturis communia de Deo eſſentialiter dicta quoad ſignificatum prius de Deo dici, quoad modum autem ſignificandi prius dici de creaturis.

21 *An nomina metaphorica quæ Deo ſunt propria, nobiſque tribuuntur, prius de ipſo dicantur:*

Dubit. primò An ſicut nomina metaphorica per prius dicuntur de creaturis, quam de Deo, quia ſcilicet propriè ſolam inueniuntur in creatis vt eſſe leonem, Agnum, *&c.* E contra etiam nomina,quæ ſoli Deo proprie, nobis autem metaphorice applicantur, vt eſſe *Omnipotentem* prius dicantur de Deo? Reſpondeo prius dici de Deo quoad complexionem, licèt prius ſumantur incomplexè ex creaturis: cum enim videamus ipſas producere aliqua, eaſdem denominamus potentes hinc autem per diſcurſum elicimus complexionem reſpectu *omnium*, & formamus nomen *omnipotentis* ſoli Deo prius,& propriè conueniens vide § 12.

22 *An nomina quæ impropriè Deo, & creaturis dicuntur, prius tamen de his dicantur:*

Dubitat.ſecundò An nomina, quæ impropriè ſeu extrinſecè dicuntur tam de Deo,quam de creaturis prius dicantur de creaturis? vt habere diſtinctionem inter gradus ſuperiores,& inferiores, *&c.* Reſpondeo aliqua eſſe nomina, quæ nil perfectionis dicunt ex parte rei, ſed meram denominationem extrinſecam, & reſpectum ad noſtrum cogitandi modum qualis eſt illa diſtinctio; denominatio: *Cogniti à nobis amati coëxiſtentis*, &c. Et de iis dum æquè conueniant Deo, & creaturis non eſt cur prius dicantur etiam quoad rem ſignificatam de Deo, quam de creaturis,dices Paternitas per prius dicitur de Deo, quam de creaturis: Eph.3. *Ex quo omnis Paternitas in cælo, & in terra nominatur.* Relatio autem Paternitatis vt pote pure prædicamentalis eſt nobis extrinſeca denominatio, vt relatio *Similitudinis coëxiſtentiæ*, &c. Reſpondeo ſed Deo non eſt ſic extrinſeca hæc relatio vnde non mirum, quod ipſi per prius conueniat.

23 *Quo ſit ulo dicantur nomina prius de Deo, quam de creaturis quoad rem ſignificatam:*

Dub.tertiò Quo titulo dicantur nomina prius de Deo quam de creaturis quoad rem ſignificatam (nam quoad modum ſignificandi certum eſt de creaturis dici prius, tum quia ea nomina ex creaturis deſumpſimus; tum etiam quia vt à nobis imponuntur, ſic Deo vt eſt in ſe non conueniunt, vnde dicitur quod non eſt ſubſtantia, ſed ſuperſubſtantia vt dixi quæſt.3.§.31.) S. Thomas hoc reducit ad cauſalitatem, *quia à Deo huiuſmodi perfectiones in creaturas emanant.* Sed non omnino placet, quia rectè ſtat quod aliquod perfectionis nomen æque primo dicatur de effectu, ac de cauſa vt *eſſe calefactiuum*, eſſe ens creatum non prius dicitur quoad rem ſignificatam de igne, quam de calore. Reſpondeo igitur omnia nomina perfectionis per prius dici quoad rem ſignificatam de Deo: quia de Deo dicuntur per ſe, & eſſentialiter, de creaturis autem ita dicuntur vt per ſe poſſint negari; cum enim ipſum *eſſe* in creaturis ſit contingens, ex conſequenti omnis alia perfectio eſt negabilis, & per ſe non exiſtit; quis autem neget per prius dici nomen de vno; quod illi per ſe conuenit, quam de altero cui per ſe non habet potius conuenire, quam non conuenire.

ARTICVLVS VII.

Vtrum nomina, quæ important relationem ad creaturas dicantur de Deo ex tempore?

De hac difficultate agit S.Thom.1.diſt.30.artic.1. & in alio ſcripto ad Annib. ibi art. 2.& in 3.diſt.31.art.3. In præſenti autem artic. 7. ait Nomina dicta de Deo per relationem ad creaturas dici de Deo de nouo ex tempore, quia nil important in ipſo Deo, ſed tantum ex parte creaturarum; in Deo vero puram denominationem rationis, ſeu denominationem extrinſecam ob mutationem 24

tationem creaturæ, quemadmodum per ſolam mutationem Animalis dicitur columna immota *dextra*, vel *ſiniſtra*: excludit autem nomina relatiua, quæ ſequuntur actionem intellectus aut voluntatis.

25 *An relationes quæ adueniunt Deo in tempore ſint reales, vel rationis. Eſſe Reales,* Durand. Gabr. Okam. Gregor. *Contra Sent.* Thomiſtæ.

Dubit. primò An relationes, quæ adueniunt Deo in tempore ſint reales, vel ſolum rationis? Prima ſententia ait eſſe Reales ita Durand. 1. diſt. 30. quæſt. 2. & 8. Gabr. ibidem. Okam. & Greg. 1 diſt. 28. Mouentur quia tam vere, & realiter abſque vlla operatione, vel fictione noſtri intellectus dicitur Deus *Dominus Creator*, &c. Sicut dicitur *Omnipotens.* Secunda ſententia Thomiſtarum hic negat. Mouentur quia Deus in ſe realiter manet immutatus, neque aliquid datur in ipſo Deo in tempore, quod non fuerit ab æterno. Reſpondeo totam hanc dubitationem pendere ex iis, quæ dicunt in Philoſophia, & in tract. de Trinitate circa conſtitutionem relationum pure prædicamentalium. Nunc breuiter dico eſſe *Dominum, Creatorem*, &c. Præter actionem ipſam creatiuam, & fundamentum proximum Dominij nil dicere reale reſpectiuum, nec ex parte Dei, neque ex parte creaturarum. Etenim eo præciſe quod Deus creauerit Angelum, & Angelus exiſtat, omni alio ſecluſo cenſetur Deus *Dominus.* Si vero dicas in his duobus nil aliud dari niſi puram entitatem abſolutam vtriuſque nec apparere aliquid reſpectiuum, ac proinde nec *Relationem* Dominij hæc enim ex ſuo conceptu reſpicientiam dicit. Totum id concedo ingenuè confitens cum P. Martinon diſp. 25. de Trinit. ſect. 2. num. 23. *Domini* nomen in re eſſe quid abſolutum, & ſolum per rationem explicari modo connotatiuo, & comparatiuo. In re tamen *eſſe Dominum* nil aliud eſt quam habere tale fundamentum, quod modo comparatiuo poſſit explicari. Hinc & vere dixit Durandus quod eſſe *Dominum* ſit quid reale; & rurſus bene etiam dicunt Thomiſtæ, quod ſit opus rationis quidquid relationis, & connotationis datur; aliunde autem nil veræ & realis mutationis accidit niſi ex parte creaturæ.

Nomen Dominus. Abſolutum in re, & reſpectiuum in modo ſignificandi.

26 *An poſſit Deo aduenire relatio intrinſeca in tempore.*

Dubit. 2. An poſſit Deo aduenire relatio intrinſeca in tempore. De hoc egi quæſt. 3. art 6. dub. 4.

27 *An relatio volentis poſſit aliqua ratione de Deo dici in tempore.*

Dubit. 3. An relatio *Volentis* poſſit aliqua ratione de Deo dici ex tempore. De hoc egi diſputatione 61. ſect. 5.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum hoc nomen Deus *ſit nomen Naturæ?*

28 De hac difficultate agit S. Thomas in 1. diſt. 18. art. 5. ad 6. In præſenti autem art. 8. aſſerit hoc nomen *Deus*: impoſitum eſſe ab operatione, ſed vſurpari ad ſignificandam *Naturam.*

29 *An hoc nomē Deus eſſentiam ipſam Dei ſignificet.*

Dub. 1. An nomen *Deus* eſſentiam ipſam Dei ſignificet? de hac re eruditiſſime P. Petauius t. 1. de Theol. dogm. cap. 8. per totum. Apud quem Nyſſen. in lib. ad Ablabium pag. 451. Θεὸ *operationem in ſpectricem, & contemplatricem exprimit.* Chryſoſt. hom. 2. in Epiſt. ad Hebr. pag. 438. *Ne Θεὸ quidem nomen eſt ſubſtantiæ, nec omnino proprium illius nomen inueniri poteſt.* Hinc occaſionem ſumpſerunt aliqui Græci hæretici ex Anteſignano Gregorio Palama dicti *Palamitæ* vt dicerent Dei proprietates, & operationes immanentes realiter differre ab eius ſubſtantia, vt videre eſt apud Petauium tom. 1. lib. 1. cap. 12. à n. 2. & lib. 8. cap. 8. num. 3. Quia ſcilicet nomen *Dei* non ipſam ſubſtantiam ſignificabat; ſed quandam operationem increatam. Igitur dicendum eſt nomen *Deus* de ipſa ſubſtantia dici, licet non de ipſa ſubſtantia provt eſt in ſe; non enim ſignificat quidditatiue vt dixi art. 1. §. 3. & hinc oritur vt cum ipſa, natura Dei in ſe non ſignificetur, eam ſignificandi, ſicut & cognoſcendi ex effectibus, & operationibus nos fundamentum ſumpſiſſe. Vide §. 42.

Dubit. 2. An potius nomen Deus ſit nomen naturæ, quam *omniſcius Omnipotens, æternus*, &c. Reſpondeo negatiue loquendo ex parte obiecti, ob omnimodam identitatem ex natura rei inter perfectiones abſolutas de qua tract. 2. d. 15. At loquendo ex parte modi *omniſcientia* verbi gratia ſolum inadæquatè ſignificat naturam diuinam; *Deus* vero adæquatè iuxta diſp. 17. ſect. 6. imo *omniſcientia* licet nec ratione noſtra dicenda ſit extra eſſentiam; at concipitur ad modum, & per ſpecies perfectionis accidentalis, ſecus vero deitas. 30 *An potius nomen Deus ſit nomen naturæ, quā omniſcius, omnipotens, &c.*

Dubit. 3. An nomen *Deus* poſſit aliquo modo plurificari; ita vt dicantur *tres Dij* relatiui; vti admittuntur tres ſubſtantiæ *relatiuæ*; ſicut enim hoc additum *relatiuæ* tollit abſurditatem in numero ſubſtantiarum vt in rigore ſermonis admittit P. Ruiz de Montoya diſp. 25. de Trinitate ſect. 3. cur non idem dicetur de nomine *Dei.* Confirmatur quia nomen *Deus* non ſolum ſignificat naturam in abſtracto, ſed etiam in concreto imbibit ſcil. ipſam Perſonalitatem ſaltem de obliquo, ſiquidem non datur ſubſiſtentia abſoluta, vt late oſtendam tract. de Trinitate ex P. Ruiz diſp. 34. ſect. 7. vide quæſt. 3. art. 3. dub. 2. Tunc ſic ſed concretum variatur ex variatione cuiuſque partis conſtitutiuæ etiam in obliquo, ſiquidem totum indiſtinctum eſt à ſuis partibus. Ergo in ratione *Dei* poteſt admitti aliqua diuerſitas? Sed omnino iuxta fidem neganda eſt diſtinctio, pluralitas, vel diuerſitas in ratione *Dei*; nam Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt omnino *idem Deus.* Ratio huius eſt quia nomine *Dei* intelligimus eſſentiam diuinam vt præciſe perſonatam aliqua perſona ſiue hac ſiue vllâ. At iſte conceptus non variatur, ergo nec nomen *Deus.* Neque refert variatio obliqui, quando iſtud non attenditur ſecundum eſſe determinatum vide quæ dixi diſp. 59. §. 31. ad finem. Quare licet *ſubſtantia* cum addito *relatiua* poſſit admitti triplex (quod ego non admittam in tr. de Trinitate tom. ſequenti) quia nempe nomine *ſubſtantiæ* æquè in recto & per ſe intelligitur quidquid alteri non inhæret; ſecus ſe habet *Deitas* quæ dicit immediatam identitatem cum omni perfectione, quæ non conuenit cuilibet perſonæ *Deus* item concreto licet addat de obliquo perſonalitatem, non tamen in eſſe determinato vt dixi. 31 *An nomen Deus poſſit aliquo modo plurificari.* *Quid ſignificet: Deus.*

ARTICVLVS

ARTICVLVS IX.

Vtrum hoc nomen Deus *ſit communicabilis.*

32 DE hac difficultate agit S. Thomas ſolum ex profeſſo hic; at obiter pluribus in locis ſupponit hanc veritatem vt in hac 1. parte quæſtione 39. articulo 1. in 1. argumentum & in 1. diſtinctione 4. quæſtione 1. articulo 2. in 3. argumentum & quæſtione 7. de potent. articulo 3. in argumentum 1. In præſenti autem ait hoc nomen *Deus* ſecundum metaphoram, & impropriè poſſe communicari; at propriè incommunicabile eſſe ſecundum rem, licet communicabile ſit ſecundum falſam exiſtimationem putantium plures eſſe Deos.

33 *An nomen Deus ſit communicabile?* Dubitatur primo quid ſit dicendum circa hanc difficultatem? Ex dictis ſupra quæſtione vndecima articulo tertio. Euidens eſt non poſſe Nomen *Deus* eſſe communicatione multiplicante *Deos*, ſeu faciente pluralitatem in ratione Dei, diximus enim ibi cum fide, & ratione naturali non eſſe plures Deos, ſed vnicum, cum igitur hoc nomine *Deus* ſignificare intendamus illam naturam increatam, quæ eſſentialiter eſt ſingularis, impoſſibile eſt hoc nomē ſecundum ſuum proprium ſignificatum aliis per multiplicationem in ea ratione eſſe communicabile *dixi mea ratione* vt omittam communicationem Trinitatis, in qua pluribus perſonis communicatur eadem natura diuina, quin in ipſis plurificetur Deitas dixi *ſecundum proprium ſignificatum*; nam licet nomen quod per ſe eſt impoſitum ad ſignificandum aliquod ſuppoſitum vt ſingulare, & indiuiduum aliis nequeat conuenire ſecundum proprietatem, bene tamen metaphoricè, & impropriè, ſic facimus commune nomen *Alexandri*, iis qui liberales ſunt; vnde & ij qui exercent aliquod munus, in quo Deo aſſimilantur, *dij*, appellantur vt iudices. Sic etiam iuſti, quia habent aliquid in quo ſpecialius conueniunt cum natura diuina, quam iniuſti, dicuntur participare naturam diuinam, non quidem vt iſta eſt in ipſo Deo ſecundum eſſe increatum, ſed quatenus ratione gratiæ iuſtificantis homo habet proprietatem ſoli diuino ſuppoſito debitam, vt dixi tractatu 2. diſputatione 1.

34 *An ſit aliquo pacto communicabile in propria ſignificatione?* Dubit. ſecundò An hoc nomen *Deus* in propria ſignificatione ſit aliquo pacto communicabile, ſeu vniuerſale prædicabile? Ratio affirmandi ſumitur ex ſententia Caiet. cum pluribus Thomiſtis aſſerentibus naturam Angeli Gabrielis verbi gratia eſſe eſſentialiter ſingularem ita vt implicet alius Angelus eiuſdem naturæ ſpecificæ; & adhuc defendentibus talem naturam eſſe communicabilem, ſeu vniuerſalem, & prædicabilem ita Caiet. hic 1. part. quæſt. 13. art. 9. & de ente, & eſſentia cap. 5. quæſt. 9. *Affirmare videtur. Caietan.* Ergo ſimiliter poſſet quis dicere naturam diuinam ex ſe vt ſubeſt conceptui noſtro non repugnare pluralitati, licet realiter, & ſecundum rem omnino immultiplicabilis ſit: Imo id videtur concedere Caiet. 1. par. quæſt. 3. art. 3. dicens *Deum* ſumi poſſe *vt ſignificatum concretum, quaſi ſpecificum naturæ diuinæ* *Reijcitur.* *id eſt habens Deitatem; ſicut homo ſignificat habens humanitatem*. ita §. *Ad hoc eſt dicendum*. Nihilominus, licet ſecundum opinionem, vel noſtrum modum imperfectum concipiendi non penetrantem quid ſignetur nomine *Dei*: *Deus* appareat quaſi abſtracte, quin determinetur an ſit multiplicabilis, vel immultiplicabilis, vnde primo part. quæſtione decimo primo, articulo tertio, diſputatur an ſit vnus tantum; adhuc abſolute loquendo ſingularis eſſentialiter eſt, ſeu incommunicabilis ſecundum rem; ſi enim ſecundum rationem per hunc terminum, & Nomen *Deus* determinaretur *hic* vt ſecundus Deus excluderetur, ſecundum rationem etiam foret incommunicabilis; hoc habebit ſecundum rem, ſiquidem ſecundum rem alteri Deo repugnat. Confirmatur quia ſi ſecundum rationem, & opinionem Gentilium liceret res determinare ita eſſet nomen *Deus* vel *Gabriel* vniuerſale, & communicabile, vt non ſolum ſpeciem prædicabilem, ſed & genus conſtitueret; ſicut enim ſub nomine *Animal* plure animalia ſpecie diuerſa concipimus; cur non & plures Deos eſſentialiter diuerſos imaginabimus?

ARTICVLVS X.

Vtrum hoc nomen Deus vniuoce dicatur de Deo per participationem, & ſecundum Naturam, & ſecundum opinionem.

DE hac difficultate agit S. Thomas primo diſtinctione trigeſima quinta, articulo quarto, & primo contra Gentes capite trigeſima ſecundo & ſequentib. & quæſtione ſecunda, de veritat. articulo vndecimo, & quæſtione ſeptima de potent. articulo ſeptimo & opuſc. 3. capite vigeſimo ſecundo. In præſenti autem articulo 10. ait quod cum *Deus* participatiue, & æſtimatiue non niſi ex veri Dei ratione intelligatur; hoc nomen *Deus* de Deo participatiue, opinatiue, & vero Deo, nec vniuoce, neque pure æquiuoce, ſed analogice dicitur. 35

Vtrum hoc nomen Deus dicatur de Deo per participationem, & ſecundum naturam, & ſecundum opinionem? Dubitatur primò, Quid ſit dicendum circa hanc difficultatem. Ratio pro vniuocatione eſt. Primò *ens* per participationem, & per naturam ſcilicet ens creatum, & increatum ſaltem quoad nos conueniunt vniuoce ex quæſtione tertia §. trigeſimo. Ergo & *Deus* per participationem, qualis eſt homo iuſtus, & per naturam ſecundò quia idolis falſo putant Gentes ineſſe Deitatem. At hoc falſum non eſſent, ſi non vniuocam Deitatem, & veram eis adſcriberent. Item Ratio pro æquiuocatione eſt prima quia æquiuoca ſunt quæ ſolo nomine conueniunt, non autem re: At re ipſa Deus verus cum falſo nequeunt conuenire plus quam ens cum non ente. Secundò Gentes nomine *Dei* intelligunt naturam *plurificabilem*, Catholici vero eſſentialiter *ſingularem*, non ergo conueniunt in re ſignificata. 36

Pro intelligentia huius dubitationis noto deitatem idoli vel poſſe comparari. Primò vt falſo dicitur de idolo, ſeu vt in re non conuenit, ſed ſolum erroneè exiſtimatur conuenire. Secundò 37

vt

vt vere in re conuenit. In prima acceptione idem vniuoce dicitur de Idolo *falsè*, quod de Deo ſecundum naturam *veriſſime* affirmatur; etenim id dicit Gentilicus error ſua idola eſſe Deos ſecundum naturam; ſicut qui falſo affirmat lapidem eſſe hominem, profecto non dicit eſſe falſum hominem, ſic enim verum diceret, ſed eſſe hominem verum, & ideo errat & hoc probat ratio pro vniuocatione Deitatis in Idolis. In Deitate per participationem diſcrimen eſt clarum de ratione entis nam *ens*, participatur à creaturis ſecundum proprietatem ſignificationis, ſecus Deitas. In ſecunda acceptione loquendo de Deitate, quæ in re conuenit idolis: ly *Deus* non accipitur ſecundum naturam, ſed ſecundum exiſtimationem gentilium; & ſic dicit Scriptura *Dij Gentium*: *dij eorum* etenim vere loquendo nequit idolis applicari niſi Deitas ſicta vti Applicatur homini picto, vel ſicto. Eſſet ficte hominem verum; & eſſe verè hominem ſictum. Quare non poterit in ratione *Dei* dari vniuocatio; nihilominus non erit omnimoda æquiuocatio *Deus* vt vox *Canis* quia non ſignificat res diuerſas omnino diſparate, ſed cum aliqua connexione.

38 Ex quibus patet ad vniuocationem, ad rationes pro æquiuocatione Reſpondeo ad primum non dari hic præcisè nomen commune, nam ipſa res ſaltem ſecundum exiſtimationem communis eſt, quæ conuenientia in exiſtimatione non datur inter canem cæleſtem, & terreſtrem. Ad ſecundum Reſpondeo ex parte prædicati idem correſpondere Catholico, & Gentili, vterque enim intelligit aliquam naturam incauſatam, & optimam; ſolum autem eſt diſcrimen in ſubiecto, de quo dicitur; nam error Gentium de pluribus dicit, veritas Catholica de natura eſſentialiter ſingulari.

39 Dubitatur ſecundò An ſaltem relatiue hoc nomen Deus plurificetur, & communicetur? De hoc egi §.31.

ARTICVLVS XI.

Vtrum nomen, Qui eſt *ſit maxime Dei Proprium?*

40 DE hac difficultate agit S. Thomas primo diſtinctione octaua, quæſtione prima, articulo tertio, & in alio Script. ad Ann. primo diſtinctione octaua, quæſtione prima articulo primo, & quæſtione ſexta, de Potent. articulo primo. In præſenti autem articulo vndecimo affirmat hoc nomen eſſe maxime Dei proprium. Primo quia per ſe ſignificat ipſam formam eſſendi. Secundo ſignificat cum maxima amplitudine, & vniuerſalitate. Tertio ſignat d e præſenti, & actu.

41 Dubitat. primò Quid dicen dum ſit in hac difficultate? De hoc egi late diſputatione decimaſeptima, ſectione tertia. *Vtrum qui eſt ſit nomen maxime proprium Dei?*

Dubitatur ſecundò, An nomen *qui eſt* ſit magis Dei proprium: Quam *Deus*. Suppono nomine *qui eſt* non ſignificari ſecundum conceptum communiſſimum aptitudinis ad exiſtendum præcise: Sed entis per eſſentiam, & neceſſario; ſic enim eſt Dei proprium. At adhuc non videtur ita proprium ſicut *Deus* ſiquidem, ſi præcise attendamus ad illa duo verba *qui eſt* in rigore ſermonis poſſunt applicari creaturis, niſi limitentur vt dixi de ente per eſſentiam. At nomen *Deus* per ſe ſoli Deo applicatur. Et ita S. Thomas aſſerit ly *Deus* quantum ad id ad quod ſignificandum imponitur eſſe magis proprium nomen Dei, quia imponitur ad ſignificandam naturam diuinam ex articulo octauo. Nihilominus P. Vaſquez prima part. diſtinctione quinquageſima nona, capite tertio. Stat pro nomine *qui eſt* quia ex vna parte etiam ſignificat naturam diuinam; aliunde non eſt deſumptum, vt *Deus* ex operatione extrinſeca Dei, ſed ex ipſo *eſſe* quod eſt intrinſecum Deo. Confirmat quia nomen tetragrammaton ſeu יהוה Iehouah. eſt adhuc magis proprium, quam *Deus cum impoſitum ſit ad ſignificandam ipſam Dei ſubſtantiam incommunicabilem,* (*vt ſic liceat loqui* (*ſingularem*, vt ait S. Thomas. At nomen Iehouah, (quod perinde eſt de *Iehieh*) idem eſt ac nomen *Qui eſt*, vt erudite oſtendit. P. Vaſquez prima part. diſtinctione quinquageſima nona, articulo tertio numero ſeptimo. Ergo *qui eſt* cenſendum eſt nomen magis proprium Dei. Ego fateor in aliquo idiomate poſſe ita proferri ly *Qui eſt* (vt apud Hebræos per tetragrammata ſupra poſita) vt omnino, & directe cadat ſupra eius neceſſario exiſtens; & tunc fateor eſſe magis proprium, quam ly *Deus* ſecus dicendum dum præcise componitur vt apud latinos ex verbo eſſendi, quod indifferens eſt ad quamlibet exiſtentiam.

42 *An ſit magis proprium quam nomen Deus:*

Affirmat. Vaſquez.

Negandum eſt.

Dubitatur tertio, An *qui eſt* ſit magis abſolutum à creaturis, quam ly *Deus*. Ratio dubitandi ſumitur ex eo quod nomen *Deus* quia ſumitur ab operatione potius videtur eſſe connotatiuum creaturarum circa quas verſatur. E contra autem cum omne nomen Dei ex creaturis ſumatur, ſiquidem Deus à nobis non cognoſcitur, niſi per creaturas, neceſſum etiam videtur quod nomen *qui eſt*, dicat ordinem ad creaturas. Reſpondeo quoad rem ſignificatam neutrum nomen dicere connotationem ad creaturas, quia ſumitur ad ſignificandam diuinam ſubſtantiam abſque aliqua operatione, vel ordine ad ipſam; neque enim explicatur vti per voces. *Omnipotens, creator, Prouiſor*, &c. Rurſus quoad modum ſignificandi vtrumque nomen concipitur connotatiue, cum enim Deus non ſignificetur vt eſt in ſe, ſed per ſpecies creaturarum, vti concipitur, neceſſum eſt etiam ad modum rerum creatarum ſignificari. Denique quoad id à quo impoſitum eſt nomen Deus, ſeu Θεος potius connotat creaturas, quam ly *qui eſt*: etenim nil dicit ad aliud, neque impoſitum eſt ab aliquo

43 *An ſit magis abſolutum, quam nomen Deus.*

Affirmandum eſt.

aliquo munere, quod circa aliud exerceatur; ſecus vero Θεὸς qui ab inſpiciendo dicitur, & ab operatione, quæ vt ſic ad aliud eſt: *Nomen* Dei (inquit Theodorus Abucara in Opuſculo trigeſimo ſeptimo,) *à quadam operatione dictum eſt; non tamen operationem ſignificat, ſed naturam*, vt ego cum D. Thoma dixi paragrapho vigeſimo nono. Vnde luculenter idem Theodorus Aburca concludit in fine opuſculi ſic: *Natura igitur eſt Deus & nomen, Deus, naturæ ſignificandæ vim habet. Nam vt vox, Angelus ab quadam operatione deriuata, non tamen operationem ſignificat, ſed naturam, & ſubſtantiam. Item omnia fere nomina ſubſtantiarum ab operatione, vel affectione didicuntur: non tamen operationem, vel affectionem ſignificant: Sic in Dei vocabulo intellige: nec aberra conſectando notationes nominum, & leges Grammaticæ, neglecta regula veritatis, quæ multi profitentur vti ſe, non tamen vtuntur.*

ARTICVLVS XII.

Vtrum propoſitiones affirmatiuæ poßint formari de Deo?

43 De hac difficultate agit S. Thomas primo diſtinctione quarta, quæſtione ſecunda, articulo primo, & in alio Script. ad Annib. primo diſtinctione quarta, quæſtione vnic. articulo quarto, & primo contra Gentes, capite trigeſimo ſexto. In præſenti autem articulo duodecimo duo, ait: Quod cum humanus intellectus nequeat Deum vt vnus eſt cognoſcere, ſub diuerſis rationibus multas de ipſo propoſitiones affirmatiuas veras formare poteſt; quia cognoſcit omnibus ſuis conceptionibus correſpondere vnam, & eandem rem ſimpliciter.

44 *An poßint propoſitiones affirmatiuæ de Deo formari? Qua compoſitione indicij vtamur circa Deum.*

Dubitatur primo, Quid dicendum ſit circa hanc difficultatem? Ratio dubitandi eſt quia in affirmatione componimus prædicatum cum ſubiecto; hæc autem non cadit in entitate ſimpliciſſima, Dei qui omnino abeſt ab omni compoſitione. Reſpondeo non componimus res obiectas, imo dicimus de Deo eſſe ſimpliciſſimum, compoſitio autem ſolum eſt ex modo noſtro concipiendi ſeu in noſtris actibus intellectus qui non poteſt ſimpliciſſimo actu, & ſine compoſitione ex parte ſui cognoſcerẽ omnia attributa diuina, ob illorum infinitatem, & ſui luminis infirmitatem, quæ compoſitio ſimplicitati Dei non obeſt quandoquidem intellectus noſter (licet per compoſitionem ſuorum actuum) illam à Deo reiicit, cum verè affirmet, Deum eſſe ſimpliciſſimum, omnis compoſitionis expertem; ſicut neque eius ſummæ ſpiritualitati non nocet, quod per ſpecies corporis concipiatur. Igitur maxime congruunt Deo propoſitiones affirmatiuæ vti congruit identitas cum ſuis attributis, & perfectionibus. Etenim ad propoſitionem affirmatiuam nil aliud requiritur niſi identitas.

45 Dubitatur ſecundò, An & cur conueniant Deo proprius propoſitiones negatiuæ, quam affirmatiuæ communiter dicitur, quod de Deo melius dicimus quid non ſit, quam quid ſit, & S. Dionyſius, capite ſecundo, cæleſtis Hierarch. parum ante medium ait negationes de Deo eſſe veras, ſecus affirmationes. Reſpondeo ex parte rei loquendo proprius conuenire affirmationem, quam negationem, etenim hæc fundatur in illa, ſicut carentia rei explicatur per rem, vel formam, quam excludit, & eo quod homo verbi gratia, ſit homo habet non eſſe leonem. Nihilominus quoad noſtrum modum cognoſcendi proprius Deo conuenit negatio. Etenim negatio conuenit ſicut à nobis negatur, vt patet quando negamus de Deo *eſſe corpus*, cognoſcimus namque quidditatiue id, quod negamus; non ita cum affirmamus, nil enim, quod in Deo eſt, ſcimus ſicut eſt, ſi quidem nullam perfectionem Dei cognoſcimus ſicuti eſt.

Quare Deo proprius conueniant propoſitiones negatiuæ, quam affirmatiuæ.

Negatiuè concipimus Deum ſicuti eſt, ſecus affirmatiuè.

46 *An Deus vel Beati affirmatiuas propoſitiones forment de Deo?*

Dubitatur tertiò, An Deus, vel Beati affirmatiuas propoſitiones forment de ipſa Deitate. Ratio dubitandi eſt quia eatenus nos formamus has propoſitiones, quia ſub diuerſis rationibus, & conceptibus Deitatem apprehendimus vt ait S. Thomas hic. Ergo Deus, & Beati cognoſcentes Deitatem ſicut eſt in ſe non formabunt propoſitiones affirmatiuas. Confirmatur: propoſitio affirmatiua formari nequit ſine compoſitione ſaltem ex parte actus; ſed Deus nequit vti compoſitione. Ergo, & ita ſupponit Caietanus in hoc articulo duodecimo, fine. Nihilominus licèt forte formaliter in Deo non detur propoſitionis affirmatio, ſed ſolum virtualiter, ſicut ſolum datur virtualis diſcurſus; at affirmationem ſimpliciter dari exiſtimo, ſiquidem datur obiectum affirmationis in ipſo, ſeu datur affirmatio obiectiua, quæ eſt identitas, neque enim eſt cur vox *affirmationis* limitetur ad noſtrum modum cognoſcendi, & non ſumatur abſtracte prout præciſe denotat cognoſcentem eſſe certum de identitate, vti licet ſcientia in nobis, ſignificet modum tendendi imperfectum; at etiam propriè ſumi poteſt in ea acceptione, quæ ab imperfectione abſtrahat: Iam vero Deus propriiſſime habet certitudinem de identitate ſuæ eſſentiæ cum Relationibus, verbi gratia. Vnde ad rationem dubitandi dico affirmare imperfecte concipiendo aliter ſubiectum, ac prædicatum eſſe proprium noſtri, ſecus modo explicato, & idem dico ad confirmationem loquendo de compoſitione ex parte actus. Vide Sanctum Thomam primo contra Gentes capite quinquageſimo nono. Vbi late tuetur in Deo veritatem enunciabilium. Vide in quæſtionibus ſequentibus paragrapho centeſimo ſexageſimo ſexto.

* * *

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIV.

De ſcientia Dei.

PRo explicandis difficultatibus huius quæſtionis, quæ grauiſſimæ ſunt integrum tractatum 4. inſtitui quo per 22. diſputationes eas latè examino: hic autem omiſſa reſtituam.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in Deo ſit ſcientia?

1 DE hac difficultate agit Sanctus Thomas 1. diſt.35.q.vnic. art.1.& in Scripto ad Annib. ead.diſt.q.vnic.art.1.& 1. contra gent.c.44.& q.8. de pot.a.1.& q.2.de verit.art.1. & opuſc.3. cap.28. & 35:In præſenti autem art.1. probat ſcientiam in Deo, quia eſt immaterialis.

2 *Quibus rationibus probetur ſcientia in Deo?*

Dubit.1. Quibus rationibus probetur ſcientia in Deo. De hoc egi diſp.34. præcipuè ſectione 1. & qualiter credatur per fidem ex diſputatione 15. ſectione 6.

3 *An poſſit dari ſubſtantia immaterialis non intellectiua?*

Dubit.2. An poſſit dari ſubſtantia immaterialis non intellectiua? Reſpondeo poteſt ſi non ſit immaterialis titulo perfectionis; ſecus eſt ſi non ſit tantæ perfectionis, vt huius titulo repugnet materiæ. Cæterum implicat Spiritus, ſeu ſubſtantia ſpiritualis, quæ intellectiua non ſit: ita latè egi diſp.34.ſect.2. & ſeqq.

4 *An poſſibilis ſit ſubſtantia materialis intellectiua?*

Dubit.3. An è contra poſſibilis ſit ſubſtantia materialis, quæ intellectiua ſit, ſeu perceptiua obiecti ſpiritualis,& diſcurſiua? De hoc egi tract.3.diſp.21. ſectione 4.

5 *An detur in Deo actus primus intelligendi?*

Dubit.4. An detur in Deo actus primus intelligendi? Reſpondeo Phyſicus non datur vllo modo ex natura rei, nec ratione noſtra; at intentionalis datur actus primus etiam realiter loquendo ita diſp.35. per totam,& diſp.57.

6 *An detur in aliquo ſenſu potentia proxima intelligendi?*

Dubitatur quintò: An detur in aliquo ſenſu potentia proxima intelligendi. Habitus; vel ſpecies impreſſa? De hoc egi diſputatione 35. ſectione 5.

7 *An detur in aliquo ſenſu? memoria? Non.*

Dubitatur ſextò: An detur in aliquo ſenſu proprio *memoria*: eam abſolutè negaui etiam ratione noſtra, ſicut & ſpeciem impreſſam diſp.35. fine. Siquidem memoria in actu primo ſpeciem imbibit. Huic ſententię expreſsè fauet Aureol. 1.diſt.35.p.1. a.3. Item ratio quia memoria propriè eſt præteritorum, nihil autem Deo præterit iuxta dicta diſp.48. Confirmatur non minus paſſim inuenitur, & prædicatur de Deo *obliuio* quam memoria. Oſeæ 1. *Obliuione obliuiſcar eorum*. Ezech.18. *Omnium iniquitatum, quas operatus eſt, non recordabor*. Pſal.12. *Vſquequo Domine obliuiſceris mei in finem*. Pſal.41. *Quare oblitus eſt mei?* At obliuio propriè in Deum non cadit: ergo ſimiliter memoria poteſt intelligi impropriê.

8 *Affirmat.* P.Ruiz. S.Auguſt. S.Thom. S.Bonau. Richard. Durand. Scoto.

Nihilominus in aliquo ſenſu vero, & proprio Deo concedendam *memoriam* contendit P.Ruiz de Montoya diſp.4. de ſcient. ſect.5. n.8. Mouetur 1. quia ſcholaſtici dum ſtrictè, & ſine metaphora loquuntur affirmant memoriam fæcundam Patris eſſe principium productiuum Verbi; quod deſumitur ex Auguſtino tribuente Patri memoriam lib.10.de Trin. c.11. lib.14. c.7. & ſeqq. ſerm.63. de Verbis Domini ſecundum Ioan. S.Thom. Bonau. Richard. Durand. Scot. in 1.diſt.3. in 2. part. diſtinctionis. Sed reſpondeo id ſatis intelligi dum dicamus Patrem eſſe fæcundum ad producendum Verbum per intellectum quia aliquo modo, in munere ſcilicet producendi terminum per intellectum aſſimilatur noſtræ ſpeciei impreſſæ; cæterum cum non producat Verbum vt imaginem formalem, ſeu formalem intellectionem, quoad relatiuũ quod imbibit realiter productum, nil habebit proprium ſpeciei. Mouetur 2. Quoniam *memoria* ſtrictè accepta ſufficienter intelligitur pro adæquato principio tam ex parte obiecti, quam ex parte Principij intellectiui. At talis adæquata virtus datur in Deo: ergo & memoria. Reſpondeo debet tale principium eſſe Phyſicum,& per modum producentis, vel determinantis ad productionem intellectionis, tale autem principium non inuenitur in Deo, vt dixi diſp.35.

9 *An intellectio conſtituat eſſentiam Dei?*

Dub.7. An intellectio conſtituat eſſentiã Dei, ſeu ſit de primario conſtitutiuo naturæ diuinæ, vel ab illa diſtinguatur? Reſpondeo non diſtinguitur nec ex parte obiecti, nec ex parte modi ſeu per rationẽ noſtram, quantumuis daretur actus primus phyſicus in Deo diſtinctus ex natura rei ab intellectione actuali diſp.36. per totam, & diſp.57. Vide P.Hemelman latiſſimè tit.4 diſp.1.

10 *An detur aliqua diſtinctio inter perfectiones diuinas præter realem, quæ intercedit in relationibus.*

Dubit.8. An detur aliqua diſtinctio inter perfectiones diuinas præter realem, quæ intercedit inter relationes. Reſpondeo non datur vlla ex natura rei actualiter, nec virtualiter. Ita diſp.14. & 15. datur tamen ratione noſtra, ita diſp.16.

10 *An ſcientia in ratione talis ſit multiplex?*

Dubit.9. An ſcientia in ratione talis ſit multiplex? ego diſp.45.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Deus intelligat ſe?

11 DE hac difficultate agit S.Thomas q.2.de verit. art.2 & 1.contra gent.c.47.& 48.& l.4.contr. gent.c.11.& 12.met.lect.8.& 1.diſt.35. q.vnic.a.2. & in alio Script. diſt.35. q.vnic. art.3. in præſenti autem art.2. hanc veritatem probat aſſerens Deum ſe intelligere per ſeipſum quia eſt maximè in actu reſpectu ſui nihil habens potentialitatis.

12 *Verum Deus ſe intelligat?*

Dub.1. Quid dicendum ſit circa hanc difficultatem? de cognitione,& comprehenſione, quam Deus habet circa ſe ago tota diſp.38.

13 *An dentur in Deo formaliter, aut virtualiter infinita reflexiones, dum ſe cognoſcit?*

Dubit.2. An dentur in Deo infinitæ reflexiones ex natura rei ſaltem virtualiter, vel etiam ratione noſtra, dum ſe comprehendit. Reſpondeo non dantur ex natura rei, imo nec ratione infinitæ cathegorematicè ita diſp.38. ſect.2.

14 *An ſolus Deus ſe comprehendat?*

Dub.3. An ſolus Deus ſe comprehendat; quin per vllum auxilium ſupernaturale poſſit creaturæ communicari talis comprehenſio? de hoc egi diſp.38. ſect.3. & diſp.30. in tract. de viſione; & hic quæſt.12.art.7.num.52.

15 *An ſola eſſentia ſit obiectum formale ſciẽtiæ diuinæ?*

Dub.4. An ſola eſſentia, vel etiam relationes ſint obiectum formale motiuum ſcientiæ Dei ad ſe cognoſcendum de hoc egi diſp.37. per totam.

16 *An ſcientia Dei imbibat relationem ad ſuũ obiectum?*

Dub.5. An ſciẽtia Dei imbibat relationẽ ad ſuum obiectum. De hoc egi diſp.37.ſect.4.& d.38 ſect.1.

17 *An Deus ſe cognoſcat in creaturis?*

Dubit.6. An Deus ſe cognoſcat in creaturis? Reſpondeo ſi Deus cognoſcat creaturas in ſeipſis in

in illis ſic ſe cognoſcit, ſecus dum cognoſcit in ſeipſo creaturas. De hoc egi tota diſp. 39. maximè in ſect. 2.

18 Dubit 7. An aliquid creatum poſſit eſſe motiuum diuinæ ſcientiæ? De hoc egi diſp. 40. per totam, vbi §. vlt. noto rectè ſtare quod creaturæ in ſeipſis cognoſcantur à diuina ſcientia, quin ideo comparentur cum ipſa vt obiectum formale motiuum.

An aliquid creatum poſſit eſſe motiuum diuinæ ſcientiæ?

ARTICVLVS III.

Vtrùm Deus ſeipſum comprehendat?

19 DE hac difficultate agit Sanctus Thomas opuſculo tertio, caput 106. 213. & 264. & opuſculo nono, caput ſeptuageſimonono, & primo contra gentes capite tertio, & tertio diſt. 14. quæſtione prima, articulo ſecundo, quæſtione prima, & in alio Script. ead. diſtinctione 14. articulo 2. in præſenti autem articulo tertio eam concluſionem probat, quia Deus ſeipſum cognoſcit quantum cognoſcibilis eſt.

20 Dubitatur primò: Quid dicendum ſit circa hanc difficultatem. De ea egi diſputatione 38. maximè ſectione 3.

An Deus ſeipſum comprehendat?

21 Dubitatur ſecundò: An Deus comprehendat ſe in creaturis, ſeu cognoſcat ſe totaliter, & adæquatè. De quo egi quæſt. 12. §. 101. & colligitur ex diſp. 39. §. 8.

An Deus comprehendat ſe in creaturis?

22 Dubitatur tertiò: An Deus per eandem cognitionem omnino indiuiſibilem etiam ratione noſtra reflexè cognoſcat ſe cognoſcere, ſine vllo proceſſu reflexionum? & an proprium Dei ſit ſe comprehendere. Vide hic. §. 13. & 14.

An per eamdem etiam ratione noſtra cognitionem cognoſcat ſe cognoſcere?

ARTICVLVS IV.

Vtrùm ipſum intelligere Dei ſit eius ſubſtantia?

23 DE hac difficultate agit Sanctus Thomas 1. contra gentes capite quadrageſimoſexto, & quadrageſimoſeptimo, & libro quarto c. 11. & 12. & opuſculo tertio, capite decimonono, & ſequentibus. In præſenti autem articulo quarto, ait quod in Deo intellectus intelligens; & id quod intelligitur, & ſpecies intelligibilis, & ipſum intelligere ſunt omnino vnum, & idem, quia nequit eſſe in potentia, ſed omnino habet omnia in actu vtpote actus purus.

24 Dubitatur primò: An intellectio non ſolum ex natura rei, ſed etiam ratione noſtra ſit indiſtincta à ſubſtantia Dei. De his egi plura diſp. 35. & 36. & generatim egeram tract. 2. diſp. 17. vide Hemelman infrà.

An etiam ratione noſtra intellectio indiſtincta ſit à ſubſtantia Dei?

25 Dubitatur ſecundò: An detur in Deo ſaltem ratione noſtra radicale intellectiuum, vel aliqua perfectio, quæ ſe habeat vt actus primus phyſicus intelligendi. De hac quæſtione, & dubitatione exquiſitiſſima eruditione agit P. Georgius Hemelman tom. 1. in prima parte, ferè per totum, ſpeciatim autem titulo tertio & quarto, per octuaginta capita, ſed licet ipſe grauitatem, neceſſitatem, & ſummam vtilitatem extollat titulo tertio diſputatione vnica, capite primo, at poſitis his, quæ dixi tractatu ſecundo, diſputatione decimaquarta, & decimaquinta, quibus ſtatui nullam diſtinctionem ex natura rei dari inter perfectiones abſolutas Dei, ſatisfieri exiſtimo pro corrigendo noſtro modo concipiendi per ea quæ explicui tractatu quarto, diſputatione trigeſimaquinta. Conſulat Auctorem prædictum qui plura velit. Item Patrem Franciſcum de Lugo hic prima parte, diſputatione decimaſexta numero 12. Qui bene arguit ne detur nec ratione noſtra potentia phyſica ad intellectionem ne alias detur etiam ratione noſtra verbum eſſentiale, & imago contra Auguſtinum 15. de Trinit. cap. 17. & Anſelm. in Monolog. c. 37. valde impugnantes, quod dentur in Deo verba plura, vel imagines. At ſi intellectio eſſentialis eſſet ratione noſtra producta, ſimiliter dici poſſet *verbum*; hoc enim definitur imago vel expreſſio producta. Sed de his aliqua etiam dicam ad tractatum de voluntate q. 19. art. 1. dub. 7. & 8.

An detur ratione noſtra in Deo radicale intellectiuum?

P. Hemelm.

Dubitatur tertiò: An eſſentia diuina reſpectu ſui habeat rationem ſpeciei? De hoc egi diſp. 35. ſect. 5. negatiuéque reſpondi. Si autem aliquis velit cum P. Hemelman 1. p. tit. 3. diſp. vnica cap. 24. num. 9. nomine *ſpeciei* intelligere, id quod determinat, & ſpecificat intellectionem diuinam, tanquam ſeipſo immediatè præcipuum obiectum formale, & intrinſecum per identitatem cum ipſa intellectione, vt ſic non negabo dari ſpeciem impreſſam, quæ non ſolum conueniet eſſentiæ, ſed etiam ipſis relationibus iuxta dicta §. 15. non tamen creaturis, quantumuis poſſint eſſe motiuum ſcientiæ Dei, quia neque intrinſecè, neque extrinſecè dant *eſſe* tali ſcientiæ. At verè nomine *ſpeciei impreſſæ* aliquam habitudinem per modum Principij vel influentis, vel determinantis ad influendum intelligimus; quare ſimpliciter neganda eſt Deo ratione noſtra, quamuis dicatur concipi eſſentia ad modum *ſpeciei* ſicut concipitur à nobis ad modum *corporis*, licet corpus non ſit, nec ratione noſtra. 26

An eſſentia diuina reſpectu ſui habeat rationem ſpeciei?

ARTICVLVS V.

Vtrùm Deus cognoſcat alia à ſe?

DE hac difficultate agit S. Thomas 1. diſt. 35. q. 1. art. 2. & in alio Script. 1. d. 35. quæſt vnic. art. 4. & quæſt. 2. de verit. art. 4. & 1. contra gentes cap. 48. & 49. in præſenti autem articulo 5. eam concluſionem probat, quia nequit cognoſci virtus, ſeu potentia aliqua perfectè, niſi cognoſcantur eius effectus: ergo Deus cognoſcens perfectè ſuam omnipotentiam cognoſcet creaturas effectus eius; maxime cum non aliter creaturas cõtineat eius omnipotẽtia niſi vt prodúcat per intellectũ, & ſciẽter. 27

Dubit. 1. An aliquid creatum poſſit eſſe motiuum, ſeu obiectum formale ſcientiæ Dei. Reſpondeo affirmatiuè ex dictis diſp. 40. per totam. 28

An aliquid creatum poſſit eſſe motiuum diuinæ ſcientiæ?

Dubit. 2. An, & quomodo cognoſcat Deus creaturas in ſeipſo: an ſcilicet vt in medio obiectiuo, an vt in ſpeculo. De hoc egi diſp. 41. & ſeqq. item colligitur quid dicendum ſit ex diſputatione 32. de viſione. 29

An & quomodo cognoſcat Deus creaturas in ſeipſo?

Dubit. 3. An vt Deus videat creaturas in ſeipſo, vt in medio obiectiuo requiratur ordo tranſcendentalis, ſeu connexio Dei cum creaturis poſſibilibus, an vero eas in ſeipſo cognoſcere illas poſſit quamuis abſolutus ſit ab hac connexione: De hoc egi diſp. 43. 30

An vt eas in ſeipſo videat requiratur eſſentialis connexio Dei cum ipſis?

Dubitatur 4. An Deus ſic connectatur cum creatura 31

An abſolutè talis connexio detur?

creaturarum poſſibilitate: & an etiam quælibet creatura particularis cum qualibet vt poſſibili immediatè connectatur. De hoc egi diſp.41. per tres priores ſectiones.

32 *An data connexione in ſeipſo connexo Deus eas videat?*

Dubitatur quintò: An data hac connexione creaturæ cognoſcantur in Deo ſic connexo. De hoc egi diſp.41.ſect.4.

32 *In quo prædicato diuino cognoſcat Deus creaturas?*

Dubitatur ſextò: In quo prædicato diuino cognoſcat Deus creaturas: an in ſola omnipotentia, an etiam in ſcientia, vel volitione reflexè cognitis. Reſpondeo negatiuè loquendo formaliter de ſcientia vt ſcientia; quare ſola omnipotentia eſt medium aptum formaliter loquendo. Hoc explico diſp.42.per totam.

33 *An creaturas poſſibiles immediatè in ſeipſis cognoſcat?*

Dubitatur ſeptimò: An Deus cognoſcat creaturas poſſibiles in ſeipſis immediatè. De hoc latè egi diſp.44. per totam.

34 *An ſcientia creaturarum in Deo, & Dei in creaturis ratione diſtinguantur?*

Dubitatur octauò: An Dei ſcientia creaturarum in Deo & earumdem in ſeipſis ratione diſtinguantur. De hoc egi diſp.45. per totam; vbi ſtatui non poſſe admitti in Deo duas cogitiones ſolo numero diſtinctas ſect.4.

35 *An ex diuerſis creaturarum ſtatibus diſtinguenda ſint ſcientia in Deo?*

Dubitatur nonò: An ex diuerſo ſtatu creaturarum poſſibilitatis, Futuritionis conditionatæ, & futuritionis abſolutæ diſtinguenda ſit in Deo triplex ſcientia, ſimplicis intelligentiæ, Viſionis, & mediæ. De hac diuiſione, & de eius obiecto egi diſp.45. ſect.5. & 6. vide Hemelman. t.1. tit.7. diſp.8. per totam.

36 *Quod ſit fundamentum ex parte obiecti ad diſtinctionem formalem cognitionum diuinarum?*

Dubitatur decimò: Quod ſit fundamentum ex parte obiecti neceſſarium, vt poſſint diſtingui cognitiones diuinæ per rationem. De hoc egi diſputatione 45. ſectione ſecunda, ſtatuens generalem regulam quando admittenda ſit diſtinctio ratione noſtra inter actus ſcientiæ, & alias perfectiones diuinas.

37 *An in Deo reſpectu creaturarũ multiplicari poſſit ſcientia?*

Dubitatur vndecimò: An in Deo reſpectu creaturarum multiplicari poſſit ſcientia in ratione ſcientiæ; ita vt reſpectu creaturarum exiſtentium habeat Deus ſcientiam nouam adæquatè diſtinctam in ratione ſcientiæ, quæ dubitatio procedit poſita ſententia identificante adæquatè cum Deo ſcientiam, & actus liberos. Reſpondeo negatiuè, vt latè explicui, adhuc in hac hypotheſi tractatu 5. diſp.69. ſect.3.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Deus cognoſcat alia à ſe propria cognitione?

38 DE hac difficultate agit S. Thomas 1. diſt.35. q.1. art.3. & diſt.36. quæſt.1. art.1. & 1. contra gentes cap.50. & 63. vſque ad 72. & lib.3 cap.75. & 76. & quæſtione 2. de verit. articulo 4. & 5. & opuſcul.3. cap.134. & 135. in præſenti autem articulo 6. probat Deum cognoſcere res omnes propria cognitione, ſecundum quod inter ſe & ab aliis diſtinguuntur; quia cognoſcit illas per ſuam eſſentiam, quæ ſingulas rerum aliarum perfectiones continet. Neque Deus perfectè ſeipſum cognoſceret, niſi cognoſceret quomodocumque ipſius perfectio poteſt ab aliis participari. Neque etiam ipſam naturam eſſendi perfectè ſciret, niſi cognoſceret omnes modos eſſendi.

39 *An Deus non ſolum eminenter, ſed etiam formaliter creaturas cognoſcat?*

Dubitatur primò: An Deus cognoſcat creaturas non ſolum *eminenter*, & denominatiuè, quatenus cognoſcit deitatem, quæ eſt eminenter omnia; ſed etiam *formaliter*, & ſecundum eſſe proprium ipſarum, quod habent, vel habere poſſunt condiſtinctum à Deo? Negat Aureol. 1. diſt.35. p.2. art.1. & 2. ne Dei ſcientia dependeat à veritatibus creatis. Item P. Valentia 1. part. quæſtione 14. p.7. col.2. loquens de cognitione creaturarum poſſibilium eiuſdem putatur Patri Montoyæ (diſput.11. de ſcient. ſectione 1. num.12.) ſententiæ, ſed certè, bona pace tam eruditi Doctoris talis opinatio in mentem ſapientiſſimi Valentiæ cadere non potuit vt patebit videnti ipſum ſuprà §. *Reſpondeo breuiter*, vbi ſolum abſurdum putat ponere actu condiſtinctè ab omnipotentia Dei aliquod *eſſe* in quo conſiſtat poſſibilitas creaturarum. Igitur cum P.Valentia, & vt aſſerit Auerſa prima parte, quæſtione decimaquarta, ſectione ſexta, §. *Veritas tamen* cum fide certiſſimâ, & euidenti ratione ſtatuendum eſt Deum non ſolum cognoſcere ſeipſum, ſed etiam alia in ſpeciali diſcernendo ſingula ſecundum proprias rationes. Sic Hebr.4. Deus dicitur *diſcretor cogitationum, & intentionum cordis, & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius, omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius*. Neque minus dicitur de Deo quod cognoſcat creaturas, quam quod cognoſcat ſeipſum: ergo neceſſe eſt vt creaturarum habeat diſtinctam cognitionem. Confirmatur quia creaturas diſtinctè vult, & eligit vnam præ alia ſecundum propriam rationem, ergo ſic eam diſtinctè cognoſcit. Neque ideo datur dependentia à poſſibilibus, ſed pura neceſſitas illas ſic poſſibiles reddendi, quod abſurdum non eſt, ſed ſummæ perfectionis omnipotentiæ, vt dixi diſp.41.

Negat. Aureol. Defenditur ab hac opinione. P.Valent.

An Deus in ſeipſo poſſit diſtinguere vnam creaturam ab alia? 40

Dubitatur ſecundò: An Deus in ſeipſo vt in medio poſſit cognoſcere creaturas condiſtinctè inter ipſas, ſeu diſtinguendo vnam ab alia etiam ſolo numero diuerſa. Exiſtimabit aliquis bene quidem poſſe in Deo diſtingui creaturas poſſibiles diuerſi ordinis, & ſpeciei, quia in Deo diuerſa perfectio relucet qua continet, verbi gratia, frigiditatem, ac qua continet calorem, nam reſpectu huius apparet calefactiuus, reſpectu illius frigefactiuus; at ſi collatio fiat reſpectu calorum A. & B. omnino ſimilium nil diuerſitatis, vel maioris perfectionis relucet in Deo eo quod contineat A. ſeu B. eadem enim virtus formaliſſimè ſufficit ad vtrumque, aliàs Angelus vt adæquatè cognoſceret omnem perfectionem ignis, dum eum comprehendit deberet cognoſcere in ipſo omnes calores poſſibiles non ergo poterit in Deo diſcerni vnus ignis A. præ B. quare diſcretio hæc cum neganda Deo nullatenus ſit ex §.præced. aſſerenda eſt quod habeatur à Deo tangente creaturas in ſeipſis immediatè iuxta §.33. Huius ſententiæ poſſunt cenſeri Albertus, Richardus, Henricus, Carthuſianus; apud Montoyam diſp.12. de ſcient. ſect.1. quatenus dicunt in Deo cognito non poſſe cognoſci creaturas diſtinctè, niſi prius intelligantur in Deo diuerſæ relationes in ordine ad diuerſas creaturas.

Ratio dubitandi quoad diſtinctionem indiuiduorum.

Albert. Richard. Henric. Carthuſ.

Sententia affirmans quoad indiuidua defenditur: eumque Montoya. 41

Nihilominus cum P.Montoya ſuprà ſect.2. cum Scoto 1.diſt.35. quæſt. vnic. §. *Contra concluſion.* Durand. quæſt.2. num.21. Argent. quæſt. vnic. artic. vnic. diſt.3. dicendum eſt quod Deus in ſeipſo cognoſcit omnino condiſtinctè vnum indiuiduum ab alio. Probatur Deus in ſeipſo ſatis cognouit hanc creaturam, vt potius eam produceret, quàm aliam; etenim Deo eſt ſufficiens motiuum, & ratio cognoſcendi omnia, ſua eſſentia: at nequit vnam creaturam præ alia eligere niſi eam

Scoto. Durand. Argent.

eam determinatè cognoſcat vt dixi dub. 1. hic. ergo Deus in ſeipſo diſtinctè cognoſcir omnia indiuidua. Confirmatur eſſentia diuina fundat poſſibilitatem cuiuſuis effectus in particulari, ita vt non ſolum habeat calor A. eſſe poſſibilis abſolutè, ſed etiam eſſe poſſibilis taliter, cum diſtinctione ſcilicet à calore B. ergo totum hoc apparere poterit in eſſentia diuina.

42 Ad rationem dubitandi oppoſitam in §. 40. Reſpondeo licet arguitiuè eadem virtus quæ ſufficit ad calorem A. de facto ſufficiat ad B. non tamen formaliter, ſed re vera maioris perfectionis eſſe omnipotentiam eo quod poſſit vtrumque calorem, quam ſi præcisè valeret ad A. & ideo penetrari plus debet eſſentia diuina, vt in ipſa videatur calor A, & B. quam vt ſolus A, &c. Neque hinc ſequitur non ſatis comprehendi virtutem ignis ab Angelo, eo quod iſte in igne non cognoſcat diſtinctè omnes calores poſſibiles. Nam licet diſtinctior, & clarior eſſet cognitio de igne ſi in ſingulari quemlibet calorem diſtingueret; at æquiualenter ſatis completè cenſetur cognoſci ignis dum in ipſo cognoſcitur dari virtutem ad calorem A & alios ſimiles multiplicatos in infinitum; comprehenſioni autem vulgari, & communiter acceptæ ſufficit hæc æquiualentia, ſic enim ſatis penſatur perfectio virtutis cauſæ.

Comprehenſio vulgaris non debet diſtinguere indiuidua.

43 Dubitatur tertiò: An cognitio diuina poſſit eſſe propria, & *quidditatiua* creaturarum in eſſentia; & cur potius creaturæ *quidditatiuè* cognoſcantur in Deo, quam è contra? Reſpondeo de hoc egi diſp. 32. ſect. 4.

An cognitio diuina poſſit eſſe propria creaturarum in eſſentia, & cur potius ſic creaturæ in Deo cognoſcantur quam è contra?

44 Dubitatur quartò: An Deus habeat propriam cognitionem immediatè terminatam ad creaturas in ſeipſis? de hoc egi latè diſputatione 44. per totam.

An Deus habeat propriã cognitionem immediatè terminatam creaturas in ſeipſis.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm ſcientia Dei ſit diſcurſiua?

45 DE hac difficultate agit Sanctus Thomas 1. contra gentes cap. 55. ſeq & quodlibeto 11. articulo 2. & opuſcul. 3. cap. 29. in præſenti autem articulo 7. negat in Deo diſcurſum tam ſecundum ſucceſſionem, quam ſecundum cauſalitatem, quia omnia ſimul cognoſcit, nec poteſt procedere à Noto ad ignotum.

46 Dubitatur primò: An virtualiter intrinſecè, & ex natura rei detur in Deo diſcurſus? Realiter non dari eſt certum, cum inter actus diuinos, nec realiter ſit ſucceſſio temporis, cum omnes ſint æterni neque cauſalitatis, cum realiter incauſati ſint: dubitatio igitur ſolum procedit ex natura rei, vel formaliter, vel virtualiter intrinſecè. Prima ſententia affirmat; ita videntur ſentire omnes, qui tuentur poſſe inueniri inter actus diuinos diſtinctionem virtualem intrinſecam, ſpeciatim autem id tuetur P. Arriaga 1. p. diſp. 10. ſect. 3. num. 44. & ſeq. Mouetur: nam in Deo admittenda eſt cognitio, quæ ita ex parte rei attingat vnum obiectum, vt non attingat alterum, quod ex prima inferri poteſt, verbi gratia, cognoſcit Deus: *Si dedero Petro tale auxilium conuertetur:* per quam ſcientiam vtpote mediam non cognoſcit abſolutè futuram conuerſionem: cognoſcit item *ſe Petro daturum tale auxilium:* per quam cognitionem per ſe non cognoſcit conuerſionem; ſiquidem per ſe ſtare poteſt auxilium, ſine conuerſione ex duplici autem cognitione prædicta nececeſſarium omnino eſt vt Deus iam abſolutè ſciat Petrum conuertendum: ergo licet non realiter, ſaltem virtualiter admittendus eſt in Deo diſcurſus. Secunda ſententia admittit per conceptus noſtros, ſeu ex modo noſtro concipiendi poſſe poni in Deo diſcurſum, ita videntur ſupponere Theologi, qui inter actus diuinos admittunt ratione noſtra vnum ab alio procedere. Vnde arguitur electio diſtinguitur in Deo ratione noſtra ab intentione, quod ſaltem in actibus liberis diuinis negari nequit: ergo ab omnimoda paritate ponendus eſt in Deo diſcurſus; ita namque ſe habet electio ad intentionem ſicut concluſio ad præmiſſas.

An detur virtualiter in Deo diſcurſus?

Affirmat. Arriaga.

Ego exiſtimo nulla ratione admittendum eſſe in Deo diſcurſum neque etiam virtualiter ex natura rei modo explicato in §. præced. Huius ſententiæ exiſtimo eſſe abſolutè loquendo omnes Theologos, qui non ſolum ex ſumma ſimplicitate Dei, ſed ex ſumma perfectione ſcientiæ negant hanc poſſe eſſe diſcurſiuam, ergo non ſolum excludunt diſcurſum realem, hoc eſt per cognitiones realiter diſtinctas, talis namque diſcurſus titulo ſimplicitatis excluſus eſt, ſed etiam *virtualem*, ſeu per cognitiones virtualiter intrinſecè diſtinctas. Antecedens patet ex Auguſtino 15. de Trinitate, cap. 14. vbi commendans perfectionem ſcientiæ Dei aſſerit omnia ab ipſo videri ſimul *non particulatim, aut ſingillatim, vel vt alternante conſpectu, hinc illuc, & inde huc, & rurſus inde vel inde, in aliud atque aliud, vt aliqua videre non poſſit niſi non videns alia.* Deinde mihi ratio generalis eſt quod non ſit ponenda in Deo vlla diſtinctio intrinſeca, & multo minus proceſſio inter perfectiones abſolutas diuinas: vnde cum nec ratione noſtra admittenda ſit proceſſio, ſicut nec admittitur in Deo *corpus* ratione noſtra, vt dixi diſputatione 35. ſectione 2. cum aliunde *proceſſio* ſit de conceptu formali diſcurſus, iſte nec ratione noſtra admittendus eſt in Deo. Confirmatur non eſt admittenda in Deo nec ratione noſtra cognitio inadæquata ſuo obiecto, hoc eſt quæ non cognoſcat ſuum obiectum quantum cognoſcibile eſt pro ſigno pro quo ipſi ſcientiæ Dei repræſentatur, & proponitur, vt patet ex diſp. 45. ſect. 2. At pro ſigno ipſo præmiſſarum, ſeu pro quo eliciuntur præmiſſæ iam eſt cognoſcibilis veritas concluſionis, ſiquidem hæc eadem eſt cum veritate obiectiua præmiſſarum vt patebit clarius in §. ſequenti. Ergo pro tunc cognoſcetur veritas concluſionis, quin ſit opus alia cognitione diſtincta ex præmiſſis illata, nec ratione noſtra, vt poſcebat ratio diſcurſus. 47

Negandum eſt etiam ratione noſtra.

Hinc ad ſententias oppoſitas in §. 46. Reſpondeo. Ad primum licet prima illa cognitio Dei: *Si dedero auxilium conuertetur Petrus.* Secundum ſe ſtare poſſit ſine tertia de abſoluta conuerſione; item ſtare poſſit ſine hac tertia illa ſecunda præmiſſa ſi ſecundum ſe conſideretur *exiſtit auxilium:* At eo ipſo quod hæc ſecunda habeatur ſimul cum prima Deus jam non dicit præcisè: *exiſtit auxilium:* ſed exiſtit ſimul cum eo quod: *ſi exiſtat exiſtet conuerſio:* quæ veritas cum connexa ſit cum exiſtentia iam abſoluta conuerſionis, Deus nequibit cohibere ſuam ſcientiam, quin conuerſionem cognoſcat. Explicatur hoc ſecundum principium, ſeu veritas, poſitâ primâ connectitur abſolutè cum conuerſione, ſed nequit intellectus perfectus, nedum infinitus, cognoſcere 48

aliquam

aliquam veritatem, quin penetret omnes terminos cum quibus connectitur vt patet: ergo cum Deus, dum habet hanc ſecundam cognitionem, cognoſcat etiam primam, cognoſcet ſimul veritatem concluſionis. Explicatur iterum ſi Deus ſimplici actu diceret: *Si auxilium exiſtat exiſtet conuerſio, & auxilium exiſtet:* non poſſet non penetrare exiſtentiam abſolutam conuerſionis, vt patet: at quotieſcunque Deus habens primam cognitionem elicit ſecundam, qua dicat *exiſtit auxilium* per eundem actum reflectit ſupra primam cognitionem, ne inſcius habeat ſimultatem vtriuſque, ergo cognoſcet veritatem tertiam, ſeu futuritionem abſolutam conuerſionis. Iam ad ſecundam ſententiam in eodem §. 46. Reſpondeo nec ratione noſtra electionem in Deo procedere ab intentione, quantumuis liberâ vt conſtat ex diſp. 70. ſectione 2. ſed quidquid de electione ſit, Deus actus volitionum poteſt habere inadæquatos, hoc eſt non tenetur amare obiectum, & bonum finitum ob omnes fines poſſibiles (hoc do contra dicta in diſp. 64. ſect. 4.) non ita ſe habet in actibus ſcientiæ, neque enim ita eſt Deus liber in cognoſcendo ſicut in amando.

49 Dubitatur ſecundò: An in Deo aliquo pacto ratione noſtra, ſeu ex modo noſtro concipiendi admitti poſſit diſcurſus licet non directè, at indirectè & reflexè cognoſcendo diſcurſus noſtros. Reſpondeo negatiuè, dixi namque diſp. 39. §. 9. Deum non debere cognoſcere obiecta in noſtra cognitione cum limitatione, qua noſtra cognitio procedit; ſic videns Deus reflexè noſtram cognitionem præciſiuam de homine vt animali, non ideo præſcindit ipſe à rationali; quod hic à fortiori patet nam licet in vna præmiſſa nondum penetraret concluſionem; at cum vtraque præmiſſa noſtra cum veritate concluſionis connectatur, imo hanc implicitè attingat, non poterit non Deus concluſionis veritatem ſtatim attingere.

An ſaltem ex modo noſtro concipiendi detur in Deo diſcurſus?

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm ſcientia Dei ſit cauſa rerum?

50 DE hac difficultate agit S. Thomas diſtinct. 38. artic. 1. in quæſt. vnica, & ad Annibal. 1. diſtinctione 38. quæſt 1. art. 2. & 1. contra gentes cap. 61. & 62. & quæſt. 2. de verit. articulo 14. in præſenti autem articulo 8. ideo probat ſcientiam Dei eſſe cauſam rerum, quia cauſat res media voluntate per modum artificis, vnde opus eſt quod res cauſandas præcognoſcat.

51 Dubitatur primò de ſcientia ſimplicis intelligentiæ an ſit cauſa rerum? Reſpondeo hanc neceſſario concurrere in Deo, ſeu præcurrere, & dirigere ad omnem cauſationem, ita vt Deus antequàm aliquid decernat præire debeat. Sic Prouerb. 3. *Dominus ſapientia fundauit terram.* Et *Verbo Domini cæli firmati ſunt.* Pſalm. 32. & vniuerſim. Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Quod idem dictum ſit de ſcientia conditionata, & media, quam præcedere debere ad omnem voluntatem collatiuam principij liberi, & auxilij latè defendam in tract. de Prædeſtinatione ad q. 23. S. Thomæ in tom. ſeq.

An ſcientia ſimplicis intelligentia ſit cauſa rerum?

52 Dubitatur ſecundò: An ſcientia viſionis per quam Deus videt res creatas abſolutè futuras ſit cauſa exiſtentiæ earum; ita vt *ideo res ſint futuræ, quia præſciuntur à Deo per ſcientiam viſionis?* Prima ſententia affirmat ita Thomiſtæ recentiores communiter, Zumel tom. 2. opuſcul. dubit. 4. à §. *Hac tamen ſolutio.* Cabrera 3. part. quæſt. 62. artic. 5. concluſ. 6. Nauarrete controuerſ. 59. Ledeſma tractatu de auxilijs, diſp. 2. de ſcientia, difficult. 1. dub. 4. Ripa 1. p. q. 14. art. 13. dub. 4. cap. 1. Albelda art. 8. diſp. 38. Ioann. de S. Thom. diſp. 18. art. 3. Nazarius etiam 1. p. art. 8. Palacios 1. diſt. 38. q. 2. diſp. 2. Mouentur 1. auctoritate Auguſtini 13. Confeſſio. cap. vltimo: *Nos iſta, quæ feciſti, videmus, quia ſunt; tu autem* (Deus) *quia vides, ea ſunt* 15. de Trinit. cap. 13. *Vniuerſas creaturas non quia ſunt, ideo nouit, ſed ideo ſunt quia nouit* 5. de Ciuit. cap. 9. fine: *Voluntates noſtræ ideo quidquid valent, certiſſimè valent, & quod facturæ ſunt ipſæ, omnino facturæ ſunt, quia valituras, atque facturas ille præſciuit.* Gregorius 20. Moralium, cap. 23. *Quæ ſunt, non ideo videntur, quia ſunt, ſed ideo ſunt, quia videntur.* Boëtius de Conſolat. proſa vltima prope finem: *Indignum eſt, ſi ſcientiæ Dei cauſam futura noſtra præſtare dicantur.*

An ſcientia viſionis ſit cauſa rerum?

Affirmant. Zumel. Nauarrete. Ledeſm. Ripa. Albelda. Ioann. de S. Thom. Nazar. Palaci. S. Auguſt. S. Gregor. Boëtius. Anonym.

Mouetur ſecundò hæc ſententia ratione ne futura ſint cauſa ſcientiæ viſionis, ſi enim *non ideo res exiſtunt quia videntur à Deo*, è contra *ideo viderentur, quia exiſtunt.* Tertia ſcientia Dei eſt cauſa libera; at in Deo nulla ſcientia eſt libera, niſi viſionis. Tertiò ne voluntas Dei procedat cæca, vt contingeret ſi pro priori, quo Deus decernit exiſtentiam mundi nondum cognoſceret an exiſtat abſolute, vel ne. Quartò quia Deus cognoſcit res antequam ſint: ergo non eſt opus vt res præſupponantur ad ſcientiam viſionis earumdem, ſed ſtatim Deus illas videre poterit. Quinto, quia Deus ex vi ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ præciſe indifferens eſt æque ad omnia poſſibilia, nec potius dirigitur ad hoc obiectum, quam ad illud ergo vt vi cognitionis determinetur ad hoc obiectum, quod determinarè vult, opus eſt vt illud cognoſcat per ſcientiam viſionis, quæ ſola eſt determinata; & ratione cuius Deus ſcit ſe facere, & velle illud ipſum, quod facit, & vult. Huic ſententiæ adhæret Auctor Anonymus lib. de ordine cap. 34. 53

54 Secunda ſententia Negat ſcientiam viſionis eſſe cauſam rerum ita Alenſis 1. part. quæſtione 24. membr. 5. Richard. 1. diſtinct. 38. quæſt. 5. Abulenſ. in Ioſuè quæſt. 76. & in Matth. 18. quæſtione 36. VValdenſis libro 1. doct. fidei cap. 28. Richardus 1. diſtinct. 38. articulo 1. quæſt. 2. & 3. Gabriel ibi initio, Gregorius quæſt 2. artic. 3. Maior quæſt. 6. Adamus 3. diſtinct. 14. quæſtione 2. Molina 1. part. quæſtione 14. artic. 13. diſputatione 17. Valentia punct 5. & punct. 8. Vaſquez diſputat. 68. cap. 6. Machin artic. 8. diſp. 25. Suarez libro 1. opuſcul. cap. 13. Bellarminus lib. 4. de Grat. & lib. arbitrio cap. 13. Leſſius de Aux. cap. 3. numero 24. Fonſeca 6. Met. cap. 2. quæſtione 4. ſectione 11. Maſcarenas tract. de Auxil. diſp. 2. part. 6, num. 13. Diotalleuius opuſcul. de ſcient. condit. cap. 6. Auerſa 1. part. quæſt. 14. ſect. 26. Smiſing. tom. 1. tract. 3. diſp. 2. quæſt. 4. numero 115. Herize 1. p. tract. 1. de ſcient. d. 10. cap. 1. Toletus, Becanus, Albertinus, Gilius, Arrubal, Cornelius, cum & apud Faſolum 1. part. quæſt. 14. art. 8. dub. 3. ac denique eiuſdem ſententiæ ſunt omnes auctores Societatis & qui in quæſtione de auxilijs eos ſequuntur. Vide Martinon. diſp. 12 de ſcient. ſect. 7.

Negant Alenſ. Richard. Abulenſ. VValdenſ. Richard. Gabriel. Gregor. Maior. Adam. Molina. Valent. Vaſquez. Machin. Suarez. Bellarm. Leſſius. Fonſeca. Maſcarenas. Diotal. Auerſa. Heriz. Smiſing. Tolet. Becan. Albert. Gillius. Arrubal. Cornel. Martin.

55 Mouentur primò auctoritate S. Th. in præſenti dum

S.Thom.

dum ait in hoc articulo octauo, ſcientiam Dei eſſe cauſam rerum eo modo quo ſcientia artificis, quæ ſe habet ad oppoſita medianteque artificis voluntate determinatur ad vnum, quod non poteſt competere ſcientiæ viſionis. Expreſſius autem in 1. diſtinct. 38. quæſt. 1. art. 1. ad vltimum ait: *Creaturæ exeunt à Deo non per neceſſitatem ſcientiæ, ſed per libertatem voluntatis, in qua completur ratio cauſalitatis & ideo non quandocunque ſciuit creauit, ſed quandocunque voluit.* Similiter hæc habet d. diſt. 38. q. 1. art. 2. ad Annibaldum: *Ex ſcientiâ Dei non procedit opus niſi mediante voluntate imperante.* Idem ſupponit quæſt. 6. de verit. art. 3.

56 S. Auguſt. Mouentur ſecundò: Auctoritate Auguſtini qui expreſſior eſt pro hac ſententia 5. de Ciuitate, cap. 10. *Neque enim ideo peccat homo quia Deus illum peccatorem præſciuit.* Hieronymus in caput 26. Ierem. (S. Hieron.) *Non enim ex eo quod Deus ſcit futurum aliquid idcirco futurum eſt, ſed quia eſt futurum Deus nouit.* Origenes (Origen.) libro 7. in epiſtol. ad Roman. ad illud capitis 8. *Quos præſciuit hos & prædeſtinauit.* Addit: in præſcientia Dei. *Neque ſalutis neque perditionis noſtræ cauſa conſiſtit, quia non propterea erit aliquid quia id ſcit Deus futurum; ſed quia futurum eſt ſcitur à Deo, antequam fiat. Nam etſi fingamus Deum non prænoſcere aliquid futurum ſine dubio erit.* Damaſcenus (S. Damaſc.) lib. contra Manich. verſus finem: *Dei præſcientia, nequaquam eſt cauſa, vt omnino fiat quod futurum eſt; quin potius quia hoc vel illud facturi ſumus Deus prænoſcit.* Iuſtinus Martyr (S. Iuſtin.) quæſt. 58. ad Gentes: *Eius quod futurum eſt non eſt cauſa prænotio, ſed quod futurum eſt cauſa eſt prænotionis.* Similiter loquuti ſunt Leo Papa (S. Leo Papa.) ſermone 16. de Paſſione. Beda (Beda.) quæſtione 13. ex variis Boëtius (Boët.) 5. de conſolat. proſ. 4. & 6. Item Athanaſius (Athanaſ.), Chryſoſtomus (Chryſoſt.), Cyrillus, Alexandrinus (Cyril. Alex.), Epiphanius (Epiphan.), Euſebius (Euſeb.), Gaudentius (Gaudent.), Iſidorus (Iſidor.) & Hugo (Hugo.) relati à Patre Monroya diſp. 36. de ſcient. num. 2.

57 Mouentur tertiò ratione ex artifice creato cuius ſcientia viſionis, qua intuetur exiſtens artefactum non eſt cauſa operis, ſed ſolum alia ſcientia præuia, qua exiſtens artefactum idealiter reſpicit, hoc eſt, licèt ipſi vt exiſtens proponatur; non tamen modo apto vt abſolutè affirmet exiſtentiam, ſed ſimplici apprehenſione, vel notitia eam exiſtentiam tangit; è contra autem ſcientia viſionis purè ſpeculatiua eſt opus iam factum contemplans: ergo ita ſimiliter ſe habet Deus; conſequentia probatur: quia ſcientiam Dei comparant Theologi cum S. Thoma ſcientiæ artificis: item & ſcientiæ viſionis, qua ego video ſedentem Petrum, in cuius ſeſſionem non plus operatur, quam ſcientia artificis in imaginem iam depictam. Antecedens autem de artifice creato certum eſt: nam ſcientia ideans imaginem, quæ præcedit picturam ſeu pingendi actionem, & eam dirigit, præcedit volitionem eius liberam, qua mouet potentiam executiuam: ergo ſtare poteſt illa ſcientia quantumuis artifex nolit pingere. Et conſequenter non reſpicit imaginem exiſtentem. Confirmatur: quia ſcientia quæ eſt cauſa rerum mouet voluntatem ad earum effectionem, vt patet in nobis, & D. Thomas hîc ſupponit. At voluntas non mouetur ad dandam exiſtentiam rebus, eo quod videat eas exiſtentes.

58 Quartò præcipuè noſtri arguunt eo quod, ſi ſcientia viſionis ſit cauſa rerum tolleret libertatem noſtri actus liberi, nam iſte exiſtet ex ſuppoſitione ſimpliciter antecedenti, & aliunde eſſentialiter connexa, ſeu neceſſitante ad opus: ergo tollet libertatem, vt arguere ſolemus contra prædeterminationem phyſicam; & quidem hîc efficacius, nam etiam iuxta Thomiſtas ſcientia Dei ad cauſandas res ſe habet ex parte potentiæ, ita vt ſimpliciter ſit impotens ille cui deeſt ſcientia viſionis. Vnde etiam adimetur libertas ipſi Deo. Nam ſi antequam liberè velit creare mundum ſupponit iam præuiſionem huius, ergo huiuſmodi exiſtentia non ex libera determinatione Dei, ſed ex neceſſitate antecedenti venit. Confirmatur, & explicatur argumentum: vel ſcientia viſionis determinatur ad cauſandum ex libera determinatione voluntatis diuinæ, vel è contra? Si primum? ergo viſionis determinatio tollet libertatem, ſiquidem eſt independens à voluntate libera, & eſſentialiter connexa cum opere. Si ſecundum: ergo non obſtante ſcientia viſionis poterit voluntas non ſe determinare ad operandum, quo reddetur falſa ſcientia viſionis; vel ſaltem huius exiſtentia exercebitur pro voluntatis libito, ex quo fiet vt ſcientia conſequens ſit, non vero antecedens, & cauſa rerum.

Mea ſententia ſit dari in Deo duplicem ſcientiam abſolutam viſionis, nempe in decreto, & in ipſis rebus iam exiſtentibus pro ſua differentia temporis, & primam eſſe cauſam rerum; ſecundam vero non, ſed conſequentem, cuius exiſtentia ideo datur, quia dantur res creatæ. Prima ſcientia viſionis ſic probatur reſpectu effectus neceſſarij. 59 *Duplex ſcientia viſionis vna antecedens; alia conſequens formaliter.* Primò: quia imprimis non repugnat rem productam pro priori ſui productionis ſupponere ſui intuitionem in principio, vt patet in proceſſione Verbi diuini, quod oritur ex cognitione intuitiua ſuiipſius, & Spiritus ſancti aliunde ſi non ſit repugnantia pertinet ad maiorem perfectionem operantis, quod operetur ſciendo: ergo. Secundò pro priori ad hos effectus neceſſarios datur in Deo decretum efficax de illorum exiſtentia: ergo iam pro illo priori datur determinata veritas, & cognoſcibilitas, non autem tardior eſt cognitio diuina, quam cognoſcibilitas obiecti. Tertiò reſpectu horum effectuum nil impedit quo minus pro priori ad eorum exiſtentiam, iam habeat Deus certam ſcientiam de abſoluta ipſorum futuritione, vt patet ex nuper dictis, cum præciſè titulo illius decreti ſtet determinata cognoſcibilitas. At rurſus nil impedit quo minus talis ſcientia immediatè influat in eos effectus: ergo. Quartò decretum ipſum efficax Dei eſt formaliter ex parte rei loquendo ſciẽtia viſionis de ſuo obiecto. Sed tale decretum eſt cauſa ſui obiecti, vt patet: ergo & ſcientia viſionis. Minor, & conſequentia patent. Maior probatur: tum quia volitio diuina non eſt cæca vt noſtra, ſed videns & penetrans idipſum quod vult, vt latè oſtendi diſp. 58. ſect. 6. tum etiam quia ſaltem debet eſſe cognitio comprehenſiua ſui, ne ſi volitio cognoſcatur per actum ſcientiæ diſtinctum, & iſte rurſus ametur nouâ volitione diſtinctâ, procedamus in infinitum vt ibidem expendo: ſi autem decretum illud comprehendit ſe, ſciet etiam exiſtentiam termini, cum quo connectitur: tum vltra quia ſcientia libera vt talis non addit ſupra neceſſariam, niſi connexionem, ſeu connotationem, & nexum intrinſecum cum veritate cognoſcenda, vt dico diſputatione 50. ſectione 3. & diſp. 69. ſectione 3. At titulo illius decreti, iam datur ſufficiens connexio abſoluta;

abſoluta; ergo & ſcientia abſoluta ſeu viſionis: tum deniq; quia ex latiſſime dictis diſp. 15. ſect. 14. non eſt admittenda vlla diſtinctio ex parte rei, nec formalis, nec virtualis, vbi non intercedit diſtinctio realis in tertio. At ſcientia viſionis nullo modo diſtinguitur realiter in tertio, nec denominatiue ab illo decreto, ſiquidem nunquam verum eſt de aliquo tertio quod realiter ſit decretum & non ſit realiter ſcientia viſionis vel è contra. Ergo ſcientia viſionis indiſtincta eſt ab illo decreto. Vide diſputatio. 15. ſectio. 20. à §. 180. Ergo talis ſcientia eſt cauſa rerum, ſeu effectuum neceſſariorum.

60 Iam vero reſpectu effectuum contingentium, ſeu noſtrorum actuum liberorum etiam ſcientia viſionis poteſt eſſe cauſa, ſi ſcilicet reſpectu bonorum dicamus Præfinitionem efficacem eſſe neceſſario requiſitam vt latè oſtendam tom. ſeq. in tract. de Prædeſtinat. Nam talis Præfinitio eſt cognitio comprehendens ſuam exiſtentiam, & conſequenter termini cum quo connectitur vt dixi §. præcedent. Item vt generaliter procedam etiam ſi negetur præfinitio vt neganda eſt reſpectu peccati: ſaltem negari nequit complexum ex auxilio & ſcientia media dirigente: verbi gratia pro priori ad peccatum præexiſtit ſcientia *licet dem Iudæ hoc auxilium peccabit*: item talis volitio: *Volo dare adhuc Iudæ hoc auxilium*, quantumuis indigno, quorum duorum actuum complexum eſſentialiter connectitur abſolutè cum peccato. Ergo ex dictis formaliſſimè imbibet ſcientiam abſolutam viſionis: ſcientiam inquam titulo ſcibilitatis, quam habent res exiſtentes in decreto, non vero in ſeipſis, vt iam oſtendo.

61 *Scientia viſionis vt diſtincta à decreto omni eſt conſequens.*

Igitur ſcientiam viſionis in ſecunda conſideratione, ſeu ſecundam viſionis ſcientiam, quæ immediatè comparatur præciſè in eſſe, & in vi ſcientiæ, non autem vt inuoluens decretum voluntatis, vt ſic inquam non eſſe cauſam rerum optime oſtendit ſecunda ſententia; etenim ſic ſcientia nullam energiam habet, nullum titulum niſi puræ ſpeculationis, omninoque comparatur cum noſtra viſione, quam exiſtentia, & præſentia obiecti determinat, non è contra, vt Boëtius lib. 5. de conſol. Philoſoph. proſ. 6. latè explicat. Confirmatur à fortiori ex his quæ dixi diſputatio. 42. ſectio. 2. nempe in prædicato ſcientiæ vt tali nunquam ſatis poſſe certo cognoſci eius obiectum.

62 *Approbatur 2 ſent cum.* Pennoto. Albiz. Rada. Fabr. Nazar. Zumel., Magiſtr. s.Thom. Ægid.Rom. Durand.

Hinc ſequor ſecundam ſententiam certam in ſchola ſocietatis cum doctoribus relatis §. 54. quibus adde Pennotum lib. 3. de Aux. cap. 5. num. 5. Albiz diſp. penul. de ſcient. ſect. 3, num. 8. Ioan. Rada Scotiſtam 1. p. contr. 30. art 6. ſect. 3. qui mihi maximè adfauet dum ait ſcientiam viſionis eſſe cauſam per accidens ſui obiecti, quia hoc exiſteret poſito decreto Dei tametſi neſciretur à Deo, (imo addo ego non exiſteret quantumuis fingatur ſcientia viſionis, ſed hæc falſa eſſet ſi non daretur decretum) Fabrum. 1. diſputatio 54. à numero decimo, & tandem Nazarium hic controuerſ. 1. concl. 4. Zumel diſputatio. vnic. in append. verſ. 3. *colligo* his verbis: *Vnde infertur quod ſi per impoſſibile huiuſmodi cognitio libera in Deo non eſſet: Prior cognitio cum determinatione libera voluntatis ſatis eſſet vt res creatæ à Deo emanarent.* & §. quarto *colligo* addit: *& idcirco ſi ſermo ſit de hac ſcientia libera optime dicitur ab Origene, quod hæc non eſt cauſa, & ratio à priori, cur aliquid ſit futurum: imo vero quia futurum eſt per ſcientiam determinatam à voluntate Dei, ideo ſcitur à Deo.* Item Magiſt. ſentent. 1. diſtinction. 38. *Ita dicimus ſcientiam vel præſcientiam Dei non eſſe cauſam eorum, quæ fiunt* quem exponit S. Thom. ibi locutum de ſcientia libera: *Oſtendit quod ſcientia Dei non ſit cauſa eorum, neque cauſa ab eis.* ibi: Ægid. Romanum q. 1. Durand. q. 1.

Igitur ſecundam ſententiam intelligi exiſtimo iuxta hanc ſecundam ſcientiam viſionis de qua §. 61. Nam prima de qua in §. 59. nil obeſt; adhuc enim ſimpliciter ſtat, *quod non ideo erit peccatum, quia ſcitur à Deo,* ſed è contra; quemadmodum licet præuiſio ſit cauſa actus liberi, ſimpliciter tamen eſt conſequens, & ponitur ex determinatione voluntatis noſtræ; vt ideo Deus præfiniat opus liberum ſub hoc auxilio, quia voluntas ſub illo ſi detur operatura eſt, non è contra. ex quo patet ad duo fundaméta ex Authoritate §. 55. & 56. ad 3. in §. 57. Reſpondeo id eſt verum de ſcientia dirigente voluntatem ad faciendum opus, At ego non dico talem eſſe ſcientiam viſionis, quæ antecedat decretum, ſed potius quæ cum illo identificetur; ſi vero diſtinguatur erit ſimpliciter conſequens ex §. 61. Ad 4. quod ſumitur ex libertate in §. 58. minus obeſt, ſi quidem quoad actus noſtros liberos hæc ſcientia determinatur à noſtro placito, vt ſæpius dixi. 63

Iam vero prima ſententia affirmans Thomiſtarum minus obeſt, nam nullam ſcientiam volunt Authores ſocietatis cauſari à noſtro opere, ſed ſolum determinari, & quidem nec omnis ſcientia determinatur, ſed viſionis, quare iuxta hanc doctrinam facilem explicationem habent contrariæ authoritates in §. 51. & ad 1. rationem patet ſolutio. Ad 2. ſcientia Dei eſt quidem libera in cauſando, at non in eſſendo; prætetquam quod ex §. 59. iam aliqua ſcientia libera in eſſendo eſt cauſa rerum. vbi explicui, quo pacto voluntas Dei non ſit cæca, cognoſcanturque res non ſolum antequam ſint tempore, ſed etiam natura. Ac denique Deus ſpecialiter cognoſcit obiectum, quod vult, quam alia; licet pro priori ad ſuam ipſius volitionem nil ſit, vti nil eſt ante ſuam ſcientiam. 64 *Prima ſentēt. explicatur, & ſoluit.*

Dubit. tertio. An ſcientia Dei vt talis eſt formaliter in linea ſcientiæ, etiam vt condiſtincta à decreto Dei ſit immediatius principium executiuum, & cauſa immediata rerum, quam voluntas. Prima ſententia affirmat poſt omnem actum voluntatis dari actum enunciatiuum iudicij, quo Deus videns ſe habere decretum efficax de exiſtentia creaturarum taliter, vel taliter intimat potentiæ exequenti proponendo ſibi ſic: *Ego volo ſeu habeo decretum de exiſtentia talis rei.* ita late explicat Pater Didacus Ruiz de Montoya tom. de Prouid. diſput. 3. ſection. 9. num. 2. citans pro ſe numer. 26. Conrad. Fonſecam. & Suarium dicentem id eſſe probabile. Mouetur autem primo. Quia in Scriptura ſacra pluries res tribuuntur factæ *Verbo*, quam decreto Geneſ. 1. *Dixit Deus fiat lux.* Pſalm. 32. *Verbo Domini cœli firmati ſunt.* Sic etiam Patres Chryſoſtom. homil. 2. in Pſalm. 50. col. 5. *Si Deus dixerit adultero: iam nolo vt adulter ſis: verba ſtatim vertuntur in opera ſi dixerit fornicatori: fornicari ceſſa ab immunditia tua: illico mens eius in melius mutatur, & vt ſcias quia ita eſt, dixit: fiat cælum, & factum eſt cælum:* 65 *An ſcientia Dei vt talis ſit immediatius principiū rerum, quàm voluntas Affirmat ſpecialiter.* Ruiz. Conrad. Fonſec. Suarez. s.Chryſoſt.

Præcepit fieri terram, & verbum eius in opere ceſſit: Volo fieri luminaria, ſtatim facta ſunt, & aſtris completum eſt cœlum. Sol, & Luna præcepto eius conſummant curſum ſuum. Volo fieri Angelos, & in puncto horæ tanta millia facta ſunt, &c. vnde ſicut quia decernente Deo efficaciter aliquid id fit, colligitur à Thomiſtis rerum creationem conſiſtere in actu voluntatis, ita cum ſæpius in ſcriptura ad imperium locutiuum ſeu rationis, ſeu ad verbum ſequatur opus ad extra huius executio & creatio conſiſtit in actu rationis.

66 Mouetur ſecundo: A paritate Principij executiui conſecrationis, hoc enim immediate conſiſtit in locutione, & enunciatione practica: *hoc eſt corpus meum.* Sed ſimiliter Patres rerum effectionem dicunt euenire: ergo iſta etiam conſiſtit in ſimili actu iudicij. Conſequentia, & maior patent Minorem oſtendit Ambroſ. lib. 3. de Sacr. cap. 4. *Sermo Chriſti hoc conficit Sacramentum. Quis ſermo Chriſti. Nempe is quo facta ſunt omnia. Iuſsit Dominus, & factum eſt cœlum, &c. vides ergo quam operatorius ſit ſermo Chriſti. Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperent eſſe, quæ non erant. Quanto magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant, & in aliud commutentur.* Hilar. Arelat. homil. in feſt. Corporis Chriſti parum à princip. *Inuiſibilis ſacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui, verbo ſuo ſecreta poteſtate conuertit dicens: Accipite, &c. ſicut ad nutum præcipientis Dei repente ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cœlorum.*

Mouetur à paritate efficaciæ verbor. conſecr.

Ambroſ. Hilar.

67 Mouetur tertio: vt ſic formaliter opera Dei ſint opus rationis veniantque à determinatione rationis, & operetur Deus per intellectum, item ne potentia exequens cæce moueatur, ſed percipiendo voluntatem Dei præcipientem, & vti nos oſtendimus præcognoſcendo præceptum politicum, ita Deus ſibi monaſtice præcipienti quaſi obſecundans exequatur res ad extra eo modo, & ratione, qua cognoſcit decerni à ſua voluntate. *ſeu quia cognoſcit ſe habere talem voluntatem.*

68 Secunda ſententia exiſtimat in ipſo actu ſcientiæ vt tali nullam eſſe vim cauſandi ad extra; ita vt ſi per impoſſibile Deus careret cognitione reflexa ſui efficacis decreti, adhuc iſti ſubordinaretur potentia exequens, & vi illius fierent opera ad extra. Quare vim cauſandi, & producendi res ad extra immediate, & per ſe ſe habet iuxta hanc ſententiam diuina voluntas, ſiue quia immediate exequitur, ſiue quia immediate applicat omnipotentiam Dei; intellectio vero diuina ſolum mediate quatenus volitioni, & decreto Dei præire debet. Ita ſentit Auerſa quæſtion. 25. ſection. 3. fine Patet Arriaga 1. part. d. 40. ſection. 1. num. 7. Mouentur nam ſicut ex naturali ſubordinatione potentiarum intellectus ſubiicitur voluntati imperanti, vt patet in nobis quando ex pia affectione elicimus actum fidei, ita & potentia exequens immediate obediet imperio voluntatis, quin opus ſit ſupra ipſum reflectere, vt patet à paritate potentiæ executiuæ brutorum, quæ eorum appetitioni immediate obedit, quin opus ſit ſupra appetitionem reflectere, ergo licet titulo infinitæ ſcientiæ non poſſit Deus non reflectere ſupra ſua decreta; at iſta vim habebunt præciſè ratione ſui omni vi immediata cognitionis ſecluſa.

Negat. Auerſa. Arriaga.

69 Mea ſententia ſit (omiſſo pro nunc vel etiam dato quod potentia exequens ad extra, ſeu omnipotentia vt talis formaliter diſtinguatur ratione noſtra ab intellectu, & voluntate de quo ad quæſtion. 25.) actum ſcientiæ vt talis procedentis per modum enunciationis, & iudicij immediate non applicare potentiam exequentem. ita ſentio cum 2. ſentent. §. præcedent. Ratio huius eſt quia actus enunciatiuus vt talis ſolum requiritur vt dirigat voluntatem, ſeu propter aliquem voluntatis actum, cui proponat rationem boni, vel mali; imo ex ſuo conceptu formali determinatio ſeu inclinatio in aliquid ex cognitione procedens eſt formaliſſime appetitus elicitus; ſi enim motus ab intrinſeco ex præcognitione volitiuus non cēſetur, nulla ratio reſtat diſtinguendi appetitum elicitum ab innato. At præcognitio de volitione, ſeu decreto præhabito non requiritur ad habendam nouam volitionem reflexam de illo, alias procederemus in infinitum, ergo per accidens ſe habet talis cognitio enunciatiua ad executionem externam operis immediate. Confirmatur cognitio, quæ eſt in ſubdito de voluntate ſuperioris, ſi ſit enunciatiua, ſeu iudicatiua non mouet, niſi quatenus talis voluntas repræſentatur vt bona, ſeu appareat *bonum eſſe illi obedire*, vnde non mouet ad operandum immediate, ſed ad volendum operari. Ergo ſimiliter præcognitio de voluntate à me habita non mouebit immediate ad operandum. Confirmatur ſecundo, id quod mouet non ratione ſui, ſed vt cognitum ſeu quia cognitum enunciatiue eodem modo determinat ſiue exiſtat talis res cognita ſiue non; vt patet quando, quod malum eſt repræſentatur vt bonum, appareatque quaſi eſſet id, quod non eſt. Arqui potentia exequens non moueretur ad opus, quantumvis volitionem vt præſentem repræſentaret, ſi re vera præſens non eſſet; nam ex bono pure apparenti moueri nequit cauſa phyſica, qualis eſt executiua ergo, &c.

Approbatur 2. ſent. quoad actum enunciatiuum.

Dico tamen ſecundò. Probabilius eſt Deum immediatius applicare ſuam omnipotentiam per actum intellectus practici, & impulſiui dicentis *Fac hoc*, quam per voluntatis actum. Probatur ſupponendo prius poſſibilitatem talis imperij, quod non ſit enunciatiuum, ſed purè impulſiuum ad opus per *Fac hoc* de qua poſſibilitate agam in tom. ſeq. ad tract. de prædeſtinatione. Item 1. 2. quæſt. 17. nunc autem breuiter ſupponenda talis poſſibilitas cum ex diſtinctione communi intellectus in *ſpeculatiuum & practicum*: iuxta quam intellectui practico tribuuntur loqutiones, in quibus nihil veri, vel falſi continetur: tum etiam quia in nobis ſentimus naturæ imperium ad voces *Fac hoc* & ſimiles; ergo ſignum eſt quod in mente præexiſtunt tales conceptus; voces enim à natura dantur, vt conceptuum internorum ſigna. Tum denique quia admittendi ſunt in nobis reſpectus intentionales qui vt tales formaliter nec ſunt cognitio enunciatiua, nec amor vt patet quando quis habet decretum conditionarum ex parte obiecti, & abſolutum ex parte ſubiecti huiuſmodi: *volo quod ſi Petrus petat librum ipſi detur* in quo decreto reſpectus, qui datur ad Petrum non eſt *cognitio* vt patet; ſiquidem decretum creatum non identificat cognitionem; nec item talis reſpectus eſt *amoris*; ſiquidem fortè tale decretum nec amat, nec odit Petrum: ergo ſimiliter admitti poteſt poſſibilis modus tendendi imperatiuus per *Fac hoc*, qui modus cum locutiuus ſit ad intellectum pertinebit, qui eſt potentia loquendi: idem patet de aliis modis tendendi *promittendi: vidēdi: condonādi. &c.* 70

Reprobatur probabilius quoad Fac hoc.

Hinc

71 Hinc ſic arguo talis actus imperij nullam imperfectionem importat. Imo commendat perfectionem agentis intellectualis, quod vt ſic *opus* reſpicit: ergo ſi aliunde poſſibilis ſit talis actus tribuendus eſt Deo, non quidem pro priori, & antecendenter ad actus voluntatis, cum enim potentia volitiua ſit libera, ipſa primo ſe determinabit ſine aliquo præuio determinante, & impellente: ergo dabitur talis actus conſequenter ad volitionem ad excitandam, & impellendam ſeu applicandam vltimo potentiam exequentem, vt ita ſicut intellectus dirigit voluntatem ad volendum, ita voluntas ſua volitione determinat intellectum ad imperandum actionem tranſeuntem. Totum hoc maxime confirmatur, & probatur ex tam communi vſu, qui eſt apud ſacram ſcripturam & Patres explicandi per verba imperatiua *Fac hoc*, ſeu *Fiat lux*, & ſimilia vltimam applicationem omnipotentiæ ad operandum vt conſtat ex §. 65. & 66. Item quia ſic facillime explicantur locutiones [promiſſoriæ, conſultoriæ, vel etiam condonatiuæ: *Remittuntur tibi peccata tua, &c.* Condonationis namque v. g. obiectũ difficillime explicatur, ſi exponendum ſit per aliquid *affirmatum*; *volitum*; *vel odio habitum* vt late oſtendam in tract. de Iuſtificatione; fere enim non eſt aſſignabile obiectum vllum, quod quamuis amatum, vel odio habitum ſtare nequeat cum peccato, ſtabit autem bene huius deletio, ſi admittatur actus proprius ab amore, ſeu volitione, & cognitione enunciatiua diſtinctus; qui dicat *condono* vel *remitto*. per quem actum peccatum denominabitur *condonatum & remiſſum*. quidquid ſit de obiecto, quod tunc virtualiter ametur vel habeatur odio vt aſſerit P. Arriaga d. 2. de leg. ſect. 5. Ouiedo contr. 4. p. 5. num. 119. Hinc ad 3. in §. 67. pro prima ſententia facile reſpondeo ſufficere perfectiſſimo modo operandi quod Deus operetur per determinationem rationis poſitam §. 70. vel ſi mauis per ſcientiam viſionis in §. 59. Denique ſententia 2. in §. 68. nil officit, facile enim dico, vel hunc eſſe modum operandi omnis agentis cognoſcitiui etiam irrationalis; vel ſaltem in rationali perfectiſſimo qualis eſt Deus ob modos loquendi ſcripturarum vt dixi hic ob quos licet forte euidens non ſit ſententia poſita hucuſque eſt ſaltem probabilior.

ARTICVLVS IX.

Vtrum Deus habeat ſcientiam non entium.

72 AGit S. Thomas de hac difficultate 1. diſtinction. 38. artic. 4. in quæſtion. vnic. & quæſtion. 1. de veritat. artic. 8. & 1. contr. Gent. cap. 69. in præſenti autem artic. 9. Probat Sanct. Thomas à Deo cognoſci etiam ea, quæ non ſunt in aliqua differentia temporis, quia licet iſta non ſint actu ſimpliciter, at vere ſunt ſecundum quid ſeu in potentia, Deum autem nulla veritas latere debet.

73 Dubitatur primò. An Deus cognoſcat, & quo modo creaturas poſſibiles? de his agit præcipue Sanct. Thomas in præſenti vt patet ex §. præced. & ego egi late à diputation. 41. vſque ad 44. incluſiue.

An Deus cognoſcat creaturas poſſibiles.

Dubitatur ſecundo: An, & quatenus diſtinguantur ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, & an admitenda ſit noua ſcientia media inter vtramque de hoc egi diſp. 45. ſect. 5. & 6. 74

An & quatenus diſtinguantur ſcientia ſimplicis intelligentia & viſionis.

Dubitatur tertio: ſpecialiter an admittenda ſit in Deo ſcientia conditionata rerum contingentium de hoc egi late à diſp. 51. vſque ad 54. incluſiue, & iterum dicam ad articul. 13. hic & §. 124.

An admittenda ſit in Deo ſcientia conditionata rerum contingentium.

Dubitatur quarto: An Deus habeat ſcientiam non entium, non ſolum actu, ſed etiam poſſibiliter, quæ ſcilicet puræ carentiæ, & negationes ſunt. de hoc egi diſp. 55. ſect. 1. 75

An Deus habeat ſcientiam non entium.

Dubitatur quinto: An Deus cognoſcat, vel etiam efficiat entia rationis ficta, quæ nullum verum eſſe habent nec negatiuum, à parte rei, ſed ſolum obiectiue per puram fictionem in intellectu? de hoc egi diſp. 55. ſect. 2. & ſeqq.

An Deus cognoſcat; vel etiam efficiat entia rationis ficta.

ARTICVLVS X.

Vtrum Deus cognoſcat mala.

DE hac difficultate agit S. Thomas 1. diſt. 36. quæſt. 1. art. 2. & quæſt. etiam 1. art. 2. in ſcrip. ſentent. ad Annib. & quæſt. 2. de verit. articulo 15. & 1. contra Gent. cap. 71. & quodlib. 11. quæſt. 1. art. vnic. In præſenti autem artic. 10. probat Deum cognoſcere mala, quia cum omnia bona cognoſcat, cognoſcere etiam debet mala, quæ illis accidunt, ſuntque illius priuationes. 77

Dubitatur primò: An Deus cognoſcat priuationes immediate, & directe in ſe ipſis, vel ſolum indirecte de hoc egi diſp. 55. ſect. 1. 78

An Deus cognoſcat priuationes immediate, & directe in ſeipſis.

Dubitatur ſecundo: An mala culpæ cognoſcat Deus per ſpeciem boni creati: vel præcisè dependenter à ſui cognitione? dubitatio hæc dependet ab ea quæſtione an peccatum vt tale formaliter ſumatur per oppoſitionem cum Deo, an vero per oppoſitionem cum bono virtutis creatæ, quo priuat, & quod neceſſario ſit præcognoſcendum, vt peccati malitia appareat. Prima ſententia cenſet ſcientiam Dei de peccato non pendere à cognitione niſi ſummi & diuini boni. Ita Durand. 1. diſt. 36. quæſt. 1. art. 3. Palacios 1. diſt. 38. diſput. 1. in medio. Mouetur quia omne malum eſt tale per receſſum à ſummo bono, peccatumque formaliter conſtituitur per oppoſitionem ad legem Dei. 2. ſententia addit cognoſcendum eſſe bonum virtutis creatæ, ita Bannez Molina 1. part. quæſt. 14. art. 10. Valent. punct. 7. Vaſq. diſputation. 62. capit. 2. Suarez libro 3. de Attrib. cap. 3. num. 10. Becanus quæſtion. 14. capit. 10. Mouentur quia omnis priuatio cognoſcitur per formam, qua priuat, vt tenebræ per lucem. At peccatum non eſt priuatio Dei ſecundum ſe, ſed virtutis creatæ; quæ debebat ineſſe operanti, ſeu operationi. Ergo per ſpeciem huius boni *creati*; non autem *increati* repræſentatur Deo peccatum. 79

An & quomodo cognoſcat Deus mala culpæ.

An peccatum cognoſcatur per oppoſitionem cum bono creato.

Negat. Durand. Palac.

Affirmat. Bannes. Mol. Val. Vaſquez. Suarez. Bec.

Dubitatio iſta tangit quæſtionem de conſtitutiuo peccati de qua ad 1. 2. in tract. de peccatis breuiter iuxta ibi latius dicenda exiſtimo peccatum formaliter vt tale quantumuis commiſſionis ſit non ſatis intelligi niſi attento bono debito, ſiue negatiuo phyſicè, ſiue poſitiuo, quod operans debebat habere, vel conſeruare nemo enim peccat niſi, quia contra debitum agit; & obligationem quare quantumuis actio furti, ſeu furti commiſſio 80

Peccatum vt peccatum *eſt oppoſitum Deo*: vt malum *bono creato*.

conci

concipiatur contraria Deo, & eius legi, non intelligitur mala formaliter, niſi prout eſt in illo, qui tenebatur non furari. Et conſequenter debet attendi ad debitum non furandi. Nihilominus actio ipſa furti materialiter loquendo ſatis intelligitur peccaminoſa, dum poſitiuè contraria Deo concipitur; vt ibi latius dicam loco citato. Et ex his ſatis componi poſſunt ſententiæ in §. præcedenti, vt prima loquatur de peccato vt peccato, at ſecunda de illo vt malo formaliter.

81 Dubitatur tertiò: An idem actus etiam virtualiter qui eſt ſcientiæ de peccato ſit indiuiſibiliter etiam amor vel diſtinguendus ſit ab omni actu amoris ex natura rei? Reſpondeo: ſcientia Dei de peccato non ſolum virtualiter, ſed etiam realiter à parte rei diſtinguitur ab amore de peccato; at realiter, & formaliter eſt indiuiſim amor de ipſo Deo idem actus, qui eſt ſcientia de peccato. De quo egi diſputatione 15. ſectione 20. à §.177.

An idem virtualiter actus, qui eſt ſcientia de peccato, ſit amor?

ARTICVLVS XI.

Vtrùm Deus cognoſcat ſingularia?

82 DE hac difficultate agit S.Thom. 1. diſtinct.36. quæſt.1. artic.1. & d.35. ad Annibal. quæſt. vnica articulo quinto, & 1. contra gentes cap.63. vſque ad 72. & quæſtione ſecunda de veritate, articulo quarto, & quinto, & opuſculo tertio, cap.134. & 135. in præſenti autem articulo vndecimo. Probat Deum cognoſcere ſingularia, quia cognoſcit omnia ad quæ ſe extendit diuina virtus, hæc autem ſingularia attingit, & præcontinet ſiquidem ipſa vt talia producit.

83 Dubitatur primò: An cognoſcat ſingularia ſolo numero diſtincta in ſeipſo. De hoc egi in hac quæſtione decimaquarta, articulo 6.§.40. vide alias dubitationes quas poſui eo artic.6. quæ excitari etiam poſſunt hic.

An cognoſcat Deus ſingularia ſolo numero diſtincta in ſeipſo?

84 Dubitatur ſecundò: An cognoſcat vniuerſalia? Maior ratio dubitandi eſt quoad hunc cognoſcendi modum, vtpote qui deum dedecet, cum imperfectionem; & confuſionem includat. Et quidem loquendo, realiter certum eſt nunquam in Deo inueniri cognitionem ſic in vniuerſali, vt non attingat in particulari rem vſque ad vltimam differentiam. Cæterum dubitatio procedere poteſt ratione noſtra; & ratio dubitandi eſt, quia ratione noſtra poteſt concipi Deus vt cognoſcens *animal*, quin concipiatur vt cognoſcens *rationale*, & ſimiliter vt cognoſcens *homo*, & non ſingularia: ergo ratione noſtra dabitur in Deo cognitio præciſiua; & conſequenter faciens vniuerſale. Sed huic argumento, & dubitationi reſpondi diſputatione 45. ſect.2. & 3.

An cognoſcat vniuerſalia?

85 Sed pro cognitione Dei præciſiua obiicies notitiam quam habet Deus reflexè de obiecto in cognitione noſtra faciente vniuerſale: nam in tali cognitione reflexè cognita, & per modum medij nequit cognoſci obiectum niſi vti per ipſam repræſentatur: ergo præciſiuè, & in confuſo apparebit obiectum & in vniuerſali, non autem ſecundum rationem, & differentiam ſingularem. Huic argumento quod commune eſt vt Deus cognoſcat entia rationis ſolutum eſt à me diſp 55.ſect.4.§.19.

Dubitatur tertiò: An omnia cognoſcat Deus in ſingulari, & in eſſe determinato. Ratio negandi eſt propter cognitionem diſiunctiuam quam aliqui Theologi recentiores admittunt in Deo. Primò, quia dum Deus pro ſigno prioritatis comprehendit cauſam indifferentem in illa, nullum extremum determinatum cognoſcit, aliunde autem cum videat ipſam eſſentialiter connecti cum aliquo extremo vage, ſeu eſſe neceſſitatem exiſtendi vnum è duobus Deus comprehendens naturam noſtræ voluntatis dicet: *Neceſſe eſt exiſtere actum, vel eius omiſſionem.* Secundò, ideo admittitur in ſchola Societatis ſcientia media inter abſolutam viſionis, & ſimplicis intelligentiæ; quia dabilis eſt à parte rei veritas, quæ neque ſit purè poſſibilis, neque item futura abſolutè; atqui ſimiliter diſtincta veritas eſt eſſe rem futuram abſolutè in eſſe determinato, & in eſſe diſiunctiuo; vt patet, nam hæc eſt vera: *Secundus mundus exiſtit, vel non exiſtit neceſſario.* Cum tamen nulla pars determinata ſit neceſſaria: ergo. Tertiò, ipſa ſcientia conditionata nil aliud eſt quam diſiunctiua dicere namque *ſi exiſtat auxilium conuertetur* perinde eſt ac dicere: *vel non exiſtet auxilium, vel conuertetur.* Denique id patet in hac veritate. *Aliquis oculus requiritur ad videndum* quæ non poteſt aliter cognoſci à Deo quam diſiunctiuè, ſemper enim in *eſſe* determinato eſt falſa, Nihilominus ſecunda ſententia omnino negat eſſe poſſibilem in Deo cognitionem diſiunctiuam mouetur, quia talis cognitio indicat confuſionem, & ambiguitatem animi, quæ imperfecta ſunt. Ita P. Hurtado Salmanticinus diſp.137. de charitate ſectione prima §. quarto, item Auctor quidam Anonymus libro de ordine capite vigeſimoquarto, vbi odio habet omnem ſcientiam, quæ abſoluiè, & determinatè non procedit in Deo. Alarcon d.1. de Prædeſt. capite ſeptimo, numero trigeſimooctauo. 86

An omnia cognoſcat in ſingulari? An vero ſit capax cognitionis diſiunctiuæ.

Ratio affirmandi.

Hemelman tom.1. in 1. parte 7. diſp. 3. per totam Ruiz tom de Prouidēt. diſp.8. ſect. 4 n.21.

Ratio negandi.

P. Hurt. Auct. Anon.

Mea ſententia ſit, implicat in Deo cognitio directè diſiunctiua, ſecus indirectè, & in alio, verbi gratia, implicat quod Deus procedat diſiunctiuè loquendo in recto per ly *eſt*. De aliquo ſiue per modum ſubiecti, ſiue per modum prædicati; ſecus per modum obliqui. Nequit ſcilicet dicere: *Petrus ſtat, vel ſedet.* Neque item *Petrus, vel Paulus ſtat.* At dicere poteſt Deus *neceſſe eſt Petrum ſtare, vel non ſtare.* Probatur quia nil poteſt cognoſci à Deo niſi vt eſt à parte rei, at res à parte rei determinatè eſt; vel determinatè non eſt: ergo opus eſt vt vnum è duobus determinatè cognoſcatur à Deo in ordine ad *eſſe* ſeu in recto. Hinc ſecunda pars concluſionis probatur de diſiunctione in ordine ad aliquod munus, ſeu indirectè, & in obliquo: nam ſic à parte rei contingit diſiunctio. Quamuis enim à parte rei in ordine ad exiſtentiam intrinſecam vel ad munera inuoluentia exiſtentiam quidquid eſt, determinatè ſit. At verè in ordine ad verificandam, verbi gratia, hanc propoſitionem *Petrus, vel Paulus currit* vnus diſiunctiuè ſufficit. Item voluntas noſtra diſiunctiuè connectitur cum actu vel eius omiſſione diſiunctiuè obligat decretum Dei: *Afferte mihi par turturum aut duos pullos columbarum.* Diſiunctiuè denique requiritur aliquis oculus ad videndum: ergo quod hæc prædicata diſiunctiuè procedere poterit ſcientia Dei. Confirmatur ſi non ſtet per defectum veritatis obiectiuæ non eſt 87

Implicat Deo cognitio diſiunctiua directa, ſecus indirecta.

cut magis repugnet ſcientiæ Dei diſiunctio ſeu ly *vel* quam *copulatio* per ly *&*. Atqui modus tendendi copulatiuus Dei ſcientiæ competit; ſic ſcit Chriſtum eſſe Deum, & hominem, ergo & modus diſiunctiuus cum etiam verum ſit v. g. aliquod Chriſti meritum diſiunctiue acceptum ad noſtram ſalutem requiri.

88 Ad argumenta oppoſita pro prima ſententia in §. 86. ſi intendat etiam directe, & abſolute conuenire Deo cognitionem indeterminatam, & diſiunctiuam. Reſpondeo ad primũ pro ſigno prioritatis ſcit quidem Deus voluntatem diſiunctiue connecti; at non ideo de ipſo exercitio dicit directè *exiſtit vel non exiſtit*: quemadmodum ſcit quidem in voluntate inclinate moraliter ad opus: eſſe moralem neceſſitatem vt exiſtat opus, at non ideo dicit: *exiſtit opus*. Quare licet pro illo ſigno priori nullum cognoſcat Deus extremum determinate exiſtens; at non ideo affirmat indeterminate exiſtentiam. Ad ſecundum, licet Deus habeat illam propoſitionem: *neceſſario exiſtit, vel non exiſtit mundus*: at non ideo procedit directe ſenſu diſiunctiuo; nam determinate dicit *neceſſarium eſt*: quod mundus exiſtat, vel non exiſtat. In qua propoſitione modus de neceſſe, qui directe tangitur, determinate cognoſcitur. Ad tertium licet, quoad nos conditionalis æquiualeat diſiunctiuæ. At Deus qui determinate, dicit *non exiſtit auxilium* non poteſt vti ly *vel* quis enim prudenter dicet: Aut non exiſtit auxilium *aut exiſtit conuerſio*, dum immediate & abſolute videt auxilium non exiſtere: bene autem & prudenter quis dicit *non exiſtit, ſed ſi exiſteret, &c.* Ad quartum illa propoſitio: *aliquis oculus requiritur ad videndum* perinde eſt ac ad videndum datur potentia adæquata in dextro, & in ſiniſtro, vel ſi procedat diſiunctiue: vtitur pro modo directe attacto ly *requiritur* vti propoſitio, quæ eſt *de neceſſe*. Ad ſententiam negantem facilius reſpondeo, ſine vlla confuſione poſſe dari diſiunctionem indirectam, vt ſatis patet ex §. præced.

ARTICVLVS XII.

Vtrum Deus poſſit cognoſcere infinita.

89 DE hac difficultate agit S. Thomas 3. part. qu. 10 art. 3. & 1. d. 39. quæſt. 1. art. 3. & q. 2. de verit. art. 9. & 1. contr. Gent. cap. 69. & 71. In præſenti autem art. 12. probat ſcientiam Dei ſe extendere ad infinita: quia non ſolum ea quæ ſunt, ſed etiam quæ continentur in ſua, vel creaturarum potentia cognoſcit; ſunt autem ea infinita. Imo etiam per ſcientiam viſionis infinita cognoſcit, quia ſcit cogitationes Beatorum, quæ in æternum multiplicabuntur infinitæ.

90 *An Deus cognoſcat infinita Cathegorematicè.* *Negat.* Durand. Almain. Suarez. Tanner. Val. Auerſa. Bart. Amic. Ioſeph. Aug. Granad. Raguſa.

Dubitatur primò. An Deus cognoſcat infinita ita vt in ſcientia Dei ſint infinita Cathegorematice? Non dubitatur, inter Catholicos Deum cognoſcere infinita cum nulla creatura ſit inuiſibilis in conſpectu eius, creaturæ autem poſſibiles ſint in infinitum vt docetur contra Vvicleph. reſtat ergo dubitatio poſita. In qua prima ſententia negat infinitatem Cathegorematicam: ita Durand. 1. diſt. 39. quæſt. 2. Almain. 3. d. 14. quæſt. 1. Suarez tom. 2. in 3. p. ſect. 3. Tanner. 1. part. quæſt. 14. art. 12. Valent. ibi: Auerſa q. 14. ſect. 8. Bartol. Amic. in Phyſ. tr. 18. q. 6. dub. 5. P. Ioſeph. Aug. 1. p. q. 7. art. 4. n. 68. & Granad. tr. 2. de ſcient. diſp. 1. num. 7. Mouentur quia Deus ſolum cognoſcit obiecta vt ſunt non verò vt eſſe repugnant; Atqui creaturæ nequeunt eſſe infinitæ cathegorematice. Ergo non ſunt poſſibiles infinitæ cathegorematice, & conſequenter neque vt ſic cognoſcentur. Confirmatur creaturæ poſſibiles in ſe intrinſece condiſtinctæ à cognitione non ſunt in ſe ipſis actu, ergo nec ſunt infinitæ actu vt eſt euidens ex terminis, ſed neque extrinſeca denominatione à ſcientia, vel potentia (in qua omnes creaturæ ſunt vnum quid immultiplicatum, eſto per eius actionem in infinitum multiplicari queant) illarum multitudo eſt actu infinita numero. Ergo nullo modo creaturæ exiſtentes in mente Dei ſunt actu infinitæ. Vide Raguſam d. 39. de Incarnat.

Secunda ſententia affirmat: ita Vaſquez diſp. 63. cap. 2. Ruiz d. 20. de ſcient. ſect. 3. Alarcon. Molina Arrubal cum Amico. hic tom. 1. in 1. p. diſp. 12. à n. 336. Mouentur quia infinitum cathegorematicum eſt illud in quo tanta multitudo continetur actu, vt ſemper reſtet aliquid accipiendum ex tali multitudine, careatque prima, & vltima. Atqui ex multitudine creaturarum, quæ ſunt in mente Dei ſemper poteſt extrahi alia, & alia, quin vnquam extrahatur vltima. ergo talis multitudo erit infinita. Confirmatur ſi omnes creaturæ quæ ſunt in mente Dei ponerentur exiſtentes realiter, ponerentur infinitæ actu. Ergo ſignum eſt quod creaturæ cognitæ ſint actu infinitæ. Probatur clare cõſequentia à ſimili, ſi aliquis actu cognoſceret eam multitudinem creaturarum, quæ ſi daretur à parte rei contineret mille creaturas cenſerentur mille creaturæ actu fuiſſe in mente cognoſcentis. Ergo ſimiliter. Vnde apparet confirmationem in §. præc. nullam eſſe; ſi enim creaturæ poſſibiles ſunt in mente Dei actu mille, licet intrinſece nullum eſſe habeant, ſed ſolum in ſcientia, vel omnipotentia; quæ vnica ſima eſt; cur non idem dicemus de numero infinito? ita etiam ſentit P. Ioann. Martinon. 1. p. diſp. 22. ſect. 6. n. 43. 91

Affirmant. Vaſquez. Alarcon. Mol. Arrubal. Franc. Amic. Martinón.

Ego exiſtimo veram eſſe hanc ſecundam ſententiam, ſecluſiſque vocibus in ſcientia Dei eſſe infinita cathegorematicè. Probatur primo à contrario in omnipotentia, quæ ideo nequit producere actu infinita, quia nequit tot producere, quin plura poſſit de nouo producere. At ſcientia Dei ita plura cognoſcit, vt vltra aliquid non cognoſcat actu. Ergo vel dicendum eſt ſolum poſſe cognoſcere, finita, vel actu infinita cognoſcere, etenim quoad munus ſciendi non eſt in Deo potentia in actu primo, ſed æqualis cum ſuo actu ſecundo, vnde confirmatur ſi Deus in actu produceret tot, quin plures poſſet, æquareturque actus ſecundus primo forent infinitæ cathegorematice creaturæ productæ. Ergo cum æquetur actus cognoſcendi potentiæ etiam erunt infinitæ *cognitæ*. Secundo arguo ille intellectus ſciret infinita poſſibilia ſyncathegorematice, qui tot poſſet cognoſcere, vt vltra poſſet plures. Ergo cum Deus plures non poſſit ſciet infinitas categorematice. Tertio eſſe *actu cognitum* aliquem numerum poſſibiliũ non impeditur eo quod talia poſſibilia nequeant ſimul exiſtere, etenim in noſtra cognitione exiſtit intentionaliter actu, ſeu actu cognoſcitur ſimultas lucis, & tenebrarum, vel etiam vtrumque extremũ, & tamen vtrumque exiſtere ſimul repugnat. At vt in nobis ſimul intentionaliter ſunt lux, & tenebræ, ita & in Deo infinita poſſibilia. ergo actu infinita dicentur cognoſci. 92

Defenditur, & probatur.

Ad argumentum in §. 90. Reſp. ex nuper dictis. 93

Ad

Ad confirmationem etiam patet ex dictis §.91.fine ſolumque probat illa poſſibilia non eſſe intrinſece cathegorematice, ſeu in eſſe reali, bene tamen in cognoſci. Dices primo aliter cognoſcit Deus infinita nunc quã ſi talia infinita poſſent ſic exiſtere cathegorematice. Sed tunc diceretur cognoſcere infinita cathegorematice ergo non in ſententia quam ſupponimus, quod repugnet infinitum in actu. Reſpondeo tunc in contraria ſententia id diſcrimen eſſet quod Deus in ſua ſcientia haberet creaturas poſſibiles cathegorematice infinitas, de quibus diceret poſſe in actu ut ſic infinitas exiſtere, at per hoc nil tollitur de præſenti infinitate vt dixi §. præced. fine. Dices ſecundo quia pars continui eſt diuiſibilis in infinitum implicat quod Deus videat infinitas diuiſiones actu, & cathegorematice, ſed opus eſt vt ſemper remaneat noua diuiſio poſſibilis, etiam ſyncathegorematice in ſcientia Dei; alias iam Deus videret aliquam partem, quæ vlterius diuidi non poſſet, ſeu quæ diuiſibilis non ſit quod non minus implicat, quam videre hominem, qui rationalis non ſit; non enim minus eſt de eſſentia cuiuſuis conſtitutiui Quantitatis eſſe diuiſibilem, quam de eſſentia hominis eſſe rationalem. Reſpondeo Deus actu videt omnes diuiſiones poſſibiles continui, ſicut videt omnes homines qui ſunt rationales, cæterum ſicut hinc non ſequitur quod videat Deus aliquem hominem non rationalem; ita dicendum de diuiſionibus, vt conſtabit dub. ſeq. In quo etiam ſoluam inſtantiam, quæ ex infinitate categorematica creaturarum in ſcientia Dei ſumitur ad infinitatem exiſtentium.

94 *An actu in ſcientia Dei ſint ſimul omnes creaturæ poſſibiles. Affirmat, & probat. Martin.*

Dubitatur ſecundo: An in ſcientia Dei ſint actu ſimul, & collectiue omnes creaturæ poſſibiles. Prima ſententia affirmat ita Authores relati §.91. & maxime P. Martinon diſp. 22. de Deo ſect. 4. n. 19. & 43. ſentiens oppoſitam ſententiam periculoſam. Mouetur primo quia quo perfectior eſt ſcientia eo plura cognoſcit collectiue. Ergo *omniſcientia* cognoſcet collectiue omnia. Secundò qui nil non ſumit; & nil relinquit extra, eius quod aſſumit totum ſumit, totum enim ex Ariſt. 3. phyſic. c. 7. tt. 63. & 64 cuius nil eſt extra definitur. At Deus nil relinquit incognitum ex poſſibilibus. ergo. Tertio quia Deus cognoſcit hoc, & illud, & illud ſine fine, quin vllũ poſſibile non cognoſcat. Quid autem aliud eſt *totũ*, & *omne* collectiue? Quarto Deus tot ſimul cognoſcit vt non habeat terminum collectio eorum, quæ cognoſcit, neque extrahi poſſit aliquid à collectione eorum, quæ ſimul cognoſcit. Ergo ſicut quia diſtributiue nullum eximi poteſt à cognitione Dei dicis ſaltem *diſtributiue. Quodlibet cognoſci à Deo*, ita & omne *collectiuè*.

95 *Negant Nominales.*

Secunda ſententia negat cum Authoribus citatis in §.90. quos, & Nominal. ſequuntur aliqui Recentiores apud Martinonem diſp. 22. §. 19. Mouentur 1. implicat quod Deus videat omnia hominum indiuidua poſſibilia, ſed eſſentialiter numerus poſſibilium eſt inexhauribilis, etiam quoad poſſibilitatem, nam quod vltra illam collectionem hominũ, alius non ſit poſſibilis, nec oritur ex incompoſſibilitate vnius poſſibilis cũ alio, quia in eſſe poſſibili, nec extrema ipſa contradictoria opponuntur, nec item ex defectu potentiæ Dei, vt patet, nec ex implicantia intrinſeca terminorum, ergo ex nullo. Dices ex eo quod ſupponantur: *omnes* homines, implicat autem aliquis vltra *omnes*. contra ideo dico non dari ly *omnes*. Secundo implicat quod ignis eo quod maior ſit, & maioris virtutis, ſit minus calefactiuus. Si autem Deus cognoſcit omnem ignem poſſibilem, iam ſcit ab ipſo non poſſe prodire ignefactionem Tertiò denique ſi ſemel Deus cognoſcit *omnitatem* ſeu totalitatem creaturarum hic inſtantur omnia argumenta, quæ afferri poſſunt contra finitum in actu, & maxime contra omnia poſſibilia vt videre eſt conſulenti dicta in quæſt. 7. n. 24. Vide Faſol. 1. p. q. 7. art. 3. & 4. dub. 13. §. 13.

Ego iuxta dicta loco citato quæſtione ſeptima §. vigeſimoquinto, ſentio Deum cognoſcere omnia poſſibilia, etiam *collectiue*, vt enim ibi noto perinde eſt cognoſcere ſimul infinita, ac cognoſcere omnia, quod attinet ad repugnantiam ſimultatis. Ratio hic eſt quia ni quæſtio ſit de nomine voce *omnium*, & *collectionis*, nil aliud dicimus, quam nullam eſſe creaturam ignotam Deo vel rogo quid ſignet ly *omne* in ordine ad cognitum niſi quod nulla maneat *incognita*; quemadmodum ſi nulla maneret improducta eo ipſo omnis creatura produceretur. Vide dicta hic §. 92. dices voce *omnium* intelligi tot creaturas vt vltra illas non ſit alia poſſibilis? Bene, ſed vltra creaturas cognitas à Deo nulla alia poſſibilis reſtat ergo cognoſcentur *omnes*. Dices ſecundo voce *omnium* intelligi quandam multitudinem determinabilem? contra: nam voce: *Nullius non* quæ apud bonos ſummuliſtas valet *omnis* non eſt opus comprehendi collectionẽ determinabilem; etenim iuxta fidem *non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu Dei*. Hebr. 4. & tamen nequit Deus collectionem determinare *cognitarum*. Ergo ſimiliter, nec ly *omnes* dicit collectionem. Confirmatur nam iuxta Hebr. 4. *omne*, & *nullum non* perinde eſt: *omnia ſunt aperta oculis eius, & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius*. Ergo eadem fide qua credimus nullam creaturam eſſe inuiſibilem, fateri debemus *omnem* eſſe eius oculis apertam. Denique ſi nomine *omnis* & *collectionis* velis accipere numerum determinatum, vel determinabilem, ſeu aſſignabilem; ſic tota quæſtio erit de nomine, nam ſub hoc titulo nemo intendit collectionem eſſe determinabilem, vel cognoſcere Deum aliquam creaturam vltra cognitas à ſe vt dicam §. 96

Ad argumenta igitur in §. 95. Reſpondeo ad primum concedo numerum poſſibilium eſſe inexhauribilem, ita vt implicet in terminis quocunque apprehenſo hominum numero alium vltra eſſe impoſſibilem, at hoc ideo eſt, quia implicat *aliũ vltra dari*, & eſt de ſubiecto non ſupponente. Quare cum dicis vltra collectionem cognitam à Deo non repugnat nouus homo. Supponis falſum, non quidem quatenus ponis *omnem hominẽ* cognoſci à Deo, ſed quatenus dicis *vltra*. Nam non eſt vltra vllo modum. Hinc ad ſecundo. *Omnis ignis* qui videtur à Deo non eſt ignefactiuus in ſtatu *omnitatis* ſi quidem vt ſic implicat exiſtere, nec de illo eſt prædicabile aliquod prædicatũ aliud quod imbibat exercitium phyſicum, ſed intentionale cognitionis. Vnde ad tertiũ, facilis eſt ſolutio, quia repugnãtiæ rationes maxime ſunt quoad munera phyſica, in quibus neceſſaria eſt determinabilitas, ſecus in cognitione; ſic nullus negabit repugnare à parte rei indiuiduũ vagum exiſtere, vel ſimultatem lucis, & tenebrarum, & tamen in mente bene repræſentantur. igitur Deus cognoſcit *omnes homines*. v. g. licet cognoſcat non poſſe dari omnes, & rurſus addat implicare in terminis hominem vlterius, & vlterius non eſſe poſſibilem, vtpote in quo inexhauribilis eſt poſſibilitas in eſſe rei, licet quaſi exhauriatur vel comprehendatur cognitione. 97

Vrgebis tamen cõtra dicta cum P. Faſol. 1. p. q. 7. art. 3. 98 *Obiectionibus ex P. Faſol. fit ſatis.*

art.3. & 4. dub.13. n.14. fine. Deus cognoſcit ira quamliber collectionem creatutarum, quas ſimul poreſt ponere à parte rei, vt nulla ſit collectio producibilis, quam non cognoſcat actu; & tamen nõ cognoſcit *omnes collectiones*. Similirerq; cognoſcit collectionem quamlibet finitã, & tamen non cognoſcit *omnem*. Etenim ſi omnẽ rogo, an talis collectio euaderet infinita ex additione vnius nouæ creaturæ, vel non? ſi primum: ergo non erat collectio illa finita, nam finitum ex additione finiti non infinitatur. Si ſecundũ: ergo in ea collectione non dantur omnia finita, ſiquidẽ hæc noua vnitas finita deficiebat. Ergo bene ſtat *nullam nõ cognoſci*, quin ramen cognoſcatur *omnis creatura*. Reſpondeo conſequẽter cognoſci à Deo omnẽ collectionem creatutarũ ſimul producibilium, vel finitarũ creaturarum; ar hanc collectionem eſſe indeterminabilẽ, ita vt dicere quod *detur collectio noua vltra illam*, ſit de ſubiecto non ſupponẽte, nullam enim collectionẽ determinat Deus, quam ſimul producere non poſſir. Sed inſtabis ſtatim: nõ poreſt producere collectionẽ omnium poſſibilium, ſiquidẽ repugnat infinitum cathegorematicum. Reſpondeo, ita eſt, ſed Deus non determinat, nec aſſignare poreſt quouſque ſe extendat hæc collectio.

ARTICVLVS XIII.

Vtrum ſcientia Dei ſit futurorum contingentium?

99 DE hac difficultate agit S.Th. in 1.diſt.38.q.1. art.5. & in 2. ſcripto ad Annibaldũ eãdẽ diſt. 38.q.2.art.1. & 1. contra genres c.67. & q.2. de veritate art.12. & quod lib.11.q.3. in præſenti autẽ articulo ideo probat Dum certò infallibiliter futura contingentia cognoſcere, quia eius intuitus fertur ab æterno ſuper omnia quouis tempore exiſtentia provt ſunt in ſua præſentialirate.

100 *An poſſit demonſtrari ratione naturali Deum ſcire futura contingẽtia?*

Dubir. 1. an hæc veritas poſſit ratione naturali demonſtrari. De hoc egi diſp.46. maximè ſect.2.

101 *An debeãt eſſe æternitati præſentia, vt cognoſcantur à Deo?*

Dubit. 2. an futura contingentia, vt cognoſcantur à Deo, debeant eſſe præſentia in æternitate? De hoc egi diſp.49. per totam.

102 *An creatura habeant realẽ præſentiam in æternitate?*

Dubit. 3. an creaturæ habeant realem, & entitatiuam præſentiam in æternirate? De hoc egi latiſſimè diſp.48. per totam: vbi ſtatui creaturas eſſe præſentes, & coexiſtentes æternitati Dei præſentia, & coexiſtentia Dei, non præſentia, & coexiſtentia propria. Vide etiam ſupra q. 10. maximè ad art.1. & 2.

103 *An & quomodo ſtet noſtra libertas cum diuina præſcientia?*

Dubit. 4. an, & quomodo ſtet noſtra libertas cum diuina præſcientia futurorum? ſeu de concordia præſcientiæ futurorum cum noſtra libertate, de qua egi diſp.47. per totam.

104 *An ſit ſub noſtra poteſtate facere in inſtanti operationis, ne Deus eã præſciuerit?*

Dubit. 5. an ſit ſub noſtra poteſtare facere, in tempore inſtantis operationis, ne Deus præſciuerit ab æterno nos operaturos? De hac dubiratione egi, diſp.47. ſect.2. & 3.

105 *An Deus futura cõtingentia abſoluta ſciat in medio antecedenter connexo cum operatione?*

Dubit. 6. an Deus futura contingentia abſoluta cognoſcat in aliquo decreto efficaci omnino antecedenti, prædeterminatione phyſicâ, vel aliquâ aliâ conditione vel causâ antecedenter, & eſſentialiter connexa cum operatione liberâ. De hoc in ſimili egi diſp.52. per rotam.

106 *An poſſit dari mediũ ab æterno in quo Deus ea cognoſcat?*

Dubit. 7. an dari poſſit aliquod medium poſitiuum ab æterno exiſtens, *à quo* phyſicè primò determinetur ſcientia Dei futurorum contingentium, ſeu *in quo* Deus certò cognoſcat futura contingentia abſoluta? De hoc egi diſput. 50. per totam.

Dubit. 8. an Deus cognoſcere poſſit certò futura contingentia in cauſis ſecundis indifferẽtibus. De hoc dicam hîc paulo infra, vbi de ſimili cognitione circa futura condirionata contingentia erit dubit. 20. §. 144. cum omnino ſimilis ſit ratio in vtriſque futuris. 107 *An ea poſſint cognoſci in ſuis cauſis indifferentibus?*

Dubit. 9. an Deus cognoſcere poſſit futura contingentia abſoluta in ſeipſis. De hoc egi diſp.53. per totam, loquens de futuris conditionatis, cum quibus par eſt conditio in abſolutis. 108 *An in ſeipſis cognoſci poſſint?*

Dubit. 10. ſpecialiter circa futura abſoluta, an cognoſci poſſint in aliquo complexo ex ſcientia diuina, & decreto? Affirmat P. Arriaga diſp.20. de ſcientia, ſect.3.n.14. nam complexum ex ſcientia condirionata, & decreto collatiuo eſſentialiter cõnectitur cũ futuritione abſolura operationis noſtræ contingentis. Etenim impoſſibile eſt, quòd Deus hæc duo habeat: *ſi dedero auxilium Petro, operabitur*: item: *Volo dare auxilium*; quin iam eo ipſo operatio Petri ſit abſolutè futura: tum ſic: ſed in medio eſſentialiter connexo cum operatione abſoluta optimè cognoſcitur talis operatio abſolute futura. Ergo Deus in prædicto cõplexo cognoſcet operationem contingentem abſolutè futuram. Quam ſententiam omnes noſtri, & cæteri authores, vt extra controuerſiam, ſupponunt. Ego tamen id controuerſum in hac ſentẽtia inuenio, ſit ne ſcientia vt talis, vel etiã voluntas diuina connexa eſſentialiter cum ſuo obiecto, de quo egi diſp.42. ſect.2. & 3. iuxta quas decidenda eſt præſens dubitatio. 109 *An in cõplexo ex ſcientia & decreto cognoſci poſſint?* *Senſus quæſtionis.*

Dubit. 11. An Deus cognoſcat ſua decreta, & volitiones liberas vt futuras? Procedit dubitatio de futuritione ratione noſtra, vel virtuali, nam ſuppono ex diſp. 61. decreta Dei eſſe æterna, & conſequenter realiter nunquam eſſe in ſtatu puræ futuritionis. 110 *An Deus ſuas volitiones liberas cognoſcat vt futuras? Senſus quæſtionis.*

111 *Affirmant* Suarez. Ruiz.

Prima ſententia affirmat. Ita Suarez in opuſculis lib.2. de ſcientia condirionata, c.8. n.5. Ruiz, diſp.26. de ſcientia, ſect.4.n.12. Mouentur primò, quia Deus in aliqua conditione iam poſitâ pro illo priori, antequam intelligatur decretum poteſt cognoſcere quid ſit ipſe facturus, vt in complexo cuiuſdam ſcientiæ reflexæ, & conditionis, ſeu hypotheſis, admodum quo id explicui dubiratione præcedenti. Tunc ſic, in hoc caſu, & pro eo ſigno non repræſentatur decretum vt exiſtens. Ergo aliqualiter *vt futurum*. Secundò: Deus cognoſcit ſua decreta adhuc dum exiſtunt *ſecundùm ſtatum poſſibilitatis*, eo quod hic ſtatus abſtrahit ab exiſtẽtia; & veritatem habet, ſiue decretũ exiſtat, ſiue non: ſimiliter cognoſcit ſua decreta vt futura ſub condirione, quia hoc, quod eſt exciturum fore decretũ incarnandi, ſi Adam peccaſſet, præſcindit ab eo quod in re exiſtat rale decretum. Tunc ſic: ſed etiã ſtatus *futuritionis* vt ſic præſcindit ab eo quod res exiſtat de præſenti; aliud enim eſt *exiſtere*; aliud *nunc exiſtere* in hac differentia temporis. Ergo adhuc quando datur decretum poterit cognoſci, ſecundum hunc ſtatum præciſum. Tertiò denique; quia modus, quo Deus videt ea decreta non dependet ab eo, quod actu ſint præſentia, ſed quantumuis inciperent iu tempore ſcitentur.

112 *Negant.* Vaſq. Albiz. Becan. Alarcon. Albertin. Turrian. Granad. Smiſing.

Secunda ſententia negat. Ita Vaſquez diſp.65. hîc, n.24. Becanus etiam hîc in primam partem, q.14.c.10.q.3.n.6. Albiz diſp.7. de ſcientia, ſect.4. verſ. vlt. Alarcon. 1.p.tract.2. diſp.3.c.1.n.7. & 8. Turrianus in ſelectis, opuſculo. 4. diſp. 1. dub.7. Albertinus, tom.1. corol.q.3. ex quarto principio, concl.4. Herize, diſp.7. cap.9. Granado, tract.4. diſp.1.

minum. Secundò potius cognitio intuitiuá communiter eſt in diuerſo ſigno *à quo*, ac ſuum obiectum, ſiquidē obiectum eſt prius natura reſpectu intuitionis ſui, ergo ſicut hæc poſterioritas *à quo* in obiecto non deſtruit præſentialitatem, nec facit obiectum comparari *vt præteritum*, quātumuis poſterioritas *in quo*, ſeu temporis id efficeret: ita licèt poſterioritate *à quo* ſit poſterius obiectū, adhuc poterit apparere vt præſens, attingique per ſcientiam intuitiuam viſionis, quæ ſit quaſi cauſa & principium prius *à quo* reſpectu obiecti: ſic dicam tom. ſequenti in tract. de Trin. Verbum procedere ex cognitione intuitiua de Spiritu ſancto.

120 *Sciētia viſionis nō eſt priòr* àquo *reſpectu decreti liberi.*

Nihilominus addo decreta libera diuina vt talia non poſſe procedere à ſcientia viſionis de ipſis ſeu non poſſe ſcientiam viſionis eſſe priorem *à quo* reſpectu ipſorum: poſſe tamen reſpectu aliorū. Prima pars patet, quia aliàs ea decreta nō eſſent libera, libertas enim volitionis petit, ne eius principium ſit connexum cum volitione libera ſed indifferens: item ſcientia viſionis cum habeatur à Deo contingenter, & non vt exercitiū immediatè liberum opus eſt vt habeatur ex determinatione alicuius voluntatis eligentis, ita vt *ideo videat Deus quia aliquis eum determinat ad videndum*; at ad videnda ſua decreta, & volitionem nemo eum determinat, niſi ipſa volitio libera; ergo iſta eſt ratio à priori reſpectu ſcientiæ viſionis, & non ècōtra. Secunda pars reſpectu aliorum decretorū, quæ non ſunt immediatè libera probatur facilè iuxta dicta §. 52. hic nam imperium reflexum, quo Deus vult ſuum decretum directum eſt prius *à quo* reſpectu decreti directi ſeu imperati: at tale imperans decretum, cum ſit efficax eſt indiuiſibiliter ſcientia viſionis de decreto imperato; ergo hoc imperatum eſt poſterius *à quo* reſpectu huius ſcientiæ viſionis. Vide quæ dixi hic §. 52.

121 Hinc facilè componuntur diuerſi modi dicendi in §. 118. ad primum à paritate proceſſionis verbi patet diſcrimen ex §. præcedenti, talis proceſſio namque non eſt libera. Ad ſecundum hinc etiam conſtat; quod autem additur Deum debere cognoſcere pro omni ſigno obiectum ſicut eſt in ſe falſum eſt; etenim quemadmodum ſufficit infinitæ ſcientiæ Dei quod in re cognoſcat actus liberos creatos, licèt non cognoſcat pro priori indifferētiæ voluntatis; ita ſufficiet, ſi in re cognoſcat ſua decreta vt exiſtentia, licèt non cognoſcat ipſa vt ſic exiſtentia pro ſigno ſuæ propriæ indifferātiæ; ſic iuxta omnes pro ſigno, pro quo Deus cognouit per ſcientiā ſimplicis intelligentiæ hunc mundū vt producibilem, & amabilem, ſeu decretabilem à ſua voluntate indifferenti, nondum illum vt exiſtentem concipiebat, aliàs ſcientia ſimplicis intelligentiæ non repræſentaret indifferenter. Quomodo autem cum hoc ſtet ſcientiam ſimplicis intelligentiæ non eſſe præciſiuam nec cognoſcere obiectum aliter ac eſt conſtat ex dictis diſp. 60. ſect. 2. §. 12. paulo ante medium in prima probatione ſecundæ concluſionis.

Apendix dubitationum in art. 13. S. Thomæ de ſcientia futurorum contingentium conditionatorum?

122 *Scientia cōditionata re antiquiſſima, nomine non ita.*

DE hac difficultate non egit in terminis S. Th. neque in præſenti, neque in vlla alia quæſtione; imo ſcientia hæc conditionata liberarum operationum, quas voluntas eliceret, ſi conſtitueretur in talibus circumſtantiis ab antiquis omnibus Theologis, non ſolum Patribus; ſed etiā ſcholaſticis nunquā ſerio & ex profeſſo diſcuſſa eſt vt bonus antiquitatis indagator omniſq; eruditionis ad miraculū vſque illuſtrator P. Didacus Ruiz de Montoïa obſeruat diſp. 61. de ſciētia ſect. 2. n. 1. item eodem non inferior in antiquorum teſtimoniis ſeruādis aſſiduus P. Dionyſius Petauius to. 1. Theol. dogm. l. 4. c. 8. n. 2. benè notat nullam de argumento huius ſcientiæ litterā antiquos PP. feciſſe, totāque ſcholarū iſtam quæſtionem eſſe è quibus ſcholis quotidiè innumeros, eoſque prægrādes libros prodire de hoc vno argumento cōſcriptos hoc ſæculo videmus, qui retro ante ſæculis ſolum legimus implicatā & obſcuram apud veteres huius ſcientiæ mentionem. Huius inquā ſciētiæ propria voce & vſitatis apud recentes Doctores terminis explicatæ; nam quoad rem ipſam manifeſtiſſimè eam vel ſupponunt vel exprimūt ſcripturæ ſacræ & cæteræ omnium SS. & veterū PP. vt latè demonſtrat P. Montoïa tom. de ſcientia lib. 4. per 50. ſect. benè latas in quibus omnibus id vnū intendit, & obtinet ſcientiā hanc conditionatam ab omnibus Doctoribus defenſam vel ſuppoſitā, de qua ego minus latè egi à diſp. 51. ad 54. incluſiuè in tract. 4. de ſcientia Dei. Hic autem attingā dubitationes, quæ communius excitantur circa hanc ſcientiam, vel vt leguntur apud auctores citatos & citandos, vel etiam ſiquid erit apud meas diſputationes.

Dubit. 13. quam certo ponenda ſit in Deo hæc ſcientia Zumel in præſenti diſp. 8. concl. 1. Thom. Pius diſp. 3. n. 5. aiunt oppoſitā exiſtimationē negantem *non eſſe ſatis tutam in fide*. Montepiloſus tom. 2 1. p. diſp. 31. art. 1. n. 8. ait eſſe *periculoſam in fide*. Ioannes de S. Thom. 1. p. diſp. 20. pag. 600. 9. *non poſſe ſine horrore defendi?* Vnde conatur defendere ſuos Thomiſtas aliquando ab hac fuiſſe ſententia, ſed conatum hunc irritum eſſe conſtabit legenti meam diſp. 51. ſect. 2. n. 5. item Montepiloſum ſupra n. 4. & 9. affirmantem ab hac ſententia eſſe omnes Thomiſtas: *donec aſſidua concertatione* (vt teſtatur Pennotus l. 3. propugnaculi c. 26. n. 2.) *cautiores facti infallibilem conditionatorum praſciētiam agnoſcere cœperunt*. Vide hanc ſcientiā ratione & auctoritate probatam diſp. 51 per totam. 123 *Quā certo ponenda ſit in Deo futurorū contingentium conditionatorum?* *Nō poteſt ſine periculo negari?*

Dubit. 14. an ſcientia hæc ſit vocanda *Media*, ſeu conſtituat tertium membrum ſcientiæ diuinæ medium inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & viſionis. Aliqui vehementer auerſantur vocem ſcientiæ *Mediæ* vnde etiam qui rem ipſam defendunt vt odium vocis fugiant nomen oderunt. Ita Aluarez, Cabezudo, Nauarrete, Ledeſma, Cabrera, Zumel, apud P. Ruiz diſp. 76. de ſciētia ſect. 3. Præterea recentior quidam Anonymus in lib. quem ſcripſit de ordine Pñemis excuſſo anno Domini 1640. qui totus eſt contra ſcientiā conditionatā ſpecialiter eam impugnat eo quod vocetur *Media*. Mouentur vnice ex auctoritate antiquorū maximè S. Th. qui nunquā meminerunt alterius ſcientiæ, quam *ſimplicis intelligentiæ, & viſionis*; quod ſi aliqui aliud membrum ſcilicet ſcientiæ *præciſionis* addiderūt, qua repræſentantur res præſcindentes ab ſtatu poſſibilitatis, vel futuritionis, talis ſcientia ad ſimplicem intelligentiā pertinet, vt notat P. Dionyſ. Petauius tom. 1. Theol. dog. lib. 6. cap. 8 n. 2. confirmatur: nam adæquatè, & contradictoriè opponuntur in obiectis eſſe futura & *non eſſe futura*: ergo benè ſub duplici ſcientia huic diuiſioni correſpondente infinita ſcientia 124 *An hæc ſciētia dicendā ſit Media?* *Negant* Aluarez. Cabezudo. Nauarrete. Ledeſma. Cabrera. Zumel. Autor Anon. *Scientia præciſionis.*

Dei continebitur, quin locus detur nouæ ſcientiæ. Confirmatur ſecundò: quia ſi placet membrum rerum non futurarum ſubdiuidere, vt aliæ ſint *non futura actu*, futuræ tamen *ſub conditione*; ſic etiam innumeras diuiſiones ſcientiæ poſſemus fingere, vt alia ſcientia *ſit præſentium*, alia *præteritarum*, vel *futurarum*, alia *futurarum ſub conditione* hac, & non ſub illa, &c. Confirmatur tertiò: quia futura conditionata nihil ponunt in eſſe, ergo manent ſimpliciter *non futura*; ergo non eſt cur pro ipſis ponatur nouum membrum ſcientiæ. Confirmatur quarto: quia non ponitur diſtincta ſcientia pro conditionatis neceſſariis, ſed hæc pertinet ad ſimplicem intelligentiam v. g. *ſi ſol oritur, dies eſt* eo quod per hanc ſcientiam nihil actu & abſolutè affirmetur de exiſtentia diei: ergo ſimiliter dicendum de conditionatis contingentibus.

125 *Affirmant* Molin. Fonſeca. Suarez. Maſcarenas. Leſſius. Albertin. Curiel. Vaſq. Diotal. Ruiz. Martinon. Petr. à S. Io. Albiz. Mendoz. Dola

Nihilominus omnino tenendum eſt ſcientiam conditionatã conſtituere tertium membrum diuiſionis, quod medium ſit inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & Viſionis, ideoque ſcientia conditionata iure appelletur *media* partiendaque ſit ex æquo ſcientia Dei in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, viſionis & *mediam*. Ita Molin. Fonſeca, Suar. Maſcarenas, Leſſius, Albertin. Curiel. Vaſq. Diotaleuius apud Didacum Ruiz diſp. 76. de ſciẽtia ſect. 3. n. 5. Martinon. diſp. 9. de ſciẽtia ſect. 12. frater Petrus à S. Ioſeph. in defenſione S. Thomæ diſp. 2. ſect. 10. Albiz diſp. 7. de ſcientia Dei ſect. vlt. Mendoza. q. 7. ſcholaſtica n. 16. Patet Ludonicus à Dola diſp. quadripartita de concurſu Dei 1. p. c. 3. Moueor cum his auctoribus: quia idem titulus, qui datur vt ſcientia viſionis diſtinguatur à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, datur etiã vt hæc ſcientia conditionata diſtinguatur ab vtraque: ergo ſicut ſcientia viſionis admittitur diſtincta, ita & ſcientia hæc cõditionata. Antecedens probatur: ideo ſciẽtia viſionis diſtinguitur à ſimplici intelligentia, quia ſtat in Deo ſcientia ſimplicis intelligentiæ de aliquo obiecto, quæ non ſit viſio de ipſo vt futuro abſolutè; ſimiliter autẽ poteſt dari ſine viſione de ipſo vt conditionato: ergo ſcientia ſimplicis intelligentiæ diſtinguetur à viſione cõditionata: rurſus ſtat viſio cõditionata ſine viſione abſolutâ; ergo ſcientia conditionata, quæ diſtinguitur à ſimplici intelligentia; diſtinguetur etiam à viſione, non minus, quam ab hac diſtinguitur ipſa ſcientia ſimplicis intelligentiæ.

Scientia Media conuenit partim cum ſimpl. intellig. partim cum viſi.

2. idem explicatur ex parte obiecti, quia enim futuritio abſoluta aliquid nouum addit ſupra poſſibilitatem & cum quo poſſibilitas rei non connectitur: ſtat enim bene rem eſſe poſſibilem, quin ideo inferatur *futuram eſſe abſolutè* datur diſtinctio. Sed ſimiliter ſtat poſſibilitas ſine futuritione conditionata, quæ aliquid actualitatis addit ſupra poſſibilitatem: rurſus cõditionata non connectitur cum abſoluta; ergo iure pro hoc triplici ſtatu obiecti triplex ſcientia in Deo diſtinguenda eſt. 3. ſcientia hæc conditionata conuenit cum ſimplici intelligẽtia in eo quod nihil actu ponat in eſſe per quod differt à viſione abſoluta: rurſus conuenit cum viſione abſoluta in eo quod reſpiciat aliquid variabile, & contingens: vnde & ipſa non neceſſario ineſt Deo; per quod differt à ſcientia ſimplicis intelligentiæ: ergo ſcientia iſta cõditionata eo quod aliquid participet de iſtis duabus optimo iure quaſi mixta, & media inter vtramque cenſenda eſt. Ita Palumbus, 1. p. q. 14. doct. 4. ſchol.

Hinc ad ſententiam oppoſitam in §. reſpondeo in re ſcientiam conditionatã comprehenſam eſſe apud antiquos nomine *ſcientiæ viſionis*, quidquid enim aliquid actualitatis habeat, eo ipſo ab antiquis explicatur vt obiectum ſubiectum verbo *cernendi, videndi, & intuendi*, vt latè oſtendit P. Didacus Ruiz ex Aug. Chryſoſt. Cyrillo Alex, Euthy, Policr. Olymp. Hug. Vict. Scholaſticis antiquis cũ Mag. & nouioribus cum S. Th. & S. Bonau. quos latè refert diſp. 76. de ſcientia, ſect. 2. vbi pro hac ſolutione varias coniecturas facit. At hoc nõ obſtat quin maioris claritatis gratia nos ipſam ſcientiam viſionis ſub diuidamus in viſionem abſolutam, & conditionam; vel etiam directè vocemus conditionatam ſcientiam *mediam*, eo quod proprietates plurimas habet quibus conuenit cum ſcientia ſimplicis intelligẽtiæ, vt conſtat ex §. præcedenti. Vnde plures antiqui ſcientiam hanc cõditionatam cum ſcientia poſſibilitatis confundũt vt videre eſt apud Montoia. diſp. 66. de ſcient. a ſect. 1. Ad primam confirmationẽ fateor adæquatè diuidi ſcientiam Dei in ſcientiam, quæ eſt de futuris abſolutis, & quæ non eſt de ſic futuris. Cæterum etiam *non futura* abſolutè ſub diuidi merito debent ob dicta §. præcedent. Ad ſecundam confirmationẽ multiplicandæ non ſunt in Deo ſcientiæ pro præſentibus, præteritis, & futuris. Tum quia omnia æquè ſunt Deo præſentia, vt dixi diſp. 48. tum etiam, quia alias ſcientia Dei eſſet variabilis vt notaui diſp. 49. ſect. 3. n. 8. cum Aug. tum denique, quia omnia, quæ ſunt *futura* eo ipſo ſunt *præſentia, & præterita* pro aliqua differentia temporis: at quæ ſunt conditionata non ideo ſunt abſolutè futura. Ad 3. confirm. conditionata nihil ponunt quidem abſolutè in eſſe, nihilominus aliquid addunt actualitatis ſupra poſſibilitatem, vt dixi §. præced. Ad 4. confirm. conditionata neceſſaria nihil addunt poſſibilitati, in neceſſariis nãque idem eſt poſſe eſſe, ac actu eſſe, ſi ponatur conditio: idem enim eſt poſſe eſſe diem, ſi ponatur ſol, ac futurum eſſe ſub conditione quod ponatur ſol. 126

Sub nomine viſionis comprehẽditur ab antiquis. Aug. Chryſoſt. Cirill. Alex. Euthy. Policr. Olymp. Hugo Vict. Magiſtr. S Thom. S. Bonau.

Dubit. 15 Quibus rationibus probetur in Deo hæc ſcientia conditionata, & an admittenda ſit ſcientia conditionata in Deo ſub cõditione *diſparata, impoſſibili, neceſſaria*, vel etiam contingenti, ſed quæ actu & abſolutè exiſtat. De his omnibus egi diſp. 51. per totam, vbi de ſcientia ſtrictè conditionali præcipuè egi per totam ſect. 3. de conditionata vero ſub conditione diſparata breuius diſp. 51. n. 22. de qua latè P. Ruiz, diſp. 58. ſect. 2. Suarez lib. 2. de ſcientia contingentium c. 6. n. 4. & c. 7. n. 5. & 13. Fonſec. 6. Metaph. c. 2. q. 4. ſect. 10. Curiel lib. 1. controu. 7. art. 3. n. 162. hanc ſcientiã Deo concedentes contra Vaſq. hic diſp. 67. c 4. à n. 23. Leſſium c. 19. de gratiæ efficacia n. 3. qui duo licet concedant à Deo cognoſci hanc veritatem, quã nos ſignificamus per hęc verba *ſi Turca ſaltat, Papa dormit*: at addunt à Deo non exprimi conditionaliter, ſed tẽporaliter, vt ego dixi diſp. 51. §. 22. *in eodẽ inſtanti ſeu quãdo Turca ſaltat, Papa dormit.* Vnde quoad rem ipſam hic nulla cõtrouerſia eſt. 127

Quibus rationibus probetur? & an admittenda in Deo ſcientia ſub conditione diſparata, impoſſibili, vel neceſſaria?

Sub conditione diſparata Affirmant. Ruiz. Suarez. Fonſec. Curiel. *Nego cum* Vaſq. Leſſio.

Quando conditio eſt impoſſibilis, ſi non comparetur vt indifferens; ſed vt determinata reſpectu conditionati. V. g. *ſi Spiritus ſanctus non procederet à filio diſtingueretur ab illo*: ſine dubio talis veritas vt ſic quoad nos cognoſcibilis eſt, à Deoq; æquiualenter cognoſcitur, quis enim neget Deũ poſſe nobis reuelare veritatem circa hanc controuerſiam Theologicã *an ſi Spiritus S. non procederet*, &c. Dixi 128

Sub impoſſibili non indifferẽti. Affirmandum eſt.

æquiualenter:

æquiualenter: quia Deus ſuppoſitiones fictitias facere non poteſt. Iam vero ſi conditio impoſſibilis compatetur vt indifferens ad conditionatum tale conditionatum à Deo cognoſci ſatis indicat P. Arrig. diſp.21.de ſcientia num.44. vnde Deus ſciet an ſi tentetur chymæra conſentiet, ſimiliter P.Rainaudus in 2. p. explicationis libertatis cap.6. n. 29. Ioannes.Poncius in ſuo curſu Philoſ. diſp.26. quæſt.10. n.76. & 77. his fictionibus explicant obiectum ſcientiæ mediæ putantes Deum præuidere quid voluntas noſtra ageret ſi liberè operari poſſet abſque concurſu diuino, & ex hac præſcientia dirigi ad præbendum ſuum concurſum præuiſæ inclinationi Voluntatis. Sed hæc omnino neganda ſunt iuxta dicta à me diſp. 51.n.23. & 24.

129 Iam vero ſi loquamur de conditione neceſſaria, ſeu neceſſario connexa cum conditionato poſſibili; dicendum eſt talem ſcientiam non diſtingui à ſimplici intelligentia, vt dixi dubit. præcedenti. §. 126. ſi denique loquamur de conditione poſſibili dum actu exiſtit ea conditio, & conſequenter futurum conditionatum non eſt purè conditionatum, ſed tranſit in abſolutum dicendum eſt adhuc tale conditionatum eſſe obiectum ſcientiæ Mediæ vt dixi diſp.51.n.20.

Sub poſſibili non indifferenti non eſt ſciẽtia media, ſed ſimpl. intellig.

130 Dubit. 16. An Deus habeat hanc ſcientiam ante omne decretum liberum ſuæ voluntatis, ſeu an cognoſcat futura conditionata contingentia ante decretum efficax ſuæ voluntatis abſolutum ex parte ſubiecti & conditionatum ex parte obiecti, de quo egi latè diſp.52. per totam referens pro ſententia negante ſolum recentiores Thomiſtas cum Aluarez diſp. 7. de auxiliis & toto opuſculo reſponſionum. Albelda. 1. p. diſp.43. ſect. 3. Iuan. de S. Thoma hic diſp. 20. contra quos ſunt alij Dominicani. Blaſius Verdum fol. 15. de auxiliis fine. ibi *non eſt admittendum iſtud decretum conditionatum. vtpotè in perfectiſſima libertate diuina otioſum.* Nauarrete.tom.1.controu. 56.pag. 352. ait *decreta pure conditionata de quocunque obiecto eſſe manifeſtè contra S. Thomam, qui ſemper exegit aliquam phyſicam mutationem in rebus ad complendum quodlibet decretum liberum.* Ledeſma diſp. 2. de auxiliis pag. 582. concluſione 2. ait decreta hæc *eſſe falſa, & improbabilia.* Fundamenta pro ſententia Recentiorum Thomiſtarum dedi & impugnaui diſp. 52. citata ſect. 2. & 8. & larius dabo in tract. de auxiliis.

An Deus habeat ſcientiã conditionatã ante decretum efficax ſuæ voluntatis.
Affirmant Thomiſtæ Recentes hic, & §.154.
Ex Dominicanis negant. Verdu. Nauarr. Ledeſma.

131 Contraria ſententia affirmans eam ſcientiam ante omnia decreta libera defendũt tanquam veriſſimam omnes Doctores noſtri cum Molina 1. p. quæſt. 14. diſp. 17. & in concordia diſp. 50. Fonſeca 6. Metaph.cap.2.quæſt.4. ſect. 8. Valent. quæſt. 14. diſp.1. punct.5. Vaſq. diſp.67. cap.4. Suar. lib.2. de ſcientia conditionata in opuſculis & tom.1. de gratia proleg.2. cap.5. Bellarminus, lib. 4. de gratia & lib. at. in 5. arg. & in recognitionibus ad cap.14. dicti lib.9. de gratia §. *deinde idem.* Leſſius, de gratia efficaci cap. 19. Albertin. tom. 1. quæſt. 4. Theol. in 4. corolario dubit. 1. & 2. Becan. 1.p.tract.1.cap.10.q.9. Arrubal. diſp. 42. cap. 3. Heriz. diſp. 2. cap. 7. Granad. diſp. 4. Merat. diſp.28. ſect.4. Tanner. diſp.2. q.6. dub.8. Ruizius, tom. integro de ſcientia maximè à diſp. 70. Faſol. hoc art.13. dub.17. à num.283. Alarc. diſp.4. cap.6. Monetus in diſp. Theol. diſp.3.c.9. & 16. P. Annatus integro lib. aduerſus oppugnatores ſcientiæ mediæ. Martinon. diſp. 9. de Deo, ſect.17. Recupitus, tom.2. in 1.p. lib.1. q.27. & 28. Ribas 1. p.tract.4. diſp.6.cap.5. Gaſpar. Hur. difficultate 10. de ſcientia Dei, Ripald. tom 2. de ente ſupernaturali diſp. 117. ſect.5. & tom.3. ferè per totum. Franciſcus de Lugo tom.1.in 1.p. diſp. 37. cap.1. Amicus diſp.10. de ſcientia Dei à num.179. Arriag. diſp.21. de ſcientia vbi Sforcia. Antonius Perez, & Gaſpar. de Ribadeneira.

Ex ſchola Soc. Molin. Fonſeca. Valent. Vaſq. Suarez. Bellarm. Leſſius. Albert. Becan. Arrub. Heriz. Granad. Merat. Tanner. Ruiz. Faſol. Alarcon. Monet. Annat. Martinon. Recup. Ribas.
G.Hurt. Ripald. Franc.Lugo. Amicus. Arriaga. Sfortia. Anton.Per. Ribaden.

Er hi quidem auctores ex profeſſo hanc ſententiam ſequuntur: alij vero ſunt qui licet in tranſcurſu & per occaſionem non tamen minus viuide & ex animo eandem ſententiam exprimunt. Hurt. de Mendoça Conninch. Cardin. de Lugo, Raynaudus, Bretſerus, Gualterus, Brugeſius. Præpoſitus, Hemelman. Ouied; Zuniga, VVadingus, Perlines, Salmeron. Cornelius, Lorinus, Iuſtinianus, Antonius Fernandez, Mendoça, Pintus, Tirinus, Salianus, Adam Contzen. Gabriel Aluarez, Gordon, Vincentius Regius, Bonartius Baëza, Philippeo, cum & apud Paulum Leonardum in reſponſione ad expoſtulationes contra ſcientiam mediam part. 3. ſect. 11. n.52. Palumbus, 1.p.q.14.doctr.4.ſcholaſtic.§2. 132

Hurt. Mend. Connine. Card. Lugo. Raynaud. Bretſer. Bruges. Hemelm. Zunig. Perlin. Cornel. Iuſtin. Mendoz. Tirin Adã Contz. Gord. Bonart. Philip.
Gualter. Præp Ouied. VVadin. Salmer Lorin. Fernand. Pintus. Salian. Gab. Alb Vinc. Reg Baëza. Leonard.

Sed extra Doctores Societatis pro eadem ſententia ſunt: Illuſt. Epiſcopus Maſcarenas inquiſitor generalis in Luſitania tract. de auxiliis diſp. 2. & 3. Illuſt. Diotalleuius Epiſcopus & legatus à latere in regno Poloniæ ſub Paulo V. in opuſc. 2. de ſcientia conditionata cap.5. Illuſt. Belcarius Epiſcopus Merhenſis opuſc. contra Caluinum fol.62. Ex ſcotiſtarum ſchola Illuſt. Hugo Cauellus eam probans ex mente Scoti tom. 3. editionis Lugdunenſis in Scoti tract. de 1. principio cap.4 concluſione 4. n.8. ſcholio 3. Philippus Faber 1. ſentent. diſt. 39. diſp. 54. cap. 4. n. 37. Dola in diſp. quadripartita p. 1. c.3. n.8. §.5. *non poteſt*. Tamarit in floribus Theol. tract. de ſcientia Dei q.2. Franciſcus de Cauernulo in theſibus defenſis Salmanticæ in comitiis generalibus anno 1618. & excuſſis Patauij apud Laur. Paſ. Gregorius Pettoche tit. de ſapientia Dei n.11. Meuriſſe tom.2. Metaph. cap.3.p.5.q.3. ante primam concluſionem. Caſpenſis tom. 1. tract. de ſcient. Dei diſp.6. ſect.6. Pontius in curſu Phil. diſp.26.q.10. n.76. Ex Patribus Ciſtercien. Lorca 3. p. q. 1. art. 3. diſp. 20. memb.2. n.26. Petrus à S. Ioſeph. in defenſione S. Thom. ferè per totum, Euſtachius à S. Paulo 2.p. Philoſ. tract.2. diſp.1.q.3. Caberus tract.2. Phyſ. diſp.4 dub.4. n.9. Illuſt. Frat. Angelus Manrique lib. 3. controu.25 Ex Auguſtinian. Mendoza q.7. Scholaſtica, n. 3. 8. & 16. Puteanus 1.p.q.14.art.3. dubit.2. Albiz. diſp.7. de ſcienti. ſect.vlt. Pennotus lib.3. propugnaculi cap.28. & ſequentibus. Ex ſchola Minimorum, S. Franciſci de Paula, Ioannes Dutæreus in dialectico thea. lib. 2. cap. 8. Merſenus in cap. 1. Geneſ. verſ. 1. art.5. obiect.17. Rangolius in lib. 1. Regum cap. 17. verſ. 14. Quibus adde ex his qui nulli ſacræ familiæ religioſæ nomen dedere. Curiel. Gamachæ. Duuali Abra de Raconiſ. Malder. Stapleton. Peſant. Lucer. Thom. Pium. Philadeph, Tenam, Monteſin, VVigerſ, Vveſton, Dauſqui. Francum, quos refert & ſequitur Paulus Leonardus in reſponſion. ad expoſtulationes contra ſcientiam mediam p. 3. n. 49. Geruaſi, Vigon. tract. de auxiliis q.6. art.6. cap.6. fiat. Dermicius in nitela franciſcana pag. 46. 133

Ex aliis. Maſcar. Diotal. Belcar. Hugo Card. Faber. Dola. Tamarit. Cauernul. Petroch. Meuriſſ. Caſpenſ. Pontius. Lorca. Petr. à S.Io. Euſtach. Caber. Manriq. Mendoz. Putean. Albiz. Pennot. Duræle. Marſen. Rangol. Curiel. Gammach. Dual. Abra. Malder. Staplet. Peſant. Lucer. Th. Pius. Philadel. Tena. Montes. VVigers. Vueſton. Dauſqui. Franc. Geruas.

134 *Eidem ſentẽtiæ fauent Academiæ.* Pariſ. Salmant. Compl. Pint. Mogunt. Herbip. Louan. Sigunt. Granat. *Cõmendant.* Clem. VIII. Paul. V. & *inquiſ. ſupr. in Portug.*

Pro eadem ſententia eſſe vniuerſitates Pariſienſem, Salmant. Complut. Pintianam, Mogunt. Erbipolens, Louanienſ. Sigunt, Granat. oſtendit latè Paulus Leonardus nuper citatus. Item, quod maius eſt inquiſitio ſuprema in Regno Portugal. hanc ſententiam approbat in litteris, quas ſcripſit ad Clementem VIII. pro doctrina contenta in concordia Molin. ac denique ſumma auctoritas ſedis Apoſtolicæ ſub Clemente VIII. & Paulo V. vt retuli diſp. 53. ſect. 1. num. 2.

Pro eadem ſententia innumera Sacræ Scripturæ teſtimonia, SS. Patrum, & antiquorum Theologorum lege apud Didacum Ruiz, qui ea, quæ ex ſacra Scriptura ſumuntur expendit diſp.
135 62. de ſcientia 63. & 64. quæ ex antiquis Patribus diſp. 65. & 66. quæ ex ſcholaſticis diſp. 67. Ego teſtimonia ſacra dedi diſp. 52. ſect. 3. Ex SS. Patribus nihil ibi propoſui, vt breuitati ſcholarum ſtuderem, hic autem ſolum placet Auguſtinum, & S. Thomam adducere, qui vt Principes, Patroni, & Doctores venerandi ſunt in hac controuerſia, Auguſtinus quidem vt omnino irrefragabilis, S. autem Thomas inconcuſſæ etiam auctoritatis apud Thomiſtas.

136 S. Auguſt. Igitur S. Auguſtinus pro noſtra ſententia eſt lib. de dono perſeuerantiæ cap. 14. vbi ex diſcrimine conuerſionis futuræ ſub conditione à Sidoniis præ Iudæis ita infert: *ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant*: quæ verba clarè demonſtant D. Auguſtinum non putaſſe veritatem conditionalem fundari in decreto prædeterminante; ad hoc enim nihil prodeſt, quod homo ſit talis, vel talis ingenij, quicumque enim, cuiuſque tandem genij ſit operabitur ſi prædeterminetur ad obediendum verbis, quæ audit, vel ſignis, quæ conſpicit. Item tom. 4. lib. 1. ad ſimplicianum quæſt. 2. ad medium; *quod ſi tanta quoque poteſt eſſe obduratio voluntatis, vt contra omnes modos vocationis obdureſcat mentis auerſio, quæritur etiam vtrum de diuina pœna ſit ipſa duritia?* ſed nulla eſt mentis auerſio, quæ obdureſcat contra decretum prædeterminans, ergo nullus modus vocandi oritur à decreto prædeterminante. Denique ex aliis doctrinis Auguſtini de quibus latè agam in tract. de auxiliis euidenter colligitur Auguſt. pro nobis eſſe. Primò, quia vt componat præſcientiam cum libertate recuſat concedere eſſe antecedentem, ſed potius ideo à Deo præſciri peccatum futurum quia hoc futurum eſt, & non è contra, vt patet apud Ruiz diſp. 33. de ſcientia ſect. 3. ſi autem ſcientia nititur in decreto antecedenti, ipſa antecedens eſſet. Secundò lib. de corrept. & grat. cap. 5. & lib. 5. contra Iulianum cap. 3. docet Deum non vno modo, ſed innumeris, mirabilibus, & occultiſſimis hominem vocare vt ſic conſentiat, ſi autem tota efficacia conſiſteret in prædeterminatione vnus tantum eſſet modus. Tertiò docet cogitationem congruam, ſi homo velit fore incongruam. Ita quæſt. 2. ad ſimplicianum & in Pſalm. 142. & de corrept. & grat. cap. 10. 11. & 12. ſed de his plura in tract. citato de auxiliis.

137 S. Thomas. Modo audiatur S. Thom. Primò in quæſt. 6. de verit. art. 3. corpor. ad finem, Vbi certitudinem prædeſtinationis reducit ad varietatem & multitudinem auxiliorum, quæ Deus poteſt præparare libero arbitrio, quorum multitudine fiat vt non cadat, vel ſi ceciderit reſurgat, hoc autem inutiliter fieret à Deo, ſi vi ſui decreti antecedentis prædeterminaſſet, & certus eſſet de euentu conditionato, ſic enim tali decreto, vel prædeterminatione adhibita nullis aliis adminiculis indigeret ad certitudinem euentus, & ſcientiæ conditionatæ. Secundò generaliter docet futura contingentia ſolum cognoſci certo in ſe ipſis; ita 1. diſtinct. 38. quæſt. vnica. artic. 5. poſt medium corpor. *contingentia ad vtrumlibet in cauſis ſuis nullo modo cognoſci poſſunt, ſed quando efficiuntur iam in rerum natura, tunc habent in ſeipſis determinationem; & ideo quando ſunt in actu certitudinaliter cognoſcuntur, vt patet in eo, qui videt ſortem currere, quia ſortem currere, dum currit neceſſarium eſt, & certam cognitionem habere poteſt.* Idem repetit in præſenti quæſt. 14. artic. 13. ad medium corpor. ibi: *quicumque cognoſcit effectum contingentem, in cauſa ſua tantum, non habet de eo niſi coniecturalem cognitionem. Deus autem cognoſcit omnia contingentia, non ſolum prout ſunt in ſuis cauſis, ſed etiam prout vnumquodque eorum eſt actu in ſeipſo.* Vt quid autem S. Thom. diceret ſcientiam diuinam, vt certa ſit circa effectum contingentem debere eum cognoſcere in ſeipſo, ſi poſſibile admitteret decretum prædeterminans.

Eadem mens S. Thomæ apprimè exprimitur 138 ex celebri eius doctrina, qua affirmat voluntatem noſtram determinare ſeipſam, & non determinari ab alio; ita 2. diſtinct. 25. quæſt. 1. artic. 1. corpor. *in ſolum intellectum habentibus liberum arbitrium inuenitur, non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipſis agentibus.* Item diſtinct. 39. quæſt. 1. artic. 1. corpor. *quod voluntas exeat determinatè in hunc actum, vel in illum non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate.* Item 1. 2. quæſt. 1. artic. 2. corpor. *ad hoc quod agens determinatum effectum producat neceſſe eſt, quod determinetur ad aliquid certum, hæc autem determinatio in rationali natura per rationalem appetitum fit, qui dicitur voluntas.* Eandem doctrinam repetit quæſt. 9. artic. 3. ad 1. quæſt. 3. de malo artic. 3. ad 5. quæſt. 6. art. vnico. & alibi ſæpè, ex cuius mente Capreolus Thomiſt. Princeps in 2. diſtinct. 24. artic. 3. ad 6. *voluntas ratione ſuæ libertatis ſe determinat ad id quod vult, & ita non indiget alio determinante.* Ferrara lib. 1. contra Gentes cap. 82. verſ. *ad primum horum dicitur* ibi: *agens liberum non oportet ab aliquo extrinſeco determinari, ſed ipſum ratione ſuæ libertatis ſe determinare poteſt.* Sed de his iterum in tract. de auxiliis, in quo nouas etiam rationes adducam. vide §. 14.

Dubit. 17. an Deus cognoſcere poſſit futura 139 *An poſſint hæc futura in ſeipſis cognoſci.* hæc conditionata immediatè in ſeipſis. Hæc dubitatio continet ſtrictiſſimam explicationem ſcientiæ mediæ, vt ab auctoribus ſocietatis defenditur, eam ego latè explicui diſp. 53. per totam, colligiturque apertè fatentibus etiam aduerſariis ex eo quod Deus non videt hæc futura in decreto prædeterminante iuxta dicta dubit. præcedenti: item eſt de mente Patrum, dum comparant ſcientiam Dei reſpectu futuritionis noſtrarum operationum liberarum cum ſcientia, quam nos habemus de ipſis ex ſuppoſitione, quod ſunt, cui menti maximè conſonat S. Thomas, & Thomiſtæ

dum

dum pro cognoſcendis futuris liberis requirunt præſentiam ſeu coexiſtentiam illorum æternitati Dei, vt quid enim hæc requireretur ſi in ſe ipſis futura hæc non eſſent cognoſcenda. Hæc omnia tanquam primum principium certiſſimum ponit S. Thomas ſtatim initio huius articuli 13. corpor. ibi: *conſiderandum eſt quod contingens aliquod dupliciter poteſt conſiderari, vno modo in ſe ipſo ſecundum quod iam in actu eſt, & ſic non conſideratur vt futurum, ſed vt præſens: nec ad vtrumlibet contingens ſed vt determinatum ad vnum. Et propter hoc ſic infallibiliter ſubditur certæ cognitioni vt pote ſenſui viſus. ſicut cum video ſortẽ ſedere. Alio modo poteſt conſiderari contingens vt eſt in ſua cauſa. Et ſic conſideratur vt futurum, & vt contingens nondum determinatum ad vnum quia cauſa contingens ſe habet ad oppoſita, & ſic contingens nen ſubditur per certitudinem alicui cognitioni. Vnde quicunque cognoſcit effectum contingentem in cauſa ſua tantum non habet de eo niſi coniecturalem cognitionem. Deus autem cognoſcit omnia contingentia non ſolum prout ſunt in ſuis cauſis: ſed etiam prout vnumquodque eorum eſt actu in ſeipſo.*

140 *Argumentum ad hominem contra Thom.* Huius ſententiæ probationes dedi diſp. 53. citata ſect. 2. 3, & 4. quibus ſolum addere placet ad hominem contra Thomiſtas argumentum, quod tetigi diſp. 60. ſect. 3. circa in finem, quod militat tam pro ſcientia media, quam pro ſcientia abſoluta viſionis, Deus habet certam, & infallibilem ſcientiam de futuris contingentibus, quæ non innititur in aliquo medio connexo cum eorum futuritione: ergo ea futura cognoſcit immediatè in ſeipſis. Conſequentia patet, nam nullum medium poteſt eſſe ſufficiens, vt in ipſo cognoſcatur aliquis terminus ſi tale medium non connectatur cum illo & indifferenter ſe habeat ad talem terminum; id eſt per ſe notum etiam Thomiſtis, qui ideo ponunt dubitatione præcedenti §. 130. decretum intrinſece efficax vt in ipſo poſſint videri futura, idemque aperte ſupponit, & exprimit S. Thomas citatus §. præcedenti dicens effectus contingentes ideo non poſſe cognoſci in ſua cauſa, quia hæc ſe habet ad oppoſita indifferẽter. Iam antecedens, nempe ſcientiam Dei, quæ infallibilis eſt ab æterno non habere medium, cui innitatur vt connexo cum futuritione contingentium probatur. Nam tale connexum nequit eſſe res creata, tum quia nihil creatum eſt ab æterno, tum etiam quia nil prorſus creatum eſt per ſe reſpectu futurorum pure conditionatorum: Rurſus neque tale medium connexum poteſt eſſe aliquid increatum, nam omne increatum neceſſarium eſt *neceſſarium* autem implicat eſſe connexum cum contingenti, omne enim quod *ad neceſſarium* neceſſario ſequitur neceſſarium etiam eſt.

141 Dices cum Thomiſtis in dubit. præcedenti medium ſufficiens, & ſatis connexum intrinſecè cum futuris contingentibus eſſe decretum efficax prædeterminans exiſtens libere ex parte Dei tendenſque abſolute in futura contingentia abſoluta, & conditionate in ea, quæ ſunt futura ſub conditione. Sed contra 1. & præcipue ad hominem contra Thomiſtas, qui actus & decreta libera Dei non ponunt vndequaque intrinſeca & identificata cum ipſo Deo, ſed ea decreta vt libera conſtitui exiſtimant, & compleri per *reſpectum rationis, connotationem* ſeu habitudinem ad effectus creatos, quod in re nihil aliud eſt quam dicere quidquid eſt ex parte Dei ex ſe quidem indifferens eſſe, & intrinſecè *inconnexum* cum creaturis contingentibus, conſtitui autem determinatè connexum, quatenus concipitur coniunctè cum creaturis contingentibus: ergo loquendo condiſtinctè de prædicatis diuinis vt ſunt in ſe nihil habent intrinſecæ connexionis, qua ducant per modum medij in cognitionem de creaturis. Contra, 2. abſolute vehementer reiicienda eſt hæc ſolutio, quæ vt ſtet firma indiget fundamento adeo implicante contradictionem, qualis eſt admittere aliquid entitatiue *neceſſarium*, & aliunde *defectibile* Vide quæ dico diſp. 60. ſect. 3. §. vltimo; & faſolum. 1. p. q. 19. à §. 65.

Dubit. 18. An Deus poſſit cognoſcere futura conditionata contingentia in aliquo medio poſitiuo diſtincto ab ipſis futuris contingentibus. De hoc egi diſputatio. 50. ſectio 5. initio, & ſect. 6. 142 *An poſſint cognoſci in aliquo medio poſitiuo diſtincto ab ipſis.*

Dubit. 19. An Deus poſſit habere ſcientiam infallibilem de de vno futuro contingenti conditionato in alio futuro omnino ſimili vndequaque, ſoloque numero diſtincto? Hoc eſt: an per ſcientiam conditionatam infallibiliter poſſit Deus ſcire vnum euentum futurum, quin illum præuideat in ipſa entitate eiuſdem euentus, v. g. ſcit Deus: *ſi Tyrij vidiſſent Chriſtum per viſionem A conuerterentur*: dubitatur an Deus hinc iam certus ſit, quod conuerterentur etiam Tyrij ſi vidiſſent per viſionem B. De hac dubitatione egi diſp. 54. per totam. 143 *An vnum futurum conditionatum poſſit in alio omnino ſimili cognoſci à Deo.*

Dubit. 20. An Deus cognoſcat hæc futura in cauſa creata. Prima ſententia negat, ita Scotiſtæ cum Scoto, Nominales cum Ocham antiqui Thomiſtæ cum Capreolo in 1. diſtinct. 38. q. 1. art. 2. Caietanus hic quæſt. 14. art. 13. vbi omnes noſtri Doctores communiter. Pro qua opinione manifeſtiſſime eſt S. Thomas. tum quia hic quæſt. 14. art. 13. generatim dicit. *Quicunque cognoſcit effectum contingentem in cauſa ſua tantum, non habet de eo niſi coniecturalem cognitionem.* tum etiam ſpecialiter, 1. diſtinct. 38. quæſt. Vnica art. 5. ad 6. ait *ſi vidiſſet Deus cauſam & non vidiſſet immediate effectum in ſuo eſſe, numquam potuiſſet illum certo ſcire.* Similia habet quæſt. 2. de verit. art. 12. corp. & ad 1. & quæſt. 12. art. 10. corpor, & ad 7. 1. contra Gentes cap. 66. & 67. & 1. p. q. 57. art. 3. corpor. & quæſt. 86. art. 4. & 2. 2. quæſt. 171. art. 6. ad. 2. & q. 174. art. 1. corp. & in lib. 1. de interpretatione cap. vlt. lectione 13. propter quæ ait Ferrara 1. contra Gentes cap. 66. *Vbicunque D. Thomas. de hac materia loquitur pro ratione, qua Deus cognoſcit futura contingentia certitudinaliter, aſſignat præſentiam eorumdem.* Ratio prò hac ſententia communis, qua vtitur ſemper S. Thomas, eſt. Quia quidquid eſt ex parte cauſæ creatæ indifferentis ad effectus contingentes contingens etiam eſt & indifferens, *aptauit enim Deus cauſas contingentes, & effectibiles; ex quibus effectus contingenter euenirent.* Vt ait D. Thomas 1. p. quæſt 19. art. 8. corp. Sed in medio indifferenti ad vtrumque nullus, nec etiam Deus poteſt cognoſcere determinate vnum extremum præ oppoſito, ergo in cauſa creata nequeunt futura contingentia cognoſci. Conſequentia patet. Maiorem neceſſario exigit conceptus libertatis cauſæ creatæ: nam 144 *An hæc futura in cauſa creata cognoſcantur.* Negant. Scotiſtæ. Nominales. Thomiſtæ. *Probatur ratione.*

omnis cauſa creata libera ſecundum ea omnia, quæ includit vt cauſa eſt, libera eſt, liberum autem vt liberum indifferenter ſe habet ſeu contingenter ad vtrunque. Minor etiam patet: nam intellectus quantumuis ſummæ & infinitæ perſpicaciæ ſit, nequit cognoſcere vnum extremum in alio non connexo, ſed indifferenter ſe habenti? Hinc nequit Deus cognoſcere in lapide exiſtentiam Angeli, vel in ſaltatione Turcæ ſomnum Papæ, & ratio huius eſt quia qui cognoſcit vnum in alio virtualiter affirmat veritatem vnius eſſe veritatem alterius, vnde ſtatuit vnam veritatem non poſſe ſtare ſine altera, quod nullatenus continget, ſi medium *in quo* indifferenter ſe habeat ad vtrunque.

145 *Affirmant de cauſa comp.* Banez. Aluarez. Ledeſma.

Sententia affirmat. Ita aliqui Thomiſtæ cum Banes hic quæſt. 14. art. 13. concluſione 3. Aluarez lib. 2. de auxiliis diſp. 12. Petrus de Ledeſma lib. de auxiliis diſp. de ſcientia futurorum contingentium dub. 2. pro reſponſione ad 3. argumentũ principale, qui auctores ſentiunt cauſã ſecundam, ſeu creatam liberam eſſe quidem indifferentem ſecundum ſe, at vt completam & proxime applicatam ſatis determinationis habere, vt in ipſa poſſint cognoſci effectus contingentes. Mouentur 1. ex S. Thoma 1. contra Gentes cap. 67. in 3. ratione vbi ſic ait: *ſicut ex cauſa neceſſaria ſequitur effectus certitudinaliter: ita ex cauſa contingenti completa ſi non impediatur.* Mouentur 2. quia cauſa ſecunda libera applicatur ad operandum per phyſicam prædeterminationem, quæ eſſentialiter connectitur cum effectibus liberis. Mouentur 3. quia voluntas quantumuis ſit indifferens non poteſt non ſequi iudicium rationis, amareque, quod ab intellectu ipſi proponitur vt maius bonum ergo licet non in voluntate ſecundum ſe, ſaltem in ipſa vt applicata per intellectum poterunt cognoſci effectus contingentes. 4. mouentur aliqui Recentes; quia licet quodlibet auxilium determinatum ſit indifferens, nihilominus in cumulo ſeu collectione omnium auxiliorum inuenitur vaga neceſſitas, & connexio cum effectu libero: ergo in eo cumulo poterit Deus habere ſcientiam infallibilem conditionatam,

146 *Affirmant reſpectu ſcientiæ infinitæ.* Molina. Becan. Granad. Ruiz.

Tertia ſententia omnino negat in cauſa ſecunda libera etiam applicata inueniri connexionem infallibilem cum effectu contingenti, nihilominus addit tantam eſſe vim intellectus infiniti diuini vt per ſuper eminentem comprehenſionem liberi arbitrij certiſſimè penetret in quem effectum ſit inclinandum. Ita Molin. hic 1. p. quæſt 14. art. 13. diſp. 14. concluſione. 1. & diſp. 15. poſt. medium §. *iuſta*, & diſp, 17. Colum. 3. §. *triplicem*, & diſp. 18. memb. 1. & in concordia diſp. 49. & 50. Becanus 1. p. cap. 10. quæſt. 7. num. 3. & quod idem ſentiunt quando moraliter eſt neceſſitata voluntas noſtra Granad 1. p. 1. controu. 2. tract. 6. diſp. 4. n. 21. Ruiz tom. de prouid. diſp. 10. ſect. 4. Mouentur quia Angeli cognoſcunt effectus liberos in ſuis cauſis coniectura probabiliſſima: ergo Deus cuius vis intelligendi ſuperat infinite cognitionem Angeli poterit eos cognoſcere in iiſdem cauſis notitia certa & infallibili. 2. ſpecialiter arguit Granados. Nam voluntas moraliter neceſſitata licet per potentiam phyſicam poſſit non operari, at ex ipſo conceptu neceſſitatis moralis eſt quod in re numquam eueniat quod non operetur: ergo licet in tali voluntate nequeat Deus cognoſcere non poſſe deficere operationem: at ſciet infallibiliter futuram in re ipſa.

Ego ob fundamenta poſita in §. 144. exiſtimo veriſſimam eſſe primam ſententiam, vt nullus intellectus quantumuis diuinus & infinitus poſſit in cauſa ſecunda libera etiam completa & applicata ſi non inuoluat ipſum effectum, & actum, ſecundum, ſed conſideretur pro priori, cognoſcere futura contingentia. 147 *Standum eſt omnino 1. ſententiæ neganti.*

Hinc ad 2. ſententiam nego dari in cauſa ſecunda libera vllam connexionem certam titulo cuius certum cognoſci poſſit futurum contingens. Ad 1. fundamentum in §. 145. reſpondeo cum Suar. lib. 1. de ſcientia futurorum cap. 1. num. 2. Herice diſp. 6. cap. 2. num. 27. Ferrara in commentario eiuſdem loci S. Thomam non loqui de effectibus omnino contingentibus, & liberis, ſed de contingentibus ſecundum quid ſeu fortuitis, qui neceſſario prodeunt à ſuis cauſis, niſi impediantur vt monſtra & ſimiles effectus caſuales; Ad 2. phyſica prædeterminatio latè reiicienda eſt in tract. de auxiliis: præterquam quod ipſa non numeratur ab eius defenſoribus inter requiſita per modum cauſæ. Ad 3. voluntas vt libera eſt non tenetur ſequi iudicium rationis, niſi ex ſuppoſitione liberæ determinationis eiuſdem, quando ſcilicet Voluntas pro ſuo placito intendit efficaciter talem finem ſub tali menſura & modo optimo exequendum, cuius conſecutioni ſolum deſeruire poteſt medium optimum, vnde conſequenter volũtas poſtquam præintendit talem finem, iam eſt neceſſitata, vt ſequatur actum rationis ſibi proponentis hoc medium eſſe melius, ſeu maius bonum ad talem finem vt explicabo tom. ſequenti tract. de prædeſtinatione diſp. 3. ſect. 3. ergo nunquam futurum contingens, ſeu liberum vt tale poteſt cognoſci in ſua cauſa. Ad 4. fundamentum Recẽtiorum etiam nego connexionem vel vage inueniri poſſe in vllo cumulo auxiliorum indifferentium reſpectu futuri liberi vt late oſtendo tract. de prædeſtinatione citato diſp. 6. ſect. 3. 148 *2 reijcitur.*

Ad fundamenta pro 3. ſententia reſpondeo ad 1. quidem admittendo aliquod diſcrimen inter intellectum finitum & infinitum, vt iſte poſſit cognoſcere obiectum in aliquo medio in quo, quantumuis comprehenſo cognoſcere non valeret tale obiectum intellectus finitus, vt noto hic diſp. 39. ſect. 2. §. 8. ſic in qualibet creatura vt in medio Deus ſe cognoſcit adæquate, & totaliter quo pacto nequit cognoſci ab intellectu finito quantumuis comprehendenti medium creatum. Nihilominus ſi medium omnino indifferens ſit reſpectu termini cognoſcendi nihil prodeſt infinitas ſcientiæ Dei, vt dicitur in §. 144. Poteſt quidem infinita ſcientia Dei in lapide cognoſcere vt in medio exiſtentiam Trinitatis, quia vere lapis cum Trinitate connectitur; neque enim indifferens eſt vt producatur à Deo vero Trino, vel à Deo falſo non Trino: at nullo modo poteſt in lapide cognoſcere exiſtentiam vnionis hypoſtaticæ; quia ſcilicet cum hac non connectitur ergo ſimiliter dicendum de cauſa ſecunda libera, ſi non connectitur cum futuro contingenti. Neque refert neceſſitas moralis vt ſit ſufficiens medium ad ſcientiam infallibilem metaphyſicè: nam ſcientiæ infallibilitas menſuranda 149 *Et tertia. Quod ſit notandum diſcrimen inter intellectum finitum & infinitum.*

randa eſt iuxta connexionem medij cum termino cognoſcendo, ideo in medio non connexo nullo modo cognoſcitur terminus: ergo nec in medio non connexo metaphyſice cognoſcetur certo metaphyſice: vnde ſi ſcientia diuina præcisè cognoſcat futurum contingens in ſua cauſa neceſſitata moraliter nequibit eſſe certior, quam moraliter. Ex quo patet ad 2. argumentum Patris Granad. in §. 146. de quo plura tract. de prædeſt. diſp. 6. ſect. 2.

150 *An in aliquo diſtincto, licet non in cauſa creata poſſint cognoſci.* *Impugnantur.* 1. Carentiæ 2. futuritiones. 3. *Relation.* 4. *Iudicia.*

Dubit. 21. An licet non in cauſa creata in aliquo tamen creato medio diſtincto ab ipſis futuris contingentibus poſſit Deus certo iſta cognoſcere. Aliqui Recentes affirmant. 1. fingentes quaſdam carentias, quæ ex ſuo conceptu eſſentialiter ſint connexæ cum futuris contingentibus, quam fictionem refero & impugno diſput. 50. ſect. 2. num. 8. & diſp. 53. ſect. 6. Vbi etiam impugno 2. horum Recentium fictionem, qua putant dari ſtatus quoſdam futuritionis exiſtentis ab æterno, & diſtinctæ ab ipſis futuris contingentibus, connexæque cum eiſdem. Vide diſput. 53. citatam §. 29. & ſequentibus. Vlterius 3. fingunt modos quoſdam relationis prædicamentalis, quibus creata voluntas, v. g. refertur in ratione *ſimilis* vel *diſſimilis* ad ſuos effectus conditionate futuros; ponunt namque hi Auctores relationes prædicamentales eſſe diſtinctas à fundamento, & termino, vt communiter putant Thomiſtæ de relatione *dominij*, *ſimilitudinis*, *æqualitatis*, &c. Rurſuſque ponunt ſicut datur relatio prædicamentalis in ratione ſimilis vel exiſtentis, ita & in ratione *coextituri*, ſiue conditionate ſiue abſolute. Tunc ſic ſed in relatione vt in medio bene cognoſcitur eius terminus: ergo in his modis relationum cognoſcentur futura contingentia. Sed contra, gratis admiſſis his omnibus ſuppoſitionibus imprimis iſti modi relationum ſi quidem creati ſunt, nec dantur ab æterno, nec darentur ſi Deus nihil creaſſet: ergo ſcientia conditionata independet ab illis. Deinde quidquid ſit dentur ne in tempore, illi conſequentes ſunt ad futuritionem; ita vt ideo dentur quia effectus eſt futurus ſub conditione: ergo futuritio conditionata prius eſt in ſe ſuo modo, & conſequenter prius eſt cognoſcibilis, quam reſultent hi modi. Hinc etiam reiicitur quarta exiſtimatio Recentiorum, qua putant futura contingentia ſatis cognoſci poſſe in iudicio creato eſſentialiter vero, quo quis affirmat futuritionem cōditionatam alicuius operationis liberæ, tale namque iudicium, cum ſit eſſentialiter verum eſt medium connexum cum ea futuritione. Reiicitur inquam ex dictis, quia tale iudicium conſequenter ſe habet ad futuritionem, quam affirmat, vt dixi de modis relationum, ideo nãque vere affirmatur operatio futuras, quia ipſa futura eſt non è contra præterquam quod dixi diſp. 42. ſect. 2. in nulla cognitione quantumuis vera, niſi ſit infinitæ perfectionis poſſe cognoſci exiſtentiam ſui obiecti.

151 Ego ad præſentem diſputationem oſtendi diſput. 54. quod poſſit medium creatum excogitari condiſtincte ab ipſo futuro contingenti conditionato cognoſcente, vt etiam hic dixi dubit. 19. §. 143.

152 *An Deus cognoſcat futura conditionata contingentia in ſeipſo.*

Dubit. 22. An Deus cognoſcat futura conditionata contingentia in ſeipſo. Multa ſunt diuina prædicata in quibus procedere poteſt dubitatio propoſita. 1. in perfectione Dei neceſſaria vt tali. De qua certum eſt non poſſe deſeruire vt medium ſufficiens ſine aliqua alia connotatione vel denominatione contingenti reſpectu ſcientiæ de futuritione contingenti, ſiquidem perfectio neceſſaria Dei nullam habet connexionem cum futuritione contingenti, in medio autem inconnexo vt tali nequit cognoſci eius terminus vt patet hic §. 144. & dixi late diſp. 43. Vtrùm autem hoc non obſtante perfectio diuina neceſſaria vt talis poſſit habere rationem obiecti formalis motiui, ſeu medij ſufficientis *in quo* cognoſcantur futura contingentia conſtat ex dictis diſputatio. 37. ſectio. 4. num. 24. & ſequentibus. *Reiicitur.* *Perfectio neceſſaria.*

Secundò prædicatum diuinum aſſignatur Idea diuina de futuris contingentibus. Ita Caietan. 1 p. quæſt. 14. art. 13. Ruiz diſp. 24. de ſcientia ſect. 3. num. 3. & 4. dum ait eſſentiam diuinam, eius omnipotentiam, & ideas æternas eſſe obiectum formale ratione cuius cogniti cognoſcit Deus omnia futura contingentia, ſed hi Auctores vt bene explicat ipſe Ruiz vbi ſupra num. 12. non accipiunt eſſentiam diuinam, vel Ideas ſecundum ſe, & ſecundum ſuam entitatem, præcisè, ſed vt coniunctas cum prædicato contingenti ſcientiæ vel decreti, vel etiam futuritionis conditionatæ ipſarum rerum creatarum contingentium, quare hic modus ſentiendi non differt ab eo, quem poſui diſp. 37. ſect. 4. vel quem ponam §. ſequenti. 152 *Idea vt con. diſtincta à vol. & ſci.*

Tertiò prædicatum aſſignatur efficacitas ipſius ſcientiæ Dei: ita Palatios 1. diſtinct. 38. diſp. 2. dub. penult. Sed contra eſt tum ex dictis diſp. 42. ſect. 2. vbi dixi in ſcientia vt ſcientia non ſatis cognoſci eius obiectum tum etiam ex dictis hic art. 8. §. vbi negaui ſcientiæ Dei efficacitatem in futura contingentia. 153 *Scientia.*

Quarto prædicatum aſſignatur efficacitas diuini decreti ſiue omnino abſoluti, ſiue conditionati ex parte obiecti, & abſolute ex parte ſubiecti. Ita Thomiſtæ citati hic dub. 16. §. 130. quibus adde hic Gaſparem Ramos, Hieronymum de la Rua, Antonium à Matre Dei Oliuera, Franciſcum Felicem in 1. principio complutenſi cap. 6. de ſcient. Dei difficultate 25. Andream à Cruce etiam hic quæſt. 14. art. 13. diſp. 82. dubit. 7. Adduntur etiam ex Aluarez & Ioanne de S. Thom. Contarellus, Camerarius, Leonardus Coquæus, Villegas, Montepiloſus, Smiſingus, Brizenus, Petrus, Cornejo, Machin, Zumel, & Cabrera, hi tamen dubia fide adducuntur, vt oſtendit Paulus Leonardus in Apologia pro ſcientia Media p. 3. ſect. 10. initio. Sed de tota hac dubitatione vide, quæ dixi latè hic dub. 16. & quæ latius dixi diſp. 52. per totam. 154 *Voluntas.* Ramos. *Contra.* Rua. Ant à M D. Oliueram, Felicem. Adr. à Cruce.

quinto prædicatum, his omnibus ſupra poſitis reiectis, ſit actio quædam, ſeu terminatio identificata cum Deo, ab æternoque in ipſo præexiſtens cum attemperatione quadam, & quaſi ſubordinatione determinationi futuræ voluntatis Creatæ, vt explico diſp. 50. ſect. 3. à §. 10. & ſect. 5. à §. 22. Per quam actionem, ſeu terminationem diuinam modo proportionato conſtituitur operatio contingens creata in ratione futuræ *abſolute vel conditionate* proportione ſeruata, vt late expoſui diſp. citata, Vbi cogitationem hanc ab omnibus impugnationibus defendi, eamque conformem eſſe omnibus principiis noſtræ 155 *Actio æterna indiſtincta à ſcientia libera.*

noſtræ Societatis ſcholæ, maximeque auerſam & diuerſam à phyſica prædeterminatione Thomiſtica demonſtraui. Nihilominus ibidem cenſui ſect. 6. quod iterum cenſeo, ſcientiæ Mediæ defendendæ neceſſarium non eſſe prædictam cogitationem, & actionem niſi hanc actionem ab ipſa ſcientia non diſtinguas iuxta §. 23. ſectione 6.

156 *An Deus cognoſcat per ſcientiam mediam ſua decreta vt conditionate futura.*

Dubit. 23. An Deus cognoſcat per ſcientiam mediam ſua decreta vt conditionate futura? Dupliciter conſiderari poſſunt hæc decreta 1. *excluſiuè* quatenus in te non ſunt ex parte Dei, ſed Deus illa habiturus foret in aliqua hypotheſi, v. g. Deus modo nullum decretum habet de Incarnatione Spiritus ſancti, haberet tamen (id dico explicationis gratia) ſi alium Mundum crearet 2 *præciſiuè*, habet quidem Deus de facto decretum de incarnatione Verbi, quia Adamus peccauit. Nihilominus tale decretum concipi poteſt vt conditionate futurum, quatenus vera eſt hæc propoſitio, quæ ſuſpenſiue ſe habet circa peccatum Adami *ſi Adamus peccaret Deus haberet decretum de Incarnatione Verbi*. Circa hæc decreta vt ſic præciſiuè conditionatè futura affirmat ea cognoſci ſic P. Martinon diſput. 9. ſect. 9. num. 83. Idemque ego ſentio conſequenter ad dicta hic dubit. 11. num. 116. vti enim decreta Dei, quantumuis exiſtentia poſſunt cognoſci, vt poſſibilia præſcindendo ab exiſtentia, ita poſſunt cognoſci, vt futura conditionatè præſcindendo ab exiſtentia abſoluta. Quid autem dicendum ſit de hoc ſtatu medio ſeu de decretis conditionatè futuris primo modo excluſiuo conſtat ex his, quæ dixi diſput. 52. ſect. 5. & 6.

157 *An ſcientia media ſit in Deo formaliter libera.*

Dubit. 24. An ſcientia media ſit in Deo formaliter libera. Dubitatio iſta ſolum inter noſtros Auctores Recentes agitatur. Ratio affirmandi eſt quia ſcientia media elicitur à diuino intellectu vt penitus indifferenti ad illam habendam, & oppoſitam; nam in ſententia Societatis nihil aliud determinare poteſt intellectum diuinum ad habendam ſcientiam mediam, quam ipſa futuritio conditionata noſtræ operationis, iſta autem obſtare non poteſt libertati ſcientiæ mediæ, cum ea futuritio ita ſe habeat de præſenti ac ſi non eſſet: ergo ſcientia media manebit omnino libera. Vide, quæ dico diſp. 53. ſect. 5. vbi ſect. 7. ſatisfacio huic difficultati, oſtendoque ſcientiam mediam non eſſe formaliter liberam libertate electionis, & dominij ſeu per modum exercitij principij liberi.

158 *Scientia media eſt formaliter volitio de obiecto honeſto.*

Sed ex alio capite ad hominem iuxta mea principia argues pro libertate ſcientiæ mediæ, ſcientia media vt talis eſt formaliter etiam volitio, quando tendit in obiectum honeſtum, cum enim omnem diſtinctionem virtualem inter cognitionem & volitionem ego negem, ſtatuamque omnem ſcientiam eſſe ſui amorem, vt patet hic art. 8. §. 52. Item & ſui obiecti quando hoc honeſtum eſt, cum amor contingens ſupra neceſſarium ſolum addat connexionem cum obiecto honeſto, quæ connexio ſatis inuenitur ratione ſcientiæ de operatione bona futura ſub conditione; Cum inquam hæc iuxta me vere dicantur conſequens eſt vt ſcientia media per ſeipſam ſit etiam volitio, & quidem volitio contingens, ſiquidem ſcientia ipſa contingens eſt. Tum ſic ſed volitio diuina contingens eſt formaliter libera, licet enim veritates neceſſarias Deus amet neceſſario ob earum neceſſitatem, ſecus tamen dicendum videtur de veritatibus contingentibus. Sed neque hoc fundamentum aliquid probat pro libertate ſcientiæ mediæ per modum exercitij: nam ex aliqua ſuppoſitione ſine abſurdo admitti poteſt dari, in Deo affectus aliquos neceſſarios circa veritates contingentes: ſic Deus neceſſario diſplicet in peccato conditionate futuro, placetque conſequenter in eius Carentia, vt dico diſputatione 66. ſectione primo numero octauo.

Dub. 25. An ſcientia media præcedat volitionem omnem liberam; ita vt implicet quod Deus exerceat ſuam libertatem quin pro priori iam inſtructus ſit ſcientiâ mediâ, vti præcedit ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Prima ſententia communis inter noſtros affirmat ita ſuar. lib. 2. de ſcientia futurorum contingentiũ. Ruiz diſp. 76. de ſcientia ſect. 3. num. 12. Mouentur quia vt ait Suar. lib. citato cap. 7. num. 6. vtilitas huius ſcientiæ in eo maxime ſi non vnice relucet, quod dirigat libera decreta Dei. Nihilominus ſecunda ſententia negat exiſtimans aliquas veritates conditionales non poſſe à Deo præſciri, niſi præcedente pro priori decreto aliquo libero diuinæ voluntatis. Ita ſentit Molina in concordia quæſt. 14. art. 13. diſp. 52. §. *Illud hoc loco eſt obſeruandum*. Vbi licet fateatur cognoſci à Deo determinationem ſuæ voluntatis ex quacunque hypotheſi, hoc eſt quid ipſe Deus uoliturus ſit ſub quacunque conditione, negat tamen quod talis ſcientia antecedat actum liberum diuinæ voluntatis. Ad quam aſſertionem mouetur eo quod ea ſcientia tollat libertatem diuini decreti nam & neceſſario exiſteret, (ſi quidem præcedit omnem vſum libertatis diuinæ) & aliunde haberet infallibilem connexionem cum tali decreto; antecedens autem & infallibilis connexio tollit libertatem. Confirmatur: Deus per talem ſcientiam de futuritione ſui decreti redditur impeditus ne poſſit conari in decretum oppoſitum. Quî enim fieri poteſt vt Deus certo cognoſcat: *ſi creauero Mundum habebo volitionem incarnandi*, & cum hac ſcientia præcedente poſſit intendere nolitionem incarnandi? nemo enim prudenter poteſt efficaciter velle quod certo ſcit non eſſe à ſe obtinendum: ergo qui certo ſcit aliquem actum ſuum non eſſe futurum, non poteſt ſe efficaciter applicare ad talem actum eliciendum.

159 *An ſcientia media præcedat volitionẽ omnem liberam, vti ſciẽtia ſimplicis intelligentia.*

Affirmat. Suarez. Ruiz.

Negat. Molina.

160 *Affirmatur cum diſtinctione. Abſolute.*

Ego exiſtimo ſcientiam mediam numquam eſſe per ſe poſteriorem vllo decreto libero Dei, licet quaſi per accidens ſit poſterior. Probatur 1. generaliter ex neceſſitate, qua Deus tenetur vt prudentiſſimus gubernator non ſe determinare ad aliquid volendum, quin præſciat quid ex tali determinatione eueniet, vnus quiſque enim etiam in humanis prouidentius ſe gerere exiſtimatur, dum ex hac præſcientia procedit: ergo cum hæc ratio militat in omni decreto libero diuino, nullum erit liberum quod ſcientiam mediam antecedat. Dices bene quod ſemper aliqua ſcientia media ſit antecedens at cur noon poterit alia eſſe ſubſequens? cur non poterit Deus antequam habeat ſcientiam mediam de efficacia auxilij libere decernere: *Volo dare auxilium ſi illud prauideam per ſcientiam mediam futurum efficax*. Sed contra, & ſit ſecunda probatio generalis, Nulla Veritas conditionata

ditionata dependet à decreto actu exiſtente in Deo, cum enim conditionalis nihil ponat in eſſe, vt ſit vera nullo actu exiſtente decreto indigebit: ergo nec ſcientia de tali veritate debet expectare exiſtentiam alicuius decreti. Tertio idem oſtenditur à paritate in creatis nulla eſt veritas conditionata, quæ non ſit cognoſcibilis independenter à decreto creato exiſtente, ſed non magis indiget conditionalis decreto diuino, quam creato: ergo independenter à diuino etiam eſt cognoſcibilis: ergo & cognoſcetur per ſcientiam mediam, quæ per ſe non erit poſterior; vide §. 164. & Art. diſp. 21. ſect. 4.

161 Dixi tamen in concluſione poſſe eſſe poſteriorem per accidens: nam vel reſpectu decreti liberi creati ſcientia media eſt ſimpliciter ſubſequens aliquando poſita ſcilicet iam conditione licet enim hæc ſcientia: *ſi Petrus vocetur conſentiet* abſolute non dependeat à conſenſu, dependet tamen quando poſita eſt vocatio. Ergo ſimiliter dependebit ſcientia media: *ſi Creauero Mundum habebo volitionem incarnandi*, à tali volitione poſito iam decreto creandi Mundum.

Non conditionate.

162 Hinc patet primam ſententiam affirmatiuam Patris Suarez in §. 159. veram eſſe; ad ſecundam dico cum Patre Ruiz hic diſp. 77. de de ſcient. ſect. 6. num 7. ita Conſtanter tenendum diuinæ libertati conditionalem præſcientiam ſuorum decretorum impedimento non eſſe, vt quamuis aliquis Theologus numquam ſuas difficultates expedire, nec ſuo poſſet intellectui ſatisfacere circa concordiam illius cum libertate; ad huc deberet humanæ mentis imbecillitatem fateri potius, quam negare conditionalem hanc præſcientiam. Igitur vti infallibilitas ſcientiæ mediæ componitur cum libertate noſtræ operationis quia ab hac ſcientia determinatur, & non è contra, ita ſimiliter proportionato modo dicendum eſt in Deo. Vnde ad 1. fundamentum pro Patre Molina nego ſcientiam hanc in Deo eſſe neceſſariam, nam licet non dependeat à decreto actu exiſtente in Deo *abſolute* dependet tamen ab illo *conditionate*, titulo cuius dependentiæ ſimpliciter ſubeſt libito Dei talis ſcientia, dũ ponitur conditio, vt dici ſolet de ſcientia media vt ſubſit noſtræ libertati. Ad confirmationem quantumuis Deus independenter ab eo quod habeat actu volitionem incarnandi iam habeat ſcientiam conditionatam de tali volitione; nihilominus in ſigno in quo intelligitur proximè potens elicere talem volitionem, quando ſcilicet eſt iam decretum creandi Mundum, iam pro eo ſigno præſcinditur à tali ſcientia iuxta communem diſcurrendi modum de ſcientia media poſito auxilio, neque hic inuenio quid peculiaris myſterij ſit contra libertatem, quod ſcientia media ſit in eodem ſuppoſito, vel in alieno dum tamen ſeruetur idem ordo ſubſecutionis, vt bene notat Pater Martinon diſput. 9. de ſcientia ſectione 9. numero 89. & Arriaga diſputat. 21. ſectio. 4. Sic Chriſtus Dominus libere condonauit Petro peccatum, licet conditionate præſcierit certiſſimè ſi Petrum reſpexero conuerretur & condonabo peccatum,

Prudens dictum Ruicij

163 Dubit. 26. An ſit neceſſario requiſita præcedentia & directio ſcientiæ mediæ ad volitionem collatiuam auxiliorum & quomodo talis directio ſtet cum libertate creata, cum beneficentia circa reprobos, cum ſpeciali beneuolentia circa prædeſtinatos, de his late agam in tract. de auxiliis maxime autem in tom. ſequenti diſp. 7. de prædeſtinatione & ſequentibus.

An ſcientia media directio ſit neceſſaria ad collationẽ auxiliorum.

Dubit. 27. An admittenda ſit ſcientia quædam reflexa, aut quaſi reflexa, qua Deus præ- 164
ſciat quid ipſe facturus ſit, ſi habuerit ſcientiam mediam directam. Reſpondeo in his & ſimilibus reflexionibus nil abſurdi eſſe, dum tamen nullum decretum liberum ponatur requiſitum ad exiſtentiam ſcientiæ mediæ directæ vt dixi §. 160. *Requiſitum* inquam; nam independens recte admitti poteſt; ſic Deus habet volitionem collatiuam auxilij, quod præuidit inefficax, quæ volitio perſiſteret ſi loco præuiſionis inefficaciæ adueniſſet ſcientia media de efficacia,

An admittẽda ſit ſcientiã media reflexa.

ARTICVLVS XIV.

Vtrum Deus cognoſcat enunciabilia.

DE hac difficultate agit S. Thomas in primo 155
diſtinct. 38. quæſt. 1. art. 3. & 1. Contra Gentes cap. 58. & quæſt. 2. de veritate artic. 7. in præſenti autem art. 14. ideo probat quod Deus cognoſcat enunciabilia, quia cognoſcit quæcunque ſunt in potentia creaturæ: ergo & quæcunque ſunt enunciabilia ab ipſa, licet non cognoſcat ea per modum compoſitionis vel diuiſionis enunciabilium.

Dubit. 1. An Deus ſit incapax compoſitionis 166
& diuiſionis in intelligendo. Certa concluſio eſt Deum incapacem eſſe compoſitionis. Ita præter S. Thomam, Alenſis 1. p. quæſt. 23. memb. 3. art. 5. Albert. 1. p. tract. 15. quæſt. 60. memb. 3. Henri 1. p. artic. 36. quæſt. 6. Ricardus 1. diſtinct. 38. art. 1. quæſt. 4 Durandus ibi. Caietanus. Molina, Vaſquez, Valentia, & alij Thomiſtæ hic quæſt. 14. art. 14. Sed difficultas eſt cum negari nequeat Deo compoſitio obiectiua, quæ præciſe contingit in affirmatione, ſeu enunciatione: aliunde compoſitio ſubiectiua ſeu ex parte conceptuum neceſſaria non ſit vt quis dicatur intelligere componendo, ſiquidem homo qui vtitur compoſitione dum cognoſcit, nihilominus iudicat ſeu enunciat per ſimplicem qualitatem iudicij. Quæ compoſitio Deo negetur.

An Deus ſit incapax compoſitionis & diuiſionis in intelligendo.
Affirmandũ eſt cum.
S. Thom. Aleus. Albert. Henr. Ricar. Durand. Caiet. Molin. Vaſq. Valent.

167 Ideo prima ſententia ait compoſitionem Conſiſtere in pluralitate conceptuum non quidem intrinſeca iudicio, quod eſt ſimplex qualitas, ſed extrinſeca, & præuia quatenus præuie apprehenditur obiectum, quod iudicandum eſt. Ita Sanctus Thomas, & Henricus ſupra, & Suarez libro ſecundo de Angel. capite 32. ideo negans Angelos vti compoſitione circa euidentia, quia non indigent præuia apprehenſione. Sed contra quia in primis probabile videtur nihil poſſe iudicari, niſi præapprehenſum, ſicut nihil eſt volitum etiam à Deo, quin ſit præcognitum. Deinde compoſitio iudicij vt talis in ipſo iudicio aliquam dicit imperfectionem in cognoſcendo: ergo compoſitio in ipſo iudicio intrinſecè debet dicere diuerſitatem quidquid ſit

Compoſitionẽ explicant extrinſece per præuiam apprehenſionem.

Per plures partes rationis.
Durand.
Ricard.

ſit de apprehenſione præuia. Ideo, 2. ſententia Durandi primo diſtinctione 38. quæſtione ſecunda Ricardi, ibi articulo primo quæſtione quarta compoſitionem iudicij explicant per id quod Iudicium ratione nostra reſoluatur in plures conceptus, licet non realiter. Sed contra: quia nos ratione noſtra etiam cognitionem diuinam poſſumus in plures conceptus diſtinguere.

168 *Conſiſtit in eo quod aliter concipiatur ſubiectum & aliter prædicatum.*

Vera ergo ratio compoſitionis, cuius Deus eſt incapax explicanda eſt per id præciſè, quod aliter concipiatur ſubiectum, ac prædicatum non quidem poſitiuè enunciando prædicatum eſſe aliud à ſubiecto, ſed quatenus ita apprehendimus prædicatum, vt non apprehendatur vnquam repetitio omnimoda ſubiecti, qualis repetitio contingit aliqualiter in nobis in propoſitionibus identicis homo eſt homo. Hæc explicatio probatur, quia ea maxime conducit ad claritatem cognitionis penetrantis omnino rem ſicut eſt in ſe. Vide Ruiz de Montoia diſp. 13. de ſcient. Dei ſect. 2.

Ruiz.

168 *Modo proportionato dicendum de diuiſione contra.*
Suarez.
Vaſq.

Hinc conſequenter explicanda eſt ratio *diuiſionis*, cuius Deus eſt incapax. Patet Suarez, ſupra citatus. Vaſquez, prima parte diſputatione 222. & alij apud ipſos ſpecialiter negant Angelis in iudicando compoſitionem, quam diuiſionem: quia Angelus dum obiectue diuidit verbi gratia, hic *homo non eſt leo* diuerſe concipit hominem, & leonem ergo ob hos diuerſos conceptus diuiſio continget in actu iudicij, ſicut de compoſitione dixi §. præcedenti. Sed contra vti modus compoſitionis eam dicit confuſionem in cognoſcendo, qua prædicatum aliter concipitur ac ſubiectum, ita in iudicio negatiuo imperfectio *diuiſionis* conſiſtit in eo quod ſubiectum per ſeipſum formaliſſime non concipiatur vt per ſe primo diuerſum à prædicato, & è contra prædicatum concipiatur etiam per ſe primo diſtinctum à ſubiecto in ſcipſo formaliter. Vnde Deo & Angelis æque neganda eſt diuiſio, ac compoſitio.

170 *An in Deo detur apprehenſio ſimplex.*
Affirmant.
Gabriel.
Altiſiod.
Adam.
Cordoua.
Arriaga.
Negat.
Suarez.
Vaſq.
Ruiz.

Dubit. 2. An in Deo detur apprehenſio ſimplex. 1. ſententia videtur affirmare ita Gabriel 1. diſtinct. 39. q. vnica art. 1. initio vbi refert Altiſiod. Adam. & alij, Cordoba lib. 1. quæſtionarij q. 55. dub. 6. item Arriaga, diſp. 17. de ſcientia Dei n. 13. vbi concedit in Deo inueniri ratione noſtra apprehenſionem. Mouentur ex hac conditionali *ſi Petrus vocatur conſentiet*, vbi vocatio pure apprehenſiue tangitur, quin aliquid affirmetur vel negetur de illa. 2. ſententia negat. Ita Suarez, diſp. 30. Metaph. ſect 15. n. 39. Vaſq. 1. p. diſp. 75. cap. 4. n. 20. Ruiz diſp. 13. de ſcient. Dei ſect. 2. n. 8. Mouentur quia apprehenſio vt talis dicit negationem iudicij, ſed nullam veritatem Deus cognoſcit, ita pure ſuſpenſiue vt de ipſa nihil affirmet per iudicium ergo nec habebit ſimplicem apprehenſionem. Confirmatur: vt admittatur in Deo ratione noſtra apprehenſio non ſufficit quod concipiendo diuinam cognitionem per comparationem ad noſtram in iſto conceptu nondum concipiamus eſſe iudicatiuam, vt patet ex his, quæ dixi diſp. 45. ſect. 2. ne admittatur in Deo cognitio confuſa, inadæquata: ergo nec ratione noſtra datur in Deo apprehenſio. Conſequentia patet, antecedens probatur nam nemo dicet actum ipſum noſtri iudicij eſſe apprehenſiuum & tamen poteſt talis actus ratione noſtra comparari cum purâ apprehenſione.

Ego cenſeo abſolute negandam eſſe Deo ſimplicem apprehenſionem realiter loquendo, ſecus vero ratione noſtra Probatur prima pars ex dictis §. præcedenti. Secunda autem quia poteſt dari in Deo aliquis actus, qui vt condiſtinctus ratione à quolibet alio, ita attingat aliquod obiectum, vt circa ipſum nihil affirmet, licet affirmet circa aliud, ſed hoc ſufficit vt talis actus ſit apprehenſio: ergo iſta ratione noſtra admittenda eſt in Deo. Maior probatur in ſcientia conditionata *ſi Petrus vocetur conſentiet*, quæ ſcientia licet affirmet circa conſenſum, de vocatione tamen nihil affirmat. Minor etiam probatur, nam per accidens eſt vt ſcientia induat rationem apprehēſionis circa vnum obiectum, quod affirmet circa aliud, vt patet in nobis, qui bene poſſumus per eundem actum affirmare vnum obiectum, & pure apprehendere aliud. Confirmatur: vere datur in Deo ratione noſtra ſcientia, quæ præſcindit obiectum ab exiſtentia, & non exiſtentia, vt patet in ſcientia ſimplicis intelligentiæ (licet realiter ea ſcientia præſciſiua non ſit ſiquidem identificatur cum ſcientia viſionis) nempe quia ea ſcientia vt ſic formaliter diſtinguitur ratione noſtra à quolibet alio: ergo ſimiliter hic dicendum eſt. 171

Datur in Deo apprehenſio ratione noſtra ſed non realiter.

Hinc vera eſt 1. ſententia ſi ſolum loquatur ratione noſtra; ſecus ſi realiter, nam nomine *apprehenſionis* abſolute dictæ intelligimus quod actus excludat identitatem cum iudicio, quēadmodū intellectus non dicitur dubius vel ſuſpenſiuus circa aliquam veritatem dum realiter non caret iudicio. Dices vere & realiter datur in Deo aliqua perfectio quantumuis identificetur cum alia, quam in nobis ſolet excludere, hinc vere in Deo datur ſcientia, licet non diſtinguatur à volitione à qua in nobis diſtinguitur, ſimiliterque dicendum de amore ſtricto, qui in Deo identificatur cum gaudio, vt dixi diſp. 68. ſect. 3. ergo ſimiliter dicendum eſt circa veritatem apprehenſionis. Reſpondeo aliqua prædicata eſſe, quæ ſumuntur *negatiuè* & talia niſi habeant diſtinctionem realem verificari non poſſe, v. g. quod cognitio ſit *præſciſiua* ſeu *inadæquata* cognoſcens in homine animalitatem ſine rationalitate neceſſario excludit identitatem cum cognitione de rationali, aliàs non diceretur præſcindere: alia vero prædicata ſunt, quæ poſitiuam perfectionem præciſè indicant, talia ſunt eſſe *cognoſcitiuum omnipotentem* &c. Iam vero prædicatum apprehenſionis primi generis eſt. Ad fundamenta pro ſententia negante, ſi velit nec ratione noſtra admittendam apprehenſionem in Deo. Reſpondeo ratione noſtra ſufficienter inueniri in ſcientia conditionata negationem iudicij circa conditionem; ſiquidem ſcientia conditionalis vt talis ratione diſtinguitur à ſcientia abſoluta affirmante conditionem. Ad confirmationem reſpondeo in actu noſtri Iudicij nullam apprehenſionem inueniri, nec ratione noſtra, quia nec ratione noſtra diſtinguitur ab actu iudicij de eodem obiecto. 172

ART.

ALTICVLVS XV.

Vtrum ſcientia Dei ſit variabilis?

173 DE hac difficultate agit Sanctus Thomas in 1. diſtincione 38. quæſtione 1. att. 3. & artic. quinto, & diſinct. 39. artic. 3. & in alio ſcripto ad Annibald. 1. diſtinct. 38. quæſt. 2. art. 2. & quæſt. 2. de veritate art. 5. in præſenti autem artic. 15. ideo aſſerit ſcientian Dei eſſe inuariabilem, quia eſt ipſamet ſubſtantia Dei, quæ immutabilis eſt.

174 *An ſcientia Dei varietur ſecundum denominatiodes præteriti, præſentis, & futuris?*

Non poſſunt hæ denominationes eſſe extrinſeca.

Dubitatur primo: An ſcientia Dei varietur ſecundum denominationes *præteriti*, *præſentis* & *futuri*. De hac difficultate egi late diſp. 48. & 49. quibus nihil ſuperaddendum eſt, licet latam ſuperaddendi materiam præbeat P. Dionyſius Petauius tom. 1. Theolog. lib. 4. cap. 2. num. 9. & cap. 4. per totum P. Didacus Ruiz de Montoya diſp. 37. de ſcientia per totam. Solum audiatur Auguſt. lib. 11. de ciuitate Dei cap. 21. inter principium & medium. *Non enim ait more noſtro Deus vel quod futurum eſt proſpicit, vel quod præſens eſt aſpicit, vel quod præteritum eſt reſpuit: ſed alio modo quodam à noſtrarum cogitationum conſuetudine longe, lateque diuerſo. Ille quippe non ex hoc in illud cogitatione mutata, ſed omnino incommutabiliter videt: ita vt illa quidem, quæ temporaliter fiunt & futura nondum ſint, & præſentia iam ſint, & præterita iam non ſint: ipſe vero hæc omnia ſtabili ac ſempiterna præſentia comprehendit.* Et poſt pauca: *nec quia factum vidit ſcientiam duplicauit, vel ex aliqua parte auxit tanquam minoris ſcientiæ fuerit priuſquam faceret quod videret.* Videatur etiam Sanct. Thomas in præſenti artic. 15. vbi ad 3. contra Nominales expreſsè affirmat diuerſitatem partium orationis, quod ſcilicet ſit in modo indicatiuo præſenti præterito, vel futuro cauſare diuerſitatem in propoſitionibus; vnde conſequenter ſentiendum eſt opus eſſe quod Deus procedat ſemper modo tendendi de præſenti, ſitque ipſe coëxiſtens ex parte ſui & complectens omnia tempora modo explicato diſputatione quadrageſima octaua & 49. vt ſcientia Dei non ſit variabilis.

175 *An poſſit incipere in tempore quoad aliquem modum tendendi.*

Dubitatur ſecundo: An ſcientia Dei ſaltem denominatiue poſſit in tempore variari, ſeu incipere quoad aliquem modum tendendi. Pro hac difficultate vide quæ dixi in ſimili de voluntate Dei diſputatione ſexageſima prima, ſectione quinta. Abſolute autem cenſeo ſcientiam Dei nunquam variari, cum ſemper procedat modo exiſtenti de præſenti vt conſtat ex nuper dictis §. præcedenti.

ARTICVLVS XVI.

Vtrum Deus habeat de rebus ſcientiam ſpeculatiuam.

176 DE hac difficultate agit S. Thom. in prologo ſententiarum articulo ſecundo, & quæſtione tertia, de veritate articiculo tertio, in præſenti autem articulo decimo ſexto, ait ſcientiam Dei de ſeipſo eſſe tantum ſpeculatiuam: quia Deus nullo modo eſt operabilis. De omnibus vero aliis habere ſcientiam & ſpeculatiuam, & practicam, ſpeculatiuam, quatenus eorum definitiones, & diuiſiones perfectiſſime cognoſcit. Practicam vero in quantum illa extra ſe facit, aut permittit, cognitione ſcilicet dirigente effectionem aut permiſſionem.

177 *An poſſit dici practica prout reſpicit diuinam eſſentiam.*

Affirmat. Scotus.

Reijcitur.

Dubitatur primo: An ſcientia Dei poſſit dici practica prout reſpicit ipſam diuinam eſſentiam. Affirmat Scotus vt probabile quæſt. 4. prologi §. *& ſi obiicitur contra hoc* ad quartum. Mouetur: quia licet ea ſcientia non reſpiciat Deum vt factibilem reſpicit tamen vt amabilem, dirigitque ad amorem eiuſdem. Nihilominus contraria ſententia eſt tenenda, quam reliqui omnes ſcholaſtici cum Sanct. Thoma defendunt. Ratio eſt quia cum notitiæ practicæ finis ſit opus, finis autem nomine intelligatur obiectum; vti cum dicimus finem cognitionis ſpeculatiuæ eſſe veritatem, ſiquidem Deus ſecundum ſe non eſt opus ſeu factibilis neque ſecundum ſe erit praxis, ſcientiaque de ipſo practica. Dixi Deum ſecundum ſe non conſiderari practice nam vt amabilis ſic practice cognoſci poteſt, vt ſic enim reduplicat ſupra amorem, reſpectu cuius cognitio poteſt, dici practica vt iam dico.

178 *An vt reflexè tendit ad ſuos actus?*

Negat. Ruiz.

Affirmandum cum. Molin. Vaſq.

Dubitatur ſecundo: An ſcientia Dei ſit practica vt reflecte tendit in ſuos actus. Negat Pater Ruiz diſp. 16. de ſcient. ſect. 1. num. 8. Mouetur primo reſpectu amoris neceſſarij de eſſentia diuina: quia obiectum notitiæ practicæ debet eſſe liberum, & contingens iuxta 6. Ethic. cap. 2. & ſequentibus, vbi intellectus practicus definitur, qui *eſt de rebus quæ poſſunt aliter ſe habere*, ſpeculatiuus vero de rebus æternis, & neceſſariis. Mouetur ſecundo: tam de ſcientia circa hunc amorem, quam circa alios liberos ſect. 5. num. 5. quia ſcientia practica eſt directiua & rectificatiua ſui obiecti; volitiones autem diuinæ cum ſint eſſentialiter honeſtiſſimæ nulla indigent directione. Nihilominus affirmandum eſt: quia ad praxim non requiritur quod opus ſit liberum nec rectificabile vt late oſtendit Pater Molina prima parte quæſtione prima, articulo quarto, diſputatione prima & ſecunda Vaſquez diſputatione octaua capite quinto, & ego late oſtendam in meo opere philoſophico diſputatione de practico & ſpeculatiuo, patetque in obiecto huius imperij *fac hoc*, quod imperium cum ſit maxime practicum, eius obiectum praxis erit; deinde eſt ratio quia obiectum, quod fit vi cognitionis repreſentantis eius factibilitatem maxime habet rationem praxeos, ſiquidem cognitio de ipſo non ſiſtit in pura contemplatione veritatis: at poteſt eſſe tale obiectum omnino neceſſarium vt pateret caſu quo homo v.g. eſſet neceſſitatus ad faciendam domum eo ipſo quod illam factibilem præcognoſceret. Vnde ad primum fundamentum pro Patre Ruiz nobis aduerſario reſpondeo illam definitionem intellectus practici eſſe reſpectu noſtri, quibus opus factibile eſt concontingens, nam reſpectu Dei ipſe Ariſtoteles exiſtimauit licet falſo mundum ex neceſſitate fieri & tamen putauit notitiam Dei fore practicam, vt obſeruat Molina ſupra diſp. 1. fine. ad ſecundum reſpondeo volitiones diuinas, ideo eſſentialiter eſſe rectas, quia eſſentialiter petunt conformari cognitioni practicæ dirigenti.

179 *An reſpectu productiones verbi & Spiritus ſancti.*

Affirmat. P. Arriaga.

Dubitatur tertiò: an ſcientia Dei ſit practica reſpectu productionis Verbi ſeu Spiritus ſancti. Prima ſententia affirmat, ita Arriaga diſputaiton. 18. de ſcientia n. 14. quia tam Verbum quam Spiritus ſanctus producuntur præcedente cognitione:

Negandum eum. Ruiz Hurtad.

ergo ſiquidem iuxta dicta §. præcedenti ſcientia practica poſſit verſari circa opus neceſſarium non erit titulus negandi quod ſcientia hæc ſit, practica. Secunda ſententia communis negat? ita P. Ruiz diſp. 16. de ſcient. ſection. 2. num. 1. ad 2. P. Petrus Hurtad. diſp. 1. de anima §. 12. quibus ego aſſentior: quia licet verbum procedat per cognitionem, & Spiritus ſanctus per amorem ſupponentem cognitionem: at procedit vterque vt pertinens ita ad connaturalem ſtatum naturæ cognoſcentis, vt licet in te vterque præcognoſcatur quaſi per accidens ſe habeat ad eorum proceſſionem, quod obiecta ſint talis cognitionis: etenim quantumuis verum ſit procedere verbum ex cognitione ſui & Spiritus ſancti formaliter tamen & per ſe primo ſufficit proceſſioni verbi (& idem proportionate de proceſſione Spiritus ſancti) quod procedat ex cognitione diuinæ eſſentiæ & paternitatis. Vnde patet ad fundamentum ſententiæ affirmantis.

180 *An ſcientia viſionis ſit practica reſpectu ſui obiecti. Non.*

Dubitatur quarto: An ſcientia viſionis ſit practica reſpectu ſui obiecti. Prima ſententia Thomiſtarum Recentium fere omnium affirmat, qui mouentur eo quod ſcientia viſionis ſit cauſa rerum ita omnes Authores citati ſupra §. 52. Secunda ſententia communis inter Authores noſtræ ſocietatis negat ex oppoſito fundamento. Ego vero quid quid ſit de cauſalitate alicuius ſcientiæ viſionis in effectus creatos, adhuc cenſeo practicam non eſſe, nam vt cognitio ſit practica debet reſpicere opus factibile modo voluntario, hoc eſt media directione voluntatis paſſiua, ratione cuius voluntas dirigatur, & illuminetur de modo quo factura eſt tale opus. At ſcientia viſionis non ita præcedit illuminando voluntatem de modo faciendi, & creandi mundum, verbi gratia, neque hoc titulo dicitur cauſa rerum vt conſtat ex dictis in §. 54. ergo ſcientia viſionis non poteſt dici ſcientia practica.

181 *An ſcientia conditionata ſit practica reſpectu ſui obiecti?*

Dubitatur quinto: An ſcientia conditionata ſit practica & directiua reſpectu ſui obiecti? Respondeo affirmatiue; imo tota vtilitas præcipua, quæ reſplendet in ſcientia media eſt vt ſit directiua operum, & prouidentiæ diuinæ, vt conſtat ex dictis §. 159. & latius explicabo tomo ſequent. in tr. de Prædeſtinatione.

182 *An Deus circa impoſſibilia, & peccatum practicã ſcientiam habere poſſit.*

Habet circa peccatum aliquo modo. ſecus circa impoſſibile.

Dubitatur ſexto: An Deus circa impoſſibilia, & circa peccatum poſſit habere ſcientiam practicam? Reſpondeo negatiue circa impoſſibilia; nam licet etiam circa rem impoſſibilem dum cognoſcitur vt poſſibilis poſſit cognitio in eſſe talis dici practica vt conſtat ex dictis à me quæſt. 1. artic. 4. dub. 5. At cum Deo repugnet rem impoſſibilem ſic vt poſſibilem cognoſcere, conſequenter repugnabit cognitio practica. Iam vero circa peccatum directe non poteſt dici practica diuina ſcientia vti neque amabile eſt directe, indirecte tamen tamen; vel quoad materiale in quod influit ex directione ſcientiæ cognoſcentis modum, quo ſic debet fieri, ſcientia erit practica: imo directe in pſum formale non vt factibile, ſed vt euitabile.

QVÆSTIO XV.

De Idæis.

EGAM de materia huius quæſtionis late in meo opere philoſophico, vbi communiter iam tractatur ſub nomine cauſæ exemplaris vel etiam finalis: hic autem breuiter attingam, quæ theologo neceſſaria ſunt, de quibus nil poſui in meis diſputationibus Theologicis, quia ſcholaſticæ controuerſiæ parum vel nihil continent.

ARTICVLVS I.

Vtrum Idææ ſint?

DE hac difficultate agit S. Thomas hic 1. part. quæſt. 44. art. 3. & 1. diſt. 36. quæſt. 2. art. 2. & quæſt. 3. de Verit. art. 1. In præſenti autem art. 1. ideo probat dari in mente Dei idæas ad quarum ſimilitudinem omnia condita ſint quia maxime à conſilio non autem à caſu omnia ſunt facta. 1

2 *An ratio ideæ conueniat obiecto cognito. an cognitioni formali.*

Dubitatur primò: An ratio idææ conueniat obiecto cognito, an ipſi cognitioni formali? Prima ſententia ponit in obiecto ita Arriaga diſputatione octaua phyſic. ſectione octaua. Scotus 1. diſtinct. 35. quæſt. vnic. §. *Ad iſta* Durand. d. 36. q. 3. Gabriel. & Ocham. d. 35. Thomiſtæ hic cum Molina Suarez, & Valentia, Mouentur quia idæa, ſeu exemplar eſt id, quod inſpiciens agens intendit imitari: tum ſic ſed neque inſpicit cognitionem (neque enim neceſſarium eſt vt agens reflectat ſupra ſuam cognitionem, vt operetur) neque intendit imitari cognitionem; ſolum namque vult imitari, quod cognoſcit; hoc autem ſolum eſt opus externum: vnde ſi rogetur artifex quid velit imitari nihil reſpondebit de cognitione, ſed de obiecto. Confirmatur in exemplari externo, quod vices ſubit interni, nam exemplar externum, ſeu idæa non dicitur cognitio talis exemplaris, ſed obiectum illius, ergo ſimiliter exemplar internum erit ſolum obiectum. Quod autem ſit hoc obiectum an creatum vel increatum conſtabit ex dubitatione ſequenti.

3 *Stant pro obiecto.* Arriaga. Scotus. Durand. Gabr. Ocham. Thom. Mol. Suarez. Molina. Valentia.

4 *Stant pro cognitione.* Vaſquez. Martin.

Secunda ſententia ſtat pro cognitione ita Vaſquez hic diſp. 72. Martinon diſp. 12. de ſcientia ſection. 4. num. 24. Mouentur quia idæa non eſt aliquid creatum, idææ enim dicuntur à Patribus *increatæ, æternæ*, ipſeque Deus adeo vt dicat Didacus Ruiz diſp. 18. de ſcientia ſection. ſecunda numero primo idæas eſſe æternas, immutabiles, & inuiſibiles, licet expreſsè non dicatur, ex ſacris litteris ita tamen euidenter colligi, & tam vnanimi Patrum conſenſu, vt de hoc dubitare nemo poſſit ſine temeritate tum ſic, ſed ipſa eſſentia diuina in eſſe obiecti nequit habere rationem idææ vt dicetur dubitatione ſequenti: ergo erit ipſa cognitio diuina. Confirmatur quia idæa, ſeu exemplar eſt imago operis faciendi, nihil autem eſt in Deo per modum imaginis, & repræſentationis niſi ipſa cognitio ergo, &c.

Subiectiue eſt cognitio ſed nō obiectiue.

Ego cenſeo idæam ſubiectiue loquendo eſſe indiſtinctám ab ipſa cognitione, obiectiue autem, ſeu ſecundum id, quod dicitur eſſe obiectiue in mente Dei non eſſe cognitionem, ſed ab illa diſtingui, ſiue ſit res creata ſiue increata de quo dub. ſeq. Hæc concluſio late, & ſpecialiter à me propoſita, & expoſita eſt diſp. 23. ſect. 5. præcipue à numer. 41. contra quam concluſionem vt ibidem expoſitam nihil vrgere poſſunt, quæ hic opponuntur pro vtraque ſententia nuper propoſita, nā prima intelligi poteſt de eſſe obiectiuo, ſeu quoad putum eſſe obiectiuum in mente artificis. Secunda vero de eſſe ſubiectiuo, ratione cuius obiectiue dicitur exiſtere res in mente artificis; tale enim *eſſe* ſubiectiuum indiſtinctum realiter eſt à cognitione formaliſſ. neque per ipſam cognitionem exiſtit in rerum natura vt ſatis conſtat ex dictis diſp. 23. citata §. 42. in tract. 3. de viſione.

6 Dubitatur ſecundo: An ipſæmet creaturæ prout cognitæ à Deo habeant rationem idææ, an vero ipſa eſſentia diuina ſit creaturarum idæa? Prima ſententia ſtat pro creaturis ita Scotus 1. diſt. 35. q. 1. §. Ad iſta. Durand. diſt. 36. quæſt. 3. Ocham. & cum eo Nominales diſtin. 35. q. 5. & alij apud Vaſquez 1 p. diſp. 72. cap. 2. Auerſ. 1. p. quæſt. 15. ſect. 3. Mouentur quia ſolum res creatæ præconceptæ à Deo ſunt id, ad cuius imitationem effectus producitur: ſed idææ nomine intelligitur id obiectum, ad cuius imitationem effectus producitur ergo res creatæ ſic habent rationem idææ: minor, & conſequentia patent. Maior probatur, quia creatura ſolum oritur talis qualis concipitur in ſuo eſſe; non autem qualis eſt eſſentia diuina. Confirmatur illud eſt idæa, quo cognito, & ſublato quolibet alio obiecto, artifex poteſt agere, & quo non cognito, non poteſt. Atqui ſi per impoſſibile ſolum cognoſceret Deus creaturas, iam eas agere poſſet, ſeu velle facere, ſecus ſi illis ignoratis ſolam propriam eſſentiam videret ergo, &c. Confirmatur ſecundo quia creaturæ non ſunt ſimiles eſſentiæ diuinæ in eſſendo formaliter vt patet, ſed ſolum virtualiter: atqui ſimilitudo virtualis inſufficiens eſt ad rationem idææ; neque enim quis vt formet, vel efficiat calorem rectè vtetur idæa *lucis*, in qua virtualiter continetur calor.

An creaturæ habeant rationem ideæ, vel potius eſſentia diuina ſit creaturarum idea.

Stans pro creaturis. Scotus. Durand. Ocham. Nominal.

7 Secunda ſententia ſtat pro eſſentia diuina (adeo vt plures Thomiſtæ apud Vaſquez diſp. 72. cap. 2. reputent vt temerariam ſententiam Scoti) ita. S. Tho. hic Albertus, Bonau. Ægid. Aureol. Capreol. Carthuſianus, Argentinas, & alij antiqui 1. diſt. 35. Ferrara 1. contra Gentes cap. 54. Suar. diſp. 25. met. ſect. 1. num. 11. Mol. Vaſq. Valent. Cai. Banez, Zumel, Auerſa q. 15 ſect. 4. §. *Dico ſecundo* Mouentur primo auctoritate Patrum quos omnes in hanc ſententiam conſpiraſſe affirmat, & probat P. Didacus Ruiz, diſp. 82. ſect. 2. à num. 1. Dionyſi. Peraui. tom. 1. Theologicorum dogmatum libro quarto capite nono decimo & vndecimo. Mouentur ſecundo quia creaturæ dicuntur factæ ad ſimilitudinem Dei vt patet in homine, qui ad imaginem, & ſimilitudinem Dei dicitur factus. Tertio quia ſolius peccati, & mali non datur idæa in Deo, at peccatum, & malum in ſeipſis habent rationem, quæ cognoſcatur, ſolumque non continentur in diuina eſſentia ergo diuina eſſentia, vt continens creaturas habet rationem idææ: de hoc argumento mihi ſpeciali dicam, §. ſeq.

Stant pro eſſentia Dei.

S. Thom. Albert. S. Bonau. Ægid. Aureol. Capreol. Carthuſ. Argent. Ferrara. Suarez. Mol. Vaſquez. Val. Caiet. Bannes. Zumel. Auerſa. Ruiz. Petauius.

Ex his ſententiis hæc ſecunda magis placet, cum in quæſtione de nomine ſtandum ſemper ſit 8
communi modo loquendi: igitur cum iuxta hunc nomine *idæa* intelligatur exemplar quod exiſtens præ oculis habet artifex vt operetur; neque enim dicitur pictor operari ad exemplar, cum ad aliud ſibi præſens, & exiſtens non attendit. Siquidem Deus ab æterno nil habet ſibi præſens ad quod debeat attendere in productione creaturarum, niſi ſuam eſſentiam, iſta dicenda erit cauſa exemplaris, ſeu idæa; quatenus nil exiſtit præter Deum, quod Deus dum creauit mundum fuerit imitatus. Sic intelligitur Auguſtin. libro 83. qq. quæſtione quadrageſima ſexta: dum dixit. *Has autem rationes* (ſeu ideas) *vbi arbitrandum eſt eſſe, niſi in ipſa mente creatoris: non enim extra ſe quidquam poſitum intuebatur, vt ſecundum id conſtitueret, quod conſtituebat, nam hoc opinari ſacrilegum eſt.* Nihilominus iuxta dicta §. quinto. eſſentia diuina nō eſt dicenda idæa vt eſt in ſe abſolute, & in eſſendo, ſed vt eſt quaſi in repræſentando hoc eſt in vi ducendi in notitiam creaturarum; quatenus eſſentia diuina ratione ſui ponit creaturas præſentes intellectui diuino: neque enim talis producitur Angelus, verbi gratia, qualis eſt ipſa eſſentia in ſe formaliter, ſed qualis in diuina eſſentia vt in obiecto cognito repræſentatur; ſicut dicunt ij qui ipſi cognitioni tribuunt rationem idææ, licet enim formaliter in eſſentia diuina vt in obiecto non detur repræſentatio formalis, quæ eſt propria cognitionis, datur tamen obiectiua. Vnde in eſſentia vt in obiecto ſunt omnes creaturæ. Confirmatur maxime hæc ſententia ex tertio argumento in §. præcedenti. Nam ſimpliciter non eſt admittenda in Deo idæa, ſeu cauſa exemplaris peccati; peccatum autem cognoſcitur à Deo, non minus propriè, quam aliæ creaturæ; vnde ſi cognitio haberet rationem ideæ, vel etiam ipſa res vt in ſe cognita idæa diceretur nil deficeret Deo quominus diceretur habere idæam peccati. Igitur ſimpliciter loquendo idæa non conſiſtit in cognitione, neque in obiecto vt in ſe cognito, ſed vt cognito in eſſentia diuina vt continente illud.

Explicatur, & approbatur.

Auguſt.

Hinc patet primam ſententiam in §. ſexto, 9
falſam eſſe. Ad primum pro ea fundamentum. Reſpondeo non ſufficere ad idæam quod talis euadat effectus qualis cognoſcitur vtcumque ſed qualis cognoſcitur in alio, definitur enim idæa: *Forma, quam inſpicit artifex ad operandum exiſtens præter rem idæatam:* hoc autem competere nequit ipſi rei faciendæ prout præcisè inſpectæ ſecundum ſe. Ad primam confirmationem reſpondeo eſſentiam diuinam non dici à me idæam vt eſt ipſa eſſentia abſoluta à creaturis, ſed vt eas continet modo dicto, vt ſic autem per ſe neceſſaria eſt. Dices idæa per ſe neceſſaria eſt vt artifex operetur arte facto, ſimiliterque per ſe neceſſaria eſt Deo idæa mundi, verbi gratia, vt ad ipſius imitationem mundum fabricetur; vt autem Deus fabricetur mundum ſufficit cognitio de mundo poſſibili in ſeipſo; vnde vt ſic habebit ſufficienter rationem idææ. Reſpondeo in primis reſpectu diuinæ ſcientiæ plures negant res poſſibiles cognoſci in ſe ipſis. Deinde idæa debet eſſe aliqua ratione principium operis; mundus autem poſſibilis non vt eſt in ſe ipſo, ſed vt eſt in

 eſſen

eſſentia diuina concurrit ad effectionem ſui, præterquam quod quidquid de hoc ſit ſaltem propriùs habet rationem idææ *exiſtentis præter rem ideatam* mundus vt continetur in eſſentia Dei, quam vt eſt in ſeipſo. Iam ad ſecundam confirmationem in primis cenſet Durandus in 1. diſtinction. 36, quæſt. 3. à num. 19. eſſentiam diuinam eſſe creaturarum idæam tantum quoad perfectiones Deo, creaturiſque communes, ſic autem in eſſendo creaturæ fiunt ad imitationem Dei: Deus enim intuens ſeipſum ſubſiſtentem, viuentem, ſapientem, &c. voluit creaturas participare ſuo modo has perfectiones ad imitationem quandam diuinæ ſubſtantiæ, & in hoc ſenſu dicitur eſſentia diuina vt participabilis habere rationem idææ. Sed hoc omiſſo melius eſſentias diuina obibit munus idææ, quatenus repræſentat modo obiectiuo creaturas poſſibiles vt explicui §. præced. aliter enim ſimilitudo eſt nimis analoga. Hinc conſequenter dico lucem poſſe habere rationem idææ, vt fiat calor ad imitationem lucis; non in eſſendo, ſed in repræſentando.

ARTICVLVS II.

Vtrum ſint plures ideæ.

10 DE hac difficultate agit S. Thom. 1. diſtinct. 36. quæſtion. 2. artic. 2. & in 2. ſcripto ad Anib. 1. d. 36. quæſt. 1. artic. 2. & 1. contra Gentes cap. 54. & quæſtion. 13. de Veritate articulo ſecundo, & opuſc. 9. quæſt. 66. In præſenti autem art. 2. ait eſſe in Deo plures idæas (non vt plures ſpecie realiter diſtinctas, ſed vt plura obiecta vnico actu reali intellecta, quod non obeſt Dei ſimplicitati) eo quod in mente diuina ſint rationes omnium rerum.

11 *An ideæ diuinæ ſint plures ſumptæ obiectiue, vel ſolùm formaliter.*

Dubitatur primò. An idææ diuinæ ſint plures ſumptæ obiectiue vel ſolum formaliter. Ratio dubitandi eſt quia idæa obiectiua ſolum competit eſſentiæ diuinæ vt dixi §. 9. ſed eſſentia diuina nec ratione noſtra diſtinguitur in plures, ergo nec idææ obiectiuæ plures ſunt ſecundo quia nullus dixit idæas diuinas realiter diſtingui, eſſeque realiter plures: Idææ autem obiectiuæ cum iuxta ſententiam Scoti in §. 6. indiſtinctæ ſint ab ipſis rebus creatis, maxime inter ſe diſtinguentur realiter etiam ſpecie vel genere.

12 *Obiectiue.*

Nihilominus dicendum eſt idæas dum plures dicuntur obiectiue ſumi, ratio eſt quia idæa ſimpliciter dicta ſtat pro eo quod obiicitur menti artificis; id autem quod neceſſario obiicitur menti artificis non eſt ipſa cognitio ſed eius obiectum: adde ſimpliciter non dici dari in Deo plures ſcientias, niſi ad ſummum tres iuxta dicta q. 14. §. 124. ſunt autem plurimæ, & infinitæ idææ pro diſtinctione cuiuſuis obiecti.

13 *Ideam omnium vnam dicunt.* Aureol. Albert. Dur.

Ad oppoſitas dubitandi rationes reſpondeo ad primam iuxta Aureolum 1. diſt. 36. part. 2. art. 1. §. *An ſint plures ideæ*, Albertum diſt. 35. articul. 9. Durandum diſt. 36. quæſt. 4. ſolum datur vna idæa in Deo ad omnia ſicut vna ſcientia, ſed quia hæc exiſtimatio eſt contra communem modum loquendi dicendum eſt ipſam eſſentiam diuinam ratione noſtra diuidi non in plures eſſentias at in plures ideas, ſic hæc propoſitio ſimpliciter eſt vera *Angelus non fit per ideam equi*: item *idea Angeli non eſt idea* equi ſic Auguſtinus, lib. 83. qq. quæſtion. 46. poſt medium: *omnia ratione ſunt creata neque eadem ratione homo qua equus hoc enim abſurdum eſt exiſtimare; ſingula ergo proprijs ſunt creata rationibus.* *Ratio* autem apud Auguſtin. idem eſt ac idea. Igitur ideo idææ vt idææ plures ſunt, quia eſſentia diuina vt imbibit conceptum idææ ſumitur connotatiue imbibens reſpectum ad creaturas, imbibens inquam nõ tantum extrinſecè, ſed quaſi intrinſecè, & conſtitutiue: ideo potius plurificatur vox *ideæ*, quam *ſcientiæ*, licet ſcientia reſpectiua ſit quia iſta purè extrinſecè connotat plures creaturas vt notat Molina hic ad ſecundum dicens, quod ſcientia eſt nomen abſtractum ſupponens pro forma ſciendi, quæ vna eſt, ſcilicet vnus actus intellectus diuini: Idæa vero ſtat ita imbibens eſſentiam vt attendatur concrete imbibendo obiecta extrinſeca. *Ideæ plures, & cur.* Ad ſecundam rationem dubitandi reſpondeo; licet in genere poſſint dici plures realiter idææ, at addendo *diuinæ*, iam non ſunt plures realiter, quia forma per quam ſunt res creatæ obiectiue in Deo eſt ſcientia Dei realiter ſimplex. Adde me ex hoc fundamento reiicere ſententiam Scoti.

14 *An ideæ diuinæ vt ſunt in Deo diſtinguantur ratione noſtra, aut plus.*

Dubitatur ſecundo. An idææ diuinæ vt ſunt intra Deum diſtinguantur inter ſe pluſquam ratione noſtra: de hac difficultate diſcurrendum eſt iuxta ea, quæ dico de diſtinctione diuinarum perfectionum diſputatione 14. & ſequentibus.

15 *An admittendæ ſint plures ideæ circa idẽ obiectum realiter?*

Dubitatur tertio: An in Deo admittendæ ſint plures idææ circa idem obiectum realiter idem vt ſcilicet alia ſit ratione noſtra reſpectu hominis faciendi idæa de animalitate ab idæa de rationalitate. Sanct. Thom. negatiue reſpondet hic articulo ad tertium & quæſtione tertia de Veritate articulo octauo, ad ſecundum inquiens genus non poſſe habere idæam aliam ab idæa ſpeciei. Ego huic ſententiæ ſto, generaliterque cenſeo non eſſe multiplicandas idæas pro pluralitate formalitatum eiuſdem rei, quia alias talis idæa foret imperfecta vtpote inadæquata, & præciſiua vide quæ dixi diſputatione 45. ſectione ſecunda, & tertia.

ARTICVLVS III.

Vtrum omnium, quæ cognoſcit Deus ſint ideæ?

DE hac difficultate agit Sanct. Thom. 1. diſtinct. 36. quæſtion. 2. articul. 3. & ibi ad Anibal. quæſtion. 2. artic. 1. & quæſtion. 3. de Veritate art. 4. & tribus ſequentibus. In præſenti autem artic. 3. aſſerit omnium eorum, quæ ſecundum quodcunque tempus fiunt eſſe idæas in Deo quo exemplaria ſunt, vt vero rationes cognoſcendi omnium ab ipſo factibilium in ipſo, idæas eſſe tam ſpeculatiue, quam practicè. 16

17 *An ſit in Deo idea peccati, & aliorum quæ ipſe non facit.* *Non eſt peccati, niſi quoad materiale phyſica.* *Negationum indiſtincta.*

Dubitatur primo: An ſit in Deo idæa peccati & aliorum cõceptuum ab ipſo diſtinctorum, quos tamen non facit, v. g. Negationum, Relationum rationis, Chymærarum, &c. Reſpondeo. primo peccati vt talis non datur idæa in Deo; tum quia peccatum vt tale non continetur in Deo, tum etiam nullo modo fit ad imitationem diuinæ eſſentiæ ita S. Thomas 1. diſtinct. 36. quæſtion. 2. artic. 3. ad 1. Sic Sanct. Dionyſius capit. 5. de diu. no. ait. *Exemplaria* (ſeu idæas) *eſſe rationes, quas Theologia vocat prædefinitiones, & bonas voluntates effectiuas*.

Relationum rationis pro ad fundam directa, ſed compoſita.

effectiuas rerum. Nihilominus quoad materiale, & phyſicum peccati admittenda eſt idea phyſica in Deo ſicut, & continentia. Reſpondeo ſecundo: Negationum realium non datur in Deo idæa directa, ſed ſolum indirecta, fiunt enim ſuo modo, & cognoſcuntur Negationes per ideam Boni, ſeu formæ poſitiuæ, qua priuant vt conſtat ex dictis diſp. 55. ſection. 1. Reſpondeo tertio. Relationum rationis fundamentalium, ſicut & cuiuſuis denominationes extrinſecæ, ſi coaleſcat ex extremis bonis datur idæa propria, licet non ſimplex, compoſita tamen v.g. denominationis *amati Domini*, &c. datur in Deo propria idæa, quatenus datur idæa de amore, & de ſubiecto amato patet id ex diſp. 55. ſect. 1. Reſpondeo quarto de entibus rationis, & Chymæris nulla datur in Deo idæa, niſi æquiualenter. Lege diſp. 55. ſect. 3. & 4.

Entium ratio nulla.

18 Dubitatur ſecundo: An Deus habeat idæam ſui ipſius? Ratio dubitandi eſt prima quia S. Thomas hic in idæa duo munera diſtinguit, & vt ſit principium cognoſcendi, quo idæa vocatur *Ratio*, & vt ſit principium operandi, & vocatur *exemplar*. Ergo licet non quoad hoc munus, at quoad primum erunt in Deo idææ ſui ipſius. Secundo reſpectu productionis Verbi, vel etiam Spiritus ſancti admittitur idæa ab Alliaco 1. diſt. 36. quæſt. 6. art. 3. ſcilicet ipſa perſona producibilis. Reſpondeo, cum communi hic, non habere Deum idæam ſui ipſius, de quo ſatis conſtat ex dictis quæſt. 14. art. 16. num. 179. ex quo ad primam rationem dubitandi dico ad ideam requiri ſaltem quod opus ſit producibile, licet actu non producatur. Sic S. Th. q. 15. art. 1. ad ſecundum, *licet Deus per eſſentiam ſuam ſe, & alia cognoſcat, tamen eſſentia ſua eſt principium ſpiratiuum aliorum, non autem ſui ipſius ideo habet rationem Ideæ ſecundum quod ad alia comparatur, non autem ſecundum quod comparatur ad ipſum Deum.* Ad ſecundum, vti ſcientia reſpectu Verbi non eſt practica, ita neque eius obiectum vt eſt in ipſa habebit rationem idææ ob rationem dictam. quæſtion. 14. articulo decimo ſexto §. 179.

An Deus habeat ideam ſui ipſius? vel verbi. Non.

19 Dubitatur tertio: An habeat Deus idæas rerum vniuerſalium, generum ſcilicet, & ſpecierum; An tantum ſingularium, vel è contra horum, & non illorum? Plato ſolum ponebat in Deo idæam vniuerſalium; in qua naturæ vniuerſales conſiſtebant ita refert S. Thom. hic art. 3. ad tertium. Sed ex dicendis de natura vniuerſali in logica conſtabit non dari naturam vniuerſalem diſtinctam ab inferioribus. Henricus Quodlibet. ſeptimo, quæſtion. quinta, etiam negat idæas ſingularium, quia putat ſingularium idæas per accidens ſe habere ad productionem, cui videtur fauere Auguſtin. epiſtol. 115. ad Nebridium prope finem *Quæris. vtrum ſumma veritas generaliter hominis? an vniuſcuiuſque noſtrum rationem contineat? Magna quæſtio: ſed mihi videtur, quod ad hominem faciendum attinet, hominis quidem tantum, non autem meam, vel tuam ibi eſſe rationem.* Ex oppoſito Vaſquez diſputat. 74. cap. 2. docet Deum habere idæas ſolum ſingularium, non vero ſpecierum vel generum.

An habeat ideas rerum vniuerſaliū?

Quid alij ſentiant.

20 Ego exiſtimo in Deo dari idæas tam vniuerſalium, quam ſingularium, licet non diſtinguantur inter ſe. Hoc patet ex §. 15. illud autem clare tuetur S. Thomas quodlib. 8. articul. ſecundo, Sanct. Bonauent. 1. diſp. 35. artic. 1. quæſtion. 4. Richard. diſtinct. 36. articul. 1. quæſtion. 4. & alij hic communiter. Ratio eſt quia licet vniuerſalium, & diſtinctorum à ſingularibus, non detur idæa, at idæa de ſingularibus imbibit omnia prædicata ſingularium. alias foret imperfecta, vnum autem è prædicatis, imo plura ſunt vniuerſalia, ſeu aliis communia. Ad rationem oppoſitam reſpondeo, à parte rei reſpectu intellectus cognoſcentis res ſicut ſunt in ſe æque per ſe repræſentari rationem ſingularem, & vniuerſalem. Auguſtinus illa verba poſtea explicat, vt dicat pro productione plurium hominum plures idæas concurrere, quod non poſſet fieri, niſi darentur ſingularium idææ; alias vna ſufficeret è contra ad Patrem Vaſq. Reſpondeo fateor idæas de genere, vel ſpecie non dari *quaſi ſubſiſtenter*, & condiſtinctè, ſeu præciſè ab indiuiduis vt bene mouentur Vaſquez ſupra, & Faſol. hic tom. 2. quæſtion. 15. artic. 3. numero 9. eo quod gradus ſuperiores, & inferiores non diſtinguantur. Cæterum indiſtinctæ non eſt cur non dentur.

Habet vniu. & ſingul. ſed indiſtinct. S. Thom. S. Bonau. Richard.

QVÆSTIO XVI.

De veritate.

In hac quæſtione nihil eſt diſputatione dignum de quo non agatur late in Philoſophia, ideo ego ea breuiter indicabo.

ARTICVLVS I.

Vtrum veritas ſit tantum in intellectu

1 De hac difficultate agit S. Thomas 1. diſt. 19. quæſt. 5. art. 1. & ibidem in alio ſcripto ad Annib. & quæſt. de Verit. art. 1. In præſenti autem art. ait veritatem omnem in intellectu eſſe principaliter, ſecundario autem in rebus ſecundum ordinem ad intellectum à quo dependent vt ſic vti voluntas denominat id, in quod tendit *bonum* ita intellectus denominet *verum*.

2 Dubitatur primo: An veritas cognitionis ſit huic eſſentialis, & adæquatè intrinſeca. Prima ſententia affirmat ita Puente Hurtad. diſp. 9. de Ani. ſect. 3. mouetur quia veritas formalis, ſeu in cognoſcendo non conſiſtit in obiecto, ſed in intellectu; ipſa enim cognitio eſt, quæ dicitur vera vel falſa. Si autem cognitioni ipſi non eſt eſſentialis, & intrinſeca veritas formalis iam coaleſcet ex obiecto. ergo æque in hoc dicetur conſiſtere. Secunda ſententia mihi vera & communis cum S. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 15. ad 3. Suarez diſp. 8. met. ſect. 2. num. 9. Arriag. diſp. 14. log. ſect. 1. ſubſ. 2. Compton. d. 44. log. ſection. 3. Negat. moueor quia ſicut imago picta quod ſit ſimilis, vel diſſimilis obiecto eſt illi extrinſecum, ita & ſimilitudo intentionalis in cognitione. Sed ſimilitudo eſt veritas; hæc enim definitur conformitas cognitionis cum obiecto: ergo veritas eſt extrinſeca denominatio, non vero eſſentialis cognitioni. Ad fundamentum oppoſitum

An veritas cognitionis ſit huic adæquate intrinſeca? Affirmat. Hurtado.

Negandum eum. S. Thom. Suarez. Arriaga. Compton.

poſitum reſpondeo ſæpe denominationem cadere præciſè ſupra vnum extremum, licet ex pluribus coaleſcat. Sic bonum dicitur *deſiderabile* ab abſentia, cum tamen non abſentia, ſed ſola entitas boni deſiderabilis ſit.

3 *An eadem cognitio poſſit mutari de vera in falſam.* *Negant* Hurtad. Arriaga. Ruiz.

Dubitatur ſecundò: An eadem cognitio poſſit mutari de vera in falſam. Prima ſententia negat ita Hurtado, & Arriaga ſupra. Ruiz diſput. 21. de ſcient. ſect. 4. num. 8. Mouentur quia licet cognitio ſit accidentaliter vera, conſtituitur tamen talis per id quod obiectum ſemel exiſtat. At impoſſibile eſt quod obiectum ſemel exiſtens, licet accidentaliter exiſtere contingat, iam non exiſtat. Ergo implicat actum amittere veritatem. Secunda ſententia mihi vera & omnino communis, vt fatetur Ruiz ſupra num. 1. tuetur actum verum poſſe mutari in falſum ita Suarez diſp. 8. Metaphyſic. ſection. 2. num. 19. Molina 1. p. q. 17. diſput. vnic. prope finem Fonſeca 9. metaphyſ. cap. 12. Soto in logic. cap. de ſubſtant. Caietan. cum aliis Thomiſtis 1. 2. quæſt. 19. artic. 1. Alexand. 1. par. quæſt. 15. mem. 3. Albert. 1. part. quæſt. 25. membr. 1. art. 2. part. 1. Henric. ſum. art. 34. q. 5. inter princ. & Med. Dur. 2. d. 40. q. 3. Carthuſ. ibi. q. 4.

Affirmandum cum. Suarez. Mol. Fonſec. Soto. Caiet. Alex. Albert. Henric. Dur. Carthuſ.

4 Ariſt.

Moueor ergo primo authoritate Ariſt. in prædic. cap. de ſubſt. fine: *Eadem oratio falſa, & vera videtur eſſe. Veluti ſi vera ſit oratio ſedere quempiam, eo ſurgente ipſa eadem falſa erit. ſimiliter ſiquis verum putet aliquem ſedere, ſurgente eo falſo putabit, eandem de ipſo opinionem habens.* Quæ verba etiam ſunt de opinione interna: id namque ſonat ly *putat*; alias dicere liceret quod opinio interna primo dicens aliquem ſedere ipſo ſurgente non eſſet falſa. Secundo eſt ratio quia cognitio de præſenti, vel de futuro affirmans non differt ſolum denominatiuè, ſed in intrinſeco modo tendendi, vt diuerſa ſit qui abſolute tendit de præſenti ab ea quæ tendit ſolum reſpectiue verbi gratia, aliud eſt dicere. *Chriſtus Naſcitur* aliud: *Naſcitur reſpectiue ad inſtans A.* At primus modus cognoſcendi eſt verus in inſtanti A. falſus vero in B. vt conſtat ex his, quæ dico, diſp. 49. ſect. 3. Ergo eadem cognitio poteſt mutari de vera in falſam.

5 Hinc ad fundamentum pro oppoſita ſententia negante in §. 3. Reſpondeo licet cognitio, quæ dicit *Petrus ſedet* ſupponat pro inſtanti A. & implicet iam quod Petrus in A. non ſedeat ſtante ſcilicet inſtanti eo A. At dum elabitur ipſum inſtans *A.* iam nec pro A. ſedet Petrus de præſenti: hoc enim ſonat: *exiſtit A, & in eo Petrus ſedet* quod omnino omnino falſum eſt. Sed de his plura Philoſophi.

6 *An veritas ſit ſubiectiue in intellectu, vel tantum obiectiue.*

Dubitatur tertio: An veritas ſit ſubiectiue in intellectu, vel tantum obiectiue? hoc eſt an menſuranda ſit per comparationem exiſtentiæ quam habet res obiectiue in intellectu, cum exiſtentia exteriori à parte rei? An vero per comparationem immediatam cognitionis cum obiecto: prima ſententia affirmat ita Herværus. Iandun. Durand. Soncin. Flandr. Xauell. Niphus cum & apud Vaſquez diſput. 76. cap. 1. Mouentur, quia conformitas rei cum cognitione vera, non eſt cum ipſa cognitione in eſſe rei, ſed in eſſe intelligibili, neque enim viſio Beata eſt in eſſe rei ſicut Deus. At *eſſe* intelligibile perinde eſt ac eſſe obiectiuum. Secunda ſententia contraria eſt communis ſi benè explicetur de qua plura dixi diſputation. 23. per totam maxime in ſectione quinta, vbi dixi eſſe obiectiuum nil aliud eſſe ſubiectiue, quam ipſum actum cognitionis, & ſpeciei, ſeu ſimilitudinis expreſſæ per quod patet ad fundamentum pro prima ſententia neque in hoc reſtare poteſt quæſtio de re. Vide Compton. diſputatione quadrageſima quarta log. ſectione prima Suarez diſputatione octaua metaphyſ. ſection. 1. Hurtad. diſputation. nona de An. ſect. 1.

Affirmant ſubiectiue Heruæ. Iandun. Durand. Soncin. Xauel. Niph Vaſquez *Dicendum obiectiue.* Compton. Suarez. Hurtado.

7 *In quo conſiſtat veritas formalis.*

Dubitatur quarto. In quo conſiſtat veritas formalis. An in modo ſupperaddito, in relatione rationis, vel in aliquo alio reſpectiuo? Prima ſententia ponit in ente rationis ita Molina hic art. 1. diſp. 2. Capreol. 1. diſtinct. 19. quæſtion. 3. artic. 2. Vaſq. 1. part. diſp. 76. cap. 1. initio. Mouentur quia nil ponitur in re nouum per id quod propoſitio ſit vera, vel falſa. Secunda ſententia ſuperaddit actui modum realem relationis prædicamentalis ita Henric. Quodlib. 34. quæſt. 3. & duab. ſequentib. videnturque ita ſentire communiter Thomiſtæ, tum quia id ſentiunt de bonitate actus voluntatis; tum etiam quia realatio ſimilitudinis phyſicæ conſiſtit in modo, ergo & ſimilitudinis intentionalis. Tertia ſententia veritatem ponit in entitate ipſa cognitionis, quæ tranſcendentaliter referatur ad obiectum ſicut ab ipſa affirmatur, vel negatur ita Ruiz diſp. 86. de ſcient. ſection. 3. referens pro ſe Capreol. Ferratam ſoncinat. Conimbricen. & Molinam diſputat. 3. in hunc art. 1. Mouetur quia veritas cognitionis relatiue ſe habet ad obiectum, ſicut ab ipſa dicitur, neque enim concipi poteſt niſi intelligatur in obliquo res cognita. At non requirit terminum in eſſe rei, vt patet quando cognitio procedit de futuro. Ergo non eſt veritas in re quid relatiuum, ſed abſolutum; licet ſecundum dici, ſeu tranſcendentaliter referatur, ſeu connotet aliud, ideo eſt relatio rationis.

Pro ente rat. Molina. Capt. Vaſq. *Pro modo ſuperad.* Henr. Thomiſtæ. *Pro entit. cognit.* Ruiz. Capreol. Ferrar. Sonc. Conimb. Molin.

8 *Extrinſeca denominatio ex cog. & ex obi.*

Ego cenſeo veritatem nihil aliud eſſe quam actū cognitionis in recto, & in obliquo obiectum ipſum ſecundum ſtatum, qui à cognitione enunciatur id patet ex dictis in §. 2. & generaliter de omni denominatione extrinſeca, & relatione prædicamentali ſentio contra Thomiſtas renciens vt ſuperfluos modos relationes reſultantes. Hinc ad primam ſententiam dico apud Vaſquez & Molinam reſpectus rationis vocari, qui nil intrinſecum ponunt in re, etiam ſi ſine fictione eueniant vt noto diſputation. 59. ſection. quinta quare ab illis non differo. Ad ſecundam ſententiam modi illi reſultantes ſunt ſuperflui, quis credat ex cognitione facta in India reſultare modos in Hiſpania. Tertia ſententia falſa eſt quia ſine dubio intendit ponere in cognitione ordinem eſſentialem ad obiectum vt ab ipſa affirmatum, quod eſt dicere veritatem eſſe adæquate intrinſecam, & eſſentialem actui de quo ſatis §. 2.

9 *An detur aliqua veritas in ipſis rebus.* *Ita eſt de verit. arte.* Molina.

Dubitatur quinto. An detur aliqua veritas in ipſis rebus? de Veritate tranſcendentali certum eſt in rebus ipſis conſiſtere, cum ſit paſſio entis, vti de veritate ſpeculationis conſtat in intellectu conſiſtere iuxta ſuperius dicta. Dubitatio procedit de alia veritate, licet rebus extrinſeca ſit, ſumaturque per ordinem ad intellectum; adhuc tamen primario in rebus conſiſtat. Reſpondeo affirmatiue de veritate artefacti ita Molina hic quæſtion. 16. articulo. 1. diſputation. 1. Ratio eſt quia ipſum artefactum ſe habet vt ſubiectū, de quo, ſeu in quo eſt veritas, cognitio vero vt cauſa talis veritatis, neque enim dictamen cognitionis dicitur verum, eo quod confor

conformetur cum artefacto; etenim licet quis haberet dictamen, quo diceret (ex placito ſuo) *fac domum ſine tecto* non ideo tale dictamen eſſet falſum, ſed falſa domus, quæ non conformaretur illi dictamini: ergo ſicut ſanitas primario reſidet in animali, ſecundario vero in medicina, quia iſta comparatur vt cauſa, illud vt ſubiectum ſanitatis, ita ſimiliter dicendum de hac veritate. Confirmatur veritas ſpeculationis primariò reſidet in cognitione, & non in obiecto, quia ex eo quod hoc eſt vel non eſt illa dicitur vera vel falſa, ad huius ſcilicet conformitatem vt menſuræ; & è contra contingit in veritate practica, quod ſcilicet artefactum dicatur verum, vel falſum, quatenus conformatur cum dictamine rationis: ergo ſecundario in hoc, & primariò in artefacto reali conſiſtet hæc veritas.

ARTICVLVS II.

Vtrùm veritas ſit in intellectu componente & diuidente?

10 DE hac difficultate agit Sanctus Thomas 1. diſtinct.19. quæſt.5. art.1. ad 7. & p.3. de verit. art.3. in præſenti autem art.2. ait ſolum in intellectu componente vel diuidente eſſe veritatem vt in *dicente verum*: licèt in ſimplici apprehenſione ſit veritas vt in re vera. Hæc eſt vera, illa compoſitio cognoſcit verum.

11 *An ſolum ſit veritas in actu iudicij? Pro appreh.* Suarez. Molina. Hurtad. Arriaga. Compt. S.Thom. Ferrara. Caietan. Capreol. Soncin. Fonſeca. Ruiz. Faſol.

Dubitatur primò: An ſolum ſit veritas in actu iudicij. Prima ſententia aſſerit etiam eſſe in apprehenſione incomplexa. Ita Suarez d.8. metaph. ſect.5. Molina 1.p. quæſt.16. diſp.1. Hurtado, Arriaga, & Compton in ſuis diſput. Philoſ. S.Thomas hic Ferrara, Caietan. Capreol. Soncin. Fonſeca, Conimbric. cum Ruiz eos referente diſput.82. de ſcient. ſect.2. Faſol. hic dubit.1. num.4. Mouentur primò, quia conceptus *animal rationale* eſt ſimilis homini, & conformis: ſimilitudo autem intentionalis, eſt veritas. Secundò mouetur Ruiz ſuprà num.9. quia in exterioribus ſignis, quæ nil indicant veritas inuenitur; ſic pulſus dicitur verum ſignum valetudinis. Et ſuſpiria *ficta* dicuntur, dum non indicant dolorem in animo. Secunda ſententia hoc tenet de apprehenſione complexa ita à fortiori Auctores citati; quia hæc apprehenſio *Deus eſt Trinus* quæ ante aſſenſum iudicij præcedit in Catechumeno iam applicat prædicatum ſubiecto, at ex hoc ſolo titulo iudicium dicitur verum ergo.

12 *Simpliciter ſolum eſt in iudicio ponenda.* S.Thom. Caietan. Vaſquez. Heræ. Durand. Albert.

Ego cenſeo veritatem abſolutè non eſſe niſi in actu iudicij ita clarius S. Thomas hic vt oſtendit Caietan. Vaſquez diſput.75. cap.2. & 3. Heruæus quodlib.3. quæſt.1. artic.2. & 3. Durand. 1. diſt.19. quæſt.5. num.14. Albert.1. Periherm. tract.2. cap 3. Moueor: quia ſolus actus iudicij ponit *eſſe* in obiecto dicendo *hoc eſt*, vel hoc *non eſt*, enunciatiuè, vnde determinat ad vnam partem contradictionis, apprehenſio autem quæcunque ſit vt talis nil determinat, ſed procedit purè materialiter, & recitatiuè: ergo cum veritas petat conformitatem obiecti exterioris cum *eſſe* obiectiuo, quod datur in mente. Si in ſolo iudicio datur *eſſe* obiectiuum, hic ſolum dabitur ſimilitudo & veritas. Confirmatur nequit dari veritas in eo actu, qui ſecundum ſe non eſt potius verus, quam falſus. At nulla apprehenſio quantumuis complexa eſt potius vera, quam falſa: etenim quælibet apprehenſio vt talis indifferens eſt vt negatiuè, vel affirmatiuè admittatur ab intellectu, applicetur que ipſa, vel ſeparetur ab obiecto, verbi gratia, apprehendit quis: *Deus eſt Trinus* hic actus vt purè apprehenſiuus iungi poteſt, & indifferens adhuc eſt vt admittatur ab intellectu per ly *verè* vel *ita eſt* & tunc erit verus; ſeu reiiciatur per ly *falſo* vel *nequaquam*: ergo per ſe apprehenſio niſi vt coniuncta cum iudicio non eſt vera. Confirmatur ſecundò dicat: Deus *ſi homo eſt equus eſt hinnibilis* ly *homo eſt equus* non eſt apprehenſio vera, vt patet; ſed neque eſt falſa, quis enim patienter ferat actum diuinum falſum eſſe? ergo veritas non eſt in apprehenſione ſecundum ſe, niſi vt coniuncta cum iudicio. Vide quæ dico in ſimili ne Deus faciat ens rationis diſputatione 55. ſectione 3. hic enim militant.

Ad ſententias oppoſitas in §.11. Reſpondeo in eis apprehenſionibus, vel ſignis nullum dari *eſſe*, niſi prout eas referimus ad actum iudicij eas applicantis, vel reiicientis; quare licet in actu primo vera dici poſſit apprehenſio ex hac connotatione, non tamen in actu ſecundo; ſic dixit S. Thomas apprehenſionem veram eſſe, ſed non cognoſcere verum; vti dicere poſſumus lumen gloriæ ſecundum ſe bonum eſſe in actu primo intellectui, non tamen abſolutè ratione luminis vlla eſt intellectui conuenientia, niſi intellectui inſit. 13

Apprehenſio vera in actu primo.

Dubitatur ſecundò: An ſit ſpecialis ratio vt in apprehenſione admittatur veritas, quam falſitas. Communis ſententia affirmat maximè in cognitione apprehenſiua incomplexa ita Faſolus q.16. art.2. dub.1. Suarez diſp.9. metaph. ſect.1. num.5. Compton diſp.44. Logicæ ſect.2. num.9. Hurtad. diſp.9. de anima ſectione 2. Mouentur quia hæc apprehenſio *animal inhibile*, licet dicatur vera reſpectu equi, verè namque equum concipit, illique ſimilis eſt: at quia ſit diſſimilis reſpectu hominis non eſt ideo dicenda falſa; falſitas namque deſumitur ex diſformitate cognitionis cum ſuo obiecto, iam vero illius apprehenſionis obiectum ſolus eſt equus non autem homo. 14

An ſit ſpecialis ratio quare in apprehenſione admittatur veritas quam falſitas? *Affirmant.* Faſol. Suarez. Compt. Hurtad.

Ego tamen ſentio conſequenter ſi apprehenſioni concedatur veritas, eadem proportione poſſe concedi falſitatem. Ratio eſt primò, quia vt ipſi aduerſarij fatentur apud Faſolum ſuprà num.11. in apprehenſione complexa non minus datur falſitas, quam veritas in hac autem apprehenſione ſimiliter liceret fingere quod iſta cognitio apprehenſiua, verbi gratia, *aſtra ſunt paria* falſa non ſit; licet in re aſtra imparia ſint, nam dici poſſet quod eius obiectum non ſint hæc aſtra, ſed alia, quibus conueniat imparilitas: cur enim potius ly *aſtra paria* dicetur non habere pro obiecto hæc aſtra, quæ modo dantur, quam ly *aſtra ſunt paria* ſumpto apprehenſiuè, quo pacto perinde eſt ac ſi purè apprehendas ſic: *aſtra eſſe paria*, ſeu *identitas paritatis ſtellarum*. Secundò moueor hinc; quia apprehenſio ſecundum ſe etiam complexa non habet vnde potius dicatur eſſe de vno obiecto, quam de alio vti imago externa, ſiue ſit ſimplex, ſiue compoſita, ex variis lineis non habet vnde potius dicatur eſſe de Cæſare, quam de Pompeio: ergo ſicut imago externa æquè dicitur vera, ſeu ſimilis effigies comparata cum Cæſare, & diſſimilis comparata cum Pompeio ita dicendum de apprehenſione ante applicationem, & determinationem iudicij. 15

Negandum eſt.

16 Hinc ad fundamentum, quod propoſui pro contraria ſententia reſpondeo, ſi loquamur de apprehenſione: *animal inhibile* ante determinationem, quæ fit per iudicium; non habere vnde potius dicatur eſſe ſeu reſpicere pro obiecto equum præ homine, non primo quia cum equo conformetur, nam bene ſtat cognitionem habere pro obiecto id, cum quo non conformatur: non ſecundo quia procedat ab equo, vel per ſpeciem equi, tum quia cognitio abſtractiua ſæpè oritur ab ſpecie alterius rei ab ea, quam cognoſcit, ideo dicitur procedere per ſpecies alienas, tum etiam quia dum apprehenſio *animal inhibile* excitatur ex ſpecie motus, qui communis eſt homini, & equo non eſt cur dicatur talis apprehenſio venire potius ab homine, quam ab equo: non tertio quia illa apprehenſio referatur tranſcendentaliter ad equum nam verius exiſtimo nullam cognitionem tranſcendentaliter referri, vel connecti cum ſuo obiecto, vt patet ex dictis à me diſp. 23. ſect. 5. Igitur ſecundum ſe illa apprehenſio æquè vti dicitur vera per ſimilitudinem cum equo, dicenda eſt falſa per diſſimilitudinem cum homine. Si dicas eadem ratione iudicium: *equus eſt animal inhibile* poſſe dici falſum quatenus comparatur cum homine; nam cur ſi ly *equus* æquè eſt comparabile vt habeat pro obiecto hominem, non dicetur habere hominem, cui cum applicet prædicatum repugnans erit iudicium falſum: quod maximè vrget negata connexione cognitionis cum obiecto. Sed de hoc argumento plurima dixi diſp. 23. ſect. 5. præcipuè §. 50. & 51.

ARTICVLVS III.

Vtrùm verum, & ens conuertantur?

17 De hac difficultate agit Sanctus Thomas 1. diſtinctione decimanona, quæſtione quinta, articulo primo ad 7. & quæſtione prima de veritate, articulo ſecundo ad 1. in præſenti autem articulo tertio, ait quod cum vnumquodque ſit cognoſcibile, & verum, in quantum ens; verum ipſum cum ente conuertitur cum ordine ad intellectum, ſicut bonum cum ordine ad appetitum.

18 *Quæ veritas ſit conuertibilis cum ente? Conformitas cum cogn.* Suarez. Hurtad. Durand. Capreol. Caietan. Molina. *Reiiciuntur.*

Dubitatur primò: Quæ veritas ſit conuertibilis cum ente vt entis paſſio. Prima ſententia veritatem tranſcendentalem explicat per conformitatem cum cognitione vera, ita Suarez diſputatione octaua, metaphyſ. ſectione ſeptima, numero 24. P. Hurtado, & alij Philoſophi in metaphyſica. Mouentur vt verum ſumatur per ordinem ad intellectum, ſicut bonum per ordinem ad appetitum: ſed contra veritatem cognitionis ſumimus ex obiecto: ergo non è contra, ne detur circulus, item ſi ideo ens verum eſt, quia poteſt terminare cognitionem veram, etiam erit falſum quia poteſt terminare falſam. Denique res poteſt creſcere abſolutè in veritate tranſcendentali, nam creſcit in ratione, & excellentia entis, attributa autem ſunt meliora quo meliorem ſequuntur eſſentiam. At res non creſcit in conformitate cum ſui cognitione: ergo non benè veritas tranſcendentalis explicatur per ordinem ad cognitionem ita ſentio contra Durandum, Capreolum, Caietan. Mol. Fonſ. quos refert P. Didacus Ruiz diſp. 88. de ſcientia ſect. 5. num. 3.

Igitur dicendum eſt veritatem tranſcendentalem explicandam per negationem alterius apparentes talis, aurum, verbi gratia, *verum* dicitur, quod non tantum in apparentia eſt aurum, ſeu quod dicit negationem alterius ab auro diſtincti vt apti ſecundum ſpeciem in auri denominationem venire, quale eſt aurichalcum ſic verus Deus eſt, qui fictus non eſt ita Aureolus 1. diſtinctione decimanona, articulo ſecundo. Fauet S. Auguſtinus libro ſecundo, ſoliloquiorum capite quinto, vbi ait *verum eſſe id quod eſt non autem quod videtur, aut quod tale eſt quale videtur.* Explicatur hæc ſententia nam ſic nullum eſt ens, quod non habeat rationem veri; omne enim ens eſt id quod eſt, nam quamuis ſub aliqua ratione verum non ſit, ſed apparens ſub alia tamen ſemper verum eſt: ſic *aurichalcum* licet apparenter ſit aurum; verè tamen aurichalcum eſt. Ex qua definitione extendi poteſt ly *verum* etiam ad entia ficta nam entia ficta verè ficta ſunt; ſed hic non loquimur de veritate ſic accepta, ſed qua res in ſe abſolutè independenterque à noſtro intellectu ponit aliquem conceptum in rebus excludendo puram apparentiam talis, huic ſententiæ fauet Ariſtoteles 4. metaphyſ. capite quarto, textu 10. ibi: *Manifeſtum eſt hoc ipſum verum eſſe quod nomen eſſe hoc aut non eſſe ſignificat.* 19 *Negatio apparentiæ.* Aureol.

20 *Seu conformitas rei ſecum.* Ad contrariam ſententiam reſpondeo illam explicationem eſſe ſecundariam, & quaſi per connotationem extrinſecam, & conſequentem nam eo ipſo quod ens tale ſit, cognoſci etiam poterit verè vt tale at per ſe, & intrinſecè loquendo de ente vt vero veritas definienda eſt independenter ab omni intellectu extrinſeco, ſolumque *per conformitatem rei ſecum* quo pacto proportionatè etiam explicui bonitatem quæſtione 5. articulo 1. num. 3. quæ conformitas perindeeſt, ac negatio puræ apparentiæ, ſaluaretúrque quantumuis nullus daretur intellectus. Item hac explicatione implicat dari aliquod ens, quod verum non ſit vide omnino quæ dixi quæſtione quinta, de bono articulo 1. & 3. omnia enim ibi dicta huc facilè applicari poſſunt.

ARTICVLVS IV.

Vtrum bonum ſecundum rationem ſit prius quam verum?

21 De hac difficultate agit Sanctus Thomas quæſtione vigeſimaprima de veritate, articulo tertio, in præſenti autem articulo quarto, ait verum eſſe prius ſecundum rationem, quam bonum, quia propinquius eſt enti, reſpicitque cognitionem, quæ prior eſt appetitione, quam reſpicit bonum.

22 *Vtrum bonum ſit priusquam verum? Affirmat.* Vaſquez.

Dubitatur primò: Quid ſentiendum ſit in hac difficultate? Prima ſententia affirmat bonum eſſe prius quam verum ita Vaſquez diſputatione 77. cap. 5. §. *Poſtremo.* Mouetur primò, quia *bonum* conſtituit rem in ordine ad ſe cum conſiſtat in integritate *verum* in ordine ad aliud, ſcilicet ad intellectionem; prius autem eſt rem conſtitui in ſe, quam ordinari ad aliud ſecundo verum eſt in intellectu, bonum in rebus; prius autem eſt id, quod eſt in rebus. Tertiò bonum inſpectum in ſe, & abſolutè ſine relatione idem de recto, & de

de connotato dicit, ac *verum* etenim ens verum dicit negationem falſi; bonum autem negationem defectus, ſeu carentiam non eſſendi id quod eſt, hoc autem perinde eſt ac dicere *quod ſit id, quod verè eſt.*

23 *Explicatur abſolutè. Sed non relatiuè.*

Mea ſententia ſit verum dupliciter accipi primo intrinſecè, & abſolutè vt explicui articulo præcedent. Sic autem vera eſt ſententia Patris Vaſquez in §. præced. ſecundo relatiuè in ordine ad potentiam extrinſecam, per quam manifeſtetur conformitas, vel appetatur bonitas vt ſic autem verum eſt prius bono, cum enim intellectus ſit prior voluntate, item omne quod amatur præintelligendum ſit, non autem quod intelligitur præamandum; conſequens eſt vt prius concipiatur obiectum intellectus, & conſequenter verum quam obiectum voluntatis, ſeu bonum, & ſic amplectenda eſt communis ſententia cum Sancto Thoma hic cum omnibus Thomiſtis, quos pro hac ſententia eſſe ait Ruiz diſp.89.ſect.2.num.10. Faſol. hoc art.4. num.1. Suarez diſp.3. metaphyſ. ſect.1.num.9.

S.Thom. Ruiz. Faſol. Suarez. Thomiſtæ.

24 Fundamenta primæ opinionis in §. facilem habent ſolutionem ex dictis numero præcedenti, dum intelligantur de veritate abſoluta non de relatiua.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Deus ſit veritas?

25 DE hac difficultate agit Sanctus Thomas 1.2. quæſt.3. artic.7.& 2.2.quæſt.27.artic.4. & 1. contra gentes cap.59. & tribus ſequentibus, & lib.3.cap.51. & opuſculo 3. cap.105. in præſenti autem art.5. ait Deum eſſe ſummam, & primam veritatem cum ſit ſuum eſſe,& intelligere,& menſura *omnis eſſe*.

26 *Quibus modis cõueniat Deo eſſe veritatem? In eſſendo. In cognoſcẽdo. In cognoſci. In dicendo.*

Dubitatur primò, quibus modis conueniat Deo eſſe veritatem? Reſpondeo primò in eſſendo, ſeu veritate tranſcendentali, cum enim ipſe ſolus ſit ſuum eſſe, ſeu ipſa exiſtentia exercita, quæ ſola verè & ſimpliciter eſt; conſequenter Deo ſpecialiſſimè conueniet veritas tranſcendentalis in eſſendo. Secundò in cognoſcendo, quatenus neceſſario eſt in actu cognoſcendi omnia, ſicut ſunt in ſe. Tertiò, maximè per ſeipſum habet eſſe intelligibilem verè, vt repugnat dari viſionem Dei per ſe apparentem, & ad quam non concurrat immediatè per modum obiecti ipſa entitas diuina iuxta ea, quæ laté explicui tract.3. de viſione diſputatione 25. ſectione ſecunda, ne poſſit admitti ſpecies impreſſa ad viſionem Dei. Item quartò, Deo conuenit ſumma veritas in dicendo cum maximè repugnet falli vel fallere. Vide de hoc plura apud P.Ruiz diſp.90.de ſcientia Dei per totam, qui mira eruditione iſta omnia latiſſimè explicat.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ſit vna ſola veritas, ſecundum quam omnia ſunt vera?

27 DE hac difficultate agit Sanctus Thomas 1. diſt.19. quæſt.5. artic.2. & quæſtione prima de veritate articulo quarto & octauo, in præſenti autem artic. ait quod veritas relata ad intellectum, in quo prius eſt quam in rebus, multiplicatur ſecundum intellectuum multiplicationem: relata vero ad res nonniſi vna eſt, & prima, cuius ratione omnia dicuntur vera.

28 *An omnia dicantur vera veritate diuina?*

Dubitatur primò: An omnia dicantur vera veritate diuina? De hac dubitatione vide quæ dixi quæſtione 6. art.4. iuxta quæ proportionatè diſcurri poteſt de veritate traſcendentali ſecundum ſe. Specialiter autem dici poteſt, quod veritates creatæ ſint tales ex veritate practica cognitionis diuinæ: tum quia ab hac habent totum ſuum eſſe: tum etiam quia generaliter dixi ſuprà articulo 1. §.9. veritatem artefacti deſumi tanquam ex propria menſura ex conformitate cum eius cognitione: ergo cum cognitio diuina ſit prima, & per ſe regula, quæ ad creaturas vt ad artefactum comparatur iure iſta cognitio erit menſura, qua omnia ſunt vera.

29 *An veritas intellectus ſit ſolum in Deo?*

Dubitatur ſecundò: An veritas intellectus ſit ſolum in Deo? Reſpondeo ſi loquamur de veritate repræſentationis ſpeculatiuæ, etiam inuenitur in creaturis, & quidem multiplex pro multitudine cognitionum; ſpecialiter tamen veritas iſta inuenitur in Deo, qui ſolus habet immobiliter cognoſcere omnem veritatem, nulla autem puta creatura eſt, cui propriis viribus debita ſit cognitio omnis veritatis. Item veritas cognitionis practicæ per ſe ſolum inuenitur in Deo: tum quia fixius: tum quia maiori comprehenſione regulat omnia entia creata, quod non competit creatæ cognitioni, quæ ſaltem ſeipſam regulare nequit.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm veritas creata ſit æterna?

DE hac difficultate agit Sanctus Thomas 1. diſtinct.19.q.5.art.3. & q.1. de veritate art.5. in præſenti autem art.7. ait nullam creatam veritatem æternam eſſe, ſed ſolam veritatem diuini intellectus, qui ſolus eſt æternus, & à quo ipſa eius veritas indiſtincta eſt. 30

31 *An in aliquo ſenſu veritas creata poſſit dici æterna? Ratio affirmandi.*

Dubitatur primò: An in aliquo ſenſu veritas creata poſſit dici æterna? Ratio dubitandi eſt primò: quia communiter dicuntur dari propoſitiones obiectiuæ ſempiternæ veritatis. Sic Auguſtinus libro ſecundo de libero arbitrio capite octauo, ſub initio: *Septem autem, & tria decem ſunt, & non ſolum nunc: ſed etiam ſemper. Neque vllo modo aliquando ſeptem & tria non fuerunt decem, aut aliquando ſeptem & tria non erunt decem*, &c. Secundò, nam eſſentiæ rerum dicuntur fuiſſe ab æterno: ergo & veritas, quæ eſt paſſio entis. Tertiò, ipſa rerum contingentium futuritio nunquam incepit: ergo fuit ab æterno. *Cogitet qui poteſt* (ait Anſelmus Monologio cap.17. fine) *quando incepit, aut quando non, fuit hoc verum; ſcilicet quia futurum erat aliquid: aut quando deſinet, & non erit hoc verum, ſcilicet quia præteritum erit aliquid. Quod ſi neutrum horum cogitari poteſt, & vtrumque hoc verum ſine veritate eſſe non poteſt, impoſſibile eſt, vel cogitare, quod veritas principium vel finem habeat.* Vide Henricum in ſumma articulo vigeſimoprimo, quæſtione ſecunda, corp. ad finem & quæſt.4. corp. à principio, & quodlib.3. quæſt.9. & quodlib.

Auguſt. Anſelm. Henric.

quodlib.8.quæſt.9. vbi videtur eſſentiam realem & veram creaturis ab æterno concedere, contra quem validè diſputat Scotus 1.diſt.36. §.*contra iſta*, licet ipſe Scotus 1.diſt.35. videatur concedere creaturis eſſe diminutum obiectiuè.

Sed non. Scotus.

32 Sed in primis reſpondeo veritatem formalem creatam nullam fuiſſe ab æterno: hoc patet iuxta fidem, cum nullus intellectus creatus fuerit ab æterno. Dico ſecundò: nulla veritas creata etiam obiectiua fuit ab æterno, etiam id patet quia de nullo conceptu obiectiuo à Deo diſtincto ab æterno potuit prædicari verè ly *eſt* vel *fuit* niſi addendo ſuprà ly eſt *poſſibile*, vel poſſibiliter: de *futuro*, &c. quæ additiones æquivalent his *non eſt*, *ſed poteſt eſſe*: vel *non eſt*, *ſed erit*. Dico tertiò ab æterno & condiſtinctè ab ipſo Deo aliquo pacto veritas obiectiua admittenda eſt. quatenus intellectui diuino ita veritas creata proponitur, vt ſiue poſitiuè, ſiue negatiuè affirmabilis ſit per affirmationem exiſtentem ab æterno: hoc patet quia de facto ſic affirmantur hæ veritates, à Deo, imo vt bene notat P. Didacus Ruiz diſp.91. de ſcientia Dei, ſect.2. num.12. quamuis Deus per impoſſibile non fuiſſet æternus hæ veritates ab æterno eſſent modo explicato; quatenus nullam dicunt repugnantiam in ſe, vt ab æterno verè cognoſcantur.

Explicantur.

33 Ex quibus patet ad oppoſitas dubitandi rationes illæ enim omnes ſolum probant exiſtentiam æternam veritatum, vt explicui §. præced. fine.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm veritas ſit immutabilis?

34 DE hac difficultate agit S. Thomas 1. diſt.19. quæſt.5. art.3. & in 2. ſcripto ad Annibaldum eadem quæſt 5. art.2. & quæſt.1. de verit. art.6. in præſenti autem artic.8. ait ſolam diuini intellectus veritatem immutabilem eſſe; noſtri vero mutabilem, in quo eſt opinionum alternatio, & quem res multæ latent.

35 Dubitatur primò: An veritas creatæ cognitionis ſit ita immutabilis, vt cognitio ſemel vera, nequeat tranſire in falſam? De hac dubitatione egi §.5.

An veritas creata cognitionis ſit ita immutabilis, vt cognitio ſemel vera nequeat tranſire de vera in falſam?

Dubitatur ſecundò: An è contra veritas diuina poſſit aliqua ratione mutari? Ratio dubitandi eſt primò: quia omnis cognitio diuina eſt ab æterno: ergo & iſta qua modo dicit: *Meſſias iam venit*: iſta autem propoſitio ab æterno vera non videtur fuiſſe, vt patet in ſimili cognitione creata, quæ ante Meſſiam exiſteret, de qua dicendum eſt falſam eſſe iuxta dicta à me §.4. Rurſus ſecundò ne illa cognitio ſit falſa ponenda eſt vel quod incipiat ſimpliciter in tempore, vel quod ſaltem in tempore de nouo affirmet aliquid quod non affirmauerat ab æterno. Vnde veritas diuina erit mutabilis, cum in Deum ſic caderet alternatio opinionum.

An è contra veritas diuina poſſit aliqua ratione mutari?

36 Sed omnino tenendum eſt veritatem diuinam in cognoſcendo eſſe immutabilem non ſolum circa veritates neceſſarias, ſed etiam circa contingentes vel quia ſemper procedit modo tendendi de præſenti quatenus coexiſtit ſimul omnibus temporibus vt dixi diſputatione quadrageſimanona, vel quia ſcientia Dei omnino quatenus libera eſt in concreto conſtituitur ex connotatione effectuum creatorum vt dixi diſputatione 60. vel denique quantumuis admittatur vt libera quod ſit adhuc adæquatè intrinſeca Deo: at ſaltem vt affirmans de præſenti vel de præterito extrinſecam aliquam connotationem imbibit, verbi gratia, ſit Deo adæquatè intrinſeca ſcientia libera de exiſtentia mundi: at quod ea ſcientia tendat per modum de præſenti: *extitit*, vel de præterito *exiſtit* per aliquam connotationem complebitur proportione ſeruata ad ea, quæ dixi de affectu libero amicitiæ vel inimicitiæ in tract.5. de voluntate diſp.67. ſect.5.

Nequaquam.

QVÆSTIO XVII.

De falſitate.

HVIC quæſtioni deſeruient, quæ dicta ſunt in præcedenti præter ea, quæ latius dicam in meo opere philoſophico, reliqua, quæ hic dubitari poſſunt attingam.

ARTICVLVS I.

Vtrùm falſitas ſit in rebus?

DE hac difficultate agit S.Thom. q. præcedenti art.1. ad 2. & 1. diſtinct.19. quæſt.5. art.1. & 1. contra gentes cap.60. & q.1. de veritate art.10. in præſenti autem art.1. ait in rebus ad diuinum intellectum relatis non eſſe falſitatem ſimpliciter, niſi fortè in agentibus creatis liberis, in quorum poteſtate eſt ſubducere ſe à regula diuina: in rebus vero ad noſtrum intellectum relatis eſſe ſecundum quid falſitatem, & ſignificatiuè & cauſaliter. 1

Dubitatur primò: An falſitas ſit in rebus obiectiuè acceptis, & à parte rei? Ratio dubitandi eſt quia res dicitur vera quatenus terminat cognitionem veram, ſed etiam poteſt terminare falſam cognitionem: ergo non minus ex hoc poterit dici falſa. Secundò, res dicitur vera ſecundùm id quod eſt, ergo ſecundum id quod non eſt, iure erit falſa, vnde homo ſicut eſt verus homo ita erit falſus equus, &c. Tertiò, ſpecialiter id dicitur falſum, quod cum aliud non ſit, illud eſt quoad apparentiam, ſic tragædus dicitur falſus Hector, aurichalcum falſum aurum, colores in iride falſi, &c. Quartò, ſpecialiſſimè arguitur de veritate artefacti dixi quæſt. præced. §.9. eſſe primario in rebus, ſeu in artefacto dùm conuenit cum dictamine artificis: ergo ſimili proportione artefactum erit falſum dum illi diſconuenit. Ita Molina hic diſputatione vnica, concluſione 2 & 3. 2

An falſitas ſit in rebus obiectiuè acceptis, & à parte rei? Affirmat. Molina.

Hinc patet totam difficultatem hic eſſe de nomine & ſecundum varias conſiderationes poſſe dici de rebus obiectiuis eſſe falſitatem. Abſolutè autem Reſpondeo in rebus poſitiuis nullam dari falſitatem intrinſecam ipſi. Ita Suarez d.9. metaph. ſect.1. n.6. Vaſquez 1.p.d.77. c.2. Henric. art.34. quæſt.6. S. Thom. 1. contra gentes cap.61. inter med. & fin. Ratio huius eſt quia illud dicitur intrinſecum rei, quod conuenit ipſi in ſe, ſed implicat alicui 3

Negandum eſt. Suarez. Vaſquez. Henric. S.Thom.

alicui conuenite intrinſecè quod ſit id quod non eſt ergo nec quod ſit falſa; falſitas enim formaliter non conſiſtit præciſè in non eſſendo, ſed in non eſſendo id, quod aliquo modo eſt, vti enim cognitio dicitur falſa, quia dicit, verbi gratia, hominem eſſe leonem, & in te non ponit hoc *eſſe* ita ipſe homo vt habeat intrinſecè eſſe falſum leonem oportebat vt aliquo modo eſſet in ſe leo, & aliunde leo non eſſet; quod nullatenus contingit. Addo neque dari ſimpliciter in rebus falſitatem artefacti intrinſecam; nam ſimiliter vnaquaque res eſt in ſe qualis debet in ſe eſſe; licet enim loquendo de actu peccati, iſte ab homine faciendus nullo modo ſit; at cum ſit in ſe habet præciſè identitatem cum eo quod eſt; neque identificat ſecum id quod non eſt. Nihilominus loquendo per varios reſpectus, & denominationes, ſiue ad intellectum noſtrum, ſiue ad intentionem noſtræ artis in rebus poteſt admitti falſitas vt iam dico.

4 Ad rationes dubitandi Reſpondeo. Ad primum argumentum probat falſitatem ſecundum quid, & per denominationem extrinſecam, non autem de intrinſeca falſitate de qua nunc. Ad ſecundum. Homo intrinſecè nil habet cur dicatur falſus equus, cum non identificetur cum carentia equi, vt dixi §. præcedenti. Ad tertium illa falſitas ſolum eſt cauſatiua, & occaſionalis reſpectu noſtri intellectus; at in reipſa tragædus ſolum habet apparentiam Hectoris, quæ verè, & non falſo in eo eſt. Ad quartum veritas artefacti verè eſt in rebus intrinſecè, quia in ſe verè identificant id quod dictat regula primæ artis, ſcilicet cognitionis diuinæ, aliæ autem regulæ extrinſecæ ſunt, & quaſi per aaccidens. Præterquam quod artefactum eſt quidem quod eſt, ſeu quod ars menſurat intrinſeca, hoc eſt ſecum habet conformitatem; alia autem conformitas denominatiua ſolum eſt, de qua permitto in rebus inueniri, ex dictis §. præced. fine.

5 Dubitatur ſecundò: An independenter ab intellectu ſint dicendæ falſæ carentiæ, ſeu priuationes, & negationes, maximè vero impoſſibilitates? Ratio dubitandi eſt quia veritas, & ens conuertuntur: ergo quod non eſt ens reale, neque erit verum, & conſequenter erit falſum: tunc ſic, ſed nulla carentia entis eſt ens vt patet: ergo neque veritatem habebit, ſed falſitatem; è contra autem eſt, quia falſitas tunc ſolum datur iuxta dicta §. tertio quando res eſt id quod non eſt. At carentia, verbi gratia, tenebræ non ſunt id quod non ſunt; ſed ſimpliciter & purè non ſunt lux: ergo licet nullam habeant veritatem; at neque habent propriè falſitatem. Ita cenſeo quia ſæpius dixi, & dicam latiùs in opere Philoſophico carentiam nullum habere conceptum, quare ſtrictè loquendo neque eſt vera, neque eſt falſa; ſed purè non eſt. Vide quæ dixi tractatu quarto de ſcientia diſputatione 55. numero 5. Vnde ad rationem dubitandi reſpondeo in rebus poſitiuis non eſſe verum, idem eſſe ac eſſe falſum, vt patet in cognitione, quæ non eſt vera intentionaliter: at in carentiis non ita contingit, in quibus ſemper ly *eſt* eſt de ſubiecto non ſupponente; ſi vero nomine *falſi* præciſè intelligas non eſt verum ita admittam carentias, & impoſſibilia à parte rei, & independenter ab intellectu eſſe falſa: ſicut dicitur de carentia lucis, eſſe tenebras.

An independenter ab intellectu ſint dicendæ falſæ carentiæ, priuationes, &c. Nec ſunt veræ, nec falſæ.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in ſenſu ſit falſitas?

DE hac difficultate agit Sanctus Thomas quæſtione prima de veritate, articulo decimo, & Periherm. libro tertio, in præſenti autem articulo ſecundo, ait ſenſum cum in proprium ſenſibile per ſe primò feratur, in communia autem non per ſe primò, ſed per accidens; nunquam reſpectu proprij ſenſibilis falſum eſſe, niſi ex organi indiſpoſitione; reſpectu vero aliorum ſenſibilium nonnunquam poſſe eſſe falſum. 6

Dubitatur primò: An in ſenſu externo ſpeciali aliqua ratione detur repugnantia ad falſitatem præ apprehenſione intellectuali? abſolutè non dari apprehenſionem falſam conſtat ex quæſtione decimaſexta §. duodecimo; ſpecialiter autem repugnare falſitatem ſenſui externo ait Ruiz diſtinctione nonageſimaſecunda de ſcientia, ſectione tertia, numero decimo. Mouetur: quia apprehenſio intellectualis ordinatur ad iudicium, ſecus ſenſitiua, item hæc alligata eſt ſuo obiecto, ita vt non poſſit illud melius penetrare, verbi gratia, oculus corporeus non poteſt non videre colorem in iride vt verum, at apprehenſio intellectus poteſt corrigi, vnde eo quod non habeat veritatem, quam debebat habere erit falſa. Pater Valentia prima parte, quæſtione decimaſeptima puncto ſecundo verſ. *in contrarium* aſſerit etiam in ſenſu dari falſitatem. Mouetur; quia attenta natura potentiæ, & obiecti contingit ſenſationem non oriri conformem obiecto, qualis debebat eſſe, quia ſcilicet ſpecies redditur improportionata ratione medij vel organi; ergo cum falſitas formaliter conſiſtat in difformitate cum obiecto tunc in ſenſu dabitur falſitas. 7

An in ſenſu externo ſpeciali ratione detur repugnantia ad falſitatem, quam in apprehenſione intellectuali? Affirmat. Ruiz. Negat. Valent.

Ego conſequenter ad ea quæ dixi quæſtione præcedenti articulo ſecundo dubitat. prima, à fortiori cenſeo in ſenſu non dari falſitatem, ſicut neque in apprehenſione; cæterum ſi hæc dicitur falſa, quia cenſetur habere pro obiecto illam rem à cuius ſpecie, vel præſentia oritur, ſimiliter dicendum de ſenſione externa, verbi gratia, vt falſa ſit viſio colorum in iride, nam ex circunſtantiis cenſetur cadere, nataque eſt comparari cum eis coloribus, qui dantur in iride; ſed hi in re non ſunt rubei, ſicuti videntur ergo talis viſio erit difformis ſeu diſſimilis ſuo obiecto, & conſequenter falſa. 8

Vterque reiicitur.

Ad fundamentum pro Patre Ruiz reſpondeo ordinationem ad iudicium nil præſtare apprehenſioni, vt potius cenſeatur eſſe de obiecto deformi, quam ſenſus vt patet ex quæſtione decimaſexta §. decimoſexto. Deinde licet poſſit corrigi potentia apprehenſiua intellectualis, at ſaltem iſta numero apprehenſio corrigi nequit: ergo omnino ſe habebit ſicut ſenſatio externa. Ad Patrem Valentiam provt opponitur dictis à me quæſtione præcedenti §. duodecimo & decimoſexto. Reſpondeo illius ſenſationis obiectum in re ipſa non eſſe illud quod præſentatur ſenſui, ſed aliud quod tunc apparet vt conſtat ex dictis à me tractatu tertio de viſione diſputatione 31. §. 21. iam vero tali obiecto ſimilis eſt viſio externa, verbi gratia, ſimilis eſt vero rubori, qui poſſibilis eſt in iride. 9

Dubitatur

10 Dubitatur ſecundò: An in ſenſu interno detur falſitas? verbi gratia, in imaginatione qua apparet Mons-aureus, Hircocervus & ſimiles Chymæræ? Negandum videtur iuxta ea, quæ dixi quæſtione præcedenti §. duodecimo negauerim poſſe inueniri veritatem aut falſitatem in apprehenſione quantumuis complexa. Nihilominus licet iterum ſentiam in ſenſu interno prout correſpondenti puræ apprehenſioni nullam eſſe falſitatem; nihilominus loquendo de actu quaſi vltimato ſenſus interni. Cenſeò ſpeciali ratione in eo inueniri falſitatem, licèt non ita propriè ſicut in actu noſtro iudicij. Ratio huius eſt, quia in ſenſu interno maximè humano aliqualis inuenitur actus iudicij, vt indicat Sanctus Thomas 2. de anima lect.15. & prima parte articulo octauo, defenduntque Caietanus & Soto 2. poſter. cap. vltimo,& in prooem. metaphyſic. Nyphus diſputatione 7. Iauellus quæſt.6. Antonius Andreas quæſt.5.

An in ſenſu externo detur falſitas?

Datur, quia in eo eſt aliquale iudicium iuxta. S.Thom. Caietan. Soto. Niph. Xauell. Ant.Andr.

ARTICTLVS III.

Vtrùm falſitas ſit in intellectu?

11 DE hac difficultate agit Sanctus Thomas quæſtione prima de veritate, articulo duodecimo & tertio contra gentes cap.108. in præſenti autem articulo tertio, ait in intellectu quod quid eſt rei concipiente id eſt apprehendente non eſſe falſitatem niſi per accidens, eſſe vero propriè falſitatem in intellectu componente, vel diuidente.

12 Dubitatur primò: An ſpecialius repugnet ſimplici apprehenſioni falſitas, quam veritas. De hoc quæſt. præcedenti art.2.dubit.2.§.14. Abſolutè autem ibi, modoquo cenſeo falſitatem non inueniri propriè in ſimplici apprehenſione. Ita Albertus libro 2. de anima tractatu tertio, Apollinaris ibi quæſtione decimatertia, Auerroës, S.Thomas, & Philoponus in Ariſtotelem libro 3.de anima cap.6. textu 26. Iterum S.Thomas in præſenti quæſtione 17. artic.3. Ægidius quodlib.4. quæſtione 17. Ferrarienſis 1. contra gentes cap.59. Viguerius in inſtitutionibus cap.1.§.8. verſic.5. Fonſeca 4.met. cap.2.quæſt.6. ſect.1.n.14. & ſeqq. Vaſq. diſp.75. cap.2.& 3.

An ſpecialius repugnet ſimplici apprehenſioni veritas quam falſitas? Ita Albert. Apoll. Auerr. S.Thom. Philop. Ægid. Ferrar. Viguer. Fonſeca. Vaſquez.

13 Dubitatur ſecundò: An falſitas ſit in intellectu componente & diuidente. Ratio dubitandi eſt quia, qui falſo dicit, verbi gratia, *Petrus currit* Petro non currente non habet pro obiecto Petrum non currentem: ergo tale iudicium non eſt falſum. Conſequentia patet quia iam tale iudicium non difformatur ſuo obiecto. Antecedens probatur tum ex dictis quæſtione præceden.§. decimoſexto, tum etiam ex Auguſtino libro 83.qq. quæſtione trigeſimaſecunda in principio ibi: *Omnis qui fallitur, id in quo fallitur non intelligit. Quiſquis igitur vllam rem aliter quam eſt intelligit, non eam intelligit.* Confirmatur ex Ariſtotele 3.de anima textu 51. *Intellectus igitur omnis rectus: appetitus autem & imaginatio recta & non recta.* Ergo in intellectu non eſt falſitas; alias deficeret à rectitudine.

An falſitas ſit in intellectu cõponente, & diuidente?

Ratio negandi. Auguſt. Ariſtot.

14 Reſpondeo in intellectu componente ideo falſum eſſe: quia ipſe actus iudicij determinatè ex proprio modo tendendi cadit ſupra ſubiectum illud, cui diſconuenit prædicatum, vt patet ex his quæ dixi quæſtione præcedenti §. decimoſexto, ex quo patet ad rationem dubitandi in §. præcedenti negandum eſſe antecedens. Ad Auguſtinum reſpondeo: qui fallitur, ex parte prædicati non intelligere aliquid, quod detur in re. Cæterum ideo fallitur: quia cognoſcens id quod non eſt in re applicat rei ipſi. Ad Ariſtotelem dicit Sanctus Thomas hoc articulo tertio ad ſecundum, loqui de intellectu circa prima principia, circa quæ decipi non poteſt. Sed contra: quia addit quod imaginatio eſt non recta, ſeu decipitur circa id circa quod intellectus eſt rectus; imaginatio autem non decipitur circa prima principia. Ideo intelligo Ariſtotelem de intellectu primo,& purè apprehendenti, in quem ſic falſitas non cadit bene tamen in imaginationem, quæ aliquo modo componit ex §.10.

affirmandum eſt.

Quomodo intellectus falſus non intelligit?

ARTICVLVS IV.

Vtrùm verum & falſum ſint contraria?

15 DE hac difficultate agit Sanctus Thomas quæſtione prima de veritate, articulo decimo ad quintum & 1.2. quæſt. ſexageſimaquarta, articulo tertio ad 3. in præſenti autem articulo quarto, ait verum & falſum cum ſubiectum ſibi determinent,& in eo aliquid ponant non eſſe purè contradictoriè oppoſita, ſed contraria: quia ſcilicet proprium contrariorum eſt, & verſari circa ſubiectum poſitiuum, & afferre in ipſo diuerſas formas poſitiuas.

16 Dubitatur primò: An verum & falſum ſolum opponantur contrariè? Ratio dubitandi eſt primo loquendo de veritate tranſcendentali: verum *eſt id quod eſt*; falſum quod non eſt, eſſe autem & non eſſe opponuntur contradictoriè. Secundò è contra videtur falſum nullo modo opponi vero: nam eadem apprehenſio, quæ eſt vera poteſt componi cum alia falſa de eodem obiecto, ſic dum audio à duobus *Petrus eſt homo, Petrus non eſt homo:* ſimul apprehendo vtrumque. Tertiò veritas artefacti in rebus per comparationem ad diuerſa dictamina artis componitur cum falſitate vt idem artefactum ſit verum, & falſum, ſicut idolum eſt falſus Deus, & verum idolum.

An verum, & falſum ſolum opponantur contrariè?

17 Huic dubitationi reſpondendum eſt hic ſermonem non eſſe de vero ex parte obiecti ſeu tranſcendentali, ſed de vero ex parte actus, ſeu cognitionis, & quidem perfectè & iudicatiuè, in qua ſola eſt propriè veritas, non autem apprehenſiua. Hinc cum falſitas cognitionis ſit quid poſitiuum non poteſt opponi plus quam contrariè.

Contradict. verum tranſcenden. contrariè intentionale.

Ad fundamenta dubitandi oppoſita reſpondeo, ad primum hic non eſſe ſermonem de hoc vero tranſcendentali. Ad ſecundum veritas propria iudicij incompoſſibilis eſt cum iudicio falſo de eodem obiecto. Ad tertium quidquid ſit de artefacto, eadem tamen cognitio iudicatiua non poteſt comparari ad diuerſas menſuras, ſeu ad diuerſa obiecta.

18 Dubitatur ſecundò: An eadem cognitio iudicatiua poſſit eſſe vera & falſa reſpectu diuerſorum ſimul & in eodem inſtanti. Prima ſententia communis negat. Ita Suarez diſputatione nona metaphyſicæ, ſectione prima, numero 23. Didacus

An eadem cognitio iudicatiua poſſit eſſe vera & falſa reſpectu diſcurſorum ſimul?

Didacus Ruiz diſp. 92 de ſcientia ſect. 6. num. 10. Mouentur: quia veritas deſumitur ex collatione cum toto obiecto adæquato, ſicut æqualitas vnius virgæ cum vlnæ menſura petit, quod totam menſuram adæquet: ſed implicat idem adæquari & non adæquari: ergo implicat cognitio, quæ ſimul ſit vera & falſa.

20 Secunda ſententia, cui adhæreo affirmat. Ita P. Ripalda diſp. 47. de ente ſupernaturali n. 16. qui id probat in actu diſparate ſine vlla coniunctione, vel diſiunctione dicente de Petro & Ioanne Currentibus *Petrus currit Ioannes non currit:* ſed dici poteſt hunc actum eſſe falſum cum non omnino adæquet ſuum obiectum. Ego hanc ſententiam probo in hac cognitione indefinita *homo currit*, quæ abſtrahat à copulatione & diſiunctione ſubiectorum, vt nec formaliter dicat *aliquis homo*, neque *omnis homo* tunc hæc imago indifferens eſt vt applicetur Petro non currenti & erit falſa, & Ioanni currenti & erit vera æquo iure, vti enim in ſententia tuente propoſitionem poſſe mutari de vera in falſam ly *Petrus currit* non determinat inſtans a. nec b. ideoque comparatur ex æquo cum vtroque inſtanti ſeorſim, cur non idem dici poteſt de indeterminatione ſubiectorum. Ergo ſicut propoſitio propriè eſt vera collatè ad inſtans a & falſa collatè ad inſtans b ita dicendum de ly *homo currit* collatè ad diuerſa ſubiecta: confirmatur ex S. Thoma hic q. 17. art. 3. *Definitio circuli poteſt eſſe indifferens vt cum hoc vel cum illo obiecto comparetur.* Ergo & hæc imago indicatiua: *homo currit*: poterit ſimiliter comparari cum diuerſis obiectis, nam licet determinate loquatur de ſpecie hominis, ſed de hoc determinato indiuiduo.

Affirmo cum Ripal.

21 Ad rationem pro oppoſita ſententia reſpondeo cognitionem prædictam comparari ſecundum ſe totam cum obiecto adæquato nam quilibet homo ſeorſim datur obiectum adæquatum ex quo colligatur veritas; ergo ſicut in inſtanti b. eſt falſa cognitio, quæ fuit vera in à ita ſimiliter ly *homo currit* reſpectu Petri erit falſa & vera reſpectu Ioannis. Dices ly *homo currit* eſt particularis ſeu diſiunctiua cognitio, nam *indefinita* propoſitio in materia contingenti æquiualet *particulari* iuxta regulas ſummuliſtarum; at diſiunctiua ſeu particularis ſemper eſt vera licet aliquis homo, v. g. non currat dum currat alius. Reſpondeo formaliter loquendo non eſſe cur in illa propoſitione *homo currit* non poſſit intellectus abſtrahere ab omni diſtinctione & copulatione ſubiecti: ſicut abſtrahitur à copulatione, vel diſiunctione inſtantis; ſi *enim currit de præſenti* ſucceſſiue poteſt comparari ſine determinatione inſtantis præſentis à vel præſentis b. cur comparari non poterit permanenter ſine determinatione ſubiecti.

QVÆSTIO. XVIII.

De vita Dei.

Licet ſpecialis ratio vitæ in Deo nobis probata ſit in diſputationibus ſelectis de ſcientia, & de voluntate, tamen ratio vitæ in genere diſcuſſa non eſt, quia præter ea quæ ad prædictos tractatus ſpeciales pertinent nullius controuerſiæ eſt apud Theologos. Aliqua tamen hic notabo.

ARTICVLVS I.

Vtrum omnium rerum ſit viuere.

De hac difficultate agit Sanctus Thomas. 2. 2. q. 79. art. 1. & 1. contra Gent. c. 98. & q. 4. de verit. art. 8. In præſenti autem art. 1. ait non omnia viuere, ſed ea ſolum, quæ ſe ipſa ſecundum aliquam ſpeciem motus mouent. 1

Dubit. primo in quo diſtinguantur viuentia à non viuentibus? ex hac dubitatione conſtabit an omnes res viuant, vel quæ ſit ratio propter quam non omnia ſint ſub gradu viuentium, cum enim concluſio articuli certa apud omnes ſit; ratio tamen non facile præſtatur. Sanctus Thomas hic eam præbet, quod *viuentia ſe ab intrinſeco moueant*, ſed quia ſibi obiicit in. ſecundo arg. grauia, & leuia, quæ ab intrinſeco mouentur in centrum; addit in ſolutione ad 2. Quod viuentia ab intrinſeco mouentur prout ſunt conſtituta in ſuo ſtatu connaturali; imo ſignum eſt quod non ſint in ſua diſpoſitione connaturali, quando non mouentur. Igitur ea quæ ab intrinſeco etiam quando ſunt in ſtatu connaturali mouentur; viuentia ſunt: cum autem omnes res non ita moueantur, hinc non eſt omnium viuere: ita Molina prima parte quæſtio. 18. art. 1. Suarez diſput. 30. met. ſectione 14 numero ſeptimo. Sed contra eſt primo quia ignis dum ſe aggenerat producendo in ſe vnionem ab intrinſeco illam producit, quin per hanc operationem tendat in diſpoſitionem naturalem. 2. è contra Deus, & Angelus dum cognoſcunt tendunt in diſpoſitionem naturalem, & tamen iſti viuunt, ille non viuit. 3. reſtat aſſignanda ratio, ob quam motus ab intrinſeco deficiat à vitali eo quod ſit in acquiſitionem ſtatus connaturalis Mouentis, *Grauis*, v. g.

2 *In quo diſtinguantur viuentia à non viuentibus.* *Per motum poſt ſtatum connatural. explicant.* Thomiſtæ. Molina. Suarez.

Reiiciuntur.

Secunda ſententia motum viuentium proprium explicat quando talis eſt, vt nequeat eſſe ab extrinſeco ea perfectiò, quæ per eũ acquiritur; ſic *Graue* non viuit per motum in centrum, nec Ignis per aggenerationem quia perfectionem vtriuſque poſſibilis eſt ab extrinſeco generante ita Hurtado de Mendoza diſputatione tertia de Anima ſectione prima Compton. diſputatione ſexta ſectione quarta P. Arriaga diſp. ſecunda. Sed contra 1. quia etiam augmentum nutritiuum,

3 *Qui non poſſit eſſe ab extrinſeco.* P. Hurt. Comp. Mendoz.

Reiiciuntur. nutritiuum, licet adquiratur per vitalem motum, potuit ab extrinſeco poni, vt in Adamo. 2. cognitio Angeli etiam vitalis eſt,& tamen, ſi identificetur cum Angelo, vel admittas cognitionem poſſe infundi ab extrinſeco, per ſe ab intrinſeco non eſt. 3. è contra non omnia prædicata diuina ſunt æquè vitalia, & tamen omnia repugnant

4 produci ab extrinſeco æque.

Qui eſt ab intrinſeco per ſe, ſeu ex propria, & vnica exigentia viuentis.

Mea ſententia ſit viuens eſſe *cui debita eſt potentia proxima ad operandum immanenter:* ſic intelligo definitionem vitæ vitalis motus: *qui ſit ab intrinſeco per ſe:* etenim motus vt per ſe ſit ab intrinſeco opus eſt, vt ſit debitus viuenti vt conſtituto in naturali diſpoſitione primæ generationi debita: nam eo ipſo quod pertineat ad ſtatum primæ generationis talis motus debetur actioni generantis extrinſeci, licet enim generans non influat in paſſiones geniti, exigit tamen connaturaliter producere genitum ſic completum: ac proinde ſimpliciter paſſiones iam non ſunt ab intrinſeco, hoc eſt ex propria exigentia geniti, cum fiant ad exigentiam priorem generantis. Motus ergo proprie ab intrinſeco debet producere terminum non pertinentem ad ſtatum debitum primæ generationi. Deinde requiro in motum imanenti vitali, quod viuens petat, ipſique debita ſit ex propria exigentia potentia proxima ad immanenter operandum; id enim denotat *motum ſimpliciter eſſe ab intrinſeco,* ſcilicet ex inclinatione, & exigentia, vnde D. Thomas hic 1. p. quæſt. 18. art. 1. ait *Animalia viuere, quia incipiunt ex ſe motum habere,* & 2. 2. q. 179. art. 1. *Illa proprie dicuntur viuere, quæ ex ſeipſis mouentur, illud autem conuenit alicui per ſeipſum, quod eſt proprium ei, & ad quod maxime inclinatur, & ideo vnumquodque viuens oſtenditur viuere ex operatione ſibi maxime propria, ad quam*

5 *maxime inclinatur.*

Cur non ſit vitalis motus. Grauium. Ignis ſe aggenerantis,

Ex qua explicatione manifeſte colligitur prorius conceptus vitæ eamque non omnibus conuenire. Nam grauia, & leuia (ſimiliterque eſſentia dum recuperat ſuas paſſiones) quando mouentur in centrum non tendunt in motum ipſis per ſe debitum, ſed generanti, cum pertineat ad ſtatum primæ generationis. Deinde licet ignis in naturali adhuc diſpoſitione conſtitutus ſe moueat in aggenerationem; at iſte motus illi neceſſario non debetur, nam æque bene exiſtet ignis, licet non augeatur per aggenerationem, é contra autem contingit in viuentibus, quæ conſeruari nequeunt niſi moueantur in nouum ſtatum ab eo, quem acceperunt in prima generatione; vt patet in Animalibus, & plantis creſcentibus per nouum augmétum nutritionis, vel nouum motum ſentiendi: licet autem augmentum nutritiuum, poſſit etiam venire ab extrinſeco, vt patuit in Adam. Adhuc tamen vitalis eſt motus in ſe nutriente, quia tunc acquiritur augmentum nutritiuum per motum debitum ſe nutrienti. Vnde patet ad rationes dubitandi in §. 2. Ad primam de igne ſe aggenerante iam dixi. Ad ſecundam de Angelo, & Deo reſpondetur hic ſermonem eſſe de motu phyſico vitæ, non vero de intentionali, de quo §. 13. ad 3. vt iam dixi niſi motus ſit in nouam perfectionem indebitam primæ generationi, non erit per ſe ab intrinſeco. Alia quæ obiici poſſunt ex §. 3. melius

6 ſoluentur. in §. 10.

An plantæ viuant.

Dubitatur ſecundo, An Plantæ viuant Manichæi apud Aug. lib. 1. de moribus Manichæis concedebant vitam rationalem. Pythagoræi, & alij antiqui vitam ſenſitiuam apud Suarez libro primo de An. capite quarto numero nono. Stoici è contra omnem vitam negabant apud Clem. Alex. libro octauo Strom. & aliqui Recentes Philoſophi apud Comptonem diſputatione ſexta de Anim. ſectione prima numero primo. Mouentur præcipue eo quod neſciant diſcrimen vitæ in plantis præ aliis. Item Gen. 1. 30. dedit Deus *omni viuenti herbam ad veſcendum,* quam tamen non non dedit plantis & Aug. l. 7. Gen. ad litt. c. 16. *ſi nobis tantum ineſſet motus plantarum non diceretur homo factus in Animam viuentem* ſic Damaſcenus & alij Patres.

Vita rationis Manich. Senſitiuâ Pythag. Nullâ. Stoici.

Nihilominus omnino concedenda eſt vita 7
pure vegetatiua plantis ita Suarez lib. 1. de An. c. 4. n. 11. dicens hoc, & in Theologia certum eſſe, & in Philoſophia euidens: ſic Pſ. 77. 47. dicitur *pruina occidiſſe* plantas, non autem occiditur niſi viuens. ſic. S. Aug. ſerm. 27. de verbis Apoſt. *nobis viuere cum arboribus, & frutetis commune* eſt; *nam vitis viuit cum viret, areſcit cum moritur.* ſic S. Gregor. hom. 29. in Euang. & communiter Patres. Ratio autem Philoſophica euidens conſtat ex dubit. præced. & quidem nemo negare poterit in plantis inueniri nutritionem ab intrinſeco ſimilem omnino nutritioni animalium, & diſſimilem augmentationi non viuentium. hunc autem motum iure vitalem vocamus.

Viuunt vegetatiuâ tantum. Suarez. Pſalm. Aug Gregor.

Quare ad errores vel opinationes ſtolidas in 8
§. ſexto Reſpondeo vitam ſentientem, & rationalem ſolum per irriſionem ſummam contra experientiam poſſe fingi in plantis, vt ait Aug. ibi citatus. Ad Stoicos reſpondeo nomine *viuentis ſimpliciter* intelligi *ſenſitiuum* quia in hoc manifeſtiora ſunt ſigna vitæ (quod non tollit plantas viuere vita imperfectiori) ſic Auguſt. libro tertio, de Geneſi ad litteram cap. 15. ſuper illa verba. *Eijciant aqua reptilia animarum viuarum,* ait *cur additum eſt viuarum: an poſſunt eſſe anima niſi viuant, an iſtam manifeſtiorem vitam commendare voluit, quæ ineſt animalibus, quoniam ſtipites ea carent:* ſic alia interpretanda ſunt.

Dubitatur tertio An plantæ in ratione vitæ 9
conueniant cum cognoſcentibus. Prima ſententia negat. Ita P. Arriag. diſputatione ſecunda de anima ſectione prima numero 74. Mouetur: quia ea quæ inueniuntur in vita plantarum omnino diſparate ſe habent ad modum viuendi in cognoſcentibus, nec motus phyſicus nutritionis habet vllam conuenientiam cum operatione intentionali cognoſcentium, vt patet primo in Deo, cuius cognitio non eſt motus, nec producitur. Secundo in Angelo, ad cuius connaturalem ſtatum pertinet vt proprietas cognitio ſui. Tertio in ſubſtantia, quæ cognoſceret per cognitionem, vel ſecum identificatam, vel productam, & infuſam ab extrinſeco. In quibus caſibus operatio vitalis cognitionis non eſt motus productus ab intrinſeco vltra ſtatum connaturalem cognoſcentis, vt patet.

An plantæ in ratione vitæ conueniant cum cognoſcentibus. Negat. Arriag.

Secunda ſententia omnino vera agnoſcit in 10
plantis rationem vitæ, in qua conueniant cum cognoſcentibus. Ita ſupponunt communi,

Affirmandũ omnino eſt.

communiter omnes Philoſophi & Theologi dum plantis concedunt propriam rationem vitæ ex conuenientia cum, animalibus, qua ſunt cognoſcitiua ſeu manifeſte viuentia, etenim niſi vita nutritiua vt talis (de qua vt ſic ſolū dubitari poteſt an vita propria ſit) conuenientiam habeat ſpecialiorem cum cognoſcentibus, quam motus grauium, & leuium non eſt cur iſte negetur vitalis. Confirmatur vel Deus in ratione vitæ habet maiorem conuenientiam cum Planta, quam cum igne vel non: ſi primum ergo iam vita plantæ vt talis conuenit cum cognoſcentibus, ſi ſecundum cur vocas motum plantæ potius, vitalem, quam motum ignis. Denique præcipua eſt ratio hic quia ſi abſtracte ita explices motum ab intrinſeco, vt definiatur *operatio immanens ab intrinſeco* ſic in hoc prædicato ſpecialiſſima conuenientia reperietur inter vitam cognoſcitiuam & pure vegetatiuam plantarum, vt conſtabit ex ſolutione rationis dubitandi in §. præced.

11 *Cur motus vitalis intentionalis poſſit eſſe connaturalis viuenti, ſecus phyſicus.*

Ad primum *motus* ſecundum hanc rationem communem omni viuenti accipi ſub conceptu *operationis* præcisè ſic autem *motus*, ſeu operatio conuenit Deo, vere enim cognitio eſt operatio intentionalis, item ly *ab intrinſeco* ſumitur quatenus operatio prout dicitur dicitur vitalis non eſt niſi ab ipſo viuente, ſic cognitio diuina à nullo alio eſt tanquam à cognoſcēte, ſeu operante intentionaliter, niſi à ſolo Deo vide quæ dixi diſput. 35. ſectio. 3. Iam vero dum operatio ſtricte ſtet ſic *ab intrinſeco* hoc eſt ſoli viuenti tribuatur, quantumuis ſpectet ad ſtatum connaturalem viuentis hæc connaturalitas non oberit motui vitali, quia tamen in plantis ſeu in vita phyſica operatio connaturalis non tribuitur ipſi viuenti, ideo requiritur quod connaturalis non ſit, operatio vero vitæ intentionalis quantumuis connaturalis, licet forte phyſice ſit ab extrinſeco, intentionaliter tamen ſolum viuens operatur per illam. Ex quo patet ad 2. & ad tertiam rationem dubitandi in §. 9. nam Angelus vel ſubſtantia creata identificans ſecum cognitionem, licet eam habeant ab extrinſeco phxſicè, hoc eſt ab extrinſeca cauſa phyſice producente talem cognitionem, non tamen intentionaliter operante per illam, ſolus namque Angelus, v. gr. operatur intentionaliter per illam, ſolique ipſi vt cognoſcenti tribuitur, ſed de his plura in opere philoſophico.

ARTICVLVS II.

Vtrum vita ſit quædam operatio.

12 DE hac difficultate nullibi agit S. Thomas, ex profeſſo; niſi in præſenti, obiter autem hanc difficultatem attigit 12. quæſt. 3. art. 2. ad 3. & quæſtio. 56. art. 1. ad 2. in præſenti, autem art. 2. ait nomen *vitæ* ſignificare ſubſtantiam, & *eſſe* illius naturæ, cui conuenit ſe mouere, nonnunquam vero & minus proprie vitalem operationem.

13 *An vita intentionalis ſit operatio.*

Dubitatur primo. An vita intentionalis ſit operatio. Ratio dubitandi eſt quia intellectio vt talis non conſiſtit in actione, ſed in qualitate, vt ego late defendam in meo opere philoſophico, cum Scoto, Durand. Caietano, Ferrara, Capreolo, Henrico: Soncin. Valentia, Soto Gregorio, cum & apud Salas 1.2. quæſt. 3. tract. 2 diſp. 2. ſect. 4. n. 27. Arriag. diſp. 6. de anima ſection. 2. n. 37. fauetque S. Thomas 2. p. quæſt. 34. a. 1. ad 3. vbi ſic habet. *Intelligere importat ſolam habitudinem intelligentis ad rem intellectam; in qua nulla ratio originis importatur, ſed ſolum informatio quædam in intellectu noſtro, dum intellectus noſter ſit in actu per formam rei intellectæ, in Deo autem ſit per identitatem.* Ex quo exemplo Dei maxime patet vitam intentionalem, ſeu cognitionem non conſiſtere in operatione, ſecunda ſententia cenſet de conceptu intellectionis eſſe actionem, ſiue quia adæquate intellectio in actione conſiſtit, vt communiter cenſent Thomiſtæ cum Conimbr. lib. 3. de anima cap. 8. q. 3. art. 3. & 4. vel in actione & ſimul in termino, vt tenet. Molina 1. p. q. 14. art. 2. P. Hurt. diſp. 6. de anima per totam P. Ouied. controuerſ. 6. de anima punct. 1. n. 19. qui omnes mouentur ex eo quod vita actualis ſeu actus vitæ debeat eſſe operatio.

Scotus. Negant. Durand. Caiet. Ferr. Capreols Henric. Soncin. Valent. Soto. Gregor. Salas. Arriaga, *Affirm* Thomiſtæ. Conimb. Molina. P. Hurt. Ouiedo.

Ego omiſſis peculiaribus fundamentis, ob quæ defendam in meo opere philoſophico vitam intentionalem ſeu intellectionem conſiſtere in ſola qualitate, hac ſententia, ſuppoſita adhuc cenſeo intellectionem etiam præciſo titulo actionis phyſicæ mereri nomen *operationis*. Moueor: 1. a paritate Dei, qui ſpeciali ratione operari dicitur, quatenus eſt *cognoſcens* non vero quatenus *æternus vel immenſus*. 2. Intellectio collatione facta ad obiectum dicitur *operatio* intentionalis, vnde quia nihil in obiecto ponit, putarunt Thomiſtæ aliqui quod detur actio ſine termino: at circa obiectum nihil phyſice agit intellectio, vt patet: ergo intellectio concipitur per modum *operationis*, licet ab actione diſtinguatur. 3. eſt ratio à priori quia omnis tendentia, & reſpectus actualis, qua reſpectus eſt, concipitur per modum operationis collatione *reſpicientis* à quo primo eſt: hinc reſpectus qui eſt operatio phyſica comparatur per modum operationis collatione facta ad principium à quo primo eſt iuxta Ariſto. 2. phyſ. cap. 1. Vbi definit principium operans phyſicè *id vnde primum principium eſt mutationis*. Tunc ſic ſed intellectio, quæ eſt tendentia & reſpectus ad obiectum comparatur cum viuente tamquam cum eo à quo primo eſt intentionaliter, ergo eſt operatio intentionalis, ſed de his plura hic neceſſaria non ſunt in quæſt. quæ tota eſt de nomine, vt notat P. Faſolus hic quæſtio. 18. art. 2. 14

Eſt operatio intentionalis licet non ſit actio phyſica.

Dubitatur ſecundo An vita actualis poſſit identificari in creatis cum vita ſubſtantiali. Ex hac dubitatione maxime conſtabit vitam actualem non eſſe operationem phyſicam viuentis, ſiquidem operatio phyſica debet vel in ſe vel in ſuo termino diſtingui realiter à ſuo principio. prima ſententia affirmat poſſibilem eſſe Angelum, qui identificet ſecum ſui cognitionem actualem. Ita Durandus 2. diſtinctione 3. quæſtione 5. ad 1. Aureolus diſtinctione 11. quæſt. 3. art. 3. Adam apud Salas, 1.2. diſput. 3. tract. 1. numero 20. fine, Arriaga, diſput 13. Logicæ numero 7. Valentia prima parte quæſtione quinto de Angelis punct. quarto verſ. *poſſet igitur* Mouentur quia cognitio ex ſuo conceptu non repugnat identificari cum cognoſcente, vt patet in Deo, aliunde hæc identitas 15

An vita actualis poſſit identificari in creatis cum vita ſubſtantiali. Durand. Aureol. Arriag. Valent. *Antiqui cum Mag Negant. Noui cum.* S. Thom.

non dicit infinitatem. 2. ſententia communis negat. Ita Theologi Antiqui cum Magiſtro in 2. diſt. 3. & Nouiotes cum S. Thoma 1. p. q. 54. art. 1. qui omnes mouentur ex conceptu vitæ quæ licet non petat poſitiuè eſſe ab intrinſeco, petit tamen non eſſe ab extrinſeco, adæquate iam vero cognitio creata ſi identificaretur cum Angelo adæquate fieret ab extrinſeco, ſecus diuina.

16 Ego huic 2. rationi ſto ob hanc rationem. Omnis creatura non ſolum pendere debet à Deo in eſſe, ſed etiam in operari, hoc eſt, vt ſupra ſuam exiſtentiam ſpeciales Deo debeat gratias, eo quod iuuet ipſam ad operandum, pertinet enim ad dominium Dei, vt poſſit cauſam creatam ab operando impedire. ſed *cognoſcendo* maxime exercetur, & operatur Angelus: ergo poteſt impediri ab hac operatione, & conſequenter non habet per ſuam eſſentiam actu viuere. Hinc patet diſcrimen vt potius Deus quam creatura poſſit identificare ſecum actualem cognitionem pateque ad primam ſententiam in §. præcedenti.

Approbatur, & Probatur.

ARTICVLVS. III.

Vtrum Deo conueniat vita.

17 DE hac difficultate agit S. Thomas 1. contra gent. cap. 91. & duobus ſequentibus, & lib. 4. c. 13. fine, & 2. met. ſect. 2. in præſenti autem art. 3. ait Deo maximè conuenire vitam eo quod ſit ipſum *intelligere.*

18 Dubit. 1. An vita Dei ſit operatio phyſica ratione noſtra. De hac difficultate egi & negatiue reſpondi diſp. 35. ſect. 2.

An vita Dei ſit operatio phyſica ratione noſtra.

19 Dubit. 2. An Deus viuat actualiter per omnia prædicata, quæ habet. Affirmant plures Recentiores noſtri: quia Deus habet omnia ſua prædicata ab intrinſeco, vt potens à ſe, ſed vita actualis nihil aliud eſt, quam perfectio ab intrinſeco: ergo omnia prædicata diuina ſunt in Deo vita. Sed dicendum eſt formaliter, & ratione noſtra loquendo ſolum potentiam intellectiuam, & volitiuam, ſeu ſolam intellectionem & volitionem (in abſolutis, nam de relatiuis dicam dubitatione ſequenti) eſſe vitales, Deumque ratione illarum viuere. Probatur: nam qui putabant Deum eſſe materiam primam, vel chaos informe, vel totum hunc Mundum, non ideo putabant iſta viuere, quia à ſe erant ſine productore, quam enim vitam haberet ignis, licet eſſet à ſe, & quis vt negaret igni vitam attendit. An eſſet à ſe? Præterea quia ſpecialiſſime in intellectione, & volitione diuina repetitur quod ſint ab intrinſeco independenter ab eo quod non producantur phyſicè ab extrinſeco, vt patet ex dictis diſp. 35. ſect. 3. & in præſenti q. 18. art. 1. §. 11. ergo independenter ab hac reali improductione, quæ communis eſt omnibus attributis diuinis explicanda, & admittenda eſt vita in Deo, & conſequenterque negandum eſt æque omnia attributa, & prædicata Dei eſſe vitam. vide Hemelm. hic tit. 1. diſp. 3. per totam.

An Deus viuat actualiter per omnia prædicata quæ habet.

Non

20 Dubit. 3. An productiones filij diuini, & Spiritus Sancti ſint vitales. 1. ſententia negat. Ita P. Arriag. d. 2. de Anima n. 64. quia cum in his formaliter non inueniatur vita intentionalis, non enim datur cognitio, vel amor formalis relatiuus præter abſolutum vt ſuppono ex tract. de Trinit. aliunde autem nulla vita pure phyſica Deo conueniat, cum hæc ſola ſit mediante productione motus vel localis, vel nutritionis, cuius Deus eſt incapax, conſequenter tales productiones non erũt vitales; confirmatur: quia motus vitæ phyſicæ nõ debet pertinere ad ſtatum primum connaturalem viuentis, vt dixi hic art. 1. productio vero Filij, & Spiritus ſancti maxime pertinet, identificaturque cum eſſentia viuentis 2. ſententia affirmat. Ita Zuniga q. 22. de Trinit. diſp. 2. dub. 12. memb. 1. n. 2. dicens eam eſſe communem Patrum & Theologorum, qui ideo has productiones appellant ad intra. Mouentur quia hæ productiones ſunt immanentes ſic Ioannes 1. *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris* & cap. 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt:* ergo Pater producit Filium in ſe manentem.

An productiones filij diuini & Spiritus ſancti ſint vital. Negat.

Affirmat. Zuniga & commun.

Ego cũ hac 2. ſententia ſẽtio. Moueor: quia ſecluſa imperfectione motus, qui in ſua proprietate neceſſarius non eſt ad vitam, propriiſſime ab intrinſeco operatur Pater, dum producit Filium: nã & illum producit immanẽter, ſi enim nutritio eſt actio immanens, quia producit terminum in eodem ſuppoſito, quãto magis generatio, quæ producit verbum identificatum cum eſſentia generãtis. Rurſus nõ impeditur quominus Pater dicatur operari ab intrinſeco, ſeu ex ſe & proprio nomine, quod eius terminus pertineat ad connaturalẽ ſtatum eſſentiæ Patris. Tum quia cũ Pater à nullo extrinſeco producatur eius operationes nulli alteri tribuentur, niſi ipſi Patri, quod non contingit in viuentibus creatis, quando producunt terminum pertinentem ad ſtatum Connaturalem ſuarum eſſentiarum, ob quod in viuẽtibus creatis motus in connaturalem perfectionem nequit eſſe ab intrinſeco, vt notaui hic at. 1. §. 4. Prætérquam quod Filius, licet pertineat ad eſſentiam Patris; at nõ pertinet ad cõſtitutiuũ ipſius Patris: ergo productio Filij abſolute eſt ab intrinſeco, & vitalis. 21

Probatur.

22 Ad fundamentum pro 1. ſententia negante reſpondeo vitam harum productionum aliquid habere intẽtionalitatis, quatenus correſpondent intellectioni, & volitioni, quemadmodũ vita inuenitur in productione creata diſtincta ab intellectione & volitione; quod ſi adhuc placeat eam vocare vitam, phyſicam non ideo debet eſſe nutritiua, vt patet in productione creata intellectionis, quæ in ſe formaliter ſolum eſt vita phyſica. Ad confirmationem conſtat ſolutio ex §. præced. ne in diuinis ſicut in creatis perfectio vitalis, vt ſit ab intrinſeco, debeat poni extra ſtatum connaturalem viuentis. Dices proceſſio attributorum ab eſſentia non eſt vitalis, vt conſtat ex dubitatione præced. ergo etiam in diuinis vt perfectio aliqua ſit ab intrinſeco nõ debet eſſe debita connaturali ſtatui viuentis. Reſpondeo attributa ſunt de conſtitutiuo reali principij à quo procedunt, ſecus Filius, qui non identificatur cum producente. Deinde proceſſio attributorum non eſt vera proceſſio, nec productio, vt patet ex his quæ dixi diſp. 15. ſect. 11. & diſp. 70. ſect. 2.

ARTICVLVS. IV.

Vtrum omnia ſint vita in Deo.

DE hac difficultate agit. S. Thomas 4. contra gent. cap. 13. fine & q. 4. de veritate art. 8. 23

art. 8. in præſenti autem art. 4. ait omnia, quæ ſunt in Deo vt per ſe intellectam eſſe vitam in ipſo, cum viuere Dei ſit eius intelligere, vnde cum omnia, quæ facta ſunt à Deo ſint in ipſo vt intellecta erunt vt vita.

24 Dubit. 1. An omnia prædicata diuina ſint in Deo vita. De hac dubitatione ſatis egi art. præced. §. 19.

An omnia prædicata diuina ſint in Deo vita.

25 Dubit. 2. An omnes creaturæ in Deo vita ſint. P. Molina hic in fine diſp. ait concluſionem affirmatiuã eſſe de fide iuxta illud Ioannis 1. *Quod factum eſt in ipſo vita erat* iuxta expoſitionem Auguſt. Cyrilli & S. Thomæ hic in argumẽto *ſed contra* quam poſteriores Theologi communiter ſequuntur. Quamuis Chryſoſtomus Theophilaſtus, Euthymius & alij apud Bannez hic aliter interpungant & exponunt quibus vehementer fauent biblia vulgatæ editionis dum tertium verſum complet ſic: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt.* Deinde nouum verſum 4. incipit ſic: *in ipſo vita erat, & & vita erat lux hominum* ſed quidquid de hoc ſit concluſio affirmatiua clara eſt de modo eſſendi, quem habent creaturæ in Deo, cum enim ſint intentionaliter per cognitionem erunt per vitam, licet ipſa obiectiue, vita non ſint.

An omnes creaturæ in Deo vita ſint.

QVÆSTIO. XIX.

De voluntate Dei.

INTEGRVM tractatum quintum, & vltimum huius tomi inſtitui, diſtinxique per 19. diſputationes, vt difficultates agitari ſolitas in ſcholis circa hanc q. 19. exponerem; hic autem, ſiquæ alia circa illas deſiderentur, vel aliis vtilia ſint adiiciam.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Deo ſit voluntas.

1 DE hac difficultate agit S. Thomas, 3. p. q. 18. art. 1. & 1. diſt. 45. q. 1. art. 1 & in alio ſcripto ad Annibaldum ibidem & 1. contra gent. cap. 72. & 73. & lib. 4. cap. 19. & q. 23. de veritate art. 1. & opuſcul. 3. cap. 32. & 35. ait eſſe in Deo voluntatem ſicut in eo eſt intellectus. Voluntas enim intellectum conſequitur, ſicut appetitus ſequitur ſenſum vt ſcilicet bonum cognitum proſequatur, & in eo quieſcat. Et ſicut Intelligere Dei eſt ſuum eſſe: ita & ſuum velle.

2 Dubit. 1. quibus rationibus probatur exiſtentia voluntatis Dei. De hac dubitatione egi diſp. 56. ſect. 1. quam variis teſtimoniis illuſtrant P. Georgius Hemelman, tom. 1. in 1. p. tit. 2. diſp. 1. per totam. Item P. Didacus Ruiz in præſenti diſp. etiam 1. ſect. 1. Pro qua concluſione non eſt opus longiori probatione cum notiſſima ſit.

Quibus rationibus probetur exiſtentia voluntatis Dei.

3 Dubit. 2. An voluntas Dei poſſit fide Theologica primo credi Ratio dubitandi eſt quia fides Theologica ſupponit Deum eſſe veracem, hoc eſt Deum non poſſe falli nec velle fallere ergo ſupponit Deum eſſe volitiuum ergo non poteſt fides credere in Deo eſſe voluntatem, ne credat idem per idem. De hac dubitatione egi ſatis diſp. 13. ſect. 6.

An voluntas Dei poſſit fide Theologica primo credi.

Dub. 3. An ſit poſſibilis ſubſtantia intellectiua non volitiua. De hac difficultate egi diſp. 56. à ſect. 2. cui nihil addendum reſtat. 4

An ſit poſſibilis ſubſtantia intellectiua non volitiua.

Dubit. 4. An poſſibilis ſit aliqua cognitio, quæ non repreſentet rationem boni appetibilis à cognoſcente ſeu an aliqua ſubſtantia cognoſcitiua, etiam materialis ita limitata ſit in cognoſcendo, vt non poſſit repreſentare rationem boni modo ſufficienti vt illud poſſit appetere. De hac difficultate egi diſp. 56. ſect. 4. 5

An poſſibilis ſit cognitio quæ non repræſentet rationem boni.

Dub. 5, An detur in Deo voluntas in actu primo ſeu actus primus volendi. Reſpondeo datur actus primus intentionalis etiam realiter ex diſp. 35. ſect. 3. Non datur actus primus phyſicus nec ratione noſtra reſpectu volitionis neceſſariæ ex eadem diſp. 35. per totam. Datur vero reſpectu volitionis liberæ vt patet ex diſp. 73. 6

An detur in Deo voluntas in actu primo.

Dub. 6. An in Deo reperiatur habitus volitiuus Affirmat 1. ſententia cum Henrico 1. p. art. 37. q. 1, & 2. Alexand. 1. p. q. 23. memb. 1. Carthuſian. 1. diſt. 35. q. 1. Mouentur quia Deus facillimus eſt in volendo, facilitas autem ab habitu non diſtinguitur. Confirmatur quia in Deo ſunt virtutes morales, virtus autem ab habitu non diſtinguitur. 2. ſententia Communis inter Theologos negat cum S. Thom.: 2. q. 49. art. 4. ibi *ſi aliquid ſit cuius ſubſtantia ſit ſua operatio, ibi habitus locum non habet, ſicut patet in Deo.* Ita etiam antiqui Theologi cum Magiſtro 1. diſt. 45. initio, Suar. diſp. 20. Metaph. ſectione 16. numero 68. Ruiz hic diſput. ſecunda ſect. 3. Hemelman. tit. 4. diſp. 7. Probatur. 1. ex Baſilio lib. 2. contra Eunom. colum. 11. *Virtus, & iuſtitia Dei non vt habitus, neque vt aptitudo.* Cypariſſ. deca. 10. cap. 5. *in vnitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt non oportet quærere habitus, & diſpoſitiones.* 7

An detur habitus volitiuus. Affirmant. Henr. Alex. Carthu. Negandum cum. S. Thom. Magiſtr. Suarez. Ruiz. Hemelm. S. Baſil. Cypariſſ.

Huic ſententię ſto. Moueor quia ſola voluntas Dei eo quod perfectiſſima ſit imbibit quidquid ab habitu ipſi venire poterat. Confirmatur quia habitus vt talis ſi ab extrinſeco infuſus non ſit qualis implicat infundi Deo, vt per ſe patet, acquiritur exercitio actuum ita vt voluntas expeditior ſit eo quod pluries ſe exercuerit per actus, Deus autem ſemper æque facilis eſt etiam ad primum actum. Vide diſp. 35. ſect. 4. Hinc ſatis patet ad 1. ſententiam, & eius fundamenta, nam facilitas, & virtutes morales conueniunt voluntati per ſeipſam dum perfectiſſima eſt. 8

Probatur.

Dubit. 7. An voluntas Dei ab intellectu diuino diſtinguatur vel ſaltem volitio ipſa actualis ab intellectione, & qualis ſit hæc diſtinctio. De hac difficultate lariſſime egi diſp. 58. per totam. 9

An voluntas Dei ab eius intellectu diſtinguatur.

Dubit. 8. An & quomodo voluntas Dei ab eius eſſentia diſtinguatur. De hac difficultate ſatis egi diſp. 17. ſect. 6, & 57. per totam. Vide mira eruditione hæc omnia illuſtrantem P. Georgium Hemelm. tom 1. in p. titul. 4. per totum. 10

An & quomodo voluntas Dei ab eius eſſentia diſtinguatur.

Dubit. 9. An in Deo reperiatur appetitus innatus, ſiue ad bona interna ſiue ad externa. Reſpondeo non dari ad interna neceſſaria, bene tamen ad libera. Ita diſp. 70. ſect. 2. &. 3. Ad externa bona quæſtio eſt de nomine poſita de re connexione eſſentiali Dei cum creaturis poſſibilibus, quam connexionem ſtatui diſp. 41. ſect. 1. 11

An Deo reperiatur appetitus innatus ad bona externa vel interna.

etenim poſita ſemel hac connexione ſecundum variam vſurpationem *appetitus innati* poteſt ſic affirmari vel negari, licet ſimpliciter melius negetur, cum æque bene ſe habeat Deus ſiue producendo, ſiue negando creaturis exiſtentiam, appetitus autem innatus indicat aliquam maiorem inclinationem in bono. vide Molin. 1. p. quæſt. 12. art. 1. diſp. 2. Leſſium de diuinis perfect. libro 14. capite 1. Suarez diſputatione 30. Metaph. ſectio. 16. numero 3. Arrubal & Herice hic.

12 *An in Deo detur principium virtuale ſuarum volitionum.*

Dubit. 10. An in Deo detur principium virtuale ſuarum volitionum. Reſpondeo non datur reſpectu volitionis neceſſariæ. Id patet ex diſp, 15. ſect. 11. & 22. probabiliter tamen defendi poteſt reſpectu volitionis liberæ, id patet ex diſp. 70. ſect. 4.

12 *Quod ſit motiuum volitionis de ſe ipſo.*

Dubit. 11. Quod ſit motiuum Volitionis de ſe ipſo an ſola eſſentia. vide §. 21.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus velit alia à ſe.

13 DE hac difficultate agit S. Thomas 1. diſtinct. 45. quæſtione 1. art. 2. & 1. contra gent. cap. 74. 75. & 84. & quæſt. 23. de veritate art. 4. in præſenti autem art. 2. ait Deum non ſolum velle ſeipſum ſed etiam alia à ſe, quia ad perfectionem voluntatis ſpectat vt bonum, quod habet aliis communicet ſecundum quod poſſibile eſt, hæc autem communicatio non fit niſi volendo alia.

14 *An Deus amet creaturas poſſibiles.*

S Thom. Bonau. Albertin. Alex. Gabr. Caiet. Zumel. Mol. Gonz. Ægid. *Negans.* Nauarr. Machin. Raynaud. Pius. Valent. Suarez. Naz. Ripa.

Dubit. primo An Deus amet creaturas poſſibiles, De hac difficultate egi diſp. 65. per totam pro ſententia negante creaturas poſſe diligi ſecundum eſſe pure poſſibile abſtractum ab exiſtentia citantur D. Thomas Bonauent. Alexand. Albert. Gabriel, Caietan. Zumel, Molin. Gonſalez, Nauarrete, Machin. apud Hemelmam tom. 1. tit. 7. diſp. 1. cap 2. num. 7. Raynaud diſt. 8. Theologiæ naturalis quæſt. 2. art. 2. num. 65. Pius 1. p. quæſt. 19. art. 3. dub. 2. Valentia hic diſp. 1. quæſt. 19. punct. 1. & ſequentibus, Suar. diſp. 30. Metaph. ſect. 16. à num. 37. & lib. 11. de Trinit cap. 2. num. 10. Nazarius 1. p. quæſt. 14. art. 9. Ripa quæſt. 34. art. 3. Ægidius Inſit. lib. 5 de beati. quæſt. 18. art. 2. fine cuius ſententiæ fundamenta poſui diſp. 65. ſect. 3.

15 *Affirmandū eum.*

Vaſq. Arrub. Heriz. Becan. Granad. Faſolus. Tanner. Baſil P-Hurt. S. Auguſt. Platon.

Secunda ſententia mihi, ita certa eſt, vt putem à nemine in re negari, vt oſtendi diſp. 65. ſect. 2. Ita præter AA. ibi citatos Vaſquez hic diſp. 79. cap. 2. Arrubal. diſp. 53. cap. 2. Herice, Becan. Granad. Faſol. Tanner. hic Baſilius Ponce quæſt. 6, ſcholaſtica cap. 7. & 12. Puente Hurt. de charit. diſp. 158. ſect. 1. Probatur ex Auguſt. cum Platone lib. 11. de ciuit. Dei cap. 21. ibi *Quid eſt enim aliud intelligendum in eo quod per omnia dicitur; vidit Deus quia bonum eſt: niſi operis approbatio ſecundum artem facti, quæ ſapientia Dei eſt? Deus autem vſque adeo non cum factum eſt tunc dicit bonum, vt nihil eorum fieret, ſi ei fuiſſet in cognitum. Dum ergo videt, quia bonum eſt, quod niſi vidiſſet, antequam fieret, non vtique fieret docet bonum eſſe, non diſcit. Et Plato quidem plus auſus eſt dicere: elatum eſſe ſcilicet Deum gaudio mundi vniuerſitate perfecta vbi & ipſe non vſque adeo deſipiebat, vt putaret Deum ſui operis nouitate factum beatiorem: ſed ſic oſtendere voluit, artifici ſuo placuiſſe iam factum, quod placuerat in arte faciendum.* vide alia fundamenta dicta diſp. 65. ſect. 2.

16 *An Deus poſſit amare peccatum vt poſſibile. Affirmat. Herize. Negandum omnino.*

Dubit. 2. An Deus poſſit amare peccatum vt poſſibile. Prima ſententia pro qua ſolum eſt P. Herize. 1. p. diſp. 18. cap. 1. num. 9. & pauci Recentiores, affirmat. Mouetur fundamentis quæ propoſui & ſolui diſp. 65. ſect. 5. Secunda ſententia quam defendi ea diſp. 65. ſect. 4. omnino negat, quam eſſe indubitatam aſſerit P. Hemelm. tit. 7. diſp. 2. cap. 2. num. 1. Contrariam fidei Catholicæ opponi late tuetur Martinon, diſp. 13. de volunt. à §. 21. eſſeque contra dogma fidei refert ex P. Valentia. Ego exiſtimo hic quæſtionem multum habere de voce: nam ſi loquamur de malitia, quæ poſſibilis eſt ſpecificatiuè non poteſt negari, quin diſpliceat Deo, qui ideo eam prohibet, odit, tenetque ab exiſtentia, quia mala eſt ſecundum ſe ideo non poteſt eam velle vt exiſtat, quando ipſi proponitur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ (in quo ſtatu non conuenit malitiæ exiſtentia exercita, ſed poſſibilis) quia vt mala proponitur, ſicut è contra ideo virtutem vt cognitam per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ velle poteſt quia vt ſic ipſi grata eſt. Ruſus certum etiam eſt quod Deus non odio habet poſſibilitatem peccati reflexe acceptam, ſeu hoc quod eſt *peccatum eſſe poſſibile*, & quod non implicet ſi exiſtat: quod ſit entitas accidentalis & non ſubſtantialis, &c. Etenim hæc omnia prædicata & poſſibilitas ſic accepta vel nihil aliud ſunt, quam ipſa omnipotentia, Dei, quæ maxime amatur à Deo, vel non ſunt veritates vllius amabilitatis, imo nec vllius veritatis apud Deum ſic formaliter tendentem per hos modos & reflexiones cognoſcendi, hi enim modi cognoſcendi, & reflexiones noſtræ ſunt ob imperfectum modum apprehendendi, non vero diuini intellectus perfectiſſimi, qui formaliter non dicit, *ſi peccatum exiſtat exiſtet* (quod ſignificatur per ly *ſi exiſtat non implicabit contradictionem*) ſed hanc veritatem modo ſimplici, & perfectiſſimo iudicat comprehendendo ſpecificatiuam quidditatem, vt ingratam ſibi, & abominabilem. Quare licet poſſibilitatem reflexam non oderit, odio tamen habet impietatem ſecundum ſe, non ſolum per affectum efficacem, ſeu oppoſitum amori efficaci de peccati exiſtentia, ſed etiam per affectum oppoſitum ſimplici complacentiæ de exiſtentia peccati. Quæ omnia conſtant ex diſput. 65. ſectione 4. & 5.

17 *An amor Dei circa creaturas poſſibilis ſit liber.*

Dubit. 3. An amor Dei circa creaturas poſſibiles ſit liber. De hac quæſtione egi diſputatione 66. per totam vbi adſtruxi aliquem amorem admittendum neceſſarium, licet etiam admitti poſſit aliquis actus liber. Vide quæ dixi ea diſp. 66. §. 1.

18 *An poſſit Deus diſplicere in creaturis poſſibilibus bonis.*

Dubit. 4. An poſſit Deus diſplicere in creaturis poſſibilibus bonis. De hoc aliquid egi diſp. 66. citata num. 17, Ratio autem affirmandi eſt, quia Deus poteſt creaturas quantumuis bonas nolle efficaciter, vt patet quando habet nolitionem efficacem de exiſtentia alterius Mundi: ergo etiam poterit nolle inefficaciter, nolitio autem inefficax vt talis ſolum verſatur circa poſſibilia, Confirmatur: quia cum diſplicentia in Angelo

poſſibili v. g. bene ſtat complacentia: ergo licet Deus neceſſario complaceat in Angelo poſſibili ex §. præced. adhuc poterit in illo diſplicere. Antecedens patet in proiiciente merces in mare, qui de eadem proiectione habet complacentiam, & diſplicentiam. Vide quæ dixi diſp. 66. num. 5. Confirmatur ſecundò: quia ſicut bonum eſt Angelum exiſtere, ita bonum eſt ipſum non exiſtere, vt ſic locus detur dominio Dei, reſplendeatque eius ſuprema independentia ab omni creatura: ergo poteſt Deus complacere in non exiſtentia Angeli ſecundum ſe, ſeu in carentia Angeli poſſibili, ſed complacere in carentia eſt diſplicentia in ipſo Angelo: ergo circa Angelum poſſibilem, & alias creaturas bonas poteſt Deus habere diſplicentiam ſimplicem; ex quo ſicut dicitur, quod Deus neceſſario velit creaturas poſſibiles, ita & neceſſario illas nolet, vt patet ex diſcurſu à me facto diſp. 66. §. 5. & ſequentibus.

19 De hac dubitatione non vidi auctores diſputantes, fortè quia partem negatiuam ſupponunt iuxta illud *nihil odiſti eorum quæ feciſti?* Nihilominus licet ex hoc loco, & ex dictis dubitatione ſecunda rectè probetur quod Deus non poſſit diſplicere in bonis per modum odij, ſicut non poteſt complacere in peccato: at ſiquidem poteſt nolle efficaciter, & directè exiſtentiam virtutis, licet non poſſit directè velle exiſtentiam peccati, cur non poterit inefficaciter nolle poſſibilem virtutem? Hoc explicatione indiget, & ſolutione rationum dubitandi in §. præced. Ego hanc do explicationem, ne in Deo admittatur circa creaturas bonas poſſibiles vlla diſplicentia ſimplex, nec per modum odij, nec per modum nolitionis inefficacis; quod ſcilicet omnis nolitio vt purè inefficax aliquid mali odibilis, ſeu diſconuenientis, & ingrati imbibat & requirat in obiecto, ſed in creaturis poſſibilibus nihil talis mali odibilis inuenitur excepto peccato vt ſupra dixi: ergo nec inuenietur in Deo nolitio inefficax circa illas. Minor & conſequentia patent: maior probatur: quia nolitio vt condiſtincta ab odio ſimplici ſolum connotat connexionem cum exiſtentia, etenim ſecluſa connexione cum exiſtentia nihil intelligitur in nolitione, ratione cuius dicatur nolitio pura, & non odium, res enim ſecundum ſe, qualis proponitur præciſo conatu efficaci in exiſtentiam, ſi mala & ingrata non ſit, non habet cur ſit nolibilis; quis enim concipiet me velle efficaciter exiſtentiam alicuius rei, in qua nihil mali odibilis inuenitur, & adhuc nolle inefficaciter eius exiſtentiam, ſi autem nolitio vt condiſtincta ab odio poſſet eſſe inefficax, rectè componi poſſet cum volitione efficaci de exiſtentia. Confirmatur à contrario nequit Deus velle inefficaciter aliquod obiectum, in quo non imbibatur ratio boni *amabilis* conuenientis, & grati contrapoſiti malo odibili, vt eſt per ſe notum; ſiquidem nullum obiectum, quod Deus vult inefficaciter odibile eſt ipſi: ergo negari poterit nolitio inefficax niſi de obiecto ingrato & odibili; & conſequenter nulla ratione admittenda eſt in Deo circa creaturas poſſibiles bonas nolitio inefficax.

Nolitio purè inefficax imbibit odium, ſecus efficax.

20 Hinc ſolutionem do oppoſitis rationibus in §. præced.

Non datur in Deo nolitio purè inefficax diſtincta ab odio.

Reſpondeo igitur ad principale fundamentum negando in Deo nolitionem purè inefficacem, licet concedam efficacem: quia huic ſufficit connexio cum non exiſtentia, illa autem vlterius addit exiſtentiam eſſe malam, & odibilem vt nuper dixi, quæ malitia non inuenitur in Angelo poſſibili. Dices iuxta meam ſententiam de conſtitutione actuum liberorum Dei, vt explico diſp. 59. & 60. Volitio diuina neceſſaria ſecundum ſe eſt inefficax circa creaturas, redditur autem volitio efficax per connotationem ad exiſtentiam earundem, ſimiliterque nolitio redditur efficax per connotationem ad carentiam creaturarum, vti enim Deus denominatur *volens efficaciter*, ita vel ly *efficaciter* ſolum addat ſupra volitionem ſecundum ſe exiſtentiam creaturæ, ita ſolum addit *non exiſtentiam* ſupra nolitionem vt Deus dicatur *nolens efficaciter*: ergo ante exiſtentiam Deus habet de Angelo poſſibili nolitionem ſecundum ſe, quæ ex connotatione *non exiſtentiæ* reddatur efficax. Reſpondeo Deus non habet circa omnia volitionem, & nolitionem ſecundum ſe hoc eſt actus neceſſarius Dei non eſt volitio, & nolitio omnium; ſed volitio bonorum, & nolitio malorum, ſeu peccatorum. Vnde circa Angelum ſolum habet volitionem, quæ ſicut per exiſtentiam Angeli denominatur *volitio efficax*, ita per carentiam Angeli denominatur *efficax nolitio*; hoc eſt efficax volitio de non exiſtentia. Ad primam confirmationem reſpondeo cum complacentia ſtat quidem diſplicentia ſi per incapacitatem obiecti, quod nil mali *diſplicentis* & *ingrati* afferat non ſtet; ſtat autem per Angelum poſſibilem repugnantia diſplicentiæ, cum nil odibilitatis habeat. Ad ſecundam reſpondeo *non exiſtere Angelum* bonum eſt bonitate amabili efficaciter, ſed non amabili inefficaciter; nam omnis iſta bonitas conſiſtit in eo quod Deus non connectatur cum exiſtentia Angeli. Hoc autem bonum ſolum petit quod Deus poſſit amare efficaciter ly *non exiſtere Angelum*: & quod poſſit complacere in tali volitione efficaci poſſibili. At in ipſa carentia Angeli vt præſcindenti ab exercitio exiſtendi nil boni inuenitur; ſicut nil mali in Angelo vt præſcindenti ab actuali connexione cum exiſtentia, quæ ſolum obeſt dominio Dei.

Nullius rei niſi peccati datur in Deo nolitio inefficax.

Dubit. 5. An Deus poſſit amare impoſſibilia 21
ſeu in illis complacere? Ita quidam recentior apud Hemelman. tom. 1. in 1. part. tit. 7. diſp. 5. cap. 1. Mouetur primò quia Deus ſecundum ſe poteſt impoſſibilia, & Chymæram: ita Magnetes Græcus lib. 4. ad Theoſtenem apud Turrianum in Apologet. pag. 74. *nihil eſt quod non poſſit facere diuina natura vt idem eſſe ſolem, & nubem: item quæ præterierunt non eſſe præterita, & facta infecta: quomodo, aut quando neque explicari, neque comprehendi poteſt.* Ita Claudius Sainctes. 4. de Euch. cap. 4. Mouetur ſecundò quia communiter dicitur quod Deus quando condonat peccatum, habet affectum, quo vellet illud non præteriiſſe ſi eſſet poſſibile; & quidem ſi Deus rogaretur an vellet peccare ſi poſſet? ſine dubio reſpondebit ſe nolle, ex quo etiam dicet *vellem impotentiam peccandi etiamſi mihi veniret ab extrinſeco*; talis autem impotentia ab extrinſeco chymærica eſt. Mouetur tertio quia poteſt Deus habere ſimplicem nolleitatem de poſſibilibus; nolle autem poſſibilia; eſt idem, ac velle impoſſibilia. Hæc tamen leuia ſunt, & ſatis impugnantur à fortiori ex dictis dubit. præced. nil enim

An Deus poſſit amare impoſſibilia?

enim boni contineri poteſt in chymæta vt ametur. Imò ſi chymæta vt in ſe eſt inſpiciatur nec amore, nec odio habetur à Deo formaliter, ſed tantum in æquiualenti quatenus poſſibilia amantur; vt patet iuxta dicta diſput. vltima tract. 4. de ſcientia Dei. Vnde ad 1. illa verba magnetis intelligo de impoſſibili quoad apparentiam, vel de præterito in ſenſu diuiſo. Ad 2. nego illos affectus in Deo, ſunt enim orti in nobis ex praua rerum apprehenſione, qua impoſſibilia, quaſi poſſibilia apprehendimus. Ad 3. ſatis conſtat ex dictis dubit. præced.

22 Dubitat. 6. An ſola eſſentia diuina, an etiam relationes diuinæ attributa, & alia ſint obiectum formale motiuum diuinæ voluntatis. Prima ſententia ſtat pro ſola eſſentia ita Henric. 2. part. ſum. art. 47. quæſt. 4. Scot. 1. diſt. 10. fine 2. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1. §. *ordo natura*. Hemelm. 1. p. tit. 5. diſp. 1. cap. 2. Mouetur vt habeat Deus perfectiſſimum obiectum motiuum. Secunda ſententia ſtat etiam pro relationibus: cui ego ſubſcripſi eius fundamenta proponens, & oppoſita ſoluens diſp. 71.

Quid ſit obiectum formale diuini amoris?

23 Dubitat. 7. An aliquid creatum poſſit eſſe obiectum motiuum diuinæ voluntatis? Prima ſententia negat ita Henric. Quod lib. 4. quæſt. 19. lit. O. Gabr. 1. d. 14. q. 1. art. Driedo de Concord. lib. arbitr. & præd. 1. p. c. 3. init. Suarez, opuſc. de libertate Dei, diſp. 1. ſect. 2. num. 20. 21. Molina 1. p. q. 1. art. 2. Valent. 1. p. q. 19. §. *ſecunda aſſertio* Bannez art. 1. ad 4. Vaſquez d. 82. c. 2. Granad. tract. 1. d. 3. Gonzalez d. 55. ſect. 1. maximè n. 15. Arrubal. diſp. 51. cap. 3. Alarcon. tract. 3. diſp. 2. cap. 2. Mouetur maximè ex ſcript. Ezech. 36. n. 31. *Non propter vos, ſed propter me ego faciam*: ita Chryſoſt. tom. 4. in epiſt. Eph. orat. 2. in illud: qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis; vt ſimus *in laudem gloria ipſius: hoc ponit aſſiduè. Quanam de cauſa? vt quod ſatis ſit ad faciendum fidem auditoribus: nam ſiquidem noſtra cauſa hoc faceret, non eſſet ſine dubio: ſi autem propter ſe, & vt ſuam oſtendat bonitatem tanquam quoddam teſtimonium, ponit cauſam, quòd hac non aliter facta ſunt, quàm in Iſraëlitis videmus; & ſupra & infra dicit: fac nobis propter nomen tuum. Rurſuſque Deus ipſe dicebat: propter me, propter me faciam, Iſai. 48. num. 11. & Ezechiel. 36. num. 22. Non propter vos ego faciam domus Iſraël; ſed propter nomen ſanctum meum.* Vbi clarè apparet per hanc excluſiuam, non ſolum bonitatem diuinam eſſe motiuum diuinæ voluntatis; ſed & eſſe vnicum, ita vt nil creatum poſſit eſſe motiuum. Sic etiam Auguſtinus lib. 2. Hipognoſ. cap. 6. ait: *Deus ſuam tantum conſulit voluntatem.* Anſelmus in Epheſior. 1. ad ea verba, *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſua*, ait, *non ab alio accipit conſilium niſi à ſua voluntate.* Similiter Bernardus plura dicit Serm. 68. in Cantica, inter medium & finem. Alias rationes, quibus probari poteſt hæc ſententia dedi, eam latè defendens, diſp. 72. ſect. 2.

An aliquid creatum poſſit eſſe obiectum motiuū diuini amoris? Negat.
Henr.
Gabr.
Driedo.
Suarez.
Molin.
Valent.
Bannes.
Vaſq.
Granad.
Gonzales.
Arrubal.
Alarcon.
S. Chryſoſt.
S. Auguſt.
S. Anſelm.
S. Bernard.

24 Secunda ſententia præter authores citatos eâ diſp. 72. num. 3. tribuitur Scot. 4. diſt. 45. q. 1. §. *Hic primo dicendum.* Durand. 1. diſt. 45. q. 1. n. 8. Ferrara 1. contra Gentes cap. 91. §. *Aduertendum.* Item S. Auguſtino lib. 11. de Ciuit. cap. 21. in id Geneſ. 1. *Fiat lux, & vidit lucem, quod eſſet bona*, ait; *Motiuum cauſandi lucem eſſe quia bona eſt*, ibi: *Si quærimus quis fecerit, Deus eſt: ſi per quid fecerit, dixit fiat, & factum eſt. ſi quare fecerit quia bona eſt. Neque author eſt excellentior Deo, neque ars efficacior Dei verbo, nec cauſa melior, quam vt bonum crearetur à bono Deo.* Iſta tamen & alia quæ opponi poſſunt ſatis explicata ſunt diſp. 72. citata ſect. 3.

Affirmant.
Scotus.
Durand.
Ferrara.
S. Auguſt.

Dubit. 8. An, & qualiter amet Deus vnam creaturam propter aliam. Amare quidem vnam propter aliam certum eſt: ſic deſcendit propter noſtram ſalutem: & licet dicatur omnia facere propter ſe; etiam facit propter ſuos vt notat Bernard. ſerm. 3. in Pentec. col. 2. ibi: *Omnia facis propter ſeipſum gratuita videlicet bonitate, omnia propter electos ſuos, pro eorum ſcilicet vtilitate: vt illa quidem efficiens cauſa ſit; hac finis:* ſic etiam Nyſſen. Orat Cathech. cap. 5. ante med. ait ad hominem creandum *eximia & inſigni charitate illius inductum Deum* ſed de hoc plura ad articulum quintū modo circa illum modum ordinationis vnius propter aliam creaturam ſentit P. Hemelmam. tom. primo tit. quinto diſputatione ſecunda capite quinto cum Arrubal. prima parte diſputatio. 51. à capite tertio §. primo ideo dici quod Deus velit vnam creaturam propter aliam, quatenus actio exterior, qua complectur diuina volitio in ratione liberæ habet pro fine aliam creaturam. Quid ego ſentiam conſtat ex diſputatione 64. per totam & diſputatione 72. ſect. 3. 25

An & qualiter Deus amet vnā creaturā propter aliā?
S. Bernard.
S Niſſenus.
P. Hemelm.

Dubit. 9. An Deus creaturas rationales amet amore amicitiæ, ſeu ex motiuo virtutis moralis amicitiæ? difficultas hæc communis eſt omnibus aliis virtutibus moralibus, generaliter namque difficile eſt componere cum eo quod Deus omnia propter ſemetipſum operetur ſimul moueri ex obiecto formali moralium virtutum. De quo egi diſp. 73. per totam. 26

An Deus amet creaturas rationales amore amicitiæ?

Dubit. 10. An omnis actus diuinus circa creaturas ſit æqualis bonitatis moralis; & quomodo cum neceſſitate ad actus æquales ſtet in Deo laudabilitas in genere moris. De hoc egi diſp. 74. per totam. 27

An omnis actus diuinus circa creaturas ſit æqualis bonitatis moralis?

ARTICVLVS III.

Vtrum quidquid Deus vult ex neceſſitate velit?

DE hac difficultate agit S. Thomas 1. diſtinct. 43. quæſt. 2. & d. 47. art. 1. & in alio ſcrip. ad Annib. 1. diſtinct. quadrag. tert. quæſt. vnic. art. 1. & 2. & d. 47. art. 1. & 1. contr. Gentes cap. 80. & tribus ſeq. & lib. 2. cap. 25. & lib. 3. cap. 97. & quæſt. 23. de veritate art. 4. & q. 3. de poten. art. 1. in præſenti autem artic. 3. ait quod cum Bonitas diuina ſit proprium diuinæ voluntati obiectum ſufficiens bonum, ad quam alia ordinantur vt ad finem non neceſſariò, ſed quia illa Deus vult, bonitatem ipſam ſuam Deus abſolutè, & neceſſariò vult, alia verò à ſe non neceſſario, niſi ex ſuppoſitione, ſcilicet ſuppoſito quod velit finem non poteſt non velle media neceſſaria ad eius conſecutionem. 28

Dubitat. 1. An in Deo voluntas Dei ſit libera in ratione voluntatis, ſeu in volendo formaliter. De hoc egi diſp. 59. præcipuè ſect. 1. & 3. 29

An in Deo voluntas Dei ſit libera in ratione voluntatis.

Dubit.

30 *Quanta ſit connexio volitiui cum libero?*

Dubitat. 2. An implicet ſubſtantia volitiua, quæ libera formaliter non ſit; ſeu quanta ſit connexio volitiui cum libero. De hoc egi diſp. 59. ſect. 1.

31 *An poſſibilis ſit ſubſtantia libera in agendo quæ volitiua non ſit? Affirmat.* Arriaga. *Negandum cum* Suarez. Ariſt.

Dubitat. 3. An è contra poſſibilis ſit ſubſtantia libera in agendo, quæ volitiua non ſit? Affirmat P. Arriaga diſp.8.de Anima §.43. putans poſſibilem eſſe intellectum, qui à ſe poſſit determinare ad aſſenſum vel diſſenſum circa probabilia. Ego tamen nego cum communi ſententia apud Suarez diſp.19. met. ſect.5. & imprimis loquendo de ſubſtantia irrationali vt ſit V.g. ignis potens ab intrinſeco ignire & non ignire: rationem huius dedi diſp.59. ſect.5. §.43. & patet ex Ariſt. 9. met. cap. 2. ſtatuente hoc diſcrimen inter potentias rationales, & irrationales, quod iſtæ ſint determinatæ ad vnum. Si vero ſit de ſuppoſito rationali Alenſis. 2. part. quæſt. 72. art.1. §.3. ait potentiam liberam propriè, & formaliter ſumptam diſtingui ab intellectu, & voluntate Durand. 2. diſt. 24. quæſt. 3. conuenire formaliter intellectui. Thomiſtæ verò cum S.Th. 1. part. quæſt. 83. art. 3. in ſola voluntate libertatem conſtituunt, quæ ſententia vera eſt, ſatiſque probari poteſt ex dictis à me diſp. hac 59. §. 43. cætera, quæ circa aliorum ſententias dici poſſunt notabo ad eam q.83. S. Thomæ in tomo ſequenti.

32 *An Dei libertas ſit contradictionis, vel etiam contrarietatis?*

Dubitat. 4. An Dei libertas ſit contradictionis, vel etiam contrarietatis? libertas contradictionis dupliciter exerceri poteſt, vel purè negatiuè, ſeu omiſſiuè, quatenus Deus nullum actum habeat circa non creationem mundi, ſed purè ſuſpenſiuè, ſi habeat vti in voluntate creata aliqui admittentes puram omiſſionem, vel etiam quatenus; licèt Deus non purè omittat, actus tamen poſitiuus, quem habet non tendit directè in obiecta ad extra, ſed reflexe dicit *nolo amare* quo pacto in nobis contingit poſitiuè ſuſpendentibus noſtros actus. Quos duos modos libertatis contradictionis immerito confundunt hic plures authores, cum tamen valde diuerſi ſint; nam in creatis plures negant primam libertatem negantes puram omiſſionem liberam cum tamen ſecundam libertatem contradictionis nemo neget.

33 *Non datur in Deo pura omiſſio* Scotus. Vaſq. Suarez. Fonſeca. Salas. Hemelm. Ruiz. *Nec libertas poſitiua cõtradictionis.*

Sed quidquid de hoc ſit ego negaui Deo poſſibilem puram omiſſionem liberam diſp.67.ſect. 1.& 2. quæ ſententia communis eſt inter Theologos, Scot. 1. diſt. 45. quæſt. vn. in corp. Vaſquez, 1. part. diſp. 79. à num. 17. Suarez, d.30. met. ſect.9. num.59. poſito priori loco Fonſec. 7.met. cap.8. quæſt.5. ſect.3. ante med. Salas.1.2. tract.3. diſp.1. ſect.7. fine: Præterea cum eiſdem authoribus maximè vero Ruiz diſp.8. de volunt. ſect.3.num.15. Negaui ego libertatem poſitiuam contradictionis per reflexionem poſitiuam dict. diſp.67.ſect.4. vide Hemelm.tit.6.d.2.c.6.n.11.& d.1.c.2.n.4.

34 *An Deus poſſit exercere aliquem actũ liberi amoris erga ſe? Amor Dei neceſſarius & liber.* Henr.

Dubitat. 5. An Deus poſſit exercere aliquem actum liberi amoris erga ſe. De hoc egi diſp. 68. examinans rationem propterquam amor Dei, quem de ſe habet ita ſit neceſſarius, vt nec ſuſpendi poſſit, nec illi ſuperaddi alius liber. Vide ſect. 1. à §. 4. ex quo ſoluuntur obiectiones quas formant varij potius dicendi, quam ſentiendi modi. 1. Henric. 2. part. ſum. art. 45. quæſt. 3. & artic. 46. quæſt. 4. ait amorem Dei erga ſeipſum eſſe ſimul neceſſarium, & liberum, cui fauet Carthus. 1. ſent. diſt.10. quæſt. vni. col.12. ita loquitur Ricard. Vict. lib.5.de Trinit. cap.13. & ſeqq. S. Thom. quæſt.10. de Pot. art. 2.ad 5. S. Bonau. 1. diſt.6. artic. 1. quæſt. 1. Argent. quæſt.2. art.4. ad. 1. inſtant. Secunda ſententia principalis eſt Scoti. 1. diſt.10. quæſt. 1. §. *Aliter dico* & quod lib.16. art.2. & 3. implicitet ait amorem Dei erga ſe non eſſe naturalem; ſed liberum. Ita omnes Scotiſtæ Baſſol.1.diſtinct.10. quæſt. vn. artic.3. Mayron. quæſt. 1. ad arg. Rubion. diſp.10. quæſt.2. & alij in tract. de Trinit, vbi licet fateantur impoſſibile prorſus eſſe quod Deus non ſe amet, & producat Spiritum ſanctum adhuc dicunt amorem hunc eſſe liberum: ne vt in ſimili dixit Athanaſius lib. 4. contr. Arian. *ſequatur vt ex neceſſitate, inuituſque bonus ſit Deus*: At vt notaui dicta, diſp. 68. §.1. hoc ad modum loquendi ſpectat; nam de re loquendo de libertate contingentiæ, ita vt omnem amorem ſui poſſit Deus ſuſpendere; nemo talem libertatem Deo in amando ſe conceſſit.

Carthus. Ricard. S.Thom. S. Bonav. Argent. *Liber.* Scotus. Saſſol. Mayron. Rabien.

35 *An diligendo ſimul creaturas poſſit ſe Deus amari per amorem liberum? Affirmat.* Hemelman.

Dubitat. 6. An diligendo ſimul creaturas poſſit ſe Deus amare per amorem liberum. De hac quæſtione late agit P. Hemelman. tom.1.in 1. part.tit.6. diſp.2. per totam, partem affirmatiuam probans eo quod Deus libere amet plura complexa, quæ vt talia ex ipſo Deo coaleſcunt. Sic. 1. mouetur ex meritis Chriſti vt infinitis. 2. ipſum Chriſtum vt eſt perſona compoſita ex Verbo, & humanitate, & ſancta ſanctitate verbi, &c. tertio dum nos libere diligit amat ſuum amorem, vt enim ait Auguſt. 8. de Trinit.cap.7. *Qui proximum diligit, conſequens eſt vt ipſam præcipue dilectionem diligat*: amor autem Dei à ſua ſubſtantia non differt. Quarto maxime id probari poſſet quia Deus per amorem liberum attingit creaturas propter ſeipſum. Ergo ſeipſum amat per illum amorem; nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

36 *Reiicitur.*

Hæc probabiliter dicuntur, & ſine abſurdo iuxta communem modum ſentiendi de actibus liberis diuinis, vt notaui diſp. 68. ſect. 1. fine: Nihilominus quia cenſeo actus liberos, quantumuis adæquate Deo intrinſecos nil ſuperaddere contingens, quod vt ſic formaliter pertineat ad lineam intentionalem cognitionis, vel amoris, vt explicui diſp.69. ſect.3. cenſeo conſequenter nullum amorem vt formaliter liberum in bonitatem Dei terminari; nam ſatis iſta amata præintelligitur vt non ſit opus quod repetatur amor de Deo; ſed præciſe ſuperaddita terminatione ad creaturam, dum iſta intelligitur aduenire amori neceſſario, ab hoc habeat quantum opus eſt de attingentia Dei, vt dicatur moueri ex meritis vt infinitis, ex Chriſto vt ſancto ſanctitate increata, & *propter* infinitam, & increatam bonitatem deitatis. Vide quæ dixi d.50. num. 23. & 24. cui dicto fauet idem P. Hemelman. 1. part. titul. 6. diſputat. 2. capit. 5. num. 5.

37 *An & quomodo conſtituantur actus diuini liberi?*

Dubitat. 7. An, & quomodo conſtituantur actus liberi diuini? De hac difficultate latè ago à diſput. 59. vſque ad 71. præcipuè autem in diſput. 60. ſect. 2. vide hic §. 41. & 42. & 43.

38 *An Deus poſſit liberè velle abſque vlla diuerſitate ad extra? Negant* Vaſq.

Dubitat. 8. Vtrum libera volitio poſſit dari, Deuſque poſſit liberè velle, quamuis nullam realem diuerſitatem cauſet ad extra? Prima ſententia negat. Ita Vaſquez 1. part. diſp.67.cap.4. num.21.

Nauarr. Cabr. Ledeſma. Arrub. Turrian. Herize. *Affirm.* Suarez. Aluar. Curiel. Zumel. Ruiz.

num. 21. & diſp. 79. cap. 2. num. 8. Nauarrete tom. 1. controu. 56. §. 3. Cabrera tom. 2. diſp. 13. §. 5. num. 58. Ledeſma diſp. 2. de ſcientia contingentium poſt concluſionem 2. Arrubal diſp. 58. cap. 2. Turrianus opuſc. 5. diſp. 3. dub. 4. Herize diſp. 17. per totam. Hi omnes mouentur ex eo, quod actus liberos conſtituant per connotationem extrinſecam. Secunda ſententia affirmat. Ita Suarez opuſc. de ſcient. contingentium, lib. 2. cap. 7. n. 10. & tom. 1. in 3. part. diſp. 5. ſect. 1. §. *ad difficultatem*. Aluarez diſp. 7. de auxil. n. 32. Curiel controu. 7. in cap. 4. ſap. art. 3. num. 106. Zumel tom. 2. variarij, pag. 157. §. *ad illud*. Ruiz d. 12. de volunt. ſect. 2. Mouentur à paritate libertatis creatæ, quæ ſine vllâ mutatione in obiecto variari poteſt. Mea ſententia ſit, ſine vllâ prorſus mutatione ad extra non poſſe exerceri libertatem diuinam; at non eſſe opus, vt variatio contingat in illo eodem obiecto, quod Deus diuerſimodè liberè vult. De quo latè egi diſp. 63. per totam, & diſp. ſeq. 64.

39 *An ſi actus liber ſit Deo intrinſecus, dicat perfectionem? Affirmāt perfectionem diſtinctam.* Caiet. Henr. Fonſeca. Salas. *Tenenda indiſtinct.* Suarez. Valent. Albertin. Nauarr. Cabrera.

Dubitat. 9. An actus liber, ſi vt talis ponatur Deo adæquatè intrinſecus, dicat perfectionem? Prima ſententia ait, dicere perfectionem ſuperadditam actui neceſſario. Ita Caiet. hîc art. 2. §. *ad hoc poteſt*. Et in hoc art. 3. cui fauent Henriquez lib. de vlt. fine, cap. 3. num. 2. in gloſſa lit. A. Fonſeca, ſeptimo Metaphyſ. cap. 8. quæſt. 1. ſect. 4. & 5. Salas 1. 2. tom. 1. tract. 3. diſput. 1. ſect. 8. Mouentur ex defectibilitate volitionis liberæ, vt cenſeatur diſtincta à neceſſariâ; vt autem perfectio ſit mouentur ex fundamentis quibus defenditur actus liber Dei debere eſſe ipſi adæquate intrinſecus, & identificatus, perinde enim cenſetur identificari cum Deo, ac eſſe perfectionem. Vnde eſt ſecunda ſententia tenens actum liberum eſſe perfectionem licet omnino indiſtinctam à volitione neceſſaria: ita Suares diſp. 30. met. ſect. 9. Valent. 1. part. quæſt. 19. p. 3. Albertin. 4. princ. Philoſ. coll. 4. quæſt. 4. num. 4. & coroll. 2. quæſt. 3. aſſert. 4. & 6. princ. Philoſ. coroll. 2. quæſt. 2. Theol. num. 18. Nauarr. 1. part. tom. 2. contr. 5. Cabr. 3. part. tom. 2. diſp. 13. §. 5. num. 54. cui ſententiæ ego adhæſi eamque ſpecialiter explicui de perfectione phyſica, & non intentionali diſp. 69.

40 *An poſſit defendi actus liber Deo intrinſecus cum indefectibilitate?*

Dubit. 10. An aliqua ratione poſſit defendi, & componi libertas Deo adæquate intrinſeca compoſita cum eius indefectibilitate, & immutabilitate. De hoc ago contra Caietanum relatum, §. præced. ea diſp. 69. ſect. 4.

41 *An velle Dei liberũ ex aliquo extrinſeco conſtituatur? Negāt aliqui.*

Dubit. 11. An abſolute loquendo actus liber Dei vt talis, ſaltem in concreto, ſeu *velle liberum* ex aliquo extrinſeco (ſiue hoc poſitiuum ſit, ſiue negatiuum) conſtituatur? Prima ſententia hoc negat ita authores citati §. 39. quorum fundamenta late expoſui diſp. 59. & 60. Secunda ſententia affirmat quæ omnino communis eſt, pro ea enim ſtant, qui actus liberos cõſtituunt in relatione rationis, habitudine, terminatione, connotatione ad creaturas, vel denominatione &, vt notaui diſp. 59. ſect. 2. fine, vbi plures authores pro hâc ſententia retuli, quibus adde Scotiſtas cum Scoto. 1. d. 39. §. *iuxta prædicta*, Gregorio d. 45. quæſt. vnica, Bonauentura d. 38. quæſt. vltima: Marſilio, quæſt. 44. art. 2. & ex Thomiſtis Albertum 1. part. quæſt. 79. memb. 1. Capreolum 1. d. 45. quæſt. 1 art. 2. Medina, 3. part. in Prologo quæſt. 2. Bannes, 1. part. quæſt. 19. art. 2. Ferrara, 1. contra Gentes cap. 75. & 76. Zumel, 1. part quæſt. 19. art. 2. dub. 1. Machin. d. 41. ſect. 3. Baſilium, 1. part. variarum, quæſt. 6. ſcholaſt. cap. 5. Deza 1. d. 45. art. 2. notabili. 2. Sylueſtrum in conflator. 1. part. quæſt. 19. art. 2. Alenſ. 1. part. quæſt. 34. memb. 2. Richad. 1. d. 38. art. 1. quæſt. 2. & 3 Carthuſian. 1. d. 35. ante quæſt. 1. in ſummâ. Heruæus quod lib. 1 quæſt. 1. Durand. d. 39. quæſt. 1. num. 8. Hugo Victor. in elucidar. quæſt. ad epiſt. ad Romanos, quæſt. 216. ibi: *Præſcientia non ſimpliciter ſignificat diuinam eſſentiam, ſed circa eam deſignat relationem reſpectu futurorum.* Smiſing. tract. 3. d. 3. quæſt. 1. num. 12. & ex noſtris Molina quæſt. 19. art. 2. d. 2. Valentia clarius fauens huic ſententiæ hîc puncto. 4. Arrubal d. 54. cap. 3. Herize d. 16. cap. 10. Granados d. 5. ſect. 3. Turrian. in ſelectis opuſc. 5. de volunt. Dei d. 2. dub. 4. Vaſquez cap. 11. de volunt. Dei quæſt. 4. Bellarmin. tom. 3. lib. 3. de gratia & libero arbit. cap. 17. §. 4. & ad. 1. 3. & 4. argumentum. Ex quibus conſtat iure dixiſſe Patrem Alarcon huic ſententiæ ſtandum eſſe vel præciſe ex communi authoritate. Addo ego ex euidenti contradictione, quæ in oppoſita ſententia relucet, vt oſtendi diſput. 59. ſect. 4. & licet non diffitear in hac etiam ſecunda ſententia, quam ſequor, non leuem eſſe difficultatem, at nec omnino inſuperabilem, cum ei ex principiis in aliis materiis probabilibus, nec ſibi contradicentibus ſatisfiat, vt oſtendi diſputat. 60. ſection. 2. à num. 14.

Affirmant. Scotiſtæ. Scoto. Gregor. Bonau. Marſil. Thomiſtæ. Albert. Capreol. Medin. Bannes. Ferrara. Zumel. Machin. Baſil. Deza. Sylueſt. Alens. Ricard. Carthus. Heruæ. Durand. Hugo. Smiſing. Molina. Valent. Arrubal. Heriz. Granad. Turrian. Vaſq. Bellarm. Alarcon.

42 *Bona explicatio compoſitionis libertatis diuinæ cũ immutabilitate.*

Ex quibus omnibus in ea diſp. 60. & ſeq. explicatis ſic concluditur explicatio libertatis diuinæ, & compoſitionis huius cum immutabilitate. Pro libertate Dei ſolum requiritur defectibilitas, & contingentia in hoc quod eſt *Deum velle* ſeu in concreto volendi, (vel ſciendi) libere. At hæc dari poteſt ſine vlla defectibilitate in ſubſtantia Dei, vel in eius volitione. Ergo libertas Dei non requirit, neque imbibit aliquid contra eius infinitam immutabilitatem. Maior, & conſequentia patent dum enim ſtet *Deum velle libere* nil aliud petitur pro libertate, in hoc enim formaliſſime reſplendet libertas, ſi ita velit vt poſſit non velle. Minor facile probatur ex dictis quia vt concretum ſit contingens non eſt opus, quod omnes eius partes ſint contingentes, ſed ſufficit contingentia in vna, quantumuis ipſa forma, & ſubiectum ſint omnino neceſſario: ſic homo dicitur *corruptibilis* ex ſola vnione defectibili: peccatum *delebile* ex ſola carentia condonationis auferibili, &c. licet in his, & ſimilibus forma, & ſubiectum indeſtructibilia ſint: tunc ſic ſed bene cum indefectibilitate ſubſtantiæ Dei, & eius volitionis ſtat quod aliquid intrinſece requiſitum ad concretum volendi ſit defectibile vt dixi, diſp. 60. ſect. 2. ergo, &c. Confirmatur nemo difficile apprehenderet libertatem Dei, ſi Deo liceret velle per volitionem realiter diſtinctam à ſua ſubſtantia, vt contingit in humanis, ſi ſcilicet ſicut determinatur creatum arbitrium tranſitque à *non volente* in *volens* per entitatem ſibi ſuperadditam, id dici poſſet de Deo ergo etiam ſine difficultate explicari poterit libertas Dei, ſi ipſi vt in concreto *velit* aliquod conſtitutiuum huius concreti, licet diſtinctum à forma volendi ſuperaddatur. Conſequentia patet ex dictis: tunc ſic ſed licet omnino indiſtincta à Deo ſit eius volitio in abſtracto, at aliquod

conſtitu

conſtitutiuum concreti *volentis* à Deo realiter diſtinguitur, quod æquiualet nouitati volitionis; item licet nullatenus admittendus ſit modus, ſeu entitas ſuperaddita per modum formæ volendi, poteſt tamen admitti modus creatus, quo determinetur Deus ad effectum formalem *volentis* in concreto, ſeu ſit vt ita dicam quædam volitio in concreto vt explicui diſpur. 63. ſect. 3. fine & diſp. 64. ſect. 3. ergo ſic explicanda eſt libertas volitionis diuinæ: vnde ſicut homo vt velit producit modum volitionis liberæ; Deus ex ſua volitione producit entitatulam, ſeu modulum quendam, cuius totum munus ſit determinare Deum vt per ſuam volitionem neceſſariam liberè denominetur *volens*. Rurſus ſicut homo vt velit de nouo nulla indiget mutatione in obiecto volito; ſed tamen eam cauſat in rerum natura producendo ſcilicet ſuam volitionem; ita Deus nil cauſans in obiecto volito, cauſat tamen aliquid nouum in rerum natura, non quidem volitionem ſuam, quæ increata eſt, ſed entitatem illam determinantem; quæ eſt quædam quaſi applicatio, & conditio ad cauſandos alios effectus, vti etiam homo illos cauſat præcedente eius volitione.

43 Dubitat. 12. An, & quomodo volitio Dei libera ſit pro priori ad cauſalitatem rerum, Deuſque dicatur producere res ad extra, *quia vult*. De hac difficultate egi diſp. 62. ſect. 3. ex illaque maximè inſultant qui *negant* actus liberos conſtitui ex connotatione effectus extra Deum. Vide Ruiz diſp. 11. ſect. 4. ſed prærerquam quod ſatis illa cauſalis explicari poteſt in actu exercito vt notaui ea ſect. 3. vlterius iuxta dicta §. præcedenti dici poteſt quod Deus licet ad producendam illam primam determinationem, qua redditur *volens* in concreto, nondum intelligatur pro priori vt *volens liberè*. At reſpectu aliorum effectuum diſtinctorum ſic operari quia conſtitutus eſt pro priori *volens liberè*. Nam prius Deus determinatur per connotationem illius entitatis in ratione *volentis*, & hinc tranſit ad effectionem aliorum præcedente illa entitate determinante per modum applicationis præuiæ ad operandum, ſicut in nobis præcedit volitio; hoc notato diſcrimine quod noſtra volitio recipiatur in nobis, illa verò entitas determinatiua adhæret ipſi effectui, vel actioni creatiuæ; vnde ſicut creatio in plurium ſententia adhæret Angelo, quem producit; ita & determinatio illa adhæreat ipſis effectibus, ſeu actionibus tranſeuntibus, ad quas producendas determinat potentiam diuinam, quæ agit, quia præuiè Deus intelligitur in concreto *volens* habente ſe determinatione illa non per modum volitionis in abſtracto; ſeu formæ volendi, ſed conditionis, & diſpoſitionis ad *volendum* in concreto.

An & quomodo volitio Dei libera ſit pro priori ad cauſalitatem rerum?

44 Dubitat. 13. An, & quo pacto inter actus liberos diuinos detur ordo intentionis, & electionis vt vnus cenſeatur ab alio procedere, Deuſque moueri libere ad efficientiam eiuſdem effectus iam ex hoc fine, iam ex illo? De hoc ſatis egi tota diſp. 64.

An & quo pacto inter actus diuinos liberos detur ordo intentionis, & electionis?

45 Dubitat. 14. An libertas Dei ſit per modum Principij, maximè reſpectu volitionum liberarum, quæ vndequaque identificentur cum Deo. De hoc egi diſp. 70.

An libertas Dei ſit per modum principij maximè reſpectu volitionũ liberarum?

ARTICVLVS IV.

Vtrum voluntas Dei ſit cauſa rerum?

DE hac difficultate agit S. Thomas 1. diſt. 43. quæſt. 1. art. 3. & in ſcrip. ad Annib. ibi. quæſt. vnic. artic. 2. & 3. contra gentes, cap. 97. & quæſt. 3. de pot. art. 15. in præſenti autem artic. 4. ait Deum agere per voluntatem cum ſit primum agens maximè propter finem; item quia cum æquè contineat infinitos effectus, & non ſit potior ratio ex parte ipſorum vt procedat vnus præ alio, item neque ex parte potentiæ, quæ æque parata eſt ad omnes, oportuit vt determinaret voluntas vnum præ alio cum non poſſint poni in actu, & cathegorematicè effectus in numero infinito. 45

46 Dubitat. 1. An voluntas Dei diſtinguatur à potentia exequente, ſeu immediatè per actum immanentem volitionis Deus exequatur opera ad extra. De hac dubit. egi diſp. 62. ſect. 1. & 2. dicamque iterum tomo ſequenti ad quæſt. 25. huius primæ partis.

An voluntas Dei diſtinguatur à potentia exequente?

47 Dubitat. 2. An voluntas Dei ſit cauſa rerum propinquiôr, quam diuinus intellectus? Prima ſententia ſtat pro diuina voluntate ita Durand. 1. diſt. 45. quæſt. 2. Vaſquez 1. part. diſpur. 81. cap. 2. quia intellectus ſolum proponit rem faciendam, poſtea autem voluntas artificis applicat potentiam ad opus. Secunda ſententia ſtat pro intellectu, quia putat poſt imperium volitiuum accedere aliud practicum ab intellectu vltimo determinans ad opus. ita P. Ruiz latiſſimè diſp. 3. de prouidentia: Meam ſententiam expoſui hic q. 14. dub. 3. n. 70.

An Dei voluntas ſit propinquior cauſa rerũ, quam ipſius intellectus?
Affirmat de volunt. Durand. Vaſquez.
De intellect. Ruiz.

ARTICVLVS V.

Vtrum voluntatis diuinæ ſit aſſignare aliquam cauſam?

48 DE hac quæſtionis difficultate agit. S. Thom. 1. diſp. 41. quæſt. vnic. artic. 3. & in ſcrip. ad Annib. 1. diſtinct. 45. artic. 3. & 1. contra gentes capit. 86. & lib. 2. capit. 28. & 29. & lib. 3. cap. 97. in præſenti autem artic. 5. ait nullam eſſe cauſam voluntatis diuinæ, quia vnico actu vult finem, & ea quæ ſunt ad finem, quin volitio finis inferat aliam volitionem de medio; vti in Deo cognitio principiorum non eſt cauſa inferendi alium actum circa concluſionem.

49 Dubitat. 1. An reſpectu volitionis diuinæ admittenda ſit cauſa finalis propriè talis. Prima ſententia negat quia putat cauſam finalem non inueniri ſine vera & reali cauſatione electionis medij ab intentione finis: ita Vaſquez diſput. 82. cap. 1. Faſol. hic. Secunda ſententia concedit cauſam finalem, non realem, at formalem, vel virtualem ex natura rei, quia ſic putant poſſe electionem oriri ab actu intentionis?

An reſpectu volitionis diuinæ admittenda ſit cauſa finalis propriè talis?
Negat. Vaſquez. Faſol.

tionis: ita Martinon & alij citati diſp. 64. ſect. 2. Tertia denique ſententia quidquid de hoc ſit ait diuinam bonitatem eſſe realiter cauſam finalem ſuæ volitionis ita Ruiz diſp. 15. de volunt. ſect. 1. §. 7. Quia cauſalitas finalis vt talis præciſe dicit mouere vt obiectum formale; ſic autem verè bonitas diuina mouet vt formale obiectum. Hinc patet totam dubitationem hanc eſſe de nomine; nam in te omnes conueniunt Dei voluntatem vere moueri ex obiecto formali, ſeu vere amare vnum propter aliud; vt explicui ea diſp. 64. per totam; & ſpecialiter diſp. 72. ſect. 3.

50

An obiectum formale diuinæ voluntatis ſit ſola eſſentia diuina?

Dubit. 2. An ratio motiua, & obiectum formale diuinæ voluntatis ſit ſola eſſentia diuina; an etiam bonitas relationum. De hoc egi late diſp. 71. per totam: & hic §. 22.

51

An aliquid creatum poſſet eſſe obiectum formale diuinæ voluntatis?

Dubit. 3. An aliquid creatum poſſit eſſe obiectum formale motiuum diuinæ voluntatis. Vide hic §. 23.

52

An vna creatura poſſit eſſe ratio amandi aliam?

Negant. Henric. Gabriel. Driedo. Vaſq. Mol. Alenſ. Scotus. S. Auguſt. S. Anſelm. S. Chryſoſt. Alarcon.

Dubitat. 4. An ſaltem poſſit eſſe ratio amandi vnam bonitatem creatam, bonitas creata alterius creaturæ. Prima ſententia negat: ita Henricus, Gabriel, Driedo, Vaſquez, Molina, locis citatis hîc num. 23. Alenſis, 1. part. quæſt. 35. men. 3. Scotus, 1. d. 44. quæſt. vnicâ, quatenus ex profeſſo docet, ideò legem Dei rectam eſſe, quia placet diuinæ voluntati, ita vt ſi contraria placuiſſet, recta fuiſſet; probatur ex Auguſtino lib. de Geneſi contra Manich. cap. 2. fine: *Qui ergo dicit, quare fecit Deus cælum & terram? Reſpondendum eſt ei, quia voluit.* Anſelmus in Proſolog. cap. 10. Deum ſic alloquimur: *id ſolum iuſtum eſt quod vis.* Vnde Chryſoſtom. orat. 1. aduerſus Iudæos col. 2. *Non enim ipſa eorum, quæ ſiunt, natura, ſed Dei voluntas ac decretum efficit, vt eadem vel bona ſint, vel mala.* Hinc etiam communiter Theologi. 1. part. quæſt. 23. art. 5. aſſerunt nullam eſſe cauſam noſtræ prædeſtinationis ex parte noſtra. Ergo quia ex parte noſtra nequit dari ratio diuinæ voluntatis. Et ita ſentit Alarcon. diſp. 2. de Vol. cap. 2.

53

Affirmant. Durand. Maior. Richard. Cordub. Valent. Suarez. Hemelman.

Secunda ſententia affirmat. Durandus primo diſputatione 41. quæſtione prima, numero octauo & quæſtione prima, numero quinto. Maior. quæſtione prima, initio. Richard. diſputatione. 45. art. 2. quæſt. 4. Corduba in Quæſtionario, quæſtione 56. Puncto. 2. ad 2. dub. Valentia, 1. parte quæſt. 19. p. 5. aſſert. 2. Suarez prima parte lib. 3. de Attributis, cap. 2. & tomo primo, in tertiam partem diſputatione prima, ſectione quarta, Hemelman. tomo primo tit. 5. diſp. 2. cap. 8. & ſequentibus. Mouentur 1. authoritate ſacræ ſcripturæ & Patrum ſæpe aſſerentium, Deum moueri & operari propter rationem bonitatis creatæ: Epheſ. 1. 4. *Elegit nos vt eſſemus ſancti.* Romanorum 9. 23. *vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ.* Ioann. 16. 27. *Ipſe Pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Apocal. 3. *Quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſeruabo te ab hora tentationis.* 3. Reg. 3. *Quia poſtulaſti verbum hoc, &c. ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos.* Et ſexcenta alia. Suppponendum autem eſt verba ſcripturæ ſumi debere non figuratè, ſed vt ſonant, quando inde nil ſequitur contra fidem, vel bonos mores iuxta regulam Auguſtini. 3. de doctr. Chriſt. cap. 10. & 11. Hic autem nihil eſt contra fidem, nec contra rationem; imo valde conſonat vtrique, vt patet ex variis Patrum & Thelogorum locutionibus §. ſequenti.

54.

Pro ea expenduntur ſex rationes.

Prima Deum decreuiſſe Incarnationem ob remedium peccati, de quo Theologi. 3. part. quæſt. 1. art. 3. 4. & 5. Secunda Deum ob ſuam miſericordiam ſaluos nos facere; punire vero ob noſtra demerita, de quo 1. p. qu. 23. art. 2. iuxta id Tobiæ 13. 5. *Ipſe caſtigauit nos propter iniquitates noſtras: & ipſe ſaluauit nos propter miſericordiam ſuam.* Tertia Deum ad omnia ſua opera duci admirandis rationibus ſuæ prouidentiæ, etiamſi nobis ignotis: vnde ſemper veneranda & diuina prouidentia; ſi autem ſolum duceretur ſuâ voluntate, nec vlla aliâ ratione, vt quid diceremus iudicia Dei eſſe inſcrutabilia, & occultiſſima, moneretque Auguſtinus tract. 26. in Ioan. *Quare illum trahat & illum non trahat, noli velle iudicare, ſi non vis errare.* Quarta: rationem propter quam decernat aliquid facere potius, quàm oppoſitum Deo eſſe, cum ad illud opus eſt melius. Hinc Hieronym. apud Hugo Victor. in 1. Epiſtolæ ad Rom. quæſt. 235. illum ſequuntur: *Deus nihil facit quia vult, ſed quia ratio eſt ſic fieri.* Quinta: quia alias noſtræ orationes, merita, motiua omnia, quæ Deo proponimus ad impetrandum aliquid, de Deo, inutilia, & prorſus fruſtranea eſſent, ſi propter illa Deus moueri non poſſet, vt quid enim quis vt excitet alium ad operandum, proponet ipſi motiuum & rationem, quam nihili faciet? Sexta. Nulla ſupereſſet in Deo moralis virtus, quæ ex ſuo conceptu petit quod operans aliquo modo moueatur ex eius motiuo quod formaliter imbibit bonitatem creatam.

55.

Approbatur.

Huic ſecundæ ſententiæ ſto vt patet ex dictis diſp. 64. per totam, alias ſi in Deo purè eſt pro ratione voluntas, vt quid cenſeretur *iniuſtus*, ſi non ſtaret promiſſis; *mendax*, & malus ſi amaret mendacium, vt quid laboramus in quærendis rationibus maioris congruentiæ, honeſtatis, &c. in operibus Dei. Neque argumenta oppoſita veritatem hanc oppugnant, ſed tantum oſtendunt quod tandem Deus ſit vltima ratio finis, & motiuum ſuorum operum, quæ recte ſtant cum concluſione poſita vt patet ex dictis diſp. 72. & 73.

56.

An Deus ſeipſum amet propter creaturas?

Dubit. 5. An Deus ſeipſum amet propter creaturas, quia tandem omnia in ſe reducit; nihilominus vti vnam creaturam amat propter aliam ſic etiam amans amore amicitiæ iuſtos, volenſque eorum exiſtentiam, & beatitudinē propter hanc rationem etiam amat ſuam omnipotentiam, & infinitam perfectionem, quæ eſt Principium, & finis beans creaturas rationales. Ita dixi diſp. 68. paulo ante finem. Vide Arriagam. d. 24. à n. 28.

57.

An voluntatis diuinæ poſſit dari cauſa moralis ex parte noſtra? poteſt latè.

Dub. 6. An voluntatis ipſius diuinæ poſſit dari cauſa moralis ex parte noſtra, communiter negare videntur Theologi cum d. Thoma. 1. p. q. 23. art. 5. Corp. aiente. *Nullus fuit ita inſanæ mentis, qui diceret merita eſſe cauſam diuinæ prædeſtinationis ex parte actus prædeſtinantis.* Sed certe quæſtio eſt de nomine politis his, quæ diximus dubit. 4. Nam eſſe cauſam moralem nil aliud eſt, quam quod meritum, vel demeritum media præuiſione ſui determinet ad volendum; neque enim requiritur aliquis influxus in effectum moralem, ſic noſtra merita cauſant moraliter gloriam, & peccati pœnam, nihilominus nullum influxum habent phyſicum in præmium vel ſupplicium: tunc ſic ſed noſtra merita determinant voluntatem diuinam; imo non aliter determinant,

determinant, vel determinare poſſunt ad præmium ipſum,niſi quatenus excitant ad volendum ipſum. Ergo voluntatis diuinæ verè poteſt dari cauſa meritoria, ſeu moralis ex parte noſtra. Et ita ſentiunt in reipſa Auctores citati §. quinquageſimo-ſecundo, & alij apud Arriagam diſputatione 24. numero quinquageſimo octauo. Confirmatur, verè poteſt dari cauſa moralis, daturque de facto in merente reſpectu voluntatis præmiantis creati, eo quod iſte excitetur in volitionem præmij ex præviſione meritorum, neque enim alium influxum habet merens in voluntatem præmiantem; ſed ita comparatur etiam cum voluntate increata præmiandi: ergo, &c.

58 Obiicies primò voluntatem diuinam nullo modo cauſari, ſicut cauſatur præmium, vnde iure iſtud præ illa dicetur effectus moralis. Secundò, voluntas diuina ex parte actus, & in ſe infinitæ perfectionis eſt: ergo non poteſt cadere ſub meritum creatum, ſi enim pro actu naturali nequit dari præmium ſupernaturale, neque pro creato dabitur increatum. Reſpondeo ob hæc ſtrictè loquendo voluntatem diuinam non dici effectum moralem, nec habere vllam cauſam ex parte noſtra vt notauit Sanctus Thomas §. præcedenti; cæterum latè prout ſolum dicimus peccata eſſe motiuum Deo habendi volitionem punitiuam, licèt ſine vera cauſatione, ad modum quo in creatis verè cauſando eam habet Iudex humanus, negari nequit dari cauſam moralem ex parte noſtra ipſius actus volitionis diuinæ vnde patet ad primum. Ad ſecundum imprimis dici poſſet, quod actus diuinus ſit latè præmium; deinde licet ipſe in ſe infinitus ſit, at non eſt infinitus ipſi merenti, nec maioris æſtimationis, quam ſit præmium, quod merenti tribuit; ſic poſſet actus naturalis mereri præmium dandum per voluntatem ſupernaturalem.

59 *An præuiſio bonitatis ſit cauſa virtualis reſpectu voluntatis diuinæ?*

Dubitatur ſecundò: An præuiſio ſeu cognitio bonitatis ſe habeat per modum cauſæ virtualis reſpectu voluntatis diuinæ? Reſpondeo loquendo reſpectu volitionis neceſſariæ ſcientia nec virtualiter eſt prior naturâ, imo nec diſtincta vt latè oſtendi tract. 5. diſputatione 58. loquendo vero reſpectu volitionis liberæ (dato quod ſit Deo vt talis adæquatè intrinſeca) Prior eſt, ſed non Principium vt conſtat ex dictis diſp. 70.

60 *Quis ſit ordo diuinorum actuum liberorum, ſi conſtituantur per complemētum extrinſecum?*

Dubitatur octauò: An, & quis ſit ordo in actibus diuinis maximè quoad actus liberos, ſi hi vt tales conſtituantur per complementum extrinſecum; maximè dum Deus ceſſat ab omni productione? De hoc egi diſp. 64. per totam maximè ſectione 4.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm voluntas Dei ſemper impleatur?

61 DE hac difficultate agit Sanctus Thomas primo diſtinctione quadrageſimaſeptima, quæſtione vnica per totam, & in alio Script. in Annibal. quæſt. vnic. articulo ſecundo, & quæſtione 24. de veritate, articulo ſecundo, & quodlibeto vndecimo articulo tertio, & quodlibeto 14. articulo 4. in præſenti autem articulo ſexto, ait quod neceſſe eſt voluntatem Dei ſemper impleri, quia eſt cauſa vniuerſaliſſima, ſub quam neceſſario cadunt omnia, quæ eueniunt, nam quantumuis recedant ab vno fine, recidunt in alium, quem intendit Deus etiam? ſic Peccator, qui quantum eſt in ſe recedit à diuina voluntate peccando, incidit in ordinem diuinæ voluntatis, dum per eius iuſtitiam punitur.

Dubitatur primò: An voluntas Dei abſoluta & ſimpliciter, quâ ſcilicet Deus omnino vult aliquid eſſe, ſemper impleatur? Concluſio affirmatiua eſt de fide. Iſai. 46. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fit.* Pſalm. 113. *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Epheſ. 1. *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* 2. Corinth. 9. *Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* Sic Matth. 13. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Lucæ 1. 37. *Non eſt impoſſibile apud Deum omne Verbum.* Quæ verba dum commendant omnipotentiam, commendant etiam inſuperabilem, & infruſtrabilem voluntatem, cui concinunt alia teſtimonia ſacra, quæ ſtatuunt, voluntati diuinæ non poſſe reſiſti. Geneſ. 50. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Iudith 16. *Non eſt, qui reſiſtat voci tuæ.* Eſther 13. *Non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati.* Iſaiæ 14. *Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare?* Vbi S. Hieronymus addit: *Non pro difficili debemus accipere illud: Quis poterit? ſicut illud legitur. Quis ſapiens, & intelliget hæc? & cætera his ſimilia; ſed pro impoſſibili: Nullus enim poterit Dei infirmare conſilium.* Sapient. 12. *Subeſt enim tibi cum volueris poſſe.* Vnde Fulgentius lib. 1. ad Monim. cap. 12. fine: *Ideo diximus tantam ibi eſſe virtutem voluntatis, quanta eſt voluntas ipſa virtutis. Quia cum ſemper ſubeſt, cum volet, poſſe, non aliud eſt in illo velle, quam poſſe.* 62

An voluntas Dei abſoluta ſemper impleatur? Ita docet fides de efficaci. Sacra Scriptura.

Ex quibus omnes Patres, & Theologi intelligunt tantam eſſe efficacitatem diuinæ voluntatis, vt ſi omni affectu, & abſoluto feratur in aliquod obiectum implicet hoc ſtatim non poni: Aug. in Enchir. c. 97. fine. *Vbi eſt illa omnipotentia, qua in cœlo, & in terra omnia, quæcumque voluit fecit: quia in cœlo, & in terra non quædam voluit & fecit; quædam vero voluit, & non fecit: ſed omnia, quæcumque voluit fecit. Quis porrò tam impiè deſipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit in bonum non poſſe conuertere?* Sic præmiſerat ibi cap. 95. Deum non fore omnipotentem: *Si aliqua voluit & non fecit.* Et lib. de correpr. & grat. capite decimoquarto: *Non eſt itaque dubitandum voluntati Dei, qui in cœlo, & in terra omnia quæcumquè voluit fecit, & qui etiam illa, quæ futura ſunt fecit; humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quo minus faciat ipſe quod vult, quandoquidem etiam de ipſis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult facit.* Hieron. ad Epheſ. 1. *Nos homines pleraque volumus facere conſilio: ſed nequaquam voluntatem ſequitur effectus. Illi autem nullus reſiſtere poteſt; quin omnia quæ voluerit faciat.* Boët. 3. de conſol. proſ. 12. *Non eſt aliquid quod ſummo bono huic, vel velit, vel poſſit obſiſtere* Chryſoſt. homilia 2. in Pſalm. 50. col. 5. *Si Deus dixerit adultero iam nolo vt adulter ſit: verba ſtatim vertuntur in opera fornicatori ceſſa ab immunditia tua: illico mens eius in melius commutatur. Et vt ſcias quia ita eſt dixit: fiat cœlum, & factum eſt cœlum. Præcepit fieri terram; & Verbum eius in opere ceſſit. Volo fieri luminaria: ſtatim facta ſunt,* &c. 63 S. Auguſt. S. Hieron. Boët. Chryſoſt.

64 *An aliqua voluntas Dei eſſe poſſit, quæ etſi efficax poſſit non impleri?*

Dubit. ſecundò: An poſſit eſſe aliqua Dei voluntas efficax abſoluta quæ poſſit non impleri? Sub his

Malè pro parte affirmante adducitur. P.Suarez, & alij.

his terminis proponit hanc dubitationem P.Didacus Alarcon diſp.5. de volunt. cap.7. & pro parte affirmante adducit P. Suarez libro 1. de conc. Dei cap.16.n.10.& 11.& Prolegom.1.de grat.c.5.n.13. Arrubal 1.p.d.67.c.6.Ruiz d.16. ſect.6. & omnes alios, qui docent poſſe Deum præfinire efficaciter, & abſolutè actus noſtros liberos, quos Auctores putat P.Alarcon exiſtimaſſe præfinitionem Dei eſſe fruſtrabilem à noſtro arbitrio per potentiam antecedentem,licet non per potentiam conſequentem. Nam vt illæſa maneat noſtra libertas (inquit Alarcon) voluntas creata poteſt antecedenter reſiſtere vocationi,licet non conſequenter: ergo idem poterit reſpectu decreti efficaciter præfinientis. At minus bene his Auctoribus imponitur hæc exiſtimatio, quæ omnino malè audit contra dictã dubit. præced. Nam licet in noſtra libertate ſit reſiſtere auxilio, & vocationi congruæ, nulla tamen ineſt nobis poteſtas reſiſtendi,vel fruſtrandi.Præfinitionem efficacem; poſſumus quidem aliquo pacto impedire ne detur, at ipſam exiſtentem inanem reddere, & inefficacem ſine effectu, non magis poſſumus,quam poſſimus reddere falſam ſcientiam Dei, illamque falſificare. Neque eſt vlla conſequentia à poteſtate reſiſtendi auxilio, vel vocationi ad poteſtatem reſiſtendi decreto præfinitiuo, ſicut neque ad poteſtatem falſificandi ſcientiam Dei. Quare omnino tenenda eſt ſententia negatiua; quod ſcilicet implicet dari vllam voluntatem Dei abſolutam,& efficacem non ſolum, quæ non impleatur de facto; ſed quæ per vllam potentiam poſſit non impleri. Pro qua ſententia citat P. Alarcon ſuprà P.Vaſquium & Herize; ſed reuera non ſolum hi, ſed omnes Præfinientes (imo omnes Catholici) ſunt pro hac ſententia;licet enim Theologi admittentes Præfinitiones efficaces dicant has poſſe impediri per potentiam antecedentem, & non per conſequentem, non volunt *poſſe impediri* ne habeant effectum, ſed ne exiſtant, ſeu præextiterint in Deo quia vt dicam §.95. habentur dependenter à ſcientia mediâ,vnde ſicut poteſt à nobis impediri ſcientiæ exiſtentia,licet non eius veritas poſtquam exiſtit; ita impediri poteſt exiſtentia Præfinitionis, ſed non eius efficacia.

Omnino negandum.

65 Dubitat.3.An aliqua voluntas efficax Dei poſſit eſſe in finem non omnino abſolutè; ſed obtinendum per hoc medium determinatè, quæ non impleatur? v.g. vult Deus omnino abſolutè ſalutem hominis efficaciter, iam implicat quod fruſtretur huiuſmodi voluntas,quia licet nos reſiſtamus huic determinato auxilio, Deus tamen aliud, & aliud ſubſtituet,quo non fruſtretur fine intento, etiamſi ad id oporteat noſtram libertatem cogere. At quæritur: an voluntas Dei vt per hoc auxilium determinatum poſſit eſſe efficax quantumuis fruſtretur, ſeu vtrum quantumuis non impleatur poſſit cenſeri efficax non quidem abſolutè & ſimpliciter,ſed vt per hoc determinatum auxilium? Prima ſententia affirmare videtur. Ita Didacus Ruiz d.19. de voluntate, ſectione 12. fundarique poteſt primo, quia voluntati diuinæ vt intendenti bonum opus, ſeu carentiam peccati per hoc auxilium reſiſti poteſt; at nemo reſiſtit alteri niſi efficaciter intendenti, & volenti aliquod opus, à cuius conſequutione alterum impediat: ergo voluntas efficax Dei vt per hoc auxilium poteſt impediri, ſeu non impleri. Conſequentia patet. Minor probatur, nam voluntati purè inefficaci reſiſtentia non datur, ſic Deo amanti inefficaciter creaturas poſſibiles non reſiſtit ipſe dum eas non producit. Item licet in naufragio intendat quis retinere merces, non dicitur ſibi reſiſtere dum eas proiicit. Ergo ſignum eſt non dari reſiſtentiam niſi voluntati efficaci. Iam maior probatur. Iob.9. *Quis reſtitit ei, & pacem habuit.* Actuum 7. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Roman.13. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Hinc Marci.6.dicitur de Chriſto: *Et non poterat ibi virtutem vllam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit, & mirabatur propter incredulitatem eorum.* Sic D.Thomas quodlib.1.articulo 7. ad ſecundum: *Diuina motio à natura rationali participatur cum libertate, & ideo ſic Deus mouet mentem humanam ad bonum, quod tamen poteſt huic motioni reſiſtere.* Secundò hæc ſententia ſuadetur ex locis, in quibus ſæpè Deus quæritur de reſiſtentia peccatorum ſuæ voluntati. Matthæi 23. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas & noluiſti.* Similiter Exod.10. *Vſquequo non vis ſubiici mihi. Dimitte populum meum vt ſacrificet mihi.* Nemo autem quæritur ſeriò de non impletione eius, quod efficaciter non vult. Tertiò denique idem probatur ex ardentiſſimâ voluntate, flagrantiſſimoque deſiderio, quod prædicatur de Deo circa noſtram ſalutem; hoc enim licet bene componatur cum eo quod Deus non ponat omnia media poſſibilia, & extraordinaria, vt reprobus ſaluetur, & ſaltem huius ſalutem vt per hoc, auxilium neceſſariò requirit omni conatu à Deo deſiderati. Et quidem quis putabit Deo aliquem conatum affectiuum deeſſe, vt reprobus ſaluetur per hoc auxilium determinatum, quod ipſi confert, nonne veriſſimè dicimus Deum, licèt non omnino, & omnibus modis, velle tamen quantum eſt ex ſe, quod homo non peccet. Ergo opus eſt dicere, quod ſaltem per hoc auxilium omni affectu, & conſequenter efficaci feratur in noſtram ſalutem, ſeu in carentiam peccati. Confirmatur: ſi is amor, quem habet Deus in ſalutem per hoc auxilium haberet per omne; ſeu ſi] ea ratione qua Deus vult quantum eſt in ſe per hoc auxilium vt homo ſaluetur vellet quantum eſt ex ſe per quodcumque auxilium cenſeretur velle omnino efficaciter. Ergo hic volet efficaciter vt per hoc auxilium. Ita videtur ſentire P. Arriaga d.25. de vol. §.26.

An voluntas quæ efficax eſt non omnino, ſed vt per hoc determinatum auxilium poſſit non impleri?

Affirmant. Ruiz. Arriaga.

Secunda ſententia quam veram exiſtimo neque cum addito *vt per hoc auxilium* admittit poſſe dici voluntatem efficacem Dei eam, quæ non impletur. Ita videntur ſupponere Theologi omnes dum negant voluntatem Dei de ſalute omnium hominum eſſe efficacem.Ratio eſt quia ſemper arguit vel imbecillitatem,vel imprudentiã velle efficaciter finem,& eum non cõſequi;ſi enim imbecillitas non ſit,quia ſcilicet ex libito,& placita benignitate non vult Deus apponere media omnino efficacia in conſecutionem finis, cum poſſet; at certè imprudentia eſt, & temeritas velle efficaciter finem prorumpereque omni & abſoluto conatu, & affectu in finis conſecutionem per medium, quod non præuidetur certo efficax. Confirmatur nemo non putabit eſſe impoſſibilem præfinitionem,& voluntatem abſolutam de noſtro opere libero, vtpote imprudentem,& temerariam ſi habeatur à Deo ante omnem ſcientiam conditionatam, qua cognoſcat Deus ſe habere media quibus infallibiliter obtinebitur 66

Negandum eſt.

tinebitur noſtrum opus liberum; vnde à fortiori imprudens erit ſi præuideat Deus poſitiuè omne auxilium fore inefficax: ergo ſimiliter nequibit in Deo admitti voluntas, ſeu Præfinitio efficax vt per hoc auxilium determinatum niſi ex ſuppoſitione, & præuiſione, quod tale auxilium non ſit fruſtrandum, vnde voluntas, quæ non impletur nullo modo dicenda eſt efficax nec cum addito *vt per hoc auxilium.*

Voluntas Dei in ſalutem reproborum non eſt ſimplicis complacentia, ſed neque efficax.

67 Ad argumenta contraria in §. ſexageſimoquinto. Reſpondeo Deum licet non abſolutè efficaciter velit operationem bonam noſtram, ſeu carentiam peccati, non tamen ita inefficaciter procedere vt ſolum habeat ſimplicem complacentiam, habet enim verum affectum proſecutionis, vt probat Ruiz diſputatione decimanona, ſectione duodecima, Suarez libro quatro de Prædeſtinatione, capite ſecundo numero decimo. Carmelitani Diſcalciati tractatu quarto de voluntate Dei, diſt. nona dubitatione tertia numero vigeſimoquatro §. *Adde quod talis.* Et ratio eſt, quia voluntas purè ſimplicis complacentiæ in aliquod bonum, non cogit volentem ad ponenda media vt tale bonum conſequatur; volitio autem iſta, qua Deus intendit ſalutem reprobi ita afficitur in finem ſalutis vt præciſè collata cum ſalute, ex vi ſcilicet inclinationis, quam in ſalutem habet, cogat Deum ad ponenda media ſufficientia. Vnde comparatione ſalutis poteſt dici hoc ſenſu aliquo modo efficax, vt notat Pater Ruiz ſuprà citatus numero primo. Et abſolutè loquendo, licèt efficax non ſit vt dixi §. præcedenti; nonum tamen conatum addit ſuprà ſimplicem complacentiam; qui conatus ſufficit, vt peccator agens contra illum, cenſeatur reſiſtere voluntati diuinæ; ſecùs ſe habet ipſe Deus quando non vult exiſtentiam alterius mundi, in quo complacet, cum hæc complacentia ſit purè ſimplex ſine vlla proſequutione, & conatu in exiſtentiam mundi; quod ſi proiiciens merces in mari, licèt contra conatum conſeruandi merces agat, non cenſetur ſibi reſiſtere, ideo eſt, quia reſiſtentia non datur, niſi effectus eueniat contra id, quod nobis magis voluntarium eſt; proiiciens autem maiorem conatum, & magis voluntarium habet in proiectionem, quam in conſeruationem mercium; ſecùs contingit in Deo, qui vult opus bonum ſine vllo affectu in peccatum, licèt illud permittat. Per quod patet ad primum fundamentum pro contraria ſententia in §. 65.

68 Ad ſecundum fundamentum pro eadem ſententia ex dictis reſpondeo vti titulo illius voluntatis datur ſufficiens fundamentum vt cenſeatur peccator Deo reſiſtere; ita etiam ex parte Dei vt quæri poſſit de tali reſiſtentia. Ad tertium concedo nil ex parte affectus deeſſe, Deo, quod componi poſſit cum libertate, & poteſtate reprobi vt malè operetur, ſi velit. Vult quidem Deus omni conatu prudenti compoſſibili cum his circunſtantiis ſalutem reprobi; at eo ipſo quod Deus nolit tollere libertatem, neque aliquid ſuperaddendo eis auxiliis, neque ex ſe ſine vlla attemperatione prædeterminando per efficacitatem ſuæ voluntatis, ſed ſine vlla certitudine de bono euentu, imo cum certitudine de malo præbeat tale auxilium indifferens; eo inquam ipſo quod Deus ita ſe gerat iam non vtitur efficaci conatu, & abſoluto; ſed quaſi conditionato: hoc enim ſonat ly *quantum eſt ex ſe; Nempe ſi per voluntatem reprobi non ſteterit.* Quod ſufficit vt dicatur ardentiſſimo affectu ferri in ſalutem per hoc auxilium modo tamen expoſito, quo non vult nec quantum eſt ex ſe per alia auxilia, ſiquidem illa non confert. Ad confirmationem Reſpondeo ſi Deus ea ratione qua vult ſalutem reprobi vellet per omne aliud poſſibile adhuc non habiturum voluntatem omnino abſolutè efficacem, ſed tantum conditionatè efficacem; abſolutè autem ſolum inefficacem; licèt non ſimplicis complacentiæ puræ, ſed proſecutionis modo iam explicato; ideo adhuc vt vage per aliquod auxilium indifferens efficaciter præfiniat actus noſtros liberos indiget præuia directione ſcientiæ conditionatæ ſeu mediæ vt dicam infrà §..

An poſſit dari aliqua Dei voluntas quæ cum ſit inefficax, quæ non impleatur? Affirmant aliqui inſufficienter.

Dub. 4. An poſſit dari aliqua voluntas Dei, quæcumque tandem ſit inefficax, quæ non impleatur? 69
Aliqui Auctores citandi §. 74. Affirmant primò de voluntate inefficaci ſimplicis complacentiæ circa poſſibilia. Sed contra eſt, quia talis voluntas ea ratione, qua tendit, ſemper impletur, ipſa enim nil intendit de exiſtentia rerum, ſed purè gaudet de tali exiſtentia, quæ poſſibilis eſt præſcindendo ab eo quod detur actu, vel non: hoc autem vt ſic effectu non caret, neque talis voluntas vllo titulo poteſt dici non impleta; neque enim Deus faceret contra ſuam voluntatem dum ſolus, & à ſe operatur nolendo productionem mundi. Secundò affirmant de voluntate *ſigni* qualis eſt illa, quam habuit Deus; dum præcepit Abrahæ ſacrificium Iſaac, quod tamen impletum non fuit. Sed contrà, quia ibi nulla vera voluntas Dei de ipſa morte Iſaaci interceſſit, ſed ſolum ſignum voluntatis vt dicam ad artic. 11. Tertiò, in voluntate conditionata, hæc enim ſæpiſſimè non impletur, dum ſcilicet non ponitur conditio, ſic Deus habet decretum damnandi omnes homines decedentes ab hac vita in peccato mortali; cum tamen non omnes damnet. Sed contrà. Nam voluntas conditionata ſolum cenſetur non impleri quando poſita conditione caret effectu; etenim non vult rem ſecundum ſe, ſed in iis circunſtantiis; conditionis ſcilicet quam ponit: v. g. vult Deus damnationem decedentis in mortali; talis autem volitio nunquam non impletur. Quartò, in voluntate antecedenti, qua *Deus vult omnes homines ſaluos fieri,* iſta enim abſoluta eſt, & tamen effectu caret. Sed contrà de hac voluntate agam. Dubit. 2. modo autem dici poteſt disiunctiuam eſſe vel conditionatam; vel non vniuerſalem pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum, vt aſſerit S. Thomas hic cum Auguſtino.

Negant. Alexand. Bonauent. Sotus. Maior. Marſil. Dried. Caietan. Zumel. Bannes. Aluarez. Gregor. Legionen.

Ideo 2. ſententia tuetur nullam poſſe dari in Deo voluntatem inefficacem, ſeu quæ non impleatur. Ita 70
Alex. 1. p. q. 36. n. 2. Bonau. 1. d. 46. art. 1. q. 1. Scotus q. vnic. ad 1. Maior. q. vnic. Marſil. 1. q. 45. a. 1. Driedo de Conc. lib. arb. & Prædeſt. 1. p. c. 4. ad 2. Caiet. in 1. Tim. 2. in illud: *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* Zumel q. 19. a. 6. diſp. 2. concl. 4. & diſp. 1. verſ. *Vehementer doleo.* Bañez ibi. Aluarez de auxiliis diſp. 34. concl. 4. & diſp. 109. & 113. Greg. 1. d. 46. fine. Baſil. Legion. 1. p. variat. q. 6. ſcholaſticâ, c. 12. Mouentur 1. ex dictis dubit. 1. hic §. 63. Vbi ſimpliciter dicitur, quod voluntas Dei impletur, & quod ipſi nullus reſiſtit: ergo non eſt ponenda in Deo voluntas, cui reſiſti poſſit, & inefficax ſit. 2. quia imbecillitatis eſt, ſerio intendere finem, & illum non obtinere, ſimpliciter loquendo: ergo imbecillitatis eſt habere voluntatem inefficacem; neque enim aliter melius imbecillitas volentis apparet, quam ſi aliquid intendat, & eius voluntas inefficax, maneat; neque aliquid aliud ſignum imbecillitatis eſt.

apud homines, quam quod velint finem, & eorum voluntas inefficax, & ſine effectu maneat. Tertiò, vel Deus per eam voluntatem amat obiectum, quod poteſt obtinere, vel quod non poteſt? Si hoc ſecundum: ergo imbecillis eſt. Si primum: ergo verè & ſerio non amat tale obiectum; qui enim potens operari, non operatur, eo ipſo conuincitur nolle operari. Quartò, quia omnis voluntas Dei præter ſimplicem complacentiam de creaturis poſſibilibus libera eſt: ſed iuxta dicta diſp. 60. implicat in Deo volitio libera ſine effectu: ergo implicat quæ inefficax ſit.

71 Ego cenſeo poſſe admitti in Deo voluntatem inefficacem circa aliquod obiectum, & finem quo fruſtretur, licet neceſſario circa aliud efficax ſit, & effectum habeat. Hoc ſecundum patet ex mea ſententia de conſtitutione actuum liberum Dei, quam latè explicui diſputatione quinquageſimanona & ſexageſima, ſaltem enim volitio libera diuina producere debet modum illum, ſeu entitatem, qua redditur in concreto *volens*, ſeu per cuius connotationem *ab æterno volens* denominatur; vti etiam in humanis volitio libera, quantumuis inefficax reſpectu ſui obiecti extrinſeci; at reſpectu ſuæ propriæ exiſtentiæ efficax eſt. Sed hoc omiſſo de quo difficultas nulla eſſe poteſt iuxta propriam cuiuſque opinionem de conſtitutione actuum liberorum Dei independenter ab hac poſſe dari in Deo veram volitionem (quæ dici ſolet *beneplaciti*) de aliquo fine, quin illum conſequatur, ſed circa ipſum maneat purè inefficax, & inexpleta. Probatur primò, ex Scriptura ſæpè dicente quod Deus *nolit mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat*. Ezech. 33. Item: *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra*. 1. Theſſal. 4. Sic petimus, quod *fiat voluntas Dei* in terra ſicut in cœlo: ſic peccator dicitur reſiſtere voluntati Dei; Deuſque veriſſimè, & ex vero affectu hortatur ne peccemus. Nihilominus ſæpè peccamus: ergo admittenda eſt in Deo voluntas inefficax, & quæ non impletur. Probatur ſecundò, quia aliter Deus vult concurrere nobis cum ad opus virtutis, quam peccati: ergo illud quantum eſt ex ſe amat, deſideratque abſolutè. Conſequentia patet nam conditionatè, & caſu quo voluntas creata ſe determinauerit etiam vult concurrere ad actum peccati; tunc, ſed ea voluntas non eſt efficax cum ſæpè inueniatur ſine effectu ergo inefficax. Probatur tertiò: nam imprimis poſſibilis eſt ex parte voluntatis affectus abſolutus qui licet non ſit toto conatu affectiuo, ſeu efficaci, nihilominus non ſolam imbibat ſimplicem complacentiam, ſed veram proſecutionem non purè conditionatam, ſed abſolutam. Is affectus patet in nobis quando volumus finem ab alio fieri, nec tamen adhibemus omnia media poſſibilia, neque alium nimiis precibus fatigamus, quis enim æquali conatu quamuis rem exoptat. Patet etiam quando cum facilè poſſemus medium efficaciſſimum adhibere, tamen leniùs aliud adhibemus: tunc enim affectus qui cogit ad illud medium alicuius proſecutionis abſolutæ eſt; licet non ſit efficaciſſimus: tunc ſic, ſed talis effectus non dedecet Deum non enim ex neceſſitate, ſed ex benignitate ita ſe nobis attemperat, neque item ex vlla indigentia noſtrarum iuſtificationum eas exoptat. *Quid enim prodeſt Deo ſi iuſtus fueris; aut quid ei confers ſi immaculata fuerit via tua*. Iob. 22. verſ. 3. Ergo ea voluntas abſoluta & inefficax admittenda eſt.

Non datur voluntas purè inefficax, circa obiectum tamen directum poteſt eſſe inefficax purè.

Ad fundamenta contraria in §. ſeptuageſimo. 72
Reſpondeo. Ad primum loca ſcripturæ & dicta in §. 63. intelligenda de voluntate toto conatu, & efficacia affectiua tendenti; v[illegible] omne quod Deus cognoſcit per actum vltimum iudicij [illegible] eſt; non vero prout præcisè tendit per apprehenſionem, & actum indeterminatum. [illegible] gratia, ſi ſcientiam mediam compares cum conditione, *ſi Petrus vocetur reſpondebit* nil firmum ponitur circa abſolutam exiſtentiam vocationis. Ad ſecundum voluntas inefficax non eſt ſignum imbecillitatis quando intendens poteſt habere fortiorem voluntatem & ex libito proprio ab illa abſtinet. Rurſus in nobis ideo imbecillitatis eſt voluntas ſine effectu, quia vel efficacem habere nequimus, vel quantumuis efficacem affectiuè habeamus, adhuc tamen eſt ſine effectu; id tamen eſt proprium Dei; quod eius voluntas vbi eſt affectiuè efficax hoc eſt omnino plena, & determinata in linea affectus; nequeat ſtatim non impleri vt dixi §. ſexageſimotertio. Ad tertium, dico Deum ſerio procedere intendendo ſalutem hominum vt iterum dicam dubitat. ſequentibus; at attemperare pro ſuo placito, Deo neque imbecillitatis eſt neque veritati voluntatis aliquid detrahit; licet hic modus ita temperatus procedendi ſignum ſit quod nolit habere volitionem omnino abſolutam, & efficacem; hoc autem non nego cum facilè Deus poſſet dare auxilia fortiora, & congruentiora. Ad quartum, ſatis patet ex dictis §. præced. & in tract. de volunt. diſp. 63. ſect. 5.

Dubit. 5. An ſit in Deo vera voluntas beneplaciti 74
ſaluandi omnes, & ſingulos homines? De hac dubitatione latius in tractat. de Prædeſt. in præſenti autem communiter etiam excitatur ab interpretibus S. Thomæ; cum maximè hic appareat voluntatem hanc non impleri cum tot deficiant à ſalute. Ideo Prima ſententia negat. Ita Auctores citati §. 70. Mouentur primò ex fundamentis ibi adductis. Secundò præcipuè auctoritate Auguſtini, qui 1. Tim. 2. variè explicat ly *vult omnes homines ſaluos fieri*, ne effectu fruſtretur. Primò per diſtributionem accommodam, vt omnes, qui ſaluantur per Deum ſaluentur: ita lib. de Prædeſt. Sanctor. c. 8. quem ſequuntur Proſper. in epiſt. ad Ruf. Fulgent. l. de Incarn. & grat. c. 13. Anſelm. in c. 2. ep. 1. ad Timoth. 2. expoſitio Auguſtini, vt ly *omnes* non ſupponat pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum, hoc eſt, quia ſaluantur ex omni genere Iudæorum, Gentium, Principium, Adultorum, Virorum, Mulierum, &c. ita vt nullus ſit ſtatus excluſus à voluntate ſalutis, ſicut dicitur quod *omne animal fuit in Arca Noe*: ita Auguſtinus libro de Correpț. & Gratia: capite decimotertio, Enchirid. capite centeſimotertio. Tertiò, quia Deus vult, quod nos oremus pro omnium ſalute: ita libro de Corrept. & Gratia: capite decimoquinto, & vigeſimoſecundo de ciuitate, capite primo, ac denique poſt varias interpretationes circa hunc locum Pauli concludit in Enchirid. cap. 103. *Et quocumque alio modo, dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluiſſe fieri, factumque non eſſe*. Ergo ſentit Auguſtinus Deum non voluiſſe ſalutem reproborum. Mouentur tertiò: quia pluribus paruulis Deus non præbuit auxilium ſufficiens: ergo horum ſalutem nec quantum eſt ex ſe voluit.

An in Deo ſit vera voluntas ſaluandi omnes homines?

Qui negent.

Tenenda eſt ſecunda ſententia vt vera, quæ voluntatem

S. Thom. Gonzal. Molina. Valentia. Vaſquez. Arrubal. Suarez. Herize. Granad. Alarcon. Carmelitæ. Faſol. Damaſc. Alenſ. Bonauent. Altiſſiod. Albert. Ripalda. Ægid. Richard. Heruæus. Vdalric. Rubion. Maior. Baſſol. Gabriel. Sotus. Staplet. Cordou. Salmer. Durand. Nazar. Becan. Machin. Smiſing. Salas. Hemelm. Torres. Petau.

tatem veram, & beneplaciti concedit Deo circa
omnium, & ſingulorum ſalutem: ita Sanctus Tho-
mas hîc, cum quo Gonzalez, Molina, Valentia,
Vaſquez, Arrubal hîc, Suarez libro quarto de Præ-
deſtinat. capite primo, Herice tractatu tertio d. 25.
capite ſecundo numerò duodecimo, Granado to-
mo ſecundo tractatu quarto d. 4. Alarcon, diſt. 6.
de voluntate Dei, capite ſexto. Carmelitani diſcal-
ceati hîc prima parte, quæſtione decimanona ar-
ticulo ſexto. Faſolus, dubit. 1. à numero ſexto, &
apud ipſum Damaſcenus, Alenſis, Bonauentura,
Altiſiodorenſ. Albertus, Ægidius, Richardus,
Heruæus, Vdalricus, Rubion, Maior, Baſſol, Ga-
briel, Sotus, Stapleton, Corduba, Salmeron; item
Durandus 1. diſtinct. 47. quæſtione 1. numero 5.
& 6. Nazarius controuerſ. 1. de voluntate, Becanus
tractatu primo, capite vndecimo, quæſtione prima,
Machin diſtinct. 44. Smiſing. tractatu 3. diſtinct. 5.
num. 30. & ſequentibus, maximè 37. vbi eam pro-
bat eſſe è mente Scoti, & aliorum antiquorum Sa-
las 1. 2. tom. 2. tract. 11. diſt. 2. Leſſius de Prædeſt.
ſect. 6. Hemelman tom. 2. tit. 14. diſtinct. 13. cap. 3.
Torres opuſc. 5. de voluntate Dei, diſt. 4. Dionyſius
Petauius tom. 1. Theologicor. Dogmat. lib. 10. c. 3.
P. Ripalda, tom. 3. qui eſt contra Baium diſt. 23.
à ſect. 17.

Probatur primò, hæc ſententia Auctoritate ſa-
cræ Scripturæ 2. Timoth. 2. vbi ex eo quod Deus
ſit vnus omnium: item Chriſtus pro omnibus mor-
tuus ſit, probat Deum velle omnium ſalutem; item
rurſus eo quod velit omnium ſalutem pro omni-
75 bus orandum: nunc ſic Deus eſt omnium, & ſingu-
lorum: Chriſtus pro ſingulis etiam mortuus eſt; ac
denique pro omnibus, & ſingulis orandum: ergo
iſta voluntas Dei de ſalute omnium diſtributiue, &
ſigillatim accipienda eſt: & quidem non ſolum
vt ſit voluntas ſigni, ſed vera voluntas beneplа-
citi; alias vt quid eſſet nobis orandum vt ad im-
pleretur: vti nemo, qui bene noſſet voluntatem
Dei præcipientis mortem Iſaaci oraret vt effecti-
uè occideretur: *Sinceriſſimè autem credendum eſt*
S. Auguſt. (ait Auguſtinus art. 1. ad obiectiones Vincentia-
nas obiect. 2.) *atque profitendum Deum velle
vt omnes homines ſalui fiant; ſiquidem Apoſtolus,
cuius eſt iſta ſententia ſollicitè præcipit quod in om-
nibus Eccleſiis ſollicitè cuſtoditur, vt Deo pro omni-
bus hominibus ſupplicetur.*

76 Si autem dicas ideo nos præcipi quod oremus
pro omnibus, & ſingulis quia cum neſciamus
qui determinatè reprobi ſint de nullo eſt deſ-
perandum. *Si enim de aliquibus* (ait Auguſti-
nus 21. de Ciuitate, capite vigeſimoquarto)
*ita Eccleſia certa eſſet, vt qui ſint illi etiam noſſet
qui licet adhuc in hac vita ſint conſtituti, tamen
prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum dia-
bolo, tam pro eis non oraret, quam neque pro
ipſo*, cui conſonat lib. de correpr. & grat. cap. 14.
& 15. & Sanctus Thomas 2. 2. quæſtione 83. arti-
culo ſeptimo ad tertium. Si inquam hæc dicas, con-
tra eſt, quia ſaltem vage liceret aliquos ab oratio-
ne noſtra excipere, cum certum ſit paucos eſſe
electos. Deinde Chriſtus Dominus orauit etiam
pro iis quos ſciebat reprobandos. *Non debebant
deſperare* (ait Auguſtinus tractatu 31. poſt med. ad
illa verba cap. 7. vbi ego ſum vos non poteſtis ve-
nire:) *pro quibus Dominus in cruce dignatus eſt
orare. Videbat quoſdam ſuos inter multos alienos,
illis iam petebat veniam, à quibus adhuc accipie-
bat iniuriam. Non enim attendebat quod ab
ipſis moriebatur, ſed quia pro ipſis moriebā-
tur.* Igitur Auguſtinus, & Thomas ſolum exclu-
dunt orationem noſtram ex affectu omnino effica-
ci. Denique huic ſeriæ, & veræ voluntati diuinæ
quam habet Deus de noſtra ſalute fauent alia lo-
ca ſacra.

Fauent igitur huic voluntati Dei. Ezech. 18. 77
Nolo mortem peccatoris; ſed magis vt conuertatur Ezechiel.
& viuat. 2. Petr. 3. *Non vult aliquos perire, ſed* Petrus.
omnes ad pœnitentiam reuerti. Epheſ. 4. fine & 5. Epheſ.
initio: *Ambulate in dilectione ſicut, & Chri-* Ioan.
ſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis.
Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum*, &c. *vt omnis
qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam
æternam.* Quæ teſtimonia proponuntur tum vt
pateat bonitas Dei; tum fundamentum actio-
nis gratiarum; tum denique ſpes noſtra firma
ſit: Quæ omnia ruerent ſi veram, ſeriam, &
circa ſingulorum ſalutem, & vitam beneplaciti
voluntatem argueret: Quorſus enim vendice-
tur quod Deus *neminem vult perire*: vt inde mo-
ueatur Eccleſia feria ſexta in Paraſceue, vt oret
pro hæretic. & ſchiſmat. *Omnipotens ſempiterne
Deus qui ſaluas omnes, & neminem vis perire reſpice
ad animas diabolica fraude deceptas*, &c. Quorſum
inquam hæc verè dicentur ſi non verè Deus vitam
omnium vellet?

Probatur ſecundò, vera ſententia in §. 74. aucto- 78
ritate PP. vno ore in eam conſpirantium Clemens Clem. Rom.
Rom. lib. 2. conſt. Apoſtolic. cap. 59. *Nos ergo, qui
digni facti ſumus vt eſſemus teſtes aduentus ipſius
cum Iacobo Fratre Domini & aliis 72. & ſeptem
Diaconis eius ex ore Domini noſtri Ieſu Chriſti
audiuimus, & perfectè ſcientes diſcimus, quæ ſit
voluntas Dei bona, placens, & perfecta* (tantum non
dixit: *Voluntas beneplaciti*) *per Ieſum Chriſtum no-
bis demonſtrata, vt nullus intereat, ſed vniuerſi ho-
mines vnanimi ſententia credentes ei, & vnanimem
laudem ferentes in eum viuant in æternum.* S. Proſ- Proſper.
per aſſerens, ſe omnino ſequi mentem Auguſtini,
cap. 8. obiectionum Gallorum, in quo notabatur
Auguſtinus, quod tantum voluntatem erga ſalu-
tem prædeſtinatorum Deo tribueret: reſpondet:
*Qui dicit quod non omnes homines vult Deus ſal-
uos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum
durius loquitur, quam loquendum eſt de altitu-
dine inſcrutabilis ſcientiæ Dei.* His adde Orige- Origen.
nem homilia trigeſimaquarta, in Matth. longè
poſt med. Cyprian. epiſtola 76. aliquanto ante fi- Cyprian.
nem. Chryſoſt. homil. 7. cap. 1. in Ioan. ipſo initio
Ambroſ. lib. de Paradiſ. cap. 8. paulo poſt init. & Chryſoſt.
Pſalm. 118. ſermone 8. ad illud: *Miſericordia tua* Ambroſ. Hieron.
Domine plena eſt terra. Hieronym. in cap. 1. epiſt.
Epheſ. ad illa verba: *In quo & ſorte vocati ſumus.*
Auguſt. lib. de ſpir. & litt. capite trigeſimotertio, Auguſt.
Proſper libro primo de vocat. Gent. capite primo,
& capite duodecimo, S. Ignat. epiſt. 11. ad Epheſ. Ignat. Paulin.
prope med. Paulin. epiſtol. 1. ad Aprum An- Anſelm.
ſelm. de voluntate Dei inter med. & fin. Cyrill. Cyril. Alex.
Alexand. libro vndecimo in Ioan. cap. 21. in illud:
Omne quod dediſti mihi non perdam ex eo. Enchirid. Enchir. Col.
Colon. in tit. de Sacram. pœnitent. cap. *Quinto
ſtatuendum eſt.* Ephrem Syrus de vita religioſa Ephr. Syrus. Epiphan.
atque monaſtica pag. 6. Damaſc. libro 11. de fide Damaſc.
cap. 29. Epiphan. hæreſ. 66. pag 3. Greg. 1. Regum Gregor.
libro ſecundo cap. 2. Baſil. in conſt. monaſt. cap. 2. Baſil.
Nyſſen. libro de oratione Dominica ad illa verba: Nyſſen. Philo.
fiat voluntas tua propè init. Philo in Cantic ad
illa verba: *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata.*

Mac Senior. Arnob. Laur. Iuſt. Oecum. Laur. Nou. Chryſol. Drog. Hoſt. Cyr. Hieroſ. Arn. Carnot. Bernard. Nazianz. Theophil. Leontius. Leo Magn. Gaudent. Euthym. Dionyſ. Fauſt. ep. Gall. Beda. Athanaſ. Abulenſ. Hilar. Maximus.

Machar. Senior. homilia decimaquinta, inter princip. & med. Arnob. in Pſalm 146. à medio. Laurentius Iuſtinus libro de contemplat. mundi capite octauo, Oecumenius 1. Timoth. 2. Laurentius Nouarienſis Epiſcopus homilia prima de pœnit. columna tertia, Chryſologus ſermone trigeſimonono, de perſeuerant. oratione paulò pòſt princip. Bernard. in Natiuit. ſancti Ioannis Baptiſtæ, Drogon Hoſtienſ. ſermone de Paſſione, columna tertia, Cyrillus Hieroſolimitanus, catecheſ. 13. Gregorius Nazianzenus, oratione decimaquinta, in plagam grandinis propè med. Theophyl. ad illa verba Ioan. 12. *Abiit, & abſcondit ſe ab eis.* Leontius cum eodem Theophylacto in Ioan. 5. ego autem non ab homine teſtimonium accipio, ſed hæc dico vt vos ſalui ſitis. Leo Mag. ſermone ſeptimo, de Paſſione capite ſecundo, poſt princip. Gaudent. Brix. ſermone decimotertio de Natal. Domini Euthym. Matth. 26. ad illa verba: Amen dico vobis, quod vnus veſtrum me traditurus eſt. Dionyſ. de diuin. nom. à capite quatro, vſque ad finem Fauſtus Galliar. Epiſcopus libro primo, de grat. & libero arbitrio capite decimonono, Beda lib. variar. quæſtione decimatertia fine. Athanaſ. ſermone de Paſſione Domini pagina ſecunda, Abulenſ. Matth. 7. quæſtione quadrageſimaſexta, poſt med. Tertull. libro de Trinitate, capite tertio, Hilari. in Pſalm. 2. *Tunc loquetur ad eos in ira ſua.* S. Maxim. Æconomic. centur. 3. capite nono, decimo & decimoſexto, tomo quinto Biblio. Qui omnes Patres manifeſtiſſimè docent hanc voluntatem in ſalutem omnium, & ſingulorum hominum vel in ſalutem gloriæ, vel in ſalutem meritorum, & bonarum operationum, vel denique liberationis à peccato, quod ad præſens perinde eſt, cum ſtatuant in Deo voluntatem antecedentem, & quantum eſt ex ſe in finem dependentem à noſtro arbitrio, qui ob huius malitiam executioni non datur, quin impleatur ea voluntas Dei. Optimè Honorius Auguſtudonenſis libro de Prædeſtinat. & libero arbitrio: *Deus condidit rationalem creaturam ad gloriam. Sed Angeli & homines rationales creaturæ ſunt: ergo omnes ad gloriam creati ſunt.* Tunc interroganti: *Etſi vult cur non omnes ſaluantur, voluntati enim eius quis reſiſtit?* Ita reſpondet: *Perditio pereuntium non procedit ex voluntate Dei, quia non vult mortem peccatoris, & qui mortem non fecit, nec lætatur in perditione morientium: ſed ex libero arbitrio, quo ſponte iuſtitiam, quæ eſt pactum beatitudinis deſerunt, qua deſerta beatitudinem amittunt, & ſic ſemper miſeri erunt.*

Honor. Auguſtudon.

79 Probatur tertiò: hæc ſententia ratione. Nam Deus vult omnium conuerſionem, & pœnitentiam ſi peccarunt, & innocentiam vitæ, ne peccent. Id patet ſuadentque omnes comminationes pœnarum præſentis ſæculi, & futuri, conſilia, exhortationes, Chriſti Paſſio, Sacramenta omnia, triſtitia de peccatis, gaudium de bonis operibus & alia id genus, quæ fictitia, & ſimulata forent, ſiuerunt, & ſyncerum affectum de Innocentia vitæ, & meritis noſtris non ſignificarent. Quod ſi Deus non vult vnumquemque bene viuere, ergo illi de quibus non vult vt rectè viuant, non offendunt Deum in re dum malè viuunt. Tunc ſic ſed Deus ex ſe, & efficaciter vult ſalutem omnium ſaltem ſub conditione quod bene viuant; vt nemo catholicus negare poteſt. Ergo vult abſolutè omnium etiam reproborum ſalutem. Hæc conſequentia probatur: tum quia iam in illa voluntate de innocentia vitæ admittendum eſt quod poſſit eſſe in Deo voluntas abſoluta, quæ non impleatur, ſiquidem illi reſiſtit omnis, qui peccat: tum præcipuè quia qui afficitur circa finem conditionatè, & ſimul amat conditionem cenſetur iam abſolutè affici in talem finem, ſi enim ille amor poneret obiectum ea ratione qua vult illud, eo ipſo id poneret abſolutè à parte rei, poneret namque conditionem, hac autem poſita, ponitur etiam conditionatum; hinc qui ſcit ſub conditione ponendum obiectum, ſeu obiectum eſſe futurum; ſi videat ſimul abſolutè poſitam conditionem etiam videt futuritionem abſolutam illius obiecti: ergo ſimiliter amor, qui ſimul amat conditionem, abſolutè amabit obiectum.

Probatur quartò: ex doctrina, qua ſit ſatis obiectionibus, ſcilicet rectè ſtare quod affectus ſit abſolutus; nec tamen omnino efficax: item ſi hoc contingat ex attemperatione, & libito volentis ſe quaſi ſubiicere placito alterius nullam eſſe imperfectionem. Vide §. ſeptuageſimumprimum fine. Ex quo patet ad fundamenta oppoſita in §. ſeptuageſimotertio. Ad primum quidem ex §. ſeptuageſimoſecundo. Ad ſecundum vero ex Auguſtino imprimis libro tertio de libero arbitrio capite decimonono, manifeſtè ait quod peccator *contemnat Deum volentem eius ſalutem*, & de ſpir. & litt. capite trigeſimotertio, ait *infideles facere contra voluntatem Dei non credentes Euangelio.* Ergo in eodem ſenſu reprobus faciet contra voluntatem Dei dum ſpernit ſalutem. Adde iuxta tertiam expoſitionem Deus ſaltem cauſaliter vult omnium ſalutem, quatenus vult vt pro ea oremus. Ergo cum plures non orent ſaltem hi fruſtrabunt voluntatem Dei. Denique reſpondeo cum Suarez libro quarto de Prædeſtinatione capite primo, numero quinto, Arbitral hic ſi fortè Auguſtinus contrarium ſenſit tandem cum audiret aliquos Catholicos illis expoſitionibus offenſos (vt ipſi Auguſtino retulit Hilar. in epiſtol. præuia ad librum de Prædeſt. ſanct.) eam ſententiam mutaſſe, vt colligitur ex Proſpero qui poſtquam in Præf. ad librum reſponſ. ad capita Gallor. quem edebat in defenſionem Auguſtini teſtatus fuit ſe in nullo diſceſſurum ab Auguſtini mente ad cap. 8. in quo notabatur Auguſtinus quod Deo tribueret voluntatem ſalutis ſolum circa prædeſtinatos reſpondet: *Qui dicit quod non omnes homines vult Deus ſaluos fieri; ſed certum numerum prædeſtinatorum, durius loquitur, quam loquendum eſt, &c.* Et rurſus refert idem Proſper ad obiectiones Vincentian. obiect. 2. ex mente Auguſtini: *Sinceriſſimè credendum eſt, atque profitendum Deum velle vt omnes homines ſalui fiant; ſiquidem Apoſtolus; cuius iſta eſt ſententia ſollicitè præcipit quod in omnibus Eccleſiis fideliſſimè cuſtoditur, vt Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur.* Igitur Sanctum Auguſtinum de voluntate conſequente, ſeu efficaci locutum exiſtimo cum Sancto Thoma primo diſtinctione quadrageſimaſexta, quæſtione prima, articulo primo. Ad primum, qui ſic Auguſtinum componit cum Damaſceno tuente vniuerſalitatem voluntatis diuinæ: *Ad primum ergo dicendum, quod ſecundum Damaſcenum*

80 *Soluuntur oppoſita fundamenta.*

Exponitur. Auguſt.

maſcenum : Verbum Apoſtoli intelligitur de voluntate antecedenti , & non conſequenti , ſed ſecundum Auguſtinum intelligitur de conſequente. Iam vero de tertia obiectione agam tom. ſeq. in tract. de Prædeſt.modo ſufficiat doctrina Auguſt.4. contra Iulian. cap.8. & Proſper.libro 2.de vocat.gent. cap 20. vbi poſtquam ſæpius inculcauit pertinere ad paruulos illud Apoſtoli : *Vult omnes homines ſaluos fieri* ſubdit de præmaturè morientibus : *Iſti ad eam pertinent gratiæ partem, quæ ſemper eſt vniuerſis impenſa Nationibus. Qua vtique ſi bene eorum vterentur parentes : ita ipſi per eoſdem iuuarentur.* Igitur iis Deus quaſi in cauſa , & in voluntate parentum parauit media ſufficientia. Vide Leſſium ſectione ſexta de Prædeſtinat. aſſertione prima , Herize diſputatione trigeſimaquinta, num.7.& 8.Martinon diſputatione 20.de Prædeſt. ſect.4. num.49.

81 *An voluntas ſaluandi omnes homines ſit conditionata? Affirmant.* S.Thom. Altiſſ. Albert. Alenſ. S Bonau. Richard. Vdalric. Gabriel. Rayner. Argent.

Dubitatur ſextò : An hæc voluntas ſit conditionata. Prima ſententia affirmat. Ita Sanctus Thomas 1. diſtinct. quadrageſimaſeptima quæſtione, articulo primo & ſecundo, Altiſſi. 1. ſentent. capite decimotertio , col. & 2. Albertus prima parte, quæſtione ſeptuageſimanona membr.2. articulo ſecundo in quæſt. incid.in vltim.part. Alenſ.prima parte , quæſtione trigeſimaſexta membr. 2. Bonauentura 1.diſt.quadrageſimaſexta, articulo primo, quæſtione prima , Richardus q etiam 1. articulo primo , Carthuſ. ibi quæſtione prima , fine cum Vdalrico, Gabriel not.2. & corollar.6. Rayner. in Pantheol. verb. *liberatio à peccato* capite decimooctauo ante med. Argent.primo diſtinctione quadrageſimaſeptima , quæſtione prima, articulo primo fine , Capreolus primo diſtinctione quadrageſimaquinta,quæſtione vnica,articulo ſecundo,concluſione quarta fine , Soto ſub dubio Roman.9. pag.227. Ruard. contra Luther. articulo ſeptimo ad med. §. *Quod autem Pharao* Driedo de concord. liberi arbitrij cum Prædeſtinat. p.1. capite quarto ad ſecundum Bellarm tomo tertio libro ſecundo de grat. & libero arbitrio , capite quinto columna ſecunda , Molina prima parte, quæſtione decimanona,diſputatione prima ſolutione ſecunda & tertia, Suarez opuſcul. de libert. Dei, diſputatione prima , ſectione ſecunda , numero decimo , Ruiz diſputatione vigeſima de volutate, aſſerens hanc ſententiam eſſe omnium Patrum Athanaſij , Ambroſij , Hieronymi , Auguſtini, quos ibi refert. Mouetur : quia ſemper explicatur hæc voluntas Dei modo conditionali. Eccleſ.15. *Si volueris ſeruare mandata ſeruabunt te.* Matth.19. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.* Ioan. 8. *Si quis ſermonem meum ſeruabit mortem non videbit in æternum.* Vnde Ambroſius in 1.Timoth.2. *Si Deus qui omnipotens dicitur omnes homines ſaluos vult fieri ; cur non impletur eius voluntas. Sed in omni locutione ſenſus eſt : conditio latet. Vnde dicit Petrus Apoſtolus : Omnis Scriptura indiget interpretatione. Vult enim Deus omnes ſaluos fieri , ſed ſi accedant ad eum. Non enim ſic vult vt nolentes ſaluentur ; ſed vult ipſos ſaluare ſi & ipſi velint. Nam vtique qui legem omnibus dedit , nullum excepit à ſalute. Nunquid non medicus idcirco proponit in publico vt omnes ſe oſtendat velle ſanare ; ſi tamen ab agris requiratur ? Vide plura* apud Ripaldam tomo tertio deſuper diſputatione decimatertia à numero 197. Præterea eſt ratio ſecunda , quia Deus vult gloriam quaſi contractu oneroſo , ſed in contractu oneroſo non amatur traditio rei abſolutè , niſi ſub conditione oneris : ergo.

(Capreol. Soto. Ruard. Dried. Bellarm. Molina. Suarez. Ruiz. S.Athanaſ. S.Ambroſ. S.Hieron. S.Auguſt. Ripalda.)

82 *Negant.* Vaſquez. Alarcon. Enriq. Mendoza.

Secunda ſententia negat eſſe conditionatam, ſed abſolutam potius licet inefficacem. Ita Vaſquez prima parte, diſtinct.octogeſimatertia,capite quarto Alarcon diſputatione quinta de voluntate, capite octauo numero ſexto , pro ſe referens Enriquez , Molinam , & Mendozam , qui mouentur generali fundamento quod repugnet in Deo voluntas conditionata ex parte obiecti , & abſolutè exiſtens in ſubiecto ; ſi nil abſolutè operetur. At erga reprobos purè conditionatè Deus reſpiceret ſalutem , ſiquidem eam non ponit ergo. Secundò , quia hæc voluntas de ſalute omnium eſt *inefficax* & non impletur in reprobis , vt tenet ipſe Ruiz diſputatione decimanona, ſectione vndecima , §. quinto cum Suarez ſuprà Arrubal.diſputatione 60. §. quarto. At conditionata ſemper impletur ; nam reprobus ſaluaretur , ſi decederet in gratia. Tertiò de hac voluntate controuerſia eſt. An ſit de reprobis ; at circa voluntatem conditionalem , & per modum pacti nullus poteſt dubitari.

83 *Abſoluta ſimpliciter eſt , & quaſi conditionata.*

Mea ſententia ſit. Hanc voluntatem eſſe abſolutam ſimpliciter , & ſecundum quid conditionatam. Prima pars manifeſtè patet ex §. præcedenti in ſecunda & tertia probatione alias in nullo differet volitio de ſalute à volitione de damnatione , nam etiam hanc vult Deus conditionatè. Deinde huius ratio à priori conſtat ex §. ſeptuageſimonono. Secunda pars probatur: quia per hanc voluntatem Deus non cogit , nec determinat voluntatem creatam , ſed illi ſe attemperat , & quaſi ſubiicit determinandum , vnde ideo dicitur Deus concurrere , *quia voluntas* cum eius gratia , & auxilio eleuata vult ; ergo æquiualenter hæc volitio conditionata eſt ; ita enim ſe gerit cum voluntate creata , ac ſi expectaret huius prædeterminationem. Ob quod iure Pater Suarez diſputatione vigeſimaſecunda metaphyſicæ , ſectione quarta numero decimoquarto , opuſcul. libro primo capite decimoquinto numero tertio tomo primo de grat. Prolegom. de grat. capite octauo, quem ſequitur Faſolus prima parte, quæſtione decimaquarta , articulo decimotertio dubitatione decimaſeptima , num.420. vocant hanc voluntatem concurrendi ad operationes liberas *quaſi conditionatam* , quia licet non ſit propriè conditionata *concurram ſi voluntas creata velit*, quia hæc ipſa conditio, & velle creatum iam imbibit concurſum Dei , neque ab hoc diſtinguitur vel diſtingui debet omnis conditio à termino , & obiecto conditionatè volito. At æquiualenter modus ſe habendi in Deo voluntati conditionatæ æquiualet : ergo ita ſimiliter hic. Præterea ſpeciali ratione voluntas ſalutis eſt conditionata , quia ſaltem prout purè tendit in ſalutem condiſtinctè à mediis, ſeu meritis in ſalutem vult obiectum à quo diſtinguitur conditio , & poſt quam iam tenetur Deus velle omnino efficaciter ſalutem.

Vt circa gloriam ſimpliciter eſt conditionata.

84 Hinc ad ſententiam. Primam in §. primo. Reſpondeo Patres omnes vt patet ex Sancto Ambroſiò & Suarez ſolum ponere voluntatem quaſi conditionalem ; & hoc ſufficit veritati contractus , & pacti oneroſi. Ad ſecundam ſententiam in §. octogeſimoſecundo. Reſpondeo voluntatem conditionatam repugnare hic , licèt

alias non repugnet, vt patet ex dictis à| me in §. præcedenti.

85 *An voluntas hæc ſit libera? Negant.* Baſil. legio. Vaſq. Durand. Carthuſ. Camera. Molin. *Affirmant.* Suarez. Herize. Arrubal. Alarcon. Ribad.

Dubitatur ſeptimo: An voluntas hæc ſit libera. Prima ſententia negat ita Baſilius legion. prima parte variarum quæſtione 6. ſcholaſtica capite vndecimo, Vaſquez diſputatione octogeſimatertia, numero vndecimo Durand. primo, diſtinctione quadrageſimaſeptima, quæſtione prima, Carthuſianus, diſtinctione quadrageſimaſexta quæſtione prima, Cametar. in dialog. Cath. capite ſexto, §. ſeptimo, Molina prima parte, quæſtione decimanona, articulo ſexto, diſputatione prima. Mouentur primo, quia nullus actus poteſt eſſe liber in Deo qui non ſit efficax vt ait Vaſquez ſupra capite ſecundo, eſſe communem conſenſum omnium Patrum, cum enim contingentia nequeat inueniri intrinſece in Deo debet reperiri in obiecto ipſo. Secundo quia Deus nequit eſſe ſuſpenſus circa ſalutem. ergo neceſſario illam amat ſaltem inefficaciter, ſiquidem in ipſa ſic diſplicere non poteſt. Secunda ſententia affirmat eſſe liberam ita Suarez quarto de Prædeſtin. capite ſecundo, numero octauo, Arrubal. diſputatione ſexageſima, numero nono, Herizæ, diſtinctione decima ſeptima, capite tertio, Alarcon. diſputatione ſexta, de voluntate, capite tertio, numero vigeſimo, Ribadeneyra de Prædeſtinat. diſputatione ſexta, capite tertio, numero decimoquarto. Mouentur primo quia ea voluntas proponitur vt digna gratiarum actione, & vt digna vt oremus pro eius adimpletione ſi autem eſſet neceſſaria, qualem habet Deus, verbi gratia, in vnionem hypoſtaticam poſſibilem cum mea natura quis pro ea gratias egit? Quis orauit vt adimpleretur? Secundo Patres colligunt hanc voluntatem non ex natura rei, ſed ex ſpeciali reuelatione, & teſtimoniis ſcripturæ 1. Timoth. 2. in quibus oſtenduntur effectus, & affectus liberi Dei. Tertio, ob hanc voluntatem cenſetur homo ordinatus in vitam æternam, & quod Deus teneatur illi præbere ſufficientia auxilia ad ſalutem, ac denique, poſt merita gloriam; at Deus neceſſario ad nil horum tenetur. Ergo ſignum eſt hanc voluntatem non eſſe neceſſariam, ſed liberam ſiquidem non ſolum potuit Deus non dare auxilia gratiæ, ſed etiam potuit poſt ipſa non dare gloriam.

86 *Eſt partim neceſſaria partim libera.*

Ego exiſtimo voluntatem hanc partim eſſe neceſſariam, partim liberam, coaleſcit nimirum ex voluntate neceſſaria, cui ſuperaddit aliam volitionem liberam. Vnde ſimpliciter libera erit, ſimpliciter enim *totum* dicitur contingens, & liberum vbi vel vna eius pars contingens eſt, ſic leo dicitur *corruptibilis*, quia licet non materia, at forma corruptioni ſubeſt. Probatur quia hæc voluntas ſeria de ſalute eſt hanc ex animo, & vere intendens conſequi per auxilium, quod confert, vt per ſe patet, cum ratione huius voluntatis dicatur Deus ardentiſſime deſiderare, & ſitire noſtram ſalutem: tunc ſic ſed ſola voluntas libera, ita ſeria eſſe nequit, nam ante omnem volitionem liberam præcedit ſcientia media de euentu omni ſub illa, & ſub omni conditione vt dixi quæſtione decimaquarta, §. 159. vnde antequam libere intendat ſalutem ſcit iam Deus, per quæ auxilia homo ſaluabitur, vel non, & conſequenter nequit applicari ad ponendum hoc auxilium determinatum A, quod præuidet inefficax ex tali intentione, nequit enim quis ex ſeria intentione finis applicari ad ponenda media, quæ videt inutilia ad finem. Ergo intentio ſeria de ſalute debet eſſe ante omnem ſcientiam mediam, & conſequenter non debet eſſe libera. Sed neque poteſt eſſe pure neceſſaria, nam ex §. præcedenti iſta voluntas neque eſt benefica, neque ponit auxilia ſufficientia, aut tandem cogit Deum ad ponendam gloriam poſt merita. Ergo debet ſuperaddi volitio aliqua libera ſic igitur ſe habet Deus. Primo dicit, verbi gratia, *Volo quantum eſt ex me vt homo operetur bene ſi ei dedero auxilium.* A, per quam voluntatem omnino, & ardentiſſime deſiderare poteſt bonam operationem ſub A, ſiquidem volitio neceſſaria eſt & conſequenter ante omnem ſcientiam mediam nil adhuc inefficaciæ aperiens in A. ſecundo libere ſtatuit: *volo A, & ſimul gloriam ſi exiſterent merita.* Hæc ſecunda volitio ſupponit iam præſcientiam conditionatam, qua prænidit Deus auxilium A fore inefficax, & ex malitia voluntatis creatæ, contra deſiderium diuinum, inutile fore tale auxilium ad bonam operationem, nihilominus per talem ſcientiam non impeditur ex primo illo deſiderio ne ponat A. quia cum titulo huius prioris deſiderij Deus ſolum voluerit quantum eſt ex ſe, ſibi hic, & nunc contrarius non eſt. Aliunde autem Deus titulo coniuncti vtriuſque volūtatis cenſetur *abſolute volens reprobi ſalutem per auxilium A.* qui enim vult conditionate ſalutem ſi detur A. & ſimul vult quod detur A. iam vult ſalutem abſolute vt dixi §. 79. Ergo voluntas Dei vt abſoluta de omnium ſalute libera eſt.

Hinc ad argumenta oppoſita. Reſpondeo ad primum pro prima ſententia in §. 85. ſatis patet ex §. 71. in principio. Ad ſecundum dico voluntatem Dei poſitiue neceſſario amare ſalutem, ſed non per amorem proſecutionis ponentis media ad eam conſequendam, vnde ea voluntas ſimplicis complacentiæ eſt, non vero deſiderij, & intentionis de qua nunc. Ad ſententiam ſecundam, quæ abſolute affirmat libertatem vndequaque huius affectus reſpondeo illis omnibus ſatis fieri dum hæc voluntas vt abſoluta libera ſit; iam enim pro ipſa vt ſic dignum, & iuſtum eſt gratias agere, per illamque Deus omnino liberaliter præbet gloriam, & auxilia ſufficientia, Si dicas Deum ideo præbere auxilia ſufficientia quia præintendit ſalutem ex eo quod Deus intendat omnium ſalutem quantum eſt ex ſe colligitur quod debeat præbere auxilia ſufficientia. Ergo non bene tota libertas ponitur in volitione ſeu electione auxilij A. ſed in alia volitione priori vt tendenti in ſalutem eſt ponenda. Reſpondeo opus non eſſe quod prior ſit intentio ſalutis, quam volitio auxilij ad ipſam, ſed Deus per eandem volitionem per quam conſtituitur abſolute volens ſalutem auxilia etiam ponet, licet bene quoad nos ex intentione abſoluta de ſalute colligamus voluntatem auxiliorum, quia diſcurrimus vt in nobis contingit. 87

88 *An in Deo admittenda ſit voluntas antecedens, & conſequens; & quo vtraque differat.*

Dubitatur octauo: An in Deo admittenda ſit voluntas *Antecedens*, & *conſequens* & quo vtraque differat? harum voluntatum diſtinctione maxime vtuntur auctores ad explicandum quæ voluntas Dei ſemper impleatur; item quo ſenſu verum ſit quod Deus velit omnem etiam reproborum ſalutem, vt patet ex Sanct. Thoma citato ſupra §. 80. In hac tamen explicatione, & diſtinctione plura miſcentur de nomine. In re tamen omnes conueniunt, vt illa dicatur voluntas antecedens, quæ vel

vel oritur ſolum ab ipſo Deo, vel ſaltem Deus de ſe inclinat in circunſtantiam requiſitam ad eius exiſtentiam; ſi voluntas efficax tribuendi gloriam etiam poſt præuiſa merita, poſſet dici antecedens, quia conformis eſt inclinationi, quam Deus de ſe habet, qua inclinatione licet non ponat gloriam, niſi dependenter à noſtris meritis, at in horum exiſtentiam propendet, quibus meritis poſitis gloriam efficaciter determinat. Hinc conſequens voluntas eſt illius obiecti, in quod de ſe non inclinat Deus niſi ex aliqua ſuppoſitione contingenti, quam ex ſe non vult talis eſt voluntas damnandi. Vide varias explicationes in hanc conuenientes apud Ruiz diſputatione decimanona de voluntate per.13. ſectiones Vaſquez diſputatione octogeſimatertia, capite ſecundo, Suarez libro tertio de Attr. poſitiu. capite octauo, qui omnes ſic intelligunt Damaſcenum libro primo de fide capite vigeſimonono, Chryſoſtom. homilia 1. in epiſt. ad Epheſ. ex quibus maximè deſumpta eſt diſtinctio voluntatis antecedentis, & conſequentis. Sic dixit Bernard. ſermone quinto de Natiuitate: *Deus ex ſe ſumit materiam miſerendi quando vero iudicat, & condemnat quodammodo nos cogimus*, iuxta illud Pſalm. 144. *Quia apud te propitiatio eſt*. Oſeas 12. *Ad iram me prouocauit in amaritudinibus.*

Ruiz. Vaſquez. Suarez. Damaſc. Chryſoſt. Bernard.

89 Dubitatur nonò: An in Deo admittenda ſit voluntas pure conditionata: Vide diſputationem ſeptuageſimamquintam.

An admittenda ſit voluntas purè conditionata?

ARTICVLVS VII.

Vtrùm voluntas Dei ſit mutabilis.

89 AGit de hac difficultate Sanctus Thomas 1. diſtinctione trigeſimanona, quæſtione prima corp. & 1. contra gentes cap. 82. & libro tertio capite nonageſimoprimo & nonageſimooctauo, & quæſtione 3. de potentia, art. 15. ad 7. in præſenti autem art. 7. ideo aſſerit voluntatem Dei eſſe immutabilem, quia non poteſt Deus incipere velle aliquid de nouo in tempore, neque in tempore deſinere, vti non poteſt aliquid de nouo cognoſcere vel ignorare.

90 Dubitatur primò: An voluntas Dei, ſi inciperet in tempore argueret mutationem phyſicam in Deo. De hoc egi diſputat. 61. per tres priores ſectiones maximè in 2.

An voluntas Dei, ſi inciperet in tempore, argueret mutationem phyſicam in Deo?

Dubitatur ſecundò: An volitio libera diuina, ſi vt libera ſit Deo adæquatè intrinſeca, poſſit incipere in tempore ſine detrimento æternitatis; & quæ ſit ratio propter quam haberi non poteſt niſi ab æterno. De hoc egi ſpecialiter diſput. 61. ſect. 4.

91 *An volitio Deo intrinſeca libera poſſit incipere in tempore?*

Dubitatur tertiò: An volitio aliqua libera vt in concreto ſumpta; ſeu aliqua denominatio ſpecialiter *volentis* poſſit incipere in tempore, vel deſinere. Vide d. 61. ſect. 5.

92 *An volitio aliqua libera in concreto ſumpta poſſit incipere in tempore?*

Dubitatur quartò: An immutabilitas ſcientiæ Dei arguat voluntatem Dei non poſſe mutari. Affirmant Thomiſtæ hic cum Ruiz diſputatione decimaſexta ſectione ſecunda, quia imprudens eſt voluntas quæ cum ſatis perſpectum habeat obiectum, & omnes eius circunſtantias prolibito reſeruat determinationem ſuam ad aliud tempus. Confirmat Arriaga diſputatione vigeſimanona de voluntate, numero vigeſimoquarto. Quia ſicut eſt imperfectio voluntarij ſe habere purè omiſſiuè circa omnem actum; ita imperfectio eſt velle manere ſuſpenſum circa aliquem. Atqui formaliſſimè maneret ſuſpenſus circa creationem Angeli, verbi gratia, ſi ab æterno diceret. *Nolo habere vllam volitionem, qua determinem creare, vel non creare Angelum; ſed id in futurum remitto determinandum.* Ergo implicat Deum optimè omnia cognoſcentem ita mutari poſſe vt in tempore incipiat, vel deſinat velle. Secunda ſententia negat ita Vaſquez hoc articulo ſeptimo, Valentia quæſtione decimanona part. 4. poſt. 3. aſſert. P. Suarez diſputatione trigeſima metaphyſicæ, ſectione nona numero quinquageſimoſeptimo. Mouentur, quia ſicut non obſtante infinita ſcientia Dei, & huius immutabilitate in primo inſtanti æternitatis potuit habere varias volitiones, vt vellet creare, vel non creare mundum; ita poſſet ſimilem variationem habere in tempore. Ego tamen ſto primæ ſententiæ, nam exiſtimo non poſſe Deum non habere directum voluntatium circa quodcumque obiectum honeſtum, dum tamen per hoc non lædatur eius dominium circa creaturas, ideo potius conceditur Deo neceſſarius amor ſimplicis, quam efficacis complacentiæ circa creaturas poſſibiles: ergo non poteſt non ab æterno directè velle, vel nolle creationem Angeli; niſi habeat nouam cognitionem de nouo. Neque obeſt fundamentum pro ſententia negante; nam in primo inſtanti æternitatis cur varietate volitionum ſtat bene voluntarium directum; ſecus hic. Nam cum volitio, quæ ſuccedit in tempore on ſit contraria volitioni habitæ ab æterno, opus eſt vt ab æterno Deus non ſe determinauerit directè circa Angeli creationem, vnde retorqueo argumentum, nam licet Deus titulo infinitæ ſuæ libertatis potuerit ab æterno ſub eadem cognitione habere volitionem vel nolitionem tamen poſtquam ſemel habuit volitionem, non poteſt eam retractare per nolitionem, ne detur imperfectio inconſtantiæ: ergo ne detur imperfectio quod aliquid ad extra ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum contingat ſine voluntate directa Dei; cum iam ab æterno Deo proponatur exiſtentia Angeli pro ſua differentia temporis non poterit non ſtatim illam determinare.

93 *An immutabilitas ſcientiæ Dei arguat voluntatem Dei non poſſe mutari?*

Affirmant. Thomiſtæ. Ruiz. Arriaga.

Negant. Vaſquez. Valentia. Suarez.

Prima ſententia ſtandum.

Dubitatur quintò: An volitio Dei libera ita ſit immutabilis vt ex ſuppoſitione quod fuerit, non habeat Deus libertatem, nec poteſtatem vt iam ab illa ceſſet. Negat Pater Herize diſtinctione vigeſima de voluntate capite ſecundo, quia nequit eſſe libera volitio in aliquo inſtanti reali niſi pro illo detur aliquod ſignum indifferentiæ pro priori: ergo ſi volitio Dei in tempore loquendo, verbi gratia, pro inſtanti B. præſenti, ita exiſtit vt in B. nullum ſignum indifferentiæ detur; nec volitio manebit libera; vnde vt hanc libertatem Deo concedat aſſerit eam compleri ex actione extrinſeca temporali. Affirmat tamen manſuram liberam volitionem diuinam, licet ſimul putet non dari in Deo immediatam poteſtatem ad exercitium aliquod volendi mutandum in B. Arriaga diſputatione vigeſimanona de voluntate, à numero vigeſimoquinto, quia ſcilicet hæc impotentia eſt conſequens. Ego probabilem puto ſententiam hanc ſi Deus ponatur actu occupans omnia tempora vt dixi diſtinctione quadrageſimaoctaua

94 *An poſſit Deus ceſſare à volitione ex ſuppoſitione, quod fuerit?*

Negat. Herize. Syluester.

Affirmat. Arriaga.

§. vigeſimo

Affirmandum ſi Deus ſimul exiſtit in omnibus temporibus.

Explicatur bene.

§. vigeſimoſecundo, ſic enim actu ſemper exercet libertatem, poteſtatemque habet mutandi volitionem, & abſolute illam exercet de præſenti, licet non reduplicatiue prout in B. quemadmodum, voluntas libera, quæ ſimul exiſteret Romæ, & Matriti, dum de præſenti poſſet ſuſpendere volitionem ſimpliciter eſſet libera, licet ex ſuppoſitione quod eam habeat Romæ non poſſit non habere Matriti, ſed neceſſitate ſit ad ponendam volitionem vtrobique vnde voluntas ſemper actu exerceret libertatem non quidem in ponendo hic, & non illic; ſed in ponendo vtrobique, ita ſimiliter Deus ſemper actu exercet libertatem ponendi ſuam volitionem in omnibus temporibus, vnde ſimpliciter quoad omnia tempora, & durationem æternam libere ponitur. Quod iterum explicatur in gradibus perfectionis, quos habet volitio, qui omnes liberrime ponuntur, non quidem quia poſſit poni vnus, & non alius, ſeu ex ſuppoſitione quod ponatur vnus poſſit alius non poni, ſed quia omnes ſimul, & æque immediate ſubſunt libertati voluntatis. Ita dicendum de gradibus durationis. Quamuis hoc ita ſit, ſicque diſcurrendum ſi volitio vt libera adæquate identificetur cum Deo, nihilominus vel ob hanc difficultatem dicendum eſt ſaltem in concreto completi extrinſece, vt explicui, & notaui diſputatione 60. numero 25. de hac quæſtionis dubitatione vide Syluestrum in Conflato, quæſtione 14. articulo 19. & quæſtione vigeſimaſecunda, articulo quinto, qui fauet ſententiæ tribuenti Deo poteſtatem hic, & nunc ſuſpendendi ſuam volitionem.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum voluntas Dei neceſſitatem rebus volitis imponat?

95 De hac difficultate agit Sanct. Thomas 1. 2. quæſtione decima articulo quarto, & libro primo contra gent. capite 85. & libro ſecundo capite vigeſimoſecundo, & libro tertio, à capite 73. ad 79. & quæſtione 23. de Veritate, articulo quinto. In præſenti autem articulo octauo, aſſerit, voluntatem Dei imponere neceſſitatem quibuſdam volitis, ſed non omnibus, quia quibuſdam adaptauit cauſas neceſſarias; quibuſdam adaptauit cauſas neceſſarias: quibuſdam autem cauſas contingentes, ex quibus effectus contingenter, & libere eueniunt.

96

An poſſit Deus habere voluntatem abſolutam, & efficacem de actibus noſtris liberis ſalua horum libertate

Dubitatur primo. An poſſit Deus habere voluntatem abſolutam, & efficacem de actibus noſtris liberis, ſalua horum libertate? Reſpondeo, poteſt, præcedente ſcientia media, vt late dicam tractatu de Prædeſtinat. Non poteſt, non præcedente ſcientia media, vt conſtat ex dictis tractatu quarto, de ſcientia Dei, diſputatione quinquageſimaſecunda, & ex latius dicendis ad primam ſecundæ, in tractatu de Auxiliis diuinæ gratiæ.

97

An quanta maxima ſit efficacia diuinæ voluntatis actus tamen noſtri liberi manerent, ſi cauſa creatæ forent contingentes.

Dubitatur ſecundo: An quantumlibet ſit efficacia diuinæ voluntatis, ſi tamen per poſſibile, vel impoſſibile cauſæ creatæ forent contingentes adhuc effectus, ſeu actus noſtri liberi manerent? Affirmant plures noniores Scotiſtæ cum Bricenno tom. 1. contr. 11. diſt. 3. Fælis. 1. princ. tentatiuæ Complut. Smiſing. tract. 3. de Deo diſp. 2. q. 5. Montepilos to. 2. 1. p. diſp. 30. n. 8. qui putant nulla opus eſſe directione ſcientiæ mediæ, quia talis voluntas quantumuis efficax ſe attemperat operationibus cauſarum ſecundarum iuxta earum naturam, vnde & vult efficaciter eſſe opus noſtrum, & eſſe libere. Negant Thomiſtæ Dominicani quia voluntas increata non aliter operatur niſi mediis cauſis ſecundis, quare in illo caſu, ſi ponantur iſtæ indifferentes, putant cum hac indifferentia repugnare efficaciam diuinæ voluntatis. Vnde licet negent cum libertate noſtra componi efficaciam extrinſecam diuinæ voluntatis; hanc compoſitionem non negant eo quod actus noſtri non eſſent liberi; ſed quia diuina volitio non poſſet eſſe efficax. Tertia ſententia quam communiter videntur ſupponere Authores Societatis. Quidquid ſit de poſſibilitate caſus ſi tamen volitio diuina ſit omnino antecedenter efficax independenſque à ſcientia media implicare quod actus noſtri ſint liberi quantumuis principia omnia creata ſint indifferentia. Mouentur communi, & firmiſſimo fundamento de quo in tract. de gratia auxiliante; quod ſcilicet implicet manere libertatem, ſi omnino antecedenter ſum iam determinatus, & neceſſitatus ad vnum, ex ſuppoſitione ſcilicet alicuius independentis, & inimpedibilis à me tam in ſua exiſtentia, quam in connexione. Atqui tale decretum, cum ponatur intrinſecè efficax non dependet à me in connexione cum ſuo termino; aliunde, cum ſit omnino antecedens, non dependet in ſua poſitione. Ergo ſum neceſſitatus ex poſitione inimpedibili, & inimpedibiliter connexa cum opere, & conſequenter nulla manet in me libertas.

Affirmant. Scotiſtæ. Bricenno. Fælis. Smiſing. Montepil. *Negant.* Thomiſtæ.

Quid noſtri?

98

Implicat volitio Dei infruſtrabilis ſi omnia principia immediata ſint indifferentia.

Ego omnino huic ſententiæ ſto data hypotheſi quam ponunt hi Scotiſtæ, vt ex nuper dictis conſtat. Cæterum loquendo de hypotheſi ipſa dico. Primo ſi omnia principia proxima tam quæ requiruntur ex parte cauſæ ſecundæ, quam ex parte concurſus cauſæ primæ ſint indifferentia implicat voluntatem diuinam eſſe efficacem, & infruſtrabilem. Ratio eſt à priori, quia nequit immutare modum agendi cauſæ proximæ, & immediatæ ſola voluntas Dei, quæ pure extrinſece ſe habet, ſeu mediate: Sic ſi voluntas Dei phyſice nil præſtat in ignem applicatum, iſteque ſit omnino completus, fingeclaritatis gratia cum Durando quod Deus immediate non concurrat, quantumuis Deus velit, vel nolit ignis combuteret: ideo vt ignis ſubordinetur Deo ponitur phyſica dependētia in operari cauſæ ſecundæ à prima. Ergo ſimiliter quantumuis Deus nolit quod voluntas ceſſet ab opere, ſeu quantumuis Deus efficaciter decercernat opus. Voluntas creata ſi omnino ſit indifferens immediate, ſeu complete potens ad omittendum, omittet eadem ratione. Ergo fruſtrabit voluntatem Dei. Ergo implicat hanc eſſe efficacem. Sed de hoc plura in tract. de Prædeſtinat. Vbi dicam præfinitionem Dei potius defectutam ab efficacia intrinſeca, quam nocituram libertati noſtræ, ſi in actus liberos nullo modo concurrat immediate, nec ſpectet ad complementum, vel conditionem potentiæ proximæ, & immediatæ expeditæ, in hoc conuenio cum Thomiſtis.

99

Si ſit infruſtrabilis tollit libertatem.

Dico ſecundo. Quantumuis omnia principia, & cauſæ creatæ ſint contingentes poteſt actus noſter deficere à libertate ratione efficaciæ diuinæ voluntatis. In hac concluſione duplici titulo Thomiſtis Dominicanis diſſentio. Primo quia puto

Poteſt eſſe infruſtrabilis licet principia creata immediata omnia ſint indifferentia.

puto caſu quo voluntas vere ſit efficax antecedenter tolli omnino libertatem, quod ſatis probatur §.97.fine:licet aliunde ſequeretur vtrumque ſi ea ratione, qua explicui §. præcedenti noſtra voluntas maneret adæquare expedita, & indifferens proxime & immediate. Secundo quia puto vere poſſe caſum contingere, in quo omnes cauſæ creatæ ſint indifferentes, & tamen voluntas diuina ſit intrinſecè efficax id paret, nam omnipotentia ſola vi ſua poteſt quidquid mediis cauſis ſecundis. Ergo cum iſta omnino obediat voluntati diuinæ poterit iſta velle, & applicare, determinareque vt omnipotentia ſine vlla attemperatione ad voluntatem creatam à ſe protumpat in opus, omninoque determinet voluntatem creatam, ita vt iſta ideo operetur, quia trahitur, & determinatur à Deo. Rurſus poſſet aliquis exiſtimare ipſam volitionem diuinam vi propria ſui eſſe actionem, & effectionem obiecti omnino voliti, vnde quidquid ſit de indifferentia, vel etiam inſufficientia aliorum principiorum ſe ſola trahere, & determinare ad operandum principia alias imbecillia, vel indifferentia, ſeu nondum determinata. Denique finget aliquis cum P. Arriaga diſputatione decima Phyſico. §. 11. voluntati diuinæ omnia etiam irrationalia, & inanimata per naturalem ſympathiam obedire; vt quantumuis nil phyſice immutet, vel influxum aliquem phyſicum exerceat; nihilominus ipſi mare, & venti aliaque inanimata obediant præcipienti iuxta illud Matth. 8. verſ. 27. Hæc tamen exiſtimatio non placet, niſi concurrat cum præcedenti pura enim intentionalis tendentia vt talis eſt, ſi nil phyſici roboris includat imperceptibilis eſt ab irrationali natura, vt dixi §. præcedenti de igne applicato, alias à Deo omnem influxum phyſicum poſſemus tollere, & reducere in hanc ſympathiam; imo ſimiliter modo proportionato omnem influentiam cauſarum in ſympathias has, vt oriatur calor verbi gratia, ad præſentiam ignis ſine phyſico influxu, reducere poſſemus; ex quo quæſtio de nomine erit vocare quod cauſæ influant, vel non influant.

100 Ad ſententias oppoſitas in §.97. reſpondeo. Ad primam Scotitarum implicatoriam eſſe talem attemperationem, cum hæc vt libertati vtilis ſit conſiſtat in eo quod non prædeterminet, ſed potius determinetur omne principium antecedens à cauſa libere agente, hoc autem cum efficacia intrinſeca voluntatis Dei non ſtat, niſi ſupponat ſcientiam mediam. Secunda ſententia falſa eſt vt conſtat ex dictis §. præcedenti initio, tertia autem omnino vera eſt vt vidimus.

101 Dubitatur tertiò: An ſi voluntas Dei eſſet neceſſaria, & non libera, cauſæ ſecundæ poſſent adhuc contingenter operari? hoc eſt an ſi cauſa prima neceſſario operaretur adhuc effectus cauſæ ſecundæ poſſent manere liberi, & contingentes.

An ſi voluntas Dei ageret neceſſario, cauſa ſecunda poſſent contingenter operari?

Negant. Scotus. Scotiſtæ. Corduba.

Prima ſententia negat in hac hypotheſi quod Deus operaretur ex neceſſitate naturæ: ita Scotus 1. diſtinct. 1. q. 1. & diſt. 4. q. 4. Scotiſtæ omnes apud Cordubam 1. lib. quæſt. 55. dub. 4. Mouentur primo quia cauſa ſecunda agit vt mota à prima, ſeu vt prædeterminata. Ergo ſi cauſa prima ageret ex neceſſitate neceſſario prædeterminaret, & conſequenter tolleret contingentiam operandi; nam vbi non eſt contingens prædeterminatio, nec contingens eſt prædeterminatum. Secundò arguit Faſol. hic q. 19. art. 8. dub. 2. num. 5. Si Deus ageret ex neceſſitate naturæ ageret quanta vi poteſt ergo non ſe attemperaret ſed neceſſario ſecum traheret ad opus omnes cauſas ſecundas: vt dixi de efficacitate diuinæ voluntatis §.99. Secunda ſententia affirmat ita S. Thomas 1. p. quæſtion. 14. art. 13. ad 1. Dicens, *licet cauſa ſuprema ſit neceſſaria tamen effectus poteſt eſſe contingens propter cauſam proximam contingentem.* & cum eo omnes Thomiſtæ Caietan. hic §. *Circa iſtam materiam* Ferrar. 1. contr. gent. capit. 67. §. ad euidentiam. Bannes hic concl. 7. Molina 1. p. quæſt. 14. art. 13. diſp. 11. Vaſquez diſp. 100. Arrubal. diſput. 62. Zumel hic d. 2. conc. 7. Trigoſius in Bonauent. 1. part. quæſt. 15. art. 1. dub. 1. conclu. 3. Ripa hic dub. 2. Valent. p. 6. fine. Nazar. contr. 2. Gabriel. 1. diſt. 38. quæſt. vnic. art. 1. Palacio diſputation. 2. Capreol. 1. diſt. 38. Mouentur; quia effectus poteſt ſequi proprietatem vnius cauſæ, & non alterius, quando oritur à duabus. Sic concluſio oritur probabilis ex vna certa, & alia probabili præmiſſa. Ergo ſimiliter contingens ex vna cauſa neceſſaria, & alia contingenti. Vide Palumbum prima parte, quæſtione decimaquarta in examin. ſcolaſtic. capite, quarto §. *dico quarto* in quarta doctrina.

Faſol.

Affirmant. S. Thomas. Thomiſtæ. Caietan. Ferrar. Bannes. Molina. Vaſquez. Arrubal. Zumel. Trigos. Bonauent. Ripa. Valent. Naz. Gabr. Palacios.

102 Ego exiſtimo dupliciter poſſe inſtitui ad præſens hypotheſim: primo vt Deus ſit ſimpliciter, & abſolute neceſſitatus vt agat quantum poteſt, & tunc ſine dubio traher neceſſario voluntatem creatam, vt dixi de efficacitate diuinæ voluntatis §. 99. Secundo vt Deus ex neceſſitate naturæ ſit attemperatus per modum habitus ſubiecti noſtro arbitrio, nobiſque attemperati ea ratione, qua nobis modo ex ſuo placito attemperatur; & tunc cenſeo quod nullo modo læder noſtram libertatem, dum enim concurſus phyſicus eodem modo ſe habet, nil refert quod contingat libere, vel neceſſario vt modum agendi phyſicum non immutet. Sic eadem ratione combureт ignis ſiue applicetur libere, ſiue neceſſario. Ergo ſiquidem concurſus omnipotentiæ indifferens, & quaſi nobis ſubiectus amicus eſt libertati, eandem amicitiam etiam ſeruabit quamuis non ex liberalitate, & benignitate ſed ex neceſſitate naturæ ſit ita diſpoſitus. Vnde vt reſpondeam abſolute quæſtioni cenſeo per ſe loquendo eo quod Deus agat ſine vlla libertate, ſed ex neceſſitate naturæ non ideo amitti libertatem cauſæ ſecundæ: nam neceſſitas operandi ſeu quod agens non agat libere bene componitur cum eo quod non ſit principium neceſſitans, ſed indifferens vt patet in habitu, vel etiam in cognitione, ſi phyſice influant quibus non eſt liber influxus, licet indifferenter ſe habeant ad illum.

Cum diſtinctione reſpondetur.

103 Hinc patet ad Scotum §. 101. nam non eſt opus quod Deus prædeterminet, vel à ſe agat quantum poteſt abſolute nunc: ſed quod conſtituatur ita temperate potens vt indigeat determinatione voluntatis creatæ: tunc enim aget neceſſario, ſicut habitus: id tamen fateor in eo caſu, in quo Deus ageret ex neceſſitate naturæ non ponendum tantæ virtutis, quantæ eſt nunc; alias cum non eſſet liber ad ſe cohibendum totam efficacitatem impenderet, qua cogeret nos ad operandum vt bene Faſol. citatus §. 101. Ad Thomiſtas. Reſpondeo eos vere ſentire, ſi ponant Deum à nobis determinari; at ſi à ſe & neceſſario, nil prodeſſet libertas, & contingentia cauſarum ſecundarum:

darum: hæc enim non ſtat vbi vel vnum principium eſt neceſſitans, ſeu neceſſario connexum cum opere. Sic Theologi ſecundo diſtinctione decimaquinta, & Scotus quarto diſtinctione quadrageſimanona quæſtione ſexta, §. duo ergo. Sanct. Thom. prima ſecundæ, quæſtione ſexta, articulo quarto, ſupponunt voluntatem creatam ſecundum ſe indifferentem poſſe à Deo neceſſitari. Item idem Sanct. Thom. quæſtione vigeſimaſecunda, de veritate, articulo octauo, docet voluntatem noſtram neceſſitari poſſe. Ratio huius eſt, quia vbi vel vnum principium eſt neceſſitans operatio eſt in impedibilis ex neceſſitate antecedenti, quod eſt contra libertatem. Vnde licet fateat effectum poſſe ſequi conditionem cauſæ vnius, & non alterius, ſic eſt liber, & vitalis voluntati, & non habitui, & concluſio eſt probabilis cum vna præmiſſa; ſecus euenit quando vna cauſa eſt neceſſitans, illa enim etiam indifferentem aliam trahit neceſſario in opus.

Libertati non ſufficit indifferentia vnius principij.

ARTICVLVS IX.

Vtrum voluntas Dei ſit malorum.

104 DE hac difficultate agit Sanct. Thomas 1. diſtinctione quadrageſimaſexta, quæſtione vnica articulo quarto, & ibi in alio ſcript. ad Annibal. primo, contr. Gent. capite 95. & libro ſecundo capite vigeſimoquinto, & quæſtione prima, de Pot. articulo ſexto, & Quodlibet. quinto quæſtione ſecunda, articulo ſecundo. In præſenti autem articulo nono. Ideo aſſerit Deum non velle mala culpæ, quia nil magis Deus vult, quam bonitatem ſuam, cui culpæ malum oppoſitum eſt: ergo cum nunquam appetatur malum, niſi per accidens ob aliquod bonum maius quod ad ipſum conſequitur, fit vt præ omnibus reiiciendum ſit peccatum, quod repugnat optimo.

105 Dubitatur primo: An Deus poſſit velle malum culpæ vt poſſibile ſupra §. decimoſexto, & & diſputatione ſexageſimaquinta, ſectione quarta.

An Deus poſſit velle malum culpæ vt poſſibile.

106 Dubitatur ſecundo, An Deus poſſit velle peccatum ſecundum materiale. Affirmant communiter Thomiſtæ Deum præfinire, & prædeterminare entitatem quam vocant materiale peccati. Noſtri tamen Authores id omnino negant. de quo late in tractatu de auxiliis, & in tractatu de peccatis, modo videatur hic Ruiz à diſputatione vigeſimaquinta, de voluntate, vſque ad 45. & ex ipſis Dominicanis Albelda prima parte diſtinctione 59. ſectione ſecunda. concluſion. 3. Nazar. prima parte, quæſtione vigeſimaſecunda articulo quarto, controuerſ. 3. Verdum de Aux. par. 1. fol. 54. concl. 13. ait. Prædeterminationem ad materiale pecccati eſſe blaſphemam fol. mihi 54. imo refert Philadelph. in ſua exercit. ſcholaſtic. capite tertio, §. quinto in generalibus comitiis ordinis Sancti Dominici viſam eſſe hanc opinionem repellendam à publicis aſſertionibus, quia non erat huic tempori conſentanea, & ita firmiter obſeruant Patres Beatæ Mariæ de Mercede cum Zumel, prima ſecundæ, quæſtione decimanona articulo 2. d. 3.

An poſſit velle peccatum ſecũdum materiale.

Negant cum Schola Societ. Albelda. Nazarius. Verdum. Comitia. Gen. Domin. Zumel.

107 Dubitatur tertio: An Deus concurrat, velitque concurrere in actum peccati, & quæ ſit voluntas diuina, qua præparat ſuam omnipotentiam ad concurrendum cum voluntate noſtra peccante. de hoc late agam in tract. de peccatis ad quæſtione 71. 1. 2.

Qualis ſit voluntas Dei præparãs omnipotentiam ad actum peccati.

108 Dubitatur quarto: An velit mala pœnæ, ſententia affirmatiua certa eſt cum omnibus Theologis antiquis. 1. diſtinct. 46. fine; modernis 1. p. quæſtione 19. artic. 9. pateteque ex ſcriptura ſæpius prædicante quod à Deo ſit hoc malum pœnæ. Eccleſ. 11. *Bona, & mala vita, & mors, paupertas, & honeſtas à Deo eſt* Iſai. 45. *Ego Dominus creans malum.* Amos 3. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Hinc in laboribus, & pœnis huius ſæculi id maximo ſolatio eſt quod ſcilicet ſciamus à Deo eſſe.

An velit mala pœna.

109 Dubitatur quinto: An poſſit Deus titulo ſupremi dominij velle quodcunque malum pœnæ creaturæ rationali. Prima ſententia communis affirmat, vel id ſupponit quia omni noſtro bono præponderat ſola voluntas Dei. Ergo pro placito poterit Deus nobis inferre malum; ſicut nos poſſumus lignum tradere igni: confirmatur licet nobis titulo dominij, quod habemus ſuper omnia animalia irrationalia ea occidere, vel aliter dilaniare vt appareat tale dominium, aliave noſtra perfectio, vt qui in agitatione taurorum, eos vulnerat vt agilitas, vel dexteritas appareat. Ergo à fortiori ita poterit Deus ſe gerere nobiſcum. Secunda ſententia mihi veroſimilius eſt non poſſe, niſi ex tali malo vberius bonum nobis præparetur. Id mihi probat tum communis omnium apprehenſio, qua præciſè ducti ex ſumma bonitate, & benignitate Dei putamus nos non paſſuros tot aduerſitates, & labores niſi ob maius noſtrum bonum à Deo diſponantur, tum etiam ex diſtinctione voluntatis *antecedentis*, & *conſequentis* ratione cuius Deus de ſe dicitur inclinare in beneficientiam. ſi autem à ſe determinaret pœnas, & tormenta quæ eſſet beneficentia? *Deus de ſuo optimus* (ſic dixit Tertullian. lib. de reſurr. carnis) *de noſtro iuſtus.* Vnde puto cum Arriaga diſputatione trigeſimanona, de Prædeſtinatione. §. nono. Deum non poſſe titulo ſupremi dominij deſtinare hominem æterno, cruciatibus, nulli enim bono ipſius hominis conducere poſſunt æterna tormenta, ſicut conducunt temporalia.

An titulo ſupremi dominij velle poſſit quodcumque malum pœnæ creaturæ rationali.

Veriſimilius eſt non poſſe æternum.

110 Dubitatur ſexto: An Deus habeat ſimplicem complacentiam in malis negationum, & carentiarum, vt ſicut complacet in luce ita complaceat complacentia ſimplici in tenebris. De hoc egi ſupra dubio quarto ad articulum ſecundum §. decimooctauo.

An Deus habeat ſimplicẽ complacentiã in malis negationum & carentiarum.

111 Dubitatur ſeptimo: An Deus poſſit velle, efficaciter finem, qui non poteſt conſequi ſine peccato ante huius abſolutam præuiſionem, ſicque poſſit habere voluntatem antecedenter, & efficaciter connexam cum peccato. Reſpondeo affirmatiue de quo in tractatu de peccatis, & in tractatu de prædeſtinatione plura dicam ſtatuens poſſe dari præfinitionem abſolutam, & efficacem pœnitentiæ ante præuiſum abſolute peccatum.

An poſſit velle efficaciter finem, qui non poteſt obtineri abſque peccato.

ARTI

ARTICVLVS X.

Vtrum Deus habeat liberum arbitrium?

112 De hac difficultate agit. S. Thom. 2. diſt. 25. quæſt. 1. artic. 1. & in alio ſcripto. ibi. quæſt. vnic. artic. 1. & 1. contr. gent. cap. 88. & quæſt. 23. de verit. articul. 3. & quæſt. 16. de malo articul. 5. in præſenti autem articul. 10. affirmat reſpectu aliorum, quæ Deus non neceſſario vult, ſecus reſpectu ſui, cum ſe neceſſario velit.

113 Dubitatur primo: An in Deo proprie ſit liberum arbitrium? Negat Aureol. 1. d. 47. quæſt. 1. articul. 4. §. *tertio ſequitur*. quia putat hoc non dari vbi ipſa volitio non ſit contingens, qualis eſſe nequit vlla perfectio Dei. Idem ſenſere plures ethnici cum Ariſtotele apud Albertum, & Cathuſ. 1. diſtinct. 45. quæſt. 1. col. 3. & cum Vvicleph. Luthero, Caluino, Bucero apud Bellarm. tom. 3. libr. 3. de gratia & liber. arbitr. cap. 15. ſed infideles hi omnes mouentur quia negant Deo libertatem. Vera ſententia ſit Deo competere liberum arbitrium, nam huius nomine ſolum denotatur voluntas libera, hæc autem ſine vlla contingentia ipſius volitionis poni poteſt vt late explicui diſputatione quinquageſimanona ſect. 10. & diſput. 60. ſect. 2.

An Deo ſit proprie liberũ arbitrium?

114 Dubitatur ſecundo: An liberum arbitrium per modum actus primi phyſici competat Deo; vel etiam per modum principij virtualiter actiui ex natura rei. De hoc egi diſputatione ſeptuageſima:

An liberũ arbitriũ per modum actus primi phyſici Deo cõpetat?

115 Dubitatur tertio: An Deus circa ſe ſolum poſſit exercere actum liberum, habeatque Deus erga ſe liberum arbitrium de hac difficultate egi dub. 6. in artic. 3.

116 Vide alias dubitationes, quæ excitari poſſunt in hunc articulum, quas excitaui propoſuique ad artic. 3.

ARTICVLVS XI.

Vtrum ſit diſtinguenda in Deo voluntas ſigni.

117 De hac difficultate agit. S. Thomas. 1. diſt. 45. quæſt. vnic. articul. 4. & in alio ſcripto ibi. & quæſt. 23. de verit. articul. 3. in præſenti autem articul. 11. ait in Deo dupliciter poni voluntatem, aliquando ponitur proprie talis, & iſta dicitur *beneplaciti*, aliquando metaphorice, quia vere non vult, ſed tamen ad modum volentis ſe habet, vt quando præcipit, vel conſulit, & hæc dicitur voluntas

118 *ſigni* quia quoad effectum apparet dari in Deo veram voluntatem cum vera non ſit.

Dubitatur primo: An voluntas *ſigni* vel etiam beneplaciti ſit in Deo circa omnium in particulari etiam reproborum ſalutem: De hoc egi ſupra §. 73.

An voluntas ſigni, vel etiã beneplaciti ſit in Deo circa omnium in particulari etiã reproborum ſalutem?

Dubitatur ſecundo: An voluntas ſigni ſemper impleatur. Communiter negant authores, qui inuenerunt voluntatem *ſigni* pro ea, quæ non impletur, ideo petimus quod fiat voluntas Dei, quia ſcilicet hoc poteſt non ita euenire; dicanturque peccatores agere contra voluntatem diuinam; & quidem ſemper, ac agunt contra præceptum, prohibitionem, vel conſilium agunt contra voluntatem ſigni. Nihilominus cenſeo non ideo fieri contra voluntatem Dei ſimpliciter imo neque contra voluntatem ſigni: & quidem de voluntate ſimpliciter certum eſt ſiquidem ſtat adhuc voluntas efficax Dei, quæ cenſetur ſimpliciter talis. Auguſt. Pſalm. 110. *Magna opera Domini Eligat* inquit, *ſibi homo quodlibet: Non ſic conſtituta ſunt opera Domini, vt creatura in arbitrio libero conſtituta creatoris ſuperet voluntatem, etiamſi contra eius faciat voluntatem. Non vult Deus vt pecces, nam prohibet: tamen ſi peccaueris, non putes hominem feciſſe, quod voluit, & Deo accidiſſe, quod noluit. Sicut enim vult vt homo non peccet: ita vult peccanti parcere, vt reuertatur, & viuat: ita vult poſtremo in peccato perſeuerantem punire, vt iuſtitiæ potentiam contumax non euadat. Ita quidquid elegeris, omnipotenti non deerit vnde ſuam de te compleat voluntatem*; eiuſdem ſententiæ ſunt communiter Sancti Patres Proſper. Pſalmo centeſimodecimo Fulgent. libro primo ad Monim. capite vigeſimoſexto, Leo Sermone ſecundo de Epiphania, Gregorius ſexto Moralium capite duodecimo initio, Chryſologus Sermone nonageſimoſeptimo, Bernardus tractatu de gratia & libero arbitrio inter medium & finem. Beda ad Romanos vndecimo, Damaſcenus ſecundo de fide capite vigeſimonono Clemens Romanus libro primo recognit. cap. 7. Clem. Alexand. lib. 1. ſtromat. circa med. Irenæus aduerſ. hær. cap. 72. Dionyſ. de diu. nom. cap. 4. & communiter Theologi. 1. diſtinct. 47. quatenus dicunt nil mali euenire quod non ſeruiat volitioni, quam de alio bono habet Deus. Vnde impleatur alia voluntas beneplaciti quando agi videtur contra voluntatem *ſigni*. 119

An voluntas ſigni ſemper impleatur?

Simpliciter voluntas Dei ſemper impletur.

August. Fulgent. Leo. Gregor. Chryſol. Bernard. Beda. Damaſc. Clem. Rom. Clem. Alex. Irenæus.

Dixi *videtur* quia vt notaui §. præcedenti nunquam omnino agitur contra voluntatem *ſigni* nam licet agatur contra præceptum, prohibitionem vel conſilium at eo ipſo agitur iuxta *permiſſionem*, ſeu iuxta voluntatem permittendi, ſi enim Deus nollet permittere, non eueniret peccatum contra eius prohibitionem; vt per ſe patet. 120

Etiam ſigni ſecundũ aliquid ſui.

Dubitatur tertio: An voluntas *ſigni* ſemper afferat ſecum adiunctam voluntatem *beneplaciti*? Ratio dubitandi eſt, quia ſi non adiungitur, ergo ſignum eſt falſum, cum ſignet voluntatem, quæ in re non datur; vnde male peccatores dicentur agere contra voluntatem Dei, eo quod agant contra eius præcepta; neque è contra dicetur iuſtus obedire voluntati Dei, quando obedit eius legi: vel denique quando oramus vt fiat voluntas Dei; non orabimus vt eius præcepta obſeruentur. In contrarium autem eſt communis diſtinctio inter voluntatem *ſigni*, & *beneplaciti*, quæ ab omnibus Theologis admittitur hic. 121

An voluntas ſigni ſemper afferat ſecum adiunctã voluntatem beneplaciti?

122 *Quomodo diſtinguantur volũtas ſigni & beneplaciti.*

Dicendum eſt voluntatem *ſigni* afferre quidem voluntatem *beneplaciti* non quidem directam eiuſdem operis, cuius dicitur eſſe voluntas ſigni, ſed indirectam alterius. Quod in *Permiſſione* patet. Nam Deus non vult peccatum, vult tamen illud non impedire. *Operatio* eſt etiam voluntas ſigni dum *Punit*, verbi gratia, ſignificatur in Deo eſſe *Ira*; at vero non datur *voluntas iraſcens*, datur tamen alia voluntas peccata puniendi. Rurſus in præcepto (ſimiliter dicendum eſt proportionate de Concilio, & Prohibitione) Deus non ſemper vult rem, quam præcipit, verbi gratia, mortem Iſaaci, quam Abrahamo præcepit; At vere voluit quod Abrahamus vellet occidere Iſaacum vnde etiam volebat quod quis deſideraret, vel precaretur pro occiſione Iſaaci ab Abrahamo, & licet non occidi Iſaacum, ea ratione, qua contigit; non fuerit contra veram voluntatem Dei; at vere faceret contra voluntatem Dei Beneplaciti Abrahamus, ſi ex ſe renueret ſacrificio illi. Huic ſolutioni conſonant in re omnes Theologi Antiqui cum Albert. prima parte quæſtione octaua membr. 1. ad 7. Alenſ. prima parte quæſtione 37. membr. 1. Durand. 1. d. 47. quæſtione 3. numero 14. ex qua ſatisfit rationi dubitandi in §. præced. Iuſti namque bene dicuntur ſe conformari voluntati Dei, (& è contra peccatores contra illam agere) quia licet Deus nil curet de actione exteriori, & eam in re non velit; at vult eorum obedientiam, & voluntatem vt explicui de Abrahamo. Igitur voluntas ſigni per ſe non appellat ſupra actum immanentem Dei; ſed ſupra effectum ad extra qui eſt ſignum volitionis Dei directæ, vel indirectæ modo iam explicato.

Albert. Alenſis. Durand.

ARTICVLVS XII.

Vtrum conuenienter circa diuinam voluntatem ponantur quinque ſigna?

123 De hac difficultate agit. S. Thomas. 1. diſt. 45. articul. 4. item alio ſcripto ibidem; & quæſt. 23. de verit. articul. 3. in præſenti autem articul. ait quinque ſignis diuinam dignoſci voluntatem, quæ, & voluntas *ſigni* nominatur ſcilicet *prohibitio*, & *permiſſio* reſpectu mali, *conſilium*, *præceptum*, & *operatio* reſpectu boni; quæ ſigna comprehendit. S. Thom. 1. d. 45. quæſt. 1. articul. 4. fine corp. illo verſu:, *Præcipit, & prohibet, permittit, conſulit, implet.*

124 *An operatio ſit voluntas pure ſigni, an etiam beneplaciti?*

Dubitatur primo: An *operatio* ſit voluntas pure ſigni, an etiam beneplaciti? Reſpondeo vt conſtat ex §. 122. operatio puniendi vt ſignificat voluntatem *iræ* puri ſigni eſt; vt autem ſignificat voluntatem de ipſa operatione, & actu punitionis, ſic veram voluntatem beneplaci includit; Deus enim non operatur niſi volens.

125 *An poſſint poni plura vel pauciora ſigna diuinæ voluntatis?*

Dubitatur ſecundo: An poſſint poni plura, vel pauciora ſigna voluntatis diuinæ. Hugo Victor. in ſentent. tract. 1. cap. 13. de volunt. Dei quatuor tantum ponit. quia conſilium prætermiſit. Athan. duo tantum tractatu ſecundo, de diffinit. capite ſecundo, è contra vero P. Didacus Ruiz diſp. 17. de volunt. ſect. 1. num. 10. addit ſextum ſignum, ſcilicet *Prophetiam* comminatoriam; nam iſta comminatio ſæpe eſt ſine voluntate implendi, ſed potius condonandi vt Niniuitis. Reſpondeo res eſt pure de nomine, quæ poteſt minui, vel augeri pro varia vſurpatione, & modo loquendi. hic tamen communior ſcholaſticis, & ad intelligendos ſacros, & Eccleſiaſticos doctores quinque communiter diuidit modo explicato ſupra cum magiſtro 1. diſtinct. 45. poſt. med. S. Thom. hic Albert. 1. part. quæſt. 80. memb. 1. Alenſ. 1. part. quæſt. 36. membr. 1. Henric. 2. part. artic. 47. quæſt. 2. fine. d. Bonau. 1. d. 45. art. 3. quæſt. 1. 2. Durand. Ruard. quæſt. 1. Maior quæſt. vnic. Marſil. 1. quæſt. 25.

Hugo 4. Athan. 2. Ruiz. 6. addens Prophetiam cōminantem.

Theologi communem. 5. Magiſt. S. Thomas. Albert. Alens. Henric. Bonau. Durand. Ruard. Maior. Marſil.

QVÆSTIO XX.

De amore Dei.

QVÆ in hac quæſt. agit S. Thomas tractata à me ſunt in diſputationibus de voluntate Dei; vel latius tractanda erunt in locis aliis opportunioribus ſcholaſticæ controuerſiæ vt notabo infra.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Deo ſit amor.

De hac difficultate agit. S. Thomas 3. diſt. 32. articul. 1. & ibidem in alio ſcrip. ad Annib. & 1. contr. gent. capite 89. & tribus ſeq. & 96. & libro quarto, capite 19. in præſenti autem articul. 1. probat dari amorem in Deo, quia hic eſt primus actus voluntatis, in quo omnes alij fundantur: ergo Deus qui voluntatem habet non poterit eo carere. 1

Dubitatur primo: An in Deo ſit amor ſtrictus proprie, & ſimpliciter talis, vel ſolum purum gaudium circa ſeipſum? de hoc late egi diſputatione ſexageſimaoctaua, ſectione ſecunda & tertia, vbi amorem ſtrictum defendi, cui fauet Auguſtin. tractatu 87. in Ioan. ſub init. exponens illud Galat. 5. *Fructus autem Spiritus eſt charitas, gaudium, pax, &c.* ſic inquit: *A capite hoc poſuit: Fructus Spiritus charitas eſt, ac deinde cætera tanquam ex iſto capite exorta, & religata contexuit: Quæ ſunt gaudium, pax, &c. Quis enim bene gaudet, qui bonum non diligit vnde gaudet.* Specialiter autem hunc amorem in Deo defendit Auicenna apud Henr. in ſum. articulo quinquageſimo quæſt. 2

Quo pacto Deus ſeipſum amet, an per amorẽ ſtrictũ proprietalem, an per purum gaudium? S. Aug.

Auicenna.

quæſt. 2. fine corporis ; ex eius perfectione inferens dari in Deo perfectiſſimam delectationem.

3 *An ſolus Deus poſſit ſe comprehenſiue diligere?*

Dubitatur ſecundo: An ſolus Deus poſſit ſe comprehenſiue diligere? ſupponit dubitatio hæc Deum ſe amare comprehenſiue vt dixi diſput. 68. ſect. 4. & quærit an hoc poſſit creaturæ conuenire. Reſpondeo negatiue quia ſolus Dei amor adæquat amabilitatem eſſentiæ diuinæ, vt patet ex dictis de comprehenſione cognitionis diſput. 30. ſect. 1. Ita Ricard. Vict. lib. 5. de Trinit. cap. 16. ſub princ. *veræ dilectionis plenitudo in ſolo conſtat amore ſummo, vniuerſaliterque perfecto. Solus vero amor ſummus ille iure nominatur, qui tantus eſt, quo non poteſt eſſe maior. Vnde & animaduertere licet, quia veri amoris plenitudo haberi non poteſt ab aliqua perſona, quæ Deus non eſt. Alioqui ſi præter Deum aliquis veri amoris plenitudinem habere præualuiſſet vtique in charitate,| & eo ipſo in bonitate æqualis Deo eſſe potuiſſet perſona, quæ Deus non eſſet. Sed quis hoc dicat, vel tenuiter æſtimare præſumat?* ita omnes Theologi cum S. Thoma. 2. 2. quæſt. 24. artic. 8. Marſil. 1. diſtinctione trigeſimaquarta articul. concl. 4.

Richar. Vict. S. Thomas. Marſil.

4 *An amor Dei erga ſe conditionaliter procedat?*

Dubitatur tertio: An amor Dei erga ſe. Conditionalitar procedat? An efficacitet. An reflexe. An ſe amet propter creaturas. De hoc dixi breuiter, ſed ſatis diſputatione ſexageſimaoctaua ſect. 4.

5 *An amor Dei erga ſe poſſit eſſe liber?*

Dubitatur quarto. An amor Dei erga ſe admitti poſſit liber. De hoc egi diſputatione ſexageſimaoctaua ſection. 1. & quæſt præced. §. 65.

6 *Qualis ſit amor inter diuinas perſonas? ſit ne amicitiæ. Affirmant.*

Dubitatur quinto: An amor inter diuinas perſonas ſit amicitiæ; vel concupiſcentiæ? eſſe amicitiæ tenet Ruiz d. 52. de voluntate quia Spiritus ſanctus dicitur charitas, qua Pater, & filius ſe diligunt. Auguſtin. 6. de Trinit. cap. 5. *Spiritus ergo ſanctus commune aliquid eſt Patris, & filij, quidquid illud eſt: at ipſa communio conſubſtantialis, & coæterna. Quæ ſi amicitia conuenienter dici poteſt dicatur, ſed aptius dicatur charitas* proſper lib. Sentent. Sent. 371. *ſanctus Spiritus eſt Patris, & Filij tanquam charitas ſubſtantialis amborum.* Item vt admittatur in Deo proprie charitas probatur perſonarum pluralitas cum Richard. Vict. 3. de Trinit. cap. 2. initio. *Vbi pluralitas perſonarum (inquit) deeſt, charitas omnino eſſe non poteſt* ita Theologi. 1. diſtinct. 2. S. Thom. quæſt. 1. artic. 4. S. Bonau. artic. 1. quæſt. 4. Ricard. artic. 2. quæſt. 1. Albert. 1. part. quæſt. 29. metaph. 1. artic. 2. col. 3. Alenſ. 1. part. quæſt. 43. metaph. 5. Henric. Sum. articul. 43. quæſt. 8. & 9. Alarcon. diſput. 2. de volunt. cap. 4. numer. 6. Martinon. diſput. 16. ſect. 3. num. 19. Hemelman. titul. 5. de volunt. diſp. 2. cap. 13. num 3. cui ſententiæ ego adhæſi diſp. 68. ſect. 4.

Ruiz. Auguſt. Proſper. Richar. Vict. Thomas. Bonau. Richard. Albert. Alenſ. Henric. Alarcon. Martinon. Hemelm.

7 *Nō eſt amicitia ad ſe.*

Addo modo primo Deum ad ſe non habere proprie charitatem. Id patet manifeſte ex Gregorio homil. 17. in Euangel. initio: *Minus quam inter duos haberi charitas non poteſt. Nemo enim proprie ad ſemetipſum habere charitatem dicitur; ſed dilectio in aliud tendit vt charitas eſſe poſſit.* Addo ſecundo cum Alarcon. d. 2. de volunt. cap. 4. numer. vlt. amorem Dei erga diuinas perſonas, ſublato nominis odio, etiam eſſe *concupiſcentiæ*. Ratio eſt quia amor quo Deus ſibi, & propter ſe amat creaturas non eſt amicitiæ, ſi conferatur cum creaturis: ſed ſimili amore poteſt pater ſibi amare perfectionem filij, hoc enim honeſtiſſimum eſt. Ergo præter amorem amicitiæ, habet etiam alium vna perſona diuina erga aliam; omnis autem amor qui vt ſic non eſt amicitiæ, concupiſcentiæ nominatur. Huic concluſioni ſe opponit Ruiz. diſp. 52. de volunt. ſect. 5. num. 9. putans ad amorem concupiſcentiæ requiri quod bonum ametur vt iucundum, & vtile amanti præſcindendo ab honeſtate, ſitque tale bonum inferius, & minus nobile quam bonum honeſtum. Sed contra nam amor *concupiſcentiæ* hic præciſe ſonat quod ſit propter ipſum amantem, & non ſit propter alium amatum; totum autem hoc inuenitur quidquid ſit de honeſtate obiecti.

S. Greg.

Eſt etiā concupiſcentiæ inter perſonas.

8 *An amor Dei circa rationales creaturas ſit veræ amicitiæ erga ipſas. Affirmandū omnino.*

Dubitatur ſexto. An amor Dei circa creaturas rationales ſit veræ amicitiæ erga ipſas. Sententia affirmans ita certa eſt vt ſine errore non poſſit abſolute negari vt ait Ruiz diſp. 52. ſect. 6. num. 7. ex patribus, & ſcriptura ſæpius docentibus, & demonſtrantibus hanc amicitiam Dei erga nos: ita Theologi antiqui 3. diſtinctione 32. vbi. S. Thom. Capreol. Durand. quæſt. vn. artic. 2. Scotus. quæſt. vn. fine ad 2. argum. Richard. articul. 1. quæſt. 1. ad 2. Carthus. quæſt. vnic. Gabr. quæſt. vnic. articul. 1. notab. 2. & articul. 2. concluſ. 3. Nouiores Theolog. cum S. Thom. 2. 2. quæſt. 23. articul. 1. Alarcon diſp. 2. de volunt. cap. 3. Martinon diſp. 16. de Deo ſect. 3. ſed de hoc ego ſatis egi diſp. 73.

Ruiz. Thom. Capreol. Durand. Scot. Ricar. Carthuſ. Gabr. Alarcon. Martinon.

9 *An amor Dei poſſit eſſe conditionatus, &c.*

Dubitatur ſeptimo: An amor Dei poſſit eſſe conditionatus & diſiunctiuus. De hoc egi diſp. vlt. in tract. de volunt.

10 *An detur in Deo deſideriū, & circa quæ? Negant.*

Dubitatur octauo: An detur in Deo *deſiderium*, & circa quæ. Prima ſententia negat Deo deſiderium Capreol. 1. d. 45. articul. 1. concl. 5. S. Tho. 1. contr. gent. cap. 89. art. 6. (Ferrara ibi), & 1. part. quæſt. 20. articul. 1. corp. & ad. 2. vbi Caietan. Molina, Zumel, Bannes, Arrubal. Nazar. Faſol. ibi dub. vn. numer. 8. Mouentur, quia deſiderium eſt de bono abſenti, Deo autem nil eſt abſens cum omnibus coexiſtat; ſi autem dicas Deum poſſe deſiderare ſalutem reprobo, cum hæc abſens ſit: contra eſt quia quando præſens videtur negatio boni tunc non deſideratur boni exiſtentia pro eo tempore; nemo enim filio ſuo ſalutem deſiderat pro eo tempore, quo præſentem eius morbum videt, ſed pro tempore illo dolet de morbo, & deſiderat ſalutem pro tempore ſequenti poſt id in quo videt eum ægrotare. Confir. quia bonum quod Deus deſiderare poteſt non eſt *increatum* omnia enim increata præſentiſſima ſunt, quin abeſſe poſſint. Neque item *creatum*; nam bonum illud non deſideratur; quando tale eſt vt ſiue adſit ſiue abſit non minuit, neque auget delectationem. Deus autem non triſtatur ex bono creato abſenti ergo neque illud, ne abſit, deſiderat. Confirmatur

Capreol. S. Thom. Ferrara. Caiet. Molina. Zumel. Bannes. Arrubal. Nazar. Faſol.

matur ſecundo; quia nullum eſt bonum, quod Deus ſi efficaciter vellet non conſequeretur; nullus autem dicitur deſiderare illud bonum, quod à ſe ſolo pendet, & quod ideo non exiſtit, quia ipſe non vult, licet autem homo non ex defectu Dei deficiat à ſalute, vere tamen ſi Deus efficaciter vellet dare auxilia efficacia ſalutem conſequeretur.

11 Secunda ſententia, & mihi vera affirmat ita Suarez lib. 3. de attr. cap. 7. Vaſquez d. 84. cap. 1. Herize d. 20. de vol. cap. 3. Martinon. d. 16. num. 29. Alarcon d. 7. cap. 2. Syluest. 1. part. conſt. quæſt. 20. art. 1. ad. 6. Moueor quia Deus vere deſiderat omnes homines ſaluos vt patet ex quæſt. præced. artic. 6. dub. 5. ſic omnes Patres 1. Timoth. 2. ſpecialiter Chryſoſt. homil. 7. & hom. 1. ad Eph. *ex noſtris nil aliud cupit, quam noſtram ſalutem, quam valde cupit, valde deſiderat*, ſic vere peccatores faciunt contra voluntatem Dei, non ſolum *Signi*, ſed *Beneplaciti* vt ibi dixit. At hæc voluntas non eſt amoris ſtricti, vel ſimplicis complacentiæ, cum cogat ad ponenda media. Ergo reſtat vt ſit proſecutionis, ſeu deſiderij vt notat Smiſing. diſput. 5. de Deo §. 39. Suarez 4. de præd. cap. 2. num. 10. Ruiz etiam d. 20. de vol. ſect. 11. & 12. igitur voluntas iſta eſt vere, & propriè deſiderij. Addo tamen non eſſe proprie deſiderium in Deo eius boni, quod adæquate ab ipſo pendet, nam virtualiter iam poſſidet, nec moraliter ipſi contingit; quia tamen intentio, & volitio creandi vere reſpicit bonum abſens ſaltem pro eo priori, quo ipſa elicitur, etenim pro eo priori nondum Deus videt mundum creatum, quæ abſentia ad verum deſiderium ſufficiens eſt, ideo licet non proprie, improprie tamen, & quaſi deſiderium eſt illa intentio, non enim eſt amor ſtrictus, nec ſimplex complacentia, ſed vera proſecutio boni contingentis. Addo denique minus propriè dicendum deſiderium, imò ſimpliciter negandum in Deo reſpectu ſuarum perfectionum neceſſariarum. Quia deſiderium vt tale debet eſſe affectus proſecutionis *boni contingentis non habiti*. Perfectio autem neceſſaria Dei, licet pro priori ad amorem, v.g. Spiritus ſanctus pro priori ad amorem à quo procedit, nondum exiſtat, nec habeatur formaliter, habetur tamen virtualiter, & æquiualenter in eſſentia, & in neceſſitate vt procedat.

Affirmandũ eſt. Cum Suarez. Vaſq. Herize. Martinon. Alarcon. Syluester Chryſoſt. Smiſing.

Non eſt deſiderium eius boni, quod omnino adæquate pendet à volente.

Deſideriũ eſt affectus boni contingentis non habiti.

12 Hinc ad fundamenta pro ſententia affirmante in §. 10. Reſpondeo ad primum dico vero deſiderio ſufficere abſentiam præciſiuam boni, dum hoc contingens ſit, & ab alterius voluntate pendens, vt patet quando quis motus ex reuelatione, quod ſtatim habebit gratiam, ſi eam peteret, & deſideraret, eam à Deo deſiderans poſtularet. Iam vero Deus pro eo priori, quo homini auxiliatur ex vera voluntate ſalutis nondum præuidet, ſed præſcindit à ſalutis exiſtentia. Deinde Deus adhuc videns in reprobo negationem ſalutis poſſet habere affectum, quo vellet vt loco talis negationis ipſa ſalus adeſſet. Ad primam confirmationem circa bonum increatum licet non ſit deſiderium ex §. præced. eſt tamen circa creatum; ſicut enim circa hoc exiſtens eſt gaudium, vt de vno peccatore pœnitentiam agente, non obſtante limitata bonitate creaturarum, ita cum hoc bonum non præcognoſcitur vt præſens, poterit dari deſiderium: vide diſp. 65. ſect. 1. An vero poſſit dari triſtitia in Deo de abſentia boni deſiderati dicam §. 18. Ad ſecundam confirmationem Deus deſiderat conſequi ſalutem per hoc auxilium determinatum, licet non quomodocumque vt ſic autem ab alio dependet ſalus deſiderata, qui reſiſtere poteſt voluntati Dei, ea ratione qua id explicui quæſt. 19. §. 72. poſſe id euenire ſine imperfectione ex parte efficacitatis voluntatis diuinæ.

13 Dubitatur nono: An detur in Deo ſpes. Prima ſententia fere extra controuerſiam, cum omnes Theologi citati dub. præced. eam defendant; negat. Vide Ruiz diſput. 52. ſect. 8. Hemelman. tom. 1. pag. 417. num. 8. Mouentur primo: quia obiectum ſpei debet eſſe arduum ſperanti, id eſt difficile, & non ſine labore obtinendum: ſic Rom. 8. dicitur: *Si autem, quod non videmus ſperamus per patientiam expectamus*: quæ verba ponderans Chryſoſtom. Rom. 8. Serm. 14. duab. col. ante morale addit: *Nam velut laborantem Deus, ac fatigatum, innumeraque paſſum, ita ſperantem coronat: ipſum enim patientiæ nomen, ſudorum eſt multaque tolerantiæ*, ita Theoph. ibi. Auguſt. Pſalm. 91. ſub init. *Modo ergo patientia neceſſaria eſt, quandiu veniat quod promiſſum eſt. Nemo autem patiens eſt in bonis. Quando dicitur patiens eſto, moleſtia eſt ſub qua te Deus vult eſſe fortem*; tunc ſic ſed nil eſt impoſſibile, nec difficile apud Deum. Ergo, &c. mouentur ſecundo cum Vaſquez 1. part. d. 84. cap. 1. quia ſpes reſpicit alium à quo bonum ſperatur à ſe enim nemo dicitur aliquid ſperare maxime, ſi ipſe ſolus ſine interuentu mediorum operetur: quis enim dixit *ſpero quod ego voliturus ſum*? At Deus nil accipit ab alio, ſed omnino à ſe. 3. S. Thomas arguit quia Deo nil eſt futurum.

An detur in Deo ſpes?

Omnes Theol. negant cum Ruiz. Hemelm. Chryſoſt. Theophy. Auguſt. Vaſquez. S. Thom.

14 Ego ſto communi huic ſententiæ, ſed non propter hæc fundamenta. Nam licet Deus immediate operetur, at determinatio ad opera libera venit à noſtra voluntate, iure ergo Deus volens quantum eſt ex ſe opus bonum æquiualenter vult ab alio, & vult opus, quod hic, & nunc in manu eius non eſt, ſicque poteſt dici difficile ex ſuppoſitione. Vnde Iſai. 5. *expectaui vt faceret vuas fecit autem labruſcas*: & Iſai. 30. *expectat Dominus vt miſereatur veſtri*. Quid enim quoad hoc deficit Deo ne dicatur ſperare opus bonum à creatura, ſicut magiſter ſcribendi ſperat bonam formationem characterum à puero, qui magiſtri manu vtitur ad ſcribendum, vbi formatio illa ſperata, à magiſtro etiam fit? Ideo Martinon. diſput. 16. de Deo n. 33. ſpem aliquo modo concedit Deo: maxime cum non repugnet titulo futuritionis requiſitæ in obiecto, vt conſtat ex §. 11. & in caſu quo quis ex reuelatione cognoſceret caſu quo ſperaret à Deo peteretque cum fiducia, nil hæſitans gratiam in inſtanti. Atqui ſtatim pro eodem inſtanti ſe illam accepturum vbi ſimul cum ſpe petente componitur ſcientia de præſentia gratiæ petitæ. Nihilominus abſolutè nego ſpem; quia hæc non datur in eo cui euentus nullius vtilitatis eſt:

Probatur quia Deo nil magnum extra ſe.

eſt: etenim ſimpliciter loquendo non ſperat quis niſi bonum, quod magnum eſt apud illum, aliquidque felicitatis illi adauget, quo pacto explicant plures obiectum ſpei debere eſſe arduum Hurt. diſput. 96. de Spe. ſect. 5. §. 58. Ouiedo contr. 4. de Spe. p. 1. num. 101. S. Bonau. 3. diſtinct. 26. articul. 6. quæſt. 4. Creata autem bona, licet amabilia ſint vt dixi, diſp. 65. ſect. 1. non tamen Deo vtilia.

15 *An in Deo detur circa peccatores odium inimicitiæ? Negant.* Dubitatur decimo: An detur in Deo circa peccatores odium inimicitiæ? datur in Deo odium *abominationis* circa peccatum, quo ſcilicet Deus ita diſplicet in peccato vt vellet quantum eſt ex ſe peccatum non eſſe, illudque vt actuale eſt, deſtruere. Difficultas eſt an detur odium *inimicitiæ* circa perſonam ipſam peccantem, quo ſcilicet Deus ratione peccati ita in ipſo homine diſpliceat, vt amet malum illi, quia malum illius eſt. Prima ſententia negat ita Suar. lib. 3. de Attr. cap. 7. num. 5. fine. S. Thom. 1. contr. gent. cap. 96. Ferrara ibi Capreol. 1. d. 45. a. 1. concl. 8. Nazar. 1. part. quæſt. 20. art. 1. col. 2. Aureol. 1. d. 40. quæſt. 1. a. 1. Henric. artic. 46. quæſt. 3. Durand. 4. d. 17. quæſt. 7. num. 10. Granad. tr. 6. d. 2. Faſol. 1. part. quæſt. 20. articul. 1. fine Conninc. d. 29. de act. ſup. diſp. 1. num. 22. (*Suarez. S. Thom. Ferrara. Capreol. Nazar. Aureol. Henric. Durand. Granad. Faſol. Conninc.*) Mouentur quia Deus nil odit eorum, quæ fecit: ergo licet odio habeat peccatum, quod Deus non facit, at non ſubſtantiam peccatoris, quæ etiam dum actu peccat à Deo fit, ipſamque directe vult exiſtere. Secundo: quia inimicitia odit malum inimico præciſe quia malum illius eſt. Etenim velle malum vtcumque etiam contingit erga amicos, dum volumus id ob maius eorum bonum, ſic Deus quos amat vt amicos caſtigat. Atqui Deus non vult malum peccatori, niſi ob maius bonum correctionis, vel etiam iuſtitiæ punitiuæ. Ergo non odit vt inimicos.

16 *Affirmandū cum Vaſq. Arrubal. Herize. Alarcon. Martinon. Auerſa. Præpoſit.* Secunda ſententia mihi vera concedit odium inimicitiæ ita Vaſquez 1. part. d. 84. cap. 3. n. 13. Arrub. quæſt. 20. num. 6. Herize. d. 10. num. 4. Alarcon. d. 7. cap. 3. Martinon. d. 16. num 39. Auerſa quæſt 20. artic. 2. Præpoſitus. 1. part. quæſt. 20. num. 8. Probatur odium puræ *abominationis* eſt quo diſplicet malum ob complacentiam in perſona, vt dum odi ægritudinem Patris. *Inimicitia* vero quo placet malum ob diſplicentiam in perſonam. Sic aio cum his authoribus Deum non ſolum diſplicere in peccato, ſed etiam diſplicere in ipſo peccatore propter peccatum patet. Primo à paritate iuſtitiæ, ſeu gratiæ, ratione cuius Deus non ſolum ſpecialiter complacet in ipſa gratia, ſed etiam in ipſo homine grato: ergo hic etiam ipſe homo peccator in ſe diſplicebit ratione peccati, ſicut ratione offenſæ ipſa perſona offenſoris nobis diſplicet. Secundo: Quia peccator eſt vere inimicus Dei Pſalm. 36. *Inimici vero Domini mox vt honorificati fuerint*, Rom. 8. *cum inimici eſſemus*, &c. Ergo ſicut eo quod homines dicantur *amici* colligitur amicitia ex parte Dei, ita è contra. Tertio: Denique maximè patet ex locis ſcripturæ in quibus æque, & ſimiliter *odio eſt Deo impius*, & impietas Sap. 14. & Pſalm. 5. *odiſti omnes qui operantur iniquitatem*. Pſalm. 30. *odiſti omnes obſeruantes vanitatem*. Sap. 14. *Altiſſimus odio habet peccatores* Prouerb. 6. *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius*, &c. *Proferentem mendacia, teſtem fallacem, &c.* Tunc ſic ſed inimicitia formaliſſime conſiſtit in diſplicentia, ſeu deteſtatione perſonæ. Ergo.

Ad rationes oppoſitas reſpondeo. Ad 1. Deus ex ſe nil odit eorum, quæ fecit; at ex hac aliqua ſuppoſitione bene odit; licet nec tunc efficaciter; alias quomodo exiſterent, niſi Deus voluiſſet. Ad 2. dico ad inimicitiam ſufficere quod quis velit malum alteri ex vera diſplicentia in perſona; licet alias ipſe ex aliquo bono moueatur (vt neceſſe eſt moueri, nemo enim intendens ad malum operatur) quod bonum forte in bonum inimici cedit, vt contingit quando Deus vult, vt in hac vita impij corrigantur; ideoque illos caſtigat; ſic in humanis ex vera inimicitia, & diſplicentia in inimico quis iuſtum perſequitur, quem ſcit obtenturum ex tentatione prouentum, vel etiam apud homines glorioſiorem euaſurum; hoc enim bonum conuerſionis Deus non intendit, quia bonum peccatori; (alias cur talis affectus non diceretur *amicitiæ* tunc) ſed quia bonum ſuæ gloriæ, & manifeſtationi longanimitatis. 17

Dubitatur vndecimo: An ſit triſtitia? Ratio dubitandi, quia ſæpe Deus non obtinet optata, ſic non impletur eius voluntas de ſalute reproborum, peccataque contra voluntatem Dei eueniunt. Vnde Ezech. 20. *& in iſtis omnibus contriſtabas me.* Zachar. 11. *contracta eſt anima mea in eis.* Iud 10. *Deus doluit ſuper miſeriis eorum.* Reſpondeo hæc omnia intelligenda ſunt metaphorice, vt quando dicitur Deus tangi pœnitentia. Ratio eſt quia nil euenit niſi ex Dei permiſſione, nilque quod minuat eius fælicitatem; vt quid autem triſtabitur, ſi nil mali inde recipit, & ipſum quale quale malum extrinſecum facillime vitare poſſet ſi vellet. Idem, & ob eandem rationem dicendum eſt de timore vide S. Thom. 1. contr. gent. cap. 90. & 91. ibi ferraram item 1. part. quæſt. 20. artic. 1. Caiet. Molin. Vaſquez, Suarez, lib. 3. de attr. cap. 7. n. 6. 7. Capr. 1. ſent. d. 45. art. 1. concl. 4. Aureol. 1. d. 46. q. 1. art 2. concl. 3. 18 *An ſit triſtitia? vel timor? Non. S. Thomas. Ferrara. Caiet. Molina. Vaſq. Suarez. Capreol. Aureol.*

Dubitatur duodecimo: An ſit ira in Deo. Affirmat ex profeſſo Suarez opuſc. de iuſt. Dei ſect. 5. num. 1. & lib. 3. de attrib. cap. 7. num. 8. cum Lact. lib. de ira Dei cap. 17. Quia ira præciſe dicit affectum vindictæ: hic autem bene datur in Deo *mihi vindicta, & ego retribuam* Rom. 12. v. 19. Confirmatur licet miſericordia in nobis cauſetur ex compaſſione tamen ſecundum ſe à compaſſione præſcindit, ideoque propriè inuenitur in Deo. Ergo licet ira cauſetur ex dolore in nobis, non tamen in Deo. Nihilominus ego ſto contrariæ ſententiæ, quia eſt communis Theologis cum Mag. 1. d. 45. poſt med. §. *ideo autem* S. Thoma ibi artic. 4. corp. & hic quæſt. 20. artic. 1. ad. 2. vbi Ferrara, Caiet. Vaſquez, Herize, Arrubal. cum Alarcon. d 7. de volunt. num. vlt. Probatur ex Ariſtot. 1. de anima cap. 1. definiente iram *appetitus recruciationis* id eſt viciſſim dolorem inferendi vnde dicit ordinem ad dolorem; ſecus miſericordia quæ ſolum dicit ad miſeriam. Quæ acceptiones ſunt communes apud Philoſophos, & Theologos vt oſtendit Ruiz 19 *An ſit ira in Deo? Affirmat. Suarez. Negandum cum S. Thom. Ferrara. Caiet. Vaſq. Herizé. Arrubal. Alarcon.*

Ruiz d. 54. de volunt. ſect. 5. iure ergo cum de re iam conſtet licet in ſenſu primæ ſententiæ inueniatur in Deo; negabitur tamen cum ſecunda ſententia communiori. tota enim lis hic refunditur in definitionem *Iræ* hanc autem bene accipimus ex Ariſtotele.

ARTICVLVS. II.

Vtrum Deus omnia amet.

20 DE hac difficultate agit S. Thomas 1. 2. quæſt. 110. articul. 1. corp. & 3. diſt. 32. articul. 2. & ibi in alio ſcripto & 2. contra gentes cap. 91. & lib. 3. cap. 150. princip. & quæſt. 27. de verit. artic. 1. in præſenti autem articul. 2. ideo ait omnia à Deo amari, quia omnia bona ſunt, cum bonum, & ens conuertantur, at non ſunt niſi à diuina voluntate: ergo ab hac hoc bonum habent; ſed amare nil aliud eſt quam velle bonum: ergo omnibus vult Deus bonum, & conſequenter amat.

21 *An amet peccatores, & quomodo?* Dubitatur primo: An amet peccatores, & quomodo: De hoc plura dixi à §. decimoquinto.

Dubitatur ſecundo: An amet peccatum ſub

22 *An Deus amet peccatū ſub ratione entis?* ratione entis, caſu quo malitia etiam pro formali in poſitiuo conſiſtat. Affirmare videtur Molina hic articul. 2. ratione voluntatis generalis, quam habet Deus concurrendi ad actum, quem voluntas noſtra determinauerit: ſed melius dicetur negare cum notet Molina ibidem Deum velle ne ſit talis actus quantum eſt ex ſe etiam quoad poſitiuum. Igitur ſoli affirmant Thomiſtæ dominicani dum concedunt Deo voluntatem prædeterminantem ad omnem rationem entis, quæ eſt in peccato. At iſti omnino reiicientur in tractat. de gratia auxiliante, & 1. 2. tract. de peccatis vbi exponam, quæ voluntas ſit, per quam Deus concurrit ad actum peccari. Modo autem neganda eſt voluntas directa in actum peccati, quem ſerio Deus prohibet, intenditque non eſſe, vt conſtat ex. quæſt. præced. §. 105. diſpliceteque in eius exiſtentia, cum quibus ſtare nequit voluntas directa, ſed indirecta, ſeu permiſſiua. Vide quæſt. decimamnonam §. 106. & 107.

23 *An amor Dei circa creaturas rationales ſit amicitia?* Dubitatur tertio: An amor Dei erga creaturas rationales ſit amicitiæ? De hoc egi ſupra §. 8.

Dubitatur quarto: An odio habeat omnia, quæ non ſunt? circa hanc dubitationem partem

24 *An odio habeat omnia, quæ non ſunt?* affirmatiuam ſupponere videntur authores. Nam ex illo *nil odiſti eorum, quæ feciſti* videtur inferri odiſſe, quæ non fecit. Deinde quæ non exiſtunt, ideo non exiſtunt, quia

Sap. 11. 25. ipſe non vult; ſed nolitio, & odium perinde ſunt. Ergo Deus odio habet ea, quæ non exiſtunt. Confirmatur iuxta meam ſententiam, & explicationem actuum liberorum Dei. Deo competit neceſſario volitio inefficax omnium volibilium, & nolitio inefficax omnium nobilium ergo ſicut illa redditur efficax connotata exiſtentia rerum, illa etiam erit efficax connotata non exiſtentia; ſeu ita non exiſtentia ſupponet nolitionem ex parte Dei, quam reddat *nolitionem efficacem*, ſicut exiſtentia ſupponit volitionem quam reddit efficacem, ſed nolitio inefficax eſt odium ex dictis quæſt. 19. §. 19. ergo in Deo datur odium circa res non exiſtentes. Huic dubitationi plene ſatisfeci loco citato §. 20. ex quo conſtat dari in Deo nolitionem efficacem de exiſtentia alterius mundi; ſed in hac nil odij contineri, ſed præuiam volitionem inefficacem, ſeu ſimplicis complacentiæ, quæ ſine vlla diſplicentia in mundo altero redditur nolitio efficax illius per connotationem ad carentiam exiſtentiæ: ſic Deus poteſt nolle exiſtentiam Chriſti, non tamen poteſt in Chriſto diſplicere, vel odiſſe virtutem, cuius tamen exiſtentiam ſæpe non vult. Quare verba illa Sap. 11. 25. ſolum ſtatuunt Deum non odiſſe, quæ fecit, non vero ideo conſequens eſt vt oderit, quæ non fecit; ſic nil diuinum odit, ſed non ideo odit quæ diuina non ſunt. *Res nō exiſtētes terminant nolitionē, ſed non odiū Dei.*

Dubitatur quinto: An Deus neceſſario amet creaturas bonas exiſtentes per modum gaudij, & in peccato exiſtenti neceſſario diſpliceat. Vide infrà §. 33. 25 *An Deus neceſſario amet creaturas bonas exiſtētes? & quomodo?*

ARTICVLVS. III.

Vtrum Deus æqualiter diligat omnia?

DE hac difficultate agit. S. Thom. 3. diſt. 19. artic. 5. quæſtiunc. 1. & diſt. 32. a. 4 & in alio ſcrip. ea d. 32. articul. 4. & 1. contra gentes capit. 91. in præſenti autem articul. 3. ait amorem eſſe æqualem ex parte actus amoris diuini, ſed non ex parte boni amati. 25

Dubitatur primo: An Deus amet æqualiter omnia poſſibilia? hic eſt ſpecialis difficultas cum non poſſit recurri ad bonum, quod cauſatur; in his enim nil cauſatur. Vnde videtur eſſe communis ſententia affirmans. Nihilominus negandum eſt cum Arriaga diſput. 24. de volunt. ſect. 7. nam Deus magis diſplicet in peccato mortali, & grauiori, quam in veniali: ergo ſimiliter magis placet in actu honeſtiori poſſibili: ergo & in creatura perfectiori; ſic Deo gratior eſt natura rationalis, quam irrationalis. Vnde iuxta dicta à me diſput. 66. Deus neceſſario magis complacet in creatura perfectiori, vti enim ſpectat ad perfectionem Dei, quòd approbet omnia bona; ita & quod magis approbet meliora poſſibilia, vt ſic regula ſit omnis bonitatis vt notaui ea diſp. 66. §. 10. Ad rationem oppoſitam reſponderi poſſet ad inæqualitatem ſufficere quod ex parte boni poſſibilis detur inæqualitas; ſed melius abſolute reſpondeo recte poſſe vnum, & eundem amorem inæqualiter affici ex parte ſui circa diuerſa obiecta quantumuis ea æqualia ſint. Sic idem amor eſt intentio reſpectu vnius, & electio reſpectu alterius, imo poteſt eſſe amor vnius, & odium alterius, eadem enim volitio in nobis indiuiſibiliter 26 *An Deus amet æqualiter omnia poſſibilia? Non.*

indiuiſibiliter amat Deum,& odit peccatum; cur ergo nō à fortiori poterit magis amare vnū, aliud autem minus. Item cotingit in cognitionis actu; qui idem indiuiſibiliter reſpectu diuerſorum poteſt eſſe fidei & ſcientiæ, aſſenſus, & diſſenſus certo procedere circa vnum, & incerto reſpectu alterius. Ergo ſimiliter datur hic inæqualitas amoris in Deo, quia in Angelum poſſibilem tendit ſpecialiter, quam in formicum.

27 *An Deus poſſit magis vel minus amare idem obiectū immutatum?*

Dubitatur ſecundo. An Deus poſſit magis, vel minus amare idem omnino bonum, & obiectum immutatum vel ſemper teneatur illud æqualiter amare. Prima ſententia affirmat ſi non detur Phyſica diuerſitas: ita Authores, qui actus liberos explicant per mutationem phyſicam in rebus, Item Thomiſtæ omnes qui totam inæqualitatem amoris diuini reducunt ad inæqualia bona producta. Secunda ſententia requirit ſaltem mutationem moralem, ex qua ſola putat poſſe venire inæqualitatem actui, qui omnino alias erit æqualis, verbi gratia, Deus eundem Petrum per ſolam condonationem extrinſecam peccati plus amat, quam ante condonationem. ita Ruiz diſp. 53. ſect. 2. Ego cenſeo cum Thomiſtis eſſe neceſſariam aliquam diuerſitatem phyſicam ex parte alicuius moduli, vel entitatis determinatiuæ vt explicui diſputatione 64. ſectio. 3. vt detur diuerſitas, & inæqualitas in amore. Cæterum ſi actus liberi diuini, vndequaque intrinſeci ponantur in Deo poterit Deus ſine aliqua mutatione iam magis iam minus amare idem obiectum, vt contingeret dum amans Petrum, & Paulum, amaret hunc propter Petrum, in quo caſu Petrus magis amaretur, vel è contra Petrum propter Paulum, in quo caſu iam amaretur minus Petrus.

28 *An poſſit dari inæqualitas purè ex parte actus diuini liberi; vt ſit aliquando intenſior circa obiectum, ſeu in illud tendat intenſius?* Negant. Ruiz Magiſt. S Bonau. Scot. Durand. S.Thom. Caietan.

Dubitatur tertio. An poſſit dari inæqualitas pure ex parte actus diuini liberi (pono hos Deo adæquate intrinſecos) vt ſit aliquando intenſior, ſeu tendat intenſius, & feruentius in obiectum. Negat vt certum Ruiz diſput. 63. ſect. 1. numero primo cum Magiſtro. Bonau. & aliis antiquis. 3. diſtinct. 32. vbi Scot. & Durandus & cum Theologis recentioribus cum S. Thoma prima parte quæſt. 20. art. 3. & 4. vbi Caiet. & alij. In contrarium autem eſt. 1. quia Deus etiam dum dat æquale bonum dicitur facere ſpeciale beneficium, quia dat ex teneriori affectu ita Herize diſp. 23. cap. 13. Martinon. diſp. 2. de Deo ſect. 5. & 6. & plures negantes electionem efficacem ad gloriam, & ſolum ponentes ſpecialiorem, ſeu teneriorem affectum erga prædeſtinatos apud Arriagam. prima parte diſput. 35. ſectio. 5. maxime §. 52. Iam vero hæc maior teneritudo, & ſpecialitas ſolum in iſta inæqualitate feruoris affectiui, & quaſi intenſionis conſiſtere poteſt. 2. Deus poteſt ſine imperfectione in hac ſententia de conſtitutione libertatis Dei carere illo actu amoris, ergo & illam habere in maiori, vel minori; intenſione. 3. dum Deus dicitur amare magis maius bonum, non ideo amor eſt maior quia tribuit maius bonum, ſed potius ideo dat maius bonum, quia magis amat; alias quando quæritur. An Deus amet magis meliora quæſtio eſſet ridicula cum per ſe notum ſit maiori ſeu meliori bono maius bonum velle. Igitur ſine abſurdo in ipſo actu Dei poteſt inueniri hæc inæqualitas feruoris, ſeu intenſionis.

Ego ſic cenſeo dum non ſit ſermo de inæqualitate entitatiua, ſed affectiua; nam de hac puto non poſſe dubitari; ſic Deus idem obiectum iam amat efficaciter, iam inefficaciter, pro placito: iam propter ſe, iam propter aliud. Ergo ſimiliter ad modum noſtræ intenſionis poterit affectiue, iam minus, iam vehementius tendere: dixi ſemper *affectiue* nam entitatiue omnis actus diuinus quantumuis liber eſt æqualis entitatis, & perfectionis; vti omnis eſt æqualis immenſitatis, æternitatis, &c. bene autem ſtat actum entitatiue eſſe æqualem, affectiue autem non ita feruidum vt ita dicam; vt patet in amore inefficaci collato cum efficaci. Iam vero ſecunda ſententia in §. præced. conformatur cum prima, & communi iuxta diſtinctionem nuper datam. 29

ARTICVLVS IV.

Vtrum Deus ſemper magis diligat meliora.

30 *Datur inæqualitas non entitatiua, ſed purè affectiua quaſi intenſionis.*

DE hac difficultate agit Sanctus Thomas in 3. diſtinct. 32. art. 5. per 4. quæſtiunc. Item in alio ſcript. ibi art. 4. Item 3. diſ. 31. quæſtio. 2. art. 3. quæſtio. 3. In præſenti autem artic. 4. ait Deum magis diligere meliora, nam ex hoc habent aliqua eſſe meliora aliis quod Deus vult eis maius bonum, ergo cum velle bonum ſit diligere, velle maius bonum erit magis diligere.

31 *An Deus poſſit minus diligere quæ meliora ſunt?*

Dubitatur primo. An Deus poſſit minus diligere quæ meliora ſunt. Ratio D. Thomæ videtur probare oppoſitum, cum implicet quod Deus non velit maius bonum melioribus. In contrarium autem eſt quod dixi dubitatione ſecunda & 3. in art. præcedenti, nam poteſt Deus pro placito amare id quod melius eſt propter minus bonum, vt Angelos propter homines ergo hos magis amat, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Rurſus poteſt amor eſſe feruentior ex §. 29. etiamſi bonum ſit minus, ſic multa minora efficaciter voluit omiſſis melioribus. Ergo non tenetur Deus magis diligere, quæ meliora ſunt, ſed poteſt ea minus diligere.

32 *Explicatur dubitatio.*

Ego vt Reſpondeam ſuppono. 1. magis diligere meliora voluntate affectiua; hoc eſt maiorem, ſeu quaſi fortiorem habet Deus voluntatem circa meliora; cum enim nil ſit bonum, niſi fluat à voluntate Dei, ipſum maius bonum fluit volente Deo, & conſequenter eius voluntas eſt quaſi maior, & fortior, cum haben maiorem effectum. Sed de hoc dubium eſſe non poteſt. Suppono ſecundo, meliori bono poſſe Deum velle minus, hoc eſt ordinate, & euehere ad finem minus bonum, illique conferre minora beneficia hoc etiam patet reſpectu Angelorum, quibus noluit vnionem hypoſtaticam ſicut hominibus.

33 *Magis diligit meliora per ſimplicem complacentiam.*

Hinc dubitatio reſtat de ſimplici complacen-

tia, & gaudio de creaturis exiſtentibus, quale indicatur per illa verba Geneſ. primo & *vidit Deus quod eſſet bonum.* In qua dubitatione exiſtimo non poſſe Deum non magis gaudere in melioribus per ſimplicem complacentiam. Probatur Non poteſt Deus non complacere in bono exiſtenti, ſimiliterque non poteſt non ipſi diſplicere peccatum exiſtens. Ergo non poteſt non magis placere quod melius eſt. Antecedens patet ex dictis diſpur. 66. ſect. 1. nam eadem complacentia quæ eſt in creatura poſſibili, cenſetur etiam eſſe de exiſtenti vt tali, eo ipſo qnod cum exiſtentia connectatur; Deus enim creſcere non poteſt in linea volendi, maximeque vt de nouo, & contingenter gaudeat, alias eius gloria, & fœlicitas intrinſeca augeri poſſet vt notaui ea diſputatione 66. §. octauo. Deinde quidquid de hoc ſit omnes rationes, quæ ſuadent ſpectare ad perfectionem Dei, quod approbet per complacentiam omne bonum poſſibile, etiam conuincunt de exiſtenti. Sicut ratio quæ ſuadet Deo diſplicere peccatum poſſibile, & non poſſe non illi diſplicere vſque ad prohibitionem, conuincunt, quod peccatum exiſtens, ſeu quia exiſtit illi diſpliceat, ſitque contra Dei voluntatem. Hinc patet conſequentia nam ex dictis hic §. vigeſimo ſexto eodem titulo quo Deus neceſſario complacet in bonis, neceſſario etiam complacet in melioribus.

34 Ex his componuntur diuerſi modi dicendi in §. 31. nam D. Thomas intelligi poteſt de maioritate amoris iuxta primam ſuppoſitionem in §. trigeſimo ſecundo, & iuxta nuper dicta in §. præcedenti. Secunda vero ſententia de maioritate non ſimplicis complacentiæ in bono ſecundum ſe, ſed relatiua in ordine ad maius bonum, vel beneficium, quod Deus confert ſæpe minus dignis, vel etiam loquendo de maioritate, quaſi intenſionis, & fauoris, quem Deus habet non quia creſcat eius amor in linea affectus ſed ex parte connotati actionis internæ vt explicui diſputatione quinquageſima, ſectione ſexta, vel actionis & determinationis externæ de qua late diſpur. 60. ſect. 2.

35 Dubitatur ſecundo. An Deus ſit neceſſitatus ad eligendum optimum. Sanctus Thomas in hoc articulo non loquitur de amore electiuo, ſed pure affectiuo in rebus iam exiſtentibus. Sed occaſione illius poteſt dubitare. An ſicut Deus ſemper magis diligit meliora obiecta, etiam teneatur eligere meliora, ſicque neceſſitetur ad optimum, de qua dubitatione hic non agam, quia de ipſa late dicetur in diſputationibus, de Incarnatione. Si autem ſermo ſit de optimo in genere moris affirmandum eſt iuxta dicta à me ſupra diſputatione 74. ſectione ſecundo.

An Deus ſit neceſſario ad eligendum optimum.

QVÆSTIO. XXI.

De iuſtitia, & Miſericordia Dei.

Hic agi ſolet de virtutibus omnibus Dei, quæ ad voluntatem ſpectant; de quibus generale Principium eſt Deo omnes conuenire, quæ imperfectionem non important, ſiue repugnantem ſpiritualitati, vt caſtitas, vel abſtinentia; ſiue ſupremo dominio, & ſuperioritati, vt obedientia, ſiue aliis Dei excellentiis maioribus. Et quidem præter iuſtitiam, & miſericordiam, de aliis manifeſta eſt perfectio, vel imperfectio; ideo ſolum de his in præſenti. Vide Ruiz, diſp. 55. de volunt.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Deo ſit Iuſtitia.

De hac difficultate agit Sanctus Thomas. 4. diſput.46. quæſt.1. art.1. quæſir. 1.& ibi in ſecund. ſcrip. quæſt. vn. art. 1. & 1. contra cap.93. In præſenti autem articulo primo ait quod cum omnia noſtra ex Deo ſint nec quiſpiam aliquid ei dederit pro quo ſibi à Deo retribuatur in iuſtitia commutatiua non eſt, ſed diſtributiua, qua ſingulis, quod ſibi ad ſui complementum ſpectat, tribuere dicitur, vt inde vniuerſi ordo ſeruetur. 1

Dubitatur primo generaliter. An in Deo dentur ſtricte aliquæ virtutes morales; ſeu vtrum repugnet Deum moueri ex obiecto formali virtutum moralium modo ſufficienti vt non ſolum eminenter, ſed etiam formaliter dentur in Deo virtutes morales de hoc late egi diſputatione 73. 2

An in Deo dentur ſtricte aliquæ virtutes morales.

Dubitatur ſecundo. An ex virtutum moralium actibus Deus ſit laudabilis in genere moris. Ratio dubitandi eſt ob neceſſitatem, qua Deus determinatus eſt ad actus æquales optimos, Sed de hoc egi diſputatione 74. ſectione tertia explicans quomodo ſtet laudabilitas actuum diuinorum cum neceſſitate ad æqualia. 3

An ex virtutum moraliū actibus Deus ſit laudabilis in genere moris.

Dubitatur tertio. An omnes virtutes morales, poſſint conuenire Deo ſine vlla imperfectione. Prima ſententia abſolute affirmat de omnibus virtutibus, quia licet in his plures actus ſint imperfecti, vt de caſtitate, obedientia, pœnitentia, & aliis patet prout moderantur operationes ſubiecti in quo ſunt; vel abſolute procedunt. At ſi conditionate nil imperfectionis dicunt. Vt ſi Deus vellet ſub conditione quod haberet ſuperiorem illi obedire? aut etiam 4

An omnes virtutes morales poſſint conuenire Deo ſine illâ imperfectione.

Affirmare videntur. Martinon. Scotus. Gabriel. S. Bonau. Smiſing.

etiam licet ipſe nulli obedire poſſit, velit tamen quod homines alij obediant. Confirmat Martinon diſputatione 17. de Deo ſectio. vlt. Deus vere deſiderat, & vult in nobis Caſtitatem, obedientiam pœnitentiam, &c. ſiquidem ad has virtutes nos hortatur, eaſque conſulit: vel præcipit ergo vult illas motus ex honeſtate, quæ relucet in eo quod nos ſic operemur. Atqui affectus quo ex honeſtate Caſtitatis amo virtutem hanc in proximo, eiuſdem virtutis eſt, ac ille quo eam in me exerceo; ſic eadem virtute ſpei mihi, & proximo opto beatitudinem ergo Deus hoc titulo vere, & formaliter, & non ſolum æquiualenter habebit omnes virtutes morales. Ita ſentit Scotus, 3. diſtinctione 33. q. vn. ad 1. Principale de hominibuſque in ſtatu innocentiæ, de Chriſto, & Beatis idem etiam ſentiunt Gabr. ſecundo diſ. 29. quæſtione 3. artic. 3. dubitatione tertia. D. Bonau. 3. diſ. 33. quæſtione ſexta & idem videtur ſentire Smiſing. qui ſolum negat in Deo has virtutes, quia nequit moueri ex bono creato; vt ex obiecto formali, vnde æque loquitur vt cenſeat dari in Deo vnam virtutem moralem ac aliam ita diſputatione quarta quæſtione tertia numero 26.

5 *Negandum cū S. Thom. Caietan. Medina Valentia. Suarez. Conimb. Ruiz Alarcon.*

Secunda ſententia Negat Deo virtutes morales quæ iuxta ſuos præcipuos actus imperfectionem dicunt ita communiter Theologi cum D. Thoma hic quæſtione vigeſima prima, articulo primo, Item 1. 2. quæſtione 61. art. 5. vbi Caietanus & Medina. valent. 1. 2. diſputatione quinta quæſtione quatra parte tertia. Suarez diſputatione 30. met. ſectione 16. numero 67. Conimb. diſputatione ſeptima. Ethic. quæſtione ſeptima. Ruiz diſputatione 55. de vol. ſectione prima Alarcon. diſputatione octaua de vol. capite primo. Ratio eſt quia eæ virtutes morales ſimpliciter, & in acceptione communi Theologorum, & Philoſophorum moralium non ſtant niſi pro actu proprio, & abſoluto ſubiecti, in quo reſident, ſic caſtus non dicitur, qui deſiderat caſtitatem in aliis, ſi ipſe caſtus non eſt in ſe, nec Deus dicitur pœnitentiam habere, ſed in metaphorium ſenſum explicatur illud *Pœnitet me feciſſe hominem* quidquid ſit de voluntate conditionata. Ergo cum nomina, & definitiones rerum ex communi vſu accipienda ſint Deus non eſt dicendus formaliter habere eas virtutes, quæ imperfectionem important in præcipuis ſuis actibus, à quibus denominantur. Confirmatur quia licet actus conditionatus, vel directiuus cenſeatur pertinere ad eandem virtutem ad quam ſpectat abſolutus; & directus, quando oritur ab habitu, qui poteſt ſaltem per ſe loquendo elicere actum poptiiſſimum talis virtutis: ſic aliqui defendunt ſpem in Beatis cum Suarez diſputatione prima de ſpe ſectione octaua numero quinto. At nullatenus admittitur eſſe virtutis illius, quando omnino repugnat ab illa virtute actus proprius. Sic ſpes non eſt, quæ nequit elicere ſperationem, neque Pœnitentia, quæ nequit elicere pœnitudinem, ſeu deteſtationem peccati facti ab operante. Atqui Deus nequit elicere, verbi gratia, pænitudinem, nec actum moderantem Corporis paſſiones contra temperantiam. Ergo non erunt in ipſo virtutis pœnitentiæ, & temperantiæ actus; ſimiliterque dicendum de aliis.

Ad fundamenta contraria in §. 4. Reſp. Imprimis Deum non poſſe elicere actus illos conditionatos; neque enim à Deo fieri poſſunt hypotheſes chymericæ, neque apprehendi vt dixi diſputatione quingenteſima prima, ſect. 4. & diſputatione 51. ſectione 4. & diſp. 55. ſect. 4. Ad Confirmationem dico Deum velle quidem Caſtitatem, pœnitentiam, &c. in hominibus, ad idque moueri poſſe ex motiuo formali talium virtutum abſtractè accepto; hoc eſt ex honeſtate quæ relucet in eo quod moderentur paſſiones corporis, vel etiam ſeruetur pax cum dictamine rationis, reſtituaturque ſi amiſſa eſt; cæterum non ideo proprie, & abſolute talis volitio dicenda eſt ſimpliciter, & abſolute *pœnitentia* ſed cum addito affectio in pœnitentiam. 6

7 *An Deo conueniat prudētia.*

Dubitatur quarto. An Deo conueniat Prudentia, hæc eſt prima inter virtutes morales Cardinales (de Theologicis hic non eſt ſermo, cum tam certum ſit Deo conuenire charitatem Theologicam, quam non conuenire fidem, neque ſpem) ea ad intellectum ſpectat, propriiſſimeque inuenitur in Deo, cum nil Imperfectionis inuoluat; quare de hac virtute nemo dubitauit vt late oſtendit Smiſing. tom 1. de Deo diſputatione 4. à numero 13.

8 *An ſit iuſtitia in Deo.*

Dubitatur quinto. An ſit *iuſtitia* in Deo. hæc virtus eſt potiſſima, de qua procedit articulus primus Sancti Thomæ hic. Sed quia difficultates, quæ ad eius explicationem examinari debent nimiæ ſcholarum diſceptationi exponuntur ideo eius reſolutionem remitto ad diſputationem de Incarnat. vbi communiter examinatur.

9 *An ſit in Deo fortitudo & temperantia. Negant. S. Thom. Henric. Durand. Capreol. Ferrará. Ariſt.*

Dubitatur ſexto. An ſit in Deo *Fortitudo & Temperantia.* Vtramque negat Sanctus Thomas hic quæſtione vigeſima prima articulo primo ad primum & latius primo contra gent. capite 92. numero quinto quem ſequuntur Hent. in ſum. articulo 46. quæſtione ſecundo poſt med. Durandus, quartus ſent. quæſtione primo ad ſecundo Capreolus, primus diſtinct. 45. quæſt. vnic. art. 1. concl. 13. Ferrar. 1. contra gent. cap. 92 Mouentur quia hæ virtutes proprie, & ſimpliciter acceptæ verſantur circa paſſiones appetitus ſenſitiui, iraſcibilis vt fortitudo. Concupiſcibilis vt temperantia. Ergo iuxta dicta §. 5. non ſunt concedendæ Deo. Audi Ariſtotelem. 10. Ethic. cap. 8. *Deos maxime Beatos & felices exiſtimamus. Nunquid fortes vt formidoloſa ſuſtineant periclitenturque quia honeſtum eſt?* ſupple ex contextu) *nequaquam. An liberales? ſed cui dabunt abſurdum? quippe ſi etiam ipſis nummum, aut tale quidpiam adeſſe dicamus. Nam ſi temperantes eos eſſe aſſerimus qualnam eiuſmodi eſt: Quod enim prauas cupiditates non habeant, moleſta, atque inuidioſa laus eſt* ex quibus conſtat negandas eſſe alias virtutes, quæ ex fortitudine, & temperantia naſcuntur, vel in eis fundantur vt *Fidentia, Magnificentia, Patientia, Perſeuerantia* iuxta Auguſtinum, libro 83. quæſtione quæſt. 31. quæ fundantur in fortitudine. Item *Continentia, Caſtitas, Virginitas, Abſtinentia, Sobrietas, verecundia, Modeſtia, Humilitas,* quæ ſunt partes ſubiectiuæ

Quid de mãſuetudine, & clementia.

iectiuæ vel poteſtatiuæ temperantiæ. Quibus addit Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 157. art. 3. *Clementiam*, *& Manſuetudinem*. At hæ duæ virtutes facilius liberantur in propria acceptione à qualibet paſſione, Quare frequentiſſime in ſenſu proprio dicuntur de Deo. Daniel. 3. *fac nobiſcum ſecundum manſuetudinem tuam*. Item exod. 34. *Deus miſericors*, *& Clemens* Paralip. 10. *Clemens eſt dominus Deus tuus* Ionæ 4. *Deus Clemens*, & *miſericors* Generaliter etiam contingit virtutes plures iuxta vſum communem ab imperfectione paſſionum abſtrahere, & tunc etiam Deo tribuuntur plures quas ſupra tetuli vt de *Magnificentia* ait D. Thomas hic quæſt. 21. art. 1. ad. 1. Sed vt dixi in his vſus conſulendus eſt, qui ſtrictius examinabitur ad 2. 2. vbi de his virtutibus in ſpeciali.

An virtutes quorum actus includunt ſummiſſionem & ſuperioritatem Deo ſtricte conueniant? vnius perſona in aliam.

10 Dubit. 7. An virtutes quarum actus includunt ſummiſſionem, vel ſuperioritatem Deo ſtricte conueniant, verbi gratia, Religio, Pietas, obſeruantia. Gratitudo, &c. Ratio dubitandi eſt propter Perſonas diuinas inter ſe; Nam filius quatenus procedit à Patre reſpicit illum vt benefactorem ſui, vt Principium, &c. poterit ergo ob hos titulos gratitudinem, vel etiam pietatem habere. Confirmatur quia ob hos titulos dicitur à Nazianz. Orat 4. de Theolog. Hilar. 9. lib. de Trinitate *Maior Pater*, quam filius iuxta Ioan. 14. etiam loquendo de Chriſto vt Deo. Dicendum tamen eſt neutiquã dari has virtutes vnius perſonæ ad aliam, quia hæ requirunt ex communi vſu diuerſitatem in natura; cum enim virtus moralis naturæ inſit, ſi filius habeat virtutem gratitudinis Patri, Pater habebit eandem virtutem, vnde erit grata ſibi quod implicat. ita Smiſing. diſp. 4. de Deo vno num. 83. Hæc tamen ratio non placet, nam poſſet dici quod gratitudo quæ eſt in natura denominet filium vtpote diſtinctum à Patre, ſecus hunc reſpectu ſui iuxta doctrinam late expoſitam diſp. 14. ſect. 6. Melius ergo reſpondetur omne debitum, & omnem obligationem reſpicere naturam, in qua ſit; (quare cum natura filij nil debeat naturæ Patris vt patet neque erit obligatio gratitudinis) reſpicit enim perſonam vt rationalem, ſeu vt potentem cognoſcere, & amare; quæ potentia non eſt niſi ratione naturæ, vide quæ dixi 68. ſectio. 4. fine.

Vera ratio negandi.

An ſaltem ſit gratitudo Dei ad creaturas. Affirmant. Vaſquez. Lorca. Alarcon.

11 Dubit. 8. An ſaltem ſit gratitudo Dei ad creaturas. Prima ſententia affirmat Vaſquez 1. p. diſpur. 83. & 84. item 1. 2. diſp. 215. cap. 1. n. 2. & diſp. 223. cap. 8. fine. Lorca diſp. 44. de gratia § his præmiſſis. Alarcon. diſp. 8. de volunt. cap. 3. num. 3. Mouentur quia gratitudo ex ſuo conceptum nil aliud dicit, quam aliqualem obligationem æquitatis, & honeſtatis, qua æquum eſt aliquid facere in gratiam eius, qui multa fecit in mei gratiam, & mihi grata, licet ex eis ego quia nullis indigeo, nil vtilitatis accipiam. At tale debitum æquitatis datur in Deo ſine imperfectione, nemo enim negare poteſt, quin Deus ex aliquali maiori debito tribuat præmium merentibus, & dignis, quam immerentibus ergo, in hoc ſenſu negari nequit gratitudo.

Negandum eum. Suarez. Salas. Conina.

12 Ego cenſeo negatiue ita Suarez lib. 12. de gratia. cap. 30. num. 12. Salas, 1. 2. tract. 7. diſp. 7. num. 5. Coninc. diſp. 8. de actibus ſuper. dub. 1. numer. 8. Raynaud. diſtinct. 8. Theol. Nat. quæſt. 2. art. 5. num. 94. Martinon diſp. 17. de Deo num. 39. Ratio eſt quia gratitudo dicit reſpectum ad recompenſationem pro beneficio, eſtque formaliter erga benefactorem 2. 2. quæſt. 106. art. 1. gratitudo definitur, *quæ benefactoribus, gratiam recompenſat*. Sic nullus dicitur niſi pro Beneficiis gratias agere. Atqui Deus nequit reſpicere creaturam vt benefactricem vel iſta vllo modo dicitur Deo beneficia conferre Iob. 22. *Quid prodeſt Deo ſi iuſtus fueris; aut quid confers ſi immaculata fuerit via tua?* & cap. 35. *ſi iuſte egeris quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet*. Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei. Omnis enim Benefactor in eo quod benefacit cauſa eſt, & ſuperior beneficiati*. ait S. Tho. 2. 2. quæſt. 106. art. 3. & Ariſt. 4. ethic. cap. 3. de Magnanimo ait Paulo poſt med. *Eſt enim talis, vt beneficia conferat, pudeatque ipſum ſi ſuſcipiat beneficium. Illud enim Superioris eſt, hoc inferioris.* Ergo Deo nequit proprie competere gratitudo. *Proprie* inquam, quia de acceptione, impropria, & vltra vſum communem non eſt curandum; nam ſic vel nomen *Corpus* poſſet applicari Deo vt ſupra noto cum Tertulliano. quæſt. 3. art 1. dub. 1. Idem probatur. 2. quia Dominus non debet gratias agere ſeruo pro his, quæ ipſi grata ex obligatione ſeruitutis reddit vt notat Seneca 3. de benef. cap. 21. Quod autem facit creatura totum titulo ſeruitutis eſt debitum Deo vt primo Domino & fonti omnis boni. Sic Luc. 17. *Nunquid gratiam habet ſeruo illi, quia fecit*, quod *imperauerat. Non puto. Sic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis dicite: ſerui inutiles ſumus, quæ debuimus facere fecimus.* Licet autem omnia bona noſtra non ſint debita titulo præcepti, ſunt tamen debita à nobis titulo gratitudinis Deo vnde probatur. 3. Benefactor, qui multo maiora beneficia contulit non contrahit obligationem gratitudinis eo quod beneficiarius gratus ſit, aliquaque ipſi rependat. vt patet docetque S. Tho. 2. 2. q. 106. art. 6. ad. 2. Atqui Deus præuenit nos ſummis beneficiis: ergo, &c.

Raynaud. Martinon. S. Thom. Ariſt.

Hic ad oppoſitam ſent. §. vndecimo fateor quod Deus non ita pure à ſe tribuit beneficia meritis, & dignis, ſicut indignis, at reſpectu vtriuſque operatur liberaliter & ſine vllo debito; vti licet maioris beneficentiæ ſit benefacere inimicis, quam amicis; at adhuc hi ex liberalitate, non ex gratitudine bona facimus. 13

14

An in Deo ſit liberalitas. Negat. Vaſquez. *Omnino affirmandum eſt.* Suarez. S. Thom. Smiſing. Alarcon.

Dub. 9. An ſit in Deo liberalitas. Negat Vaſquez 1. p. d. 85. cap. 7. num. 49. Quia liberalitas proprie ſolum verſatur circa largitionem pecuniæ teſte Ariſt. 4. ethic. cap. 1. Sanctus Thoma. 2. 2. quæſt. 22. q. 117. art. 2. hinc non dicitur quis dum docet alterum propter præciſam donationem ſcientiæ eſſe liberalis *l. Egnilius ff. de donat*. Secluſo labore docendi. Sed contra quia liberalitas Dei etiam nobis pecuniam dat, præterquam quod *totum quid quid homines poſſident in terra pecunia vocatur*. iuxta Aug. lib. de doctr. Chriſtian. cap. 1. à medio, deinde ſi quis vt verus dominus dat ſpiritualia vel ſcientiam etiam erit liberalis, eo maiori liberalitate, quo ſpiritualia præſtant materialibus, dices 2. liberalis priuat ſe dominio rerum, quas donat hinc depoſitarius non eſt liberalis. At Deus non priuat

ſe dominio. Reſpondeo æquiualenter ſe priuat, quatenus nobis totam vtilita tem dat, & vſum permittit. Quare vera ſententia in Deo maximam ponit liberalitatem S. Thomas 1. p. quæſt. 21. art. 1. ad 1. & 1. contr. Gent. cap. 93. Deus enim *dat omnibus affluenter* Iacob. 1. & *Benefacit nil inde ſperans* ex luc. 6. hinc autem maxime reſplendet liberalitas ex 4. ethic. c. 1. Vide Suarezium in Relect. de iuſt. Dei ſect. 1. 2. num. 26. Smiſingum. diſputatione 4. de Deo, numero 98. Alarconem diſputatione octauâ ; cap. vlt. qui hic diſcedit à Magiſtro ſuo, & Patrono Vaſquezio.

ARTICVLVS. II.

Vtrum Iuſtitia Dei ſit veritas.

15 DE hac difficultate agit Sanctus Thomas 4. diſtinct. 46. art. 1. quæſit. 3. & in præſenti art. 2. ait iuſtitiam Dei iure dici veritatem, quia titulo iuſtitiæ, quam Deus ſeruat, omnia conformantur cum eius arte, & dictamine intellectus practici, conformitas autem rei cum intellectu dicitur veritas.

16 *An in Deo ſit veritas.* Dub. 1. An in Deo ſit veritas, ſeu veracitas? veritas hæc duplex eſt prima per conformitatem verborum cum mente loquentis, & opponitur mendacio. Et de hac certiſſimum eſt inueniri in Deo, qui nullo modo mentiri poteſt, nec de potentia abſoluta, vt falſo exiſtimauit Holcot 2. quæſt. 2. art. 4. & vt probabile cenſuit Gabriel. 3. d. 12. q. vn. a. 3. ad. 1. & diſt. 38. q. vn. notab. 3. & concl. 2. de quo plura dicam ad. 2. 2. q. 1. a. 3. Secundo veritas denotat fidelitatem, quam non diſtingui à veritate tenet Caiet. 2. 2. q. 113. Suar. in Relect. de libert. diuina diſp. 1. ſect. 2. n. 26. Smiſing. diſp. 4 de Deo n. 111. de qua etiam inueniri in Deo dubium non eſt Timoth. 2. *fidelis Deus permanet, negare ſe ipſum non poteſt.* 1. Cor. 1. 9. *fidelis Deus per quem vocati eſtis* &c. 10. 13. *fidelis Deus qui non patietur vos tentari* & deuter. 32. 4. *Deus fidelis, & abſque vlla iniquitate.* & Pſ. 144. *fidelis dominus in omnibus viis ſuis.*

Eſt veritas veracitatis. Fidelitatis

17 Nihilominus licet ſimpliciter in Deo ſit veritas fidelitatis, ſi tamen hæc ſtricte accipiatur negari videtur Deo à Patre Ruiz diſp. 56. de voluntate, dum aſſerit ſect. 7. contra Suarez, fidelitatem aliquid addere ſupra ſimplicem veracitatem in teſtificando, ſcilicet obligationem ortam ex promiſſione, aliunde negat Deo ſtrictam, & perſonalem obligationem poſſe ex promiſſione oriri, vt ibi oſtendit à ſect. 2. vſque ad 6. At dicendum eſt etiam in hac acceptione Deum habere virtutem fidelitatis, vere enim & perſonaliter ſe obligauit ex ſua promiſſione vt ait Auguſt. Pſ. 83. *debitorem dominus ipſe ſe fecit, non accipiendo ſed promittendo: non enim ei dicitur: Redde, quod accepiſti, ſed Redde quod promiſiſti* & huius ratio eſt quia vt dicitur Hebr. 6. Trid. ſeſ. 6. cap. 16. Deus peccaret, ſi non ſtaret promiſſis, peccatum autem non naſcitur niſi ex obligatione perſonali.

Stricta.

18 *An & quæ veritas ſit, quam exercet Deus titulo iuſtitiæ.* Dub. 2. An, & quæ veritas ſit, quam exercet Deus titulo iuſtitiæ. Reſpondeo. Quatenus Deus quæcumque opera facit ; conformat ea ; & adæquat cum ideis diuinis, & dictamine practico. ita S. Thomas hic Ruiz, 55. de vol. ſect. 3. num. 6.

ARTICVLVS. III.

Vtrum miſericordia competat Deo.

DE hac difficultate agit Sanctus Thomas 4. diſt. 46. quæſt. 2. art. 1. & in alio ſcript. ibi quæſt. vnic. art. 2. & 1. contra Gent. capite 91. in præſenti autem art. 3. ait quod Miſericordia quoad effectum ſubleuandi noſtras miſerias, licet non quoad affectum compaſſionis ſeu condolentiæ eſt in Deo. 19

Dubit. 1. An miſericordia ſit proprie in Deo. Negat Albert. prima parte quæſtione 80. membr. 2. art. 4. artic. 4. partic. 2. Corp. Salmeron tom. 13. in epiſt. Pauli lib. 1. part. 2. diſputatione 4. §. 2. fauet Anſelm. in Proſol. cap. 8. fine: mouentur, quia Miſericordia proprie ſtat pro affectu compaſſionis, commiſerationis, & condolentiæ, cuius Deus eſt incapax. Concluſio certa eſt Miſericordiam formaliter, & proprie Deo conuenire. Nil enim frequentius in ſcripturis reperitur: Quare negandum eſt condolentiam requiri ad ſtrictum conceptum miſericordiæ. vt dicunt Suarez lib. 3. de Attrib. cap. 7. num. 15. Molina, Vaſquez, & alij expoſitores hic Richard. 4. d. 46. art. 2. quæſt. 2. cum antiquis ibi. 20

An Miſericordia ſit proprie in Deo. Negant. Albert. Salmer. Anſelm. Omnino affirmandum cũ. Suarez. Molin. Vaſquez. Richard.

Dubitatur 2. An ſit in Deo Benignitas proprie. Propria hæc virtus, eſt miſericordiæ. Pſ. 68. *Benigna eſt miſericordia tua* addit vero, ſupra illam affabilem, & placidam beneficentiam, vnde non eſt cur negetur Deo. 21

An Benignitas ſit in Deo proprie.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in omnibus operibus Dei ſit, Miſericordia, & Iuitia.

DE hac difficultate agit Sanctus Thomas 4. diſt. 46. quæſt. 2. art. 2. quæſ. 2. & in alio ſcripto ibi. quæſt. vn. art 3. & 2. contra gent. cap. 28. In præſenti autem art. 4. ait quod cum in cunctis Dei operibus quod ſibi, & creaturæ debetur nullo modo à Deo prætermitti poſſit: & debitum omne in aliquid ex diuina bonitate collatum reducatur, neceſſe eſt in quouis Dei opere iuſtitiam, & miſericordiam inueniri. 22

Dub. 1. An vocatio Impij & prima rerum, hominiſque prædeſtinati creatio vel etiam Aſſumptio humanitatis ſit opus ſolius miſericordia, ita vt nil contineat Iuſtitiæ. Reſpondeo nil continere iuſtitiæ commutatiuæ, & ſtrictæ, at late bonæ gubernationis cui condecens eſt hæc mirabilia facere ſic iuſtitia etiam continetur; & hæc in præſenti ſufficit neque enim requiritur ſtricta iuſtitia, nec miſericordia, vt patet in operibus, quæ fiunt circa naturas irrationales: & maxime patet in operibus gratiæ. 23

An vocatio impij, &c. ſit opus ſolius miſericordiæ.

Dub. 2.

24 *An de potentia abſoluta potuerit Deus punire quantum merentur peccata, abſque illo temperamento miſericordiæ. Negans.* S. Bonau. Carthuſ. S. Thom. Alens. Sot.

Dub. 2. An de potentia abſolura potuerir Deus punire quanrum merentur peccata abſque vllo temperamento Miſericordiæ. Negat S. Bonau. 4. d. 46. art. 2. quæſt. 4. Carth. quæſt. 3. col. vlt. mouentur 1. quia durum eſt dicere aliquando Deum ſine virtute aliqua operari maxime vero cum proprium Dei ſit miſereri ſemper, & parcere ſecundo, maxime vrgetur iuxta ſententiam, quæ docet vni peccato deberi omnem pœnam poſſibilem, ſed vt conſtat ex dictis. quæſt. 7. §. 24. Deus non poteſt in vlla ſpecie ponere omnes poſſibile. Ergo tenetur Deus ſemper punire citra condignum. Nihilominus nil contra dictionis apparet ſi Deus puniat ad æqualitatem, nil enim facit contra iuſtitiam, vel debitum aliunde autem opera miſericordiæ ſunt ibera, ac proinde ſine peccato, aut imperfectione poſſunt omitti. Ergo in tali æqualitate, in qua nil miſericordiæ inueniatur nil contradictionis eſt. Confirmatur, poteſt Deus nil amicitiæ liberalitatis, beneficentiæ, aliuſve virtutis exercere circa creaturas, dum ſcilicet eas non creat, cur ergo non idem dicemus de miſericordia, & ita ſentit Sanctus Thomas 4. diſtinctione 46. quæſtione ſecundo articulo ſecundo. quæſit. 1. ad 5. Alenſis 1. p. quæſtio. 39. m. 3. col. 7. Sotus, 4. d 46. quæſt. 4. prope finem verſ. *pro hoc.* Ad rationes oppoſitas Reſpondeo ad 1. abſurdum non eſſe Deum carere exercitio, ſeu effectu alicuius virtutis, dum non careat ſimplici affectu de illa, vt nuper dixi de Amicitia, liberalitate, &c. Ad. 2. Peccatum veniale non meretur omnem pœnam poſſibilem, de illo ergo negari nequit concluſio.

INDEX

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM,

Quæ in hoc Tomo in primam Partem S. Thomæ continentur.

Littera D. monſtrát Diſputationem. Littera Q. Quæſtionem. Littera N. Numerum. Littera P. Paginam.

A

Abſtractum.

ABSTRACTI, & concreti negatio diuerſæ conditionis eſt, d. 14. num. 51. pag. 75.

Accidens.

Accidens, licet multiplicetur in infinitum, non poteſt eſſe ſine ſubiecto. diſp. 13. num, 25. p. 57. Accidentalis prædicatio, quam indentitatem affirmet, diſp. 14. num. 14. p. 67. Accidens virtuale intrinſecè tale non datur in Deo, nec ratione noſtra, diſp. 15. num. 92. p. 100. Accidens quando ſit de eſſentia rei? diſp. 17. num, 34. p. 139.

Actio.

Actio æterna effectus temporalis poſſibilis eſt, d. 50. num. 11. p. 342. Non eſt idem partialiter agere, & habere actionem partialem d. 28. n. 32. p. 242. implicat actio partialis naturalis in effectum ſupernaturalem ibidem. Quando cauſæ partiali poſſit correſpondere propria actio partialis ibidem. Poteſt Deus habere actionem propriam in terminum diſtinctum ab actione creaturæ d. 50. n. 12. p. 343. Talis actio poſſet imo deberet determinari ab actione creaturæ d. 50. n. 14. p. 343. Conciliatur libertas actionis temporalis creaturæ cum actione æterna Dei d. 50. n. 15. p. 343. Explicatur ſufficientia actionis æternæ Dei, vt ipſum determinet ad ſcientiam futurorũ d. 50. n. 16. 343. Conſonat hæc ſententia cum noſtra de actibus liberis Dei d. 50. n. 17. p. 343. Quomodo poſſit hæc actio diuinum intellectum determinare? d. 50. n. 19. p. 343. Facilius hæc actio diuina, quam ſcientia Dei ab actione creaturæ determinabitur ibidem. Similis actio poteſt eſſe determinatiuum ſcientiæ Mediæ d. 50. n. 21. p. 343. Quo differat hæc actio à prædeterminatione? d. 50. n. 23. p. 344. Supperadditur ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ. Ibidem. Conſtituit ſcientiam ſimplicis intelligentiæ in ratione Mediæ, vel abſolutæ. Ibidem. Non additur vt noua notitia, ſed vt noua connexio ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ cum obiecto d. 50. n. 24. p. 344. Actio creata poteſt complere affectum diuinum liberum inefficacem, conditionatum, & diſiunctiuum d. 63. n. 19. p. 438. Vide ſupernaturale.

Actus.

Actus ſupernaturalis. Vide ſupernaturale. Actus fidei. Vide fides. Quando actus mediatè, & immediatè attingentes idem motiuum ſint eiuſdem ſpeciei d. 7. n. 16. p. 25. Sine diſtinctione actuum poteſt verificari cauſalitas, ideo potentia attingit vnum, *quia* attingit aliud d. 15. n. 174. p. 118. Hæc cauſalitas *quia* ſignificatur in obiectis, non inter actus d. 15. n. 175. p. 118. Regula diſtinguendi actus, & perfectiones diuinas ratione noſtra d. 45. n. 5. p. 320. & ſequentibus. Deus non concurrit in qualitatem actus peccaminoſi d. 50. n. 11. p. 342. Actus voluntatis poteſt moueri ab alio, à quo non diſtinguitur obiectiue d. 58. n. 39. p. 394.

Adiectiuum.

Adiectiuum. Diſcrimen inter nomen adiectiuum, & ſubſtantiuum d. 15. n. 151. p. 113.

Æquiuocus.

Æquiuocus ſenſus in ſcriptura non datur d. 11. n. 14. p. 38. Quando detur æquiuocatio ſimpliciter in verbis, quæ obſtet argumentationi. Ibidem.

Æternitas.

Æternitas. An coexiſtant futura, ſeu ſint præſentia in æternitate? diſp. 48. num. 1. pag. 331. & ſequent. Qui negent, & quibus rationibus ducantur diſp.48.num.3. pag. 331. Res creatæ non ſolum vt durantes nunc, ſed nec ſecundum ſuam ſubſtantiam fuerunt ab æterno diſp.48.num. 13. & 14. pag.332. Res vt præſcindens à modo durationis non eſt dicenda præſens æternitati diſput.48.num.16. pag.333. Æternitati ſunt præſentes creaturæ, & coexiſtentes præſentia, & coexiſtentia Dei, ſed non ſui diſput.48.num.19. pag.333. & ſequent. Creaturæ non ſunt ab æterno; Deus autem iam eſt, & ambit futura tempora ibidem. probatur ex Patribus, & ipſius æternitatis ſimultate diſput.48. num. 20. & 21. pag.333. Quia Deus non exiſtit prius die hodierno, quam craſtino diſp. 48. num. 22. & 21. 3. quia vt abſolutè affirmet, & vniformiter de præſenti abſoluto, & non ſolum relatiuo de creatura verbi gratia, *Antichriſtus exiſtit*, opus eſt vt iam ſit in inſtanti Antichriſtus diſp.48.numero 23. pag. 334. & ſequent. Alias quinque confirmationes vide diſput.48.num.28. pag.335. nos non poſſumus dicere Antichriſtus exiſtit in æternitate, bene autem Deus, & cur diſput. 48. num.29.pag.335. & 30.pag.336. Æternitati cur non coexiſtant poſſibilia ſicut futura diſput. 48. num.31. pag.336. Futura creata licet coexiſtant æternitati cur non ſint æterna diſput. 48. numero 32. pag.336. In æternitate forma, & carentia formæ non ſunt contradictoria ibidem. Præſentia futurorum in æternitate neceſſaria eſt, vt hæc cognoſcantur à Deo. diſput.49. num.7. pag. 338. Æternitates plures virtualiter diſtinctæ admittendæ non ſunt in Deo diſp.57.num.21. pag. 383. Æternitatis ratione Deus in hoc nunc ſpeculatiue loquendo exiſtit iam in tempore craſtino æque ſimul ambiens, & occupans omnia tempora diſp.48.num. 19.pag.333. Deus cur potius ratione æternitatis coexiſtat futuris, quam poſſibilibus diſput.48.num. 32. pag.336. Cur præ Angelo poſſit dici coexiſtens futuris diſput. 48. num.23.pag.336. Quid ſit in Deo hæc exiſtentia iam in tempore futuro diſp.48.num.34. pag. 336. Cur nos nequeamus de præſenti loqui de Antichriſto, ſicut Deus, diſput.48.num.30.pag. 336. Si per impoſſibile non duraret hodie Deus ratione æternitatis ſequeretur quod ſimul duraret diſputat.48. num.35. pag.337. Dei æternitas temporibus omnibus ſimul coexiſtit quæſtione 10.num.1. pag.561. Rectè æternitas pro menſura vſurpatur quæſt.10.num.5.pag.562. Quid æternitas ſupra immutabilitatem addat quæſt.10 num.7.pag.562. Deus ratione æternitatis omnia tempora occupat. quæſt. 10. num. 9. pag. 562. Æternitas Dei ratione naturali euidenter cognoſcitur quæſt.10. num.11. pag.562. Ratione æternitatis capax eſt Deus cognoſcendi futura contingentia quæſt.10. num.11.ibid. Quo pacto eſſe æternum ſit proprium Deo quæſt. 10. num. 23. pag. 564. Simultaneitas æternitatis explicatur quæſt.10.num.25. Æternitas exiſtit in tempore, imo in omnibus temporibus quæſt.10. num.26. pag. 565. Præſentia futurorum in æternitate, ſufficiens eſt præſcientia de futuris diſp.49. n.15. pag.339. Vide duratio, & tempus.

Æuum.

Æuum an ſit ſucceſſiuum, quæſt.10. num.37. pag. 567. Æuum differt à tempore per potentiam habendi ſucceſſionem in operando art.10. num. 38.pag.568. Non dicit actu in ſuo eſſe ſucceſſionem quæſt.10. num.40.pag.568. Vnum eſt formaliter, ſi præſcindatur à ſubiectis æuiternis qu. 10.num.43. pag. 568. Repugnat æuum occupans ſimul infinita tempora quæſt. 10. num. 45. pag. 568.

Affirmatio.

Affirmatio, & negatio poſſunt eſſe de eadem re dum detur diſtinctio in tertio diſp.15. num. 143. pag. 111.

Agens.

Agens poteſt exigere vires effectiuas poſita conditione, quæ ab agente non exigitur, ſed præter eius exigentiam ponitur diſputatione 5. num. 9. pag. 16.

Allegoria.

Allegoria alia eſt *ſermonis*, alia *facti* diſputat. 11. num.20.pag.40.

Amicitia.

Amicitiæ ſtatus, & ſeruitutis non ſibi repugnant diſp.20.num.17.pag.158.

Amor.

Amor probatur efficienter procedere à cognitione diſp.5.num.11.lib.17. Amor non debet eſſe ſupernaturalis quoties ſequitur ad cognitionem ſupernaturalem diſput.6.num.14.pag.21. Amor naturalis poteſt dirigi naturaliter à cognitione ſupernaturali: ſed non è contra ſupernaturalis amor à cognitione naturali diſp.5.num.16. pag. 19. Poteſt dirigi amor ſupernaturalis à cognitione naturali in conſortio alterius cognitionis ſupernaturalis diſp.6.num.17.pag.21. Amor, qui eſt in via, ſi extrinſece eſt liber poteſt perſeuerare in patria quæſt.1. num.35. pag. 491. Amari rem non eſt præciſe actum amoris terminari ad ipſam diſp.15 num. 178. pag. 119. Cur amor præ cognitione prærequirat præſentiam intentionalem ſui obiecti diſput.24.num.11.pag.107. Amor de Creatura poteſt eſſe perfectior phyſicè amore de Deo diſp.27.num. 18. pag.214. Amor Dei ſicuti eſt cur potius poſſit eſſe naturalis, quam viſio Dei ſicuti eſt diſput.27. num.19.pag. 235. Quando amor Dei ſicuti eſt, non poſſit eſſe naturalis ibidem. Amare cadere non poteſt, niſi ſupra cognoſcentem formaliter diſp.28. numero 46.pag.245. Nullus amat Deum pro dignitate, niſi ſit ſimpliciter infinitus diſp.30.num.4. pag.252. Amor Beatorum cur non dicatur comprehenſiuus reſpectu Dei diſp. 30. num.17. pag. 255. Omne prædicatum diuinum amatur neceſſario à Deo diſputat.67.num.8.pag.432. Deus amat obiectum propter omnes fines compoſſibiles diſp.67.num.12.pag 434. inſufficientia rationum,

num, quæ afferuntur contra libertatem alicuius diuini amoris erga ſeipſum diſp.68. num.4.pag. 455. Deus eſt neceſſitatus vt ſe amet diſp.68.n. 5.pag.445. Deus non eſt indiff rens, vt ſe amet hoc, vel illo amore diſput. 68. num. 6. pag.456. Bonitas infinita clari viſa non poteſt abſque peccato non amari diſp. 68. num.7. pag. 456. vltra amorem neceſſarium nullus eſt alius liber, quo poſſit Deus ſe amare diſput.68.num.8. pag. 457. Deus amat ſe amore ſtricto indiſtincto à gaudio diſp.68. num.17.pag.466. Circa bonum poſſeſſum poteſt dari amor ſtrictus diſp. 68. num.18. pag.457. An ſcientia Dei non reperitur præſciſſio ſecus in amore diſp.68.num.22. pag. 458. Amor Dei erga ſe abſolutus, & efficax eſt, d. 68. num. 23.p.458. Amor Dei erga ſe comprehenſiuus eſt diſp.68. num.23.pag.498. Alius numero diſtinctus non eſt poſſibilis præter ipſum ibidem terminatur ad relationes, vt obiectum formale ſui. diſp.68.num.24. pag.458. eſt ſupra ſe reflexiuus ibidem. De amore Dei propria creaturas quid ſentiendum? & quæſt.10.num.56. Amor inter diuinas Perſonas eſt amicitia diſp.68. num. 25.p. 458. Amor actus liberi Deo intrinſeci terminatur ad eſſentiam diſp.71.num.9. pag.468. Bonitas create non amatur à Deo, vt obiectum formale d.71. p.468.diſp.& q.19.num.51. pag. 636. Diuinus amor non terminatur ad diuinam, creatamque voluntatem, vt duplex motiuum adæquatum d. 71.pag.468. num.19. Quid ſit in Deo vnum amari propter aliud. d.71. pag.468. num.16.Quidquid Deus amat honeſtum eſt. d. 72.pag.469. num.7. In Deo reperitur proprie, & ſimpliciter ſtrictus amor. quæſt. 20. num. 2. pag. 650. Solus Deus ſe comprehenſiue amat quæſt.20.num.3. pag.651. An Dei amor erga ſe conditionaliter procedas quæſt.20. num.3. pag. 651. An efficaciter, an reflexè, an ſe propter creaturas amet. An poſſit Dei amor admitti liber erga ſe quæſt.20. num.5. pag.651. Amor inter diuinas Perſonas eſt proprie amicitia quæſt. 20.num.6.p.651. eſt etiam proprie charitas. 14. Amor Dei erga ſe non eſt proprie charitas quæſt. 20.num.7.pag.651.Amor Dei erga diuinas Perſonas eſt concupiſcentiæ. ibi. An amor Dei circa creaturas rationales ſit veræ amicitiæ erga ipſas quæſt.20.num. 8. pag. 651. An amor Dei poſſit eſſe conditionatus diſiunctiuus, & inefficax quæſt. 20. num. 9. pag. 651. An Deus amet peccatores, & quomodo quæſt.20.num.21.pag. 654.Deus non amat directè actum peccati quæſt. 20. num.21. pag. 654. an Deus amet neceſſario creaturas bonas exiſtentes per modum gaudij quæſt. 20. num. 25. pag. 654. Deus non amat æqualiter omnia poſſibilia quæſt. 20. num. 26. pag.654. neceſſaria eſt aliqua diuerſitas phyſica in ipſo obiecto, vel in aliquo modo vt Deus poſſit magis, vel minus amare eandem rem. Deus magis amat meliora voluntate effectiua quæſt. 20.num.32. pag.655. Deus non amat peccatum ſub ratione entis ex caſu quo malitia pro formali in poſitiuo conſiſtat quæſt.20.num.22.pag. 654. vide Dei voluntas,& poſſibilia.

Amphibologia.

Amphibologica locutio proponitur pro poſſibilitate actus ſupernaturalis falſi. diſputat. 4. numero 11. lib. 12. Amphibologia duplex mentalis & ſenſibilis. diſp.4. num.13.p.12. ſenſibilis licita eſt ibidem. Mentalis illicita mendacij rea. diſp.4. num.14.pag.13. mentalis commiſſa nunquam eueniet formale mendatium niſi ſolum materialiter, & per accidens ibidem quæ amphibologia lucta ſit in confeſſario celante pænitentis peccata diſput.4. num.15.lib.13.

Anagogia.

Anagogia.Senſus Anagogicus figurat rem faciendam in quolibet ſtatu alterius vitæ. diſputat. 11. num.20. pag.40.

Angelus.

Angelus non cognoſcit omnes res naturales diſputat.5.num.25. pag.19. Angelus non poteſt diſcurrere circa ea quæ comprehendit quæſt.1. n. 36. pag.491. poteſt Angelo eſſe propoſitio aliqua de fide ſub eadem reuelatione quæ eam nobis facit theologicam diſputat.8. num. 13. pag.17.Angelus eſt ſubiectum attributionis tractatus de Angelis ſecundum ſe; ſed illius vt coniuncti cum alius theologicis eſt Deus, diſput.10. num.11.pag.33. Cur Angeli conſideratio refeſatur in Deum vt in obiectum attributionis à Theologo, & conſideratio hominis à philoſopho ibidem. propoſitio per ſe non de exiſtentia Dei non eſt naturalis Angelo diſput.12. num.25. lib.49. Cur vnus Angelus non concurrat in ſui viſionem obiectiue vt videatur ab alio diſp. 24. num. 15. pag. 208. Cur concurrat Deus præ Angelo diſp.24.num.19. pag.209. Angeli ſpecies impræſſa poſſibilis eſt vt ſe videat, non item vt Deus videatur à nobis diſp.25.num.24.pag.210. Angelus imperfectior non poteſt eſſe magis cognoſcitiuus diſput.27. num.14.lib. 234. Angelus ſi careret aliqua perfectione quamtumuis videatur diſparata vt vbicationis & extenſionis non eſſet æqualis virtutis incognoſcendo,ac modo diſp.27.num.15. pag.234. Angelus non cognoſcit omnia naturalia comprehenſiue ſed quæ ſunt infra ſe diſp.27. num.16. pag.234. Cognitio in qua conſiſtit beatitudo naturalis Angeli eſt ipſa comprehenſio de Angelo diſput.27.num.17. pag.234. Angelo non debetur cognitio de chymera licet iſta fieret ens naturale diſp. 41. num. 21.pag.307. Angelus in pluribus prædicatis ſimilior eſt Deo quam gratia habitualis diſp. 19. n.18.20. p.151. Perfectior eſt entitatiue quam vnio hypoſtatica ibidem. Connectitur cum poſſibilitate plurium rerum ſupernaturalium diſputat.19.num.19. pag.151.

Anima rationalis.

Anima rationalis ſpiritualitas quomodo ex immortalitate probetur. diſput. 21. num. 29. pag. 180. Anima rationalis indiget ſpecie diſtincta vt ſe cognoſcat diſput.24. num.19. pag. 209. Anima poteſt intelligere licet potentia intellectiua proxima ipſi extrinſeca ſit diſp.28.num.46.pag.245. Cur non poſſit ſeparata materialiter ſentire ibidem.Anima rationalis ſe aliquo modo cognoſcit per actus materiales diſp. 31. num.54.pag.268.

Anxietas.

Anxietas vnde proueniat ſcrupuloſis diſp.66.n.28. p.71.

Appetitus.

Appetitus materialis nequit dirigi à cognitione ſpirituali. diſp.5. num.16. pag. 107. Appetitus innatus materialis poteſt eſſe ad terminum ſpiritualem, ſecus elicitus diſp.21.num.48. p. 183. Appetitus innatus non datur ad bonum naturali virtute impoſſibile diſp.22.num. 36. pag. 190. Quid ſit? Ibidem. Quomodo arguatur ex elicito diſp.22.n.39.pag.190. Datur in natura appetitus innatus obedientialis, diſp. 22. num. 40. pag.190. Item pure naturalis per modum gaudij, ibidem. Aliqualis appetitus elicitus datur in natura ad viſionem diſp.22.num. 42. p. 191. Et efficax intentionaliter diſp.22. nu. 43.p. 191. Et quoad inferenda requiſita naturalia etiam phyſice diſp.22.num.45.pag. 192. Et quoad ſupernaturalia ſi ponantur in poteſtate voluntatis diſp.22.num.47.pag. 197. Cur appetitus naturalis præ naturali cognitione poſſit determinare amorem ſpiritualem diſp.22.num. 49. pag. 197. Appetitus innatus non tendit ad bonum intentionale vt tale diſp. 56.num.34. pag.375. Vide viſio Arbitrium. Deo propriè conuenit liberum arbitrium quæſt.19.num.113. pag.649. An ei competat per modum actus primi phyſici quæſt.19.num.114.pag.649.

Argumentum.

Argumentum deſumptum ex eo quod non appareat repugnantia debile eſt diſp.22.num.12.pag. 186.

Aſſenſus.

Aſſenſus fidei circa obiectum reuelatum dicitur moueri à ſe ipſo ſeu eſſe extendentia reuelationis diſp.58.n.41.p.394.

Atheiſmus.

Atheiſmus ſolis proteruis accidit diſp. 13. num. 7. pag.54.

Attributa Dei.

Attributa infinita Dei ſpeciatim probantur eo quod Deus ſit autor huius vniuerſi diſp.13.nu. 34. pag. 59. Attributorum diſtinctio quo ſenſu comparetur ab Auguſtino pluralitati Perſonalitatum diſp. 14. num. 43. pag. 74. Diſcrimen identitatis attributorum & relationum cum eſſentia diſp.14. num. 55.pag. 76. Idem attributum Dei non poteſt æquiualere pluribus attributis in ſua linea vt propriis Dei diſp. 16. num. 34. pag. 135. Attributum non ſufficit concipi per modum accidentis vt extra eſſentiam rei ſit diſp.17.num.52.p. 142. 34.pag. 139. Definitur ſpecialis Dei perfectio abſoluta & neceſſaria diſp.18.num.1.pag. 143.. Quid ſit, & qualiter includat eſſentiam, vel in ipſa formaliter includatur diſp.18.num.1.pag. 143.& ſeqq. An attributum vnum ſit de conceptu alterius diſp. 18. num.4. & ſeqq. pag 143. Qui & quibus fundamentis affirment, ibidem. Plura attributa non ſunt de conceptu formali alterius diſp.18. num. 9.pag.144. Plura vero ſunt diſp.18. num. 10. p. 144. Attributa ſunt de conceptu formali eſſentiæ: eſſentia vero inadæquatè tantum eſt de conceptu cuiuſlibet attributi diſp. 18. num.3.p. 143. Qualiter vt diſtincta per rationem ſint æqualis perfectionis diſp.18.num. 15. pag. 144. & ſeqq. æqualia ſunt implicite etiam ratione noſtra, ſed inæqualia ſecundum rationem explicitam diſp.18. num. 16.pag. 144. Exigentia identitatis facit attributa æqualia etiam per rationem implicite diſp.18.num.18. pag.145. nullum habent ordinem ex parte rei, ſed apprehendi poſſunt per modum prioris diſp. 18. num. 20. pag. 145. Strictè loquendo nullum attributum datur in Deo diſp.18. num. 20. pag. 145. Dantur in Deo attributa ratione noſtra plura, ſed non ex parte rei ibid. Non ſunt infinita cathegorematice & actu, diſp.18. num. 21. pag. 145. in Deo ſunt infinitæ numero formalitates, ſed non infinita attributa, ibidem. Quomodo poſſint dici infinita ſyncathegorematice diſp.18. num.22. pag.146. Nullum attributum diuinum poteſt comprehendi à creatura diſp. 30. num. 7. pag. 253. Attributa & attributorum modi quo differant diſp.31.num. 1.pag.257. Vtrum poſſit videri vnum attributum ſine alio diſp.31.num.2. pag. 257. & ſeqq. Non videtur de facto a beatis vnum attributum ſine alio ex parte obiecti, diſp. 31.num.4.p.258. Secus ex parte modi explicite diſp. 31. num. 6. p. 258. Implicat videri vnum attributum ſine alio ex parte modi impliciti diſp.31.num.16.p.260. & ſeqq. Cur non poſſit beatus reddere rationem de aliquo attributo diſp.31.num. 16. p. 260. Probatur exemplo viſionis materialis diſp. 31. num. 17. p. 260. & ex conceptu cognitionis intuitiuæ,diſp.31.num.18. pag.260.Attributa formaliter includuntur in eſſentia Dei diſp. 36. num. 19. pag. 260. Vide Deum.

Auguſtinus.

Auguſtinus exaggerat difficultatem addiſcendi Theologiam d.2.n.20.p. 7. Auguſtinus ſub vna littera ſacræ Scripturæ voluit dari innumeros ſenſus litterales d.11.n.15.p.38.Quo ſenſu, comparauerit attributorum pluralitatem cum pluralitate Perſonarum d.14.n.43.p.74.

Auxilium.

Auxilium extrinſecum poſſe eleuare naturam ad effectus ſupernaturales probatur efficaciter d.28. n.41.p.244.ſaltē reſpectu cauſæ phyſicæ euidentiſſime d.28.n.42.p. 244.in infideli dabitur fides tranſiens,& in peccatore tranſiens charitas ſi negetur poſſibile auxilium extrinſecum d.28.n.43. p.244.Auxilium intrinſecum rurſus eleuabile eſt, & non per aliud intrinſecum d.28.n. 44. p. 244. Auxilium extrinſecum eſt indiſtinctum ab ipſa omnipotentia Dei, ibidem. Poſſibilis eſt viſio quæ nulli auxilio intrinſeco connaturaliter ſit debita ibidem. Poſſibilitas auxilij extrinſeci, ſine lumine confirmatur ex poſſibilitate viſionis à Deo adæquatè infuſæ d.28.n.47.p. 245. Maxime ex poſſibilitate viſionis identificantis perfectionem diſparatam diſp.28.num.48.pag. 245. Eadem actio quæ procedit ab auxilio intrinſeco poteſt oriri ab extrinſeco diſp.28.num.50.p.246. & ſeqq. Probatur primo: quando diſſoluitur vnio auxilij intrinſeci,tunc enim non eſt cur non poſſit manere eadem actio d.28.n. 50.p.246. Secundo quia actio luminis poteſt fieri iterum per aliam reflexam ab extrinſeco d.28.n. 51. p. 246. & ſeqq. Auxiliorum numerica diſtinctio non immutat

immutat modum agendi d.54. n.17. p.563. Vide viſio, & lumen.

B.

Beati.

BEati vident creaturas exiſtentes, quæ ad ipſos ſpectant d.32. n.12. p. 271. an viderent ſuæ viſionis æternam durationem d.33.n.1.& ſeq. 275.

Beatitudo.

Beatitudo noſtra qualiter in infinito modo conſiſtat d.22.n.13.p. 186. Non conſiſteret per ſe in Deo, ſi non eſſet poſſibilis viſio Dei d.22. n. 14. p. 186. Beatitudo naturalis non eſt ſimpliciter beatitudo d.22.n.17. p. 186. Beatitudo hominis tanta eſt vt non ſit viribus naturæ conſequibilis d.22.n.8.p.187.Si daretur Verbum *in quo* per accidens haberet exiſtentia Dei ad ſecandum d.23. n.22.p.197. Quo ſenſu dicatur noſtra Beatitudo in Deo conſiſtere d.25. n. 15.p. 214. nihil poteſt ita nos beare ſicut Deus n.25.n. 26.p. 214. Noſtra beatitudo non ſolum terminatiue, ſed potius motiue conſiſtit in Deo d. 25.n. 17. p. 214. Noſtra beatitudo per ſe loquendo eſſet phantaſtica, ſi daretur ſpecies d.25.n.18.p. 215. Deus per ſe præſens non maiorem ſatietatem afferret noſtræ voluntati, quam abſens, ſi daretur ſpecies d.26. n. 19. p. 215. Beatitudo formaliter vt talis non venit à principio, ſed ab obiecto d.25. n.24. p.216. Non tribuitur niſi phyſice concurrenti d.25.n.25.p.216. Noſtræ beatitudini non ſufficit quod concurrat Deus media ſpecie vt inſtrumenro d.25.n. 31. p. 217. Beatitudo perfecta non in cognitione abſtractiua, licet foret quidditatiua, ſed in intuitiua conſiſtit d.26.n.31. p.228.Beatitudo Angeli conſiſtit in comprehenſione ſui d.27.n.17.p.234. Beatitudo ſupernaturalis non creſcit ex maiori perfectione naturalis potentiæ, ſecus tamen naturalis beatitudo, ibid. Beatitudo eſſentialis, & accidentalis Dei nequit creſcere, aut minui d. 66. n.7. pag. 448. Vide viſio.

Benignitas.

An detur in Deo q.21.n.21.p.659.

Bonitas.

Bonitas finita amari poteſt neceſſario amore inefficaci, infinita vero efficaci d. 66. n. 17. p. 450. Bonitas creata non eſt obiectum formale diuinæ voluntatis d.72.n.2.p.468. Vide amor.

Bonum.

Bonum ab ente præciſe ratione noſtra differt q. 5. n.4.p.545.Ratio boni definitur q. 5. n. 3. p.545. Ratio boni formaliter poſterior eſt ratione entis q.5.n.7.p.545. Non omni rei competit eſſe moraliter bonam q.5.n.11. p. 545. Non omne ens eſt bonum bonitare conuenientiæ, ib. Bonum eſt omne ens reſpectu alicuius ſaltem bonitate conuenientiæ, ib. Bonum conuertitur cum cauſa finali reſpectu cuius bonum eſt q.5. num. 15. p.546. Bonum, & cauſa finalis ſunt conuertibiliter idem ratione noſtra implicita, ſecus explicita qu.5.n.17.p. 546. Quomodo intelligendum ſit bonum conſiſtere in modo, ſpecie, & ord ine q.2.19.p.546.Bonum recte diuiditur in vtile, honeſtum, & delectabile q.5 n. 22. p. 547. Triplex hoc bonum ratione noſtra diſtinguitur q.5.n.23. p.547.Deus multipliciter eſt bonus q.5.n.2.pag. 548.Deus ea bonus & bonum eſt q.6.n.3.p.548. Deus vndequaque bonus eſt q.6.n.5.p.548.Deus ſolus tam bonus eſt quam Deus & creatura q.6. n.8. p. 549. Quibus titulis Deus ſit bonum per eſſentiam q. 6.n.10.pag.549.

C.

Character.

CHaracter Sacramenti quo modo ſit ſupernaturalis d.19.n.33.pag. 154.

Carentia.

Carentia cur non ſit eminenter in Deo d. 5. num. 92. Carentia æterna rei non eſt medium cognoſcendi rem futuram d. 50. num. 8. pag. 342. Carentiæ non diſtinguuntur niſi ratione diuerſæ formæ poſitiuæ d.64.num.22.pag. 441.Carentia multiplex eiuſdem rei non datur diſp. 50. num. 8. pag.342.

Cauſa.

Cauſa prima probatur ex effectuum conſeruatione, licet probetur Cauſa proxima non d. 13.n.7.p.54 Nihil poteſt ſui ipſius exiſtentiam cauſare quo ad primum eſſe diſp.13. num. 9. pag. 54. Si aliquid ſe cauſaret, exiſteret neceſſario & ab æterno, ib. implicat mutua cauſalitas quoad primum diſp. 13.n.10. pag. 54. Etiam ſi ſit inter extrema vage accepta & indeterminate d.13.n.11.p.54. Ens, quod ſibi ſufficit, eſt incauſatum diſp. 13. num.12.pag.55. Cauſa incauſata in conſeruari demonſtratur diſp.13.num.27.pag. 57. Demonſtratur euidentiſſime cauſa prima diſp.13. n. 22. p. 56. Cauſa in implicat eleuari ad producendum naturaliter effectum, quem naturaliter nequit d.21.n. 11.p.196. Cur cauſa efficiens poſſit eleuari ad efficiendum extra propriam ſphæram ſed non ad viuendum diſp.21.num.21.pag. 178. cauſa vt phyſice operetur non poteſt pendero à pura conditione nihil præſtante diſp. 25. nu. 30. pag. 217. effectus eſt in cauſa per identitatem eminenter: per connotationem formaliter d.42. n 5.p.309.quando in inadæquata poſſit cognoſci effectus diſp.42.num.8. pag. 309. Cur potius in Deo quam in cauſa ſecunda poſſit cognoſci effectus ad quem nequit adæquate concurrere, ib. Cauſam determinare aliam qui d ſit d.47. n.27. pag.329. Cauſa ad cauſandum phyſice requirit exiſtentiam ſecus vt cauſet determinatiue diſp. 47. num. 29. pag. 329. Vide Dei potentia.

Certitudo.

Certitudo.Poteſt actus eſſe certus ex modo tendenquamuis obiectum ſolum probabiliter proponatur diſp.3.num.10.pag.9. Certitudo moralis duplex intrinſeca & extrinſeca diſp.8.nu. 23. p. 28. Poteſt quis de ſua contritione plus fundamenti intrinſece habere, vt credat eſſe certam, quam vt credat propoſitiones aliquas fidei; ſecus extrinſece, ib. Vide ſupernaturalis.

Index Rerum.

Chriſtus.

Chriſtus Dominus An poſſit vti reſtrictione mentali & An de facto ea vſus fuerit quæſt. 1. n.169. pag.513. Chriſtus immediate creditur rationalis, non ex diſcurſu quod omnis homo ſit rationalis & Chriſtus ſit homo diſp.8.num. 15.p. 28. Gratiæ gradus in Chriſto limitatur ex conditione huius determinatæ vnionis diſp.20.num. 57.pag. 166. Non potuit connaturaliter creſcere in gratia ſub hac vnione, licet gratia non fuerit omnium poſſibilium ſumma, ib. In Chriſto non fuit omnis gratia poſſibilis, ibid. Explicatur quo modo dicatur plenus gratia, ibid. Pietati Chriſti ſecundum ſe debetur ſumma gratia, non tamen ipſi vt vnitæ per hanc vnionem, ibid. Quod vnio hypoſtatica in Chriſto fuerit tantæ, & non maioris perfectionis prouenit ex ſolo libito Dei, ſecus quod gratia tanta fuerit, diſp. 20. num. 59. pag. 167. Quæ ſit huius diſcriminis ratio, ibid. Gratia non poteſt dici proprietas niſi ex commenſuratione cum hac determinata vnione, diſp. 20.num. 60. pag. 167. Cur gratia limitetur in Chriſto ob hanc determinatam vnionem & non meritum diſp.20.num.61.pag.168. licet Chriſtus non exigat proprietates commenſuratas ſimpliciter infinitas, exigit tamen alterius ordinis ſupra puram creaturam diſp.20. num.66.pag. 169. Cur anima ſpiritualis vnita corpori exigat proprietates communes ſubſtantiæ pure materiali; Deitas vero vnita humanitati Chriſti non petat communes eſſentiæ pure creatæ, ibi. Nunquam poteſt conſtare vnione ita debili vt ipſi non debeatur proprietas omnium maxima diſp. 20. nu. 67. pag. 164. Chriſtus eſt prima ſedes, radix connaturalis & quaſi ſubiectum totius ſupernaturalitatis diſp.20.num.87.p. 169. Chriſti humanitas non poteſt cognoſcere per ſcientiam increatam & huius aſſerti ſpecialis ratio 21. num. 46.pag. 183. Chriſti ſcientia non comprehendit ſcientiam viſionis Dei diſp. 30. num. 7. pag. 253. Vide vnio hypoſtatica.

D. Chryſoſtomus.

Chryſoſtomus exponitur pro viſione intuitiua & immediata Dei diſp. 22.num.3. & 6.pag.184.

Chymæra.

Chymæra quare dicatur, ideo non poteſt produci à Deo, quia eſt impoſſibilis diſp.41. num. 13.pag. 307. Hæc cauſalis eſt à priori in cognoſci; ſed non in eſſe, ibid. Qui negat aliquam creaturam determinatam poſſibilem non negat Deum vt ſic, ſed vt talem. Ibid.

Cognitio.

Cognitio ſupernaturalis poteſt naturaliter dirigere in amorem naturalem, ſed non è contra cognitio naturalis in ſupernaturalem amorem diſp. 5. num.15. pag. 17. Ex cognitione ſupernaturali numquam ſequitur de facto naturalis amor diſp.6. num. 19. pag. 21. Cognitio quo pacto identificetur ſecum independenter ab intellectu diſp. 14.num. 15.pag. 67. Quo pacto ſit principium volitionis diſp.15.num. 176. pag. 119. cognitio naturalis cur non poſſit determinare ad amorem ſupernaturalem, poſſit vero naturalis amor imperans diſp.22.num.49.pag.193. Poteſt dari cognitio ſaltem diuinitus ſine omni alia entitate diſtincta à tali cognitione diſp. 23. num. 45. pag. 192. Non connectitur cum poſſibilitate ſui obiecti realis diſp.23.num. 48.pag. 192. Quo ſenſu dicatur quod non poteſt dare ſine obiecto, ſpecificetur ab illo, &c. diſp. 23. num. 25. pag. 188. & 49. pag. 193. In quo conſiſtat quod tendat ad Petrum potius quam ad Paulum diſp.23.num.50.pag.193. poſſibilis eſt cognitio quæ licet abſtractiua immediate omnino feratur in Deum diſp. 26. num. 15. pag. 224. Quotupliciter dicatur cognitio mediata? ibid. Quando dicatur fieri per ſpecies proprias, & quidditatiuas, diſp.26.num. 23. pag. 226. Nequit intendi per additionem nouæ cognitionis diſp.29.n.20. pag. 251. nequit eſſe clarior, nec videre plura obiecta materialia, niſi plus apetiat in ſuo obiecto formali diſp.29. num. 21. p. 252. cognitio Dei ſicuti eſt cur implicet naturaliter præ amore Dei ſicuti eſt diſp.27. num 19.p. 235. Plura obiecta naturalia non poſſunt cognoſci intuitiue, niſi cognitione ſupernaturali diſp.27. num. 20. pag. 275. cognitionis claritas quando dicatur intenſa, vel extenſa diſp. 30. num.17.p. 255. Nequit comprehendi, niſi cognoſcatur omne eius obiectum diſp.30. num. 25. pag. 257. cognitio experimentalis de noſtris actibus non eſt quidditatiua, nec propriè intuitiua, ſed ſolum ſecundum quid diſp.31. num. 34. pag.268. cognitio non habet connexionem cum ſuo obiecto diſp.37.num.31.pag.298. Cognitio reflexa pure talis implicat, ſecus ſi habeat aliud munus diſp.36.num.3. & ſeqq. pag. 298. Cognitio aliqua in Deo eſſet ex natura rei rei incognita, ſi virtualiter diſtinguatur à volitione diſp.38.num. 10. pag.299. Cognitio in cauſa connexa quando repræſentatur in recto, quando in obliquo diſp. 41.num.27.pag.308. Qualiter indigeat motiuo, & ab eo pendeat diſp.44.num. 23.pag. 317. Cognitio eadem creata poteſt tangere obiectum immediate, & mediate diſp.44. num. 32. p. 318. Cognitio creata poſſibilis eſt, quæ ad ſui veritatem nihil de præſenti exigat diſp.53. nam. 19.p. 357. Poteſt eſſe practica etiam provt habens pro obiecto aliam cognitionem q.1.num. 92.p.500. Cognitio intuitiua quo differat ab abſtractiua diſp.12.num.18.pag.48. Quidditatiua quomodo eueniat diſp.12.num.20.pag. 48. Omnis propoſitio per ſe nota cognoſcitur per quidditatiuam, ibid. Cognitio quidditatiua Dei nequit haberi in vllo medio creato diſp. 23. num. 23. & ſeqq. pag. 179. Nullum obiectum poteſt cognoſci quidditatiue in ſui viſione reflexe cognita diſp. 23.num.26.& ſeqq. pag.179. Quod cognitio ſit clara, vel obſcura non ideo per modum medij, *in quo*, ſeu obiectiue ducit in meliorem notitiam de re diſp.23. num. 30. pag. 198. Quidditatiua debet penetrare obiectum non minori claritate, & proportione, quam poſſit communicare obiectum dum per ſe concurrit diſp.23. num.31. p. 180. Cognitio intuitiua non pendet per ſe à reali præſentia obiecti diſp. 25. num. 28. 217. Cur potius cognitio ſit de Petro reali, quam de Chymærico diſp.24.num.51.p. 182. Cognitio de ente rationis nihil diſtinctum à ſe in eſſendo habet pro obiecto, ibid. Cognitio cur non prærequirat neceſſario præſentiam intentionalem ſui obiecti ſicut amor diſp.24.num.11.pag.250. Cognitio quidditatiua debet eſſe propria de obiecto præciſa omni affirmatione, vel negatione diſp.26.

diſp. 26.num. 24. pag. 226. Cognitio intuitiua nequit eſſe præciſiua, bene tamen immediatè poteſt præſcindere diſp.26.num.30. pag. 228. & 27. pag. 227. Vt ſit intuitiua debet procedere *de eſt* ſecundo adiacente, ſeu per modum præſentis diſp. 26. num. 20. pag, 225. Nequit eſſe quidditatiua ſtricte, ſi ſolum inadæquate tendit ad ſingularitatem bene tamen immediata diſput. 26.num.30. pag.228. Cognitio quidditatiua perfecte, & ſtricte eſt intuitiua diſp.26.num.34.pag. 229. Nequit obiectum adæquate attingi ſicuti eſt, quin cognitio ſit intuitiua diſp. 26. num. 36. pag.230. Quidditatiua neque implicite præſcindit ab exiſtentia exercita abſolute, ideoque neceſſario eſt intuitiua diſp.26.num.36.pag.230. Semper explicite tangit exiſtentiam licet poſſit præſcindere, quin explicite alia attributa tangat ibidem. In cognitione intuitiua qualiter dicatur eſſe obiectum ſicut eſt in ſe, & quid ad hoc requiratur diſp.31. num.30.pag.263. & 29. pag. 262. Exiſtere res debet intentionaliter ea ratione qua poſſit exiſtere phyſice à parte rei. diſput.31. num.31. pag. 263. Differentia inter cognitionem intuitiuam & abſtractiuam quoad vim præſcindendi diſp.31.num.34.pag.264. De ratione com. muni non poteſt dari intuitio diſp.31. num. 53. pag.268. Cognitio quidditatiua cognoſcit ſuum obiectum ſecundum prædicata quæ formaliter illud diſtinguunt ab omni non ipſo diſp. 31. num. 54.pag.268. Debet eſſe diſtinctiua ſui obiecti ab omni non ipſo ibi. Non eſt cauſa in effectu ſecus è contra diſp.32. & 41.num. 20. pag. 273. & 26. pag.308. Ad cognitionem quidditatiuam medium debet eſſe ſicut obiectum formaliter, vel cauſaliter diſp.32.num.21.pag.273. Requiritur in medio eminentia cauſalitatis & non ſufficit perfectionis ibid. Cognitio cognoſcentem latere non poteſt diſp.56.num.24.pag.373. Cognoſcitiua ſubſtantia implicat cuius virtuti non poſſit fieri ſatis per cognitionem creatam diſp. 2. num. 12.pag.6. Vis cognoſcitiua perfecta eminenter continet omnes alias formalitates & perfectiones rei, ſicut virtus factiua omnes rei factibilis diſp. 27.num,15.pag. 234. Cognoſcitiua potentia in ratione potentiæ eſt improportionata quando adhuc præſente obiecto non debetur ei concurſus ad cognoſcendum diſput.28. num.5. pag.237. Cognoſcitiuum immateriale eſt idem quod intellectiuum diſp.30.num. 13.pag.254. Cognoſcitiuum cur ſit perfectius omni non cognoſcitiuo diſp.34. num.23.p. 284. Cognoſcitiua potentia quæ attingit rationem communem eodem modo poteſt propriis viribus particulare attingere, implicat cognoſcitiuum non proponens rationem aliquam boni cognoſcenti pag.56. num.19. pag.372. Quod bonum eſt vi cognitionis appetitum innatum terminare non poteſt d.56. n.20. p.372. Quantumuis ſpeculatiua cognitio ſit non poteſt non vt bonum cognoſcenti obiectum proponere diſp.56.num.24.pag.373. Omnis ſe cognoſcens ſe amare poteſt d.56.n.25.p.373. Omnis cognitio reflexe diſcernit inſtans in quo exiſtit diſp.56.num.26.pag.373. Quid intendatur dum dicitur cognitio ſe exercite cognoſcere diſp. 56. num.28. pag.374. Ad amandum exercite amorem non eſt opus cognitione diſp. 56, num. 30. pag.374. Materiale cognoſcitiuum ſe implicite cognoſcit diſp.56. num.31. pag. 375. Cognoſcitiuum materiale ſe amare poteſt diſp. 56. n.32. pag.375. licet cognitio variare non poſſit veritatem explicitam poteſt tamen implicitam diſp. 56.num.46.pag.377. Quando cognitio comparetur cum ſuo obiecto vt cum obiecto motiuo ſeu formali diſp. 37. num.8. pag. 380. Vide ſupernaturale.

Compoſitio.

Compoſitio virtualis non datur in Deo nec per rationem noſtram diſp.15.num.92.pag.100. Compoſitio nec ratione noſtra datur in Deo licet detur diſtinctio diſp.16.num.37.pag.135. Deus omnino eſt expers materiæ etiam ſpiritualis quæſt. 3.num.10. pag. 528. Deus ſimpliciter & quoad ſe non eſt ſub aliquo genere ſeu prædicamento ſecus quoad nos. quæſt.3.num.33. p. 533. Saltem reductiue ſub prædicamento poteſt eſſe quæſt.3.num.37.pag.534. Poteſt admitti in Deo compoſitio ex genere,& differentia & qua ratione quæſt.3. num.38. pag. 534. Non datur compoſitio realis in Deo ex natura & ſuppoſito quæſtione 3. num.16. pag.523. Neque ex ſubſiſtentia abſoluta,quæſt.3.num. 17.pag.529. Neque ex eſſentia diuina & exiſtentia quæſt.3.num.22.pag. 530. Nulla diuina attributa ſunt accidentia quæſt. 3.num.41.pag.534. Nullum accidens poteſt Deo inhærere quæſt.3.num.45.pag. 535. Huius ratio exponitur ibid. Nec ratione noſtra admittendum eſt in Deo aliquod accidens quæſt.3.num.48.pag. 536. Qualiter relationes diuinæ non ſint nec virtualiter accidentia quæſt.3. num.49.pag.536. In Deo nulla eſt compoſitio rationis quæſt.3. num. 54.pag.537.

Comprehenſio.

Comprehenſio Dei creata etiam virtualis implicat in ſpecie impreſſa diſputat.24. num. 9. pag.207. Comprehenſio non ſolum formalis, ſed virtualis creata de Deo, ſeu ſpecies comprehenſiua Dei repugnat pag.26.num.32.pag.228. Subſtantia comprehenſiua obiecti perfectioris ſe implicat ex propria virtute diſp.27. num.8. pag. 232. Omnis viſio Dei eſt ſupercomprehenſio, ſeu excedens comprehenſionem omnis creaturæ diſputat.27. num.11. pag. 233. Modus adæquatus cognoſcendi, & comprehenſiuus ſequitur modum eſſendi diſp.27. num.22.pag.235. Incomprehenſibilitas Dei eſt de fide in ſenſu communi à Theologis vſurpato diſput.30. num.2. pag. 254. Cognitio vt comprehendat Deum debet eſſe æqualis diuinæ diſp.30. num.13. pag. 254. Deus non ſupercomprehendit ſe ibid. Comprehenſio debet eſſe intentionaliter quanta eſt obiectum in eſſe reali diſp. 30. num.5. pag.252. Per accidens eſt comprehenſioni entitatiua perfectio ib. Cognitio naturalis poteſt eſſe aptior comprehenſioni quam alia ſupernaturalis ibi. Cognitio nulla poteſt comprehendere cognitionem perfectiorem ſe diſput.30.num.10.pag.253. Nihil creatum eſt incomprehenſibile diſp. 30. num.9. pag. 253. Nulla perfectio Dei eſt comprehenſibilis à creatura nec diuinitus diſp.30. num.7. pag.253. Dei ſcientia etiam qua tendit reflexe ad vnum attributum illud comprehendit diſp. 30. num.8. pag.253. Secus ſcientia Chriſti etiam ſi cognoſcat ſcientiam viſionis & omnia eius obiecta nondum comprehendit ſcientiam viſionis ibid. Ex

myſterio actuum liberorum Dei eius incomprehenſibilitas probatur diſp.30.num.6. pag.253.In comprehenſione ſolum debent dari intentionaliter prædicata phyſica obiecti vt ſunt in ipſo, & vi in ipſo obiecto exprimunt peculiarem perfectionem diſp.30.num.11. pag.253. Ea ſolum debent explicite exprimi quæ neceſſaria ſunt ad taxandam perfectionem rei , quæ in æquivalenti non ſunt ſatis nota diſp.30.num.12. pag. 254. Cur ad perfectam comprehenſionem non requiratur exprimi potentia obedientialis in obiecto naturali diſput.30. num.13.pag. 254. Non comprehenderetur Deus quantumuis in ipſo viderentur omnia poſſibilia diſp.30.num.21.pag.256. ſecus ſi viderentur omnes rationes poſſibilium in Deo diſp.30. num.23. pag.256. Comprehenderetur Deus ſi in ipſo vel vna creatura cognoſceretur ſecundum omnes rationes quibus cognoſci valet in ipſo ibi. Viſio omnium poſſibilium in Deo eſt ſicut Deus , ſed non quantum Deus diſput.30. num.24. pag. 256. Obiectum vt comprehendatur debet cognoſci quantum cognoſcibile eſt ex vi intrinſeca concurſus obiectiui. diſp.30.n.25.p.25.p.256. Creatura omnis poteſt ſupercomprehendi ſed non Deus ibi. Comprehenſio vulgaris non debet diſtinguere indiuidua quæſt.14.num.42.pag.592.Vide Dei ſcientia , & viſio.

Concluſio.

Concluſio probabilis differt eſſentialiter ab euidenti quæſt.1.num.36.pag.491. Concluſio licet per ſe pendeat ab his determinatis præmiſſis ob ſed non ab his determinatis formalibus.diſp.3.n.14. p.9. ſequitur debiliorem partem quoad certitudinem venientem ab obiecto ſecus venientem à principio diſp.3.num.16.pag.9. Cur concluſio certa poſſit oriri ex præmiſſa incerta & non poſſit concluſio vera ex præmiſſa falſa diſp.3. n. 17. pag.9. Concluſio vt formaliter talis debet per ſe pendere à præmiſſis formalibus ; & quando id accidat diſputat. 7. num.7. pag. 23. Concluſio vt concluſio eſt eſſentialiter propoſitio mediata ad quam non ſatis eſt inſtructus intellectus niſi actu eliciat præmiſſas formales , ſeu aſſenſum circa principia immediata diſp.7. num. 7.lib.23. Concluſio vt conſtituat tertiam operationem per ſe diſtinctam à iudicio debet attingere obiectum intrinſece obſcurum , & incapax terminandi aſſenſum propter ſe. ibid. Aſſenſus concluſionis illatæ ex duabus non ſolum in motiuo fidei innititur diſput.7.num.10. pag.24. Potentia ad præmiſſas prior eſt, quam potentia ad concluſionem diſp.17.num.41. pag. 140. Vide Theologia.

Concordia.

Concordia præſcientiæ futurorum cum libertate diſp.47. n.1.& ſequent.pag.325. Concordia cum libertate manifeſta eſt diſp.47.num.1.3.pag.325.

Concretum.

Concretum in prædicatione concreti non tam attenditur communicatio formæ ſubiecto quam huius capacitas diſp.14.num.52.pag.76.Concurſus quando debeat præparari ſupernaturalis diſput.6.num.16.pag.21.Conditio ad agendum poteſt dari,quæ per ſe immediate non agat diſp.5. num. 14. pag. 17. Sub qua conditione ſcientia Media ſuum obiectum reſpiciat diſp.51. num. 1. pag.348. Proponuntur diuerſi conditionati ſtatus diſp.51. num.2.pag.348. Futurum conditionatum vere eſt affirmabile, neque ad hoc requirit poſitionem conditionis diſp.51.16. pag. 350. Conditionalis de hypotheſi diſparata exponitur per abſolutam diſp.51. num.22. pag. 351. Conditionalis de hypoth. impoſſibili ſemper eſt falſa diſp.51.num.23. pag.351. Status æterni conditionati Deo intrinſeci reiiciuntur diſp. 53.n.30. pag. 35. Talis ſtatus opus eſt noſtri intellectus; non quid à parte rei exiſtens ibid. Improbantur conditionati ſtatus Deo identificati diſput. 58. 32. pag. 357.

Condonatio.

Condonatio extrinſeca poſſet compleri per condonationem , ad voluntatem condonatiuam Chriſti diſp. 638. num.11. pag. 437, Si Chriſtus non exiſteret compleretur actione creata determinante ad effectum formalem volendi diſp.63.12. pag.437.de facto tali actione completur diſp.63. 13. ibid. Hæc actio habet repugnantiam intentionalem cum peccato diſputatione 63. num.14. ibid.

Confeſſarius.

Confeſſarius quo pacto poſſit ſine mendacio , & ſine reſtrictione mentali negari pænitentis peccata diſp.4.num.15.pag.13.

Connexio.

Connexio Dei cum creaturis, poſſibilibus probatur diſp.41.1. & ſequent. pag. 304. Quia ſolus Deus eſt ſufficienter fundamentum poſſibilitatis rerum, eſtque ipſe per ſe creaturæ poſſibilitas diſp.41. num.3.pag.304. & ſequent. Niſi aliquod prædicatum in Deo deficiat,nequit deficere muſcæ poſſibilitas ibid. Connexio cuiuſlibet cum quolibet proponitur, & impugnatur diſp. 41.n. 14. & ſequent. pag. 306. Non ſequitur ex connexione Dei cum creaturis poſſibilibus diſp. 41. 18. & ſequent.pag.307. Connexioni non ſufficit quæcumque neceſſitas coëxiſtendi diſp.41. num. 16. pag. 306. Connexio mediata euenit quando vnum connectitur cum alio ſecundum formalitatem , qua hoc cum altero tertio connectitur diſp.41. num.19. pag. 307. licet quodlibet obedientialiter poſſit eleuari ad producendum quodlibet ; non tamen cum quolibet connectitur diſput.41.num. 20. pag.307, Neceſſitas vt lapis coëxiſtat poſſibilitati gratiæ non venit ab illo, ſed ad hac diſp.41. num.22.pag.307.& ſequent. Non omne prædicatum diuinum connectitur formaliter cum creatura diſp.41. num.29.pag.308. Connexio conditionata cum exiſtentia poteſt eſſe ſic conditionata pure ex parte obiecti reſpectu conditionis, ſecus cum poſſibilitate , d. 43. n.12.&13.p.313.Vide poſſibilia & Dei ſcientia.

Contradictio.

Contradictio *concreti* requirit diſtinctionem realem mediatam diſp.14.num.53.pag.76.Prædicati

ti *abſtracti* contradictio requirit diſtinctionem realem immediatam diſp.14. num. 51. pag. 75. Secus in concreto diſp.14.num.52.pag.76. Quid proſit conrradictioni diſtinctio mediata, & in tertio? diſp.14.num.53.pag.76. contradictio vera neceſſario imbibit identitatem cum diſtinctione reali diſp.15.n.113.pag.105. Omnis contradictio, quæ talis ſit ex parte rei æqualem dicit diſtinctionem diſp. 15. num. 119. pag. 106. Contradictioni, quæ inuenitur in Deo ſola ſufficit diſtinctio realis diſp. 15. num. 151. pag. 113. Vide diſtinctio virtualis.

Corpus.

Corpus conſtans materia ſpirituali, & forma corporali An repugnet quæſt.3.num. 13. pag. 528. Poſſibile eſt Corpus omni materia materiali, & ſpirituali carens quæſt. 3. num.14.pag.528.

Creatura.

Creatura identificata cum ſubſiſtentia repugnat q. 3.num. 19. pag. 529. Bona abſolute eſt ratione exiſtentiæ, ſecundum quid ratione eſſentiæ qu. 6.num. 12. pag. 549. Creaturæ à ſe ſolis bonæ ſunt quando exiſtunt; quando non exiſtunt à nullo quæſt.6.num.15.pag.550. Nequit eſſe infinita per eſſentiam in aliquo genere determinato perfectionis quæſt.7.num.9.pag. 551. Repugnat creatnra infinita in *eſſe* creaturæ qu. 7. num.12.pag. 552. & perfectiſſima, ibid. Creatura poteſt locari in infinitis locis, non tamen in omnibus quæſt. 8. num. 25. pag. 559. An ſit poſſibilis eſſentialiter ab æterno exiſtens: vel quæ ſemel exiſtens exigat eſſentialiter in æternum durare quæſt.10.num.14. pag.563. diſp.33. num.2.p.274. Repugnat permanens, vel ſucceſſiua ab æterno quæſt. 10. num. 18. pag. 563. Non poteſt produci ante infinita temporis ſpatia quæſt.10.num.19.p.563. ex poſſibilitate talis creaturæ male deduceretur poſſibilitas creaturæ hoc exigentis quæſt.10.num.21. pag.564. Creaturæ quo pacto cognoſcantur vt effectus Dei d.13.nu.7.pag.54. Creatura quæ prædicata Dei poſſit participare in *eſſe* finito diſp.20. num. 87. pag.173. Creatura quæ ſit alligata eſſentialiter inſtanti determinato implicat diſp. 33. num.14. pag.275. Quæ ſit eſſentialiter immortalis, licet intentionali titulo repugnat diſp.33. num.15. p. 275. ſeq. Quo pacto dicatur immortalis per gratiam diſp. 33. num. 17. pag. 276. Omnis creat. tam in ſingulari, quam collectiue poteſt à Deo deſtrui diſp.33.num. 22. pag. 277. & ſeqq. Creatutæ cognoſcuntur in connexione, quam Deus habet cum illis diſp.41.num. 24. pag. 307. & ſeqq. Cognoſcuntur in omnipotentia Dei d. 42.num.4. pag. 309. Poſſibiles cognoſcuntur à Deo in ſe ipſis diſp. 44. num. 11. pag. 315. ſeq. Poſſibilium denominatio creaturis non venit à ſola omnipotentia, ſed ab exiſtentia intrinſeca, quæ poteſt eſſe diſp.44.num.27.pag.317. Non cognoſcuntur in ſcientia Dei, niſi vt infinita diſp.42.num. 11. pag. 310. Non tamen vt cognoſcantur in ſcientia Dei opus eſt recurrere ad Omnipotenriam diſp. 42. num. 12. pag. 311. Secus vt cognoſcantur quidditatiue, ibid. Idem dicendum de volitione, & de aliis prædicatis, in quibus non magis cognoſcuntur creaturæ, ſi omnipotentiam ſecludas quam in ſcientia diſp. 22.num.14. & ſeq. pag. 186. Creaturæ poſſibiles An poſſint ſciri in Deo quantumuis inconnexo, & abſoluto ab illis diſp.43. num. 1. ſeq. pag. 311. Creaturæ An fuerint præſentes æternitati diſp.48.num.1.pag. 331. Creatura aliqua ex omni ordine poſſibili de facto à Deo non eſt producta diſp.56.num.35. pag. 376. Deus propriè amat creaturas diſp.65.num.1.pag.365. Explicatur duplex vtilitatis genus in creaturis diſp. 65. num. 4. pag. 365. Explicatur amicitia Dei cum creaturis diſp.65.num. 5. pag. 365. conducentia harum ad Deum vt dantem non vt accipientem proponitur, ibid. Vide viſio Dei potentia.

Decretnm.

Inæqualitas in decreto excuſaret Iudæos præ Tyriis, ſecus inæqualiras ab ipſorum voluntate proueniens diſp.52.n. 13. pag. 350. Patres non meminerunt diuini decreti conditionati diſp.52. num.16.pag 350. Deum cognoſcere futura conditionata ante decretum probatur teſtimonio Chriſti diſp.52.num. 10.pag. 349. Scienria conditionata non fundatur in decreto diſp.52.num. 10.pag. 349. Communis hominum conceptus decretum condirionatum *excludit* diſp.52. num. 17. pag. 350. efficacia auxilij præuidetur ante decretum diſp.52.num.22.pag. 350. efficacia auxiliorum non conſiſtit in decreto, ibid. Ex quolibet decreto conditionato infinita alia ſequerentur diſp.52.num.25.pag.351. Deus cognoſcit ſuos actus liberos futuros abſque vllo antecedenti decreto diſp.52. num. 26. Implicat decretum reflexum, in quo Deus ſuos actus conditionate futuros cognoſcat diſp. 52. num. 27. & 36. pag. 352. & 353. Explicatur Ordo diuinorum decretorum diſp. 52. num. 35.pag. 353. Ad quæ conditionata Dominicani ſua decreta adhibeant diſp.52. num. 57. 353. Ipſorum diuerſitas opinandi circa decreta notatur diſp.52.num.37.pag. 353. futuritioni conditionatæ ex ſe futuritio decreti ſufficeret diſp.52.num.39.& 40.pag. 353.& 354. Sine decreto conditionato ſtat dependentia actus à decreto dandi conditionem diſp.52.n. 42. p.354. Scientia conditionata præcedit decretum dandi conditionem diſp. 52. num. 24. pag. 751. Deus ab æterno habuit decretum dandi conditionem diſp.92.num.53.pag.354. decretum dandi conditionem etſi requireretur ad ſcientiam mediam non tamen eſt medium ſufficiens ad illam diſp. 52. num. 44. pag. 354. impugnantur ſpecialiter aliquorum Scotiſtarum decreta diſp. 52.num.46.pag.354. Vt aliquid ſit futurum non requirit per ſe decretum præſens diſp.53.num.7. & ſeq. pag. 355. A paritate præteritionis probatur non requiri decretum ad futuritionem diſp.53.num.8.pag. 355. Scientia conditionata operis, & decretum dandi auxilium ſufficiens medium eſt ſcientiæ abſolutæ diſp.50.num. 3.p. 341. decretum conditionatum non ſe debet tenere ex parte obiecti diſp.53.num.22. pag. 350. Vide Dei ſcientia definitum quo pacto bene probetur per definitionem diſp. 39.num.8.p.301.& diſp.13.num.40.pag. 56.

Demonſtratio.

Demonſtrario duplex mathematica, & phyſica diſp.13.num.1.p.54.

Determinatio.

Determinari vnam cauſam ab alia in quo conſiſtat diſputar. 47. num. 27.pag.329.

Deſiderium.

Deſiderium ſui non repetitur in Deo diſp. 68.num. 22. pag. 458. Salutis hominum propriè datur in Deo quæſt. 20. num.21. pag. 654. Non eſt in propriè deſiderium eius rei, quæ adæquatè ab ipſo pendet, ibidem. Minus propriè datur circa ſuas perfectiones, ibid. Deſiderio ſufficit abſentia præciſiua boni contingentis, & ab alterius voluntate pendentis quæſt. 20.num.12.pag.652. Deus deſiderat hominum ſalutem per auxilium determinatum, ibid. Sed non efficaciter quæſt. 19. num. 66. pag. 638.

Dei exiſtentia.

Dei quis ſit notiſſimus conceptus diſp. 12. num.9. pag. 45. Non eſt formaliter quod ſit optimus; *ſed cauſa in cauſata* diſp. 12. num. 10. pag. 46. Deus non eſt primum cognitum, ſeu obiectum primò occurrens intellectui diſp. 12. num.17.p. 47. Deum eſſe eſt per ſe probabile diſp.12.nu. 17.pag.47.& quæſt.2.num. 10.pag.516. Deus eſt veritas neceſſaria in *eſſe* ſed non in *cognoſci* à creaturis diſp.12.num.17.pag.47.Deum exiſtere eſt propoſitio per ſe nota quoad ſe; & cur diſp. 12.num.24.pag.49.& quæſt.2.n.5.p.515. Deum eſſe nulli intellectui, quantumuis adiuto per auxilium ſupernaturale eſt per ſe notum extra viſionem beatam diſp.12.num.25,pag.49. Propoſitio *de eſt* ſecundo adiacente ſolum eſt per ſe nota Deo diſp.12.num.25. pag:49. Cognitio quidditatiua immediata de exiſtentia Dei non poteſt eſſe naturalis ibid. Deus ſub nomine entis neceſſarij an ſit per ſe notum exiſtere? diſp.12. 26.pag.50. ſequent. & quæſt.2.num.8.pag.516. Vtrum ſit per ſe nota exiſtentia alicuius prædicati conuertibilis cum Deo explicite, vel implicite diſp.12.33.pag.51.& ſequent. Deus ſub nullo prædicato conuertibili cum ipſo eſt per ſe notus diſp.12.n.36.p.51. Vtrum Deum eſſe ſit demonſtrabile diſp.13. num.1. & ſequent. pag.52. Deum negare demonſtrabilem eſſe eſt erroneum diſp.13.num.3.pag.53. & 6. pag.54. & quæſt.2. num. 14. pag.517. Demonſtratur exiſtentia Dei. diſp.13.num.8.pag. 54. & ſequent. q.2. n.18. & ſequent. pag.518. Etiam admiſſo infinito cauſarum proceſſu euidentiſſime monſtratur exiſtentia Dei diſp.13.num.22. pag.57.& quæſt.2.n.34. Dei exiſtentia probatur æqua claritate, qua Mathematicus demonſtrat. *Si inequalibus æqualia addas, quæ remanent ſunt inæqualia* diſp.13.n.24. pag.57. Ens à ſe ſeu cauſa incauſata ex ſuo conceptu formali infertur quod ſit Deus diſp.13.30 & ſequent. pag. 58. Author huius vniuerſi iuxta omnes probatur eſſe Deus diſp.13.num. 34.pag. 59.Probantur ſpeciatim huius vniuerſi ibid. Morali ratione probatur Dei exiſtentia contra Atheiſtas.diſp.13.num.35.pag.56. & quæſt.2. numero 43. Quomodo poſſit fide diuina credi Dei exiſtentia diſp.13.n.36.p.60.ſequent.& quæſt.2. n.48 p.525.Si aliunde iam cognitus ſit Deus bene poteſt per fidem credi iterum eius exiſtentia diſp.23.num.38. pag.60. Qualiter vt rei creditæ aſſentiamur exiſtentiæ Dei quæſt.2.num.48.pag. 518. Exiſtentia Dei poteſt primo credi vt reuelata quæſt.2. num.49. An de exiſtentia Dei poſſit dari ignorantia inuincibilis diſp.13. num. 49. & ſequent.pag.63.& quæſt.2. num. 54. Inuincibilis ignorantia per puram incogitantiam datur ſæpe, etiam in ſapientibus diſp.13.num.52. pag. 63. Non datur circa prædicatum conuertibile cum Deo diſp.13.num.52.pag.63.Implicat ignorantia poſitiua inuincibilis Dei in homine quantumuis ruſtico ſi à ſe ipſo, & intrinſeca ratione diſcurrat diſp.13.num.54.pag.64.Secus ſi authoritate extrinſeca diſp.13.num.55. pag.64. Implicat moraliter loquendo ignorantia inuincibilis Dei etiam negatiua, ſecluſo prauo dogmatizante diſp.13.num.56. pag.64. Secus Phyſicè diſp. 13.num.57.pag.64. Plura Dei prædicata ſunt per ſe nota quæſt.2.num.11.pag.516. An ſub aliquo prædicato ſit per ſe notum Deum exiſtere quæſt. 2.num.9. pag.516. An Deum eſſe ſit primum cognitum quæſt.2.num. 12.pag.517. Dei exiſtentia ſimpliciter ſolum à poſteriori demonſtratur, aliquo tamen pacto à priori quæſt.2. num.16.pag. 518 An Dei poſſibilitas ſit per ſe nota? quæſt.2. num.7.pag.516. Explicatur: *Omne quod mouetur ab alio mouetur:* ad exiſtentiam Dei quæſt.2. num.82.pag.519. Demonſtratur exiſtentia Dei via efficientiæ quæſt.2. num.24. & ſequent. pag. 520. Via contingentiæ quæſt.2.num.38.pag.523. Via eminentiæ, quæ ad efficientiam reducitur vt concludat exiſtentiam Dei quæſt. 2. num. 41. pag. 522. Via gubernationis quæſt. 2. num. 42. pag. 524. Ex conſenſu totius humani generis quæſt. 2. 44. pag. 524.

Dei ſimplicitas.

Perfectiones abſolutæ Dei probantur realiter identificatæ diſp.14. num. 16. ſequent. pag. 58. Plus dedecet ſimplicitatem Dei diſtinctio modalis, quam realis diſp.14.num.18.pag.68.diſtinctio ex natura rei formalis defenditur ab Scoto inter perfectiones diuinas diſp.14. Eam maiorem poſuit quam rationis diſputat. 14. num. 21. & ſequent.pag.69. Impugnatur multipliciter diſp. 14.num.27. & ſequent. pag.70. Si relatio diſtinquatur ex natura rei formaliter à natura deſtruit huius ſimplicitatem, facitque compoſitionem diſp.14.n.38.pag. 72. Numerus niſi in relationibus obeſt ſimplicitati Dei ibid. Natura Patris diſtinguenda erit formaliter à natura filij iuxta Scotum diſp.14.num.39. pag. 73. Iuxta ſententiam Scoti nil difficultatis erit in fide Trinitatis diſp.14. num.40.pag.73. In hac propoſitione: *Deus non eſt tantum iuſtitia ſed etiam miſericordia* ly *ſed etiam* non addit plus diſtinctum, ſed indiſtinctum diſp.14. num.42. & 40. pag. 73. & 74. Non eſt contra ſimplicitatem, & indiſtinctionem attributorum, quod vnum probetur ex alio diſp.14.num.44.pag.74. *Sapientia, & bonitas* abſtracte ſumptæ præſcindunt à diſtinctione, vel identitate ex natura rei. diſp.14.num.45.pag.74. Diſtinctio Proceſſionum in Deo non arguit intellectum abſolutum diſtingui à voluntate diſp. 14. num. 48. pag. 75. Contradictio prædicatorum non arguit diſtinctionem ex natura rei formalem inter attributa diſp.14.49. pag.75. Nulla perfectio negatur de natura diuina in abſtracto diſp.14. num.54. pag.76. De fide eſt Deum non eſſe corpus quæſt. 3. num. 5. pag. 527. Specialis

cialis ratio, quare exiſtentia Dei ab eſſentia non diſtinguatur quæſt.3.num.52.pag. 531. Nec ratione diſtinguitur eſſentia Dei ab exiſtentia q. 3. num.27. pag.531. Deus omnino expers eſt materiæ, etiam ſpiritualis quæſt.3.num.10.pag.528. Suppoſitum non diſtinguitur realiter à natura diuina quæſt.3.num.16.pag.529. In Deo nulla eſt ſubſiſtentia abſoluta quæſt.3. num.17. pag. 529. Exiſtentia diuina indiſtincta eſt ab eſſentia quæſtione 3.num.22.pag.530. Deus ſimpliciter, & quoad ſe non eſt ſub aliquo prædicamento, ſecus quo ad nos quæſt.3. num.33. pag.533. Deus ſolum reductiue ſub prædicamento eſſe poteſt quæſt.3. num.37.pag.534. Poteſt admitti in Deo Compoſitio ex genere, & differentia, & qua ratione q.3.n.38.pag.534. Nulla diuina attributa ſunt accidentia q.3.n.41.p.534. Nullum accidens poteſt Deo inhærere q.3.n.45.p.535. Huius ratio exponitur.ibi. Nec ratione noſtra admittendum eſt in Deo aliquod accidens q.3.n.48.p.536. Qualiter relationes diuinæ non ſint accidentia nec virtualiter q. 3.n.49. pag. 536. Nequit Deo aduenire in tempore prædicatum intrinſecum q.3. num.50.pag.536. Prædicatum vniti hypoſtatice poteſt Deo in tempore accidere q.3.n.50.p.536. In Deo nulla eſt compoſitio rationis q.3.num.54. pag.537. Secus diſtinctio q.3.n.56.p.537. Diuina ſimplicitas modo, quo Deo conuenit, incommunicabilis eſt puræ creaturæ quæſt.3. n.58. p.538. Simplicitas Dei non eſt formaliter perfectio, ſed imperfectionis excluſio q.3.n.60.p.538. Repugnat Deo compoſitio ex partibus integrantibus quæſt.3. num. 63. pag. 539. Deus ex neceſſitate nequit in aliorum compoſitionem venire q.3. n. 65.pag.539. An Deus poſſit materiam primam formaliter viuificare, intellectumve creatum reddere intelligentem q.3.n.66.pag.539. Nequit Deus etiam pro ſuo libito munus ſubiecti obire quæſt.3.num.67.pag.539.

Dei perfectio, & bonitas.

Eſt prima regula honeſtatis diſp.20.num.81.p.172. Quæ perfectiones participentur à creatura d.20. n.87.p.173. Perfectiones diuinæ neque inter ſe, neque ab eſſentia diſtinguuntur q.3.n.52.,p.536. Qualiter diuina perfectio probetur q.4. n.2. pag. 540. Exiſtentia diuina formaliſſime loquendo perfectior eſt, quam eſſentia quæſt. 4. num. 5. pag.540. Deus, & creatura non eſt quid melius Deo ſolo quæſt.4.num.14. p.543. Diuinæ perfectiones non ſunt plures ex natura rei, ſed præciſſe ratione noſtra quæſt.4. n.16. p.542. Omnes perfectiones Dei proprie ſunt eſſentiales quæſt.4. num.17. p.543. An vna perfectio diuina ſit de conceptu alterius quæſt.4. n.18. p.543. An omnes ſint æquales quæſt.4. num.19. p.543. Quot ſint ratione noſtra diuinæ perfectiones quæſt. 4. num.20.p.543. Creatura abſolute ſimilis eſt Deo quæſt.4.n.22.p.543. Huic ſimilitudini nonobſtar Dei infinita diſtantia in perfectione q.4. n.23. p. 543. Deus proprie ſimilis non eſt Creaturæ, & quare.q.4.n.26.p.544. Deus multipliciter eſt bonus q.6. n.3.p.548. Deus & bonum, & bonus eſt q.6.n.5.p.548. Deus ſolus tam bonus eſt, quã Deus & creatura q.6.n.8.p.549. Deus vndequaque bonus eſt quæſt.6.n.5.pag.548. Quibus titulis Deus ſit bonum per eſſentiam q.6.n.10.pag.549. Deus non eſt quod caret aliqua perfectione Dei d.15. num.75.p.96. De nulla perfectione diuina negari poteſt Deitas ex parte obiecti in aliquo ſenſu catholico diſp.15.num. 75. p.97. & ſeq. nullum prædicatum eſt in Deo, quod ſit virtualiter imperfectum d.15.n.87. pag.99. Deus non eſt eminenter peccatum, nec carentia diſp.15.n.92.p 100 in Deo nec cum addito per rationem noſtram licet admittere quælibet prædicata, vt eſſe corpus ratione noſtra, eſſe peccatum, &c. diſp.15. nu.1. pag.79. Regula diſtinguendi diuinas perfectiones ratione noſtra diſp.45.num.5. p.310. Diuina perfectio dicitur, vel negatur ratione diſtincta in vno genere, non in alio d.45.n.7. p.320. Quid requiratur vt aliquod prædicatum tribuatur Deo etiam ratione noſtra diſp.35.num.1.p.284.

Dei vnitas, & nomina.

Deum eſſe vnum eſt articulus fidei quæſt.11.n.11. pag. 569. Ratione naturali Dei vnitas probatur quæſt.11. n.12. pag. 570. Inſufficientes rationes reiiciuntur quæſt.11. num. 13. p.570. efficaciter probatur Dei vnitas quæſt.11.n.13. & ſeq.p.570. Nulla eſt pro multitudine Deorum demonſtratio quæſt.11.n.17. p.570. Gentiles ſapientes in Dei vnitatem conſpirant quæſt.11. n.18. p.571. Myſterium Trinitatis nihil obeſt ibid. Deus maxime vnus eſt, quia alium ſpecie, & numero diſtinctum excludit quæſt.11.num.25.pag.572. De fide eſt Deum aliquo ſenſu proprio eſſe ineffabilem quæſt.13.num.2.pag.589. Deus aliquo nomine poteſt quidditatiue ſignificari ſicuti eſt q.13.num.3.pag.589. Nomen Deus quod à nobis imponitur non ſignificat ipſum quidditatiue q. 13.num.4.pag.589. Non poteſt viator Deo nomen quidditatiuum imponere, ſecus beatus.q.13. num. 6. pag.13.num. 6.pag.589. Non datur nomen comprehenſiue Deum ſignificans.ibid. Dantur nomina abſolute ſignificantia perfectionem, quæ in Deo eſt quæſt.13.num.8.pag.589. An dicatur accidentaliter aliquod nomen de Deo q. 13.num.9.pag.589. An dum ſumus in corpore ſemper dicamus aliquid improprie de Deo q.13. num.11.pag 589. An nomen aliquod ita ſit Dei proprium, vt nequeat aliis conuenire q.13. num. 12. pag.589. Quas formalitates diuerſa nomina ſignificent, & quomodo q.13.num.14.p.589. Plura Dei nomina reſpectu ipſius ſynonima ſunt, ſecus reſpectu noſtri quæſt.13.num.16. p.589. An ſaltem quoad nos detur nomen vniuocum Deo, & creaturis quæſt.13.num.18. pag.590. Nomina Dei creaturis conuenientia non æqualiter analogice de creaturis dicuntur quæſt. 13. numero 19.pag. 590. Nomina Dei propria nobiſque attributa prius complexe de Deo dicuntur q.13.n.21.p.590. Nomina quæ vtriſque impropria dicuntur non prius de Deo dicuntur,q.13.n. 22. p.590. Omnia nomina perfectionis prius dicuntur de Deo quoad rem ſignificatam q.13.n.23 p.590. Nomen *Deus* ipſam Dei ſubſtantiam ſignificat q.13.n.29.pag.540. Nomen *Deus* ex parte modi potius eſt Dei proprium quam nomen *omnipotẽtis*, &c.q.13.n.30.ib. Pluraſicari nequit.13. n.31.p.590. Incommunicabile e communicatione Deitatis.q.13.n.33.p.591. Eſſentialiter eſt ſingulare in omni propria ſignificatione q.13. n.34. p.591. Quo ſenſu nomen *Deus* dicatur de Deo per participationem ſecundum naturam & ſecundum opinionem quæſtione 13. num. 37. pag. 591. Verum *qui eſt*, ſit nomen maxime proprium Dei quæſt. 13. numero 41. pag. 591.

An ſit

An ſit magis proprium quam nomen *Deus* ibid. Quo ſenſu negandum affirmandum, vt hoc ſit? ibid. Magis abſolutum eſt quam nomen *Deus* q. 13. num. 42. pag. 592. De Deo valent affirmari propoſitiones affirmatiuæ quæſt. 13. nu. 44. pag. 592. Negatiuè concipimus Deum ſicuti eſt, ſecus affirmatiuè quæſt. 13. num. 45. pag. 592. Deus & beati propoſitiones affirmatiuas de Deo efformant, qu. 13. num. 46. p. 592.

Dei virtutes.

In Deo non datur gratitudo quæſt. 21. num. 12. p. 658. In Deo dantur virtutes morales quæſt. 21. num. 2. pag. 656. Deus laudabilis eſt in genere moris quæſt. 21. num. 3. pag. 656. Deus non eſt capax omnium virtutum moralium formaliter ſumptarum, quæſt. 21. num. 5. p. 657. Deus licet velit hominum caſtitatem & pœnitentiam non ideo pœnitens aut caſtus eſt, quæſt. 21. num. 6. p. 657. Deo propriè competit prudentia, quæſt. 21. num. 7. pag. 657. An in Deo ſit iuſtitia? qu. 21. num. 8. pag. 657. Quid cenſendum de fortitudine & de temperantia, quæſt. 21. num. 9. pag. 657. Religio pietas aliæque huiuſmodi virtutes ſuperioritatem & ſummiſſionem includentes in Deo non reperiuntur, quæſt. 21. num. 10. pag. 658. Deo liberalitas conuenit quæſt. 21. num. 14. pag. 658. Deus nec de potentia abſoluta mentiri poteſt, quæſt. 21. num. 16. pag. 659. Etiam ſtricta accepta virtus fidelitatis in Deo ponenda eſt quæſt. 21. num. 17. pag. 659. An & quæ veritas ſit quam Deus exercet titulo iuſtitiæ, quæſt. 21. num. 18. pag. 659. Competit Deo formaliter & propriè miſericordia, quæſt. 21. num. 20. pag. 659. Etiam benignitas, quæſt. 21. num. 21. pag. 659. In quibus operibus Dei eius miſericordia & iuſtitia reſplendeant quæſt. 21. num. 23. pag. 659. Poteſt Deus ponere ad æqualitatem hominum peccata, quæſt. 21. num. 24. pag. 660. Ineſt Deo vera amicitia erga creaturas rationales, quæſt. 20. num. 8. pag. 651. Spes non datur in Deo, quæſt. 20. num. 14. pag. 652. Deus vera inimicitia peccatores proſequitur, quæſt. 20. num. 16. pag. 653. In Deo non reperitur triſtitia nec timor, quæſt. 20. num. 18. pag. 653. Nec ira quæſt. 20. num. 19. pag. 653. Soliùs Dei eſt proprium quod ſemper ſit honeſtum velle ſui exiſtentiam diſp. 20. num. 80. pag. 171. An Deus ſit prima regula honeſtatis diſp. 20. nu. 81. pag. 172. An Deus amet peccatores & quomodo quæſt. 20. num. 21. pag. 654. Deus nec ſub ratione entis 1. amat peccatum, quæſt. 20. num. 22. pag. 654. Deus non amat æqualiter omnia bona quæſt. 20. num. 22. pag. 654. Grauioribus peccatis Deus magis diſplicet, ibid. Deus non poteſt idem bonum omnino immutatum, magis vel minus diligere, quæſt. 20. num. 27. p. 655. Deus affectiuè poteſt magis vel minus affectiua etiam actus inæqualitate diligere, non tamen entitatiua, quæſt. 20. num. 30. pag. 655. Deus magis diligit meliora voluntate effectiua, quæſt. 20. num. 32. pag. 655. Poteſt Deus meliori bono maius bonum velle, quæſt. 20. num. 32. pag. 655. Per ſimplicem complacentiam poteſt Deus magis gaudere in melioribus, quæſt. 20. num. 33. pag. 655. An Deus teneatur eligere meliora in genere phyſico ſicque neceſſitetur ad optimum quæſt. 20. num. 35. pag. 656. Deus ſemper eligit optimum in genere moris, quæſt. 20. num. 35. p. 656. Dei actus indifferens in indiuiduo non datur, nec per rationem noſtram diſp. 45. num. 11. pag. 321. Deus neceſſitatus eſt ad actum honeſtiſſimum diſp. 72. n. 5. p. 469. Omnes Dei actus ſunt æquales, diſp. 72. n. 6. p. 469. æqualitas diuinorum actuum eſt ex ſuppoſitione quod eliciantur, quæ laudi non obeſt, diſp. 72. num. 11. pag. 470. Eorum laudabilitas non prouenit ex obiecto, ſed ex modo tendendi in illud, diſp. 72. num. 12. p. 470. Vide virtutes.

Dei viſio & incomprehenſibilitas.

Deus etiam vt trinus eſt obiectum formale immediatum cognitionis naturalis diſp. 22. num. 11. pag. 185. Implicat aliquid creatum quod ſit ſufficiens imago, ſeu ſimilitudo *in qua* reſpectu diuinæ Naturæ diſp. 23. num. 23. pag. 197. ſeu vt ſit medium *in quo* quidditatiuè cognoſcatur diſp. 23. num. 25. pag. 197. Deus proportionatus eſt vt concurrat per modum obiecti in ſui viſionem diſp. 24. num. 15. pag. 208. Non indiget ſpecie vt concurrat, ſicut non indiget qualitate inſtrumentali vt moueat corpora; vel vt influat vt cauſa prima diſp. 24. num. 16. pag. 208. Concurſus obiectiuus Dei in viſionem eſt liber, & communis toti Trinitati diſp. 24. num. 20. pag. 208. Solus Deus perfectiſſimè ſatiat voluntatem noſtram diſp. 25. num. 6. pag. 212. Ita proprium Dei eſt eſſe noſtrum finem, ſeu beatitudo obiectiua, ſicut eſſe Principium diſp. 25. num. 22. pag. 215. Vt finis tamen non admittit conſortium ſicut vt Principium diſp. 25. num. 25. pag. 216. Quo pacto ſit noſter vltimus finis naturalis diſp. 25. num. 39. pag. 219. Dei ſpecies impreſſa cur potius impoſſibilis, quam Angeli vt ſe videat diſp. 25. num. 42. pag. 220. Si careret immenſitate non foret tam perfectus in cognoſcendo diſp. 27. num. 15. pag. 234. Deus vt Author naturæ eſt in *eſſe* ſupernaturalis, & in *cognoſci* intuitiuè diſp. 27. num. 20. pag. 235. Dei excellentia petit eſſe inuiſibilem naturaliter, & rurſus eſſe naturaliter cognoſcibilem diſp. 27. num. 23. pag. 236. Deus non ſe ſupercomprehendit diſp. 30. num. 3. pag. 252. Videntur creaturæ poſſibiles in Deo vt connexo cum illis diſp. 31. n. 3. p. 258. Item vt in ſpeculo diſp. 31. num. 5. pag. 258. Quomodo concurrat vt ſpeculum Beatorum Deus diſp. 32. num. 15. pag. 272. ſeqq. Quam certo conſtet Dei incomprehenſibilitas quæſt. 12. nu. 52. p. 577. Cognitis omnibus poſſibilibus non comprehenderetur Deus q. 12. n. 54. p. 578. Nullum Dei attributum poteſt comprehendi à creatura qu. 12. n. 55. p. 576. Propria eſt Dei incomprehenſibilitas, quæſt. 12. n. 56. p. 578. Vide comprehenſio.

Dei Potentia.

Implicat Deum ſe abdicare influxu immediato cauſæ primæ diſp. 25. num. 21. pag. 215. In omnipotentia cognoſcuntur creaturæ diſp. 42. num. 4. pag. 312. ſeq. Cur potius in ea ſolâ cognoſcantur effectus quidditatiuè, ad quos nequit adæquare concurrere ſecus in cauſa ſecunda diſp. 41. num. 8. pag. 312. Scire nequit Deus in ſe creaturas ſi eſſet abſoluta omnipotentia ab illis diſp. 43. num. 6. pag. 314. Neceſſitati Dei ſummæ in eſſendo non obeſt connexio omnipot. cum poſſibilibus diſp. 41. num. 9. pag. 305. In Deo non ſunt plures potentiæ ratione noſtra diſtincta,

diſtinctæ, ſed vna ex pluribus formalitatibus ratione diſtinctis diſp.45.num.7.pag. 320. Explicatur continentia creaturarum in Deo quæſt. 4. n.8.p.541.an Deus eſſentialiter connectatur cum creaturis diſp.41. per totam pag. 305. & qu. 14. n.31.p.587. Dominium Dei vt auctoris naturalis limitari poteſt, ſecus vt ſupernaturalis diſp. 33.num.17. Poteſt ſemper quamlibet rem creatam in ſingulari, & omnes ſimul deſtruere diſp. 43.num.23.pag. 317. Omnipotentia An applicetur immediate per intellectum quæſt.14.num. 69.ſeq.diſputat.596.

Dei eſſentia.

Cur Deitas ſit eſſentia præ relatione diſp.17.num. 4.pag. 136. Cur præ Paternitate, ibid. Paternitas nec realiter eſt de eſſentia Dei, licet ſit idem cum eſſentia realiter, & formaliter ex natura rei diſp.17.num.7.pag.136. Eſſentia Dei in nullo prædicato relatiuo conſiſtit diſp. 17. num. 7.& 8. pag.137. Nec in prædicato libero vt tali diſp.17.num.9.pag. 137. Realiter, & virtualiter conſiſtit in omnibus perfectionibus abſolutis, & neceſſariis diſp. 17. num. 10. pag. 137. Eſſentiam Dei qui, & quibus ſentiant eſſe *ens à ſe* diſp.17. num. 12. & ſeq. pag. 137. Impugnantur; ibid. diſp.36.num.26.pag. 134. Qui & quibus explicent per gradum intellectiuum in actu primo diſp. 17. num. 17. & pag. 138. ſeqq. Qui *per intelligentiam omni comprehenſiuam* diſp.17.num.20.pag.138. Impugnantur, ibid. & ſeq. Qui & quibus per intellectionem ſolam diſp. 17. num. 29. pag. 139. & ſeq. Impugnantur, ibid. Eſſentia Dei formaliſſime includit omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem diſp.17.num.35.pag.140. & ſeqq. Cur Perſonalitas non ſit de eſſentia Dei? diſp.17.num. 49. p. 142. Cur potius de Dei eſſentia ſit perfectio etiam non primaria, ſecus de eſſentia creaturæ diſp.17.num.54.pag. 142. Quo ſenſu dentur in Deo prædicata eſſentialia, & attributalia diſp. 17.num.55.pag.342. Proprietas in Deo non pertinet ad conceptum ſecundarium per modum paſſionis diſp.36.num.10.pag. 291. Intellectio non conſtituit adæquate eſſentiam Dei diſp.36. num.11.pag. 591. Licet intellectiuum diuinum diſtinguatur ab intellectione actuali non poteſt adæquate eſſentiam Dei conſtituere diſp.36.nu. 14. pag. 292. Intellectio præ volitione pertinet ad eſſentiam Dei, & num. 20. Eſſentia non ſaluatur in intelligentia omni comprehenſiua diſp. 36. num.17.& 23. pag.292. & 293. licet in Deo ſit aliquis conceptus ab intellectione iſta erit formaliter de eſſentia Dei diſp. 36.num.18.pag. 292. In eſſentia Dei formaliter includuntur attributa diſp.36.num.19. pag. 292. Ratione ratiocinante diſtinguitur eſſent. ab intellectione diſp.36.num.21.pag. 293. licet eſſentia rei creatæ conſiſtat in perfectione, quæ primo concipitur, ſecus in Deo diſp.36.num. 25. pag. 293. In *ente à ſe* per conſequentias non per dimanationem continentur aliæ perfectiones Dei diſp. 36. num.26. pag. 293. *Deitatis* conceptus formaliter exprimit pluralitatem diſp.57. num.9.p.380. eſt Pelagus omnium perfectionum diſp. 57. nu. 11. pag. 381. Tres eſſentiæ in Deo nec relatiuæ dantur diſp. num. 2. pag. 142. Eſſentia Dei ſin minus in omni linea, ſaltem in linea raddicis vt ſumma debet concipi diſp.57.num.25. pag.384.

Vt ſic concepta formaliter imbibit volitionem, ibid.

Actus Dei liber libertas.

Nunquam diſtinguitur ex natura rei ab eſſentia diſp.15.num.183.pag.121. Non eſt tamen idem volitio exiſtens cum nolitione non exiſtente ſecundum terminationem d.15.n.184.p. 121. Natura diuina ſiue nolens, ſiue volens libere non mutatur, ib. Quæ diſtinctio in tertio ſit naturæ à volitione libera ratione cuius verificat contradictionem ex natura rei diſp. 15. num. 185. pag. 121. Actus Dei liber etiam quando non eſt, non annihilatur diſp.15.num.186.pag. 121. Nec quod tunc detur vera eius carentia, ibid. Ariſtoteles varius fuit in Dei libertate adſtruenda diſp.59.num.3.pag.401. datur eſſentialis connexio inter volitiuum, & liberum diſp.59. num.5. pag.401. Deus eſt liber in ſuis operationibus d. 59.num.1.pag.401. libertatis diuinæ exercitium nequit eſſe adæquate Deo intrinſecum diſp. 59. num.14.pag. 404. eſt in volendo, & non ſolum in operando diſp.59.num.22.406. diuina volitio vt libera non identificatur adæquate cum Deo diſp.59.num.23.pag. 406. Si à Deo realiter ſeparabilis eſſet realiter ab ipſo diſtingueretur d. 59.num.26.pag.407. Velle liberum Dei non eſt reſpectus rationis diſp.59.num.25.pag.407. Eadem difficultas realis diſtinctionis in denominatione volentis reperitur diſp. 59. num. 27. pag. 407. Implicat Deo defectus virtualis liberæ volitionis diſp.59.num.28.pag.408. In Deo neceſſario exiſtit omnis linea poſſibilis volendi diſp. 60.num. 10. pag. 408. habet liberam cognitionem omnium ſcibilium Deus non tamen denominatur volens, aut ſciens liberè diſp. 60. num. 12.pag. 413. ſeq. vt denominetur requirit aliquem modum creatum quaſi ex parte ſubiecti diſp.60.num.14.pag.414. Poteſt hic modus non eſſe prior volitione libera diſp.60.num. 17. pag. 415. Deus quaſi diſponitur ad effectum formalem *volentis liberæ* per hanc entitatem modalem extrinſecam ipſi Deo diſp.60. num. 18. pag. 415. Etſi Deus habeat nolitionem obiecti in abſtracto; at dum *vult* in concreto non dicitur *nolens* diſp.60.num.32. pag. 418. Cur non ſit tunc nolitio præternaturaliter diſp. 60. num.33. pag.419. Modus ſeu entitas modalis, qua Deus conſtituitur volens non conſtituit formam volendi, ſed concretum, & effectum formalem volendi diſp.60.num.34.pag. 419. Quare Angelus ex connotatione ad obiectum non denominetur volens libere, ſicut Deus diſp. 60. num. 36. pag. 420. Specialis diuini amoris liberi explicatur circa magis iuſtos diſp.60.num.37.pag.420.Non requiritur mutatio in obiecto producendo ad nouum actum liberum diſp.60.num.38.pag.420. Quare volitio neceſſaria non conſtituatur per extrinſecam connotationem, ſecus libera? diſp. 60.num.40.pag.421. Explicatur Æternitas prædeſtinationis Dei diſp.61.num. 17.p.426. Deus volens libere non tam volitione contingenti quam actione contingenti exercetur diſp. 60. num.40.pag.421. Actio ſeu entitas modalis,qua conſtituitur Deus libere volens non eſt formaliter vitalis nec voluntaria diſp.60.num. 43. pag. 422. Deus libere ſciens per actionem illam ſeu modum conſtituitur. Non ſolum fuit ab æterno ſcientia Dei, ſed etiam fuit Deus *ſciens* ab æterno diſp.61.num.3.pag. 423. Vt ſaluetur i mu-

tabilitas Dei debet actus liber compleri per connotationem modi creati prædicti diſp.61.num.7. pag. 424. Deus ab æterno eſt *Præſciens* licet non exiſtant ab æterno omnia conſtitutiua *Præſcientis* diſp.61. num.17. pag. 426. Explicatur cauſalis : *Ideo creaturæ producuntur quia Deus libere vult.* diſp.62. num. 17. pag.435. Nequit dari in Deo actus liber libertate *electionis* ſine mutatione in rebus diſp.63.num.4.pag.436. Secus libertate ſolius *contingentiæ* diſp.63. num.5.pag.436. Deus non poteſt nolle directe ſuum actum liberum diſp.67.num.25. pag. 454. In Deo non datur formalis libertas contradictionis diſp. 67. n. 26.pag.454. Actus liber Deo adæquate intrinſecus nequit non dicere perfectionem diſputat. 69. num.5.pag.454. Nouam ſupra neceſſariam phyſice, ſed non intentionalem ibidem numero 16. ſequent. vnus actus liber ſuo non eſſe præponderat diſp.69. num.12. pag. 460. Qualiter non præponderantia arguat defectum perfectionis diſp.69. num.11.pag.460. Conciliatur perfectio actus liberi adæquate intrinſeci cum indefectibilitate diuina diſp.69.num.18. pag. 461. Volitio deficeret à nolitione,ſed non ab eſſentia diſp.69. num.22.pag.462. Reſpectu illius daretur actus primus phyſicus diſp.70. num.16. pag.464.Item appetitus innatus diſp.70.num.18. pag.465. Secus Principium virtuale diſp.70.num.26. & ſeq. pag.463. in Deo non eſt libertas puræ contradictionis quæſt.19.num.33.pag.632.& diſp,67.n.6. pag. 451. An ergaſe poſſit Deus exercere actum liberum quæſt 19.num.34. ſequent. & diſp. 68. num.5. ſequent. pag. 455. Explicantur actus liberi quæſt.19. num.37. Vide de hoc alia ibi, & vide Dei voluntas ſtelus liber Dei poteſt eſſe inæqualis affectiue quaſi in intenſione , licet non entitatiue quæſt.20.n. 28.p.654.

Dei ſcientia & intellectus.

Cur Deo repugnet inſtrumentalis potentia ad intelligendum, licet non ad creandum diſp. 25.ⁿn. 8.pag.212. In Deo ex immaterialitate probatur intellectus diſp.34. num.16.pag.283. Non datur actus primus intelligendi, qui ſit vera potentia productiua , vel receptiua diſput.36.num.3.pag. 290. Bene tamen qui ſit potentia intentionalis etiam realiter diſp.35.num.16.pag.287.ſequent. non tamen eſt pura potentia etiam intentionalis diſp.35.num.22.pag.288. Non datur in Deo intellectus in actu primo reali diſp. 35, num. 5. & ſequent. pag. 285. Datur aliquod prædicatum ſufficiens ad actum primum , quod tamen non dum aperit differentiam actus ſecundi diſp. 25. num.4. pag. 285. Dei intellectus per modum potentiæ productiuæ nec ratione noſtra datur diſp. 35.num.9.pag.286. & ſequent. Deus concipitur ad modum actus primi , ſed non eſt, nec ratione noſtra actus primus diſp.35 .num.11.pag.286. In Deo eſt intellectus actus primus apprehenſiue non iudicariue diſput.35.num.11.& 14.pag.286. Non datur in Deo potius ratione noſtra actus primus phyſicus ; ſeu productiuus intelligendi, quam detur accidentalis diſp.35.num.12. p.286. Actum primum intelligendi in Deo qui negent etiam ratione noſtra diſp.35. num.15. pag. 286. Non datur intellectus per modum potentiæ proximæ diſp. 35. num 26. pag. 288. Non habitus ibid. Non ſpecies ibid. Non memoria 35. n.28. pag.289. In Deo nullus eſt cenſus obiectiuus in cognitione ; qua ſe cognoſcit , bene tamen terminatiuus ibi. Intellectio Dei non differt ex parte obiecti ab eſſentia diſp.36. num.5. & ſequent. pag.290. Intellectio diuina non eſt operatio vitalis phyſicè , ſed intentionaliter diſp. 36. n. 10. pag. 291. Nullum prædicatum datur in Deo, quod poſſit comparari vt eſſentia reſpectu intellectionis diſp.36.num.12. pag.291. Intellectiuo diuino nullus conceptus eſt prior in Deo diſp. 36. num.1 . pag.291. Reſpectu intellectionis diuinæ nullum prædicatum eſt nec ratione noſtra prior à *quo* diſp.36.num.16.pag.292.Motiuum increatum ſcientiæ Dei non eſt ſola eſſentia, ſed etiam relationes, actus liberi, & reliqua omnia prædicata diuina diſp.37. num. 19. & ſequent. p.296. Diſcrimen inter ſcientiam Dei de relationibus, & de creaturis,vt illa præ his ſint obiectum motiuum diſp.37.num.12.pag.295. Vt ſcientia Dei habeat pro motiuo relationes non eſt opus vt ab illis phyſice, vel conſtitutiue ſit , quamtumuis id opus eſſet in aliis cognitionibus diſput.37. num.22.& 23.pag. 297. Si relationes excludantur à ratione obiecti motiui propriè , eodem titulo poſſet excludi eſſentia, imo & à ratione cogniti proprie diſp.37. num.29. pag.298. Cur relationes diuinæ præ futuris , licet iſta immediate terminent ſcientiam , ſit motiuum ſcientiæ d. 37.num.25. pag.297. Scientia libera vt talis nil addit ad neceſſariam pertinens ad lineam ſcientiæ diſp.37.num.27.pag.297. Futura contingentia,licet terminent immediate diuinam ſcientiam non tamen illam terminant formaliter vt ſcientiam diſp.37.num.26. pag.297. An ſcientia Dei ſit relatio tranſcendentalis ad ſuum obiectum diſp.37.num.29.pag.298: & diſp.28. num.2. pag. 298. Non eſt abſolute relatio realis diſp.37.num. 30.pag.298.& diſp.38. num.3 & 4.pag.248.Nec connexa per ſe cum obiecto diſput.37. num. 31. pag.298. Scientia Dei eadem eſt directa , & reflexa , ſed vt directa non tendit in adæquatum conſtitutiuum Dei, quod vt ſic vtrumque adæquate dicit diſp.38.num.9.p.299.In diuina ſcientia non datur actu infinitudo reflexionum diſp. 38. num.9. & ſequent.pag.299.bene tamen ſyncathegorematice per rationem diſp.38.num. 12. pag.300. Aliqua ſcientia Dei manebit incognita ſi diſtinguatur virtualiter à volitione diſp. 38. num.10.pag.299. Quomodo ſe cognoſcat Deus in creaturis diſp.39.num.1. & ſequent.pag.700.ſi Deus cognoſcat creaturas in ſe ipſis, in illis ſic ſe cognoſcet diſp.39.num.7.pag.301.Quin ad ipſas iterum cognoſcendas in ſe regrediatur infinita circuitione diſp.39. num.8. pag.307. Quomodo ſe cognoſcat Deus in cognitione creata falſa, vel præciſſiua diſp.39.num.9. pag.301. Nos nequimus finitatem in creatura conoſcere, bene tamen Deus diſp. 39. num.8. pag. 307. Sine abſurdo dicitur quod Deum lateat aliqua veritas vi alicuius medij, quia ſcilicet medium non connectitur cum illa diſp.39.num.11. pag.302. Medium in adæquatum non ſufficit determinare intellectum diuinum ad cognoſcendum diſpur. 39. num.10. pag. 307. Deus in creaturis , vt cognitis in ſe ipſo non iterum cognoſcit ſe diſp.39.n.12 pag.302. Scit Deus in ſe ipſo creaturas in omni prędicato connexo diſp.41. num.24. & ſequent. pag.307.Scientia Dei cur potius debeat eſſe creaturarum in ſeipſo,quam in ſeipſis diſput.41.n.31. pag. 308. Scientia Dei prius deberet eas in ſe ipſis cognoſcere,vt Deus in ſe ſciret an eſſent poſſibiles

ſibiles diſp. 43. num.7. pag. 312. Non potius eas cognoſceret in ſe quando eſſent poſſibiles, quam quando impoſſibiles diſp.43.num. 8. pag. 312. Scientia Dei non videt creaturas in ſe vt in ſpeculo diſput.43.num.7.pag.302. An veritas creata poſſibilis ratione ſui ſit ſufficiens terminare ſcientiam Dei, licet per impoſſibile Deus ſeipſum ignoraret; diſput. 44. num. 2. & ſeqq. pag.314. Scientia Dei potius mouetur ex creaturis, quam volitio diſp. 44. num. 26. pag. 317. Non eſt ſuperflua vt tendit ad creaturas in ſeipſis diſput. 44. num. 30. pag. 318. Scientia Dei de creaturis in ſeipſis non diſtinguitur nec per rationem à ſcientia earundem in ſeipſo diſput.44. num. 32. pag. 318. Quod ſit determinatiuum ſcientiæ diuinæ de creaturis in ſeipſis diſput. 44. num.35.pag.319. Scientia in Deo an ſit ratione noſtra multiplex diſput. 45. num. 1. & ſeqq. pag. 319. Quando admittenda ſit vt diſtincta ratione noſtra, ibid. Scientia Dei ſimpliciter eſt vna etiam per rationem in eſſe ſcientiæ, licet conſtituatur ex pluribus formalitatibus diſp.45. num.8. pag. 320. Connotatio ad noſtros actus realiter diſtinctos non diſtinguit ratione noſtra actus ſcientiæ Dei, ſed formalitates diſput. 45. num.9.pag.320. In ſcientia Dei de homine dant ex plures formalitates, vt eſt de rationalitate, & de animalitate, ſed non plures ſcientiæ etiam per rationem diſputat.45. num.10. p.321. ſcientia Dei nec ratione noſtra eſt confuſa, ſed confeſſe concipitur à nobis diſp.45.num.11.pag. 321. Scientiam Dei nos præſcindimus, ipſa vero nec ratione noſtra præſcindit diſput.45.num.12. pag. 321. An ſint in Deo duæ cognitiones ſolo numero diſtinctæ. diſp. 45. num. 13. & ſequent. pag.321. Heſterna ab hodierna poteſt aliqua ratione diſtingui diſp.45.num.16. pag.322. Scientia Dei ſimpliciſſima eſt in ratione ſcientiæ, nec abſolute diſtinguenda eſt in plures, ſed cum addito diſp.45.num.21.pag. 422. Scientia viſionis puræ non eſt circa prædicata exiſtentia neceſſaria Dei diſp.45.num.22.pag.422. Scientia Media proprie pertinere nequit ad viſionem, licet indirecte reducatur diſp.45.num.23.pag.422. Obiectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, & viſionis an differant diſp.45.num.14. & ſequent. pag. 423. non differunt hæ ſcientiæ ex part obiecti, ſed ſolum ex modo tendendi diſp. 45. num. 26. pag.425. Scientia futurorum contingentium ſtabilitur diſp.46. num.1. & ſequent. pag.325. Demonſtrabilis eſt ratione naturali diſp.46.num.4. pag.326. Scientia Dei cur æqualiter præ noſtra ſe habeat ad futura, ac ad præterita diſp.46. n. 5. pag.326. Scientia futurorum eadem eſſet iuxta Dominicanos prædeterminatores ac ſcientia præſentium diſp.46.num.7. pag.326. Concordia ſcientia futurorum cum libertate noſtra diſp.47. num.1.pag.328. & ſequent. In explicabilis putatur à Nominalibus diſput.41.num.1.pag.324. Quo pacto, & titulo dicatur determinari ab operatione libera diſput. 47. num. 28. & 29. pag. 329. Si fingatur difficultas potius fingenda eſt in infallibitate præſcientiæ, quam in concordia libertatis diſput.47.num.33.pag. 339. Scientia Dei de futuris vtrum indigeat præſentia rerum diſput.49.num.1.& ſeqq.337. Non eſſe neceſſariam, imo nec ſufficientem qui ſentiant diſp.49. num.3.& ſeqq. pag. 337 Eſt omnino neceſſaria perfectioni ſcientiæ Dei diſp.49.num.7.pag.338. Scientia viſionis ex Deo non eſt intrinſecè varia diſp.35. num.7. pag. 320. Vnde proueniat maior perfectio futurorum, quam præſentium diſp. 52.num.17. pag. 350. Requens ſanctorum Patrum recurſus ad præſcientiam Dei Thomiſtica decreta impugnat diſp.52.num.16.pag.350. Obiectum diuinæ præſcientiæ ad ipſius verificationem præciſe requiritur diſp.53.num. 4.pag.355. Diuinam ſcientiam non cauſat diſp. 53. nu.4.p. 355. Diuina ſcientia futura conditionata in ſeipſis attingit ſicut & præſentia diſp.53. num.6. & ſeqq. pag.355. Præſentia obiecti non requiritur ad munus pure verificandi ſcientiam diſp. 53.num.6.pag.355. Deus per modum ſubiecti ſuæ ſcientiæ determinatus eſt vt non habeat niſi cognitionem veram diſp.53.num.17. pag.356. Scientia conditionata operis, & decretum dandi auxilium ſufficiens medium eſt ſcientiæ abſolutæ diſp.50.num. 3. pag. 356. Eſſentia diuina ſe ſola nequit eſſe medium ſcientiæ futurorum diſp.50.num.6.pag.341. Determinatiuum ſcientiæ futurorum poteſt eſſe indiſtinctum à prædicato actionis cum Deo identificatæ ab æterno diſp.50.num.10.pag.349. Poſſet hæc actio determinare Deum ad ſcientiam futurorum d.50. num.10.& 16.pag. 342. & 343. Conſonat hæc ſententia cum noſtra de actibus liberis Dei d.50. num.17.pag.343. Quomodo poſſit diuinum intellectum determinare diſp.50.num.19.pag.343. Facilius hæc diuina actio, quam ſcientia determinabitur ab actione creaturæ diſp.50.num. 19. pag.343. Similis actio poteſt eſſe determinatiuum ſcientiæ Mediæ diſp.50.num. 21. pag. 343. Superadditur ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, eamque in rationem Mediæ, vel abſolutæ conſtituit diſp.50.num.23. pag.344. Non additur, vt noua notitia, ſed vt noua connexio cum obiecto diſp.50.num.24.pag.344. Argumenta, quæ pro ſcientia coniecturali afferunt aliqui Dominicani proponuntur diſp. 51. num. 7. pag. 346. Scientia infallibilis datur in Deo fidei conditionatæ tyriorum diſp.51.num.14. pag 346. Afferuntur rationes de promptæ ex ſacris literis, & P.P. pro ſcientia infallibi conditionata diſp.51. num.15.pag.346. Futurum conditionatum nequit videri per ſcientiam viſionis, vel ſimplicis intelligentiæ diſp.51.num.17.pag.347. Scientia conditionata imperfectionis expers eſt diſp.51. num.19.pag. 347. Datur etiam quando datur, vel danda eſt abſoluta diſp.51. num.20.pag.347. Scientia diſiunctiua repugnat determinate diſp. 51. num. 21. pag. 347. Proponitur difficultas pro determinatiuo ſcientiæ Mediæ diſp.53.num. 24.pag. 357. Carentia futuri conditionati nequit eſſe determinatiuum ſcientiæ Mediæ negatiuæ diſp.53.num.28. pag.358. Reiicitur omne determinatiuum ſcientiæ Deo extrinſecum diſp.53.num.31.pag.358. Proponitur communis ſolutio pro determinatiuo ſcientiæ Mediæ diſp.53.num.33.pag. 359. Deus quaſi per ſubſtractionem materiæ negandæ determinatur ad ſcientiam Mediam affirmatiuam diſp. 53. num.33. pag. 359. Explicatur diſcrimen inter ignem craſtinum non comburentem hodie, & obiectum cras futurum verificans hodie diuinam ſcientiam diſp.53.num.33.pag. 359. Futurum conditionatum non tam determinat ſcientiam conditionatam affirmatiuam, quam carentiam negatiuæ diſp.53.num.36. pag. 359. Si ſemel diuinus intellectus ab obiecto determinaretur, ab æterno determinaretur diſp.53.num.37. p.359.

pag. 359. Scientia Media non eſt abſolutè libera diſp.53.num.38.pag.359. Non datur principium virtuale ſcientiæ Mediæ diſp.53. num.41. p.360. Scientia Media limpidiſſimum eſt ſpeculum futurorum diſput.33. num.43.pag.360. Scientiæ, quæ à ſe eſt, extrinſecum determinatiuum fruſtra quæritur diſput.33.num.44. pag.360. Scientia Media quaſi mare paſſiue adiacet diuino intellectui diſp.53.num.45. pag. 360. Actum primum in Deo qui negent etiam ratione noſtra diſp.35.num.15. pag. 367. Nullum prædicatum datur in Deo, quod poſſit comparari vt eſſentia reſpectu intellectionis diuinæ diſp.36. num. 12. pag.371. Nec vt prius ibid. Scientia Dei aliqua manebit incognita ſi diſtinguatur virtualiter à volitione diſp.38. num.10. pag.387. Intellectio diuina non diſtinguitur ex natura rei à volitione diſp.14. num.30. pag.71. An intellectio conſtituat eſſentiam Dei diſp.36.num.1. ſequent.pag. 290. Nulla diſtinctione ex parte obiecti differt ab eſſentia diſp.36.num.5. ſequent.pag.290. Intellectionis diuinæ prioritas non eſt *a quo* & per modum principij vide ſcientia.

Dei voluntas.

Quibus rationibus probetur quæſt.19.num. 2.pag. 619. An poſſit credi fide Theologica quæſt. 19. num.3.pag.629. & diſput.56. num. 1. pag. 369. Non datur in Deo actus primus reſpectu volitionis neceſſariæ, ſecus reſpectu liberæ quæſt. 19. num.6. & 50. & diſp.70. num.16. pag.464. Non datur in Deo habitus volitiuus quæſt.19. num.8. pag. 629. Probatur in Deo ex intellectu voluntas diſp.56.num.4.pag.369. An voluntas ab intellectione diſtinguatur quæſt.19. num.9. & diſput. 58. num. 31. & ſequent. pag.392. Latiſſime volitio nequit eſſe obiectiue poſterior intellectione diſp. 58. num. 37. pag.393. Ratio directionis non petit volitionem ab intellectione diſtingui diſp. 58. num. 38. pag. 394. Volitio diuina cum ſe ipſa ſit cognitio præuia cognitione non indiget diſp.58.num.48.pag.396. Niſi principium volitionis ſe ipſo ſit cognoſcens ipſa volitio repreſentatio ſufficiens non erit diſput. 58. num.50. pag. 396. Quo pacto ſine diſtinctione volitio moueatur à cognitione diſp. 58. num.52. pag.397. Cur identitas ſufficiat ad dirigendum, ſecus concomitantia pura diſput.58.num.55.pag. 390. Non repugnat voluntatem ſimul amare in efficaciter fines incompoſſibiles diſp.58.num.60. pag.399. Licet volitio neceſſaria poſſit identificari cum cognitione neceſſaria ſecus libera diſp. 58. num.61. pag. 799. Voluntas Dei non diſtinguitur ratione implicita ſecus explicita à potentia exequente diſp.62. num.7. pag.435. & 11.& quæſt.19.num.46. Negatur omnino diſtinctio obiectiua volitionis ab eſſentia diſp.56.num.15. pag.471. & ſequent.& quæſt. 19. num. 10, pag. 629. Item rationis diſp.57. num.23. pag. 384. De eſſentia actus puri eſt formaliter actus volendi diſp.57.num.24. pag. 384. Licet volitio ab intellectione diſtinguatur ex natura rei adhuc erit de conceptu formali eſſentiæ diſp.57. num. 28.pag. 384. Omnis volitio diuina eſt cognitio ſui, & è contra diſp.58. num.3.pag.386. Volitio diſtinguitur ratione ab intellectione diuina d.58. n.4.p.386. Volitio eſt Principium verbi ex parte obiecti d.58.n.34.p.362. Non datur in Deo appetitus innatus ad bona interna neceſſaria ſecus ad libera quæſt.19. num. 11. pag. 629. Non datur principium virtuale reſpectu volitionis neceſſariæ: probabile tamen eſt reſpectu liberæ ibid. & diſp.70. num.14. pag.464. Quod ſit motiuum voluntatis diuinæ de ſe ipſo quæſt. 19. num. 12. & quæſt.71. num.4. Deus amat creaturas poſſibiles neceſſario diſputat.65. num.29. pag.447.& quæſt.15. num.17. ſequent. pag.630. Deus non amat peccatum vt poſſibile quæſt. 19. num. 16. & diſp.65. num.1. Quod ſit obiectum formale diuini amoris quæſt.19. num.22. pag. 631. Quomodo Deus amet vnam creaturam *propter* aliam quæſt.19. num.25. & diſp.72. num.15. ſequent. pag.471. An amet amore amicitiæ quæſt.19. numero 26. & diſp.73. num. 5. pag.472. An omnis volitio Dei circa creaturas ſit æqualis bonitatis quæſt.19. num.27. & diſput.74.num.5. ſequent. pag.474. Non poteſt dari actus liber abſque diuerſitate ad extra quæſt. 19. num. 38. pag. 633. Quo pacto detur ordo intentionis & electionis inter actus diuinos quæſt.19. num.44. pag. 635. An libertas diuina ſit per modum principij maxime reſpectu volitionum liberarum quæſt. 19. num.25. pag.632. An Dei voluntas ſit propinquior cauſa rerum quam ipſius intellectus quæſtione 19. num.47. pag. 635. An reſpectu volitionis liberæ admittenda ſit cauſa, finalis proprie talis quæſt.19.num.49. pag.635. An obiectum formale diuinæ voluntatis ſit ſola eſſentia diuina quæſt. 19.num.50. pag.636. Bonitas vnius creaturæ poteſt eſſe ratio amandi aliam quæſt. 19. num. 55. Late loquendo datur cauſa moralis ex parte noſtra diuinæ voluntatis quæſt.19. num.57. & 58. pag.636. Quis ſit ordo actuum diuinorum maxime ſi conſtituantur complemento extrinſeco quæſt. 19. num. 60. pag. 637. Voluntas Dei efficax, & abſoluta ſemper impletur quæſt.19.num.62.pag. 637. Implicat voluntas Dei efficax quæ non impleatur quæſt. 19. n. 64. pag.637. Non poteſt admitti voluntas Dei fruſtrabilis etiam ſi velit conuerſionem Petri. verbi gratia per auxilium determinatum quæſt. 19. num.66. pag. 638. Voluntas in efficax erga poſſibilia ſemper impletur quæſt. 19. num. 69. pag.636. Voluntas *ſigni* non eſt vera voluntas. ibid. Voluntas conditionata ſolum cenſetur non impleri quando poſita conditione non impletur quæſt.19. num.69. pag.639. Voluntas ſaluandi omnes homines reperitur in Deo quæſt.19.num. 74. pag. 640. Hæc voluntas partim neceſſaria partim Deo libera quæſt. 19. num.88. pag. 644. Poteſt dari voluntas in Deo in efficax circa aliquem finem quo fruſtretur quæſt. 19. num. 71. pag.640. Voluntas Dei inefficax à temperatur in hominum libertati quæſt. 19. num. 72. & 80. pag.640. & 642. Voluntas inefficax non eſt ſignum imbecillitatis ſi poſſit efficax ſuper addi quæſt.19. num.72.pag.640. Quæ ſit in Deo voluntas antecedens & quæ conſequens & an vtraque admittenda ſit quæſt.19. num.88. pag. 644. An admittenda ſit voluntas pure conditionata quæſt.19. num.89. pag. 645. An voluntas Dei ſi inciperet in tempore argueret mutationem phyſicam in Deo quæſt.19. num.90. & diſp.61. num.20. pag.427. An volitio libera Deo intrinſeca poſſit incipere in tempore quæſt.19.num.91. pag. 645. An volitio libera in concreto poſſit incipere in tempore quæſt.19.num.92. pag.645.

Ex immutabilitate ſcientiæ diuinæ neceſſario infertur immutabilitas voluntatis diuinę quęſt. 19. num.95. pag.645. Libera volitio ex ſuppoſitione primæ exiſtentiæ deficere nequit quæſt. 19. num.94. pag.645. Hæc tamen eius libertati non obſtat quæſt.19.num.94. pag.645. Independenter à ſcientia media nequit Deus habere volitionem abſolutam & efficacem, de noſtris actibus liberis quæſt.19. num.96.pag.646. Si omnia principia proxima ex parte creaturæ & ex parte Dei ſint indifferentia implicat volitionem diuinam eſſe infruſtrabilem quantalibet ſit eius efficacia quæſt.19. num.98.pag.646. Quamuis omnia principia & cauſæ creatæ ſint contingentes poteſt actus noſter liber deficere à libertate ratione efficaciæ diuinæ voluntatis quæſt.19.num.99. pag.646. Si Deus eſſet neceſſitatus ad agendum quantum poteſt voluntas creata libera non erit quæſt.19.num. 102. pag:647. Si voluntas diuina per modum habitus neceſſarij noſtro libero arbitrio attemperetur adhuc hoc eſſet liberum quæſt. 19. num. 102. pag. 627. An poſſit Deus velle malum culpæ vt poſſibile quæſt.19. num. 105. pag. 648. Deus non poteſt velle peccatum quoad materiale quæſt.19. num. 106. pag.648. Quid de contraria ſententia ſentiant aliqui Thomiſtę quæſt.19.num.106. pag.648. Qua voluntate prepatetur omnipotentia ad peccatum voluntatis noſtræ quæſt.19. n.107. pag.648. Vult Deus mala pœna quæſt. 19. num.108. pag. 648. Non poteſt pro ſuo ſuprémo dominio creaturam rationalem omnibus malis pœnæ deſtinare abſque creaturæ demeritis quæſt.19.num.109. pag. 648. An Deus habeat ſimplicem diſplicentiam in malis negationum & carentiorum, quæſt. 19. num.110. pag. 648. Deus poteſt velle efficaciter finem qui obtineri nequit ſine peccato quæſt.19 num.111.pag.648. An poſſit circa ſe ſolum exercere actum liberum quæſt. 19. num. 115. pag. 649. An voluntas ſigni vel etiam beneplaciti ſit in Deo circa omnium etiam reproborum in particulari ſalutem, quæſt.19. num.118 pag.649. Etſi voluntas ſigni non impleatur non tamen fit abſolute contra volitionem Dei quæſt. 19. num. 119.pag.649. Hæc voluntas non ſemper impletur quæſt.19. num.119. pag. 49. An voluntas ſigni afferat ſecum adiunctam voluntatem beneplaciti quæſt.19. num.121.pag.649. Si non repugnat intellectio identificata cum ſubſtantia creata, nec volitio repugnabit diſp.17. num. 34. pag.139. Æqualis eſt etiam volitio diuina ratione noſtra intellectioni implicite ſed non explicite diſp.18.num.15. & ſequent. pag.144. Si volitio diſtinguatur ab omni cognitione virtualiter, in Deo aliqua manebit incognita diſput. 38. num.16. pag. 299. Vide omiſſio & Dei actus liberi. An poſſit in Deo dari volitio conditionata diſp.75.ſect.1. ſequent.pag 476. datur circa omnes veritates honeſtas diſputat. 75.§.13.pag.478. Non datur conditionata ex parte ſubiecti diſp. 75. num.15. pag.478. Nec circa ea, quæ ſolus determinat diſp. 75. num.18. pag. 479. Conditionata in Deo tranſit in abſolutam affectiue diſp.75. num.19. pag.479. Voluntas diſiunctiua non repugnat Deo diſp.75.num.34. pag.482. An magis diligat meliora quęſt.20.§.31.pag.654.

De immutabilitate Dei.

Deum immutabilem eſſe probatur ex ſcripturis & Patribus diſp.61.num.1.pag.423. Vt ſtet diuinę immutabilitas debet actus liber conſtitui per connotationem modi creati diſp.61. num.7.pag. 424. Statuitur diuina immutabilitas iuxta conſtituentes actum liberum formalitate intrinſeca defectibili diſp.61.num.20. & quæſt.9. num.5.p. 423. Oſtenditur repugnantia decreti incipientis in tempore ibid. & quæſt.19.num.90. pag.648. Nequit decretum diuinum eſſe ab æterno ſi ipſum poteſt prædecere ſui carentia diſp. 61. n.22. pag.427. Volitio aliqua Dei in concreto ſumpta incipit in tempore diſp.61.num.26. p.428. Nunc Deus non eſt odio habens S.Petrum pro vlla differentia temporis diſp.61.num.27.pag.429. Deus in omni genere immutabilis eſt quæſt.9.num.25. pag. 60. Immutabilitas quoad eſſe eſt propria Dei quæſt.9. num.7. pag. 560.

De infinitate & imenſitate Dei.

Immenſitas ratione ſui non locat Deum in loco futuro bene tamen ſi coniungatur cum æternitate diſp.48.n.35. pag. 336. Deum eſſe in rebus omnibus ratione naturali euidens eſt quæſt. 8.num. 3. pag.555. Eſt etiam de fide quæſt.8.num.2.pag. 555. Ex diuina operatione bene probatur Deum eſſe in rebus omnibus quæſt. 8. num.6. pag. 555. Deus eſt in ſpatiis imaginariis quæſt.8. num. 6. pag. 556. Eſſe vbique eſt perfectio ſimpliciter quæſt.8.num.12.pag 557. Deus ſecundum ſe totum vbique exiſtit quæſt.8.num.14.pag.557. Explicatur quid ſit exiſtere Deum vbique per eſſentiam preſentiam & potentiam quæſt. 8. num.18. pag.558. Multipliciter Deus exiſtit in rebus q.8. num.20.pag.558. Deus infinitus eſt per eſſentiam quæſt.7.num.5.pag.551. An infinitas ſit de conceptu Dei quæſt.7.num.7.pag.551.

De Æternitate veritate & vita Dei.

Quibus modis conueniet Deo eſſe veritatem quæſt. 6. num.26. pag. 621. An omnia dicantur vera veritate diuina, quæſt.16.num.28. pag. 621. An veritas intellectus ſit ſolum in Deo quæſt.16. numero 29. pag. 621. Veritas diuina in cognoſcendo eſt omnino immutabilis quæſt. 16. num. 36. pag.622. An vita Dei ſit operatio phyſica ratione noſtra quæſt.18. num.18. pag. 628. Non omnia prædicata diuina ſunt formaliter vita quæſt. 18.num. 19. & 24. part. 628. & 629. Productiones Verbi diuini & Spiritus ſancti vitales ſunt quæſt.18. num. 21.pag.628. Omnes creaturæ eo modo quo in Deo ſunt vita ſunt quæſt. 18. num. 25. pag.628. Deus nequit ſe ſolo infundere errorem diſp.4. num. 17. pag. 13. & ſequent. Si infunderetur à Deo error cenſeretur opus proptium Dei diſp.4. num.20. pag.14. Poteſt Deus occaſionare errorem per accidens ibid. Licet infunderet Deus per ſe errorem non faceret errare quamuis faceret errorem diſput.4.num. 22. pag. 14. Vita Dei per intellectionem non eſt phyſica ſed intentionalis diſput.35. num.7. pag.285. Vide æternitas.

Diſcurſus.

Diſcurſus, vt conſtituat tertiam operationem per ſe diſtinctam à iudicio debet conſtare aliqua propoſitione attingente obiectum intrinſece obſcurum, & in capax terminandi aſſenſum prop-

ter ſe diſp.7.num.7.pag. 23. Diſcurrere ex obſcuris diuerſam difficultatem habet, quam diſcurrere ex euidentibus diſp.9.num. 11. pag. 30. Non diſcurrit fides humana, licet poſſit diſcurrere diuina diſp.9.num.14.pag.31. Diſcurſus an detur in Deo quæſt. 14. num. 46. pag. 592. An compoſitio,& diuiſio quæſt.14.num.16.pag.611. Vide Theologia, & Dei ſcientia.

Diſtinctio, realis, formalis, virtualis, rationis, in tertio.

Diſtinctio in genere diſp.14.num.11.pag.67. Realis in quo conſiſtat diſp.14.num.10.pag.67. Formalis quæ ſit diſp.14.num.20.pag.69. Quibus fundamentis probetur ab Scotiſtis in Deo diſp.14.num.21.pag.69. Impugnantur diſp.14.num.27.pag.70. & ſeq. Omnis ex natura rei actu eſt realis diſp.14.num. 29. pag. 71. Ideo probatur, & conſtat vnam relationem diuinam diſtingui realiter ab alia; quia ex natura rei *vna non eſt alia* diſp.14.num.31.pag.71. Non minus colligitur ex *Produci* ex natura rei, quam ex *non eſſe* diſp.14.num.31.pag.71. diſtinctio à parte rei eſt realis, ſicut produci à parte rei diſp.14.num. 31. pag.71. diſtinctio formalis ex natura rei nil differt à diſtinctione Gilberti Porretani diſp.14. num.36.pag.72. Cur Ratio *Producentis* vbique dicat diſtinctionem realem à *Producto* diſp.14. num.45.pag.74. Similitudo in vna perfectione, & non in alia non arguit diſtinctionem ex natura rei in Deo d.14.num.47. pag.74. Similitudo, & diſſimilitudo licet non arguant diſtinctionem à parte rei in fundamento, arguunt tamen in termino diſp.14.num.47.pag.74. Quid proſit verificandæ contradictioni diſtinctio realis mediata, ſeu in tertio diſp.14.num.53.pag.76. Quæ ſit diſtinctio virtualis extrinſeca? diſp. 15. num.1.ſeq. pag. 79. Quæ intrinſeca? ibid. Eſt Dei propria, ſed non ponitur inter quaſcumque Dei perfectiones d.15. num. 3. pag. 80. & 163. pag.116. Definitur intrinſeca capacitas ad verificanda ex natura rei prædicata contradictoria d.15.num.13. pag.82. Si ſolum ſignificet *diſtinctio virtualis* vnam formalitatem non identificari cum omni eo quod eſt idem realiter cum alia identificata ſecum eſt de fide d.15.num.5.p. 80. Sic etiam eſt de fide capacitas vt de vna formalitate dicatur aliquod prædicatum, quod non poteſt affirmari de alia formalitate identificata cum prima, ibid. Hæc tamen capacitas non eſt probanda à priori ex diſtinctione virtuali d. 15.num.6.pag.80. An detur hæc diſtinctio inter perfectiones diuinas omnino abſolutas diſp. 15.num.7.pag.80. & ſeqq. Qui & quibus eam defendant d. 15. num. 9. pag. 81. ſeq. diſcrimen diſtinctionis ex natura rei formalis, & virtualis intrinſecæ diſp.15.num. 45. pag. 91. Virtualis realem imbibit d.15.num. 45. & ſeqq. pag. 91. Imbibit abſolutam negationem diſp.15.n.50. & 51.pag.91. & 92. Et ſaltem diſtinctionem Scoticam formalem diſp. 15. num.57. ſeq. pag. 92. *eſſe principium* Verbi non diſtinguitur vllo modo ex parte obiecti nec virtualiter ab intellectione diſp.15.num. 72. pag. 96. Admiſſa hac diſtinctione neganda erit Deitas de aliqua formalitate diuina diſp.15.num.75.pag.97. Inter intellectionem, & volitionem nequit poni diſtinctio virtualis, quæ inter eſſentiam, & relationem, ſed alia ponenda eſt iuxta omnes Catholicos diſp.15.num.77.pag. 97. Non minus repugnat Deo quam peccatum virtuale diſp.15. num.88. ſeq. pag. 99. Cur diſtinctio rationis non arguat dari peccatum ratione noſtra in Deo diſp.15.n.90.pag.100. diſtinctio virtualis impugnatur ex ſequela, & repugnantia Principij virtualis diſp.15.num. 93. ſeq. pag. 101. Nil aliud diſtinctionis virtualis datur in Deo quam realis in tertio diſp.15.num.110.pag.104. & ſeq. Probatur, & explicatur latiſſime diſtinctio realis in tertio diſp.15.num.110.pag.104. ſeq. Specialis difficultas in prædicatis contradictoriis ſine diſt. reali in tertio diſp.15.num.125.pag.107. diſtinctio realis in tertio dat capacitatem, vt de eadem re verificetur affirmatio, & negatio diſp.15. num.143 pag. 111. Sufficit verificationi *producentis, & non producentis* diſp.15.num.148.pag. 112. *Deus generat.* Cur ſit vera ratione diſtinctionis in tertio diſp.15. num. 151. pag. 113. diſtinctio ex natura rei immediata etiam virtualis obſtruit viam omni demonſtrationi diſputat. 15. num. 160. pag. 115. Si datur diſtinctio virtualis admittenda erunt entia media inter reale & rationis diſp.15.num. 162.pag.115. diſtinctio rationis non ponit vllam diſtinctionem ex parte obiecti licet dicatur dari ex parte obiecti, ibid. Quo pacto ſine diſtinctione virtuali intrinſeca volitio ſit à cognitione, & non è contra diſp.15.num.176. pag.119.& diſp.38.num. 38. & ſequentib. pag. 394. Diſtinctio rationis explicatur diſp.16.num.1.pag.130. ſeqq. Non eſt ſolum capacitas ad terminandas cognitiones vtcumque plures diſp16.num.2.pag.131. Conſiſtit in diſſimilitudine conceptuum, quando de aliqua re plus concipitur ſecundo conceptu, quam primo diſp.16.num.3.& 4. pag.131. Qui, & quibus negent hanc diſtinctionem diſp. 16. num.5.& ſeqq.pag.131. Quæ ſit diſtinctio rationis ratiocinantis, ſeu penes explicitum, & implicitum diſp.16.num.20.pag. 133. Qui ſentiant inter perfectiones diuinas vt Dei proprias non dari diſtinctionem rationis ratiocinatæ diſp. 16.num.18.pag.133.ſeq. datur diſp.16.num. 22. pag.133. ſeq. Ea perfectio diſtinguitur ratione in Deo ab alia, quæ in ſua linea imperfectionem non includente omnem perfectionem poſſibilem includit diſp.16. num. 30. pag. 134. Poteſt eadem perfectio Dei diſtingui ratione in vna linea, & non in altera diſp.16.num.31.pag.134. Ratio noſtra non poteſt facere dari diſtinctionem realem inter entia non realia diſp.16. num. 32. pag. 134. Poſſunt diſtingui realiter, quæ ſunt vnum ratione, non tamen quando vnum eſt de ratione alterius diſp.16. num.32. pag.134. Quando pluralitas cognitionum plurificet rem ratione noſtra, & cur præ pluralitate actionum d.16.n.33.p.134. Cur potius non repugnet Deo quam compoſitio diſp.16.num.37.p. 135. Cur potius quam peccatum,& Corpus ratione noſtra diſp.16.num.35.p.135. Idem attributum quomodo diſtinguatur per rationem à ſeipſo diſp. 16.num.38.pag.135. Diſtinctio in tertio quid vtilitatis afferat pro explicando Trinitatis myſterio diſp.15.num.187.ſeq. pag. 122. Quæ diſtinctio ſit inter Paternitatem, & eſſentiam immediate diſp.15.num.190.pag.122. Cur de ipſa Paternitate ſola non poſſint dici contradictoria, & poſſint de Paternitate, & eſſentia, cum æque idem immediate ſint diſp.15.num.189.pag. 122. de eadem ſimpliciſſima, omniſque diſtinctionis ex parte

ex parte vere dicitur habere *plura prædicata*, quam alia diſp.15.num. 190. pag. 122. In Deo non diſtinguitur dualitas ab vnitate diſp. 15. num.193. pag. 123. Sine diſtinctione in tertio reali non poteſt inueniri contradictio obiectiuâ diſp.15.num.194. pag.124. Poteſt creſcere contradictio, licet non creſcat contradictio in tertio diſp.15.num.196.pag.124. Noua explicatio diſtinctionis virtualis diſp.15. num. 212. & ſeq. pag.128. Impugnatur diſp. 15. num. 219. pag. 129. ſeq. Cur ſit in Deo diſtinctio rationis, potius, quam productio rationis diſp.35. num.13. pag.286. Poſita diſtinctione virtuali intrinſeca aliqua formalitas diuina eſſet à parte rei incognita diſp.38.num.10.pag.299. Diſtinctio vt talis non identificatur adæquatè cum vno extremo diſp.41.num. 23. pag. 307. Diſtinctio pure numerica implicat etiam ratione noſtra in Deo diſp.45.num.16.pag. 322. Cur potius ſpecifica, quam numerica poſſit admitti per rationem noſtram diſp.45.num.16.pag.322. Idem realiter nequit æquiualere ſolo, & puro numero diſtinctis diſp. 45. num. 18. pag. 322. Propoſitiones cauſales quæ? nullam diſtinctionem obiectiuam arguant diſp.58.num.43.pag.395. Omnis obiectiua diſtinctio realis eſt diſp.58.num.44. pag. 395. Durationis modus non ſolum deficit, ſed ipſa res intrinſece, & ſubſtantialiter, quando dicitur deſtrui diſp.48.num.13.pag.332. Triplex tantum duratio aſſignanda eſt quæſt.10.num.44. pag.567.

E.

Eccleſia.

Eccleſiæ propoſitio non attingitur immediate per fidem diſp.13.num.45.& 48.pag.62.

Effectus.

Effectus naturalis poteſt pendere per ſe à prærequiſito ſupernaturali diſp.5. num.17.& ſeqq. p. 17. Rem exiſtere ſolum ſcitur exercite per propoſitionem de ſecundo adiacente diſp.12. num. 18.pag. 48. Effectus licet in ſecundo inſtanti ſuæ productionis non demonſtret exiſtentem cauſam proximam, demonſtrat tamen aliquam, ſeu primam diſp.13. num.17. pag.54. Implicat effectum exiſtere dum non habet tot requiſita ad exiſtendum, quot indiget diſp.13. num.23. p. 57. Ens eo ipſo quod ſit à ſe & prima cauſa eſt infinitæ perfectionis, & Deus diſp.13. num.31. pag.58. Licet non eſſe ab alio determinato ente non arguat quod ſit illius cauſa, arguit tamen quod ſit cauſa omnium id, quod à nullo eſt diſp. 13.num.32. pag.58. Effectus qui connaturaliter fit per cauſam ſuperiorem quando poſſit per inferiorem? diſp.26.num.33. pag.229. Effectus ſecundum eſſe eminentiale identificatur cum cauſa, ſecundum formale connatur diſp.42. nu. 5.pag.309. Vide potentia Dei electio medij neceſſarij omnino indiſtincta ab intentione finis dicitur ab ipſa moueri diſp.58.num.40.pag.394.

Eminentialis.

Eminentialis continentia effectus in cauſa explicatur, quæſt.4.num.8.pag.541.

Ens.

Ens quod ſe ſolo ſibi ſufficit ad exiſtendum eſt in cauſatum diſp.13. num. 12. pag. 55. Ens rationis nec conceptus noſtros ſortitur diſtinctionem realem ab alio diſp.16.num.32. pag. 133. Ens rationis non poteſt fingi de obiecto impoſſibili ita vt dentur verbi gratia duo Petri vnus realis, alius fictitius diſp.23. num. 51. pag. 204. Cognitio de ente rationis nil diſtinctum à ſe in eſſendo habet pro obiecto d.23.n.52.pag.204.

Error.

Error ſi infunderetur à ſolo Deo cenſeretur opus proprium Dei diſp.4.num.20.pag.14.

Eſſentia.

Eſſentiæ nomen lubricum diſp.17.num.1. pag.135. Quid ſignet eſſentia diſp.18.num.1. & ſeqq. pag. 135. Eſſentia non requiritur quod ſit radix, & principium cæterorum diſp.17.num.2. pag.136. Eſſentia eſt primarium conſtitutiuum adæquatum rei, vt nil præ ea ſit radix perfectionum ſuppoſiti diſp.17.num.3. pag.136. Eſſentia debet eſſe prima ſaltem negatiue, ibid. De eſſentia rei eſt gradus perfectiſſimus, qui inuenitur in tali re diſp.17.num.16.pag.137. Eſſentia rei ita eſt radix vt ſimul poſſit eſſe ipſa actuatio diſp. 12.num.24.pag.49. Accidens quando ſit de eſſentia rei diſp.17. num.34. pag. 140. Eſſentia poteſt coaleſcere ex conceptu priori, & poſteriori diſp.17. num.41.& ſeqq.pag.141. Ad eſſentiam pertinet quidquid eſt de principali conſideratione rei diſp.17. num.43. pag. 141. Nihil in communi poteſt eſſe de eſſentia rei diſp.17.n. 49.pag.142. Vt ſit aliquid extra eſſentiam non ſufficit concipi ad inſtar, ſeu per ſpecies accidentium diſp.17. num. 52. pag. 142. Eſſentiæ conceptus non eſt vtcumque in ſe prior, ſed primarius, & radix cæterorum diſp.57. nu. 8.pag.380. Eſſentia rei definitur d.36. n.2.pag.290. Eſſentia ſeu poſſibilitas non differt magis ab exiſtentia, quam futuritio diſp.45.num.27.pag.323. Comparatur vtraque denominatio futuri, & poſſibilis, vt veniat ab exiſtentia diſp.45.num. 28. pag. 323. Eſſentia ab exiſtentia non diſtinguitur quæſt.10.num.34. pag.566. Vide eſſentia Dei.

Exigentia.

Exigentia identitatis eſt ipſa identitas diſp.14.nu. 35. pag. 72. Licet in rebus diſtinctis aliud ſit exigentia, aliud terminus exactus: in identificatis idem ex parte obiecti ſunt, ibid. Exigentia communicationis per vnionem diſtincta eſt à poſſibilitate rei, ſecus exigentia identitatis diſp. 15.num.64.p. 94. Non poteſt quis habere puram exigentiam identitatis cum alio, niſi ſit formaliter ipſum aliud diſp.15. num.65.p.94.

Exiſtentia.

Exiſtentia exercita nequit repræſentari in communi diſp.36.num.2.p.290.

Exprobratio.

Exprobratio comparatiua æqualitatem extremorum exigit diſp.52. num.10. & 11. pag.349. Auxilia purè ſufficientia non ſufficiunt exprobrationi comparatiuæ diſputatione 52. num. 11. pag.349.

F.

Falſitas.

Non datur falſitas in ſenſu externo ea ratione, qua admittitur ab aliquibus in apprehenſione quæſt. 17. num.17. pag.624. Nec in ſenſu interno quæſtione 17. num.10. pag.62. Carentiæ priuationes abſolute non ſunt falſæ etiam independenter ab intellectu quæſt.17.num.2. pag.623. Eadem cognitio poteſt eſſe ſimul vera & falſa reſpectu diuerſorum quæſt.17. num 20.pag.625. Falſitas nulla datur abſolute in rebus ipſis quæſt.17.num. 2.pag.622. Falſitas non reperitur proprie in ſimplici apprehenſione quæſt.17. num.12. pag.624. In intellectu diuidente, & componente reperitur quæſt.17. num. 14. pag. 624. Verum & falſum ſolum contrarie opponuntur quæſt.17.num. 17. pag. 624. Vide veritas. Fides poteſt eſſe diſcurſiua quæſt. 1. num.36. pag.491. Fidei reſolutio explicatur quæſt.2. num.49. & ſequent. pag. 525. Soli Fidei in via tribuenda eſt ſupernaturalitas in actibus intellectus diſp.6. num. 15. pag. 21. vt proponatur ſufficienter credibilis veritas fidei conſequentia, quæ euidenter ex ipſa deducuntur cognoſcendæ ſunt vt non abſurdæ: diſp.2. num.10. pag. 6. Fides in conſortio Theologiæ naturalis dirigit ad amorem ſupernaturalem d.6. num.18. pag. 21. Ad fidem ſpectat concluſio deducta ex duabus reuelatis diſp.7.num.1.ſequent. pag. 22. Fides poteſt inniti motiuo intrinſeco quoad apparentiam probabili, ſed in re certiſſimo; diſp.3.num.8.pag.8. Vnde ſumenda firmitas fidei diſp.3. num. 4. pag. 8. Obſcuritas cum certitudine ſolum inuenitur in fide diuina diſp.3. num.18.pag.10. Nullus actus fidei ſupernaturalis dicendus eſt niti fundamento probabili diſp.3. num.22.pag.10. Implicat fidem vllo modo eſſe falſam de exiſtentia reuelationis diſp.4.num.10. pag.12. Actus fidei connectitur eſſentialiter cum vero, & genuino ſenſu reuelationis etiam habito reſpectu ad reſtrictionem mentalem diſput.4. num.16. pag.13. Quomodo diſponendus ſit diſcurſus vt concluſio ſpectet ad fidem diſp.7.num. 3. pag.23. Poteſt aliqua veritas eſſe de fide, & tamen prout ſub eſt alicui medio non eſſe de fide diſp. 7. num.6. pag.23. Concluſio formaliter *vt deducta* ex præmiſſis reuelatis non eſt de fide diſp.7.n.6. ſeq.p.24. Fides quo argumento probabiliter defendi poſſit non diſcurſiua diſp.7.n.8. pag. 24. Licet alias diſcurſiua non tamen circa concluſionem deductam ex reuelatis diſp.7.num. 9.& 10.pag.24. Qui diſcurſus poſſit permitti fidei diſp.7.n.10. pag.24. Fides in ſolo aſſenſu ſoli veracitati Dei honorem defert diſp.7.num.11. pag.24. Aſſenſus concluſionis deductæ ex duabus reuelatis non ſoli motiuo fidei innititur diſp. 7. num.30. pag.24. Stare poteſt cum tenaciſſimo aſſenſu veracitatis Dei diſſenſus illi concluſioni diſput.7. num.11. pag. 24. Qui ſentiant eſſe fidei concluſionem vt deductam ex duabus reuelatis diſp.7. num. 13. pag. 25. ſequent. Aſſenſus talis concluſionis non eſt propter motiuum præmiſſarum præciſſe diſput.7. num.14. pag. 25. Vtrum concluſio ex vna præmiſſa fidei, & alia naturali credi poſſit per fidem diſp.8.num.1. ſequent.pag. 26 Qui, & propter quæ affirment diſp.8.num.1. pag.26. Qui negent diſp.8. num.2. ſequent.pag. 26. Notitia naturalis de ſignificatione reuelationis aperiens huius ſignificatum formale, licet prærequiratur ad aliquem aſſenſum non tollit hunc eſſe fidei diſp.8.num.6. pag.26. Propoſitio poteſt eſſe de fide licet per ſe innitatur notitiæ naturali ibid. Quando veritas reuelata poteſt cognoſci in vi notitiæ ſignificationis, ſeu modi reuelandi ſpectat ad fidem ſecus quando aliunde diſp.8.num.8.pag.27. Propoſitio pendens à principio per ſe noto eſt nobis de fide diſp.8.num.10. pag.27. Secus quando principium addit nouum formalem terminum diſp. 8. num. 12. pag. 27. Sæpe Angelis eſt de fide Propoſitio quæ nobis eſt pure Theologica diſp.8.num.15.pag.28. Quod non eſt cognoſcibile vi ſignificationis communis non eſt obiectum fidei diſput.8. num.11. pag.27. Poteſt vna propoſitio eſſe de fide vni, & non alteri diſp.8. num. 9. & 13. pag.27. Quando propoſitio particularis ſit de fide, eo quod reuelata ſit vniuerſalis diſput.8.num. 16. pag. 28. & ſequent. Si reuelatio ſolum attingat veritatem aliquam ex parte obiecti: non autem ex parte modi ſignificandi non facit eam veritatem de fide diſp.8.num.11.pag.27. & ſequent. Præmiſſa naturalis quando ſit pura applicatio ad aſſenſum fidei; & quando addat nouam rationem motiuam diſp.8.num. 18,pag.28. Propoſitio pendens à præmiſſa moraliter tantum certa non addente tamen nouum terminum propoſitioni reuelatæ vniuerſali credi poteſt per fidem diſp.8. num.18. & ſequent. pag.28. De fide hunc numero hominem innocentium 10. Eſſe legitimum Papam diſp.8.num.20. & ſequent.pag.27. Dum particularis propoſitio ſit ſub eiſdem terminis formalibus, ſiue proponetur cum certitudine phyſica, ſiue morali de fide eſt quando vniuerſalis reuelata eſt diſp.8.n.20.p.27. Quando poſſint fidei habitus, & habitus ſcientiæ naturalis concurrere ad eundem actum diſp.9. num.13. pag.30. Diſcrimen inter fidem humanam, & diuinam vt iſta præ illa poſſit eſſe diſcurſiua diſp.9. num.14. pag.31. Si diſcurrat fides humana non eſt habitus ſimplex ibid. Modus tendendi diuerſus fidei à Theologia diſp.9.num.15. pag.31. Quo pacto ſit de fide quod narrat ſcriptura vt dictum ab alio diſp. 11. num.26. pag.39. Quomodo poſſit fide diuina credi Dei exiſtentia diſp.13.nu.36.& ſequent. pag.60. Fides de exiſtentia Dei non attingit ipſam niſi propter reuelationem diſp. 13. num.41. pag. 61. Nec de ipſa exiſtentia reuelatione haberi poteſt aſſenſus vere fidei, niſi attingat ipſam quia reuelatam ibid. Explicatur qualiter formetur iſte aſſenſus fidei diſp.13.num.43. pag. 61. Quomodo vltimo reſoluatur quia Deus dicit in aſſenſu circa ipſam reuelationem diſp.13. num.45. pag 62. Diſcrimen inter aſſenſum fidei de exiſtentia reuelationis, & de exiſtentia myſterij à reuelatione diſtincti diſp.13.num.46.pag.62. Fides ſtare poteſt etiam ſi non eſſet reuelata exiſtentia Dei vel reflexe exiſtentia de ipſa reuelatione diſp.13.num.47.pag.62. Tunc dari nequiret aſſenſus fidei qui pure ſiſteret in reuelatione diſp.

diſp.13. num. 48. pag. 625. Niſi cogente fide non ſunt admittenda in Deo contradictoria prædicata diſp. 5. num. 124. pag. 107. Fides quomodo conſequatur vt proprietas ad eſſe diuinum diſp.59. num. 32. pag. 153. Reuelatio naturalis ſemper non eſt neceſſaria ad cognoſcendas veritates pure naturales quæſt. 1. num. 6. pag. 486. Abſque reuelatione non poteſt omnis veritas naturalis ſcire, ibid. Abſque fidei reuelatione dari nequit ſcientia omnino, & vnde quaque certa vllius veritatis quæſt.1.num. 7.pag.486. Vide concluſio.

Filius.

Filius quo ſenſu ſit *ex*, & *de* ſubſtantia Patris diſp. 15.num.210.pag.128.

Finis.

Finis extrinſecus vt noueat, debet apparere vt bonus cognoſcenti diſp.58.num.60.pag.399. Cauſalitas finis nequit explicari per euentum conditionatum diſp.64.num.9.p.399. Explicatur per modum ſuper additum productioni ſecundum ſe diſp.64.num.10.pag.440. Talis modus eſt quædem reflexa determinatio mundi verbi gratia diſp.64.num.11.pag.440. Quatenus actio productiua mundi ſit capax vlterioris determinationis diſp.64.num.12.pag.440. Per quid conſtituatur cauſalitas finalis volitionis diuinæ nihil producendi propter finem diſput. 64. num. 23. pag.442.

Forma.

Formalis effectus non poteſt dari de nouo realiter ſine aliqua nouitate reali diſp. 15. num. 220. pag. 129. Incapacitas ad effectum formalem non poteſt ſuppleri à Deo diſp. 21.num. 15. pag. 177. Quo titulo forma ſubſtantialis prærequirat diſpoſitiones antecedentes diſp. 28. num. 14. pag.238. Quotupliciter poſſit eſſe ſubiectum incapax vt recipiat ab aliqua forma effectum formalem diſp.15.num.200. pag. 225. Vt vna forma comparetur vt improportionata reſpectu alicuius ſubiecti ad communicandum ipſi ſuum effectum formalem præaltero ſufficit quæuis diuerſitas in ſubiecti diſp.15.num.200.pag.225.

Fortitudo.

An detur in Deo, quæſt.21.num.9.pag.657.

Futura.

Futura An ſint æternitati præſentia diſp.48.num. 1.pag.331. Non ſunt ipſa in ſe, ſeu ratione ſui in æternitate, ſed æternitas eſt in ipſis diſp.48. num.31.pag.336. Futurorum præſentia in æternitate neceſſaria eſt ſcientia Dei diſp.49.num.7. pag.338. Futurum nequit in ſuis cauſis cognoſci diſp.54.num. 2. pag.361. Pro eodem inſtanti nequit res eſſe futura conditionate & non eſſe futura diſp.54.num.3. pag.361. Ex diuerſitate conditionum prouenit quod poſſit res eſſe futura & non futura conditionate, ſecus abſolute diſp.54.num.4.pag.361. Si eodem modo ſe habeant hypotheſe, eodem modo exiſtet euentus futurus diſp.54.num.18.pag.363. Eſſe futurum formaliter non eſſe diſp.53.num. 11. pag.356. Quid requiratur formaliter vt res ſit futura, ib. Futuritio diſtinguitur à decreto diſp.53.num.22. pag.357. Futuritio, & poſſibilitas comparantur vt æque vtraque indiſtincta ſit ab exiſtentia diſp. 45.num.28.pag. 357. Quid formaliſſime ſit futuritio diſp.53.num.9. pag.256. Res eſſet futura etiamſi decretum inciperet in tempore diſp. 53. num. 12. pag. 356. Futuritio conditionata abſque decreto probatur ex poſſibilitate rerum abſque decreto diſp.53.num.19. pag.357. Vide ſcientia.

G.

Gaudium.

GAudium repugnare non poteſt creaturæ rem deſideranti diſp.56.num.9.pag.370.

Generatio.

Generatio verbi explicatur diſp.15. num. 169. pag. 117. In generatione ipſe terminus formalis productionis debet eſſe ſimilis diſp. 15. num. 169. pag. 117. Generatio dicit identitatem naturæ cum ſimilitudine diſp.15.num.170.pag.117. Similitudo intentionalis non eſt ſufficiens generationi diſp.15.num.172.pag.171.

Gratia.

Gratiæ. Cur ſit participatio diuinæ naturæ diſp. 19.num. 29. pag. 152. Cur ſupra exigentiam Angeli diſp.19.num.30. pag.15. Gratiæ ſanctificans eſt connaturalis toti ordini ſupernaturali diſp.20.num. 11. & ſeqq. pag. 157. Subſtantia ſupernaturalis neceſſario eſſet gratia ſanctificans formaliter vel æquiualenter ſi foret rationalis diſp.20.num.13.pag.157. Eo quod ſit forma amicitiæ vel remiſſiua iniuriæ diuinæ non repugnat connaturalis eſſe ſubſtantiæ creatæ diſp.20.num.14. & 15. pag. 157. & 158. Licet eſſet connaturalis alicui ſubſtantiæ adhuc hæc foret filius adoptiuus Dei diſp. 20. num. 18.pag. 158. Gratia probatur acuta calculatione perfectior quam omnis ſubſtantia poſſibilis diſp. 20.num.20.pag.159. Solum eſt perfectior moraliter non abſolute diſp.20. num. 21. pag. 159. Gratia qualiter ſit proprietas Chriſti diſput. 20. num.23.& ſeq. pag.159. Non tamen eſt abſolute proprietas Chriſti, ſed quodammodo diſp. 20.num.31.pag. 161. Non fieret violentia verbo communicato in Chriſto licet ei negaretur gratia diſp. 20. num. 32. pag. 161. Gratiæ non debetur oriri ab vnione hypoſtatica, ibid. Nulla proprietas erit Chriſto debita ſi gratia ſola communis ſit vt debita puræ creaturæ diſp. 20. num.33 pag. 161. Gratia eſt donum omnium poſſibilium pure creatorum excellentiſſimum diſp.20.num.42.pag. 163. Cur nos faciat participes diuinæ naturæ diſp.20.num. 46.pag.164. Gratia, & ordo ſupernaturalis qualiter ſit proprietas ad *eſſe* diuinum diſp.20.num.48.pag.165. Poſſibilis eſt ſubſtantia perfectior, quam gratia diſp.20.num.50.pag.16. Non eſt poſſibilis quæ identificet gratiam, ibid. Si vel minima gratia eſſet connaturalis puræ creaturæ eſſet etiam maxima diſp.20. num. 51. pag. 165. Qualiter gratia ſit proprietas adæquata Chriſti diſp. 20. num. 53. pag. 166. Limitatur in Chriſto ex

vnione

vnione hypoſtatica diſp. 20. num. 57. pag. 166. Aliter non erit proprietas diſp.20.num.60. pag. 165. Non tamen eſt proprietas vnionis, ſed verbi diſp.20.num.68.pag. 169. Eſt donum pure creatorum ſupremum diſp.20.num. 75. & 76. pag. 170. Cur non ſit ſubſtantia, ſed accidens diſp.20 num.91.pag. 174. Vide *Chriſtus*, & *vnio*, & *ſupernaturale*.

Gratitudo.

An detur in Deo quæſt.21.num.11.pag.658.

H.

Habitus.

HAbitus naturalis quomodo facilitet ad opus ſupernaturale d. 22.n. 40.pag.190. Nequit dari potentiæ ex ſe facili diſp.25.num.9.pag.213. Non datur in Deo nec ratione noſtra diſp.35. num.26.pag. 288. Sæpe datur nouitas actuum ex obiecto formali, quin multiplicentur habitus diſp.9.num.8 pag.30. Quando arguat nouum habitum diſp. 9. num. 9. pag. 30. Quando in potentia cognoſcitiua multiplicetur diſp. 9. nu. 7.& 10.p.30. Qui aſſuetus eſt præciſſionibus & reflexionibus in vna materia promptior eſt ad diſcurrendum ſic in aliis, quam in aſſuetus d.9. n.9.p.30. Qualiter habitus ſit ſimilis actibus à quibus genitus eſt d.9.n.10.p.30. Quando duo habitus poſſint facilitate ad eundem actum d. 9.num. 13. pag. 30. Habitus principiorum & concluſionis cur diſtinguantur diſp. 9. num. 15. pag.31. Habitus diſtingui poſſunt circa idem obiectum formale, ibid. Dari poſſunt in potentia neceſſaria diſp.9. num. 16. pag.31. Vniuerſalis quando ſufficiat ad veritatem particularem diſp.9.num.17. pag. 31. Quid ſit habitus diſp.25.num. 10. pag. 213. Habitus idem poteſt eſſe ſimul practicus, & ſpeculatiuus, ſed non ſcientia quæſt.1.num.90. pag.500. Vide Theologia, & ſcientia.

Hæreticus.

Hæreticus nequit eſſe perfectus Theologus diſp.1. num.11.pag.4. Poteſt habere habitum eundem Theologiæ quem Catholicus ad concluſionem, ſed non ad præmiſſa diſp.6. num.22. & 23. pag. 192. Aſſenſus de Trinitate in hæretico, licet veriſſimus ſolum eſt probabilis diſp.3. num. 9. pag.8. Hæreticus formaliter non eſt qui diſſentitur concluſioni vt deducta ex duabus reuelatis diſp.7.num.14.pag.24. Cur tamen habeatur vt hæreticus, ibid. Vide Theologia.

Homo.

Hominis conſideratio cur non à Philoſopho ordinetur in Deum vt in ſubiectum attributionis d. 10.num.11.pag.33. Eo ipſo quod aliqua virtus concipiatur vt diſcurſiua concipitur vt propria hominis diſp.17.num.5. pag.136. Cur rationalitas præ viſibilitate ſit de eſſentia hominis diſp. 17.num.5.& 27.pag.139. Gradus volitiuus eſt de eſſentia hominis ſub *ly rationali* comprehenſus diſp.17.num.53.pag. 141. Cur non *riſiuus* cum de eſſentia Dei ſint perfectiones ſecundariæ? diſp.17.num.54.pag.142. Tanta eſt excellentia beatitudinis hominis vt non poſſit obtineri, niſi viribus gratiæ diſp. 22. num. 18. pag. 187. Ideoque melioris conditionis, quam Bruta, ibid. Homo beati nequit alio bono, quam infinito diſp.22.num. 19. pag. 187. Homo dicit ordinem tranſcendentalem ad Trinitatem diſp. 50.num.10.pag.253. Cur implicet homo, qui non ſit rationalis etiam de poſſibili diſp.34. nu. 17.pag.283.

Honeſtas.

Honeſtas, vel inhoneſtas deſumitur per acceſſum, vel receſſum ab vltimo fine diſp. 71. num. 12. pag.467. Vide Dei virtutes.

I.

Idea.

IDæa ſubiectiue eſt ipſa cognitio obiectiue autem res cognita quæſt. 15. num. 5. pag. 615. Eſſentia diuina eſt creaturarum idæa quæſt.15. num.8.pag. 615. Ideæ dum dicuntur *plures* ſumuntur obiectiue quæſt. 15. num. 12. pag.616. An ideæ diuinæ diſtinguantur plus quam ratione quæſt.15.num.14.pag.616. Non ſunt multiplicandæ idæa pro diuerſis obiecti formalitatibus quæſt.15.num.15.pag. 616. Non datur in Deo Idæa formalis peccati, ſecus materialis quæſt.15.num. 17. pag. 616. Non datur negationum directe, ibid. Nec relationum extrinſecarum, ibid. Nec ſui ipſius quæſt. 15. num. 18.pag.617. Bene vniuerſalium, & ſingularium quæſt.15.num.20.pag.617.

Identitas.

Identitas realis quid ſit diſp.14. num.1.ſeq.pag.65. Variæ eius explicationes reiiciunt diſp.14.num. 2. ſeq. pag. 66. Vnum eſſe idem realiter cum alio euenit quando eſt aptum eſſe illud aliud à parte rei, ſeu independenter ab intellectu diſp. 14.num. 9. ſeq. pag.67. Identitas carentiarum, vel Chymærarum inter ſe explicatur diſp.14. num.15.pag.67. Quo pacto cognitio identificetur ſecum independenter ab intellectu diſp.14. num. 15. pag. 67. Identitas qualiter ſit ſemper mutua diſp.15.num.37.pag.88. Eadem formaliter indiuidua etiam virtualiter nequit contradictoria admittere diſp.15.num.73.pag.96. Vide diſtinctio. *Idolum.* Vide *Verbum* & *obiectum*.

Ignorantia.

Ignorantia inuincibilis de Deo An poſſit dari diſp. 13.num.49. p. 63.ſeq. Vide alia in verbo *Dei exiſtentia*.

Imago.

Imago de cognitione eſt imago de obiecto per illam cognito diſp. 15.num.169.p. 177. Imago phyſica propria, & quidditatiua Dei implicat, ſecus intentionalis diſp.21.n.29.p.177.

Immateriale.

Immateriale vt ſic non eſt ratio intelligendi: bene immateriale titulo perfectionis diſp.34.num.11. pag.282.

pag.281. Quid ſit immateriale ſtitulo perfectionis ibid. Immaterialitas vt ſic non arguit vim cognoſcitiuam diſp.34.num.12. diſput.282. Immateriale quod poſſibile eſt infra materiam primam non eſt intellectiuum ibid. Cur non dicat perfectionem ſicut *incorruptibile* diſp. 34. num. 22.pag.284.

Immortale.

Immortale cognoſcitiuum perfectius foret Spiritu mortali ſi daretur diſp.34.num.22. pag.284. Immortalis creatura quæ per ſuam eſſentiam repugnet deſtructioni implicat diſput.33. n.2.pag. 274. Immortalis quomodo inferat in Anima rationali ſpiritualitatem diſp.21.num.29. pag.180. Immortalitatis appetitus qualis detur in rebus quæſtione 11. numero 7. pagina 569. Vide ſpirituale.

Improductum & *independens* an ſit per ſe notum quod exiſtat diſputatione 12. numero 34. pagina 51.

Immutabilitas Vide Dei immutabilitas.

Indifferens.

Indifferens vide *liberum*. In indifferenti vt indifferenti nequit cognoſci aliquid determinatum. diſput. 43. num. 6. pag. 312.

Indiuiduatio.

Indiuiduatio vnde ſumatur quæſt. 11. num. 22. pag.571.

Infinitum.

Infinitum non ſufficit emollire oppoſitionem contradictionis diſput.15.num.222.pag.129. Quam oppoſitionem prædicatorum poſſit componere diſp.15. ibid. In infinito andetur *totum*, & *omne* diſput. 13.num.21. pag.56. In infinito Proceſſu quando valeat argumentum à diſtributiuo ad collectiuum diſput.13.num.14 ſequent. pag.55. Sæpe requiritur infinitas ad æquiualendum in munere rei finitæ, licet non adæquiualem dum in perfectione diſput.20.num.85.pag.572. Plura diſperſa finitatem habent, & coniuncta infinita ſunt ibid. Infinitum per eſſentiam quid ſit quæſt. 7.num.3.pag.550. In magnitudine admitti poteſt ſemel admiſſo infinito in actu quæſt. 7. num. 16.pag.553. Infinitum, comparatiuum actu poſſibile quæſt.7.num.17. pag. 553. Repugnat abſolute in actu quæſt.7.num.22. pag. 554. Si diuinitus eſſet poſſibile etiam ex natura rei quæſt. 7.num. 20. pag. 554. Poſſent omnia poſſibilia produci ſi poſſent infinita quæſt.7.num.25. pag. 554. Vide *Dei infinitas*.

Inimicitia.

Erga peccatores an detur in Deo quæſt.20.num.15. pag.653.

Intellectio intellectus.

Intellectio non magis, quam volitio pertinet ad eſſentiam Dei diſp.17. num.32. pag.139. Si non repugnat identificari cum ſubſtantia creata, nec repugnat volitio diſp.17.num.3?.pag.139. Non dicit formaliter loquendo omnem perfectionem poſſibilem ſed ſolum omnem in ſua linea diſp.18 num 12. pag.144. Eſt tamen formaliter à ſe intellectio, vt intellectio non eſt actio phyſica diſp. 23.num. 32. pag. 199. Eſt tamen operatio diſp. 35. num.19. pag.196. Poſitiue eſt ab intrinſeco etiam in Deo diſp.35. num.20. pag. 287. Vide *Cognitio* & *Scientia*. Intellectus per modum potentiæ proximæ non datur in Deo diſp.35. num. 6. pag.284. Intellectus ſolum in genere efficientis, non vero in linea vitæ eſt improportionatus ad videndum Deum diſp.21. num. 13. pag. 177 & 22. Auxilium ſupernaturale non proportionat vitaliter, ſed efficienter diſp.21.num.14.pag.177. Vt viſiuus idem obiectum in Deo reſpicit intellectus, ac vt abſtractiuus diſpur.21.num.23.pag. 178. Quo differat à ſenſu Spiritualium perceptiuo diſput.21.num.29.pag. 170. Noſter minus differret ab intellectu pure intritiuo, quam ſenſus internus de facto ab externo diſp.22.num. 10. pag.185. Si ſubſtantia ſe ipſa eſſet proxime intellectiua requiret intelligere per potentiam diſtinctam diſp. 25. num. 9. pag. 213. Intellectus non eſt tota ratio agendi viſionem diſp.28.num. 8. pag. 238. Non indiget lumine vt fiat *videns* à viſione infra à Deo diſp.28.nu.13.pag.238. Non eſt intrinſece impotens ad agendum concurrente partialiter lumine diſp.28.num.45.pag.245. Si diſtinguatur ab Anima poteſt hæc ſine illo intelligere diſp.28.num.46. pag. 245. Immaterialitas quomodo ſit radix intelligendi diſp.34.num. 3.ſequent. Implicat intellectus qui non ſit ad omne verum diſp.56.num.22.pag.373. Quo pacto ſubſtantia immaterialis ſit intellecti quæſt. 14. num.2.pag.589. Materialis intellectiua in Deo qui actus primus intelligendi detur quæſt.14.numero 5. pag. 589. Deus in ſe vnum indiuiduum ab alio per intellectum diſtinguit quæſt.14.num. 41. pag.591. Intellectus actus immediatius applicat potentiam exequentem quam actus voluntatis quæſt.14. num.69.& 70.pag.596. Vide Dei ſcientia.

Intellectiuum.

Non eſt quod eſt infra materiam primam diſp. 34. num.12.pag.282. Immateriale titulo perfectionis ſolum petit eſſe intellectiuum diſp. 34. num. 15.pag.282. Supermateriale neceſſario eſt intellectiuum ibi. Immateriale cognoſcitiuum formaliter eſt intellectiuum diſput.34.num.16.pag. 283. In Deo ex immaterialitate bene probatur vis intelligendi, ibid.

Intuitio.

Intuitiua cognitio procedit per ly *eſt* de ſecundo adiacente diſp.12.num.18.pag.48.

S. Ioan. Euangeliſta.

Dictus Theologus ab vniuerſa Eccleſia diſp.1. n. 1. pag. 3.

Ira.

An detur in Deo quæſt.20. num.19. pag. 653.

Iuſtitia.

An ſit in Deo quæſtione 21. numero 8. pag. 657.

L.

Libertas.

NOſtra cum præſcientia Dei componitur d.47. n.1.ſeq.pag.325.Communis ſolutionis difficultas diſp.47.n.7.pag.326. Libertas facilius facit ſenſum compoſitum vt relata ad ſcientiam Dei,quam vt relata ad ſuum exercitium diſp.47. num.14. & 15. pag. 327. Nulla eſt libertas ad tollendam rem ex ſuppoſitione quod eſt diſp.47. num.18.pag.328. Quomodo ſit ſub noſtra poteſtate facere ne Deus præſciuerit diſp.47.num. 15.& 22.pag.327.& 328. Neceſſitas conſequens non debet eſſe effectus propriè noſtræ libertatis ne ipſi obſit diſp.47.num.24. pag. 329. Sufficit quod determinetur d. 47. num. 31. pag. 330. Si quæ difficultas eſt in concordia præſcientiæ cum libertate potius ex parte infallibilitatis ſcientiæ, quam arbitrij noſtri liberi fingenda eſſet diſp. 47.num.33.pag.330. Datur eſſentialis connexio inter volitiuum, & liberum d.59.n.5.p.402.Vide Dei actus liberi.

Liberalitas.

An detur in Deo quæſt.21.num.14.p.658.

Logica.

Logicus habitus per ſe infuſus, & ſupernaturalis poſſibilis eſt diſp.3.num.19.p.10.

Lumen gloriæ.

Quid ſit, & An ſit de fide eius exiſtentia diſp.28. num.1.p.236. Eſt qualitas permanens per modum habitus diſp. 28. num.2. pag.236. Diſtinguitur ab ſpecie impreſſa diſp. 28. num. 3. ſeq. pag.237.quæſt. 12.num. 30. Lumen non ſolum concurrit vt diſpoſitio,ſed vt vere efficiens diſp. 28.num.8.pag. 237. & quæſt. 12. num.31. Lumen non concurrit paſſiue diſp.28. n.10.p. 238. & quæſt.12.num. 32. Nec partialiter, nec vt diſpoſitio diſput.28.num.13. pag. 238. & quæſt. 12.num.32. Neque complet formaliter in linea vitæ diſput. 28. ibid. pag.238. Non requiritur eſt intellectus videat per intellectionem à Deo infuſam diſp.28. num. 13. pag. 238. Quatenus diſponat ad vnionem cum eſſentia diuina diſp. 28.num.15.pag.234.& quæſt.12.num. 34. Non eſt tota ratio agendi diſp.28.num. 22. pag. 240. & quæſt. 12. num. 37. Captatio luminis non ſufficit vt hoc ſit tota ratio agendi diſp. 28. nu. 23.pag. 240. Natura per auxilium ſupernaturale poteſt operari plus quam ſola diſp.28.num. 27.pag. 241. Si lumen viuit *vt quo* ſuperfluit intellectus diſp.28. num. 24. pag. 240. Vt ſupernaturalitati non ſufficit principium *quod* ſupernaturale, ita nec vitalitati *quod* vitale diſp. 28.num. 24. pag. 240. Sine lumine intrinſeco poteſt fieri viſio diſp.28. num.36.pag.243.ſeq.& quæſt.12. n.40. Lumen eleuabile eſt ad nouos effectus ſupernaturales ſine alio lumine intrinſeco ſibi diſp.28. num. 42. pag. 244. Probatur poſſibile eſſe auxilium extrinſecum loco luminis diſp.28.num 47.pag.245.ſeq. Quantumuis lumen ſit tota ratio agendi ex inæquali potentia poteſt ſumi inæqualitas viſionis diſp.29.num.8. pag.249. & quæſt. 12. num.43. De facto non ſumitur à potentia naturali diſp.29.num.11.pag. 250. Ex diuerſis naturis diuerſæ viſiones non Theologicè, ſed Phyſicè oriuntur quæſt. 12. nu. 48.pag.251. Eadem viſio quantumuis conſiſtat in actione poteſt fieri per lumen,& per auxilium extrinſecum diſp.28.num. 48. & ſeq.pag.245. & quæſt.12.num.4.pag.576. Vide ſpecies, viſio,& lumen.

Lux ſupernaturalis.

Quomodo videatur à Beatis oculo corporeo d. 21.num.24.pag.179.

M.

Malitia.

MOralis quomodo fundetur in Deo diſp.41.n. 11.pag.306.Non fundatur in eo quod Deo diſpliceat, ſed antecedenter ideo diſplicet Deo quia mala eſt, ibid. Inuenitur in ente quæſt. 5. num.11.pag. 545. Quomodo Deus cognoſcat mala q.14.n.78.p.597. Vide bonitas.

Materiale.

Poteſt eſſe indiuiſibile diſp.21. num. 28. pag 180. In quo conſiſtat diſp.21.num.38. pag.181. Materiæ potentia paſſiua quanta ſit non colligitur vt actiua ex effectibus diſp.21. num. 41.pag.182. Appetitus innatus materialis de facto eſt ad ſpiritualia, ſecus elicitus diſp.21.num. 48. pag.148. Materialis ordo non eſt omnium imperfectiſſimus diſp.34.num.12. pag. 282. Quod eſt infra materiam primam ſimpliciter materiale non eſt non tamen intellectiuum diſp.34.num. 22. pag. 282. Repugnat potentia materialis perceptiua quidditatiue ſpiritualium diſp. 34. num.22. pag. 284. Potentia materialis de facto percipit experimentaliter aliquid ſpirituale diſp.31. num. 34. pag. 264. Primum ſubiectum ſubſtantiale ſpirituale repugnat quæſt.3. num.11. pag. 528. Probabile eſt à ratione poſſibile eſſe indifferens vt pro qualitate formæ ſit materiale, vel ſpirituale quæſt. 3. num. 12. pag. 528. Vide materiale.

Mathematica.

In plures ſcientias ſubdiuiditur diſp.1.nu. 11.pag.4.

Memoria.

Non datur propriè in Deo diſp. 35. num. 28. pag. 289.& quæſt.14.num.8. Memoratiua cognitio non cognoſcit obiectum in viſione habita vt in medio diſp.26.num. 16.pag.224. Neque inferendo *ex hac* d.26.num.17.pag. 224. Non eſt per eaſdem ſpecies d.26.num.18. pag. 224. Eſt diſtinctiua propria, & immediata in rem viſam diſp.26.num.19.pag. 224. Non confundit ſuum obiectum cum aliis, licet intuitiua non ſit diſp. 26.num.20.pag.225. Cognitio memoratiua de obiecto creato eſt ſtrictè quidditatiua, ſecus de Deo d.26.num.26.pag.226. Quo differat à viſione de obiecto præterito in ſe ipſo d. 26. num. 28.pag.227. Non eſt ſimpliciter intuitiua, licet poſſit dici *intuitiua memoratiua*, diſp. 26. num. 26.pag.227. Neceſſario cognoſcit obiectum in ſingulari, ſed inadæquatè diſp.26. num. 29. pag. 227. Vide Dei ſcientia.

Meritum.

Meritum.

Naturale qualiter eleuetur ad præmium ſupernaturale per auxilium ſupernaturale phyſice ſignificans diſp.28.num.33.pag.242. Non poteſt eleuari per concomitantiam alterius meriti ſupernaturalis diſp.28.num.34. pag. 243. Actus naturalis non eſt meritorius præmij ſupernaturalis etiam in homine iuſto diſp.28.num.33. pag.242. Cur potius meritum ſeu meritoria naturalis non poſſit eleuari,vt cauſa phyſica diſp.28.num. 34.pag.243. Meritum Chriſti cur non limitetur ex limitatione vnionis, ſicut limitatur gradus gratiæ diſputat. 20. num.61. pag.168. Meritum puri hominis non poteſt mereri tantam gratiam, quanta eſt in Chriſto ibid.

Metaphora.

Senſus Metaphoricus eſt litteralis in ſcriptura diſputat.11. num. 8. pag.37. Quando in Metaphoris verba ſint ſumenda in ſignificatione propria diſp.11. num.10. pag.37.

Metaphyſica.

Poteſt eſſe ſupernaturalis diſp.6.num.8.pag.20. Eſt Theologia naturalis diſp.1.num.1.pag.3.

Miſericordia.

An detur in Deo quæſt.21. num. 20. pag. 659. An poſſit punire abſque miſericordia quæſt. 21. numero 24. pag. 660.

Motiuum.

Quomodo neceſſarium omni cognitioni diſput.44. num.23.pag.317.Non requirit exiſtentiam phyſicam diſp.44.num.24. pag.317.Motiuum aſſentiendi non ſemper debet eſſe notius obiecto materiali diſp.13.num.48.pag.62.

Mundus.

Non potuit eſſe à ſe diſp.13.num.33. Author mundi apud omnes accipitur pro Deo diſputat. 13. num. 34. pag.59.

Natura, & naturale.

Quid ſignificet diſp.19. num. 9. ſequent. pag. 149. Poteſt connecti cum ſupernaturalium poſſibilitate diſp.19.num.9. pag.149. Irrationalis poteſt ornari donis ſupernaturalibus diſput.19. num. 36.pag. 154. *Natura* ſupra quam dicitur *ſupernaturale* quomodo ſupponat pro ſuppoſitis de facto diſp.19. num.39. pag.155. Non habet appetitum innatum ad rem naturaliter impoſſibilem diſp. 22.num. 36. ſequent. pag. 190. Per modum puræ conditionis qualiter iuuet ad effectum ſupernatutalem diſput.22. num.48. pag. 192. De natura diuina nulla negatur ex natura rei perfectio in abſtracto diſput.14. num. 54. pag.76. Quo ſenſu negetur eſſe *terminus formalis generationis* diſput.14.num. 59. pag.78. Negatio ex natura rei eueniens æquè in Deo, ac in creatura deſtruit identitatem realem, ſecus diſtinctio realis in tertio diſp.15.num.137.pag.109 Etiam in filio eſt realiter *improducta*, ſed vt talis conſtituitur ex identitate cum Paternitate in Patre diſp.15.num.188. pag.122. Natura eſt Paternitas:Filiatio eſt Paternitas cur non ſint æquiualentes? diſp.15.num.192.pag.123. Ex Filiatione,& natura cur non reſultet dualitas,ſicut ex filiatione, & Paternitate ibid. Natura diuina quaſi exidentificatur in Trinitate diſp.15. num. 191. pag.123.Relatio quo pacto ſit aliquid *plus*,quam natura diuina diſp.15. num.192. pag.123. Natura diuina diſtinguitur in tertio à *Deo generante* diſp.15. num.194. pag. 124. Cur negetur de natura *eſſe relatam* diſp.15.num.195.pag.124. licet natura à nullo prædicato poſitiuo Trinitatis diſtinguatur diſtinguitur in aliquo pacto à negatiuo, à quo relatio non ita diſtinguitur diſp. 15. nu.195. p.124. In quo ſenſu negetur de natura quod ſit ratio diſtinguendi diſp.15.num.195. pag. 124. Cur poſſit de natura diuina negari quod ſit immediate *vnita* diſp.15.num.201.pag.126.Cur potius de natura, quam de Paternitate dicatur quod ſit mediate *vnita*; ibid. Non ideo præciſſe de natura negatur quod ſit *immediata vnica* quia identificatur cum vnico diſput.15.num.202.pag. 126. Adhuc vnitis immediate tribus perſonalitatibus poſſe natura manere *in vnitate immediatè* diſp.15.num.203.pag. 726. Si in Deo vnica tantum eſſet perſona non poſſet vnio fieri in Perſonalitate, & non in natura diſput.15. num. 205. pag.127. Non implicat vniri natura quin immediate vniatur perſonæ diſp. 15. num.202. & 205. pag.126. Soli naturæ conuenit conceptus eſſentiæ diſp.15.num.209. pag.127. Quomodo, & in quo ſenſu ſit radix relationum diſp.15.num.209. pag. 127. Naturalis amor præ cognitione poteſt determinare ad amorem ſupernaturalem d.22. num.49.pag.193. De natura diuina negari non poteſt obiectiue eſſe principium ſpiritus ſancti. diſp.57.num.16.pag.382.Cognitio naturalis poteſt dirigere ad amorem ſupernaturalem in conſortio alius ſupernaturalis cognitionis diſp.6.nu. 17.p.21. Actús naturalis dum non eſt euidens ſolum eſt probabilis diſp.3.num.9. pag.8. Vide ſupernaturale.

Neceſſarium.

Neceſſarium duplex in exiſtendo, & ad finem diſput.2.num 4.pag.5. Vtrum ſit per ſe nota exiſtentia entis neceſſarij diſp.12. num. 16. & ſequent. Suppoſitioni ſimplici eſt per ſe nota, ſecus ſuppoſitioni perſonali diſput. 12. num. 31. pag. 51. *Exiſtens exiſtit* proinde eſt ac *neceſſarium exiſtit*. Verificatur de *eſt*. Tertio adiacente, ſed non de ſecundo ibid. *Neceſſarium exiſtit*, ſolum eſt per ſe notum diſiunctiue de poſitiuo, vel negatiuo neceſſario diſp.12. num.30.p.50. Licet hæc propoſitio neceſſarium exiſtit ſit de *eſt* Secundò adiacente quoad ſonum; in re eſt de 3o. Vide Dei exiſtentia.

Negatio quando cognoſcitur quidditatiue diſp.12. num.20. pag.48. Negatio à parte rei eſt diſtinctio à parte rei diſp.14.num.31. pag.71. & 47.p. 74. Ad veram negationem ſufficit quod ex parte obiecti vnum non ſit aliud ibid. Negatio prædicati in abſtracto arguit diſtinctionem realem immediatam diſp.14.num.51.pag.75.Secus prædicati in concreto diſputat. 14. num.52. pag. 76.

Negatio prædicati in concreto requirit diſtinctionem realem mediatam diſput. 14. num. 53. pag. 76. Negatio, & affirmatio poſſunt eſſe de eadem re dum habeat diſtinctionem realem in tertio diſput. 15. num. 143. pag. 111. Negatio ex natura rei eueniens æque in Deo, ac in creatura deſtruit identitatem realem, ſecus diſtinctio realis in tertio diſp. 15. num. 137. pag. 109. Negatio etiam in Trinitate ſemper dicit diſtinctionem realem, realemque diuerſitatem diſp. 15. num. 188. pag. 122. Vide diſtinctio.

Numerus.

Numerus vnde ſumatur diſput. 15. num. 142. pag. 71. Numerus niſi in relationibus obeſt ſimplicitati Dei diſput. 14. num. 38. pag. 72.

O.

Obiectum.

Obiectum formale etiam inadæquata, & partialiter variatum facit ſuum ſpecie differre diſput. 7. num. 14. pag. 24. Quando obiectum formale mediate, & immediate attactum faciunt actum eſſe eiuſdem ſpeciei diſput. 7. num. 16. pag. 25. Quomodo diſponenda ſunt duo obiecta formalia, vt poſſit duo habitus concurrere ad eundem actum qui reſpiciat vtrumque diſput. 7. num. 13. pag. 24. Obiectum attributionis Theologiæ An ſit Deus diſput. 10. num. 1. & ſeqq. pag. 31. Quod ſit obiectum attributionis alicuius ſcientiæ diſputat. 10. num. 6. pag. 32. Obiectum attributionis Theologiæ de facto ſi bene diſponatur eſt Deus diſput. 10. num. 8. pag. 32. Ita diſpoſita eſt ſumma S. Thomæ diſputat. 10. num. 7. pag. 32. Obiectum attributionis Theologiæ ſecundum ſe conſideratæ non eſt Deus, ſed veritas reuelata diſputat. 10. num. 9. & ſeqq. pag. 32. Obiectum attributionis, & obiectum motiuum ſeu formale diſtiguuntur diſputat. 10. num. 15. pag. 33. Quæ ſint obiecta materialia ſcientiæ, ibid. Quo ſenſu dicatur producens in eſſe intelligibili diſp. 23. num. 19. pag. 196. Circa obiectum nil phyſice facit cognitio, ibid. Quid requiratur vt vna res ſit medium obiectiuum, in quo alia quidditatiue cognoſcatur diſp. 23. num. 25. pag. 196. Non poteſt obiectum cognoſci quidditatiue in ſui cognitione reflexe cognita diſp. 23. num. 26. & ſeqq. pag. 197. *Eſſe obiectiuum* diſtinguitur in eſſendo ab ipſo obiecto exteriori diſp. 23. num. 42. pag. 201. In eſſendo identificatur cum cognitione diſp. 23. num. 45. & 43. pag. 202. Qualiter in Verbo ſit eſſe obiectiuum, & ſubiectiuum diſp. 23. num. 41. pag. 201. Poteſt dari eſſe obiectiuum, nullo alio ex parte obiecti exiſtente, niſi ſola cognitione formali diſp. 23. num. 45. pag. 202. Eſſe obiectiuum non conſiſtit in idolo diſtincto à cognitione formali diſp. 23. num. 46. pag. 202. Alias poſſet exiſtere ſine cognitione, vel in alio ſubiecto ab intellectu, vel poſſet quis cognoſcere ſine vllo Verbo per Verbum alienum diſp. 23. num. 46. pag. 202. Nullum eſſe obiectiuum, ſeu ſimilitudinis datur in rerum natura niſi phyſicum ſecluſa vi cognitionis formalis diſp. 23. num. 47. pag. 203. Eſt obiectiuum non conſiſtit phyſice in poſſibilitate obiecti realis diſp. 23. num. 48. pag. 23. In eſſe obiectiuo diſtinguuntur *in*, & *ad*, ibid. Vnio obiecti cum potentia in quo conſiſtat diſp. 24. num. 18. pag. 208. Conſiſtit in præſentia obiecti reſpectu potentiæ iam proportionatæ diſp. 24. num. 19. pag. 209. Obiectiue concurrere quid ſit diſp. 26. num. 34. pag. 229. Obiectum poteſt mittere ſpeciem communem aliis etiam dum in mente operatur diſp. 26. num. 37. pag. 230. Quando concurrit obiectum quantum poteſt obiectiue cognoſcitur totaliter, & comprehenſiue diſp. 30. num. 16. pag. 258. Obiectiuum duplex *eſſe* explicatur diſp. 31. num. 3. pag. 25. Obiectum motiuum in quo conſiſtat diſp. 37. num. 1. & ſeqq. pag. 294. Debere eſſe id à quo entitatiue eſt, vel cauſatur cognitio proponitur, & reiicitur diſp. 37. num. 2. & ſeqq. pag. 294. Vide ſcientia. Quando veritas aliqua ſufficit per ſe omni alio ignorato vt terminet aſſenſum, tunc cenſetur obiectum formale, ſeu motiuum diſp. 37. num. 8. pag. 294. In obiecto motiuo non requiritur exiſtentia diſp. 44. num. 24. pag. 317. Obiectum formale eſt quod ſecluſum ab aliis poteſt amari diſp. 71. num. 2. pag. 467. Vide motiuum, & Dei ſcientia.

Obſcuritas.

Obſcuritas propoſitionis copulatiuæ non eſt minor eo quod vna cathegorica ſit clara diſp. 9. num. 12. pag. 30.

Oculus.

Oculus corporeus non poteſt videre Deum nec diuinitus diſp. 21. num. 1. & ſeqq. pag. 174. Huius rei vexa ratio diſp. 21. num. 10. & ſeqq. pag. 176. Extraheretur a proprio genere vitæ, in quo eſt diſp. 21. num. 11. pag. 176. Oculus in genere vitæ eſt improportionatus ad viſionem Dei, ſecus intellectus diſp. 21. num. 22. pag. 178. & 13. pag. 177. Vt ſit poſſibilis ſupernaturalium perceptiuus. Vide ſenſus. Oculus corporeus de facto videt experimentaliter aliquid ſpirituale diſput. 31. num. 54. pag. 268. Vide viſio.

Omnipotentia.

Omnipotentia non eſt negandum niſi quod conuincitur repugnare: quatenus eſt accipiendum? diſp. 25. num. 40. pag. 219. Si omnipotentia ſit abſoluta à creaturis hæ in illa non cognoſcuntur diſp. 33. num. 5. & ſeqq. pag. 274. Si ſit abſoluta per quid conſtituatur in ratione *potentis ſimpliciter* diſp. 33. num. 9. pag. 275. Non eſſet ratione ſui conditionata ex parte obiecti, ſed ſolum ex parte ſubiecti diſp. 43. num. 12. & 13. pag. 313. In omnipotentia vt abſoluta à creaturis nec veritates identicæ cognoſci poſſunt diſp. 44. num. 12. pag. 315. Vide Dei potentia.

Omiſſio.

Omiſſio pura libera in Deo indubita eſt in mea ſententia in actibus liberis diſp. 67. num. 9. pag. 452. In omni ſententia de actibus liberis repugnat diſp. 67. num 6. pag. 451. Vt pure omittatur aliquod prædicatum diuinum debet continere aliquid mali diſp. 67. num. 10. pag. 452. Aliæ repugnantiæ in pura omiſſione diſputat. 67. numero 12. pag. 452. Nequit Deus eſſe in pura

in pura potentia ad intra diſputat. 67. num. 14. pag. 451. Deus non neceſſitatur ad pure omittendum directe ex bonitate creata, ſed ex ſuo prædicato infinite bono diſput. 67. num 17. pag. 453. Per vnicum actum reflexum excludit Deus infinitum proceſſum actum diſputat. 67. num. 21. pag. 453. Talis actus reflexus eſt amor ſui ipſius ibid.

Oratio.

Oratio pro aliquo auxilio non eſt ſignum ſupernaturalitatis talis auxilij, diſputatione 6. numero 13. pagina 21.

P.

Papa.

Papa de fide eſt hunc numero hominem eſſe verum Papam, eſſe rite electum baptizatum, &c. diſputat. 8. num. 20. pag. 28. Moraliter eſt certum extrinſece non intrinſece antecedenter ad fidem hunc numero hominem Papam baptizatum fuiſſe diſputat. 8. num. 23. pag. 28. Intrinſece maius fundamentum quis habere poteſt vt iudicet ſe eſſe in gratia quam hunc hominem eſſe verum Papam ſecus extrinſece, diſput. 8. num. 25. pag. 29.

Parabola.

Parabola: parabolicus ſenſus eſt litteralis in ſcriptura diſput. 11. num. 9. pag. 37. Parabola quid? diſputat. 11. num. 9. pag. 37. Vnde ſumenda veritas Parabolæ, ibid. Quando in Parabolis ſumenda ſint verba in ſignificatione propria diſputat. 11. num. 10. pag. 37.

Paſſiua.

Potentia cur in materia prima eſt extendenda vltra experientiam ſecus actiua diſp. 21. num. 41. p. 182.

Pater.

Vt ſit Deus exigit eſſe Pater diſp. 71. num. 8. p. 467. Quæcunque perſona eſt Pater generat ſed non quæuis res eſt Pater diſp. 15. num. 151. pag. 113. Eſſentia eſt Pater examinatur ibid. Eſſentia non eſt Pater filij ibi. Cur potius Deitas ſit de eſſentia Dei quam Paternitas diſp. 17. num. 4. pag. 136.

D. Paulus.

D. Pauli poſt raptum cognitio de diuina eſſentia fuit immediata & clare non tamen quidditatiua diſput. 26. num. 38. pag. 230.

Peccatum.

Poſſibile eſt peccatum eſſentialiter dependens à cognitione ſupernaturali diſp. 5. num. 8. pag. 18. Peccatum quo pacto dicatur fugiendum præ omnibus alijs diſp. 13. num. 60. pag. 65. In Deo admittentur peccatum virtuale ex diſtinctione virtuali diſp. 15. num 88. & ſeq pag. 99. Cur non peccatum ratione noſtra ex diſtinctione rationis diſp. 15. & 16. num. 35. pag. 88. & 90. pag. 100. Sanctitas ſumma æque pugnat cum peccato ac ſimplicitas cum diſtinctione ibid. Peccatum virtuale nequit admitti in Deo diſp. 15. num. 91. & ſeq. p. 100. Peccatum non eſt eminenter in Deo quia vt tale nullam dicit perfectionem quam Deus præhabeat ſic Deus non eſt eminenter nihil, ſeu carentia diſp. 15. num. 92. pag. 100. Res creatæ pure poteſt opponi cum peccato per modum formæ, ſed non per modum ſatisfactionis diſp. 20. nu. 17. pag. 158. Peccatum conditionatum Deo diſplicet diſput. 66. num. 8. pag. 456.

Perfectio.

Perfectio ſimpliciter ſimplex tollitur à Deo poſità diſtinctione virtuali diſput. 15. num. 83. pag. 98. & ſequent. habet vim depellendi omnem imperfectionem ibid. Requirit eſſe omnem perfectionem diſp. 15. num. 84. pag. 98. Implicat perfici per aliquod diſtinctum ab ipſa ibi. Eſt in compenſabilis diſp. 15. num. 86. pag. 98. In omni ſenſu obiectiuo eſt melior ipſa quam non ipſa, & non ſolum in identico diſp. 15. num. 87. pag. 89. Perfectio ſimpliciter ſimplex vt talis in nullo poteſt eminenter contineri diſp. 15. num. 96. pag. 100. Perfectio ſimpliciter ſimplex non poteſt eminenter in alio contineri diſput. 36 num. 7. pag. 290. Nulla caret perfectione ibid. Perfectio ſimpliciter ſimplex definitur quæſt. 4. num. 11. Vide Dei perfectiones.

Perſona.

Perſona diuina cur ſit æqualis tribus diſp. 15. num. 223. pag. 129. Cur ſecunda præ tertia perſona procedat in ſimilitudine naturæ cum vtraque per naturam præcedat diſp. 57. num. 13. pag. 387.

Poſſibilia.

Poteſt ſtare amor poſſibilium qui in exiſtentiam non inclinet diſput. 66. num. 14. pag. 371. Amor poſſibilium circa omnia non exercetur neceſſario diſput. 66. num. 12. pag. 371. Poſſibilitas & futuritio comparantur vt æque vtraque indiſtincta ſit ab exiſtentia diſput. 45. num. 29. pag. 323. Poſſibilia Deus amat amore ſimplicis complacentiæ diſp. 65. num. 8. pag. 444. Amor poſſibilium ſtat cum nolitione exiſtentia diſp. 75. n. 13. pag. 444. Dum Deus poſſibilia amat non intendit poſſibilitatem ſed approbat diſp. 65. num. 14. pag. 445. Quomodo Deus amet ſe non eſſe Chymæram diſput. 65. nu. 15. p. 445. Deus odio habet peccatum poſſibile illud que amare nequit diſp. 6. n. 16. pag. 22. Quid addat odium peccati poſſibilis ſupra illius nolitionem diſp. 56. n. 18. p. 445. Ex amore ſuæ eſſentia non concogitur Deus amare peccati poſſibilitatem, licet cum hac eſſentialiter connectatur diſp. 65. n. 22. pag. 446. Nequit Deus impoſſibilia amare diſp. 65. num. 29. p. 447. Deus amat neceſſario creaturas poſſibiles diſp. 66. n. 1. pag. 447. Per nullum exercitium liberum poteſt Deus ſuſpendere amorem in poſſibilibus diſp. 66. num. 5. pag. 448. Non poteſt ſuſpendi per nolitionem complacendi diſput. 66. num. 6. pag. 448. Neceſſarius amor poſſibilium conſequitur ad propriam ſententiam de actibus liberis diſp. 66. num. 7. pag. 448. Amor poſſibilium imperfectionis expers Deum decet diſp. 66. num. 10. pag. 449. Vide amor, & Dei voluntas.

Potentia.

Potentia neceſſaria eſt capax habituum diſp.7.num 16. pag. 31. Potentia obedientialis non debet poni limitata ſicut vitalis diſput.21. num.7. pag. 175. Licet phyſica ponatur limitata adhuc reſtat præbenda ratio cur non poſſit oculus eleuari ad videndum Deum ibid. Potentia ad præteritum quando detur diſp.47.num.9. pag.327.12. & 22. pag. 328. Vide Dei potentia.

Prædeterminatio.

Omnis reiicitur diſput.52. num.20.& 22. pag.351. Vide Dei ſcientia.

Prædicatum.

Prædicatum intrinſecum quod dicitur do vna formalitate dicitur de omni identificata ſecus prædicatum extrinſecum quod imbibit modum ſignificandi diſputat. 8. num. 19. pag. 28. Prædicati accidentalis affirmatio quam identatem affirmet diſput.14.num.14. pag. 67. Non poteſt de vna formalitate affirmari aliquod prædicatum etiam ſecundum quid potius quam de alia,niſi prima aliquam diuerſitatem realem habeat à ſecunda diſputat. 15. num. 54. pagina 92. Prædicata contradictoria requirunt ſaltem diſtinctionem realem in tertio diſputat.15.num. 110. pag. 104. & ſequent. Si Deus eſſet vnius perſonæ non poſſet recipere contradictoria prædicata diſput. 15. num.123. pag. 107. Prædicata contradictoria de eodem realiter non ſunt admittenda niſi cogente fide diſputat. 15. num. 124. pag. 107, Vt ſunt in Deo non ſunt dicenda contradictoria diſputat. 15. numero 138. pag. 109. Non opponuntur illi principio *quodlibet eſt vel non eſt* diſputat.15.numero 144. pag. 111. Saluantur bene per diſtinctionem realem in tertio diſputat.15.num.148. pag.111. Non obſtruitur via in Deo probandi diſtinctionem vel verificationem alicuius veritatis determinatæ diſputatione 15. numero 144. pagina 111. Contradictoria non ita opponuntur de eadem re producens & productum. ibidem. Prædicata contradictoria, quæ inueniuntur in Deo nulla diſtinctio poteſt ſufficere niſi realis diſputat. 15. numero 152. pagina 113. Prædicata contradictoria non poſſunt ſaluari ſine diſtinctione reali quantumuis intercedat infinitas diſputat. 15. numero 222. pagina 129. Oppoſita infinito quando non opponantur in infinito diſput.15.num.224. & 223.pag.129. Vide diſtinctio.

Præmiſſa.

Speciale argumentum vt influant phyſice efficienter in concluſionem : Item cognitio in amorem, &c. diſputat. 5. num. 13. pag. 17. Vt non influant efficienter diſputat.5. num.14. pag. 17. Potentia ad præmiſſas prior eſt quam potentia ad concluſionem diſput. 17. num. 41. pag. 140. Vide Theologia.

Præſciſio.

Obiectiua impugnatur diſputatione 15. num. 106. pagina 103. ſequent. Non datur etiam circa diuina diſputat. 15.num.206. pag.103. ſequent. Nec circa eſſentiam,& relatio vide Viſiones ibid *Ex parte modi* explicatur diſputat. 31. num. 2. pag. 253.

Ad *Præteritum* potentia Vide *Potentia.*

Principium.

Virtuale impugnatur diſputat. 15. num. 96. ſequent. pag. 101. & diſputatione 70. numero 7. pagina 463. Probabiliter admittitur diſputat. 70. numero 23. ſequent. pag. 466. Non datur verum principium abſque diſtinctione reali. diſputatione 70. num. 7. pag. 463. Non datur etiam reſpectu actuum liberorum in Deo principium virtuale diſputat.70. num.6. pag.463.ſequitur ex diſtinctione virtuali diſputat. 15.num. 93. pagina 407. ſequent. Ex diſtinctione rationis non ſequitur Principium rationis diſputat. 15. numero 94. pag. 101. Principium virtuale arguit diſtinctionem realem à Principiato diſputat.15. numero 94. pag.101. Principium virtuale arguit diſtinctionem realem à Principiato diſputat. 15. num. 42. pag. 90. & 99. pag. 103. Principium virtuale immediatum implicat diſputat.15. numero 108. pag. 127. Ad rationem Principij non requiritur quod producat ſuam operationem actiuam diſputat.35. num.17. pag. 287. Principium intentionale intelligendi datur etiam reale in Deo diſp.35.num.16.Operans vt tale cenſetur eſſe Principium ſic operandi diſputat. 35. num. 18. pag. 287. Vide Dei voluntas.

Prioritas.

Virtualis ſequitur ex diſtinctione virtuali diſputatione 15. numero 93. ſequent. pag. 107. Impugnatur diſputatione 15. numero 96. pagina 102. & ſequent. Relationis *à quo* reiicitur in Deo diſputatione 36. numero 12. pag. 291. & 16. pag.292. Vide Principium.

Probabilitas.

Actus ſimpliciter dicta omnem determinationem actus ad verum excludit diſputatione 3. numero 21. pag. 10.

Proceſſus in infinitum.

Per rationem non implicat in Deo diſputat. 38. num.10. & ſequent. 299. Implicat virtualiter ibidem. In Proceſſu in infinitum, quæ prædicata collectiue, & diſtributiue valeant diſputatione 13. numero 14. ſequent. pagin. 55. Implicat in cauſis efficientibus, licet non per ſe ſubordinatis quæſtione 2. numero 31. pagina 521. Non obſtat demonſtrationi de exiſtentia Dei diſputat. 13. numero 22. & 28. pagina 57. & 58. Non ponit ſufficientiam vt exiſtat aliquid in rerum natura ſine cauſâ incauſatâ diſputatione 13. numero 23. pagina 57. ſequent. Vide Dei exiſtentia.

Productio.

Cur non poſſit admitti per rationem ſicut diſtinctio diſputatione 35. numero 13. pagina 286.

Præmium.

Moraliter ſemper eſt diuiſibile diſp. 28. num. 34. pag. 243.

Propoſitio.

Per ſe nota non excludit medium diſp. 12. num. 11. pag. 46. Quæ ſit diſput. 12. num. 1. pag. 43. An vere diuidatur in per ſe notam, quoad ſe, & quoad nos ibid. quæſt. 2. num. 2. In per ſe nota prædicatum eſt idem realiter, & formaliter cum ſubiecto diſp. 12. num. 4. pag. 44. Cur dicatur *nota* ex terminis ibid. Deum eſſe trinum non eſt per ſe notum nec quoad ſe diſp. 12. num. 5. pag. 44. & 24. pag. 49. Veritas etiam in materia neceſſaria non eſt per ſe nota quoad nos. ibid. Propoſitio per ſe nota non dicitur per ordinem ad intellectum intuitiuum diſp. 12. num. 6. pag. 45. Non eſt accidentalis diſpur. 12. num. 7. pag. 46. Ly *ego vino* non eſt per ſe notum diſp. 12. num. 7. pag. 46. Quæ ſit per ſe nota quoad ſe, & non quoad nos diſput. 12. num. 8. pag. 26. An Deum exiſtere ſit per ſe notum Vide exiſtentia Dei. Propoſitio de ſecundo adiacente quæ? diſp. 12. num. 18. pag. 48. Per ſe nota eſt quidditatiua diſput. 12. num. 20. pag. 48. Per ſe nota ſimpliciter ſumitur per ordinem ad noſtrum intellectum diſput. 12. num. 25. pag. 48. De *eſt* ſecundo adiacente ſolum de Deo eſt per ſe nota ibid. Sed non extra viſionem beatam ibid. Nec etiam Angelis ibi. An ſit per ſe notum exiſtere aliquod ens neceſſarium diſp. 12. num. 26. pag. 50. & ſequent. Exiſtere aliquid improductum, & independens diſp. 12. num. 34. pag. 49. Vltimus finis, vel aliis præ eminens non eſt per ſe notus diſp. 12. num. 37. pag. 52. Propoſitionis veritas vnde menſuranda diſput. 31. num. 37. pag. 264. In propoſitione qualiter prædicatum cadat ſupra ſubiectum diſp. 31. num. 38. Identicæ propoſitiones cognoſcuntur à Deo in ſeipſis diſp. 44. num. 11. pag. 315. Secus in omnipotentia ſi hæc non connectatur cum creaturis diſp. 44. num. 12. pag. 315. Eſſe propoſitionem de præſenti, vel de prætetito eſt differentia eſſentialis diſput. 48. num. 24. & ſequent. pag. 334. Vt quis affirmet abſolute de præſenti debet coexiſtere cum obiecto diſp. 48. num. 27. pag. 395. Debet reflectere ſupra durationem præſentem cognoſcentis diſp. 48. num. 30. pag. 336. Vide *veritas*, & *falſitas.*

Proprietas.

Dupliciter commenſuratur cum eſſentia diſp. 20. num. 48. pag. 165. Chriſto debetur proprietas, quæ ex toto genere excedat proprietates puræ creaturæ diſp. 20. num. 51. pag. 165. Quæ proprietas ſuperioris ſubſtantia, nequeat deberi inferiori diſput. 20. num. 52. pag. 165. Sæpe commenſuratur non cum eſſentia formæ ſecundum ſe ſed vt vnitæ diſp. 20. num. 62. pag. 168. Quid aliquando nomine proprietatis intelligatur diſp. 57. num. 4. pag. 379. Vide attributa.

Prudentia.

An ſit in Deo quæſt. 21. num. 7. pag. 657.

Q.

QVodlibet eſt vel non eſt: Verificatur etiam in myſterio Trinitatis diſput. 15. num. 144. pag. 111.

R.

Relatio.

PRædicamentalis ſi dicatur diſtingui à fundamento, & termino rei naturalis ad ſupernaturalia naturalis eſt diſput. 5. num. 24. pag. 18. Relatio diuina *non eſt realiter natura* eſt propoſitio hæretica diſp. 14. num. 337. pag. 72. In nullo ſenſu Catholico poteſt dici: *Relatio non eſt natura* diſp. 14. num. 36. pag. 71. Vna relatio non eſt omne id quod identificatur cum natura diſp. 15. num. 5. pag. 80. Realiter eſt eſſentia ſed non de eſſentia diſp. 17. num. 7. pag. 133. Cur de relatione ſola non dicantur contradictoria diſp. 15. num. 189. pag. 122. Quæ diuerſitas ſit inter relationem, & eſſentiam immediate diſput. 15. num. 190. pag. 122. Relatio quo pacto dicat aliquid plus quam eſſentia diſp. 15. num. 192. pag. 123. Cur dicatur *conſtituens* & non *conſtitutum* ſicut Perſona diſputat. 15. num. 194. Cur *multiplex* dicatur, quin hoc prædicatum cadat ſupra eſſentiam diſp. 15. num. 194. pag. 125. Cum omni prædicato poſitiuo Relationis identificatur eſſentia, ſecus cum negatiuo diſp. 15. num. 195. pag. 125. Cur relatio dicatur proprietas naturæ diſp. 15. num. 209. pag. 127. Relatio verbi non eſt cognitio formalis diſpur. 35. num. 7. pag. 285. Eſt obiectum formale diuinæ volitionis diuina relatio diſp. 71. num. 4. pag. 467. Deus pro priori ad relationes poteſt gaudere in ipſis diſp 71. num. 8. pag. 467. An poſſit Deo aduenire in tempore relatio intrinſeca quæſt. 13. num. 26. An relationes in tempore Deo ſint reales, vel rationis quæſt. 13. num. 25. An aliqua relatio volentis poſſit incipere in tempore quæſt. 13. num. 27. Relatio diuina ratione ſui non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex diſput. 36. num. 10. pag. 291. Relatio tranſcendentalis quando ſufficiat vt ipſa cognoſcatur terminus diſput. 22. num. 29. pag. 189. & diſp. 32. num. 8. pag. 271. Vide diſtinctio.

Religio.

Veritas Religionis licet euidenter non appareat non tamen relinquit probabilem partem oppoſitam diſput. 13. num. 5. pag. 53.

Reſtrictio mentalis hominibus licita non eſt quæſt. 1. num. 169.

Reuelatio.

Supernaturalis ſimpliciter non eſt neceſſaria ad cognoſcendas veritates pure naturales quæſt. 1. numero 6. Abſque reuelatione non poſſunt omnes ſciri ibid. abſque fidei reuelatione nulla ſcientia eſt vnde quaque certa in via quæſt. 1. num. 7. In reuelatione fidei aliqua cognoſcuntur ex vi ſignificationis communis aliqua ex vi obiecti diſp. 8. num. 8. pag. 27. Vis ſignificandi in reuelatione fidei eſt varia pro varatione audientium ibidem. Reuelatio vt faciat veritatem de fide debet eam ſignificare non ſolum ex parte obiecti, ſed etiam

ex parte modi diſp. 8. num. 11. & ſeqq. pag. 27. Quomodo reuelatio vniuerſalis ſufficiat ad aſſenſum fidei circa obiectum ſingulare diſp. 8. num. 16. & ſeqq. pag. 28. Quid quando ſingulare obiectum ſolum eſt notum certitudine morali diſp. 8. num. 20. & ſeqq. pag. 28. Veritas reuelata eſt ſubiectum Theologiæ ſecundum ſe conſideratæ diſput. 10. num. 10. pag. 32. Reuelatio eſt obiectum formale Theologiæ, ſed non vnicum, & adæquatè per ſe ſufficiens diſp. 10. num. 15. & ſeqq. pag. 33. Termini reuelationis dupliciter applicari poſſunt diſp. 10. num. 21. pag. 34. Quando terminorum applicatio non variet motiuum reuelationis, quando variet diſp. 10 num. 21. & ſeqq. pag. 35. Reuelatio dupliciter dicitur virtualiter eſſe de aliquo: *ex parte modi, ex parte rei,* diſp. 10. num. 25. pag. 35. Quæ reuelatio virtualis ſufficiat ad fidem diſp. 10. num. 25. pag. 35. Quomodo credatur per fidem diſp. 13. num. 45. pag. 62. Vide Fides, & Theologia.

S.

Sacra Scriptura.

SAcræ Scripturæ quis ſit ſenſus, qualiterque illo vtatur Theologia diſput. 11. num. 1. & ſeqq. pag. 35. Vtrum ſub vna litera ſacræ Scripturæ ſint plures ſenſus, & quot? diſp. 11. num. 1. & ſeqq. pag. 35. Eſſe plures ſenſus eſt de fide, ib. Et quæſt. 1. num. 166. Cur ſpeciale hoc ſit Sacrarum litterarum diſp. 11. num. 8. pag. 36. Senſus Scripturæ ſacræ adæquatè diuiditur in litteralem, & ſpiritualem, ibid. Senſus accommodatitius An diſtinguantur à litterali, & ſpirituali v g. 1. num. 171. diſput. 11. num. 5. pag. 36. Senſus accommodatitius, vt pure talis non eſt ſenſus verus ſacræ Scripturæ diſp. 11. num. 6. pag. 36. In ſacra Scriptura vt non detur ſenſus pure accommodatitius? diſp. 11. num. 7. pag. 36. Omnis ſenſus accommodatitius honeſto fini applicatus eſt intentus à Deo in Verbis ſacræ Scripturæ, ibid. Poteſt aliquis verus ſenſus Scripturæ eſſe ignotus ipſi Scriptori ſacro diſp. 11. num. 7. & pag. 36. De ſenſu litterali quis, & quotuplex? diſputat. 11. num. 8. & ſeqq. pag. 37. An ſub vna littera poſſint eſſe plures ſenſus litterales v.g. 1. num. 172. diſputat. 11. num. 11. & ſeqq. pag. 37. Nullum Verbum eſt in Scriptura ſine ſenſu litterali diſput. 11. num. 11. pag. 37. Quis ſit ſenſus litteralis diſput. 11. num. 8. pag. 37. Diuiditur in proprium, metaphoricum, & parabolicum diſputat. 11. num. 9. pag. 37. Litteralis ſenſus aliquando ſumitur pro grammaticali diſputat. 11. num. 8. pag. 37. Sub vna littera poſſe dari plures ſenſus litterales, vt probabilius tenendum eſt, ſed non vt de fide diſputat. 11. num. 13. pag. 38. Æquiuocus ſenſus in Scriptura non datur diſputat. 11. num. 14. pag. 38. Sæpe tamen dubius eſt in Scriptura ſenſus litteralis, ibid. Innumeri ſenſus litterales probantur ſub vno Verbo Scripturæ diſput. 11. num. 15. pag. 38. Senſus litteralis ſæpe confunditur cum ſpirituali, ibid. Quis ſit ſenſus Myſticus, ſeu ſpiritualis diſputat. 11. num. 16. pag. 38. Triplex eſt Allegoricus, Tropologicus, Anagogicus, ibid. Hæc diuiſio accommodatur litterali ſenſui diſputat. 11. num. 17. pag. 39. Senſus Myſticus quomodo debeat fundari in litterali diſput. 11. num. 18. pag. 39. Sub ſenſu litterali de fide eſt ſæpe contineri ſpiritualem diſp. 11. num. 19. pag. 39. Non tamen ſemper, ibid. Omnis bonus ſenſus intentus eſt ab Spiritu ſancto, ibid. Sed non ab Scriptore Canonico, ibid. Senſus Allegoricus datur quandocumque vna res ſignificata eſt figura alterius futuræ diſp. 11. num. 20. pag. 40. Anagogicus figurat rem faciendam in quolibet ſtatu alterius vitæ, ibid. Allegoria alia *Sermonis*, alia *facti*, ibid. Quis ſenſus ſit efficax ad arguendum in Theologia d. 11. num. 21. pag. 40. Omnis clare intentus ab Spiritu ſancto, ibid. Maxime litteralis, ibid. Quo pacto ex ſenſu Myſtico poſſit ſumi efficax argumentum diſputat. 11. num. 23. pag. 40. Senſus litteralis per ſe eſt efficax, ſecus Myſticus vt talis diſput. 11. num. 25. pag. 40. In vna littera vt ſolitariè accepta, niſi veſtiatur aliis nunquam eſt de fide quod ſit duplex ſenſus litteralis diſputat. 11. num. 26. pag. 40. Quod narrat ſacra Scriptura vt dictum ab alio quo pacto ſit de fide, ibid. Quomodo intendat ſacra Scriptura omnes ſenſus Myſticos diſputat. 11. num. 27. pag. 41. Senſus per accommodationem qualiter ſeruiat argumentationi Theologiæ diſputat. 11. num. 28. pag. 41. Nil probat directe, ibid. Scriptura ſacra non vtitur neceſſario metaphoris quæſt. 1. num. 159. pag. 512. Vtitur metaphoris rerum Corporearum quæſt. 1. num. 162. pag. 512. Scripturæ ſacræ proprium eſt ſub vna littera plures ſenſus continere q. 1. n. 165. pag. 513. Scripturæ Verba non poſſunt admittere reſtrictionem mentalem quæſt. 1. num. 168. pag. 513. Quomodo debeant aliqua ipſius verba intelligi quæſt. 1. num. 169. pag. 513. Scripturæ ſacræ quotuplex ſit ſenſus quæſt. 1. num. 170. pag. 514. Quot ſint ſenſus ſpirituales quæſt. 1. num. 173. pag. 554. Quomodo Theologia Scripturæ ſenſibus vtatur quæſt. 1. num. 174. pag. 514.

Sanctitas.

Sanctitas ſumma repugnat peccato virtualiter intrinſece tali diſputat. 15. num. 88. pag. 122.

Sapientia.

Sapientia quid ſit, & quas conditiones requirat q. 1. n. 113. p. 135. Sapientia Dei poteſt diuidi per rationem in plures formalitates diuinas, non tamen in plures ſapientia diſp. 15. n. 34 p. 135. Vide Dei ſcientia.

Satisfactio.

Satisfactio pro mortali implicat eſſe connaturalis ſubſtantiæ pure creatæ, ſed non accidenti diſputatione 20. num. 88. pag. 160.

Scientia.

Scientia practica, vel ſpeculatiua quid requirant, quidue illis ſufficiat quæſt. 1. nu. 85. & ſeqq. & num. 81. pag. 499. Habitus idem poteſt eſſe ſimul practicus, & ſpeculatiuus, non tamen habitus ſcientiarum quæſt. 1. num. 90. pag. 500. Scientiarum diuerſitas vnde ſumenda quæſt. 1. num. 55. pag. 494. Poſſint diuerſificari ſcientiæ per abſtractionem à materia, ſi bene explicetur abſtractio quæſt. 1. num. 63. pag. 498. Obiectum praxis debet eſſe operabile à cognoſcente qu. 1. num. 94.

num. 94. pag. 496. Subiectum ſcientiæ vt tale per ſe continet omnes veritates ſcientiæ quæſt. 1. num. 123. pag. 506. Veritates ſcientiæ non opus eſt limitari ad vnum per ſe ſubiectum quæſt. 1. num. 113. pag. 506. Tam manifeſtum eſt quod in Deo ſit, quam ipſa exiſtentia Dei diſput. 34. num. 1. pag. 228. Primus, & notiſſimus conceptus de Deo eſt ſapientia diſput. 34. num. 2. pag. 228. In Deo eſt ſcientia vt ſic formaliter, noſtra tamen ſcientia eminenter ibid. Quo pacto poſſit ſimplex qualitas licet ad plures actus ſpecie diuerſos ex obiecto formali extendatur diſputat. 9. num. 9. pag. 50. Scientia quin progrediatur proprios terminos quo titulo agere poſſit de pluribus non ſpectantibus ad eius ſubiectum diſput. 10. num. 7. pag. 32. Scientiæ naturales continentur in Theologia diſput. 10. num. 13. Cur in ſe connexæ ſint; in Theologia vero in vnum ſubiectum ordinentur diſputat. 10. num. 13. pag. 33. In quo conſiſtat eſſe *motiuum* ſcientiæ diſput. 37. num. 1. & ſequent. pag. 294. Debere eſſe ſcientiam à ſuo motiuo cauſaliter, & in entitate proponitur, & reiicitur diſp. 37. num. 2. & ſequent. pag. 294. Implicat aſſenſus ſcientiæ ſine motiuo diſp. 37. num. 5. pag. 294. Sed non ſine eo, à quo entitatiue ſit. diſput. 37. num. 6. pag. 295. Securitas ſcientis non ſemper innititur motiuo diſput. 37. num. 7. pag. 295. Motiuum ſciendi ita eſt ratio ſciendi, vt omni alio ignorato per ſe ſufficiat actui ſcientiæ diſput. 37. num. 8. & 9. pag. 295. Scientia non habet connexionem cum ſcito, ſicut cum ſciente diſp. 37. num. 31. pag. 298. Scientia futurorum in ſe ipſis omni imperfectione caret diſput. 53. num. 13. pag. 356. Talis ſcientia nulli falſitati expoſita eſt diſput. 53. num. 15. pag. 356. Deus poteſt diſtinguere per ſuam ſcientiam vnum indiuiduum ab alio quæſtione 14. num. 41. pag. 591. Dei ſcientia non eſt diſcurſiua nec ratione noſtra quæſt. 14. num. 49. pag. 593. Scientia ſimplicis intelligentiæ omnium productionum antecellit quæſt. 14. num. 51. Duplex datur in Deo ſcientia viſionis, alia antecedens, alia formaliter conſequens quæſt. 14. num. 59. pag. 594. Scientia viſionis vt diſtincta ab omni decreto eſt conſequens quæſt. 14. num. 61. pag. 595. An Deus cognoſcat mala culpæ quæſt. 14. num. 79. pag. 597. An peccatum cognoſcatur à Deo per oppoſitionem cum bono creato quæſt. 14. num. 80. pag. 597. Deus actu infinita cognoſcit quæſt. 14. num. 92. pag. 599. Cognoſcit etiam omnia poſſibilia collectiue quæſt. 14. num. 96. pag. 600. Non cognoſcit ſuas volitiones vt futuras quauis admiſſa hypoteſi diſtinctionis quæſt. 14. num. 113. pag. 602. Ratione noſtra poteſt eas vt futuras ſcire quæſt. 14. num. 114. pag. 602. An ſcientia viſionis ſit prior prioritate à quo decretis liberis quæſtione numero. 118. pagina 602. Vt ſit intuitiua non requiritur quod exiſtentia in eodem ſigno cum ſuo obiecto quæſtione 14. numero 119. pagina 602. Decreta libera diuina non poſſunt procedere à ſcientia viſionis de ipſis. quæſt. 14. num. 120. pag. 603. Quam certo ponenda ſit in Deo ſcientia futurorum contingentium conditionatorum quæſt. 14. num. 123. pag. 604. Abſolute dicenda eſt media quæſt. 14 num. 124. pag. 603. An admittenda ſit in Deo ſcientia ſub conditione diſparata neceſſaria vel impoſſibili quæſt. 14. num. 127. & ſequent. pag. 604. An Deus habeat ſcientiam conditionatam ante decretum liberum ſuæ voluntatis quæſt. 14. num. 130. pag. 605. Hæc futura in ſeipſis cognoſcuntur quæſt. 14. num. 139. pag. 606. An poſſit cognoſci in aliquo medio poſitiuo ab ipſis diſtincto quæſt. 14. num. 142. pag. 607 Hæc futura in cauſa creata cognoſci nequeunt quæſt. 14. num. 147. pag. 607. An licet non in cauſa, at in aliquo ab ipſis diſtincto cognoſci valeant quæſt. 14. num. 150. pag. 609. Poſſunt etiam cognoſci in aliquo prædicato phyſico diuino conſequenter ad ipſam operationem quæſt. 14. num. 155. pag. 609. An Deus cognoſcat ſua decreta conditionate futura quæſt. 14. num. 156. pag. 616. Scientia media non eſt formaliter libera libertate electionis quæſt. 14. num. 157. pag. 610. Nunquam eſt poſterior ſe vllo decreto libero, licet quaſi per accidens poſſit quæſt. 14. num. 160. pag. 610. An dirigat collectionem auxiliorum quæſt. 14. num. 163. pag. 611. Poſſibilis eſt ſcientia media reflexa, quæſt. 14. num. 164. pag. 611. Cuius diuiſionis compoſitionis Deus ſit incapax in intelligendo quæſt. 14. num. 168. pag. 612. In Deo datur ratione noſtra ſimplex apprehenſio, ſecus realiter quæſt. 14. num. 172. pag. 612. An ſcientia Dei varietur ſecundum denominationes præſentis, præteriti, & futuri quæſt. 14. num. 174. pag. 613. Quoad nullum modum poteſt incipere in tempore quæſt. 14. num. 175. pag. 613. Non eſt practica reſpectu diuinæ eſſentiæ quæſt. 14. num. 177. pag. 613. Eſt practica reſpectu diuinorum actuum quæſt. 14. num. 178. pag. 613. Non eſt practica reſpectu productionis Verbi vel Spiritus ſancti quæſt. 14. num. 179. pag. 613. Scientia viſionis non eſt practica reſpectu ſui obiecti quæſtione 14. num. 180. pag. 614. Secus ſcientia conditionata quæſt. 14. num. 181. pag. 614. Scientia Dei erga impoſſibilia practica non eſt quæſt. 14. num. 182. pag. 614. Indirecte ſaltem practica eſt circa peccatum; ſecus directe quæſt. 14. num. 182. pag. 614. Vide Dei ſcientia.

Scotus.

Manifeſte explicat inter attributa dari aliquam diſtinctionem ex natura rei maiorem quam rationis diſput. 14. num. 27. pag. 709. Eius diſtinctio inter attributa comparatur cum diſtinctione Gilberti Porretani diſput. 14. num. 36. pag. 72. Quid de impoſſibilitate ſubſtantia ſupernaturali ſenſerit diſput. 20. num. 8. p. 157.

Senes.

Vnde in ſenibus vigeat diſcurſus diſp. 21. num. 39. pag. 181.

Senſus.

Spiritualium perceptiuus an ſit poſſibilis diſput. 21. num. 26. & ſequent. pag. 179. Rationes pro eius repugnantia diſput. 21. num. 27. pag. 179. Senſus quid ſit ibid. Quod differret à noſtro intellectu diſput. 21. num. 29. pag. 179. Eſſet immortalis ſed non ſpiritualis ibid. Stando præciſe rationi non apparet omnino repugnans, iſte ſenſus diſputat. 21. num. 30. & ſequent. pag. 180. Non repugnat ſenſum pendere à materia licet eius obiectum non dependeat diſputat. 21. num. 32. pag. 180. Si actus dependeat à materia, licet eius potentia à materia non dependeat ibid. Iſte materialis nec diuinitus poſſet

ſeruite animæ noſtræ diſput.21. num. 41. pag. 182. Internus magis differt ab externo quam intellectus noſter ab alio poſſibili pure abſtractiuo diſputat.22.num.10.pag. 185. Vide oculus: materialis potentia: viſio.

Simitudo.

Non ſemper eſt mutua diſputat. 32. num. 21. pag. 273. Similitudo intentionalis in natura non eſt ſufficiens generationi diſp.15.num.172. pag.173.

Simplex.

Vna res ſimpliciter poteſt æquiualere pluribus efficienter, ſed non formaliter diſputat. 15. n. 163. pag.120.

Species.

Species expreſſa & Verbum idem ſub diuerſo reſpectu diſputat.23.num.1. pag. 193. Species impreſſa nequit producere viſione maiori claritatis & conformitatis cum obiecto quam faceret obiectum ipſum ſi per ſe concurreret diſp. 23. num.15.pag.196. Dei ſpecies impreſſa ſi ſemel ſit poſſibilis probabile eſt dari de facto & neceſſario diſp.24.num.8.pag.207. & ſeq. Species expreſſa datur in viſione Dei diſputat. 23. num. 7.& ſeq. pag.194. Abſolute tamen neganda eſt de facto diſputat.24.num.11.pag. 195. & quæſt. 12.num.514. Speciei munus diſputat.26.num. 6.pag.222. diſputat.25.num.7. pag.212.diſputat. 24.num. 23. 13. pag. 20. Deus ſufficienter eſt proportionatus vt concurrat ad ſui viſionem obiectiue & per modum ſpeciei diſput.24. num. 15.pag. 208. Species impreſſa ad viſionem de facto reiicitur diſp.24.num.13. pag. 208. & ſeq. Deus in mente ſine ſpecie concurrit obiectiue in ſui viſionem vti ſine impulſu in mente mouet corpora diſputat.24.num.16.pag.208. Species titulo concurſus præſtandi non exigit vnitatem cum potentia diſputat. 24. num. 17. pag. 208. Cur ſpecies non ſit ſatis proportionere potentiam, ſed ſe teneat pure ſex parte obiecti diſputat.26.num.4.pag.20. diſp. 24. num. 24. & ſeq. pag.20. Quando cenſetur potentia proportionata in ratione potentiæ vt ſolo indigeat concurſu obiecti diſputat.24.num.25.pag.210. Improportio ſimpliciter ex parte potentiæ nunquam tollitur ab ſpecie licet tollatur improportio ſecundum quid diſput.24. num. 27. pag.210. Cur ſpecies intuitiua ſola cum intellectu ſufficiat ad viſionem naturalem, ſupernaturalis vero non ſufficiat ad ſupernaturalem diſputat. 24. num. 28. pag. 210. Species ſolum ſecundum quid eſt eiuſdem ordinis cum obiecto diſput.25. num.3.pag.211. Species quomodo ſit eiuſdem immaterialitatis cum obiecto diſput.25. num. 4. pag. 212. Implicat Deum videri per ſpeciem creaturæ non tamen per ſpeciem creatam diſp. 25.num.5. pag. 212. Species intuitiua non ideo foret comprehenſiua diſp. 25. num. 6. pag. 212. Species non tollit quin Deus ſit purus actus diſputat.15.num.7.pag. 212. Cur poſſit ſpecies addi ſubſtantia proxime intelligibili non vero habitus vel potentia diſtincta proxime intellectiuæ diſputat. 25.num.9. pag. 213. Quidquid concurrit modo per ſe ſufficienti vt iam neceſſarius non ſit concurſus obiecti vere induit rationem ſpeciei impreſſæ diſput. 25. num. 10. pag.213. Species non probatur impoſſibilis eo quod alias minueret dominium Dei diſputat.25. num.12.pag.213. Vere ratio repugnantiæ diſp. 25.num.13. & ſeq. pag.214. Quia repugnat entitas creata per ſe ſufficiens ad concurrendum etiam in Deo non concurrente obiectiue ſicut adbeandum ſine Deo diſputat.25. num. 14.pag. 214. Stante eadem ſpecie eodem modo repræſentabitur obiectum ſiue exiſtat phyſicè ſiue non diſputat.25. num. 15. pag. 214. Dei debet eſſe proprium tantam delectionem & ſatiationem parere quanta non poteſt dari ſine ipſo diſp.25. num.16. pag. 214. Data ſpecie noſtra beatitudo eſſet phantantiſca diſputat.25. num. 18. pag. 215. Viſio non foret ſummè chara diſputat.25. num.20.pag. 215. Nec partialiter poteſt concurrere obiectiue in viſionem Dei qualitas creata ſeu ſpecies diſput.25.num.34. pag 218. Species impreſſa Dei impoſſibilis præ ſpecie Angeli reſpectu ſui ipſius diſputat.25.num.42.pag. 229. Impoſſibilis eſt intuitiua Dei licet non repugnet abſtractiua quidditatiua diſputat. 25. num. 43. pag. 229. Poſſibilis eſt ſpecies immediata de Deo & ſic quidditatiua abſtractiua, non tamen quidditatiua ſtricta diſputat.26. num. 14. & qu. 12.num. 15. & ſeq. pag.223. Probatur ſpecies poſſibilis, abſtractiua & immediata omnino diſp. 26.num.22.pag.225. Propria quæ dicatur diſp. 26.num.23.pag.225. Comprehenſiua Dei ſpecialiter repugnet diſputat.26.num.32. pag. 228. Species quidditatiua abſtractiua Dei An ſit poſſibilis, vide cognitio immediata de Deo. Datur nouitas actuum ex obiecto formali quæ non in nouum habitum, ſed in nouam ſpeciem impreſſam redducta eſt diſputat. 9. num. 8. pag.30. Quando reducenda ſit in ſolum habitum & non in ſpeciem diſp.9.num.9.pag. 30. Si eſt poſſibilis ſpecies impreſſa de facto dabitur quæſt. 12. num.13. pag.46. An eſſentia diuina vt cognita poſſit eſſe ſpecies ad videndas creaturas qu. 12.num.27.pag.50. Vide lumen, & viſio.

Speculum.

Beatorum quo pacto ſit Deus diſputat.32. num.21. pag. 311. *Speculi* notiones variæ diſputat.42. num.18.pag.311. Deus non eſt dicendus ſpeculum reſpectu ſuæ ſcientiæ diſputatione 42. num. 17.pag.311.

Spes.

An detur in Deo quæſt.20.§.13.pag.652.

Spiritus.

Non intellectiuus An poſſibilis diſp. 34. num. 5. pag.281. ſeq. An bene ex immaterialitate probetur vis cognoſcendi, ibid. Ordo ſpiritualis eſt perfectior materiali ex genere ſuo diſputat. 34.num.14.pag.282. Non poteſt eſſe perfectior niſi fundetur in maiori perfectione cognoſcendi, ibid. Spiritus mortalis ſi eſſet poſſibilis imperfectior foret cognoſcitiuo materiali immortali diſput..34.num.22.pag.284. Super materiale ſeu ſpirituale neceſſario eſt intellectiuum diſput. 34. num. 15. pag. 282. Quomodo cognoſcatur quidditatiue in via ſpirituale diſp. 12.num. 21. pag. 48. Poteſt aliquid prædicari ſub ſpecie rei ſpirituali, ſicut è contra ſub ſpe-

cie

tie corporis prædicamus de Spiritu quæſt. 1. num.62. pag.57. Vide *Immateriale*.

Spiritus S.

Ne ſit filius non eſt opus quod negetur ex natura rei procedere per intellectum diſp.15. num.168. pag.117. Explicatur cur non ſit filius diſput.15. num. 169. pag. 117. ſequent. Quantumuis non procederet à filio eius proceſſio non eſſet generatio, ſicut proceſſio filij diſp.15.num.173.pag. 118. Quo pacto ſit de ſubſtantia Patris diſp. 15. num.211. pag.228. Spiritus S. procedere debet per naturam completam diſput.58. num34.pag. 393. Vi Proceſſionis non oritur imperfectior filio. ibid.

Subſiſtentia.

Supernaturalis creata implicat diſput. 20. num.88. pag. 173. Naturalis quæ identificetur cum natura creata implicat quæſt.3. num.18.pag.529. Quid addat ſupra naturam in Deo quæſt. 3. numero 16. pag. 529. An eſſentia diuina habeat ſubſiſtentiam abſolutam quæſtione 3. num. 17. pag. 529.

Subſtantia.

Quæ non exiſtat per ſe implicat etiam de poſſibili diſp.34. num. 18. pag. 283 Subſtantialis forma ſupernaturalis implicat diſp. 20. num. 89. pag. 173. Cur potius repugnet quam forma accidentalis ſupernaturalis diſp. 20. num. 90. pag. 173. Quo differat forma ſubſtantialis ab accidentali diſp.20. num.90. pag.173. Actus ſeu forma vt ſubſtantialis ſit neceſſario dicit ordinem ad ſubiectum cui connaturalis ſit diſp.20. num.91. pag. 174. Nulla eſt ſubſtantia creata cui ratione vnionis hypoſtaticæ non adueniret nouum donum phyſicum alias indebitum per modum proprietatis ad vnionem, ſicut & nouum per modum premij diſput. 20. num. 44. & ſequent. pag.164. Subſtantiæ ſuperioris ordinis debentur operationes ſuperioris ordinis diſput.20.num.47. pag. 144. Subſtantia omnis pure creata eſt eleuabilis ſemper ad operationes ſupra ſe diſp.20. num.74. pag. 168. Vide *Supernaturale*.

Succeſſio.

In rebus per *eſſe*, & *non eſſe* intrinſecum ſui euenit & non ſolum per modos durationis diſput.48. num.16. pag.333. Vide *duratio*.

Supernaturale.

Nequit naturaliter produci ſuper effectus diſp. 21. num. 11. pag. 176. Subſtantia ſupernaturalis creata implicat diſp.20. per totam pag. 155. Supernaturale an poſſit naturaliter cognoſci vt poſſibile diſput.22. num.20. pag. 187. Sine ſupernaturali auxilio nequeunt videri aliqua naturalia diſput.27. num. 20. pag. 235. Supernaturalitati non obſtat concurſus immediatus naturæ diſput. 28. num. 30. pag. 242. Ex inæqualitate naturæ non creſcit ſupernaturale prædicatum diſput.29. num.14. pag.251. Non omnia prædicata rei ſupernaturalis ſunt formaliter ſupernaturalia diſput.29. num.16. pag. 251. Supernaturale quid diſput. 19. num. 1. Quid natura quam excedit diſput.19. num. 2. pag. 147. Supernaturale neceſſario eſt ſupra vires adæquate actiuas naturæ diſput. 19. num.3. pag. 147. Poteſt actio eſſe ſupernat. licet effectus naturalis ſit diſput.19. num.4. pag.148. Ordo ſupernaturalis ex genere ſuo perfectior eſt naturali, ſed non in ſingulis indiuiduo diſp.19. num. 5. pag. 148. Ratio *indebiti* non arguit ſupernaturalitatis Theologicæ excellentiam diſp. 19. num. 20. pag. 149. Variæ explicationes de ente ſupernat. reiiciuntur diſp. 19. num.9. pag. 149. ſequent. Poteſt res naturalis connecti cum ſupernaturali vt poſſibili diſp. 19.num.9.pag.149. Supernaturalitas duplex poſitiua, & negatiua diſp. 19. num.24. & ſequent. pag.151. Supernaturale ſtricte eſt quidquid per modum quaſi proprietatis ad eſſe diuinum in aliquo ſtatu mediate vel immediate conſequitur diſput.19. num.26. pag. 152. Ordo ſupernaturalis eſt ordo diuinus diſput. 19. num.28. pag.152. Cur dicatur participare diuinam naturam diſp. 19. num. 29. pag.153. Fides ſupr. quomodo ſequatur ad eſſe diuinum diſput. 19. num.32. pag. 153. Deus & omnia eius attributa ſunt ſupernaturalia entitatiue diſp. 19. num. 30. pag. 153. Character quomodo ſequatur ad eſſe diuinum vt ſupernaturalis ſit diſp.19.num.33.pag.154. Et vbicatio Euchariſtica ibid. Et Actus liberi Charitatis diſp.19.num. 34. pag.154. Cur non creatio Animæ diſput.19.num.35.pag.154. Perfectio aliqua vt ſit ſupernatural. debet manere in ſuppoſito diuino ibid. Supernaturalitas donorum naturæ irrationalis defenditur diſp.19. num. 36. pag.154. Quæ ſupernaturalitas ſit in perſeitate Accidentium Euchariſtiæ diſput. 19.num.37.pag. 154. Supernaturale quoad modum, & quoad ſubſtantiam diſp. 19. num.38. pag.155. Qui, & quibus ſentiant ſubſtantiam ſupernat. creatam poſſibilem diſp.20.num.1. ſequent. pag.172. Qui negent diſp.20. num.7. pag. 154. Nil eſt ſupernaturale cui formaliter, vel æquiualenter non ſit connaturalis, gratia ſanctificans diſput. 20. num.11. ſequent. pag.157. Subſtantia ſupernaturalis rationalis neceſſario identificaretur cum gratia diſput. 20. num. 13. pag. 157. Rationali eſſet connaturalis vnio hypoſtatica diſp. 20. num.12. pag. 157. Cur repugnet ſubſtantia ſupernaturalis pure creata diſp.20. num. 22. pag.159. ſequent Nullum donum eſſet proprium Chriſto ſi gratia debita ſit puræ creaturæ diſp. 20. num.33. pag. 161. Subſtantiæ ſupernaturalis ordinis debent correſpondere in eſſendo & in operando perfectiones ordinis ſupernaturalis diſputat. 20. num. 47. pag. 164. Subſtantia creata non poſſet identificare gratiam, bene tamen illam in entitatiua perfectione ſuperare diſput.20. num.50. pag. 165. Si vel minima gratia eſſet connaturalis puræ creaturæ eſſet etiam maxima diſput. 20. num 51. pag.165. Prorſus deſtruitur ſupernaturalitatis conceptus ſi debetur vlli ſubſtantiæ creatæ diſputat.20. num.69. pag. 169. Subſtantia ſupernaturalis neceſſario eſſet impeccabilis diſputat.20. num.79. pag.171. eoque titulo implicat ibi. Cur ſupernaturale donum poſſit eſſe connaturale accidenti creato, & non ſubſtantiæ diſputat. 20. num. 84. pag. 172. Supernaturale ſimpliciter dicitur in ordine ad naturam creatam diſputat.20. num.87.pag. 73. Actui ſecundo ſupernaturali, qui actus primus connaturalis correſpondeat ibid. Cur potius

 ſubſtan

ſubſtantia modalis creata, quam abſoluta poſſit eſſe ſupernaturalis diſputat. 20. num. 88. pag. 173. Supernaturale immateriale repugnat quod non ſit intellectiuum diſputat.34.num.21. pag.185. Quæ exigentia naturæ ſit contraria ſupernaturalitati diſputat. 5.num. 23. pag. 18. Quæ ſint capita arguendi ſupernaturalitatem in aliquo actu diſput.16.num.12.pag.132. Actus ſupernaturalis non poteſt eſſe pure probabilis diſputat. 3.num.1.pag.7. Licet deduci poſſit ex vna probabili dum ſit vera in re diſput. 3. num. 7. pag. 8. Supernaturalitas actus non venit ex ſupernaturalitate motiui diſput.3.num.9.pag.8. *Supernaturale* quem exceſſum dicat ſupra naturam diſputat.3.num.13.pag.9. Qualiter omne donum ſupernaturale ſit proprietas gratiæ diſp. 3.num.20.pag.10. Cognitio ſupernaturalis nequit eſſe falſa ex natura rei diſput.4.num.1.pag. 11. ſeq. Poteſt tamen concurrere in concluſionem falſam diſput. 4. num. 3. pag. 11. Nec de potentia abſoluta poteſt eſſe falſa diſput.4.num. 7.& ſeq. pag.12. Cognitio ſupernat. eſt quoddam miraculum in confirmationem ſui obiecti factum diſput.4.num.9.pag.12. Effectus quando ſit ſupernaturalis diſput. 5. num. 7. pag. 16. Poſſunt dari in natura vires adæquatè ad effectum qui per ſe & eſſentialiter pendeat à conditione ſupernaturali diſput. 5. num. 8. pag. 16. Poſſibile eſt peccatum eſſentialiter pendens à requiſito ſupernaturale, ſed non quod ſit ſupernaturale diſput.5.num.8. pag. 16. Quando ſupernaturalitas motiui arguat ſupernaturalitatem in cognitione ſui diſputat. 5. num. 11. pag. 17. *Supernaturale formaliter*, & ſupernaturale *præſuppoſitiue* diſputat.5.num. 13. pag.17. Supernaturalitati effectus non ſufficit eſſe indebitum naturæ niſi ſit indebitus defectu virium efficientium diſputat.5. num.22. pag. 18. Supernaturalis cognitio reflexiua ſi poteſt eſſe falſa de potentia abſoluta poteſt ex natura rei diſp. 33.num.5 .pag.274. Vide ſubſtantia.

Syllogiſmus.

Expoſitorius expenditur pro neceſſitate diſtinctionis realis in tertio ad verificandas enuntiationes contradictorias diſputat. 15. numero 127. pag.108.

T.

Temperantia.

AN detur in Deo quæſt. 21. num.9. pag. 657.

Scriptura. Theologica concluſio præmiſſæ naturali nititur vt motiuo formali, & non vt ſoli applicationi diſput. 10. num. 23. pag.34. Eſt reuelata virtualiter virtualitate rei, ſed non virtualitate modi diſputat. 10. num. 25.pag.34. Quid ſignificet vox *Theologia* quæſt. 1. num. 2. pag.34. Deducitur eius neceſſitas ex fidei neceſſitate quæſt.1.num.3. pag. 486. Non eſt abſolute ſcientia quæſt.1.num. 17. pag.488. Sed ſecundum quid quæſt.1.num.18.pag.488. Nulli ſcientiæ ſubalternatur propriè quæſt.1.num.25. & 28.pag. 490. An eujdens cognitio articulorum fidei Theologo viatori communicari poſſit quæſt.1.num. 30. pag. 490. Noſtra Theologia non eſt de facto in Beatis, bene tamen de poſſibili quæſt.1.num.33.pag.491. Etiam idem actus concluſionis, ibid. Theologia eſt vna ſimplex ſcientia quæſt.1.num.54.pag.494. Seruat eundem tendendi modum in ſuis actibus diſput.55. num.54.pag.494. Ita poteſt diſponi vt ſit habitus pure ſpeculatiuus vel pure practicus qu.1. num.80.pag.498. De facto quoad habitum ſimpliciter eſt ſpeculatiua quæſt.1.num.81.pag.498. Quoad actus æque eſt practica quæſt.1.num.84. pag.499. Qualiter ſit dignior ſcientiis naturalibus quæſt.1. num.99. pag. 499. Vt naturalis non eſt certior quæſt.1.num.100.pag.499. Sed vt ſupernaturalis quæſt. 1. num. 101. pag. 502. Poteſt eſſe perfectior habitu fidei quæſt.1. num. 104.pag. 503. Sed non eſt de facto æque certa quæſt.1.num.105.pag.503. Eſt certior aliis habitibus infuſis quæſt.1.num.106.pag.503. Quibus titulus ſit dignior ſcientiis naturalibus qu. 1.num.109.& 111. pag. 503. Vt practica dignior eſt ſcientiis ſpeculatiuis quæſt.1.num.112. pag.504. Eſt ſapientia quæſt.1.num. 515. pag. 504. In Deo ſpecialiſſime continentur omnes veritates Theologiæ, ſecus in aliis ſubiectis qu. 1.num.127. pag.507. Et in præced. Abſtractio ab omni euidentia eſt ratio *ſub qua* Theologiæ. Non vero aliæ rationes quæ referuntur quæſt.1. num. 132.ſeq. pag.507. Obiectum materiale Theologiæ eſt quidquid per reuelationem eſt cognoſcibile quæſt.1.num.134.pag. 508. Theologia eſt ſcientia argumentatiua quæſt. 1. num. 137. pag.508. Theologia in ſtatu perfecto nec ſcientia, nec opinio eſt ſed habitus medius; ſed in imperfecto pure opinatiuus quæſt.1.num.140. pag. 508. Loci Theologici quæſt. 1. num. 142. pag 509. Qualiter illis vtatur quæſt. 1. num. 143.pag.509. ſeq. Quas, & qualiter veritates fidei probet quæſt.1.num.151.ſeq. pag.510. Nequit ſoluere argumenta contra fidem per euidentiam ab intrinſeco, bene ab extrinſeco qu.1. num. 153. pag. 511. An ſcientia Dei ſit argumentatiua ſit quæſt. 1. num.. 156. pag. 511. & quæſt.14.num.46.pag.511.

Trinitas.

Admiſſa diſtinctione ex natura rei nullius myſterij eſt diſputat.14.num.40.pag.73. In materia de Trinitate illa doctrina ſuſpecta eſt quæ reddit facile intellectu myſterium diſput.15.num. 156. pag.109. Quid curandum in tradenda fide de Trinitate, ibid. In quo conſiſtat huius myſterij difficultas diſput.15.num.157. pag.114. Poteſt eſſe obiectum formale immediatum cognitionis naturalis diſput. 22. num. 11. pag. 185. Nos nequimus in medio naturali Trinitatem cognoſcere bene tamen Deus diſputat.39. num. 8.pag.30. Deum eſſe Trinum cur non ſit per ſe notum quoad ſe? diſputat. 13. num.5. pag.44. & 24. pag.46. Vide diſtinctio & dictatio.

Triſtitia.

An detur in Deo quæſt.20.num.19.pag. 653.

V.

Vbicatio.

COrporis Chriſti in Euchariſtia quomodo defendi poſſit ſupernaturalis d. 19. n.33. pag. 154. Vide Dei immenſitas.

Verbum

Verbum diuinum.

Verbum diuinum procedit per voluntatem diſput. 15.num.164.pag.116. Non probatur ſatis pertinere ad lineam intelligendi quamtumuis ex natura rei non procederet per voluntatem diſp. 15.num.165.pag.116. Vera explicatio licet oriatur per voluntatem. Vt ſit tantum in linea intelligendi diſputat.15.num.166.pag.116. Simpliciter dicendum quod procedat tantum per intellectum quia hæc propoſitio facit ſenſum formalem diſput.15.num.167. pag.117. Cur proceſſio filij ſit generatio diſputat.15.num. 167. & ſeqq.pag.117. Quo pacto verbum ſit ſimile toti eſſentiæ ſui principij præ Spiritu ſancto diſp. 15.num.170.pag.117. Verbum ſecundum notionale quod addit ad naturam non eſt cognitio formalis diſputat.15.num.171.pag.118. Eſt ſygillum, & ſplendor Patris, ibid. Volitio diuina non diſtinguitur virtualiter à cognitione diſp.15. num. 174.& ſeqq. pag. 118. Quo pacto ſine diſtinctione virtuali ſit verbi gratia principium volitionis diſputat.15.num.176. pag.119. Volitio non magis quam intellectio excluditur ab eſſentia rei diſputat.17.num.32.pag.139. In Verbo diuino cur dicantur creaturæ quidditatiue cognoſci diſputat. 23. num. 32. pag. 190. Non procedit per intellectum in actu primo, ſed per ipſam intellectionem eſſentialem diſputat. 37. num.27.pag.297. Verbum ſeu locutio Dei quo ſenſu ſit indefectibilis diſputat.33.num.17. pag. 276. Vide Trinitas.

Verbum mentis.

Verbum, & ſpecies expreſſa idem ſub diuerſo reſpectu diſputat. 23. num. 1. pag. 193. Verbum *quo, & in quo* diſputat.23.num.2.pag.193. Verbi munia varia reiiciuntur diſputat.23.num.19. pag.194. Quo ſenſu dicatur obiectum eſſe, & produci verbi in eſſe intelligibili diſputat. 23. num. 19.pag.196. Verbum *in quo* titulo abſentiæ obiecti non requiritur diſput. 23. num.19. pag.196. Diſcrimen inter verbum, & ſpeciem improbatur, ibid. Verbum in quo repugnat perfectioni viſionis diſput. 23. num. 21. & ſeq. pag.197. Beatitudo viſionis non conſiſterit in ipſo Deo, ſed in idolo diſputat.23. num 21. pag. 197. Repugnat eo quod nil creatum ſit ſufficiens ſimilitudo in quo eſſentia Dei cognoſci poſſit quidditatiue diſputat.23.num.23.& ſeqq. pag.197. Verbum ſeu ſimilitudo *in qua* debet aſſimilari phyſicè ſpecifice obiecto diſp.23.num. 24.pag.297. Ex verbo *quo* non licet inferre dari ſufficiens verbum *in quo* diſput. 23. num.28. pag. 198. Maxime differt à ſimilitudine, ſeu imagine phyſica diſputatione 23.num. 30. pag. 198. Verbum datur in viſione beata diſp. 23. num.33. Eius definitio ex Patribus diſput. 23. num.34.pag.199. Probatur maxime ex S.Thoma, & eius mens examinatur diſputat.23. num. 35.pag.199. Si non datur verbum non eſt neceſſarius concurſus ex parte obiecti diſput.23. num.36.pag.199.Verbum an ſit medium *in quo*, & quibus id probetur diſputat. 23. num. 38. & ſeqq. pag.200. Qualiter verbum *ſubiectiue* eſt ipſa cognitio formalis obiectiue ipſum obiectum exterius diſput.23. num. 41. pag. 201. Eſſe *obiectiuum* diſtinguitur in eſſendo ab ipſo phyſico obiecto exteriori diſputat.23.num. 42. pag. 201. In eſſendo, ſeu in eſſe rei identificatur cum cognitione diſputat.23.num.43.pag.201. Verbum datur etiam in viſione ſui ipſius diſputatione 23. num.46.pag.202. Verbum noſtrum multis diſſidet à diuino diſpur.23.num.54.pag.203. Verbum aſſumpſit ipſam vnionem naturalem, quæ intercedit inter corpus, & animam diſputat. 28. num.55.pag.205. Vide ſpecies.

Veritas.

Veritas eſt maxima perfectio cognitionis diſput.4. num.1.pag.11. Quo clarior vel entitatiue perfectior cognitio eo turpior, ibid. Veritas cognitionis quam conformitatem petat cum obiecto diſputat.15. num. 207. pag. 127. Vide *natura* à numero. Verum qualiter dicatur eſſe motiuum intellectus diſputat.22.num.23.pag. 188. Intellectus præ oculo bene probatur aptus vt videat Deum diſputat. 22. num. 23. pag 188. & ſeqq. Veritas eſt intrinſeca cognitioni quæſt.16. num. 2. pag. 617. Actus poteſt mutari de vero in falſum quæſt.16.num.3.pag.618. Veritas non eſt ſubiectiue tantum in intellectu quæſt. 16. num. 6. pag. 618. Veritas nil eſt aliud quam actus in recto, & obiectum in obliquo quæſt.16. num.8. pag. 618. Datur aliqua veritas in ipſis rebus quæſt.16.num.9. pag.618. Veritas abſolute præciſe datur in actu iudicij quæſt 16. num. 12. pag. 619. Si veritas apprehenſioni concedatur eadem ratione falſitas eſt concedenda quæſt.16.num.15. pag. 619. Veritas tranſcendentalis explicanda eſt per cognitionem alterius apparenter talis quæſt.16.num.19.pag.620. Quo pacto bonum ſit prius, quam verum qu. 16.num.223.pag.621. An omnia dicantur vera veritate diuina? quæſt.16.num.28.pag.621. An veritas intellectus ſit ſolum in Deo? quæſt. 16. num.29. pag. 641. Nulla veritas formalis creata fuit ab æterno quæſt. 16. num. 32. pag. 622. Nulla veritas creata obiectiua fuit ab æterno quæſt.16. num.32. pag. 622. Veritas obiectiua condiſtincta à Deo aliquo pacto admittenda eſt æterno quæſt.16.num.32. pag.622. An ita veritas creatæ cognitionis immutabilis, vt nequeat tranſire de vera in falſam quæſt.16. num. 35.pag.622. Vide falſitas, & propoſitio, & Dei veritas.

Virtus.

Virtus in Deo non eſt habitus, ſed actus diſput.35. num.27. pag. 288. Virtutes morales non licet negari Deo diſputat.71.num.2. pag. 288. Laudabilis Deus in exercitio virtutum in ſpecie ſumptarum diſputat.72. num. 10. pag. 469. Et etiam in genere diſput. 22. num. 11. pag. 470. Vide Dei virtutes. Virtutes morales an dentur in Deo omnes quæſt. 21. num. 4. pag. 288. Et quæ dicunt ſummiſſionem quæſt.21.num.10.

Viſio.

Viſio non poteſt probari ſupernaturalis ſi ſubſtantia pure creata ſit ſupernaturalis diſputat. 20. num.71. pag.157. Non ſolum hæc determinata viſio Dei, ſed omnis viſio Dei eſt ſupernaturalis diſputat. 20. num. 72. pag. 159. Vtrum poſſibilis ſit viſio Dei per potentiam corpoream diſp.21.

diſputat. 21.num.1. & ſeqq.pag.176. Vide ſenſus. Non minus implicat Deus videri oculo corporeo, quam ob fieri diſput. 21. num.1.pag. 174. An ſit digna cenſura opinio contraria diſputat. 21. num. 2. & ſeq. pag. 174. Oculus nec viſione ſpirituali poteſt videre Deum diſp. 21.num.4.pag.175. Non poteſt potius eleuari ad videndum Deum, quam poſſit lapis diſputat. 21.num.4.pag.175. Phyſica potentia obedientialis non debet eſſe limitata ne poſſit eleuari vltra naturalem ſphæram, licet ſit limitatus oculus coporeus diſputat. 21. num.7. pag. 175. Licet phyſica foret limitata adhuc oculus poſſet videre Deum, ibid. Potentia viſiua corporea ſi eleuaretur ad videndum Deum extraheretur à proprio genere vitæ diſputat.21.num. 12. pag. 176. Viſio Dei eſt in genere vitæ, in quo non eſt oculus coporeus diſputat. 21. num. 17. pag. 177. Viſio Dei exiſtens eſt de fide diſputat.22. num.1 pag.183. Sola fide conſtat dari de facto diſputat.21.num.3.pag. 184. & quæſt. 12. num. 2. Contra illam non eſt diuus Chriſoſtomus diſput.22.num.3. & 6. pag.184. Argumentum calculatorium contra illam in ſtatur diſput. 22. num.7.pag.184. Soluitur explicata viſionis in finitate diſputat.22. num. 8. pag. 184. Vtrum demonſtratiue poſſit probari viſio Dei diſp.22. num.20.pag.187. Viſio hæc Dei quæ de facto datur nec probabiliter poteſt cognoſci poſſibilis diſput. 22. num. 32. pag. 189. Vtrum detur in viſione appetitus innatus diſputat.22.num.33.& ſeqq.pag.189. Non datur diſputat.22. num. 36. pag.190.& ſeqq. Alias Deus vt Author naturæ nil faceret perfectum diſput.22. num.38 pag. 190. Gratia non eſſet ſupernaturalis, ibidem. De appetitu elicito in viſionem diſputat. 12. num.41.pag. 191. Poteſt dari aliquis elicitus diſput.22.num.42. Et efficax intentatur diſput. 22.num.43. pag.191. Et phyſicè circa media, ſeu conditiones naturales diſput. 22. num. 45. pag. 291. Et quoad ſupernaturales ſi ponantur in poteſtate volitionis diſp.22. num. 47. pag. 192. In viſione beata datur ſimilitudo expreſſa Dei diſput.23.num.7. & ſeqq.pag. 194. Quia per eam reddimur Deo ſimiles diſput.23.num.8. p.194. Illa eſt vtpote vera conformis obiecto diſput.23.num.9.pag.194. Repræſentat eſſentiam ſeu in ſe intentionaliter præſentem facit diſputat.23.num.10.pag.195. In viſione beata eſſentia diuina non gerit munus verbi, ibidem. In viſione materiali datur ſimilitudo expreſſa diſput. 23. num. 11. pag. 195. Hinc probatur hæc ſimilitudo in beatis, ibid. Hæc ſimilitudo non eſt ſecundum naturam, ſed ſecundum repræſentationem diſput. 23. num. 12. pag. 195. In viſione beata non eſt neceſſaria ſimilitudo *in qua*, ſed ipſe per ſe immediate repræſentat eſſentiam diſputat.23. num. 15. pag. 196. Idolum, ſeu ſimilitudo *in qua*, & verbum *in quo* nec ſubiectiue, nec obiectiue poteſt comparari condiſtinctione à viſione beata diſputat.23. num. 17. pag.196. In viſione per accidens eſt munus producendi phyſicè ad rationem repræſentandi diſp. 23.num.19.pag.196. In viſione reflexe cognita an poſſit Deus quidditatiue cognoſci diſput.23. num. 26. & ſeqq. pag. 196. Non poteſt nec Deus, nec vllum obiectum quidditatiue cognoſci in ſui viſione reflexe cognita diſput. 23. num. 27. & ſeqq.pag. 196. Viſio præciſe ſimilitudo *qua* diſputat.23. num.27. pag. 196. In viſione reflexe cognita, & per modum medij *in quo* non poteſt cognoſci clarius obiectum, quam in quauis alia cognitione obſcura diſputat.26.num.16. pag.224. diſput.23.num.30.pag.198. Ad viſionem Dei improportio ſolum ſe tenet ex parte potentiæ diſputat.24.num.12.pag.207. Ad ſui viſionem proportionatus eſt Deus vt concurrat obiectiue diſputat.24.num.15.pag.208. Species impreſſa ad viſionem vide ſpecies impreſſa, concurſus obiectiuus Dei in viſionem eſt liber & communis toti Trinitati diſputat. 24. num. 20. pag.209. Implicat videri Deum per ſpeciem crearntæ non tamen per ſpeciem creatam diſp. 25.num.5.pag.212. Data ſpecie non eſſet ſummè clara diſputatione 25. numero 20. pag. 212. Nulla viſio de Deo naturalis eſt poſſibilis non ſolum exiſtentibus ſubſtantiis, ſed nec poſſibilibus diſp.27.num.5.& ſeq. pag. 231. Omnis viſio Dei æquiualenter eſt ſuper comprehenſio ſeu excedit comprehenſionem reſpectu omnis creaturæ diſputat. 27. num. 11. pag. 232. Cur implicet viſio naturalis Dei ſicuti eſt non vero naturalis amor Dei ſicuti eſt diſputat. 27. num. 19.pag.235. Viſio intuitiua Dei etiam vt Author naturæ & cauſæ primæ eſt ſupernaturalis diſputat.27.num.10.pag.235. Viſio aliquorum naturalium eſt ſupernaturalis, ibid. Eſſe Deum inuiſibilem naturaliter commendat eius perfectionem ſecus eſſe omnino in cognoſcibilem diſputat.27. num. 23. pag. 236. Intellectus per viſionem dicitur vniri cum diuina eſſentia diſp. 28.num.15.pag.141. Viſio ſi procedat à lumine vt tota ratione agendi non erit vitalis phyſicè, intellectui ſed purè intentionaliter diſputat. 28. num.21. & 22. pag.140. Intellectus viuit phyſicè per viſionem ideoque in immediatè influit diſputat.28.num.21.pag.240. Viſio poteſt fieri per auxilium extrinſecum ſine lumine etiam tranſeunte diſputat.28. num.40.& ſeq.pag. 244. Viſio poſſibilis identificans prædicatum alterius lineæ & ordinis ratione cuius ſolum petat auxilium extrinſecum diſputat.28.num.48.pag. 245. Viſiones an ſint inæquales ex inæquali potentia diſputat.29.num.1.& ſeq. pag. 248. Poſſunt ex hac inæquales eſſe ſicut ex potentia ſunt vitales diſputat.29.num.8. pag. 249. Ex potentiæ imperfectione & in capacitate venit imperfectio actus ſupernaturalis, ibid. Idem dicendum licet lumen ſit tota ratio agendi, ibid. Viſionum inæqualitas de facto non ſumitur ex potentia naturali diſputat.29.num.11.pag.250. Ex inæqualitate potentiæ naturalis nequit viſio in ratione intuentis Deum eſſe perfectior, ſicut nequit in ratione ſupernaturalis diſput. 29. num. 12. pag. 250. Poſſe ex imperfectiori potentia decreſcere improbabile non eſt, ſed ſine fundamento dicitur diſp. 29. n. 13. p.250. Nullum prædicatum quod ſupernaturalitati formaliter ſubalternatur in viſione, poteſt euadere inæqualitate potentiæ diſputat. 29. num. 14. pag. 251. Alia vero poſſunt diſputat. 29. num. 17. pag.251. Diuerſitas viſionum eſt Theologicè numerica, ſed, metaphyſicè ſpecifica diſput. 29. num.18.& ſeq. pag 251. Nequit viſio eſſe clarior quin aliquid nouum aperiat in obiecto, nec videre plura materialia niſi plus videat in formali diſput.29. num.2. pag. 252. Viſio non poteſt præſcindere ex parte obiecti vnum attributum ab alio diſput.31.num.4.pag.258. Benè ex parte modi expliciti diſputat.31. num. 6. pag. 258.

Aliorum ſententiæ circa hoc componuntur diſputatione 31. numero 7. pag. 258. Viſio materialis, quam formamus de ſole eiuſdem rationis eſt cum ea quam formamus de paruo globo luminoro diſputatione 31. numero 15. pag. 260. Viſio neque ex parte modi impliciti poteſt præſcindere vnam perfectionem ab alia aqua virtualiter non diſtinguitur diſputatione 31. num. 16. pag. 260. Cur non poſſit beatus reddere rationem de aliquibus perfectionibus diſputatione 31. numero 16. pag. 260. Viſio materialis qualiter videat in colore prædicatum dependentiæ à Deo, illique poſſit diſſentire diſputatione 31. numero 22. pag. 261. Ex parte obiecti nequit per viſionem præſcindi vnum attributum ab alio diſputatione 31. numero 23. pag. 261. Nec vna perſona ab alia diſputatione 31. numero 24. & ſeqq. pag. 261. Viſio beata vtrum videat in Deo creaturas diſputatione 32. numero 1. & ſeq. pag. 269. Videt poſſibiles vt in medio connexo diſputatione 32. numero 3. Item vt in ſpeculo diſputatione 32. numero 5. pag. 270. Quomodo creaturæ videantur plures & de nouo ſine augmentatione & nouitate beatitudinis diſputatione 32. numero 6. pag. 270. Vnde oriatur quod videantur in Deo hæ creaturæ potius quam aliæ diſputatione 32. num. 7. & 6. p. 271. Poteſt videri eſſentia nulla viſa creatura diſputatione 32. numero 7. pag. 271. Poſſunt videri omnes diſputatione 32. num. 10. & ſeq. pag. 271. Ea viſio non foret infinita in eſſe viſionis, ſed omnipotentia in eſſe potentiæ diſputatione 32. numero 11. pag. 271. Implicat videri vnam perſonam ſine alia ex parte obiecti diſputatione 31. numero 25. & ſeq. pag. 261. Neque ex parte modi impliciti poteſt videri vna perſona ſine alia diſputatione 31. numero 29. & ſeq. Poteſt videri vna perſona quin attingatur per viſionem alia explicite diſputatione 31. numero 33. pag. 262. Per cognitionem abſtractiuam præ intuitiua poteſt attingi ex parte modi vna perſona ſine alia diſputatione 31. numero 34. pag. 264. Videri vnam perſonam ſine alia qui affirment? diſputatione 31. numero 36. pag. 264. Viſio negans de Paternitate filiationem quo pacto ſit vera licet ex parte modi tangat eſſentiam diſputatione 31. numero 38. pag. 264. Perſonarum diſtinctio etiam ex parte modi attingitur implicite per viſionem diſputatione 31. numero 41. pag. 266. Quomodo beatus reddat rationem de omnibus prædicatis intrinſecis diſputatione 31. numero 43. pag. 266. Cur non de extrinſecis connotationibus diſputatione 34. numero 8. pag. 281. & diſputatione 31. numero 49. pag. 267. Quomodo neceſſarium ſit vt qui videt filium videat & Patrem diſputatione 31. numero 44. pag. 266. Non ſolum implicite, ſed etiam explicite ex parte modi videndus eſt Deus vt *exiſtens* diſputatione 31. numero 46. pag. 266. Qui videt relationem connexionis non ſemper tenetur videre terminum extrinſecum, benè tamen intrinſecum identitatis diſputatione 31. numero 49. pag. 267. Quod potius videatur in Deo vna perfectio quam alia non oritur ex motatis diſputatione 31. numero 50. pag. 267. Viſio Dei neceſſario exprimit Deum vt ſapientem in generali licet non in ſpeciali circa hoc obiectum diſputatione 31. numero 51. pag. 267. Licet formaliter & explicite non diſcernat vt ſcientem, at ſi beato proponeretur aliquod non ſciens ex vi viſionis ſatis diſcerneret Deum ab illo diſputatione 31. numero 52. pag. 267. Implicat quod confundatur cum creatura per viſionem nec ſub ratione explicita diſputatione 31. numero 53. pag. 268. Neceſſario diſcernit viſio Deum ab omni non Deo ſibi propoſito diſputatione 31. numero 54. pag. 268. Viſio materialis de facto percipit obiectum ſpirituale experimentaliter diſputatione 31. numero 54. pag. 268. Pater propriori originis intuitiuè videt filiationem diſputatione 31. numerò 55. pag. 269. An videri poſſit eſſentia ſine actu libero vel è contra diſputatione 31. numerò 58. & ſeqq. pag. 269. Poteſt ſiquidem actus liber vt talis completur extrinſecè diſputatione 31. numero 59. pag. 269. Secus ſi ſit adæquatè intrinſecus diſputatione 31. numero 60. pag. 269. Quomodo videantur in verbo creaturæ exiſtentes diſputatione 32. numero 12. & ſeq. pag. 271. D. Beatus videt creaturas exiſtentes quæ ad ipſum ſpectant diſputatione 32. numerò 12. pag. 271. Ratio dubitandi ne videant in eſſentia creaturas exiſtentes diſputatione 32. numero 15. pag. 272. Vident licet eſſentia non connectatur cum exiſtentia creaturas ipſas vt exiſtentes in Deo vt modo diſputatione 32. numero 14. pag. 272. Item vt in ſpeculo diſputatione 32. numero 15. & 16. pag. 272. Vt ſic debet Deus prius videri diſputatione 32. numero 17. pag. 272. Duplici titulo concurrit Deus vt ſpecies diſputatione 32. numero 16. pag. 272. Cur Deus præ cauſis ſecundis concurrat vt ſpecies ad viſionem ſuorum effectuum diſputatione 32. numero 17. pag. 272. Viſio creaturarum in Deo vt in medio non eſt intuitiua, ſecus vt in ſpeculo diſputatione 32. numero 18. pag. 272. Adhuc vt in medio eſt quidditatiua diſputatione 32. numero 19. & 20. pag. 273. Cur effectus in cauſa & creatura in Deo & non è contra cognoſcatur quidditatiuè diſputatione 32. numero 20. pag. 373. An viſio beata affirmet ſuam durationem æternam diſputatione 33. numero 1. & ſeq. pag. 273. & quæſt. 12. numero 74. Prima ſolutio negans reflectere poſſe ſupra ſuam durationem proponitur & reiicitur efficaciter diſputatione 33. numero 6. & ſeq. pag. 274. Viſio Dei clara ſupernaturalis eſt entitatiuè: naturaliter tamen cognoſcibilis ſaltem imperfectè quæſtione 1. numero 9. pag. 487. Naturaliter cognoſcitur beatitudinem noſtram ſi tam eſſe in viſione clara Dei quæſtione 1. numero 10. pag. 487. Viſio Dei non ſolum eſt ſupra vires actiuas; ſed etiam ſupra paſſiuas naturæ quæſtione 1. numero 11. pag. 487. Viſionis reflectentis ſupra ſuam durationem indeſtructibilitas nequit eſſe conſequentiæ ſi viſio ſit entitas ſimplex diſputatione 33. numero 12. & ſeqq. pag. 275. Vigetur euidentiſſimè impotentia antecedens producendi viſionem ſupra ſe reflectentem diſputatione 33. numerò 14. pag. 275. Viſio prædicta nequit eſſe eſſentialiter immortalis diſputatione 31. numerò 15. & ſeqq. pag. 260. Viſio prædicta explicatur conſtituta ex ipſo decreto Dei in ratione affirmationis in abſtracto diſputatione 33. numero 23. & ſeqq. pag. 277. Viſionis exiſtentia

nequit naturaliter demonſtrari, queit tamen poſſibilitas quæſtione 12. numero 3. pag. 572. Appetitus creatus ad illam comprobabiliter, licèt non euidenter probat quæſt. 12. num. 6. pag. 572. Datur tamen appetitus innatus ad elicitum viſionis quæſt. 12. num. 7. pag. 572. Datur appetitus efficax affectiue ad viſionem, non effectiue quæſt. 12. num. 8. pag. 573. Qualis ſit Dei viſio iudicatiua an appetitiua ibidem. Repugnat ſimilitudo, in qua diuina eſſentia videatur quæſt. 12. num. 10. pag. 573. In viſione Dei datur verbum quæſt. 12. num. 11. pag. 573. An in omni viſione datur verbum quæſt. 12. num. 12. pag. 573. Senſus exiſtentes nec de potentia Dei abſoluta eleuati poſſunt ad Dei viſionem quæſt. 12. num. 17. pag. 573. Implicat quod eleuetur oculus corporeus ad videndum Deum viſione ſpirituali quæſt. 12. num. 18. pag. 579. Stando præciſſe rationi admitti poteſt potentia materialis, quæ eleuetur ad videndum Deum, non poteſt tamen ea beatis communicari quæſt. 12. num. 22. pag. 573. Repugnat viſio Dei pure naturalis quæſt. 12. num. 24. pag. 574. De facto non videtur vnum attributum, vel perſona diuina ſine alia quæſt. 12. num. 48. pag. 576. Nec poteſt de potentia abſoluta quæſt. 12. num. 49. pagina. 576. & num. 60. pag. 578. Vnum decretum ſine alio videri poteſt quæſt. 12. num. 61. pag. 578. In Deo vt in medio connexo videri poſſunt creaturæ quæſt. 12. num. 62. pag. 578. Poſſunt tamen de potentia abſoluta non videri quæſt. 12. num. 64. pag. 578. An Beati poſſint videre omnia poſſibilia quæſt. 12. num. 65. pag. 579. Quod hæ potius, quam illæ creaturæ videantur in Deo prouenit effectiue ex diuerſitate luminis quæſt. 12. n. 66. pag. 579. Ex pluribus prædicatis viſis maior claritas viſionis formaliter prouenit quæſt. 12. numero 69. pag. 579. Viſio clarior poteſt eſſe, quin ad plurater minetur quæſt. 12. num. 70. pag 580. Clarior eſt viſio cum plures creaturæ videntur ibid. Maior claritas viſionis ipſi eſt eſſentialis ibid. Quo pacto iuſtior perfectiorem viſionem habeat, licet plures creaturas non videat quæſt. 12. num. 72. pag. 589. An viſio creaturarum in Deo ſit quidditatiua quæſt. 12. num. 73. pag. 580. Quo modo poſſint videri in Deo creaturæ exiſtentes in ſententia negante actum liberum Deo intrinſecum quæſt. 12. num. 74. pag. 581. An eſſentia diuina vt cognita poſſit eſſe ſpecies ad videndas creaturas quæſt. 12. n. 76. pag. 581. Qualiter Deus dicatur ſpeculum creaturarum quæſt. 12. num. 73. pag. 580. Res & ſpeculum diuerſis ſpeciebus videntur, ſpeculum tamen primario, ſecundario res quæſt. 12. num. 68. pag. 579. An Diuus Paulus poſt raptum ſpeciem Dei propriam habuerit q. 12. n. 79. pag. 581. Beati per nouos viſionis gradus non vident nouas creaturas ſucceſſiue q. 12. n. 83. pag. 582. Nec pro noua attentione q. 12. n. 84. pag. 582. Idem actus viſionis nequit videre noua obiecta ibid. In viſione beata nulla admittenda eſt ſucceſſio, nec mutabilitas quæſt. 12. num. 85. pag. 582. Beati progreſſu temporis nouas alias viſiones de rebus creatis habent in verbo vt in ſpeculo quæſt. 12. num. 86. pag. 582. Dies iudicij qualiter beatis innoteſcat q. 12. n. 87. p. 583. Nequit beatus ſine noua viſione nouas in dies creaturas videre quæſt. 12. num. 88. pag. 583. Viatoribus naturaliter impoſſibilis eſt viſio Dei, ſecus ſupernaturaliter quæſt. 12. n. 92. pag. 583. Beatæ virgini fuit conceſſa quæſt. 12. num. 93. pag. 584. Tempus, quo conceſſa fuit q. 12. num. 94. Nullus ſanctorum in via intuitus eſt diuinam eſſentiam quæſt. 12. num. 95. p. 584. Quid de S. Ignatio de Loyola affirmet Concilium Tarraconenſe quæſt. 12. num. 96. pag. 584. An Deus in via cognoſcatur euidenter quoad an eſt quæſt. 12. num. 98. pag. 586. Impoſſibilis naturaliter eſt cognitio Dei quidditatiua, licet non ſtricte quæſt. 12. num. 100. pag. 585. Non poteſt cognoſci à creatura tota Dei quidditas in effectu creato, ſecus à Deo quæſt. 12. num. 101. pag. 585. An cognitio quæ habetur in via per gratiam poſſit eſſe quidditatiua quæſt. 12. num. 103. pag. 586. Vide lumen, ſpecies.

Vita Viuens.

Conceptus vitæ explicatur quæſt. 18. n. 4. & diſp. 21. num. 10. Plantæ proprie viuunt quæſt. 18. n. 7. pag. 626. Plantæ in ratione vitæ cum cognoſcentibus conueniunt quæſt. 18. nu. 10. pag. 626. Vita intentionalis operatio eſt quæſt. 18. num. 14. pag. 627. In creatis vita actualis nequit identificari cum vita ſubſtantiali quæſt. 18. num. 15. pag. 627. Potentia vitalis non potes eleuari ad viuendum in alio genere vitæ, quam connaturali diſp. 21. num. 11. pag. 176. Vita intentionalis vt varietur in ratione talis ex obiecto diſp. 21. num. 12. pag. 176. Potentia vitalis improportionata in ratione vitæ non poteſt proportionari ab extrinſece auxilio, diſp. 21. n. 13. pag. 177 Viuens ſenſitiuum ex toto genere perfectius eſt non viuenti, ſecus vegetatiuum quæſt. 3. num. 7. pag. 527. Auxilium ſupernaturale proportionat potentiam vitalem in genere efficiente, ſed non in linea vitæ diſp. 21. num. 14. pag. 177. Quod non eſt naturaliter viuens, nec diuinitus viuere poteſt diſp. 21. n. 17. p. 177. Nec diuinitus eleuari viuens in vno genere vitæ, vt viuat in alio diſp. 21. n. 19. p. 178. Viuere per actum materialem, vel ſpiritualem eſt differentia in linea vitæ diſp. 21. n. 45. p. 182. Vita non minus diuerſificatur ex vario modo tendendi, quam ex obiecto d. 22. n. 9. p. 185. Ad vitalem actus non ſemper auxilium debet eſſe intrinſecum diſp. 24. n. 29. p. 271. Vitalis actio in qua cauſa petat paſſiuum concurſum diſp. 28. n. 12. p. 238. Viſio ſi infunderetur à Deo denotaret intellectum videntem etiam ſi abeſſet lumen d. 28. n. 14 p. 238. Viuens phyſice debet habere ab intrinſeco, & ex propria exigentia virtutem proximam ſe mouendi ſaltem in adæquatam diſp. 28. n. 22. p. 240. Non eſt minus de conceptu viuentis quod virtus adæquata agendi non ſit extrinſeca, quam quod non veniat ab extrinſeco d. 28. n. 23. p. 240 Motus vitalis eſt debitus intrinſecæ exigentiæ ſubiecto viuentis, & ſic dicitur eſſe ab intrinſeco d. 28. n. 38. p. 243. Vitæ non minus debitur virtus ab intrinſeco, quam virtus intrinſeca d. 28. n. 41. p. 244. Vitalitati operationis ſufficit ſi vel vnum tantum principium per eam viuat. diſp. 28. num. 42. pag. 244. Cur actus vitalis petat auxilium intrinſecum diſputat. 28. num. 46. pag. 245